Digitized by Google

6
19 N
7

N

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D. PAULI FREHERI
Med. Norib.

THEATRI VIRORUM ERUDITIONE CLARORUM TOMUS POSTERIOR,

In quo

VITÆ & SCRIPTA

MEDICORUM & PHILOSOPHORUM,

Tàm in GERMANIA Superiore & Inferiore, *quàm in aliis* EUROPÆ *Regionibus*, GRÆCIA *nempè*, HISPANIA, ITALIA, GALLIA, ANGLIA, POLONIA, HUNGARIA, BOHEMIA, DANIA & SUECIA

A SECULIS ALIQUOT, AD HÆC USQUE TEMPORA, FLORENTIUM,

SECUNDUM ANNORUM EMORTUALIUM SERIEM,

TANQUAM VARIIS IN SCENIS REPRÆSENTANTUR.

Bibliotheca Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

NORIBERGÆ:
Impenſis Johannis Hofmanni,
& *Typis*
Hæredum Andreæ Knorzii.
M. DC. LXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



ROBERTUS.
Rex Neapolitanus



CAROLUS. IV.
Romanorum Imperator.



SIGISMUNDUS.
Romanorum Imperator



ERICUS. IX.
Daniæ Rex.



ALPHONSUS.
Rex Arragoniæ.



CHRISTIANUS. I.
Rex Daniæ.



IOHANNES
Rex Daniæ.



MATTHIAS HUNNIADES
Rex Hungariæ.



MAXIMILIANUS. I.
Romanorum Imperator.



FRANCISCUS. I.
Rex Galliæ.



HENRICUS. VIII
Rex. Angliæ.



EDUARDUS. VI.
Rex Angliæ



CHRISTIANUS. III.
Rex. Daniæ



FERDINANDUS. I.
Romanorum Imperator.



MAXIMILIANUS. II
Romanorum Imperator.



HENRICUS
Portugalliæ Rex & Cardinalis

PARTIS SECUNDÆ,

QUÆ

JURISCONSULTOS

continet,

SECTIO PRIMA

IMPERATORUM

ET

REGUM

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

Eruditione ſingulari Celebrium.

ROBERTUS
REX NEAPOLITANUS.

Obiit A.C. 1343.

Fillius Regis *Neapolit. Caroli* cogn. *Claudi*, & Nepos *Caroli* propter crudelitatem *Sanguinarii* cognomen nacti, utrumque animi magnitudine, munificentiâ, clementiâ, & continentiâ ſuperavit, poſt Patris obitum Regnum auſpicatus A.C. 1310.

Rex pius & eruditus.

Pietate & eruditione adeò excelluit, ut verè de eo dictum fuerit, neminem ex his, qui ante eum *Neapoli*, aut poſteà per 200. annos regnârunt, præclariora religionis monumenta reliquiſſe. Non petebat enim ex Templis magnificè à ſe conditis inanem famam, ſed Chriſtianæ virtutis exempla poſteris imitanda relinquebat: utpote qui munimenta mœnium & turres educere, portûs curare, inſtaurare aquæ ductús, annonæ liberaliter ſtudere, tollere latrocinia, & optimi Regis munia obire ſolitus eſſet.

Guelphus S. Pontif. defenſor.

Guelphis addictus, pro Summo Pontifice continuò bella geſſit contra *Gibellinos*, Cæſaribus *Rom.* adhærentes, & *Florentinorum* libertatem enixè defendit. Ideò hi filium ejus *Carolum*, cogn. *Senzaterream*, Dominum ſibi conſtituerunt, qui tamen juvenis eo inito magiſtratu nihil memorabile in *Hetruriâ* geſſit, nec multò pòſt *Neapoli* obiit A.C. 1324. ætatis 31.

Fil. ejus Carolus Florentinor. Dominus.

Literas regno prætulit.

Nixus verò *Robertus* Rex bonarum literarum præſidiis, in iis tantus evaſit, ut ſibi literas regni poſſeſſione chariores eſſe prædicârit. Ardenter enim favebat ſtudiorum Profeſſoribus, oblectabaturque Muſis amœnioribus adeò liberaliter, ut *Franciſcum Petrarcham* multis à ſe muneribus ornatum, quod *Africam* nobile Poëma regio ipſius judicio ſubmiſiſſet, Laureâ Poëticâ ornare cupiverit, quam ille poſteà *Romæ* in Capitolio accipere maluit.

Franc. Petrarcha patronus.

Conjugia ejus & Liberi.

Duas habuit uxores: 1. *Violantam, Jacobi Danonii, Arragonum* Regis filiam, ex quâ *Ludovicum* filiolum in infantiâ defunctum ſuſcepit, quem A. 1302. mater ſecuta eſt. 2. *Sanciam Arragoniam*, Regis *Petri IV.* filiam, *Caroli Senzaterræ* matrem.

Moritur.

Obiit tandem ſenex 10. Cal. Martii A.C. 1343. regni 33.

Sepulchri inſcriptio.

Viſitur ejus ſepulchrum *Neapoli* cum effigie marmoreâ in Templo D. *Claræ* ab ſe dicato, cum hoc titulo:

Aſpice Robertum multâ virtute refertum.

Paulò antequàm moreretur, pacatum relinquere regnum cogitans, neptem ex *Carolo* filio *Johannam* eâ conditione poſt ſe Reginam conſtituit, ut *Andreæ* Regi *Hungariæ* nuberet, & cum eo regnaret.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii, & ex Vitis Regum Neapol. B. G.*

CAROLUS IV.
ROMANORUM IMPERATOR.

Obiit A.C. 1378.

IN lucem editus eſt *Pragæ* A.C. 1316. die 14. Maji, horâ primâ diei. Pater ejus fuit *Johannes*, Rex *Bohemiæ*, filius Imperatoris *Henrici VII, Lutzelburgenſis*. Mater *Eliſabetha, Wenceslai Bohemiæ* Regis filia, nata ex *Juttâ*, *Rudolphi Habſpurgenſis* Imp. filiâ.

In baptiſmo nomen *Wenceslai* ei fuit datum; ſed quoniam in aulâ Regis *Francorum Caroli* fuit educatus, Rex ei in confirmatione nomen ſuum impoſuit, *Carolum*que appellavit.

Adoleſcens literis &

Adoleſcens ſapientiam & doctrinarum ſtudia gnaviter ſectatus eſt, dein prima mi-

 litiæ

Militiæ operam dat. litiæ tyrocinia in *Galliâ* fecit: ſed quampri-mùm ætas cœpiſſet eſſe militaris, miſſus eſt à Patre *Johanne* in *Italiam*, ad præſidia, quæ occupatis urbibus impoſuerat, ubi fortiter pleroſque tutatus eſt.

Fit Romanorum Imperator. A. C. 1346. Electores Imperii, *Trevirenſis, Colonienſis, Johannes* Rex *Bohemiæ*, & *Saxoniæ* Dux, convenerunt in villâ **Rens** propè *Trevirim*, ibique *Carolum* elegerunt *Roman.* Imperatorem. *Aquisgranenſes* ad ſolennem inaugurationem cum Electorum comitatu advenientem eum in Urbem intromittere noluerunt; quare *Bonnæ* tandem coronatus eſt menſe Novembri. Nihil tamen pro Imperio egit, quamdiu *Ludovicus* Imperator vixit. *Rex Bohemiæ.* Coronatus etiam eſt *Carolus* Rex *Bohemiæ* 5. Sept. an. 1347.

A. C. 1350. tandem imperio eſt potitus, & poſteà *Italiam* ingreſſus *Mediolani* A. C. 1354. coronâ ferreâ inſignitus, annoque ſequenti die Paſchatos 5. Aprilis à Legato Pontificis *Innocentii VI.* (qui in *Galliis* erat) aureo diademate redimitus eſt.

A. 1355. *Magdeburgenſibus* privilegia ab Anteceſſoribus ſuis data confirmavit.

Condit Auream Bullam. A. 1356. Condidit legem *Carolin.* Aureæ Bullæ nomine notam ac celebrem, comprehendentem leges ritûſque ſervandos in electione Imperatoris, ac conſulentem atque caventem poteſtati, autoritati, ac dignitati Ordinum omnium, ſuo ſingulis loco, pro ratione circumſtantiarum. Prædictus liber erat ſcriptus in pergameno, in 24. foliis, cum coopertura groſsâ, in quo (ut dictum) erant ſcripta diverſa negotia, ſacrum Imperium & ejuſdem Electores tangentia: qui quidem liber transfixus erat cum filis ſericis glauci & rubei coloris involutis, cum bullâ ſeu ſigillo aureo rotundo Imperiali appenſo, in cujus uno latere apparebat figura imperialis in majeſtate ſedens cum coronâ Imperiali in capite, habens in manu dextrâ ſceptrum, & in ſiniſtrâ manu pomum cum cruce deſuper, modo imperiali, & à latere dextero clypeum cum Aquilâ, & ſiniſtro clypeum cum formâ Leonis. In circumferentiâ verò legebantur hæc verba: CAROLUS IV. DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, ET BOHEMIÆ REX. Ab alio verò latere, caſtrum magnum cum duabus turribus, habens portam inferius in medio, cum literis: AUREA ROMA. In circumferentiâ verò legebantur hæc verba: ROMA, CAPUT MUNDI, REGIT ORBIS FRENA ROTUNDI.

Constituit Academiam Pragenſem. A. 1360. Academia *Pragenſis* ab ipſo eſt conſtituta, (quam *Innocentius VI.* Papa confirmavit) & Epiſcopus *Pragenſis* exaltatus in Archiepiſcopum, ne ſubeſſet *Moguntino*. Caſtrum etiam **Jngelheim** mutavit in cœnobium, ita ut *Bohemi* in id tantùm reciperentur. Impetravit etiam à Pontifice, ut feſtum lanceæ & clavorum Chriſti inſtitueretur, quotannis celebrandum, feriâ ſextâ poſt Dominicam Quaſimodogeniti.

Literatorum fautor. Quemadmodum excelluit ingenio & doctrinâ, multarumque linguarum peritiâ: ita etiam doctos in pretio habuit, eorumque conſuetudine plurimùm delectatus fuit. In ſcholam *Pragenſem* aliquando ingreſſus, cum diſputantes liberalium artium Magiſtros per horas quatuor audiviſſet, idque purpurati moleſtè ferrent, ac cœnæ tempus adeſſe dicerent: Mihi, inquit, tempus eſt minimè: nam cœna mea hæc eſt. Prætulit autem Imperator Philoſophicas diſputationes conviviis etiam delicatiſſimis.

Conjux prima. Quatuor habuit Conjuges. Prima dicta fuit *Blanca*, Comitiſſa *Valeſiæ*, filia *Caroli Valeſii*, ſoror *Philippi Valeſii*, qui pòſt in *Franciâ* regnavit, quam *Carolus* Rex *Francorum* vix ſeptennem ei in aulâ verſanti deſpondit. Ex hâc ipſi natæ ſunt duæ filiæ: 1. *Margaretha*, *Ludovico Hungariæ* & *Poloniæ* Regi: 2. *Eliſabetha*, *Johanni Galeacio* Vice-Comiti *Mediolanenſi* nupta.

Secunda. Secunda fuit *Anna*, (quam alii *Agnetem* vocant) filia *Rudolphi* junioris *Palatini* ad *Rhenum*, quæ improlis deceſſit.

Tertia. Tertia quoque dicta fuit *Anna*, filia *Bulconis*, Ducis *Suidnicenſis*, quæ ad eum dotis loco *Sileſiæ* partem conterminam montibus *Bohemicis* attulit.

Quarta. Quarta fuit *Eliſabetha*, filia *Bugiſlai*, Ducis *Stetinenſium*, conſobrina *Ludovici* Regis *Hungariæ*, neptis *Caſimiri* Regis *Poloniæ*, quâ cum celebravit ſplendidiſſimas & magnificentiſſimas nuptias *Cracoviæ*, cohoneſtantibus publicos ac ſolennes ritus Regibus *Poloniæ Caſimiro*, *Hungariæ Ludovico*, *Daniæ Woldemaro*, *Cypri Petro*, A. C. 1363.

Ejus Liberi. Ex hiſce duabus poſtremis plures ſuſtulit liberos. *Filii* erant 1. *Wenceslaus*, qui patri in Imperio ſucceſſit. 2. *Sigiſmundus*, cui quinquenni puero *Marchiam Brandenburgenſem* Pater dedit. Et hic poſteà etiam Imperator factus eſt. 3. Johannes. Huic Pater *Gorlicium Luſatiæ*, adjunctis aliquot vicinis urbibus, aſſignavit. *Filiæ*: 1. *Catharina*, *Rudolpho IV. Auſtriæ* Duci, 2. *Eliſabetha* fratri *Rudolphi Alberto* Duci, 3. *Margaretha*, Marchioni *Brandenburgenſi*, 4. *Anna*, *Ottoni* Duci *Bavariæ*, 5. *Helena*, Regi *Angliæ*, collocatæ fuerunt.

Moritur. A. C. 1378. *Pragæ* Bohemorum, cum plurimùm id Regnum amplificâſſet, mortuus eſt in vigiliâ S. *Andreæ*, horâ quaſi ſecundâ noctis, cum imperâſſet an. 32. Poſt ſolennes exequias *Pragæ* habitas, die 16. à morte ipſius, ſepultus eſt in templo *Pragenſi*.

Symbolum. Ejus ſymbolum fuit: OPTIMUM ALIENA INSANIA FRUI.

Qui ſapit alterius damno, ſapientior ille:
Nam ſtultus damno vix ſapit indè ſuo.

Ipſe admonitus à Principibus Imperii, ut expeditionem ſuſciperet in *Turcas*; reſpondit: Poſſe quidem ſe copias in eos ducere: verùm quàm non fieri hoc poſſit citra maximam Chriſtiani ſanguinis effuſionem, ſatis ex avorum hiſtoriis ſe compertum habere. Proindè *optimum eſt* (inquit) *alienâ inſaniâ frui.*

Impe-

Juſtitia fuit cuſtos. Imperator hic Juſtitiam ſeverè adminiſtravit. Illo enim pro tribunali ſedente, ſacerdos quiſpiam utroque oculo à viro quodam nobili, patrono ſuo privatus, propterea quod illum erroris in religione arguiſſet, injuriam querebatur ſuam. Non ibat inficias *Zachora*: id Nobili huic cognomen erat: ſed per animi impetum, quem tunc in poteſtate non habuiſſet, facinus admiſſum excuſabat, offerebatque pecunam pro ſatisfactione, arbitrio judicum æſtimandam. Interpellavit dicentem *Carolus*, atque hanc tulit ſententiam: non poſſe in hoc caſu ſatisfactionem abſque talione ſibi conſtare, quando cœco in integrum reſtitui oculi nequeant, ſed oportere *Zachoram* pariter atque ſacerdotem perdere oculos ſuos: neque enim aliter jus eſſe æquabile.

Difficile bellum geſſit *Carolus* contra *Philippum Auſtriæ* Ducem. Et cum aliquando agmina ad prœlium educerentur, vidit Imperator longè hoſtem ſuperare multitudine ſuas copias. Quare rem aſtu aggreſſus eſt, memor præcepti illius: Aſſuendam eſſe pellem vulpinam, ubi leonina deſit. Tres enim agminum Ductores ex Ducis *Philippi* exercitu clam per amicos ad ſe evocatos magnis muneribus promiſſis impulit, ut Duci *Auſtriaco*, quâ poſſent arte, timorem injicerent, eumque ad fugam capeſſendam hortarentur. *Proditionem amat, proditorem verò odit.* Accipiunt illi conditionem, & in caſtra ſua reverſi apud Ducem ſuum ſimulant, ſe clam hoſtium caſtra obiiſſe, eorumque copias exploràſſe, quas triplo majores ſuis copiis eſſe offendiſſent: quod ſi prœlio decernendum ſit, ſibi omnibus, inquiunt, internecinam cladem imminere. Dux, perfidiæ eorum ignarus, ſi nullam, inquit, in noſtris armis ſpem habetis, nec alia, niſi quam fuga monſtrat, nobis ſalutis ſeſe exhibet ratio; agite, fugæ occaſionem, quæ ſe commodiſſima offert, arripiamus, aliamque belli feliciorem fortunam exſpectemus. Nec enim dedecoroſa judicari poterit fuga, quâ longè potentiori cedimus. Ergò collectis armis noctu *Philippus* fugit, nemine perſequente, & in ſua ſe ſecurus recipit. Brevi tamen pòſt, hoc bellum interceſſione duorum Epiſcoporum compoſitum eſt, & *Philippus* ſub certis conditionibus cum Imperatore in gratiam rediit. Cum verò tres illi proditores promiſſa munera ab Imperatore peterent, providerat Imper. adulterinam aureorum monetam, quæ in valore viceſimam non haberet, eam juſſit numerari. Quibus illi acceptis, nec fuco intellecto, læti diſceſsêre. Et jam expendere conati, deceptos ſe eſſe animadvertunt. Reverſi itaque ad Imperatorem, quæſtorem & monetarium, quorum fraude monetam accepiſſent adulterinam, incuſant. Quos Imperator averſatus, vultu ad gravem indignationem compoſito: Apagite, inquit, hinc proditores ſceleratiſſimi, merita proditionis, niſi ſtatim ex oculis evaneſcatis, accepturi prœmia. Nec enim alio auro quàm adulterino veſtra digna eſt perfidia. Quibus verbis confuſi proditores, ex omnium oculis in latibula abierunt.

Vitio ipſi datur, quod plus dilexerit Regnum *Bohemicum*, quàm Imperium *Romanum*, à quo multa largitionibus alienavit.

* *Ex Æneâ Sylvio, Münſtero, Cranzio, Mutio, Ziglero, Trithemio, Curæo, Cuſpiniano, Carione, Blondo, Funccio & Dubravio.*

SIGISMUNDUS ROMANORUM IMPERATOR.

Obiit A. C. 1437.

Natus eſt A. C. 1368. die 28. Junii, Patre *Carolo IV.* Imperatore, & Matre *Eliſabethâ, Bugiſlai*, Ducis *Stetinenſium*, filiâ.

Cum eſſet quinquennis, Pater ei tradidit *Marchiam Brandeburgenſem*. *Fit Marchio Brandeburgenſis.*

Ipſe egregiâ corporis formâ animique dotibus præditus fuit. Nam mira in facie pulchritudo apparuit, in ſermone venuſtas cum gravitate. Criſpos capillos & promiſſam aluit barbam; Ab ineunte ætate in *Romano*-Catholicâ religione, artibusque liberalibus diligenter informatus eſt, in quibus etiam multùm profecit. *Liberalibus artibus deditus.* Ingenio fuit excellenti, & animo magno atque heroico; omneſque ſui ſeculi Principes indolis præſtantiâ, pietate, ſapientiâ, induſtriâ, patientiâ laborum, munificentiâ, candore, aliiſque egregiis virtutibus ſuperavit.

Ludovicus Rex *Hungariæ Sigiſmundum* adhùc puerum admodum in filium adoptavit, promiſſis ei filiæ nuptiis & regno in dotem. *Rex Hungariæ.* Sed deceſſit *Ludovicus*, priusquàm annos pubertatis *Sigiſmundus* attigiſſet. Quod autem vidua *Ludovici* à mariti morte diutiùs imperaret ſubditis, Proceres initâ conſpiratione, evocàrunt ex *Apuliâ* ad Regnum *Carolum Dyrrachianum*. Hunc magno applauſu ac ſtudio ab *Hungaris* exceptum, vidua *Ludovici* interimi veneno curavit, genero futuro regnum ut traderet ſine certamine. Sed necem *Caroli* ulturus *Johannes Horvatius Banus*, reginam in aquam demerſam ſuffocavit. Hujus facinoris fama cum percrebuiſſet, *Sigiſmundus*, qui annum jam agebat vigeſimum, *Hungariam*, ne regnum amitteret, cum exercitu ingreſſus, A. C. 1387. ſuſceptiſque inſignibus, & ornamentis Regiis, ac nuptiis celebratis, *Horvatium*, qui Reginam occiderat, bello perſecutus eſt, & tandem in *Bohemiâ* deprehenſum, per cruciatum, cum aliis triginta duobus Baronibus, qui cum illo de abrogando ſponſæ ſuæ Regno conſenſerant, occidit.

A. 1396. *Sigiſmundus* à *Palæologo* multis obteſtationibus accitus adverſus *Bajazethem*, *Turcarum* Imperatorem, validas copias ex ſuis regionibus, finitimiſque *Germanis* contraxit, quibus cum *Johannes, Philippi Audacis Burgundi* filius, *Caroli VI.* patruelis impulſu, junxiſſet lectiſſimas equitum cataphractorum turmas, quas multi præſtantes viri ex Proceribus *Suevicis, Bavaricis* & *Auſtriacis* auxerunt & ornàrunt, in *Thraciam* profecti ſunt, perveneruntque *Prælium ejus infauſtum cum Bajazethe Turcar. Imper.*

Nicopo-

Nicopolin, *Myſiæ* urbem. *Bajazethes* audito eorum adventu, ipſis obviam proficiſcitur cum ingenti exercitu, eoſque magnâ clade trucidat. *Sigismundus* parvâ naviculâ *Conſtantinopolin* delatus, incidit in claſſem *Venetam*, quâ re ductus in *Italiam* ſe recepit. Accidit clades A.C. 1396. die 28. Septembris, veſperâ *Michaëlis*. Ex *Chriſtianis* 20000; ex *Turcis* 60000. occiſa fuiſſe traduntur.

A.C. 1401: cum quosdam *Hungaros* (qui poſt cladem ad *Nicopolin* acceptam, ipſum faſtidierant) ſecuti percuſſiſſet, à conjuratis captus, fœminæ viduæ cuſtodiendus tradebatur, (cujus maritum è nobili familiâ *Garenorum* inter factioſos ſupplicio affecerat) ut ſervaretur, donec Ordines Regni de ejus ſupplicio ſtatuerent. Sed *Sigismundus* ex eâ cuſtodiâ liberatus divinitùs, cum promiſſis ampliſſimis iratum viduæ animum placâſſet. Elapſus igitur in *Germaniam* properavit, ibique collectis copiis, inſequenti tempore, *Hungariam* recuperavit: quâ receptâ, præſidiiſque firmatâ, autorem captivitatis, *Stephanum Waiwodam*, ſecuri percuſſit. Exemplo territi reliqui quieverunt.

A. 1409. *Sigismundus* iterum *Turcis* arma intulit; ſed iterati conatus non fuerunt proſperiores prioribus; magnâ enim clade ab iis affectus ad *Columbacium*, *Servianorum* oppidum, *Triballis* vicinum, juxta *Senderoviam*, ad ripas *Danubii*, ipſe ultra *Danubium* vix ſalvus evaſit.

A. 1411. Poſt mortem *Jodoci*, Marchionis *Moraviæ*, Imperii Electores convenerunt, & de novo Imperatore eligendo deliberârunt: ubi unâ mente, unâque voce *Sigismundum* Imperatorem elegerunt die 20. Martii.

Ipſe intereſt Concilio *Conſtantienſi* anno 1414. in quo tres Papæ, *Johannes*, *Gregorius* & *Benedictus* fuêre depoſiti, *Martinusque V.* an. 1417. electus, anteà *Otto de Columnâ* vocatus. *Johannes Huſſius* etiam & *Hieronymus Pragenſis* ob religionem ignis ſupplicio fuêre affecti.

Ingraveſcentibus poſthæc indies magis magiſque motibus *Bohemicis*, *Sigismundus* Imperator ut has turbas componeret, iter *Bohemiam* verſus ſuſcepit an. 1419. Sed cum *Pragam* occupare non poſſet, arcem ingreſſus eſt, regiam illic coronam accepit de *Conradi* Archiepiſcopi manu an. 1420. die 30. Julii, & adverſitate fortunæ territus *Bohemiâ* rurſus exceſſit.

A. 1431. Imperator Concilio *Baſileenſi* interfuit, eoque *Bohemos*, oblato omnibus & à ſe & Concilio ſalvo conductu invitavit.

A. 1432. *Sigismundus Romæ* à Pontifice *Eugenio* in feſto Pentecoſtes fuit coronatus.

A. 1436. *Bohemi*, bellorum pertæſi, ad *Sigismundum* Legationem miſerunt, eique Regnum *Bohemicum* tradere promiſerunt, ſi ſibi Euchariſtia in utrâque ſpecie concedatur, & excommunicatione ſolvantur. Utrumque ipſis promiſit *Sigismundus*; & *Pragæ* ſummis honoribus exceptus, ibique coronatus eſt die 24. Auguſti.

Cum ibi ſanatis utcunque vulneribus impetrâſſet à Proceribus, ut *Alberto Auſtriaco* genero, egregio Principi, ſucceſſionem in regno ſe mortuo promitterent, *Znoymum Moraviæ* urbem ad filiam deferri voluit; ſeu ut in ſinu & oſculis atque complexibus filiæ, quam impensè dilexit, moreretur, quæ ibi hærebat; ſeu quod diffideret genti *Bohemicæ*. In eâ urbe tandem, extremo virium defectu ceu exſolutus, vitam finiit A. C. 1437. die 8. (alii 9.) Decembris, ætatis 70, anno Regni *Hungarici* 51, *Bohemici* 17, *Rom.* 27. Coronationis *Romanæ* 5. Deceſſit ſine hærede maſculo. Cadaver regio apparatu *Varadinum* transportatum, ibique honorificè ſepultum eſt. *Moritur.*

Uxores habuit duas. Prior fuit *Maria*, *Ludovici* Regis *Hungariæ* filia, quæ cum dote Regnum *Hungariæ* ei acquiſivit, & primo à nuptiis anno vitam cum morte commutavit. *Uxores habuit duas.*

Altera dicta fuit *Maria*, *Hermanni* Comitis *Ciliæ* filia, quæ ei unicam peperit filiam, nomine *Eliſabetham*, hæredem Regni, quam deſpondit *Alberto Auſtriaco*.

Sigismundus Imperator ſingulari ſapientiâ præditus fuit, uti oſtendunt ejus Apophthegmata: Aſſentatores ſe veluti peſtes odiſſe, cum diceret, *Brunenius Neronenſis* reſpondit, tamen nullum genus hominum magis ornas, quàm adulatores. Tum *Sigismundus*: Vincis ſanè, inquit; Ita enim natura comparatum eſt, ut cum vitandos eſſe adulatores dicimus, tum maximè illis adhæreamus. Nam nec tu mecum tamdiu fuiſſes, niſi meis moribus blandiri aſſueviſſes. *Singulari fuit ſapientiâ præditus.*

Similiter, cum à quodam ſupra modum laudaretur in faciem, & Diis prædicaretur ſimilis, illi colaphum impegit; dicentique: Cur me cædis, Imperator? cur me, inquit *Sigismundus*, mordes, adulator?

Reges ac Principes in terris beatos eſſe ajebat, ſi, excluſis ſuperbis à gubernatione, manſuetudinis humanitatiſque cultores in curiam adſciſcerent.

De gubernatione ſolitus eſt dicere: Mirum eſſe, cum omnes recuſent exercere artes, quas non didicerint, imperare nemo recuſet, quæ ſit ars omnium difficillima.

Cum accuſarent apud eum purpurati maledicentium *Germanicæ* multitudinis, quæ ſuo Principi paſſim obloqueretur, ſubridens reſpondit: An vobis grave videtur, illos malè loqui, cum nos malè agamus? Quo indicavit, in nobismet ipſis ſitum eſſe, quod benè vel malè audiamus.

Cum ignavus ac otioſus homo fœneratores eo nomine plurimùm laudâſſet, quod dormientes etiam pararent ex rebus lucrum: At tu, inquit Imperator, vigilando omnia conſumis.

Ipſe rogatus: Quem virum regno dignum aptumque exiſtimaret? Eum, inquit, quem neque

neque ſecundæ res extollerent, neque adverſæ reprimerent.

Coram *Sigismundo* cum gloriabundus quidam eques Urbanos Magiſtratus parvi faceret, tribunosque militum laudibus in cœlum tolleret: Tace, inquit, Imperator, nullâ nobis, ô Thraſo, militiâ opus eſſet, ſi ſuas quisque civitates Prætor, cœterique Magiſtratus moderatè juſtèque gubernarent. Senſit autem, ubique terrarum pacem tum fore, ſi Magiſtratus leges defenderent, & omni loco ac tempore diligenter ſuum expedirent officium.

Ipſe objurgatus, cur fugatos hoſtes non inſequeretur, & comprehenſos occideret? Satis, inquit, vicit, qui hoſtes fugavit.

Ejus Clementia. Primâ quidem ætate *Sigismundus* vehementior fuit, & in vindicando aſperior, quod ipſi vitio vertitur: ſed hanc aſperitatem paulatim ætas leniit, & uſus rerum. Ideò *Laurentio Hungariæ* Palatino expoſtulanti cum eo, quod victis hoſtibus non ſolùm vitam & opes relinqueret, ſed etiam eos inter amicos reciperet extolleretque: Tibi, inquit *Sigismundus*, videtur utile inimicum occidere; neque enim mortuus bellum excitat: At ego inimicum occido, dum parco; & amicum facio, dum extollo.

Munificentia. Veterano militi exigenti promiſſa, cum diceret: At immoderata fuit tua petitio; reſpondit miles: Poteras negare cum peterem; non autem ſine turpitudine, quod promiſſum eſt, reſcindere poteris. Tum *Sigismundus:* Si ex duobus alterum me ferre oportet, levius rerum, inquit, quàm famæ jacturam ſubibo.

Cum quodam tempore *Sigismundo* flumen tranſeunte equus, quo vehebatur, urinam mitteret, propè equitans unus ex aulicis miniſtris, probatæ fidei homo, & qui diu ſervierat: Equus, inquit, Domini ſimilis eſt. Imperator has voces audiens, cauſam quærit. Reſpondit miniſter: Equum projicere urinam in locum anteà abundantem aquis: Sic imperatorem effundere beneficentiam in eos, qui affluant opibus: negligere cœteros, qui egeant. Intelligens Imperator, ſe feſtivè accuſari, quod miniſtri benè meriti rationem habuerit nullam, reſpondet: Voluntatem benefaciendi ipſi nunquàm ſibi defuiſſe, ſed ita fieri plerunque, ut fructus beneficentiæ publicæ Regum ac Principum redeat non tam ad eos, quibus ex merito, quàm quibus ex deſtinato fato quodam debeatur; idque ſe illi declaraturum re ipſâ. Non ita multò pòſt otium nactus, duas pyxides magnitudine pares implet, unam auro, alteram plumbo, ut & pondere fierent æquales, has miniſtro proponit, & ut eligat utram vellet, jubet. Miniſter plumbeam arripit. Viſo plumbo, inquit Imperator, Agnoſcis ergò, mihi non benefaciendi voluntatem, ſed tibi fortunam defuiſſe.

Linguarum ac literarum peritus, literatos magno in honore habuit. Illo præcipuè nomine Imperator hic ſummis quoque laudibus ornandus eſt, quod ut ipſe linguarum ac literarum peritiam amavit, ita viros eruditione præſtantes ſemper ornare ac provehere ſtuduit, eosque tanti fecit, ut nobili loco natis etiam antepoſuerit. Interrogatus enim aliquando à Principibus, qui literas oderant, cur homines obſcuro genere natos ob literarum commendationem tanti faceret? reſpondit: Merito & optimo jure ſe illos venerari, qui cœteris ſingulari dono divino antecellerent. Se quidem dignitatem equeſtrem, nobilitatem, aliosque honorum titulos conferre poſſe, doctos verò à ſolo Deo creari. Cumque præſtantiſſimum illum Jureconſultum D. *Georgium Fiſcellinum* equeſtri Ordinis inſignibus donâſſet, & ille *Baſileæ* in celebri Ordinum conventu animi dubius hæreret, utrum Equitibus vel Jureconſultis ſeſe conjungeret, tandemque ad Equites velut honorificentiores concederet: Stultè agis, inquit Imperator, quod literis militiam præfers. Nam ego mille equites uno die crearim; Doctorem verò unum mille annis non fecerim.

Contemptor divitiarum. Contemptor *Sigismundus* fuit divitiarum. Cum enim aliquando ex *Hungariâ* 40000. aureorum ei allata eſſent, eaque læto animo accepiſſet, in cubiculum veniens (ubi in thalamo regio theſaurus iſte reconditus fuit) dum cogitat, in quemnam uſum pecuniam eam convertat? ſomnus eum deſtituit. Tum ille excitatis cubicularis: Ite, inquit, ocius, Conſiliarios Ducesque omnes militum huc accerſite. Vocati proceres mediâ nocte trepidi (timebant enim, ne quid adverſi accidiſſet) Imperatorem celeriter adeunt, & quæ cauſa ſit tam repentinæ vocationis, inquirunt. Videte (inquit) carnifices meos (loculos aurum continentes demonſtrans) qui mihi ſomnum eripiunt: accipite eos, & inter vos dividite. Liberatus ab hâc pecuniæ curâ, Nunc receſſit à me, inquit, tortor ille, qui me flagellavit: meliùs deindè quieſcam.

* *Ex Mutio, Carione, Dubravio, Sylvio, Eraſmo, Cuſpiniano, Münſtero & Mechovio.*

In Concilio *Conſtantienſi* Orationem Latinam habuit pietate plenam, quam auribus ſuis *Johannes Gerſon* non ſine piâ compunctione ſe audiviſſe narrat, *Jacobus Wimphelingius in Catalogo virorum Illuſtrium.*

ERICUS IX. DANIÆ REX.

Obiit A.C. 1438.

Poſt obitum Regis *Olai V.* è *Pomeraniâ* ad Regnum *Daniæ* accitus, cœpit ſecum expendere, & rerum geſtarum gloriam ſine literarum luce obſcuram eſſe, & dedecus eſſe genti cœtera inclytæ, quod cum *Germani, Galli, Angli, Itali, Hiſpani*, publicis artium liberalium Officinis, & Academiis ſeu Univerſitatibus abundarent, ipſa ſola hâc laude careret.

Chronicon Regni Daniæ contexuit. Itaque non tantùm *Regni Regumque Daniæ Chronicon ipſe contexuit*, ſed etiam à *Martino V. Rom.* Pontifice literas *Florentiæ* A.C. 1420, 7. Kal. Junii ſcriptas ad Archiepiſcopum *Lundenſem*, ac Epiſcopum *Roëskildenſem*

Digitized by Google

Nicopolin, *Myſiæ* urbem. *Bajazethes* audito eorum adventu, ipſis obviam proficiſcitur cum ingenti exercitu, eoſque magnâ clade trucidat. *Sigismundus* parvâ naviculâ *Conſtantinopolin* delatus, incidit in claſſem *Venetam*, quâ re ductus in *Italiam* ſe recepit. Accidit clades A.C. 1396. die 28. Septembris, veſperâ *Michaëlis*. Ex *Christianis* 20000, ex *Turcis* 60000. occiſa fuiſſe traduntur.

A. C. 1401. cum quosdam *Hungaros* (qui poſt cladem ad *Nicopolin* acceptam, ipſum faſtidierant) ſecuti percuſſiſſet, à conjuratis captus, fœminæ viduæ cuſtodiendus tradebatur, (cujus maritum è nobili familiâ *Garenorum* inter factioſos ſupplicio affecerat) ut ſervaretur, donec Ordines Regni de ejus ſupplicio ſtatuerent. Sed *Sigismundus* ex eâ cuſtodiâ liberatus divinitùs, cum promiſſis ampliſſimis iratum viduæ animum placâſſet. Elapſus igitur in *Germaniam* properavit, ibique collectis copiis, inſequenti tempore, *Hungariam* recuperavit: quâ receptâ, præſidiiſque firmatâ, autorem captivitatis, *Stephanum Waiwodam*, ſecuri percuſſit. Exemplo territi reliqui quieverunt.

A. 1409. *Sigismundus* iterum *Turcis* arma intulit; ſed iterati conatus non fuerunt proſperiores prioribus; magnâ enim clade ab iis affectus ad *Columbacium*, *Servianorum* oppidum, *Triballis* vicinum, juxta *Senderoviam*, ad ripas *Danubii*, ipſe ultra *Danubium* vix ſalvus evaſit.

A. 1411. Poſt mortem *Jodoci*, Marchionis *Moraviæ*, Imperii Electores convenerunt, & de novo Imperatore eligendo deliberârunt: ubi unâ mente, unâque voce *Sigismundum* Imperatorem elegerunt die 20. Martii.

Ipſe intereſt Concilio *Conſtantienſi* anno 1414. in quo tres Papæ, *Johannes*, *Gregorius* & *Benedictus* fuêre depoſiti, *Martinusque V.* an. 1417. electus, anteà *Otto de Columnâ* vocatus. *Johannes Huſſius* etiam & *Hieronymus Pragenſis* ob religionem ignis ſupplicio fuêre affecti.

Ingraveſcentibus poſthæc indies magis magiſque motibus *Bohemicis*, *Sigismundus* Imperator ut has turbas componeret, iter *Bohemiam* verſus ſuſcepit an. 1419. Sed cum *Pragam* occupare non poſſet, arcem ingreſſus eſt, regiam illic coronam accepit de *Conradi* Archiepiſcopi manu an. 1420. die 30. Julii, & adverſitate fortunæ territus *Bohemiâ* rurſus exceſſit.

A. 1431. Imperator Concilio *Baſileenſi* interfuit, eoque *Bohemos*, oblato omnibus & à ſe & Concilio ſalvo conductu invitavit.

A. 1432. *Sigismundus Romæ* à Pontifice *Eugenio* in feſto Pentecoſtes fuit coronatus.

A. 1436. *Bohemi*, bellorum pertæſi, ad *Sigismundum* Legationem miſerunt, eique Regnum *Bohemicum* tradere promiſerunt, ſi ſibi Euchariſtia in utrâque ſpecie concedatur, & excommunicatione ſolvantur. Utrumque ipſis promiſit *Sigismundus*, & *Pragæ* ſummis honoribus exceptus, ibique coronatus eſt die 24. Auguſti.

Cum ibi ſanatis utcunque vulneribus impetrâſſet à Proceribus, ut *Alberto Auſtriaco* genero, egregio Principi, ſucceſſionem in regno ſe mortuo promitterent, *Znoymum Moraviæ* urbem ad filiam deferri voluit; ſeu ut in ſinu & oſculis atque complexibus filiæ, quam impenſè dilexit, moreretur, quæ ibi hærebat; ſeu quod diffideret genti *Bohemicæ*. In eâ urbe tandem, extremo virium defectu ceu exſolutus, vitam finiit A. C. 1437. die 8. (alii 9.) Decembris, ætatis 70. anno Regni *Hungarici* 51, *Bohemici* 17, *Rom.* 27. Coronationis *Romanæ* 5. Deceſſit ſine hærede maſculo. Cadaver regio apparatu *Varadinum* transportatum, ibique honorificè ſepultum eſt. *Moritur.*

Uxores habuit duas. Prior fuit *Maria*, *Ludovici* Regis *Hungariæ* filia, quæ cum dote Regnum *Hungariæ* ei acquiſivit, & primo à nuptiis anno vitam cum morte commutavit. *Uxores habuit duas.*

Altera dicta fuit *Maria*, *Hermanni* Comitis *Ciliæ* filia, quæ ei unicam peperit filiam, nomine *Eliſabetham*, hæredem Regni, quam deſpondit *Alberto Auſtriaco*.

Sigismundus Imperator ſingulari ſapientiâ præditus fuit, uti oſtendunt ejus Apophthegmata: Aſſentatores ſe veluti peſtes odiſſe, cum diceret, *Brunenius Neronenſis* reſpondit, tamen nullum genus hominum magis ornas, quàm adulatores. Tum *Sigismundus*: Vincis ſanè, inquit; Ita enim natura comparatum eſt, ut cum vitandos eſſe adulatores dicimus, tum maximè illis adhæreamus. Nam nec tu mecum tamdiu fuiſſes, niſi meis moribus blandiri aſſueviſſes. *Singulari fuit ſapientiâ præditus.*

Similiter, cum à quodam ſupra modum laudaretur in faciem, & Diis prædicaretur ſimilis, illi colaphum impegit; dicentique: Cur me cædis, Imperator? cur me, inquit *Sigismundus*, mordes, adulator?

Reges ac Principes in terris beatos eſſe ajebat, ſi, excluſis ſuperbis à gubernatione, manſuetudinis humanitatiſque cultores in curiam adſciſcerent.

De gubernatione ſolitus eſt dicere: Mirum eſſe, cum omnes recuſent exercere artes, quas non didicerint, imperare nemo recuſet, quæ ſit ars omnium difficillima.

Cum accuſarent apud eum purpurati maledicentium *Germanicæ* multitudinis, quæ ſuo Principi paſſim obloqueretur, ſubridens reſpondit: An vobis grave videtur, illos malè loqui, cum nos malè agamus? Quo indicavit, in nobiſmet ipſis ſitum eſſe, quod benè vel malè audiamus.

Cum ignavus ac otioſus homo fœneratores eo nomine plurimùm laudâſſet, quod dormientes etiam pararent ex rebus lucrum: At tu, inquit Imperator, vigilando omnia conſumis.

Ipſe rogatus: Quem virum regno dignum aptumque exiſtimaret? Eum, inquit, quem neque

neque ſecundæ res extollerent, neque adverſæ reprimerent.

Coram *Sigismundo* cum gloriabundus quidam eques Urbanos Magiſtratus parvi faceret, tribunosque militum laudibus in cœlum tolleret: Tace, inquit, Imperator, nullâ nobis, ó Thraſo, militiâ opus eſſet, ſi ſuas quisque civitates Prætor, cœterique Magiſtratus moderatè juſtèque gubernarent. Senſit autem, ubique terrarum pacem tum fore, ſi Magiſtratus leges defenderent, & omni loco ac tempore diligenter ſuum expedirent officium.

Ipſe objurgatus, cur fugatos hoſtes non inſequeretur, & comprehenſos occideret? Satis, inquit, vicit, qui hoſtes fugavit.

Ejus Clementia.

Primâ quidem ætate *Sigismundus* vehementior fuit, & in vindicando aſperior, quod ipſi vitio vertitur: ſed hanc aſperitatem paulatim ætas leniit, & uſus rerum. Ideò *Laurentio Hungariæ* Palatino expoſtulanti cum eo, quod victis hoſtibus non ſolùm vitam & opes relinqueret, ſed etiam eos inter amicos reciperet extolleretque: Tibi, inquit *Sigismundus*, videtur utile inimicum occidere; neque enim mortuus bellum excitat: At ego inimicum occido, dum parco; & amicum facio, dum extollo.

Munificentia.

Veterano militi exigenti promiſſa, cum diceret: At immoderata fuit tua petitio; reſpondit miles: Poteras negare cum peterem; non autem ſine turpitudine, quod promiſſum eſt, reſcindere poteris. Tum *Sigismundus*: Si ex duobus alterum me ferre oportet, levius rerum, inquit, quàm famæ jacturam ſubibo.

Cum quodam tempore *Sigismundo* flumen tranſeunte equus, quo vehebatur, urinam mitteret, propè equitans unus ex aulicis miniſtris, probatæ fidei homo, & qui diu ſervierat: Equus, inquit, Domini ſimilis eſt. Imperator has voces audiens, cauſam quærit. Reſpondit miniſter: Equum projicere urinam in locum anteà abundantem aquis: Sic imperatorem effundere beneficentiam in eos, qui affluant opibus: negligere cœteros, qui egeant. Intelligens Imperator, ſe feſtivè accuſari, quod miniſtri benè meriti rationem habuerit nullam, reſpondet: Voluntatem benefaciendi ipſi nunquàm ſibi defuiſſe, ſed ita fieri plerunque, ut fructus beneficentiæ publicæ Regum ac Principum redeat non tam ad eos, quibus ex merito, quàm quibus ex deſtinato fato quodam debeatur; idque ſe illi declaraturum re ipſâ. Non ita multò pòſt otium nactus, duas pyxides magnitudine pares implet, unam auro, alteram plumbo, ut & pondere fierent æquales, has miniſtro proponit, & ut eligat utram vellet, jubet. Miniſter plumbeam arripit. Viſo plumbo, inquit Imperator, Agnoſcis ergò, mihi non benefaciendi voluntatem, ſed tibi fortunam defuiſſe.

Linguarum ac literarum peritus, literatos magni in

Illo præcipuè nomine Imperator hic ſummis quoque laudibus ornandus eſt, quod ut ipſe linguarum ac literarum peritiam amavit, ita viros eruditione præſtantes ſemper ornare ac provehere ſtuduit, eosque tanti fecit, ut nobili loco natis etiam antepoſuerit. Interrogatus enim aliquando à Principibus, qui literas oderant, cur homines obſcuro genere natos ob literarum commendationem tanti faceret? reſpondit: Merito & optimo jure ſe illos venerari, qui cœteris ſingulari dono divino antecellerent. Se quidem dignitatem equeſtrem, nobilitatem, aliosque honorum titulos conferre poſſe, doctos verò à ſolo Deo creari. Cumque præſtantiſſimum illum Jureconſultum D. *Georgium Fiſcellinum* equeſtri Ordinis inſignibus donâſſet, & ille *Baſileæ* in celebri Ordinum conventu animi dubius hæreret, utrum Equitibus vel Jureconſultis ſeſe conjungeret, tandemque ad Equites velut honorificentiores concederet: Stultè agis, inquit Imperator, quod literis militiam præfers. Nam ego mille equites uno die crearim; Doctorem verò unum mille annis non fecerim.

Honore habuit.

Contemptor divitiarum.

Contemptor *Sigismundus* fuit divitiarum. Cum enim aliquando ex *Hungariâ* 40000. aureorum ei allata eſſent, eaque læto animo accepiſſet, in cubiculum veniens (ubi in thalamo regio theſaurus iſte reconditus fuit) dum cogitat, in quemnam uſum pecuniam eam convertat? ſomnus eum deſtituit. Tum ille excitatis cubiculariis: Ite, inquit, ocius, Conſiliarios Ducesque omnes militum huc accerſite. Vocati proceres mediâ nocte trepidi (timebant enim, ne quid adverſi accidiſſet) Imperatorem celeriter adeunt, & quæ cauſa ſit tam repentinæ vocationis, inquirunt. Videte (inquit) carnifices meos (loculos aurum continentes demonſtrans) qui mihi ſomnum eripiunt: accipite eos, & inter vos dividite. Liberatus ab hâc pecuniæ curâ, Nunc receſſit à me, inquit, tortor ille, qui me flagellavit: meliùs deindè quieſcam.

* *Ex Mutio, Carione, Dubravio, Sylvio, Eraſmo, Cuſpiniano, Münſtero & Mechovio.*

In Concilio *Conſtantienſi* Orationem Latinam habuit pietate plenam, quam auribus ſuis *Johannes Gerſon* non ſine piâ computatione ſe audiviſſe narrat. *Jacobus Wimphelingius in Catalogo virorum Illuſtrium.*

ERICUS IX.
DANIÆ REX.

Obiit A.C. 1438.

POſt obitum Regis *Olai V.* è *Pomeraniâ* ad Regnum *Daniæ* accitus, cœpit ſecum expendere, & rerum geſtarum gloriam ſine literarum luce obſcuram eſſe, & dedecus eſſe genti cœtera inclytæ, quod cum *Germani, Galli, Angli, Itali, Hiſpani*, publicis artium liberalium Officinis, & Academiis ſeu Univerſitatibus abundarent, ipſa ſola hâc laude careret.

Chronicon Regni Daniæ contexuit.

Itaque non tantùm *Regni Regumque Daniæ Chronicon ipſe contexuit*, ſed etiam à *Martino V. Rom.* Pontificè literas *Florentiæ* A.C. 1420, 7. Kal. Junii ſcriptas ad Archiepiſcopum *Lundenſem*, ac Epiſcopum *Roëſkildenſem*

Academiæ in Dania erigendæ cupidus fuit. ſem impetravit, quibus ipſi poteſtatem facit Pontifex erigendæ in hoc Regno Univerſitatis ſeu Academiæ, in quâ omnium Artium, exceptâ Theologicâ, Facultates docerentur: conceſſis ſimul omnibus immunitatibus & Privilegiis huic *Danor.* Academiæ, quibus *Pariſienſis* Univerſitas vel quæcunq; aliæ fruerentur.

Sed tum laudabile Regis inſtitutum, quod res domi foriſque turbatæ irritum fecerunt, ſucceſſu caruit. Tribus enim Regnis, *Danico*, *Suecico* & *Norvegico* per vim bellicam orbatus, exul *Rugenwaldæ* in patriâ ſuâ obiit A.C. 1438. Regni 42. Succeſſit ei *Chriſtophorus III. Bavarus.*

* *Ex Regiâ Academiâ Hafnienſi editâ ab Eraſmo Pauli F. Vindingio.*

Author Epigrammatum Regum Daniæ iconibus adſcriptorum, & Hafniæ A.C. 1646. editorum, hæc ipſi compoſuit unà cum *Danico*:

Regnorum mihi ſceptra trium Matertera liquit,
Liquiſſet ſceptris ô ſi animumque parem!
Quod quia non factum tandem tribus excido Regnis,
Coactus patriâ vivere ſede ſenex.

König Margret mein Muhm from
Erwarb mir der dreyer Reiche Cron/
Nach Graff Gerts tod wegen Schleswig
Mit Holſtein faſt lang führte Krieg:
Die Sach endlich vertragen ward/
Die Reiche doch waren beſchweret hart/
Welches Uffſtand bracht/ Schweden entfiel/
An alle Ort widrig lieff das Spiel.
Drüber kam in Sorg und Gefahr/
Endlich verlieſſ die Reiche gar/
Verſtarb hernach in Privat-Stand
Zu Rugenwald in mein Vatterland.

Obiit A.C. 1458.

ALPHONSUS
REX ARRAGONIÆ.

Princeps pius & eruditus. A Rerum geſtarum copiâ & intrepidâ conſtantiâ *Magnanimus* vocatus, Princeps fuit admodùm religioſus & eruditus, qui ſacra Biblia 14. vicibus perlegit, & ſtudiis Aſtronomicis præcipuè delectatus eſt. De cujus rebus & dictis memorabilibus librum peculiarem edidit *Æneas Sylvius*, poſt Pontifex Max. *Pius II.* & ante eum *Antonius Panormitanus*, Regis hujus Secretarius.

Ejus dicta memorabilia. Horum dictorum commemoratione *Des. Eraſmus Roterodamus* Apophtegmata ſua clauſit, ex quibus hæc ſunt: *Si ſibi contigiſſet naſci temporibus veterum Romanorum, ſe conſtructurum fuiſſe contra Curiam Templum Jovi poſitorio, in quo Senatores, priusquam in Senatum venirent, odium, amorem, & privatos affectûs omnes deponerent.* Item: *Eos Cives habeo chariſſimos, qui magis pro me quàm me metuunt.* Item: *Ita demum matrimonium tranquillè citraque querimonias exigi poteſt, ſi maritus ſurdus fiat ac uxor cæca.*

Rex hic cum bellum diuturnum in Regno *Neapolitano*, depulſo *Renato*, Duce *Andegavenſi*, finiiſſet, totumque regnum ſibi dicto audiens feciſſet, A. 1443. Urbem *Neapolim* in curru triumphali victoris inſtar ingreſſus, & Rex publicè ſalutatus eſt. *Rex Neapolit.*

Brevi pòſt cum *Eugenio IV.* Summo Pontifice pacem iniit, qui eum beneficiario jure Regem appellavit.

A. 1444. Cum *Genuenſibus* pacem fecit; cumque ſeq. anno *Philippus Bonus, Burgundiæ* Dux, inſtituti recens à ſe Aurei velleris Equitum Ordinis inſigne *Neapolim* miſiſſet, publicâ ſolennitate id accepit. *Eques aurei velleris.*

A. 1451. Cum *Fridericus III.* Cæſar cum *Eleonorâ*, conjuge *Alphonſi* nepte *Romam*, ut à Pontifice *Nicolao V.* coronaretur, petiiſſet, & *Neapolim* Regis propinqui viſendi causâ veniſſet, tantâ cum pompâ ab eo exceptus eſt, ut *Alphonſus* ab aliquot annis nihil aliud præmeditatus eſſe videretur, quàm quomodo tantum hoſpitem magnificè ſatis tractaret. *Cæſarem Fridericum III. ſplendidè excepit.*

Cum autem ex conjuge *Mariâ*, *Henrici III. Caſtiliæ* Regis filiâ, liberos nullos haberet, *Johanni* fratri *Navarræ*, Regi *Siciliæ*, *Maioricæ*, *Arragoniæ*, *Valentiæ*, *Sardiniæ*, & *Corſicæ* regna, cum Comitatu *Barcinonenſi*: *Ferdinando* verò notho ſuo Regnum *Neapolitanum*, ceu proprio Marte acquiſitum, ideoque ad cœtera regna nihil pertinens, teſtamento legavit. *Fratrem Johannem heredem inſtituit.*

Viribus tandem ob nimias, quibus mirificè capiebatur, venationes exhauſtus, epilepſiâ, & accedente, dum *Campaniâ Nolanâ* eſſet, febri, *Neapolim* reverſus obiit 27. Junii A.C. 1458. ætatis 65. Regnis *Siculo* & *Arragonio* annis 43, *Neapolitano* verò poſt expulſum *Renatum Andegavenſem* annos 16. potitus. *Mor. epilepſiâ.*

* *Ex vitis Regum Neapolit. B. C. & Indice Chronologico Abr. Bucholtzeri.*

Anton. Panormitanus in libro, quem de *rebus ab hoc Rege geſtis* edidit, inter alia retulit, illum viſitaſſe ægrotantem *Gabrielem Surranum*, ſuaviſſimum adoleſcentem, eique à nullo magis, quàm à morte abhorrenti dixiſſe: *Hoc, quod times, eſt benè viventibus vita, & ejus vitæ principium, ubi neque dolori, neque metui, neque invidiæ, neque calamitatibus locus eſt.*

Paulus Jovius Elogior. Lib. II. hæc de eo ſcripſit: *Alphonſus Rex Neapolit.* in totâ vitâ, quæ ei ex bellis laborioſa ſemper fuit, nullam ſe jucundiorem voluptatem capere prædicabat, quàm è cœtu virorum eruditione clarorum, cum quibus honeſtos ſermones, adminiſtrandoque regno utiles ex hiſtoriis aſſiduè ferebat. Apud eum namque eo tempore ſpectabantur *Laurentius Valla*, *Bartolom. Facius*, *Antonius Panhormita*, & qui bellorum ejus hiſtoriam lepidè perſcripſit *Bracellius Ligur*. Ab his ſcribendorum *Annalium* operam exigebat. In hos etiam uſus conditâ ſumptuoſæ ſupellectilis Bibliothecâ rem literariam intermortuam fulcitare ab inferis contendebat.

CHRI-

Obiit A.C. 1482.

CHRISTIANUS I.
DANIÆ REX.

POſt *Chriſtophorum III.* ſuſcepto regno cum inter alias curas attentâ conſiderationis indagine perſcrutaretur, literarum ſtudiis Viros effici ſcientiis eruditos, per quos æquum ab iniquo diſcernitur, erudiuntur rudes, provecti ad altiora conſcendunt, & fides Catholica roboratur; factâ ſibi poteſtate A. 1475. d. 13. Kal. Julii conſtituendæ Academiæ, quæ omnibus Privilegiis ulli Univerſitati, præſertim *Bononienſi*, conceſſis gauderet, à S. Pont. *Xyſto IV*, ad quem *Romam* A. 1474. voti reus profectus fuerat: ex conſilio & conſenſu Dom. *Olai Martini*, Eccleſiæ *Röeskildenſis* Epiſcopi, & aliorum ſuorum Conſiliariorum, & ex auctoritate Pontificiâ ſibi conceſsâ, Venerabili Viro *Petro Alberti*, Artium liberalium Magiſtro & Med. Licentiato totum id negotium cum plenâ auctoritate A. 1478. die B. *Franciſci* commiſit, ut ipſe ad ſe reciperet certos Doctores & Magiſtros, qui unà cum ipſo in ſingulis Facultatibus ex conſuetudine aliarum Univerſitatum docerent, & in iisdem dignos promoverent in oppido *Hafnienſi*: pro ſe & ſuis Studioſis cum *Hafniæ*, tum in omnibus provinciis Regiæ Majeſtati ſubjectis Regiâ pace & protectione ſpeciali fruituri. Cavitque porrò Rex optimus ſevero edicto, ne quis hujusmodi Doctoribus vel Magiſtris & eorum bonis ſe ullo modo ingereret, quippè quos volebat ab omnibus Judicibus terrarum ſuarum exemtos eſſe, niſi à Judicibus & Conſervatoribus Univerſitatis, quos ipſe conſtituiſſet, Reverendo Dom. Epiſcopo *Röeskildenſi*, & Venerabilibus viris, Dom. Decano & Præpoſito Eccleſiæ *Röeskild.* & Decano *Hafnienſi*.

Hafniæ Academiam fundavit.

Mandavit præterea Proconſulibus & Conſulibus, & Præfecto ſuo *Hafnienſi*, ut eosdem Doctores, Magiſtros, & Studioſos foverent, & ab omni violentiâ defenderent, ſi Regiæ ipſius Majeſtatis indignationem ducerent evitandam.

Itaque M. *Petrus Alberti*, Regiâ auctoritate fretus, accedente ſimul conſenſu *Johannis Broſtorpi*, *Lundenſis* Archiepiſcopi, *Coloniam Agrippinam* conceſſit, & ex illâ Univerſitate evocatos Magiſtros, Baccalaureos, Studioſos *Havniam* A 1479. d. 16. Maji adduxit, & Vicecancellarius *ab Olao Martini Röeskildenſi* Epiſcopo Academiæ Cancellario conſtitutus veram initium Univerſitatis hujus fecit die 1 Junii, factis ſacris & inaugurali Oratione in laudem Scientiarum, Regis & aliorum habitâ celebratum, præſente ipſo Rege, cum Epiſcopo *Röeskild.* aliisque multis Prælatis, Nobilibus, ac ſtrenuis viris, quorum unanimi conſenſu primus Rector eâdem horâ creatus eſt Mag. *Jaſpar Henrici*, Dom. *de Sandagergaad.* Quo Rectore Albo Univerſitatis inſcripti ſunt Regis, Reginæ, Epiſcoporumque Cancellarii, Abbates, Prelati, Canonici, Vicarii, Nobiles, Profeſſores, Doctores, Magiſtri, Baccalaurei, Studioſi, ex *Daniâ*, *Norrigiâ*, *Germaniâ*, *Belgio* oriundi, N. 79.

Studioſi Coloniâ adducti.

Initium Univerſit. Hafnienſis.

Primus Rector M. Caſpar Henrici.

Statuta verò Academiæ dedit *Johannes*, *Lundenſis* Archiepiſcopus, modumque eligendi Rectoris, & rationem totius Academicæ adminiſtrationis præſcripſit.

Rex hic glorioſus ex Comitum *Oldenburgicorum* ſtirpe progenitus obiit 19. Maji A. C. 1482. ætatis 56, regni 32.

JOHANNES
DANIÆ REX.

GLorioſa inclyti Patris veſtigia ſecutus filius laudatiſſimus Rex *Johannes*, cum comperiſſet, opus hoc eſſe ſaluberrimum, quo non privatum, ſed publicum commodum quæreretur, crederetque, eò magis hoc negotium ſuſcipiendum, quò magis ſpiritualem mentis cultum reſpiceret; dignum duxit, tam ſalubre negotium piè & gratioſè proſequi.

Patris itaque fundationem & ſeverum edictum accuratè confirmavit. Et cum deprehenderet, ſuorum Civium filios, Patritios pariter & plebejos, quaſi per contemtum tanti beneficii, exteras Academias nihilominus, cum graviore ſumtuum ratione, adire, gravi edicto A. 1498. ex Senatorum Regni conſilio ſanxit, ne quis, niſi exacto in Univerſitate *Havnienſi* triennio integro, ſtudiorum causâ in exteras Academias, (ſolâ *Ubſalienſi* in regno *Sueciæ*, quæ tum ex unione Margariticâ ipſius parebat imperio, exceptâ) concederet, niſi culpam prævaricationis luere vellet, amiſſione bonorum Eccleſiaſticorum, quæ tum poſſideret, & omni ſpe præciſâ inpoſterum aliorum in regno *Daniæ* conſequendorum.

Acad. Hafnienſis à Rege Johanne confirmata.

Præterea ad conſervandam augendamque Academiam ex conſilio Senatorum Regni A. 1491. Bona Eccleſiæ *Saby* Theologiæ Profeſſori, & A. 1492. Bona Eccleſiæ *Faxoe* Juris Canonici Profeſſori aſſignavit.

Demùm A 1512. novis reditibus auxit Academiam, & A. 1613. novam Univerſitati domum exſtruendam curavit.

* *Ex Regiâ Academiâ Havnienſi editâ ab Eraſmo P. filio Vindingio.*

Obiit A.C. 1490.

MATTHIAS CORVINUS
REX HUNGARIÆ.

PAtrem habuit *Johannem Hunniadem*, *Turcarum* terrorem; fratrem *Ladislaum*, qui, quod *Ulricum*, *Ciliæ* Comitem, apud *Albam* confodiſſet, à *Ladislao* Rege *Bohemiæ* & *Hungariæ* ſecuri percuſſus eſt A. C. 1457. Hic verò *Matthias*, quod cædis illius conſcius fuiſſe putaretur, mox *Pragam Bohemorum* captivus abductus ad *Georgium Podebracium*, regni gubernatorem.

Anno ſeq. 1458. ætatis 15. *Budæ* poſt mortem repentinam Regis *Ladislai* Rex *Hungariæ* electus, & à *Podiebracio* dimiſſus ex car-

Ex carcere ad

Regnum Hungariæ volavit. ex carcere volavit ad regnum, poſtquàm *Hungari* pro ejus liberatione 50. millia aureorum numeráſſent.

Dimiſſo Rex *Podiebracius* non catenas modò detraxit, ſed etiam ad certum amicitiæ pignus filiam ſuam deſpondit, ornatumque regiis muneribus *Budæ* regnaturum dimiſit.

Rex eruditus. Eminebat in eo eruditum & grave perſpicacis ingenii judicium, cum rerum bellicarum omnis generis & literarum intelligentiâ polleret.

Neque enim Regem aut Ducem abſolutæ virtutis & gloriæ famam adipiſci poſſe prædicabat, niſi literarum præſidio munitus omnis ætatis inſtituta militiæ, & antiquorum ſtratagemata ex hiſtoriis percalleret.

Propterea peculiari propè ſtudio in Regiam ſibi viros aſciverat, non optimorum modò ſtudiorum, ſed nobiliorum etiam artium laude inſignes, quorum conſuetudine *Eruditorum patronus.* legendo & diſputando mirum in modum oblectabatur. Quicquid enim otii à gravioribus negotiis ſuffurari poterat, id totum evolvendis annalibus impendebat, multusque videbatur in *eâ Bibliothecâ*, quam libris *Bibliotheca Budenſis fundator.* exquiſitis nullo deterrente ſumptu refertam eſſe curaverat.

Forum verò *Budæ* præcellentium artificum tabernis exornârat, qui ex *Italiâ* præſertim certis invitati præmiis *Budam* confluebant. Regia enim *Budæ* veræ virtutis domicilium, perpetuique ſplendoris hoſpitale diverſorium cunctis gentibus patebat: quandoquidem vincere hoſtes, & ſcribenda facere, & virtutem liberaliter exornare Regiæ fortunæ proprium munus eſſe duceret.

Hâc illuſtri famâ Chriſtianorum Regum florentiſſimus cum vigeret, agitaretque animo ingens bellum adverſus *Turcas*, & lætè pranſus eſſet, *Bolanumque Venetum* Legatum honoris causâ equeſtri dignitate inter ſacra ſolennia perornâſſet, repentè apo-*Apoplexiâ obiit.* plexiâ correptus exſpiravit die 6. April. A. C. 1490. ætatis 47. regni 33.

Leones, qui *Budæ* detinebantur, omnes eodem die interierunt.

Antonii Thebaldei Epitaphium:

Corvini brevis hæc urna eſt, quem magna fatentur
Facta fuiſſe Deum, fata fuiſſe hominem.

* *Ex Elogiis Virorum bellicâ virtute illuſtrium Pauli Jovii. Et ex Indice Chronologico Abrah. Bucholtzeri.*

* * *

A teneris *Matthias Corvin.* adhibitus fuit ad optima ſtudia, & literas artiumq; multarum ſemina mirabili celeritate & aviditate didicit. Patrem *Johannem Hunniadem* anno ætatis duodecimo amiſit, qui Linguæ Latinæ imperitus in maximè arduis deliberationibus & tractationibus cum Legatis S. Pontificis aut Regum, qui negotia ſua Linguâ Latinâ proponebant, non utebatur *Patris interpres.* alio interprete, quàm filio *Matthiâ*, qui cogitationes & conſilia patris eleganter & ſplendidè exponebat.

Animadverſum eſt, cum in primâ pueri-*In puero indoles bellicoſa.* tiâ audiret Muſicos patrios ſonare Poëmata de prætiis & laboribus *Rolandi* vel *Theodorici Veronenſis*, eum gaudio & animi alacritate exſiliiſſe, & geſtus pugnantium manibus ac pedibus expreſſiſſe, in eâque intentione ſæpè magnam partem diei, oblitus cibi potûsque immoratus fuit.

Ideòque & Parentes optimè de illo ſperabant, & *Johannes* Cardinalis Legatus Pon-*Johannis Cardinalis præſagium.* tificius, qui illâ ætate laudem ſapientiæ habuit, palàm dixit, ſe in hoc puero virtutem & fortunam regiam manifeſtè deprehendere.

Adoleſcens in *Hungariâ* compeſcebat ſeditiones domeſticas, quas excitabant adversùs eum quidam ex ſuis nobilibus, adjuti à *Caſimiro*, *Poloniæ* Rege, qui *Pannoniam* ad ſe trahere nitebantur, ſed illud agmen penè univerſum *Matthias* delevit.

Fuit deindè in jugis *Carpathi* nobilis latro *Telephus*, qui ex illis montibus latè prædas agebat multis annis. Eum *Matthias* non ſi-*Seditioſorum domitor.* ne difficultate cum manipulis ſuorum ſeditioſorum ſuperavit, & ex regno ejecit.

A. 1459. Interceſſit ei bellum cum *Friderico* Cæſare, quod deindè ſubſequentibus annis ſubindè ſolitum eſt recrudeſcere. Re-*Bellum geſſit cum Cæſare Friderico propter Coronam Hung.* tinebat enim *Fridericus* coronam Regni *Hungariæ*, quam olim unà cum puero miſerat ad eum mater *Ladiſlai*, & habebat ſtudia aliquorum procerum, qui ipſi faciebant ſpem de regno: copiæ etiam Cæſaris hoc anno fuerunt victrices. Motûs tamen ſedati ſunt, & Cæſari multæ factæ promiſſiones.

A. C. 1490. 5. April. die Dominico *Palmarum* Oratores *Caroli VIII. Gall.* Regis prandio excipiens, cum in menſâ ſecundâ ficûs recentes allatas ex *Italiâ* poſceret, easque jam ab aulicis conſumptas cognoſceret, ingenti exarſit irâ, ita ut totus tremeret, hanc è veſtigio ſecuta eſt apoplexia. Lapſus enim in terram, unà cum ſenſu & motu vocem amiſit, & die ſeq. exſpiravit.

Studioſè didicit Mathemata, Aſtrolo-*Mathem. Phyſiognomiæ & Hiſtor. Cultor.* giam, & divinationes Phyſicas, adeò, ut ex primo aſpectu lineamentorum faciei de moribus hominum judicaret. Ideò quidam invidentes tantæ dexteritati ſpargebant, ex artibus magicis ipſum talia reſcire. Imprimis dilexit *Regiomontanum*, quem, cum in aulam veniret, menſæ ſuæ adhibuit, eique ſtipendium annuum 200. aureorum dedit.

Hiſtoriarum imprimis fuit gnarus, & multa ex Hiſtoriis *Græcis* in *Latinum* ſermonem transferri curavit.

Pinxit pro ſymbolo ſuo in monetâ & ali-*Symbolum ejus.* bi corvum geſtantem roſtro annulum. Eripuerat enim ipſi corvus ſmaragdum digito detra-

detractum. Rex autem proſecutus volucrem, globo ſclopeti corvum interfecit, & annulum recuperavit.

* *Ex Annalibus Sileſiæ Joach. Cureî Med. D.*

Obiit A.C. 1519.

MAXIMILIANUS I.
ROMANORUM IMPERATOR.

NAtus eſt A.C.1459. die 22.Martii *Neapoli Auſtriæ*, Patre *Friderico III.* Imperatore, Matre *Leonorâ.*

Parentes filium bonis literis inſtituendum curârunt, ut qui in ſpen. multorum Regnorum aleretur. Verùm is ab infantiâ tantâ difficultate verba pronunciabat, non ſine matris dolore, ut pleriſque mutus ferè judicaretur. Sed quantoperè difficultas illa loquendi in pueritiâ fuit pleriſque moleſta, ita in perfectâ ejus ætate facundia omnibus etiam exteris fuit admirabilis, qui præter vernaculam linguam, *Latinè, Gallicè* & *Italicè* eleganter loquebatur. Præceptore uſus primùm infelice, *Petro Engelberto*, homine indocto ſpinoſique ingenii, ut magis adoleſcentes literas odiſſe, quàm amare cœperint. Nihilominus tamen *Maximilianus* vivaci ingenio & tenaci memoriâ contendit, ut eruditione, ardenti pietatis ſtudio, ſolertiâ & alacritate cunctos ſuæ ætatis in orbe Chriſtiano Reges facilè ſuperaret. Addit *Julius Scaliger: Si eum dixero omnibus numeris* præſtitiſſe reliquis Principibus, minùs forſan dixero, quàm verum eſt.

Ejus Præceptor.

Eruditio Maximiliani haud vulgaris.

Tradunt hiſtorici, *Maximilianum* de ſuo indocto Præceptore conqueri ſolitum fuiſſe: Si hodiè, inquiens, Præceptor meus viveret, quanquàm multa Præceptoribus debeamus, efficerem, ut ipſum inſtitutionis ſuæ pœniteret.

Cum A. 1463. *Maximilianus* puer cum Parentibus in arce *Viennenſi* à civibus obſeſſus occluderetur, matrem rogavit, ut ei perdicem aliquando daret, poſtquàm hordeo jam pluribus diebus veſceretur: quæ illachrymans, Utinam, inquit, mi fili, panis nos non deficiat. Quidam verò ſcholaſticus, indignè ferens, Principum inediam, quantum tribus aureis nummis ex perdicibus, capis & carne ferinâ comparare potuit, ſuccinctus, ſuperinductâ longiori veſte ſcholaſticâ foſſam arcis inſiluit, & per cuniculum ingreſſus *Maximiliano* obtulit, qui deinceps hunc perpetuò dilexit & fovit.

Scripta.

Provectiori ætate literatos amavit, cumque illis libenter converſatus eſt. Edidit deindè Poëticè linguâ patriâ de diverſis ſuis periculis opus, cui nomen Theurdank/ dedit: pulchrumque opus confinxit, quod *Portam honoris* appellavit, à *Stabio* viro erudito concinnatum & picturis illuſtratum.

Eligitur & coronatur Rom. Imp.

A. 1486. Ipſum Pater *Fridericus* cunctis ſeptemvirorum ſuffragiis conſortem Imperii fecit die 16. Februarii; fuitque *Maximilianus* ſecundum morem *Aquisgrani* coronatus die 10. Aprilis.

A Brugenſibus captivus detinetur.

A. 1488. captus à *Brugenſibus*, & in aromatarii cujuſdam domo cuſtodiæ per 9. menſes datus eſt, decollatis in ejus conſpectu aulicis ipſius pleriſque, undè & ipſe mox vitam amiſſurus credebatur. Sed liberatus communibus totius Imperii viribus, continuo 8. annorum bello rebelles ita attrivit, ut jugum imperii ſupplices exindè omnes acceperint, & perfidiæ ſuæ pœnas graves dederint.

Cum ab hiſce rebellibus indignis modis tractaretur, nunquàm tamen ab animi magnitudine diſceſſit. Horrebant ejus vultum hoſtes infeſtiſſimi, reverebatur præſentem populus ſeditioſus, ideoque hoſtes arctiſſimè concluſum ad populi conſpectum rarò admittebant. Emergebat enim ex ejus oculis & vultu majeſtas magno Principe digna, rebellium conſcientiam non fictè commovens, & univerſa corporis lineamenta Imperatoriam dignitatem referebant.

Hungariæ bellum infert.

A morte *Matthiæ* Regis *Hungariæ Maximilianus* totum ſe contulit ad bellum *Hungaricum*, & traducto an. 1490. in *Pannonias* exercitu, quo multarum gentium difficillimis prœliis victor, tot penè victoriis, quot paſſibus itinera illa, virorum fortium virtute & dextera undique obvallata, tantisque armorum ſtudiis paſſim flagrantia, pervaſit, atque citerioris *Pannoniæ* avitum patriumque Principatum, patri ejus per ſuorum inſidias à gentium illo terrore *Matthiâ* Rege ademtum, majori gloriâ, quàm alii poſſederant, recuperavit. Nec magno negotio *Maximilianus* tunc totum perdomuiſſet Regnum, præcipuis urbibus jam ad ſpontaneam deditionem paratis, niſi ex pacto, *Uladiſlao Matthiæ* Succeſſori procerum ſuffragiis expetito, id concedere viſum fuiſſet ſatiùs, retento ſolo jure ſucceſſionis, ut deficiente maſculâ ſobole *Uladiſlai* in ſuos id poſteros devolveretur.

Comitia Wormatiæ celebrat.

A. 1495. à morte Patris prima celebravit *Wormatiæ* Comitia tribus ejus monumentis nobilitata: nam & pacem publicam per omnes Imperii Provincias ſancivit, & ex conſilio *Bartholdi*, Electoris *Mogunt. Cameræ Imperial. Judicium*, das Kayſerliche Kammer-Gericht *Spiræ* inſtituit, & *Eberhardum* Comitem *Würtenbergicum* Imperii Principibus adſcivit.

Cameræ Imperialis Judicium Spiræ inſtituit.

Ejus bellum cum Helvetiis.

A. 1499. Cum *Helvetiis* bellum geſſit, ut detractas *Auſtriacis* Provincias recuperaret, & eos ſub commune jugum imperii reduceret. Cum autem octies dimicâſſet majore ſuorum quàm hoſtium clade, tranſactione tandem bellum compoſitum eſt *Baſileæ.*

Cum Venetis.

A. 1507. Poſtquàm *Cameraci* fœdus iniiſſet cum *Julio* Pontifice, *Ludovico XII. Galliæ* Rege, *Ferdinando Hiſpano*, *Alfonſo Ferrarienſe* &c. bellum contra *Venetos* ſuſceperunt, ut eorum potentiam frangerent omnibus formidabilem vicinis. Eo bello Reſpubl. *Veneta* graviſſimam rerum ſuarum jacturam fecit, & omnem ferè ditionem amiſit.

Comitia Treviris habet.

A.C. 1511. Comitia Imperii *Treviris* inſtituit,

Digitized by Google

ſtituit, ubi inter cœtera, quæ acta ſunt, Imperium *Romanum* in *decem* provincias ſeu *Circulos* diſtributum, in *Auſtriacum*, *Bavaricum*, *Suevicum*, *Francicum*, *Rhenanum*, *Electoralem Palatinatus*, *Burgundicum*, *Weſtphalico-Belgicum*, usque ad *Moſam*, *Saxonicum inferiorem*, *Saxonicum ſuperiorem*.

Pacem cum Venetis init. A. 1517. Cum *Franciſco* Rege *Galliæ* & Senatu *Veneto* pacem fecit poſt bellum decennale, in quod quinquies decies centena millia aureorum impenſa ſunt.

Cum an. 1518. conventum frequentiâ Principum celeberrimum egiſſet *Auguſtæ*, indè profectus *Oenipontum* febre correptus eſt: cumque ſe *Welſam*, *Auſtriæ* ſuperioris oppidum transferri, curâſſet, accedente ex virium reſolutione alvi profluvio, exſpiravit A.C. 1519. die 12. Januarii, anno ætatis 59. menſe 9, die 19. & cum imperâſſet cum patre annis 7, ſolus ann. 25. menſibus ferè quinque. *Moritur.*

Decumbens paſſionis Domini Jeſu hiſtoriam identidem relegi mandavit, & ſub illa verba, quibus tradidiſſe Spiritum narratur Servator, ſuum & ipſe Spiritum dimiſit.

Ipſe memor fragilitatis humanæ, triennio ante morbum capulum funebrem è plumbo cum omni ſupellectile ad mortuum ſepeliendum neceſſariâ arcæ viatoriæ incluſum circumferri ſecum juſſit, nemine ſciente, quid in eâ arcâ concluſum eſſet: cavitque teſtamento, ut exanimum corpus ſuum rudi linteo incluſum ſine ullâ exenteratione illi imponeretur, naribus, ore, auribusque calce vivâ oppletis, ut corpus putredine citiùs conſumeretur. Cavit etiam caligas & feminalia mortuo ſibi induci: tantæ enim verecundiæ fuit, ut nemo nudum eum viderit, aut retectum, & pauciſſimi Medici ejus urinam, cum ægrotaret, viderint. Vetuit etiam corpus ſuum, ubi mortem obiiſſet, nudum aſpici.

Ejus uxores. Uxores habuit duas. Prima dicta fuit *Maria*, *Caroli Burgundiæ*, Ducis bellicoſi filia. Cum hâc *Maximilianus* anno ætatis ſuæ 18. an. 1477, in fine menſis Julii, nuptias celebravit. *Maria* A.C. 1482. venandi ſtudio egreſſa, ex equo ferociente dejecta: & cum fracto femore omnem tractationem loci affecti per verecundiam refugeret, poſt aliquot dies obiit.

Liberi. Liberos ex eâ ſuſcepit quatuor. 1. *Philippum*, poſteà Regem *Hiſpaniarum*. 2. *Franciſcum*, 3. *Georgium*, qui in pubertatis annis vitam cum morte commutârunt. & 4. *Margaretham*.

Altera conjunx dicta fuit *Blanca Maria*, *Galeacii* Vicecomitis *Mediolanenſis* filia, ex quâ ſoboles nulla ei eſt nata.

Eum dicere ſolitum fuiſſe ſcribit *Jovius*: Turpe quidem eſſe magno Principi, neſcire liter s, ſed longè turpiſſimum, his cum moribus atque virtutibus omninò caruiſſe, quæ populis & gentibus imperantem, cum eximiâ pietatis atque excellentiæ laude, contra ſuperbiam atque libidinem, & reliquas immoderati animi cupiditates, invictum penitus & incorruptum præſtarent.

Idem Imperator crebro in ore ſolitus eſt habere: *Menſuram tene, & reſpice finem.*

Sæpè dicere ſolitus fuit, longè faciliùs eſſe vincere & domare gentem, quàm in officio retinere.

Juſtitiæ conſervandæ fuit ſtudioſiſſimus. Memorabile enim eſt, quod de illo referunt hiſtorici, ipſum loca deſtinata ad ſupplicia ſontium, venerabundum cum hâc voce, *Salve ſancta Juſtitia!* præterire ſolitum. *Juſtitiam colit.*

Cum impudens quidam mendicus *Maximilianum I.* Imp. fratris nomine de ſtipe compellaret, alludens ad locum illum *Malachiæ c. 2. v. 10. Nunquid non pater unus omnium noſtrûm?* *Maximilianus* hâc ejus proterviâ non offenſus, ſtipem ei dari juſſit. Mendicus verò eâ non contentus, mendicante inſtante, dictitans, Tantillum dare, Imperatorium non eſſe: humaniter ei reſpondit Imperator: Si omnes fratres tui tantundem tibi darent, quantum ego tibi dedi, utique divitiis me ſuperares. *Humanitati deditus.*

Oenipontum ingreſſus, cum videret hæc in curiâ lapidi inciſa carmina:

Da Adam hackt und Eva ſpann /
Wo war allda ein Edelmann?

Tantum aberat, ut hoc ſe verſu contemptum putaret, ut etiam agricolis ſe ſimilem profeſſus, omnem nobilitatem, quâ nemini ſecundus erat, ſoli Deo acceptam ferret. Nam hunc in modum ſubjecit: *Modeſtus & humilis.*

Ich bin ein Mann / wie ein ander Mann /
Nur daß mir Gott die Ehre gann.

Maximilianus Imperator, quando oppugnaturus erat poſtridiè civitatem in *Belgio*, invitavit pridiè Capitaneos ſuos ad cœnam: inter quos erat Comes quidam, qui, cum reliqui convivæ ſe hilares præberent, ipſe ſolus triſtis in menſâ ſedit. Interrogatus ergò à *Maximiliano*: Domine Comes, quare tu triſtaris, cum cras tibi pugnandum ſit? Reſpondit, ſe, ſi verum fateatur, triſtem eſſe. *Maximilianus* dicit ei: Indica mihi cauſam tuæ triſtitiæ; ſi mea majeſtas poterit tibi opitulari, faciet. Poteſt, inquit Comes. Tandem Imperator ab eo requirit, quam ob cauſam adeò triſtis ſit? Comes reſpondit: Quoniam mihi cras prœliandum eſt, & eventus belli ſunt incerti: de animæ meæ ſalute quoque ſollicitus ſum. Præcipuè autem doleo, (inquit) quod debeam tria millia aureorum, quos expoſui in multiplices uſus rei militaris, de quibus Majeſtati tuæ rationem reddere non poſſum. Quare ôro, ut Majeſtas tua hanc ingentem pecuniæ ſummam clementer mihi remittere velit. Imperator primùm admiratus illam magnam pecuniæ ſummam, tandem dixit, ſe libenter ei remittere debitum, modò craſtino die ſe fortem & ſtrenuum virum in prœlio præberet. Comes, ut eſſet certus de remiſſo debito, dixit: Domine Imperator, Majeſtas Tua mihi præbibat, ut ſim certior de clementi illâ remiſſione hujus *Manſuetus.*

hujus

Digitized by Google

jus debiti. At Imperator, Age, ne de meâ erga te benevolentiâ dubites, & me ex animo tibi remittere ſcias, præbibo tibi bonum hauſtum, & ſic eum abſolvit. Deindè Comes fuit hilaris, & poſtero die ſe fortiter geſſit.

Cum aliquando ipſi in celebri *Germaniæ* Urbe poculum aureum aureis repletum dono daretur, idque in tabulâ poneretur, eò quod Cæſar tunc fortè cum aulicis ſpectaculis publicis in honorem ejus exhibitis intentus eſſet, quidam ex Aulicis, quaſi alii honoris causâ è ſuo loco præoccupato cedens, mox ſe ſubduxit, & ex poculo illo manum plenam ſurripuit, ratus neminem id conſpexiſſe. Cum autem Cæſar in annulo ſuo, cujus gemma, quæ à tergo fierent, demonſtrabat, ſatis, quid factum eſſet, conſpexiſſet, peractis ſpectaculis juſſit furem illum è poculo accipere, quantum manu prehendere poſſet. Cum ille trepidus paucos nummos apprehendiſſet, mox Cæſar, deprome, inquit, è loculis reliquos aureos, quos antè ex hoc poculo ſurripuiſti. Coactus itaque fur eos depromere & numerare in conſpectu omnium confuſus. Cumque horum multò major ſumma eſſet, Tollas utramque ſummam, ait Cæſar, habeaſque loco viatici, ſed cave poſthac in conſpectum meum venias.

Cum quidam Aulicorum ipſi 3000. florenorum furtim abſtuliſſet, eâ re cognitâ, interrogavit aulicum, quid ipſi videretur promeruiſſe, qui tantam pecuniæ ſummam furatus eſſet. Illo reſpondente, dignum eſſe, qui ſuſpendatur; Cæſar axillam ipſius manu percutiens dixit, nequaquam, nam tuo miniſterio diutiùs nobis opus eſt.

Literatorum fautor. Ingens ipſe fuit literatorum fautor, & conſuetudo familiarior vitæ domeſticæ conſumta illi eſt cum viris doctis, quibuscum de doctrinâ Eccleſiæ, de omnibus Philoſophiæ partibus, ſed de arte medicâ præcipuè, & matheſi, deque hiſtoriis omnium temporum, ſuaviſſimè collocutus, illos evexit, prœmiaque digna eis largitus eſt. Porrò de eo accepimus, quod non modò *Viennenſem* Academiam, ſed & *Heidelbergenſem* ſuâ præſentiâ & auſcultatione cohoneſtaverit.

Cum itaque literas tantoperè adamaret, factum eſt, ut tandem ejus conſilio hortatuque, ac ſpe prœmiorum ampliſſimorum, linguæ Ebraica, Græca & Latina, & elegantiores diſciplinæ, ac liberales artes, cum ſublimioribus facultatibus, in *Germaniâ* primùm exortæ fuerint, ac paulatim ſuccreverint, donec tandem eâ vi & impetu, ut hodiè videmus, paſſim eruperint.

Nec ſolùm *Maximilianus* Imperator cum viris doctis contulit, eorumque ſententiam audiens, multarum rerum cognitionem paulatim acquiſivit, verùm etiam animum ad ſcribendum appulit: atque Poëticum opus de diverſis ſuis periculis edidit: in quo Invidiam & Curioſitatem comicas perſonas fingebat, quas Ratione & Prudentiâ vicerit atque proſtraverit. Deindè egregium opus finxit, quod portam honoris appellavit, virtutibus & picturis venuſtatum.

Primus etiam inter *Germaniæ* Principes Heroum genealogias indagavit, miſſis per *Italiam, Galliam* & *Hiſpaniam* nunciis, qui omnia cœnobia, omnes Bibliothecas, omnia Principum archiva diſquirerent ac perſcrutarentur. Atque ob id annales provinciarum, qui ſitu deliteſcebant, atque ſqualore & tineis abſumebantur, ejus opera revixerunt, & in lucem redierunt, ita ut ante eum patriam vix quiſquam verioribus ornamentis privatim aut publicè illuſtrârit ac condecorârit.

* *Ex Hedione, Peucero, Cuſpiniano, Pantaleone, Camerario, Aventino, Chytræo, Guicciardino, Carione, Sleidano & Mutio.*

FRANCISCUS I.
GALLIÆ REX.

Obiit A.C. 1547.

CAroli, Comitis *Engoliſmenſis*, filius, *Coignaci, Sanctonum* oppido, natus eſt 12. Sept. A.C. 1594. ex matre *Ludovicâ*, filiâ *Philippi*, Comitis *Breſſani*, poſteà *Sabaudiæ* Ducis.

Duplex ejus Conjugium & Liberi. *Franciſcus Valeſius* vulgò vocatus A. C. 1514. in uxorem duxit *Claudiam*, *Ludovici XII. Gallorum* Regis filiam natu grandiorem, ex quâ filium ſuſcepit *Henricum II.* in Regno ſucceſſorem, & filiam *Margaretham*, *Emanueli Philiberto*, Duci *Sabaudiæ* deſponſatam.

Ex eâdem filios ſuſcepit *Franciſcum Delphinum*, & *Carolum*, filiaſque *Magdalenam*, *Jacobo V. Scot.* Regi nuptam, *Ludovicam* & *Carolam*, omnes ante patrem in primâ ætate vitâ defunctos.

A. 1530. Alteram duxit uxorem *Eleonoram, Philippi I. Hiſp.* Regis filiam, & Cæſaris *Caroli V.* ſororem, quam ſine liberis reliquit ſuperſtitem.

Rex Gall. coronatus. 25. Jan. A. 1515. *Galliæ* Rex coronatus *Ludovico XII.* ſocero ſuo, vitâ defuncto, ſucceſſit. In regno ſuo ſplendore & magnificentiâ ſuperiores Reges omnes ſuperavit, arcibus Regiis per *Galliam* paſſim extructis, inter quas, ſecundùm *Fontem Bellaquenſem*, omnium ſplendidiſſima fuit, quam ad *Campoburgum*, ſex à *Blœſarum* urbe milliaribus, paulò ante obitum, inchoavit, tantæ amplitudinis, ut omnibus in Europâ Regibus hoſpitium præbere potuerit. Undè mirandum, cum ſemper ſplendidè vixerit, & bellis totâ vitâ fuerit implicatus, ære tamen alieno omni exſoluto, eum aureorum 400000. poſt mortem reliquiſſe.

Literatorum patronus. Literas & literatos impensè dilexit, circa ſe viros doctos ſemper habuit, quos, dum cibum caperet, de rebus naturalibus diſſerentes, avidè audivit. Uſus eſt ad hoc imprimis operâ *Jacobi Cholini*, & *Petri Caſtellani*, quem Epiſcopatu *Maſconenſi* propterea muneravit. In Arce *Fontis Bellaquenſis* Biblio-

the-

thecam magnis ſumptibus, conquiſitis ex *Italiâ, Græciâ* & *Aſiâ* libris exſtruxit.

Fundator Collegii trilinguis Lutetiæ.

M. Sept. A. 1530. *Pariſiis* Collegium trilingue inſtituit, in quo Linguam Hebraicam primus docuit *Franciſcus Vatablus*, Latinam *Petrus Daneſius*, & Græcam *Jacobus Tuſanus*. Reliquas etiam artes liberales, quæ tunc paſſim peſſum ierant, priſtinæ dignitati reſtituit. Undè meritò literarum inſtaurator, & literatorum Mecænas vocatus fuit.

In prælio captus ad Ticinum, & in Hiſpaniam avectus.

24. Febr. A. 1525. Dum Ducatum *Mediolanenſem* recuperare ſtuderet, Urbem *Papiam*, vel *Ticinum* obſedit, & commiſſo ſub mœnibus Urbis prælio cum Ducibus Imp. *Caroli V. Carolo Borbonio*, & *Carolo Lanovio*, amisſisque ultra 8000. militum, & 20. Proceribus *Galliæ* cæſis, cum præcipuâ nobilitate *Gallicâ* captus eſt: poſteà in *Hiſpaniam* triremibus avectus, & in cuſtodiam datus eſt. Ibi cum diuturnioris carceris impatiens ægrotâſſet, Cæſar eum inviſit, & in certam libertatis ſpem erexit: quod poſteà comprobavit, dum ei ſororem ſuam *Eleonoram*, *Emanuelis Luſitaniæ* Regis viduam in uxorem dedit, firmamque cum eo certis legibus pacem corroboravit.

Liberatus in Galliam reverſus.

A. 1526. Ex cuſtodiâ dimiſſus, relictis obſidum loco filiis, *Franciſco* & *Henrico*, cum Pontifice *Clemente VII.* & *Venetis* fœdus contra Cæſarem pepigit *Cuniaci*. In *Galliam* reverſus, Caſtellum exſtrui curavit illi planè ſimile, in quo captivus detinebatur.

Cum verò poſteà *Carolus V.* Imp. per *Galliam Gandavum* verſus tranſiret, & à Rege ſplendidè fuiſſet exceptus, ſuadentibus quibusdam, ut hâc occaſione Cæſarem in eo caſtello captivum detineret, & injuriam ſibi illatam ulciſceretur, maluit Rex boni nominis famam conſervare, quàm jus hoſpitii violare. In eo Caſtello cum *Carolus V.* ſcriptum legiſſet, *Hodie mihi, cras tibi*, ſubſcripſit: *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.*

Liberè verò deindè confeſſus eſt, ſe non tàm armis quàm literis regnum ſuum conſervâſſe, imò durante captivitate ſuâ *Hiſpanicâ* majorem ſe recreationem ex lectione bonorum librorum & Hiſtoricorum, quàm ex aliis rebus percepiſſe affirmavit.

Paulus Jovius Hiſtoriæ ſuæ libro 42. ſcripſit: Tempore belli quod Rex hic cum Imp. *Carolo V.* geſſit, intra 22. annos ultra 200. urbes devaſtatas, ultra 3000. Caſtella diruta, & ultra bis centum millia Chriſtianorum occiſa fuiſſe.

Pax inter eum & Caſ. acta.

A. 1529. Edictum fecit, ut in *Galliâ* omnes actiones forenſes linguâ ſolùm *Gallicâ* ſcriberentur. Eodem tempore in urbe *Belgii Cameraco* Pax inter ipſum & Cæſarem *Carolum V.* ſancita eſt.

Obiit ex ulcere veſicæ.

Tandem cum diu laborâſſet ulcere ſerpente circa ſedem nato, & ſenſim ad veſicam penetrante, & febre accedente, vitâ exceſſit in pago *Rambuleto*, propè *Bononiam* maritimam 31. Martii A. C. 1547. æt. 53. regni 32.

* *Ex Chronico Regum Galliæ Francofurti A. 1622. edito.*

Et ex Indice Chronologico Abrab. Bucholtzeri.

Henrico VIII. Angliæ Regi moribus & naturâ fuit ſimilis.

Cum de morte *Henrici VIII. Angliæ* Regis nuntius M. Jan. A. C. 1547. ad Regem hunc perlatus eſſet, dum ad *Fanum S. Germani* hyemaret, ſummum indè dolorem cœpit, quippe qui amicitiam cum *Anglo* nuper contractam arctiore vinculo firmare Regni bono cuperet, & quod cum pauculis tantùm annis *Henrico* junior eſſet, illius morte inſtantis fati admoneretur. Accedebat ad hæc morum & naturæ tam conſpirans ſimilitudo, quanquàm in fortunâ diſpari, ut nulla inter duos Principes major commemorari poſſit, ut ideò mors unius alteri non niſi gravisſima eſſe potuerit. Certè ab eo tempore animadverſum eſt à familiaribus, *Franciſcum* abjectâ priſtinâ hilaritate ſemper ſubtriſti vultu & mente ad mortem usque perſeverâſſe.

Natum autem *Franciſco* erat circa ſedem malignum & incurabile ulcus, jam ex illo tempore, quo Cæſar *Carolus V.* in *Belgium* tendens per *Galliam* iter habebat, quod ſerpendo ad veſicæ penetralia pervaſerat, undè cum ex inveterato malo febre lentâ tentaretur, oblectandi animi gratiâ ad prætorium nuper à ſe in extremâ *Fani Germani ſylvâ* regio ſumptu ædificatum ſe contulit, & indè *Dampetram* propè *Capreolium*, ac poſt *Limoroſium* venit, ubi aliquot dies commoratus, *Rupifortium* (venationibus omnia ea loca accommoda) acceſſit: undè cum *Fanum Germani* cogitaret reverti, *Rambulieti* ſubſiſtere coactus, paulò pòſt deceſſit prid. Kal. April. A. C. 1547. ætatis 53.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

HENRICUS VIII.
ANGLIÆ REX.

Obiit A. C. 1547.

Natus eſt 28. Junii A. C. 1491. Patre *Henrico VII.*

A. 1501. 14. Nov. frater ipſius *Arturus Londini* nuptias celebravit cum *Catharinâ Caſtilienſi*, ſed brevi pòſt obiit.

Fit Rex Angliæ.

A. 1509. Patri in regno ſucceſſit.

A. 1513. Cum magnâ militum manu ex *Angliâ* in *Galliam Caletum* trajecit, eam bello adorturus, & ingentem theſaurum ſecum advexit, quo non modò *Belgii* nobilitatem, ſed etiam Imperatorem *Maximilianum I.* qui tum rubram crucem *Angli* militis inſigne in pectore geſſit, ut ſuis auſpiciis militaret, allexit. Expugnato autem *Teravano* & *Tornaco*, immenſum ſumptum abhorrere cœpit, qui quotidiè 70000. coronatos excedere creditus eſt, ideò per Eleemoſynarium ſuum de pace cum *Gallo* egit. Quod intelligens Imp. *Maximilianus* clanculum in *Germaniam* rediit, Rex autem pace confectâ exercitum dimiſit, & in *Angliam* reverſus eſt.

A. 1521.

Scripſit adverſus Lutherum.

A. 1521. Librum edidit adversùs *Lutherum*, cujus librum de *Captivitate Babylonicâ* præcipuè impugnavit: quo nomine à Pontifice Max. & Cardinalium Senatu *Fidei Catholicæ defenſor* appellatus eſt.

Cum circa eundem annum 1521. primùm comam depoſuiſſet, mox ejus exemplo reliqui *Angli* commoti omnes tondebantur, cum anteà illi omnes comati conſpicerentur.

A. 1534. ejus juſſu *Eliſabetha Barthonia* monacha, quod multa de Rege ſiniſtrè in vulgus vaticinata eſſet, cum aliquot S. literarum Profeſſoribus *Londini* laquei ſupplicio necata eſt.

Tributum Anglicum abrogat.

A. 1534. Tributum *Anglicum* ab A. C. 740. ex inſtituto Regis *Inas* quotannis Pontifici *Rom.* dari ſolitum, nempè ex quâlibet totius Regni domo nummum argenteum S. *Petri* dictum abrogavit, & ut ſibi tanquam ſupremo Eccleſiæ capiti Proventûs Sacrorum perſolverentur imperavit. Sed nihil in religione mutavit.

A. 1536. *Lincolnienſes* & *Eboracenſes* populi innovatum Regni & Religionis ſtatum ægrè ferentes, coacto ad 50000. hominum exercitu, ſacram expeditionem ab ipſis vocatam, contra Regem copias ſuas duxerunt, ſed regiis Ducibus pugnâ abſtinentibus, ac ſimulatis interim futuræ concordiæ conditionibus ab armis diſcedentes, paulò pòſt omnes trucidati ſunt.

A. 1538. Direptis & dirutis ubique in *Angliâ* monaſteriis, monachos omnes veſtem mutare coëgit, cum conſilio Cardinalis *Volſai* & Baronis *Cromwelli*.

A. 1540. Solenniter renunciatus eſt *Hiberniæ* vel *Irlandiæ* Rex, & non modò in *Angliâ*, ſed etiam *Dubliniæ*, *Hibernorum* metropoli, decretum eſt, ut Rex & ejus ſucceſſores non ampliùs *Hiberniæ* Domini, ſed Reges dicerentur.

Moritur.

Virulento in crure herpete correptus obiit 26. Jan. A.C. 1547. æt. 56. regni 38. ſepultus *Windeſoræ*.

Inter alia charitatis opera conceſſit *Londinenſibus* cœnobium Fraterculorum cæſiatorum in Pædotrophium, & ædem ſacram ejuſdem cum duabus aliis S. *Nicolao* & S. *Ewino* ſacris civitati dedit, ut unam Eccleſiam Parochialem, cui nomen judicium eſt Chriſti, ædes conficerent. Paulò ante mortem mille marcas aureas, ſive 650. libras *Anglicas* pauperibus diſtribuit.

Decano & Canonicis ſacelli D. *Georgio* ſacri ad arcem *Windeſorienſem* annuos reditus 600. librarum *Angl.* in æternum legavit, hâc proviſione, ut ibi 13 pauperes & ſenectute affecti equites alantur, ut ſingulis quotidiè præbeantur 12. denarii, & ſemel in anno togæ talares ex panno albo, cum inſignibus D. *Georgii* ſupra pectus.

Vir fuit proceræ ſtaturæ, vultu Majeſtatis pleno.

Inter eum & *Franciſcum I. Galliæ* Regem tanta fuit morum & naturæ ſimilitudo, quanquàm in fortunâ diſpari, ut nulla inter duos principes major connumerari poſſit: ſed regnum ejus ſubditis propter crebra tributa fuit oneroſum.

Ingraveſcente ætate tam pinguis evaſit, ut vix per oſtia ingredi nec ſcalas aſcendere poſſet, ſed in cathedrâ poſitus machinis in ſuperiora ædium ſubveheretur. *Thuan.*

Uxores.

Uxores ejus fuerunt:

1. *Catharina*, *Ferdinandi* Regis *Caſtiliæ* filia, fratris ſui *Arthuri* vidua, quam ex diſpenſatione Pont. Max. *Julii II.* ſibi deſponſavit A. 1612. Ex eâ filiam ſuſcepit *Mariam*, A. 1516. poſteà repudiavit A. 1532. Obiit tandem non ſine veneni ſuſpicione A. 1536. *Moritur.*

2. *Anna Bollaynia*, *Thomæ Bollaynii*, Comitis de *Wilſchire* filia, quæ peperit *Eliſabetham* 7. Sept. A. 1533. Hæc, fidei Reformatæ addicta, cum ab adverſariis falsò fuiſſet accuſata adulterii, Regis juſſu decollata eſt 19. Maji A. 1536.

3. *Jana Seymora*, *Johannis Seymori*, Equitis filia, & *Edoardi* Comitis ſoror. Hæc in partu filii *Edoardi* VI. extincta, ex eâque mortuâ infans exſectus eſt 4. Octob. A. 1537.

4. *Anna*, *Guilielmi* Ducis *Juliacenſis* ſoror, quam anno nondum elapſo repudiavit, nupta A. 1539.

5. *Catharina Havarda*, *Edmundi* Baronis *Havardi* filia, & *Thomæ Havardi*, Ducis *Norfolciæ* neptis, quam poſt annum elapſum de adulterio accuſatam decollari juſſit A. 1542.

6. *Catharina Parra*, Comitis *Latomieri* vidua, quam ſuperſtitem reliquit. Hæc A. 1549. nupſit *Thomæ*, Duci *Somerſetiæ*, Maris Præfecto.

Scripta.

Scripſit:

Ad Leonem X. Pontif. aſſertionem Sacramentorum.

De juſto in Scotos bello Lib.

Lib. ad Epiſtolam Lutheri.

De Chriſtiani hominis inſtitutione.

De inſtituendâ pube.

Sententiam de Mantuano Concilio.

Epiſtolas ad Duces Saxoniæ, Eraſmum Rot. &c.

EDOARDUS VI.

REX ANGLIÆ.

Obiit A.C 1653.

Filius unicus Regis *Henrici VIII.* ex *Janâ Seimorâ* natus eſt 12. Octob. A. 1537.

Fit Rex Angliæ.

Patre defuncto regnare cœpit 28. Jan. A. 1547. ætatis nono.

Statim impulſu avunculi ſui *Edoardi Seimori* ſimulachra idololatrica ex omnibus regni ſui Eccleſiis tollenda curavit, tum pura Evangelii doctrina inſtaurari, & Cœna Dominica in utrâque ſpecie populo diſtribui cœpit.

A. regni tertio, ex decreto Parlamentario, *Miſſale* fuit abolitum, & *Ritualis Liber* de uniformitate precum communium editus eſt.

Seditioſos refrænat.

In quarto regni ſui anno quidam rebelles in provinc. *Somerſetenſi*, *Devonienſi* & *Cornubiâ*

nubilâ præ ſe tulerunt interclusorum Agrorum refractionem. Eæ tamen ſeditiones eodem anno compoſitæ ſunt.

Excelluerunt in hoc Rege judicii maturitas, clementia, religio, liberalium ſcientiarum peritia. Omnes Portûs & Sinûs non modò *Anglicos*, ſed etiam *Scoticos* & *Gallicos* enumerare potuit. *Latinam*, *Græcam*, *Gallicam*, *Italicam* & *Hiſpanicam* Linguam perfectè calluit.

Cum *Rogero Aſchamo*, qui ejus ſtudiis admotus, *Locos Communes Melanchthonis*, *Ciceronem* integrum, magnam partem *Hiſtoriarum Livii*, *Iſocratis Orationes* (quarum duas in *Latinum* convertit) *Sophoclis Tragœdias*, *Novumque Teſtamentum Græcè* legit.

Virtutibus & eruditione omnes præceſſores ſuos ſuperat. Virtutibus & eruditione cunctos præceſſores ſuos in adoleſcentiâ ſuperavit.

M. Januar. A. 1553. regni ſexto phthiſi tentatus ægrotare cœpit, & poſt aliquot menſes ſe indies magis debilitari ſentiens, res in regno ſuo diſpoſuit, ſeque Deo commendans, ex vitâ deceſſit 6. Julii A. 1653. *Moritur.* ætatis 16. Sepultus in Sacrario *Weſtmonaſterienſi*.

Sparſus fuit ubique apud vulgus rumor, quaſi Calendis Januarii Regi à neſcio quo pro ſtrenâ Novi anni oblato florum odoratorum faſciculo venenum infuſum fuiſſet, ex cujus odoramento pulmones vitium lethale contraxiſſent. De tanto autem facinore nunquàm poſteà inquiſitum eſt.

Ultimo regni ſui anno dono dedit Civitati *Londinenſi* Regiam ſuam *Bridewel* dictam, ut foret Ergaſtulum & Domus Correctionis egenis, vagis & otioſis hominibus, ampliſque reditibus in perpetuum hanc domum donavit.

Publicum etiam Divi *Thomæ* Hoſpitium de integro reſtituit, & Civibus conceſſit.

Eodem Anno 1552. Cœnobium *Franciſcanorum Londini* in Pædotrophium convertit, ubi 400. egeni pueri alimenta percipiunt, & honeſtè educantur.

Preces ante mortem fuſa. Paucis ante mortem horis ita precatus eſt: *Domine DEUS, libera me ex iſtâ miſerâ & ærumnoſâ vitâ, & inter electos tuos recipe, ſed fiat voluntas tua. Domine, in manus tuas commendo ſpiritum meum: noſti quàm feliciter mecum ageretur, ſi tecum verſarer, tamen propter electos tuos, ſi tibi complaceat, me ſana, & vitam meam protrahe, ut te verè colam. O Jehovâ Deus, benedic populo tuo, & ſerva hereditatem tuam Domine, ſalutem da populo Anglicano, & à Papiſmo defende: tuére ſinceram religionem, ut ego & Cives mei veris laudibus nomen tuum afficiamus.* Poſteà ſubjunxit: *Langueo, miſerere mei DEUS, & recipe ſpiritum meum.*

Scripta. Scripſit *Comœdiam elegantiſſ. de Meretrice Babylonicâ.*
Ex auditis Concionibus Lib. I.

CHRISTIANUS III. DANIÆ REX.

Obiit A.C. 1559.

HIc Rex verè Chriſtianus *Hafniam* Profeſſores, quos temporum calamitates diſperſerant, revocavit, aliosque Viros doctos hûc acceſſivit, adeò ut A. C. 1538. Academia Magiſtratum recuperaret denuò, primùm *Chriſtiano Torchilli f. Morſiano* Rectore electo, ac deindè D. *Palladio*, & poſt ſemeſtre D. *Bugenhagio* Magiſtratum ſuſcipientibus. *Academia Hafn. reſtaurata.*

Cum enim optimus Rex, receptis jam avitis Regnis, triumphatisque per Regem Exercituum Adverſariis, qui invitum ad bella coëgerant, deprehendiſſet, Univerſalem hanc Scholam, quam avus ipſius Paternus *Chriſtianus I.* erexerat, & ante 60. annos Privilegiis donaverat, per bella, quæ pòſt acciderunt, ante Regnum, & ſub Regno, & poſt Regnum *Friderici* patris ſui vaſtatam atque collapſam, ut nullæ ferè ejus reliquiæ ſupereſſent; ſimul non fuiſſe ita conſtitutam cenſibus & reditibus pro Doctorum Virorum ſtipendiis, ut conſiſtere poſſet: ne ergò DEO ingratus eſſet, ſtatuit Univerſalem hanc Scholam inſtaurare, uſusque conſilio & operâ D. *Johannis Bugenhagii*, *Pomerani*, Paſtoris ac Superintendentis *Vitebergenſis*, quem illuſtriſſ. *Joh. Fridericus*, *Sax.* Elector, & Venerandus in Chriſto Pater D. *Martinus Lutherus*, Dn. *Philippus Melanchthon*, & tota ſchola *Vitebergenſis* Regis rogatu hûc miſerant, conſtituit A. 1539. d. 10. Junii, ut in hâc Academiâ docerentur artes liberales, Jura, Medicina, Theologia, & Linguæ *Latina*, *Græca* & *Hebraica*. *Operâ D. Joh. Bugenhagii.*

Simul amplos reditûs Univerſitati adjecit ex Decimis Epiſcopalibus, ex Monaſterio *Kuardrupenſi*, & Eccleſiis *Sedlandiæ* & *Scaniæ*, & Pretio locationis ædium, ex vectigalibus freti *Oreſundici*, æſtimatos ſimul 1400. aureis *Rhenenſibus*, i. e. thaleris Imperialibus. Item in Pauperes Studioſos ex Capitulis *Roeskildenſi* & *Lundenſi* 200. aureos *Rhenenſes* in ſingulos annos erogandos. Tunc Scholæ Locum, Auditoria, Habitationes, quæ Canonicorum ædes fuerant, & Templum Canonicorum Collegiatum D. Virginis attribuit: denique conſtituit Doctores, & Magiſtros, Profeſſores omnium Diſciplinarum, cum ſtipendiis, & privilegiis: per Chriſtum obteſtatus ſuos Succeſſores *Daniæ* Reges, ut, dum Regnum teneant, Academiæ Ordinationem illæſam ſervent, eamque per manus ad poſteros ſuos tranſmittant. *Reditûs Univerſit. Hafn.*

Ut verò toti Rerum Academicarum adminiſtrationi conſuleret, petentibus Profeſſoribus, conſtituit, ut Cancellarius ipſius *Daniæ*, & ejus Succeſſores eſſent quoque Cancellarii Univerſitatis, ſive primi Conſervatores, Adjutore ex Aulâ accepto, viro Erudito, cum tribus aliis Conſervatoribus ex Capitulo *Roëskildenſi*, Decano, Præpoſito, & Poſſeſſore Capellæ S. *Laurentii*. *Cancellarius Daniæ idem Univerſit. Hafnienſis.*

Ita

Liberum fidei exercitium indulſit.

Bohemicâ liberum Religionis exercitium ipſis indulſit, & 16. Aug. ſeq. *Sileſiæ.*

Cælebs tandem ex inflammatione cruris, accedente gangrænâ, *Pragæ* mortuus eſt 20. Januar. A.C. 1612. ætatis 60. imperii 36.

DVX ac LVX gentIs FabIanI beV LVCe RoDoLphVs

CæſarIo genItVs ſangVIne Cæſar obIIt.

Obitum ejus morte ſuâ præceſſerunt omina mala, Leo in aulâ diu nutritus, & duæ Aquilæ.

Symbolum ejus fuit *ADSIT!* cujus vocabuli literæ à diverſis viris eruditis ita declaratæ fuerunt:

A Domino Salus In Tribulatione.
Auxiliante Deo Sum Inimicis Terror.
Auxilio Domini Superabit Imperator Turcam.
Auſtriacæ Domui Summus Iam Terminus
ADSIT.

* *Ex Hiſtoriâ Archiducum, Regum, & Imperatorum Auſtriacor. Auguſtæ Vind. Germanicè cum iconib. editâ A.C. 1629.*

Obiit A.C. 1625.

JACOBUS
ANGLIÆ REX.

REx literatus & literatorum Mecœnas incomparabilis, *Henrici Stuardi, Scotiæ* Regis, filius, in Arce *Edenburgenſi* natus eſt 19. Junii A.C. 1565, ex matre *Mariâ, Jacobi V. Scotor.* Regis filiâ, quæ propter conſpirationes clandeſtinas cum hoſtibus regni condemnata ſecuri percuſſa fuit in arce *Northamptoniæ Foteringhamo* 8. Febr. A.C. 1587. ætatis 44.

In lucem editus, *Leonem* & *Coronam* corpori impreſſa dicitur attuliſſe, quibus aliqui *Gladium* addunt.

Præceptores ejus.

In adoleſcentiâ literis humanioribus addictus, Præceptores habuit *Georgium Buchananum*, Poëtam & Hiſtoricum celebrem, & *Petrum Jonckium.*

Rex *Scotiæ* coronatus A.C. 1567. ætatis 2. 19. Julii.

Conjugium ejus & Filii.

23. Nov. A. 1589. In arce *Norwegiæ Angerſhuſianâ* ſolenniter deſponſatus eſt cum *Annâ, Friderici II.* Regis *Daniæ* filiâ, & Regis *Chriſtiani IV.* ſorore, ex quâ duos ſuſcepit filios, quorum primogenitus *Strivilingæ* in *Scotiâ* natus 19. Februar. A. 1594. *Henricus Fridericus* ab utroque avo in baptiſmo vocatus, ſummæ ſpei adoleſcens in flore juventutis, *Walliæ* Princeps, *Londini* ex ſuſpicione veneni clam dati ſubitò mortuus eſt 6. Nov. A.C. 1612. æt. 18: cujus mortem pluviæ diuturnæ & continuæ ſunt ſecutæ. Alter filius *Carolus* A. 1600. natus, Patris in regno *Britanniæ* poſteà ſucceſſor infelix, tandem obiit ſecuri percuſſus A. 1649. Uxor verò *Anna* vitam finiit *Londini* A.C. 1619. æt. 45.

5. Aug. A. 1600. Cum incautus & inermis ab *Alexandro* fratre *Johannis* Comitis *Gauriæ*, Præfecti Regii *Perthi*, eò ex venatione cum paucis familiaribus ſpe nanciſcendi Theſauri fuiſſet attractus, indue fratrum horum aliorumque conjuratorum inſidias, in cubiculum quoddam ſolus deductus incidiſſet, accidit, ut *Andreas Hunderlotus*, qui conductus à ſicariis Regem interficere debebat, cum Comitem *Alexandrum* pugione ſtricto Regi necem minari vidiſſet, tremebundus adeò conſterbaretur, ut loco ſe movere non poſſet. Rex verò ſicariorum impetum partim Majeſtate ſuâ & eloquentiâ, partim manuum defenſione, liberum ſe natum & moriturum exclamans, tam diu ſuſtinuit, donec 4. è ſuis familiaribus, unus poſt alium, diverſis ex locis in auxilium accurriſſent, & 8. conjuratos armatos vel interfeciſſent, vel malè mulctatos abegiſſent, illæſo Rege, qui in tutum conſtitutus, in medio ſuorum procumbens in genua, Deo pro liberatione tam miraculoſâ gratias egit.

A ſicariorum inſidiis miraculoſè liberatur.

Rex Angliæ proclamatur.

24. Martii A. 1603. ſtatim poſt obitum *Eliſabethæ* Reginæ, quæ paulò ante *Jacobum*, tunc *Scotiæ* Regem, ſucceſſorem ſuum deſignaverat, Rex *Angliæ* declaratus & proclamatus eſt. 7. Maji ſeq. *Londinum* ingreſſus, & paulò pòſt à Legatis *Hollandicis, Gallicis* ac *Danis* cum congratulatione exceptus eſt.

23. Julii *Londini* cum Conjuge ſolenniter coronatus, mox ob peſtem graſſantem cum omnibus ſuis *Winceſtriam* diſceſſit. 29. Aug. Pax inter ipſum & Regem *Hiſp.* facta *Londini* proclamata eſt.

A.C. 1604. *Jeſuitas* & omnes Pontificiæ fidei Eccleſiaſticos edicto publico toto regno exegit.

Epiſcopos præfecit Scotiæ.

A. 1606. Eccleſias regni *Scotiæ* cum *Anglicanis* conformavit, & Epiſcopos iis præfecit, contranitentibus pleriſque *Scotorum* Theologis, quorum aliqui cum *Johanne Forboſio* in exilium miſſi ſunt.

14. Febr. A. 1613. Filiam *Eliſabetham*, ſplendidis nuptiis *Londini* celebratis, Comiti & Electori *Palatino Friderico V.* infelici poſteà Regi *Bohemiæ*, deſponſavit.

Ex febre tandem tertianâ, viribus conſumptis, vitam clauſit in arce Regiâ *Thiboldâ* 26. Martii A.C. 1625. ætatis 60. In corpore poſt mortem aperto lien putredine abſumptum apparuit.

Ultima ejus verba fuerunt ad filium *Carolum*: *Nunc regnum pretioſiſſimum ingrediar, tibi regna mea terreſtria in pace relinquens.*

* *Ex variis authoribus.*

* * * * *

Elogium *Jacobi Regis Angl. ex Epiſtolâ 599. Iſaaci Caſauboni.*

Vidi tandem & præſens veneratus ſum Sereniſſimum Regem illum, cujus de laudibus quicquid dixero minus erit. Eſt ita comparatum naturâ, ut de magnis Principibus multa fingat fama, & ſi quæ illis inſunt bona, veris falſa affingens, in majus extollat. Ego verò magnæ *Britanniæ* Regem, ut veni, ut vidi, & de rebus diverſis diſſerentem audivi, majorem famâ ſuâ

ſuâ inveni, & quotidiè magis magiſque invenio. Nihil hodiè ſol videt hoc Principe humanius, nihil benignius, nihil literarum & omnis virtutis amantius. Adde eruditionem, quæ vel in privato homine ad veræ laudis adeptionem poterat ſufficere, in Rege autem tanto, hiſce præſertim temporibus, magni, ſi quid judico, inſtar miraculi queat cenſeri. Omitto de ingenio, memoriâ, & ſingulari facundiâ, etiam in linguâ *Gallicâ*, plura commemorare.

At pietatem & incredibilem quandam propenſionem ad conſilia Pacis & concordiæ nequeo prætermittere. Hoc unum aſſiduè animo volvit, ut ſi quâ ratione poteſt, diſſidia pro ſuâ virili minuat, & publicæ tranquillitati conſulat. Non is eſt Rex Sereniſſimus, qui nihil, niſi quod inter ſuos eſt receptum uſu rectum putet. Scit ille, & ſæpiſſimè profitetur, unicam ad conciliationem patere viam, ſi poſitis affectionibus fides aſſeratur antiqua, & in hoc omnes ſeriò conſentiant, id eſſe veriſſimum, quod certò conſtituerit eſſe antiquiſſimum, & fuiſſe à principio.

Opera Regia ab eo ſcripta, & à *Jacobo Montacuto*, Epiſcopo *Anglo, Londini* A.C.1619. edita:

Scripta. *Paraphraſis Apocalypſeos S. Johannis Apoſtoli.*

Meditatio ſacra in 4. Verſûs Cap. 20. Apocalypſeos.

Meditatio in 5. Verſûs Cap. 15. Lib. 1. Chronicor.

Dæmonologia, ſive *Dialogus de Artibus Magicis in 3. Libros diviſus.*

Βασιλικὸν Δῶρον, ſive *de Inſtitutione Principis ad Henricum filium, Lib. III.*

In hoc opus ita luſit *Joh. Owenus Epigramm. 8. lib. 3.*

Nil opus auctorem hunc, nihil hunc laudare libellum:

Hoc Opus auctorem laudat, hic auctor Opus.

Jus liberæ Monarchiæ, ſive *De mutuis Regis liberi & Populi naſcendi conditione illi ſubditi Officiis.*

Miſocapnus, ſive *De abuſu Tobacci Luſus Regius.*

Conjuratio ſulphurea, nomine ſuppreſſo à Rege ſcripta.

Triplici nodo triplex cuneus, ſive *Apologia pro juramento fidelitatis, oppoſita 2. Brevibus Pauli V. Pont. Rom. & literis Card. Bellarmini ad Blackwellum Archipresbyterum.*

Mendaciorum Torti Confutatio.

Proteſtatio Antivorſtia, in quâ Rex ſuam exponit ſententiam de Confœderator. Ordinum affectu & actis in causâ VORSTII.

Reſponſio ad Epiſtolam Card. Perronii ab Iſaaco Caſaubono Rege dictante ſcripta.

Pro Jure Regio, quod poteſtas Regum ſumma ſit, Deoque uni obnoxia, contra Card. Perronii Orationem habitam Lutetiæ A.C. 1615.

Meditatio in Orationem Dominicam.

Orationes VI. à Rege habitæ.

1. *in Conventu Ordinum A.1603.*
2. *ex ore dicentis verbatim excepta.*
3. *in Palatio Albaulæ, A. 1607.*
4. *in Comitiis Regni, A. 1609.*
5. *in Camerâ ſtellatâ, A. 1616.*
6. *in Comitiis Regni Scotiæ, A. 1617.*

CHRISTIANUS IV. DANIÆ REX.

Obiit A.C. 1648.

Regis *Daniæ Friderici II.* filius ex *Sophiâ, Ulrici*, Ducis *Megaloburgici*, filiâ, natus eſt 12. April. A.C. 1577.

Patri defuncto in regno ſucceſſit A. 1588, & Rex ſolenniter *Hafniæ* 29. Aug. A. 1596. coronatus eſt. 27. Nov. A. 1597. Nuptias *Haderslebiæ* celebravit cum *Annâ Catharinâ, Joach. Friderici, Marchionis Brandenburgici* filiâ, ex quâ filios ſuſcepit *Chriſtianum V, Fridericum* in Regno ſucceſſorem, & *Ulricum* in *Sileſiâ* globo ſicario trajectum A. 1633. ætatis 22. *Conjugium ejus & Liberi.*

Simul ac Regium diadema capite ſuſcepit, *Hafnienſi* Univerſitati omnia Jura, privilegia, ſtatutaque confirmavit. Et A. 1600. novam ac ſplendidam Collegii domum, & novam Habitationem Profeſſoriam eidem contiguam è fundamento erexit, & Univerſitati cum vicino horto adjecit. *Collegium Hafniæ ædificavit.*

A. 1601. Creationi Rectoris Academiæ D. *Nicolai Kragii* interfuit, unà cum fratre *Ulrico*: & paulò pòſt per eundem D. *Kragium* Collegii domum dedicari curavit.

Tum Bibliothecâ Regiâ Academiam donavit: & multa per diuturni imperii ſpatia conſtituit, ex quibus ſtudium ejus in Religionem remque literariam eluxit: ut A. 1604. de *Jeſuitarum* alumnis ab Eccleſiaſticis muneribus arcendis, & de ſcholarum puerilium informatione: A. 1618. de precio locationis fundorum Academiæ: de Colonis Univerſitatis per proprios vicarios monendis, ſi quod Regium negotium expedituri ſint: de ſylvis in Academiæ & poſterorum damnum non iniquè cædendis: de Medicis non niſi promotis approbatiſque ad curandos ægros admittendis: de pecuniâ ab iis pendendâ, qui Eccleſiaſtico muneri inaugurantur, olim ab eorum hæredibus pendi ſolitâ: de Gymnaſiis apud Scholas Cathedrales conſtituendis: A. 1619. de Tutoribus & Rationibus Templi Academici: A. 1621. de ſervandis Fundationis Conſtitutionibus; de rudioribus in Academiam non admittendis: de iis, qui ad munera Scholaſtica & Eccleſiaſtica admitti debeant: de Stipendiariis Theologiæ: de Candidatis Profeſſionum Academicarum: de Profeſſorum Lectionibus & Profeſſionibus: A. 1625. de ſumtibus Promotionum Academicarum moderandis: A. 1628. de Templo extra Borealem Urbis portam ſumtibus Templi Academici exſtructo, & Jure Patronatûs ejuſdem Academiæ conceſſo: de Bibliopoleo Academico: A. 1629. de Bibliis iterum edendis, & de Teſtimoniis progreſsûs Studioſorum in S. literarum ſtudio, antequàm ad ſuggeſtum admitti debeant, & A. 1630. de rudibus Scholaſticis à Civitate Academica

Bibliothecam Academiæ donavit.

Statuta ejus Academiæ ſalutaria.

by G

ſmicâ arcendis: A. 1632. de Stipendiario Mathematum: A. 1635. de Studioſis, etiamſi Teſtimonium profectûs Theologici impetraverint, non antè dimittendis ad Eccleſiaſticas functiones, quàm ediderint ſpecimen donorum in habendis concionibus: A. 1636. De Magiſtris etiam teſtimonium ſui profectûs Theologici habituris: A. 1638. de Studioſis ad Eccleſiaſtica munera adſpirantibus: A. 1642. de ære alieno ultra definitum numerum Studioſis non credendo. Ad hæc Profeſſorum numerum quaternario auxit, & ſingulis ſtipendia addixit: *Metaphyſico* A. 1629. *Theologo*, ac Latinæ linguæ Doctore 1630. & Poëſeos Profeſſore A. 1636. Numero Alumnorum Regiorum in Communitate duplicem denarium adjecit, & A. 1630. adhuc duas menſas extraordinarias inſtrui juſſit. Inſuper iis cum egregium Cœnaculum, tum inſignes & commodas Habitationes (*Regentziam* vocant) magnis ſumtibus extructas attribuit.

Numerum Profeſſorum quaternario auxit.

Alumnos in Communitate auxit.

Regentziam extruxit.

A. 1635. *Ædi Regentzianæ* Studioſorum proprium conſtituit Paſtorem, & brevi poſt ipſius Ædis inaugurationi magnâ ſolennitate peractæ interfuit, & poſt Sacra peracta Profeſſores omnes ſuæ menſæ in ſplendido Horti ſui Palatio adhibuit. Et cum Ædes iſta parùm capax multitudinis, nec ſatis ſplendida videretur, ex fundamento aliam erexit, cum admirandâ in cochleæ figuram ſtructâ Turri Aſtronomicâ, & loco Bibliothecæ Academicæ deſtinato. Tum quoq; in ſupremo ſuo Tribunali juſtus judex in ferendâ ſententiâ de exortis controverſiis ſecundùm Academiam decrevit, A. 1623. de Annis Gratiæ, & A. 1630. de Privilegiis Univerſitatis.

Regni tandem temporarii adminiſtratione gloriosè defunctus ad hæreditatem Regni æterni evocatus obiit 28. Febr. A. C. 1648. ætatis 71. regni 51. Poſt obitum Rectoris Academiæ publico Programmate, & Orationibus D. *Caſpari Brockmanni* Epiſcopi, & D. *Laurentii Scavenii* Theologiæ, ac M. *Bartoli Bartolini* Eloquentiæ Profeſſorum, cœterorumque Carminibus encomiaſticis Latinis ac Græcis laudatus eſt.

Moritur.

* *Ex Regiâ Academiâ Havnienſi editâ ab Eraſmo P. filio Vindingio, Bucholtzero & aliis.*

PAR-

PARTIS SECUNDÆ,
QUÆ
JURISCONSULTOS
continet,
SECTIO SECUNDA
ELECTORUM
ET
PRINCIPUM GERMANORUM,
ET EXTRA GERMANIAM
Eruditione ſingulari celebrium.

Obiit A.C. 1329.

CANIS SCALIGER
PRINCEPS VERONÆ.

INter *Scaligeros*, *Veronæ* dominos, qui fuère oriundi è *Vindelicia*, *Canis* hic bellicâ virtute ſuperior meritò *Grandis* cognomen tulit, non à proceri corporis ſtaturâ, quæ vix in eo erat mediocris, ſed à magnitudine animi & vitæ ſplendore, quo vel opulentiſſimos ejus ætatis Principes anteceſſit.

Veronæ Dominus cogn. Grandis

Cur Canis vocatus ſit?

Canis autem nomine non latratu inſigne animal, ſed *Tartarorum* linguâ Imperator exprimitur. Eâ namque tempeſtate ſacro bello ſpectatæ virtutis Proceres Barbarorum captorum aut ab ſe occiſorum nomina ad teſtimonium honeſtæ laudis deſumebant.

Principis optimi exemplar.

Canis hic acceptum ab *Alberto* patre dominatum tantâ animi moderatione & juſtitiâ, cum domi tum militiæ, exercuit, ut majori imperio dignus haberetur, utpotè qui admirabili judicio clementiam & ſeveritatem commiſcere, ſine fuco pietatem colere, comitatem ſine dedecore, ſine faſtu dignitatem tueri conſuêſſet.

Domi remiſſo ad lenitatem ingenio ſemper placatus, in caſtris autem elato & acerbo, in puniendis præſertim militum delictis inexorabilis & ferè ſævus fuit.

His moribus neque domi conjurationes inteſtinaque mala, neque in caſtris ſeditiones militum, aut adverſos nomini ſuo rumores ſenſit.

Sæpè prœlio victor, ſemel tantùm adverſæ pugnæ eventum expertus eſt, cum gravi & diuturnâ obſidione *Patavinos* premeret, & *Illyrii* equites, qui *Patavinis* auxilio venerant, ſubitâ irruptione factâ in caſtra ejus penetrâſſent.

Vitæ diſcrimen adiit.

In eâ rerum perturbatione *Canis* acerrimè dimicans vulneratus & equo deturbatus maximum vitæ adiit diſcrimen, ſic ut eum prætorianæ turmæ magnâ vi depulſis hoſtibus vix ſervârint.

Patavium ſubegit.

Tanto accepto incommodo cuſtodiæ cohortem, quæ irruente hoſte trepidè locum deſeruerat, exutam armis ignominiâque notatam, præfecto capitali pœnâ damnato, integram dimiſit. Nec multò poſt renovato bello *Patavini*, magnis affecti detrimentis & machinis oppugnati, ad clementiæ famam victori ſe dediderunt.

& Vicentiam.

Tantâ Urbe in poteſtatem redactâ, & *Vicentinis* ditioni ſuæ adjectis, in ſpem venit occupandæ *Brixiæ*, quod ea Urbs cruentis factionibus laboraret, & indè potiundi *Mediolanenſis* Imperii cum *Ludovicus Bavarus* Cæſar tum fortè Vicecomitem *Galeacium* cuſtodiæ tradidiſſet.

Imp. Ludovicum Bavarum comitatus Mediolanum.

Hunc Imperatorem *Canis* honoris causâ *Mediolani* ferrei diadematis inſignia ſuſcipientem cum equitum nobilium alâ fuerat comitatus, conſiliarioſque ejus muneribus ſibi conciliârat. Sed utrobique conatus ſucceſſu caruit: Cæſare ſcilicet in *Hetruriam* profecto, & *Brixianis* proſpero ad *Benacum* prœlio libertatem ſuam tuentibus.

Tarviſium ſubegit.

Mutato itaque conſilio, ad expugnandum *Tarviſium* ſe convertit, cupiditate proferendi Imperii *Actiolinum* imitatus. At *Tarviſini* bello fatigati cum auxilia deſperarent, libertati, quam difficulter tueri poterant, potentem armis, & clementiæ laude illuſtrem dominum prætulerunt.

Sed *Canis* victor acceſſione opportunæ urbis diu lætari non potuit, concepto enim ſupre-

Obiit ex frigida hauſtu. ſupremo morbo, quod armatus & æſtuans ex frigido fonte avidiùs bibiſſet, Julio Menſe A.C. 1329. non planè ſenex exceſſit è vitâ, & funus celebrante toto exercitu è *Tarviſio Veronam* delatus eſt: cujus urbis dominium duobus nepotibus, *Alberto* & *Maſtino* fratribus, cum ſine virili prole relictâ obiiſſet, reliquit. Ibi magnâ cum pompâ ſepultum *Maſtinus* marmoreo ſepulchro, quod viſitur, honeſtavit.

Viror. doctorum Patronus, & Dantis Aligeri Poëta exulis. Princeps hic eloquens, comis, liberalis, Oratoribus, Hiſtoricis, Poëtis, omnibus denique doctis favens, præter alios exules *Dantem Florentinum* ad ſe accerſivit, & præmiis & honoribus eum donavit.

Uguccium etiam *Fagiolanum* principatu ſuo dejectum ſummo in honore habuit. Nihil enim in hâc vitâ beatius eſſe prædicabat, quàm invicto animo ſuæ pariter ac alienæ fortunæ obviam ire, perpetuiſque liberalitatis operibus inſitæ virtutis famam extendiſſe.

* *Ex Elogiis Viror. bellicâ virtute illuſtrium Pauli Jovii, & ex Parte II. Promptuarii Iconum inſigniorum à Guil. Rovillio editi.*

Epitaphium. *Epitaphium* ſepulchro ejus inciſum in Æde S. *Mariæ Antiquæ*.

Si Canis hic grandis inſignia facta peregit,
Mantua teſtis adeſt, quam ſævo Marte ſubegit:
Scaligeram qui laude domum ſuper aſtra tuliſſet,
Majores ſi Parca dies infida dediſſet.

GALEACIUS
PRINCEPS MEDIOLAN.

Obiit A.C. 1378.

Eques Hieroſolymitanus. STephani Vicecomitis filius, juvenis baltheoi militaris dignitatem *Hieroſolymis* promeruit, cum religionis causâ Chriſti ſepulchrum inviſurus in *Judæam* navigâſſet. *Vicarius Cæſ. Caroli IV. in Liguriâ.* Deindè à *Carolo IV.* Cæſare *Mediolanum* adveniente, ſolennibus codicillis in *Ciſalpinæ Galliæ* & *Liguriæ* imperio Vicarius eſt appellatus.

Cum fratre *Barnabâ* concordi ſtudio uſque ad vitæ ſuæ exitum regnavit, adeò ut mutuis opibus bella cum hoſtibus geſſerint.

Princeps literatus & literatorum Patronus. Delectatus eſt in toto vitæ curſu, cum ex bellicis occupationibus ſubciſiva otia furaretur, nobilioribus literis, hiſtoriiſque præſertim, habuitque in honore præſtantibus diſciplinarum omnium & nobilium artium ſtudiis inſignes, ex hiſque *Franciſcum Petrarcham*, amœnâ ingenii fertilitate florentem, *Franciſcum Petrarcham amavit.* cujus hortatu Bibliothecam condiderat, poſtquàm munere beneficioque *Caroli* Cæſaris *Ticini* celebre Gymnaſium inſtituiſſet. *Fundator Gymnaſii Ticinenſis.*

A. 1360. Nuptias filio ſuo *Johanni Galeacio*, ex *Blancâ*, *Amadei V. Sabaudiæ* Ducis filiâ ſuſcepto, cum *Iſabellâ Johannis Galliæ* Regis filiâ, filiæque *Violantæ* cum *Leonato Clarentio*, Regis *Britanniæ* filio, regio ſplendore celebravit, in quarum convivio *Franciſcus* *Petrarcha* inter Principes convivas diſcubuit, tantuſque fuit convivii apparatus, ut relatæ à menſâ dapes 10000. hominum cibandis abundè ſufficerent. *Luxus Convivii nuptialis.*

Diu tandem ſævis articulorum doloribus jactatus in ſupremum morbum incidit, Noniſque Sextilibus A.C. 1378. vitâ defunctus eſt, anno ætatis 59. & Imperii 22. *Moritur.*

* *Ex Vitis illuſtrium Viror. Pauli Jovii.*

JOHANNES GALEACIUS
MEDIOL. DUX PRIMUS.

Obiit A.C. 1402.

IN hoc *Galeacii* Vice-Comitis *Mediol.* filio à primis ſtatim pueritiæ initiis mira gravitatis & prudentiæ ſpecies enituit: cum in eo ſupra captum ejus ætatis ſolertiæ judicium memoriaque vigerent. *Puer judicii præcocis*

Ferunt enim, ſicut in *Petrarchæ* vitâ legimus, *Galeacium* patrem, cum ex conſuetudine conſilium advocâſſet, multique inſignes togati viri conſediſſent, à puero tum fortè intentis oculis procerum ora contemplante per jocum quæſiviſſe, quiſnam ſibi ex eo numero ſapientior videretur? tum puerum quinquennem, conſideratis ſingulis, *Petrarcham* acceſſiſſe, quem nunquàm anteà viderat, & blandè arreptâ togâ eum oràſſe, ut ſe ad Patris ſellam ſeſſum perduci pateretur, ſtatimque magnum cum admiratione riſum omnibus obortum, quod puer perſpicaci judicio Poëtam eâ tempeſtate clariſſimum delegiſſet. *Petrarcham ſelegit.*

Nec eum per omnes ætatis gradûs à Præceptoribus educatum, quin in eundem judicii morumque tenorem incumberet, natura deſtituit: à pueritiâ enim ad integram ætatem provectum in tantâ actionum varietate tale ſemper ingenii ſpecimen edebat, ut ejus opinionem naturæ præſidio firmatam, corroboratamque multâ hiſtoriarum lectione atque uſu rerum nemo falleret. Inveteratâ conſuetudine multum deambulando meditari, cum peritis in omni negotio deliberare, exempla rerum ex annalibus repetere, & inſtituta majorum, quæ eventus belli comprobâſſet, diligenter imitari ſolitus eſt. *Literis à primâ ætate delectatur.* Nullæ enim cum voluptates venationis aut aucupii, non aleæ ludus, non illecebræ muliebres, non ſannionum aut ſcurrarum fabulæ à negotiis avocabant, exercebat corpus modicè ad rationem tuendæ valetudinis, animum remittebat eruditorum colloquiis & frequenti librorum lectione. *Voluptatum oſor.*

Conduxerat liberalibus ſtipendiis omnium diſciplinarum Profeſſores, qui in Gymnaſio *Ticinenſi* à Patre condito juventutem docerent. Bibliothecam porrò raris Codicibus referſerat. *Eruditorum amator.*

Ex ordine profitentium celeberrimi tunc fuêre, In Jure Civili *Baldus*, & duo *Raphaëles*, *Fulgoſius* atque *Comenſis* & *Segeroſius Amadèus*. In Philoſophiâ *Ugo Senenſis*, & *Blaſius Pelacanis à Parmâ*, cujus etiam extant in Aſtronomicis & Opticâ ſubtiliſſimæ *Acad. Ticinenſis Juriſconſulti. Philoſophi*

Ccccc 2 quæ-

Medici. quæſtiones. Tres quoque Medici, *Marſilius* à *S. Sophiâ*, *Syllanus Niger*, & *Antonius Vacca*, quorum Commentarii in ſcholis prælegantur.

Philologi. In tradendis Linguæ Græcæ præceptis eminebat *Emanuel Chryſoloras Byzantinus*: ſed ſupra doctores omnium diſciplinarum erat conſpicuus *Petrus Philargus Cretenſis*, ſacrar. literar. interpres, qui poſteà S. Pontifex evaſit, & *Alexander V.* eſt appellatus.

Ex his uſu rerum & prudentiâ valentibus, Conſiliarios uberrimis honeſtatos ſtipendiis aſciverat, ut non mirum videri poſſet, poſtquàm ipſe illuſtri judicio polleret, ſi, re in conſilio exactè deliberatâ diſcuſsâque, ex voto plerunque felix eventus ſequeretur.

Cuncta ſub eo officia admirabili ordine conſtabant, & erant in ejus aulâ infiniti propè notarii, per ſingula officia rationum præfectis operam navantes tantâ curâ, ut non modò totius imperii urbiumque reditûs & cuſtodiarum ſumtus, ſed ſi quid in publica ludorum ſpectacula impenderetur, & quot fercula ſigillatim in conviviis venirent, & quid claris hoſpitibus donaretur, ad exemplum & memoriam ſcriberentur.

Apud Patrem patruumque *Barnabam* rudimentum militiæ poſuit. Paucis annis admirabiles adeptus victorias ita inimicos perdidit, cæcidit hoſtes, imperii fines protulit, ut arridentis fortunæ fiduciâ ſubnixus, totius Italiæ Regnum affectaret.

A. 1382. *Wenceslaus* Cæſar ipſi Ducatum *Mediolanenſem* vili pretio vendidit, & eum novo titulo honeſtavit, cum ex ſolennibus codicillis primum *Mediolani* Ducem, ſceptro pileoque ejus dignitatis inſignibus per Legatos tranſmiſſis appellâſſet. *Primus Dux Mediol.*

Formidandæ ambitioſi Principis erant opes, *Scaligeris Veronam* & *Vicentiam* ademit, *Carrarienſibus* verò *Patavium*, *Franciſco Seniore* in *Modoetianum* carcerem conjecto, prætereà *Tarviſium, Feltrium, Bellunum*, cum *Tridento* in poteſtatem redegit. *Peruſini* & *Aſſiſinates* ad eum à Pontifice defecerunt. *Senenſes* tædio incertæ libertatis ad ejus authoritatem, finitimos *Piſanos* ſecuti, ſe contulerunt, cum nec *Lucenſes* imperium ejus abnuerent. Propterea *Florentini* metu perculſi vim hominis potentiſſimi ſuſpectantes ei undique bellum concitârunt, *Roberto* præſertim Cæſare in *Italiam* excito, & *Gallis* cis *Alpes* perductis.

Bononiâ tandem potitus, *Florentinis* tantum terrorem intulit, ut demiſſi animo cives in hoſtis morte tantùm ſalutem reponerent. Nec eorum votis fortuna defuit: in arce enim *Melenniani*, *Romanâ* viâ ſupra *Lambrum*, febri peſtilenti correptus, exceſſit è vitâ prid. Non. Septemb. A. C. 1402. ætatis 54. imperii 24. *Febre peſtil. obiit.*

Duos ex *Catharinâ Barnabæ* filiâ degeneres reliquit filios, *Johannem Mariam*, & *Philippum*: cum filiâ *Valentinâ*, quæ nupſit *Ludovico* Duci *Aureliæ*, *Caroli VI.* Galliæ Regis fratri.

Arſit per aliquot dies ante ejus mortem Cometa ingens, lividâ & longâ caudâ, nec eo cœleſti prodigio indignus videri potuit, cum nemo Principum in *Italiâ* à *Gothicis* temporibus Imperii magnitudine & vitæ ſplendore eo clarior & potentior extiterit. *Cometa mortem ejus præſagiit.*

* *Ex Elogiis Virorum illuſtrium Pauli Jovii.*

LAURENTIUS MEDICES PRINCEPS FLORENT.

Obiit A. C. 1492.

Filius *Petri* & *Lucretiæ Tornabonæ* natus eſt 1. Jan. A. C. 1445. Princeps fuit eruditi ſeculi decus immortale, vir ad omnia ſumma natus, & qui flantem reflantemque toties fortunam usque adeò ſit alternâ velificatione moderatus, ut neſcias, utrum ſecundis rebus conſtantior, an adverſis, æquior ac temperantior apparuerit.

Ingenio verò tanto fuit, ut quibus in ſingulis excellere alii magnū putant, ille univerſis pariter emineret. Literatos homines magno ſtudio complectebatur, multum honoris & reverentiæ iis exhibebat: multum operæ in conquirendis toto orbe terrarum linguæ utriusque voluminibus poſuit, immanesque ſumptûs eâ in re fecit. *Literatorum patronus.*

Perpetuam ſanè memoriam literarum ſtudioſi huic Principi debent, qui, cum opibus & authoritate polleret, poſt *Nicolaum V.* Pontificem *Romanum*, ſuâ liberalitate linguarum & artium inſtaurationem in *Italiâ* plurimùm adjuvit, invitatis ad ſe viris doctis è *Græciâ* profugis. Unde velut ex celebri emporio præclaras literarum merces in *Germaniam* importârunt *Rudolph. Agricola*, *Johannes Capnio*, *Eraſmus Roterodamus*, & alii. *Viros doctos è Græciâ in Italiam vocavit.*

Filios reliquit tres, *Petrum, Coſmum*, & *Johannem*, qui omnes brevi tempore & Principatu & Civitate ejecti exulatum abierunt. Poſt annos verò 21. *Johannes* filius natu minimus ſummum Pontificatum *Romæ* adeptus, *Leo X.* dictus eſt. *Filii ejus.*

Morti proximus *Petrum* filium monuit, virtutem & bonam mentem coleret, non defuturum cœlitùs auxilium, benè conſulta bonos eventûs paritura, & quoniam civitas omnis corpus eſt multorum capitum, neque mos geri ſingulis poſſit, meminerit ejusmodi varietatibus id conſilium ſequi ſemper, quod eſſe quàm honeſtiſſimum intelligat, magisque univerſitatis quàm ſeorſum cujusque rationem habeat. *Ultima ejus admonitio ad filium.*

Deindè S. Euchariſtiam ſumturus hiscè verbis Chriſtum ſupplex affatus eſt: *Tune, mitiſſime JESU, tunc nequiſſimum hunc ſervum tuum digneris inviſere? At quid dixi ſervum? Imò verò hoſtem potiùs, & quidem ingratiſſimum, qui tantis à te cumulatus beneficiis, nec tibi dicto unquàm audiens fuerim, tuamque toties Majeſtatem leſerim? Quo ego Te per illam,* *Ultima ejus precatio.*

quâ

quâ genus humanum complecteris, charitatem, quæque cœlitùs in terram deduxit, & noſtræ humanitatis induit involucris, quæ famem, ſitim, frigus, æſtum, labores, verbera, flagella, & poſtremò crucem ſubire te compulit: per hanc charitatem te, JESU, *obteſtor, avertas faciem à peccatis meis, ut cum ante tribunal tuum conſtitero, quò me jam citari ſentio, non mea culpa plectatur, ſed crucis tuæ meritis condonetur. Valeat in causâ meâ ſanguis ille tuus pretioſiſſimus, quem pro aſſerendis in libertatem hominibus in arâ illâ ſublimi noſtræ redemtionis effudiſti.*

Colloquium ejus ult. cum Hieron. Savonarolâ.

Paulò pòſt ingreſſus cubiculum *Hieronymus Savonarola, Ferrarienſis*, cœleſtis doctrinæ prædicator, hortatus eſt, ut fidem teneat. Ille verò tenere ſe ait inconcuſſam: Deindè, ut quàm emendatiſſimè poſthâc vivere deſtinet, quod facturum ſe obnixè reſpondit: poſtremò ut mortem, ſi neceſſe ſit, æquo animo toleret: nihil verò, inquit ille, jucundius, ſiquidem ita à Deo decretum ſit. Sic in Chriſto exſpiravit *Florentiæ*, 8. April. A. C. 1492. æt. 47.

Moritur.

* *Ex Angeli Politiani Epiſtolar. lib. 4. epiſt. 2. & ex Indice Chronologico Abrah. Bucholtzeri.*

* * * * * * *

Inter *Florentiæ* nobiles & primores facilè primus (tametſi non Princeps) ſummâ prudentiâ ac ſingulari virtute omnia ſuo arbitrio in patriâ adminiſtravit. *Angelus Politianus* & *Marſilius Ficinus*, viri undecunque doctiſſimi, hujus alumni fuêre.

Politiani & Ficini Patronus.

Hic ſapientiſſimus fuit, literarum literatorumque amantiſſimus, in quo probitas, juſtitia atque fides domicilium elegiſſe viſæ ſunt. Præterea fortis etiam atque magnanimus cum eſſet, pericula ſæpè à ſuorum cervicibus bello propulſavit: nomen *Thuſcum* ad barbaras gentes protulit, ampliatâ etiam ditione ſuâ multis urbibus ac oppidis.

Miles ſtrenuus.

Quin etiam huic Reges atque Reſpublicæ, *Sultanus* denique ipſe Legatos & munera, tanquàm alteri *Octavio* Cæſari miſerunt. *Sixtus* & *Innocentius* Pontifices hunc tanquàm filium dilectum in pretio habuerunt.

Munera accepit à Sultano Turc.

Hic in funere ſuo, ad avi *Coſmæ* exemplum, nullam peragi pompam mandavit, quod & obſervatum eſt.

Funeris pompam prohibuit.

* *Ex Parte II. Promptuarii Iconum inſigniorum à Guilielmo Rovillio editi.*

JOH. BAPTISTA CAMPOFULGOSUS DUX GENUENS.

Claruit A. C. 1530.

Nobilis *Genuenſis* primarius ex illuſtri *Fregoſiorum* familiâ traxit originem, ideò *Leander* in deſcriptione *Italiæ Baptiſtam Fregoſum*, & alii *Baptiſtam Fulgoſum* vocârunt.

Adoleſcens Reip. Patriæ munera ſummo cum honore & laude adminiſtravit, & tandem populi totius applauſu ſummum honorum apicem Ducatum *Genuenſem* conſcendit, quem triennio ſummâ cum prudentiâ gubernavit.

Dux Genuenſis.

A. 1483. Indè per *Paulum Fulgoſium*, Cardinalem, aliosque agnatos iniquè dejectus, & in exilium pulſus, quò dolorem injuriarum levaret, totum ſe ſtudiis Hiſtoricis dedit, & ad imitationem *Valerii Maximi* factorum & dictorum memorabilium Volumen ingens linguâ patriâ congeſſit, quod filio ſuo *Petro* dedicavit.

In exilium pulſus.

Opus Hiſtor. ſcripſit.

In exilio tandem conſeneſcens obiit.

Moritur.

Scripta ab eo edita, ſunt ſeqq.

Scripta.

Factorum & Dictorum memorabilium Libri IX, quos *Camillus Ghilinus* Latinitate donavit, & *Juſtus Gaillardus, Campanus*, locupletavit.

Tract. de Fœminis, quæ doctrinâ excelluerunt.

* *Ex Theatro Italico Viror. eruditor. Hieron. Ghilini.*

GEORGIUS PRINCEPS ANHALTINUS.

Obiit A. C. 1553.

Natus eſt *Georgius* Princeps *Anhaltinus* A. 1507. die 14. Aug. Patre Principe *Erneſto*, & Matre ex familiâ Ducum *Münſterbergenſium*. Adoleſcens adhuc *Georgius*, *Georgio Helto Forchemio* commendatus eſt, ſub quo celeriter Grammaticen, Linguam Latinam, Dialecticen & Catecheſin doctrinæ Chriſtianæ didicit.

Diſcipulus Georgii Forchemii.

Poſteà de conſilio graviſſimi Senis *Adolphi*, Principis *Anhaltini*, Epiſcopi *Merſburgenſis*, juſſus eſt initia doctrinæ Juriſconſultorum diſcere, quo in genere tantam præſtitit aſſiduitatem, ut & fontes rectè cognoſceret.

Jurisprudentiam diſcit.

In hoc verò tyrocinio cum annos aliquot præparâſſet ingenium, jamque ingreſſus eſſet A. 22. Cardinalis *Albertus*, Elector *Moguntinus*, adjunxit eum Conſiliariis in aulâ, ubi non jam in umbrâ, ut in Academiâ, ſed in judiciis, uſum doctrinæ juris conſideravit.

Adjungitur Conſiliariis in aulâ.

Cum verò tum certamina de doctrinâ Eccleſiæ mota eſſent, *Lutheri*, cujus jam ſcripta extabant, legit *Georgius*, ſimulque ardentibus à Deo precibus petivit, flecti pectus ſuum ad veritatem, ac lacrymans ſæpè in hæc verba: *Fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericordiam tuam, & juſtificationes doce me.*

Lutheri libros legit.

Preces Georgii.

Studiosè inſuper legit ſcripta Prophetica & Apoſtolica, quibus adjunxit veteris hiſtoriam Eccleſiæ, & quia fontes in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis cognoſcere cupiebat, addidit Linguæ Græcæ & Hebrææ ſtudium, tantumque in Hebræâ profecit, ut par eſſet in eâ interpretibus.

Paulò pòſt palàm oſtendit, ſe amplecti Evangelicæ Eccleſiæ confeſſionem, ſicque ab adverſariorum diſceſſit ſacrificiis, communi dein cum fratribus conſilio Eccleſias ſcholasque in patriâ inſtauravit ſine ullo diſſenſionum tumultu.

Amplectitur doctrinam Eccleſiarum Evangelicarum.

A. 1545. Vocatus eſt ad Eccleſias in *Merſburgenſi* diœceſi regendas, ſicque Epiſcopus

Inſtaurat Eccleſias ſuæ ditionis.

Præſicitur Eccleſiis Merſburgenſis diœceſeos.

ſcopus conſtitutus rectè doceri populum curavit, & de forenſibus controverſiis cum *Hieronymo Schurſio*, & *Ludovico Fachio*, de corporis humani naturâ, de morborum cauſis & remediis cum *Sebaſtiano Aurbachio, Auguſtino Schurſio*, & *Jacobo Milichio*, de doctrinâ Eccleſiaſticâ cum *Luthero, Juſto Jonâ, Bugenhagio*, aliisque contulit, fuitque hic ei vitæ curſus; donec ex hâc mortali vitâ ad cœleſtis Eccleſiæ ſocietatem vocatus eſt *Deſſaviæ* cœlebs A. 1553. 17. Octobr. cum ætatis inchoaſſet annum 46.

Moritur.

Princeps Principes conjuges copulat.

Anno præcedente 1548. d. 14. Octobr. cum *Auguſtus, Saxoniæ* Elector, ſacra pararet nuptialia, cum *Annâ*, filiâ *Chriſtiani* Regis *Daniæ*, ipſe hic *Anhaltinus* Princeps & Præpoſitus *Magdeburgenſis* matrimonii vinculo Principes copulavit, concionemque ἐπιθαλάμιον habuit.

Scripta.

Scripſit & edidit, præter concionem dictam:

Conciones quatuor de utrâque ſpecie ſacramenti.

Conſolationem ad Wolffgangum fratrem in morbo.

Conciones 2. de falſis Prophetis.

Tractatum de ritu Apoſtolico ordinationis uſitatæ in Eccleſiis purioribus.

Sententiam de controverſis articulis editam.

Opera Selnecceri.

In ſtatu *Germaniæ* luctuoſiſſimo ſtationem ſuam non reliquit, ſed cauſam *Evangelicorum* coram Principibus, ipſoque Cæſare *Carolo V.* egit.

Ejus domus tanquàm aſylum exulibus patuit.

Singulari amore *Melanchthonem* proſecutus eſt.

Singulis annis Synodos Paſtorum ſuæ diœceſeos binas, & in illis Orationes Latinas habuit à *Melanchthone* præſcriptas.

Cum aliquando nuntius quidam Apoſtolicus ex *Miſnâ Romam* eſſet reverſus, & à Prælatis interrogatus eſſet, *quid novi afferret?* reſpondit: *Vidi & audivi miraculum, Georgius Princeps Anhaltinus ſubditis ipſe concionatus eſt.*

Subditis concionatur.

* *Ex Melch. Adami vitis Theol. Germ. & aliis.*

Obiit A. C. 1554.

JOHANNES FRIDERICUS ELECTOR SAXONIÆ.

PRinceps hic vel inimicorum teſtimonio, comitate, liberalitate, prudentiâ, & animi invicti fortitudine, aliis omnibus præponi meruit, quod adverſam fortunam conſtantiâ ſuâ omnium judicio ſuperârit. Nam cum prœlio ab Imp. *Carolo V.* victus, captivus cum *Erneſto Brunſvico Torgam* tanquàm in triumphum duceretur, & ſubindè fortunæ adverſæ contemtum generosè præ ſe ferret, *Erneſtus* autem illum quaſi calamitati propriæ inſultantem increparet, *Numquid ob illa angerer*, retulit, *quæ, quando in poteſtate noſtrâ ſita non ſunt, ad nos minimè pertinere exiſtimare debemus?* Hæc coram omnibus dixit admirabili conſtantiâ.

Adverſam fortunam ſapienter ſprevit.

Cum nihilominùs profundum ex imo pectore ſuſpirium ducentem *Erneſtum* videret, ſubmiſſiore voce ad eum converſus, *Conſilium, quod mihi ſumo*, dixit, *& tibi darem libens, ſi capere poſſes. Sed quamvis tibi in te non tantum juris ſit, ut hinc animi tranquillitatem conſequi, & conſolationem capere poſſis, tamen humani ingenii perturbationibus ſedandis, & aliqua ex parte explendis, qualia ſunt odium, amor, vindictæ, juſta indignatio, id valdè conducibile arbitror. Ubi enim opibus propriis contra vim potentioris foris ſe tueri quis nequit, reliquum eſt, ut ſe ſapientiæ præceptis intus muniat. Itaque ſi te bello inferiorem doles, ut ſuperior ſis, conſtantiam indue, & te calamitatem tuam contemnere oſtende: ſic victoriam hoſti eripies, & victus victorem vinces. Hæc expedita ratio eſt ultionis de hoſte vel in hâc calamitate ſumendæ.*

Mortis ſententiâ in eum more ſolenni 4. Id. Maji A. 1647. latâ, dum in tentorio cum *Brunſvico* ſederet, per delegatum ſignificatâ, nihil commotus aut vultu turbatus eſt, ſed ſereno eum, qui venerat, ore intuens, *Quid tum*, inquit, *ſi Wittebergâ non traditâ* (nam hæc in uxoris & filiorum adhúc erat poteſtate) *me mori oportet? hæc enim, non vita mea, petitur. Cæterùm nihil hæc me terrent, utinam nec conjugem item, & liberos & amicos, quibus à calamitate meâ majus periculum quàm mihi imminet. Nam quicquid mei contemplatione hoſti dabitur, illis peribit, nec mihi proderit. Quorſum enim acceſſionem paucorum dierum jam effœto ſeni neque diu victuro? Itaque ſi optio detur, malim re liberis ſalvâ quàm primùm mori, quàm diu illis ſpoliatis vivere. Neque tamen prohibeo, quin pietati aliquid condonent, & ſibi ſatisfaciant, ita ut, dum mei rationem habent, non omninò ſalutis ſuæ obliviſcantur.*

Mortis ſententiam latam audivit.

Hæc fatus, *Brunſvicum* ad latrunculis ſecum ludendum invitavit, hâc etiam ſecuritate contemtum mortis & hoſtis pariter præ ſe ferens.

Remiſſâ mortis pœnâ, cum tandem inter conditiones propoſitas perſcriptum eſſet, ut quæ Cæſar aut Concilium de religione ſtatueret, ipſe approbaret, nullâ ratione, ne præſentis quidem mortis metu, adduci potuit, ut aſſentiretur.

Mortis pœnâ remiſſâ, in religione tamen conſtans.

Cæſar *Carolus V.* cum *Henricum II. Gall.* Regem de victoriâ à *Saxone* reportatâ per Legatos certiorem faceret, producta eſt ab iis inuſitatæ magnitudinis ocrea, quam *Saxoni* poſt pugnam detractam dicebant, ridiculo *Hiſpanicæ* oſtentationis exemplo, quod *Carolus Lotharingus* in illius annis Commentariis ſuis perſcripſit.

Poſt varias tandem vitæ ærumnas & adverſitates, quibus totâ vitâ conflictatus eſt, tranquillitatis portum in morte invenit, obſcuriore tamen ejus poſt obitum famâ,

quod

quod liberos paternâ calamitate oppreſſos reliquiſſet.

Obiit Vinariæ 11. die poſt mortem uxoris.

Deceſſit verò *Vinariæ* 3. Martii A. C. 1554. ætatis 51. Undecimo ante eum die *Sibylla Clivenſis* uxor deceſſerat, cujus ſepulchrum in æde ſacrâ cum pararetur, quaſi brevi eam ſecuturus eſſet, locum ſibi ad latus illius ſervari juſſerat. Illa verò voti compos facta eſt, cum ſæpè dixiſſet, *Se læto animo morituram, ſi ſibi maritum liberum domi reducem aſpicere liceret.*

In carcere ſuo *Torgenſi* morti adjudicandus hymnum compoſuit & ſæpè cantavit elegantem: **Wies Gott gefällt/ ſo gfällt mirs auch/ Und laß mich gar nicht irren/ &c.**

Obiit A.C. 1557.

JOHANNES
COMES PALATINUS, PRINCEPS SIMMERENSIS.

Johannis filius, & Pater *Friderici III.* Electoris *Palatini*, Comes Palatinus *Rheni*, Dux *Simmerenſis* & *Sponheimenſis*, Cameræ Imperialis *Spirenſis* Præſes & Judex, Princeps literatus & literatorum Patronus, cum ſummâ juſtitiæ ac prudentiæ laude multis annis hoc munere defunctus eſſet, fatis conceſſit 18. Maji A.C. 1557. æt. 71.

Cameræ Spir. Præſes.

Moritur.

Ob ditionis ſuæ mediocrem, imò parvum circuitum, à quodam vexatus repoſuit: *Satius eſt Ducem eſſe parvæ Ditionis, quàm Principem magnificum ſine omni Imperio.*

Scripta.

Diligentiſſimus hic Princeps ſcrutator Hiſtoriarum, Antiquitates varias & Genealogias, ut & de haſtiludiis, (Germ. **das Turnier-Buch**) librum ipſe in concinnum redegit ordinem, multos inſuper, eoſque ſat gravioris materiæ, libros propriis ſcripſit, ex aliiſque in vernaculam tranſtulit, manibus: certò ſibi perſuadens, ſæpiùs etiam dicens: *Qui, etſi literis aliàs imbuti, Principi liberales Muſarum artes haud convenire tradunt, ipſi ut indocti & malè certè ſapientes ab omnibus habendi ſunt.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken & aliis.*

Obiit A.C. 1563.

JACOBUS
VALACHIÆ PRINCEPS.

Cum à pueritiâ liberalibus diſciplinis imbutus fuiſſet, etiam Mathematicas artes *Roſtochii* in *Megalopolenſi* Principatu profeſſus fuerat, & eleganter *Græcè, Latinè, Italicè* & *Gallicè* noverat. Tandem à ſubditis ſuis *Valachis*, gente barbarâ, quâ nulla in Dominos ſuos inconſtantior, fraude circumventus, ubi nullum effugium & ſibi neceſſariò moriendum vidit, fati neceſſitatem conſtantiâ & intrepido animo ſuperavit.

Mathem. Prof. Roſtochii.

4. Linguar. peritus.

Nam regio amictu indutus, nullo abjecti animi ſigno edito, oratione liberâ benè rectèque geſtam Rempubl. ac multa eaque eximia *Valachis* ſuis beneficia exprobravit, Deum ultorem precatus, ut impunitam eorum perfidiam non ſineret.

A ſubditis occiſus.

Inter has exprobrationes à conjuratis ſubditis occiſus eſt, eodem menſe, quo *Alexandrum* prœlio victum ante biennium Principatu expulerat, obiit A.C. 1563.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1565.

NICOLAUS RATZEVILIUS, DUX LITUANIÆ.

Olicæ Dux & Palatinus *Vilnenſis, Sigiſmundi Auguſti, Poloniæ* Regis perfamiliaris, & qui *Barbaram, Radevilli* patruelem, uxorem ſecundam duxerat, vir ingenio ac virtute excellens, cujus ſolertiæ debetur *Livonia Polonici* juris effecta.

Livoniam regno Poloniæ adjecit.

Hic Proteſtantium doctrinam amplexus *Vilnæ* in aulâ ſuâ fano *Johannis* oppoſitâ conventûs ſacros primus habuit, & propriis Sacra Biblia ex Hebraicis ac Græcis fontibus tranſlata *Sarmatis* ſuis linguâ populari dedit.

Biblia in linguam Sarmaticam transferri curavit.

4. filiorum Pater.

Liberos 4. reliquit ſuperſtites, *Chriſtophorum*, titulorum hæredem, *Georgium*, qui poſteà in Cardinalium Collegium cooptatus eſt, *Albertum*, qui *Annam, Gotardi, Curlandiæ* Ducis, filiam in uxorem habuit, ut accepti à patre beneficii gratia filio rependeretur, & *Stanislaum*, qui omnes abjectâ patris religione majorum ſacra ſecuti ſunt.

Moritur.

Nicolaus tandem mortalitatem exuit *Vilnæ*, 28. Maji A.C. 1565. ætatis 50. *Thuan. lib. 38.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Eteoſtichon:

OCCIDIt ó Croæ RaDIVILe gLorIa terræ:
Heros IngenIo non CIto taLIs erIt.

Obiit A.C. 1567.

PHILIPPUS
LANDGRAVIUS HASSIÆ.

Princeps ex illuſtri & antiquâ gente ortus, haud procul à caſtris Parentis *Wilhelmi, Cambum Palatinatûs* oppidum obſidentis, natus A.C. 1504. vitæ militaris indè omen tulit.

Proteſtantium vindex.

Poſteà ſciſſâ ob Religionis cauſam *Germaniâ*, Proteſtantium ſe & libertatis *Germanicæ* vindicem præbuit, cum fœderi *Smalcaldico* ſubſcripſiſſet, & poſteà contra *Carolum V.* Cæſarem, adverſâ licèt fortunâ, tamen invicto animo perſtitiſſet. Sed cum profligato *Joh. Friderico Saxone* Septemviro, à *Mauritio Saxone* genero perſuaſus, cum Cæſare tranſegiſſet, unius literulæ cavillatione aſtu *Granvillani* deluſus, & carceri mancipatus, totum quinquennium victricia Cæſaris ſigna & aulam ſecutus eſt, donec deficiente à Cæſare *Mauritio* libertati cum *Saxone* reſtitutus eſt.

Cum Carolo V. tranſegit.

Domi conſedit.

Ab eo tempore vitæ anxiæ & laborioſæ poſt tot exantlatos labores pertæſus, ſe domi continuit, nullâ prætereà re memorabili

geſtâ,

Digitized by Go

geſtâ, niſi quod A. 1562. ad poſtulata *Ludov. Borbonii Condæi, Catharinæ Mediceæ* Reginæ ſe nomine tuentis, auxiliarem exercitum in *Galliam* ſubmiſit. Vir fuit excelſi animi, qui cum prudentiâ & conſilio multùm valeret, plus tamen pugnacitati & fortunæ ſemper tribuit.

Literarum patronus. Scholam Marpurgi inſtituit.

Bellis defunctus & literarum ſtudia curæ habuit, & *Marpurgi* Scholam celebrem inſtituit, ampliſſimisque privilegiis ac ſtipendiis donavit.

Xenodochia inſuper *Merchuſii, Heiæ, Brubachii* & *Hocheimii* inſtituta magnis vectigalibus locupletavit.

Addam, quod pleriſque riſu dignum, ſilentio tamen non prætermittendum eſt, ipſum tam inexhauſti ad Venereos uſûs ſucci fuiſſe, ut cum uxore ſolâ uteretur, & illa toties illum admittere non poſſet, vir alioqui caſtus, quique vagis libidinibus minimè oblectabatur, ex ejus permiſſu, negotio cum Paſtoribus communicato, concubinam unam ſuperinduxerit, cujus conſuetudine, ardore aliquantùm perdomito, parcius ac moderatius cum uxore verſaretur.

Concubinam permiſſu conjugis ſuperinduxit.

Tandem poſtridiè Paſchæ anno climacterico, Chriſti 1567. vitam mortalem finiit. Inſpecto â Medicis corpore triorchis repertus.

Triorchis.

Univerſitatem hic Princeps cum jam erexiſſet, gravia quotidiè civium filiis cum Studioſis erant diſſidia, ubi cum aliquando etiam Studioſus, ex nobili ortus proſapiâ, in armorum hoc privato ſtrepitu occubuiſſet, Rector tum temporis magnificus *Johannes Lonicerus* varia in defuncti laudes carmina variis diſtribuit, ex quibus verſus primus ſequ. erat:

Barbara gens, inimica Bonis, ſtudiisque bonorum. &c.

Cum Senatus *Marpurgenſis* ſuas contra hæc verba querelas ad *Philippum* detuliſſet: Ipſe in hæc: *Quod ſi verba hæc tantoperè vobis diſplicent, agite, reapſe palàm fiat omnibus, vos nunquàm tales præbuiſſe.*

Ad D. *Martinum Lutherum* talia aliquando fecit verba: *Malo ego Princeps eſſe, quàm animarum paſtor, non quod Princeps plures ex reditibus habeat nummos, ſed quod de Paſtoribus maximas Deus exigat rationes, ac proindè onus hi habeant, cui nullum aliàs valore ſuo comparandum.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken & aliis.*

Obiit A.C. 1568.

CHRISTOPHORUS
DUX WIRTENBERGICUS.

Princeps literatus & literatorum fautor.

Linguarum peritus & literis excultus Princeps ac literatorum fautor eximius variâ fortunâ jam ſub patre *Ulrico* jactatus adverſis & proſperis rebus eundem animum ſervavit.

Militum ductor in Galliâ.

Antequàm Patri in Ducatu ſuccederet, *Franciſco I, Galliæ* Regi, bellis ſub alpinis fortem operam navavit, & induſtriam ſuam in re militari approbavit 33. vexillorum ductor, cum vix 22. annum ageret: de cætero Confeſſionis *Auguſtanæ* accerrimus propugnator, quam & Theologorum ſuorum Scriptis firmatam, per Legatos *Tridenti* firmandam ſuſceperat.

Propugnator Confeſſ. Auguſt.

Partâ Imperio pace, pacis quoque ſtudia coluit, & poſt *Elvaganam* expeditionem ſe domi quietum continuit, ſacrorum librorum lectione ſenectutem oblectans.

Moritur.

Naturæ tandem debitum perſolvit *Stutgardiæ* 28. Dec. A.C. 1568. ætatis 54.

Succeſſit ei filius *Ludovicus*, cœteris maſculis, quos ex *Annâ Mariâ Brandenburgicâ* magno numero ſuſceperat, ante patrem fato functis. *Thuan. lib. 43.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1569.

WOLFFGANGUS
COMES PALATINUS RHENI DUX BAVARIÆ.

Filius *Ludovici* Comitis *Palat. Veldentiæ*, Comes *Bipontinus*, Princeps ſapiens & literatus.

Majores.

Natus *Biponti* 26. Sept. an. 1526. Avum habuit *Alexandrum*, proavum *Ludovicum Nigrum*, Abavum *Stephanum Bipontinum*, Atavum *Rupertum* Imperat. *Rom.*

Conjugium.

Matrimonio ſibi junxit *Annam, Philippi* Landgravii *Haſſiæ*, filiam, anno 1545.

Filios reliquit V. *Philippum Ludovicum, Johannem, Ottonem Henricum, Fridericum* & *Carolum*.

Literatorum patronus.

Scholas duas aperuit, *Hornbachianam* in Ducatu *Bipontino*, & *Lauinganam* in *Neoburgico*.

A.C. 1566. ſuis impenſis copias in *Hungariam* duxit, ut Cæſari *Maximiliano II.* contra *Turcas* præſtò eſſet.

Moritur.

In *Galliam* profectus, cum equitum 1000. aliquot Principi *Ludov. Condæo* contra hoſtes ſuos auxilium laturus peſte interiit, 11. Junii an. 1569. ætat. 42. in pago *Neſſum*.

Corpus ipſius biennio demum poſt in *Germaniam* revectum, & *Maiſenhemii* ſepultum eſt. Paulò ante mortem *Cariteam, Burgundiæ* urbem, ad *Ligerim* expugnavit.

A. 1548. Cum in Comitiis *Auguſtanis* Libro Interim dicto ſubſcribere recuſaſſet, indè diſcedere juſſus, paulò pòſt ad Cæſarem *Carolum V.* ſcripſit, ſe quidem inpræſentiarum ſalvâ conſcientiâ ipſi ſatisfacere non poſſe, ſed ſi miniſtros ſolum vertere jubeat, quanquam id admodùm grave ſit, & ſibi & ditionis ſuæ populo, illos tamen mandatis Cæſaris obtemperaturos. Ita Cæſare acquieſcente, abindè in profeſſione religionis ſuæ non ſolùm ipſe, ſed etiam miniſtri Eccleſiæ permanſerunt.

Deindè *Friderici* Electoris vicarius in ſuperiori *Palatinatu* conſtitutus eſt, & Ducatum *Neoburgicum* adeptus, Eccleſias & Scholas in eo accuratè emendavit.

Anno 1566. Imperatori *Maximiliano II.* contra Sultanum *Turcicum* bellum ſuſce-

pture

Digitized by Google

pturo cum 300. equitibus de ſuo ſuſtentatis in *Hungariâ* auxilio venit: adducens ſecum filium *Philippum Ludovicum.*

Obiit A.C. 1574.

COSMUS MEDICES MAGNUS HETRURIÆ DUX.

JOhannis Medicéi & *Mariæ Salviatæ* filius, *Alexandro Florentiæ* Duci ab agnato ſuo *Laurentio Medicéo* interfecto A. C. 1537. ætatis 16. ſucceſſit, Princeps raris naturæ & ingenii dotibus præditus, & in quo ſumma felicitas cum rarâ prudentiâ certavit. Nam imperium ſibi delatum magnâ conſtantiâ, matre quantumvis diſſuadente, retinuit, moxque raro fortunæ beneficio, oppreſſis libertatis vindicibus, illud firmavit, & in gratiam *Caroli V.* Cæſaris, ut eâ dignus ſe inſinuavit, cujus perpetuò ſigna contra *Gallos* ſecutus eſt, bello *Senenſi* audacter ſuſcepto, & feliciter confecto, *Senenſique* ditione vel ab invito *Philippo II. Hiſpan.* Rege extortâ & *Florentiæ* ditioni adjectâ. *(Alexandri ſucceſſor.)* *(Dux Senenſis.)*

In eo id præcipuè mirandum, quod quicquid ab inimicis & æmulis in ejus perniciem machinatum eſt, in ipſius decus & fortunæ amplificationem vertit.

Sed pace factâ, & conſtitutis novi imperii rebus, dum ætate hactenus temperanter & ſobriè acta laxamentum quærit, firmam naturam ac valetudinem ſolvit, & nimio voluptatum uſu corrumpit. Nam unum & alterum impotenti irâ abreptus propriâ manu occidit, & poſt uxoris *Helionoræ, Petri Toletani,* Viceregis *Neapolitani*, filiæ mortem, cum ad quietem domi ſtabiliendam nuptiis ſecundis aut omninò abſtinere deberet, aut ſi novas appeteret, ad firmandum Principatum novum illuſtri affinitate opus haberet, *Camillam Martelliam* in uxorem duxit, ex quâ unicam filiam ſuſcepit, quæ poſteà Cæſari *Ateſtino, Alfonſi, Ferrariæ* Ducis gentili & hæredi nupſit, quâ re pietatis opinionem apud S. P. *Pium V.* aucupari voluiſſe, & eâ Magni *Hetruriæ* Ducis titulum tantoperè controverſum, & tandem A. 1570. à Cæſare confirmatum meruiſſe creditus, pro tempore penè exitiale incendium domi excitavit. *(Duas uxores habuit.)* *(Magnus Hetruriæ Dux.)*

Cœteroquin inviſi initio Principatûs acerbitatem multis egregiis factis lenivit. Nam & Juſtitiæ acerrimus vindex, & dum in Nobilitatis rebus ſuis ſuſpectæ corruptos mores ac licentiam libidinoſam ſeverè inquirit, plebis ab eâ plerumque oppreſſæ gratiam ſibi conciliavit. *(Juſtitiæ vindex.)*

Literatos totâ *Italiâ* eximiè fovit, & celebrem Academiam *Piſis* inſtituit: Pictorum, Architectorum, & Statuariorum ſuâ ætate inſignium induſtriam juvit, in parvo imperio amplam Auguſti Cæſaris fortunam æmulatus, cujus & inſigne Capricorni ſibi ſumpſit, ac paſſim in ædificiis à ſe Regiâ magnificentiâ exſtructis inſculpi curavit, ita ut de ſe dici voluerit, urbem, quam lapideam acceperat, marmoream reliquiſſe, & ne quâ non in parte cum *Auguſto* conferretur, etiam perindè atque ille domeſticis *Johannis* & *Garſiæ* filiorum cladibus, dum vixit, & poſt mortem etiam, afflictatus eſt. *(Literatorum fautor Academiam fundavit.)*

A. 1555. In Inſulâ *Ilvâ*, quam hodiè *Elbam* vocant, non procul à *Plumbino* ſitâ *Coſmopolim* urbem fundavit, & propugnaculis adversùs hoſtes munivit. A. 1562. Ordinem militum navalium S. *Stephani*, à Pont. max. *Stephano, Florentiæ* patrono, nomen ſortitum, qui Piratas mari proſequeretur, & hæreditarius foret, cum inſigni Crucis rubræ in pallio inſtituit, annuiſque proventibus ornavit. *(Coſmopolin urbem fund. & Ordinem mil. S. Stephani.)*

Erga pauperes ſummè beneficus dicere ſolitus eſt: *Quò plus pauperibus do, tantò plus à Deo recipio, ideò ſemper debitor permaneo, Denique creditor.* Amicis & agnatis pauperibus per homines ſubordinatos ſubindè pecuniam mittere ſolitus, ut neſcirent, undè illa venerit. *(Beneficentia ſingularis.)*

Tres filios ex priore conjugio reliquit, *Franciſcum*, Imperii hæredem, *Johannæ Auſtriacæ* Imp. *Maximiliani II.* Sororis matrimonio ſubnixum, & jam ante Patris, ultrò publicâ ſe adminiſtratione abdicantis, obitum Principatûs potentem: *Ferdinandum* Cardinalem, qui *Franciſco* fratri poſteà ſucceſſit, & *Petrum*, qui *Helionoram, Garſiæ Toletani* avunculi filiam in uxorem duxerat.

Decennio ante obitum publicam imperii adminiſtrationem in *Franciſci*, qui tum 24. annum attigerat, manûs reſignavit, titulos ac dignitates ſibi ſervans. *(Vivus imperio ſe abdicavit.)*

Ea reſignatio, ut ſpeciem certæ & quaſi delatæ ſucceſſionis obtineret, magnâ pompâ *Piſis* celebrata fuit, Conſiliariis & 40. Virorum Senatu præſentibus, gratiæque publicæ in templo actæ, & ſplendido ac propè regali convivio omnes excepti in publicæ lætitiæ ſignum. Ab eo tempore Pater & Filius ſimul Domini extiterunt.

Coſmus tandem ex diuturno morbo, quo amiſſo vocis uſu laboraverat, deceſſit 11. Kal. Maji A.C. 1574. ætat. 55. imperii 38. *(Moritur.)*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1575.

CAROLUS FRIDERICUS PRINCEPS CLIVENSIS.

WIlhelmi, Cliviæ Ducis, filius, cum paulò antè ex *Maximil. II.* Cæſaris avunculi aulâ, ubi totum triennium conſumpſerat, diſceſſiſſet, ad Jubilæum *Romam* quoque venerat, & perhonorificè à S. P. *Gregorio XIII.* exceptus, in *Vaticano* hoſpitium habuerat. Mox indè *Neapolim* viſendarum Antiquitatum cupiditate excurrens, comite viæ *Stephano Pighio* harum rerum ſummè perito, qui & ejus iter adeoque vitam prolixo opere, *Herculis Prodici* nomine inſcripto, explicavit; cum *Romam* rediiſſet, febre correptus, fruſtrà tentatis Medicorum remediis, & *Alexandri Perionii* imprimis, qui ægrotanti ſemper adſedit, tandem 5. Id. Febr. A.C 1575. animam Deo *(Romæ in Vaticano hoſpes.)* *(Antiquitatum amator.)* *(Vita ejus Herculis Prodici nomine deſcripta.)* *(Obiit Romæ.)*

 reddidit,

reddidit, cum vix 20. annos exegiſſet, Princeps rarâ indole & virtutibus, quæ brevis ævi curriculo concluſæ fructûs tantâ exſpectatione dignos non tulerunt.

S. Pontifex ob mœrorem prohibuit Bacchanalia. Dolorem indè correptum non tam literis conſolationis plenis ad *Wilbelmum* patrem ſcriptis, ſed & publico mœrore declaravit Pontifex, prohibitâ ob Principis obitum inopinatum Bacchanalium temulentâ per illos dies agitari ſolitorum laſciviâ.

Funus mortuo ſummâ magnificentiâ factum, & corpus ex patris voluntate, in æde B. *Mariæ*, quæ *Teutonicorum* dicitur, ex adverſo monumenti in dextro pariete S. P. *Hadriano VI. Ultrajectino* erecti, depoſitum eſt prid. Kal. Mart. ubi altero pòſt anno Parens *Wilbelmus* magnificum ex precioſis marmoribus ſepulchrum in ſiniſtro cellæ pariete exſtrui curavit. *Thuan. lib. 61.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A. C 1576.

JOH. ALBERTUS
DUX MEGAPOLITANUS.

ALberti filius, & *Magni* nepos fuit, qui æmulatione fratris *Ulrici* potiùs, quàm propriâ voluntate cum *Roſtochienſes* ſuperioribus annis & ipſe vexâſſet, facti invidiam poſteà inſigni liberalitate eluit, reſtitutâ Academiæ *Roſtochienſis* omninò collapsâ diſciplinâ, eâque Cœnobiorum vectigalibus, quæ alii Principes in privatos uſus vertunt, ampliſſimè dotatâ. *Academiæ Roſtoch. Patronus.*

Præcepit aliquando D. *Johanni Wigando*, Superintendenti *Wiſmarienſi*, ut poſt amicam inter ipſum & fratrem *Ulricum* tranſactionem *Roſtochii* concionem legalem haberet. Ibi cum *Wigandus* Magnatum peccata graviter taxâſſet, concione finitâ Conſiliarius quidam palpator Principi ſuaſor fuit, ut Doctorem illum, qui Concionem invectivam in Politicum Magiſtratum ſine ullâ fronte habuiſſet, puniret. Tum Princeps reſpondit: *Sibi Wigandi concionem mirum in modum placuiſſe, eumque ſe nunc plus amare, quàm anteà, ob candorem, qui pro ratione officii à Deo ſibi commiſſi coram & in os, quæ in magiſtratu ſuo deſideraret, dicere auſus eſſet.*

Deindè eidem mandavit, ut ſtatim nomine Principis *Wigando* pro Concione gratias ageret, & ſecum ad menſam ſuam adducat. Tum Paraſitus ille premens altum corde dolorem Ducis mandatum exequi coactus *Wigandum* ad prandium Principis invitatum adduxit.

Moritur. Vitâ deceſſit 12. Febr. A. C. 1576. ætatis 49.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A. C. 1576.

FRIDERICUS III.
SEPTEMVIR PALATINUS.

FIlius *Johannis*, Comitis *Palatini Simerenſis* & *Spanbeimenſis*, & *Eliſabethæ Philippi* Landgravii *Haſſiæ* filiæ. Natus 14. Febr. an. 1515. *Ottonis Henrici* ſine liberis defuncti ſucceſſor an. 1559. Princeps integritate, liberalitate, humanitate, beneficentiâ nulli ſuorum temporum inferior, de cœtero Confeſſionis, quam probabat, conſtans aſſertor, ob id Principibus & cœteris Imperii Ordinibus, apud quos tantùm *Auguſtanæ* Confeſſioni locus eſt, minus gratus. Siquidem is Confeſſionem *Helveticam* primus in *Germaniam* intulit, quam etiam *Gallicani* Proteſtantes amplectuntur, ideoque conſtanter & magno rerum ſuarum diſpendio cauſam Proteſtantium in *Galliâ* conſilio & auxiliis juvit, deſtinato altero ex filiis *Joh. Caſimiro*, qui cum auxiliari exercitu rebus eorum præſtò futurus, paulò ante patris obitum A. 1576. in *Galliam* venit. *Confeſſ. Helveticam primus in Germaniam introduxit.*

M. Aprili A. 1564. Hoc Electore cum *Chriſtophoro* Duce *Würtenbergico Maulbronnæ* præſentibus, Colloquium inter Theologos ipſorum de Ubiquitate & Cœnâ Domini habitum eſt, quod tamen in novas Theologorum digladiationes exiit. *In Colloquio Theol. Maulbronnæ præſens fuit.*

A. 1565. Gymnaſium *Neubuſianum* propè *Wormatiam* Deo & Muſis conſecravit, primo Rectore *Levino Clave Juliacenſi.* *Gymnaſium Neubuſianum fundavit.*

A. 1566. Cum in Comitiis *Auguſt. Vind.* ab Imp. *Maximil. II.* celebratis ipſi inſidiæ ſtruerentur, & de eo dignitate Electorali deturbando vel graviùs mulctando conſilia inirentur, ideoque multi illi iter id diſſuaderent, *Fridericus* bonâ causâ & conſcientiâ fretus 14. Maji venit *Auguſtam.*

Ibi in pleno Cæſaris & Principum conſeſſu, verba nomine Imperii faciente *Joh. Ulrico Zaſio* Procancellario, de novâ doctrinâ & Catechiſmo ab *Auguſt.* Confeſſione differente, in ditiones ſuas introductis graviter accuſatus, longâ & gravi oratione habitâ ſe purgavit, & tandem S. Biblia, quæ filius ipſius *Joh. Caſimirus* adſtans geſtavit, Cæſari porrexit, aſſerens, *Se veritati Divinæ libenter ceſſurum, ſi ex eo libro meliora doceri poſſit.* *Auguſtæ in Comitiis fidem ſuam defendit.*

Eâ oratione omnibus perculſis, *Carolus*, Marchio *Durlacenſis* ad Principes converſus dixit: *Quorſum hunc Principem divexamus, qui plus pietatis habet, quàm nos omnes.* Et *Auguſtus*, *Sax.* Elector ſurgens, humeros *Friderici* leniter percuſſit dicens: Friz / du biſt frömmer / dann wir alle miteinander. Cum poſteà Cæſari valedixiſſet, 24. Maji domum reverſus eſt.

A. 1573. Cum *Henricus*, *Andium* Dux, Rex *Poloniæ* electus per *Germaniam* iter haberet, in itinere apud *Fridericum* hunc *Heidelbergæ* diverterat; ubi hoſpiti Regi moleſtè accidit, quod cum per Porticum imaginibus Principum & virorum illuſtrium egregiè pictis ornatam illum *Palatinus*, antiquæ ſeveritatis vir & ab omni fuco alienus deduceret, de induſtriâ à tabulâ, in quâ *Caſpar Colinius*, Regni *Galliæ Admiralius*, anno prægreſſo *Lutetiæ* crudeliter occiſus, depictus erat, velum removeri juſſit, ſtatimque ſubjecit, *illum eſſe, quem ex omnibus Galliæ Proceribus cognoverit, maximè omnium Gallici nominis* *Ejus verba de Caſp. Colinio ad Henricum Pol. Regem.*

minis ſtudioſum, & *in quo Rex* & *tota Francia magnam* & *nunquàm ſarciendam jacturam fecerit*: quod, quoties repetebat, toties immanitatem ſimul & imprudentiam Regi *Carolo IX. Henrici* fratri, exprobrare videbatur: eoque minùs humanè cum tanto hoſpite exiſtimatus eſt agere, cum Rex intereà non occultam injuriam ſilentio affectato diſſimularet.

Sub hujus Electoris gubernatione *Caſp. Olevianus*, & *Zacharias Urſinus* Catechiſmum *Heidelberg.* elaborârunt.

Filius ejus in fluvio ſubmerſus.

1. Julii A. 1556. Filius ipſius *Hermannus Ludovicus*, in Academiâ *Bituricenſi* bonis literis operam dans, cum Præceptore ſuo, *Nicolao Judice, Hieron. Rechlingero*, patricio *Auguſtano, Johanne Bellovaco*, & ipſo nautâ, in trajectu *Avarici* inversâ naviculâ ſubmerſus obiit anno ætatis 15.

Alius in prælio occiſus.

A. 1574. Alter ipſius filius *Chriſtophorus* in Belgio contra *Hiſpanos* fortiter pugnans, unà cum *Henrico* & *Ludovico* Comitibus *Naſſoviis* occubuit, non procùl à *Neomago* anno ætatis 24.

Interrogatus aliquando, cur nullas in ditione ſuâ arces, nullaque contra hoſtis inſidias propugnacula exſtrueret? reſpondit: *Arx mihi nomen Domini eſt firmiſſima, ſubditi inſuper* & *milites mihi ſunt fideles, non armis tantùm, ſed precibus ut plurimùm ad Deum ardentibus, victoriam de hoſtibus reportaturi.*

Filio ſuo *Chriſtophoro* in *Belgium* cum auxiliaribus quibusdam militibus jamjam abiturienti, 12. ſequentes breves ordine propoſuit adhortationes:

1. *Sis pius, piasque manè* & *noctu ad Deum funde preces.*
2. *In omnibus tuis actionibus Deum memento eſſe præſentem, in ſecundis igitur, gratias ipſi redde, in adverſis verò non deſpera, ſed querelas ipſi tuas propone.*
3. *Tam proſperam quàm adverſam, à Deo proficiſci fortunam memento.*
4. *Divinas à te ſæpiùs transgreſſas eſſe leges agnoſce, firmiſſimè verò Chriſtum per mortem ſuam peccata tua jam deleviſſe, credens, ubique Jeſum tuum ob oculos tibi pone.*
5. *Superbiam fuge, honeſtè tamen vitam tranſige.*
6. *Sta omnibus promiſſis, mendaces enim Satanæ ſunt mancipia.*
7. *Caſta ſint verba, cogitationes tuæ* & *actiones.*
8. *Ne, fili, ſis audax in duellis, in prælio verò vitam potiùs quàm commilitones deſere.*
9. *Ut prodigalitatem, ſic* & *avaritiam abs te repelle.*
10. *Libentiſſimè cum piis eruditis, ut* & *fidelibus Eccleſiæ Paſtoribus familiaritatem alens, ſummis eos affice honoribus.*
11. *Ebrietatem cave fuge pejus* & *angue.*
12. *Subditorum præbe te Patrem, nec ullam unquàm exerce erga illos tyrannidem.*

Tertio ante beatum obitum die, ad circumſtantem quendam *Fridericus* in hæc erupit verba: *Sat hactenus vobis vixi, ut* & *mihi nunc vivam tempus eſt.*

Q. verba *Ciſnerus* ſequenti protere Diſtich.

S. vixi Patriæ, mundique pericla ſubivi,
[Qu]od ſupereſt, cupio vivere, Chriſte, tibi.

Helbergæ tandem fatis conceſſit 7. Kal. Novemb. A. C. 1576. ætatis 60. *Friderico Ludovicus* grandior natu filius in Septemviratu ſucceſſit, qui Confeſſionem *Auguſtanam* reſtituit, magno Imperii Ordinum plauſu, *Helveticæ* Confeſſionis Paſtoribus ditione ſua expulſis, qui *Neapolim Nemetum* in *Johanni Caſimiri* ditione receptum habuerunt. *Thuan. lib. 62.*

Moritur.

Fil. Ludovicus ſucceſſor Confeſſ. Auguſtanam reſtituit.

* *[E]x Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Ex Indice Chronologico Abrab. Bucholtzeri & *aliis.*

Ca[ſp.] Cunradus Med. D. *Proſopographiæ Melic. Millenar. II.* hoc fecit diſtichon Comi *Huldrico Fuggero*:

Terrus ut Paulus Papali frendeat ore !
[Fo]rtis grata tua eſt mi Friderice fides.

FIANCISCUS MOMMORANTIUS.

Obiit A. C. 1578.

A*nne* Regni *Gallici* Equitum Magiſtri filius, vir longè omnium Procerum, [qu]i tunc in aulâ *Henrici III. Galliæ* Regis erat, regiâ gratiâ digniſſimus, & in quo, [ſiv]e eximiam erga Deum ac Patriam pietatem, ſive animi magnitudinem, liberalitatem, fortitudinem, ingenium præſtans, & quocarum in illâ fortunâ non mediocribus [lit]eris inſtructum ſpectes, nihil deſiderare [p]oſſes, præter feliciora tempora & longiorem vitam.

Literis non mediocriter fuit inſtructus.

Ob antiquas familiarum æmulationes, quæ bellis civilibus occaſionem præbuiſſe dicuntur, *Lotharingis* infeſtus, quâ erat prudentiâ eorum conatibus magnâ ſe conſtantiâ initio oppoſuerat, ſpretiſque rumoribus & plebis gratiâ, quam factioſi ferè ſectantur, ut contra præpotentum inimicorum potentiam ſe muniret, *Ludovici Borbonii, Condæi*, & *Coliniorum* ſobrinorum ſuorum partes amplexus, ob id in multorum odium incurrerat, quaſi Proteſtantium cauſam foveret, ſummus alioqui Regiæ autoritatis vindex, quod cum *Carolum Lotharingum* Cardinalem, & *Henricum Guiſium* fratris filium annis prohibitis *Lutetiam* ingreſſuros, tanquàm Urbis & Provinciæ Præfectus faceſſere urbe coëgit, inſigni exemplo patuit.

Lotharingis infeſtus.

Quam injuriam cum ad animum revocâſſe *Lotharingos* appareret, tamen poſt emiſſum carcere *Mommorantium*, in quem à *Carolo IX.* Rege conjectus fuerat, ſincera inter eos reconciliatio ſecuta eſt: & cum paucis ante mortem menſibus *Mommorantius* in Regiâ, ubi diverſorium habebat, *Lutetiæ* ictu ſanguinis oppreſſus eſſet, *Guiſius* totâ nocte decumbentis lecto aſſedit, & omni officiorum genere benevolentiam erga eum teſtatus eſt.

In carcerem à Rege conjectus.

Mommorantio deindè ex eo morbo aliquantulùm convaleſcente, eum *Cantiliam* deportatum *Guiſius* & ſedulò inviſit, & omni

Digitized by Google

omni minimè fucati amoris ſigniatione, quanquàm conclamatâ jam ſalut proſecutus eſt. Indè cum paulò antè Auſtriâ, quo Regis juſſu ad *Provinciæ*. Coria, rebus ad motus internos ſpectantibu profectus fuerat, rediiſſet, in arce ſuâ *Eſcani* recurrente morbo oppreſſus, prid. N. Majas A.C. 1578, cum vix 50. ætatis anm attigiſſet, optimè meritam de Regno imam Deo reddidit. *Thuan.lib.68.*

Iliu ſanguinis oppreſſus obiit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à ôcken*,

Obiit A.C 1583.

LUDOVICUS V.
ELECTOR PALATINS.

NAtus eſt in oppido *Simmern*, *Palatinatûs* inf. Patre *Friderico III.* Electore *Palat.* Matre *Amâ Mariâ*, filiâ Caſimiri, Marchionis *Brandeburgici*, 4. Jul. A. 39.

Puer vixit aliquandiu in aulâ *Philiberti*, March. *Badenſis*, in quâ non minùs eâm in aulâ paternâ ad pietatis exercitia ura ſtudiaque liberalium artium aſſuefactueſt.

Literis operam dat. Ætate maturior miſſus à parentus *Dolam*, *Burgundiæ* in *Galliis* Academiam, in quâ præter literas humaniores linguam quoque *Gallicam* exactè didicit.

A. 1556. Principe *Ottone Henrico* ad Electoratus *Palat.* faſtigium evecto, ab eodem in aulam receptus eſt.

Nuptias celebrat. A. 1560. 8. Jul. Nuptias celebrat *Marpurgi cum Eliſabethâ*, *Philippi Haſſi. Landgravii* filiâ, ex quâ undecim liberos ſuſcepit, è quo tamen numero tres tantùm ſuperſtites reliquit.

Peractis nuptiis manſit aliquandiu cum conjuge in aulâ patris *Friderici* tm Electoris, indè translatus *Ambergam*, in *Palatinatum* ſup. ut parentis loco gubernationi præeſſet.

Fit Elector Palatinus. A. 1576. Poſt parentis obitum Electoratûs gubernationem ſuſcepit, in eoque fidem *Lutheranam* introduxit.

A. 1582. Duodecim Scholaſticos pauperes, qui ſingulis ſeptimanis oſtiatim Eleemoſynam colligebant, *Neccaricis* adjunxit, ac ut commodiùs cohabitare poſſent, Senatui *Heidelbergenſi* ad renovationem domûs 300. florenos donavit. Præterea ut neceſſaria ſuſtentatio illis non deeſſet, ordinavit, ut ſingulis annis die ſuo natali tot aurei nummi illis erogentur, quot annos natus eſſet.

Eodem anno *Volumen Conſtitutionum*, ſecundùm quas in totâ ditione ſuâ jus ſubditis diceretur, typis evulgari curavit, omnibusque Præfectis ac Magiſtratibus commendari.

Cum aliquando ſubditi feris ſe plurimùm gravari coram Principe quererentur, adjicientes, *niſi huic malo remedium in tempore adhiberet*, *amiſſurum eſſe preces ſubditorum*; è veſtigio reſpondit, *Malle ſe carne ferinâ carere*, *quàm ſubditorum preces amittere*: ſimulque mandatum dedit, ut feræ magno numero ſternerentur.

22. Junii A. 1583. Secundas nuptias celebravit cum *Annâ*, filiâ *Eſſardi*, Comitis *Friſiæ Orient.* & *Catharinæ*, *Guſtavi*, *Sueciæ* Regis filiæ. *Nuptiæ ejus ſecundæ.*

12. Octob. A. 1583. Corpore ſenſim extenuato, & viribus decreſcentibus placidè in verâ DEI invocatione obdormivit *Heidelbergæ*. *Moritur.*

LVDoVICVs *prInCeps paLatInVs eLeCtor DefVnCtVs eſt.*

1583.

Iſte pater patrIæ prInCeps obIIt LVDoVICVs,

CVI CorDI *IntegrItas reLLIgIonIs erat.*

* * *

Iſte paLatInæ LoDoVICVs *gLorIa gentIs*

OCCVbat, *oCtobrIs qVarta ter ItqVe DIes.*

* * *

In CIneres patrIæ pater, *heV heV trIſtIa fata*,

BIs *seXtâ oCtobrIs* LVC*e* CaDent*e* CaDIt.

* * *

LVX VbI *fVLsIsset bIs seXta oCtobrIs In aXe*,

ELeCtor rhenI DVX LVDoVICVs *obIIt.*

* * *

En paLatInVs erat qVI DVX LVDOVICVs *In aVLâ*

NVnC VIVIt *ChrIſto perfrVItVrqVe poLo.*

* * *

Intereant CasV bona VeL MaLa CVnCta repentè,

Et Verè Conſtans nIL VagVs orbIs habet.

In *Symbolum* ipſius:

OMNIA MUNDANA FLUXA.

NICOLAUS PONTANUS
DUX VENET.

Ob. A.C. 1585.

DUx hic *Gregorium XIII.* S.P. anno ætatis 83. defunctum 10. circiter annis anteibat, quoties aliqui recens *Venetiis* veniſſent *Romam*, diligenter de valetudine *Pontani* percontantem, ex quâ ſpem diuturnioris vitæ concipiebat.

Sextili menſe A.C. 1585. ætatis 73. deceſſit, integris adhûc corporis & animi viribus, ita ut Legatos publicè admittere & reſponſa dare ad ultimum vitæ ſpiritum nunquàm intermiſerit, Vir magnâ doctrinâ, & mirâ animi libertate præditus, quæ dignitatis & ætatis acceſſione ſemper in eo creverunt. *Obitus.* *Vir doctus.*

Cum igitur ſubortis inter Pontificem & Senatum de finibus controverſiis, ut ſæpè accidit, minæ ex Legatis Pontificiis audirentur,



Ludovicus VI. *Elector Palatinus.* — Nicolaus Pontan, *Dux Venetus.* — Iulius *Dux Brunſvicenſis* — Wilhelmus IV. *Landgravius Haſsiæ.*

Iohannes Georgi, *Elector Brandeburg.* — Philippus II. *Dux Pomeraniæ.* — Augustus, *Comes Palatinus Rheni.* — Georgius. *Dux Brunſvicenſis & Luneb*

Ludovicus. *Princeps Anhaltinus.* — Wilhelmus. *Dux Saxon. Vinarienſis.* — Augustus. *Dux Brunſvic. & Luneburg.* — Ernestus. III. *Dux Saxoniæ.*

Iohannes Picus *Mirandulæ Comes.* — Iacobus Fugger *Comes Kirchbergenſis.* — Hieronym. Fugger *Baro & Comes Rom. Imperij* — Thomas Cromwell, *Comes Eſsexiæ.*

C

Digitized by Google

rentur, quaſi Pontifex contra Senatum cenſuris acturus eſſet, ille ſtatim non conſulto Senatu reſpondit: *Cenſuram Pontificiam eſſe gladium vaginâ incluſum, qui temerè diſtringi non deberet, ne diſcerent homines contemnere ejusmodi telum, quod quia intempeſtivè miſſum eſſet, minus læderet.*

Feſtivum dictum de Papali excommunicatione.

Cum Legati nihilominus inſtarent, ille ſubjecit: *Verendum eſſe, ne qui Græci olim fuiſſent, è Latio in Græciam migrarent.*

Quod cum ad Pontificem perlatum eſſe reſciviſſet Senatus, dictum excuſavit, & ut ætati benè de Rep. alioqui meriti cives, & dignitate præcellentis viri id condonaretur à benignitate Pontificis petiit.

In ejus demortui locum *Venetiarum* Princeps creatus eſt *Paſchalis Ciconia*. *Thuan. lib. 81.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1586.

GALEACIUS CARACCIOLUS.

VIci Marchio, *Nicolaum Antonium* bellis ſub *Auraico* Principe in *Italiâ* celebrem patrem habuit, matrem *Petri Antonii Caraffæ*, qui *Paulus IV.* poſt adeptum Pontificatum dictus eſt, ſororem.

Victoriam, Ducis *Nucerini* filiam in uxorem duxerat, ex quâ numeroſam ſobolem ſuſtulit. Sed cum ſub id tempus *Petrus Martyr Vermilius Neapolim* veniſſet, & jam tum diſſeminatam in *Germaniâ* doctrinam fidis in arcano inſtillaret, in iis ſectatores habuit *Johannem Valdeſium Hiſpanum*, *Joh. Franciſcum Caſertum*, *Galeacio* affinitate conjunctum, & ipſum *Galeacium*, qui jam tum arctam cum M. *Antonio Flaminio*, *Victoriæ Columnæ*, *Joh. Vtuonii Piſcariæ* Marchionis viduæ perfamiliari, ob pietatis ſtudia amicitiam colebat, non quod *Flaminius* doctrinæ in cœteris illi addictus eſſet, ſed quod quædam ad juſtificationem pertinentia, & multa, quæ pravâ conſuetudine in Eccleſiam irrepſiſſe videbantur, emendari conſultum duceret.

Ad Proteſtantium religionem acceſſit.

Tandem à *Valdeſio* & *Vermilio* perſuaſus, & cum officii cauſâ in *Germaniam*, ut *Carolo V.* Cæſari inſerviret, veniſſet, *Argentinæ* convento eodem *Vermilio*, qui interim in *Germaniam* diſceſſerat, magis confirmatus *Genevam*, patre, conjuge, & liberis relictis conceſſit, poſtquàm aliquoties cum Patre primùm in *Italiâ*, & poſteà cum Patre ac Conjuge ſimul collocutus, nec illius reverentiâ, nec amore hujus, aut liberorum collo paterno hærentium blanditiis ac lachrymis adduci poſſet, ut propoſitum mutaret.

Genevam conceſſit.

Aliam uxorem duxit Genevæ.

Genevæ, quaſi uxor prima ſecum divortium feciſſet, aliam duxit A. 1560, primùm conſultis Paſtoribus, ſicut ſcribunt, qui res eas prodiderunt, *Annam Fremeieram* nomine, jam quadragenariam, quæ viro priore defuncto *Rotomago*, undè nata erat, ob religionis cauſam paulò antè migraverat, cum eâque in ſummâ tenuitate, quippè omnibus bonis dejectus, ad annum 68. ætatis conjunctiſſimè vixit, tandemque A. C. 1586. *Genevæ* procul à patriâ naturæ debitum perſolvit. *Thuan. lib. 58.*

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Cum Marchio hic *Neapoli Petrum Martyrem* audiviſſet concionantem ex 1. *Epiſt. Pauli ad Corinth.* de fallaciâ rationis humanæ in rebus ſpiritualibus, & virtutem veritatis Divinæ in timentibus Deum exaggerantem percepiſſet, additâ hâc ſimilitudine: *Si quis è loco longinquo ſaltantes homines viderit, nec Muſicæ ſonum audiverit, hos omnes eſſe fatuos exiſtimabit, ſi verò propiùs accedens tibiarum concentum auribus perceperit, adeò exindè delectabitur, ut & ipſi ſocium ſeſe præbere ſaltantibus deſiderabit: ita cum liberis Dei comparatum eſt &c.* His *Martyris* verbis adeò commotus fuit *Caracciolus*, ut ab eo tempore cogitationes omnes ad res ſpirituales direxerit.

* *Ex lib.* der Seelen Selbſt Streit *vocato D. Richardi Sibs Theol. Angli.*

JULIUS DUX BRUNSVICENSIS.

Obiit A.C. 1589.

NAtus die *Petri & Pauli* 29. Junii Anno 1528. Ditionem à Patre *Henrico* Juniore, Principe impacato, acceptam, in ſummâ tranquillitate rexit, & ex Martis officinâ eam in Muſarum domicilium transformavit, fundatâ *Helmſtadii* A. C. 1576. Academiâ, quam honorificis ornatam privilegiis & amplis vectigalibus locupletatam ex *Martini Chemnitii* conſilio ordinavit, Rectore primo ejus deſignato *Henrico Julio, Julii* filio, qui Idibus Octob. quæ illi natales erant, ludum aperuit.

Academiæ Helmſtad. fundator.

Henricus Julius Brunſvicenſis Dux Rector primus Helmſtad.

Berlini matrimonium iniit cum *Hedwige Marchioniſsâ Brandenburgicâ*, *Joachimi II.* Electoris filiâ 25. Febr. an. 1560. Hæc obiit 22. Octob. An. 1602.

A. 1553. Electus eſt Epiſcopus *Mindenſis*. Sed ob fratrum ſuorum in prœlio inter *Mauritium* & *Albertum Brandeburgicum* interitum eodem anno depoſuit gubernationem, & ei ſuffectus eſt *Georgius Brunſvigæ* Dux.

An. 1584. Civitatem propè arcem *Wolfferbytum* ædificare cœpit, quam à patre ſuo *Henrico* Heinrichſtadt nominavit, cui multa privilegia conceſſit.

Fatis tandem conceſſit *Julius* 3. Maji A. C. 1589. æt. 60. gubernationis 21.

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken, & aliis.*

FRANCISCUS COLINIUS CASTELLIONÆUS.

Obiit A.C. 1591.

CAſparis Galliæ Ammiralii filius in adoleſcentiâ magnam de ſe famam concitavit, ut ſi diutiùs vixiſſet, parentis avique gloriam bellicâ virtute partam ſuperaturus crederetur.

Juvenis bellicoſus.

Ad hæc erat in eo mira comitas, & re-

 rum,

Digitized by Google

rum, quæ ad militarem ſcientiam ſpectant, artiumque Mathematicarum exacta cognitio. Erat & machinarum fabricandarum apprimè peritus, ejusque induſtriæ *Autrici* expugnatio à Rege *Henrico IV.* debebatur.

Matheſeos peritus, & Architecturæ.

Tunc verò cum fatis conceſſit, navigationem in *Indias* magno ſtudio adornabat, quippe maris *Aquitanici* Præfectus, quam dignitatem Rex, ut gratum erga familiam animum teſtaretur, filiis conſervavit.

Maris Aquitanici Præfectus.

Ex *Margaritâ Dalliâ Piquiniâ* tres filios reliquit, Majorum virtutis hæredes, quorum *Henricus* grandior natu, cum jam magnam de ſe ſpem concitâſſet, Legionis in *Belgio* Præfectus in *Oſtendæ* defenſione occubuit.

Tres filios reliquit.

Ea mors dolorem ex *Franciſci Lanovii* morte conceptum in animo Regis renovavit, qui eodem ferè tempore duobus primariis belli ducibus orbatus, quaſi geminatâ clade vires ſuas non mediocriter imminutas ſenſit. Hic verò *Colinius* in arce ſuâ ad *Lupam* ex febre acutâ deceſſit A. C. 1591. annum 30. haud multùm ſupergreſſus. *Thuan. lib.* 102.

Eodem anno, quo Franc. Lanovius deceſſit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

WILHELMUS
HASSIÆ LANDGRAVIUS.

Obiit A.C. 1592.

PHilippi, qui bellum *Carolo V.* fecit, filius, Princeps ſummæ prudentiæ & æquitatis, adhæc Mathematicarum ſcientiarum peritus, quod ad æternitatem teſtabuntur in mortales his de rebus Epiſtolæ, à *Tychone Brahe* Nobili *Dano* poſt ejus obitum editæ.

Mathem. ſcientiarum peritus.

Cum *Garcæi* celeberrimi utpote Mathematici, opus ipſi monſtraretur, in quo author obitus *Wilhelmi* diem ultimum manifeſtis explicâſſet verbis: propriis ipſe in marginem adſcripſit manibus ex 31. Pſ. *Dav. In manibus tuis, Domine! ſtat conditio mea.*

A *Joh. Caſimiro* Comite *Palatino* cum *Beütrichius*, Doctor & Conſiliarius, ad *Wilhelmum*, ob certam pecuniæ copiam, eſſet miſſus, *Beütrichius* verò hanc longâ prolixâque oratione, multiſque titulorum ornamentis & præambulis petere vellet: *Wilhelmus* ſequentibus orationis interrupit curſum: *Vera hæc ſunt, mi Beütrichi! ſed quid plura, quæ petis?* *Beütrichius* orationis ſuæ hanc longam texturam Principis ad nauſeam usque jam fuiſſe moleſtam probè obſervans reſpondit: *Pecuniam, Clementiſſime Princeps! Quantam verò hujus ſummam?* Princeps reponit: *Beütrichius verò 100000. florenorum.* *Wilhelmus* Princeps: *Dimidia tibi petitionis porrigatur ſumma, mandabo.* Ad quæ verba *Beütrichius* ſtatim diſcedens humillimas clementiæ Principis egit gratias.

Cum verò ob incommodam corporis obeſitatem à repentinâ morte ſibi metueret, quâ erat pietate & imperterrito ad extrema animo, maturè condito teſtamento, quotidiè cum dormitum ibat, non ſolùm preces coram omni familiâ ad Deum concipiebat, ſed veniâ ab aſtantibus petitâ, quaſi ſingulis noctibus moriturus eſſet, ultimum amicis vale dicebat. Hunc morem toto decennio, antequàm moreretur, ſervavit.

Pietas ejus.

Ex *Sabinâ Wirtenbergicâ*, *Chriſtophori*, filii *Ludovici* ſorore reliquit unicum filium *Mauritium*, qui tunc aberat, & ipſum liberalibus artibus egregiè inſtructum, qui patris avique exemplo antiquam ex fœderatione amicitiam cum Gallis religioſè coluit.

Pater Mauritii.

Ipſe *Wilhelmus* ſexagenario major deceſſit *Caſellis* 25. Aug. A.C. 1592. gubernat. 25.

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES GEORGIUS
ELECTOR BRANDEBURG.

Obiit A.C. 1598.

JOachimi II. Electoris & *Magdalenæ*, *Georgii Barbati* Ducis *Saxoniæ* filiæ, filius, natus eſt an. 1525. 11. Septemb. *Onoltzbachii* in *Franconiâ*, fuit vir miti ingenio, qui Pacis tàm in Eccleſiâ quàm in Imperio colendæ & conſtituendæ ſummum deſiderium totâ vitâ præ ſe tulit, & illuſtrem familiam penè exſtinctam inſtauravit, dum ex tribus conjugibus 23. liberos progenuit, & raro exemplo pronepotes vidit.

Princeps pacis amans.

23 liberorum parens.

Tandem *Coloniæ* ad *Suevum* maturâ morte fato conceſſit, die 8. Januarii A. C. 1598. ætatis 73. Succeſſit ei in 7. viratu *Joach. Fridericus* filius, Adminiſtrator Archiepiſcopatûs *Magdeburg.* ex primâ uxore *Sophiâ Lignicenſi* ſuſceptus. *Thuan. lib.* 120.

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES VIVONIUS,
MARCHIO PISANII.

Obiit A.C. 1599.

EQues in *Galliâ* domi foriſque clariſſimus, ut priſcâ generis nobilitate, ſic pietate, eruditione, morum integritate totiusque vitæ ſplendore, inſuper fortitudinis militaris regionum exterarum, quas & per peregrinationes in adoleſcentiâ, & poſteà Legationibus honorificis ſub 4. *Galliæ* Regibus, *Franciſco II*, *Carolo IX*, *Henrico III* & *IV.* ſummâ fidei & ſolertiæ laude obitis luſtraverat, peritiâ cum paucis comparandus: demumque pueritiæ *Henrici Borbonii Condæi* Principis ab *Henrico IV.* Rege appoſitus, in eo munere aſſiduus tandem in eâ, quâ vixerat, pietate ac conſtantiâ defecit, dum in arce ſuâ *Sanmaurianâ* ſeu *Foſſatenſi* caſtro, tertio à *Lutetiâ* lapide Nonis Octob. A.C. 1599. ætatis 69. fatis conceſſit, ſuperſtite *Juliâ Savellâ*, patritiâ *Romanâ*, virilis animi & virtutis fœminâ, ex quâ *Catharinam* filiam reliquit. *Thuan. lib.* 122.

Quatuor Galliæ Regum Legatus.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

PHILIPPUS II.
DUX POMMERANIÆ.

Obiit A.C. 1618.

FIlius *Bogiſlai XIII.* ex *Clarâ*, *Franciſci* Ducis *Lauenburgici* filiâ natus eſt 28. Mart. A. C.

Digitized by Google

Princeps pius. A.C. 1573. Princeps pietate clarus, Conciones omnes ferè manu propriâ deſcripſit diebus Dominicis, & quò melius colere poſſet ſabbathum, vel prandio planè abſtinuit, vel juſculum tantùm comedit.

Antiquitatis amator. Antiquitatis & elegantiarum amator Librum peculiarem habuit, quo omnium ſui temporis Imperatorum, Regum & Electorum Chirographa cum eorum Inſignibus, Symbolis, & appictis figuris Biblicis collegit.

Fratrem habuit *Franciſcum*, Epiſcopum *Caminenſem*, A. 1610. deſponſatum cum *Sophia Chriſtiani I. Elect. Sax.* filiâ, & ſine liberis defunctum AC. 1620. ætatis 43.

Nuptias celebravit 8. Mart. A. C. 1607. cum *Sophiâ*, filiâ *Johannis* junioris, Ducis *Holſatiæ* in *Sonderburg*. ex quâ nullam ſuſce- *Moritur.* pit prolem, & obiit A.C. 1618. ætatis 44.

* *Ex variis authoribus.*

Obiit A.C. 1632.

AUGUSTUS
COMES PALATINUS RHENI.

FIlius tertius *Philippi Luvovici*, & *Annæ* Ducillæ *Juliacæ*.

Natus 2. Octob. A. 1582.

Studioſus Tubingenſis. A. 1599. In Univerſitatem *Tubingenſem* miſſus, ſtudia ſedulus tractavit, & Rector ſolenniter creatus eſt.

A. 1600. Domum revocatus annis ſeqq. per *Italiam*, *Galliam*, *Angliam*, *Sueciam* & *Daniam* peregrinatus eſt, linguas *Latinam*, *Gallicam* & *Italicam* perfectè, *Hiſpanicam* verò ex parte locutus.

In *Germaniam* reverſus, uno eodemque itinere 22. Procerum aulas viſitavit.

24. Sept. 1610. horâ 7. veſpert. *Heidelbergam* ad portam *Spirenſem* venit, interrogatus, veniretné ut *Palatinus* agnatus, an verò, ut Patris nomine *Palatinatûs* adminiſtrationem affectans? cum hoc poſterius affirmâſſet, excluſus eſt.

A. 1615. Ditionis hæreditariæ regimen ſuſcepit, Eccleſiam Evangelicam inſtituit, *Sulsbaci* ſcholam ad formam Gymnaſii erexit.

Sponſalia celebrat. 2. Julii an. 1620. *Huſumi* in *Holſatiâ* ſponſalia celebravit cum *Hedwige*, Duciſsâ *Holſatâ*, Ducis *Joh. Adolphi* filiâ, quæ *Noribergæ* obiit. Apr. an. 1657.

Cum eâ 12. conjugii annorum ſpatio liberos generavit:

Chriſtianum Auguſtum ſucceſſorem.

Adolphum Fridericum nat. 1623. mort. a. ſeq.

Johannem Ludovicum mil. *Suec.* Ducem, *Noribergæ* febri malignâ extinctum Oct. an. 1649.

Philippum, etiam *Suecis* militantem.

Annam Sophiam.

Auguſtam Sophiam.

Dorotheam Suſannam. nat. 1631. mort. A. ſeq.

Ex his filios *Chriſt. Aug.* & *Joh. Ludovicum* juvenes in *Holſatiam* ad aviam viduam in Religione Evangelicâ educandos ſecum deduxit, iter ingreſſus 2. Septembr. A. 1631. Cum an. 1626. ipſo fruſtrà repugnante in totâ ipſius ditione Religio Papiſtica fuiſſet introducta.

Anno 1632. ex *Holſatiâ* reverſus Regi *Sueciæ Guſtavo Adolpho* ſeſe conjunxit, ab eoque in honore habitus eſt ob raras animi dotes.

Ab eodem M. Jul. Legatus ad Electorem *Sax.* miſſus eſt. In reditu 5. Aug. *Kitzingæ* malè ſe habere cœpit. Indè *Winsbemium* deductus, ibi febre malignâ indies auctâ convulſionibus acced. extinctus eſt 14. Aug. *Moritur.* an. 1632. ætat. 49.

GEORGIUS DUX BRUNSVICENSIS ET LUNÆBURG.

Obiit A.C. 1641.

NAtus 17. Febr. A. 1582.

Patre *Guilielmo.*

Matre *Dorotheâ* filiâ *Chriſtiani III.* Regis *Daniæ*.

Avum habuit *Erneſtum*, qui A. 1530. *Auguſtanam* Confeſſionem Imp. *Carolo V.* cum aliis Imperii Principibus obtulit: Proavum *Henricum*, Abavum *Ottonem*.

A. 1591. In Univerſitatem *Jenenſem* miſ- *Literis operam dat Jenæ.* ſus, ibi literis operam dedit usque ad A. 1596, à quo in variis Electorum ac Principum aulis vitam tranſegit usque ad An. 1601.

Ab A. 1604. ad 1610. Per *Hollandiam*, *Belgium*, *Galliam*, *Angliam*, *Italiam*, *Siciliam*, *Maltam* usque peregrinatus eſt.

A. 1611. Inter Reges *Daniæ* & *Sueciæ* gravi bello exorto, ſub prioris exercitu Ducem primò, poſteà Generalem Vigiliar. Præfectum egit, & militis generoſi functus eſt officio usque ad finem A. 1612.

A. 1617. Dec. *Darmſtadii* ſponſalia ſolen- *Sponſalia celebrat.* niter celebravit cum *Annâ Eleonorâ*, *Ludovici*, Landgravii *Haſſiæ* filiâ. Ex hâc liberos ſuſcepit:

Magdalenam horis paucis poſt partum mortuam.

Chriſtianum Ludovicum.

Georgium Wilhelmum.

Johannem Fridericum.

Sophiam Amaliam.

Erneſtum Auguſtum eodem partu in lucem editum cum

Dorothea Magdalenâ, quæ unum tantum annum vixit.

A. 1619. *Brunſvici* à Principibus *Saxoniæ* inf. Generalis mil. Dux ordinatus, munere ſuo cum laude functus eſt ad A. usque 1624.

A. 1625. Militiæ Cæſareæ ſe dedens, duarum primò, poſteà 17. legionum Dux factus, in eo officio permanſit ad A. 1628.

A. 1631. Fœderi *Lipſienſi* Elector. Principum, & Statuum Imperii aſſociatus.

A. 1633. 28 Junii. Generalis exercitûs peculiaris in *Sax.* inf. ad *Oldendorffium* prœlio commiſſo inſigni victoriâ potitus eſt ad 9000. ex hoſtibus deſideratis.

2. April. A. 1641. Cum à 18. Januar. variis

Digitized by Google

Moritur riis morbis afflictus fuiſſet, viribus tandem evaneſcentibus placidè in Deo obdormivit A. Æt. 59.

16. Maji A. 1643. Concionem funebrem habente D. *Mich. Waltbero* Gener. Superintendente *Brunſv.* ſolennibus ceremoniis ſepultus eſt in Templo *Cellenſi*.

Obiit A. C. 1642.

WILHELMUS DUX
BRUNSVICENSIS ET LUNÆBURGENSIS.

Filius *Ottonis* & *Hedwigæ*, Comitiſſæ *Friſiæ Orientalis*.

Natus 15. Martii A. 1564.

Roſtochii literis operam dat. A. 1575. *Roſtochium* ſtudiorum gratiâ miſſus, in ædibus *Joh. Caſelii* Prof. habitavit, ejusque lectiones publicas diligenter audivit. Eodem Anno Rector Univerſ. electus tres Orationes diverſo tempore in magnâ auditorum frequentiâ memoriter recitavit.

A. 1579. *Lipſiam* ſe conferens, ſtudiis ibidem Arithmetices præſertim incubuit.

Ab A. 1582. ad 1584. In *Galliâ* commoratus, linguam adeò perfectè didicit, ut à multis pro *Gallo* naturali habitus fuerit. An. ſeq. *Angliam* viſitavit.

A. 1594. & ſeqq. *Germaniam, Churlandiam, Livoniam, Poloniam, Italiam, Hollandiam* & *Daniam* perluſtravit, quæque paſſim notatu digna conſpexit, manu propriâ annotavit.

A. 1599. *Hungariam* ad *Comorram* usque peragravit.

A. 1603. Cum fratre *Chriſtophoro* ditiones ſitas gubernare cepit. Hoc verò An. 1606. 7. Julii vitâ defuncto, regimen ſolus ſuſcepit.

Moritur. Tandem placidè in Chriſto exſpiravit 30. Martii A. 1642. Æt. 78. In Templo *Cellenſi* unà cum Duce *Georgio* ſepultus A. ſeq.

Scripta. Speculum fuit Principis *Chriſtiani*, qui præter alias ſcientias in Theologiâ adeò verſatus eſt, ut in diverſis Fidei articulis Tractatûs varios Latinâ & Germ. linguâ manu propriâ conſcriptos reliquerit.

Obiit A. C. 1650.

LUDOVICUS
PRINCEPS ANHALTINUS.

Majores ejus. Joachimi *Erneſti*, Principis *Anhaltini* ex *Eleonorâ, Chriſtophori*, Ducis *Wirtenbergici* Filiâ filius, *Johannis II.* Nepos, *Erneſti* Pronepos, *Georgii* Senioris Abnepos, *Sigismundi* Adnepos, *Johannis I.* Trinepos &c. natus eſt *Deſſaviæ* die 17. Junii, A. C. 1579.

Chriſto per Baptiſmum cum fuiſſet oblatus, primisque vitæ annis pietatis fundamenta jeciſſet, aliisque Principe dignis Artibus atque Linguis operatus regendæ Publicæ rei ſe natum didiciſſet, ſuadente Fratre natu majori *Joh. Georgio*, extra natale ſolum pedem ferre geſtiit A. C. 1596, ætatis 17, & totum ferè decennium peregrinationibus exegit, quo florentiores *Germaniæ* *Peregrinatio ejus decennalis.* Provincias, *Belgium, Angliam, Galliam, Italiam, Siciliam, Maltam, Hungariam, Bohemiam* &c. peragravit, Populorum mores, jura linguasque didicit, cum Imperatoribus, Regibus, Archiducibus, Magno Duce *Hetruriæ*, aliisque Principibus *Germaniæ*, *Galliæ*, & *Italiæ* converſatus. Undè aureum prudentiæ politicæ vellus in *Anhaltinatum* retulit.

A. 1606. ad Principatûs ſui ſedere clavum cœpit, & poſthabitis ferè omnibus aliis, quæ Principibus familiares eſſe ſolent recreationibus, curas omnes in Principis officium impendit.

Quamvis autem legendis & in linguam vernaculam vertendis Theologorum, Hiſtoricorum, & Politicorum ſcriptis *Latinis, Italicis*, & *Gallicis* multum impenderit temporis, immortalemque nominis memoriam (typis enim deſcripta extant pleraque) ſibi pepererit; tamen non tàm animus ipſi fuit ſuæ velificari gloriæ, quàm ſalutaribus monitis Publicæ Rei prodeſſe, exemploque inſigni Rerum publicarum Rectoribus præire. *Lucubrationes ejus.*

Hæ curæ privatæ non abſtraxêre animum Principis laborioſi à curis publicis & Principatûs ſui ſalute.

Currenti juſtitiæ remoram injici non eſt paſſus, neque dictari ſententiam alicujus momenti voluit, quam ipſe ab omni partium ſtudio alienus non approbâſſet. *Virtutes ejus.*

Pro ſalute ſuorum tempore quo bellici furores in Principatûs *Anhaltini* viſcera ſævierunt, latus objecit ſuum Patriæ Pater: & ne quid detrimenti caperet ſincera Religio, ſedulò cavit acerrimus Orthodoxiæ vindex.

Hæc in rebus præclarè gerendis dexteritas optimo Principi labores auxit domi forisque, quando legationibus graviſſimis ad Imperatores & Reges Domûs *Anhaltinæ* nomine ipſum fungi oportuit, & *Guſtavo Adolpho, Suecorum* Regi Magno ipſum ita commendavit, ut terræ *Magdeburgenſis* & *Halberſtadienſis* Adminiſtratorem eſſe durante bello voluerit. *Legationes ad Impp. & Reges obivit. Adminiſtrator Magdeburg. & Halberſtad.*

Neque ſubſtitit hìc de *Germaniâ* præclarè merendi ſtudium. Acceſſit ad id *Germanicæ* linguæ excolendæ ſuæque puritati reſtituendæ ingens deſiderium & conatus. Cum autem tot domare monſtra & tot annorum lapſu corrupta reſtaurare omnia unius non eſſe hominis indulgeret, ſocios ſibi delegit, & illuſtri Frugiferæ Sodalitatis Ordini, primus ejusdem ipſe Præſes A. C. 1617. conſtitutus, (quem ſi linguam ſpectes *Teutonicam*, ejusque excolendæ ſtudium jure merito *Teutonicum* dixeris) inſeruit viros Principes, nobiles, & literatiſſimos, cum quibus hoſtes *Germanicæ* linguæ feliciter adortus eſt, & trophæa de iis per totam *Germaniam* ſtuduit, nunquàm intermorituræ futura gloriæ monumenta. *Primus Societ. frugiferæ Præſes.*

Sub Regiminis in Principatu patrio Initium A. C. 1606, die 20. Oct. primum iniit con-

Conjugium ejus duplex, & Liberi. conjugium cum *Amœnâ Ameliâ*, Dom. *Arnoldi*, Comit. *Bentheim.* filiâ, è quâ anno altero filium ſuſcepit *Ludovicum*, anno tertio filiam *Loyſam Amœnam.*

Magna hæc fuere gaudia, ſed minus durabilia. Nam ad ſedes beatas abiit Filius, magnæ ſpei Princeps, anno ætatis 17. quem mox ſecuta Filia, & Mater quoque A. 1625. quæ, præter vernaculam, trium linguarum *Hebraicæ, Italicæ* & *Gallicæ* perita fuit.

Triſtem hanc viduitatem ut eluctaretur, ad ſecunda tranſiit vota A. 1626. cum *Sophiâ*, Dom. *Simonis* Comitis *Lippienſis* filiâ, quæ Filiam ipſi peperit *Ameliam Loyſam* 29. Jul. A. 1634. & Filium *Wilhelmum Ludovicum* 3. Aug. An. 1638. Illa ſeq. ſtatim anno mortalitati debitum exolvit, Hic Dom. Patri ſuperſtes magnam de ſe ſpem Principatui & ſubditis dedit.

Vitæ exitus. Vitæ finis optimi Principis Jubilæum à nato Chriſto 33. attigit a. ætatis 71. adeòque co͞munem humanæ vitæ limitem tranſgreſſus eſt, ad mortem feſtinante vitâ ſub anni 1650. initium. Morbus ferè alius nullus fuit præter ſenectutem, cui multis fatigatum & fractum laboribus corpus obtulit, quod ferre ſenectutis incommoda diutius non potuit.

Ultimus, quem in terris hiſce exegit, vitæ dies Januarii ſeptimus fuit, cujus horis antemeridianis ad Principes exaratas literas ſubſcripſit, deliberata & in curiâ literis conſignata perlegit, & expedienda miniſtris dictavit.

Indè ad prandium in Cubiculo Conjugis ſe contulit, quamvis reſpirandi nonnihil invaluerit difficultas. A prandio exiguo tempore quieti conceſſo in ſuum conclave rediit, & circa ſextam veſpertinam ad cœnam ſe accinxit, ubi mutationem majorem ſenſit, naturâ cibos faſtidiente, manuque officium negante.

Undè ſublatis in ſublime oculis manibusque Dei imploravit auxilium, & mox ad menſam laboribus deſtinatam tetendit, accurrentibus Conſiliariis & ipſo Medico nutantem Principem ſublevantibus, poſteà ad cubiculum deducentibus: in cujus limine circa ſeptimam veſpertinam placidè exſpi-
Moritur. ravit 7. Jan. A.C. 1650. æt. 71. die 14. Febr. ſeq. mortales exuvias in ſarcophago condi
Exequiæ. curavit. Vidua *Sophia* cum filio *Wilhelmo Ludovico*, Exequias euntibus Illuſtriſſimis Principib9 *Anhaltinis*, Dn. *Auguſto* Fratre, Dn. *Joh. Caſimiro*, Dn. *Chriſtiano*, Dn. *Friderico*, Dn. *Johanne*, Dn. *Erneſto Gotliebio*, Dn. *Lebrechto*, Dn. *Joh. Georgio*, Dn. *Emanuele*, Dn. *Victore Amadeo*, Dn. *Carolo Urſino*, & Dn. *Wilhelmo* &c.

* *Ex Oratione Panegyricâ Marci Friderici Wendelini, Gymnaſii Anhalt. Rectoris.*

Fundatio Societatis frugiferæ. Cum in arce *Vinarienſi Hornſtein* 24. Aug. A. C. 1617. funeris cujusdam gratiâ conveniſſent *Joh. Erneſtus* junior, *Fridericus*, & *Wilhelmus*, Duces *Saxoniæ Vinarienſes* fratres, *Ludovicus* & *Joh. Caſimirus* Principes *Anhaltini*, *Theodoricus* à *Werder*, Colonellus, *Fridericus Koſpoth*, Conſiliar. *Vinar. Caſpar* à *Teutleben* Aulæ *Sax. Vinar.* Magiſter, & *Chriſtophorus* à *Kroſig*; *Teutlebius* inter alios Convivii ſermones de Societatibus in plerisque urbibus *Italiæ* frequentibus, quibus adoleſcẽtes ad virtutes excolendas inſtigarentur, ſententiam ſuam propoſuit de tali Societate in *Germaniâ* erigendâ, quâ mediante Lingua materna priſtino nitori reſtitui poſſet. Propoſitum hoc mox *Ludovicus* Princeps *Anhaltinus* inter cœteros ætate & erudit one eminens laudavit, & cum reliquis aſſenſum dedit, ut quamprimùm Societas hujusmodi ſtabiliretur, cui Princeps eruditus præficeretur, & quæ pro Symbolo gereret *Palmam frugiferam*, cum Inſcriptione: **Alles zum Nutzen.** Tunc *Teutlebio* primus in hac Societate locus eſt datus, ejusque primus Præſes factus eſt *Ludovicus Princeps Anhaltinus.*

* *Ex Lib. Germ. Georg. Neumark de Soc. frug.*

AUGUSTUS PRINCEPS ANHALTINUS.

Obiit A.C. 1653.

NAtus eſt 13. Julii A. C. 1575. Patre Dom. *Joachimo Erneſto*, ſolototius territorii *Anhaltini* Domino, Matre *Eleonorâ, Chriſtophori*, Ducis *Würtenbergici*, filia.

Chimiæ amator. Literis humanioribus à pueritiâ excultus, Artis præſertim Chymicę ſtudiis delectatus eſt. Adoleſcens per *Italiam* & *Galliam* peregrinatus, aulam quoque Cæſaris *Rudolphi II.* acceſſit, qui Principem hunc, admodùm dilexit eique varias conditiones obtulit, quas tamen modeſtè recuſavit. Verſatus etiam aliquandiu in aulâ Johannis Georgii Electoris *Brandeburgici*, qui ſenex jam Principis hujus adhùc juvenis conſilia ſæpiùs requiſivit. *Imp. Rudolpho II. charus, & Joh. Georgio Elect. Brand.*

Deſponſatus. A. 1618. 5. Nov. ſolenniter deſponſatus eſt cum *Sibyllâ, Joh. Georgii*, Com. *Solmenſis* filiâ, ex quâ 3. filios ſuperſtites reliquit: *Erneſtum Gotliebium, Lebrechtum*, & *Immanuelem*, & 3. filias *Johannam, Sophiam*, & *Eliſabetham*: duas verò filias *Dorotheam*, & *Ehrenpreis*, in infantiâ demortuas præmiſit.

Director ditionum Anhalt. Principum *Anhaltinorum* ſenior, & tandem, poſt obitum fratrum, nepotum tutelam ſuſcipiens, omnium quoque ditionum *Anhaltinarum* Director ſupremus fuit conſtitutus.

Mor. calculi dolore. Corpore ſano & firmo nec morbis obnoxio præditus, ultimo demùm vitæ anno doloribus nephriticis gravibus correptus, poſtquàm calculos aliquot cum ſummo dolore & ſanguinis hæmorrhagiâ excreviſſet, uno tandem calculo magno nimium in viis ſubſiſtente nec exitum habente, inter dolores acerbos & preces ad DEUM ardentes ſpiritum emiſit 22. Aug. A.C. 1653. æt. 78. *Plötzgaviæ* ſepultus.

* *Ex Concione funebri Rudolphi Stubenrauch Eccleſ. miniſtri.*

Societatis frugiferæ cum fuiſſet membrum, nomen habuit, **der Sieghaffte.** In ſenio Chymicis laboribus animũ oblectans, medicamenta varia morbis exſtirpandis ſalutaria manibus ſuis elaboravit, & eam ob cauſam cum D. *Caſp. Hornio*, & D. *Jano Conrado Rumelio*, Collegiĩ *Norimberg.* Medicis, frequens habuit literarum commercium.

reddidit, cum vix 20. annos exegiſſet, Princeps rarâ indole & virtutibus, quæ brevis ævi curriculo concluſæ fructûs tantâ exſpectatione dignos non tulerunt.

S. Pontifex ob mœrorem prohibuit Bacchanalia.

Dolorem indè correptum non tam literis conſolationis plenis ad *Wilbelmum* patrem ſcriptis, ſed & publico mœrore declaravit Pontifex, prohibitâ ob Principis obitum inopinatum Bacchanalium temulentâ per illos dies agitari ſolitorum laſciviâ.

Funus mortuo ſummâ magnificentiâ factum, & corpus ex patris voluntate, in æde B. *Mariæ*, quæ *Teutonicorum* dicitur, ex adverſo monumenti in dextro pariete S. P. *Hadriano VI. Ultrajectino* erecti, depoſitum eſt prid. Kal. Mart. ubi altero poſt anno Parens *Wilhelmus* magnificum ex precioſis marmoribus ſepulchrum in ſiniſtro cellæ pariete exſtrui curavit. *Thuan. lib. 61.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A. C. 1576.

JOH. ALBERTUS
DUX MEGAPOLITANUS.

ALberti filius, & *Magni* nepos fuit, qui æmulatione fratris *Ulrici* potiùs, quàm propriâ voluntate cum *Roſtochienſes* ſuperioribus annis & ipſe vexâſſet, facti invidiam poſteà inſigni liberalitate eluit, reſtitutâ Academiæ *Roſtochienſis* omninò collapsâ diſciplinâ, eâque Cœnobiorum vectigalibus, quæ alii Principes in privatos uſus vertunt, ampliſſimè dotatâ.

Academiæ Roſtoch. Patronus.

Præcepit aliquando D. *Johanni Wigando*, Superintendenti *Wiſmarienſi*, ut poſt amicam inter ipſum & fratrem *Ulricum* tranſactionem *Roſtochii* concionem legalem haberet. Ibi cum *Wigandus* Magnatum peccata graviter taxâſſet, concione finitâ Conſiliarius quidam palpator Principi ſuaſor fuit, ut Doctorem illum, qui Concionem invectivam in Politicum Magiſtratum ſine ullâ fronte habuiſſet, puniret. Tum Princeps reſpondit: *Sibi Wigandi concionem mirum in modum placuiſſe, eumque ſe nunc plus amare, quàm anteà, ob candorem, qui pro ratione officii à Deo ſibi commiſſi coram [illegible] inos, quæ in magiſtratu ſuo deſideraret, dicere auſus eſſet.*

Deindè eidem mandavit, ut ſtatim nomine Principis *Wigando* pro Concione gratias ageret, & ſecum ad menſam ſuam adducat. Tum Paraſitus ille premens altum corde dolorem Ducis mandatum exequi coactus *Wigandum* ad prandium Principis invitatum adduxit.

Moritur.

Vitâ deceſſit 12. Febr. A. C. 1576. ætatis 49.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A. C. 1576.

FRIDERICUS III.
SEPTEMVIR PALATINUS.

FIlius *Johannis*, Comitis *Palatini Simerenſis* & *Spanheimenſis*, & *Eliſabethæ Philippi* Landgravii *Haſſiæ* filiæ. Natus 14. Febr. an. 1515. *Ottonis Henrici* ſine liberis defuncti ſucceſſor an. 1559. Princeps integritate, liberalitate, humanitate, beneficentiâ nulli ſuorum temporum inferior, de cœtero Confeſſionis, quam probabat, conſtans aſſertor, ob id Principibus & cœteris Imperii Ordinibus, apud quos tantùm *Auguſtanæ* Confeſſioni locus eſt, minus gratus. Siquidem is Confeſſionem *Helveticam* primus in *Germaniam* intulit, quam etiam *Gallicani* Proteſtantes amplectuntur, ideoque conſtanter & magno rerum ſuarum diſpendio cauſam Proteſtantium in *Galliâ* conſilio & auxiliis juvit, deſtinato altero ex filiis *Joh. Caſimiro*, qui cum auxiliari exercitu rebus eorum præſtò futurus, paulò ante patris obitum A. 1576. in *Galliam* venit.

Confeſſ. Helveticam primus in Germaniam introduxit.

M. Aprili A. 1564. Hoc Electore cum *Chriſtophoro* Duce *Würtenbergico Maulbronnæ* præſentibus, Colloquium inter Theologos ipſorum de Ubiquitate & Cœnâ Domini habitum eſt, quod tamen in novas Theologorum digladiationes exiit.

In Colloquio Theol. Maulbronnæ præſens fuit.

A. 1565. Gymnaſium *Neubuſianum* propè *Wormatiam* Deo & Muſis conſecravit, primo Rectore *Levino Clave Juliacenſi*.

Gymnaſium Neubuſianum fundavit.

A. 1566. Cum in Comitiis *Auguſt. Vind.* ab Imp. *Maximil. II.* celebratis ipſi inſidiæ ſtruerentur, & de eo dignitate Electorali deturbando vel graviùs mulctando conſilia inirentur, ideoque multi illi iter id diſſuaderent, *Fridericus* bonâ causâ & conſcientiâ fretus 14. Maji venit *Auguſtam*.

Ibi in pleno Cæſaris & Principum conſeſſu, verba nomine Imperii faciente *Joh. Ulrico Zaſio* Procancellario, de novâ doctrinâ & Catechiſmo ab *Auguſt.* Confeſſione differente, in ditiones ſuas introductis graviter accuſatus, longâ & gravi oratione habitâ ſe purgavit, & tandem S. Biblia, quæ filius ipſius *Joh. Caſimirus* adſtans geſtavit, Cæſari porrexit, aſſerens, *Se veritati Divinæ libenter ceſſurum, ſi ex eo libro meliora doceri poſſit.*

Auguſtæ in Comitiis fidem ſuam defendit.

Eâ oratione omnibus perculſis, *Carolus*, Marchio *Durlacenſis* ad Principes converſus dixit: *Quorſum hunc Principem divexamus, qui plus pietatis habet, quàm nos omnes.* Et *Auguſtus*, *Sax.* Elector ſurgens, humeros *Friderici* leniter percuſſit dicens: **Friz / du biſt frömmer / dann wir alle miteinander.** Cum poſteà Cæſari valedixiſſet, 24. Maji domum reverſus eſt.

A. 1573. Cum *Henricus*, *Andium* Dux, Rex *Poloniæ* electus per *Germaniam* iter haberet, in itinere apud *Fridericum* hunc *Heidelbergæ* diverterat; ubi hoſpiti Regi moleſtè accidit, quod cum per Porticum imaginibus Principum & virorum illuſtrium egregiè pictis ornatam illum *Palatinus*, antiquæ ſeveritatis vir & ab omni fuco alienus deduceret, de induſtriâ à tabulâ, in quâ *Caſpar Colinius*, Regni *Galliæ Admiralius*, anno prægreſſo *Lutetiæ* crudeliter occiſus, depictus erat, velum removeri juſſit, ſtatimque ſubjecit, *illum eſſe, quem ex omnibus Galliæ Proceribus cognoverit, maximè omnium Gallici nominis*

Ejus verba de Caſp. Colinio ad Henricum Pol. Regem.

minis ſtudioſum, & in quo Rex & tota Francia magnam & nunquàm ſarciendam jacturam fecerit: quod, quoties repetebat, toties immanitatem ſimul & imprudentiam Regi *Carolo IX. Henrici* fratri, exprobrare videbatur: eoque minùs humanè cum tanto hoſpite exiſtimatus eſt agere, cum Rex intereà non occultam injuriam ſilentio affectato diſſimularet.

Sub hujus Electoris gubernatione *Caſp. Olevianus*, & *Zacharias Urſinus* Catechiſmum *Heidelberg.* elaborârunt.

Filius ejus in fluvio ſubmerſus. 1. Julii A. 1556. Filius ipſius *Hermannus Ludovicus*, in Academiâ *Bituricenſi* bonis literis operam dans, cum Præceptore ſuo, *Nicolao Judice, Hieron. Rechlingero*, patricio *Auguſtano, Johanne Bellovéo*, & ipſo nautâ, in trajectu *Avarici* inversâ naviculâ ſubmerſus obiit anno ætatis 15.

Alius in prœlio occiſus. A. 1574. Alter ipſius filius *Chriſtophorus* in Belgio contra *Hiſpanos* fortiter pugnans, unà cum *Henrico* & *Ludovico* Comitibus *Naſſoviis* occubuit, non procùl à *Neomago* anno ætatis 24.

Interrogatus aliquando, cur nullas in ditione ſuâ arces, nullaque contra hoſtis inſidias propugnacula exſtrueret? reſpondit: *Arx mihi nomen Domini eſt firmiſſima, ſubditi inſuper & milites mihi ſunt fideles, non armis tantùm, ſed precibus ut plurimùm ad Deum ardentibus, victoriam de hoſtibus reportaturi.*

Filio ſuo *Chriſtophoro* in *Belgium* cum auxiliaribus quibusdam militibus jamjam abiturienti, 12. ſequentes breves ordine propoſuit adhortationes:

1. *Sis pius, plasque manè & noctu ad Deum funde preces.*

2. *In omnibus tuis actionibus Deum memento eſſe præſentem, in ſecundis igitur, gratias ipſi redde, in adverſis verò non deſpera, ſed querelas ipſi tuas propone.*

3. *Tam proſperam quàm adverſam, à Deo proficiſci fortunam memento.*

4. *Divinas à te ſæpiùs transgreſſas eſſe leges agnoſce, firmiſſimè verò Chriſtum per mortem ſuam peccata tua jam deleviſſe, credens, ubique Jeſum tuum ob oculos tibi pone.*

5. *Superbiam fuge, honeſtè tamen vitam tranſige.*

6. *Sta omnibus promiſſis, mendaces enim Satanæ ſunt mancipia.*

7. *Caſta ſint verba, cogitationes tuæ & actiones.*

8. *Ne, fili! ſis audax in duellis, in prœlio verò vitam potiùs quàm commilitones deſere.*

9. *Ut prodigalitatem, ſic & avaritiam abs te repelle.*

10. *Libentiſſimè cum piis eruditis, ut & fidelibus Eccleſiæ Paſtoribus familiaritatem alens, ſummis eos affice honoribus.*

11. *Ebrietatem cave fuge pejus & angue.*

12. *Subditorum præbe te Patrem, nec ullam unquàm exerce erga illos tyrannidem.*

Tertio ante beatum obitum die, ad circumſtantem quendam *Fridericus* in hæc erupit verba: *Sat hactenus vobis vixi, ut & mihi nunc vivam tempus eſt.*

Quæ verba *Ciſnerus* ſequenti profert Diſticho:

Sat vixi Patriæ, mundique pericla ſubivi,
Quod ſupereſt, cupio vivere, Chriſte, tibi.

Heidelbergæ tandem fatis conceſſit 7. Kal. Novemb. A. C. 1576. ætatis 60. *Friderico* Ludovicus grandior natu filius in Septemviratu ſucceſſit, qui Confeſſionem *Auguſtanam* reſtituit, magno Imperii Ordinum plauſu, *Helveticæ* Confeſſionis Paſtoribus ditione ſua expulſis, qui *Neapolim Nemetum* in *Johannis Caſimiri* ditione receptum habuerunt. *Thuan. lib. 62.* *Moritur. Fil. Ludovicus ſucceſſor Confeſſ. Auguſtanam reſtituit.*

* Ex *Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Ex *Indice Chronologico Abrah. Bucholtzeri & aliis.*

Conr. Cunradus Med. D. *Proſopographiæ Melic. Millenar. II.* hoc fecit diſtichon Comiti *Huldrico Fuggero*:

Tempus ut Paulus Papali frendeat ore!
Gratia grata tua eſt mi Friderice fides.

FRANCISCUS MOMMORANTIUS.

Obiit A.C. 1579.

Annæ Regni *Gallici* Equitum Magiſtri filius, vir longè omnium Procerum, qui tunc in aulâ *Henrici III. Galliæ* Regis erat, regiâ gratiâ digniſſimus, & in quo, ſive eximiam erga Deum ac Patriam pietatem, ſive animi magnitudinem, liberalitatem, fortitudinem, ingenium præſtans, & quod rarum in illâ fortunâ non mediocribus literis inſtructum ſpectes, nihil deſiderare poſſes, præter feliciora tempora & longiorem vitam. *Literis non mediocriter fuit inſtructus.*

Ob antiquas familiarum æmulationes, quæ bellis civilibus occaſionem præbuiſſe dicuntur, *Lotharingis* infeſtus, quâ erat prudentiâ eorum conatibus magnâ ſe conſtantiâ initio oppoſuerat, ſpretisque rumoribus & plebis gratiâ, quam factioſi ferè ſectantur, ut contra præpotentum inimicorum potentiam ſe muniret, *Ludovici Borbonii, Condæi*, & *Coliniorum* ſobrinorum ſuorum partes amplexus, ob id in multorum odium incurrerat, quaſi Proteſtantium cauſam foveret, ſummus alioqui Regiæ autoritatis vindex, quod cum *Carolum Lotharingum* Cardinalem, & *Henricum Guiſium* fratris filium annis prohibitis *Lutetiam* ingreſſuros, tanquàm Urbis & Provinciæ Præfectus faceſſere urbe coëgit, inſigni exemplo patuit. *Lotharingis infeſtus.*

Quam injuriam cum ad animum revocâſſe *Lotharingos* appareret, tamen poſt emiſſum carcere *Mommorantium*, in quem à *Carolo IX.* Rege conjectus fuerat, ſincera inter eos reconciliatio ſecuta eſt: & cum paucis ante mortem menſibus *Mommorantius* in Regiâ, ubi diverſorium habebat, *Lutetiæ* ictu ſanguinis oppreſſus eſſet, *Guiſius* totâ nocte decumbentis lecto aſſedit, & omni officiorum genere benevolentiam erga eum teſtatus eſt. *In carcerem à Rege conjectus.*

Mommorantio deindè ex eo morbo aliquantulùm convaleſcente, eum *Cantilliam* deportatum *Guiſius* & ſedulò inviſit, & omni

Digitized by Google

omni minimè fucati amoris ſignitatione, quanquàm conclamatâ jam ſalut proſecutus eſt. Indè cum paulò antè èèuſtriâ, quo Regis juſſu ad *Provinciæ*. Coria, rebus ad motus internos ſpectantibuprofectus fuerat, rediiſſet, in arce ſuâ *Eſcani* recurrente morbo oppreſſus, prid. N. Majas A.C.1578, cum vix 50. ætatis anm attigiſſet, optimè meritam de Regnoimam Deo reddidit. *Thuan.lib.68.*

Iſtu ſanguinis oppreſſus obiit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Beken,*

Obiit A.C 1583.

LUDOVICUS V.
ELECTOR PALATINS.

NAtus eſt in oppido *Simmern*, *Palatinatûs* inf. Patre *Friderico III.* Ectore *Palat.* Matre *Annâ Mariâ*, filiâ *Caſimiri*, Marchionis *Brandeburgici*, 4. Jul. A. 39.

Puer vixit aliquandiu in aulâ *Pliberti*, March. *Badenſis*, in quâ non minùs cùm in aulâ paternâ ad pietatis exercitia tra ſtudiaque liberalium artium aſſuefactueſt.

Literis operam dat.

Ætate maturior miſſus à parentus *Dolam*, *Burgundiæ* in *Galliis* Academiat, in quâ præter literas humaniores linguam uoque *Gallicam* exactè didicit.

A. 1556. Principe *Ottone Henrico* ad Electoratus *Palat.* faſtigium evecto, aleodem in aulam receptus eſt.

Nuptias celebrat.

A. 1560. 8. Jul. Nuptias celebrat *Marpurgi cum Eliſabethâ, Philippi Haſſ. Landgravii* filiâ, ex quâ undecim liberoſuſcepit, è quo tamen numero tres tantùmuperſtites reliquit.

Peractis nuptiis manſit aliquandiu cum conjuge in aulâ patris *Friderici* tam Electoris, indè tranſlatus *Ambergam*, in *Palatinatum* ſup. ut parentis loco gubenationi præeſſet.

Fit Elector Palatinus.

A. 1576. Poſt parentis obitum Electoratûs gubernationem ſuſcepit, in eoque fidem *Lutheranam* introduxit.

A. 1582. Duodecim Scholaſticos pauperes, qui ſingulis ſeptimanis oſtiatim Eleemoſynam colligebant, *Neccaricis* adjunxit, ac ut commodiùs cohabitare poſſent, Senatui *Heidelbergenſi* ad renovationem domûs 300. florenos donavit. Præterea ut neceſſaria ſuſtentatio illis non deeſſet, ordinavit, ut ſingulis annis die ſuo natali tot aurei nummi illis erogentur, quot annos natus eſſet.

Eodem anno *Volumen Conſtitutionum*, ſecundùm quas in totâ ditione ſuâ jus ſubditis diceretur, typis evulgari curavit, omnibuſque Præfectis ac Magiſtratibus commendari.

Cum aliquando ſubditi feris ſe plurimùm gravari coram Principe quererentur, adjicientes, *niſi huic malo remedium in tempore adhiberet, amiſſurum eſſe preces ſubditorum*; è veſtigio reſpondit, *Malle ſe carne ferinâ carere, quàm ſubditorum preces amittere*: ſimulque mandatum dedit, ut feræ magno numero ſternerentur.

Nuptiæ ejus ſecundæ.

22. Junii A. 1583. Secundas nuptias celebravit cum *Annâ*, filiâ *Eſſardi*, Comitis *Friſiæ Orient.* & *Catharinæ*, *Guſtavi*, *Sueciæ* Regis filiæ.

Moritur.

12. Octob. A. 1583. Corpore ſenſim extenuato, & viribus decreſcentibus placidè in verâ DEI invocatione obdormivit *Heidelbergæ.*

LVDoVICVs *prInCeps paLatInVs eLeCtor DefVnCtVs eſt.*
1583.

Iſte pater patrIæ prInCeps obIIt LVDoVICVs,
CVI CorDI I*ntegrItas reLLIgIonIs erat.*

***

Iſte paLatInæ LoDoVICVs *gLorIa gentIs*
OCCVbat, *oCtobrIs qVarta ter IsqVe* DIes.

***

In CIneres patrIæ pater, heV heV trIſtIa fata,
BIs seXtâ oCtobrIs LVCe *CaDente* CaDIt.

***

LVX VbI *fVLsIsset bIs seXta oCtobrIs In aXe,*
ELeCtor rhenI DVX LVDoVICVs *obIt.*

***

En paLatInVs erat qVI DVX LVDOVICVs *In aVLâ*
NVnC VIVIt ChrIſto perfrVItVrqVe poLo.

***

Intereant CasV bona VeL MaLa CVnCta repentè,
Et Verè Conſtans nIL VagVs orbIs habet.

In *Symbolum* ipſius:
OMNIA MUNDANA FLUXA.

NICOLAUS PONTANUS
DUX VENET.

Ob. A.C. 1585.

DUx hic *Gregorium XIII.* S.P. anno ætatis 83. defunctum 10. circiter annis anteibat, quoties aliqui recens *Venetiis* veniſſent *Romam*, diligenter de valetudine *Pontani* percontantem, ex quâ ſpem diuturnioris vitæ concipiebat.

Obitus.

Sextili menſe A.C. 1585. ætatis 73. deceſſit, integris adhûc corporis & animi viribus, ita ut Legatos publicè admittere & reſponſa dare ad ultimum vitæ ſpiritum nunquàm intermiſerit, Vir magnâ doctrinâ, & mirâ animi libertate præditus, quæ dignitatis & ætatis acceſſione ſemper in eo creverunt.

Vir doctus.

Cum igitur ſubortis inter Pontificem & Senatum de finibus controverſiis, ut ſæpè accidit, minæ ex Legatis Pontificiis audirentur,


LUDOVICUS VI. *Elector Palatinus.*


NICOLAUS PONTAN, *Dux Venetus.*


IULIUS *Dux Brunſvicenſis*


WILHELMUS. IV. *Landgravius Haſſiæ.*


IOHANNES GEORGI, *Elector Brandeburg.*


PHILIPPUS. II. *Dux Pomeraniæ*


AUGUSTUS *Comes Palatinus Rheni*


GEORGIUS *Dux Brunſvicenſis et Luneb*


LUDOVICUS. *Princeps Anhaltinus.*


WILHELMUS. *Dux Saxon-Vinarienſis.*


AUGUSTUS. *Dux Brunſvic. et Luneburg*


ERNESTUS. III. *Dux Saxoniæ.*


IOHANNES PICUS *Mirandulæ Comes.*


IACOBUS FUGGER *Comes Kirchbergenſis.*


HIERONYM. FUGGER *Baro et Comes Rom. Imperij*


THOMAS CROMWELL, *Comes Eſſexiæ.*

Digitized by Google

rentur, quaſi Pontifex contra Senatum cenſuris acturus eſſet, ille ſtatim non conſulto Senatu reſpondit: *Cenſuram Pontificiam eſſe gladium vaginâ incluſum, qui temerè diſtringi non deberet, ne diſcerent homines contemnere ejuſmodi telum, quod quia intempeſtivè miſſum eſſet, minus læderet.*

Feſtivum dictum de Papali excommunicatione.

Cum Legati nihilominus inſtarent, ille ſubjecit: *Verendum eſſe, ne qui Græci olim fuiſſent, è Latio in Græciam migrarent.*

Quod cum ad Pontificem perlatum eſſe reſciviſſet Senatus, dictum excuſavit, & ut ætati benè de Rep. alioqui meriti cives, & dignitate præcellentis viri id condonaretur à benignitate Pontificis petiit.

In ejus demortui locum *Venetiarum* Princeps creatus eſt *Paſchalis Ciconia*. *Thuan. lib.* 81.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1586.

GALEACIUS CARACCIOLUS.

VIci Marchio, *Nicolaum Antonium* bellis ſub *Auraico* Principe in *Italiâ* celebrem patrem habuit, matrem *Petri Antonii Caraffæ*, qui *Paulus IV.* poſt adeptum Pontificatum dictus eſt, ſororem.

Victoriam, Ducis *Nucerini* filiam in uxorem duxerat, ex quâ numeroſam ſobolem ſuſtulit. Sed cum ſub id tempus *Petrus Martyr Vermilius Neapolim* veniſſet, & jam tum diſſeminatam in *Germaniâ* doctrinam fidis in arcano inſtillaret, in iis ſectatores habuit *Johannem Valdeſium Hiſpanum*, *Joh. Franciſcum Caſertum*, *Galeacio* affinitate conjunctum, & ipſum *Galeacium*, qui jam tum arctam cum M. *Antonio Flaminio*, *Victoriæ Columnæ*, *Joh. Vivonii Piſcariæ* Marchionis viduæ perfamiliari, ob pietatis ſtudia amicitiam colebat, non quod *Flaminius* doctrinæ in cœteris illi addictus eſſet, ſed quod quædam ad juſtificationem pertinentia, & multa, quæ pravâ conſuetudine in Eccleſiam irrepſiſſe videbantur, emendari conſultum duceret.

Ad Proteſtantium religionem acceſſit.

Tandem à *Valdeſio* & *Vermilio* perſuaſus, & cum officii causâ in *Germaniam*, ut *Carolo V.* Cæſari inſerviret, veniſſet, *Argentinæ* convento eodem *Vermilio*, qui interim in *Germaniam* diſceſſerat, magis confirmatus *Genevam*, patre, conjuge, & liberis relictis conceſſit, poſtquàm aliquoties cum Patre primùm in *Italiâ*, & poſteà cum Patre ac Conjuge ſimul collocutus, nec illius reverentiâ, nec amore hujus, aut liberorum collo paterno hærentium blanditiis ac lachrymis adduci poſſet, ut propoſitum mutaret.

Genevam conceſſit.

Aliam uxorem duxit Genevæ.

Genevæ, quaſi uxor prima ſecum divortium feciſſet, aliam duxit A. 1560, primùm conſultis Paſtoribus, ſicut ſcribunt, qui res eas prodiderunt, *Annam Fremeieram* nomine, jam quadragenariam, quæ viro priore defuncto *Rotomago*, undè nata erat, ob religionis cauſam paulò antè migraverat, cum eâque in ſummâ tenuitate, quippè omnibus bonis dejectus, ad annum 68. ætatis conjunctiſſimè vixit, tandemque A. C. 1586. *Genevæ* procul à patriâ naturæ debitum perſolvit. *Thuan. lib.* 58.

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Cum Marchio hic *Neapoli Petrum Martyrem* audiviſſet concionantem ex 1. *Epiſt. Pauli ad Corinth.* de fallaciâ rationis humanæ in rebus ſpiritualibus, & virtutem veritatis Divinæ in timentibus Deum exaggerantem percepiſſet, additâ hâc ſimilitudine: *Si quis è loco longinquo ſaltantes homines viderit, nec Muſicæ ſonum audiverit, hos omnes eſſe fatuos exiſtimabit, ſi verò propiùs accedens tibiarum concentum auribus perceperit, adeò exindè delectabitur, ut & ipſe ſocium ſeſe præbere ſaltantibus deſiderabit: ita cum liberis Dei comparatum eſt &c.* His *Martyris* verbis adeò commotus fuit *Caracciolus*, ut ab eo tempore cogitationes omnes ad res ſpirituales direxerit.

* *Ex lib.* der Seelen Selbſt Streit *vocato D. Richardi Sibs Theol. Angli.*

Obiit A.C. 1589.

JULIUS DUX BRUNSVICENSIS.

NAtus die *Petri* & *Pauli* 29. Junii Anno 1528. Ditionem à Patre *Henrico* Juniore, Principe impacato, acceptam, in ſummâ tranquillitate rexit, & ex Martis officinâ eam in Muſarum domicilium transformavit, fundatâ *Helmſtadii* A. C. 1576. Academiâ, quam honorificis ornatam privilegiis & amplis vectigalibus locupletatam ex *Martini Chemnitii* conſilio ordinavit, Rectore primo ejus deſignato *Henrico Julio*, *Julii* filio, qui Idibus Octob. quæ illi natales erant, ludum aperuit.

Academiæ Helmſtad. fundator.

Henricus Julius Brunſvicenſis Dux Rector primus Helmſtad.

Berlini matrimonium iniit cum *Hedwige Marchioniſſâ Brandenburgicâ*, *Joachimi II.* Electoris filiâ 25. Febr. an. 1560. Hæc obiit 22. Octob. An. 1602.

A. 1553. Electus eſt Epiſcopus *Mindenſis*. Sed ob fratrum ſuorum in prœlio inter *Mauritium* & *Albertum Brandeburgicum* interitum eodem anno depoſuit gubernationem, & ei ſuffectus eſt *Georgius Brunſvigi* Dux.

An. 1584. Civitatem propè arcem *Wolfferbytum* ædificare cœpit, quam à patre ſuo *Henrico* Heinrichſtadt nominavit, cui multa privilegia conceſſit.

Fatis tandem conceſſit *Julius* 3. Maji A. C. 1589. æt. 60. gubernationis 21.

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken, & aliis.*

Obiit A.C. 1591.

FRANCISCUS COLINIUS CASTELLIONÆUS.

CAſparis *Galliæ Ammiralii* filius in adoleſcentiâ magnam de ſe famam concitavit, ut ſi diutiùs vixiſſet, parentis avique gloriam bellicâ virtute partam ſuperaturus crederetur.

Juvenis bellicoſus.

Ad hæc erat in eo mira comitas, & rerum,

rum, quæ ad militarem ſcientiam ſpectant, artiumque Mathematicarum exacta cognitio. Erat & machinarum fabricandarum apprimè peritus, ejusque induſtriæ *Autrici* expugnatio à Rege *Henrico IV.* debebatur.

Matheſeos peritus, & Architectura.

Tunc verò cum fatis conceſſit, navigationem in *Indias* magno ſtudio adornabat, quippe maris *Aquitanici* Præfectus, quam dignitatem Rex, ut gratum erga familiam animum teſtaretur, filiis conſervavit.

Maris Aquitanici Præfectus.

Ex *Margaritâ Dalliâ Piquiniâ* tres filios reliquit, Majorum virtutis hæredes, quorum *Henricus* grandior natu, cum jam magnam de ſe ſpem concitâſſet, Legionis in *Belgio* Præfectus in *Oſtendæ* defenſione occubuit.

Tres filios reliquit.

Ea mors dolorem ex *Franciſci Lanovii* morte conceptum in animo Regis renovavit, qui eodem ferè tempore duobus primariis belli ducibus orbatus, quaſi geminatâ clade vires ſuas non mediocriter imminutas ſenſit. Hic verò *Colinius* in arce ſuâ ad *Lupam* ex febre acutâ deceſſit A. C. 1591. annum 30. haud multùm ſupergreſſus. *Thuan. lib. 102.*

Eodem anno, quo Franc. Lanovius deceſſit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

WILHELMUS
HASSIÆ LANDGRAVIUS.

Obiit A.C. 1592.

PHilippi, qui bellum *Carolo V.* fecit, filius, Princeps ſummæ prudentiæ & æquitatis, adhæc Mathematicarum ſcientiarum peritus, quod ad æternitatem teſtabuntur in mortales his de rebus Epiſtolæ, à *Tychone Brahe* Nobili *Dano* poſt ejus obitum editæ.

Mathem. ſcientiarum peritus.

Cum *Garcæi* celeberrimi utpote Mathematici, opus ipſi monſtraretur, in quo author obitus *Wilhelmi* diem ultimum manifeſtis explicâſſet verbis: propriis ipſe in marginem adſcripſit manibus ex 31. Pſ. *Dav. In manibus tuis, Domine! ſtat conditio mea.*

A *Joh. Caſimiro* Comite *Palatino* cum *Beütrichius*, Doctor & Conſiliarius, ad *Wilhelmum*, ob certam pecuniæ copiam, eſſet miſſus, *Beütrichius* verò hanc longâ prolixâque oratione, multisque titulorum ornamentis & præambulis petere vellet: *Wilhelmus* ſequentibus orationis interrupit curſum: *Vera hæc ſunt, mi Beütrichi! ſed quid plura, quæ petis?* *Beütrichius* orationis ſuæ hanc longam texturam Principis ad nauſeam usque jam fuiſſe moleſtam probè obſervans reſpondit: *Pecuniam, Clementiſſime Princeps! Quantam verò hujus ſummam?* Princeps reponit: *Beütrichius verò 100000. florenorum.* *Wilhelmus* Princeps: *Dimidia tibi petitionis porrigatur ſumma, mandabo.* Ad quæ verba *Beütrichius* ſtatim diſcedens humillimas clementiæ Principis egit gratias.

Pietas ejus.

Cum verò ob incommodam corporis obeſitatem à repentinâ morte ſibi metueret, quâ erat pietate & imperterrito ad extrema animo, maturè condito teſtamento, quotidiè cum dormitum ibat, non ſolùm preces coram omni familiâ ad Deum concipiebat, ſed veniâ ab aſtantibus petitâ, quaſi ſingulis noctibus moriturus eſſet, ultimum amicis vale dicebat. Hunc morem toto decennio, antequàm moreretur, ſervavit.

Pater Mauritii.

Ex *Sabinâ Wirtenbergicâ*, *Chriſtophori*, filii *Ludovici* ſorore reliquit unicum filium *Mauritium*, qui tunc aberat, & ipſum liberalibus artibus egregiè inſtructum, qui patris avique exemplo antiquam ex fœderatione amicitiam cum Gallis religioſè coluit.

Moritur.

Ipſe *Wilhelmus* ſexagenario major deceſſit *Caſellis* 25. Aug. A.C. 1592. gubernat. 25.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES GEORGIUS
ELECTOR BRANDEBURG.

Obiit A.C. 1598.

JOachimi II. Electoris & *Magdalenæ*, *Georgii Barbati* Ducis *Saxoniæ* filiæ, filius, natus eſt an. 1525. 11. Septemb. *Onoltzbachii* in *Franconiâ*, fuit vir miti ingenio, qui Pacis tàm in Eccleſiâ quàm in Imperio colendæ & conſtituendæ ſummum deſiderium totâ vitâ præ ſe tulit, & illuſtrem familiam penè exſtinctam inſtauravit, dum ex tribus conjugibus 23. liberos progenuit, & raro exemplo pronepotes vidit.

Princeps pacis amans. *23 liberorum parens.*

Moritur.

Tandem *Coloniæ* ad *Suevum* maturâ morte fato conceſſit, die 8. Januarii A. C. 1598. ætatis 73. Succeſſit ei in 7. viratu *Joach. Fridericus* filius, Adminiſtrator Archiepiſcopatus *Magdeburg.* ex primâ uxore *Sophiâ Lignicenſi* ſuſceptus. *Thuan. lib. 120.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES VIVONIUS,
MARCHIO PISANII.

Obiit A.C. 1599.

EQues in *Galliâ* domi foriſque clariſſimus, ut priſcâ generis nobilitate, ſic pietate, eruditione, morum integritate totiusque vitæ ſplendore, inſuper fortitudinis militaris regionum exterarum, quas & per peregrinationes in adoleſcentiâ, & poſteà Legationibus honorificis ſub 4. *Galliæ* Regibus, *Franciſco II*, *Carolo IX*, *Henrico III* & *IV.* ſummâ fidei & ſolertiæ laude obitis illuſtraverat, peritiâ cum paucis comparandus: demumque pueritiæ *Henrici Borbonii Condæi* Principis ab *Henrico IV.* Rege appoſitus, in eo munere aſſiduus tandem in eâ, quâ vixerat, pietate ac conſtantiâ defecit, dum in arce ſuâ *Sanmaurianâ* ſeu *Foſſatenſi* caſtro, tertio à *Lutetiâ* lapide Nonis Octob. A.C. 1599. ætatis 69. fatis conceſſit, ſuperſtite *Juliâ Savellâ*, patritiâ *Romanâ*, virilis animi & virtutis fœminâ, ex quâ *Catharinam* filiam reliquit. *Thuan. lib. 122.*

Quatuor Galliæ Regum Legatus.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

PHILIPPUS II.
DUX POMMERANIÆ.

Obiit A.C. 1618.

FIlius *Bogislai XIII.* ex *Clarâ*, *Franciſci* Ducis *Lunenburgici* filiâ natus eſt 8. Mart. A. C.

Digitized

Princeps pius. A.C. 1573. Princeps pietate clarus, Conciones omnes ferè manu propriâ deſcripſit diebus Dominicis, & quò melius colere poſſet ſabbathum, vel prandio planè abſtinuit, vel juſculum tantùm comedit.

Antiquitatis amator. Antiquitatis & elegantiarum amator Librum peculiarem habuit, quo omnium ſui temporis Imperatorum, Regum & Electorum Chirographa cum eorum Inſignibus, Symbolis, & appictis figuris Biblicis collegit.

Fratrem habuit *Franciſcum*, Epiſcopum *Caminenſem*, A. 1610. deſponſatum cum *Sophia Chriſtiani I. Elect. Sax.* filiâ, & ſine liberis defunctum AC. 1620. ætatis 43.

Nuptias celebravit 8. Mart. A. C. 1607. cum *Sophiâ*, filiâ *Johannis* junioris, Ducis *Holſatiæ* in *Sonderburg*. ex quâ nullam ſuſcepit prolem, & obiit A.C. 1618. ætatis 44. *Moritur.*

* *Ex variis authoribus.*

Obiit A.C. 1632.

AUGUSTUS
COMES PALATINUS RHENI.

Filius tertius *Philippi Luvovici*, & *Annæ* Duciſſæ *Juliacæ*.

Natus 2. Octob. A. 1582.

Studioſus Tubingenſis. A. 1599. In Univerſitatem *Tubingenſem* miſſus, ſtudia ſedulus tractavit, & Rector ſolenniter creatus eſt.

A. 1600. Domum revocatus annis ſeqq. per *Italiam*, *Galliam*, *Angliam*, *Sueciam* & *Daniam* peregrinatus eſt, linguas *Latinam*, *Gallicam* & *Italicam* perfectè, *Hiſpanicam* verò ex parte locutus.

In *Germaniam* reverſus, uno eodemque itinere 22. Procerum aulas viſitavit.

24. Sept. 1610. horâ 7. veſpert. *Heidelbergam* ad portam *Spirenſem* venit, interrogatus, veniretné ut *Palatinus* agnatus, an verò, ut Patris nomine *Palatinatûs* adminiſtrationem affectans? cum hoc poſterius affirmâſſet, excluſus eſt.

A. 1615. Ditionis hæreditariæ regimen ſuſcepit, Eccleſiam Evangelicam inſtituit, *Sulzbaci* ſcholam ad formam Gymnaſii erexit.

Sponſalia celebrat. 2. Julii an. 1620. *Huſumi* in *Holſatiâ* ſponſalia celebravit cum *Hedwige*, Duciſsâ *Holſatâ*, Ducis *Joh. Adolphi* filiâ, quæ *Noribergæ* obiit. Apr. an. 1657.

Cum eâ 12. conjugii annorum ſpatio liberos generavit:

Chriſtianum Auguſtum ſucceſſorem.

Adolphum Fridericum nat. 1623. mort. a. ſeq.

Johannem Ludovicum mil. *Suec.* Ducem, *Noribergæ* febri malignâ extinctum Oct. an. 1649.

Philippum, etiam *Suecis* militantem.

Annam Sophiam.

Auguſtam Sophiam.

Dorotheam Suſannam. nat. 1631. mort. A. ſeq.

Ex his filios *Chriſt. Aug.* & *Joh. Ludovicum* juvenes in *Holſatiam* ad aviam viduam in Religione Evangelicâ educandos ſecum deduxit, iter ingreſſus 2. Septembr. A. 1631. Cum an. 1626. ipſo fruſtrà repugnante in totâ ipſius ditione Religio Papiſtica fuiſſet introducta.

Anno 1632. ex *Holſatiâ* reverſus Regi *Sueciæ Guſtavo Adolpho* ſeſe conjunxit, ab eoque in honore habitus eſt ob raras animi dotes.

Ab eodem M. Jul. Legatus ad Electorem *Sax.* miſſus eſt. In reditu 5. Aug. *Kitzingæ* malè ſe habere cœpit. Indè *Winsbemium* deductus, ibi febre malignâ indies auctâ convulſionibus acced. extinctus eſt 14. Aug. an. 1632. ætat. 49. *Moritur.*

Obiit A.C. 1641.

GEORGIUS DUX BRUNSVICENSIS ET LUNÆBURG.

Natus 17. Febr. A. 1582.

Patre *Guilielmo*.

Matre *Dorotheâ* filiâ *Chriſtiani III.* Regis *Daniæ*.

Avum habuit *Erneſtum*, qui A. 1530. *Auguſtanam* Confeſſionem Imp. *Carolo V.* cum aliis Imperii Principibus obtulit: Proavum *Henricum*, Abavum *Ottonem*.

A. 1591. In Univerſitatem *Jenenſem* miſſus, ibi literis operam dedit usque ad A. 1596, à quo in variis Electorum ac Principum aulis vitam tranſegit usque ad An. 1601. *Literis operam dat Jenæ.*

Ab A. 1604. ad 1610. Per *Hollandiam*, *Belgium*, *Galliam*, *Angliam*, *Italiam*, *Siciliam*, *Maltam* usque peregrinatus eſt.

A. 1611. Inter Reges *Daniæ* & *Sueciæ* gravi bello exorto, ſub prioris exercitu Ducem primò, poſteà Generalem Vigiliar. Præfectum egit, & militis generoſi functus eſt officio usque ad finem A. 1612.

A. 1617. Dec. *Darmſtadii* ſponſalia ſolenniter celebravit cum *Annâ Eleonorâ*, *Ludovici*, Landgravii *Haſſiæ* filiâ. Ex hâc liberos ſuſcepit: *Sponſalia celebrat.*

Magdalenam horis paucis poſt partum mortuam.

Chriſtianum Ludovicum.

Georgium Wilhelmum.

Johannem Fridericum.

Sophiam Amaliam.

Erneſtum Auguſtum eodem partu in lucem editum cum

Dorothea Magdalenâ, quæ unum tantum annum vixit.

A. 1619. *Brunſvici* à Principibus *Saxoniæ* inf. Generalis mil. Dux ordinatus, munere ſuo cum laude functus eſt ad A. usque 1624.

A. 1625. Militiæ Cæſareæ ſe dedens, duarum primò, poſteà 17. legionum Dux factus, in eo officio permanſit ad A. 1628.

A. 1631. Fœderi *Lipſienſi* Elector. Principum, & Statuum Imperii aſſociatus.

A. 1633. 28 Junii. Generalis exercitûs peculiaris in *Sax.* inf. ad *Oldendorffium* prœlio commiſſo inſigni victoriâ potitus eſt ad 9000. ex hoſtibus deſideratis.

2. April. A. 1641. Cum à 18. Januar. variis

Moritur riis morbis afflictus fuiſſet, viribus tandem evaneſcentibus placidè in Deo obdormivit A. Æt. 59.

16. Maji A. 1643. Concionem funebrem habente D. *Mich. Waltbero* Gener. Superintendente *Brunſv.* ſolennibus ceremoniis ſepultus eſt in Templo *Cellenſi*.

Obiit A.C. 1642.

WILHELMUS DUX
BRUNSVICENSIS ET LUNÆBURGENSIS.

Filius *Ottonis* & *Hedwigæ*, Comitiſſæ *Friſiæ Orientalis*.

Natus 15. Martii A. 1564.

Roſtochii literis operam dat. A. 1575. *Roſtochium* ſtudiorum gratiâ miſſus, in ædibus *Joh. Caſelii* Prof. habitavit, ejusque lectiones publicas diligenter audivit. Eodem Anno Rector Univerſ. electus tres Orationes diverſo tempore in magnâ auditorum frequentiâ memoriter recitavit.

A. 1579. *Lipſiam* ſe conferens, ſtudiis ibidem Arithmetices præſertim incubuit.

Ab A. 1582. ad 1584. In *Galliâ* commoratus, linguam adeò perfectè didicit, ut à multis pro *Gallo* naturali habitus fuerit. An. ſeq. *Angliam* viſitavit.

A. 1594. & ſeqq. *Germaniam, Churlandiam, Livoniam, Poloniam, Italiam, Hollandiam* & *Daniam* perluſtravit, quæque paſſim notatu digna conſpexit, manu propriâ annotavit.

A. 1599. *Hungariam* ad *Comorram* usque peragravit.

A. 1603. Cum fratre *Chriſtophoro* ditiones ſuas gubernare cepit. Hoc verò An. 1606. 7. Julii vitâ defuncto, regimen ſolus ſuſcepit.

Moritur. Tandem placidè in Chriſto exſpiravit 30. Martii A. 1642. Æt. 78. In Templo *Cellenſi* unà cum Duce *Georgio* ſepultus A. ſeq.

Scripta. Speculum fuit Principis *Chriſtiani*, qui præter alias ſcientias in Theologiâ adeò verſatus eſt, ut in diverſis Fidei articulis Tractatûs varios Latinâ & Germ. linguâ manu propriâ conſcriptos reliquerit.

Obiit A.C. 1650.

LUDOVICUS
PRINCEPS ANHALTINUS.

Majores ejus. *Joachimi Erneſti*, Principis *Anhaltini* ex *Eleonorâ, Chriſtophori*, Ducis *Wirtenbergici* Filiâ filius, *Johannis II.* Nepos, *Erneſti* Pronepos, *Georgii* Senioris Abnepos, *Sigismundi* Adnepos, *Johannis I.* Trinepos &c. natus eſt *Deſſaviæ* die 17. Junii, A.C. 1579.

Chriſto per Baptiſmum cum fuiſſet oblatus, primisque vitæ annis pietatis fundamenta jeciſſet, aliisque Principe dignis Artibus atque Linguis operatus regendæ Publicæ rei ſe natum didiciſſet, ſuadente Fratre natu majori *Joh. Georgio*, extra natale ſolum pedem ferre geſtiit A.C. 1596, ætatis 17, & totum ferè decennium peregrinationibus exegit, quo florentiores *Germaniæ* Provincias, *Belgium, Angliam, Galliam, Italiam, Siciliam, Maltam, Hungariam, Bohemiam* &c. peragravit, Populorum mores, jura linguasque didicit, cum Imperatoribus, Regibus, Archiducibus, Magno Duce *Hetruriæ*, aliisque Principibus *Germaniæ*, *Galliæ*, & *Italiæ* converſatus. Undè aureum prudentiæ politicæ vellus in *Anhaltinatum* retulit. *Peregrinatio ejus decennalis.*

A. 1606. ad Principatûs ſui ſedere clavum cœpit, & poſthabitis ferè omnibus aliis, quæ Principibus familiares eſſe ſolent recreationibus, curas omnes in Principis officium impendit.

Quamvis autem legendis & in linguam vernaculam vertendis Theologorum, Hiſtoricorum, & Politicorum ſcriptis *Latinis*, *Italicis*, & *Gallicis* multum impenderit temporis, immortalemque nominis memoriam (typis enim deſcripta extant pleraque) ſibi pepererit; tamen non tàm animus ipſi fuit ſuæ velificari gloriæ, quàm ſalutaribus monitis Publicæ Rei prodeſſe, exemploque inſigni Rerum publicarum Rectoribus præire. *Lucubrationes ejus.*

Hæ curæ privatæ non abſtraxêre animum Principis laborioſi à curis publicis & Principatûs ſui ſalute.

Currenti juſtitiæ remoram injici non eſt paſſus, neque dictari ſententiam alicujus momenti voluit, quam ipſe ab omni partium ſtudio alienus non approbâſſet. *Virtutes ejus.*

Pro ſalute ſuorum tempore quo bellici furores in Principatûs *Anhaltini* viſcera ſævierunt, latus objecit ſuum Patriæ Pater: & ne quid detrimenti caperet ſincera Religio, ſedulò cavit acerrimus Orthodoxiæ vindex.

Hæc in rebus præclarè gerendis dexteritas optimo Principi labores auxit domi forisque, quando legationibus graviſſimis ad Imperatores & Reges Domûs *Anhaltinæ* nomine ipſum fungi oportuit, & *Guſtavo Adolpho*, *Suecorum* Regi Magno ipſum ita commendavit, ut terræ *Magdeburgenſis* & *Halberſtadienſis* Adminiſtratorem eſſe durante bello voluerit. *Legationes ad Impp. & Reges obivit.* *Adminiſtrator Magdeburg. & Halberſtad.*

Neque ſubſtitit hìc de *Germaniâ* præclarè merendi ſtudium. Acceſſit ad id *Germanicæ* linguæ excolendæ ſuæque puritati reſtituendæ ingens deſiderium et conatus. Cum autem tot domare monſtra & tot annorum lapſu corrupta reſtaurare omnia unius non eſſe hominis indulgeret, ſocios ſibi delegit, & illuſtri Frugiferæ Sodalitatis Ordini, primus ejusdem ipſe Præſes A. C. 1617. conſtitutus, (quem ſi linguam ſpectes *Teutonicam*, ejusque excolendæ ſtudium jure meritò *Teutonicum* dixeris) inſeruit viros Principes, nobiles, & literatiſſimos, cum quibus hoſtes *Germanicæ* linguæ feliciter adortus eſt, & trophæa de iis per totam *Germaniam* ſtuduit, nunquàm intermorituræ futura gloriæ monumenta. *Primus Societ. frugiferæ Præſes.*

Sub Regiminis in Principatu patrio initium A. C. 1606, die 20. Oct. primum iniit con-

Google

Conjugium ejus duplex, & Liberi. conjugium cum *Amœnâ Ameliâ*, Dom. *Arnoldi*, Comit. *Bentheim.* filiâ, è quâ anno altero filium ſuſcepit *Ludovicum*, anno tertio filiam *Loyſam Amœnam.*

Magna hæc fuere gaudia, ſed minus durabilia. Nam ad ſedes beatas abiit Filius, magnæ ſpei Princeps, anno ætatis 17. quem mox ſecuta Filia, & Mater quoque A. 1625. quæ, præter vernaculam, trium linguarum *Hebraicæ, Italicæ* & *Gallicæ* perita fuit.

Triſtem hanc viduitatem ut eluctaretur, ad ſecunda tranſiit vota A. 1626. cum *Sophiâ*, Dom. *Simonis* Comitis *Lippienſis* filiâ, quæ Filiam ipſi peperit *Ameliam Loyſam* 29. Jul. A. 1634. & Filium *Wilhelmum Ludovicum* 3. Aug. An. 1638. Illa ſeq. ſtatim anno mortalitati debitum exolvit, Hic Dom. Patri ſuperſtes magnam de ſe ſpem Principatui & ſubditis dedit.

Vitæ exitus. Vitæ finis optimi Principis Jubilæum à nato Chriſto 33. attigit a. ætatis 71. adeòque cōmunem humanæ vitæ limitem transgreſſus eſt, ad mortem feſtinante vitâ ſub anni 1650. initium. Morbus ferè alius nullus fuit præter ſenectutem, cui multis fatigatum & fractum laboribus corpus obtulit, quod ferre ſenectutis incommoda diutius non potuit.

Ultimus, quem in terris hiſce exegit, vitæ dies Januarii ſeptimus fuit, cujus horis antemeridianis ad Principes exaratas literas ſubſcripſit, deliberata & in curiâ literis conſignata perlegit, & expedienda miniſtris dictavit.

Indè ad prandium in Cubiculo Conjugis ſe contulit, quamvis reſpirandi nonnihil invaluerit difficultas. A prandio exiguo tempore quieti conceſſo in ſuum conclave rediit, & circa ſextam veſpertinam ad cœnam ſe accinxit, ubi mutationem majorem ſenſit, naturâ cibos faſtidiente, manuque officium negante.

Undè ſublatis in ſublime oculis manibusque Dei imploravit auxilium, & mox ad menſam laboribus deſtinatam tetendit, accurrentibus Conſiliariis & ipſo Medico nutantem Principem ſublevantibus, poſteà ad cubiculum deducentibus: in cujus limine circa ſeptimam veſpertinam placidè exſpi-

Moritur. ravit 7. Jan. A.C. 1650. æt. 71. die 14. Febr. ſeq. mortales exuvias in ſarcophago condi

Exequiæ. curavit. Vidua *Sophia* cum filio *Wilhelmo Ludovico*, Exequias cantibus Illuſtriſſimis Principib9 *Anhaltinis*, Dn. *Auguſto* Fratre, Dn. *Joh. Caſimiro*, Dn. *Chriſtiano*, Dn. *Friderico*, Dn. *Johanne*, Dn. *Erneſto Gotliebio*, Dn. *Lebrechto*, Dn. *Joh. Georgio*, Dn. *Emanuele*, Dn. *Victore Amadeo*, Dn. *Carolo Urſino*, & Dn. *Wilhelmo* &c.

* *Ex Oratione Panegyricâ Marci Friderici Wendelini, Gymnaſii Anhalt. Rectoris.*

Cum in arce *Vinarienſi Hornſtein* 24. *Fundatio Societatis frugiferæ.* Aug. A. C. 1617. funeris cujusdam gratiâ conveniſſent *Joh. Erneſtus* junior, *Fridericus*, & *Wilhelmus*, Duces *Saxoniæ Vinarienſes* fratres, *Ludovicus* & *Joh. Caſimirus* Principes *Anhaltini*, *Theodoricus* à *Werder*, Colonellus, *Fridericus Koſpoth*, Conſiliar. *Vinar. Caſpar* à *Teutleben* Aulæ *Sax. Vinar.* Magiſter, & *Chriſtophorus* à *Kroſig*; *Teutlebius* inter alios Convivii ſermones de Societatibus in pleriſque urbibus *Italiæ* frequentibus, quibus adoleſcētes ad virtutes excolendas inſtigarentur, ſententiam ſuam propoſuit de tali Societate in *Germaniâ* erigendâ, quâ mediante Lingua materna priſtino nitori reſtitui poſſet. Propoſitum hoc mox *Ludovicus* Princeps *Anhaltinus* inter cœteros ætate & eruditone eminens laudavit, & cum reliquis aſſenſum dedit, ut quamprimùm Societas hujusmodi ſtabiliretur, cui Princeps eruditus præficeretur, & quæ pro Symbolo gereret *Palmam frugiferam*, cum Inſcriptione: **Alles zum Nutzen.** Tunc *Teutlebio* primus in hac Societate locus eſt datus, ejusque primus Præſes factus eſt *Ludovicus Princeps Anhaltinus.*

* *Ex Lib. Germ. Georg. Neumark de Soc. frug.*

AUGUSTUS PRINCEPS ANHALTINUS.

Obiit A. C. 1653.

Natus eſt 13. Julii A. C. 1575. Patre Dom. *Joachimo Erneſto*, ſolototius territorii *Anhaltini* Domino, Matre *Eleonorâ*, *Chriſtophori*, Ducis *Würtenbergici*, filia.

Literis humanioribus à pueritiâ excultus, Artis præſertim Chymicę ſtudiis delectatus eſt. *Chimiæ amator.* Adoleſcens per *Italiam* & *Galliam* peregrinatus, aulam quoque Cæſaris *Rudolphi II.* acceſſit, qui Principem hunc, admodùm dilexit eique varias conditiones obtulit, quas tamen modeſtè recuſavit. *Imp. Rudolpho II. charus, & Joh. Georgio Elect. Brand.* Verſatus etiam aliquandiu in aulâ Johannis Georgii Electoris *Brandeburgici*, qui ſenex jam Principis hujus adhûc juvenis conſilia ſæpiùs requiſivit.

A. 1618. 5. Nov. ſolenniter deſponſatus eſt cum *Sibyllâ, Job. Georgii*, Com. *Solmenſis* filiâ, ex quâ 3. filios ſuperſtites reliquit: *Erneſtum Gotliebium*, *Lebrechtum*, & *Immanuelem*, & 3. filias *Johannam*, *Sophiam*, & *Eliſabetham*: duas verò filias *Dorotheam*, & *Ehrenpreis*, in infantiâ demortuas præmiſit. *Deſponſatus.*

Principum *Anhaltinorum* ſenior, & tandem, poſt obitum fratrum, nepotum tutelam ſuſcipiens, omnium quoque ditionum *Anhaltinarum* Director ſupremus fuit conſtitutus. *Director ditionum Anhalt.*

Corpore ſano & firmo nec morbis obnoxio præditus, ultimo demùm vitæ anno doloribus nephriticis gravibus correptus, poſtquàm calculos aliquot cum ſummo dolore & ſanguinis hæmorrhagiâ excreviſſet, uno tandem calculo magno nimium in viis ſubſiſtente nec exitum habente, inter dolores acerbos & preces ad DEUM ardentes ſpiritum emiſit 22. Aug. A.C. 1653. æt. 78. *Plötzgaviæ* ſepultus. *Mor. calculi dolore.*

* *Ex Concione funebri Rudolphi Stubenrauch Eccleſ. miniſtri.*

Societatis frugiferæ cum fuiſſet membrum, nomen habuit, der Sieghaffte. In ſenio Chymicis laboribus animū oblectans, medicamenta varia morbis exſtirpandis ſalutaria manibus ſuis elaboravit, & eam ob cauſam cum D. *Caſp. Hornio*, & D. *Jano Conrado Rumelio*, Collegii *Norimberg.* Medicis, frequens habuit literarum commercium.

Acroſtichon in obitum hujus Principis *G. Phil. Harſtörſeri.*

Acrius	*Aonias*	*Artes*	*Auguſtus*	*Amavit:*
Ultor	*Virtutis*	*Vitiorum*	*Victor*	*Ubique,*
Germanum	*Germen:*	*Generoſæ*	*Gloria*	*Gentis,*
Vixit,	*Vab vita*	*Vanis*	*Votis*	*Valedixit.*
Sed ſuperans	*Seclum*	*Stabilique*	*Salute*	*Superſtes*
Tanta	*Triumphator*	*Tenuit*	*Terrena*	*Trophæa.*
Undique	*Vox vivit*	*Vivit*	*Vulgatur*	*Utrinque!*
Seceſſu	*Sancto*	*Sanctorum*	*Sabbatha*	*Servans.*

Per *anguſta* ad *auguſta.*

En AUGUSTA *petit Princeps* AUGUSTUS & *aulas*
Deſerit ANGUSTAS, *dum pia Fata volunt.*
Nempe per AUGUSTAM *quia portam intraverat, aulâ*
AUGUSTA *cœli debuit ille capi.*

Simon Heinſius Rector.

Obiit A.C. 1662.

WILHELMUS, DUX SAXONIÆ VINARIENSIS.

V*Inariæ*, Patre *Johanne*, Matre *Dorotheâ Mariâ*, *Joach. Erneſti*, Principis *Anhalt.* filiâ natus 11. April. A. C. 1598. Nuptias in patriâ celebravit 25. Maij, A. C. 1625. cum virgine *Eleonorâ Dorotheâ*, Dom. *Joh. Georgii*, Principis *Anhaltini Deſſavienſis* filiâ, ex quâ liberi progeniti ſequentes:

Conjugium ejus, & Liberi.

1. *Wilhelmus*, nat. 26. Mart. & denatus 1. Nov. A. 1626.

2. *Joh. Erneſtus* nat. 11. Sept. A. 1627. & deſponſatus cum *Chriſtinâ Eliſabethâ*, *Joh. Chriſtiani* Ducis *Holſat. Sunderburg.* filiâ A. 1656.

3. *Joh. Wilhelmus* nat. 16. Aug. A. 1630. & mort. 16. Maij 1639.

4. *Adolphus Wilhelmus*, nat. 15. Maij A. 1632.

5. *Joh. Georgius* nat. 11. Jul. A. 1634. Deſponſat. cum *Johannettâ*, Dn. *Erneſti* Comit. in *Sayn* filiâ, *Johannis Landgravii Haſſ.* viduâ.

6. *Wilhelmina Leonora*, nata 7. Jul. A. 1636. & mortua 1. April. A. 1653.

7. *Bernhardus* nat. 21. Febr. A. 1638. deſponſat. cum virg. *Mariâ de Tremolio*, Principiſsâ *Gallicâ de Thuars.*

8. *Fridericus* nat. 18. Martii A. 1640. & denat. A. 1656.

9. *Dorothea Maria* nata 14. Oct. A. 1641. & deſponſata 3. Jul. A. 1656. *Mauritio*, Duci *Sax. Joh. Georgii* Electoris filio.

Princeps eruditione excellens, Matheſi imprimis, Architecturæ ſtudiis & Muſicâ delectatus, A. 1650. poſt obitum *Ludovici*, Principis *Anhalt.* Societ. frugiferæ ſecundus Præſes electus eſt.

Præſes II. Societ. frugiferæ.

Vinariæ vitam morte beatâ finiit 20. Maij A. C. 1662. æt. 64. Succeſſit ei in Præſidio Societ. frugiferæ *Auguſtus*, Dux *Saxoniæ*, *Joh. Georgii* Elect. *Sax.* filius, Præſes tertius.

Moritur.

* *Ex Genealogiâ Duc. Sax. Vinar. præmiſsâ Bibliis Vinar.*

Obiit A.C. 1666.

AUGUSTUS, DUX BRUNSVICENSIS.

D*Annenbergæ*, Arce *Brunſvicenſi* natus eſt d. 10. April. An. C. 1579. Patre *Henrico*, Duce *Brunſvic* & *Lunæburg.* *Erneſti*, *Auguſtanæ* Confeſſionis A. 1530. defenſoris filio; Matre *Urſulâ*, *Franciſci I.* Ducis *Saxoniæ*, *Angariæ*, & *Weſtphaliæ* filiâ.

Parentes ejus.

A. 1594. ætatis 25. in Academiam *Roſtochienſem* ſtudiorum gratiâ miſſus, ter cum laude peroravit, & Rectoratum ab Univerſitate ſibi delatum cum applauſu adminiſtravit A. 1595.

Rector Acad. Roſtoch. & Tubingenſis.

Tubingam indè veniens, ibidem Rectoris Academici munere cum honore functus eſt, & tres ibidem Orationes eruditas memoriter recitavit.

Cum verò 17. Jan. A. 1598. Dominum Parentem morte ſublatum amiſiſſet, domum reverſus Sepulturæ adſuit, & brevi pôſt 3. Martii Academiam *Argentinenſem* acceſſit, in quâ cum publicè ſine Præſide diſputans profundam eruditionem ſuam manifeſtâſſet, eodem adhùc anno M. Octobri *Patavium* in *Italiâ* profectus eſt, & ſub finem anni ſeq. *Romam* progreſſus *Papam Clementem VIII.* vidit.

Argentorati publicè ſine præſide diſputavit.

Iter ejus Italicum.

Exindè regnum *Neapolit. Siciliam*, & *Melitam*, Equitum Chriſtianorum inſulam, perluſtravit. 20. Sept. A. 1600. In patriam feliciter reverſus 16. Nov. ſeq. nuptiis Sororis ſuæ *Sibyllæ Eliſabethæ*, *Antonio*, Comiti *Oldenburgico* per conjugium junctæ interfuit.

Nuptiis Sororis interfuit.

A. 1601. M. Aprili *Argentoratum* reverſus, æſtatem illam ſtudiis & exercitiis Principe dignis inſumpſit, & ſub initium Nov. *Tubingam* reviſit. Sed cum interea frater ejus *Franciſcus* morte ſubitâ fuiſſet ſublatus A. 1602. *Argentinam* regreſſus, exequias ſolennes inſtituit 1. Maij ſeq. diſcedens indè per *Belgii* Provincias iter ſuſcepit. 3. Julii A. 1603. in *Angliam* transfretavit, & *Londini* 25. Julii Regis *Jacobi VI.* coronationem vidit.

Iter ejus Belgicum, Anglicum, & Gallicum.

Sub finem Oct. in *Galliam* transgreſſus, *Lutetiæ* Regem *Henricum IV.* cum filio *Ludovico XIII.* allocutus, indè *Lotharingiam* pertranſiens, iterum *Argentoratum* venit, & 7. Julii A. 1604. in Patriam feliciter reverſus, transactione cum fratre natu majore *Julio Erneſto* factâ, ſedem ſuam *Hitzackeræ* poſuit.

13. Dec. A. 1607. Sponſalia prima celebravit cum viduâ *Sigismundi Auguſti*, Ducis *Megaloburgi*, *Clarâ Mariâ*, *Bogislai XIII.* Ducis *Pommeraniæ* filiâ, & Ducis *Pomer.* ultimi *Bogislai XIV.* ſorore, ex quâ filiolum cum filiolâ ſuſcepit, infantes demortuos.

Conjugium ejus I.

Hâc conjuge 23. Febr. A. 1623. morte ſurreptâ, 26. Oct. ſeq. iterum deſponſatus eſt cum virgine *Dorotheâ*, *Rudolphi* Principis *Anhaltini* filiâ, quæ 6. ei liberos peperit, *Henricum Auguſtum* anno æt. tertio denatum, filiolam ſtatim à partu defunctam, *Rudolphum Auguſtum* 16. Maij A. 1627. natum, in Ducatu Succeſſorem ſuum, *Sybillam Urſulam*, 4. Dec. A. 1629. natam, & poſteà *Chriſtiano* Duci *Holſatiæ* deſpoſatam, *Claram Auguſtam*, 25. Junii A. 1632. natam, *Friderico* Duci *Würtenbergico* nuptam, & *Antonium Ulricum* 4. Oct. A. 1633. natum.

Conjugium II. & liberi.

Cum verò anno ſeq. 1634. ſecundam quoque Conjugem mortis impetu ſublatam amiſiſſet, 13. Julii A. 1635. tertiam ſibi conjugio junxit *Sophiam Eliſabetham*, *Joh. Alberti*, Ducis *Megapolitani* filiam, ex quâ tres liberos ſuſcepit, *Chriſtianum Franciſcum*, qui quin-

Conjugium III. & Liberi.

Digitized by Google

quì quinqumeſtris mundo valedixit, *Ferdinandum Albertum* 22. Maji A. 1636. natum, & *Mariam Eliſabetham*, quæ mundum ingreſſa 27. Jan. A. 1638. poſtmodùm *Adolpho Wilhelmo* Duci *Saxoniæ* nupſit, & Dom. Parentem triplici prole reddidit avum.

Legatus ad Imp. Ferd. II.

M. Majo A. 1629. Belli tempore Legationem Ducum agnatorum *Brunſvicenſium* & *Lunæburgenſium* nomine ad Imp. *Ferdinandum II.* feliciter obivit.

Ditiones ejus hæreditate auget.

A. 1634. Ducatum *Wolfenbytelenſem* poſt obitum Ducis *Friderici Ulrici* agnati ſui jure hæreditario nactus, ditionem tamen illam militibus tunc peregrinis obſeſſam inviſere non potuit.

A. 1636. *Tannenbergæ* mortuo fratre *Julio Erneſto*, ditiones etiam illius ſuis adjunxit, & poſteà ſedem in Urbem *Brunſvigam* transtulit.

Wolfenbütelii ſedem poſuit.

M. Sept. A. 1643. Cum *Wolfenbütelium*, munitio & ſedes antiqua Ducum *Brunſvicenſium*, à milite Cæſareo hactenus occupatum, prægreſsâ transactione cum *Leopoldo Wilhelmo*, Archiduce *Auſtriaco* & militiæ Cæſ. generali, per Cæſarem huic Duci *Auguſto* fuiſſet reſtitutum, ſedé ſuam eò transtulit, & 12. Sept. inſtituto feſto ſolenni, DEO pro tanto beneficio gratias in Templo perſolvit, utque Feſtum illud quotannis eâdem die celebraretur ordinavit.

Bibliothecam Auguſtam Guelferbijti fundavit.

Ibidem A. 1644. è regione Aulæ Ducalis Bibliothecam *Auguſtam* fundavit Princeps eruditiſſimus ex libris omnium Facultatum, quorum A. 1649. numerata ſunt 20000. Volumina, Theologicorum nempè, Juridicorum, Phyſicorum, Medicorum, Mathematicorum, Geographicorum, Aſtronomicorum, Muſicorum, Arithmeticorũ, Ethicorum, Politicorum, Hiſtoricorum, ad res bellicas pertinentium, Oeconomicorum, Logicorum, Rhetoricorum, Grammaticorum, Poëticorum, & variorum, ſeu ut vulgò vocantur, Quodlibeticorum.

Hujus verò Bibliothecæ colligendæ factum eſt initium A. 1604. in oppido *Hitzackerâ*, quo tempore magnis ſumptibus conquirebatur, quicquid bonæ notæ Librorum per viros eruditos ad id conductos in *Germaniâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Angliâ, Belgio*, & *Italiâ* inveniri poterat.

In eâdem videre licet S. Biblia manu ipſius *Auguſti* adoleſcentis adhûc linguâ vernaculâ deſcripta, inſigne pietatis ipſius monumentum. Aliorum quoque librorum manuſcriptorum magnus in illâ Bibliothecâ ſpectatur numerus, quorum nonnullos ipſe Dux in *Hungariâ*, occaſione itinerum ad Impp. *Rudolphum II.* & *Ferdinand. II.* ſuſceptorum magno ære redemit, in tenui membranâ elegantiſſimis literis ſcriptos, laciniam Bibliothecæ, *Budenſis* quondam à *Matthiâ Hunniade Corvino* circa A.C. 1485. erectæ, & à *Turcarum* Tyranno *Solymanno*, cum is A. 1541. fraude & vi *Budam* occupâſſet, ereptæ.

Nec deſunt in eâdem Inſtrumenta Mathematica artificioſè facta varia, Globi item vel Sphæræ Terreſtres ac Cœleſtes. Veſtibulo Bibliothecæ literis aureis inſcripta leguntur hæc verba:

Bibliothecæ Inſcriptio.

Quando omnes paſſim loquuntur & deliberant, optimum à mutis & mortuis conſilium eſt; homines quoque ſi taceant vocem invenient Libri, & quæ nemo dicit, prudens antiquitas ſuggerit.

In hanc Bibliothecam *Auguſtam* Principis *Auguſti* hoc Epigrammate luſit M. *Heinricus Julius Scheurl* in Academiâ *Juliâ* Ethices Profeſſor:

Viderat Auguſtam Dea Caſta Bibliothecam
Auguſti manibus Guelphicâ in Urbe ſtrui:
Nunc mihi turrigeras quantumvis Marſpiter arces
Objice, quas vehemens Occara cingit, ait.
Grandia ſi Libris præfers tormẽta, memento
Illa homines miſeros, hanc poſuiſſe Deum.

Ignis pericula bis expertus eſt, 2. Sept. A. 1631. *Hitzackeræ*, & 1. Sept. A. 1634. *Brunſvigæ*, quæ bina incendia in cubiculo ipſius exorta & extrema minantia brevi tamen per Dei providentiam ſopita fuêre: ideò quotannis die 1. Sept. poſt Concionem Eucharisticam Te DEUM Laudamus in Templo canere præcepit.

Incendii pericula evaſit.

Cum à 60. annis ſanitate firmâ & memoriâ integrâ fuiſſet gaviſus, ſenio accedente viſu debili cœpit affligi, & à 6. ultimis annis catarrhis ſæpiùs laborans, accedente tandem febri viribùsque ſenſim deficientibus, inter ſuſpiria & preces placidè exſpiravit 17. Sept. A.C. 1666. ætatis 88.

Senectus infirma.

Moritur.

Scripta.

Scripta typis edita reliquit ſub nomine GUSTAVI SELENI:

Ludum Regium, vel Scachiæ, unà cum Rhythmomachiâ figuris exornatum elegantibus, profundæ eruditionis opus.

Cryptographiam, quâ Trithemii *Steganographia eruditis hactenus Magica credita, ita illuſtrata eſt, ut quicquid in* Trithemio *obſcurum delituit, oculis omnium patefactum ſit.*

Antonii Bonfinii Sympoſion trimetrum.

Harmoniam S. Scripturæ Evangelicam, vel *Hiſtoriam vitæ Jeſu Chriſti ex 4. Evangeliſtarum & reliquis novi Teſt. Libris ſermone patrio elaboratam.*

* *Ex ipſius Auguſti Vitæ curſu poſt Concionem funebrem prælecto 12. Dec. A. 1666.*

ERNESTUS III. DUX SAXONIÆ.

Ob. A.C. 1675.

IN arce Ducali *Oſterlandiæ Altenburgo* natus eſt 25. Dec. A. C. 1601. Patre *Johanne IV.* Duce *Saxoniæ*, Landgravio *Thuringiæ*, & *Marcb. Miſniæ*, qui A. C. 1605. ætatis 36. in Chriſto exſpiravit. Matrem habuit *Dorotheam Mariam* natam Principiſſam *Anhaltinam*; Dom. *Joach. Erneſti* filiam, quæ inter 11. filios hunc nonum peperit.

Parentes ejus.

A. 1606. Informationi M. *Bartolm. Winteri* traditus, literarum humaniorum primitias didicit. A primâ verò ætate pietati deditus 8. Nov. A. 1612. ad S. Cœnam primâ vice fuit admiſſus. Ætate provectior, exercitiis equeſtribus & Architecturæ diſcendæ dedit operam.

A. æt. 11. ad cœnam admiſſus.

A. 1621. Ducatûs *Vinarienſis* adminiſtrationem, abſentibus & plenam ipſi poteſtatem dantibus fratribus natu majoribus, aggreſſus eſt. Licet verò à bello naturâ abhorreret, poſt adventum tamẽ Glorioſiſſimi Regis *Suecorum Guſtavi Adolphi* in *Saxoniam*, ſub hujus ductu, Regiminis equeſtris imperium ſibi demandatum ſuſcepit, & in *Franconiam* duxit.

Miles ſub Rege Suec. Guſt. Adolpho.

Variis tunc expeditionibus bellicis in occupatione urbis & arcis *Herbipolenſis* interfuit. Tranſitum eo tempore per fluvium *Lechum* inquirens, ipſe primus cum vitæ periculo eques tranſivit, ſed ex aquæ frigore in pedibus & brachiis graviter læſus in ultimum usque ſenium dolores perſenſit. Non multò pòſt febre malignâ correptus & æger *Auguſtam Vindel.* delatus, vix mortis periculum evaſit.

Auguſtæ Vind. febre malignâ lethali decubuit.

Cum poſt octimeſtrem decubitum ope Divinâ & curâ fideli Medici ſui Dom. D. *Martini Göbleri* convaluiſſet, ad fratrem *Bernhardum* progreſſus, ei variis in expeditionibus bellicis in agro *Tyrolenſi* adhæſit. Ambo deindè Regis *Sueciæ* exercitum propè *Noribergam* ſubſiſtentem acceſſerunt.

Regi Suec. exercitum ad Noribergam acceſſit.

Poſt obitum hujus Regis funeſtum in prœlio ad *Lutzam* A. 1632. cum Campi Mareſcallo *Pappenheimio* generosè pugnavit, adeò, ut multi crediderint, ſtrenuum hunc militum Ducem à Principis *Erneſti* turmâ equeſtri cæſum occubuiſſe.

Gubernator Herbipolenſis.

A. 1633. Episcopatûs *Herbipolenſis* gubernationem à fratre *Bernhardo* ſibi delatam aggreſſus, hâc occaſione doctrinam Evangelicam ibi introduxit, & tam benè regionem illam quoad Regimen Politicum gubernavit, ut Epiſcopus *Herbipolenſis* poſteà reſtitutus, erga Archiducem Auſtriæ *Leopoldum Wilhelmum* gloriari non ſit veritus, Ducem *Sax. Erneſtum* meliùs, ac ſi ipſe præſens fuiſſet, ibi gubernâſſe.

Militiæ valedixit.

Poſt pugnam ad *Nörlingam* infelicem & brevi ſubſecutam Pacem *Pragenſem*, unà cum fratre ſuo *Wilhelmo* militiæ valedixit, & patrios lares repetens, ditiones ſuas gubernavit & conjugium amplexus 2. Julii A. C. 1636. in arce *Altenburgo* nuptias ſolennes celebravit cum Illuſtriſſimi Ducis *Sax. Joh. Philippi* filiâ unicâ *Eliſabethâ Sophiâ*.

Deſponſatus.

18. Liberorum pater, & 12. Nepotum Avus.

Ex hoc Conjugio fœcundo 18. liberi viventes progeniti ſunt, quorum 9. morte præceſſerunt. Ex reliquis novem primogenitus Dux *Joh. Erneſtus* 18. Sept. A. 1638. natus 27. Nov. ſeq. iterum denatus eſt. *Eliſabetha Dorothea*, *Coburgi* A. 1640. nata, 11. Nov. A. C. 1666. deſponſata fuit cum Celſiſſimo Principe *Ludovico Landgravio Haſſiæ Darmſtatino* in arce *Fridenſteniâ*, ex quâ quinque vidit nepotes, *Erneſtum Ludovicum, Georgium, Philippum, Johannem, & Henricum*, cum nepte *Sophiâ Loysâ*.

Joh. Erneſtus II. A. 1641. *Coburgi* natus 31. Dec. A. 1657. variolis extinctus obiit anno ætatis 17. *Chriſtianus* 23. Febr. A. 1642. mundum ingreſſus, horis duabus elapſis, poſtquam per S. Baptiſmum fuiſſet regeneratus iterum mundo egreſſus eſt. Altera filia *Sophia* A. 1643. nata 14. Dec. A. 1657. ætatis 15. ex variolis obiit. Eodem morbo extincta fuit filia *Johanna* 7. Dec. A. 1657. ætatis 13. Dux *Fridericus*, Dom. Patris in regimine Succeſſor, per nativitatem mundum ingreſſus 15. Julii A. C. 1646. deſponſatus eſt 14. Nov. A. 1669. cum Duciſſâ *Magdalenâ Sibyllâ*, Dom. *Auguſti* poſtulati Adminiſtratoris *Magdeburgenſis* filiâ primogenitâ, ex quâ 4. neptes vidit, *Annam Sophiam*, *Magdalenam Sibyllam*, *Dorotheam Mariam*, & *Fridericam*, Filii *Albertus* A. 1648. & *Bernhardus* A. ſeq. 1649. in arce *Friedenſteniâ* nati ſunt.

Ex hoc verò cum *Mariâ Hedwige*, *Georgii Landgravii Haſſo Darmſtatini* filiâ A. 1671. deſponſato nepotes aſpexit *Erneſtum Ludovicum, Bernhardum, & Joh. Erneſtum*.

Ex filiis ſubſecutis *Henricus* A. 1650. *Chriſtianus* A. 1653. *Erneſtus* A. 1655. vitam auſpicati ſunt, *Joh. Philippus* 1. Mart. A. 1675. natus 19. Maji ſeq. exſpiravit. *Joh. Erneſtus* 22. Aug. A. 1658. vitam auſpicatus eſt. Filia *Dorothea Maria*, itidem *Fridenſtenii* A. 1654. nata fuit. Ultimi Principis hujus liberi *Joh. Philippus*, *Johanna Eliſabetha*, & *Sophia Eliſabetha* in primâ infantiâ vitâ exceſſerũt.

Fratribus interea *Bernhardo & Alberto*, agnatisque *Joh. Erneſto*, Duce *Eiſenacenſi*, Principibus *Altenburgicis* & *Hennebergicis* demortuis, omnes eorum ditiones per hæreditatem adeptus eſt. Pauperum, Scholarum, & Eccleſiarum Patronus incomparabilis, ad harum emolumentum ultra 500000. flor. & ditionum ſuarum reditibus impendit. Scholarum & Eccleſiarum Viſitationes Speciales annuatim bis, Generalem verò ſemel tertio quoque anno conſtituit, & impenſas neceſſarias determinavit.

Speculum Principis incomparabile.

Synodum etiam generalem ut inſtitueret cum Theologis ſuis *Coburgenſibus* & *Altenburgis* deliberavit. Juſtitiæ cultor quotidiè Conſiliariorum ſuorum conventibus ipſe interfuit, & omnium pauperum æquè ac divitum querelas audivit. A 10. demum annis vitæ ſuæ ultimis variis morbis conflictatus & maraſmo ſenili conſumptus, animam Deo deditam exhalavit d. 26. Martii A. C. 1675. ætatis 74.

Moritur.

Moritur.

* *Ex Concione fun.*

Principis hujus impenſis non tantùm *Opus Biblicum Vinarienſe* vocatum multorum Theologorum labore indefeſſo elaboratum lucem vidit, ſed plures etiam Libri Theologici typis emiſſi ſunt, nempè Haus⸗Kirch⸗Büchlein; kleine Poſtill; Bibliſches Hand⸗Büchlein; Unterricht vor Chriſtliche Haus⸗Vätter; das alſo genannte *Suſcitabulum*; *Tractat* von geiſtlichen Anfechtungen; Entwurff der Predigten auf 5. Jahr; Auszug der Bibliſchen Hiſtorien; Catechiſmus⸗Ubung; Sterb⸗Kunſt; *Extract* des Friedens⸗Spiegels *D. Nicolai* vom Ewigen Leben; dieZuſamm gezogene Todes⸗Gedanken *D. Langii*; Paſſions⸗Andachten.

PAR-

PARTIS SECUNDÆ,
QUÆ
JURISCONSULTOS
continet,
SECTIO TERTIA,
COMITUM ET BARONUM,
IN-ET EXTRA GERMANIAM,
Eruditione ſingulari celebrium.

Obiit A. C. 1449.

CASPAR SCHLICKIUS CANCELLAR. TRIUM IMP. ET COMES.

NAtus ex familiâ *Lazanâ* provinciæ *Franconiæ*.

Patre *Germano*, Matre *Italicâ* ex Comitibus *Alti Collis* agri *Tarviſini*.

Fit Cancellarius Imp. Sigiſmundi. Ob doctrinam, prudentiam, & facundiam ab Imp. *Sigismundo* in aulam fuit adſcitus, & Secretarii, moxque Cancellarii munus obire juſſus eſt.

A. 1431. Durante Synodo *Baſilienſi*, cum Imp. *Sigismundo Italiam* eſt ingreſſus, & *Romæ* inaugurationi ejusdem ab *Eugenio* Papâ factæ interfuit.

Eodem tempore, dum *Senis* Imperator ob *Eugenii* animum à ſe alieniorem ſubſtitit, *Schlickius* formâ & blanditiis illectus deperire cœpit nobilem quandam juvenculam, quos amores poſteà *Æneas Sylvius* deſcripſit ſub *Euriali* & *Lucretiæ* nominibus, cujus tamen eum Pontificem factum pœnituit.

Alberti II. itidem & Friderici III. Poſt mortem *Sigismundi*, *Alberto* quoque II. & *Friderico III.* Rom. Imperatoribus ut Cancellarius fideliter ſervivit. Itaque *Fridericus* Cæſar illum, ob merita, Comitis *de Baſano* titulo exornavit, & poſſeſſionibus multis in finibus *Marchæ Tarviſanæ* ditavit, cum jam anteà à prioribus Dominis vallis *Joachimicæ* parte donatus eſſet. Ab hoc ergo Comites de *Schlick* à *Baſano* & *Weiſſenkirch* nomen & ortum habent, qui etiamnum in *Valle Joachimicâ* & finibus *Bohemiæ* amplam obtinent ditionem. *Fit Comes de Baſano.*

Moritur. De hâc vitâ diſceſſit apoplecticus *Viennæ Auſtriæ* 6. Julii A. 1449.

Apud *Carmelitas* cum conjuge humatus.

Staturæ fuit non eminentis, ſed formæ ſpecioſæ.

Optâſſe ipſum *Æn. Sylvius* ſcribit, ut omnes Reges aliquando privati & pauperes fuerint, nec enim ſatis miſereri, qui nunquàm fuiſſet miſer.

A. 1415. *Conſtantiæ* cum Imp. *Sigismundo* Cancellarii munere degens, ſententiam mortis contra *Johannem Huſſum* latam vehementer improbavit, & concilio egreſſus, palàm proteſtatus eſt, ferri non poſſe tam præceps judicium.

JOHANNES PICUS MIRANDULÆ COMES.

Obiit A. C. 1489.

DOminus *Concordiæ* ab *Italis Phœnix* cognominatus, qui præter ſuæ gentis illuſtria ſtemmata & antiquam familiæ nobilitatem, omnibus corporis animique dotibus excultus fuit, Princeps formoſus, comis, facetus, morumq; integritate & gratiâ omnes ad amicitiam & ſui admirationem pelliciens. Doctrinæ enim erat & eloquentiæ admirandæ, in diſputationibus ingenio ſubtili & perſpicacis prudentiæ. Anno ætatis 14. juvenis imberbis Philoſophus jam fuit & Theologus perfectus. *A. æt. 14. Philoſophus Philologus & Theologus.*

Exactè tenebat linguas, *Græcam*, *Latinam*, *Hebræam*, *Chaldaicam*, & *Arabicam*: utque erat excelſi ſpiritûs, ingenioque ad maxima quæque evecto, ardore juvenili impulſus *Romam* venit, ubi 900. concluſiones in omni Scientiarum genere diſputandas propoſuit, quarum 500. fuerunt in Philoſophiâ veterum, *Matheſi*, *Cabalâ* & *Magiâ*: in quibus invictum ſe & admirabilem omnibus præſtitit, cum omnibus tanto ingenii acumine, tantâ facundiâ & gratiâ reſponderit, ut de omnibus triumphum retulerit. *Romæ 900. Theſes diſputationi propoſuit.*

Mortuus eſt Florentiæ A. C. 1489. ætatis 33. quo tempore *Carolus VIII. Galliæ* Rex *Neapolim* ingreſſus eſt. Sepultus in Templo S. *Marci* cum hoc Epitaphio: *Moritur.*

D. M. S. *Epitaphium.*

JOANNES JACET HIC MIRANDULA: COETERA NORUNT ET TAGUS ET GANGES,

FORSAN ET ANTIPODES. OBIIT ANNO SALUTIS MCCCCLXXXIX. VIXIT ANNOS XXXII. HIERONYMUS BENIVENIUS, NE DISIUNCTUS POST MORTEM LOCUS OSSA SEPARARET, QUORUM ANIMOS IN VITA CONJUNXIT AMOR, HAC HUMO SUPPOSITA PONI CURAVIT. OBIIT ANNO MDXXXXII. VIXIT ANNOS LXXXIX. MENS. VI.

Ejus Opera hæc ſunt:

Scripta. *Heptaplus de opere 6. dierum Geneſeos*: in quo dum Sacrar. literarum myſteria recluſit, ſe ipſum doctrinæ & memoriæ felicitate videtur ſupergreſſus.

De vanitate Aſtrologiæ & divinationum, quæ per eam fiunt. Quo opere graviſſimo nec dum abſoluto, tantâ eruditione & vehementiâ Aſtrologos divinationis vanitate confutatâ perſecutus eſt, ut ſubtilium diſciplinarum Profeſſores à ſcribendo deterruiſſe videatur.

De Phantaſiâ Liber.

Tractatus de Ente & Uno.

Oratio de Hominis dignitate.

De Chriſti Regno, & Vanitate hujus mundi.

Commentaria in Pſalmos.

Elegia in Benevenii Poëtæ Florentini Eclogas, patrio illius ſermone compoſitas.

Alia ad Deum opt. max. deprecatoria.

Elegiarum libri, quibus adoleſcentiæ ſuæ amores complexus eſt, quas tamen maturiore juventâ, *Platonis* exemplo, Vulcano conſecravit: quod factum Epiſtolâ & Græco Epigrammate *Politianus* conqueritur.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii. Et ex Vitis 50. Viror. doctrinâ claror. Joh. Jacobi Boiſſardi.*

JACOBUS FUGGERUS.

Obiit A.C. 1525.

Filius *Jacobi* ſenioris, & nepos *Johannis*, civis *Auguſtani*, textoris & fundatoris familiæ *Fuggerorum*, natus eſt 6. Martii A. C. 1459.

A Summo Pontifice *Leone X.* Eques auratus & Comes *Palatinus Lateranenſis* creatus, ab Imp. *Maximiliano I.* cum totâ ſuâ familiâ nobilitate donatus, ejusdem & Imp. *Caroli V.* Conſiliarius fuit.

Comes Palatinus. Conſiliarius Caeſareus. Comes Kirchberg.

Ab eodem Imp. *Maximil.* tanquàm Archiduce *Auſtriæ* Comitatûs *Kirchbergam* & *Marſtetten*, tum etiam dominia *Weiſſenhorn*, *Pfaffenhofen* & *Wuelenſtetten* A. 1507. *Schmiehen* A. 1509. & *Biberacum* A. 1514. per emptionis modum accepit, & ad nepotes ſuos ex fratribus *Ulrico* ac *Georgio*, eorumque poſteros transmiſit.

Cum iisdem fratribus ſuis Sacellum in Cœnobio *Carmelitano* propriis ſumptibus exſtruxit, in eoque ſibi & poſteris ſuis ſepulturam cum cultu divino & certâ pecuniæ ſummâ condidit ac ordinavit.

Ædes pauperibus inhabitandas condidit. In ſuburbio *Auguſtano S. Jacobi* ipſe cum fratribus ſuis pro civibus pauperibus ædes condidit, 106. habitationes diverſas habentes: quod ædificium vulgò **die Fuggerey im Kappen-Ziffel** vocatur.

Primus Fidei commiſſi *Fuggeriani* fundator Teſtamento ſuo præter legata plurima Clericis deſtinata, facultates ſuas reſiduas ad familiæ *Fuggerianæ* conſervationem & augmentum conſecravit.

Sine liberis obiit. Tandem nullis ex conjuge *Sibyllâ Artzelinâ* relictis liberis, obdormivit 30. Dec. A. C. 1525. ætatis 67. Sepultus in Sacello ad *S. Annam* à ſeſe condito.

Hujus *Jac. Fuggeri* meminit *Henricus Pantaleon*, Medicus *Baſil.* in Proſopographiâ illuſtrium *Germaniæ* virorum.

Alius ejusdem nominis. Fuit etiam alius nomine *Jacobus Fuggerus*, *Johannis* filius, ex *Eliſabethâ Notbaftiâ* natus 18. Oct. A. C. 1567. qui primò Canonicus *Conſtantienſis* & *Ratisponenſis*, ac S. P. *Sixti V.* Camerarius, poſteà Præpoſitus *Conſtantiæ*, tandemque A. 1604. Epiſcopus electus eſt. Hic Dominus *Reichenaviæ* propriis ſumtibus *Conſtantiæ* Cœnobium *Capucinorum* ædificari curavit.

* *Ex Genealogiâ Germ. Fuggerorum A. 1620. editâ.*

JOH. FRANCISCUS PICUS MIRANDULÆ COMES.

Obiit A.C. 1533.

Galeoti *Pici* filius, Græcè & Latinè doctiſſimus, *Johannis Pici* Patrui inſtitutus exemplo, omnem operam navavit, ut aliquam perfectionem in rerum cognitione obtineret, in quâ nulli erudito ſeculi ſui cedere viſus eſt. Philologus.

Symbolum ejus. Habuit pro Symbolo & Emblemate S. *Franciſci* effigiem, cum inſcriptione: *Amoris miraculum*, quo oſtenderet, amicos eo affectu erga ſe invicem eſſe debere, ut communicent cum omnibus paſſionibus amicorum, & hoc Symbolum acceperat à Patruo *Johanne Pico*: quod & ſculpi aureis ducatis, quos cuderunt uterque, voluit.

Theol. & Philoſ. Poſt graves autem ærumnas, quibus præter Divina & humana Jura, ditione Paternâ & avitâ bis ejectus eſt, poſt Theologiæ & Philoſophiæ, aliarumque artium ſtudia, poſt multa demùm Volumina, quâ ſolutâ oratione compoſuit, ſe manſuetioribus Muſarum ſtudiis, tanquàm ad fontes amœnos ſolitus eſt recipere.

Interfectus. Obiit tandem crudeliter interfectus unà cum *Alberto* filio à *Galeotto* fratris *Ludovici* filio, cum ille nocturnis inſidiis captâ arce *Mirandulæ* dominatum ex paterno jure invadendum exiſtimâſſet A. C. 1533.

Scripta. Scripta ab eo edita, ſunt ſequentia:

De Veritate religionis Chriſtianæ contra ſuperſtitioſas vanitates.

De morte Chriſti & propriâ cogitandâ Lib. III.

De ſtudio Divinæ & humanæ Philoſophiæ Lib. II.

De Divini amoris imaginatione.

In Sermonem admonitorium gentium Juſtini Martyris.

Declaratio capitis, in Chriſto Pater, & Chriſtus in

ſtus in nobis: quod à Gratiano ponitur in Decret. de conſ. diſt. 2.

Stauroſticum Poëma Heroicum, de myſteriis Dominicæ Crucis.

De fide & ordine credendi Theoremata ad Julium II. Pont. max.

Hymni carmine Hexametro.

Carmen de expellendis fugandisq; Venere & Cupidine.

Lib. de Providentiâ.

De rerum prænotione Lib. IX.

Vita Johannis Pici patrui ſui.

Defenſio opuſculi de Ente & Uno à patruo conſcripti.

Epiſtolarum Lib. IV.

Hiſtoria univerſa ſuorum temporum.

De Dialecticâ ad filium Lib. V.

De immortalitate animæ.

Dialogus de ſerenâ conſcientiâ.

Tractat. de Ludificatione dæmonum.

* *Ex Elogiis Viror. doctorum Pauli Jovii: Ex Dialogo Lilii Gregorii Giraldi de Poëtis noſtri temporis. Ex vitis 50. Viror. doctor. Joh. Jacobi Boiſſardi.*

Epigramma de eo. *Johannes Latomus* hoc ei ſcripſit *Epigramma*:

Paſſus es immeritam (quis enim Franciſe negarit?)
Non minus inſigni cum feritate necem.
Sed juvat interea ſciolos inquirere quosdam,
Exitio quæ Te Fata dediſſe putent.
Sunt ea: laudatæ pietas ſanctiſſima vitæ,
Verus amor recti, mens ſine felle mali.

Obiit A. C. 1536.

HIERONYMUS FUGGERUS.

Ulrici ſenioris & *Veronicæ Laugingeriæ* filius 12. Aug. A. 1499. natus, & unà cum agnatis ſuis, Dom. *Raymundo* & Dom. *Antonio* ab Imp. *Carolo V.* in numerum Baronum & Comitum *Rom.* Imperii cooptatus, cum inſignibus Privilegiis, & Conſiliarii Cæſarei dignitate honoratus eſt. *(Baro & Comes. Conſiliarius Cæſareus.)*

Hic Dom. Patris ejusque Fratrum exemplum imitatus, pauperibus 20000. florenos teſtamento legavit: facultates verò ſuas reſiduas ad incrementum familiæ *Fuggerianæ* per Fidei commiſſum perpetuum deſtinavit, quo mediante Xenodochii *Fuggeriani Waltenbuſæ* fundator extitit. *(Erga pauperes munificus. Xenodochii Waltenbuſæ fundator.)*

Ultimus demùm ex lineâ maſculâ *Ulrici Fuggeri*, à *Jacobo* ſeniore propagatâ, cælebs obiit *Auguſtæ Vind.* 26. Nov. A. C. 1536. æt. 37. Sepultus in Sacello ad *S. Annam.* *(Cælebs obiit.)*

* *Ex Genealogiâ Fuggeror. Germ. editâ A. 1620.*

Obiit A. C. 1540.

THOMAS CROMWELLUS COMES.

Parentibus mediocris fortunæ natus, in juventute Cardinali *Thomæ Volſæo* unà cum *Thoma Moro* inſerviit, eique acceptus fuit. Poſteà Regi *Heinrico VIII.* commendatus, ſtrenuum ſe præbuit athletam in fide Evangelicâ, quæ tunc in *Angliâ* pullulare cœpit, propagandâ. *(Eccleſiam reformat.)*

Collocutus aliquando cum Camerariis & Quæſtoribus Regiis de Regni *Anglici* reditibus, in hæc verba prorupit, *ſi Rex mihi vellet obtemperare, procurarem, ut omnium Regum Chriſtianorum ditiſſimus evaderet.* Id cum Regi denuntiatum fuiſſet, quomodo hoc fieri poſſit? à *Cromwello* ſcire voluit, qui conſuluit, ut *Rex omnes Cœnobiorum theſauros ad ſe transferret, & Monachos otioſos, ex ſudore plebis inopis viventes, regno ejiceret.* Quod Conſilium adeò Regi placuit, ut mox *Cronwello* poteſtatem dederit, Monaſteria in 32. Regni Provinciis quamplurima demoliendi. *(Monaſteria deſtruit.)*

A. 1537. *Londini* Concilium generale de Religione, Regis juſſu, convocatum, in quo *Cromwellus* Præſidem Regium egit, & ſecum adduxit *Alexandrum Aleſium.* Comparuerunt tum Archiepiſcopi *Cantuarienſis* & *Eboracenſis* vel *Yorkienſis*, Epiſcopi *Londinenſis*, *Sarisburienſis*, *Badenſis*, *Elienſis*, *Herfordenſis*, *Cieeſtrienſis*, *Norwicenſis*, *Roceſtrienſis*, *Salopienſis* & *Wigornienſis.* Tunc de Sacramentis imprimis diſputatum, & licèt nil certi potuiſſet concludi, Eccleſia tamen *Anglica* in multò meliorem ſtatum, ac anteà fuerat, redacta eſt. *(Præſes in Concilio generali.)*

Prima dignitas, quam Rex in eum contulit, fuit Baronia de *Okeham* A. 1536. Deindè eum Equitem Ordinis *Georgiani*, Rotulorum Præfectum, Sigilli privati Cuſtodem, & Secretarium primarium conſtituit. Tandem Comitem *Eſſexiæ*, Conſiliarium intimum, magnum *Angliæ* Camerarium, & Ordinis Eccleſiaſtici Præſidem creavit A. 1539. *(Eques S. Georgii. Comes Eſſexiæ. Conſiliarius & Camerarius Reg.)*

Cum verò paulò poſt Rex Uxorem tertiam *Annam*, Ducíſſam *Clivenſem*, ſine culpâ, *Cromwello* diſſuadente & ægrè ferente, repudiâſſet, à *Thomâ* Duce *Norfolciæ* aliisque malevolis accuſatus, quod aliquando dixerit, *optare, ſe divortii Regii authorem pugione confodere poſſe*, ſubitò nilque minus expectans, in ipſo Regiorum Conſiliariorum conſeſſu prehenſus, & in carcerem, *Turrim* vocatum, conjectus eſt. Cumque legem paulò antè ipſe feciſſet, *quod quisque in Turrim Londinenſem captivus includeretur, mox ſine ulteriori inquiſitione morti adjudicaretur*, Majeſtatis Regiæ læſæ ſimùl & hæreſeos damnatus, 20. die poſtquam comprehenſus eſſet, ſecuri percuſſus eſt *Londini*, 28. Julii, A. C. 1540. *(Regi repudium diſſuadens in turrim Londinenſem conjicitur. Ex Lege propriâ condemnatus. Securi percutitur.)*

* *Ex Martyrologio magno Germ. D. Pauli Crocii; & ex Herologiâ Anglicâ, in quâ ſub ejus effigie hi verſus exſtant.*

Fortunæ ſpeculum Cromwellus ſcandit ad alta
Ut caſu graviore ruat, Regisque favore
Tollitur, hincq; cadit livore oppreſſus iniquè.

SIGIS-

Clar. A. C. 1559.

SIGISMUNDUS PRIMUS BARO IN HERBERSTEIN.

NAtus *Vipaci* in Ducatu *Styriæ*, Patre *Leonhardo*, Matre *Barbarâ*, ex familiâ *de Foramine* dictâ 23. Aug. A. 1486.

Fit Baccalaureus artium liberalium.

Imperante *Friderico III.* Studiorum cauſâ *Viennam* venit A. 1499. Ibique Baccalaureus artium liberalium renunciatus eſt A. 1502.

Imp. Maximiliani Conſiliarius.

Militiæ nomen dedit in *Hungariâ* ſub Imp. *Maximil. I.* A. 1506. & in bello *Veneto*, quod tum Imperator, Papa, & *Galliæ* Rex gerebant, equitatui *Styriæ* Præfectus factus eſt.

Legatus.

Ab eodem Imp. Eques auratus & Conſiliarius factus eſt A. 1514.

Ab eodem Legatus miſſus eſt ad Regem *Daniæ Chriſtiernum II.* 1516.

Ad Regem *Poloniæ Sigiſmundum Vilnam* 1517. Indè ad *Baſilium*, *Moſcorum* Ducem. Ad *Ludovicum* Regem *Hung.* 1518. ut ei, ne gubernatorem admitteret, ſuaderet.

Funus Imp. *Maximiliani I.* cum aliis bajulis, humeris ſuis in templum detulit 16. Januarii 1519. Paulò pòſt ad Regem *Carolum*, tunc electum Rom. *Imperatorem* in *Hiſpaniam Velutum* miſſus eſt.

Caroli V. Conſiliarius & Legatus in Moſcoviam.

Ab Imp. *Carolo V.* Conſiliarius *Cameræ* & *Styriæ* deſignatus 1521.

In adminiſtrationem regiminis *Auſtriaci* receptus 1523.

Poſteà Uxorem duxit.

Ferdinandi Legatus in Moſcoviam.

Cum *Moſcus* Oratores ſuos ad *Carolum* miſiſſet, qui fœdus cum *Maximil. I.* initum confirmarent, cum iis ſecundâ vice in *Moſcoviam* Legatus miſſus, *Ferdinandi* nomine cum *Leonhardo* Comite *Nagarolæ* Legato Imp. *Carolo* 1526. Reverſus, coronationi *Ferdinandi* in Regem *Bohem.* interfuit 24. Febr. 1527.

Ferdinandi Regis *Boh.* filiam primogenitam *Eliſabetham Sigiſmundo Auguſto*, Regi *Polon.* Pronubus & aulæ magiſter adduxit 1543. mens Maji.

Eidem ſecundam Sponſam, uxoris defunctæ ſororem, *Catharinam*, *Franciſci* Ducis *Mantuæ* Viduam, ex diſpenſatione Papæ adduxit 1553.

Et ad Papam & Venetos.

Obivit etiam legationes ad *Papam*, & *Venetos.*

In legatione *Hungaricâ* ſcribit, ſe ex faſtu & luxu prælatorum, regiſque contemtu cum dolore prævidiſſe, fatum illi regno imminere.

Fit Baro. Scripta.

Ob merita tribus Cæſaribus probata, familiæ ſuæ *Baro* primus declaratus eſt.

Scripſit *Commentarios rerum Moſcoviticarum, de eorum imperio, religione, & moribus.*

Tandem immunitate & rude donatus A. 1559. Æt. 73.

A. 1517. Cum in *Poloniam* Legatus ab Imp. miſſus *Vilnam* veniſſet, ibi inter alia matrimonium inter Regem *Poloniæ Sigiſmundum*, & *Bonam*, *Joh. Galeatii Sfortiæ* Ducis *Mediol.* filiam, Cæſare promovente, ipſo nuntio contractum fuit, & A. ſeq. 6. Dec. Regi Sponſa fuit adducta. Quâ pro operâ mille ipſi floreni à matre reginæ *Bonæ* promiſſi poſteà ab ipſo Rege numerati ſunt.

Indè è *Lithuaniâ* per nives, glaciem, & crebras paludes ad *Ruſſorum* Ducem profectus, *Moſcoviam* urbem Aprili pervenit, ubi cum Duce illo de induciis cum Rege *Poloniæ* ineundis egit. Dimiſſus ab eo, veſte geminâ talari pellibus Zebelinis ſuffultâ donatus, domum rediit.

A. 1522. *Noribergam* ad Conventum, in quo Ordines Imperii de bello *Turcico* & Religionis negotio deliberârunt ablegatus, *Ferdinandi* Archiducis Principis ſui locum in ſolemni conſeſſu tenuit.

A. 1527. è *Moſcoviâ* reverſus, ad ærarii ſeu Cameræ inf. *Auſtriæ* provinciarum præfecturam evectus, ei muneri fideliter præfuit.

Turcarum Imperat. fugat.

A. 1532. Cum *Solymannus*, *Turc.* Imp. expeditionem in *Hungariam* ſuſcepiſſet, ſed audito *Caroli* adventu retrocederet, *Herberſteinius* cum aliis equitibus expeditis *Turcæ* fugientis agmen inſecutus clade affecit. Ideò fiſco Regio in *Auſtriâ* præfectus fuit.

Legatus ad Turcarum tyrannum.

A. 1541. Cum iterum *Turcarum* tyrannus in *Hungariam* cum exercitu veniens magnam ſtragem edidiſſet, *Herberſteinius* cum *Nicolao*, Comite *Salmenſi*, legatus in caſtra tyranni ad veterem *Budam* miſſus honorificè exceptus, nec ſine donis dimiſſus eſt.

A. 1545. Cum *Joh. Lango* I.C. & Oratore Regio *Cracoviam* miſſus, dotem centum millium aureorum *Ung.* nomine *Ferdinandi*, Reginæ abſenti numeravit.

A. 1552. Cum eodem *Petricoviam* ad Comitia profectus, in *Polonorum* Conventu publico, Regis ſui nomine, *Sigiſmundum* & Regni *Pol* Ordines hortatus eſt, ut bellum adverſus *Turcam* ſuſciperet.

Interrogatus aliquando, quam nam earum, quas adiiſſet, regionum optimam duceret? reſpondit: In *Hungariâ*, *Italiâ*, *Galliâ* & *Hiſpaniâ* inveni potentiam, auri & argenti copiam, ſapientiam, & artes cum libertatibus multis: In *Poloniâ*, *Lituaniâ* & *Moſcoviâ* paupertatem, ſervitia, & onera gravia: ſed in *Germaniâ* omnium illarum rerum aliquid, & hanc mediocritatem eligendam puto.

ANTONIUS FUGGERUS.

Obiit A. C. 1560.

Comes, & Conſiliarius Cæſareus.

FIlius Dom. *Georgii* & Reginæ im *Hoff*, *Auguſtæ Vind.* natus 10. Jun. A. 1493. ab Imp. *Carolo V.* inter Barones & Comites Rom. Imperii cooptatus, ejuſdem nec non Regis *Ferdinandi* Conſiliarius fuit.

Conjugium ejus & Liberi.

A. 1527. Deſponſatus cum virgine *Annâ*, Dn. *Johannis Rechlingeri* ab *Horgau* filiâ, ex eâ undecim liberos, 5. filios & 6. Filias ſuſcepit. Ex filiis *Petrus* natu ultimus infans obiit. *Marcus*, *Johannes*, *Hieronymus*, & *Jacobus* ſuperſtites familiam propagârunt. Hic præter alias eleemoſynas 1000. florenos annui cenſûs pauperibus legavit, & domum

Pauperum patronus.



ANTONIUS FUGGER'
Comes et Consil. Cæſ.



HENRICUS BREDEODIUS
Burgg. Vianæ.



GEORGI' FUGGER
Comes



ANTONI' ab ORTENBU[RG]
Comes et Consil. Cæs.



IOHAÑ ab HOYA
S. Rom. Imp. Princeps



IOH. IACOB' FUGGER'
Comes et Consil. Cæſar.



HULDRIC' FUGGER'
Comes



MARCUS FUGGER'
Comes et Consil. Cæsar



GUILIEL. CECILIUS
Comes et Cancelar. Cantabr.



OCTAVIA' II FUGGER
Comes et Consil. Cæſar.



ROBERT' CECILIUS
Com. et Mag. Reg. Ang. Thesaurarius



CHRISTOPH: FUGGER'
Comes et Camer. Duc. Bava.



PHILIPP' EDUAR' FUGGER
Comes



ALBERT' IOHANNES
L. Baro de Seinsheim



FRANCISC' BACON.
Baro de Verulam. Eq. Angl.



CASPAR SCÖPPIUS
Comes Clarævallis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Google

Digitized by Google

domum peculiarem inter alias *Fuggerorum* ædes ædificavit, in quâ pauperes, ſubditi præcipuè familiæ ſuæ, ſcabie fœdâ ulceribusque malignis laborantes curarentur.

Waltenhuſæ Xenodochium ad 50. ſubditos pauperes utriusque ſexûs alendos exſtruxit. In codicillo, quem teſtamento ſuo adjunxit, 28000. florenos legavit, ex quorum cenſu annuo perſonæ pauperes calculis, herniis, ſimilibusq; malis afflictæ curari deberent. *Babenhuſæ*, præter ritûs quos ordinavit divinos, Scholam ad liberos ſubditorum informandos erexit, & ſtipendia pro ſtudioſorum pauperum in Academiis ſuſtentatione conſtituit: utque quotannis tres ſubditorum *Fuggerianorum* filiæ honeſtæ cum dotibus elocarentur, ordinavit.

Moritur. Morte tandem beatâ ſublatus exſpiravit 14. Sept. A. C. 1560. ætatis 68. *Babenhuſæ* in templi monumento, quod ſibi exſtruxerat, ſepultus. In eodem ſepulta jacet uxor ejus *Anna Rechlingeria*, quæ obiit 25. Martii A. C. 1548.

Fuit etiam alius, hoc nomen gerens, *Georgii Fuggeri* filius, primùm *Ferdinandi* Archiducis *Auſtriæ*, poſteà *Friderici III.* Electoris *Palatini* Conſiliarius, & mortuus *Gmundæ Suevorum* 13. April. A. C. 1615. ætatis 64.

* *Ex Genealogiâ Fuggeror. Germ. editâ cum iconibus A. C. 1620.*

JOHANNES TARNOVIUS, COMES.

Obiit A. C. 1561.

CAſtellanus *Cracovienſis*, ſummus exercituum Regni *Polonici* Dux, literis & armis clariſſimus, poſt ingenuas artes à puero non ſegniter perceptas, inſitâ ad majora virtute longinquas peregrinationes in adoleſcentiâ ſuſcepit, *Aſiâque* minore perluſtratâ, ac *Judæâ* religionis causâ aditâ, ad *Erythræum* usque mare vagatus eſt, & indè reflexo itinere *Ægyptum* ac totum *Africæ* tractum emenſus, contra barbaros deteſtandæ ſectæ addictos, *Emanueli*, *Luſitaniæ* Regi, fortem operam navavit, eoque bello virtutis militaris primum tyrocinium fecit, adeò ſecundâ famâ, ut cum domum rediens *Carolum V.* Cæſarem & *Leonem X.* ſalutaret, non ſolùm ab iis honorificè ſit exceptus, ſed ab iisdem Regi *Poloniæ Sigismundo* commendatus ſtatim univerſis Regni copiis præficeretur: quo in munere conceptam de ſe expectationem longè ſuperavit, *Petro*, *Moldavorū* Principe, ad *Obotrinum* profligato, ac dein majore belli mole *Moſcis* ad *Sterndubum* debellatis, & *Tataris*, gente ad continuas excurſiones effuſâ, per *Podoliam* ſæpiùs fuſis ac repreſſis.

Comes literis & armis clarus.

Peregrinationes ejus.

Regi Portugall. contra barbaros militavit.

Generalis militiæ Polon.

Verùm qui ſucceſsûs virtuti reſpondentes contra externum hoſtem hactenus fuerat expertus, immane quantâ invidiâ, poſt tot exantlatos pro patriâ labores inter ſuos laborare cœpit, quibus Imperatoris titulus meritis quæſitus non ſolum odioſus, ſed etiam ad extremum ſuſpectus fuit.

Itaque ſæpiùs repetitâ *Germanorum*, & *Bojorum*, poſtulatione, cum apud Cæſarem contra *Solymannum*, formidabilem Chriſtiani nominis hoſtem, Dux belli ſummus depoſceretur, honeſtè ſe excuſavit, rejectâ in fœdus, quod *Sigismundo* cum *Turcis* intercedebat, causâ, utque abſentiâ invidiam placaret, domum quaſi privatus conceſſit, ubi conſcientiâ tutus, qui tam glorioſè vixerat, jucundâ rerum à ſe præclarè geſtarum recordatione inter amicos & librorum oblectamenta conſenuit; tandemque vitâ deceſſit in curiâ ſuâ *Viecojonenſi* 6. Maji A. C. 1561. ætatis 73.

In otio literario conſenuit.

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES UNGNADIUS, BARO A SONNEK.

Obiit A. C. 1565.

VIr natalium ſplendore & induſtriâ propriâ clarus, cum aliquo tempore *Stiriæ* & *Carinthiæ* ſub Imp. *Ferdinando I.* præfuiſſet, religionis causâ patriam reliquit, & exul oblatum à *Chriſtophoro* Duce *Würtenbergico* hoſpitium ingreſſus, *Uraci* aliquandiu ſubſtitit, ubi cum incredibili propagandæ religionis deſiderio arderet, immenſis ſumtibus Biblia Sacra, & Theologorum aliquot Scripta per *Primum Traberum*, Theologum *Carniolanum*, in Linguam *Turcicam* & *Croaticam* converti, & ad gentes linguarum illarum peritas transferri curavit, laudabili ſanè & digno, quod ad poſteritatem transmittatur, pietatis exemplo, quod Principes & majoribus opibus ſubnixi imitentur. Ætate tandem gravis fatis conceſſit in *Viſtriciâ*, *Sueviæ* arce A. C. 1565. & indè *Tubingam* translatus, atque jubente *Chriſtophoro Würtenbergico* propè *Ulrici* Parentis ſepulchrum conditus eſt. *Thuan. lib. 38.*

Stiriæ & Carinthiæ Præfectus.

Propter relig. Uraci exul.

S. Biblia in Ling. Turc. & Croatic. converti curavit.

Tubingæ ſepultus.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

HENRICUS BREDERODIUS, COMES.

Obiit A. C. 1567.

AB *Hollandiæ* Comitibus genus ducens, eorum ſeu ſucceſſione ſeu beneficio *Vianam* Principatûs titulo ſibi vendicabat. Quâ de cum lis ei mota eſſet in Senatu *Mechlinienſi* à Procuratore fiſci, nulloq; fine terminaretur, id moleſtè ferebat vir elati animi, eoque in loco lite pendente ſe pro Principe nullis legibus obſtricto gerebat, Conſiliis plærisque ſecretis habitis, & confœderatis in *Belgio*, qui tunc *Geuſii* primùm appellabantur, illùc ad eum tanquàm ducem ſuum, ut in commune conſulerent, quotidiè confluentibus.

Princeps Vianæ.

Dux Geuſorum in Belgio.

Ipſe quoque ſtatim poſt Libellum ſupplicem *Margaretæ Parmenſi*, *Gubernatrici* porrectum, æneum nummum percuſſerat, in cujus anticâ parte inſcriptum erat: *Per tela per ignes*: in poſticâ: *Inſigne Vianenſe.*

Monetam ſingular. cudit.

Poſteà cum *Amſterodamum* cum ſuis conceſſiſſet, à *Parmenſi* locum relinquere juſſus, cum initio reſiſteret, *Torreo*, qui *Parmenſis* mandata

Amſterodamo diſceſſit.

Fffff

mandata attulerat, in cuſtodiâ tradito, tandem Nobilitatem toto *Belgio*, in civitatibus ac oppidis plebem, vi ſeu metu ad obſequium redactam videret, ipſe urbe diſcedit, & relictâ ſine præſidio *Vianâ*, quæ ſtatim *Carolo Briméo Megæ*, & *Joh. Lignéo Barbanſono Arenbergiæ* Comitibus, reliquias Proteſtantium inſequentibus patuit, conſcensâ navi fœderatis valedixit, cumque familiâ, & omni ſupellectile, quam aſportare ſecum potuit, *Embdam* appulit, indè in *Germaniam* profectus, ubi brevi tempore pòſt ex mœrore animi deceſſit A. C. 1567. Vidua ejus *Æmilia* ex Comitum *Meurſiorum* familiâ, ingentis animi fœmina, poſtea *Friderico III.* Septemviro *Palatino* nupſit. *Thuan. lib.* 41.

Embdam venit. Moritur

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1569.

GEORGIUS FUGGERUS.

COmitis *Raymundi* ex *Catharinâ Thurzonâ* filius 5. Dec. A. C. 1517. natus eſt. A. 1541. deſponſatus cum virgine *Urſulâ*, Dom. *Wilhelmi à Lichtenſtein* filiâ, filios ex eâ vivos reliquit *Philippum Edoardum*, *Octavianum Secundum*, *Julium Maximilianum*, *Antonium*, *Raymundum*, & *Johannem Georgium*, cum filiabus *Sidonia Iſabellâ*, *Annâ Jacobe*, & *Urſulâ*.

Conjugium ejus & Liberi.

Henricus Pantaleon, Medicus *Baſilienſis*, in Proſopographiâ ſuâ illuſtrium *Germaniæ* Virorum parte 3. laudat eum propter ſtudii Mathematici cognitionem, & quod cum *Petro Apiano* Mathematico *Ingolſtadienſi*, nec non cum *Cypriano Leovitio*, Aſtrologo, amicitiam coluerit. Meminit etiam, *Georgium* hunc toto corpore armatum equum præaltum absque ſtapedum adminiculo inſilire potuiſſe.

Mathematicus.

Elias Reuſnerus Leorinus, Profeſſor *Jenenſis*, in ſui *operis Genealogici Auctario*, in *Stemmate Fuggerorum* itidem præclarum eum Mathematicum nominat, virorumq; doctorum patronum.

Obiit tandem *Auguſtæ* in patriâ 25. Aug. A.C. 1569. ætatis 52.

Moritur.

* *Ex Genealogiâ Fuggeror. cum iconibus editâ Germ. A. C.* 1620.

* * * * * *

Alius hujus nominis *Marci Fuggeri* filius, *Tridenti* degens, Conſiliarius fuit Imp. *Rudolphi II.* & Orator ad Remp. *Venetam*. Alius adhuc *Georgius*, *Jacobi* filius, Impp. *Rudolphi II.* & *Matthiæ*, tum quoque *Ferdinandi* Regis *Hungariæ* & *Bohemiæ*, nec non *Maximiliani*, *Leopoldi* & *Caroli* Archiducum *Auſtriæ* Conſiliarius fuit & Camerarius.

Idem A. 1615. Eques Ordinis *Hiſpanici* de *Calatravâ* creatus, unà cum fratribus agnatisque ſuis *Auguſtæ* Cœnobium *Cappucinorum* fundavit, & xenodochio *Waltenhuſano* 10000. florenos donavit.

* *Ex eodem libro.*

Obiit A. C. 1573.

ANTONIUS, COMES AB ORTENBURG.

ORtenburgi natus, *Patre Joachimo* per 6. annos *Ambergæ*, *Palatinatûs ſuper.* Adminiſtratore, Matre *Urſulâ*, Comitiſsâ *Fuggerâ*, A. C. 1550.

Annum ætatis quintum egreſſus, in diſciplinam viris literatis traditus, domi, *Ingolſtadii*, *Argentinæ*, *Tubingæ*, in *Galliâ*, & *Italia*: in hâc *Romæ* dum degeret ſub Pontificatu *Pii V.* tyrannidem Inquiſitionis vix evaſit, cum corbi contectæ incluſus, & bajuli cujusdam humeris ex urbe deportatus fuit, referente *D. Philippo Camerario* I. C. in captivitate ſuâ *Romanâ* manu propriâ ſcriptâ.

Inquiſitionem Rom. evaſit.

A. C. 1569. in patriam reverſus, propter animi & corporis ornamenta *Maximiliano* Cæſari adeò fuit acceptus, ut ab eo in Collegium Conſiliariorum ſuorum cooptatus fuerit.

Conſiliarius Cæſareus.

A. 1571. Conjugii Societatem inivit cum virgine *Dorotheâ*, *Philippi* Comitis *Hanoviæ* filiâ, ex quâ poſthumum reliquit *Fridericum* eodem anno natum & mortuum.

Tandem â *Ludovico Würtenbergico* Duce expetitus & accerſitus, ad eumque, Cæſare permittente, profectus, in viâ ſupra *Ratisbonam* ſubitò delapſo è cerebro humore ad præcordia paucis horis extinctus eſt 23. Maji A. C. 1573. ætatis 22.

& Würtembergicum. Apoplexiâ obiit.

Dom. Parens ejus *Joachimus*, *Chriſtophori*, Conſiliarii *Cæſ.* filius, cum exul à ditionibus ſuis 26. annos abfuiſſet, Religionis Evangelicæ ſtudio, vitans *Bavari* indignationem, ærumnis confectus, poſtquàm ſexennio *Palatinatus ſuper.* adminiſtrator *Ambergæ* vixiſſet, *Norimbergæ* mortuus eſt, die 19. Martii A. C. 1600. ætatis 70.

Hic *Ortenburgi* filio *Antonio* hoc ſtatuit Monumentum:

D. O. M. S.

ANTONIO VETUSTISS. PROSAPIÆ COMITI ORTENBURGICO, MORIBUS, INGENII, CORPORIS, FORTUNÆ MUNERIBUS DIVINITUS ORNATO, CÆS. MAJESTATI MAXIMIL. II. â CONSILIIS, QUI SIBI FELICITER, REIPUBL. GERM. ET SUIS CALAMITOSE, IN IPSO ÆTATIS FLORE, ET AMPLISS. DIGNITATIS SPE, HUIC ÆRUMNOSÆ VITÆ BEATAM IMMORTALITATEM PRÆTULIT. JOACHIMUS PATER MOESTISS. UNICO ET OBSEQUENTISS. FILIO M. H. P. C. VIXIT ANN. 22. MENS. 9. DIES. 8. &c. ANNO 1573. MAJI DIE 23. REL. POSTHUMO FRIDERICO EOD. ANNO NATO ET MORTUO.

Epitaphium.

* *Ex Conc. fun. Matthiæ Platonis Paſtor. Amberg.*

Obiit A. C. 1574.

JOHANNES, COMES AB HOYA.

MAgni nominis in *Germaniâ* antiſtes, ex illuſtri Comitum *Hoyenſium* familiâ, Johan-

Guſtavi Reg. Suec. ex Sorore nepos. *Præſes Cameræ Imper.*

Johannis & *Margarethæ*, *Guſtavi*, *Sueciæ* Regis ſororis filius, qui *Lutetiæ Paris.* deindè in *Italiâ* literis operam dederat, & poſteà Cameræ Imperialis Præſes, diu magnâ cum laude prudentiæ & æquitatis munus hoc adminiſtravit.

Vir illuſtri gentis ſplendore, excellenti ingenio, multarum linguarum cognitione & munificentiâ cum paucis comparandus fuit, niſi ex ſodalium contagioſâ ſocietate priſtinam famam & præclaras animi dotes obſcurâſſet. Nam *Padebornenſis*, deindè *Oſnabrugenſis*, ac poſtremò *Monaſterienſis* Epiſcopus illorum Collegiorum ſuffragiis electus ex vitæ intemperantiâ, quam alienatio mentis per intervalla recurrens comitabatur, tandem mortuus eſt A. C. 1574. ætatis 43.

Epiſcopus triplex. *Moritur.*

In *Monaſterienſi* Epiſcopatu ei ſuffectus *Johannes*, *Wilhelmi*, Cliviæ Ducis, filius annos tunc tantùm 12. natus; *Oſnabruggenſis Henricus Sax.* Dux Archiepiſcopus *Bremenſis*, *Paderbornenſem Salentinus Iſenburgenſis*, Archiepiſcopus *Colonienſis* poſſeſſum iverunt. *Thuan. lib. 59.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOH. JACOBUS FUGGERUS.

Obiit A. C. 1575.

Fillius Dom. *Raymundi Fuggeri*, ex *Catharinâ Thurzoniâ Auguſtæ Vind.* 23. Dec. A. C. 1516. natus, Imp. *Caroli V. Ferdinandi & Maximiliani II.* Conſiliarius, *Auguſtâ* demùm diſceſſit *Monachium*, ubi *Alberto V. Bavariæ* Duci, Conſiliarii & Præſidis Cameræ aulicæ nomine per vitæ ſuæ tempus reſiduum inſerviit.

Conſiliarius Cæſareus. & Ducis Bavariæ

A. 1540. Conjugem duxit *Urſulam*, Baronis *Leonharti ab Harrach* filiam, ex quâ filios reliquit *Sigismundum Fridericum*, *Carolum*, *Alexandrum*, *Victorem Auguſtum*, *Maximilianum*, *Severinum*, & *Ferdinandum*: cum filiabus *Eleonorâ Sigund*, *Sigismundo* Baroni *Auſtriaco* à *Lamberg* nuptâ, & *Julianâ Benignâ* in conjugium datâ *Friderico* ab *Hoenegg*, Equiti *Styrenſi*.

Duplex Conjugium ejus, & Liberi.

Poſt obitum hujus uxoris, cum ſecundâ deſponſatus eſt *Sidoniâ à Colaus*, Dom. *Georgii Watzleri à Colaus* filiâ, quæ filios ei peperit ſuperſtites *Alexium*, *Joachimum*, *Albertum*, *Conſtantinum*, *Trajanum* & *Matthiam*: filias verò *Adelbertam*, Baroni *Tyrolenſi Chriſtophoro à Wolsperg*, & *Conſtantiam*, *Bernardino* Baroni ab *Hörmanſtein* nuptas.

Vitam tandem morte beatâ clauſit 14. Julii A. C. 1575. ætatis 59. *Auguſtæ* ſepultus in Sacello Templi *Dominicanorum* à ſeſe extructo.

Moritur.

* *Ex Genealogiâ Fuggeror. Germ. cum iconibus editâ A. C. 1620.*

PHILIBERTUS PINGONIUS, BARO SABAUD.

Obiit A. C. 1582.

Natione *Sabaudus*, Baro de *Cuſaco*, Dominus *Primiſellæ*, cum à pueritiæ annis in literis humanioribus: Poëſi imprimis, & ſtudio Hiſtorico ſeſe delectâſſet, in virum apprimè eruditum evaſit, qui apud *Emanuelem Philibertum*, ejusque filium *Carolum Emanuelem* Duces *Sabaudiæ*, Referendarii, Conſiliarii, Præſidis in Conſilio, Magiſtri Libellorum ſupplicum & Cancellarii vices gerentis muneribus egregiè perfunctus, *Taurini* tandem vitam morte beatâ clauſit 18. April. A. C. 1582. ætatis 57. Sepultus jacet in Templo *Dominicano* cum hoc Epitaphio:

Poëta & Hiſtoricus. *Conſiliarius Sabaudicus.*

Epitaphium.

PHILIBERTO PINGONIO

CUCIACIENSIUM BARONI, PRIMISELLÆ DOMINO PRÆSIDI INTEGERR. EM. PHILIB. PATRIS ET CAR. EMA. FILII SABAUDIÆ DUCUM LIBELLOR. SUPPLICUM IN SUPR. CONSILIO MAGISTRO, MAGNI CANCELLARII VICES GERENTI, POETÆ FACUNDISS. ET HISTORIOGRAPHO GRAVISS. ET PHILIBERTÆ DE BRUEL UXORI, MARGARITÆ VALESIÆ SAB. ET BITUR. DUCISSÆ ASSECLARUM NOBILIUM CUSTODI. VIXIT ILLE ANN. 57. MENSES 4. OBIIT TAURINI 1582. 18. APRIL. ISTA VERÒ ANN. 54. MENS. 4. OBIIT TAURINI 1591. 16. NOV. BEROLDUS BARO, LUD. ANG. MILES ET CAR. EM. FILII MOESTISS. P. P.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Lib. de Sindone Evangelicâ, quâ involutus D. Jeſus in ſepulchro fuit.

Hymni.

Diploma Pontificium.

Auguſta Taurinorum.

Arbor gentilitia Saxoniæ, Sabaudiæque Principum.

Un Trattato ſopra le 12. Tavole.

Iſtoria di Savoia diviſa in 30. libri. Hanc non abſolutam ob mortem autoris præmaturam Bibliotheca Ducum *Sabaudiæ* manuſcriptam conſervat.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

HULDRICUS FUGGERUS, COMES.

Obiit A. C. 1584.

Raymundi Fuggeri filius, ex *Catharinâ Thurzoniâ* natus *Auguſtæ Vindelic.* 20. April A. C. 1526. *Kirchbergæ* & *Weiſſenhorni* Dominus, S. P. *Pauli III.* olim Cubicularius, & poſteà Proteſtantium doctrinam amplexus, veterum ſcriptis liberali ſumtu comparandis & evulgandis intentus, eâque in re *Henrici Scrimgeri* & *Henrici Stephani* Typographi induſtriâ uſus eſt.

Comes. *Philologus.*

Exul tandem vixit *Heidelbergæ* apud *Fridericum III.* Electorem *Palatinum*, cui Bibliothecam fidam exilii ſui comitem propter Manuſcripta magni æſtimandam moriens legavit, vitâ defunctus *Heidelbergæ* 25. Junii A. C. 1584. æt. 59.

Moritur.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C. B.*

Cum rem domeſticam negligere à gentilibus arbitraretur, patrimonii aviti ampliſſimi adminiſtratione dejectus eſt: undè mœrore contracto in melancholiæ morbum incidit, quo ferè totâ vitâ conflictatus eſt.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Caſp. Cunradus Med. D. in *Proſopographiæ ſuæ Melicæ Millenar. II.* hoc ei ſcripſit diſtichon honorarium:

Tertius ut Paulus Papali frendeat ore!
Tertie grata tua eſt mi Friderice fides.

GUILIELMUS ASSONLEVILLIUS, BARO.

ObiitA.C. 1597.

Juriſconſultus.

A*Trebas*, Juriſconſultus, magni illius *Chriſtophori* filius, *Bouchautii* in *Brabantiâ* Toparcha & Baro. A primis annis oculis laboravit Anagnoſtâ uſus. *Duaci* primùm in Gymnaſio Regio, pòſt *Lovanii* ſtudia ſeriò tractavit.

Hanc lucis uſuram amiſit 5. Id. Junii A. C. 1597. ætatis 32. & conditus *Bruxellis* in templo primario. Leo *Meyerus Antverpienſis* curator funeris fuit à variis adornati, & *Ludovicus Dorleans* in Senatu *Pariſienſi* Regius Patronus hunc Tumulum amico poſuit:

Epitaphium.

ERGÒ JACES, WILHELME FILI, ET TE MORS OBRUIT INCLEMENTIUS? NON OBLUCTOR. SINT FATIS SUA IMPERIA, NOSTRA ERUNT OBSEQUIA. MORERIS, NAM MORTALIS ERAS, ET MORERIS PROBUS, HOC NOBIS SOLATIUM. SI TE JUVENEM RAPIT, EST FATI COECITAS; SI INTRA TRIDUUM, RAPACITAS; SI NOVELLUM PATREM, INHUMANITAS, SI ANNICULUM MARITUM, CRUDELITAS. VIXTI TIBI SATIS, NIMIUM SECULO AH! IMPURO ET TURBIDO, MIHI PARÙM, FILIOLÆ TUÆ PAUXILLUM, UXORI TANTILLUM, QUÆ ELIQUESCIT IN LACHRYMAS. CAPE PRO INFERIIS MEOS CANOS, IMÒ MEOS ANNOS, ET HUNC TUMULUM. TU PRÆISTI, SEQUIMUR NOS ET VOLENTES. SIC LEX JUBET. SED DUM MORAMUR, SALVE ÆTERNUM! FILI, ET ÆTERNÙM VALE.

Te deflent cuncti ſuccisum flore juventæ,
Mors, breviter dicam, credidit eſſe ſenem.

Ejus extant:

Scripta.

Declamatio Quodlibetica habita Lovanii in Scholis Artium A. C. 1588. 16. Dec. tribus diſtinct: Quæſtionibus.

Oratio Panegyrica, de Annuntiatione B. Virginis Mariæ Lovanii habita.

Atheomaſtix, ſive, Adverſùs Religionis hoſtes univerſos, inprimis Politicos, Diſſertatio.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

MARCUS FUGGERUS.

ObiitA.C. 1597.

A*Ntonii Fuggeri* filius ex *Annâ Rechlingeriâ* 14. Febr. A. C. 1529. *Auguſtæ Vind.* natus, Impp. *Maximiliani II.* & *Rudolphi II.* Conſiliarius fuit. A. 1561. inter Senatores patriæ cooptatus, & A. 1576.

Conſil. Cæſ. & Duumvir Aug.

Duumvir factus, hoc onere ſeſe A. 1585. certas ob cauſas liberavit, titulos tamen honorarios ad mortem uſque retinuit.

Scholam *Babenhuſanam* à Dom. parente *Antonio* fundatam ipſe cum fratribus ſuis *Johanne* & *Jacobo* legatis auxit. Ipſe ſolus autem ad incrementum xenedochii *Waltenhuſani* 10000. florenos donavit.

Erga pauperes beneficus.

Relictis tandem ex conjuge *Sibyllâ* Comitiſſâ ab *Eberſtein* cum filiabus aliquot filiis, *Georgio, Antonio, Philippo* & *Alberto* vitam morte beatâ finiit 18. Junii A. C. 1597. ætatis 69. Sepultus ad S. *Ulricum* in Sacello à ſeſe condito.

Liberi ejus.

Moritur.

Typis edidit:

Scripta.

Nicephori Caliſti Libros XVIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Cæſaris Baronii Tomum I. Hiſtoriæ Eccleſ. ex Latino ſermone Germanicè tranſlatum.

Ex ejusdem Bibliothecâ *Georgii Cedreni Hiſtoria* per *Guilielmum Xylandrum* ex *Græco Latina* reddita in lucem prodiit.

Nepos ejus ex fratre *Johanne Marcus Fuggerus* A. 1564. natus, primùm *Erneſti* Archiducis *Auſtriæ* Camerarius, deindè in Judicio Cameræ *Spirenſis* præſes, tandemque Imp. *Rudolphi II.* Ducisque *Bavariæ Maximiliani* Conſiliarius, Camerarius & Præfectus *Landspergenſis*, mortuus eſt 12. Dec. A. C. 1614. æt. 51.

* *Ex Genealogiâ Fuggeror. A. C. 1620. Germanicè editâ.*

GUILIELMUS CECILIUS, COMES.

ObiitA.C. 1598.

EX nobili familiâ *Sitſillorum* ortus, alterum Regni *Britannici* columen fuit, & ſincerus Evangelii Profeſſor. Reginæ *Eliſabethæ* per annos 40. Secretarius, ab eâ poſteà Magnus Regni Theſaurarius factus eſt, Baro *de Burgtoy*, Conſiliarius intimus, Eques aureæ Periſcelidis, & Cancellarius Academiæ *Cantabrigienſis*. Eadem Regina ab eo, ſed vix ab alio admoneri ſe ſuſtinuit in propoſitis ſuis.

Secretar. Angl. & Conſiliarius. Theſaurarius. Cancellarius Cantabrigienſis.

Senio tandem confectus obiit *Londini* 4. Aug. A. C. 1598. *Stanfordiæ* in Templo cum Majoribus ſuis ſepultus.

Moritur.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

Johannes Owenus hoc eum Epigrammate honoravit *Lib. II. Epigr.* 29.


Epigramma.

Perparvi ſunt arma foris, ſtratagemata parvi,
Sit niſi Conſilium Ceciliusque domi.
Cecilius velut alter Atlas Divinitùs ortus,
Hic humeris cœlum ſuſtinet, ille ſtatum.

OCTAVIANUS SECUNDUS FUGGERUS.

ObiitA.C 1600.

C*Omitis Georgii Fuggeri*, ex *Urſulâ Lichtenſteniâ* filius, mundum ingreſſus eſt 17. Januarii A. C. 1549. Nuptias celebravit *Auguſtæ* cum *Mariâ Jacobe Fuggeriâ*, Dom. *Johannis* filiâ, & unâ cum hujus ſorore *Annâ Mariâ Philippus* Baro *Rechbergicus* A. 1579. in quo feſto nuptiali per 14. dies celebrato



Digitized by Google



THOMAS HOWART
Comes Arundeli Angl.



CHRISTOPHO' MARTIN'
Baro à Degenfeld. General



IOHAÑES OXENSTIRNI'
Comes Suecicus.



GALLUS, BARO.
à Ragknitz.



IOHAN RUDOLPH' SCHMID
Baro à Schwartzenhorn



CURT REINICKE de GALLEÑ
Baro et El. Sax. Sup. Marschall.



GUILIELM' DURANDUS
Eps. Mimatensis Iuris consul



ACCURSI' FLORENTIN'
Iuris Prof. Bononiæ



S. IVO Iurisconſ. et Officialis
Trecor. in Angl.



AEGIDIUS de FOSCARARIS
Iurisconſul. Bononienſis



RICHARD' de MALUMBRIS.
Iuris Profes. Patavii.



DINUS MUGELLANUS
Iuris Consult. Bononienſis



BARTOL' de SAXOFERRATO
Iuris Prof. Pis. et Imp. Caroli IV Con.



FRANCIS. ALBERGOTTUS
Iuris Consultus Florẽtinus



BALDUS VBALDUS
Iuris Profes. Ticini



PETRUS ANCHARANUS.
Iur. Consult. Bononienſis

Digitized by

lebrato quotidie 200. menſæ dapibus fuêre ſtratæ.

Prætor & Duumvir Auguſtanus. Conſiliarius Cæſareus.

A. 1580. In Senatum patriæ receptus, quinquennio poſt Ædilis, tandem A. 1594. Prætor *Auguſtanus* ac Duumvir fuit creatus. Conſiliarius quoque fuit Imp. *Rudolphi II.* Filiis ex conjuge relictis *Chriſtophoro, Franciſco*, & *Ferdinando*, cum filiabus *Mariâ* & *Eliſabethâ*, vitam morte beatâ finiit ult. Aug. A.C. 1600. ætatis 52.

Moritur.

Sepultus ad *S. Ulricum* in Sacello, quod ipſe condidit.

* *Ex Genealogiâ Fuggeror. cum iconibus A. 1620. editâ.*

Obiit A.C. 1601.

RICHARDUS STREINIUS, BARO.

IN *Auſtriâ* liber Baro, Antiquitatum *Romanarum*, (quas & ſcriptis illuſtravit,) cognitione præſtans, unam & alteram pro *Ordinum Belg.* libertate defenſionem, ſed ſuppreſſo nomine, veritus *Auſtriacorum* offenſionem, publicavit. Poſtremò in Theologicis ſtylum exercuit, & ad *Robertum Bellarminum* admonitionem expreſſo nomine ſcripſit. Tandem in vivis eſſe deſiit. A. C. 1601.

Scriptor Antiquitatum Romanarum. Defenſor libertatis Belgicæ. Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1612.

ROBERTUS CECILIUS, COMES.

FIlius *Gvilielmi Cecilii* ſecundogenitus, admodùm adoleſcens Equeſtri dignitate à Reginâ *Angliæ Eliſabethâ* inſignitus eſt.

Legatus Anglicus.

A. 1587. Legatus Regius in *Hollandiam* venit ad litem inter Status & Comitem *Liceſtriæ* exortam componendam.

Secretarius Anglicus.

A. 1598. Paulò ante Dom. Parentis obitum, Reginæ *Eliſabethæ* Secretarius factus, Regni negotia adminiſtravit. Poſteà *Curiæ Wardorum*, ſeu Pupillorum præfectus eſt.

Baro & Comes. Eques Periſcelidos aureæ. Magnus Theſaurarius.

Poſt obitum Reginæ *Eliſabethæ* A. 1604. à Rege *Jacobo VI.* Baro primùm *Eſſingtoni*, deindè Vice-comes *Cramborniæ*, tandem Comes *Sarisburiæ*, & Eques Periſcelidos aureæ creatus eſt. Magnus quinetiam Regni Theſaurarius factus eſt A. C. 1608.

Juxta *Tameſis* ripas exſtruxit ſumptuoſam domum *Cecilii* gerentem nomen, & non procul ab illâ pulcherrimum Periſtylium, quod *Burſa Britannica* vocatur.

In reditu tandem ex Urbe *Bathoniæ Thermarum* animam efflavit M. Majo A.C. 1612.

* *Ex Herologiâ Anglicâ.*

Epigramma.

Johannes Owenus hoc cum *Epigrammate* honoravit *Lib. II. Epigr. 17.*

Tu Secreta tibi regnorum credita ſervas,
Eſtque tuæ fidei ſemper habenda fides.

Obiit A.C. 1615.

CHRISTOPHORUS FUGGERUS.

FIlius *Johannis* & *Eliſabethæ Nothaftiæ*, 11. Nov. A.C. 1566. natus, primùm Camerarius fuit *Wilhelmi Ducis Bavariæ*, deindè filii ejusdem *Maximiliani*, nec non *Maximiliani* Archiducis *Auſtriæ*. Ex Conjuge *Mariâ* Comitiſſâ *Schwarzenbergicâ* filios reliquit *Joh. Erneſtum* A. 1590. natum, Præſidem poſteà Judicii Cameræ *Caſ. Spirenſis*, Imp. *Matthiæ* Conſiliarium, Regisque *Hungariæ Ferdinandi* Camerarium, tandem Ordinis *Hiſp.* S. *Jacobi* de *Spadâ* Equitem A. 1616. creatum: & *Ottonem Henricum Fuggerum* A. 1592. natum, Regis *Hungariæ Ferdinandi* Camerarium, & *Oenipontî* Regiminis *Auſtriaci* Conſiliarium, demùm Regis *Hiſp.* militiæ Ducem.

Camerarius Ducis Bavariæ. Pater Johannis Erneſti & Ottonis Henrici.

Poſtquàm Collegio Soc. Jeſu in patriâ 40000. florenos teſtamento donâſſet, placidè obdormivit 29. Dec. A. C. 1615. ætatis 51.

Moritur.

* *Ex Genealogiâ Germ. Comit. Fuggerorum A. 1620. editâ.*

Obiit A. C. 1618.

PHILIPPUS EDOARDUS FUGGERUS.

DOmini *Georgii Fuggeri*, ex *Urſulâ Lichtenſteniâ* filius 11. Febr. A. 1546. natus eſt. Ex conjuge *Mariâ Magdalenâ*, Baroniſſâ à *Königseck* filios reliquit *Carolum*, *Fridericum*, & *Hugonem*; filiasque *Barbaram*, *Annam Sophiam*, & *Juſtinam*.

Conjugium ejus & Liberi.

Hic unà cum fratre *Octaviano Secundo* author fuit Collegii Patrum Societatis Jeſu *Auguſtæ* exſtructi ex 30000. florenis à Dom. *Chriſtoph.* Fuggero ad pias cauſas deputatis. Studiis Aſtrologicis præ cœteris addictus, inſignem Bibliothecam reliquit.

Collegii Societ. JEſu fundator. Aſtrologiæ deditus.

In Deo tandem obdormivit 14. Aug. A. C. 1618. ætatis 73. quam nullus ante eum in hâc familiâ attigit. Sepultus jacet in Sacello ad S. *Ulricum* à ſeſe condito.

Moritur.

* *Ex Genealogiâ Fuggerorum cum iconibus editâ Germ. A. 1620.*

Obiit A.C. 1618.

ALBERTUS JOHANNES, BARO SMIRTZICIUS.

ULtimus familiæ ſuæ in arce *Bohemico Scalenſi*, ex illuſtribus parentibus *Sigiſmundo Smirtzicio* & *Hedwige Haſenburgicâ*, natus eſt 20. Dec. A. C. 1594.

Muſis velut & Gratiis obſtetricantibus à teneris unguiculis Divinam animi indolem ad veram Pietatem, generoſam Virtutem, & elegantiores Muſas adjicere ſtuduit. Domi igitur optimis moribus imbutus, cum ex ephœbis exceſſiſſet, humaniorum literarum causâ in *Gorlicenſium Luſatorum* Gymnaſium amandatus eſt.

Studioſus Gorlicii.

Ætate & eruditione adultior *Heidelbergam* petiit, indè *Genevam Allobrogum* profectus, *Galliam*, *Belgium*, & *Angliam* peragravit. Cum autem intereà patruus ejus & Tutor *Albertus Wenceslaus Smirtzicius* fatis defunctus eum ditionum ſuarum hæredem nominâſſet, *Bohemiam* Patriam repetiit, ut de rebus ſuis prudenter diſponeret. Quâ factâ domi proviſione, aſſumto ſecum itineris & ſtudiorum, præſertim poëticorum, comite, *Dominico Perſio* Franfur-

Heidelberga, & Geneva. Baronis Alb. Wenceslai Smirzizii hæres in Bohemiâ.

coſartenſi (quem, quoad vixit, Conſiliarium ſuum præcipuum magni ſemper fecit) in *Italiam* excurrit, in eâque perluſtrandâ integrum annum poſuit.

Uxorem ducere voluit. A. 1617. Ex *Italiâ* redux, *Æmiliam Eliſabetham, Philippi Ludovici* Comitis *Hanoviæ* Imp. *Rudolphi II.* olìm Conſiliarii filiam (quæ poſteà *Wilhelmo Haſſiæ Landgravio* deſponſata fuit) conjugii ſibi vinculo ſociandam elegit, jamque in eo res erat, ut illuſtri Sponsâ in *Bohemiæ* Regnum adductâ nuptiarum ſacra ſplendidè peragerentur, cum fatalis illa & ſubita totius *Bohemiæ* ab inteſtinis inſidiis oborta conquaſſatio inſtitutum illud præpedivit.

Eâ occaſione factum, ut *Smirtzicius* hic autoritate Diplomatis Cæſarei à trino Evangelico Ordine unanimi ſuffragio in *Director Bohemiæ.* numerum Directorum, ut vocant, Defenſorumque adſcriptus fuerit: quam provinciam tantâ obivit induſtriâ, ut poſthabito valetudinis diſcrimine, militum manu conſcriptâ, ipſemet caſtra ingreſſus ſit.

Cum autem *Pilſnam*, urbem *Bohemiæ*, decreto Directorum obſidione cinctam advolâſſet, ſecretiora quædam cum *Mansfeldio* deliberandi causâ, illicò morbo correptus *Pragam* iter inſtituit, ut eò commodiùs medicamentis uti poſſet. Ibi pro thalamo tumulum adeptus inter preces ardentes *Pragæ obiit* placidè exſpiravit d. 8. Nov. A. C. 1618. ætatis 24.

Naturæ inſtinctu, dum viveret, ad rem *Poëta Epigrammata ſcripſit.* metricam totum ſe compoſuit, ut nullum diem ſine elegantis alicujus Poëtæ lectione ſibi elabi paſſus fuerit, & inter man' ſæpè ſi quæ jucunda occurreret materia, feſtivum & terſum aliquod ad venam *Ovidianam* accedens Epigramma promptè expediret.

Extant adhùc pauca ipſius *Epigrammata* à funere rapta, quæ, quantùm divino *Scripta.* *Smirtzicii* ingenio deferendum ſit, clarè evincunt.

Wenceslaus Clemens Zebracenus, Poëta *Bohemus*, Poëma Epicum tribus libellis diſtinctum edidit, quod *Smirtzicias* inſcripſit, in quo ex antiquis rerum *Bohemicarum* Faſtis ſtudiosè ſingula familiam hanc illuſtrem & vetuſtam concernentia conquiſivit.

* *Ex Programmate publ. Johannis Jeſſenii à Jeſſen Acad. Pragenſis tunc Rectoris ſuper obitum Herois Smirtzicii evulgato: & ex Funeralibus Academiæ Bohemicæ.*

* * * *

A. 1606. Soror hujus *Smirtzicii* natu major à Patre, ob varias ſuſpiciones ſiniſtras, in arce quâdam editâ, victu neceſſario ſubminiſtrato, captiva detenta fuit. Hanc Anno demùm 1619. Patre jam cum Fratre è vivis ſublatis, *Otto*, Baro *Wartenbergicus*, arce noctu clàm conſcensâ, ex cuſtodiâ liberavit, & brevi pòſt ſibi deſponſavit. Sed *Henricus* Baro *Slawata*, ſororis *Smirtzicii* natu junioris maritus, eâ re perceptâ, *Wartenbergium* coràm Rege *Bohemiæ Friderico* tunc *Pragam* ingreſſo accuſavit, qui cuſtodiæ mancipatus eſt.

Re verò à Regni Proceribus ſatis deliberatâ, ab iis tota *Smirtziciana* ditio *Slawatæ* attributa, cumq; eo pro regni more, Commiſſarii in oppidum *Gitſchinum*, in quo Uxor *Wartenbergii* ſedem fixerat, ablegati ſunt, qui ſubditos ad juramentum fidelitatis *Slawatæ* præſtandum adegerunt.

Eam ob rem graviter indignata *Wartenbergii* uxor, milites in Arcem ſuam convocatos, poſtquàm ad conſtantiam hortata eſſet, vino pro libitu porrecto ebrios reddidit, & veſperi cunctos in cameram quandam ſubterraneam deduxit, ut cuique pulverem tormentarium pro ſui defenſione porrigeret. Sed militibus ebriis hinc indè diſcurrentibus, ignis ſcintilla fortuitò pulveri illapſa omnem incendit. Indè momento temporis Arx tota pulveris incenſi impetu funditùs diſrupta concidit, & ita cum Baroniſsâ *Wartenbergicâ*, Baro *Slawata*, Commiſſarii, Milites ultra 60. perſonæ miſerè perierunt.

RUDOLPHUS CAMPEGIUS, COMES.

Obiit A. C. 1624.

EX illuſtri & antiquâ domo *Bononiæ* natus ſtudiis Poëticis imprimis delectatus & Academiæ *Gelatorum* in Patriâ cultor multa pro eâ in proſâ & verſibus ſcripſit. In Operibus charitatis ſingularis ſedulum imprimis ſe exhibuit Sodalitatis ſocium, nomine Confortatorum ad mortem à Juſtitiâ condemnatorum. *Poëta.*

In ſenectute ſtudiis ſerioribus addictus, Magiſtratûs munia ſibi commiſſa ſummâ cum prudentiâ & vitæ integritate adminiſtravit. In Patriâ tandem vitâ defunctus eſt 18. Junii A. C. 1624. & ſepultus in Templo Annuntiationis. *Senator Bononienſis.*

Præ cæteris Encomiis, ab eruditis ei ſcriptis, hoc excellit. *Elogium.*

Rudolpho Campegio Comiti
Patricio Bonon. & Patriæ delitiis, qui
Nobiliſſimæ ſtirpi ſurculos omnigenæ virtutis
inſeruit.
Cujus portica ædificia altiſſimè ſublata luminibus Græciæ offecerunt.
Cujus Tuſca dicendi amœnitas Latiam inter
aſperitates reliquit.
Qui Heliconis fontem in oculis Mariæ lacrymantis invenit.
Cujus Muſam peramaros eos fluctus dulce natantem ſuſtinent Angeli, & venerantur.
Cujus laurus per ipſa invidiæ ſpicula glorioſè
ſerpit.
Amico viventi & nunquam non victuro Claudius Achillinus
impetu veritatis & amoris tractus.

Linguâ patriâ compoſuit: *Scripta.*

Delle Poëſie parte 1. laqual contiene Sonetti,
Ottave, Seſte, Rime,
Odi Pindariche, Canzonnette & Madrigali.
Parte II. che contiene Compoſizioni Drammatiche.
Filarmindo favola Paſtorale.
Italia conſolata, Epitalamio per le Nozze di
Vittorio

Vittorio Amadeo Precipe di Piemonte con Chriſtina di Francia.

Racconto de gli Heretici Iconomiaſti giuſtificati in Bologna A. 1622.

Lagrime di Maria Vergine, Poëma Heroico.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Obiit A. C. 1626.

FRANCISCUS BACONUS.

NAtus eſt in Palatio *Eboracenſi*, infra plateam dictam *le Strand*, juxta *Londinum*, 22. Januarii, Anno ſalutis humanæ 1560. Patrem habuit Illuſtrem illum *Eliſabethæ* Reginæ Conſiliarium; Matrem, *Annam Cocam*, *Antonii Coci*, Equitis itidem Aurati è filiabus unam, *Græca & Romanæ* Linguæ peritiâ non mediocriter pro ſexu muliebri imbutam.

Annos pueritiæ teneriores non ſine eximiis præcellentiæ ſpeciminibus transegit, quâ ætate eâ indole & ingenii acumine præditus fuit, ut ſpem magnam injecerint profundæ illius & univerſalis apprehenſionis, quâ poſteà inolaruit, & in notitiam procerum complurium, aliorumque tàm dignitate quàm officiis eminentium Virorum induxerint.

Eruditio ejus haud vulgaris.

Ante omnes autem Reginæ ipſius cum eo colloqui & quæſtionibus difficilioribus tentare, ſæpiuſculè volupe fuit: ille autem tantâ gravitate & judicii maturitate, ſupra ætatem ſe expedire valebat, ut Regina eum Dominum Cuſtodem ſigilli minorem appellare ſolita ſit.

Interroganti, quot annos natus eſſet? Ingenioſè, etiam puer adhuc, reſpondit: ſe regimine ejus felici duobus annis juniorem fuiſſe. Ætate Academicæ literaturæ pro more idoneâ, vel potius paulò maturiùs, in album Collegii Sanctæ & Individuæ Trinitatis *Cantabrigiæ* Patris juſſu relatus eſt, ſub tutelâ Reverendiſſimi Viri Dn. *Johannis Whitgifti*, Sacræ Theologiæ Doctoris, eo tempore Collegii illius Præfecti, poſteà autem percelebris Archi-Epiſcopi *Cantuarienſis*, Præſulis Magnitudinis primæ, Sanctitate, doctrinâ, patientiâ & humilitate fulgentiſſimi, ſub quo in Artibus & ſtudiis liberalibus mirificè profeciſſe deprehenſus eſt.

Dum adhuc in Academiâ ſtudiis incubuit, tantum non ſedecim annos ætatis nacto, Philoſophia *Ariſtotelica* primùm inſipida viſa fuit, non propter vilipendium Auctoris, quem ſummis ſemper laudibus evehere in more habuit, ſed propter inefficacitatem viæ; ejuſmodi nimirum cum eſſet hæc Philoſophia, quæ ad Diſputationes & contentiones ſolùm nata, ad productionem autem Operum, quæ vitæ humanæ commoda eſſent, ſterilis omninò fuerit: in quâ mente ad extremum uſque ſpiritum perſtitit.

Poſtquàm Artium Liberalium Encyclopædiam emenſus fuerat, operæ pretium Patri viſum eſt, eum ad Artes Politicas applicare; cujus rei gratiâ, in *Galliam* in Comitatu *Amicii Powletti*, Equeſtris Dignitatis Viri, ad Regem *Galliæ* eo tempore Legati ordinarii deſignati, mittendum curavit, à quo non multò poſt idoneus habitus eſt, qui in *Angliam* ad nuntium Reginæ perferendum remitteretur. Quo quidem negotio perfunctus, non ſine gratiis à Reginâ redditis, in *Galliam* ſecundò remeavit, eo conſilio, ut non niſi poſt annos aliquot exactos *Angliam* repeteret. *Ejus iter.*

Reverſo iterùm è *Galliis*, de genere vitæ ſtatuendum fuit. Itaque Juris *Angliæ* Municipalis ſtudio & profeſſioni ſe addixit. In quâ ſpartâ ornandâ, eximios brevi progreſſus fecit, licet (quæ ipſius verba ſunt) peritiam illam, tanquàm acceſſoriam, ſive ſubſidiariam, non tanquàm principalem amplexus ſit.

Varios Tractatus circa hoc argumentum, à principio emiſit. In quibus, quamvis ab aliquibus Profeſſionis illius Coriphæis mole & caſuum numero fortè ſuperaretur, pondere tamen & fundamentorum ac myſteriorum Juris ſcientia, nemini ceſſit.

Nondum tyrocinium in lege egreſſus, à Reginâ in Conſilium ſuum doctum extraordinarium adſcitus eſt, gratiam vix cuiquam anteà delatam. *Conſiliarius Regius.*

Sedem ſibi delegit ſtudiis ſuis & officio Advocati commodam inter honorabilem Societatem hoſpitii *Grejenſis*: In cujus Societatis numerum ſeſe adſcripſit, ubi elegans illud ædificium ſive ſtructuram erexit, quæ hodiè Baronis *Baconi* nomine innoteſcit, quam per vices maximam partem vitæ uſque in diem mortis incoluit.

Natalibus atque ingenuis animi ſui dotibus hoc debuit, ut facilior ei & liberalior ante reliquos Profeſſionis ejuſdem aditus pateret ad aulam Principis, adeoque in conſpectum Reginæ ipſius, quæ ſermones cum eo ſeorſim & ſummâ cum facilitate miſcere (quoties commodum erat,) aſpernata non eſt, non ſolùm circa Profeſſionis ejus res & materias juridicas, ſed etiam circa ardua negotia Status Regni, cujus reſponſis de tempore in tempus libentiſſimè acquievit.

Veruntamen quamvis benignitate vultus ſui eum abundè refocillaverit, nunquàm tamen refocillavit benignitate manus, utpotè quæ ad nullum publicum munus ſive honoris, ſive emolumenti, eundem promoverit, demptâ unâ Reverſione ſiccâ Officii Regiſtrarii in Camerâ ſtellatâ, annui, ut putabatur, valoris mille & ſexcentarum librarum, in cujus poſſeſſionem non ante annos viginti aut circiter devenit. De quo officio *Eliſabethæ* tempore feſtivè dixit: Illud ſibi eſſe inſtar fundi alieni ædibus ſuis adjacentis, qui proſpectum meliorare, horreum autem ejus replere non poſſit. Verùm regnante *Jacobo*, illo tandem officio potitus eſt, & per Deputatum adminiſtravit.

Hoc autem nullo modo tribuendum malevolo aut infenſo in eum Reginæ ipſius animo, ſed artibus & æmulationi cujuſdam

è pro-

è Proceribus eâ tempeſtate apud Reginam potentis, qui eum omnibus modis deprimere & coërcere ſedulò curavit, ne ſi ad faſtigium aliquod attolleretur, propria per eum gloria obfuſcaretur. Quamvis autem tempore Dominæ ſuæ *Eliſabethæ* Reginæ retardationem diutinam paſſus ſit, poſt regiminis tamen mutationem & ingreſſum Domini ſui novi *Jacobi* Regis, in citato gradu perrexit, à quo fiduciæ, honoris & proventuum muniis eximiè cohoneſtatus eſt.

Viſæ ſunt deſuper literæ quædam propriâ ad *Jacobum* Regem manu conſcriptæ, quibus talem illum fuiſſe erga ſe Dominum agnoſcit, qui repetitis ſubindè favoribus novies cumulâſſet, ter Honoribus, ſexies autem Officiis.

Alia ejus Officia. Officia hæc erant: Conſilium doctum extraordinarium Regiæ Majeſtati ſuæ: Regis Solicitator Generalis, Atturnatus Regis Generalis ſive Procurator Primarius, cooptatus in ſanctius Regis Conſilium, dum adhuc Atturnati locum geſſit, Dominus Cuſtos Magni Sigilli *Angliæ*, ultimò Dominus Cancellarius *Angliæ*. *Honores.* Honores erant, primò Eques Auratus, dein Baro *Verulamius*, poſtremò Vice-Comes Sancti *Albani*.

Conjugium Circa annos magis propitios de Matrimonio contrahendo conſilium cepit. Itaque in uxorem duxit *Aliciam*, filiam, & hæredum unam *Benedicti Barnhami* Armigeri & *Aldermanni Londinenſis*; cum quâ dotem ſatis amplam & lautam, tàm in terris, quàm in pecuniis numeratis, recepit: Liberos autem nullos ex eâ ſuſcepit.

Quinquennium extremum vitæ ſuæ à negotiis civilibus & vitâ activâ retractus, ſtudiis & contemplationibus inſumpſit. Quæ res ſanè viſa eſt ei maximè cordi fuiſſe, ac ſi in umbrâ potiùs, quàm in luce commori optâſſet. Cujus etiam non obſcura indicia in operibus ejus perlegendis reperire licet. Quo temporis ſpatio, librorum ſuorum, tàm *Anglicano*, quàm *Romano* ſermone conſcriptorum, maximam partem exaravit, qui juxta temporum ſeriem, quo conſcripti erant, ſic ſe habuerunt.

Scripta. *Hiſtoria Regni Henrici ſeptimi Regis Angliæ* ſermone patrio.

Abecedarium Naturæ, ſcriptum *Metaphyſicum*, quod malo fato periit.

Hiſtoria Ventorum.

Hiſtoria Vitæ & Mortis.

Hiſtoria Denſi & Rari.

Hiſtoria Gravis & Levis, quæ itidem periit. Hi Libri ſtylo Romano ſunt elucubrati: dein fragmenta quædam *Anglicana*; quæ fuerunt:

Diſſertatio de Bello cum Hiſpanis gerendo.

Dialogus de Bello ſacro.

Fabula Nova Atlantidis.

Præfatio, Digeſto de Legibus Angliæ præfigenda.

Initium Hiſtoriæ Henrici Octavi Regis Angliæ.

Intervenerat Opus de *Augmentis Scientiarum*, in quo è linguâ vernaculâ, proprio Marte in Latinam transferendo, plurimùm deſudavit, & multis ſubindè ac variis editionibus locupletavit.

Poſteà *Conſilia Civilia & Moralia* (anteà *Delibationes* dictæ) tunc autem & numero & pondere aucta, idiomate *Anglicano*.

Pſalmorum Davidis nonnulli in rhythmos Anglicanos compoſiti.

Iterum Verſio quorundam è ſcriptis ſuis de Patrio in ſermonem *Romanum*, quæ fuerunt:

Hiſtoria Regni Henrici Septimi Regis Angliæ.

Conſilia Civilia & Moralia, exindè dicti *Sermones Fideles*, ſive *Interiora Rerum.*

Dialogus de Bello Sacro, & Fabula Nova Atlantidis, in gratiam exterorum, apud quos expetiri inaudiverat.

Liber de Sapientiâ Veterum recognitus.

Inquiſitio de Magnete.

Topica Inquiſitionis de Luce & Lumine.

Ultimum locum tenuit *Sylva Sylvarum*, ſive *Hiſtoria Naturalis*, opus *Anglicum*, nunc verò Latinitate donatum.

Atque hi fructus fuêre, qui in umbrâ annorum quinque memoratorum maturuerunt, Libris, quos ante quinquennium illud elaboravit, non recitatis.

Quin & propoſitum illi fuit (mandante Sereniſſimo Rege *Carolo*) *Hiſtoriam Henrici Octavi Angliæ Regis* contexuiſſe, ſed opus illud ultra deſignationem ſolam non proceſſit, DEO ulteriorem vitam celeberrimo Autori minimè largiente.

Extat tamen ſpecimen quoddam *Hiſtoriæ* illius, quam paucæ unius diei horulæ matutinæ olim parturierunt, inter opera ejus Miſcellanea *Anglicè* edita, per quod ex ungue Leonem dignoſcere poſſis.

Quotieſcunque ex officio premebatur, Reum aliquem peragere (quod muneris Regiæ Majeſtatis Conſilio Docto incumbebat) ſive in Criminalibus ſive in Capitalibus, nunquàm ſe ſuperbum, aut faſtuoſum, verſus delinquentem præbuit, ſed ſemper lenem & decenti temperie affectum: & quanquam ſciebat, ex munere ſuo eſſe, pro parte Regis crimen adverſus reum, pro virili ſuâ urgere & aggravare, ita tamen ſe geſſit, ut ſeveritatis oculo Exemplum, Miſericordiæ perſonam intueretur. *Ejus Civilitas.*

In negotiis autem ſtatus, quando in Sanctius Regis conſilium aſcitus fuit, optimum conſulendi modum tenuit, non implicando Dominum ſuum in conſiliis aliquibus temerariis, aut populo gravioribus, ſed temperatis & æqualibus: *Jacobo* Rege hoc eum teſtimonio ornante, illam viam calluiſſe negotia ejus tractandi ſuavibus modis; atque id Majeſtati ſuæ maximè cordi fuiſſe pronunciavit. *Teſtimonium Regis Jacobi de eo.*

Neque verò minus gratioſus apud Subditos Regni fuit, quàm apud Regem. Comitiis Parlamentariis Inferioris Conſeſſus, dum in eâ domo ſedit, pergratus ſemper fuit,

fuit, in quâ ſæpè peroravit non ſine magno applauſu.

Poſtquàm ad munus Atturnati Generalis evectus fuiſſet, & ad locum in Parlamento electus, libertas inter ipſos conſultandi communi ſuffragio ei conceſſa eſt, quæ aliis Atturnatis Generalibus minimè indulta.

Moritur. Obiit 9. die, anni 1626. ſummo mane illius diei, qui in Feſtum Reſurrectionis Dominicæ illuxit, Ætatis ſexageſimo ſexto, apud ædes Comitis *Arundellæ* in villâ de *High-Gate* propè *Londinum*, ad quem locum, animi reficiendi, non commorandi gratiâ ante dies octo caſu devenit, Deo ſic ordinante, ut illic animam efflaret, è febri lentâ unà cum catarrho vehemente, undè humor adeò copiosè ad pectus ejus defluxit, ut per

Sepulchrum. ſuffocationem extinctus ſit. Sepultus autem eſt in Eccleſiâ Sancti *Michaëlis*, fano Sancti *Albani* vicinâ, loco ſupremis tabulis ſepulturæ ſuæ deſtinato: tum quia Matris ejus corpus in eâdem Eccleſiâ humatum recumbebat, tum quia Eccleſia illa ex urbis vetuſtæ *Verulamii* ruderibus hodiè ſola ſuperſtes eſt. Ibidem monumentum è marmore candido in memoriam illius extructum eſt, curâ & gratitudine *Thomæ Menteſii*, Equitis Aurati & Adminiſtratoris ultimi ipſius teſtamenti, *Baconio* quondam à Secretis, poſteà Conſilii Regis Sanctioris ſub Regibus duobus Clerici, exhibens effigiem ſuam in Cathedrâ ſedentis & ſtudio incumbentis, unà cum epitaphio, quod lectiſſimus ille & nitidioris ingenii, nec non Equeſtris dignitatis Vir, *Henricus Wottonus*, amoris & admirationis ergò compoſuit.

Libri, qui adhuc lucem vident, ſunt ſequentes:

Scripta. *Tractatus de Dignitate & Augmentis ſcientiarum.*

Novum Organum Scientiarum, cum Paraſceve ad Hiſtoriam Naturalem & Experimentalem.

Hiſtoria Ventorum.

Hiſtoria Vitæ & Mortis.

Scripta de Naturali & Univerſali Philoſophiâ.

Sylva Sylvarum, ſive Hiſtoria Naturalis.

Nova Atlantis.

Hiſtoria Regni Henrici VII. Regis Angliæ: Opus verè Politicum.

Sermones fideles, ſive Interiora Rerum.

Tractatus de Sapientiâ Veterum.

Dialogus de Bello Sacro.

Opus illuſtre in felicem memoriam Eliſabethæ Reginæ.

Imago Civilis Julii Cæſaris.

Imago Civilis Auguſti Cæſaris.

* *Ex Operibus ipſius Auctoris, Franciſci Baconi.*

CASPAR SCHOPPIUS.

Claruit A. 1637.

NAtus A. C. 1576. *Neagoræ* opp. *Palatinatûs Superioris*, Patre veſpillone.

Romæ religionem mutat. A. 1601. *Romæ* religionem mutavit & ad Pontificios tranſiit.

Conſiliarius fuit Cæſareus & Hiſpanicus. Comes item *Claræ vallis*, & in vivis adhuc fuit A. 1637. *Conſiliarius Cæſ. & Comes Claræ vallis.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta. *Aſtrologia Eccleſiaſtica*, hoc eſt, *Diſputatio de claritate ac multiplici virtute ſtellarum in Eccleſiæ firmamento fulgentium*, id eſt, *Ordinum Monaſticorum.*

Acceſſit Aſtrum inextinctum, id eſt, *Cauſæ dictio ex divino humanoq; jure pro veterum Ordinum honore adverſus famoſum volumen Petri Laimanni Jeſuitæ in Monachos editum.*

Conſultatio de Cauſis & modis componendis in S. R. Imperio Religionis diſſidiis in 8.

Suſpectarum lectionum libr. 5.

Obſervationes linguæ latinæ in 12.

Veriſimilium lib. IV.

Schrifft von Verehrung GOttes und der Creaturen allein aus H. Schrifft genommen.

Epiſtolæ de Antichriſto in 4to.

Elementa Philoſophiæ Stoicæ moralis in 8.

Hæreticus Elenchomenos, hoc eſt, *Elenchi ſive Syllogiſmi, quibus Catholicæ Romanæ Eccleſiæ fides aperitur, & hæreticorum ab eâ diſſidentum conſcientia convincitur in 8.*

Scorpiacum, hoc eſt, *remedium adverſus proteſtantium hæreſes ab ipſismet Proteſtantibus Scorpionibus petitum*, quo demonſtratur adverſus *Jacobum* Regem *Britanniæ*, fidem Eccleſiæ *Romanæ* omnibus ſæculis in univerſo mundo annunciatam fuiſſe, ad eamq; *Regem Jacobum* teneri in 4.

Conſilium Regium, in quo à 12. Regibus & Imperatoribus Catholico *Hiſp.* Regi demonſtratur, *quibus modis omnia bella feliciter profligare poſſit.* Acceſſit *ſtemma Auguſtæ domus Auſtriæ*, item *Claſſicum belli ſacri.*

Eccleſiaſticus, in quo diſputatur *de amplitudine poteſtatis Eccleſiaſticæ* &c. in 4.

Enarratio hiſtorica eorum, quæ in nuptiis Philippi III. Hiſp. Regis cum Margarethâ Auſtr. Item *Alberti Auſtr. cum Iſabellâ Clarâ Eugeniâ Ferrariæ acciderunt. in 4.*

Alexipharmacum Regium felli draconum & veneno Aſpidum ſub Philippi Mornæi de Pleſſis Papatûs hiſtoriâ abdito oppoſitum in 4.

A. 1613. Quidam ex his ejus libris *Londini*, juſſu Regis *Jacobi*, & *Lutetiæ* eodem Rege annitente, publicè manu Carnificis cremati ſunt. Nam in *Eccleſiaſtico* ſuo ſcripſit, *Regem Gall. Henricum IV.* certâ manu *Franciſci Ravaillaci* occiſum fuiſſe, idque parricidium non obſcurè laudavit.

THOMAS COMES ARUNDELIUS ANGL.

Obiit A. C. 1646.

ILluſtriſſ. Comes hic, cum relictis in patriâ opibus propè univerſis, & Bibliothecâ, *Græcis* præcipuè & *Arabicis* codicibus raris, nec non marmoribus antiquis inſtructâ, novarum rerum pericula fugiens, ex *Angliâ* in *Italiam* trajeciſſet, ut Regum captivitatem tutior è longinquo ſpecularetur, in deteſtandi exempli ſupplicia exituram, *Patavii* ad *S. Antonii* conductis ædibus, haud *In Italiam fugit.*

Moritur ex calculo Patavii. procul à noſtris aliquandiu habitavit, donec M. Octobri A. C. 1646. affectu Medicis incognito diem ſuum obiit.

Pleriſque autem ſcorbuto laboráſſe viſus eſt: nam præter tumorem gingivarum primò urinæ ſuppreſſione affligebatur, quam aliquot diebus poſt retinere non potuit, quin eam ſingulis penè momentis reddere coactus fuit.

Diſſecto condituræ gratiâ cadavere, in renum ſiniſtro, præter aliquot minores calculos ſat magnus repertus eſt totam pelvim, quam ureteris principium efformat, ultra capacitatem naturalem extenſam occupans, & in veſicâ lapillus parvus rotundus, læviſſimus & duriſſimus ſubrufi coloris. Veſicula quoque fellis ſabulo plena fuit tartareæ ſubſtantiæ ſplendidæ atq; ex flavo nigreſcentis.

* *Ex Parte 6. Obſervat. Med. Georg. Hieron. Welſchii, Obſerv. 60.*

JOHANNES FRIDERICUS A WOLFFSTEIN BARO DE SULTZBURG, ET PYRBAUM.

Obiit A. C. 1650.

NAtus eſt 3. Nov. A. C. 1604.

Patrem habuit *Joh. Adamum*, qui obiit in Arce *Sultzbürg* 2. Nov. A. C. 1617.

Matrem *Eliſabetham*, Baroniſſam à *Limpurg*, defunctam *Norimbergæ* 13. Januarii A. 1640.

Literis incumbit Altdorfii, Tubingæ & Argentorati. A. 1619. Studiorum gratiâ in Academiam *Altorffinam* miſſus, ibi ſeſquiannum conſumpſit, & aliquando publicè peroravit.

Iter ejus in Galliam. Abindè *Tubingam*, & brevi pòſt *Argentoratum* ſe contulit, ubi biennium tranſegit, tum in *Galliam* iter ſuſcipiens, *Genevæ* per annum commoratus, & totam *Galliam* uſque ad confinia *Hiſpaniæ* perluſtravit.

A. 1425. Domum reverſus cum fratre ſuo *Georgio Alberto* Anno ſequenti ditiones hæreditarias partitus, ditionem *Pyrbaum*, quæ ſorte ipſi obvenerat, poſſidere cœpit.

In eâ cum ſubditis ſuis plurimas perpeſſus calamitates, veſtibus tandem ad induſium uſque à militibus exutus, *Neumarckam* confugere coactus eſt. Ibi à cive quodam honeſto veſtimenta alia nactus, *Sulsbürgam* ad fratrem confugit, & apud eum triennio commoratus eſt. *Dura perfert à militibus.*

Sed belli tumultu ingraveſcente, ne fratri ulteriùs eſſet moleſtus, in Aulam *Darmſtattenſem* ſe contulit, ubi *Landgravio* chariſſimus biennium vixit.

Conjugium. Exindè ad matrem in ditionem ſuam regreſſus, & brevi pòſt nuptias celebravit cum virgine *Barbarâ*, Baroniſſâ *Teuffeliâ*, ex quâ filium reliquit.

Nuptiæ celebratæ ſunt 12. Maji. A. C. 1640.

A. 1644. Uxorem morte abreptam præmiſit, & biennio pòſt A. 1646. Arx ipſius *Pyrbaumii* incendio abſumta.

A. 1646. Secundas nuptias habuit cum virg. *Annâ Reginâ*, Baroniſſâ ab *Halegg* in arce *Norimbergæ* vicinâ, *Obernbürg* vocatâ.

27. April Anni 1650. Apoplexiâ correptus ſubitò vitam finiit A. æt. 45. *Moritur.*

FERDINANDUS GEITZKOFLER, BARO.

Obiit A. C 1653.

AUguſtæ Vindelicorum natus eſt 7. Junii A. C. 1592. Patre *Zachariâ Geitzkoflero, Rudolphi II. & Matthiæ* Impp. Conſiliario, Matre *Mariâ Relingerâ* ex antiquâ Patriciorum *Aug.* familiâ.

A. 1598. In Academiam *Argentinenſem* cum Præceptore à Dom. Parente miſſus, ibi tantos in ſtudiis progreſsús fecit, ut A. æt. 12. publicè cum ſummo honore peroraverit, de quâ Oratione M. *Marcus Florus*, tum Eloquentiæ Profeſſor, aliquando dixit: *Dom. Geitzkoflerus nobis omnibus metam nimis altè fixit.* *A. æt. 12. Orationem habet.*

Poſteà per *Italiam*, *Hiſpaniam*, *Galliam*, *Angliam*, *Scotiam*, *Belgium*, & *Hollandiam* peregrinatus, harum Regionum linguas exactè didicit, & in virum evaſit ſummæ eruditionis ac judicii, quâ de causâ ab Imp. *Ferdinando II.* Baro creatus eſt. *Baro creatur.*

In adoleſcentiâ cum ſub Duce *Palatino Neoburgico* in bello contra Electorem *Brandeburgicum* militâſſet, & poſteà per ſeſquiannum ſub *Magno* Duce *Würtenbergico* Capitaneum Equeſtrem egiſſet, A. 1612. in aulâ *Wirtenbergicâ* Camerarii officio fungi cœpit, & unà Conſiliarius Ducis intimus fuit. *Fit Camerarius & Conſiliarius Ducis Wirtenbergenſis.*

A. 1617. Primas celebravit nuptias cum virgine *Felicitate Weyſiâ*, quæ improlis obiit in Thermis *Crumbacenſibus* 9. Sept. A. 1618. A. 1628. Turbis bellicis in *Germaniâ* creſcentibus, ſecuritatis gratiâ in *Italiam* ſeceſſit, exindè verò A. ſeq. 1629. in *Germaniam* reverſus, & cum virgine *Eliſabethâ* Baroniſſâ à *Teufenbach* deſponſatus, cum eâdem in *Italiam* reverſus eſt. A. 1632. Rege *Suecorum Guſtavo Adolpho* circa urbem *Noribergam* cum exercitu ſuo ſubſiſtente, ad eum iter ſuſcipiens, ditionum ſuarum conſervationem humiliter flagitavit & impetravit. *Deſponſatur.* *Abit in Italiam.*

Mox in *Italiam* ad ſuos regreſſus, triennium in eâ tranſegit.

A. 1636. *Tigurum* in *Helvetiam* cum uxore & familiâ veniens, biennio in illâ urbe vitam egit. A. 1638. A Senatu *Veneto* vocatus in bello contra Turcas Colonelli pedeſtris officium annis aliquot cum laude & honore adminiſtravit. *Tiguri habitat.* *Fit Colonellus Venet.*

A. 1640. Iterum cum conjuge in *Germaniam* reverſus, ab *Eberhardo* Duce *Würtenbergico* ditionum ſuarum Gubernator & Director factus, munus id cum ſummâ dexteritate obivit, uſque ad A. 1646. quo *Italiam* repetiit. *Gubernator Wirtenberg.* *Italiam repetiit.*

2. Nov. A. 1648. *Palavelli, Venetæ* ditionis oppido, Conjugem chariſſimam morte abreptam amiſit, anno conjugii 18. Ex eâ filiolum *Ortolfum Fridericum* cum filiolâ *Mariâ Roſina* ſuſcepit in infantiâ extinctos.

Abindè

Abindè licèt à Republ. *Venetâ* Generalis bellici in *Dalmatiâ* munus ei fuiſſet oblatum, maluit tamen quietis ſtudio *Germaniam* repetere, & *Ulmæ* cum familiâ ſedem figere. Ibi A. 1649. 2. Octob. nuptias celebravit cum Conjuge tertiâ *Mariâ Polyxenâ*, Baroniſſâ à *Teufenbach*, ex quâ tres reliquit filiolas, *Mariam Eliſabetham*, *Mariam Reginam*, & *Annam Catharinam* poſthumam.

Ulmam migravit.

16. Sept. Cum Conjuge & familiâ *Ratisbonam* ad Comitia Imperii veniens, tum ob negotia propria, tum legationis nomine ab Ordine Equeſtri in *Sueviâ*, paulò pòſt doloribus podagricis correptus, iis ingraveſcentibus, accedente tandem apoplexiâ levi, cum Conjugi liberisque valedixiſſet, inter adſtantium preces animam exhalavit 2. Febr. A. C. 1653. ætatis 61.

Ratisbonam venit.

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Chriſtoph Ziegleri Paſtoris, Haunsheim.*

CHRISTOPH. MARTINUS BARO A DEGENFELD.

Obiit A.C. 1653.

Ex nobili & vetuſtâ familiâ natus eſt in Caſtello *Altâ Eibach* dicto, non procul ab oppido *Geislingâ*, die S. *Martini* A. C. 1599. Anno ſeq. 1600. Pater ejus *Conradus à Degenfeld*, cum alio nobili ſibi amiciſſimo noctu in eodem lecto dormiens, ab hoc in ſomno ſurgente, & morbo Lunatico laborante, miſerè gladio confoſſus eſt.

Filius Conradi noctu ab amico interfecti.

Nobilis autem ille paulò pòſt, cum à defuncti Patre de filii ſui cæde accuſatus fuiſſet, juſſu Ducis *Würtenbergici*, in ipſo feretro, quo *Degenfeldius* jacebat, decollatus eſt, licèt conſtanter affirmârit, ſe nullam aliam ob cauſam, quàm quod in ſomnis *Degenfeldius* ſibi viſus fuiſſet gladio ſtricto occurrere, cædem illam perpetrâſſe.

Matrem habuit *Margaretham Zulhartam* defunctam A. C. 1608. Fratres *Chriſtoph. Wolfgangum*, & *Chriſtoph. Wilhelmum*, cum quibus *Dürnavii*, poſt matris obitum, apud hujus fratrem Nobilem *Nicolaum à Zulhart* ſub diſciplinâ Præceptoris domeſtici educatus A. 1613. *Argentoratum* miſſus, ſtudium ibi Philologicum præ cæteris excoluit.

A. 1614. Fratribus in *Galliam* migrantibus, ipſe *Jenenſem*, anno ſeq. *Gieſſenſem*, & 1616. *Tubingenſem* Academias acceſſit.

Philologiæ ſtudioſus.

A. 1617. *Genevam* profectus, anno ſeq. *Galliam*, *Hollandiam*, & *Angliam* perluſtravit. A. 1619. Militiæ ſe dedens, ſub Marchione primum *Durlacenſe Carolo* equitem egit. An. 1621. Ducem *Fridlandiæ* accedens, ſub eo brevi pòſt Locumtenentis Officium nactus eſt. A. 1624. Sub fratribus *Julio Henrico* & *Franciſco Alberto* Ducibus *Saxo Lauenburgicis* Capitanei equeſtris & unà pedeſtris munere egregiè defunctus illuſtria virtutis militaris ſpecimina edidit.

Capitaneus.

A. 1628. *Durnaviam* reverſus, brevi pòſt celebravit nuptias cum virgine nobili *Annâ Mariâ Adelmannia*, ex quâ 6. filios & 4. filias in tranquillo & concordi 23. annorum conjugio ſuſcepit, ac ſuperſtites reliquit: *Ferdinandum*, *Guſtavum*, *Adolphum*, *Chriſtophorum*, *Maximilianum*, *Hannibalem*, *Iſabellam Sophiam*, nobili *Friderico Alberto à Lübenſtein* nuptam, *Ludovicam*, *Carolam Chriſtinam*, & *Annam Catharinam*.

Conjugium ejus & Liberi.

A. C. 1630. A nobilitate *Suevicâ* ad Comitia *Ratisbonenſia* ablegatus munere ſuo cum honore egregiè perfunctus, & ab *Imp. Ferdinando II.* Equeſtri dignitate ſolenniter decoratus eſt. Exindè *Suecorum* exercitui Regio ſe jungens, mox Colonelli equeſtris officium adeptus, variis expeditionibus bellicis interfuit.

Legatus ad Cæſarem.

A. 1634. A Duce *Rohanio*, tunc in *Helvetiâ* Legato Regis *Galliæ* extraordinario, perſuaſus, *Gallico* exercitui nomen dans, brevi pòſt Equitum Generalis audiit.

Eques creatus. Colonell. equeſtris Suec.

Tunc præter alia ſpecimina egregia etiam ob hoc famam ſibi præclaram conciliavit, quod juxta S. *Audomari* oppidum, *Gallis* ferè diſſipatis, ipſe præſentiâ ſuâ ſuperſtites adeò animârit, ut hoſtes in fugam verterint, ipſeque *Degenfeldius* Comitis *Iſenburgici* vexillum nactus, Regi *Galliæ* præſentârit, à quo ob id annulum adamantinum magni pretii dono accepit.

Generalis eq. Gall.

A. 1642. Ex *Galliâ* domum reverſus, Anno ſeq. exorto bello inter Papam & Remp. *Venetam*, huic inſervire cupidus, *Venetias* diſceſſit. A. 1645. A Republ. *Venetâ* Generalis militiæ dux in *Dalmatiâ* & *Albaniâ* conſtitutus, adeò ſe ſtrenuum contra *Turcas* pugnando exhibuit, ut cum A. 1646. *Venetias* regreſſus eſſet, à Senatu catenam auream cum annexo nummo aureo dono acceperit, inſcriptis nummo his verbis: *Dalmatiâ ſtrenuè tutatâ.*

Generalis mil. dux in Dalmatiâ.

Utque gratum ſe exhiberet, in *Dalmatiam* regreſſus, munimenta *Nadinum*, *Uranam*, & *Scardeonam* (Sancti *Hieronymi* patriam) brevi tempore occupavit, *Sebenicum* verò tam ſtrenuè contra *Turcarum* rabiem defendit, ut oppidum non tantùm libertati dederit, ſed etiam *Turcas* totâ *Dalmatiâ* exegerit.

In oppugnatione *Uranæ*, filius ipſius *Ferdinandus*, tunc Capitaneus equeſtris, à ſclopeti globulo in facie percuſſus & utroque oculo orbatus eſt ad latus paternum.

Filius ejus oculis orbatus.

Semper autem, priusquàm cum hoſtibus in Dalmatiâ pugnâſſet, milites ſuos ad preces ſerius hortatus eſt, eosque ut ſtrenuè pro Chriſto ab hoſtib' contemto pugnarêt, admonuit. Tunc primus ipſe in hoſtes irruens, ſemper (ut poſteà retulit) ſibi cum Imp. *Conſtantino Magno* videre viſus eſt Chriſtum cum cruce adſtantem & dicentem, *in hoc ſigno vinces.*

An. C. 1649. Dimiſſione à *Venetis* impetratâ, *Patavium* ad uxorem venit, quam ibi intereà cum liberis reliquerat. Cum iisdem in *Germaniam* regreſſus, *Göppingam* feliciter appulit, ubi per aliquod tempus commoratus eſt, donec caſtellum avitum fuiſſet reſtauratum, in quo deinceps vitam quietam egit.

Patavium venit.

In caſtello avito quietus vixit.

Intereà Electori Palatino *Carolo Ludovico* chariſſimus, ab eo inter Conſiliarios ſecretos

Conſiliarius Electoris Palatini.

ſecretos receptus, qui ſæpiùs ipſum ad ſeſe in rebus arduis expediendis accerſivit.

Podagricis verò doloribus frequenter & vehementer afflictus, accedente tandem lethurgo, in Chriſto obdormivit 13. Octob. A. C. 1653. ætatis 54.

Moritur.

Paulò ante obitum hoc ſibi decrevit *Epitaphium*, quod cum *Fabiano* Seniore, *Burggravio à Donâ*, commune habuit:

Epitaphium.

Niemand meinn Tod beweinen ſoll/
Ich leb in GOtt/und iſt mir wol.

* *Ex Concione fun.*

Obiit A.C 1657.

JOHANNES OXENSTIRNIUS, COM. SUEC.

STockholmii, *Sueciæ* regni metropoli, natus die *Johannis Bapt.* A.C. 1611. Patrem habuit *Axelium Oxenſtiern*, Comitem *Sodermoriæ*, Equitem, Regni *Sueciæ* Cancellarium, Legatum in *Germaniam*, & Fœderis Evangelici Directorem, Matrem *Annam* Com. *Bothen Akar* filiam. Avus ejus *Guſtavus*, & Proavus *Gabriel Oxenſtiernii* Barones, Conſiliarii Regni *Sueciæ* fuêre.

Cancellarii Suecici filius.

Adoleſcens à Dom. Parente miſſus in Academiam *Upſalienſem*, cum ibi per annos aliquot ſtudiis humanioribus operam dediſſet, in *Belgium*, *Angliam*, & *Galliam* iter ſuſcepit, & linguas earum regionum didicit, virorumque celebrium converſatione frequenti uſus, notitiam in rebus Politicis egregiam acquiſivit. Hâc peregrinatione finitâ, Dom. Pater, *Boruſſiæ* tunc Gubernator eum ad ſe vocavit, & ut in rebus bellicis quoque cognitionem aliquam adipiſceretur, affini ſuo Comiti *Guſtavo Hornio*, Regni *Sueciæ* Mareſcallo, commendavit, cujus militiam in *Germaniâ* ſecutus, Regiminis Equeſtris, rubri vocati, Colonellum egit.

Colonellus Equeſtris in Bello Germanico.

Cum verò tunc temporis Dom. Parens ejus *Francofurti* ad *Mœnum* Director Statûs Evangelici nomine Coronæ *Sueciæ* fuiſſet, filium hunc ad ſe vocatum Conſiliorum & Actionum omnium participem eſſe voluit.

An. 1634. Legatus in *Angliam* Reginæ *Sueciæ* nomine miſſus, Evangelicis in *Germaniâ*, *Palatinis* imprimis Principibus auxilia petiit.

Legatus in Angliam.

Anno ſeq. cum *Stumsdorfii* in *Boruſſiâ* armiſtitium cum Rege *Poloniæ* tractaretur, miſſus eò cum aliis Regni *Suec.* Conſiliariis, ad finem tranſactionis hujus ibi permanſit.

A. 1635. In Patriam reverſus, mox Conſiliarii Cameræ munus ſibi delatum fideliter adminiſtrare cœpit. A. 1636. *Stockholmii* conjugii fœdere ſociatus eſt cum virg. *Annâ Margaretâ Sturiâ*, Comitiſſâ *Suecicâ*.

Conſiliarius Cameræ Suec. Deſponſatur.

A. 1639. Regni *Sueciæ* Conſiliarius electus, & biennio poſt A. 1641. A *Reginâ* & Regni adminiſtratoribus in *Germaniam* ad Pacis Tractatûs mox inſtituendos ablegatus, in *Pomeraniam* diſceſſit, & Neutralitatem inter Elect. *Brandenburgicum* & Regnum *Sueciæ* ad finem perduxit.

Conſiliarius Regni Sueciæ.

A. 1643. *Oſnabruggum* ad Pacis Tractatûs primarius ipſe Regni *Sueciæ* Legatus ſe conferens, ibi usque ad A. 1649. quo Pax *Germaniæ* ſalutaris affulſit, commoratus eſt.

Regiæ Sueciæ Legatus primar. ad Pacis Tract. Oſnabruggæ.

Intereà cum A. 1646. Conjugem chariſſimam morte ſibi ſubreptam amiſiſſet, A. 1648. ad ſecunda vota tranſivit, iterum *Wiſmariæ* deſponſatus cû *Margarethâ Brabiâ*, Comitiſſâ à *Wiſingsburg*, cum quâ finitis ſponſalibus *Oſnabruggum* reverſus eſt.

Alteram Conjugem duxit.

A. 1650. Pace concluſâ, ad *Reginæ* mandatum in *Pomeraniam* regreſſus, regionis illius negotia, quantum fieri potuit, in ordinem reduxit, & A. 1651. in *Sueciam* reverſus, Reginæ negotia ſuſcepit, & An. 1654. Mareſcalli ſupremi munus ſibi delatum adminiſtrare cœpit.

A. 1655. Iterum Legatus extraordinarius in *Germaniam* miſſus, Præſes Regius Tribunalis *Wiſmarienſis*, & Univerſitatis *Gryphiswaldenſis* Cancellarius conſtitutus, muneribus hiſce fideliter functus eſt.

Mareſcallus ſuprem. Suec. Præſes Regius Tribunalis Wiſmar. Cancellarius Univerſitatis Gryphiswaldenſis.

Cum tandem diebus aliquot æger decubuiſſet, viribus ſenſim deficientibus, poſtquàm Sereniſſ. Regi ipſum viſitanti, Conjugi chariſſimæ aliisque adſtantibus ultimum vale dixiſſet, animam DEO deditam placidè exhalavit die 5. Dec. A.C. 1657. æt. 47. *Wiſmariæ*.

Moritur.

27. Julii An. 1658. Corpus in *Sueciæ* regnum, multis magnatibus funus comitantibus, avectum eſt.

In Sueciâ ſepultus.

* *Ex Concione funebri M. Joach. Schmidii Paſt. primarii Wiſmar.*

Obiit A.C. 1658.

GALLUS BARO A RAGKNITZ.

12. Maji A. C. 1590. in Prædio *Styriæ S. Ulrici* dicto natus eſt. Patrem habuit generoſum Baronem *Franciſcum à Ragknitz*, *Mauritii* filium, Dominum à *Perneck* & *S. Ulrici*, Imp. *Ferdinandi II.* in ditionibus *Auſtriacis* Regiminis Conſiliarium. Mater ei fuit *Barbara*, *Georgii* Baronis de *Sarau* filia.

A.C. 1602. ætat. 12. A Parentibus cum agnato *Mauritio* Barone à *Ragknitz*, & Gubernatore *Abrahamo Plato Dantiſcano* in Gymnaſium *Miſnenſe* & abindè Academiam *Lipſienſem* miſſus, triennio literis operam dedit.

Lipſiæ ſtudiis operam dat.

A. 1606. Ad Dom. Parentem domum reverſus, ab eo cum agnato *Mauritio* in *Italiam* ablegatus, deindè per *Galliam*, *Angliam*, *Belgium*, *Helvetiam*, & Imperium *Romanum* peregrinatus A. 1610. ad Parentes feliciter rediit.

19. Nov. A. 1614. *Grætii* nuptias celebravit cum virgine *Annâ Catharinâ*, *Joh. Adami Schrattii*, Baronis à *Kimberg*, *Domersbach*, & *Feſtlau* filiâ. Ex quâ 9. filios & tres filias ſuſcepit, ſed 3. tantùm filios, *Gallum* & *Septimum* in *Styriâ*, ac *Guſtavum Norimbergæ* natos ſuperſtites reliquit: cum filiabus *Sydoniâ*, quæ A. 1656. Dom. *Sigismundo Mauritio*, Baroni à *Welts* nupta fuit, &

Nuptias celebrat.

Sophiâ

Filia ejus Comiti Mansfeldio deſponſanda moritur.

Sophiâ. Tertiam enim filiam *Barbaram* *Chriſtiano Friderico*, Com. à *Mansfeld*, in conjugium promiſſam, & tribus antè ſponſalia futura ſeptimanis morte abreptam præmiſit 9. Febr. A. 1644.

Fit Camerarius Cæſareus.

A. 1616. In Patriâ Judicii Aſſeſſor factus triennio commoratus eſt. A. 1619. Cum Imp. *Ferdinandi II.* tunc Rege *Bohemiæ*, *Francofurtum* ad *Mœnum* profectus, Electioni Cæſareæ interfuit, & poſteà à Cæſ. Majeſtate Camerarii munere donatus, ab ejusdem manu Claves accepit.

In exilium migrat Ratisbonam. Indè Norimbergam.

A. 1623. A *Styriæ* Provinciâ *Viennam* ad Cæſarem Commiſſarii nomine ablegatus eſt. A. 1629. Cum Cæſar *Ferdinandus II.* Reformationis Edictum in *Auſtriâ* promulgâſſet, unà cum Conjuge & Liberis lætus propter Chriſti amorem in exilium diſcedens, *Ratisbonam* ſe contulit, ubi filiolus ipſi natus, brevi pòſt iterum denatus eſt. A. 1631. *Ratisbonâ Norimbergam* cum familiâ diſceſſit, & cum ibi ſedem fixiſſet, abindè duas filias *Sydoniam* & *Sophiam*, ac filium *Guſtavum* ex 12. liberis ultimum per DEI benedictionem nactus eſt.

Uxor ejus moritur.

An. 1654. Ipſo cum filio natu majore *Dresdam* ad Electorem *Saxoniæ* ob gravia negotia profecto, ibique per 5. menſes abſente, Uxor ejus intereà chariſſima phthiſi & hydrope correpta vivendi finem fecit 11. Octob. Vir ſummè devotus erga DEUM & erga pauperes beneficus vix ſibi parem habuit.

Poſt morbum diuturnum moritur.

Tandem cum ab anno integro tremore vehementi manuum pedumque laborâſſet, accedentibus catarrhis vehementibus inter preces ad Deum ardentes & ſuſpiria devota ſpiritum emiſit 25. Martii A. C. 1658. æt. 68.

Scriptum.

Typis emiſit *Libellum Hymnorum Sacrorum variorum* Linguâ vernaculâ, cum titulo: Haus- und Herz-Muſic / & addito Voto: GOtt Führe Zur Ruhe / cujus literæ initiales autoris nomen ſignificant Gall Freyherr Zu Ragknitz.

Extract aus Herrn Galli Freyherrn zu Ragknitz rc. Lebens-Lauff und Beſtellung ſeiner Leich von ihme geſchrieben den 20. Martii A. 1654.

WAnn mich der Allmächtige GOTT von dieſer Welt wird abgefordert haben / ſoll mein todverblichener Cörper mit einem geringen ſchwarzen Kleid bekleidet / in meine Hand ſollen mir geſchrieben gegeben werden / dieſe Wort: JEſus meine Lieb / und der Name Anna Catharina / dann das iſt und wird bleiben meine Göttliche und Weltliche einige Lieb. Alsdann in ein Zimmer gelegt / in einen hölzernen Sarg / und ein Tuch ins Grab. Mit der Begräbnüs bitt ich um GOttes Willen kein Gepräng zu machen / auch keine Zier noch Traur-Fahnen zu tragen / noch einiges Klag-Pferd zu führen / die Leich getragen / und darauf mein Degen / ſo ich an der Seiten getragen / nebens meinen Wappen: Da es mit Evangeliſcher Proceſſion ſoll geſungen werden: Herzlich lieb hab ich dich O HErr / und ſoll der Leich-Text ſeyn Johannis am 21. HErr du weiſt / daß ich dich lieb hab. Viel Lobs mir zu geben bin ich nicht werth / wann mir nur die himmliſche Freud beſcheret iſt / bin ich ſchon vergnügt. Nach der Predigt ſoll geſungen oder muſicirt werden: Nun lob mein Seel den HErrn / rc. welches Lied ich in meinem Leben höchlich geliebet / und hernach ins Grab bis an den Jüngſten Tag.

Ex Concione funebri.

JOHAN. RUDOLPHUS SCHMID, BARO A SCHWARTZENHORN.

Obiit A. C. 1667.

CONſiliarius Cæſareus bellicus, & Legatus ad Portam *Ottomannicam*, Dom. ad S. *Margaretham* propè *Viennam*, & in *Nicolsdorff*, Sylvarum per *Auſtriam* infer. Præfectus.

Reſidens Cæſ. Conſtantinopoli.

A. 1629. Ab Imperatore *Ferdinando II.* ad *Murathem IV.* Imp. *Turcicum* celeribus equis ablegatus, negotia ſeria ſibi demandata adeò prudenter expedivit, ut Reſidens *Conſtantinopoli* denominatus, muneri huic 15. annis cum Chriſtianorum ſalute præfuerit.

Internuntius, Pacis Inducias ad 20. annos prolongavit.

Legatus ſupremus plenipotentiar.

A. 1649. Imp. *Ferdinandus III.* Reſidentem hunc *Conſtantinopoli* ſibi delegit Internuntium, qui Pacis Inducias cum Imperatore *Turcico Mahumede IV.* ad annos 20. prolongavit, & ideò Baro à Cæſ. creatus eſt. annoque ſeq. 1650. reverſus *Viennam*, mox Legatus plenipotentiarius ſupremus cum ſplendido comitatu & Diplomate Cæſareo Pacem promulgatam confirmante *Conſtantinopolim* rediit.

Hâc ratione non modò in aulâ Cæſareâ & *Turcicâ*, ſed etiam in Oriente apud Principes *Græcos* & *Turcicos* nomen immortale ſibi comparavit.

Societ. frugiferæ membrum & Poëta.

Orator & Poëta inſignis Societatis frugiferæ, cum cognomine der Verdienende / membrum fuit. Cum D. *Florent. Schilling* Librum Concionum funebrium Magnatibus *Viennæ* habitarum cum titulo: *Amara dulcis* typis emiſiſſet, Baro hic illum Epigrammate tali honoravit:

Hab Leſer dis Blümel je länger je lieber /
In Ehren: macht frölich die Augen auch trüber /
Die Wurzel zwar bitter / den Menſchen doch gſund /
Im Käuen zerbiſſen wird lieblich im Mund.
Das hohe Wort GOttes viel werther und ſüſſer
Ein kranke Seel labet / und leitet den Büſſer
zu Heilgen / die weiſen zum Himmel ein Steeg /
Den Chriſtus iſt gangen / dann anderſt kein Weg.

Poſt 10. tandem dierum decubitum ex ulcere pulmonum cum catarrho in Chriſto

Moritur. exſpiravit *Viennæ* d. 12. April. A. C. 1667. ætatis 77.

* *Ex Concione fun. D. Florentii Schilling, Clerici Regul. & Concionatoris ad S. Michaëlem Viennæ*, qui ſub finem Concionis hoc appoſuit *Epitaphium*.

Epitaphium.

Hie ligt Johann Rudolff Freyherr von
Schwarzenhorn/
Der Chriſtenheit von GOtt und Käiſer
auserkorn:
Sein anvertrautes Amt hat er löblich
vollbracht/
In Käiſers Dienſten GOtt und Käiſer
ſtets betracht:
Drum er ein Ehrngroſſen Namen allhier
gewonnen/
Und dorten hoffentlich der Seelen Kron
bekommen.

Obiit A.C. 1672.

CURT REINICKE A CALLENBERG, BARO.

NAtus eſt in arce *Wetteſingâ Haſſiæ* 7. Sept. A. C. 1607. Patre nobili viro Domino *Hermannô* à *Callenberg*, Regis *Galliæ* Colonello equeſtri, matre *Margarethâ Bodenhuſanâ.*

A. 1610. Patre, & A. 1615. Matre orbatus, ab Agnatis puer in Scholam *Thuringiæ Roslebienſem* amandatus, ſub diſciplinâ Rectoris M. *Johannis Mülleri* Linguarum & Artium humaniorum fundamenta poſuit. *Schola Roſleb. diſcipulus.*

Deindè Majorum exemplo militaribus exercitiis operam dans, & Comiti *Merodio* militans, A. 1626. prælio præſens adfuit, in quo *Ernesti*, Comitis *Mansfeldiæ*, exercitus à Generali Cæſareo *Wallenſteinio* juxta Pontem *Teſſavienſem* deſtructus eſt.

In *Hungariam* exindè cum Cæſ. exercitu progreſſus, & varias calamitates perpeſſus, A. 1629. reverſus, ſignifer factus ſub generali *Wallenſteinio*, & anno ſeq. Locumtenens Commendantis *Gryphiswaldenſis* deſignatus, cum 70. *Croatis* ſibi concreditis *Roſtochium* venit ad Comitem *Hatzfeldicum* ejus urbis gubernatorem. *Signifer.*

Capitanei poſteà munere per biennium functus A. C. 1634. militiæ valedicens, *Ratisbonâque* diſcedens, *Hollandiam* perluſtravit. A. 1635. *Torgaviam* reverſus, mox ſupremus Vigiliarum præfectus ſub Colonello Barone *Theodorico Taubio* declaratus, in multis abindè prœliis generoſi militis perſonam ſuſtinuit. *Capitaneus. Supremus vigiliarum Præfectus.*

A. 1642. Ab Electore *Saxoniæ Joh. Georgio I.* Regiminis ſui Colonellus declaratus in prœlio *Lipſienſi* poſtremo brevi pòſt habito ſtrenuè pugnavit. *Colonellus Electoris Saxoniæ.*

A. 1643. In *Bohemiâ* propè *Gradiſium Regium* cum equo ſuo lapſus os axillæ dextræ luxatum diffregit, & *Dresdam* deductus, poſt dolores graviſſimos perpeſſos ſanitati reſtitutus ad priſtinum munus militare rediit, in prœlio tandem cruento juxta *Jankaviam* ſub nomine Generalis Vigiliarum Præfecti militem ſtrenuum ſeſe exhibens.

A. 1646. Elector *Saxoniæ Johannes Georgius* Conſiliarium ſibi intimum delegit, & Gubernatorem *Luſatiæ* ſuperioris declaravit eum, utque Baro fieret, ab Imp. *Ferdinando III.* impetravit. *Conſiliarius Electoris Saxoniæ. Gubernator Luſatiæ ſuperioris. Baro.*

A. 1652. *Pragæ* Comitis dignitatem à Cæſare ſibi ſponte oblatam modeſtè recuſavit.

A. 1664. Ab Electore *Saxoniæ Joh. Georgio II.* poſt obitum *Joh. Georgii* Baronis *Rechenbergici* ſupremi Aulæ *Sax.* Mareſcalli munus ſibi delatum ſuſcepit. *Supremus Aulæ Saxonicæ Mareſcallus.*

11. Dec. A. 1644. in caſtello *Brandeburgico Peitzio* ſolenniter deſponſatus cum virgine *Urſulâ Catharinâ*, Comitiſſâ à *Donau*, tres ex eâ filios & 5. filias ſuſcepit, ſed filium tantùm ſibi cognominem, & tres filias, ſuperſtites poſt fata reliquit.

Cum ab annis aliquot à variis morbis calculo, colicâ, podagrâ, ſcorbuto, & imprimis à malo hypochondriaco fuiſſet exhauſtus, placidè tandem exſpiravit *Dresdæ* 7. Maji A. C. 1672. ætatis 65. *Moritur*

* *Ex Concione fun. D. Mart. Geyeri Conſil. aul. Sax.*

PAR-

PARTIS SECUNDÆ,
QUÆ
JURISCONSULTOS
continet,
SECTIO QUARTA
JURIS DOCTORUM, ET PROFESSORUM,
CONSILIARIORUM CÆSAREORUM, SENATORUM, SYNDICORUM, ADVOCATORUM
Eruditione ſingulari celebrium.

Flor. A.C. 1186.

GOTHOFREDUS VITERBIENSIS.

NOtarius *Conradi III.* & *Friderici I.* Imper. Scripſit *Chronicon Univerſale*, quod vocatur *Pantheon*, quia continet res geſtas Principum, qui Dii appellantur. Scripſit autem partim proſâ, partim carmine. Diviſit opus ſuum in partes 20. & dedicavit illud *Urbano III.* ad cujus Pontificatum hiſtoriam perduxit ſuam, id eſt, ab initio mundi, ad annum usque 1186. *Pantheon ſcribit.*

* *Ex Johannis Gerhardi Patrologiâ.*

Ob. A.C. 1190.

IRNERIUS, vel WERNERUS.

QUi vetuſtiorum poſt recuperatam *Romani* Juris prudentiam Jureconſultorum mentionem in ſcriptis ſuis fecerũt, *Irnerium* ferè omnes tanquàm primum illius Juris reſtauratorem celebrârunt. Quemadmodùm enim *Odofredus* (qui non ita longo eum intervallo inſecutus eſt) commemorat, cum *Bononiæ* primùm artes liberales tantùm publicè docerentur, eſſetque inter ipſos earum Profeſſores etiam hic *Irnerius*, poſteà verò jus civile recuperatum eſſet, cœpit *Irnerius*, ſepoſitis aliis ſtudiis, huic ſe totum dedere, tantâque ejus dignitate & elegantiâ captus nullo etiam Magiſtro ſedulò illi incumbere.

Deindè cum ejus utilitatem eſſe maximam intelligeret, illud profiteri etiam & alios docere primus inſtituit. Primus idem *gloſſulas* obſcurioribus locis appoſuit: quâ de re celebre nomen ſibi comparavit, & primus Jurisprudentiæ illuſtrator atque *Lucerna Juris* paſſim vocari cœpit. Quanquàm enim (ut idem *Odofredus* ſcribit) alius quidam *Popo* nomine primus *Bononiæ* propriâ authoritate Leges eſſe profeſſus feratur, tamen tam obſcurus ille tamque nullius nominis fuit, ut meritò ante *Irnerium* nemo Jus docuiſſe dici poſſit. *Primus Jus civile docuit Bononiæ.* *Autor Gloſſularum.* *Lucerna Juris vocatur.*

Neque verò gloſſas tantùm interlineares legibus appoſuit, ſed etiam *Autenticas*, ut vocant, ex ipſo *Autenticorum* Imp. *Juſtiniani* Volumine quàm breviſſimè juxta ſententiam tantùm deſumtas Legibus Codicis ejusdem *Juſtiniani* inſeruit, rem gratiſſimam ſimùl & commodiſſimam Juris ſtudioſis faciens. *Autenticarum autor.*

Exceſſit è vivis circiter A.C. 1190. cum Jus Civile ex *Malfitanæ* urbis direptione in *Italiam Piſas* ab ipſis *Piſanis* victoribus eſſet relatum A.C. 1128. ut meminit *Viglius*, Juriſconſultus eximius. *Obiit. Jus Civile Piſas primum allatum.*

Poſt *Irnerium* increbeſcere ſtatim Jurisprudentiæ ſtudium cœpit, nec diſcentium tantùm multitudo, verùm etiam Doctorum copia fuit.

Circa eadem enim tempora Anni 1190. profeſſi ſunt Leges *Hugolinus*, qui primus Libros Feudales, & Conſtitutiones *Friderici* utriusque ac *Conradi* Impp. collectas Nonæ Collationi Autenticorum *Juſtiniani* ſubjunxit, Decimamque ex iis Collationem (ut tradit *Odofredus*) conſtituit. *Hugolinus Libror. feudalium author.*

Sed *Bulgarus* ex docendo tantùm paucisque Gloſſis innotuit. Similiter & *Martinus*, cujus plæræque in Jure deciſiones à poſteris in con- *Bulgarus, & Martinus I.C. minus celebres.*

Digitized by Google

in controverſiam vocatæ confutatæque ſunt, adeò ut alicubi *Jaſon* dicere non vereatur, *Martinum* nihil unquàm ſani verique dixiſſe.

Placentinus Jur. Prof. Monte Peſſul.

Ad *Montem Peſſulanum Placentinus* ſummas in Codicem & Libros Inſtitutionum compoſuit, quæ poſteà typis evulgatæ ſunt.

Joh. Boſianus I. C.

Johannes Boſianus patriâ *Cremonenſis* ſimiliter Summam conſcripſit ſuper Pandectas, ſed breviorem. Hanc *Odofredus* ventoſam Summulam vocat, & ſcribit ſolummodò ad *Placentinum* exagitandum editam, præterea autem nihil boni continere. Fuit Præceptor *Azonis* & *Accurſii*, quare crebrò ipſius per illos fit mentio.

Floruerunt iſti circa A. C. 1190.

* *Ex Vitis Jure-Conſultorum Johannis Fichardi.*

* * * *

Irnerii vel *Werneri* operâ Jus Civile in uſum & lucem revocavit *Lotharius Saxo*, Imperator laudatiſſ. cum diu in tenebris delituiſſet. Extat de eo erudita *Phil. Melanchthonis* Oratio. *Joh. Trithemius in Catalogo Viror. doctor. Irnerius*, inquit, *meritò Lucerna Juris appellatus eſt, quoniam Jus Civile gloſſulis primus expoſuit, & ſine exemplo cæteris illuminandi Juris exemplum dedit.*

* *Ex dialogo de viror. doctor. Patriis Joh. Andr. Quenſtedt.*

AZO.

Obiit A.C. 1230.

B*Ononiæ* parentibus honeſtis & luculentioris fortunæ natus eſt, qui filium ſtatim à pueritiâ bonis diſciplinis imbui curârunt. Adultiorem attingens ætatem *Johannis Boſiani Cremonenſis* auditor fuit, & Præceptori non inferior Jurisprudentiâ, quam ſummâ felicitate, dum viveret, exercuit, tàm ſcribendo quàm publicè docendo: quare à *Baldo Fons Legum* & *Vas electionis* vocatus eſt. Tantâ enim auditorum frequentiâ legiſſe dicitur, ut *Bononia* Scholaſticorum Juris plena fuerit, qui eò confluebant ex omnibus *Italiæ* & *Galliæ* Regionibus, exciti famâ Doctoris tam excellentis.

Diſcipulus Joh. Boſiani.

Bononia diſcipulis ejus plena.

Diſcipuli ejus.

Inter diſcipulos ejus fuerunt *Magnus Accurſius Florentinus*, *Bernardus de Ornâ Provincialis*, qui librum de *Conceptionibus Libellorum* conſcripſit, *Odofredus Beneventanus*, cujus Opera ſunt *De Libellorum formatione, de Ordine Judiciario, & de Arte Notariatûs*, *Cacciavillanus de Cacciavillanis*, quem *Cynus* honorificè citat, & qui inter alia ſcripſit *Additiones ad Brocardicam Azonis Summam.* Nunquàm ægrotâſſe fertur, niſi tempore feriarum à Lectionibus publicis, eodemque tempore obiiſſe circa A.C. 1230. ſub Imp. *Frider. II.*

Scripta.

Opera ad Jus Civile pertinentia edidit *Azo*:

Summam Juris notabilem in omnes titulos Codicis.

Super Digeſto veteri libr. 24. Super Codice Lib. 9.

Præterea optimos in Legibus apparatus confecit, & plurimis Summis additiones appoſuit.

Andreas Alciatus Parerg. lib. 9. cap. ult. hæc de eo ſcripſit: *Azo Bononienſis* Jurisprudentiâ reliquis ætatis ſuæ Juris-Conſultis longè præſtitit, quam publicè *Bononiæ* primò profeſſus eſt, indè verò æmulorum invidiæ cedens ad *Montem Peſſulanum* ſe contulit, ibidemque non minore cum gloriâ quaſi privatim vixit.

Jur. Prof. Monſpelienſis.

De ejus morte etiamnum *Bononiæ* durat fama, cum in Diſputatione ab antiſophiſtâ quodam ſuo provocatus cultro eum appetiiſſet, in carcerem protractus & capitalis criminis damnatus dicitur: cumque exclamaret, *Ad beſtias, ad beſtias!* (nempè hujus principii Legem adducens, quâ propter artis excellentiam relaxari ſontibus pœnâ allegabat) Judices ſe ab eo tanquàm beſtias inſimulari credentes irati non deſtiterunt, donec ſummo ſupplicio afficeretur. Quod tamen (inquit idem *Alciatus*) mihi veriſimile non fit. Cum non ſit credibile, virum hunc ignominiosè defunctum eſſe, cujus memoriam ſummi Magiſtratûs ſacram habuêre, & ab interitu aſſerendam ultrò ſibi ſumpſêre, ut patet ex *Epitaphio*, quod non quidem ornatum, ſed honorificum *Bononiæ* ad viam publicam propè turrim S. *Servatii* tale legitur:

Inſons ad mortem damnatus.

Epitaphium.

TRINITATI.
AZONI JURIS-CONSULTORUM NUMINI ANNO
GRATIÆ MCC. HIC TUMULATO IN SEPULCRO
VETUSTATE COLLAPSO, AC INTER RUDERA VIX AGNITO.
JO. FRANCISCUS ALDROVANDUS DICTATOR ET CONSULES BONON.
CONCIVI SUO B. M. MEMORIAM POSUERUNT
ANNO SALUTIS MCCCCXVI.
V. IDUS OCTOB.

* *Ex Vitis I. C. rum Johannis Fichardi, & ex Vitis 50. Virorum doctorum Job. Jacobi Boiſſardi.*

ROFFREDUS.

Ob. circa A.C. 1215.

P*Atriâ Beneventanus* vir doctus & feſtivi ingenii fuit, quod ejus Scripta ſatis indicant, quibus multis in locis opportunè ſuaviterque jocatur. Præceptore uſus eſt *Kiliano* quodam, cujus tamen Scriptum nullum extat. Audivit etiam *Azonem*, ut ipſe refert in *Actione negatoriâ*, proindéque illum frequenter Dominum ſuum appellat.

I.C. facetus.

Azonis diſcipulus.

Poſt transmigrationem *Bononiæ* (ut ipſe vocat) profeſſus eſt Jus Civile publicè *Aretii*, ubi & egregium illud *Opus Libellorum*, & *Quæſtiones* ſuas *Sabbatinas* edidit. Obiit circa A.C. 1215.

Jur. Profeſſor Aretii.

* *Ex Vitis Juris-Conſultorum Joh. Fichardi.*

JOHAN-

Claruit A. C. 1256.

JOHANNES DE BLANASCO.

Burgundus, non longo intervallo *Accurſium* inſecutus, *Bononiæ* Jura profeſſus eſt. Fuit æqualis *Jacobi Balduini*, qui & ipſe tum magni nominis erat inter Juris Profeſſores, quanquàm nullum poſt ſe Scriptum reliquerit, ſed per *Othofredi* diſcipuli ſui Scripta potiſſimùm in memoriâ manſerit.

Juris Profeſſor. *Othofredi Præceptor.*

In Commentariis ſuis *de Actionibus* An. 1556 *Bononiæ* editis, veteres, *Martinum*, *Placentinum*, *Azonem*, *Roffredum*, & *Accurſium* identidem allegavit. Multa in *Formulis Libellorum Roffredi* negligenter tradita vel omiſſa notavit potiùs, quàm reprehendit.

Scripta.

Scripſit & edidit:

Commentaria ſuper Tit. de Actionibus in Inſtitut. in lucem reſtituta per D. Juſtinum Goblerum Conſil. Brunſvic.

Ordinem Judiciarium ſatis doctè tractatum.

Variarum Quæſtionum Lib.

* *Ex Vitis Jureconſultor. recentiorum Joh. Fichardi.*

Obiit A. C. 1265.

ODOFREDUS.

Patriâ *Beneventanus*, *Jacobi Balduini* diſcipulus, profeſſus eſt Jura *Bononiæ* magnâ cum gratiâ, id quod ipſius Lecturæ ſatis oſtendunt, quæ vividâ quâdam energiâ & lepidâ docendi ratione refertæ ſunt: ita ut non legere illum, ſed propemodùm audire Lector ſibi videatur. Mortuus eſt *Bononiæ* A. C. 1265. ut colligitur ex hoc ejus *Epitaphio*:

Juris Profeſſor Bononienſis. *Moritur.* *Epitaphium.*

DEO TRI-UNI.

PIRAMIDEM ET SEPULCHRUM VETUSTATE CORRUPTA, QUÆ ALBERTUS GENITORI SUO ODOFREDO LEGUM PARENTI ANNO DOMINI MCCLXV. III. NONAS DECEMBRIS POSUERAT, LAURENTIUS ODOFREDUS, DOMINICI ODOFREDI POSTERIORIS FILIUS, ALBERTI TRINEPOS SUA IMPENSA IN MELIOREM FACIEM OPERE ET CULTU SPLENDIDIORE RESTITUIT ANNO SALUTIS MCCCCXCVII. CAL. SEPTEMBR.

Scripta.

Reliquit:

Lecturas ſuper Codicem & Digeſta.

De Formulis Actionum Lib. I.

De Ordine Judiciorum.

De arte Notaria tîs.

* *Ex Vitis Jure-Conſultor. recentiorum Johannis Fichardi.*

Obiit A. C. 1267.

JOANNES SEMECA.

Vocatus aliàs *Johannes* der Teutſche. *Halberſtatenſis* ad S. *Stephanum* Præpoſitus ob eruditionem & pietatem deſignatus, & primus aggreſſus eſt Decretum gloſſare à *M. Gratiano* A. 1105. compilatum. A. 1265. *Clementi IV.* Pontifici *Rom.* tunc per *Germaniam* & *Galliam* decimas à Clero in redemtionem terræ Sanctæ exigenti appellationem oppoſuit. Vidit enim Pontifices eâ pecuniâ abuti, & eo prætextu *Germaniam* exhaurire. Ideò Papa illum excommunicavit & Præpoſiturâ privavit, ſed brevi pòſt mors utrumque ſuſtulit A. 1267. vel, ut alii volunt, 1269.

Præpoſitus Halberſtadienſis. *Decreta gloſſat.* *Opponit ſe Pontifici.* *à quo excommunicatur.* *Moritur uterque.*

Mortuus dixiſſe perhibetur: Wir haben im Leben gehabt/die für uns zu Chor gangen / den Acker gebauet / Meß geſungen und *horas Canonicas* gebetet / wo wollen wir nur einen nemen/der für uns in die Höll fahre / und wir erlöſet werden.

Voces ejus in morbo ſupremo.

Sepulchro ipſius hi inconditi verſus, ut erant tempora, inſcripti fuerunt:

Eſt, erit, atque fuit, qui deſiit eſſe Johannes:
Dogma viget, viguit: florebit in omnibus annis,
*Lux decretorum, Dux Doctorum via * viarum,*
Hic jacet, & placet, ut vacet à pœnis miſerorum.

* *morum.*

Adſcribitur ei & tale *Epitaphium.*

Epitaphium.

Riſi, ploro, fui, non ſum: ſtudui requieſco:
Luſi non ludo, cecini, muteſco: nutrivi
Corpus, alo vermes: vigilavi, dormio: dixi
Salve, dico vale: rapui, rapior: ſuperavi,
Vincor: certavi, pace utor: jure ego vixi,
Jure igitur morior: non obſto, obſtare nequirem:
Terra fui quondam, rurſus ſum terra: nihil ſum,
Terra ea dura vale, vermes ſalvete, recumbo.

* *Ex Melch. Adami vitis J Ctorum.*

Obiit A. C. 1672.

GUILIELMUS DURANDUS.

Epiſcopus *Mimatenſis* & I. C. eximius, appellatus vulgò *Speculator*, quia A. C. 1271. opus eximium edidit, quod *Speculum Juris* inſcripſit, ex quo magnam gloriam apud poſteritatem conſecutus eſt.

Author Speculi Juris.

Multa tamen veterum ſcriptorum ipſe ſibiſumpſit, & in hoc opus ad verbum deſcripſit, quæ poſteà *Johannes Andreas* in *Additionibus* ſuis paſſim notavit & prodidit. Prætereà frequentiſſimum hoc illi eſt, opinionibus aliorum hinc indè utramque in partem recitatis ſubticere, quæſtionemque in ſuſpenſo relinquere: quæ quidem res dubium lectoris animum magis etiam implicatum reddit. Nihilominus tamen utilis Scriptor eſt, deque Juriſprudentiâ benè meritus, qui fuit etiam author Libri, inſcripti *Rationale divinorum Officiorum.*

Author Rationalis divinorum.

Exceſſit è vitâ non multò pòſt, quàm Speculum abſolviſſet, juvenis adhùc & annum 30. non ita multum egreſſus circa A. C. 1272.

Moritur.

* *Ex Vitis Jureconſultorum recentior. Johannis Fichardi.*

Edidit etiam *Commentar. in S. S. Concilium Lugdunenſe ſub Pont. Gregorio X. celebratum in 4to.*

Scripta.

Repertorium aureum, omnes Decretorum & Decretalium materias complectens.

* * * *

Guilielmus Durantus, natione *Vaſco*, Epiſcopus *Mimatenſis* I. C. inſignis, à Speculo Juris, quod in tria Volumina diſtinctum conſcripſit, *Speculator* dictus, aliàs & *Pater Practicæ* nuncupatus, cum ejus Speculum ſequantur Practici in foro, vel ideò, ut vult *Forſterus Lib. III. Hiſtor. Juris Civil. c. 17.* quia vir fuit exercitationis forenſis peritiſſimus.

Theologus. Præter Juris cognitionem, *teſte eodem Forſtero*, maximam in Theologiâ celebritatem adſecutus eſt. Scripſit inter alia *Librum de Concilio* ab omnibus laudatum. Hoc ſolo notatur, quod multa Veterum ſibi adſcripſerit. Hujus de re Sacramentariâ fertur Sententia hæc:

Verbum audimus, Modum neſcimus,
Motum ſentimus, Præſentiam credimus.

* *Ex Dialogo de Patriis Viror. doctor. Job. Andr. Quenſtedtii.*

ACCURSIUS FLORENTINUS.

Obiit A.C. 1279.

Azonis I.C. diſcipulus. Juris conſultiſſimus, & *Azonis* Doctoris *Bononienſis* diſcipulus fuit, qui cum admirabili ingenio & multarum rerum cognitione valeret, Reipublicæ moderandæ maximè idoneus, universum *Juris Civilis Corpus* primus *Gloſſis* ornavit & explanavit. *Primus Gloſſas ſcripſit in Jus Civile.* Hujus autem Libros ſemper imprimendos curavêre docti, ubicunq; fuit excuſum *Corpus Juris*, cum *Gloſſis* & *Commentariis*: eâque de cauſâ omnium Juriſconſultorum celeberrimus exiſtimatur, utpote qui primus Jus civile interpretatus fuerit.

Moritur. Floruit An. C. 1236. ut ipſe in *Autenticâ* teſtatur. Obiit verò, & *Bononiæ* apud fratres *Minores* fuit ſepultus A. C. 1279. ætatis 78.

Scripta alia. Scripſit etiam *ſuper Inſtituta.*

* *Ex Appendice Promptuarii Iconum inſigniorum Guilielmi Rovillii.*

* * * *

Sunt qui tradunt, *Accurſium* 35. demùm ætatis anno Juris Civilis ſtudium eſſe ingreſſum, quod mirum videri poterit illis, qui *Bartoli* opinionem ſequuntur, negantis præſumi poſt 25. annum quicquam amplius à quoquam addiſci poſſe. Sed hæc ſententia multis etiam in hâc Legali diſciplinâ exemplis eorum hominum, qui in viros clariſſimos etiam ſerò ſtudium capeſſentes evaſerunt, confutari poteſt.

Jur. Profeſſor Bononiæ: & ejus fil. Franciſcus. Profeſſus eſt *Bononiæ*, ubi relicto filio *Franciſco Accurſio*, ipſo etiam Juriſconſulto & Profeſſore, ſed Patre longè obſcuriore, deceſſit.

Sepultus eſt ad S. *Franciſcum Bononiæ*, ubi foris juxta ingreſſum illius monumentum, quod filio commune eſt, extat, hanc habens ſimplicem Inſcriptionem:

Epitaphium.

SEPULCHRUM ACCURSII GLOSSATORIS LEGUM, ET FRANCISCI EJUS FILII.

Quo anno deceſſerit, non ſatis conſtat, floruit autem A. 1236. quo tempore, ut ipſe refert, *Gloſſas in Autenticorum Volumen* conſcripſit. Cum hoc autem *Accurſio* finem ipſi *Gloſſatores* habuêre, cum poſt illum nemo *Gloſſas* amplius conſcripſerit, vel quod omnem gloſſandi materiam conſumptam eſſe arbitrarentur, vel quod ipſam rationem commentandi majoris laudis & gloriæ ducerent. *Gloſſator fuit ultimus.*

* *Ex Vitis Jureconſultorum recentiorum Joh. Fichardi.*

Accurſius hic filias aliquot habuiſſe fertur, quæ ob eruditionem excellentis *Bononiæ* publicè profeſſæ ſunt, teſte *Johanne Frauenlobio* in Libello: Die lobwürdige Geſellſchafft der gelehrten Weiber.

S. IPHO, vel IVO.

Flor. A.C. 1286.

Britannus natione, ſub *Philippo Pulchro*, *Galliarum* Rege (qui quidem A.C. 1236. regnare cœpit) viguiſſe traditur. Natus eſt claris & opulentis parentibus, qui filium *Lutetiam* primùm, poſt *Aureliam*, ſtudiorum & maximè Juris Civilis diſcendi gratiâ miſerunt.

Is, abſoluto poſteà Scholaſticorum ſtudiorum curſu, ad ſuos reverſus, cum excellens ejus non tantùm eruditio verùm etiam vitæ ſanctimonia paſſim celebraretur, ab Epiſcopo *Trecorenſi* accerſitus, & ab eo Cauſis audiendis præfectus eſt, quem *Officialem* nunc vulgò appellant. In hâc Præfecturâ tam innocenter, tam juſtè, tam clementer, tamque integrè ſe geſſit, ut nullius rei præter virtutem appetens unquàm fuiſſe ab omnibus judicatus ſit. *I.C. vitæ ſanctimoniâ celebris. Officialis Trecorenſis in Angl.*

Erat autem inter cœteras virtutes eximiâ quâdam miſeratione erga pauperes conſpicuus, quos opibus ſuis omnes, quoad poſſet magno ſtudio ſublevabat. *Pauperes opibus ſuis ſublevavit.*

Tandem circa 50. ætatis ſuæ annum vitâ defunctus, non vulgi ſolùm opinione, ſed Summi etiam Pontificis judicio authoritateque inter Divos relatus eſt, & ejus feſtus dies 6. Cal. Sept. celebrari juſſus. *Inter Divos relatus.*

* *Ex Vitis Jureconſultorum recentior. Johannis Fichardi.*

ÆGIDIUS DE FOSCARARIS.

Obiit A.C. 1289.

Vocatus ab aliis de *Foſcariis* vel *Foſcherarius*, Patriâ *Bononienſis*, Parentibus Patriciis & locupletibus oriundus fuit, qui filium hunc bonis literis inſtituendum à primâ ſtatim pueritiâ procurârunt.

Is ut ingenio erat acuto & diligentiâ ſingulari, laboribusque in ſtudio indefatigabilis, brevi temporis ſpatio tantum profecit in re literariâ, ut coævos & condiſcipulos rerum cognitione & ſcientiâ bonarum literarum longè ſuperare à Præceptoribus judicaretur. *Ingenio excellens.*

Adul-

igitized by Google

Juris Imperialis & Canonici peritus.

Adultior factus, animum addixit ad ſtudium Juris, in quo ſine difficultate excellens redditus eſt, tàm in Jure Canonico, quàm in Legibus Imperialibus & Conſiliis, in quibus perfectiſſimus habebatur, & apud omnes *Italos* celebris. Diſcipulum inter alios habuit in Jure Canonico clarum *Johannem Andreæ.*

Scripta.

Scripſit *Practicæ Judiciariæ Lib. V.*
De officio Notariorum Lib. I.
Quæſtiones varias Juris.

Moritur.

Mortuus eſt *Bononiæ*, ſepultusque in cœmiterio Templi S. *Dominici*, in Sepulchro marmoreo & eminenti cum hac inſcriptione:

Epitaphium.

MCCLXXXIX. IND. II. DIE IX. JAN. ÆG. DE FUSCARARIS DCR. MORTE QUIESCIT. C. DOCTO. H. C. EGIDIUS MOIBZ EXIMIUS. C. DUX VIR ILLUSTRATOR STUDII VERIQUE REPERTOR. C. CANONE FULCITUS MTEQ. DE SOLIDUS C. CL⁹RUM CL⁹SIS CLEMENS UT SIS SIBI TESTIS.

* *Ex Vitis 50. Viror. doctor. Joh. Jacobi Boiſſardi.*

Flor. A.C. 1300.

RICHARDUS DE MALUMBRIS.

Juris ProfeſſorPatavii.

PAtriâ *Cremonenſis*, profeſſus eſt tempore Regis *Roberti Patavii*, & *Baldo* teſte omnium ætatis ſuæ Jureconſultorum doctiſſimus eſt habitus.

Hæreſeos condemnatus.

Tandem tamen in hæreſeos calumniam incidit, de quâ etiam condemnatus fuit, juréne an injuriâ, & cujus hæreſeos nomine, non ſatis conſtat. Sed hoc notum eſt, interceſſiſſe pro eo apud Summum Pontificem Collegium Jure-Conſultorum *Bononienſium*, ſed incaſſùm. Quid igitur tandem actum fuerit cum eo, ignotum eſt.

Multa ſcripſit, ut *Baptiſta Caccialupus* tradit, quorum tamen copia rara ſit.

Floruit circa A. C. 1300.

* *Ex Vitis Jureconſultor. recentior. Johannis Fichardi.*

• *Jacobi ab Arenâ Parmenſis* quondam auditor Jus civile *Patavii* profeſſus eſt circa A. C. 1310. teſte *Ant. Riccobono* in deſcript. Gymnaſii *Patavini.*

Obiit A.C. 1304.

DINUS MUGELLANUS.

Juriſconſultus.

JUris utriusque peritus, tantâ fuit animi ſolertiâ præditus, ut omnes ſuæ ætatis Juriſconſultos ſuperâſſe creditus ſit. Fuit acutus & eloquens in dicendo, diſputando, & decidendo: idcircò eleganter & copioſè totum Jus civile multis ſcriptis expoſuit, & clarius legum ſtudioſis reddidit.

Moritur.

Obiit tandem *Bononiæ* A. C. 1304. Sepultus ad S. *Dominici* templum. Ex mandato *Bonifacii VIII.* S. P. primus eleganter ſcripſit.

Scripta.

Super 6. Decretal. lib. I.
Super Codice lib. X.
Super ff. veteri lib. XXIV.
Super ff. novo lib. XII.
Super ff. Infortiato lib. XIV.
Super Tit. de actionibus in Inſtitutis Lib. I.
Conſilia multa.

* *Ex Append. Promptuar. Icon. inſignior. Guilielmi Rovillii.*

* * * *

Mugellum Florentinæ ditionis oppidum nomen & ortum dedit *Dino Mugellano*, qui magnum nomen invenit conſarcinato *VI. Libro Decretalium*, quem *Bonifacius VIII.* enixus eſt, obſtetricante hoc *Dino Mugellano.*

* *Ex Dialogo de patriis virorum Doctorum Joh. Andreæ Quenſtedt.*

Flor. A. C. 1320.

OLRADUS DE PONTE.

Advocatus Conſiſtorialis Romæ, & Auditor Cauſarum.

PAtriâ *Laudenſis* ſub *Dyno* Præceptore Juriſprudentiam didicit. Poſteà Advocatus Conſiſtorialis *Romæ*, demùm Auditor quoque Cauſarum factus, magnâ in exiſtimatione fuit: potiſſimùm apud *Johannem XII.* Pontificem Max. qui in arduis Reipublicæ negotiis componendis hujus *Olradi* Conſiliis maximè uſus fertur.

Edidit Conſilia.

Extat Conſiliorum ejus Volumen doctiſſimum, reliqua verò ipſius Scripta (quæ non pauca fuiſſe traduntur) aut interciderunt, aut aliâ de causâ fortè neglectui data ſunt. Ex Conſiliis hujus *Olradi* multa *Johannes Andreas* ſibì adſcripſit, quo ſolo vitio ſe quibusdam reprehendendum præbuit.

Floruit A. C. 1320.

* *Ex Vitis Jureconſultor. recentiorum Johannis Fichardi.*

ObiitA.C. 1336.

CYNUS.

Dini Mugellani diſcipulus.

EX nobili *Sigisbaldorum* familiâ *Piſtorii* natus audivit præter alios *Dinum Mugellanum*, quem multis locis Præceptorem reverendiſſimum appellat. Vir fuit ingenioſus & eximius Juris interpres, *Bartolique* Præceptor digniſſimus.

Bartoli Præceptor.

A. 1313. In die *Barnabæ* Apoſtoli abſolvit Lecturam ſuam ſuper Codicem, quam anno præcedenti inceperat. Scripſit autem accuratè, & illis tantùm, qui aliquo modo jam provecti in hoc Legum ſtudio ſunt, ut ipſe quodam loco ſignificat.

De hâc *Cyni* Lecturâ refert *Baldus*, aliquando *Bartolum* ſibì dixiſſe, quod illud, quod ſuum fabricaverit ingenium, fuerit Lectura *Cyni*. Et quidem majoris ille authoritatis apud pleroſque eſt ipſo Præceptore ſuo *Dino*. Canonici Juris ſectatores nonnihil exoſos habuit, eosque ſæpè ſcriptis ſuis perſtrinxit.

Oſor Juris Canonici.

De Jure-Conſultis, qui Canonum quoque ſuffragiis utuntur, ita alicubi ſcribit: quod tales manus habentes extra gazophylacium *Juſtinianei* theſauri, apud mendicantes meritò vadunt mendicatum.

Alibi ſcribit, Canonicos Juriſconſultos feciſſe ſibi Jura prolibitu voluntatis ſuæ, & Leges Civiles eos ſervare ad commodum

 ſuum,

ſuum, non autem contra ſe propter ambitum ſecularis Juriſdictionis uſurpandæ; & non propter aliud.

Amicus Johannis Andreæ. Fuit tamen amicus *Johannis Andreæ*, ut per eundem in Additionibus memoratur.

Moritur. Deceſſit *Bononiæ* A. C. 1336. juxtaque Præceptorem ſuum *Dynum* proximè ſepeliri voluit, in ſimili, quo *Dynus*, ſepulchro, humili & vulgari. Epitaphium autem utriusque obambulantium hominum pedibus tempore obtritum eſt, ut legi non poſſit.

Fuit & alius quidam *Cynus Piſtorienſis*, Decretorum Doctor, ſed nullo ſcripto inclaruit.

Hic autem Cynus ſcripſit plenè,

Scripta. *Super primâ parte Digeſti veteris, usque ad Titulum, Si ex noxali causâ agatur incluſivè, & in ſecundâ parte ſuper Titulum de rebus creditis.*

* *Ex Vitis Jureconſultor. recentior. Johannis Fichardi.*

JOHANNES ANDREÆ.

Obiit A.C. 1348

Bononiæ Patre Pædagogo natus cum domi Grammaticam didiciſſet, Clerici veſtitum induit, & paupertate oppreſſus, in patriâ Præceptorem domeſticum egit apud nobilem *Mainardinum Ubaldinum*, cujus filium *Scarpettam* literis & moribus informavit.

Hujus nobilis ſubſidio Legum Canonicarum & Civilium ſtudiis operam dedit, in iisque, ſub Præceptore *Bonifacio* quodam *Pergamenſi*, tantos fecit profectus, ut *Johannes Calderinus*, Patritius *Bononienſis*, filii loco eum adoptârit, à quo poſteà *Calderini* nomen aſſumpſit.

Juris Canonici Profeſſor Bononiæ. In Patriâ deindè Leges Canonicas 45. annos cum applauſu docuit, ideò *Tuba Juris Canonici* vocatus eſt, & uxorem duxit, ex quâ filium & filiam reliquit.

Conjugium ejus & Liberi. Uxor *Milancia* adeò fuit erudita & Juris perita, ut maritus, & *Cynus* I. C. alius ſæpiùs conſilium ipſius requiſiverint.

Filius *Boniacontrus* vocatus, patris veſtigia ſectatus Juriſconſultus quoque fuit celebris, qui Tractatus edidit De *Accuſationibus, Inquiſitionibus*, & *Appellationibus*.

Filia *Bettina* data fuit uxor *Johanni Sangeorgio*, Jurium tunc Profeſſori *Bononienſi*.

Peſte obiit. Ex morbo contagioſo tandem oppreſſus obiit *Bononiæ* 6. Julii A. C. 1348. Sepultus in Templo *S. Dominici* cum his verſibus tempori illi conformibus ſepulchro inſcriptis:

Epitaphium.

Hic jacet Andreæ notissimus orbe Joannes,
Primo qui Sextum Clementis atque Novellas,
Hieronymi laudes Speculi quoque Jura peregit:
Rari Doctorum, Lux, censor, normaque morum.
Occubuit anno prædiræ Pestis MCCCXLVIII. VII. Julii.

Calderinus I. C. 1501. Sepulchro huic ab antiquitate reſtaurato hanc Inſcriptionem adjunxit:

Deo Trino et uni.
Sepulc. vetustate corruptum
Joanni Andreæ Jureconsultiss.
Principi, atavo, ac Johanni abavo, et
Gaspari avo
Jureconsultis et rarissimis viris
B. M. Positum.
Calderinus Jacobi F. Jurisconsultus
instaurari jussit Anno MDI.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta. *In ſex libros Decretalium Novella Commentaria.*

In Titulum De Regulis Juris Novella Commentaria.

Gloſſæ continuæ ad lib. VI. Bonifacii VIII.

De Conſanguinitate & Affinitate.

Feudales Quæſtiones.

De Interdictis Civitatis Caſtri, vel alterius loci, & de iis, quæ ſervari non poſſunt.

De Sponſalibus & Matrimoniis.

Clementis V. Commentar. Vol. II. ſeu Novellæ & Mercuriales.

Additiones ad Speculum Gulielmi Durandi.

De filiis Presbyterorum.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

* * * *

Fuit vir eleganter doctus, nec in Jureconſultorum tantùm, verùm etiam bonorum authorum omnium Scriptis diligenter verſatus, id quod multis in locis Commentar. & Gloſſarum ejus apparet. Hoc vitii tamen in eo notatum à quibusdam eſt, quod multa ex Conſiliis *Olradi Laudenſis* ſibi, vero authore diſſimulato, adſcripſit: quapropter eum *Baldus inſignem furem alienorum laborum* alicubi exclamat, & aliquot ejus furta prodit. *Fur alienorum laborum à Baldo vocatur.*

Sed cum hoc vitium noſtro etiam tempore inoleverit, ut in permultos Scriptores competere videatur vulgatum illud, *Muta ſtylum Libri, titulum, & efficies Opus novum*; humanius id in tanto viro ferendum eſt.

* *Ex Vitis Juriſconſultorum recentiorum Johannis Fichardi.*

ANDREAS DE ISERNIA.

Obiit A.C. 1353.

A Patriâ *Iſernii*, Regni *Neapolitani* urbe, ſic vocatus, aliàs *Andreas* de *Rampino*, Juriſconſultus eximius, *Johannæ* Reginæ *Neapol.* Conſiliarius primarius, à Barone quodam *Germano*, quem Hiſtorici *Italici Conradum de Gottis* vocârunt, noctu per inſidias *Neapoli* ad *Portam Petrociam* nefariè occiſus obiit 11. Octob. A. C. 1353. ætatis 73. *Conſiliarius Neapolitanus.* *Moritur.*

Scriptum. Edidit: *Opus Commentationum in uſus Feudorum.*

* *Ex Catalogo Germ. mille Virorum M. Wolfgangi Krugeri Paſtoris Turnavienſis.*

ALBER-

Obiit A. C 1354.

ALBERICUS ROSCIATUS.

Juriſconſultus eximius.

BErgami patre *Tatlo* mundum ingreſſus, Juris Cæſarei & Pontificii peritus, Præceptores coluit in Gymnaſio *Patavino Richardum Malumbram*, & *Oldradum de Ponte.*

Legatus ad S. Pontif.

A. 1340. *Johannes* Epiſcopus *Novariæ*, & *Luchinus* Vice-Comes *Mediolanenſis* Legatum miſerunt eum *Avenionem* ad S. P. *Benedictum XI.* in gravibus negotiis, quibus feliciter expeditis domum rediit cum nummo ex auro honorario, in uno latere *Benedicti* effigiem, in altero verò Civitatem *Avinionenſem* repræſentante.

Moritur.

Vitâ tandem exceſſit in ætate vegetâ, ſepultus *Bergami* ad S. *Nicolaum Cœleſtinorum*, cum hoc Epitaphio minus erudito:

Epitaphium.

Hac jacet in arcâ Legum qui fuit arca,
Claret Lecturis, quas fecit Corpore Juris,
Atque aliis multis, quibus in ſcribendo refulſit
Hic de Roxiate Albericus gloria morum;
Tempore non parvo miſeros relevare magiſtrans,
Virginis obſequio, prece cujus Cœlica ſumſit.
Anno MCCCLIV.

Scripta.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Super toto Codice lib. 12.
Super Digeſto veteri lib. 24.
Super Digeſto novo lib. 12.
Super Digeſto Infortiato lib. 14.
Super Inſtitutis lib. 4.
Super ſextum Decretalium lib. I.
De Teſtibus lib. I.
De Statutis.
De Prepoſitionibus.
Super omnes partes Juris Civilis tàm matutinas quàm veſpertinas.
Repetit. ſuper I. Digeſti novi de cuſtodiâ reorum L. in eos.
Dictionarium Juris tam Civilis quàm Canonici plus 1800. additionibus locupletatum à Joh. Franciſco Deciano.
Tractat. de Accentu.
De Ortographiâ.
De Arte Oratoriâ.
Summæ Confeſſorum lib. I.
In Comœdiis Dantis lib. I.
Ex Scenâ literariâ Scriptorum Bergomat. Italicè editâ à Donato Calvo.

Obiit A. C. 1355.

BARTOLUS DE SAXOFERRATO.

Juris ſtudium excoluit Peruſiæ.

SEntini in *Umbriâ* natus eſt A. C. 1309.

A. æt 14. *Peruſiam* ad Juris Civilis ſtudium ſe contulit, Præceptores nactus in Philoſophiâ *Petrũ Aſſiſium*, & in Jurisprudẽtiâ *Cynum* Juriſconſultum ex nobili *Sigiwaldorum* apud *Piſtorienſes* familiâ oriundum *Reynerium Forolivienſem* & *Jacobum Butrigarium.*

Doctor creatus Bononiæ.

A ætatis 21. *Bononiæ* Doctoratûs inſignia conſecutus, evaſit Juriſconſultus ſuo ſeculo celeberrimus, ingenio ſubtilis & acutus, eloquio comptus & diſertus.

Piſis & Peruſiæ Juris Profeſſor.

Piſis Juris Civilis Profeſſionem aliquandiu ſuſtinuit, & poſteà *Peruſiæ*, ubi ſupremam in Gymnaſio claritatem conſecutus fortunas ſuas collocavit, duxitque uxorem, ſed irritâ ſpe maſculæ prolis.

Imperatoris Caroli IV. Conſiliarius.

Ob eruditionem *Lucerna Juris* vocatus, & ab Imperatore *Carolo IV.* inter Conſiliarios adſcitus, ab eoque donatus eſt virtutis causâ gentilitiis *Bohemiæ* Regum inſignibus, quibus purpurei Leonis forma aurato in campo cum bicipiti caudâ ſalientis exprimitur.

In vitâ ſobrius.

Ferunt, eum adversùs ſtudiorum labores indomitum extitiſſe, conſueviſſeq; uti in pertenui mensâ certis cibi potûsq; menſuris ad tuendam valetudinem, ut cùm ſæpè memoriâ laberetur, oblivionis incommoda aſſiduâ Commentatione reſarciret. Ob id voluptates omnes adeò ſeverè rejecerat, ut ne horula quidem extra naturæ neceſſitatem ſtudiis ſubtraheretur.

Judex nimis ſeverus.

Sed eandem quoque ſeveritatem ſupra æquum in torquendis & necandis noxiis exercuiſſe viſus eſt, cum *Tudenti* per triennium rerum capitalium judiciis præfuiſſet, adeò ut reum furti nec ritè confeſſum & inſontem præcipiti ſententiâ ſupplicio affecerit. Ex eâ acerbitate cum invidiam populari voce conflatam ſubiviſſet, conſpectum hominum pudore vitabundus in arcanum ruris otium libris evolvendis ſe abdidit.

Ex rure domum reverſus.

Exindè verò domum ſtudiorum intentione audacter regreſſus, æquales ſuos doctrinæ firmitate & mirâ judicii conſtantiâ ſuperavit. Defuit autem ei Eloquentiæ Latinæ facultas, ne ſummæ gloriæ faſtigium teneret, & tamen mirandum, illum in perpetuo docendi munere occupatum tot & tanta Volumina ſcripſiſſe.

Refert de eo *Ludovicus Vives*, quod non ſollicitus de ornatu Linguæ Latinæ dicere ſolitus fuerit: *De verbibus non curat Juriſconſultus.*

Moritur.

Vitam finiit *Peruſiæ* 13. Julii A. C. 1355. æt. 46. Sepultus ad Aram maximam in Templo *D. Franciſci.*

EXpLeVIt CLarVs *nataLes* *BartoLVs annos,*
AſſVrgIt MVrIs *qVâ PataVIna* ſVIs.
Joſeph à Pina.

Scripta.

Libros edidit:

Super Codice Lib. IX.
Super Inſtitutis Lib. IV.
Librum Tyberiadis.
Lib. de Guelphis & Gibellinis.
Lib. Conſiliorum.

* *Ex Elogiis Viror. doct. Pauli Jovii, & ex Catalogo Virorum illuſtrium Joh. Trithemii Abb. Spanheim.*

Caſp. Cunradus Med. D. Proſopographiæ melicæ Millenar. I. hoc ei ſcripſit diſtichon:

Auſpice me Juris praxis ſuccrevit & æqui:
Quis famæ invideat lividus ergò meæ?

* * * *

Anno ætatis 20. *Bononiæ* de Jure publicè reſpondit, & anno ſequenti ſolennia Doctoratûs

Statim poſt Doctoratum Praxin Jur. exercuit.

ratûs inſignia recepit. Hic cum intelligeret Praxin eſſe, quæ omnium optimè Juris ſtudioſorum oculos recludat, animos accendat, & Judicia abſolvat, ad eam ſe ſtatim primis poſt Doctoratum annis contulit, & diligenter illi incubuit. Itaq; Aſſeſſor Criminalium Cauſarum factus, in eâ functione eò usque perſtitit, donec malè audire cœpit, quod Legibus non perpenſis, reum quendam malè examinâſſet, & furcæ ſupplicio præter meritum condemnâſſet.

Aſſeſſor Bonon. Cauſarum Criminalium.

Ejus rei *Andreas Barbatias* ita meminit, ut ad Doctrinam *Bartoli*, quâ tradit furem pro furtis alibi commiſſis etiam eo loci furcâ puniri poſſe, ubi furtum levius & furcâ non dignum poſteà commiſerit, continere ſe non poſſet, quin exclamet, *Non mirari ſe iſtum rigorem Bartoli, cum in juvenilibus annis fuerit Judex maleficiorum, & illam ſeveritatem condemnandi facinoroſos imbiberit.*

Bartolus igitur, ſive conſcientiâ ſive calumniâ illâ perturbatus, relictâ ſuâ functione, rursùm ad libros & ſtudia ſeceſſit ad locum *Sancti Victoris*, qui à *Bononiâ* 11. lapidem diſtat. Ibi cum in ſolitudine aliquandiu ſtudiis privatis incubuiſſet, ad docendum accerſitus, *Piſas* contendit, anno primo, ætatis ſuæ 25. & edidit celebrem illam Repetitionem Legis, Si is, qui pro emptore: in Digeſt. ſub Tit. de Uſucapionibus: cœpitque ſtatim magis ac magis inclareſcere.

Juris Profeſſor Piſis.

Poſteà verò relictis *Piſis* (forſan ob ſtatum ejus Reip. ſemper turbulentum) *Peruſium* conceſſit, ubi & uxore ductâ, & vitæ portu conſtituto, reliquam ætatem profitendo transegit.

& Peruſii.

Quotidianis itaq; Prælectionibus ibi exercitus, ad illud eruditionis faſtigium excrevit, ut dum viveret & ſummi Jurisconſulti nomen ſolus in *Italiâ* haberet, & ad illum audiendum undiquaq; maximus ſtudioſorum concurſus fieret. Ab hoc plurimi profluxerunt, qui profitendo ſcribendoque poſt eum clariſſimi fuerint, ex quibus fuit præcipuus *Baldus Peruſinus*, qui refert, *Bartolum* ſemper tenuiſſe opiniones, quæ Laicis placerent, hoc eſt, quæ ſemper ſenſui communi & intellectui acceſſerint.

Baldi Ubaldi Præceptor.

Illud memorabile eſt, quod traditur, eum toto quinquenio in Repetitione Legis De ætate Digeſt. Tit. de minoribus, abſolvendâ laboraſſe, quem modum utinam, qui noſtrâ ætate commentantur, imitarentur, pauciores, ſed meliores & expolitiores haberemus Libros.

Diplovatatius autem de eo commemorat, quod memoriam non ſatis firmam fidelemq; habuerit, adeò, ut ſi quid commentaretur, nec Leges in promptu reperiret, *Franciſcum Tigrinum Piſanum* (qui eodem tempore legit *Peruſii* & ipſi intimâ amicitiâ erat conjunctus) ſolitus fuerit accedere, qui locos illi indicârit, & Leges ſuppeditaverit. Habebat enim hic *Franciſcus* magnam ſingularium rerum memoriam, ut de ipſo *Baldus* refert: & ſanè *Angelus* quoque & *Caſtrenſis* teſtantur, *Bartolum* ex dictis *Franciſci Tigrini* magnum ſibi honorem comparâſſe, exiguû autem ipſi *Franciſco* ut quem aut nunquâ aut raró nominaret.

Fuit memoriæ debilis.

Amicus Franc. Tigrini I. C.

Reprehenditur autem *Bartolus* aliàs quoque de hoc vitio, quod Veterum nomina tacuerit, & illorum inventa ſibi ſumſerit, præcipuè autem *Nicolai de Maturellis Mutinenſis* antiqui Doctoris, cujus permultas opiniones ſibi adſcripſerit.

Nicol. de Maturellis I. C. antiqui opiniones ſibi adſcripſit.

Sed nec ingenium nec memoriam *Bartolo* defuiſſe facilè judicare poteſt, qui conſideret, & Hebraicas ipſum literas, & Mathemata (quorum uſum ad Jus quoque Civile in Commentariis ſuis indixit) perdidiciſſe, & plurium diſciplinarum quàm Juris Civilis peritiam habuiſſe. Filiam habuit, quam in matrimonium tradidit *Nicolao Alexandro*, viro docto & Jureconſulto.

Ling. Hebrææ & Mathem. peritus fuit.

Generum habuit Nic. Alexandrum.

* *Ex Vitis Juriſconſultorum recentiorum Johannis Fichardi.*

FRANCISCUS ALBERGOTTUS.

Obiit A.C. 1376.

EX antiquâ & illuſtri familiâ natus eſt *Aretii* A. 1304. Patre *Alberico* I. C. celebri & *Guidonis Tarlaci* Epiſcopi Vicario Generali.

Adoleſcens Philoſophiæ naturalis & moralis ſtudia emenſus, ad Jurisprudentiam ſibi aditum fecit, quâ ſub Doctoribus primi nominis, maximè *Baldo Ubaldo*, tantum profecit, ut Laureâ Doctorali ornatus, cauſas forenſes in patriâ ſuſceperit.

Doctor Juris creatus.

Advocatus Aretii.

A. 1349. *Florentiam* transeuntem Cives, ob ejus præclara merita, ipſum cum poſteris ſuis in Nobilium cœtum adſciverunt. A. 1358. Exortâ inter *Florentinos* & *Bononienſes* de finibus contentione, Legatus ad *Bononiæ* Dominum miſſus, ex omnium voto controverſiam compoſuit. Ideò communiter ſuo ævo *Solidæ veritatis Doctor* appellatus eſt.

Nobilis Florentinus.

Legatus ad Dom. Bononiæ.

Tandem cum publicis & privatis negotiis famam ſibi perennem acquiſiviſſet, ſuſceptis ex uxore tribus filiis, inter quos *Ludovicus* I. C. variis Conſiliis & pro Republ. *Florentinâ* Legationibus celebris eſt, vitam clauſit *Florentiæ* A. C. 1376. ætatis 72.

Mor. Florentiæ.

Ingenii monumenta reliquit:

Scripta.

Commentaria in lib. Digeſtorum.
in Partes quasdam Codicis.
Conſultationes plurimas.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

PHILIPPUS DE LEYDIS.

Obiit A.C. 1380.

BAtavus, Equeſtri familiâ oriundus, Jurisconſultus celeberrimus. *Aureliis* Doctoris Laureâ donatus, & Juris Canonici *Lutetiæ* Profeſſor A. C. 1369. renunciatus eſt. Decreta annos aliquot explanavit, obtinuitque Canonicatum Eccleſiæ S. *Mariæ Condatenſis*.

Juris Profeſſor Lutetiæ.

Canonicus.

Pòſt Sacerdos & Conſiliarius domeſticus *Guiliel-*

Guilielmi Bavari Hollandiæ Comitis, & tandem *Arnoldi Hornani Ultrajectenſium* Epiſcopi Vicarius.

Demùm *Romam* profectus, juſſu *Alberti Bavariæ* Ducis Canonicatu *Ultrajectenſi* & *Leydenſi* donatus eſt à *Gregorio XI.* Pontifice Maximo.

Moritur. Obiit circa An. C. 1380. & *Leydæ* ſepultus*.

Scripſit:

Scripta. *De Reipublicæ curâ, & ſorte Principantium.*

Lecturam in Lib. III. Decretalium.

Johannes Franconius edidit omnia ejus Scripta, eaque doctâ Præfatione ornavit.

* *Ex Athenis Belgicis* Franciſci *Swertii.*

Obiit A.C. 1383.

JOHANNES LIGNANUS.

Juris Canonici Profeſſor Bonon.

Patritius *Mediolanenſis* Juris utriusque peritus *Bononiæ* Jus Canonicum publicè profeſſus eſt. Philoſophus præterea & Mathematicus eximius alter *Ariſtoteles* ſui temporis vocari promeruit. *Andreas Siculus maximum & illuſtrem Capitaneum ſacrorum Canonum, Legum, & Philoſophiæ* vocavit eum.

Moritur. Coævus fuit *Bartolomæi Saliceti*, Juris Profeſſoris *Bononienſis*, & morbo oppreſſus vivere deſiit 16. Febr. A. C. 1383. Sepultus ad S. *Dominicum* cum hoc Epitaphio:

Epitaphium. L. B.

Frigida mirifici tenet hic lapis oſſa Johannis,
Ivit in aſtriferas mens generoſa domos.
Gloria Lignani titulo decoratus utroque
Legibus, & ſacro Canone dives erat.
Alter Ariſtoteles, Hipocras erat, & Ptolomæi
Signifer, ætherei noverat aſtra poli.
Abſtulit hunc nobis inopinæ ſyncopa mortis,
Heu dolor, hic Mundi portus & aura jacet.
Anno MCCCLXXXIII. die XVI. menſis Februarii.

Scripta. Opera ab eo ſcripta ſunt ſequentia:

Super Clementinis Lib. I.
Diſputatio de Decreto.
De Cenſurâ Eccleſiaſticâ.
De interdicto Eccleſiaſtico.
De Beneficiorum Eccleſiaſticorum pluralitate.
De Repreſſaliis.
De Horis Canonicis.
De Permutatione.
De Amicitiâ, Bello, & Duello.
Lectura ſuper l. II. & III. Decretalium.

* *Ex Theatro Viror. literator. Italico Hieron. Ghilini.*

Obiit A.C. 1400.

BALDUS UBALDUS.

Ex honeſtâ *Ubaldorum* familiâ *Peruſiæ*, Patre *Petro Ubaldo*, nobili & Medico, natus eſt circa A. C. 1324.

A Medico ad Juris ſtudium tranſit. Præcocis ingenii puer cum bonam partem ætatis in ſtudiis Philoſophicis contriviſſet, Medicinæ operam dare cœpit, in quâ cum nihil laude dignum præſtare poſſet, ad Jurisprudentiam ſe convertit, etiam grandior natus *Bartolo*, *Peruſiæ* Jura docenti, operam dare cœpit. *Bartoli diſcipulus.* Ab hoc cum aliquando audiviſſet, *Tardè venis*, reſpondit, *ideò celeriter me abſolvam*: idque præſtitit, nam ſummâ diligentiâ brevi tempore effecit, ut inter Juris-Conſultos præclariſſimos numeraretur.

Juris Profeſſor Bononiæ. *Bononiæ* Juris Doctrinam profitentem & eximiâ laude florentem *Johannes Galeacius*, Vice-comes *Mediolanenſis*, potentiâ & gloriâ maximis Regibus æquatus, cum *Ticini* Gymnaſium conderet, magnis prœmiis evocavit. *Ticini.* Fratrem habuit & ſtudiorum comitem *Angelum Peruſinum* I. C. Fertur in exilium miſſus fuiſſe à Papâ, quod publicè docuerit, *Comitia majorem habere autoritatem, quàm Papam.*

Cum in Profeſſione Jur. 56. annos verſatus eſſet, obiit *Ticini* vel *Papiæ* 4. April A. C. 1400. æt. 76. *Franciſci* habitu cum expirare vellet, ſicut petierat, indutus.

Moritur morſu catelli rabidi. *Wolfius lib. 2. Memorabilium* ſcribit, eum à catello ſuo in labio demorſum quarto pòſt menſe delirantem obiiſſe, cui atteſtatur *Marcellus Donatus lib. 6. Hiſt. Med. mir. cap. 1.*

Tumulus ejus *Ticini* in æde S. *Franciſci* cum hâc rudi inſcriptione conſpicitur:

Epitaphium.
Conditus hic Baldus Franciſci tegmine fultus,
Doctorum Princeps Peruſinâ conditus arce.
Qui obiit Anno MCCCC. die XXVIII. April. in aurorâ.

Indè juxta ſummum altare tranſportata ipſius oſſa ſunt, ubi in alio ſaxo legitur hoc *Epitaphium:*

BALDUS EDITIOREM LOCUM SORTITUS HIC OCTO ET DECEM SUPRA CENTUM ANNIS OBDORMIVERAT. MDXIX.

Libri ab eò editi ſunt ſequentes.

Scripta.
Super Codice Lib. IX.
Super Inſtitutis Lib. IV.
Additiones Speculi.
Super ſecundo Decretalium.
De uſu Feudorum.
Margarita ſeu Repertorium.
Conſilia varia.
Practica.
Commentar. ſuper totum Corpus Juris Civilis.
Liber, quem Peculium inſcripſit.
Tractat. de Commentationibus Doctorum famoſor. in utroque Jure.

* *Ex Elogiis Viror. Doctor. Pauli Jovii, & ex Catalogo Viror. illuſtrium Joh. Trithemii.*

* * * *

Adoleſcens audivit *Johannem Pogliarenſem*, quem vocat primum Doctorem ſuum. Item *Franciſcum Tigrinum Piſanum*, virum magnæ memoriæ & doctrinæ, ſanctæque (ut alii tradunt) vitæ: & *Bartolum de Saxoferrato*, quem ſcribit multum ingenio ſuo contuliſſe, & præ reliquis extollit.

Fuit autem tam maturo feliciqúe ingenio, ut 17. ſtatim ætatis anno publicè repetierit

Digitized by Google

tierit Legem *Centum Capua*, Digeſtis De eo, quod certo loco.

Juris Doctor Bononiæ primùm docuit.

Poſteà cum ſtudiorum ſuorum legitimum tempus abſolviſſet, ac ſolitis Doctoratûs inſignibus eſſet ornatus, *Bononiam* profitendi causâ conceſſit A.C. 1344. Et quia illùc *Bartolus* quoque advenerat, eo præſente *Baldus* publicè diſputavit Quæſtionem illam, Utrum municipes alicujus loci ſtatuere poſſint, quod non poſſit fieri appellatio, niſi ad Judicem illius loci. In quâ diſputatione, (ut ipſe refert) oppoſuit ſe illi *Bartolus*, & acerrimus antagoniſtes ab horâ 16. usque ad horam 21. cum eo contendit, ſed tandem victus diſceſſit.

Cum Bartolo diſputavit.

Fuit autem & aliàs vehemens altercatio inter eosdem in Textu Paragr. ultimi, Legis Si Creditor, cum *Bartolus* in ſuo Codice haberet, Nullam venditionem, Baldus verò Ullam venditionem: adeoque tum animi exarſerunt, ut miſſum ſit *Piſas*, & veteres Pandectæ ſint inſpectæ, quæ cum Codice *Bartoli* conſonârunt.

Baldi inconſtantia.

Eruditionem autem in *Baldo* ampliorem nemo, ſed conſtantiam complures deſiderârunt: variavit enim perſæpè, & contraria invicem pugnantia multis in locis ſcripſit.

Juris Civilis & Pontificii fuit peritus.

Fuit autem *Baldus* non Civilis tantùm, ſed & Pontificii Juris doctiſſimus, itaque miratur alicubi *Lud. Romanus*, quod eum tam magnum Canoniſtam fugerint aliqua Capitula.

Progreſſus eſt *Papiæ*, quò à Duce *Joh. Galeacio* accerſitus fuerat, ad extremam usque ſenectam.

Filii ejus.

Filios habuit duos (ut tradit *Jacobus Philippus Bergomenſis* in Chronicis) *Zenobium*, qui & Equeſtribus ornamentis & Doctoratûs inſignibus donatus fuit, & *Franciſcum*, Juris quoque Doctorem.

Angelus Ubaldus I. C. Baldi frater.

Fratres habuit *Angelum*, & *Petrum*. *Angelus Ubaldus* iisdem Præceptoribus, quibus *Baldus*, Jus Civile didicit. Is anno ætatis 23. Doctoratûs inſignia ſumpſit, & publicè profiteri cœpit. Non indignus fratre ſuo *Baldo* fuit, ingenio inferior, eruditione par, acri & ſolido judicio præditus. Itaque *Johannes Pyrrhus* hunc inter Triumviros Jurisprudentiæ, cùm *Bartolo* & *Paulo Caſtrenſe* nominavit.

Alexander Ubaldus I. C. Angelus II. Ubaldus I. C.

Mortuus eſt *Florentiæ* eodem anno, quo *Baldus* frater ſuus, relicto pòſt unico filio *Alexandro* Legum Profeſſore, ex quo *Angelus ſecundus* poſteà prognatus eſt. Ille à majorum virtute neutiquàm degenerans, in celebrem Juris Profeſſorem evaſit, & cum publico ſalario multis annis *Patavii* profeſſus eſſet, à *Sixto* Pontifice Maximo *Romam* vocatus, & in Advocatorum Conſiſtorii Pontificalis numerum adſcitus eſt.

Reliquit *Angelus I.* doctiſſima *Commentariorum* & *Conſiliorum Opera*, quibus Jus Civile majorem in modum illuſtravit.

Petrus II. Ubaldus I.C. alter Baldi frater.

Tertius denique frater *Petrus de Ubaldis* pari dexteritate fratrum veſtigiis ingreſſus poſt legitimum ſtudiorum tempus abſolutum & ipſe utriusque Juris Doctor creatus eſt. Cum tamen Canonici Juris ſtudioſior eſſet, quàm Civilis, in eo ſolo elaboravit, & eruditionis ſuæ multa monumenta reliquit, ut traditur. Ex hoc natus eſt *Matthæus Ubaldus*, vir equeſtri poſteà dignitate inſignitus, & omni ſcientiarum genere inſtructus, qui duos porrò filios procreavit, *Petrum*, qui utriusq; Juris Profeſſor fuit, & *Baldum*, qui etſi Jurisconſultus non eſſet, prudentiâ tamen & conſiliis inter primos patriæ ſuæ Proceres habebatur. Hic *Baldus* avi ſui *Petri Ubaldi* felicitatem conſecutus eſt, trium filiorum eruditorum ſucceſſione, *Nicolai*, *Matthæi*, & *Sigismundi*, quorum primus Rotæ Auditor, alter publicus *Peruſii* Legum Profeſſor fuit.

Matthæus Ubaldus.

* *Ex Vitis Jurisconſultorum* Johannis *Fichardi.*

ANTONIUS DE BUTRIO.

Obiit A.C. 1408.

Patriâ *Bononienſis*, vir excellens, ſanctæque vitæ, & Doctor omni veneratione dignus fuit, ut inquit *Caccialupus*. Fuit æqualis *Ancharani*, & ſecundùm eundem *Caccialupum* ſcripſit *duo* pulchra *Repertoria*, unum in Jure Canonico, alterum in *Jure* Civili.

Juris Profeſſor Bonon.

Mortuus eſt A. C. 1408. Non. Octob. ut habet Epitaphium ipſius *Bononiæ* ad S. Michaelem in Monte, ubi ſepultus eſt.

Moritur

Scripſit:

Scripta.

In Decretales, & Clementinas.

Opus Conſilorum.

* *Ex Vitis Jureconſultorum recentiorum Johannis Fichardi.*

PETRUS ANCHARANUS.

Obiit A.C. 1410.

Bononienſis ex illuſtri *Farneſiorum* familiâ, præter ſingularem doctrinam tàm in Philoſophiâ, quàm in ſtudio *Juris*, vir longo rerum Politicarum uſu prudentior redditus, eloquens, & multâ authoritate apud ſuos pollens, propter ſalutifera conſilia, quibus tam ſcriptis quàm voce Patriam juvans Principibus Civitatibusq; & Academiis totius *Italiæ* plurimùm commendabatur.

Uſus erat Præceptore *Baldo*, ex cujus intimâ familiaritate multa ſecreta Jurisprudentiæ hauſerat documenta.

Baldi diſcipulus.

In Gymnaſio primùm *Patavino*, *Bononienſi* deindè cum magnâ Auditorum frequentiâ Leges publicè docuit, unà cum *Bartol. Saliceto.*

Jur. Profeſſor Patav. & Bonon.

Obiit *Bononiæ* circa A.C. 1410. Sepultus in templo *S. Benedicti*, parte ſuperiori, monumenti literis Romanis ſcriptum eſt.

Moritur.

D. O. M.

PETRO ANCHARANO JURIS PONTIF. ET CÆS. CLARISSIMO INTERPRETI EJUS AMANTISSIMI SACRUM HOC INSTAURATUM POSUERE ANNO SAL. MCCCCLXXXXVII.

Epitaphium.

Et in

Et in parte inferiore literis Gothicis hæc leguntur:

Canonis hic ſpeculum, civilis & Anchora Juris
Hic jacet, æternas mens tenet alma domos.
Nomen erat Petrus: genuit Farneſia proles,
Nunc Ancharanum dat ſibi Juris opes.
Quis ſuperavit eum virtute micante? quis iſto
Conſiliis hominum clarior antè fuit?
Pro meritis nunc aſtra dedit ſibi Juppiter almus,
Et voluit gelido membra jacere ſolo.

Edidit:

Super Decretalibus Lib. V.
Super ſextum Decretalium Lib. I.
Super Clementinis Lib. I.
De Regulis Juris Lib. I.
Super ff. veteri Lib. XXIV.
Super ff. novo Lib. XII.
Conſiliorum Lib. I.
Canonum Statuta.

* *Ex vitis 50. Viror. doctor. Joh. Jac. Boiſſardi. Et ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

* * * *

Johannes Fichardus in Vitis Jureconſultorum recentiorum refert, eum mortuum eſſe *Bononiæ*, & in S. *Dominici* ſepultum, ubi monumentum illius extet cum longiuſculo Epitaphio, quod tamen mortis tempus non exprimat.

JACOBUS RADEVITZ.

Claruit A. C. 1412.

NAtione *Thuringus*, patria *Genenſis*, vir in omni genere ſcibilis undecunque doctiſſimus, eloquio diſertus, tàm carmine terſus, quàm oratione manantiſſimus. Qui ubi in *Lipzenſi* ſtudio aliquamdiu Artes & Philoſophiam præcepiſſet, receptis inibi jurium auſpiciis, ac in *Italiæ* ſtudio ſimùl cum *Panormitano* in Doctorem promoveretur, tanta profectò ſuæ doctrinæ opinione, & qui eosdem ſimul, & *Panormitanum*, iſtumque *Jacobum*, birreto inſigniret, duo ſe diverſæ genti, *Italiæ* puta *Alemanniſq;*, luminaria ſuccendere Doctor aſſeveraret.

Locus nativitatis. — Lipſiæ Artes & Philoſophiam præcepit. — Doctor promotus eſt Juris.

Quod poſteà experimento comprobatum; Quippè cum tandem Juridicæ facultatis cunctorum ſuffragio plurimis annis ordinarium gereret, tantam de ſe excitavit opinionem, ut ejus ingenio conſiliisque *Saxoniæ* Ducatum, Imperii Electoratum, *Fridericus Miſniæ* Marchio ex D. *Sigismundo* ſe aſſecutum haud obſcurè fateretur. Reliquit nonnihil ingenii ſui monumentum, quod in *Lipzenſi* Bibliothecâ ſuperextat.

Conſiliarius Saxonicus.

Scripta.

Quodlibeticæ diſputationes, Volumen ingens.
Conſiliorum grande volumen,

Et alia quàmplurima, quæ partim legens, partim conſultans, ingenioſè reliquit.

Claruit in ſtudio *Lipzenſi* A. D. 1412. ſub Imp. *Sigismundo*, vel, ut alii dicunt, anno 1431. Sepultus eſt in ædibus *D. Thomæ.*

* *Ex Scriptorum inſignium Centuriâ Joachimi Johannis Maderi.*

BARTOLOMÆUS SALICETUS.

Obiit A. C. 1412.

BOnonienſis Baldi coætaneus profeſſus eſt Jus civile 4. annos *Patavii*. Deindè cum in peſtifero illo ſchiſmate *Romanæ* Eccleſiæ per *Bonifacium VIII.* Papam, & *Benedictum* Antipapam continuato tota ferè *Italia* bellis & ſeditionibus vexaretur, *Bononiam* in patriam ſe recepit. Ibi A. 1382. menſe Majo exorſus eſt Commentaria ſua in IX. Libros Codicis, quæ ſequentibus annis juxta publicas prælectiones abſolvit. Profeſſus eſt autem magnâ cum laude, & inter ſui temporis Doctores cumprimis fuit.

Juris Profeſſor Patavii. — Bononiæ.

De hoc ſcribit *Jacobus Philippus Bergomenſis in Chronicis*, quod *Alberto Eſtenſi*, *Ferrariæ* Marchioni, cum apud eum magno eſſet in pretio, primus author & ſuaſor fuerit, ut A. 1398. à *Bonifacio* Pontifice Privilegium impetraverit Scholæ publicæ in urbe *Ferrariâ* inſtituendæ, in quâ ipſe Profeſſioni Juris primus felix auſpicium dedit, *teſte Forſtero.*

Academiam Ferrariæ inſtituit.

Mortuus eſt tandem *Bononiæ* 18. die Dec. A. C. 1412. ætatis 77. & ad S. *Dominicum* ſepultus, ubi in Choro extat illius Monumentum, cum hoc Epitaphio:

Moritur. — Epitaphium.

Hoc tumulo legalis apex, dulciſſimus ore,
Et patriæ Lux alma ſuæ, pietatis amator,
Juſtitiæque ſacræ clypeus, baculusque cadentis,
Qui juvenis, multoque etiam venerabilis ævo
Edocuit: ſuperavit eum nec penna laboris
Scribendo, & pariter Juris nucleando tenebras,
De Saliceto requieſcit Bartolomæus.

* *Ex Vitis Jureconſultor. recentior. Johannis Fichardi, & ex Indice Chronologico Abrah. Bucholtzeri.*

LUDOVICUS CORTUSIUS.

Ob. A. C. 1418.

JUrium Profeſſor *Patavinus*, in interpretando Jure Civili excelluit.

Patavii mortuus, prout Teſtamento decreverat, hâc ratione ſepultus eſt in Templo S. *Sophiæ*, 100. funalibus incenſis. Funus præceſſerunt Citharœdi, tubicines, & Muſici omnis generis 25. numero, qui vario concentu lætitiæ ſigna ſpectatoribus dederunt: hos ſecutus eſt totus Clerus *Patavinus* concinens, exceptis *Eremitanis*, quos propter veſtium nigredinem excluſit, ne fortè hilaritatem exequiarum turbarent.

Sepultura Mirabilis.

Feretrum deindè geſtârunt 12. Virgines viridibus ex ſerico veſtibus amictæ, quæ de more lætantium modulantes altâ voce concinere juſſæ ſunt, quibusq; ſingulis certam pecuniæ ſummam pro dote legavit.

Funus ſecuti ſunt cum filio hærede conſanguinei & amici induti veſtibus rubris &

varii, præter atrum, coloris, quibus ſingulis lachrymas & lamentationes additâ mulctâ interdixit. Agmen clauſerunt 25. Muſici eodem, quo prægreſſi, modo modulantes. Obiit *Patavii* 17. Julii A. C. 1418. *Moritur.*

* *Ex Bernardini Scardeoni Hiſtoriâ Patavinâ.*

Paulus à Caſtro I. C. Teſtamentum hoc *Cortuſii*, tanquàm hominis non ſanæ mentis in dubium vocavit.

CHRISTOPHORUS CASTILIONÆUS, vel DE CASTILIANO.

Obiit A. C. 1425.

MEdiolani patre *Franciſco* natus 16. Maji A. C. 1345. Juriſconſultus, Orator, & Poëta fuit eximius. Cum Doctoris Jur. gradum in Gymnaſio *Parmenſi* conſecutus & in Collegium Juridicum *Mediolani* receptus fuiſſet *Johannes Galeacius*, Vice-comes, & primus poſteà Dux *Mediolanenſis* & filius ejus ſucceſſorque *Joh. Maria* Conſiliarium eum ſibi delegerunt. *Doctor Juris Parmæ. Conſiliarius Mediolanenſis.*

Jura publicè profeſſus *Parmæ*, & *Senis*, *Taurini* primam Cathedram obtinuit. *Placentiæ* Collegam habuit *Baldum Peruſinum*, cumque ultra 20. annos magnâ cum laude Jura docuiſſet, *Ticinum* reverſus, in quiete dulci & Muſis vitæ reſiduum transegit. *Iuris Profeſſor. Baldi Collega.*

Imp. *Sigismundus* Comitis & Equitis honoribus decoravit eum, cum poſteris ejus maribus, & privilegiis donavit. *Raphäel Fulgoſius* & *Raphaël Cumanus*, JCtorum lumina, præter alios I. C. tos plurimos ex Scholâ ejus prodierunt. *Comes Palatinus & Eques.*

Bartolus, *Jaſon Maynus*, *Fulgoſius*, *Caccialupus*, *Catellanus*, *Cotta*, *Fichardus*, *Mantuaque* in Scriptis ſuis mentionem ejus fecerunt honorificam, *Monarcham Legum*, & *Principem Legiſtarum* vocantes.

Gloriæ tandem & vitæ ſatur, *Ticini* obiit 16. Maij A. C. 1425. æt. 80. *Ticini* in Templo *Dominicanor.* S. *Thomæ* ſepultus jacet cum effigie marmoreâ, ac hâc Inſcriptione: *Moritur.*

Epitaphium. HIC JACET CLARISS. JURECONSUL. ÆTATIS SUÆ PRINCEPS D. CHRISTOPHORUS DE GENEROSA PROGENIE CASTILIONÆA COMES, ATQUE ILLUSTRISS. DOMINI D. MEDIOLANI SECUNDI DUCIS CONSILIARIUS: QUI PAPIÆ, TAURINI, PARMÆ ET SENIS PRIMAM CATHEDRAM TENENS LEGUM MONARCHA SCRIBEBATUR, CUJUS ANIMA DIE 16. MAIJ 1425. IN FESTO DOMINICÆ ASCENSIONIS HIC DIMISSO CARNIS ONERE IN COELUM ASCENDIT.

Edita ab eo ſunt ſcripta ſequentia: *Scripta.*

Conſilia.

Repetitiones variæ.

Diſputatio circa alienationem rerum mulieris probibitam à Statuto.

Conſilium, an præſumatur fœnus, quando vendens poſteà capit in Emphyteuſin.

Comment. ſupra Infortiatum.

Tract. de Duello.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum. Hieronymi Ghilini.*

* * *

Chriſtoph. de Caſtiliano Mediolanenſis Juriſconſultus fuit acri magnoque ingenio præditus, & ſubtilitatum (ut eum *Jaſon* vocat) princeps. Itaq; ut ferè aſſolet, ingenii ſui ſubtilitate & doctrinæ fiduciâ, ut olim *Antiſtius Labeo* fretus, multa innovare, & receptas in Scholis opiniones, ubicunq; poſſet, magno ſtudio labefactare inſtituit. Hunc morem *Raphaël Fulgoſius Placentinus*, & *Raphaël Comenſis*, ejus diſcipuli, poſteà ſecuti innovationes illas magis ac magis auxerunt. *Subtilitatum princeps. I. C. ſingularii.*

* *Ex Vitis Jureconſultorum recentiorum Johannis Fichardi.*

JOHANNES DE IMOLA.

Obiit A. C. 1436.

PAtriâ *Bononienſis*, ſed cujus parentes olim *Imolâ Bononiam* transmigrârant, & civitate donati erant, propter eorum authoritatem & facultates, quæ non erant mediocres. Hic *Johannes* ſtatim à pueritiâ bonis literis inſtitutus eſt, ut non ſolùm in Philoſophicis optimè erudiretur, ſed maximè in Jurisprudentiæ ſtudio, ad quod Pater illum deſtinârat, ut patriæ, honori & familiæ emolumento eſſet. Nam cum tria illa ſtudia cœteris excellant, Theologiæ, Jurisprudentiæ, & Medicinæ: *Dat Galenus opes, dat fulvum Bartolus aurum.*

Et præter opes, quæ ex Juris ſtudio acquiruntur, maximum id viſum eſt præmium ſcientiæ, quod in adminiſtratione Reipublicæ in Conſiliis principum admittuntur cum ſummo honore & authoritate Juriſconſulti.

Johannes igitur in hâc ſtudii vacatione factus provectior, Doctoratûs gradum accipiens, *Bononiæ* publicè docuit, Præceptor fuit *Alexandri Imolenſis*, & multa ſcripſit, quæ cum gloriâ & laude ad poſteritatem transmiſſa ſunt. *Iur. Doctor & Profeſſor Bononiæ.*

Mortuus eſt *Bononiæ* tempore *Sigismundi Rom.* Imp. & *Eugenii IV.* Pontificis Maximi A. C. 1436 die 18 Febr. Sepultus eſt in Periſtylio Templi S. *Benedicti*, cum *Martino Sulimano*, cum hâc Inſcriptione: *Moritur.*

D. M. S.

JOHANNIS DE IMOLA PONT. CÆS. Q. JURISCONSULTISS. OSSA IN SUBPOSITO GARISENDOR. SEPULCHRO REQUIESCUNT: MINUS GARISENDUS ILLE ET IPSE INTERPRES AMITÆ SUÆ CONJUGI FECIT. *Epitaphium.*

Edidit: *Scripta.*

Super tribus libris Decretalium Lib. III.

Super ſexto Decretalium ſeorſim Lib. I.

Super Clementinis Lib. I.

Super ff. Infortiati Lib. XIV.

* *Ex Vitis 50. Viror. doctor. Joh. Jac. Boiſſardi.*

* * * * *

Legimus de eo apud *Matthæum Gribald. Mopham*



IOHANN. de IMOLA.
Iurisconsult. Bononiensis




PAULUS de CASTRO.
I.C. et Vicar. Gene. Florent



RAPHAEL FULGOSUS
Iuris. Profes. Ticinensis.



GREGO. HEIMBURGER.
Syndic. Norinberg.



FRANC. ACCOLT. ARETIN.
Iurisconsul. Bononiensis



BARTHOL. CEPOLLA
Iuris Prof. Patavii



ALEXAN. TARTAGN.
Iuris Prof. Bononiens



FRANCIS. CURTIUS.
Sen. Iuris Prof. Ticini



PANDULPH. COLLENUTI
Iurisconsult. Pisaur.



HIERONYM. BOTTICELLA
Iuris Professor Patavii



ANTONI. KRESS.
I.V.D. et Prae. Templ. ad S. L. Nor



IASON MAYNUS
Iuris Prof. Patav. et Ticini.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE




SEBASTIAN. BRAND.
Iuriscon. et Can. Argentorat



HULDRICH HUTTEN.
Eques Francus.



ANT. FR. à DOCTORIB.
Iuris Pontif. Prof. Patavinus



CAROLUS RUINUS
Iur. Prof. Ticini et Bononiae.

Digitized by Google

Mopham I. C. *Cherianum*, *Method. Stud. lib. I. cap.* 13. *Johannem ab Imolâ* tertium à *Bartolo* locum obtinere nemo rectè negaverit. Utrumque Jus ſuis divinis Commentariis ſic illuſtravit, ut quicquid boni *Alexander Jaſon*, cœteriq́ue recentiores congeſſiſſe inveniuntur, id utplurimùm *Johanni ab Imolâ* communi Præceptori acceptum ferre teneantur. Fuit quidem *Imola* (ut paucis abſolvam) & in conciliandis legibus ingenioſiſſimus, & in rationibus perveſtigandis omnium diligentiſſimus. Hæc ille.

* *Ex Dialogo de patriis virorum Doctorum Job. Andreæ Quenſtedt.*

PAULUS DE CASTRO.

Obiit A. C. 1437.

EX *Caſtro*, ditionis *Florentinæ* Civitate, ducens originem, Juriſconſultus fuit ævi ſui primarius, qui Leges Civiles *Florentiæ*, *Senis*, *Bononiæ*, & *Patavii* publicè 57. annis magnâ cum nominis ſui famâ docuit.

Juris Profeſſor.

Florentiæ duxit uxorem *Petram* nomine, & ibidem S. Pontificis decreto Vicarii generalis munus obivit. *Patavii* tandem vitâ defunctus eſt A. 1437. ſepultus eſt in Templo Servorum cum ſuâ filiiq́ue ſui Angeli I. C. ſtatuis æreis, & ſeq. Epitaphio:

Vicar. general. Florent. Moritur.

Epitaphium.

PAULUS DE CASTRO JUR. CONSUL. DISERTISS.
MAXIMÆ AUTHORITATIS APUD OMNES HABITUS, QUOD FLORENTIA TESTATUR, CUJUS JUS MUNICIPALE INNOVAVIT, ET IN EA CONJUGATUS PETRÆ UXORI, VICARIATUS OFFICIUM IN SPIRITUALIBUS RO. PONTIF. DECRETO EXERCUIT, UBI ETIAM IN BONONIENSI ET PATAVINO GYMNASIO PUBLICE PROFITENDO FLORUIT, ÆTERNAMQ; SIBI GLORIAM COMPARAVIT, RELINQUENS CONSILIORUM ET IN JURE VOLUMINA PLURA EDITA, QUÆ INTER MANUS VERSANTUR: ET IPSIUS ANGELUS FILIUS CLARUS INGENIO AMBORUM JURIUM TENENS FASTIGIA, 40. ANNOS PATAVII JURA DOCUIT, EOQUE NICOLAUS CANONICUS PADUANUS, QUI AB HIS PROCESSIT, ET IPSE PARENTUM VIRTUTEM ADEPTUS, HOC IMMORTALITATIS OPUS ILLIS CONSECRAVIT MCCCCXCII.

Paulò inferius ſub ſepulchri ornamento hæc ſcripta leguntur:

PAULO DE CASTRO AVO ET ANGELO PATRI COMITI PAL. UTRI. JUR. DOCTORIBUS ET IN ORBE MONARCHIS NICOLAUS DE CASTRO CANONICUS PADUANUS APOSTOLIC. CUBICUL. ET COMES PALAT. FIERI FECIT MCCCCXCIX.

Scripta.

Opera ab eo ſcripta ſunt ſequentia:

Commentaria in primam & ſecundam Partem Infortiati.

in Codicis partem ſecundam.

in Digeſti novi & veteris Partem I. & II.

Avenionicæ Prælectiones in titulos quamplures.

Comment. in Pandectarum & Codicis Juſtinianei titulos.

Conſiliorum ſive Reſponſorum Volumina III.

Singularia.

Comment. in Inſtitutiones.

Opus Conſiliorum in duo Volumina diviſum.

* *Ex Theatro Ital. Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

* * *

Paulus Caſtrenſis A. C. 1431. *Patavium* accitus, prius *Angelum Perillium Patavinum*, mox *Joh. Franciſcum Capiſiſtium* in Jure Civili interpretando Collegas habuit. Maximæ authoritatis vir *Florentiæ* nobis jus municipale inſtauravit, in eâq́ue Vicariatûs officium in ſpiritualibus *Romani* Pontificis Decreto, exercuit.

* *Ex Gymnaſii Patavini deſcriptione ab Ant. Riccobono editâ.*

THEODORICUS BUCKSDORF.

Clar. A. C. 1439.

EX antiquâ *Bucksdorffenſium* familiâ, animo corporeq́ue nobilis, diſciplinâ *Lipzenſis*, Vir celeberrimæ laudis, ingenio præſtans, in omni Philoſophico ſtudio conſummatiſſimus. Quippè cum eſſet indolis ſolertiſſimæ in rebusq́ue agendis naturâ prudens, Juridicæ applicans & forenſi diſceptationi: in quibus cum nulli ſuæ ætatis impar eſſet, ſed inventionis acrimoniâ & Legum ſubtilitatibus longè emineret, in Ordinarium Juris ſuffectus, Scholas Juris ſtudioſorum annos quatuor ſupra 20. frugaliſſimè rexit. Tandem fragrantibus famę meritis, quod non tam doctrinâ quàm dono conſilii ſingulariter præſtaret, in Epiſcopum *Nuenburgenſis* Eccleſiæ, cunctorum ſuffragio ex *Lipzenſi* Academiâ ſublimatus, ſedit annis * *

Philoſophus. Juris peritus. Profeſſor Juris Lipſienſis vel Lipzenſis. Epiſcopus.

Reliquit denique nonnihil illuſtris monumenti, quo, quantum & ingenio & Scholaſtico labore præſtiterit, facilè internoſcitur: de quibus ſubnexa ſuperextant:

Libri.

Additionum ſuper Specul. Saxon. l. I.

Remiſſorium in idem. l. I.

In jura municipalia. l. I.

Conſiliorum volumen ingens. l. I.

Lecturam ſuper Decretal. l. I. volumen grande.

Oration. Scholaſt. plurim.

Claruit A. C. 1439.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuriâ Johannis Joachimi Maderi.*

LUDOVICUS PONTANUS, VEL ROMANUS.

Obiit A. C. 1439.

PAtriam habuit *Spoletum*, *Umbriæ* in *Italiâ* ad radices Montium ſitam Civitatem. Ingenio eminenti memoriâq́ue Divinâ præditus dum diſputârat Leges non ſecundùm principia pro more Juriſconſultorũ aliorum allegabat ſed ac ſi ex codice legiſſet. Juriſconſultus ſuo tempore ſingularis Præ-

Juriſconſultus Divinâ memoriâ præditus.

Diſcipulus Johannis ab Imolâ. Protonotarius Apoſtolicus. ris Præceptorem habuit *Johannem Imolenſem.* Fuit etiam Eccleſiaſticus ſecularis & Protonotarius Apoſtolicus.

Legum Profeſſor Senis. Cum annis aliquot in Gymnaſio *Senenſi* Leges Civiles publicè docuiſſet, *Romam* ſe contulit, & ſtrictam coluit amicitiam cum Cardinali *Panormitano*, cum quo *Baſileam* ad Synodum ibi celebratam profectus, & peſte graſſante mundo ſurreptus eſt 11. Julii

Moritur. A C. 1439. æt. 30. Ibidem in Templo Patrum *Carthuſianorum* ſepultus jacet cum hoc Epitaphio:

ANNO DOMINI MCCCCXXXIX.

Epitaphium. REVERENDUS IN CHRISTO PATER DN. LUDOVICUS PONTANUS DE ROMA, UTRIUSQUE JURIS DOCTOR EGREGIUS, S. SEDIS APOSTOLICÆ PROTONOTARIUS, CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE, AMEN.

Scripta. Scripta edidit:

Commentar. in Digeſta & Codicem.
Conſiliorum ſingularium Volumen.
Repetitiones.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

* * * *

Ludovicus Pontanus, patriâ *Spoletinus*, & tandem ob id, quod Romæ commoraretur,

Romanus cur dictus? Auditor Joh. Petrucii. *Romanus* dictus, *Johannis Petrucii* celeberrimi apud *Peruſinos* J.C. & *Johannis de Imolâ* auditor fuit, *Senis* & ipſe Jus Civile aliquot annis profeſſus eſt.

Encomium Æn. Sylvii. *Æneas Sylvius in Hiſtoriâ Concilii Baſilienſis* hæc de eo ſcripſit: Finitis *Panormitani* verbis, *Ludovicus Romanus* Protonotarius totius humani Juris gnarus aſſurrexit: cujus tanta memoria fuit, ut nulli veterum cedere putaretur, ſive *Simonidem*, ſive *Theodectem*, ſive illum, qui à *Pyrrho* miſſus ad Senatum venit *Cyneam*, ſive *Carneadem Seriphium*, *Metrodorum*, *Hortenſium*, ſive qui horum ultimus fuit *Lucium Senecam*, de divinitate memoriæ commendemus.

Memoriâ ſingulari præditus. Erat enim memor omnium, quæ ipſe unquâ aut legiſſet, aut audiviſſet: nec oblitus erat eorum al quid, quæ ipſe vidiſſet, nec ut cœteri Juriſconſulti principia Legum in diſputando allegabat, ſed quaſi Codicem legeret, ſic Textum memoriter recitabat. Sed invidit fortuna *Italiæ*, nec tantum ſcientiæ lumen creſcere paſſa eſt, dum morbum peſtiferum immiſit, virumque hunc vix 30. egreſſum ætatis annum abſtulit, nec plus horis 36. ſivit ægrotare.

* *Ex Joh. Fichardi Vitis Juris-Conſultorum.*

RAPHAEL FULGOSIUS.

Obiit A.C. 1440.

PLacentinus Legum Doctor celeberrimus, diſcipulus fuit *Chriſtophori Caſtilionis Mediolanenſis*, Legum Civilium tunc temporis Profeſſoris primarii. *Johannes Galeacius*, primus *Mediolani* Dux, contulit ei Profeſſionem publicam in Academiâ *Ticinenſi*, quam provinciam 6. annis cum laude & honore ſuſtinuit. In patriâ

Juris Profeſſor Ticini.

quoque Jura docuit, magno cum auditorum fructu. Vitam tandem finiit *Patavii* circa A. C. 1440. Sepultus ad S. Antonium, appoſitâ ſtatuâ marmoreâ, & hoc Epitaphio inſcripto: *Moritur.*

RAPHAEL FULGOSUS.

Epitaphium.

Fulgoſus Raphael virtutum jaſpis, utroque
Jure ſtupor, tantus qui famâ quantus & Orbis
Scriptis morte vacat, tam parvo clauditur antro.
Emeritæ prædigna gerens cognomina laudis
Fulgoſus Raphaël conditur hoc tumulo.
Conſuluit nemo melius, fulſitque docendo
Cæſareas leges, juráque Pontificum.
Claruit eloquio, quem blanda Placentia formâ
Et genere inſignem, mente piumque tulit.
Corpus hîc in pace quieſcit.

Scripta. Scripſit & edidit:

Opera Bulevtica, ſive Controverſiarum forenſium & Quæſtionum Practicarum diverſis factorum & Conſiliorum ſpeciebus deciſarum Decades IV.
Conſilia poſthuma criminalia, feudalia, teſtamentaria &c.
Commentarios in Codicem.
in primum & tertium volumen Pandectarum.

* *Ex Theatro Italico Viror. Doctor. Hieron. Ghilini.*

CASPAR SCLICK.

Obiit A.C. 1449.

Parentes. CAſpar Sclick, matre *Italicâ* ex comitibus *Alticollis* agri *Tarviſini*, patre verò *Germano* natus ex familiâ *Lazanâ*, provinciæ *Franconiæ*. Cum à teneris ad

Studia. Literarum ſtudia gnaviter decubuiſſet, doctrinæque ſuppellectilem non contemnendam ſibi comparaſſet, à *Sigiſmundo* Cæſare in aulam fuit adſcitus, atque Secretarii, mox Cancellarii munus obire juſſus. *Secretarius & Cancellarius Sigismundi Cæſ.*

cum eo proficiſcitur in Italiam. Romæ Eques Auratus creatur. Anno milleſimo, quadringenteſimo, trigeſimo primo, durante ſynodo *Baſileenſi*, cum Cæſare *Sigiſmundo* in *Italiam* eſt ingreſſus, ac *Romæ* inaugurationi ejuſdem ab *Eugenio* P.P. factæ, interfuit: & (verba ſunt *Æneæ Sylvii*) militiam ibi ſuſcepit & aureum calcar.

Conciliat nuptias inter Albertum & Eliſabetham Sigismundi filiam. Cum autem *Sclickius Auſtriacæ* domui eſſet deditiſſimus, apud *Sigiſmundum* Cæſarem unicè cum aliis egit, ut *Albertum Auſtriacum* generum ſibi eligeret, elocatâ ipſi *Eliſabethâ* filiâ.

Imò *Sigiſmundo Auguſto*, paulò ante obitum *Albertum* illum ſucceſſorem nominante, & à proceribus *Hungariæ* & *Bohemiæ*, ut ratam ſuam voluntatem haberent, petente; ad *Albertum* miſſus, Legatorum Princeps fuit.

Cancellarius Alberti II. & Frideric. III. Poſt obitum *Sigiſmundi*, tàm ſub *Alberto II.* quàm *Friderico III.* Auguſtis, Cancellarius, res magnas penetravit.

Creatur Comes. Itaque Fridericus Cæſar, eum Comitis de *Baſſan.*

Baſano exornavit titulo, atque bonis & poſſeſſionibus multis in finib. *Marchæ Tarviſianæ* ditavit: cum jam anteà, à prioribus Dominis, parte *Joachimicæ vallis* eſſet donatus, hinc eos nobis in Orbem Dynaſtas produxit, qui etiamnum in *valle Joachimicâ* ac finibus *Bohemiæ*, amplam obtinent ditionem, & vulgò Comites de *Schlick à Baſano* & *Weiſenkirch* nominantur.

Mors. Ex hac vita diſceſſit apoplecticus 1449. die 6. Julii, humatus *Viennæ* apud *Carmelitas.*

Elogium. *Æneæ Sylvii*, pòſt *Pii II.* Pontificis, qui cum ſingularis ipſi interceſſit amicitiæ uſus, hoc de *Schlickio* eſt Elogium:

Vir ingenio dextro, facundiâ ſuavi, doctrinæ cultor ad omnia gênitus, quæcunq; ageret, quem usque adeò fortuna & virtus extulit, ut quod prius erat inauditum, trium Cæſarum, ſucceſſivè regnantium, Cancellariæ præfuerit; Unus ex Ducibus *Sileſiæ* filiam ſibi in matrimonium tradere non recuſârit. *Sigismundus* illi *Egram* & *Cubitum*, & alia in Franconiâ oppida dono dedit: *Albertus in Hungariâ Caleſiam* & *Albam Eccleſiam*; *Fridericus in Auſtria Graciam.* Verſatile profectò ingenium & naturæ bonitas ſingularis, quæ inter tot Imperatores, moribus prorſus diſpares, pari gratiâ vivere potuit. Nos hujus amicitiâ in curiâ *Friderici* Cæſaris uſi, ſi quid profecimus, quod ſcimus quàm tenue eſt, adjumento ejus conſecuti ſumus. Epiſcopatum certè *Tergeſtinum*, undè reliquæ dignitates provenére, ipſe nobis primus committi curavit.

* *Ex Æneâ Sylvio Hiſtor. Bohem. c. 53. & Melch. Adamo.*

JOHANNES WILERUS.

Obiit A.C. 1450.

Juriſconſultus Baſilienſis.

Parenti tribuno plebis *Baſil.* homonymus, Decretorum Doctor, & Decanus Eccleſiæ Cathedralis, integritate, eruditione, rerumque experientiâ in eum authoritatis gradum pervenit, ut univerſalis Synodi tempore è 400. circiter ſui ordinis Doctoribus atque Prælatis mitrâ carentibus unus etiam fuerit de *Germanorum* natione in numerum 32. Pontificalium electorum cooptatus.

Quâ in re memoratu dignum huic ſpectatæ dignitatis viro in Conclavi (quod in nobilium Prytanæo, Muſcæ domum hodiè appellant, ubi & deputatio fidei celebrari ſolita fuit, pro legendo novo Pontifice adornatum fuerat) Cameris ſorte diſtributis, primam atque digniſſimam ceſſiſſe, teſte *Æneâ Sylvio* tum conclavis cuſtode.

Moritur. Obiit hebdomada *Bartolomæum* ſequente anno 1450.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſilienſis Chriſtiani Urſtiſii.*

JACOBUS ALVAROTUS.

Obiit A.C. 1453.

Apud *Patavinos* natus, Præceptore in Jure Civili primùm uſus eſt *Bartolomæo Saliceto*, in Jure verò Canonico *Franciſco Zabarellâ*, celebri Juris Profeſſore & tandem Cardinale, quem compatrem ſuum appellavit.

Fuit 30. annis in Jureconſultorum Collegio *Patavii*, ſed 16. tantùm annorum meminit, quibus continuò prælegerit, incertum *Patavii* ne, an alibi. Tum enim cum Commentarios Feudales Univerſitati dedicaret, in Profeſſorum numero ſe non fuiſſe in ipſo Operis limine ſignificat. *Jur. Profeſſor Patavii.*

Mortuus eſt A. 1453. ætatis 68. Sepultus in Templo *S. Antonii*, ubi juxta Sacellum *S. Johannis* in Tabulâ legitur hoc Epitaphium: *Moritur.*

Epitaphium.

AMICE, QUI ISTAC TRANSIS, ETSI PROPERAS, LAPIS HIC TE ROGAT, UT PAULISPER INHÆREAS, ET HÆC SCRIPTA LEGAS. HAC IN BASILICA B. JOHANNIS BAPTISTÆ SUNT JACOBI ALVAROTI PATAVI SITA OSSA, QUI, DUM VIXIT, SUO STUDIO ET DOCTRINA POST SUSCEPTAS DOCTORALES INFULAS, COMMENTARIOS UTILES CUM REPERTORIO IN JUS FEUDALE FORMAVIT, EOSQUE VENERANDÆ UNIVERSITATI JURISTARUM DONAVIT. VOLUI, UT ISTA NON IGNORES, ET PRO ANIMA IPSIUS ORES. OBIIT AUTEM DIÆ LUNÆ XVIII. Junii ANNO MCCCCLIII. V. F.

* *Ex Vitis Juriſconſultorum recentiorum Johannis Fichardi.*

JOHANNES DE ANANIA.

Obiit A.C. 1455.

Bononienſis, ibidem in patriâ Archidiaconus, & Canonici Juris Profeſſor publicus annis compluribus fuit. Hunc *Andreas Siculus, in Tractatu de Teſtibus*, vocat *Sanctæ vitæ Dominum ſuum ſemper merito honore obſervandum.* *Jur. Profeſſor. Bonon.*

Moritur. Mortuus eſt A. C. 1455.

Scripta. Scripſit:

In Decretales.

Volumen Conſiliorum.

* *Ex Vitis Juriſconſultorum recentiorum Johannis Fichardi.*

GREGORIUS HEIMBURGIUS.

Clar. A.C. 1460.

Juris Doctor.

Juris Doctor renunciatus eſt ſub initium Concilii *Baſil.* A. 1430. Cum autem pòſt *Eugenius* ſeſe huic concilio opponeret, & ſuum primatum ſtabilire niteretur, hic contra *Papæ* primatum, præſertim Politicum, brevem & eruditum libellum ſcripſit, in quo *Papam* & ejus Spirituales Synagogam & meretricem Babylonicam vocat, jubetque omnes ab eâ exire, & pœnas imminentes prædicit. Accuſat & Doctores, quod partim metu, partim ſpe lucri non contradicant erroribus *Papæ*, ſed tacentes eos invaleſcere patiantur. Commemorat quoque quibus artibus *Papæ* Imperatores & totum Imperium pedibus ſuis ſubjecerint. *Scripſit contra Papæ primatum.*

Ideò A. 1460. *Papa Pius II.* antè *Æneas*

 Sylvius

Excommunicatur. *Sylvius* dictus, olim ejus ſummus amicus, eum excomunicavit epiſtolâ ad *Noribergenſes* ſcriptâ, apud quos per 30. annos Syndicus ordinarius magnâ in exiſtimatione vixit, ita ut etiam apud *Venetos* magni nominis eſſet. Syndicus Noribergenſis.

Sed ipſe à Pontifice ad Concilium appellavit, & in *Bohemiam* abiens, ibidem (ut *Crantzius* habet) uxorem duxit. Aliquot tamen annis pòſt à *Dithero* Archiep. *Moguntino* in *Germaniam* revocatus, ob linguæ libertatem variam fortunam expertus eſt. Abit in Bohemiam. Uxorem ducit. Revocatur.

Fuit, teſte *Æneâ Sylvio*, ſcientiâ juris ac facundiâ inter omnes Germanos ſuo ſeculo facilè Princeps.

* *Ex Melch. Adami vitis J Ctorum German.*

HENRICUS A BENHEIM.

Obiit A.C. 1460.

DEcretorum Licentiatus, ab Epiſcopo *Johanne Fleckenſtenio Baſiléam* vocatus A. 1428. Officialis munus aliquandiu ſuſtinuit, inque celebri Concilio illic celebrato, quadriennio pòſt, promotoris munus, (ſic enim Cognitores publicos appellabant) obivit. Officialis Baſilienſis.

Apparuit in eo, præter doctrinam, e jusmodi rerum agendarum dexteritas, ut A. 1439. reſignatâ antè Judicis functione, à *Ludovico* Cardinale *Arelatenſi* Synodi Præſidente Patrum ſuffragiis electo, in *Teutonicæ* domûs aulâ majore Doctor renunciatus ſit. Bibliothecam majoris Templi quondam non malè inſtructam magno librorum numero auxit. Vitam cum morte mutavit 15. Kal. Maji A. 1460. Juris Doctor.

In *Cryptâ* tumulatus jacet cum hoc *Epitaphio:* Moritur.

Epitaphium.

Si ulla rapidam vinceret ſcientia mortem,
Sagax conſilium, facundæ diſertio linguæ:
Non hîc humatus de Beinheimi Henrice jaceres,
Doctorum decus, Canonum celeberrime cultor.
Spes divitum eras, pauperum certiſſima ſalus.
Labore indefeſſus, cunctorum commoda parans,
Tum piis & magnam tuleras animabus opem,
Fundâras celebres defunctis canere Miſſas,
Hoc altari ſacro, Doctor memorabilis ſemper.
Quæ requiem parent quæſo perennem tibi.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſilienſis Chriſtiani Urſtiſii.*

PETRUS PHILIPPUS CORNEUS.

Obiit A.C. 1462.

EX antiquâ & nobili familiâ *Peruſiæ* natus A. C. 1385. A. ætatis 12. in Patriâ Legum ſtudia tractare cœpit, ſub *Johanne Petruccio*, Jur. Prof. celebri, qui adeò dilexit eum, ut filiam ei ſuam in conjugium dederit. Laureâ poſteà Doctorali decoratus, dignus mox habitus eſt, cui Juris Profeſſio publica committeretur. Juris Doctor. & Profeſſor Perus.

Ejus itaque famâ commoti *Ferrarienſes* in Academiam ſuam ad publicam Legum lectionem vocârunt eum. Sed ob literas quaſdam nomine S. P. *Sixti IV.* ſcriptas indignatus, conditioni *Ferrarienſi* renunciavit & *Peruſiam* rediit. Cum verò Patriam diſcordiis gravibus turbatam vidiſſet, à *Florentinis* vocatus in Academiâ *Piſanâ* triennio docuit. Ferrariæ. Piſis.

A *Peruſinis* poſteà revocatus, tum profitendo tum cauſas defendendo clientum celebris I. C. ti & Doctoris nomen ſibi comparavit, cumque Jura docendo 50. annos exegiſſet, & 3. filios cum totidem filiabus reliquiſſet, mundo valedixit A. C. 1462. ætatis 77. Moritur.

Pauca ab eo ſcripta ſunt relicta: Scripta.

Comment. ſuper 1. & 2. Codicis.
Lecturæ Juris Civilis.
Conſiliorum Volum. IV.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Obilini.*

GEORGIUS ANDLOVIUS.

Obiit A.C. 1466.

VIr nobilis, Præpoſitus *Baſiléenſis*, & *Lutenbacenſis* apud ſuperiores *Alſatas* doctrinâ, prudentiâ, & gravitate conſpicuus, Gymnaſii *Baſilienſis* à *Pio II.* Pontifice Max. A. 1459. Privilegiis donati primus Rector per *Johannem è Vemingenſium* nobilitate Academiæ tunc Cancellarium communi favore fuit deſignatus prid. Non: April Anni 1460. quo munere in inſtituendâ Scholâ laudabiliter adminiſtrato, annorum ſatur fato functus eſt, & hoc *Epitaphium* obtinuit: Primus Rector Acad. Baſil.

Epitaphium.

Hîc jacet inſignis virtute inſignior omni
Georgius de Andlo, nobili vir ſanguine clarus,
Prælatorum decus, cunctis gratiſſimus unus.
Fulſerat hoc templo pariter & in Lutenbaco
Egregius ambarum Præpoſitus Eccleſiarum.
Atque in hac primus floruit digniſſimus urbe
Studii Rector almi, nunc ſine nomine pulvis.
Sic ſpes, ſic gaudium, ſic tranſit gloria mundi.
Omnibus ſtat breve & irreparabile tempus.

Obiit, poſtquàm in hac Eccleſiâ annis 50. floruiſſet, die 7. menſis Martii, Anno Domini 1466. cujus anima æternâ pace fruatur. Moritur.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſilienſis Chriſtiani Urſtiſii.*

FRANCISCUS ACCOLTIUS ARETINUS.

Ob. circa A.C. 1470.

JUriſconſultus *Aretinus* excellens magnum nomen adeptus eſt per univerſam *Italiam*, præſertim in florentibus Academiis *Patavinâ* & *Bononienſi*, aliiſque. Erat valdè amatus à ſuis diſcipulis, qui eum in quamvis Academiam migrantem, ejus ſtudio Juriſconſultus excellens.

ſtudio incenſi, ſemper ſequebantur, ut in Jure magis proficerent. Obiit circa A. C. 1470. *Moritur.*

Scripſit: *Scripta.*

Super Digeſta, Codicem, & Decretales.

Conſilia.

De differentiâ inter ſententiam interlocutoriam, & definitivam.

* *Ex parte II. Promptuarii iconum inſigniorum à Guil. Rovillio editi.*

Caſp. Conradus Med. D. Proſopograph. Melicæ Millenario II. hoc cum honoravit diſticho:

Jura notis doctis præſtans Accoltius ornat:
Hinc meritò famæ vivit honore ſuæ.

BARTOLOMÆUS CEPOLLA.

Obiit A. C. 1474.

Ex nobili & antiquâ familiâ *Veronenſi* natus, à primâ ætate Juriſprudentiæ ſe dedidit, & cum Patriæ Statuta conderentur, interfuit. Primarius deindè *Patavii* Juris civilis Profeſſor, poſtquàm per multam annorum ſeriem dicendo & Scripta edendo virtutem ſuam patefeciſſet, à Summo Pontifice Advocatus Conſiſtorialis electus eſt, & Comes Palatinus, Equesque Lateranenſis creatus, ut ex ejus Conſiliis à *Salutello* collectis apparet. *Juris Prof. Patavii. Advocatus Conſiſtorialis. Comes Palat. & Eques Lateran.*

Patavii tandem vitâ deceſſit A. C. 1474. ubi Uxorem ac filium amiſerat, iisque hoc monumentum in æde D. *Franciſci* paraverat:

MARTHÆ CEPOLLÆ CONSORTI, HIERONYMO FILIO BARTOLOM. CEPOLLA J. U. D. F. F. *Epitaphium.*

Opera abs ſe edita ſunt ſequentia: *Scripta.*

Cautelæ cauſarum civilium Juris.

De ædilitio edicto.

De ſimulatis Contractibus.

De re militari.

De Prædiis urbanis, & ruſticorum.

De furtis.

De ſervitutibus, tàm urbanorum quàm ruſticorum prædiorum.

De Contractibus.

De Imperatore militum.

Conſilia Criminalia, & Civilia.

Conſiliorum ſive Reſponſorum Lib. III.

* *Ex Elogiis Judicum Advocatorum Collegii Veronenſis Julii à Puteo.*

Caſp. Cunradus Proſopograph. Melicæ Millenario III. hoc ei ſcripſit *Epigramma*:

Cautelis Cœpolla tuis nil cautius uſquam eſt:
His benè qui utetur, non cadet ille dolo.

JACOBUS LEONISSA.

Obiit A. C. 1474.

Teſte *Bernardino Scardeonio* docuit multos annos in Gymnaſio *Patavino* Jus Pontificium. Factus poſteà Canonicus Eccleſiæ Cathedralis in *Romanâ* Curiâ aliquamdiù floruit, & à *Pio II.* Pont. Max. univerſæ *Flaminiæ* Legatus à latere A. 1460. conſtitutus eſt. Poſteà ad *Romanorum* Regem Nuntius & Exactor Apoſtolicus creatus in utroque munere ſapienter ſe geſſit. *Juris Pontif. Profeſſor. Legatus à latere. Nuntius Apoſtolicus.*

In patriam reverſus, in Sacrarum literarum ſtudium incumbens, officiaque Eccleſiaſtica exercens, ſenectutem egit tranquillam, mortemque tandem obiit A. C. 1474. *Moritur.*

Scripſit in ſtudio Legum præclara multa, inprimisque *Conſilia*, quæ apud *Petrum Leoniſſam*, pronepotem ſuum I. C. reperiebantur. *Scripta.*

* *Ex Gymnaſii Patavini Commentariis ab Antonio Riccobono editis.*

PETRUS LUFTIUS.

Obiit A. C. 1474.

Decanus primum *Sancto-petrinus*, Canonicus poſteà primarii Collegii, atque ſub auſpiciis Academicis Juridicæ facultatis primus Decurio, fuit honeſtâ *Baſiléæ* familiâ ortus, à Specularii vici domo denominatâ, *Rodolphi* filius, nepos autem *Ulrici*, qui in Republicâ *Baſilienſi* circa annum 1377. innotuit, à cujus artificio Ephippia tria rubeo diſtincta ſepto inſignium loco iis fuerunt. *Primus Decanus facult. Jurid. Baſil.*

Ejusdem nepos & alter fuit, avo ὁμώνυμος, qui ſub initium belli *Burgundici* A. 1474 militum *Baſilienſium* primipilus fuit contra *Burgundionum* in *Suntgoviam* irruptiones, unà cum magni fœderis ſociis *Tattoriedii* cuſtodias agentium. Atque idem annus fratrem, Doctorem præfatum, ad 12. Kal. Decembris ſuſtulit.

Carthuſianorum eremum ædiculâ auxit, multisque donationibus ſuum in ampliandâ religione (qualem ea ferebat ætas) ſtudium declaravit Epitaphium ejus tale eſt:

D. O. M. S.

DN. PETRO ZUM LUFT, PONT. JURIS DOCTORI, BASILIENSIQUE CANONICO, DOCTRINÆ ET INTEGRITATE VITÆ INSIGNI, QUI INTER COETERA PIETATIS OPERA PRO PIORUM MANIUM SALUTE QUATUOR MISSAS IN HAC BEATISS. MARIÆ ARA PERPETUO SINGULA QUAQUE HEBDOMADA CANTARI INSTITUIT: ARNOLDUS ZUM LUFT, DOCTOR, PATRUO SUO PIENTISS. AC DE SE BENE MERENTI POSUIT. *Epitaphium.*

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſilienſ. Chriſtiani Urſtiſii.*

ALEXANDER AB ALEXANDRO.

Claruit A. C. 1475.

In urbe *Neapoli* natus, Legum Doctor celeberrimus, tàm in Patriâ quàm *Romæ* Jura publicè ſummo cum honore profeſſus eſt. Fori tandem pertæſus, reſiduum vitæ ſuæ tempus in otio literario & ſtudiis humanioribus conſumſit. *Juris Profeſſor.*

Edidit:

Dierum genialium Lib. VI.

* *Ex Theatro Italico Viror. Doctor. Hieron. Ghilini.*

* * * *

Genialium dierum libros 6. ad poſteros tranſmiſit, opus multijugæ eruditionis, & promptuariû antiquitatis veterisque hiſtoriæ in-

riæ inſtructiſſimum. Unum hoc meritò in hiſce præclaris Commentariis improbari ſolet, quod eorum, undè profeciſſet diſſimularet autores. Sed huic vitio medicinam fecit doctiſſimus *Tiraquellus*, qui digitum ad fontes intendens, undè quæque hauſta eſſent, indicavit. *Hæc Gerb. Joh. Voſſius lib. III. de Hiſtor. Lat. cap. 8.*

* *Ex Dialogo de Patriis Viror. doctor. Joh. Andr. Quenſtedtii.*

Obiit A.C 1477.

ALEXANDER TARTAGNUS.

PAtriam habuit *Imolam*, *Romaniæ* civitatem. Legum Civilium & Canonicarum peritus aliquandiu Cauſarum Actorem fidelem egit. Deindè ad Lectiones publicas vocatus, aliquot annis *Patavii*, Collegam habens *Bartolomæum Cæpollam Veronenſem*, poſteà *Ferrariæ*, & tandem *Bononiæ* Jura publicè docuit.

Cauſarum Actor. *Juris Profeſſor Patavii, Ferrariæ & Bononiæ.*

Diſcipulus anteà fuit *Johannis de Imolâ* & *Johannis Ananiæ*, quorum informatione tantos brevi tempore fecit profectûs, ut anno ætatis 21. Lauream Doctoralem cum applauſu conſecutus fuerit. Filios relinquens tres, quorum natu major *Antonius* etiam Juriſconſultus fuit; ad vitam meliorem tranſivit *Bononiæ* locuples annis & gloriâ plenus A. C. 1477. æt. 53. Sepultus jacet in Templo S. *Dominici*, in cujus ſepulchro marmoreo effigies inſculpta cum hâc Inſcriptione videtur:

Juris Doctor creatus æt. 21. *Moritur.* *Epitaphium.*

ALEXANDRO TARTAGNO
IMOLENSI, LEGUM VERISSIMO AC FIDISSIMO INTERPRETI
Q. V. ANN. LIII. FILII PIENTISS.
P. OPT. MAX. POS.
OBIIT ANNO MCCCCLXXVII.

Scripta.

Scripſit ac edidit:

Commentar. ad Jus Civile.
in ſextum Decretalium.
in Clementinas.
in Codicem.
ſuper Digeſtum vetus & novum.
Super Infortiatum.

* *Ex Theatro Viror. literator. Hieronymi Ghilini.*

* * * *

Alexander Tartagnus Juris peritus totâ *Italiâ* celeberrimus eam conſecutus eſt laudem, ut *Felinus* ejus interpretationem ita adhibendam Juri cenſeat, tanquàm lucernam ardentem, referente *Forſtero Hiſtor. Jur. Civ. Lib. III. Cap.* 35.

Alexander Tartagnus, inquit *Leander Albertus*, in deſcriptione *Italiæ*, inter Juris ſtudioſos Legum monarcha dictus, tantæque autoritatis, ut ejus opinionem pro certâ habeant ſententiâ.

* *Ex Dialogo de Patriis Viror. doctor. Joh. Andr. Quenſtedt.*

Caſp. Cunradus Proſopogr. Mel. p. III. hoc cum honorat diſticho:

Quicquid ineſt Juri calamo vigilace notavi
Interpres Juris; jure ferare? refer!

Obiit A. 1492.

JOHANNES BAPTISTA BLASIUS.

PAtricius *Patavinus* cum literas humaniores in Academiis *Italiæ* diverſis ſatis didiciſſet, Legum ſe Studiis totum addixit, *Pauli Caſtrenſis* I. C. eo tempore celeberrimi diſcipulus fuit, poſteà judicii Aſſeſſor apud *Dominicum Treviſanum* Equitem & Prætorem ſummum *Brixiæ*, in eo munere fidelis apoplexiâ ſubitò correptus eſt, cumque loquelâ prorſus deſtitueretur, manu tamen propriâ teſtamentum ſcripſit, quo cum liberis careret, opes ſuas relictas omnes uxori ſuæ, & poſt mortem ejus fratribus ejuſdem dicavit: quo facto obiit 6. Febr. A. C. 1492. Sepultus ad S. *Agatham* cum hâc Inſcriptione:

Juris Conſultus. *Prætori Brixienſi Aſſeſſor.* *Apoplecticus teſtamentum ſcripſit.* *Epitaphium.*

BAPTISTÆ BLASIO PATAVINO
PONTIFICII CÆSAREIQUE JURIS CONSULTISSIMO
PRÆTORIO ASSESSORI ÆQUISSIMO.
MCCCCXCII.

* *Ex Theatro Italico Viror. Doctor. Hieron. Ghilini.*

Obiit A.C. 1492.

NICASIUS DE VOERDA I. C. COECUS.

NAtione *Brabantinus Mechliniæ* natus eſt.

A tertio nativitatis anno morbillorum acerbitate oculis captus & omninò cœcus factus, atque ob id elementorum omnium penitùs ignarus, alterum ſe *Didymum Alexandrinum* exhibuit, dum in omni ſcientiâ eruditiſſimus apparuit.

Tertio ætatis anno cæcus.

In Univerſitate *Lovanienſi* gradum Magiſterii ſuſcepit. Poſteà Scholas aliquanto tempore *Mechliniæ* rexit. *Lovanium* reverſus in S. Theologiâ Licentiatus factus, indè per omnes gradûs ritè aſcendens, *Romani* Pontificis indulgentiâ, Sacerdos ordinatus eſt, publicè ad populum de verbo DEI diſſeruit, & Sacerdotis munia dextrè obivit. Tandem in Academiâ *Colonienſi* Juris Canonici Doctor creatus publicè Leges docuit: Libros enim utriusque Juris, quos nunquàm vidit, auditu didicit, mente tenuit, & memoriter recitavit.

Fit Magiſter. *Licentiatus Theologiæ.* *Sacerdos.* *Doctor Juris. Profeſſor Juris.*

Ad *Johannem Trithemium*, Abbatem *Spanheim.* Epiſtolas aliquot elegantes ſcripſit, in quarum unâ ſatis copioſâ omnem fortunæ ſuæ hiſtoriam contexuit. Mortuus eſt *Coloniæ* A. C. 1492. Kal. Sept. Sepultus in Eccleſiâ S. *Columbæ* cum magnâ funeris pompâ.

Moritur.

Edidit.

Sermones elegantes & doctos.
Lecturam trium Arborum Conſanguinitatis, Affinitatis, & Cognationis ſpiritualis.
Super Sententias Lib. IV. Lovanii.
Super inſtitutis Juris Civilis Libr. IV. opus celeberrimum, quod in Univerſitate *Colonienſi* plus quàm 100. diſcipulis ad pennam excipientibus extraordinariè legit.
Quæſtiones varias in Scholis diſputatas.

Ex

* *Ex Catalogo illuſtrium Viror. Joh. Trithemii & ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Caſp. Conradus Med. D. in Proſopographiæ Melicæ Parte II. hoc ei ſcripſit elogium:

Cæcus eram, quid tum? Verbo Duce, lumine Jovâ
Jura DEI atque hominum Lynx novus, aure lego.

Obiit A. C. 1495.

FRANCISCUS CURTIUS.

NObilis *Ticinenſis*, in adoleſcentiâ Juris Civilis & Canonici ſtudiis totus incubuit, cumque Lauream in Legibus Doctoralem adeptus eſſet, in patriâ Lecturam publicam à Duce *Mediolanenſi* obtinuit. In eâdem obiit 30. Julii A. C. 1495. Sepultus ad S. *Franciſcum*, cum effigie ſuâ marmori inſculptâ, & hoc Epitaphio:

Juris Profeſſor Ticini.

Epitaphium.

Sacrarum interpres Legum ſanctiſſimus olim
Franciſcus patriæ gloria magna ſuæ.
Quem probitas, quem cana fides, pietasque decorum
Fecerat, hoc poſitum marmore corpus habet.
Obiit anno MCCCCXCV. die XXX. Julii.
Bernardinus Curtius gratus filius fieri juſſit.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Tractatus monetarum.
De Jure Fiſci & de Numiſmatibus.
De Sequeſtrationibus & Sequeſtris.
De Feudis.
De Jurejurando propter Calumniam.
De Poſitionibus & Interrogationibus.
De Teſtibus.
Quæſtiones ſuper Statutum, quod extantibus maſculis fœminæ non ſuccedant.
Conſiliorum Volumen.
Additiones ad Practicam Johannis *Petri de Ferrariis.*

* *Ex Theatro Viror. literator. Italico Hieronymi Ghilini.*

Obiit A. C. 1496.

JOHANNES MARIA RIMINALDUS.

F*Errarienſis*, *Alexandri Imolenſis* auditor & diſcipulus fuit. *Ferrariæ* magnâ cum laude Jus Civile profeſſus eſt, & extant illius aliquot Scripta. Mortuus eſt A. C. 1496. ætatis ſuæ 63. inque Sancti *Franciſci* Templo ingenti funeris pompâ ſepultus.

Juris Profeſſor Ferrariæ.

* *Ex Vitis Jureconſultorum recentiorum Johannis Fichardi.*

Obiit A. C. 1497.

BARTOLOMÆUS SCALA.

F*Lorentiæ* natus ob eruditionem ſingularem *Coſmo*, *Florentiæ* Duci, *Franciſco Sfortiæ* Duci *Mediolanenſi*, & *Innocentio VIII.* Summo Pontifici chariſſimus fuit. A Patriâ verò Confalonieri ſive Vexillifer i, Senatoris & Equitis donatus honoribus, tandem per 20. annos Reipubl. patriæ Secretarius fuit. Ibidem obiit A. C. 1497. ætatis 73. Sepultus in templo Patrum *Ciſtercienſium.*

Senator, Eques, & Secretarius Florentiæ.

Edita ab eo ſunt ſequentia:

Scripta.

Epiſtolæ ad Politianum, ad Galeatium Mariam, ad Innocentium VIII. ad Petrum Coſmum.
Apologia contra vituperatores Communitatis Florentiæ.
Apolog. centum ad Laurentium Medicem.
Hiſtoriæ Florentinæ ab urbis origine, usque ad A. C. 1450. Lib. XX.
Vita Vitaliani Borromæi ad Petrum Medicem.
Oratio ad Innocentium VIII.
Eclogæ tres, quarum 1. de arboribus, arte & naturâ interlocutoribus,
2. Alcæus. 3. Elpilla.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Clar. A. C. 1498.

JOHANNES DE BREITENBACH.

NAtione *Miſnenſis* ex antiquâ *Breitenbachenſium* familiâ non tàm genere quàm animo nobilis, Ordinarius *Lipzenſis*, vir emunctiſſimi & argutiſſimi ingenii, adeò ut in Juris ſubtilitatibus conſummatiſſimus, ut adoleſcens olim in *Peruſſino* ſtudio in publico fori circo cunctis ſe ſuæ facultatis coætaneis, de quibuslibet juris energiis reſponſurum ultrò exponeret: Reſponderitque tanta profecto *Italorum* & aliorum *Peruſii* admiratione, ut in publica Juris lectione pro novis, Doctor ſuam atteſtatus doctrinam, in hæc verba: *Iſte Johannes eſt verè doctus.*

Juris peritus.

Nec eum fefellit ſua atteſtatio, quippe ubi multis diſceptationibus eminere viſus fuiſſet, cuncto enim ſuffragio ordinarius Juridicæ facultatis ſuffectus Scholas propè annis 20. glorioſè adminiſtravit. Scripſitque præter cœteros labores, quorum erat patientiſſimus nonnulla verſatilis ingenii indicia quæ vulgò impreſſa ſuperextant.

Profeſſor Juris Lipſienſis.

Libri.

Pro divæ Virginis conceptione lib. 4.
Lecturas ſuper decretales.

Claruit *Lipziæ* A. 1498.

* *Ex ſcriptorum inſignium centuria Joh. Joach. Maderi.*

Clar. A. C. 1500.

PANDULPHUS COLLENUTIUS.

ORtu *Piſaurus*, ingenio peracri & variarum rerum notitiâ præditus nobiliſſ *Italiæ* Urbium Præturas geſſit, functusque graviſſimis Legationum muneribus Latini Oratoris nomen implevit. Cum eſſet ex profeſſo Juriſconſultus, ſemper vagus in varias diſciplinas ferebatur, quod nihil niſi valdè excellens probare eſſet ſolitus.

I. C. & Prætor:
Latinus Orator.

Multa lectu jucunda eleganter inchoata abſolvere nequivit, cum apud *Johannem Sfortiam Piſaurenſium* tyrannum, quem deprehenſis literis offenderat, ſupra veterum officiorum memoriam, diſſimulata recentis odii libido valuiſſet. Ibi enim iracundè ty-

Inid; ſtrangulatus. tyranno fidens, eâ necc indignus, in carcere ſtrangulatus interiit circa A. C. 1500.

Scripta ab eo edita ſunt:

Scripta. *Hiſtoriæ Neapolitanæ, & rerum geſtarum Regum Neapolit. Libri VI. Italicè* ſcripti in gratiam *Herculis Ateſtini Ferrariæ* Ducis, qui literas Latinas non didicerat.

Defenſio Plinii adversùs calumniatorem Leonicenum.

Dialogus facetus Capitis & Pilei.

Libellus de Viperâ.

* *Ex Elogiis Viror. doctorum Pauli Jovii.*

* * * *

Elogium hujus Viri vid. apud *Politianum Lib. VII.* Epiſtolâ ad ipſum *Pandulphum* miſsâ. *Leander Albertus* in *Italiâ* virum appellat Latinis & Græcis literis pereruditum, & inter alia ſcripſiſſe ait de inventione machinæ bellicæ: quam bombardam vocant. Scripſit de inventione Bombardæ.

* *Ex Dialogo de Patriis Viror. Doct. Job. Andr. Quenſtedt.*

Floruit A.C. 1500.

CHRISTOPHORUS CUPINERIUS.

Artium & Iuris Doctor. NAtione *Prutenus*, oriundus ex oppido *Lobaw*, artium & utriusque Juris Doctor atque miles, Collegii Ducalis Academiæ *Lipzenſis* Collega, Vir magnæ eloquentiæ. Edidit

Scripta. *Commentarios ſuper Authenticam C. Ne filius pro patre.*

De Uſuris lib. 1.

Floruit circa A. C. 1500.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuria Joachimi Johannis Maderi.*

Flor. 1500.

JOHANNES FABRI.

Iuris Doctor. NAtione *Suevus*, ſatus ex urbe *Werdæ*, Artium & utriusque Juris ſtudii *Lipzenſis* Doctor. Diſputavit de Quolibet, & conſcripſit:

Scripta. *Carmina de novem Muſis lib. I.*

De Philoſophia lib. 1.

De Proſodia lib. I.

De modo prædicandi lib. 1.

De Conditionibus boni præceptoris ſive artificis.

Item Proverbiorum metricè lib. 1.

Super regulas juris lib. 1. & quædam alia.

Floruit A. D. 1500.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuria Joachimi Johannis Maderi.*

Obiit A.C. 1502.

NICOLAUS GAMBARUTUS.

IN urbe *Lombardiæ Alexandriâ* ex nobili familiâ natus Juriſconſultus fuit ſuo tempore celeberrimus, & Regis *Galliæ Ludovici XII.* Conſiliarius, ac Regii Fiſci in Statu *Mediolanenſi* Præfectus. In quo munere mortis abreptus violentiâ ſuccubuit 8. Julii A. C. 1502. Sepultus jacet in Patriæ ſuæ Templo primario, cum his verſibus marmori inſculptis: Conſiliarius Gallicus & Fiſci Mediol. Præfectus.

Epitaphium.

Quid Charites? quid cana fides? quid ſtemmata lethi
Vallato technis? cultaq́; ſancta Ducum?
Actor Gambarutus Regis Nicolaus, & Urbis
Protector jacet hic, marmora dura notant.

Edidit:

Scripta. *Conſilia varia.*

Conſilia Angeli Peruſii de Montepico ab eo congeſta & correcta.

* *Ex Theatro virorum doctorum Italico Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1504.

HIERONYMUS BUTICELLA.

PApienſis, Jus docuit cum maximâ gravitate & celebritate, *Patavii*, *Papiæ* & in aliis celeberrimis *Italiæ* Academiis, ita ut ex ejus Scholâ doctiſſimi adoleſcentes prodierint. Iuris Profeſſor Patavii.

Obiit circa A. C. 1504.

Scripſit:

Scripta. *Volumen de Repetitionibus.*

Lecturas aliquot in Digeſta & Codicem, quarum tantùm quædam in lucem prodierunt.

* *Ex Promptuarii iconum inſigniorum à Guilielmo Rovillio editi Parte II.*

Obiit A.C. 1513.

ANTONIUS KRESSIUS.

EX antiquâ patritiâ familiâ *Norimbergæ* natus eſt in ædibus avitis apud forum fructuum, Patre cognomine Senatore, Matre *Catharinâ Löffelholtziâ*, 3. Non. Febr. A. C. 1478.

Puer ſingulari memoriâ & ſummâ docilitate Grammaticam didicit. Miſſus deindè, ut primùm per ætatem licuit, *Ingolſtadium*, humanitatis & Juris cœpit eſſe Candidatus: uſus Præceptore *Sixto Suchero* I.C. qui tum magnâ celebritate ac frequenti auditorio publico ſtipendio profitebatur. Ingolſtadii Iuris Candidatus.

Hîc præ cœteris condiſcipulis *Hieronymi Elneri* probitate & eruditione vehementer oblectatus, illius ſe familiaritati, imò etiam contubernio dulciter inſinuavit. Cum hoc in mortem usque fraternè vixit, hunc ſeptemvirum vidit, & partim abfuit, quin & Duumvirum conſalutâſſet, quem Divina clementia ad ſummos patriæ honores vix 36. annos natum evexerat.

Italiam deindè petens *Ticinum* pervenit, commotus autoritate illuſtris *Jaſonis Mayni*, principis hujus ætatis Jureperitorum, quem audivit, donec, turbato à *Ludovico Sfortiâ* Principatu, *Patavium* ſeceſſit, causâ commodioris ſtudii, ubi res pacatiores erant. Ticini Jaſonis Mayni auditor.

Utrobique totum ſe Juri Pontificio & Cæſareo permiſit: cumque pararet *Viennam Pannoniæ* contendere, ut quæ privatim didicerat Jura, honeſtâ conditione alios doceret publicè, fortè accidit, ut *Sixtus Tucherus* Præfecturâ *Laurentii* populi, quam à patruele *Laurentio Tuchero* per ceſſionem acceperat, tametſi renitente Senatu & grege invi-

invitâ liberè ſe abdicaret, ut in otio felici Deo tranquilliùs famularetur.

Cum igitur plerique Candidati primariam dignitatem ambirent, & Patres diu multumque conſultarent, cui animas ſuas tutò crederent, quemque ſibi præficerent Rectorem, *Hieronymus Ebnerus* eruditorum patronus, *Antonii* virtutem ab ineunte adoleſcentiâ perſpectam habens, eum in Senatu pleno ore laudavit, cujus autoritatem Patres ſecuti vota ſua in hunc unum etſi abſentem,& hujus rei inſcium,declinârunt. Undè acceptis literis Senatui gratias egit, Parenti verò reſcripſit, ſe paterno forſan affectu hujusce dignitatem,contraDecreta Canonica, ambiviſſe, id quandocunque reſciſceret,ſeſe illâ abdicaturum.

Cum verò omnia ſincerè &fideliter acta fuiſſe cognoviſſet, *Romam* contendit, ubi de more Apoſtolico diplomate expedito, mandatâque curâ animarum Sacerdotio inſignitus,mox etiam *Senis* Divini & humani Juris Doctor cum laude declaratus eſt.

Sacerdos Romæ. Juris utriusque Doctor Senis.

Sub initium poſteà M. April A. C. 1504. officio Paſtoris ſe totum ad curam commiſſi gregis, quæ 12000. Communicantium tranſcenderat, convertit, & planè per omnia vixit vitam DEO & hominibus acceptabilem. Nihil enim habuit ficti vel ſimulati,nec ad otium vel ſegnitiem, ſed ad res præclaras agendas natus videbatur, rem Divinam caſtè & piè faciebat, horas Canonicas debito tempore nunquàm intermiſit: Jura Eccleſiæ dignitatis & perſonæ ſuæ tuebatur, reditus Parochiales auxit ſuâ operâ & conſilio.

Præpoſitus Norimb. Templi ad S. Laurentium.

Pietatis amator.

Albertum Dürerum,Pictorem, in magno precio habuit. Si qui honores & jura venalia habebant hos acerrimo bello perſecutus eſt. De *Antonio Tuchero*, Patre Patriæ, ita ſentiebat,ut diceret,eo abſente Senatum viduum, & eo ſtante Remp. fore incolumem.

Rogatus, qualiter Civitas benè regi poſſet? Reſpondit, ſi majores Dei mandata cuſtodierint, & ſecundum Legem vixerint. Illud Biblicum frequenter in ore habebat, A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus ſtercus & vermis eſt, hodiè extollitur, & cras non invenietur.

Quando Curiæ limen introibat, abjectâ privatâ charitate,publicam induebat, non ſtatus aut dignitatis rationem habuit, nihil amicitiæ,nihil odio dedit,non ſanguini non amicis pepercit, prout quisque meritus erat,ita eum civiliter damnandum vel abſolvendum pronunciabat.

Juris & æqui cultor.

Pauperes,pupillos, & viduas patrocinio juvit, diſſidentes conjuges ſedulò conciliavit. Nimium hoſpitalis non eſt habitus, ſed temporis & pecuniæ parcus, attamen egenis, maximè erubeſcentibus, honeſto ſanguine natis, nec non infectis morbo Gallico,clam egregiam opem ferebat,illius *Hieronymi* memor: Menſulam tuam pauperes & peregrini noverint, tu cum illis Chriſtum convivam noveris.

Pauperum Patronus.

Mediocri utebatur cibo,non exquiſito & lauto,quod apponebatur edebat, vini parciſſimus: Circa cultum corporis nec moroſus fuit nec negligens, habitui Sacerdotali amicus, ſolitudine gaudebat, publico frequenter abſtinens præter Eccleſiam & Curiam.

In victu ſobrius.

His artibus Patribus conſcriptis admodùm gratus, & apud univerſam Civitatem haud mediocris authoritatis haberi cœpit, ita ut quibusdam in dubium venerit,contulerit ne ipſe plus dignitatis Præpoſituræ,an acceperit?

Homo fuit ſtaturæ modicæ,corpus natura illi dederat gracile, macilentum, & continuis laboribus exhauſtum, caput habuit ante annos multâ calvitie inſigne.

Corporis habitus.

Gentem *Tucheram* elegit, cum quâ affinitatem conſtituerat, collocatâ in uxorem fratri *Chriſtophoro*, mox Senatori, *Helenâ Tucherâ*, cujus nuptias M. Jan. A. 1613. præſentiâ ſuâ illuſtravit *Hippolytus Eſtenſis*, Rom. Eccleſiæ titulo S. *Luciæ* Cardinalis, qui *Julium II.* Pontificem declinans eo die *Norinbergam* fortè venerat.

Frater ejus Chriſtophorus Senator

Febre tandem ardente correptus,mortem non exhorruit, ſed poſtquàm *Bilibaldum Pirckheymerum*, Senatorem eruditum, *Lazarum Spenglerum*, Senatus ab epiſtolis ad ſe accerſiri curâſſet,& cum eis de Republicâ ſuaviter interlocutus eſſet, Teſtamentum condidit, quo Patri grandævo hæreditatem maternam, quippè major A. 1505. naturæ debitum ſolverat, reſtituit, adſcriptis *Chriſtophoro* & *Georgio* fratribus Legatis quibusdam, diligenter providens, ut quicquid ex Eccleſiâ percepiſſet, pauperibus redderetur, bona verò adventitia, & quæ Conſultationibus pepererat,amicis diſtribuerentur.

Teſtamentum condidit.

Cœterùm ingraveſcente quotidiè malignæ febris ardore, ſimul ac capitis dolore tàm vehementi,ut cum ſummâ difficultate audiret, cum jam 15. diebus æger lecto decubuiſſet,vix duabus ante obitum horis Patrem & amicos circumſtantes juſſit eſſe forti animo,monuitque benè vivere, & Deum timere, conſtanter aſſeverans, non poſſe malè mori, etſi ipſe proh dolor,is non fuerit,qui benè vixerit: nihil inſuper mali eſſe in morte,quæ finis ſit ærumnarum & janua Paradiſi.

Hoc modo valedictis omnibus, & animâ Deo commendatâ,exſpiravit leniter,extincto ſimilior quàm mortuo 7. Id. Sept. A. C. 1513. ætat. 36. regiminis 10.

Beatè mortuus.

Funus ſequenti die 8. domeſticorum Sacerdotum,quos Capellanos dicunt, humeris elatum,quod optimates quique comitabantur. Cadaver,peractis de more exequiis,ſepultum in Baſilicâ *Laurentianâ*.

In demortui locum Patres Patriæ Pontifici *Rom.* præſentârunt *Georgium Behaim*, Theologum eruditum, qui tum *Moguntiæ* Canonicus Sacras literas,frequenti audientium turbâ, magnâ dignitate profitebatur,

Succeſſor ejus.

nullius rei minus gnarus aut ambitioſus, quàm hujus nominationis.

D. ANTONII KRESSII Monumentum & Simulacrum æneum juxta aram magnam in choro ad D. *Laurentii Norimb.*

Monumentum.

ANNO DOMINI 1513. IN DIE NATIVITATIS MARIÆ OBIIT REVERENDUS PATER DN. ANTONIUS KRESS. J.U.D. CLARISSIMUS, AC HUJUS ECCLESIÆ PRÆPOSITUS DIGNISSIMUS, CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE, AMEN.

* *Ex Comment. de vitâ & obitu D. Ant. Kreſſii Chriſtoph. Scheurelii I. C. & Patrit. Norimb.*

Claruit A.C. 1514.

JOHANNES DE KITZSHER.

EX nobiliſſimâ *Kitzberorum* familiâ genitus, patriâ *Miſnenſis*, *Colbergenſis* & *Altenburgenſis*, inſignium cathedralium Eccleſiarum Præpoſitus, ac *Nuenburgenſis* Canonicus, Juris utriusq; interpres ac Doctor eminentiſſimus, reliquarum quoque bonarum literarum non ignarus, Philoſophus denique, Orator, Poëta, nec non Hiſtoriographus omnium peritiſſimus.

Eccleſiarum nonnullarum Præpoſitus. Iuris utriusque Doctor.

Hic diu in *Italiâ* ſtuduit, ac cum magnâ ſuâ laude & *Italorum* admiratione in Juris ſubtilitatibus omnique ſcientiâ profecit, adeò, ut brevi Juris conſultiſſimus evaderet.

In Italiâ ſtuduit.

Hic utriusque Collegii *Bononienſis* Academiæ factus Rector, dum iſtic literaria fungeretur palæſtra, inter alia ad *Philippum Beroaldum*, ſibi amiciſſimum, dialogum de Imperii rebus ſcripſit diſertiſſimum.

Utriusque Collegii Bononienſis Academiæ Rector.

Cùm itaque perſpicacis ac propè divini eſſet ingenii, reverſus ex *Italiæ* oris ad proprium nataleque ſolum, magnæ eloquentiæ & haud parvæ utilitatis opuſcula conſcripſit, quibus nomen ſuum poſteris memorandum reliquit; è quibus in lucem redacta & impreſſa circumferuntur:

Scripta.

Dialogus prædictus *de Imperii rebus, cum Epitomate. Hiſtoriarum, tàm Romanarum quàm externarum lib. 1.*

Dialogus in defenſionem Poëticæ, in quâ Muſæ interloquuntur.

Dialogus, in quo virtus ac fortuna diſſidentes decertant: Temperantia & Caſtitas interloquuntur.

Dialogus, in quo Virtus à Fortunâ *loris & vinculis conſtringitur, & in quo eadem virtus ad* Leonem *Pontificem provocat, & illius ſententiam.*

Orationes ad Alexandrum Papam, ad Julium quoque II. item ad Reges, Neapolitanum, Franciæ, & ad omnes ſtatus Italiæ, & reſponſa ſingulorum.

Orationes ad Venetos, & Regem Ungariæ.

Epiſtolas elegãtes plures ad diverſos ſcripſit.

Claruit cum magnâ vitæ famâ & ſui gloriâ annos natus XLIV. ſub *Maximiliano* Imperat. & *Leone* X. anno 1514.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuriâ Joachimi Johannis Maderi.*

JOHANNES PELYCK.

Claruit A.C. 1514.

NAtione *Miſnenſis*, ex *Zeits* oppido oriundus, ſtudio & diſciplina *Lipzenſis*, vir in ſeculari Philoſophiâ nobiliter doctus, utriusque Juris Doctor celeberrimus; ingenio promtus, & diſertus eloquio conſilioque cautiſſimus, *Lipſianæ* urbis Senator prudentiſſimus

Iuris Utriusque Doctor.

Edidit nonnulla ingenii ſui præclara monumenta, è quibus extant

Inſtitutiones in Philoſophiam naturalem.

Claruit apud *Lipzenſes*, ſub *Maximiliano* Cæſare, *Romanorum* Imperatore, & *Leone* X. hujus nominis Pontifice Maximo 1514.

* *Ex Scriptorum inſignium centuriâ Joachimi Johannis Maderi.*

HERMANNUS TREBELIUS.

Claruit A.C. 1514.

NAtione *Thuringus*, patria *Iſenachenſis*, jus civile in *Franckophordianâ* Univerſitate publico, ſtipendio docens, & enarrans, Jure-Conſultus omnium celeberrimus, nec non Rhetor luculentiſſimus atque Poëta laureatus.

Profeſſor Iuris. Rhetor & Poëta laureatus.

Scripſit & edidit plura carmine ac ſolutâ oratione, è quibus ſubjecta videntur:

Scripta.

Epigrammatum & carminum lib. II.

Encomion heroicum D. Annæ lib. I.

Pyræ Marchiticæ de perfidiâ Judæorum Berlini crematorum lib. I.

Tumultuaria & varia ad diverſos.

Claruit Anno 1514.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuriâ Joachimi Johannis Maderi.*

HENNINGUS BODE.

Clar. A.C. 1515.

NAtione *Saxo*, patriâ *Havelbergenſis*, ſtudio & diſciplina *Erfortenſis*, poſteà verò *Wittenbergenſis* Gymnaſii decus, ornamentum & corona, & ibidem Collegiatæ Eccleſiæ Præpoſitus, nec non Juris Facultatis Ordinarius, Juris utriusque Doctor celeberrimus. Qui cum in *Erfordienſi* Gymnaſio Doctoribus præ cœteris ſcientiâ juris emineret, eſſetque in agibilibus non tàm dicendo quàm exequendo argutiſſimus, omnium voto in ordinarium Scholæ erigitur, quam exin per multos annos glorioſè non ſine maximo diſcipulorum profectu & ſuâ laude gubernavit.

Collegiatæ Eccleſiæ Witteb. Præpoſitus. Juris Facultatis Ordinarius ac Iuris Doctor. Iuris Profeſſor.

Tantâ ſiquidem famâ & opinione ſuæ ſapientiæ & nominis fragrabat, ut totius *Germaniæ* Principes & Rectores in arduis negotiis ſummoperè ejus & ingenio & conſiliis uti deſiderarent.

Hinc & ab iisdem crebriùs aſcitus, peractis & expeditis proſperè & egregiè cauſis, maximis honoratus eſt Xeniis donisque.

Graviſſimas ſiquidem & multas ſæpe totius fermè Septentrionis diſſenſiones ſuâ induſtriâ & eloquentiâ conſultiſſimè & fructuosè

Septentrionis diſſenſiones ſuâ induſtriâ conſultiſſimè abſtulit.

ctuoſè abſtulit; quas inter haud minima fuit ea, quam in littore *Balthici* maris luculentiſſimè & perorando, & perſuadendo, inter Regem *Daniæ* & *Lubecenſes* (qui utrinque diu funeſtè & cruenter diſceptaverant pacem & concordiam faciendo, cum magnâ ſuâ & laude & gloriâ ſedavit, ſuſtulitque.

Diſſidia inter Regem Daniæ & Lubecenſes ſedavit.

Tandem Sathanæ malignitate & verſutiâ inſtigante, cum inter cives & Conſules haut parva ſeditio, & pernicioſa ſatis partialitas orta fuiſſet, ipſe loco cedens, & quietem ſtudii tranquillitatemque exoptans, *Saxoniæ* Ducis hortatu auxilioque, *Wittebergenſem*, novam ſatis Academiam, petiit, quam & eatenus legendo, docendo atq; ſcribendo, cum ingenti auditorum proventu illuſtravit. Scripſit clari ingenii ſui quædam utiliſſima & liquidiſſima monumenta, quibus nomen ſuum cum mortali gloriâ & laude ad poſteros transmiſit.

Wittebergæ Jus docuit.

Scripta.

Conſiliorum IV. grandia volumina.
Super Decretalibus.
Super Authentico.

* *Ex Scriptorum Illuſtrium Centuriâ Joachimi Johannis Maderi.*

Claruit A. C. 1515.

HENRICUS GREVE.

Göttingenſis. *Artium Doctor Jurisque Baccalaureus.* *Collegii Majoris Collega.* *Scripta.*

NAtione *Saxo*, ex *Göttingenſi* oriundus oppido, Artium Doctor, utriusque Juris Baccalaureus, Collegii majoris Collega, diſputavit de quolibet, & ſubſcripta recollegit opuſcula.

De Teſtamentis lib. I.
Super Arbore conſanguinitatis & affinitatis lib. I.
Super Regulas Juris lib. I.
De Privilegiis ſtudentium lib. I.
De Succeſſionibus lib. I.
Tractatum parvorum Logicalium, & multa alia.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuriâ Joachimi Johannis Maderi.*

Clar. A. C. 1515.

ADRIANUS POLITUS.

PAtriâ *Senenſis*, ob eruditionem & prudentiam à tribus Cardinalibus uno poſt alterum, *Capiſucco*, *Sangeorgio* & *Serbellonio* Secretarii munere honoratus eſt.

Secretarius.

Opera ab eo typis emiſſa ſunt ſequentia:

Dizionario Toſano.
Abbreviatura de fumoſo Vocabulario degli Academici della Cruſca.
Lettere.
Diſcorſo della Lingua volgare.
La traduzione di Cornelio Tacito della Latina nella Toſcana lingua.

* *Ex Theatro Italico Virorum Doctorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A. C. 1515.

EITELWOLF A LAPIDE.

Familia vom Stein Nobilis.

NAtus circa Annum Chriſti 1466.

Ex nobili familiâ *Suevicâ*, vom Stein/ in quâ tres inprimis claruerunt, *Berchtoldus*, *Curradus*, & *Johannes*, qui An. 1450. condiderunt monaſterium *Eremitarum S. Auguſtini Wileræ*, ubi & ipſi cum uxoribus & liberis ſepulti ſunt.

Hic literas in *Italiâ* didicit, Præceptore uſus potiſſimum *Philippo Beroaldo*.

Literas in Italiâ didicit.

Poſteà cum & *Græca* attigiſſet, à ſuis è medio ſtudiorum curſu domum revocatus eſt.

Domum revocatur.

Ibi charus fuit Imperatori *Maximiliano I.* à quo cum acceptâ laureâ Orator & Juris Conſultus ſalutatus eſſet, noluit uſurpare titulos iſtos.

Poëta, Orator & JC.

Gratus etiam fuit *Joachimo*, *Marchioni Brandeburgico*, cui autor fuit cum aliis Scholæ *Francofurti* ad *Viadrum* aperiundæ 27. April. A. 1506.

Scholam Francofurti ad Viadrum erigit.

Amatus & ab *Alberto*, Archiepiſcopo *Moguntino*, à quo ob animi dotes Aulæ & Urbi *Moguntiæ* præfectus eſt, ubi ſcholam literariam partim Principis ſui munificentiâ, partim ſuâ pecuniâ paravit inſtituere.

Urbi Moguntinæ præficitur.

Sed hæc agitantem immatura mors abripuit A. 1515. æt. 49.

Moritur.

Summus fautor fuit literatorum nec unquàm ſine libris fuit viſus, quos alterum genus armorum ſolitus eſt appellare. In deliciis habuit, ſi quod ad ſe carmen aut epiſtola ab aliquo erudito eſſet ſcripta.

Amavit inter alios *Ulricum Huttenum*, cui & locum in aulâ *Moguntinâ* impetravit, & cum ipſi aliquando ducentos aureos ab *Alberto* Principe dono attuliſſet, *Dat hoc*, inquit, *literis tuis Princeps.*

Diſcipulus fuit Magiſtri *Craſtonis Udenhemii*, ludimoderatoris *Sletſtadienſis*.

Scripſit *Epiſtolas*, & *Librum de laudibus Heroum ac Virorum illuſtrium.*

Scripta.

Eraſmum Roterodamum ſummè dilexit, quem cum aliquando *Francofurti* ad *Mœnum* in nundinis eſſe cum *Capnione* intellexiſſet, cupidè eò acceſſit, eos ſalutaturus. Sed quo die convivio excipere eos apparaverat, calculo præpeditus eſt, & interim *Eraſmus* abiit, undè nunquàm calculi dolorem ſibi graviorem fuiſſe dixit, quàm eo die quo hoſpitio excepturus eſſet virum, quo majorem *Germania* non haberet.

Fratres Prædicatores *Colonienſes* pediculos *Capnionis* appellavit.

Cum diceretur, quendam elegantiſſimè ſcripſiſſe Bellum *Venetum*, quàm mallem, inquit, feliciſſimè geſtum.

Concertantibus inter ſe duobus Verſificatoribus, cum alter dixiſſet; *Aliquando melius Carmen ſomniaſſe ſe, quàm quod adverſarius oſtenderet*; ſubjecit ipſe, *Crebrò itaque dormi.*

Ejus dicta & facta faceta & ſeria.

Cum *Marchicus* quidam Eques ipſum pro concione inſolentius objurgâſſet, non eſſe ætatem ejus tantam, ut poſſit hæc vel illa meminiſſe: *At tu*, inquit, *ô ſenex! tantùm ea in memoriâ habes, quæ annis quadraginta aut paulò antè geſta ſunt, ego verò ea etiam ſcio, quæ duobus aut tribus retrò millibus.* Quo dicto circumſtantium favorem & applauſum, alter verò confuſionem & pudorem adeptus eſt.

Cum à Theologo quodam literas accepiſſet, lecto in ſalutatione ipſius nomine, cui erat adſcriptum S. Theol. Doctori, *utinam doctus eſſes*, inquit, rejecitque literas.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

JOHANNES SYLVAGIUS.

Obiit A.C. 1518.

Juris Profeſſor Lovanii.

VUlgò *Sauvage*, *Lovanii* publicè Jus Civile eſt profeſſus, *Eraſmo Roterodamo* amiciſſimus, de quo ita ſcripſit ad *Guilielmum Budæum*: Magna ſpes eſt in *Johanne Sylvagio*, *Burgundiæ* Cancellario, qui quidem, ut ipſe non ſolùm maximus eſt & prudentiſſimus, verùm etiam eruditiſſimus, ita favet omnibus, quos inſignis eruditio commendat.

Cancellarius Burgundiæ.

Hunc heroa ſi nobis Superùm benignitas diu velit incolumem, ſpes eſt fore, ut apud nos quoque proveniant, qui ingenii ſui monumentis Principis ſui regnum, cœtera feliciſſimum, illuſtrent & ornent.

Moritur.

Fatis placidè ceſſit *Bruxellis*, & ſepultus in D. *Gudulæ* hoc Epitaphio:

Epitaphium.

CL. DOMINO
JOHANNI SYLVAGIO EQUITI AURATO,
QUI PRIMUM GESSIT FLANDRIÆ PRÆSIDEM,
MOX CANCELLARIUM BRABANTIÆ,
POSTREMUM BURGUNDIÆ HISPANIÆQUE,
PERPETUA CUM LAUDE ET PIETATIS ERGA PATRIAM,
ET FIDEI ERGA PRINCIPEM, ET INTEGRITATIS ERGA OMNES.
UXORIS CHARITAS ET LIBERORUM PIETAS POSS.
VIXIT ANN. LXIII. MENS. V.
OBIIT MD. XVIII. VII. JUNII.

Scripta.

Scripſit:

Reſponſa in Jure, aliaque ad Praxin pertinentia.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

PHILIPPUS WIELANDUS.

Obiit A.C. 1519.

JUriſconſultus, Eques, ex veteri & nobili *Gandavi* familiâ natus eſt, quam C. *Plinius* eximiam exiſtimat: Beatos quippè facit, quibus Deorum munere datum eſt, vel facere ſcribenda, vel ſcribere legenda, & beatiſſimos, quibus utrumque.

Horum in numero hic *Weilandus* fuit, qui variis functus Magiſtratibus, in iis multa fecit digniſſima, quæ in Commentarios relata cum æternitate junguntur.

Conſiliarius Belgicus.

Conſiliarii dignitatem in Concilio *Flandriæ* geſſit, deindè aſſumtus ad magnum Concilium ſive Parlamentum *Machliniæ*, quam dignitatem adminiſtravit ſummâ cum laude & gloriâ ad ultimum usque vitæ finem, qui fuit annus Chriſti 1519.

Præſes in Concilio Machlinienſi.

Scripta ab eo ſunt ſequentia:

Scripta.

Practica Civilis ob Antonio Sexaglo J.U.L. recognita.

De Jure Feudorum Flandriæ, vernaculo idiomate.

Conſuetudines generales Flandriæ in juſtas Claſſes redactæ.

Hujus viri induſtria plurimùm profuit *Meyero*, *Oudegherſto*, & *Marchantio*, rerum *Flandricarum* Hiſtoricis.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

JASON MAYNUS.

Obiit A.C. 1519.

NObilis *Mediolanenſis* ex concubinâ natus, puer nequaquàm eodem cultu, quo æquales propinqui, ſed eodem prædagogo ſibi tantum immiti & aſpero utebatur, ut *Jovius* ab eo familiariter ſe audiviſſe ſcripſit.

Studioſus prodigus.

Ex eâ Scholâ adoleſcens *Ticinum* ad Jus Civile perdiſcendum miſſus, primo anno ſubſtantiam omnem aleâ decoxit, ut & Juris Codicem in membranis ſcriptum magno coëmtum pretio fœneratori tradere cogeretur: ipſe verò demùm ſordidâ in togâ, capite tonſo, quod id tinea deformis obſideret, ridiculus videbatur. Sed maturè & acerbè caſtigatus, ſe ipſum collegit, bonæque frugis perſonam induens, tantâ contentione in ſtudiis diſputationibusque ſe exercuit, ut Doctores ipſi eum adeo celeriter profeciſſe mirarentur.

Ad frugem reverſus.

Exindè ſuggeſtu dignus, Inſtitutiones enarravit, conceſſitque *Patavium*, ſed indè, cum ſecundâ famâ profiteretur, evocante *Ludovico Sfortiâ*, *Ticinum* reverſus eſt.

Juris Profeſſor Patavii & Ticinii.

Auditoribus ſuis ſubindè inculcavit, Calamum eſſe, qui faciat Juriſconſultum, & teſtatus eſt, ſe quamvis octuagenarius 40. annos publicè docuiſſet, nullum tamen permittere diem præterire, quin aliquid ſuis Locis adſcriberet.

Orator.

Ab eximiâ facundiâ ſummi Oratoris laude fruebatur: nam optimis literis usque ad Poëticum decus inſtructus, dicta ſcriptaque lepidè condiebat, canoram vocem & geſtum oris excellentem ad ſuggeſtum afferens, ſolidi Doctoris nomen tuebatur.

Cardinalis fieri cupit.

Jovius refert, ſe audiente interrogatum fuiſſe à *Ludovico*, *Gallorum* Rege, *cur nunquam duxiſſet uxorem?* illumque reſpondiſſe, *ut te commendante Julius Pontifex ad purpureum galerum me habilem eſſe ſciat.* Audiverat enim eâ die Rex ipſe profitentem, 5. Cardinalibus & 100. Proceribus ſubſellia implentibus, cum Rex *Genuâ* ſubactâ de *Liguribus* triumphâſſet. Eâ lectione dignitatem Equeſtrem de manu Regis traditam accepit.

Eques creatus.

Conſilia ſua erga Pondus auri vendidiſſe fertur clientibus, & aurum acceptum iis reddere ſe velle promiſiſſe, ſi causâ cecidiſſent. Gentilitiis ſuis inſignibus præſcribere ſolebat, *Virtutis Fortuna Comes.*

Symbolum ejus.

Mortuus eſt tandem *Ticini* valdè ſenex 20. April. A. C. 1519. ætatis 84. Sepultus in Templo *D. Pauli* ſuburbano.

Moritur.

* *Ex Vitis Viror. Doctor. Pauli Jovii.*

Edidit:

Scripta.

Apophtegmata, ſive Juris ſingularia.

Epiſtolas diverſas, & Orationes.

Super

Super tit. de Actis & inſtitutis.
Super Codicem.
Super totum Jus Civile.
Epithalamium Maximiliani Imp. & Mariæ Blanchæ.

* * * *

Legatus Mediolanenſis. *Jaſon Maynus*, nobilis *Mediolanenſium* Patricius, Juriſconſultus abſolutus & Orator facundus, Eques auratus & Ducalis Senator, claruit temporibus *Friderici* & *Maximiliani* Imperatorum, apud quos Legationes obiit nomine *Ludovici Sfortiæ Mediolanenſ.* Ducis: atque legationis munere egregiè defunctus, ab iisdem dona varia cum ſummis privilegiis reportavit.

Juris Prof. ann. 50. Hic inter Oratores à Principibus Chriſtianis ad Papam *Alexandrum VI.* miſſos, dum Pontificatum auſpicaretur, palmam facilè retulit, facetiis etiam ornatus. *Papiæ*, *Piſæ*, & *Paduæ* jus interpretatus eſt annis 50. auditores ex omnibus Europæ finibus alliciens.

Ludovicus Cerrus, Med. & Poëta ſic in ejus honorem cecinit:

Te quondam in terris hominem novêre priores,
Dum leges aperis, ſcitaque docta patrum:
At nunc, more Deûm, cum des reſponſa petenti,
Es Deus, oracli Numen ad inſtar habens.

* *Ex Promptuarii Icon. inſigniorum à Guil. Rovillio editi Parte II.*

* * * *

Jaſon Maynus, Patritius *Mediolanenſis*, *Catonis Sacci Papienſis* diſcipulus, compluribus annis *Patavii* publicè Jus profeſſus eſt. Poſteà *Papiam* quaſi in patriam à *Ludovico Sfortia Mediolani* Duce revocatus, & ab eo inter Ducales Senatores relatus, ad finem uſque vitæ ſuæ 20. ampliùs annis iſtic prælegit. *Ducalis Senator Papiæ.*

Erat vir magni ingenii, cœterarum quoque Artium, Rhethoricæ puta & Philoſophiæ, non ignarus. In Jure verò Civili in *Italiâ* cum *Carolo Ruino* & *Philippo Decio* facilè princeps ſuo tempore fuit.

Mortuus eſt A. C. 1519. menſe Aprili *Papiæ* extra urbem in Cœnobio S. Pauli ſepultus, hoc Epitaphio: *Epitaphium.*

HIC REQUIESCIT JASON MAYNUS
QUISQUIS ILLE FUIT.

* *Ex Vitis Jureconſultor. recentior. Johannis Fichardi.*

* * * *

Jaſon Maynus A. 1496. *Patavium*, propoſito 1000. ducatorum præmio, vocatus *Antonium Urſatum Patavinum* Collegam habuit, & per tres annos in illo Gymnaſio Jus Civile docuit, ſcripſitque præter alia Orationem, quam *Romæ* ad *Alexandrum III.* Pontificem Maximum dicitur habuiſſe.

* *Ex Gymnaſio Patavino ab Ant. Riccobono deſcripto.*

SEBASTIANUS BRAND.

Obiit A. C. 1520.

Sebaſtianus Brand natus eſt *Argentorati* A. C. milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octavo.

Et poſt jacta fundamenta literarum, *Baſileam* venit, ubi perfecto artium humaniorum Magiſterio, totum ſe optimis quibuscunque authoribus in publicum proferendis, atque ab interitu vindicandis, mancipavit. *Baſileæ Magiſter renunciatur.*

Deindè juvandæ rei literariæ causâ, publicè tum *Baſileæ*, tum *Argentorati* docuit, magnumque ſibi nomen eruditione ſuâ comparavit. *Docet publicè Baſileæ & Argentorati.*

Obiit in Patriâ ſexagenario major. Poëta & Juriſconſultus ſui ſeculi bonus, hinc & Comes Palatinus Cæſareus, & Patriæ Conſiliarius ac Cancellarius digniſſimus, A. milleſimo, quingenteſimo & viceſimo. *Poeta, Comes Palatinus, JCtus Conſiliarius & Cancellarius Argentoratenſis.*

Scripſit tùm metro, tùm proſâ, non pauca, de quibus ſunt. *Scripta.*

Super Titul. utriusque Juris Lib. I.
Roſarium D. Mariæ Sapphicum.
In laudem Virginis ænigmata vetuſta.
Virginalem conceptum poſſibilem eſſe.
Admiratio Mariæ, adveniente Angelo.
Salutatio Angeli.
De Locis Mirificis B. Mariæ.
Compaſſio Virginalis.
Conſolatio Chriſti ad matrem.
De Colaphis Chriſti.
De ingratitudine edentium Manna.
In Laudem S. Sebaſtiani.
Vita S. Onophrii.
In Laudem S. Valentini.
In Laudem S. Ivonis.
Vita S. Bernhardi.
In Laudem Ordinis Carthuſienſis.
De contemtu ſeculi.
Contra Advocatos calumniantes.
De captivitate Regis Maximiliani.
Elegia in Obitum Friderici ad D. Maxim. Regem.
Variorum Epigrammatum Lib. I.
Juris Civilis & Canonici omnium titulorum expoſitiones.
Varia Carmina in laudes Sanctorum, & Epithalamion Maximil. Reg. & Blancæ Mariæ Reginæ Roman.
Chronica * *Germaniæ*, præſertim *Alſatiæ* & urbis *Argentoratenſ.* ** Edita ſunt & adjuncta Chronicis Hedionis.*
De Origine & converſatione bonorum Regum & de laude Civitatis Hieroſolymæ.

Commentatus eſt præterea, in quædam opera *Baptiſtæ Mantuani.*

Scripſit etiam Carmine latino & rhythmis vernaculis *Satyras*, ſeu *Stultorum naviculam*, vel, ut ipſe appellat, *Navem Narragoniæ.*

* *Ex Melchiore Adamo.*

HENNINGUS à GOEDEN.

Obiit A. C. 1521.

Havelbergæ in *Saxoniâ* natus.

Grammaticis artibus perceptis, ad juriſprudentiam animum appulit, in quâ tantum profecit, ut ad eum difficillimæ ex totâ *Germaniâ* cauſæ delatæ fuerint.

Tunc

Henningus Monarcha Juris.

Tunc temporis *Monarcham Juris* nominatum paſſim fuiſſe Hiſtoriæ docent.

Erfordiæ docet & dicit Ius

Erphordiæ primùm Jura publicè docuit, ibidemque Canonicus fuit Eccleſiæ B. *Mariæ*.

Wittenbergam evocatus venit.

An. 1502. Cum *Fridericus III.* Elector *Saxoniæ* Academiam *Wittenbergæ*, Pontifici Rom. pro confirmatione bis mille *Ungaricis* aureis numeratis, aperuiſſet; *Erfordiâ* vocatur eò, ſacras ibidem leges ſuo loco eſt profeſſus, & Conſilia petentibus dedit.

templi præpoſitus.

Itaque Fridericus illum templi *Wittenbergici Præpoſitum* eſſe voluit.

A. 1508. In novarum legum promulgatione Princeps eundem cum aliis generalem Academiæ Inſpectorem & Reformatorem conſtituit.

Moritur.

Ad meliorem tandem vitam abiit 21. Januarii A. 1521.

Epitaphium autem factum ipſi eſt ſequens:

Epitaphium.

HENNINGO GÖDEN HAVELBERGENSI, JURECONSULTORUM SUÆ ÆTATIS FACILE PRINCIPI, HUJUS ECCLESIÆ PRÆPOSITO, AC BEATÆ MARIÆ ERPHURDIENSIS SCHOLASTICO CANONICOQ; EXTREMA ÆTATE, SED FLORENTIBUS HONORIBUS, ANNO CHRISSTI M. D. XXI. XII. KALEND. FEBRUARII HIC VITA FUNCTO SEPULTOQUE MATTHIAS MEJER JURISCONSULTUS, CATHEDRALIS HILDENSHEIMENSIS AC PRÆNOMINATÆ ERPHURDIENSIS ECCLESIÆ CANONICUS, EJUS ULTIMÆ VOLUNTATIS PRIMARIUS EXECUTOR PATRONO OPTIME MERITO GRATITUDINIS ERGO F. C.

Apophtegma ejus vulgò tale jactatur: *Lex ſine executione, eſt velut campana ſine piſtillo.*

Scripta.

Scripſit *Librum de Proceſſu Judiciario*, quem ipſe divulgavit.

Et *Conſilia*, penè totam Remp. complectentia, quæ demùm Electoris *Joh. Friderici* mandato in lucem prodierunt A. 1544.

* *Ex Vitis Jurisconſult. Melchioris Adami & aliis.*

ULRICUS HUTTENUS.

Obiit A.C. 1523.

Patria.

Ulricus Huttenus natus eſt *Stockelsbergæ*, arce gentilitiâ in *Franconiâ* equeſtri antiquâ & celebri familiâ A. C. milleſimo quadringenteſimo octuageſimo octavo, die vigeſimo Aprilis.

Collegium Fuldanum & Coloniam Agrippinam frequentat.

Puer in Collegium *Fuldanum*, diſciplinæ magis, quàm Religionis causâ datus, tandem *Coloniam Agrippinam*, ad optimarum artium & literarum ſtudia percolenda profectus eſt.

Magiſter Philoſoph. renunciatur Francofurti ad Viadrum.

Anno Milleſimo quingenteſimo ſexto, inter eos, qui omnium primi, primum promotionis actum, in recenti Academiâ *Francofurdianâ* ad *Viadrum* celebrârunt, honorem Magiſterii ſuſcepit.

Peregrinationes.

Suſceptâ perdecennium peregrinatione varia, turbulentiſſimis tempeſtatibus labores innumeros per *Germaniam* ſimùl & *Italiam* amore literarum exhauſit.

Bello Veneto ſtrenuè intereſt.

Imò & in bello *Veneto*, quod vario eventu, à *Maximiliano I.* Auguſto ab A. 1508. usque ad An. 1517. geſtum eſt, operam ſuam ſtrenuè probavit, & excellentis ingenii atque virtutis laudem ſingularem reportavit.

Eques Auratus Poëta Laureatus creatur.

Finito bello, per *Conradum Peutingerum* Cæſari *Maximiliano* commendatus, ab hoc & Poëta Laur. & Eques Aur. coronatus eſt. Hinc ab ea duplici honorum acceſſione, imago ejus circumlata eſt armata, caput vero lauru coronatum.

Revertitur in Germaniam.

Reverſus in Germaniam A. decimo ſeptimo poſt milleſimum quingenteſimum, celebravit fama non ſolùm Eruditionem ejus, ſed& Fortitudinem, atque hoc inprimis glorioſum ejus facinus.

Facinus ejus Mavortium.

Cum forte *Româ Viterbium* excurriſſet; ubi tùm Legatus quidam à *Rege Gallorum*, ad *Leonem* Pontificem contendens, diverterat: ortâ rixâ & certamine, hic unicus *Huttenus* quinque *Gallicæ* gentis dimicando profligavit: vulneratus quidem & ipſe, deſertusque à ſociis itineris illius.

Venit in Aulam Moguntinam.

Poſteà in Aulam *Moguntinam* ſe contulit ad *Albertum* Archiepiſcopum, ubi circiter biennium permanſit.

Auguſtanis comitiis intereſt. Laborat febri.

Anno decimo octavo, cum ultima *Auguſtæ* comitia *Maximilianus I.* Imperator agitaret, venit cum *Alberto* ſuo *Huttenus*, ibidemque febri laboravit; actum vero fuit in hiſce Comitiis de Succeſſore Cæſaris *Carolo*, itemque de cauſa Ducis *Wittebergici* & *Lutheri*.

Intereſt bello fœderis Suevici.

Cumque Anno decimo nono poſt ſesquimilleſimum, Mortuo Imperatore *Maximiliano*, *Suevicum* fœdus Duci *Wirtebergico* bellum intuliſſet, totumque ejus Ducatum occupâſſet, ipſumque Ducem fugâ ſibi conſulere coëgiſſet: *Huttenus* quoque huic bello interfuit.

Adjunxit ſe Fr. à Sicking. approbat Doctrinam Lutheri.

Adjunxit ſe poſteà *Franciſco Sickingenſi*; cumque cauſam *Lutheri* probaret, ac liberè multa in Pontificem & Curtiſanorum mores ſcriberet, mandavit *Leo X. Moguntino*, ut vinctum *Romam* mitteret.

Inſidiis appetitur, ut vinctus Romam mitteretur Brabantiam profectus.

In *Brabantiam* ergò profectus, Cæſaris *Caroli* aulam ſectaturus, monitus verò ab amicis, ut quàm chara ſibi eſſet ſalus, illicò diſcederet:

Moguntiâ excluditur.

Conqueritur ad Imperatorem & Principes.

Cumque ſub excommunicationis pœnâ Scripta ejus fuiſſent ſeverè prohibita excluſus aulâ & urbe *Moguntinâ*, ſcripſit ex arce *Ebernburgo* anno viceſimo, *conqueſtionem de intentatâ ſibi à Romaniſtis vi & injuriâ ad Carolum V.* Imperatorem, ad *Albertum Moguntinum*, ad *Fridericum Saxonem*, Electores, & ad omnes Imperii Ordines, ſeque libertatis *Germanicæ* Vindicem, vel cum vitæ diſcrimine futurum palàm eſt profeſſus.

Scripſit ad Lutherum.

Scripſit etiam ſæpiùs ad *Lutherum*, & cum aliis defenſionem promiſit: *Vid. Tom. Witteberg.*

Multat Monachos.

Carthuſiano etiam, quia imagine ſuâ pro anitergiis uſi ſunt, in duobus millibus aureorum nummum multavit.

Urbes

Exul.

Urbes itaque deſerens, cum veritatem deſerere nec poſſet nec vellet, liberrimè (ut ipſe ſcribit) latuit; quia liberè verſari inter homines non liceret, magno cum periculi, quod circumſtabat, contemtu.

Venit Baſileam. *Nec ibi tutus.*

Inde A. viceſimo ſecundo, aut ſub initium viceſimi tertii ad *Helvetios* abiit, *Baſileamq;* venit ad *Oecolampadium*, ſed diu ei ſubſiſtere non fuit integrum.

Simultas inter Huttenum & Eraſmum.

Eodem etiam tempore, eodemque in loco ſimultas haud levis oborta eſt inter *Huttenum*, & *Eraſmum*, de quâ publicæ ab utroque eorum editæ Epiſtolæ abundè teſtari poſſunt.

Mors.

Medias verò has inter rixas, morbis frequentibus & acribus confectus *Huttenus*, mortem obiit, in Inſula lacus *Tigurini*, *Helvetiis Uffvort* dictâ, die ultimo, vel juxta alios, viceſimo nono Auguſti A. 1523. cum vixiſſet annos triginta ſex.

Sepultus ibidem, cum Epitaphio tali, à Profeſſoribus *Tigurinis* poſito, procurante id nobili *Franco*.

Epitaphium.

Hic Eques Auratus jacet Oratorque diſertus,
Huttenus vates, carmine & enſe potens.

Defenſio ejus contra Eraſmum poſt obitum à Brunfelſio ſuſcepta.

Defenſionem *Hutteni* poſt obitum ejus contra *Eraſmum*, ſuſcepit *Otho Brunſels*, Medicus, ac convicia in *Eraſmum* ſtrenuè geſſit.

Scripta.

Scripſit varia *Huttenus*, tùm ſolutâ, tùm ligatâ oratione, ac *Poëtica* quidem ejus *opera* in unum collecta, anno trigeſimo octavo *Francofurti* prodiêrunt; Quæ autem inproſâ ſparſim edidit, in Elenchis Librorum nominatim recenſentur; id monendum videtur, à non nemine *Hutteno* & Dialogum Philalethis civis Utopienſis, & orationem ad Chriſtum pro *Julio ſecundo Liguro* Pontifice, adſcribi, unà cum aliis nonnullis.

Clarus imprimis ob Carmen Panegyricum *Alberto Brandenburgico* electo Archiepiſcopo *Moguntino*, cum *Moguntiam* primùm ingrederetur, ſcriptum, in quo miro conſilio & arte, omnes veterum *Germanorum* atq; Imperatorum noſtrorum res geſtas complexus eſt: Itemq; ob Scripta ejus quinq; ſingularia invectiva, & *Dialogum*, cui titulus *Phalariſmus*, ejusque *Apolog.* quibus *Ulricum Wirtebergicum* Ducem, cum *Joh. Huttenum*, Aulæ ſuæ Mareſchallum, agnatum *Ulrici Hutteni* in ſylva *Beblingenſi* interfeciſſet, impugnavit.

Edidit & *Bullam* à *Leone* Papa in *Lutherum* fulminantem, gloſſis interlinearibus & marginalibus, non ſine magno nominis Pontificii contumelia explicatam.

It. *Libellum Hiſtoricum* Germanicâ linguâ, *de perpetua Pontificum Romanorum adverſus Imperatores inobedientiâ.*

* *Ex Melch. Adamo & Aliis.*

GREGORIUS LAMPARTER.

Obiit A. C. 1523.

BIberaci in *Sueviâ* patritio genere natus eſt A. 1463.

Doctor Juris.

Primus rudimentis in patriâ perceptis ad Academias eo ſeculo celebriores ſe contulit, in quibus Legum ſtudiis ita ſe dedidit, ut Doctoris titulum fuerit conſecutus.

Vocatur à Duce Würtenbergico, & à Maximiliano I.

Ab *Ulrico*, duce *Würtenbergico*, accitus, Cancellarii munus obire juſſus eſt. Eo in officio cum magnâ fide aliquot annos verſatus eſſet; *Maximilianus* Cæſar, *Ulrici* permiſſu, ad ſe vocavit, & intimum Conſiliarium elegit. Ab eodem deindè Cæſare, ob præclara merita, Equitis aurati dignitate eſt ornatus.

Tandem Cæſare defuncto, ipſe quoque renum dolore vexatus *Noribergæ* aliquantiſper decubuit, & inter vivos eſſe deſiit A. 1523. Æt. 60.

Moritur.

Rebelles ruſtici ſedantur.

Cum A. 1514. orta eſſet conjuratio *Conradi*, ut vocabant, *pauperis*, Germ. der arme Kuntz; hic à Duce *Ulrico* ad ruſticos rebelles miſſus, non paucos ad ſanitatem mentis reduxit.

Dictum Lamparteri.

Dictum ejus hoc fertur: *Oportet quemlibet Principem habere fatuum, quem exerceat, & viciſſim alium, à quo exerceatur.*

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

CONRADUS MUTIANUS RUFUS.

Obiit A. C. 1526.

EX nobili *Mutiorum*, vel, ut ipſe ſcribebat, *Mutianorum* familiâ patriam habuit *Hohenburgum* in *Haſſis*.

Philoſophus & Juris peritus, Græcis etiam & latinis literis eruditus.

Philoſophus Philologus & JCtus.

Cum ex *Italiâ* redux in aulam Principis *Haſſorum* receptus eſſet, ubi tunc erat Cancellarius ipſius frater germanus; offenſus illo vitæ genere, ſeceſſit in *Thuringiam*. Ibi auxilio alterius fratris, qui tum res Præſulis *Moguntini Erfordiæ* adminiſtrabat, Canonicatum *Gothæ* adeptus eſt, & totum ſe ſtudioſæ tranquillitati dedit, contentus annuo reditu vix 60. aureorum.

Canonicus Gothanus.

Supra fores ædium ſuarum hunc titulum fixit: *BEATA TRANQUILLITAS.* Et in atrio ejusdem domus: *BONIS CUNCTA PATEANT.*

Mortuus eſt *Gothæ* in dolore, ut apparuit, amiſſæ dignitatis & diminutæ rei familiaris A. 1526. 27. Martii.

Moritur.

Morienti adfuit *Johannes Marcellus Regiomontanus*, ipſius antehâc diſcipulus, poſteà ſingularis amicus.

Rei literariæ fuit ita amans, ut mirificè lætaretur, cum audiret in artibus profectus juventutis. Ingenio fuit feſtivo & liberalibus jocis gaudente.

Rei literariæ amator.

Percontanti aliquando *Joachimo Camerario*, *Cur tam pertinaciter opprimeret ſcripta ſua, cum omnes arbitrarentur, Scriptionibus eum operam dare? Ita fieri*, reſpondit, *quia ſua ſibi nunquam ſatis placerent, ideò malle ſe frui aliorum ſtultitiâ.* Editæ ſunt tamen quædam ejus *Epiſtolæ & Carmina* inſerta monumentis aliorum virorum doctorum, ſtudio ejusdem *Camerarii*.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

Clar. A. C. 1527.

JOHANNES FICINUS.

NAtus *Lichtenaviæ, Haſſiæ* inferioris oppido.

Dictus in linguâ vernaculâ *Joh. Geyge*/ quod in Lat. *Ficini*, neſcio an à ficu eſt demutatum.

Conſiliarius & Cancellarius Haſſiæ Landgravii.

Ob eruditionem à *Philippo*, *Haſſiæ Landgravio*, Conſiliarius intimus & Cancellarius factus eſt, quo in officio, teſtantibus id literarum monumentis, annis permultis fidem & induſtriam ſuam Principi civibusq; probavit.

A. 1526. Cum in *Haſſiâ* doctrinæ & rituum Eccleſiaſticorum emendatio ſuſciperetur, *Hamburgi*, conventu indicto, & congregatis ex omnibus cœnobiis Pontificiis; Princeps per *Ficinum* diſſidium ejus Religionis expoſuit, & errores, qui in Eccleſiâ irrepſiſſent, refutavit.

Juvat Academiæ Marpurgenſis inſtitutionem

Eodem anno, ut Academia *Marpurgi* inſtituta fuerit, omnem movit lapidem, & interfuit primi Rectoris *Joh. Ferrarii* renuntiationi, & deſignationi Profeſſorum novorum, ipſe verò Cancellarius Academiæ novæ factus eſt.

Poſteà nomine Principis ſui confirmationem & Academiæ Privilegia ab Imp. *Carolo V.* impetravit.

Patronus Eobani Heſſi.

Fuit inſignis fautor literatorum, inter quos principem locum obtinuit *Eobanus Heſſus*, qui opera ſua Poëtica ei inſcripſit.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

Flor. A.C. 1527.

CHILIANUS KÖNIG.

ZWiccaviæ in *Miſniâ* natus eſt & in *Germaniæ* ſcholis informatus, ab Italis Doctoræ inſignibus ornatus, iaque ordinem *I.* C. rum adſcriptus.

Cancellarius Ducis Saxon.

In patriam reverſus, à *Georgio* Duce *Saxoniæ* Cancellarius eſt declaratus, fuitque ei à Conſiliis intimis.

Seditionem ſedat.

In patriâ Senator fuit, in quâ ortâ aliquando inter plebem & magiſtratum ſeditione, ob privilegiorum antiquitùs indultorum defenſionem; cum omnia ſurſum deorsùm viderentur itura, ipſe ſuam interpoſuit autoritatem, & diſſidii flammâ extinctâ civitatem periculo graviſſimo, Senatum verò ſuſpicione ſiniſtrâ dexteritate ſingulari liberavit.

Floruit ſub annum 1527.

Scripta.

Edidit *Proceſſum judiciarium tum ex jure Cæſ. tum Saxonico collectum, illisq; accommodatum regionibus.*

Obiit A.C. 1527.

NICOLAUS UTENHOVIUS.

CAroli Utenhovii, viri doctiſſimi, pater & ipſe doctiſſimus, Concilii Provincialis in *Flandriâ* Præſes & Imp. *Caroli V.* Conſiliarius, ſcripſit varias & elegantes ad *Eraſmum Roterodamum*, alioſque ſui ævi viros doctrinâ præcellentes Epiſtolas, multæ viciſſim ad hunc *Eraſmi* extant, qui illi hoc Epitaphium ſcripſit:

Præſes Concilii in Flandriâ.

Scripta.

Epitaphium.

Hoc ſaxo tegitur celebris Heros
Utenhovius ille Nicolaus,
Quo ſub Præſide Flandriæ Senatus
Multos floruit unicè per annos.
Hoc patri orphana turba liberorum
Mœſtior poſuit; pio quidem illa
Sed caſſo officio. Quid attinebat
Hæc illi monumenta comparare,
Cujus ſcilicet adprobata virtus
Hæret mentibus omnium, nec ulla
Illam vis abolebit; aut vetuſtas.

Obiit A. C. MDXXVII. XI. Menſ. Febr.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1528.

ANTONIUS FRANCISCUS DOCTORIUS, vel à DOCTORIBUS.

Juris Pontificii Profeſſor Patavinus.

PAtavinus, in Gymnaſio Jus eſt profeſſus, Pontificium, Collega graviſſimorum Juris-Conſultorum, atque inter cæteros *Philippi Decii Mediolanenſis*, ut tradidit *Bernardinus Scardeonius*, & *Antonii Corſeti*, ut obſervavit *Guido Pancirollus*. Cum per annos 53. publicè docuiſſet, diem ſuum obiit A. C. 1528.

Scripta.

Edidit *Additamenta erudita ad Abbatem Panormitanum in Decretales.*

Ad Alexandrum Tartagnum Imolenſem.

* *Ex Gymnaſii Patavini deſcriptione ab Ant. Riccobono editâ.*

Obiit A.C. 1528.

BALTHASAR CASTELLIO.

MAntuæ natus, ingenii laude *Maroni* concivi ſuo ſecundus, ad exactam aulæ normam militari civilique munere virum elegantem inſtituit, parique diſciplinâ illuſtrem fœminam deſcriptis lectiſſimorum morum finibus effingit: quo opere jucundo Græcæ Latinæque facultatis peramœnos flores decerpſiſſe videtur: ut in unum volumen nobilioris vitæ præcepta conferrentur: ideò maluit vernaculâ quàm Latinâ linguâ ſtilum exercuiſſe, ſcilicet ut imperiti ex antiquis ſurrepta translataque non agnoſcentes, ea omnia tanquam nova mirarentur.

Politicus.

Scripſit & *Latinas Elegias*, & paucis *Hetruſcis* rhythmis *Cleopatram*. In ſago autem togâque pariter habili ingenio pacis bellique muneribus interfuit, obivitque Legationes ad Reges atque Pontifices, cum momenta rerum graviſſimarum non modò præſtantis animi fidem, ſed expediti corporis diligentiam celeritatemque requirerent.

Legatus ad Reges & Pontifices.

Legatur S. P. ad Carolum V. Imp.

Noviſſimè annis provectum, ſed medicamentis ocultatâ canitie & multis cultûs munditiis juventæ decus affectantem S. P. *Clemens* ad *Carolum V.* Cæſarem in *Hiſpaniam* miſit, ei non dubio honore purpuræ deſtinato, niſi Fortuna *Romanæ* urbi immane excidium ſtruens utriusque vota feſelliſſet. Corruit enim mox *Roma* Cæſareanorum ducum ſimulatis induciis prodita A.C. 1527.

A. C. 1527. viderique potuit *Caſtellio* in eâ re non ſatis diligentem aut certè parùm felicem operam præſtitiſſe, cum delatum ſibi in eâ lugubri clade Epiſcopatum *Abulenſem* munere Cæſaris accepiſſet.

Epiſcopus Abulenſis.

Verùm eâ dignitate diu perfrui, vel uberiorem expectare non licuit. Sublatus enim eſt occultâ febre, cum vix 56. ætatis attigiſſet annum ad *Mantuam* in *Carpentanis* A. C. 1528. Chiromantes quidam hariolus ex dextræ volæ lineis eum dignitate auctum *Mantuæ*, non autem in *Hiſpaniâ* moriturum prædixerat.

* *Ex Elogiis Virorum Doctorum Pauli Jovii.*

ALBERTUS PIUS CARPENSIS.

A.C. ...9.

HIc ex antiquâ & illuſtri ſtirpe ortus, à majoribus per manùs traditum (cum ante ducentos annos *Mutinæ* imperâſſent) *Carpum*, nobile oppidum in campis *Nacris* poſſedit: optimiſque literis generoſiſque moribus animum pariter & corpus excoluit. Erat enim à procerâ decentique ſtaturâ ad arma validus & habilis, magnarum autem rerum negotiis & literis præaltum ingenium attulit. Nihil enim vel præſtantis doctrinæ, vel ſolertis induſtriæ, vel reconditæ artis ingenium ejus ſubterfugit.

Oppidi Carpi Dominus.

Literis & armis clarus.

Erat enim celeri captu, expeditâ ratione, tenacique memoriâ ſtupendus: eloquentiâ porrò tantâ, ut in omni congreſſu & diſputatione, cum de rebus arduis conſuleretur, quò vellet, Principum animos impelleret, & ſummus bello ac pace conſultor cenſeretur.

Orator.

Quatuor Regibus, & totidem Summis Pontificibus Legationum operam præſtitit fide & providentiâ ſemper illuſtrem. Sed, uti occultæ Principum voluntates & erumpentia ex inſperato eorum odia tulerunt, coactus eſt alterna partium ſtudia profiteri, quod his adhærendum judicaret, quibus *Alfonſus Ateſtinus* hoſtis eſſet, quo cum de poſſeſſione paterni agri diſceptabat.

Legatus 4. Regum, & 4. Pontificum.

Sed *Ateſtini* fortuna *Pii* prudentiâ ſuperior privatam cauſam publicis cladibus involvit, atque *Clemente* Pontifice capto, cum urbs *Roma* fœdè periiſſet, ex arce emiſſus in *Galliam* enavigavit, ubi ſe paternâ ditione Cæſaris judicio exutum audivit.

Ditione paternâ exutus.

Indè ei articularis morbus, quo diu cruciabatur, adauctus eſt, quem diu Chriſtianâ patientiâ tuliſſe fruſtra fuit, cum ſæva peſtis fatalem horam adduceret.

Obiit *Lutetiæ* non planè ſenex, ſub id tempus, quo *Carolus* Cæſar & *Solymannus*, *Turcarum* Imperator, irrito utrinque auſu ad *Viennam* certaturi credebantur.

Obiit peſte.

Rudolphus Pius, fratris filius, quem aliquantò pòſt *Paulus* Pontifex eximiæ virtutis merito legit in Senatum Cardinalium, condito æneo ſepulchro Patrui memoriam proſecutus eſt.

Frater ejus factus eſt Cardinalis.

Edidit *librum adverſus Lutherum*, in quo etiam *Eraſmum Roterodamum perſtrinxit*.

Scripta.

* *Ex Elogiis virorum doctorum Pauli Jovii.*

LAGO URNE.

Obiit A. C. 1529.

DOctor Juris & Regni *Daniæ* Cancellarius, ordinatus Epiſcopus *Roëskildenſis* A. C. 1512. *Ripis Cimbrorum*, ab *Ivaro Munkloci* Præſule, Rege *Danorum Johanne* præſente. A. 1515. Regiam Sponſam *Chriſtiani II. Eliſabetham Haſniam* deductam oratione Latinâ excepit.

A. 1523. *Chriſtiano II.* è Regno diſcedente, Duci *Friderico* ſe cum Abbate *Sorenſi* & Priore *Anderskovienſi* adjunxit.

A. 1527. tanquam Cancellarius & Præſes Univerſitatis *Haſnienſis*, edictum promulgavit, ne qui ad audiendas Theologicas Prælectiones admitterentur, niſi Gradu Baccalaureatûs ornati, Sacerdotes, aliique, quos certum eſſet recto judicio præditos eſſe, omnibus aliis exceptis: multos enim in doctrinam *Lutheri* prolapſos ex iis, qui *Haſniæ* antè ſtudiis incubuerant, propterea quod paterentur quoslibet, ſine exceptione, intereſſe prælectionibus Theologicis, qui juditio carerent, & in ſacris literis fundamento deſtituerentur.

Cancellarius Haſnienſis.

Lutheri hoſtis.

An. 1528. Ipſe & Epiſcopus *Arhuſienſis*, *Avo Bilde*, nomine Epiſcoporum communi, miſſis in *Germaniam* literis per M. *Henricum Gierſens* ad *D. Cochlæum* & *Eccium Ingolſtadienſes*, alterum eorum invitârunt, promiſſo honeſto annuo ſtipendio, ut hûc ſe conferret, *Lutheranos* ſcriptis oppugnaturus.

D. Cochlæum & Eccium Ingolſtadio Haſniam evocavit.

Obiit die *Petri Martyris* A. 1529. Sepultus in Sacello S. *Laurentii*, Templi Cathedralis *Roſkildiæ*, cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

VENERABILIS EPISCOPI ROSCHILDENSIS, DOMINI LAGONIS URNE SEPULCRUM. ORATE DEUM PRO EO. OBIIT AUTEM ANNO DOMINI 1529. DIE 20 APRILIS. MISERERE MEI DEUS, QUONIAM IN TE CONFIDIT ANIMA MEA. DEUS ESTO PROPITIUS MIHI PECCATORI.

* *Ex Regiâ Academiâ Haſnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

MARIUS SALAMONIUS.

Claruit A. C. 1530.

EQues *Romanus*, auditor *Baptiſtæ Caccialupi*, Jus Civile non tantùm docuit, verùm etiam adminiſtravit. Egit enim aliquandiu Præſidem *Campaniæ*, ut ipſe quodam in loco commemorat. Indè *Romam* reverſus eſt ad Juris Profeſſionem, ubi auditores multos, magnamque exiſtimationem apud omnes habuit.

Præſes Campaniæ.

Inter cœtera autem in gratiam *Julii Medices*, Cardinalis & Eccleſiæ *Romanæ* Procancellarii inſtituit Diſputationem ſuper Lege *Gallus* in *Digeſt. Tit. De liberis & poſthumis*, quam publicè in 22. Cardinalium,

Juris Profeſſor Romæ.

multorum Epiſcoporum, Jure-Conſultorum, & omnis generis doctorum hominum præſentiâ habuit, poſteaque in juſtos Commentarios redactam eidem *Julio Medici* inſcripſit & edidit.

Advocatus Conſiſtorii Pontificalis. Per ipſum enim *Julium* in Advocatorum Pontificalis Conſiſtorii Collegium aſcitus fuit.

Tandem verò, ſenio prægravante à cauſis orandis ad otium totum ſe contulit, in quo juſſu hortatuque *Leonis X.* Pontificis in *Libros Digeſtor. exactiorem interpretationem* conſcribere cœperat, jamque librum primum abſolverat, cum morte interceptꝰ periit valdè ſenex, ſub Pontificatu *Clementis VII.* de tempore verò obitus nihil certi conſtat.

Scripta. Scripſit præter *Interpretationem Digeſtor.* & *Commentaria in Legem Gallus*, *Repetitiones*, & *Tractatûs aliquot.*

Comment. de Probationibus.

Lib. de Principatu ad Leonem X.

* *Ex Vitis Juriſconſultorum recentiorum Johannis Fichardi.*

Obiit A.C. 1530

CAROLUS RUINUS.

Regii, *Lombardiæ* civitate natus, Juris-Conſultus fuit celeberrimus, qui *Ticini* triennium, *Bononiæ* verò multis annis cum ſtipendio annuo mille & ducentorum ducatorum aureorum Jura publicè profeſſus eſt. Præceptor fuit S. Pontificis *Gregorii XIII.*

Juris Profeſſor Ticini & Bononiæ.

Inter alios diſcipulos veſtigiis ipſius inſiſtentes habebat *Marcum Mantuam Benavidium.* *Bononiæ* tandem filium, quem habuit unicum, ſecutus vivere deſiit A. 1530. Sepultus in Templo *S. Johannis* in *Monte.*

Ingenii monumenta reliquit:

Scripta. *Conſiliorum Volumina V.*

In 4. Juris Civilis poſtmeridianos Tractatûs, ſeu in primam & ſecundam Infortiati partem.

Comment. in 1. & 2. partem Digeſti Novi.

In Pandectas.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Fuit etiam alius *Carolus Ruinus*, hujus nepos & Senator *Bononienſis*, qui Librum edidit, *Dell' Anatomia del cavallo*, *Venetiis* impreſſum, & poſtea in Linguam Germanicam traductum.

Obiit A.C. 1530.

BILIBALDUS PIRCKHEIMERUS.

Natus eſt *Noribergæ* An 1470. 4. Decembr. Patre *Johanne Pirckheimero*, Patritio *Norico*, Juris utriusque & omnium liberaliū ſcientiarum peritiſſimo, *Alberti*, Ducis *Bavariæ*, & *Sigismundi*, Archiducis *Auſtriæ* Conſiliario, qui Puerum *Bilibaldum* filium unicum literis maturè imbuendum curavit, Annoque 1490. In Italiam, ac primùm *Patavium* miſit, ubi *Bilibaldus*, qui ſtatura tunc fuit altiori, viribusque corporis ita robuſtus, ut luctâ, jactu & curſu omnes æquales ſuperârit, ſaltu verò equos altiſſimos facilè tranſilierit, per triennium legibus operam dedit quibus conjunxit Græcas literas à quibus tamen pater filium non alio quàm hoc colore per literas dehortatus eſt: Literas Græcas, tametſi fortaſſis ornamento eſſent, parùm tamen ipſi prodeſſe poſſe, Pontificii ac Cæſarei Juris ſtudioſo.

Filius Conſiliarii.

Patavii & Ticini literis operam dat.

Patavio verò *Ticinum* dein ſe contulit, ubi Theologiæ quoque, Matheſi, Hiſtoricis & Medicinæ operam dedit, in quibus omnibus talem ſe præbuit virum, ut cum quovis paria facere potuerit.

Uxorem ducit. Senator Noribergenſis. Legationes obit varias. A. 1496. *Noribergam* reverſus, uxorem duxit Virginem *Creſcentiam Rieteram*; ſimùl ac verò maritus factus eſſet, & in Senatum lectus eſt, multasque ſtatim ad varios Principes legationes obivit.

Quicquid autem in illo negotioſo vitæ genere otii habere potuit, totum ſtudiis impendit adeò pertinaciter: ut â quibusdam reprehenderetur, ab aliis irrideretur.

An. 1500. Bello inter *Maximilianum* & Helvetios exorto, militum copias à Senatu Imperatori ſubſidio miſſas ad eum perduxit. Ex bello autem iſto domum reverſus, literisque ipſius Cæſaris commendatus & laudatus Reipubl. *Noribergenſi*, priſtino in loco fideliter conſulendo, & legationibus permultis ad *Maximilianum I. Carolum V.* & alios obeundis plurimum profuit.

Studiis ſe ſolùm conſecrat.

Dimiſſionem à Senatu obtinet. Libros, manuſcripta, numiſmata colligit. Paulo pòſt cum dimiſſionem ex Senatu ægrè impetraſſet, otium nactus, totum ſe Muſis dedidit, libros optimos quosque magno numero & pretio collegit, manuſcripta & numiſmata congeſſit, hinc ſtatuarum ſcilicet antiquarum & imaginum non minùs peritus quàm intelligens æſtimator cum *Germanico* illo *Apelle*, *Alberto Dürero*, intimam & penè quotidianam coluit amicitiam.

Alberti Dureri familiaris.

Uxorem amittit, cujus Epitaphium. A. 1504. Uxorem, ex qua filias ſuſcepit quinq;, in puerperio ſexto, quo filium enixa erat, amiſit, mortuæ autem honoris ergò & memoriæ hoc poſuit monumentum:

MULIERI INCOMPARABILI CONJUGIQUE CARISSIMÆ CRESCENTIÆ MOESTISS. BILIBALDUS PIRCKEIMER, MARITUS, QUEM NUNQUAM, NISI MORTE SUA TURBAVIT, MONUM. POSUIT. MIGRAVIT EX ÆRUMNIS IN DOMINO XVI. KL. JUNII ANNO SALUTIS NOSTRÆ M. D. IIII.

Senator altera vice. Deindè iterum in Senatum lectus, amicorum precibus invitus paruit: non tamen ad ſecundas nuptias tranſire voluit, ultimus licet familiæ ſuæ.

Orator perfectus. A. 1512. *Coloniam* ad Cæſarem legatus, & conventus alios plurimos, negotia Reipublicæ ſuæ facundiſſimè ſemper ac diſertiſſimè peroravit, non ſine audientium admiratione.

Podagricis tandem doloribus ſæpiùs afflictus, iterum dimiſſioné à Senatu petiit & obtinuit, eâ tamen conditione, ut domi, ſi-

quidem



Bilibald. Pirckheimer, Senator Noribergenſis


Nicolaus Everard, Juris Doct. & Prof. Mechlinienſis


Thomas Morus. Cancellarius Regis Angliæ.


Philippus Decius Juris Profeſſor Senis


Huldricus Zasius Juris Prof. Friburgenſis.


Sixtus Oelhafius Secret. Cæſ. & Dicaſt. Norib. Aſſeſſor


Guilielmus Budæus Conſil. Reg. Gall. Libel. Supplic. Mag.


Christophorus Scheurl Conſil. Cæſ. Saxon. & Reipub. Norib.



Ioh: Antonius Rubeus Juris Profeſſor Patavij.


Leonhard, ab Eck Conſiliarius Bavaricus.


Andreas Alciatus Senator Mediol. Jur. Prof. Ferrariæ.



Hieronym. Cagnolu Juris Prof. Patavinus.


Iacob, Sturmius à Sturmeck Senator Argentoratenſis.


Marianus Socinus Juris Profeſſor Bononiæ


Andreas Tiraquellus Senator Regius Pariſienſis.


Iohannes Ferrarius. Juris Profeſſor Marpurgenſis



quidem in curiâ non poſſet, Reipublicæ conſiliis ſuis adeſſe velit. Cumque ſic ſexageſimum ætatis annum compleviſſet, obiit 22. Dec. A. 1530. *Moritur.*

Elatus autem eſt funere frequentiſſimo & in Cœmiterio D. *Johannis* ſepultus, cum Epitaphio in tabulâ æneâ lapidi ſepulcrali affixa inciſo ejusmodi.

Epitaphium.

BILIBALDO PIRCKEIMERO PATRITIO AC SENATORI NORIBERGENSI DIVORUM MAXIMIL. ET CAROLI V. AUG. CONSILIARIO, VIRO UTRIQUE IN PRÆCLARIS REBUS OBEUNDIS PRUDENTISSIMO GRÆCE JUXTA AC LATINE DOCTISSIMO, COGNATI TANQUAM STIRPIS PIRCKHEIMERÆ ULTIMO DOLENTER Hoc S. P. VIXIT ANN. LX. D. XVI. OBIIT DIE XXII. MENS. DEC. ANNO CHRISTIANÆ SALUTIS M D XXX.

VIRTUS INTERIRE NESCIT.

Emblema ejus.

Emblemate uſus ejusmodi eſt, quod in æs incidendum biennio ante obitum curavit. Stat in mediâ tabellâ incus, cujus antica pars refert inſigne *Pirckheimerorum* gentilitium, betulam ſcilicet, incudi ſubjacet fœmina, omnes incudi intentatos ictus patienter ſufferens, *tolerantia* nimirum. Ad alterum incudis latus adſtat indignabunda mulier, *invidia* quæ forcipe comprehenſum cor flammæ imponit. Ab alterâ parte tertia conſiſtit tribulatio hęc ambabus cõprehenſum triplicem malleũ intentat cordi. Inter iſtas duas media adſtat quarta *tranquillitatem animi* præ ſe ferens, *ſpei* nomine; ante hujus vultum decidit ex alto è ſerena nube guttarum ſeries ad ipſum usque cor pertingens, tanquam id in ſummo æſtu refrigerandi causâ cœlitùs demiſſa. Quâ pictûrâ ſignificare voluit, quâ potiſſimum conſolatione ſuas ſibi levaret ærumnas. *& Pietas.*

Amicos habuit tàm populares quàm extraneos, de quorum numero *Johannes Franciſcus Picus Mirandulæ* comes, *Hermannus novæ Aquilæ* comes, *Johannes* Baro *Schwarzenbergius*, *Ulricus* Comes *Helffenſteinius*. De Popularibus fuerunt docti ferè ejus ætatis omnes.

Scripta.

Edita ab ipſo ſunt:

Apologia, ſeu laus Podagræ in 4.

Deſcriptio Germaniæ, ſuperioris & inferioris in 8.

Opera Politica, Hiſtorica, Philologica & Epiſtolica in fol.

Xenophontis etiam, Ptolomæi, Plutarchi & Nazianzeni ſcripta è Græco in Latinum convertit.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

CLAUDIUS CANTIUNCULA.

Floruit A.C. 1530.

CLaudium Cantiunculam, qui floruit circa A. 1530. & ſeq. *Metis Mediomatricum* dedit, *Patria.*

In quo eximium hoc fuit, quod Jurisprudentiam ac Philoſophiæ cognitionem eloquentiæ conciliavit, copulavitque. *Philoſophiam cum Jurisprudentiâ conjungit.*

Baſileæ primùm id fecit, ſummosque in Jure titulos & honores eſt conſecutus. *Baſileæ Doctor renunciatur.*

Poſtea Philoſophorum Veterum exemplo, peregrinationibus judicium confirmavit, ingeniique doctrinam adauxit. *Peregrinatur.*

Ab *Auſtriacis* itaque evocatus, *Enſisheimii* in Regio judicio deſignatus eſt Cancellarius, variisque legationibus cum fidei dexteritate & induſtriæ laude perfunctus eſt. *Cancellarius & Legatus Judicii Regii Enſisheimenſis*

Fatis conceſſit admodùm Senex, *Mors.*

Edidit in uſum Poſteritatis

Orationem Apologeticam in patrocinium Juris civilis, contra eos, qui leges cum Evangelio parùm convenire affirmant. *Scriptum.*

Topica exemplis legum illuſtrata.

De Poteſtate Papæ, Imperatoris & Concilii.

Paraphraſin in III. priores Inſtitut. Libros,

De officio Judicis Lib. 2.

Prodierunt etiam ejus

Conſilia, ſeu reſponſa

per Guilielmum Cautelium, Coloniæ. Anno 1571.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

GREGORIUS HALOANDER.

Obiit A.C 1531.

GRegorius Haloander, aliàs Hoffmann/ Natus eſt in Confiniorum *Voitlandiæ* & *Miſniæ* Oppido *Zviccaviâ*, inque omni literarum genere, ac præcipuè in Juris Civilis diſciplinâ ita verſatus, ut *Italia* Doctoralibus Inſignibus ornatum, non ſine laude, in *Germaniam* eum remiſerit. Tandem cum iterum *Italiam* adiiſſet, *Venetiis*, ut *Jacobus Zieglerus* ad *Camerarium*, innuit, levi febriculâ, ſed gravi Medico *Polono*, neſcio quo, oppreſſus, A. C. milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo, vel, juxta alios, trigeſimo ſecundo, *In Italiâ Doctor renunciatur.* *Mors.*

Ibidemque in templo ad S. Salvatorem, cum *Cœleſtino Göricio* ſepultus fuit. *Sepultura.*

Edidit *Jus Civile caſtigatum.*

Conſtitutionum Novellarum Juſtiniani volumen Græcum, quibus adduntur *Scripta.*

Græci Canones S. S. Apoſtolorum, per Clementem congeſti.

Chronologiam Conſulum Romanorum.

Edita conjunctim ejus ſunt Scripta *Pariſiis* A. 1540.

* *Ex Melch. Adamo.*

NICOLAUS EVERHARDUS.

Obiit A.C. 1532.

NAtus *Mittelburgi* in *Valacriâ Seelandiæ* Inſulâ A. 1462.

Juris Doctor apud *Gradios* renunciatus, *Batavis* Præſes datus eſt à Principe. *Doctor Juris.*

Eam provinciam annos 18. ſummâ fide ſuſtinuit, donec ad Summi Senatûs *Belgici* Præfecturam ab Imperatore *Carolo V. Machliniam* fuit accerſitus. *Præſes Machliniensis.*

Ibi in vivis eſſe deſiit A. 1532. Æt. 70. *Moritur.*

Filios reliquit quatuor partim Jur. Civilis, partim Poëtices tractatione claros *Everhardum Nicolaum*, *Nicol. Gradium*, *Hadrianum Marium* & *Johannem Secundum*. *Filii Everhardi.*

Inter hos natu maximus *Everbardus* multos annos Jus civile *Ingolſtadii* apud *Bavaros* publicè docuit. Poſt *Friſiæ* Senatui, ac demùm *Machlinienſi*, ut parens, admotus, munus id ad annum usque 1561. prudente rgeſſit.

Hujus filius *Nicolaus* Jus *Ingolſtadii* poſt patrem profeſſus eſt.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

Sepultus autem eſt ad *D. Mariæ* honorificè cum tali *Epitaphio:*

Epitaphium.

D. O. M. S.

CLARISSIMO D. NICOLAO EVERARDO MIDDELBURGENSI SUMMI CONSILII PRÆSIDI, MARITO CARISS. PATRIQUE PIENTISS. UXOR LIBERIQUE CUM LACRYMIS POSS. VIXIT ANNOS LXX. OBIIT ANNO A SALUTE RESTITUTA CIϽ IϽ XXXII. V. IDUS AUG.

Scripta.

Jura velut tenebris jam dudum offuſa jacebant:
Pæneque Lethææ ſub pede mortis erant,
Aſtræa ad Grudios rediit te vindice campos,
Juraq; Romani, quæ coluêre patres.

Edita ſunt ab ipſo: *Topica Juris & modi argumentandi centum.*

Conſilia ſeu reſponſa.

Eſt & ab eodem *Corpus Inſtitutionum Juſtiniani in novem materias primùm; deindè certa pronuntiata diſtinctum.*

* *Ex Melchioris Adami Vitis JCtorum.*

JOHANNES BAUMGARTNERUS.

Flor. A.C. 1533.

FLoruit circa annum 1533.

Baumgartnerorum familia nobilis.

Natus ex nobili familiâ, quæ ex *Franconiâ* orta *Auguſtam Vindelicorum* conceſſit.

Pater ipſius in ſummâ tum gratiâ tum authoritate fuit apud *Matthiam, Hungariæ* Regem, *Fridericum III.* Imp. & *Maximilianum I.*

Conſiliarius Cæſareus.

Hunc itaque *Johannem* Patri ſimillimum *Maximilianus, Carolus V.* & *Ferdinandus* Cæſares in Conſiliariorum ſuorum numerum allegerunt, & magni fecerunt.

Adeſt Carolo V. in bello Turcico.

In expeditione *Turcica* â *Carolo* Cæſare accitus, illi facultatibus, conſiliis, & operâ adfuit, cum ante id temporis in hoc ipſum Bellum Cæſari 32. Cataphractos ſuis impendiis pulchrè inſtructos miſiſſet, eosque viros ſelectiſſimos, quorum plerique poterant egregios belli Duces præſtare.

Fautor literatorum.

Mirâ benignitate egenorum viſcera refecit & literarum ſtudia promovit, quod *Huldricus Zaſius* & *Eraſmus Roterodamus*, quibus erat familiaris, non uno loco de eo prædicârunt.

Filios reliquit *Johannem Georgium, Antonium*, & *Danielem*, quos omnes ad eruditionem, pietatem, & gerenda Reipublicæ munera inſtituit.

A. 1548. Cum *Carolus V.* Imperator *Auguſtæ* Senatum mutâſſet, hujus familiam cum paucis aliis elegit, ut Reipublicæ præeſſet.

Arces poſſedit duas, alteram *Baumgarten* dictam, quam ſuperiorum incuriâ neglectam refecit, alteram *Ehrnbach*, vulgò *Erbach* dictam, ad *Danubium* ſitam paulò ſupra *Ulmam.*

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

LAZARUS SPENGLERUS.

Obiit A.C. 1534.

NAtus *Norimbergæ* 13. Martii An. C. 1476.

Conſiliorum Noricorum gubernator.

Nomine quidem ſcriba fuit Senatûs (**Rathſchreiber**) *Reipublicæ Noribergenſis*, ſed reverâ Conſiliorum ferè omnium autor & gubernator, cui nihil fuit antiquiùs Religionis ſinceræ inſtauratione.

Autor Scholæ Noricæ.

A. 1526. Hortator & inſtigator fuit Senatui, ut ludus literarius aperiretur.

Moritur.

Diem ſuum obiit An. 1534. 7. Sept. ex calculorum dolore, quorum unus in rene altero, unus in meatu urinæ hæſerat, cum quibus aliquantiſper luctatus ſuccubuit.

Pietatem ejus declarat Ode illa vernaculè ab ipſo compoſita. **Durch Adams Fall iſt ganz verderbt.**

Pietas Spengleri.

Poſt obitum ejus lucem vidit *Confeſſio Lazari Spengleri Germanica*, curante *D. Luthero* typis excuſa.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum German.*

JOHANNES RUDELIUS.

Obiit A.C. 1534.

In urbe Francofurdianâ ad Mœnum natus. Profeſſor Juris. Doctor creatus primus Marpurgi.

HIc Imperii in urbe Francofurdianâ, quæ ad *Mœnum* eſt, natus, ac poſtea *Marpurgenſis* Profeſſor Academiæ, *Ferrario* J. V. impertivit honores ſummos, qui Doctoris æſtimantur titulo, primitusque in naſcente hac Academiâ viro huic præſtantiſſimo contigerunt. Rectoratum autem geſſit Cal. Juliis initum anno 1534. quo *Philippus, Heſſorum* Princeps rebus in *Sueviâ* ex animi ſententia confectis, ad ſuos rediit.

Rectoratum geſſit. Obiit Lubecæ, urbis Syndicus.

Convenerunt eodem etiam anno *Caſſellis Philippus Melanchthon* & *Bucerus* ſuper re Sacramentariâ. Obiit tandem *Lübecæ* Urbis Syndicus.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

CAMILLUS GHILINUS.

Obiit A.C. 1535.

MEdiolani natus, patre *Joh. Jacobo* Secretario & Conſiliario Status *Johannis Galeatii* & *Ludovici Sfortiæ* Ducum *Mediolanenſium*, cum in adoleſcentiâ literis humanioribus operam dediſſet, Duci *Ludovico*, ejusque filio *Franciſco II.* Conſiliarii nomine inſerviit, & 9. annis continuis

Conſiliarius Mediolanenſis. Legatus in Hiſpaniam

Ducis ſui nomine Legatum egit in *Hiſpaniâ* apud Imperatorem *Carolum V.* Cum eodem Duce Paci *Bononiæ* firmatæ interfuit, quam conſiliis ſuis prudentibus concluſit.

Eidem Duci ſuo ſponſam *Chriſtinam* Regis *Daniæ* filiam *Mediolanum* adduxit, & in *Hiſpaniam* rediit.

Exindè

Exindè verò in patriam reverti volens in Siciliâ ſubitò vitam finiit non ſine ſuſpicione veneni clàm ab *Antonio Leva* dati A. C. 1535.

Moritur veneno clam dato.

Edidit in adoleſcentiâ:

Scripta.

Libr. Exemplorum omnium ſeculorum

* *Ex Theatro Italico virorum doctorum Hieronymi Ghilini, Camilli hujus ex fratre Pronepotis.*

THOMAS MORUS.

Obiit A. C. 1535.

LOndini natus eſt ex familiâ non quidem celebri, ſed honeſtâ Patre *Johanne Moro*, Equite & Regni Conſiliario.

Angliam non egreſſus propriâ induſtriâ, nullo præeunte Magiſtro, Latinis literis Græcarum etiam expeditam cognitionem adjunxit. Unde factum, ut poſtquàm juvenis cauſas aliquot cum laude egiſſet, à Rege *Henrico VIII.* in aulam vocaretur, ejusque indulgentiâ honore Equeſtri ac *Lancaſtriæ*, poſtmodùm etiam totius Regni Cancellariatûs dignitate, poſt mortem *Thomæ Volſæi* Cardinalis, A. 1531. ornaretur.

Cauſarum Actor. *Eques.* *Cancellarius Regius.*

Hâc verò dignitate ultrò ſe abdicavit A. ſeq. 1532. quo hoc ſibi ipſi confecit *Epitaphium*, quod monumento Sepulchrali incidendum curaverat, dum in Cancellariatu viveret, in Eccleſiâ ſitâ parochiali apud villam *Chelſey*, ubi loci habitabat, extruxerat:

Epitaphium.

„ *Thomas Morus urbe Londinenſi familiâ „ non celebri ſed honeſtâ natus, in literis utcunque verſatus, cum & cauſas aliquot annos juvenis egiſſet, in foro, & in Urbe ſuâ pro Syreno jus dixiſſet, ab invidiſſimo Rege Henrico VIII. (cui uni Regum omnium gloria prius inaudita contigit, ut fidei defenſor, qualem & gladio ſe & calamo verè præſtitit, meritò vocaretur) aſcitus in Aulam eſt delectusque in Conſilium, & creatus Eques, Proqueſtor primùm, poſt Cancellarius Lancaſtriæ, tandem Angliæ miro Principis favore factus eſt. Sed interim in publico Regni Senatu lectus eſt Orator populi, præterea Legatus Regis nonnunquàm fuit, aliàs alibi, poſtremò verò Cameraci, comes & collega junctus Principi Legationis Guthberto Tunſtallo, tum Londinenſi, mox Duneſmenſi Epiſcopo, quo viro vix habet orbis quicquam eruditius, prudentius, melius. Ibi inter ſummos orbis Monarchas rurſus refecta fœdera redditamque mundo diu deſideratam pacem & lætiſſimus vidit, & legatus interfuit:*

Quam ſuperi pacem firment faxintque perennem!

„ *In hoc officiorum vel honorum curſu cum ita verſaretur, ut neque Princeps Opt. operam ejus improbaret, neque nobilibus eſſet inviſus, neque injucundus populo, furibus autem, homicidis, hæreticisque moleſtus; pater ejus tandem Johannes Morus Eques, & in eum Ordinem Judicum à Principe cooptatus, qui Regni Conſeſſus vocatur, homo civilis, innocens, mitis, miſericors, æquus, & integer, annis quidem gravis, ſed corpore plusquàm pro ætate vivido, poſtquàm eò perductum ſibi vidit, ut filium videret Angliæ Cancellarium, ſatis in terrâ jam ſe moratum ratus, libens migravit in cœlum. At filius defuncto Patre, cui quamdiu ſupererat comparatus, & juvenis vocari conſueverat, & ipſe quoque ſibi videbatur, amiſſum jam Patrem requirens, & editos ex ſe liberos IV. & Nepotes XI. reſpiciens, apud animum ſuum cœpit perſeneſcere. Auxit hunc affectum animi ſubſecuta ſtatim, velut adpetentis ſenii ſignum, pectoris valetudo deterior. Itaque mortalium harum rerum ſatur, quam rem à puero fere ſemper optaverat, ut ultimos aliquot ſuæ ætatis annos obtineret liberos, quibus hujus vitæ negotiis paulatim ſe ſubducens, futuræ poſſet immortalitatem meditari. Eam rem tandem, (ſi cœptis annuat DEUS) indulgentiſſimi Principis incomparabili beneficio reſignatis honoribus impetravit, atque hoc Sepulchrum ſibi, quod mortis eum nunquam ceſſantis adrepere quotidiè commonefaceret, translatis huc prioris uxoris oſſibus extruendum curavit. Quod ne ſuperſtes fruſtra ſibi fecerit, neque ingruentem trepidus mortem horreat, ſed deſiderio Chriſti libens oppetat, mortemque ut ſibi non omninò mortem ſed januam vitæ felicioris inveniat, precibus eum piis, Lector optime, ſpirantem precor, defunctumque proſequere.*

Hoc Epitaphium pateræ argenteæ incluſum *Baſileam Eraſmo Roterodamo*, ſibi amiciſſimo, transmiſit, ut ibi typis excuderetur. Sed hanc ejus felicitatem horrenda mutatio excepit, ut pro honorario iſto, quem ſibi extruxerat, tumulo, ignominioſam ſepulturam Fortunæ potius ludibrio Regisque furore, quàm ullo ſuo merito adeptus fuerit.

Cum enim Regis *Henrici VIII.* cum *Catharinâ* Reginâ divortium, novasque cum *Annâ Boleniâ* nuptias, nec non *Romani* Pontificis dignitatem abrogatam à Rege conſcientiâ prohibitus approbare nec poſſet nec vellet, illicò bonis omnibus omnique dignitate exutus, & ad perpetuos carceres condemnatus eſt.

Regis Henrici VIII. indignationem incurrit. *In carcerem conjicitur.*

Anno itaque 1535. M. Julio ex Arce *Londinenſi* coràm Judicibus à Rege nominatis ſiſtitur. Incedebat ſcipione fultus, longâ viâ debilitatus, ſed qui vultum minimè turbatum præ ſe ferret. Judices allatâ ſellâ ſedendi poteſtatem ipſi fecerunt, dum cauſam ſuam proſequuntur.

Tum de gentis conſuetudine adſciti ſunt 12. Viri Conſultores alii, ut inter ſe deliberarent, numquid *Morus* contra decretum Parlamenti malitioſè peccaſſet? Illi, paucis inter ſe collatis, reverſi, Judicibus indicant, reum mortis eum eſſe, quod ipſorum linguâ *Gylthi* ſonat, id eſt, Mortis reus eſt.

Mortis reus judicatur.

A Cancellario igitur oppidò in eum fertur ſententia. Ibi ille cum dicturus de Decreto Parlamenti, ſermone interrupto in carceres abducitur.

Priusquàm autem ad Turrim ventum eſſet, filia ipſius *Catharina*, puella formoſa & raræ

raræ eruditionis, per medios ſatellites in parentis amplexum irruit, animi dolorem cum verbis non poſſet, lachrymis teſtata. Sed ille vultu conſtanti, nec lachrymam emittens, illud tantùm ſubjecit: *Vale, & Deum pro animâ meâ ora.*

In carcere Uxor ejus, Regis inſtinctu, acceſſit eum, & rogavit, ut Saluti ſuæ ſuorumque conſulens, Regi gratificando vitam ſibi prorogare velit. Quærente *Moro, quamdiu ſe viſurum adhuc exiſtimaret?* illâque annos ad minimum 20. dicente, reſpondit: An *ergò cupis, ut vitam æternam cum annis 20. permutare debeam?*

Securi percuſſus mor. Itaque 7. Julii A. C. 1535. ſecuri percuſſus, vitam finiit in editiori planitie vel areâ, ſub *Turri Londinenſi.*

Sunt qui aſſerant, eum in ſupplicii theatro cum caput ſuper truncum depoſiturus eſſet, Carnifici veniam deprecanti lasciviuſculè reſpondiſſe, ſe quidem hâc lege ipſi condonaturum, dummodò à barbâ (erat enim raſus & imberbis) ſibi amputandâ caveret. Tumulum nactus eſt in Templo *Chelſey* prædii ſui.

Scripta. *Joh. Owenus Epigr. 150. Lib. II.* hoc in eum luſit diſticho:

Abſcindi paſſus caput eſt à corpore Morus:
Abſcindi crines noluit à capite.

Caſp. Cunradus Med. Proſopographiæ Melicæ Millenario I. hoc ei fecit diſtichon.

Morus Amoris Amor, Morum quoque Morus amator.
Utopiam ſcribens tradidit Eutopiam.

Cum in carcere eſſet, hoc de ipſo factum eſt Epigramma:

Quid de ſe fieret, meditans in carcere Morus
Inſpicit urinam, nil ibi triſte videns.
Urinam Regis potius luſtrâſſet, in illâ,
Vidiſſet mortis turbida ſigna ſuæ.

Ingenii Monumenta ab eo edita, ſunt ſequentia:

Utopia lib. II. abſoluta.
Epigrammata.
Comœdiæ.
Dialogi ex Luciano tranſlati.
Dialogi familiares.
Declamationes.
Progymnaſmata Græca.
De optimo Reip. ſtatu.
Hiſtoria Richardi Regis Angliæ ejus nominis tertii, licet imperfecta.
Reſponſio ad convitia Martini Lutheri, conjecta in Henricum VIII. Regem Angl.
Expoſitio paſſionis Dominicæ imperfecta in Carcere ob impedimenta ſcribendi relicta.
Meditatio quod mors pro fide fugienda non ſit.
Dialogus pro Miſsâ contra Germanum Brixium.
Omnia Opera ejus Latinè prodierunt Lovanii A. 1566. in folio.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ H. H. & Iconib. Viror. illuſtr. Boiſſardi.*

* * * *

Cum aliquando Legatus ad *Carolum V.* Imperatorem *Bruxellis* iviſſet, incidiſſetque in quendam Thraſonem, omnium difficultatum jactabundum *Oedipum*, è jure *Britannico* quæſtionem illi propoſuit, utrum animalia capta in *Withernamiâ* ſint irreplegibilia? Oſtentator ne verba quidem intellexit, omniumque mox ſibilo & riſu exceptus eſt, teſte *Stapletono in vitâ Mori cap. 12.*

* *Ex Dialogo de Patriis Viror. Doctor. Joh. Andr. Quenſtedt.*

Carolus V. Imp. dixiſſe fertur, Rex *Henricus* toti *Angliæ* caput amputavit, cum *Morum* ſuſtulit, referente Jer. *Drexelio in Tobiâ part. I. cap. 2.* Extat ejus *Utopia ad Platonicæ* Reipubl. imitationem compoſita.

PHILIPPUS DECIUS.

Obiit A. C. 1535.

PAtriâ *Mediolanenſis*, in Profeſſione humani Divinique Juris floruit. *Jaſonis Mayni* concivis ac æmulus, ſed qui docendo & ſcribendo in omnibus *Italiæ* Gymnaſiis multò latiùs ingenii famam protulit. *Jaſonis Mayni æmulus.*

A *Piſis*, ubi uxorem duxerat, *Ticinum* à *Gallo* Præſide opimis ſtipendiis revocatus, in id tempus incidit, quo *Ludovicus Galliæ* Rex ad convellendam *Julii* Pontificis autoritatem concilium *Piſis* indixerat. *Jura docuit Piſis. Ticini.*

Fugitivi tunc, ideoque rebelles aliquot Cardinales in gratiam Regis Synodum poſtulabant: jus verò dicendi decernendique loci Pontifex ad ſe revocabat. *S. Pontifici adverſus.*

Conſultus propterea *Decius* ſuper eâ re intemperanter contra majeſtatem Pontificis de ſcripto reſpondit, ſecus ac *Jaſon*, qui rogatus ſententiam vel magno munere oblato adduci non potuit, ut non clementer reſponderet.

Ob eam contumeliam *Matthæus Sedunenſis* Cardinalis, pulſis *Gallis*, victore cum exercitu *Ticinum* urbem ingreſſus, unam omnium *Decii* domum militi diripiendam dedit. *Ædes ejus direptæ.*

Tanto accepto incommodo in *Galliam* ex fugâ profectus, in civitate *Biturigum* Jus Divinum docuit per duos annos. Indè in *Italiam* reverſus, *Senenſes* conduxerunt, quâ in urbe, filiam unicam *Senenſi* cuidam Patritio collocavit, & ſub finem vitæ adeò factus eſt obliviosus, ut nullius Legis vel Paragraphi reminiſci, & vix Latinè quid proloqui potuerit, referente *Forſtero in Hiſtoriâ Jur. Civ. Rom. lib. 2. cap. 39.* *Juris Profeſſor Biturig. Senis. Memoriam ſenex amiſit.*

Obiit tandem *Senis* octogenario major, d. 12. Oct. A. C. 1535. Poſt obitum delatus eſt *Piſas* ad ſepulchrum marmoreum, magno ſumptu ab ſe in maximi Templi fronte conſtitutum, cum inſcriptione adeò ineptâ ut elegantibus ingeniis ridenda videatur. *Sepultus Piſis.*

Edidit: *Lecturas ſuper Decretalia, & ſuper ff. & Codice.* *Scripta.*
Conſiliorum Lib. IV.
Commentaria de Regulis Juris.

Epigramma *Jani Vitalis*:

Dum

Dum curat Decius ſibi ſepulchrum
Clarum marmore ponere eleganti,
Inſcripſit titulos ineruditos,
Ut riſum magis excitare poſſint,
Quàm laudare hominem undecunque clarum:
Quod ſi non ſibi cultius ſepulchrum
Quàm doctos titulos & elegantes
Curâſſet, modò mollius jaceret.

Aliud Jacobi Latomi.

Quum mors ad Decii novum ſepulchrum
Legiſſet titulos parùm Latinos:
Certè, inquit, timui hactenus lucernam
Juris tollere: quod minùs venuſtè
Feciſſe arguerer, parumq; doctè,
Sed quum ſic loquitur magiſter ipſe
Committam quoque & ipſe barbariſmum.

* *Ex Elogiis Virorum Doctorum Pauli* Jovii.

Caſp. Cunradus Med. D. Proſopogr. Melicæ Millenar. II. hoc ei ſcripſit diſtichon:

Multa locis docui multis & tempore multo,
Conſiliis fruitur nunc Themis ipſa meis.

* * * *

Natus *Mediolani*, *Galliæ Ciſalpinæ* urbe, Parentes habuit ex *Dexio* ducentes originem familiâ honeſtâ & locuplete.

Philippus à pueritiâ literis optimè inſtitutus, Juriſprudentiæ cognitionem tantam acquiſivit, ut totâ *Italiâ* ſuo tempore clariſſimus omnium haberetur, ab omnibus ferè Academiis expetitus, & propoſito luculento ſtipendio accerſitus, quod ad 1500. nummos aureos pervenit annuatim pro Lecturâ.

Jura docuit annuatim pro 1500. aureor. ſtipendio.

Tanta fuit ejus autoritas & æſtimatio, ut amictus aureâ togâ ſuggeſtum aſcenderit, ſtipatus infinitâ auditorum frequentiâ, qui Præceptorem excellentiſſimi Juriſconſulti titulo ornabant. Poſtquam verò in omnibus *Italiæ* Academiis Jus publicè cum gloriâ docuiſſet, *Senas* tandem ſe contulit, ubi mortuus eſt A. C. 1535.

In omnibus Italiæ Acad. doc.

Moritur.

Corpus ejus conditum eſt in campi ſancti periſtylio, ſub arcu magnifico, in ſepulchro marmoreo, ubi & ejus videtur ſedens ſtatua, & hoc legitur Epitaphium:

Epitaphium.

PHILIPPUS DECIUS, SIVE DE DEXIO, MEDIOLAN. JURISCONSULTUS CELEBRI FAMA NOTISSIMUS, CUM PRIMUM LOCUM STUDII IN JURE CANONICO VEL CIVILI TENUISSET PISIS, SENÆ, FLORENTIÆ, PADUÆ, PAPIÆ, ET DEMUM ULTRA MONTES IN GALLIA, REVOCATUS IN ITALIAM AB EXCELSA FLORENTINORUM REPUBLICA, POSTEAQUAM STIPENDIUM MILLE QUINGENTORUM AUREORUM IN AURO PRO LECTURA CONSECUTUS FUISSET, DE MORTE COGITANS HOC SEPULCHRUM SIBI FABRICARI CURAVIT, NE POSTERIS CREDERET.

* *Ex Vitis Virorum Doctrinâ illuſtrium Jani Jacobi Boiſſardi.*

PETRUS TOMICIUS.

Obiit A. C. 1535.

NObilis de domo *Navis*, primùm *Cracoviæ* liberalibus artibus inſtitutus & Laureâ Philoſophicâ A. C. 1490. ornatus, dehinc *Lipſiæ*, poſt *Bononiæ* & *Romæ* cum politioribus literis ab *Antonio Burgo Hiſpano*, tum Jure Civili & Canonico à *Philippo Beroaldo* egregiè informatus, & Doctor creatus; domum reverſus Cancellarium apud *Fridericum* Cardinalem germanum Regium aliquandiu egit, quo vitâ functo, *Sigismundo* Regi ad Secreta adſcitus, brevi ad Epiſcopatum *Præmislienſem* & Vicecancellariatum Regni provectus, officium tantâ cum laude domi foriſque geſſit, ut paulò poſt ad Sedem *Poſnanienſem* Anno Chr. 1520. poſtea ad *Cracovienſem* anno quinto translatus, tantùm gratiâ & auctoritate cum apud Principem & Regni Summates tum etiam apud exteros proceſſerat, ut ſecundum Regem ſummus omnium haberetur.

Philoſophiæ Magiſter. *Juris Doctor.* *Cancellarius.* *Secretarius Regis Poloniæ.* *Vice cancellarius.* *Epiſcopus Cracovienſis.* *Secundus à Rege.*

Erat enim vir quadruplici linguâ diſertus, formâ conſpicuus, ingenio & conſilio admirandus, in cultu & apparatu ſplendidus, in pauperes liberalis, oppreſſorum & Cleri, juriumque Eccleſiaſticorum propugnator acerrimus.

Annum agens ſeptuageſimum febri primùm, poſt hydropiſi ſeſquiannum decumbens officii ſui nihilominus munia citra moleſtiam exequebatur.

Tandem ſuperante morbo, viribus ſenſim deſtitutus, & rebus omnibus diſpoſitis, legi ſibi Evangelium Paſſionis Dominicæ mandavit: quo cum gemitu & lachrymis audito, cum ad illa verba ventum erat, *Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum!* & hæc dicens exſpiravit, unico nixu ſpiritum efflavit d. 29. Oct. An. C. 1535. *Cracoviæ.*

Mors ejus beata.

Edidit *Librum Legationum, quas pro Rep. obierat.*

Scripta.

Orationem Latinam ad Auguſtum Regem.

* *Ex Elogiis centum Scriptorum Polonicorum Simonis Starovolſcii.*

BERNARDUS VAPOVIUS.

Obiit A. C. 1535.

ORtus ex illuſtri ſtirpe *Polonicâ*, quæ viros aliquot in Senatu conſpicuos produxit, & in literis exercitatus, Juriſconſulti titulum in Academiâ *Cracovienſi* publicè obtinuit, Annaleſque Polonicos luculenter contexuit, quos, *Chronicon Johannis Tarnovii*, Caſtellani *Cracovienſis* & exercituum Ducis generalis, continuare aggreſſus, poſtquàm confeciſſet, brevi & ipſe morbo confectus, è diverſorio hujus ſæculi, ad cœleſtem illam patriam translatus, locum corpori ſortitus eſt in Baſilicâ *Cracov.* cum hoc Epitaphio:

Juris Doctor. *Autor Annalium Polon.* *Moritur.*

Epitaphium.

BERNARDO VAPOWSKI J. U. D. CANTORI CRACOVIENSI, CUBICULARIO APOSTOLICO ET REGIO SECRETARIO, VIRO ERUDITO, CARMINE ET PROSA EXCELLENTI PATRUUS POSUIT. SCRIPSIT HISTORIAM

STORIAM POLONORUM, EX QUA QUANTUM INGENIO VALUERIT, POSTERIS JUDICANDUM RELIQUIT.

OBIIT XXI. NOVEMB. ANNO 1535.

* *Ex Elogiis centum illuſtr. Poloniæ Scriptorum Simon. Starovolſcii.*

Obiit A.C. 1535.

HULDERICUS ZAZIUS.

NAtus eſt *Conſtantiæ* An. 1461. Patre *Conrado* digitis ſiniſtræ manus carenter.

In juventute diſſolutior.

Juventutem paulò diſſolutiorem, pravâ ſocietate corruptus egit, & auditus eſt ipſe temporis illius jacturam poſteà coram familiaribus deplorare.

Notarius Conſtantiæ.

E Scholâ ad forum ſe contulit, & in numerum Notariorum *Conſtantienſis* Conſiſtorii conceſſit, ubi aliquandiu negotiis forenſibus exercitatus, à Senatu *Friburgenſi* accerſitus & Syndicus ejus Reipubl. deſignatus eſt.

Ad Juris ſtudium ſe confert.

Poſt annum ætatis 30. demùm juris ſtudia amplectens, cum in iis brevi tempore plurimùm profeciſſet, & *Paulus de Cittadinis* ingenii dexteritatem in diſcipulo perſpexiſſet, eum ſibi in ord. Prælectione, quanquam adhuc ſtudioſum, & ob id multis ex Profeſſoribus ferè tumultuantibus, ſurrogavit, pro quo tunc Titulum de Conditionibus Juris publicè prælegit. Brevi pòſt Doctor creatus, & inter Profeſſores ordinarios cooptatus, deinceps non profeſſione tantùm, ſed etiam ſcriptis editis magis magiſque inclaruit. Rebus humanis eſt exemtus ætatis anno 74. An. 1535. hoc diſticho comprehenſo:

Doctor Juris & Profeſſor.

Moritur.

JVrIs honoratI ZasIVs CeLeberrIMVs aVCtor
A nICe CorreptVs, terra VaLeto, ſonat.

Elatus autem magno totius urbis luctu, & in ſummo templo honorificè ſepultus, ubi illi ex decreto Senatus & Reipublicæ *Friburgenſis*, (cujus municipales leges omnes *Zaſius* condiderat) elegans monumentum poſitum eſt cum hac inſcriptione:

Epitaphium.

HULDRICHO ZASIO JURECONSULTO SUORUM TEMPORUM TOTO ORBE CELEBERRIMO, HUJUS ACADEMIÆ ORNAMENTO SINGULARI, ET REIPUBLICÆ FRIBURGENSIS IN RESTAURANDO JURE MUNICIPALI JAM OLIM STRENUAM OPERAM NAVANTI, ALIISQUE MULTIS NOMINIBUS DE SE BENE MERITO MAGISTRATUS OFFICII MEMOR FIERI JUSSIT.
CONCESSIT NATURÆ ANNO SALUTIS M.D.XXXV. CALEND. DEC.

Filios reliquit ex primâ uxore *Joachimum* Ducis *Sabaudiæ* Secretarium; filias etiam duas: *Clementiam*, mercatori poſteà, & *Catharinam*, *Georg. Funck Conſtantienſi*, Juris-conſulto docto nuptam, Latinis literis ex induſtriâ ſuâ eruditam. Ex alterâ verò, quam ſexagenario major duxit, *Johannem Udalricum* J.U.D. Profeſſorem *Baſil.* & deinde Impp. *Ferdinandi* ac *Maximiliani* Conſiliarium.

Candidum Zaſii ingenium.

Humanus fuit, affabilis, feſtivi ingenii, ut qui libenter jocaretur, candidi judicii minimeque invidi, nihil enim erat, quod diſcipulis non communicaret aut præſtaret, modò poſſet, nec quiſquam audivit, ullius illum Profeſſoris honoris unquam obtrectâſſe.

Pertinaciter tamen in defendendis opinionibus ſuis, & reprehenſionis impatientior eſſe nonnullis videbatur. Cibi & vini nonnihil erat avidior, undè craſſitie corporis contractâ, multi mirati ſunt, quomodo vir hic iſtis in rebus intemperantior tantos labores citra morbum ſuſtineret.

* * * *

A Ferdinando Privilegio donatus.

A Ferdinando, tum *Hungariæ* & *Bohemiæ* Rege, poſt dedicatam eidem Lucubrationum ſuarum editionem, inter alia hoc privilegio donatus eſt, ut quando luberet ei in otium literarium ſe recipere, & operoſum prælegendi laborem abdicare, id ſalvo nihilominùs annuo ſtipendio ſuo facere poſſet. Aſt eo privilegio nunquam uſus eſt, ſed perpetuò ſtudioſis prælegit, niſi cum podagrâ afflictus impediretur.

Interceſſit ei (non enim J. C. tantùm, ſed etiam Theologus, Philoſophus, Hiſtoricus & Orator ſine pari erat) amicitia ſumma cum *Eraſmo Roterodamo*, cum *Friburgi* degeret, familiaritas quotidiana. Conqueritur autem *Eraſmus in epiſtolis* alicubi de *Zaſio*, minus ſibi licere optatiſſimâ illius conſuetudine frui, eò quod *Zaſius* ſurdaſter, *Eraſmus* autem parùm vocalis eſſet.

In extremâ ſenectâ nihil deceſſit illius memoriæ, licet cœteræ corporis vires deficerent.

In ſcriptis ſuis minus concinnus, & verborum, quibus ſæpè numero inquinatis, ſignificantibus tamen, utebatur, ferè negligens fuit.

Adverſarios expertus eſt inter alios *Petrum Stellam*, & *Johannem Eckium*, cui reſpondit ſuper quæſtione, *quo loco fides hoſti non eſſet ſervanda?* apologiâ editâ.

Scripta.

Reliquit multa præclarè ſcripta, quorum quædam ultimam manum accepere, & ab eo edita ſunt: ut

Intellectus Regum ſingular:

Commentaria in Leg. 2. digeſt. de Origine Juris.

Tractatus ſubſtitutionum.

Tractatus de Judæorum Infantibus baptizandis.

Apologia contra Eckium.

Item contra Stellam Aurelienſem.

Epitome in uſus Feudales.

Reliqua verò poſt mortem illius edita ſunt à diſcipulis confuſa adhuc, incorrecta, & reliquis ſcriptis propter ultimæ manûs defectum propè diſſimilia, de quorum numero ſunt:

Summa in digeſtum vetus.

Lecturæ in aliquot titulos primæ partis digeſti veteris.

Super

Super titulum de actionibus in inſtitutis.
Conſiliorum lib. II.
* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1537.

GEORGIUS HALOWINUS.

COminii ac *Halowini* in *Flandriâ* Toparcha, Eques vetuſtæ & nobilis ſtirpis, Doctorum virorum unicus Mecœnas. Hic in adoleſcentiâ, anno nimirum 1519. quo captum fuit *Tornacum*, Ordines duxit.

Militaris Dux. Legatus Cæſareus.

Deindè à *Carolo V.* Imperatore Orator in *Angliam* miſſus eſt ad Regem *Henricum VIII.* Uxore defunctâ, cum animum ad Sacerdotium appellere videretur, parùm abfuit, quin crearetur Epiſcopus *Tornacenſis.* Ad illum extant plurimæ *Epiſtolæ Eraſmi, Vivis, Deſpauterii, Petri Ægidii*, aliorumque illius ſeculi doctiſſimorum.

Obiit extremum diem A.C. 1537. phthiſi conſumptus *Cominii*, & conditus in Arce *Halowinii.*

Scripta.

Scripſit:
De Reſtauratione Linguæ Latinæ Lib. VI.
Contra Martinum Lutherum, teſte Joddco Clichtovéo.
Annotationes in Virgilium, ubi Servii expoſitiones ſæpè convellit.
De Muſicâ Opuſculum, ubi varia & inaudita adducit.
De laudibus Eloquentiæ.
De Coronatione Imperatorum.
Eraſmi Roterodami Moriæ encomium Gallicè translatum.
* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C 1537.

GALEATIUS CAPELLA.

ORtu *Mediolanenſis*, *Galeatius Flavius Capra* vocatus, vir admodùm eruditus, à Duce *Mediolanenſi* ultimo *Franciſco II. Sfortiâ* inter Secretarios Senatûs patrii cooptatus fuit, ab eoque ſæpius ad Remp. *Venetam* in gravibus negotiis ablegatus.

Secretarius Mediolanenſis.

Imperator etiam *Carolus V.* poſtquàm Ducatum *Mediolanenſem* ſubjugâſſet, in Secretarii munere confirmavit eum, ejuſque miniſterio in diverſis Legationibus uſus eſt. *Mediolani* vitam finiit quinquagenarius 23. Febr. A.C. 1537. Sepultus jacet in Templo *Servorum* cum hoc *Epitaphio*:

Secretarius & Legatus Imperatoris Caroli V.

Epitaphium.

D. O. M.
GALEATIO CAPELLÆ,
OB PERSPECTAM DOCTRINAM, MORUMQUE INTEGRITATEM
A FRANCISCO SFORTIA SECUNDO MEDIOL. DUCE
IN SECRETARIUM ADSCITO,
MOX A CAROLO QUINTO ROM. IMP.
CUM DITIO MEDIOLANENSIS AD EUM REDIISSET,
IN EUNDEM ORDINEM COOPTATO,
BALDESSAR FRATER SUPERSTES EX TESTAMENTO
B. M. P.
VIXIT ANN. L.
OBIIT VII. CAL. MAR. 1537.

Scripta.

Typis ab eo emiſſa ſunt ſequentia:
Della Eccellenzæ dignità delle Donne.
De bello Muſſanno liber.
De rebus geſtis pro reſtitutione Franciſci II. Mediolanenſium Ducis Hiſtoria in 8. libros diviſa.
* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Clar. A.C. 1538.

JACOBUS SPIGELIUS.

BEati Rhenani ex Sorore nepos.

Natus eſt *Seleſtadii*, oppido *Alſatiæ* circa annum 1483.

Diſcipulus Wimphelingii. Juris ſtudioſus.

Puerum *Jacobus Wimphelingius Seleſtadii* literis & moribus optimis erudivit.

Friburgi Briſgojæ ſub *Ulrico Zaſio* JCto celebri Juribus operam dedit.

Conſiliarius Cæſareus.

Eruditione Jurisprudentiæ clarus, *Carolo V.* Imperatori & Regi *Ferdinando* fuit à Conſiliis & Epiſtolis, atque *Argentorati* magnâ in autoritate vixit.

Claruit circa annum 1538.

Quicquid à negotiis forenſibus habuit otii, in Hiſtoriam & aliorum autorum bonorum lectionem, ac librorum ſcriptionem impendit.

Evulgavit: *Juris Civilis Lexicon.*
Expoſitionem in Prudentii hymnos.
Explicationem in progymnaſmata Johannis Reuchlini.
Richardi Bartholini Auſtriados lib. XII.
Enarravit item *Johannis Franciſci Pici de myſteriis Dominicæ crucis, nuper in Germaniam delapſis.*
* *Ex Melch. Adami vitis JCtor.*

Obiit A.C. 1538.

JOHANNES METZLERUS.

NAtus eſt *Uratislaviæ.*

Eò pater ipſius *Johannes* ex *Pannoniâ* cum uxore commigravit, ubi ambo, filio adhùc impubere, A. 1507. in vigiliâ *Margarethæ* mortui, inque unum ſepulchrum illati ſunt.

Audit Richardum Crocum.

Ipſe adoleſcens *Richardum Crocum Britannum*, qui inter primos literas Græcas in *Germaniâ* docuit, ſectatus, *Lipſiam* cum eo venit ibique & ipſe eandem linguam profeſſus eſt, quo tempore inter alios & *Joachimus Camerarius* eum audivit.

Capitaneus & Senator Uratislavienſis.

Poſteà *Uratislaviæ* Capitanei dignitatem & principem inter Senatores locum eſt conſecutus. Eo magiſtratu cum fungeretur, *Statuta, Senatûs conſulta & Plebis ſcita correcta & in ordinem redacta* Collegis ſuis propoſuit, ut ſingula capita examinarentur, ſed id examen, vix inchoatum, poſt obitum ejus intermiſſum eſt, nec ab eo tempore quiſquam Doctoris titulo inſignitus in Senatum lectus eſt.

Docet in Scholâ.

Scholarum ita fuit amans, ut ipſemet in Scholâ *Eliſabethanâ* diſcentibus *Demoſthenem*,

Podagrâ laborat.

num, *Plutarchum*, & *Ciceronem* quotidiè prælegerit, nec indè ſe paſſus eſt abſtrahi vel catenatis occupationibus vel podagricis doloribus, quibus annis quatuor ante obitum ita conflictatus eſt, ut ſellâ in curiam geſtandus fuerit.

Terentii ſtudioſus.

Terentii Comœdias aſſiduè lectitavit, ut nec de menſâ unquam ſepoſuerit.

Moritur.

Ad vitam meliorem evocatus eſt A. 1538 12. Octob. Sepultus *Uratisl.* in æde *Eliſabethanâ*, cum Epitaphio ejusmodi, in quo & inſignia ejus viſuntur, leo videlicet partim albus partim niger.

Epitaphium.

CLARISS. D. JOHANNES METZLER J. U. D. CONSULARIS ORDINIS IN HAC REPUBLICA SENIOR, COLLEGA, VIR PRUDENS, FIDELIS ET IN UTRIUSQUE ORATIONIS, FACULTATE LATINÆ ET GRÆCÆ CELEBRIS, ET DOCTIS. OBIIT A. D. M. D. XXXVIII. D. 11. OCTOB.

Podagræ dolorem patienter fert.

Dixiſſe hic fertur, *ſi optio ſibi daretur, malle ſe podagram cum divitiis, quàm bonam valetudinem cum paupertate.*

Filium *Chilianum* ſive *Lacherium Wittenbergæ* amiſit, cui *Melanchthon* Epitaphium ſcripſit. Nec *Modeſtinus* & *Catharina* filia diu fuerunt ſuperſtites.

Exſtat à *Metzlero Plutarchi libellus de liberorum educatione Latinus*: unà cum *Epiſtolà dedicatoriâ & prælectione: tranſtulit & Orationes aliquot Demoſthenis.*

Eſt & ejus Grammatica Græca olim in Scholis ubivis nota. Scripſit præterea. *Annotationes in libellum Ciceronis de Senectute.*

* *Ex Melchioris Adami vitis JCtorum.*

SIXTUS OELHAFIUS.

Obiit A.C. 1539.

NOrdlingæ, oppido *Sueviæ*, natus eſt A. C. 1466. Patre *Georgio Oelhafio* nobiliſſ. *Conradi* filio, Matre *Rigelhoferiâ*, quæ cum filiolum hunc lactare non potuiſſet, lacte caprino educavit eum, qui etiam in annum ætatis 20. usque nihil carnium degustavit.

Lacte caprino educatus.

Fratrem habuit *Leonhardum Oelhafium* Jurium Doctorem, Comitem Palatinum, Impp. *Friderici III.* & *Maximiliani I.* Secretarium ac Taxatorem, tandemque in ſenio *Norimbergæ* in Templo *Sebaldino* Sacerdotem *Altaris S. Petri.*

Secretarius Moguntinus, & Cæſareus.

Ab hoc fratre ſuo, cum in ſtudiis & peregrinationibus adoleſcentiam conſumpſiſſet, primùm in Conclave Secretorum Electoris *Moguntini*, deindè Cæſaris quoque *Rom.* promotus, adeò diligentiam ſuam cum eruditione junctam probavit, ut abindè ſæpiùs fratris vices obiverit, & ad varias Legationes obeundas adhibitus fuerit, in *Hungariam*, *Belgium*, & ad multos Imperii Status.

Noribergam ablegatus, Ibi ſedem fixit, & nupſit.

A. 1501. *Romani* Imperii Secretarius factus, Cæſaris & Statuum Imperii nomine *Noribergam* ablegatus, ibi poſtquàm à muneribus publicis libertatem ab Imperatore impetrâſſet, ſedem quietam fixit & conjugio ſibi junxit die 16. Febr. hujus anni Virginem *Annam*, *Sigfridi Pfintzingi*, Senatoris, & *Barbaræ Grundherriæ* filiam, tunc honore ſingulari affectus ipſe Sponſus à duobus Electoribus Eccleſiaſticis *Bertholdo Moguntino*, & *Hermanno Colonienſi* ad Sponſalia deductus eſt in Chorum Templi *Sebaldini*: illis verò finitis, Elector *Moguntinus* in aulâ ſuâ Convivium nuptiarum ſolenne Sponſis & Convivis celebravit, præſentibus cum Principibus, Comitibus, & *Rom.* Imperii Conſiliariis plurimis, *Friderico* cogn. *Sapiente*, Electore *Saxoniæ*, & *Erneſto* Archiepiſcopo *Magdeburgenſi*: Idem Elector *Moguntinus* in hoc feſto nuptiali Sponſam manè & veſperi in Curiam ad Choreas conſuetas deduxit. Munera tunc nuptialia Sponſis 6000. Imperialium pretii donata fuerunt.

Sponſus à duobus Electoribus in Templum deductus.

Ejus liberi ex primo Conjugio.

Ex hâc primâ Conjuge 4. ſuſcepit liberos *Sixtum I.* & *II. Margaretam* & *Hieronymum*, ex quibus tres infantes obierunt, & ſolus *Sixtus* poſterior ſuperſtes manſit, qui *Wittenbergæ* ſtudiis deditus, multis annis *Philippi Melanchthonis* convictor fuit, & poſtquàm *Lipſiæ* conſediſſet, & uxorem ibi duxiſſet, Lineæ *Oelhafianæ Lipſienſis* ac *Uratislavienſis* primus fundator fuit.

Secundum Conjugium.

24. Jan. A. 1508. Conjuge hâc biennio ante defunctâ, nuptias ſecundas celebravit *Norimbergæ* cum Virgine *Barbarâ*, *Johannis Rieteri*, Senatoris, & *Margaretæ Schmidmariæ* filiâ. Hæc 12. ipſi liberos peperit, 1. *Barbaram*, *Ladislai Dörreri*, Patritii poſteà conjugem, 2. *Margaretham*, *Wolfgango Betlero* nuptam, 3. *Johannem I.* in pueritiâ demortuum, 4. *Maximilianum* ab Imp. cognomine per *Hoyerum* Comitem *Manſfeldicum* è S. Baptiſmo ſuſceptum, qui celebs obiit, 5. *Leonhartum*, qui *Lipſiæ* deſponſatus ſedem ibi poſuit, 6. *Magdalenam*, *Chriſtoph. Grolando*, Patritio, deſponſatam, 7. *Annam*, *Vito Holtzſchuchero* nuptam, 8. *Chriſtophorum*, qui *Bononiæ* celebs vitam finiit, 9. *Johannem II.* à quo per uxores *Sibyllam Baumgartneriam* & *Suſannam Harſtörferiam* tota *Oelhafiorum Norimbergenſium* familia fuit propagata, fuitque ille Dicaſterii *Norimb.* Aſſeſſor vel Scabinus. 10. *Catharinam*, *Henrico* primùm *Saurmanno*, deindè *Andreæ Ebnero* nuptam, 11. *Urſulam*, *Sebaſtiano Grolando* deſponſatam, 12. *Cordulam*, *Hieronymi im Hoff* poſteà conjugem.

Liberi 12. ex ſecundo Conjugio.

Licèt verò *Norimbergæ* conſediſſet, ut vitâ quietâ frueretur, nihilominùs ab Imperatore *Maximiliano I.* A. 1507. *Ratisbonam*, & A. 1620. ab Imperatore *Carolo V.* ad Comitia *Wormatienſia* accerſitus comparuit.

Eques & Comes Palatinus.

Ab iisdem Imperatoribus Equeſtrem & Comitis Palatini dignitatem cum Inſigniorum Familiæ ſuæ augmento clementer obtinuit.

Tres Nundinas Lipſienſes ab Imp. impetravit.

Cumque *Lipſienſibus* tres Nundinas quotannis celebrandas ab Imperatore impetrâſſet, *Oelhafiis* ibi conſidentibus varias ab oneribus publicis immunitates à *Georgio* Duce *Saxoniæ* conceſſas obtinuit.

Trium Imperatorum *Friderici III. Maximiliani I.* & *Caroli V.* Conſiliarius fuit,

Dome-

Domeſticus, & continuus commenſalis ſecundùm tenorem literarum.

Vir fuit mediocris ſtaturæ, capillis capitis oblongis, barbâ abraſâ, facie liberali, & conſtitutione corporis per totam vitam ſanâ præditus, vitæ ſobriæ deditus, laborioſus concordiæ, & pietatis imprimis amans, varias eleemoſynas *Nordlingæ, Norimbergæ*, & in oppidulo *Lauffenſi* quotannis diſtribuendas ordinavit. *Varias eleemoſynas ordinavit.*

Conſtituit etiam, ut *Norimbergæ* ſenior familiæ ſuæ reditibus ex pago Schöllenbach/quem A. 1610. coëmerat, ad dies vitæ gauderet.

Moritur. Senio tandem magis quàm morbis conſumtus, placidè in Chriſto obdormivit 22. Junii A. C. 1539. ætatis 73. eumque ſecuta anno ſeq. uxor, ambo *Norimbergæ* in Cœmiterio S. Johannis Sepulturæ mandati.

* *Ex Manuſcripto Familiæ Oelhafianæ.*

A primâ ætate lacte caprino nutritus, cum potum aliû deguſtare non poſſet & difficulter loqueretur, ab anno ætatis 16. frequenter S. *Chriſtophorum* in templo Dominicanorum ad parietem depictum hâc Oratione rhythmicâ, ſed ſatis inconditâ, compellare ſolitus eſt, & abindè ſenſim melius loqui, varioſque potùs aſſumere didicit:

Chriſtophore Sancte, virtutes ſunt tibi tantæ,
Qui te manè videt, nocturno tempore ridet.

* *Ex libro manuſcripto D. Tob. Oelhafii J.C. Nor.*

Obiit A.C. 1540.

PHILIPPUS FURSTENBERGERUS.

FRancofurti ad *Mœnum* primariâ familiâ natus eſt.

Literis operam dat. Ad literas à puero adhibitus, & ad publica deindè progreſſus gymnaſia, cum literis humanioribus Juriſprudentiam conjunxit.

Senator. Ad ſuos reverſum Civitas in Senatum adſcivit.

Studia Fürſtenbergeri. Licèt verò perpetuis Reipublicæ curis gravaretur, quicquid tamen temporis ſucciſivi poterat ſuffurari, lectioni optimorum auctorum impendit, inprimis *Homeri* poëmatis, Linguam enim Græcam ſuprà mediocritatem calluit, in Latinâ certare cum magnis profeſſoribus potuiſſet.

Moritur. A. 1540. Cum æſtus eſſet in *Germaniâ* inauditus, febri ardentiſſimâ correptus interiit, cum ſexagenario propior, quàm quinquagenario videretur.

Generos reliquit, ſingularia illius Reipublicæ oranamenta, *Juſtinianum ab Holtzhauſen*, & *Othonem ac Danielem* zum Jungen.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtor.*

Obiit A.C. 1539.

SEBALDUS MUNSTERUS.

IN Juriſprudentiæ ſtudiis non mediocriter verſatus cum naturâ à litibus & ſtrepitu fori abhorreret, ad Jura potius docendû animum applicuit, multumq; in eâ re *Wittenbergæ*, ſub *Friderico I.* Electore, diſcentibus profuit. *A litibus abhorret.* *Jus docet, non dicit.*

Domus ejus quædam modeſtiæ, verecundiæ & ſanctæ diſciplinæ Schola fuit, & licet res familiaris ei ne mediocris quidem eſſet, ſorte tamen ſuâ ſummè contentus vixit, ſublimes verò & ſplendidas conditiones, ut moleſtiarum, periculi & invidiæ plenas fugere ſolitus eſt. *Sorte ſuâ contentus.*

Tandem peſte *Wittenbergæ* graſſante, dum infectos in domum ſuam recepiſſet, nec morientibus ſuccurrere quicquam nec ipſe nec uxor reformidâſſet contraxêre ambo eandem luem, quâ intra paucos dies abſumpti ſunt M. Oct. A. C. 1539. *Peſte moritur.*

Paucis ante obitum horis, cum amici quidam conſolandi causâ illum adiiſſent, oſtendit illis anthraces in manu & brachio, &, *Ut vobis*, inquit, *iſtæ armillæ & gemmæ pretioſæ placent, quibus me Chriſtus meus exornavit?* Cumque illis hoc dictum lachrymas excuſſiſſet, *At vos hæc*, inquit, *nequaquam vilia ornamenta judicaveritis: cum hoc enim veſtitu nuptiali ad convivium cœleſte cum Chriſto meo perpetuò celebrandum ſum iturus, & ſic DEO Redemptori meo placiturus ſum.* *Pietas Münſteri ſingularis.*

* *Ex Vitis Melch. Adami JCtorum.*

Clar. A.C. 1540.

HIERONYMUS PERBONUS.

PAtriâ *Alexandrinus*, Juris utriusq; Doctor, à *Maximiliano Sfortiâ*, poſtquàm *Mediolani* Ducatum paternum recuperâſſet, inter Conſiliarios Secretos adſcitus eſt. Idem Dux cum à *Gallis* numeroſo exercitu, *Novaram* urbem obſidentibus, antè detineretur, & in periculo verſaretur, ne à militibus *Helvetiis*, quibus ſtipendia dare non poterat, hoſtibus proderetur, id quod Patri Ducis *Ludovico Sfortiæ* obtigerat, *Perbonus* ei 5000. Coronatos dedit, quibus militiæ ſatisfecit, eorumque virtute victoriam à *Gallis* obtinuit, ac ſtatum *Mediolanenſem* ſecurum reddidit. Ideò Dux gratus pro tanto beneficio Dominatum ei *Ovilienſem* in territorio *Alexandrino* dono dedit. *Conſiliarius Ducis Mediolanenſis.* *Dominus Ovilii.*

Ab Imperatore præterea *Maximiliano I.* pro ſe, filiiſque ſuis, legitimo thoro natis, Marchionatum *Inciſæ*, depoſito indè juſtas ob cauſas Marchione *Ottone*, donatum obtinuit, cum titulo Comitis Palatini. *Marchio Inciſæ. Comes Palatinus.*

A *Franciſco* demùm *Sfortiâ II.* ultimo Duce *Mediolani*, Senatoris *Mediolanenſis* dignitatem accepit. *Senator Mediolanenſis.*

Obiit tandem *Ticini*, ſepultus in Templo Patrum *Carmelitanorum* cum hoc Epitaphio, quod vivens ſepulchro incidi filiis præceperat:

M [illegible] Hic

Epitaphium.

HIC SUNT HIERONYMI PERBONI CINERES CUM BLANCA DILECTISSIMA CONJUGE, AMBO SIMUL ESSE VOLUNT, QUI DUM VIVERENT INCOMPORABILI FIDE, ITA PIETATE NUMINIS IN COELO ESSE SPERANT. VALETE FILII, ET REMINISCIMINI, ET NOSTRAM COLITE MEMORIAM.

Edidit:

Scripta.

Ovilliarum opus, quo de rebus variis lectu jucundis tractat.

Chronicon à mundi principio, usque ad ſua tempora.

Tractat. de vitâ humanâ.

* *Ex Theatro Italico virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1540.

GUILIELMUS BUDÆUS.

Nullum habuit Præceptorem.

Lutetiæ Pariſiorum natus An. C. 1467. omnium, qui eo ſeculo vixere, fuit ſine controverſiâ doctiſſimus, qui omnium nationum homines in admirationem ſui convertit, eoque magis, quòd in urbe ab his ſtudiis eo tempore abhorrente inter luxum & opes ortus ac educatus, nullo Præceptore, nullo rivali, ad ſupremum illud eruditionis faſtigium ſuâ ipſius induſtriâ conſtantiâque pene incredibili evectus eſt.

Defuit quidem tanto viro perſpicuus ille venuſtioris eloquentiæ nitor, quem recentiores uni *Ciceroni* addicti majore ſtudio coluerunt: ſed exiſtimabat gravitatem ſtyli magis, quàm verborum lenocinia ſibi convenire.

Juris Romani illuſtrator.

Voluntatem enim illi non facultatem defuiſſe, argumento eſſe poteſt penitiſſima illa Latinitatis cognitio, cujus in Pandectis recenſendis & *Romanorum* Jure illuſtrando luculentum ſpecimen dedit. Non immeritò itaque *Galliæ* portentum ab *Eraſmo Roterodamo* vocatus eſt.

Linguæ Græcæ peritiſſimus.

In Græcis autem quis non miretur eum eò usque progreſſum, ut ipſius *Jani Laſcaris* Græcorum doctiſſimi judicio veterum *Atticorum* facundiam adæquâſſe diceretur?

Conſiliarius Regis Galliæ.

Legatus ad S. Pont. Leonem X.

A civilibus interim negotiis & Reipublicæ curâ non abfuit: nam & à Rege *Franciſco I.* in aulam ſæpè vocatus eſt, qui cùm in Regni ſui auſpiciis A. 1515. ab umbrâ & pulvere literario, in quibus delituit, ad ſummos honores & aulæ ſplendorem evexit, *Romam* deinde ad S. P. *Leonem X.* ut cum eo de belli ſocietate adversùs Cæſarem & *Helvetios* conſilia conferret, unà cum aliquot Regni Proceribus ablegavit.

Ex hujus viri conſilio poſteà Rex omnium facultatum Profeſſores inſtituit, qui attributis Stipendiis amplis *Lutetiæ* in Ludo *Cameracenſi* publicè docuerunt.

Fertur quotidiè 12. horas ſtudere ſolitus, die nuptiarum 4. tantùm horas ſtudiis impendiſſe.

Libellorum ſupplicum Magiſter.

Cum itaque per aliquot annos Regii Scribæ partes implevisset, Supplicibus quoque Libellis (qui honor in Prætorio maximus) non minori probitatis quàm eruditionis gloriâ diu multumque præfuit.

Et febri ardente obiit.

Noctu ſine funeris pompâ ſepultus.

Cujus muneris obeundi causâ dum *Guilielmo Pojeto* militiæ togatæ Principi gratiſſimus comes adhæreret, nec ullis itinerum difficultatibus ab ejus latere divelli potuiſſet, accidit, ut caniculâ æſtuante in ſævam febrem incideret, quâ demùm ingraveſcente, animam cœlo dignam exhalavit *Lutetiæ* 22. Aug. A. C. 1540. ætatis 73. relictâ numeroſâ prole, factoque teſtamento, ex cujus præſcripto in D. *Nicolai* campeſtris nullo cum funeris apparatu noctu ſepultus eſt. Paulò pòſt à viro doctiſſimo *Jacobo Sammarthano, Scævolæ* patruo, Oratione in vulgus editâ commendatus. *Salmonius Macinus* hoc ei ſcripſit Epigramma funebre:

Budæus voluit mediâ de nocte ſepulchro
Inferri, & nullas prorſus adeſſe faces.
Haud factum ratione caret, clariſſima quando
Ipſe ſibi lampas luxque coruſca fuit.

Edidit annorum 60. ſpatio, quos in ſtudiis conſumpſit:

Scripta.

De ſtudio literarum rectè inſtituendo ad Franciſcum Regem.

De Ponderibus & Menſuris.

De tranſitu Helleniſmi ad Chriſtianiſmum.

De Aſſe, ejusque partibus laborioſam lucubrationem, quâ rea multis ſeculis intactas & abſtruſas ex antiquitatis obſcuræ penetralibus eruit, & in lucem protulit.

De contemtu rerum fortuitarum Lib. III.

De Philologiâ Lib. II.

Juris Romani illuſtrationem.

Comment. in Pandectas.

Comment. verbor. forenſium & generum loquendi.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani, & ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

* * * *

Huic *Budæo* Græcæ linguæ cognitionem debere ſe *Gallia* & omnes ejus alumni profitentur, juxta *Bezam in Iconibus.*

Eraſmi elogio, ob ratam eruditionem & exquiſitam diligentiam, *Galliæ* Portentum eſt.

Epitaphium.

Ejus Epitaphium hoc eſt:

Budæus columen decusque Grajum:
Budæus Latiæ corona linguæ:
Budæus dubii lucerna Juris:
Budæus pater elegantiarum,
Et fons totius eruditionis:
Budæus patriæ jubar coruſcum:
Regis delicium ſui, ſuæque
Tempeſtatis honos, lepor, voluptas,
Hic terræ exuvias reliquit, Orbi
Famam, aſtris animam. Viator ito.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedtii.*

Obiit A.C. 1541.

JACOBUS MEIERUS.

Oecolampadii in Republica *Baſilienſi* fidus Achates, poſt *Henricum Meltingerum* (qui Religionis tumultu inter crepi-

Sexies Conſul Baſilea.

crepitantes armorum nocturnos ſtrepitûs navigio fugâ arreptâ urbe exceſſerat) utpotè religionis patronus, æquique obſervantiſſimus A. 1530. ſecundis civium animis in conſulem lectus eâdemque dignitate ſexies perfunctus eſt, A.C. 1451. peſte extinctus.

Epitaphium.

Ei ſupra Monumentum Inſcriptio talis publicè poſita.

DEO OPT. MAX. ET CHRISTO SERVATORI S.
D. JACOBUM MEIERUM HUJUS INCLYTÆ URBIS CONSULEM PRUDENTISS. CONSULTISSIMUMQUE, PIETATIS SANÆ CULTOREM AC PROMOTOREM, OMNIS HONESTATIS, QUOD IN IPSO FUIT, INSTAURATOREM DILIGENTISSIMUM, LAPIS SUBJECTUS CONTEGIT.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſilienſis Chriſtiani Urſtiſii.*

Obiit A.C. 1541.

PAULUS BORGASIUS.

EX antiquâ & nobili familiâ natus in oppido *Feltrio ad Alpes Tridentinas* ſito & Reipubl. *Venetæ* ſubdito, Patrem habuit *Johannem Victorem Borgaſium* I.C. ſultum celebrem & ſummum Prætorem *Tridenti*, Matrem nobilem matronam *Coronam de Brandeliziis*.

Juris Doctor Bonon.

Adoleſcens literis humanioribus deditus poſteà ſummo cum animi fervore ſtudiis Legalibus operam dedit *Patavii* primùm, deindè *Bononiæ*, ubi præceptorem habuit I.C. tum celebrem *Felinum Sandæum*.

Advocatus Eccleſiaſt.

Canonicus.

Ibidem poſtquam Concluſiones ſuas Legales per triduum defendiſſet, Doctorales honores adeptus *Venetias* adiit, ibique per aliquot annos Cauſarum Patronum in foro Eccleſiaſtico voce ac ſcriptis egit.

Referendarius.

Gubernator generalis Patrimonii S. Petri.

Canonicus poſteà factus & Archidiaconus in Patriâ ſuâ *Romam* demùm translatus eſt, ubi Pontifex *Leo X.* rogatus à *Marco Cornelio* Cardinale ad varias eum dignitates, Referendarii nempe, Prælati domeſtici, Epiſcopi *Nimoſii* in regno *Cypri*, Vicelegati, & Gubernatoris Generalis Patrimonii S. *Petri* in ditione *Florētinâ*, ſucceſſivè promovit.

Vicarius etiam fuit Cardinalis *Dominici Grimani*, Patriarchæ Aquilegienſis, & poſteà Commiſſarius Apoſtolicus in ditione *Brixienſi*, in quo munere cum egregium ſe præbuiſſet à Duce *Venetiarum* exemptionem à ſolutione Decimarum propter Epiſcopatum ſuum Cameræ *Cypriæ* debitarum præmii loco accepit.

Epiſcopus Patavinus.

Cum laude poſteà Epiſcopatum *Patavinum* adminiſtravit, & exindè *Romam* profectus, à Summo Pontifice *Paulo III.* Prælatus domeſticus, & paulò poſt Vice legatus, ac *Umbriæ* Gubernator à Cardinali *Marino Grimano* factus eſt. Laborum tandem ſatur, & ſenio debilitatus, omnes Dignitates ſuas Summo Pontifici renuntiavit, & in Patriam quietis gratiâ concedens, dolores podagricos ſæpè ingruentes ſtudiis mitigavit, & vitam finiit *Venetiis*, ob negotia quædam eò profectus A.C. 1541. ætatis 75.

Umbriæ Gubernator.

Mor. Venetiis.

Corpus ejus cum exequiis ſolennibus tanto Prælato dignis in Templum *S. Agnetis* deportatum eſt, ibi *Joh. Baptiſta Egnatius* Orationem elegantem in laudes ejus recitavit. Exindè poſteà in Templum Patrum Societatis Jeſu deportatus & terræ mandatus eſt.

Scripta.

Typis edidit:

Tractat. de Irregularitatibus, & Impedimentis Ordinum, Officiorum, & Beneficior. Eccleſiaſticor. & Cenſuris Eccleſiaſticis, & Diſpenſationibus ſuper eis.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Clar. A.C. 1542.

BALTHASAR CLAMMERUS.

Licentiatus Juris.

BAvarus natione in Juriſprudentiâ Licentiati titulum & nomen adeptus, cum deindè *Marpurgi* aliquandiu leges publicè explicuiſſet, à Principe *Erneſto Luneburgico* evocatus & Cancellarius declaratus, multis annis fidelem & utilem Principi ſuo navavit operam.

Cancellarius Luneburgicus.

Hujus & *Forſteri* JCtorum operâ & conſilio potiſſimùm effectum eſt, ut Princeps ditionem ſuam pacificè adminiſtrârit, Deique gloriam, & Civium ſuorum ſalutem præclarè promoverit.

Floruit ſub annum 1542. & ſenex admodùm fatis conceſſit.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

* * * *

Secundum locum inter Jureconſultos Marpurgo tenuit.

Hic inter Juriſconſultos, qui Academiæ *Marpurgenſi* operam navârunt, ſecundùm locum tenuit, *Bojariâ* oriundus. Cœteroquin in Patriæ gymnaſiis liberaliter inſtitutus & aliquo jam imbutus rerum uſu, cum innotuiſſet plurimum, à Principe in Academiam, *Marpurgenſem* quam aperire conſtituerat, evocatus eſt, & iis, qui ad juris ſtudium appuliſſent animum, commonſtraret viam & ad fontes intenderet digitum.

Inſtitutiones docuit. Ab Erneſto Lüneburgenſ. Duce in conſiliariorum numerum adſcriptus. Suſcepit Marpurgi V. J. Licentiam. Mortuus eſt Lüneburg.

Docuit autem *Juſtiniani* Imperatoris Inſtitutiones, donec ab *Erneſto Lüneburgenſium* Duce in Conſiliariorum numerum aſcriptus *Cellam* abiit, ſuſceptis prius in hâc Academiâ anno 1532. V. J. Licentiæ, quam vocant, honoribus, vir excellens, ſapientiâ & juſtitiâ præſtans. Undè & Cancellarius declaratus floruit annum circiter 1542. fatoque ſuo defunctus eſt ibidem ſenex admodùm.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1542.

CHRISTOPHORUS SCHEURL.

NAtus *Norimbergæ* A. C. 1481.

Conſiliarius Cæſareus, Saxonicus & Reipublicæ Norimbergenſis. Legatus ad Cæſ. Carolum V.

Caroli V. Imperatoris & Regis *Ferdinandi I.* necnon Electorum & Ducum *Saxoniæ*, ut & Patriæ Reip. *Norimbergenſis* Conſiliarius fuit intimus.

Legatus in *Hiſpaniam* A. 1519. *Carolo V.* Electo *Romanorum* Imperatori, nomine Procerum *Germaniæ*, Civitatum verò Imperia-

perialium cauſâ A. 1523. gratulaturus diſceſſit.

Reformationis Nor. author.

A. 1525. Solus & unicus Præſes fuit Colloquii, poſt detectam à *Martino Luthero* Veritatis Evangelii lucem habiti *Norimbergæ* cum quibuſdam Monachis, præſente Senatu univerſo, multiſque qui adeſſe voluerunt aliis.

Oblationi Confeſſionis Auguſt. Legatus adeſt.

Legatis denique *Noricis* ad Comitia *Auguſtana* A. 1530. adjunctus eſt, cum *Confeſſio Auguſtana* Imperatori *Carolo V.* à Principibus Proteſtantibus offerretur.

Deceſſit de ſtatione vitæ laborum *Norimbergæ* A. C. 1542. æt. 61.

Hæc Iconi ejus æri inciſæ ſubſcripta leguntur.

* * *

Genealogicus.

I. C. hic, Patriæ ſuæ decus & ornamentum Genealogias *Pfintzingorum, Zinglorum, Fuetterorum, Löffelholtziorum, Tucherorum,* & *Scheurliorum* deſcripſit. Idem in epiſtolâ quâdam ad Reverendum Patrem *Johannem de Staupitz*, Theologum, & familiæ *Auguſtanæ* Vicarium, cum ab eo ſtatum ſive Regimen Reipublicæ *Noricæ* dictus de *Staupitz* petiiſſet, morem quidem eidem geſſit, cum eâ tamen excuſatiunculâ, ſe in deſcribendis Magiſtratibus nullum habere, quem imitetur. Neque enim de hâc Republicâ benè meriti Conſiliarii in quaſlibet aures, quicquid illos urit, exonerant, ſed quaſi ne ſibi quidem, ſi poſſent, credituri, interius premunt omne ſecretum.

* *Ex Orat. de Comparatione Reip. Noricæ cum Venetâ D. Chriſtoph. Ludovici Dietherri, Reipublicæ patriæ Advocati.*

Obiit A.C. 1544.

JOHANNES ANTONIUS RUBEUS.

Juris Profeſſor Ticini.

A*lexandrinus*, primum locum inter Juriſconſultos ſui temporis celebres jure tenuit. Vocatus à Senatu *Mediolanenſi*, publicam Legum Civilium Lecturam in Academiâ *Ticinenſi* magnâ cum auditorum frequentiâ per aliquod tempus obtinuit.

& Valentiæ.

Invadentibus autem Statum *Mediolanenſem* belli tumultibus, in *Delphinatum* diſceſſit, & *Valentiæ* Publici Profeſſoris munus ſuſcepit.

& Taurini. Senator in ſupremo judicio. Eques auratus & Comes Palatinus.

Famâ tandem ejus commotus *Sabaudiæ* Dux, Lectionem ei publicam in Academiâ *Taurinenſi* detulit, deindè Senatorem in ſupremo *Sabaudiæ* Senatu conſtituit: & Imp. *Carolus V.* Equitem auratum ac Comitem Palatinum creavit.

Juris Profeſſor Patavii obiit.

Poſtremò *Patavii* primum in Legum profeſſione publicâ locum conſecutus, ibi morbo gravi oppreſſus, peregrinationis humanæ curſum abſolvit 17. Martii A. C. 1544. æt. 56. Splendido funere tumulo illatus in templo S. *Johannis Verdaræ*, cum effigie ejus ex marmore ſculptâ, & hoc Epitaphio:

Jo. ANTONIUS RUBEUS.

Epitaphium.

Jo. ANTONIO RUBEO, PATRITIO ALEXANDRINO SUPREMI SENATÛS SABAUDIÆ SENATORI, EQUITI COMITIQUE CÆSAREO, OPTIMO VIRO ET JURECONSULTO, ET IN PROFITENDO JURE TICINI PRIMUM, DEINDE VALENTIÆ, TUM TAURINI, POSTREMO PATAVII PRIMUM LOCUM SUMMA CUM GLORIA CONSECUTO, MARGARETA UXOR ET MOESTISSIMI FILII POSUERE. VIXIT ANN. LV. MENS. III. D. XVI. OBIIT A. MDXLIV. XV. CAL. APR.

Scripta.

Edidit: *Conſiliorum Vol. II.*

Tractatum de querelâ inofficioſi teſtamenti, [illegible] *bis, qui ad partem non admittuntur, an & quando partem faciant in computatione legitimæ.*

De poteſtate Procuratoris.

* *Ex Theatro Italico Virorum Doctorum Hieronymi Ghilini.*

Caſp. Cunradus in Proſopogr. Mel. part. III. hoc *Rubeum* honorat diſticho:

Cognitio fuerit mihi quanta & Juris & æqui
ut taceant omnes, Urbs Patavina feret.

ÆGIDIUS BOSSIUS.

Obiit A.C. 1546.

Advocatus Fiſci Mediol.

P*atritius Mediolanenſis*, Juriſconſultus ab Imp. *Carolo V.* in patriâ ſuâ Advocatus Fiſcalis munus accepit, in quo Senatoris Cæſarei officio cum 17. annis ſummâ cum laude verſatus eſſet ad altiora conſcendere dignus, morte immaturâ abreptus eſt *Mediolani* A. C. 1546. æt. 58. Sepultus in Templo Ducali Incoronatæ cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

ÆGIDIO BOSSIO I. C. MAXIMO
QUI SEX ANNIS CELEBERRIMUS FISCI PATRONUS X. & VII.
CLARISSIMUS MEDIOL. SENATOR FLORUIT
UXOR ET IV. SUPERSTITES FILII
PATRI BENE MERENTI MOESTIS. S. P.
NATUS ANNOS 58.
ANNO 1546.

Scripta.

Scripta edidit:

Tractatûs varios ad criminales cauſas, & ad fiſcum, Principiſq; auctoritatem ac poteſtatem, nec non ad vectigalium conductiones, remiſſioneſque penſionum pertinentes.

De Maleficiis.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES NAVIUS.

Obiit A.C 1547.

L*ucemburgiæ Johannes Navius* honeſto loco natus eſt.

Eloquentiæ & Juris ſtudii conjunctio.

A pueritiâ bonis literis deditus legum deinde ſtudium aggreſſus, id cum eloquentiæ ſtudio copulavit.

Conſiliarius Cæſareus. Wormatienſibus Comitiis intereſt.

A. 1540. Cum *Heldus*, *Gravellani* inſtinctu, aulâ *Caroli V.* excedere & vitam privatam agere juſſus eſſet, quod in Conſiliis nimis eſſet vehemens & Cæſarem propè invitum ad bellum pertraxiſſet; *Navius* hic ei ſubſtitutus eſt, & eodem anno Colloquio *Wormatienſi* interfuit.

A. 1544. Cæſar per eum inter Landgravium

Digitiz

vium *Haſſiæ* & Ducem *Brunſvicenſem* multis egit, ut in gratiam reducerentur.

A. ſeq. Idem per hunc & *Granvellanum* cum Proteſtantibus de bello *Turcico* multa tractavit, & *Navium* ad Electores *Colonienſem Moguntinum* ac *Palatinum* Legatum miſit.

Monet Imperii urbes. A. 1546. *Ratisbonæ* in Comitiis per hunc Cæſar Civitates Imperii de bello futuro præmonuit, ipſasque intereè quieſcere juſſit.

Moritur. A. 1547. Sub initium in medio gloriæ curſu vitam cum morte commutavit.

Ejus in locum ſucceſſit *Georgius Seldius* I. C. eique adjuncti ſunt propter multitudinem negotiorum Germaniæ *Joh. Marquardus Badenſis* & *Henricus Haſſus*, qui *Palatini* fuerat ante, & nuper admodum *Bipontini* Principis Conſiliarius.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtor.*

HARTMANNUS HARTMANNI PATER ET FILIUS.

Ob. Pater A.C. 1547.
Ob. Filius A.C. 1586.

PAter *Eppingæ Palatinorum* natus eſt.

Philoſ. Magiſter. & Profeſſor. Magiſterii gradu ornatus in ordinem Philoſophorum *Heidelbergæ* publicè docentium cooptatus eſt.

Decanus. A. 1519. Decani in Academiâ Philoſophici geſſit officium.

Aſſeſſor Spiræ. Nobilitate donatur. Cancellarius Palatinus deſignatus. Poſteà cum 12. annos in ſupremo *Rom.* Impdicaſterio *Spiræ* fuiſſet Aſſeſſor, Equeſtris ordinis dignitate ornatus & Cancellarius ſub Electore *Ludovico* deſignatus eſt, cum quo A. 1530. *Mantuam* ad *Carolum V.* profectus eſt, ut Cæſari de coronatione gratularetur.

Moritur. A. 1547. 3. Julii. Ex hâc vitâ migravit, tali cum Epitaphio ſepultus.

Epitaphium.

DOMINO
HARTMANNO HARTMANNI AB EPPINGEN U.J. DOCTORI. ILLUSTRISS. PRINCIP. FRIDERICI COM. PALAT. RHEN. ET DUC. BAVAR. ELECTORIS, CANCELLARIO, VIRO IN REBUS AGENDIS ANIMI ET CONSILII PRÆSTANTIA CONSPICUO, VERITATIS JUSTITIÆQUE ASSERTORI STRENUO, UXORIS CHARITAS ET LIBERORUM PIETAS MARITO ATQUE PARENTI DESIDERATISS. DOLENTISS. POSUERUNT. QUI OBIIT V. NON. JUL. ANNO DOMINI M.D.XLVII.

Qualem Cecropii cives habuère Solonem:
Et placidum priſco tempore Roma Numam:
Talem, Hartmanne, tuam ſenſère palatia vocem:
Qua dominante, Ducis curia, ſoſpes erat.
Te Schola, te populus luget; teq; aula requirit:
Qui tegis hoc ſacro membra repoſta ſolo.

Elogium Hartmanni Patris. Laudatur in annalibus quod Academiæ literas elegantiores, Eccleſiis autem *Palatinis* Evangelii doctrinam reſtituerit.

Idem Cum *Bernhardo Wurmſero* I. C. Judicio Ducali adhibitus: ut oſtenderent, quâ fide & religione controverſias dirimerent: Deciſionum ſuarum rationes in libros redegerunt, quas filius in lucem protulit.

Filius Hartmanni. Filium enim reliquit cognominem, qui natus eſt A. 1523.

Juris Doctor. Aſſeſſor Cameræ Imp. Conſiliarius Palat. Moritur. Hic etiam Jurium Doctor renuntiatus, Cameræ Imp. fuit Aſſeſſor, poſteà trium Elector. *Palat. Friderici III. Ludovici V.* & *Caſimiri* Adminiſtratoris Conſiliarius, Conſiſtorii *Palatini* Præſes & diœceſeos *Heidelbergenſis* Præfectus.

Obiit *Heidelbergæ* 16. Maji A. 1586. æt. 63. Sepultus cum Patre in Templo Spiritûs Sancti.

Edidit Tractatum Germanicum, cui titulus **Kurtze Beſchreibung / welcher Geſtalt ein Fürſt ſein Regiment wohl anrichten und beſtellen ſoll.**

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

LAURENTIUS ZOCHIUS.

Obiit A.C. 1547.

QUalis vir fuerit, indicat Inſcriptio hæc, quæ *Witteberga* in Templo Parochiali videtur:

Proximus hic tumulus Laurenti continet oſſa,
Qui veteri Zochâ ſtirpe creatus erat.
Juris erat Doctor, nec tantùm Curia vocem
Ipſius & ſolita eſt tota probare fidem:
Verùm etiam caſti mores & juſta voluntas
Ipſius & pietas vera probata DEO eſt.
Luxerunt ipſum nati, conjunxque, ſocerq;
Qui Juris noſtro tempore lumen erat.
Qui cognomen habet Schurffi, *quod laude perenni*
Ornat doctrinæ juſtitiæque ſuæ.

Juris Doctor & Advocatus Wittebergenſis.

Moritur. Deceſſit Anno 1547. die 27. Mens. Februar.

* *Ex Academiâ Witteberg. à Gotfrido Suevo I. C. editâ.*

CONRADUS PEUTINGERUS.

Obiit A.C. 1547.

Patria & Parentes. NAtus ab *Ulrico Peutingero*, Auri fabro *Auguſtano*, ſub A. C. 1465. quamvis nonnemo ſit, qui ex antiquiſſimâ *Suevicæ* nobilitatis claritudine ortum hunc narret:

Studia. Doctor V. I. renunciatur. Hic, quàm primùm per ætatem potuit, in ludum literarium miſſus, prima literarum rudimenta, feliciter percepit, omnibusque indolem probavit, indè ad publica Academiarum progreſſus auditoria, tum humanioribus omnibus diſciplinis operam dedit, tum imprimis ſanctarum legum ſtudio totum ſeſe dedidit, ut ſummâ cum laude doctrinæ eruditionis & ſcientiæ ſuæ legalis, publicum adeptus ſit teſtimonium.

Conſiliarius Cæſarum deſignatus. Undè non ſolùm Reipublicæ *Auguſtanæ*, ſed *Chriſtianæ* univerſæ, plurimùm profuit, cooptatus in Conſiliariorum numerum primùm, à *Maximiliano*, deindè ab hujus ſucceſſore *Carolo V.* Auguſtis.

Conjugium. Conjugem, ceu ex Monumento inferiùs ſcripto patet, habuit *Margaretham Welſeriam*, quam duxit A. C. 1498.

Legatus in Comitiis. Poſt & Comitiis Imperii pleriſque omnibus ſuâ ætate celebratis, interfuit, & conſilium ſuum in arduis maximiſque de republicâ rebus prudenter dedit, & rem literariam imprimis viroſque doctrinâ celebres,

Literatorum patronus. quibus cunue modo potuit, ornavit atque promovit.

Mors. Deceſſit tandem ex hâc vitâ *Auguſtæ* A. C. 1547. die 28. Decemb.

Sepultura. Sepultus ibidem, in cœmiterio ſuburbico, cum tali Epitaphio.

Epitaphium.

D. O. M. TR. V.
SALVATORI:
ET CHOUNRADO PEUTINGERO J. C. PATRIC. AUG. CONSIL. AUGG. ERUDIT. VIRTUTE, REBUSQUE. AMIC. BON. SENECTA FELICI, ET IPSA MORTE
CL. V.
QUI VIX. AN. LXXXII. D. XII. HOC IN SEPULCHRO MAJORUM CONDITUR. MARGARITA VELSERINA CONJUNX. ET CL. PIUS J. C. CHRISTOPHORUS, J. CHRYSOSTOMUS, ET CAROLUS, FRATRES GERMANI. I. FILII, HÆRED. PEUTINGERI JUN. EX MERITO AMORIS, OBSERVANT. ET OBSEQUII PII ERGO. M. P. P.

Scripta. Scripſit:

Sermones Convivales,

In quibus multa de Germaniæ antiquitatibus referuntur.

It. De Gentium quarundam emigratione Epitomen.

Tractatum de Fortunâ.

* *Ex Melchiore Adamo, & aliis.*

MARCUS ANTONIUS BLANCUS.

Obiit A. C. 1548.

Patavinus Juriſconſultus fuit in Conſiliis fidelis, in cauſarum patrociniis facundus, in judiciis Criminalibus examinandis ingenioſus & in Legibus explicandis facilis. Morbo diuturno tandem conſumtus, ad vitam meliorem abiit 8. Oct. A. 1548. ætatis 50. Sepultus jacet in Templo *Patavino* ad *S. Antonium* Confeſſorem cum hoc Epitaphio, quod ipſe ſibi fecit:

JCtus Patavinus. *Moritur.*

Epitaphium.

MARCO ANTONIO BLANCO
JURIS UTRIUSQUE DOCTORI PATAVINO.
VIXIT ANNOS L.
OBIIT DIE VIII. OCTOB.
MDXLVIII.

Tractatus ab eo editi ſunt ſequentes:

Practica Criminalis, cum cautelis in defenſionem reorum.

De Exceptionibus impedientibus litis ingreſſum.

De Indiciis homicidii ex propoſito commiſſi.

De Indiciis & Conjecturis cujuslibet occultæ cædis, vel furti.

* *Ex Theatro Italico virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

EGUINARIUS BARO.

Obiit A. C. 1550.

Leonenſis ortu ex *Britanniâ Galliæ* Provinciâ, Doctor Juris excellens, & Juriſprudentiæ veteris inſtaurator. Jus docuit *Bituriges* tantâ nominis famâ & exiſtimatione, ut ad eum audiendum multi diſcipuli ex longinquis etiam regionibus concurrerent.

Juris Profeſſor apud Bituriges.

Scripſit, præter alia, *Tabulas in Quintiliani inſtitutiones oratorias*, univerſam dicendi rationem quodam quaſi faſciculo complectentes, quibus palàm fit omnibus, eum indefeſſo labore ſemper ſtuduiſſe, ut literarũ decus, & præcipuè Juriſprudentiæ, augeſceret & conſervaretur.

Quintilianum illuſtravit.

Floruit eodem, quo *Alciatus*, tempore, & vitâ exceſſit eodem, quo ille, anno 1550. ætatis 55. *Biturigibus*.

Cum Alciato Floruit & obiit.

Scripſit.

De dividuis & individuis obligationibus, ſeu ſtipulationibus. *Scripta.*

De ſervitutibus.

Manuale Digeſtorum.

In Pandectas & Inſtitutiones Commentaria.

Ad Digeſta, ſeu Pandectas manualium Lib. VII.

* *Ex Promptuarii Iconum inſigniorum Guillelmi Rovilly* Parte *II.* & *ex Indice Chronologico Abrahami Bucholtzeri.*

NICOLAUS PERRENOTUS.

Obiit A. C. 1550.

Cognomento *Granvellanus*, cum *Veſontione Sequanorum* metropoli, quæ ipſi patria erat, nuper *Auguſtam Vindelicorum* veniſſet, diem clauſit extremum d. 18. Aug. A. C. 1550. Vir magnæ fuit prudentiæ, & ob id arcanorum ferè omnium Imp. *Caroli V.* conſcius, qui poſt *Mercurium Herborium, Gatinaram*, Cardinalem ſummum dignitatis locum in aulâ Cæſaris totos 20. annos tenuerat.

Conſiliar. intim. Caſ. Caroli V.

In ejus locum ac dignitatem *Antonius* filius, *Atrebatum* Præſul, quod rarò accidit, ſucceſſit, in illâ ætate exactam rerum agendarum ſolertiam ſub parente adeptus, ſed qui per obliqua conſilia, cum nimis obſequiosè Principum ſuorum magnitudini ſtuderet, malè apud ſuos audiit, & *Belgis* ac poſtremò *Neapolitanis* inviſus, maxima quæque negotia ſub *Philippo II.* in *Hiſpaniâ* geſſit.

Succeſſit ei filius Antonius.

Thuan. lib. 6.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

CAROLUS SAMMARTHANUS.

Obiit A. C. 1550.

Scævolæ Medici filius, cum juvenis Philoſophiam & artes ingenuas non perfunctoriè amplexus eſſet, Juriſprudentiam poſteà coluit, & *Margarethæ Navarræ* auſpiciis cauſarum capitalium apud *Alencoſios* Præfecturam adeptus, patronam fato functam

Juriſconſultus. *Cauſarum capitalium Præfectus.*

ſunctam luculentâ laudatione conſecravit: nec ita multò pòſt integro adhuc ævo nimiâ vi & copiâ ſanguinis oppreſſus emiſit animam, cum ſanguis ruptis vaſis magno ſe impetu circum præcordia diffundens nativum calorem ſuffocâſſet A. C. 1550.

Moritur.

Scripta.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scevolæ Sammarthani.*

Publicavit *Commentarios peruti les de re ſepulchrali:* itemque *pias in Davidis Carmina Commentationes, multaq; varii generis Poëmata tùm Latina, tùm Gallica.*

Obiit A. C. 1550.

JOHANNES LERSNERUS.

Locus nativitatis.

IN *Marpurgenſi Heſſorum* urbe natus anno 1522. ea à puero didicit, quæ non quidem ad ſpeciem & proluſionem veluti gladiatoriam, ſed ad uſum ipſum valere viderentur præcipuè, ut videlicet iis ipſis ſententiis, quibus tyro præluſerat, in erudito pulvere pugnare poſſet ætatis adultæ vir.

Doctoris Juris titulo ornatus Inſtitutionum Profeſſor.

Ideoque poſtquàm etiam omnem vim varietatemque juris ſummo ſtudio ſummisque Doctoribus comprehendit accuratè, Inſtitutiones præcipuè *Juſtinianeas* ſibi ſepoſuit, in quibus elaboraret, ſed ita tamen, ut etiam Reipublicæ regendæ ſummi Dicaſterii Aſſeſſor conſtitutus partem attingeret.

Summi Dicaſterii Marpurgi Aſſeſſor. Rector Academiæ.

Anno quoque 1547. Academiæ tractavit gubernacula eò ſanè tempore, quo maximis in luctibus verſabatur patria. Nam *Saxonum* Duce capto, ejusque exercitu fuſo hoſtis imminebat *Haſſiæ* finibus, & peſtilentiſſimum tempus in eos ſæviebat præcipuè, qui corporis præſtabant viribus, ita ut ſenes reliquaque turba imbellis à contagio prorſus eſſet immunis.

Cœterùm *Lerſnerus* ipſe Vir optimus & præſtantiſſimus in ipsâ curâ & meditatione obeundi ſui muneris exceſſit ex hac vitâ 19. Januarii anno 1550. & in ſummo templo conditus eſt.

Moritur.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Flor. A. C. 1559.

JOHANNES LANGUS.

NAtus eſt *Freiſtadii Sileſiæ* opp. in ducatu *Teſchinenſi*, parentibus quidem egenis ſed honeſtis & piis, qui pannificii arte ſe ſuſtentârunt.

Niſſæ literis operam dat.

Puer *Niſſam*, Epiſcopi *Uratiſlavienſis* ſedem profectus, *Valentini Cratoaldi* inſtitutione uſus eſt, victumque præ foribus canendo quæſivit. Ut primùm verò ætas ſtudiis gravioribus matura eſt viſa Præceptoris hortatu *Cracoviam* ſe contulit, ibiq; Philoſophos publicè docentes audivit, & diſcentium ingenia informando, ſeipſum informavit.

Cracoviam abit.

Inde Viennam.

Poſteà *Viennam Auſtriæ* ſe recepit, & *Philippi Gundelii* auxilio linguam Græcam intra annum didicit ut expeditè loqui poſſet.

Budam venit.

Indè *Budam* venit, & propter ingenii dotes à *Thoma Stoltero, Suidnicenſi*, ſacelli Muſices Rectore, *Ludovico Hungariæ* Regi commendatus, puerorum Symphoniacorum Præceptor fuit. A. 1530. In *Sileſiam* reverſus, *Valentino Trotzendorffio, Wittebergam* eunti, ſucceſſit, & *Goldbergæ* ſeptimus Scholæ Rector 8. menſibus docuit. Indè *Niſſam* vocatus, aliquot annis Scholæ ibi moderatorem egit.

Reverſus Trocendorfio ſuccedit.

Niſſæ ludum regit.

Tandem vitæ Scholaſticæ pertæſus, *Suidnitium* vocatus, actuarii officium ſuſcepit. In aulâ deindè *Jacobi à Saltzâ* Secretarii munus obivit.

A. 1539. Hujus ſucceſſor *Balthaſar Promnitius* Cancellarii dignitatem ei contulit. Ab hoc Principe ſuo ad *Ferdinandum Romanorum* Regem aliquoties miſſus, res graves tàm ſolidè expedivit, ut Doctoralem ei lauream in Juriſprudentiâ Rex conferre non dubitârit, & pauló pòſt Conſiliarii ac Oratoris perpetui honore dignatus ſit.

Legatus ad Ferdinandum Regem.

Conſiliarius & Orator Regius.

Exindè Regis mandato nunc ſolus, nunc aliis Collegis additus, vel *Sigismundo* Baroni in *Herberſtein* vel *Matthæo Logo, Suidnicenſium* Præfecto, in *Poloniam* legationes arduas ſuſcepit.

Varias obit legationes.

A. 1543. & 1553. *Sigismundo Auguſto*, Regi *Poloniæ Eliſabetham* & *Catharinam* Regis *Ferdinandi* filias Sponſas ad feſtos nuptiarum dies, cum comitatu Regio, in quo erat Baro ille *Herberſtenius*, deduxit in *Poloniam*, & Regi oratione eleganti commendavit.

Cum aliquando à *Samuele Maçovio*, Ep. *Cracovienſi* & ſupremo *Poloniæ* Cancellario in Collegium Academiæ *Cracoviæ* ductus eſſet, ut *Petrum Illicinum Italum* publicè Græca docentem audiret, is tum Profeſſor Orator. advent. Græcâ compellatione prolixè fuit gratulatus. Ibi *Langus* par Græcè reſpondendi dexteritate promptus, non tamen præmeditatus, Græcè reſpondit, & Cœtûs frequentiſſimi oculos in ſe ſolum convertit.

Græcè Langius reſpondet.

Petrus Royzius Hiſpanus Conſiliarius Regius & Poëta eximius fuit ipſi acceptiſſimus etiam in convictu quotidiano. Hic famulos *Langi* menſæ aliquando adſtantes, & durâ pronuntiatione voces *Germanicas* exaſperantes hoc ſcommate illuſit: *Germani*, inquiens, *non loquuntur, ſed fulminant, & credo ego, mi Lange Orator, DEUM ex indignatione hoc ſermonis fulmine uſum, cum primos Parentes extruderet Paradyſo.* Cui *Langus*, *Ego rurſus*, inquit, *veriſimile cenſeo, ſerpentem ſuavi & blando vocis Hiſpanicæ fuco uſum, cum impoſuit Evæ.* Hoc arguto reſponſo *Royzium* convivis propinavit irridendum, quod & ipſum Regem hoc audientem mirè delectavit.

Royzius ridet linguam Germanicam.

Langi reſponſum.

Cum verò expeditionum curis feſſus ex doloribus nephriticis afflictus eſſet bonâ

 cum

cum gratiâ Regis honorificè dimiſſus *Suidnitii* nonnihil reſpiravit, & quandiu licuit Commiſſiones Cæſareas fideliter expedivit.

DEO & Muſis vixit. Tandem Soli DEO & Muſis vixit, & *Suidnitii* fatis conceſſit ſub ingreſſum anni 64. *Moritur* ætatis ſuæ, Epitaphium ejus legitur ejusmodi:

Epitaphium.

Quem pietas & recta fides, conſtantia veri,
Juſtitia, & candor, geminæ facundia linguæ,
Mœſta dolent Phœbiq; cohors Heliconia plangit,
Hic ſitus eſt, (Muſæ poſuerunt Marmora) Langus.

Scripta. Tranſtulit ex Græco in Latinum *Nicephori Calliſti, Xantopuli Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libros 18.*

Gregorii Nazianzeni Sententiar. libros tres.

Et Opera Juſtini Martyris, quibus & annotationes adjecit.

Scripſit *contra Staphylum librum*, à quo hæreſeos damnatus fuerat, quod Chriſtum ſecundùm carnem creaturam negâſſet.

Edidit: & *Carminum Lyricorum librum.*
Elegias aliquot.
Parænesin carmine Heroico ad D. Hieroslaum à Bernſtein.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1550.

LEONHARDUS AB ECK.

IN *Bavariâ* nobili genere editus eſt An. 1480.

Patre ſibi cognomini, Matre *Hallerâ* nobili *Bavarâ.*

Literis operam dat. A teneris *Kelhaimi* ſupra *Ratisbonam*, ubi Pater Ducalis Præfectus erat, literarum fundamenta poſuit.

Poſteà maturè *Germaniæ* Academias illuſtriores accedens, in Juridicâ facultate tantos fecit progreſſus, ut ſtatim Principes quidam eum ad ſe invitârint.

Italiam adit, Doctor renunciatur. Sed *Italiam* prius perluſtrare cupidus, & eam ingreſſus Jur. Doctor cum laude renuntiatus eſt.

Eſt à conſiliis March. Brandenb. Ut primùm domum rediit, vocatus ad Marchionem *Brandenburgicum Onolt zbachium*, ei à Conſiliis aliquandiu fuit, & legationibus variis functus eſt.

Conſiliarius Bavaricus. Uxorem ducit. A. 1520. Factus eſt *Wilhelmi*, *Bavariæ* Ducis Conſiliarius, & uxorem duxit *Felicitatem à Freiberg*, ex quâ nactus eſt filium *Oſwaldum*, filiasque duas. Ab hoc Principe in Comitiis Imperii ad omnia conſilia fuit adhibitus, delectus etiam ab aliis Proceribus, ut in gravibus Imperii negotiis ſententiam ſuam diceret: Quod in tumultu Ruſticorum A. 1525. egregiè præſtitit, & cum 20. pòſt annis in bello *Smalcaldico* ab ipſo Imperatore *Carolo V.* honoratus eſſet.

Dictum de eo. Undè vulgò de eo dictum eſt: *Quod Eckius non concluſerit, fruſtrà alii concluſiſſe videntur.*

Monachii non multis diebus poſt Ducem ſuum *Wilhelmum* obiit 17. Martii A. 1550. Ætatis 70. *Moritur.*

Sepultus apud *Franciſcanos* cum monumento ſumptuoſo.

Propugnator fuit acerrimus antiquæ Religionis *Romanæ*, adeò ut & bona & arces, quas comparavit amœniſſimas, filio *Oſwaldo* non aliâ ratione ſalva eſſe voluerit, idque firmiſſimè teſtamento caverit, quàm ſi eandem Religionem perpetuò foveret.

Hic Bibliothecæ paternæ locupletator, & antiquitatum collector diligentiſſimus, patri nepotes & neptes aliquot ex *Annâ de Pintanau* uxore ſuſcitavit.

Filia ipſius natu major, (nam minor in juventute obiit,) nuptui data Baroni Wilhelmo à *Schwartzenburg* non diu tamen ſuperſtiti, duobus poſtmodùm Comitibus *Schlickys* ſecundis & tertiis nuptiis data eſt.

17. April. 1521. Cum *Wormatiæ* in Comitiis *Lutherus* comparuiſſet, hunc nomine Cæſaris compellavit *ab Eck*, & apertè dicere juſſit, an libros, quos ſcripſit, pro ſuis agnoſcat, & an eosdem velit tueri? cumque pius *Lutherus* ſimpliciter affirmâſſet, ad poſterius, impetrato deliberandi ſpatio, die ſequenti reſpondit, ſe nihil eorum, quæ ſcripſerit aut docuerit revocare poſſe, niſi S. Scripturæ teſtimoniis vel evidenti ratione convictus fuerit.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum & aliis.*

ANDREAS ALCIATUS.

Obiit A. C. 1550.

MEdiolani ex nobili & antiquâ familiâ natus A. C. 1492. *Ex Jani Parrhaſii* Præceptoris ſui Scholâ vix egreſſus primò ad *Avenionenſes*, mox ad *Bituriges* in *Galliâ* annuo 1200. aureorum ſtipendio convolavit. Indè *Ticinum* à *Franciſco Sfortiâ* revocatus Senatoriæ dignitatis inſignia retulit. *Juris Profeſſor in Galliâ.* *Senator Ticini.*

Bononiam poſtmodùm ſe recepit eidem profitendi Juris oneri addictus, toto prenſante 40. virorum Senatu ejusque fortunas effuſis omnium ſuffragiis cumulante. *Juris Profeſſor Bononiæ.*

At rurſus *Ticinum*, *Caroli V.* Imperatoris juſſu, reverſus eſt. Rurſus etiam *Herculis Eſtenſis*, *Ferrariæ* Ducis, precibus abſtractus ad ejus Academiæ ſubſellium tranſmigravit. *& Ferrariæ.*

Tandem requietis avidus, *Ticinum* repetens totius *Italiæ* propenſa in ſe unum vota, inibi velut in fatali laborum ſuorum aſylo complenda eſſe putavit. *Juris peritus ſingularis.*

Fidiſſimus Juris interpres, antiquatâ opinionum barbarie penitiores Legum ſenſus mirabiliter aperuit, ſcribentium futilitates expunxit, & ſingula perpetim ad priſcorum Juriſprudentum inſtituta revocavit.

Hujus propterea veſtigiis hærentes *Duarenus*, *Cujacius*, *Ottomannus*, elapſi ſæculi lumina

lumina, facem prætulere cœteris Juriſprudentiæ ſtudioſis.

Moritur Obiit *Ticini* 12. Jan. A. C. 1550. æt. 58. cum 14. diebus febri laboráſſet.

In Baſilicâ *S. Epiphanii* per honorificè conditus.

Symbolum vivus aſſumſit *Jaſoni Mayno* Juris perito celeberrimo proprium, quod eſt Mercurii caduceus inter duo Amaltheæ cornua repoſitus, præfixo titulo: *Virtuti fortuna comes.*

Præter ingentia, quæ prodidit, Volumina illuſtre admodùm cenſetur *Opus* 100. *Emblematum*, de quo *Julii Cæſ. Scaligeri* fuit ſententia tale illud inter Pöeticos fœtus exiſtere, ut æquari cuilibet dulciloquio puritate ac ingenio queat.

Horum Emblematum ſignificationem quæ ſingula ſequuntur Epigrammata elegiaca argutè explicant.

Eadem Gallicè, & Italicè verſa prodierunt.

Etæo ſtichon:

CVr *Aſtrea* DoLet? CVr LVXIt *ApoLLo*? Poëſis

HeV IaCet AnDreas, & *qVoqVe IVrIs honor.* 1550.

* *Ex Muſeo Hiſtorico Joh. Imperialis Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro Italico Viror. doctor. Hieron. Ghilini.*

Scripta. Opera ab eo ſcripta & edita:

Conſiliorum Volumina II.

Conſilia in materiâ duelli, & ſuper Infortiatum.

De ſingulari certamine Lib. I.

Opera omnia Juridica in IV. Tomos digeſta.

Emblemata.

Epigrammata.

Tractat. de Præcedentiâ.

De Ponderibus & Menſuris.

Hiſtoriæ Encomium.

Paradoxorum ad Pratum Libri VI.

Oratio in laudem Juris Civilis.

De Præſcriptionibus, Præſumtionibus, & Verborum ſignificatione.

De Magiſtratibus, civilibus & militaribus officiis.

Parergon Juris.

De Interpretibus comparandis in Jure.

De formulâ Romani Imperii.

De ratione Plautinorum Carminum, & Lexicon de vocabulis Plautinis.

Caſtigationes in Cornelium Tacitum.

Practica Juris.

In Digeſta de rebus Creditis.

Ad Reſcripta Principum.

Diſpunctionum Lib. IV.

De Verborum Obligationibus.

Brechaus & Fornerius de Verborum Significatione,

Declamationum Lib. I.

Correctiones in 3. Libros Codicis.

Prætermiſſorum Lib. II.

Epitaphium ejus. *Epitaphium.*

ANDREÆ ALCIATO
MEDIOLANENSI I. C. COMITI, PROTONOTARIO APOSTOLICO, CÆSAREOQUE SENATORI, QUI OMNIUM DOCTRINARUM ORBEM ABSOLVIT, PRIMUS LEGUM STUDIA ANTIQUO RESTITUIT DECORI.
OBIIT PRID. ID. JANUAR. ANNO MDL.
FRANCISCUS ALCIATUS I. C. A. B. M. P.

FRANCISCUS CONNANUS.

Obiit A.C. 1551.

HIc relictis Barbarorum veſtigiis, *Alciato* duce, novam & ſalubriorem ingreſſus ornandæ Juriſprudentiæ viam, ſtatuerat opus efficere excellens, quod nec veteres Juriſconſulti nec ipſi Cæſares præſtiterunt: ut infinitam & confuſam æqui bonique ſcientiam aptâ quâdam diſſerendi ratione ordinaret ac digereret, certamque Juris artem conſtitueret. *Juris peritus ſingularis.*

Nec ei neceſſaria deerant ad negotium iſtud probè conficiendum ingenii fortunæque præſidia & inſtrumenta: ſed gracilis corpuſculi vires nequaquam pares gloriæ generoſâ cupiditate ardentem ſibique minus proſpicientem in medio ſtudiorum curſu defecêre.

Libellorum præfecturâ inſignis obiit 43 ætatis anno vix impleto, *Lutetiæ* genitali urbe in D. *Opportunæ* fano tumulatus eſt, paulò antequàm Rex *Henricus II.* armatâ manu in *Germaniæ* fines irrumpens, *Germanicos* Proceres Cæſaris potentiâ oppreſſos in libertatem vindicaret A. C. 1551. *Libellorum ſupplicum Præfectus.*

Conſcripſit *Commentariorum de Jure Civili, Libros IV. eruditione ſimul & facundiâ refertos*, qui poſt obitum ejus a familiaribus collecti, & in vulgus emiſſi, ut maximam auctori ſuo conciliavêre laudis occaſionem, ſic immortale omnibus eruditis pulcherrimi operis ab eo inſtituti nec perfecti deſiderium reliquêre.

* *Ex Elogiis Gallorum eruditione celebrium Scævolæ Sammarthani.*

PETRUS SUAVENIUS.

Obiit A.C. 1551.

NAtus in *Pomeraniâ*, cum ſtudiis *Wittebergæ* operaretur, *Luthero* ad Comitia *Vormatienſia* evocato A. 1521. comes cum *Juſto Jona*, & *Amsdorfio*, Theologis, & *Scurfio* I. C. datus eſt. Poſteà *Friderici I.* filii, Ducis *Johannis* inſtitutioni præfuit A. 1534. *Lutheri comes Wormatiam.* *Præceptor Regis Daniæ Friderici I.*

Rectoratum Academiæ *Hafnienſis* geſſit A. 1543. A. 1544. auctoritate Regiâ Doctorem Juris renunciavit *M. Reimpertum Gilsbemium* Juris Profeſſorem. Decanus *Rœskildenſis* fuit, Conſiliarius Regius, inter præcipuos Regni Proceres habitus, doctus, facundus, & cujus operâ Rex *Chriſtianus III.* in Regni negotiis magni momenti ad exteros plurimùm uſus eſt, eique arcem *Giordslevienſem* hæreditario jure poſſidendam dedit. In Matriculâ veteri Univerſitatis Vir generoſus & *Conſiliarius Regis Daniæ.*

Moritur. ſus & eruditus appellatur. Obiit A. C. 1551.

Scriptum. Scripſit *contra Regem Chriſtianum II.*

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A. C. 1551.

HIERONYMUS CAGNOLUS.

V*Ercellis* in *Sabaudiâ* natus eſt A. 1492. ex Patritiâ Familiâ. *Taurini*, Ducum *Sabaudiæ* ſede, degens primùm fuit Secretarius, deindè inſignitus eſt Eques & Conſiliarius ac Senator Ducis *Sabaudiæ*, cujus Principis ſui Jurisdictionem Conſiliis & Scriptis propagare conatus eſt.

Conſiliarius Ducis Sabaudiæ.

Altiùs etiam in veterum Legum monumenta & Scriptorum ſensûs obſcuriores ſe immiſit, eosque voce & calamo dilucidiores reddere ſtuduit.

Juris Profeſſor Patavinus. Demùm à Republicâ *Venetâ* magnis ſtipendiis accerſitus ad Jus interpretandum in *Patavinum* Lycéum, cum laude functus eſt eo officio, ibidemque vivendi finem fecit 1. Febr. A. C. 1551. ætatis 59.

Moritur. Sepultus eſt in Eccleſiâ *S. Franciſci* cum ſtatuâ & monumento:

Scripta. Libros edidit:

De rectâ Principio inſtitutione, in 8.

De Origine Juris.

In Digeſta & Codicem.

Varias Legum enarrationes, quas in tres Libros digeſſit.

De Regulis Juris.

* *Ex Elogiis Jac. Phil. Tomaſini.*

Caſp. Cunradus in Millenario II. Proſopographiæ Melicæ hoc eum diſticho honoravit:

Juris conſultum me Juris origo fatetur:
Scilicet hæc genii eſt docta labore mei.

Epitaphium ejus *Patavii* hoc videre licet:

D. O. M.

Epitaphium. HIERONYMO CAGNOLO VERCELLENSI, VIRO OPTIMO ET IN JURIS CIV. SCIENTIA INTER NOSTRÆ ÆTATIS EMINENTISSIMO, EA PROPTER TAURINI PRIMUM, DEINDE MAJORE STIPENDIO QUAM QUISQUE ALIUS JUS CIVILE MAGNA CUM LAUDE ATQUE OMNIUM ADMIRATIONE PROFESSO, NOBIL. GENERE ILLUSTRISSIMI DUCIS SAUBAUDIÆ MUNERE SENATORIO ET EQUESTRI DIGNITATE PERFUNCTO. FILII SUMMA ERGA TALEM PATREM PIET. MONUM. HOC POS. VIXIT ANNOS LIX. OBIIT M.D.LI.

Obiit A. C. 1551.

PLEICARDUS SINDRINGERUS.

H*Alâ Suevus*, Academiæ *Wittenbergenſis* alumnus gratiſſimus, & in Aulâ *Johannis Friderici I. Saxoniæ* Electoris Conſiliarius veteranus: illo A. C. 1547. 24. April. in prœlio ad *Mulbergam* capto *Vinariâ* migravit, & exindè *Jenam*, ubi novi Gymnaſii inaugurationi interfuit 19. Martii A. 1548. & aliquandiu moratus tandem pauſam vitæ hujus caducæ fecit 6. Martii A. C. 1551.

Conſiliarius Saxonicus.

Moritur Jenæ. Sepultus in æde *S. Michaëlis* Archangeli oppidanâ.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jen. M. Adriani Beyeri*, qui hoc *adſcripſit* Epigramma:

Pleicardus Themidis Doctor Sindringer ab Aulâ
Dimiſſus Jenæ limina parva petit.
In quâ Pontani veſtigia tuta ſecutus
Et Simili vitæ tempora mitis agit.

Obiit A. C. 1552.

BENEDICTUS PAULI.

N*Atus A. 1489.*

Audit Henningum Goeden. A puero Muſarum otia ſectatus *Wittenbergæ* inter alios *Henningum Gœden* audivit.

Docet Wittebergæ. Deindè ad Jus ibidem publicè docendum vocatus 30. amplius annos id munus cum ſummâ dexteritate obivit.

Magiſtratum etiam ſummum ibi geſſit aliquoties.

Moritur. Tandem 3. April. A. 1552. æt. 63. placidè deceſſit.

Cum Elector *Saxoniæ Fridericus III.* Curiæ provincialis Judicium *Wittenbergam* tranſtuliſſet, Profeſſoribus Juris in Aſſeſſorum numerum cooptatis, ſucceſſor *Johannes Fridericus* non ſolùm patrui voluntati ſubſcripſit, ſed etiam anno 1529. illi judicio Præſidem dedit *Johannem Metſch* eique Aſſeſſores XI. adjunxit, inter quos & hic Pauli fuit.

* *Ex Vitis JCtorum Melch. Adam.*

Obiit A. C. 1552.

JOHANNES SICHARDUS.

B*Iſchoffsbemii* ad *Tuberum* flumen *Franciæ orientalis* oppido ditionis *Moguntinæ* natus eſt An. 1499. Patre *Georgio*, Matre *Chriſtinâ* mediocris fortunæ.

Literis operam dat Ingolſtadii. In patriâ primis literarum elementis perceptis à *Martino Gollo*, Decano *Aſchaffenburg.* Cognato ſuo *Erfordiam* miſſus cum ibi ſtudiis humanioribus aliquandiu incubuiſſet indè *Ingolſtadium* abiit, & nobiles aliquot adoleſcentes erudivit.

Monachii ludo poëtico præficitur. Hinc *Monachium* vocatus ludo poëtico præfectus fuit, in quo nobilium pueri inſtituebantur.

Friburgum abit. Sed cum animus ad majora reſpiceret, *Friburgum* conceſſit, & denuò nobiles aliquot privatim erudiendos ſuſcepit. Ibi *Florentii Hesleri* mercatoris filiam uxorem duxit. *Ducit uxorem.* Cupiebat ſcilicet eo in loco ſedem figere, publicamque aliquam profeſſionem obire: verum cum de *Lutheraniſmo* ſuſpectus & quibusdam inviſus eſſet; nihil tale impetrare potuit.

Baſileæ authores explicat. A. 1525. *Baſiléam* vocatus, Rhethoricæ Profeſſionem ſuſcepit, & *Ciceronem* cum *T. Livio* ac *Quintiliano* explanavit. Ibi cum in *Quintilianum* annotationes edidiſſet, Typographis gratiſſimus fuit. Tum etiam

Juſtini

Juſtini Hiſtoriam & *Prudentii* Carmen reſtituit, Ut verò id etiam in aliis Autoribus commodius faceret à *Ferdinando* tum Arch. *Auſtriæ* diploma impetravit, ad omnes Eccleſiar. ſuæ ditionis bibliothecas perſcrutandas: quod cum gnaviter præſtaret, incidit fortè in Codicem *Theodoſianum* à multis jam ſæculis deſideratum, quem primus edidit, & *Ferdinando*, ut ſe gratum declararet, inſcripſit.

Bibliothecas perſtrutatur.

A. 1530. Cum Theologorum contentiones invaleſcentes non per omnia approbaret, *Friburgum* rediit, tum primùm Juri Civili operã dare cœpit, & *Huldrico Zaſio* Præceptore uſus tantùm profecit ut 27. Nov. A. 1531. cum competitore *Joh. Fichardo* 19. annorum adoleſcente, *Friburgi* Doctoralia inſignia ſolenniter acceperit, & ſuâ facundiâ omnium in ſe ora converterit.

Redit Friburgum. *Dat operam Iuris ſtudio.* *Sichardus & Fichardus ſimul promoti.*

Jun. An. 1535. Cum hactenus *Friburgi* verſatus ob inveteratam invidiam quorundam ad profeſſionem publ. pervenire non potuiſſet, *Tubingam* accerſitus venit, ubi prælectio Codicis *Juſtinianei* ei demandata eſt, quam ad finem vitæ diligenter obivit, ſuâ contentus ſorte, licet A. 1537. *Noribergam*, ut ejus urbis Advocatum ageret, & 1548. à *Carolo V.* Imp. ut Aſſeſſorum Judicii Imp. *Spiræ* numero adderetur, invitatus eſſet.

Tubingæ jus profitetur.

Intereà ab *Ulrico* & *Chriſtophoro* Ducibus *Wirtenberg.* inter præcipuos Conſiliarios receptus eſt.

Fit à Conſilio Duc. Wirtenb. *Moritur.*

9. Sept. A. 1552. Placidè obivit, cum per 17. annos *Tubingæ* docuiſſet, & teſtamento condito 2000. aureorum in pios uſûs legâſſet, reliquum verò uxori & ſororis liberis, quia prole carebat, attribuiſſet.

Honorificè ſepultus fuit in Templo primario *S. Georgii Tubingæ*, lapidique ſepulchrali hoc diſtichon inſculptum:

Epitaphium.

Conditur hîc Juris vertex utrimque Sichardus,
O quantum claudit parvula terra Virum!

* *Ex Melch. Adami Vitis* JCtorum!

LAMBERTUS CANTERUS.

Obiit A. C. 1553.

GRœningæ *Friſiæ* urbe natus eſt A. 1513. parentibus honeſtiſſimis, quibus deundecim liberis hic ſolus hæres ſuper fuit.

Literas primas in patriâ cum percepiſſet, *Coloniam* primùm, deinde *Lovanium* miſſus non parvum exiguo tempore in ſtudio Juris profectum fecit.

Literis operam dat.

Deindè *Galliam* petiit, & A. 1538. æt. 25. *Aureliæ* Doctor creatus eſt. Paulò pòſt in patriam reverſus præter ſpem Senator à *Carolo V.* Imp. *Ultrajecti* creatus eſt, ob patris ſui erga Cæſarem merita, cui in rebus *Gröningenſibus* conſtruendis non levem operam navârat.

I. V. Doctor. Senator deſignatus à Carolo Cæſare.

Poſitis itaque tum *Ultrajecti* ſedibus A. 1540. & paulò pòſt uxore ductâ, quantum per negotia publica licuit domi philoſophiæ ſtudiis dedit operam, & linguæ Græcæ cognitionem ſatis exactam ætate jam provectâ ſibi comparavit.

Figit ſedem Ultrajecti. *Philoſophiæ dat operam.*

A. 1553. *Grönningam* profectus, ut matrem jam decrepitam inviſeret, in morbum incidit ex quo brevi obiit 27. Junii 1553.

Moritur.

Liberos reliquit *Guilielmum*, virum doctiſſimum, *Theodorum* & *Johannam* puellam.

Manibus ejus à filio *Guilielmo* juvene, undiquaque doctiſſimo poſitum eſt monumentum ejuſmodi:

Epitaphium.

D. M. S.

LAMBERTO CANTERO FRISIO GRUNINGENSI JURISCONS. CLARISS. PHILOSOPHO ET ORATORI PRÆSTANTI, CAROLI V. SENATORI RARO VIRTUTIS OMNIS EXEMPLO. SINGULARI PATRIÆ ORNAMENTO PARENTI MERITO LONGE CHARISSIMO, PIETATIS ET MEMORIÆ ERGO GUILIELMUS F. M. P. C. B. ANN. XL. MENS. III. OB ANN. AB O. R. CIↃ. IↃ. LIII. VII. KAL. SEXTIL.

* *Ex Melch. Adam. Vitis JCtor.*

JACOBUS STURMIUS.

Obiit A. C. 1553.

ARgentorati è nobili familiâ natus A. 1490. Patre *Martino Sturmio*, Matre *Otiliâ Schottâ*, Puer ſub *Wimphelingo* adeò feliciter profecit, ut æquales facilè ſuperaret omnes, hincque A. 1525. Reipublicæ patriæ Senator factus eſt.

Sturmiorum familia nobilis. *Reipubl. patriæ Senator.*

A. 1528. Cum *Argentorati* Religionis facta eſſet mutatio, & miſſa abrogata, ad Imperii Comitia à Republ. Legatus miſſus, factum id excuſavit.

Legatus ad Comitia.

A. 1529. Cum in Comitiis *Spirenſibus* Legati Evangelicorum à Conſeſſu, propter miſſam nuper abrogatam excluderentur, *Sturmius* intrepidè eâ de re eſt proteſtatus, atque ſui Magiſtratûs & Sociorum nomine dixit, quod ſi boni viri præter Imperii morem ad hunc modum loco moveantur, non eſſe, quod poſthac ab ipſis illa ſumtuum communicatio expectetur. A quâ proteſtatione proteſtantium nomen eſt ortum.

Proteſtantium nomen undè.

A. 1530. Cum *Matthiâ Pfarrero* ad Comitia *Auguſtana*, & A. 1536. ad *Henricum Angliæ* Regem Civitatum Germaniæ nomine Legatus miſſus eſt.

Legatus ad Angliæ Regem.

Schola A. 1538. *Jacobi Sturmii* Conſilio, Johannis verò *Sturmii* auxilio *Argentorati* aperta non parvum ſumſit incrementum, à *Petro Buſſlero* mercatore *Iſnenſi*, qui multos adoleſcentes eò miſſos ſumptibus ſuis ſuſtentavit, ut ſtudiis operam dantes aliquando prodeſſent Eccleſiæ, quique *Ambroſio Blaurero* A. 1548. ob interim rejectum *Conſtantiâ* depulſo, hoſpitium præbens *Iſnæ* prima Religionis ſinceræ fundamenta poſuit.

Scholam erigit.

Scholam verò à ſeſe erectam adeò dilexit, ut à Legationibus vix reverſus ad illam doctrinæ domum properârit, eidemque defunctus

defunctus magnam pecuniæ ſummam teſtamento legârit.

Argentinam Cæſari reconciliat. Orto bello *Smalcaldico* urbem *Argentorat.* Proteſtantium fœderi junctam Imp. *Carolo V.* reconciliavit, pacemque impetravit 1547. Cum *Matthiâ* verò *Pharrero* & *Marco Hugio*, *Johanni Sleidano* Scribendæ hiſtoriæ materiam ſuggeſſit.

Legationes 91. Obit. Moritur. Tandem cum Prætorem urbis Stadtmeiſter dictum aliquoties egiſſet, & Legationes 91. obiiſſet, 30. Oct. A. 1553. à duplici febre quartanâ extinctus eſt A. æt. 64. In cœlibatu vitam traduxit, & ante morbum, quo extinctus eſt, nunquàm ægrotavit. Funus ipſius elatum à tribus præceptoribus Claſſicis, & totidem miniſtris Reip. *Argent.* terræ mandatum eſt ad Prædicatores, ubi in Scholarcharum Conclavi tale legitur monumentum:

Cedite pictores, hinc blandi cedite vates:
Oratorq; tuo flumine conſtiteris:
Sturmius ut fuerat, non eſt imitabilis arte:
Talis & ingenio, talis & ore fuit.

Epitaphium. STURMIORUM GENTI, CUJUS ANTIQUITAS A RUDOLPHO HABSBURGIO ROMANORUM REGE, CONFIRMATA FUIT, PERPETUO NOBILITATIS OFFENBURGICÆ BENEFICIO: QUOD AB EO WERNHERUS STURM ACCEPIT: QUI ANNO M.D.LX. SENATOR ERAT. JACOBO ITEM STURM. ORNAMENTO MAJORUM, EXEMPLO NEPOTUM, ANNO CHRISTI MDXXIV. SENATORI XXV. XV. VIRO XXVI. XIII. VIRO, SÆPE PRÆTORI, XCI. AD COMITIA IMP. CONVENTUS PRINCIPUM, CIVITATIS LEGATO: QUIBUS LEGATIONIBUS AB URBE ABFUIT ANNOS PROPE NOVEM: QUI GRATIS MAJORUM EXEMPLO, PATRIÆ CONSULERE MALUIT, QUAM ELECTORUM, ET PRINCIPUM CONSILIIS, MAGNO SUO EMOLUMENTO PERFICI: CONSTITUTIS SUO CONSILIO SCHOLIS: AMPLIFICATA SUA PECUNIA BIBLIOTHECA: AUCTISQUE SUO TESTAMENTO SCHOLARUM FRUCTIBUS ANNUIS L. AUR. ARGEN. NATO ANNO CHRISTI M.CCCC. LXXXIX. MORTUO M.D.LIII. ÆT. LXIV. PLENO, AC X. AUGUSTI, HEBDOMADE XII. XXX. OCTOBRIS: OPTIMO CIVI: CLARISSIMO VIRO: CHARISSIMO FRATRI: FRIDERICUS ET PETRUS STURMIN. AMORIS, HONORIS, MEMORIÆ, EXEMPLI ERGO HANC TABULAM POSUERUNT.

JOHANNES STURMIUS F.
ARGENTOR. A. 1560.

Tres ei præter verecundiam eximiæ virtutes tributæ ſunt, *Orationis, Doctrinæ* & *Prudentiæ*.

Virtutes Sturmii. Hic R. Publ. Patr. ut Religionem Orthodoxam abſque ulla commotione civium amplexa ſit, perſuaſit, unâ cum *Matthiâ Pfarrero*, qui ob merita erga patriam ſepties Reipubl. Conſul, vulgò Ammeiſter dictus fuit electus, qualis honor nulli anteà contigit, obiit autem hic An. ætatis 84.

* *Ex Vitis JCtorum Melchoris Adami.*

SABBAS CASTILIONÆUS.

Obiit A.C. 1554.

ORtu *Mediolanenſis*, annis juvenilibus literis Græcis & Latinis excultus, inque Ordinem Equeſtrem militum *Hieroſolymitanorum* vel *Melitenſium* receptus Commendatoris poſteà functus eſt munere *Faventiæ* & *Meldolæ*. *Eques Hieroſolymitanus.*

Inter alias, quas coluit, virtutes, charitas erga pauperes emicuit, dum nullum unquàm pauperem ſine datâ eleemoſynâ dimiſit.

Faventiæ Scholam pro pueris pauperibus ex ſumptu proprio fundavit, eique reditus perpetuos ex bonis ſuis paternis aſſignavit. *Studioſorum patronus.* Bibliothecam libris optimis inſignem pro Studioſis Religionis *Hieroſolymitanæ*, & in uſum diſcipulorum Scholæ *Faventinæ* inſtituit.

Patrimonii ſui partem *Bononiæ* puellis pauperibus nubentibus in dotem quotannis diſtribuendam conſecravit. *Faventiæ* tandem eques hic Chriſtianus eruditus obiit A. C. 1554. ætatis 60. *Moritur.* In ſepulchro ejus hoc legitur Epitaphium:

D. O. M.

Epitaphium. PUTREDINI ET CORRUPTIONI RESURRECTIONIS UTINAM IN MELIUS.
SABBAS MEDIOL. EX GENT. CASTIL. FRATER, ET MILES HIEROSOLYMITANUS SOLITARIUS.
PARVO CONTENTUS ET SOLITARIUS SIC JACEO ANGUSTE,
QUALIS FUERIM NEC EGO SCIVI, NEC TU QUÆRAS.
QUISQUIS ES, SI PIUS ES, DEPRECARE DEUM PRO ME.
HOSPES SOSPES ABI, VALE, ET VIVE MEMOR LETHI.
VIVENS MORITURO MIHI POSUI.
MORTALIUM VITA, ORTUS, LABOR, ET MORS.
OBIIT ANNO SALUTIS DOMINI MDLIIII. MARTII.

Ingenii monumenta reliquit: *Scripta.*

Ammæſtramenti Matrimoniali.

Ricordi neceſſarii dal principio della vita civile fino al fine di quella con heroica è Chriſtiana dignità.

* *Ex Theatro Italico virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

CORNELIUS DUPLICIUS SCEPPERUS.

Obiit A.C. 1554.

NEoportuanus, aliis *Dunkercanus, Flander*, Eques, Hiſtoricus, Mathematicus inſignis. Hic cum nullis ſanguinis fortunæ avitæ dotibus clarus eſſet, omnibus tamen propemodùm Europæ populis innotuit. In Patriâ Grammaticorum regulis cognitis, Poëtarumque fabulis ac Rhetorum floſculis perceptis, *Pariſios* miſſus, ad Diale-

Dialecticorum argutias & arcana Phyſicæ inveſtiganda primus in promotione Univerſitatis evaſit.

Secretarius Regis Daniæ.

Domum reverſus, animum ad Rempublicam applicuit, ac *Chriſtierno* Regi *Daniæ* à ſecretis fuit. Deindè in patriam reverſus, *Carolo V.* Imperatori commendatus, Orator

Legatus Caſareus.

de rebus graviſſimis miſſus eſt, primùm quidem ad eundem *Daniæ* Regem, deindè ad *Sigismundum Poloniæ*, ad *Franciſcum Galliæ*, denique A. 1546. ad *Angliæ* Reges: bis etiam ad *Solymannum Turcarum* Imp. Regina

Conſiliarius Hungaricus.

Hungariæ Maria à Conſiliis eum eſſe ſibi voluit, & numero domeſticorum adſcripſit.

Senator in concilio Statûs Cæſ.

Demùm Cæſar in Concilium, quod Statûs dicitur, adlegit, ubi illuſtris & integri Senatoris nomen adeptus, illud illæſum, dum ſuperſtes fuit, conſervavit.

Moritur

Expiravit tandem *Antverpiæ* 28. April. A. C. 1554. ætatis 52. & tumulatus eſt in ſuâ *Eykenſi* ad *Scaldim* Toparchiâ.

Ingenii ſui monumenta reliquit:

Scripta.

Aſſertionum fidei Lib. VI. adversùs Aſtrologos.

Apologeticum pro jure ac defenſione Principis ſui Chriſtierni Daniæ Regis in Belgium profugi.

Hodœporicum Conſtantinopolitanum M. S. apud Dionyſ. Harduinum.

Orationes aliquot Quodlibeticas Lovanii habitas.

Elegiam in mortem Iſabellæ Regis Daniæ uxoris & Caroli V. Sororis, ad D. Petrum in Blandinio Gandavi ſepultæ, parieti aureis literis inſculptam.

Præfationem in Commentar. Johannis Calvetii Stellæ, de Aphrodiſio Africæ Urbe à Carolo V. Imp. expugnatâ.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A. C. 1554.

HIERONYMUS SCHURFFIUS.

NAtus eſt in *Helvetiæ* oppido *S. Galli* A. 1480.

Filius Medici.

Patrem habuit *Johannem* Medicum, Matrem *Bibracenſem*, Cognatam D. *Gregorio Lampartero*, Cancellario *Wirtenbergenſi*.

Juris ſtudium amplectitur.

Cum Grammaticam in patriâ puer didiciſſet, *Baſileam* miſſus Juris ſtudio ſe dedidit.

Deindè *Tubingam* à patre miſſus, ibi JCtos audivit *Ebingerum*, qui annos 53. jura docuit, *Joh. Lupffdich* A. 1518. defunctum, &

Ejus Præceptores.

Conradum Summerhardum Theologum.

Anno 1503. Cum non amplius anno in Academiâ *Wittenbergenſi* recens erectâ fuiſſet, ornatus eſt gradu Doctoris, & *Am-*

Doctoris gradu ornatur. Succedit Vollando.

broſio Vollando redeunti in patriam in munere legendi ſucceſſit.

Aliquantò pòſt Elector *Saxoniæ Fridericus* eum deliberationibus adhibuit, & in ſupremo judicio Ducum *Saxoniæ* locum ei tribuit. Sic apud tres Electores *Saxoniæ* vixit annos 42.

A. 1546. Propter bellum ex Academiâ *Wittenbergenſi* diſcedens, ab Electore *Brandenburgico* in Academiam *Francofurdianam* vocatus eſt, ubi annos ſeptem in magnâ auditorum frequentiâ Jura docuit.

Francofurtum vocatur.

Accerſitus autem & ab Imp. *Carolo V.* ut inter Judices ſummi Judicii in Imperio *Germanico* locum haberet, excuſatione ſenectæ uſus eſt.

Et à Carolo ad Imperii Judicium.

A. 1554. 6. Junii ætatis a. 74. in ſummâ filii DEI fiduciâ ex hâc vitâ migravit, *Francofurti ad Viadrum* in Templo parochiali ſepultus, ubi Epitaphium legitur ejus ſequens:

Epitaphium.

HIERONYMUS SCHURFFIUS J. U. D. DECESSIT ANNO M. D. LIV. CUM VIXISSET ANNOS LXXIII. ET ALIQUOT MENSES, ET INTERPRETATUS ESSET LEGES ANNOS L.

Cum *Lutherus* concionari *Wittenbergæ* cœpiſſet, ſtudioſè eum audivit, deindè & ſcripta legit, ejuſque doctrinam amplexus, ut fratrem eum dilexit.

A. 1521. In conventu *Wormatienſi* cum *Lutherum* audirent Imp. *Carolus* & Senatus Imperii, ipſe dicenti adſuit, palàm cum eo deliberavit, & oſtendit, ſe ejus doctrinam amplecti.

A. 1525. Sedatis tumultibus in Imperio *Rom.* à *Monetario* & *Pelargo* excitatis, Elector *Saxoniæ Johannes* Eccleſiar. in ripâ *Salæ* inſpectionem ipſi demandavit.

Certamina de fidei doctrinâ cum principibus viris ei ſæpe fuerunt, quorum aliquos flexit ad doctrinæ ſtudium, aliquos ad moderationem.

Cum uxore, ſummâ concordiâ vixit annos amplius 40. Ex eâ ſuperſtites reliquit filium & filiam, quæ vidui patris œconomiam vidua gubernavit.

Poſteritati reliquit *Conſilia*, quorum lectio inprimis utilis eſt ad diſcernendas emtiones ab Uſurarum pactionibus. Unde apparet acerrimum eum fuiſſe Uſurarum hoſtem.

* *Ex Vitis JCtorum Melch. Adami.*

JOHANNES MYLÆUS.

NAtus in Niederulm/ *Moguntinæ* diœceſeos oppido.

Patre *Petro Mylæo*, ejuſdem loci Præfecto.

Puer domi inſtitutus ad vicinas Academias *Moguntinam* & *Heidelbergenſem* profectus, in ſtudiorum curſu ſæpè fuit impeditus.

Admodùm igitur juvenis *Spiram* vocatus, ludum ibi literarium aperuit, & annos multos juventutem cum laude docuit.

Spiræ ludo præficitur.

An. 1550. *Ferrariæ* Doctor ſolenniter creatus.

Doctor Juris.

Heidelbergæ poſteà in numerum Juris Profeſſorum cooptatus eſt.

Heidelbergæ docet.

Ibi mortuus eſt 15. Aug. A. 1554.

Moritur.

Filium reliquit *Joh. Philippum Mylæum*, Eccleſiæ *Heidelbergenſis* ſeniorem, qui

annos amplius 50. in miniſterio ſacro verſatus eſt.

* *Ex Melchioris Adami vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1555.

DANIEL STIBARUS A RABENECK.

NAtus eſt patre in *Franciâ* nobilitate viro laudato A. 1503.

Patre mortuo, quod copioſam ſobolem reliquiſſet, *Daniel* hic in literarum ſtudiis educatus eſt &

Literis operam dat.

Erfordia. A. 1518. *Erfordiam* miſſus eſt ad *Georgium Petrum Vorbentium*, Magiſtrum bonarum artium celeberrimum, quò etiam tunc temporis *Lipſiâ* venerat *Joachimus Camerarius*, cum quo familiariſſimè vixit. Ibi ardens cupiditate diſcendi, nihil non moleſtiæ ſubiit, ut aliquâ literarum copiâ inſtrueretur.

Cum autem adſcitus fuiſſet in Collegium Eccleſiaſticum, ſive canonicorum, ut ad gubernationis publicæ ſpem doctrinâ neceſſariâ inſtrueretur, tandem deſtitutus auxilio omni, in portum deduxit navim conditionis ſuæ.

Italiam Galliam & Belgium peregrat. Deindè per *Italiam*, *Galliam*, & *Belgium* peregrinatus, & apud *Eraſmum Roterodamum* diu commoratus, qui & ſingulari ipſum benevolentiâ complexus eſt, domum rediit, & *Wirceburgi* ita Rempublicam & commoda patriæ curavit, ut non dubitârit objectu corporis ſui pro ſalute civium ſuorum pugnare, cum *Albertus Marchio Brandeb.* hoſtilibus armis omnia vaſtaret A. 1552.

Moritur. 7. Aug. 1555. æt. 52. Ex paralyſi lateris vitam clauſit, cum in graviſſ. Reip. negotiis annis amplius 20. ſummâ fide verſatus eſſet, & multis legationibus perfunctus. Tumulatus *Wirceburgi* in ſummo Templo, ac ejuſmodi honoratus monumento:

Conditur hic Daniel Stibarus vir magnus in urna,
Quem meritò ſequitur gloria, fama, decus.

D. O. M. S.

Epitaphium. D. DANIELI STIBARO A RABENECK, HUJUS ÆDIS AC ALIARUM ALIQUOT CANON. ET PRÆPOS. EQV. ORD. VIRO PIETATE, ERUDITIONE, RERUM EXPERIENTIA, OMNIQUE ADEO VIRTUTUM GENERE, NON PRIVATIS TANTUM ET SUIS, SED SUMMI ORD. PRINCIPIBUS ETIAM EXTERIS PROBATISS. NEC NON LITERATORUM AC BONORUM OMNIUM FAUTORI PATRONOQUE SINGULARI, QUI IN GRAVISS. REIP. NEGOTIIS ANNIS AMPLIUS XX. SUMMA FIDE ET INTEGRITATE VERSATUS, ITA UT SALUTARI EJUS CONSILIO MULTOTIES ADJUTAM HÆC PATRIA PERSENSERIT, PRO CUJUS SALUTE, BELLO, TURBULENTISS. TEMPORIBUS NECESSARIO LEGATIONIS MUNERE PERFUNCTUS, DEFICIENTIBUS IN ITINERE VIRIBUS BREVI POST TEMPORE, NON SINE MAGNO MULTORUM, AC OPT. CUJUSQUE MOERORE SUCCUBUIT.

VIXIT ANNOS PLUS MINUS LII.
EXECUT. TEST. F. CC.
ANNO M.D.LV.

Memoriam pietatis, virtutis & doctrinæ ſempiternam, pecuniæ verò parvum quiddam reliquit, & in rebus difficilibus dicere ſolitus eſt: *Quid ad me? cras diſcedam.*

Petrum Lotichium ut alter Mecœnas liberaliter fovit, hunc enim propinquis ſuis præfecit Præceptorem, & in *Galliam* ablegavit, ubi quadriennio exacto in patriam reverſum & *Italiam* viſere geſtientem liberali viatico inſtruxit.

Flor. A.C. 1556.

MARTINUS AMELIUS.

Amel. vernaculè Achtsnit.

NAtus *Friburgi Briſgoiæ* An. 1526. 30. Octob. *Patre Georgio* Achtsnit / qui multis annis in Academiâ *Friburgenſi* cum laude Jura profeſſus eſt, & primus familiæ ſuæ cognomen antiquum mutavit, ac Græco ſenſu *Amelium* ſe, ſive minimè curioſum appellavit.

A patre in omni literarum genere inſtitutum adoleſcentem Marchiones *Badenſes*, vocaruntâ, & *Pfortzhemii* cum *Oſwaldo Gut* Cancellario res ſuo nomine adminiſtrare juſſerunt.

Vocatur à March. Badenſ.

An. 1553. *Viennam* ad *Ferdinandum* Regem miſſus, ab eodem Nobilium numero adſcriptus & privilegiis ornatus eſt.

Ad Ferdinandum Regem miſſus.

Viennenſis dein quoque Academia eum Juris Doctorem renuntiavit.

Juris Doctor.

Iſtis honoribus auctus, & legatione feliciter expeditâ, cum domum rediiſſet, [illegible] ſtatim Anno 1554. poſt *Oſwaldi Gut* obitum, Cancellarius declaratus, eam provinciam magnâ prudentiâ adminiſtravit, & inprimis in Eccleſiarum Reformatione ſtrenuam operam præſtitit A. 1556.

Cancellarius Badenſis

Eccleſiarum reformationem juvat.

Architectonicâ plurimùm delectatus, *Carolo* Marchioni auctor fuit, ut ditionem multis ædificiis exornârit. Ipſe verò *Pfortzhemii* ædes extruxit egregias, & haud procul ab oppido ad amnem novam Arcem multis privilegiis munitam à fundamentis excitavit, cui *Nieſernburg* nomen dedit, ut eſſet Senectæ domicilium.

Architectonica delectatur.

Ipſo quoque ſuadente *Carolus* Marchio *Badenſis* aliquot adoleſcentes ſtudioſos in Academiâ *Baſil.* liberaliter aluit, qui aliquando omni literarum genere inſtructi Eccleſiis aut Scholas Marchionatûs præfici utiliter poſſent.

Staturâ fuit juſtâ & liberali formâ, omnium horarum homo; omnibus ſe dedit humaniter, Reipublicæque commoda curavit fideliter.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtor.*

MARIANUS SOCINUS, JUNIOR.

Obiit A.C. 1556.

S*Enenſis* Juriſconſultus clariſſimus fuit, cujus Scripta teſtantur, quanto ingenio quantâque doctrinâ [illegible]. Docuit

Piſis

Juris Profeſſor Piſis, Senis, Patavii & Bononiæ. *Piſis*, *Senis*, deindè *Patavii* multos annos: poſtremò *Bononiam* evocatus, ibi ſummâ cum laude ſemper eſt profeſſus in magnâ auditorum frequentiâ.

Moritur. Obiit tandem *Bononiæ* 10. Augusti A. C. 1556. ætatis 75.

Scripſit:

Scripta. *Tria magna Conſiliorum Volumina.*

Commentaria, quæ in celebrioribus Italiæ Gymnaſiis leguntur,

* *Ex Promptuar. Iconum inſigniorum Part. II. Guil. Rovillii.*

* * * *

Marianus Socinus, junior, *Mariani* ſenioris nepos, *Patavii* A. C. 1530. *Franciſco Sfondrato* ſucceſſit. Indè *Bononiam* accitus, ſummâ cum laude ibi multos annos profeſſus eſt. Ejus Scripta in multas *Pandectarum* partes leguntur, & in 4. veſpertinas materias in celeberrimis *Italiæ* Gymnaſiis pertractatas.

* *Ex Gymnaſii Patav. deſcriptione ab Ant. Riccobono editâ.*

Obiit A. C. 1557.

LAMBERTUS BRIARDUS.

DUnkerkanus *Flander*, 14. fratrum natu minimus. Vir ſummâ præditus eruditione, prudentiâ, & experientiâ: Eques auratus. Primùm Magiſter Libellorum ſupplicum Concilii *Machlinienſis*, deindè ejuſdem quoque Præſes. *Carolo V.* Imp. chariſſimus, cujus ferè omnibus Conſiliis interfuit, & annos ferè 30. magno iſti Concilio cum laude præfuit. Exceſſit vivis *Machliniæ* 10. Oct. A. C. 1557. Sepultus in *D. Johannis*.

Præſes Concilii Machlinienſis.

Conſiliarius Imperatoris Caroli V.

Reliquit poſteritati:

Scripta. *Tractatum Flandricum*, quo docetur, *quomodo ſecundum Jus ſcriptum procedatur in actionibus perſonalibus, realibus, mixtis, criminalibus, & beneficialibus, tùm in ſupremâ Curiâ Parlamenti Pariſienſis, aliisque omnibus Provincialibus Tribunalibus, quàm Parlamento Machlinienſi, Cancellariâ Brabantiæ, Concilio Flandriæ, aliisque Belgii Curiis Juridicis.*

Opus Conſiliorum, ſive Reſponſorum Juris de materiâ Appellationis.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A. C. 1557.

GREGORIUS PONTANUS.

NAtus eſt in oppido *Wittebergæ* vicino *Bruck* A. 1486. Ubi Pater diu præcipuũ Magiſtratum geſſit, poſteà verò *Wittebergæ* habitare maluit, ut eſſet aſſiduus auditor *Lutheri*: & cum rem amplam haberet, tribus filiis ita ſtudia diſtribuit, ut primum vellet verſari in doctrinâ Eccleſiæ, alterũ in Jure, tertium in arte Medicâ: ſed duobus extinctis, *Gregorius* hic, qui Jura didicit, ſuperſtes fuit.

Pater auditor Lutheri.

Filius literis operam dat Francofurti. Hic primùm in Academiâ *Francofurdianâ D. Planckenbergium*, Eloquentiæ Profeſſorem, audivit. Deindè famâ *Henningi à Goeden* I. C. motus, *Wittenbergam* venit, qui admiſit eum in familiaritatem: audivit etiam ibi *Hieronymum Schurffium*.

Cum itaque propter eruditionem & eloquentiam paſſim innotuiſſet, *Fridericus Saxoniæ* Elector in aulam eum vocavit, & Cancellarii munus ei commendavit. *Cancellarius Electoris Saxoniæ.*

An. 1520. Cum Electore ſuo *Coloniam Agripp.* profectus, interfuit Colloquio Ducis *Friderici* & *Eraſmi Roterodami* ſuper causâ *Lutheri*. *Colonienſi intereſt colloquio.*

A. 1521. *Wormatiæ* cum de maximis rebus Dux *Fridericus* cum *Mercurino* ſæpè deliberaret, multa cum *Pontano* idem *Mercurinus* familiariter locutus eſt de voluntate Cæſaris à crudelitate alieni. *& Wormatiæ in Comitiis.*

Ibidem quoque *Lutherum* probè inſtruxit, ne quid vel ipſe offenderet, vel ab adverſario *Eccio* I. C. circumveniretur.

A. 1530. In Comitiis *Auguſtanis* res præcipuas ita rexit, ut ſapientiam ejus & fidem probârint Elector *Johannes* & cœteri Principes Proteſtantes, 25. Junii ibidem *Confeſſionem Auguſtanam* Imp. *Carolo V.* à Principibus Proteſtantibus exhibitam altâ voce legit in palatio Cæſaris. *Ut & Auguſtæ Vindelicorum.*

A. 1546. Gliſcente bello *Germaniæ* toti funeſto, armorum autor nunquàm voluit eſſe.

Tandem cum vires corporis ætate magis quàm morbo defeciſſent, placidè deceſſit *Jenæ Turingorum* 20. Febr. An. 1557. æt. 71. Cum prius 19. Martii Anno C. 1548. Ejus Conſilio *Joh. Fridericus II.* & *Joh. Wilhelmus* Duces *Saxoniæ* fratres Gymnaſium *Jenæ* fundâſſent & præſentes inaugurâſſent. *Moritur.*

In quod oppidum *Pontanus* aulicæ vitæ pertæſus tunc ſe contulit.

Filios reliquit *Gregorium* & *Chriſtianum*, quorum ille Senator fuit *Wittenbergæ*, & patrem eodem anno M. Dec. ſecutus eſt; hic Legum Doctor benè etiam de Rep. illâ meritus.

Ingenium ei fuit doctrinæ capax & avidum, circumſpectio ſingularis, Juris publici & privatæ doctrinæ adjunxit cognitionem Scriptorum Prophetarum & Apoſtolorum. Ad hanc inſuper rerum doctrinam accedebat divinitùs donata non ſolùm profluens ſermonis copia, ſed etiam in verbis ſplendor, vox grandis & virilis, quæ etiam in magno exercitu exaudiri poſſet. In privatis colloquiis eruditorum nihil eo dulcius erat, nec enim deerat ei lepos in ſermonibus hilarioribus. Expugnari ſe præterea pecuniâ non paſſus eſt, ſæpiùsque veterem recitavit verſum: *Mores & Doctrina Pontani.*

Nemo poteſt Dominis rectè ſervire duobus.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtor. & aliis.*

Obiit A. C. 1557.

PETRUS REBUFFUS.

CEleberrimus Jurium Doctor & Comes memoriam ſui ita nobis commendavit, ut nemo non ejus nomen ſummâ cum laude celebret. Natus eſt circa A. C. 1500.

1500. in loco de *Ballanicis*, non procul à *Montepeſſulo*, ex clarâ familiâ. Docuit celebriter in civitate *Pictavienſi*, & poſteà *Lutetiæ* profeſſus eſt Jus Canonicum à Senatu ſupremo ferè coactus circa A. C. 1533.

Juris Profeſſor Pictavii & Lutetiæ. Advocatus Pariſienſis.

Abhinc in ſupremo illo Senatu Cauſas forenſes, quàmdiu vixit, cum docendo tum ſcribendo & conſulendo exercuit.

Fuit mitis caſtus, ſobrius, pauperum amator, fidei Catholicæ religioſus obſervator, & ita ſtudiis addictus, ut ſexagenarius literas Hebraicas & Græcas ediſcere voluerit. Scripſit multa egregia opera in Jus Civile & Canonicum. Obiit tandem febre correptus 2. Nov. A. C. 1557.

Sexagenarius literas Hebraicas & Græcas diſcere voluit.

* *Ex Promptuarii Iconum inſigniorum Part. II. Guil. Rovillii.*

BARTHOLOMÆUS BLAURERUS.

Clar. A. C. 1558.

Conſtantiâ-*Suevus*, in *Salanam* venit circa A. C. 1558. inter Academicos Aulicosque Proceres ſtatim cooptatus, *Spiræ* tandem, ubi in ſupremo Imperii *Romani* Judicio & Areopago locum invenit honoratiſſimum, conſenuit gente & mente Nobilis I. C. Celebrisque *aureolo* illo *commentario ad L. L. diffamarii.*

Jenam venit. Spiram venit.

* *Ex Nomenc. Prof. Jur. Jenenſ. Adr. Bejeri*, qui ſeq. cum honorat verſibus:

Bartholomæus adeſt Blaurerus, Bartolus alter,
Et Baldus, noſtræ portio magna Scholæ.
Huic cunas nato ſtruxit Conſtantia: ſpartam
Jena dedit: claraq; Spira rogum.

WOLFFGANGUS BOSCHIUS.

Obiit A. C. 1558.

Inter 18 liberos primogenitus hic editus in lucem eſt *Dunckelſpuelæ*, 24. Februarii A. 1500. quam *Zeapolim* Græcè non ineptè dixeris, Imperii antiquo ad amnem *Wervicium* oppido, quod ex villâ primùm vicus, ex vico oppidum factum, tot dicitur ſtagna & piſcinas habere, quot annus dies. Patre cognomine, Matre *Annâ*, ex nobili *Fuchsbartorum* familiâ *Ambroſii* Conſulis *Dunckelſpuel* filiâ.

Dünckelſpuela oppidum.

Legum ſtudiis eruditus (*Biturigibus* enim in *Gallia* Juris Doctor creatus erat) cum fama nominis ejus ad *Bavariæ* Duces emanâſſet, *Alberto* Duci primùm ephorus datus eſt. Quo in officio ita verſatus eſt, ut poſteà dignus habitus fuerit, qui non ſolùm in Conſiliariorum numerum cooptaretur, ſed etiam Cancellariatûs dignitate ornaretur.

Jur Doctor. Cancellarius Bavaricus.

Hoc in munere ad finem vitæ vixit, quem fecit *Straubingæ Bavariæ* oppido A. 1558. æt. 58. Sepultus ibidem cum monumento.

Moritur.

Linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, *Gallicæ* & *Italicæ* peritus fuit.

Linguarum peritus.

Nuptias celebravit cum *Margaretâ*, *Petri Burckhardi*, Med. D. *Ingolſtadienſis* filiâ, & viduâ *Wolffgangi Offelini* Med. D. *Wembdingenſis* & Archiatri *Ludovici* Ducis *Bavariæ*.

Liberos reliquit nullos, ſed Bibliothecam libris inſtructam, quam ex teſtamento nob. Viri *Marquardi Freheri*, Med. Doct. cognati ſui acceperat. Mater enim *D. Boſchii* Soror fuit unica *D. Marq. Freheri*.

Fratrem habuit *Leonhardum* Juris Doct. qui præmaturè A. æt. 23. obiit.

Scripſit *Annotationes in Ptolomæum.*

Scripta.

* *Ex Vitis Melch. Adami JCtorum*, & *aliis.*

THEODORUS BRANDUS.

Obiit A. C. 1558.

Baſileæ natus eſt. A. 1488. Patre *Bernhardo* Senatore.

In Scholâ patriâ tantam ſibi Latini Sermonis copiam comparavit, ut & autores intelligeret, & cum aliis Latinè colloqui poſſet.

Literis operam dat.

Deindè patris artificium, Chirurgiam & artem tonſoriam, didicit.

Chirurgiam diſcit.

Indè *Helvetiorum* caſtra ſecutus A. 1513 prœlio *Navarrenſi* memorabili interfuit, & ſuæ virtutis præclara ſpecimina edidit.

In patriam reverſus, *Huldrici Kœſini* Senatoris filiam uxorem duxit.

Uxorem ducit.

Cum intereà pater mortuus eſſet, in Senatum ejus loco cooptatus, talem prudentiam & facundiam ſibi comparavit, ut hinc indè Urbis nomine ad *Helvetiorum* Comitia & Principes vicinos aliquoties Legatus iverit.

Senator. Legatus.

A. 1529. Cum religione *Baſileæ* mutatâ omnia ad ſeditionem ſpectare viderentur, ſuis privatis & publicis admonitionibus obtinuit, ut Cives Magiſtratûs conſiliis acquieverint. Deindè Scholarcha, quem Deputatum vocant, conſtitutus, autor fuit, ut Academia inſtauraretur, & viris doctis exornaretur.

Cives coërcet. Autor inſtaurationis Academicæ.

An. 1534. Tribunus plebis invitus electus, eam functionem fideliter geſſit.

Tribunus plebis.

A. 1544. Conſul, qui ſummus *Baſileæ* Magiſtratus, eſt creatus.

Conſul.

A. 1547. Cum Principi *Chriſtophoro Wirtenbergico* ex Conjuge *Annâ Mariâ Brandenburg. Baſileæ* filia fuiſſet nata, Conſul hic *Brandus* eam Senatûs *Baſil.* nomine ex ſacro fonte, unà cum Comitiſsâ *Rappolſteiniâ* levavit, & puellæ nomen *Hedwigis* datum, quæ poſteà *Ludovico Cattorum* Principi nupſit.

Calculo cum fuiſſet obnoxius, eo confectus, tandem in verâ fidei confeſſione fuit extinctus 4. Octob. A. 1558. ætatis 70.

Moritur.

Exuviæ corporis in Urbe minori, quâ natus eſt & ſemper habitavit, in Templo Parochiali *S. Theodori* honorificè terræ mandatæ ſunt, cum hac monumenti inſcriptione:

J. Chr.

Epitaphium. J. CHR. D. S.
THEODORO BRANDO, QUEM PRUDENTIA, USUS RERUM MAG. PIETAS, ET CUM SINGULARI HUMANITATE GRAVITAS PRISCIS ILLUSTRIBUSQUE VIRIS PAREM FECERUNT: QUINQUIES TR. PL. SEPTIES COS. P. P. QUO MAJORUM VIRTUS PRÆLUCERET POSTERIS PATRI OPTUMO BERNHARDUS BR. F. MOERENS POS. IN COELUM UBI REIP. PUS RECTORIBUS PARATUS EST CLARISS. LOCUS CONCESSIT IIII. NON. OCTOBR. AN. CHRISTI M. D. LVIII. ÆTATIS SUÆ LXX.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

Obiit A.C. 1558

ANDREAS TIRAQUELLUS.

EX urbe *Fontenajo* agri *Pictavienſis*, quam *Fontem Najadum Rupinus* ingenioſè vocavit, claris & nobilibus Parentibus ortus eſt. Juriſconſultus eximius primùm apud ſuos Præturam exercuit, indeque præſtantis eruditionis famâ in Senatum Curiæ *Pariſienſis* à Rege *Henrico II.* allectus, hoc munere laborioſo ad extremam usque ſenectutem perfunctus eſt. *Prætor Fontenaji. Senator Regius Pariſienſis.*

Mirum autem eſt, quod vir hic in ſtudiis forenſibus aſſiduè occupatus tantum otii nanciſci potuerit, ut tot lucubrationes non Juris modò ſcientiâ, ſed omni diſciplinarum genere refertas meditari non deſierit.

Abſtemius enim cum eſſet, & 30. liberorum ex honeſtâ uxore ſuſceptorum parens totidem librorum author fuit, & ſingulis annis ſingulos libros & liberos Reipublicæ dedit, teſte *Thuano*. *30. Liberorum Parens & 30. Librorum auctor.*

Michaël Hoſpitalius, ejus in Senatu *Pariſienſi* Collega, Scripta ab eo edita ſplendido Poëmate commendavit.

Hæc autem indefeſſa corporis ingeniique fœcunditas ex eo maximè oriebatur, quod ſive ita eſſet à naturâ comparatus, ſive à literarũ ſtudiis inſtitutus, animo ſemper placido & ſereno tranquillitatem quandam ac benignam veluti temperiem in omni vitâ conſtanter retineret, nec temerè aut irâ aut quavis aliâ graviori perturbatione videretur commoveri.

Undè & illi vitæ longævitas ea contigit, cujus beneficio natos quoque veſtigia ſua ingreſſos, publicisque muneribus honoratè fungentes ante obitum ipſe conſpiceret. Obiit enim planè ſenex haud multùm antè, quàm inter *Henricum II.* & *Philippum Hiſp.* Regem poſt varias bellor. offenſiones de pace per utriusque Legatos ageretur, 23. Dec. A.C. 1558. *Lutetiæ*. *Filios aliquot vidit veſtigia ſua ingreſſos.*

Caſp. Cunradus Med. D. hoc ei ſcripſit diſtichon *in Millenar. III. Proſopograph. melicæ*:

Liberi & libri bis quindeno ordine nati.
Dic me fœcundo nonne parente cluunt?

Edidit:

Scripta. *Tractat. de Jure conſtituti poſſeſſorii, de Verborum ſignificatione, de Pœnis Legum temperandis aut remittendis, de Privilegiis piæ cauſæ, de Præſcriptionibus, de revocandis Donationibus.*

Ex Comment. in Pictonum Conſuetudines Sectionem de Legibus Connubialibus & Jure maritali.

Semeſtria in Libros VI. Genialium dierum Alex. ab Alexandro I. C. Neapol.

De utroque Retractu Municipali & Conventionali Comment. II.

Opus de Nobilitate, & Jure Primogenitorum, in cujus Cap. 31. hæc argumenta Medica fusè tractantur, an Ars Medicinæ Nobilitati deroget? Sancti qui Medici, aut Medicinâ uſi: Reges & Imperatores, Summi Pontifices, Poëtæ & Philoſophi Medici: Medicamentorum ſecundùm omnes qualitates vires alphabeti ordine: Medicorum per alphabetum Nomenclatura: Veterinarii Medici: Fœminæ Medicæ: Quæ contra Medicos dici ſolent aut poſſunt: An Agricultura Nobilitati deroget?

* *Ex Elogiis Gallor. doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani, & ex Theatro Italico virorum eruditorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1558.

JOHANNES FERRARIUS.

IN *Haſſiâ* natus eſt *Amelloburgi*, oppido Diœceſis *Moguntinenſis* ad primum *Marpurgo* lapidem diſtante.

E patriâ Scholâ *Monaſterium Weſtphalorum* in ludum tunc famoſum ſe contulit, inter alios *Conradum Heſſum* nactus condiſcipulum. *Conradi Heſſi condiſcipulus.*

Exindè in Academiam *Wittenbergenſem* abiit, ibi *Poëma Heroicum*, quod de vitâ *D. Eliſabethæ* domûs *Germ. Marpurgi* fundatricis conſcripſerat, pro pretio enarravit, & in Collegio novo *Gellii Noctes Atticas* ſtudioſis exercitii gratiâ explicuit. *Wittebergæ literis operam dat docens.*

Deindè ad S. Theologiæ ſtudium animum appulit, in quo cum aliquandiu verſatus eſſet, pro baccalaureatu in Theologiâ, cum jam Magiſter artium eſſet, reſpondit, Græca pariter non neglexit. *Theologiam amplectitur.*

In medicinæ quoque ſtudio ita verſatus eſt, ut Licentiatus Medicinæ publicè ſit renuntiatus. *Medicinæ Licentiatus.*

Poſteà Rector Scholæ *Wittenbergenſis* deſignatus, illi cum laude præfuit usque ad A. 1523. quo propter *Anabaptiſtarum* turbas *Marpurgum* reverſus, ibi viduam honeſtam, à *Dornbergero* cive opulento relictam uxorem, duxit, ex quâ duas filias ſuſtulit, quarum unam *Juſto Studæo*, Juris Profeſſori, elocavit. *Rector Scholæ Wittebergenſis. Uxorem ducit.*

Paulò pòſt *Marpurgi* in ordinem Senatorum accitus, cœpit ſuo Marte verſari ſedulò in libris JCtorum, & cum A. 1526. *Philippus Haſſiæ* Landgravius *Marpurgi* novam Academiam inſtituiſſet, in eâ per Cancellarium *Ficinum* Juris Profeſſor deſignatus eſt, Inſtitutiones primùm docens, in quas Commentaria conſcripſit. *Senator Marpurgenſis. Juris Profeſſor.*

Poſteà Doctoris Inſignia primus *Marpurgi* accepit, & Principis autoritate Vice- *Doctor Juris.*

Vice-Cancellarius. Cancellarius declaratus eſt, cum *Ficinus* negotiis nimiis diſtrictus eſſet, cum quo & *Joh. Tennero* Oeconomo bona Scholæ fideliter adminiſtravit ad extremam fati ſui horam.

Primus Academiæ Marpurgenſis Rector. A. 1527. Primus Academiæ *Marpurgenſis* Rector in dicaſterio Principis deſignatus eſt, præſentibus unà cum Vice-Cancellario *Ficino* Profeſſoribus novis, *Franciſco Lamperto*, *Avinionenſi* Theologo, *M. Adamo* Krafft/Theol. *Euricio Cordo* Medico, *Hermanno Buſchio*, Poëta, & *Sebaſtiano Auguſto Nuceno, Flandro*, Hebræo Profeſſore.

Moritur. Tandem 25. Junii A. 1558. placidè DEO Spiritum reddidit, ſepulchro verò ejus Epitaphium additum eſt ſequens:

Epitaphium.

Quis cubat hîc poſitus? Vicecancellarius hujus
Gymnaſii Marpurgenſis Ferrarius, Artis
Juridicæ ſummus Doctor, Legumque Profeſſor.
Chriſto animam miſit, corpus ſub marmore clauſum.

Dudùm verò mortem meditatum eſſe apparet ex eo, quod anno uno ante mortem, cum funus quoddam deduceretur, ad eum, cui latus claudebat, dixit: *Debemur omnes morti, hoc duntaxat differimus, quod alter alterum pari calceorum, quod atterat, vincit:* Einer zerreiſt ein paar Schuh mehr. Ultra 200. aureos, partim pauperibus civibus partim Noſodochiis *Marpurg.* liberaliter contulit & donavit.

Magna inſuper in eodem fuit animi conſtantia, ingens juſtitiæ amor: laborum tolerantiſſimus, perpetuò ſcilicet occupatus cauſis audiendis, conſiliis dandis, & actionibus diſcutiendis.

Scripta. Scripſit præter *Annotationes in inſtitutiones*, *& commentarium de appellationibus*, *ſupplicandi uſu, reſtitutione adversùs rem judicatam.*

Commentarium integrum ad titulum Pandect. de regulis juris, ac in feuda.

Enchiridion de judiciorum præexercitamentis.

Commentar. De republicâ benè inſtituendâ.

Vitam D. Eliſabethæ carmine deſcriptam.

* *Ex Melch. Adamo de Vitis JCtorum & aliis.*

FRANCISCUS DUARENUS.

Obiit A.C. 1559.

PRimus *Gallorum* è *Brioci* ſano ad *Armoricum* Oceanum genere nobili ortus, exploſis Barbarorum gloſſematis, limpidos veterum Juriſconſultorum fontes juventuti aperuit, tum vivâ voce, dum apud *Bituriges* magno nationum omnium concurſu publicè per multos annos profiteretur, tum Scriptis, quibus etiamnum ſibi ipſi ſuperſtes immortali eruditionis & eloquentiæ laude commendatur. Hauſerat enim à *Guilielmi Budæi* familiaritate paucis adhùc uſitatam *Romanæ* antiquitatis & Græcæ linguæ notitiam, cum ejus liberis ipſe viciſſim Civile Jus adoleſcens interpretaretur.

Juris Profeſſor Bituricenſis.

Guilielmo Budæo familiaris.

Advocatus in Curiâ Pariſienſi. Totum triennium in supremâ *Lutetiæ* Curiâ verſatus, quæſitam in umbrâ & otio Juriſprudentiam uſu & exercitatione forenſi abundè confirmavit. His præſidiis ornatus, ad publicam Juris Profeſſionem accedebat longè paratior & inſtructior.

Æmulum habuit Eguinarium Baronem. Florebat in eâdem Scholâ *Eguinarius Baro*, in iis quoque numerandus, qui primi bonarum artium lumine civilem diſciplinam illuſtraverunt: non obſcurâ *Duareni* æmulatione, qui cum omnem hujus inſtituti gloriam ambitiosè affectaret, hominum opinioni de *Baronis* doctrinâ conceptæ nonnihil detrahere conatus eſt, editâ in eum de Juriſdictione & Imperio Apologiâ malevoli animi teſte impoſterùm futurâ, niſi humanarum rerum memor in extincti poſt aliquot annos Collegæ & popularis ſui pios manes poſito ſuâ pecuniâ in ejus honorem monumento placaviſſet.

Memoria debilis. Erat autem *Duarenus* acerrimo quidem præditus judicio, ſed memoriâ minus felici, nec unquam niſi ex ſcripto prælegebat: quo factum eſt, ut in *Germanico* itinere, cum paſſim à Viris doctis ad prælegendum provocaretur, nec eorum deſideriis obtemperaret, à nonnullis rerum imperitis & iniquè judicantibus habitus ſit indoctior.

In poſtulatis ſuis Eccleſiarum Gallicarum ſe pro comperto habere ſcripſit, quod intra triennium ex *Galliæ* Regno *Romam* devenerint 28. tonnæ auri, ex hoc tempore vacantibus 20. Epiſcopatibus, & 73. Abbatiis, Prioratibus, Decanatibus, Præpoſituris, aliiſque Beneficiis.

Cælebs obiit. Vixit cœlebs ad 50. ætatis annum, quem nec attigerat, cum ex diuturnâ quartanæ tabe *Biturigibus Avaricum* vitam amiſit ſub id tempus, quo *Henricus II. Galliæ* Rex lanceâ percuſſus *Lutetiæ* inter ſpectacula mortuus eſt A. C. 1559.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani*, qui Præceptori olim ſuo hoc Epigramma appoſuit:

Magnanimum Henricum Gallis qui ſuſtulit annus,
Idem etiam letho te, Duarene, dedit.
Ille decus fuerat ſummorum nobile Regum,
Doctorum fueras nobile & ipſe decus.
Quot geſſit bella ut contunderet ille furorem
Sive, Hiſpane, tuum, ſive, Britanne, tuum?
Tu quoque dum vindex Themidis fortiſſimus inſtas,
Quot cum Barbarie, quantaque bella geris?
Poſt varios caſus jam victor uterque manebat,
Partaque jam fuerat pacis utrique quies.
Sed dum aliquam ad tempus petitis poſt bella quietem,
Æterna eſt vobis ecce reperta quies.

Jac. Aug. Thuano referente, ſcriptis *Duareni* accidit, ut Prælectiones ex ore recitantis in

Digitized by Google


FRANCISC, DUAREN,
J. Ctus & Advocatus Paris.
FRANCISC, BURCHARD,
Cancellarius Vinariensis
GABRIEL MUDÆUS
BONIFACI, AMERBACHI,
Doctor & Professor Jur. Basil.
SIMON PISTORIUS
J. Ctus & Cancellarius Saxon.
MODESTIN, PISTORI,
J. Ctus & Consiliarius Saxon.
HIERO: PAUMGARTNER,
Senator Reipub. Norib. Duumvir.
IUSTINUS GOBLERUS
J. Ctus, Orator & Poëta Francof.
IOHAN: OLDENDORPIUS
J. Ctus & Profess. Marpurg.
IACOBUS REVARDUS
J. Ctus & Profess. Duac.
IOH. SCHNEIDEWINIUS
NICO: ASCLEPI, BARBAT,
J. Ctus & Profess. Marpurg.
NICOLAUS GRUDIUS
J. Ctus & Consil. Hispan.
VITUS POLANTUS
Consiliarius Palatinus.
MICHAEL HOSPITALI,
Regni Galliæ Cancellarius.
FRANCISC. BALDUINUS
Parisiensis.

tis in Scholâ perperam plerumque ab auditoribus exceptæ, quæque non eo conſilio fiebant ut ederent ut poſt ipſius mortem reliquis ejusdem operibus, quæ vivus publicaverat, nullo delectu admiſtæ fuerint: in quo inſignis doctiſſimi viri manibus injuria facta eſt.

Edidit:

Scripta.

In conſuetud. Feudorum.
De in Litem jurando.
Diſputationes Anniverſar.
De Juriſdictione & Imperio Apologiam.
De judiciis bonæ fidei & arbitrariis Commentar.
Epiſtolam de docendi diſcendique Juris ratione.
De miniſteriis Eccleſiæ & beneficiis Lib. VIII.

Obiit A.C. 1559.

ÆMARIUS RANCONETUS.

VIrum hunc præſtantis ingenii & Jurisconſulti Criticique laudem pari ſtudiorum felicitate conſecutum *Aquitaniæ* invidit *Lutetia*, ſibique totum aſſeruit. Is enim *Burdigalæ* Senatu poſthabito in *Pariſienſem* venit, ubi Cancellarii primùm, deindè Præſidis partes implevit, eo majori nominis claritudine, quod in eo certatim elucerent hinc Senatoria purpura, illinc literarum politiorum ſplendor.

Senator Burdigal.

Conſiliarius & Præſes Paris.

Sed hæc omnia fati malignitas obſcuravit, nam & inter reos delatus & malevolorum conjuratione in extremum capitis fortunarumque diſcrimen vocatus eſt, neque illi feſtina mors purgandi ſui locum reliquit.

In carcerem conjectus.

Quâ calamitate domus tanti viri perculſa, non opum modò jacturam fecit, ſed earum etiam rerum, quæ nullo precio parari poſſunt aut reſtitui, nam quæcunque aut collegerat, aut in veterum auctorum locos difficiliores annotaverat, magno rei literariæ detrimento perierunt.

Adnotaverat autem plurima, primusque novam & inſolentem ſcrutandæ Antiquitatis viam ſtudioſis aperuerat. Quod & ſuis paſſim lucubrationibus eruditi illius temporis viri, *Jacobus Lodoicus Strebæus*, *Adrianus Turnebus*, *Jacobus Cujacius*, *Franciſcus Hotomannus*, &, qui Legis Falcidiæ reſtitutionem illi acceptam tulit, *Franciſcus Duarenus* teſtatum voluerunt.

Philologus.

Cum mirarentur omnes hominem à ſtudiorum laboribus, ut quidem videbatur, abhorrentem, nec unquàm in literarum otio deprehenſum, ſtupendâ naturæ bonitate id aſſequi, quod nec aliis vigiliæ inſomnes multorùmque annor. induſtria compararet.

Obiit ſenex meliore fortunâ dignus, ex impotenti dolore animi vincula & carcerem indignantis A. C. 1559. æt. 54.

Obiit in carcere.

Vitâ functo *Renatus Faber* ex Senatorum Ordine ad Præſidis dignitatem evectus ſucceſſit.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * * *

Æmarus Ranconetus, *Gallus*, *Veſunâ Petracoriorum* ortus, primus veros *Romani* Juris fontes aperuit, & humaniores literas ex utriusque linguæ Scriptoribus illuſtravit, tum omnis Philoſophiæ & Mathematicarum artium arcana percalluit. Perturbatis tandem A. C. 1559. ob religionem rebus eadem, quæ permultos alios fortuna diris publicæ calamitatis nexibus irretivit, & ipſum unà involvit, quamvis ob longè diverſam à religione cauſam in periculum vocaretur. Itaque in Baſtiliam arcem conjectus (quod ex aſtrorum judicio, ſcientiæ etiam illius, quam cum *Hier. Cardano* excoluerat, apprimè peritus, jam pridem eventurum præſagierat) ſexagenario major exquiſito mortis genere obiit.

Aſtrologus mortem ſuam prædixit.

Raro autem homo rebus agendis natus interdiu literis operam dare viſus eſt. Ita quippè rationem inſtituerat ſtudiorum, ut levi cibo ſumto temporius, cum ſe quieti dediſſet, nocte concubiâ primoque ſomno exacto ſurgeret, & 4. horas continuas lectioni ac meditationi impenderet. Tum rurſus ſe ad quietem componebat, & quod priore meditatione inchoârat, ſtatim ab illo placido ſomno expergefactus feliciter perficiebat. Indè ſe ad munia diurna conferebat. *Thuanus Lib. 23.*

Noctu ſtudia tractare ſolitus.

* *Ex Thuani cuucleati Parte II. Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1559.

ANNAS BURGIUS, vel BURGUS.

EX celebri & honeſtâ familiâ in *Arvernia*, *Galliæ* Provinciâ, ortus, Juriſperitus & Politicus eruditus, poſtquàm aliquot annis *Aureliæ* Jura publicè docuiſſet, *Lutetiam* exindè veniens, Conſiliarius Regius in Parlamento factus eſt.

Juris Profeſſor Aureliæ.

Conſiliarius Regius Galliæ.

Ibi cum Regis *Henrici II.* juſſu A.C. 1559. *Conſilium Mercuriale*, à die Mercurii, quâ ſemper haberi ſolitum eſt, ita vocatum, fuiſſet inſtitutum, & Rex ipſe cum Cardinalibus & Principibus aliquot 10. Junii Senatum Parlamenti fuiſſet ingreſſus, hic *Annas Burgius* Orator eximius coram toto conſeſſu aſſurgens, DEO ſe gratias agere dixit, quod eò Regis animum inclinâſſet, ut ipſe conſilia propter Religionis Reformationem inſtituta præſens audire cupiat.

Oratio ejus in Conſilio Mercuriali ad Regem.

Mox Regem allocutus, ſubmiſsè rogavit, ut is in negotio tam arduo Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriam concernente prudenter procedere velit: inter alia dicens, in *tali Concilio perſecutionibus & condemnationibus prorſus omiſſis Lutheranorum opiniones percipiendas & juſtè decernendas eſſe, nec rem eſſe exigui momenti, ad mortem illos condemnare, qui medios inter ignes nomen Jeſu Chriſti invocarent.*

Hoc cum dixiſſet, Rex unà cum Cardinalibus

nalibus ibi præſentibus decrevit, ut mox *Annas Burgius*, unâ cum ſex aliis Parlamenti Senatoribus de hæreſi *Lutheranâ* ſuſpectis in carcere concluderentur. Hâc ratione Regium Parlamentum autoritatem ſuam non mediocriter amiſit.

Carceri incluſus.

Mox Commiſſarii ſunt ordinati, qui unà cum Epiſcopo *Pariſienſi*, *Euſtachio Bellajo*, *Burgium* examinarent: quibus ille primùm ad interrogata reſpondere modeſte recuſavit, Privilegium antiquum Senatores *Parlamenti* habere dicens, quo non niſi à toto Parlamento vel accuſari vel condemnari poſſint.

Nihilominùs verò Commiſſarii Regis mandatum tunc ſe peculiare habere dixerunt, ideoque ad reſponſionem coegerunt eum, qui 4. Examinibus fidem ſuam egregiè defendit.

Cum itaque bis ad Parlamentum Regium fruſtrà provocâſſet, die 20. Nov. pro more Eccleſiæ Catholicæ ab Epiſcopo Pariſienſi degradatus, & à Diaconatu ac Subdiaconatu, quibus in adoleſcentiâ gavîſus erat, remotus fuit.

Degradatus ab Epiſcopo Pariſienſi.

Hoc facto lætus dixit: *Hodiè magnæ illius beſtiæ Romanæ inſignia perdidi, quò cum Antichriſto nihil amplius habeam commercii.*

Intereà duo fratres illius, qui apud Regem pro eo intercedere volebant, Urbe *Pariſiorum* excedere juſſi ſunt intra biduum. *Burgius* verò degradatus, in alium tetrum & obſcurum carcerem conjectus, in eoque pane tantùm & aquâ ſuſtentatus, chely ludens interdum Pſalmos Davidicos voce canorâ cecinit.

Duo fratres ejus Urbe expulſi.

Sed ex amicis & agnatis Politicis quidam accedentes eum perſuaſerunt, ut aliam verbis dubiis conceptam Confeſſionem fidei ſuæ ſcriberet, cujus lectione Judices acquieſcere poſſent. Horum conſilium, ægrè licèt, ſecutus cum eſſet, ea Confeſſio fidelibus *Pariſienſibus* admodùm diſplicuit, *Burgii* ſalutem magis & ædificationem Eccleſiæ deſiderantibus, quàm ut ille tali modo liberaretur.

Confeſſionem dubiam ſcripſit.

Hanc ob cauſam Dom. *Auguſtinus Marloratus*, Eccleſiæ tunc Evangelicæ *Pariſienſis* Miniſter, à cœtu ſuo rogatus, ipſi per Epiſtolam ſcriptam errorem commiſſum demonſtravit, & quid Deus à veritatis ſuæ teſtibus requirat pluribus declaravit, utque Dei gloriam & Evangelii veritatem libertati ſuæ, imò vitæ ipſi, potiorem ducat admonuit: qui malè ſibi conſcius & pœnitentiâ ſeriâ DEO ſupplex Confeſſionem priorem, repudiatâ poſteriori, iterum amplexus eſt, idque per epiſtolam Parlamento ſignificavit, ut ſecundùm eam Confeſſionem judicaretur flagitans. Hoc facto liberationis ejus ſpes omnis concidit: & licèt *Fridericus* Elector *Palatinus* per Legatos & literas Regem *Franciſcum II.* rogâſſet, ut *Burgium* ſibi Profeſſorem in Academiâ *Heidelbergenſi* concedere vellet, nihil tamen effecit.

Ab Auguſt. Marlorato erroris convictus.

Fridericus II. Elector Palat. fruſtrà pro eo intercedit.

Cum itaque rurſus obteſtaretur, ſecum priori ſuâ Confeſſione vivere morique paratum eſſe, mox à Judicibus per ignem in cineres redigendus morti adjudicatus eſt. Hoc judicium cum ipſi fuiſſet prælectum, nihil omninò conſternatus, Judicibus adſtantibus oratione ſeriâ, quod contra conſcientiam ſe condemnârint, exprobavit, iiſque ad fletum commotis judicium Divinum annuntiavit.

Ad mortem igne condemnatus.

Tunc à Carnifice ligatus & rhedæ pro more impoſitus, ad ſupplicium avectus eſt, quingentis armatis currum undique cingentibus, & ne plebs executionis locum ſciret, lignorum ſtrues in locis Urbis diverſis facti fuere. Cum tandem in aream *S. Johannis*, *La Greve* dictam, veniſſent, veſtes ſuas ipſe depoſuit, & facie lætâ plebem adſtantem his paucis affatus eſt: *Non huc adductus ſum ut fur vel latro, ſed propter Evangelium DEI.* Metuens enim ne lingua ſibi, ſicut aliis anteà pluribus exſcinderetur, plura profari tunc noluit. A Carnifice tunc funi alligatus, alta voce clamavit: *Domine Deus, ne me deſeras, ne & ego te deſeram*, quibus verbis prolatis fune ſtrangulatus, in ignem projectus & crematus eſt 21. Dec. A. C. 1559. ætatis 38.

Ad ſupplicium vectus.

Ultima ejus verba.

* *Ex Martyrologio magno Germanico D. Pauli Crocii.*

* * * * *

Rigomagi, præcipuo in *Arvenis* oppido, natus, honeſtâ & locuplete familiâ, ex quâ olim *Antonius Burgus*, *Franciæ* Cancellarius, ſub *Franciſco I.* prodiit. Quo tempore captivus detinebatur, venêre à *Friderico III. Palatino* Septemviro ad Regem literæ, quibus à *Burgo* extremum ſupplicium deprecabatur, & eum ſibi tradi ſummi beneficii loco poſtulabat. Non multò pòſt *Antonius Minorius* Præſes, dum Palatio domum, quo longiùs aberat, rediret, obſcurâ jam nocte inſidiis exceptus, ſclopeto transverberatur. Eadem, ut compertum eſt poſtea, fortuna *Ægidium Magiſtrum*, & *Santandreanum* manebat, ſi eo die horâ pomeridianâ in Senatum veniſſent: *Minarius* præcipuus *Henrici* incentor, & alioqui vitæ ſolutæ homo à *Burgo* tanquàm ſuſpectus anteà fuerat rejectus, quod à præſagâ potiùs, quàm conſciâ mente profectum, tamen ita acceptum eſt, quaſi *Burgus* de inſidiis illis aliquid cognoviſſet.

Cædis Ant. Minarii Præſidis conſcius habitus eſt.

Caſus is maturandæ ejus necis cauſa extitit, verito Cardinali *Lotharingo*, ne Rex *Palatini* precibus expugnari ſe pateretur, & alioqui audaciæ paucorum, qui tam immane facinus in *Minarium* cæde patrâſſent, inſigni ſeveritatis exemplo obviam iri debere cenſente. Itaque triduo pòſt à delegatis judicibus ad mortem damnatur. *Thuan. lib.* 22. & 23.

* *Ex Thuan. enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

SIGIS-

Clar. A. C. 1559.

SIGISMUNDUS IN HERBERSTEIN.

HIc in Ducatu *Stiriæ Vipaci*, non longè à *Timavo Pucino* & *Tergeſto*, *Leonhardo* Patre, matre *Barbarâ*, ex familiâ de foramine dictâ, anno Chriſti 1486. die viceſimo tertio Auguſti, imperante *Friderico III.* natus, nequaquam alienis jactare ſeſe voluit laudibus; ſed à teneris ad verum virtutis decus & omnes diſciplinas ita incubuit, ut ab eruditâ doctrinâ, prudenti facundiâ, vitæ integritate, laborum patientiâ, ac diligentiâ induſtriæ Principibus viris, ipſiſque Imperatoribus fuerit chariſſimus.

Primâ Philoſophiæ laureâ Viennæ ornatur.

Anno 1499. *Viennam Auſtriæ* venit, eamque literis operam dedit, ut anno 1502. in Academiâ illâ primâ Philoſophiæ laureâ fuerit ornatus, anno ætatis ſuæ 16. Tantum autem abſuit, ut virum nobilem & ad dignitates eximias poſteà evectum, honoris Scholaſtici illius puduerit: ut etiam, quemadmodum mox dicetur, lubenter & frequenter gloriatus fuerit, longè abiens à præpoſtero hodierni nobilis vulgi judicio.

Sub Caſ. Maximiliano I. in Ungariâ militat.

Exindè à Muſarum caſtris in Martis caſtra progreſſus, ſub *Maximiliano I.* Cæſare in *Ungariâ* militavit, circa annum ſextum ſeculi decimi quinti. Ibi virtutem & induſtriam ſuam Imperatori, ipſe adoleſcens etiam tum, ita approbavit, ut ab eodem in cohortem Prætoriam, anno nono ſupra mille quingentos, fuerit allectus: atque in bello *Veneto*, quod tunc *Imperator*, *Papa* & *Gallus* gerebant, equitatui *Styriæ* præfectus, cujus ope *Nicolaus*, Comes *Solmenſis*, *Venetos* vicit, eorumque Ducem *Villurium* cepit.

In Ordinem equeſtrem ab Imperatore refertur

Pro fide ergò & operâ ſtrenuè præſtitâ ab eodem Cæſare in ordinem equeſtrem relatus, aureo torque donatus, atque in Conſilium aulicum eſt cooptatus; Factum id anno milleſimo, quingenteſimo, decimo quarto.

Legationes varias obit.

Sic itaque Cæſari obſtrictus, per omnem vitam in aulicis muneribus perſtitit; ac legationes in ſe varias & periculoſas ſuſcepit. Anno enim decimo ſexto, ad *Chriſtiernum Daniæ* Regem, cui Cæſaris è filiâ neptis *Elisabetha* nupta erat, orator Cæſaris profectus, violatæ conjugalis fidei eum admonuit: graviterque ad reſipiſcentiam eſt cohortatus. Iſto in itinere adiit & *Albertum*, Marchionem *Brandeburgicum*, Archi-Epiſcopum *Moguntinum*, *Fridericum Saxoniæ*, *Joachimum Brandeburgicum*, Electores; *Henricum* item & *Albertum Megapolenſes* Duces.

Eodem anno ad *Helvetios*, gentem nobilitati infeſtam, ter Cæſaris legatus profectus eſt. Cumque anno præcedenti decimo quinto *Viennæ Auſtriæ* conveniſſent *Maximilianus* Cæſar, *Uladislaus* & ejus filius *Ludovicus*, *Ungariæ* & *Boëmiæ*, ac *Sigismundus Poloniæ* Reges: mutuamque amicitiam matrimoniis filiorum ac nepotum inter ſe ſanxiſſent, Cæſarque oratores ad *Baſilium Moſcorum* Ducem ſe miſſurum promiſiſſet, pacis inter *Polonum* & *Moſchum* conſtituendæ causâ: *Herberſtenio*, non ita pridem è *Daniâ* reverſo, id onus ac munus eſt demandatum.

A Rege Poloniæ honorificentiſſimè excipitur.

Eâ in legatione primùm per *Poloniam* ad Regem *Sigismundum*, *Vilnæ Lithuaniæ* metropoli tunc agentem, venit; à quo, ut ipſe commemorat, honorificentiſſimè fuit tractatus. Ante urbem enim viri inſignes eum fuêre præſtolati; ipſe in vehiculo, ſtragulis ex auro ſericoque contextis tecto, miniſtris Regis latus utrumque perindè ac ſi Rex adeſſet, claudentibus, in hoſpitium ductus à *Petro Tomitzkio* Pro-Cancellario ſalutatus, & ad Regem multis Proceribus præſentibus admiſſus fuit. Ibi inter alia matrimonium inter ipſum Regem & *Bonam*, *Johannis Galeacii Sfortiæ* Ducis *Mediolani*, filiam, Cæſare promovente, ipſo nuncio contractum fuit & concluſum. Quâ pro operâ mille ipſi floreni à matre Reginæ *Bonæ* promiſſi, ac poſteà ab ipſo Rege liberaliter numerati fuerunt.

Legatus ad Ducem Ruſſorum.

Indè è *Lithuaniâ* per nives & glaciem, per plurimos lacus, crebras paludes, immenſæque longitudinis ſylvas ad *Ruſſorum* Ducem profectus, *Moſcoviam* Regionis metropolin menſe Aprili pervenit, ubi de more gentis exceptus, cum Duce illo de induciis cum Rege *Poloniæ* ineundis egit. Dimiſſus ab eo, ac veſte geminâ talari, pellibus Zebelinis ſuffultâ donatus, ſimul ac rediit, in *Ungariam* Orator ire juſſus eſt ad *Ludovicum* Regem; eique ne quenquam gubernatorem admitteret, ſuadere. Ibi conſcenſo curru *Pannonico*, qui trigis celerrimè volavit, paucis horis triginta duo milliaria eſt emenſus.

Orator in Ungariam abiit.

Negotio eo confecto, ad Imperatorem reverſus eſt: qui paucis diebus pòſt, duodecimo Januarii, anni decimi noni, placidè exſpiravit. Funus ejus ipſe ſuis humeris cum aliis bajulis in templum detulit: ac eodem anno à *Styriæ* Ordinibus in *Hiſpaniam Velutum*, ad *Carolum* Regem, tunc electum *Romanorum* Imperatorem, miſſus fuit: qui non ſolùm clementer eum audivit, ſed & cum eximii favoris ſignificatione

Reddidit hunc merito regali veſte ſuperbum,
Vellera contribuens, qualia Seres habent.

Anno deindè vigeſimo primo, cum *Carolus V.* Cæſar Comitia prima *Wormatiæ* celebraret, *Herberſteinium* hunc in decuriam Cameræ, ut vocant, Imperialis adſcivit, ac mox conſiliarium etiam *Stiriæ* renunciavit.

Fit Conſiliarius Stiriæ.

Sequenti anno conventum Ordines Imperii *Norinbergæ* egerunt, in quo de bello *Turcico*, & negotio Religionis fuit deliberatum. Ad eum & ipſe ablegatus, *Ferdinandi* Archiducis, Principis ſui, locum ſolenni in conſeſſu tenuit.

Matrimonium init.

Ab eodem anno vigeſimo tertio, in adminiſtrationem *Auſtriaci* regiminis recep-

ptus, poſt uxorem duxit: cum annos triginta ſeptem haberet. Magnis deindè itineribus ad Electorem *Moguntinum*, & ad *Saxonem Halam* contendit.

Intereà *Moſcus* ſuos miſerat Oratores ad *Carolum*, qui fœdus cum *Maximiliano I.* initum denuò confirmarent. Ibi *Carolus Moſco* gratificaturus, negotium *Ferdinando* fratri dedit, *Ludovicum Ungariæ* Regem monendi, quo is apud *Sigiſmundum Poloniæ* Regem, patruum ſuum tantum obtineret, ut ad æquas vel pacis, vel induciarum conditiones cum *Moſco* deſcenderet. *Viennæ* itaque *Auſtriæ Leonhardus* Comes *Nugarolæ*, nomine *Caroli V.* Imperatoris; *Ferdinandi* autem hic Baro *Herberſteinius* ad *Ludovicum* Regem, *Budam* properârunt, ibique expoſitis mandatis, negotiiſque ex ſententiâ confectis, *Viennam* reverſi, mox cum *Moſci* Oratoribus, qui tum ex *Hiſpaniis* à Cæſare redierant, in *Poloniam* contenderunt, & exinde in *Moſcoviam*. Ubi impetratis confirmatiſque induciis cum *Polono*, Menſe Novembri non ſine donis dimiſſi, ipſe per *Poloniam* tandem *Pragam* pervenit, ubi ſuum Principem, jam *Boëmorum* Regem electum, & ad coronationem vocatum reperit: cui & ipſe vigeſimâ quartâ Februarii interfuit. Ibi Rex novus benignè Legatum ſuum excepit, & quæ geſſerat, grata ac rata habuit.

Legatus ad Regem Hungariæ.

Eodem, quo è *Moſcoviâ* redierat, anno, ad ærarii ſeu cameræ inferiorum *Auſtriæ* provinciarum curam & præfecturam eſt evectus: cui muneri cum fide & induſtriâ præfuit.

Curator cameræ inferiorum Auſtriæ provinciarum.

Anno deindè trigeſimo ſecundo, cum *Turca* expeditionem in *Ungariam* ſuſcepiſſet, *Viennam*, ut optabat, tandem expugnaturus, ſed audito *Caroli* adventu, non expectandum ſibi ratus, ad ſuos rediret: *Herberſteinius* cum aliis equitibus expeditis, duce *Johanne Cacianero* extremum *Solymanni* fugientis agmen inſecutus cæde affecit. Hoc modo & in togâ & in ſago probatus meruit, ut fiſco Regio in *Auſtriâ* fuerit præfectus.

Fugientem Turcam inſequitur.

Præficitur fiſco Regio in Auſtriâ.

Poſteà cum anno quadrageſimo primo iterum *Turcarum* Tyrannus in *Ungariam* cum exercitu veniſſet, magnamque ſtragem edidiſſet, *Herberſteinius* cum *Nicolao* Comite *Salmenſi* in caſtra tyranni, ad veterem *Budam*, miſſus eſt. Excepti fuerunt uterq; honorificè à *Solymanno*, toti tunc *Ungariæ* inhianti, nec ſine donis dimiſſi.

Poſteà anno quadrageſimo tertio, menſe Majo, primogenitam *Ferdinandi* Regis filiam *Eliſabetham*, puellam ſcitiſſimam, *Sigiſmundo Auguſto*, *Poloniæ* Regi, pronubus & aulæ magiſter adduxit.

Ferdinandi Regis filiam Poloniæ Regi adducit.

Idem biennio pôſt, cum *Johanne Lango Sileſio* JC. & Oratore Regio, dotem centum millium aureorum *Ungaricorum*, nomine *Ferdinandi*, *Cracoviæ*, Reginæ abſenti numeravit, ſed eo ipſo anno Regina illa, menſe Junio, exſtincta eſt ſubitò abſque prole, nec ſine ſuſpicione pharmaci, ætatis anno decimo octavo. Ivit deindè iterum iterumque cum illo *I. Lango* in *Poloniam*; ut anno quinquageſimo *Petricoviam*, ubi comitia Rex agebat, & anno quinquageſimo ſecundo iterum ad Comitia eodem in oppido indicta. Ibi publico in *Polonorum* conventu, Regis ſui nomine *Sigiſmundum* & Regni Ordines hortatus eſt, ut bellum adverſus *Turcam* ſuſciperet. Et laudata à pleriſque tunc eſt oratio, ac cauſa communis periculi approbata, ſed nihil amplius.

Anno quinquageſimo tertio, cum proceres *Poloniæ* Regem ſuum ſine uxore eſſe nollent, deſponſata eſt ipſi *Catharina Ferdinandi* filia, prioris conjugis germana, *Franciſci Mantuæ* Ducis vidua, ex diſpenſatione Pontificis. Hanc itidem *Herberſteinius* aulæ magiſter *Cracoviam* deduxit: ubi menſe Julio magnâ cum pompâ nuptiæ celebratæ. Et cum *Bona* illa, *Poloniæ* Regina vidua, in *Italiam*, valetudinis causâ, itura, *Viennam* appuliſſet, *Ferdinandus* eam honorificentiſſimè habuit, *Herberſteinii* uſus miniſterio.

Hac mortua, alteram Ferdinandi filiam itidem Poloniæ Regi adducit.

Cum ergò ita operam egregiam tribus Cæſaribus navâſſet; fidemque abundè probâſſet, multis gravibus & honorificis legationibus dextrè feliciterque functus, variis longinquis, & periculoſis itineribus terrâ marique ſuperatis, magna *Europæ* & *Aſiæ* etiam parte perluſtratâ, fidei, conſtantiæ, virtutis & meritorum ergò equeſtri torque inſignitus, ac Baro primus ſuæ familiæ declaratus eſſet: tandem immunitate & rude eſt donatus, annum ætatis aſſecutus 73.

Primus ſuæ familiæ Baro.

In illis ad *Moſcum* legationibus, juſſu *Ferdinandi* Principis ſui, diligenter tam rationem fidei, quàm ceremonias, & totam *Moſcorum* religionem, item ritus, quos & in ſacris & profanis rebus ſolent obſervare, indagavit. Et occaſione hâc illos *rerum Moſcoviticarum commentarios* primus conſcripſit, qui multis geographiæ, atque inprimis *Sarmatiæ* ac *Scythiæ*, tum *Europeæ*, tum *Aſiaticæ* partibus lucem attulerunt. Multa prætereà alia annotavit, quæ vel ipſe vidit, vel à fide dignis accepit. De *Tanais* fluvii ortu hoc ſcribit: *Tanais* fluvius famoſiſſimus, qui Europam ab Aſiâ diſterminat, octo fermè à *Tullâ* in meridiem milliaribus, nonnihil in orientem deflectendo, oritur non ex *Riphæis* montibus, ut quidam prodidêre, ſed ex Jvuanovuoſero, hoc eſt, *Johannis* lacu ingenti.

Scripta.

Narratum prætereà ſibi ait, reperiri in quâdam Inſulâ ſemen, melonum ſemine paulò majus & rotundius, alioqui haud diſſimile, ex quo in terram condito, quiddam agno perſimile, quinque palmarum altitudine, ſuccreſcat, quod *Boranetz*, quaſi agnellum dicas, vocetur. Habere caput, oculos, aures & reliqua omnia inſtar agni recens editi, ſanguinem etiam, ſed carnem nullam, niſi quiddam cancrorum carni ſimile, ungulas non carneas, ſed pilis quibuſdam inſtar cornu veſtitas, radicem ad

umbi-

umbilicum ſeu ventris medium eſſe. Vivere autem, donec depaſtis circum ſe herbis, radix ipſâ inopiâ pabuli areſcat. Miram ejus dulcedinem eſſe, ac ob eam à lupis, & aliis rapacibus animalibus appeti.

De gente autem *Moſcorum* narrat, magis ſervitute eam, quàm libertate gaudere: & inprimis mulierum apud eos conditionem eſſe miſertimam, quæ verbera pro ſigno amoris habeant.

Ingentes moleſtias in itinerib9 perfert. Dici autem non poteſt, quantum moleſtiarum, laborum & periculorum, illis in itineribus exantlârit, cum jam inter & ſuper lacus paludes innumerabiles nive & glacie labaſcentes fuit eundum, & jam ſub dio dormiendum, jam in nivibus & frigore cœnandum.

Aliquando certè parùm abſuit, quin naſum amiſiſſet, niſi maturè à ſuo *Priſtavo*, vel deductore, monitus fuiſſet, ut jam frigore emortuum, in diverſorio nive fricaret.

Literarum fautor ſingularis. Literas autem & doctrinam quanti fecerit, vel ex hoc æſtimari poteſt: In tabellis functionum ſuarum ſeriem, ſucceſſum, habitum, ut firmiùs recordaretur, depingenda curaverat. Inter eas eam, quæ omnium prima erat, quomodo nempè in *Viennenſi* Academiâ baccalaurei titulum ſuſcepiſſet, præ cœteris plurimi fecit: quod ingenii viribus, tanquàm caſtrenſe bonum, conciliata eſſet: cum reliquæ vel generis ſplendori, vel principum gratiæ debitæ, illi veluti baſi inniterentur: adeoque ut *Themiſtocles* de die feſto & profeſto dicebat, niſi profeſtus fuiſſet, feſtus non eſſet, ſic ipſe, niſi literarum, inquit, cultura præſtitiſſet aliis, nec dignitate quidem, niſi præter meritum, excelluiſſem. In *Germanicâ Moſcoviæ* hiſtoriâ occurrit ea imago prima, cum tali inſcriptione: Die erſte Würde von Lernung wegen empfangen / die durch Unverſtändige nur zu Spott / mit dem Namen Doctor / fürgeworffen / des Namen ich nie wirdig / aber wol begierig zu haben geweſt: hoc eſt, *hæc prima eſt mea dignitas ex ſtudiis parta, quam imperiti & inſipidi quidam Doctoris nomine mihi exprobrarunt: quo ego nunquàm fui dignus, licet, ut eſſem, ſæpe optârim.*

Interrogatus in *Ungariâ* aliquando, quamnam earum, quas adiiſſet, Regionum optimam duceret? reſpondit: equidem in *Ungariâ, Italiâ, Galliâ* & *Hiſpaniâ* inveni potentiam, auri, argenti & rerum neceſſariarum copiam, artes ac ſapientiam, cum immunitatibus & libertatibus multis: in *Poloniâ, Lithuaniâ* & *Moſcoviâ* contrà paupertatem, ſervitia & onera gravia: ſed in *Germaniâ* omnium illarum rerum aliquid, ſapientiæ, potentiæ, opulentiæ & reliquarum: & mediocritatem hanc eligendam puto. Tum audientes hoc in cachinnos ſoluti dixerunt: Hic enim verò ſuum cuique tribuit: ſibi quod eſt optimum reſervat.

Aliæ ejus Legationes. Præter hactenus autem enumeratas legationes, & alias obivit, ad *Papam*, ad *Venetos*, alios: quod & inſignia ejus innuunt, & ex hiſce *Ludovici Braſſicani* carminibus colligas: in quibus ipſe *Herberſteinius* ita de ſe:

Præterea decimum Romanâ in ſede Leonem
Conſpexi: Veneti Dux Lauredanus Senatus
Cognitæ porrò mihi ac, notique fuêre Dynaſtæ
Imperii plures: quos hîc numerare moleſtum eſt.

In legatione *Ungaricâ*, ſcribit, ſe ex faſtu ac luxu Prælatorum Magnatumque regni, contemtuque Regis, cum dolore proſpexiſſe, fatum illi Regno imminere. Poſteritati, ut anteà dictum, elaboravit Latinè & Germanicè *Hiſtoriam Moſcoviticam*, ſeu *Commentarios de Moſcovitarum Imperio, religione, moribus, legibus, omniq; vitâ*: quibus effecit, ut natio remotiſſima noſtratibus quoque ſuperiori ſeculo innotuerit. Prodierunt etiam *picturæ variæ*, quæ ipſum varias legationes obeuntem exprimunt, eo nempè veſtitu, quo vel à Cæſare, vel *Turcâ*, vel *Moſco* donatus fuit.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. JCtorum.*

FRANCISCUS OLIVARIUS.

Obiit A. C. 1560.

HUnc *Jacobi* Præſidis in Senatu *Pariſienſi* primarii filium benigna ſors non modò Parenti adæquavit, ſed etiam in altiore dignitatis gradu conſtituit. Is enim poſt Senatorios Ordines & varia Legationum officia, vel meritis ſuis vel, *Margarethæ Navarræ* (cujus Conſiliis præerat) apud Regem fratrem commendatione ad ſupremum Cancellarii munus, quod eſt hon orum in *Galliâ* ſolſtitium ſecundo auſu pervenit. *Conſiliarius Reginæ Navarræ.* *Cancellarius Galliæ.*

Concurrebant in eo viro virtutes omnes tanto faſtigio dignæ, doctrina, judicium, facundia, integritas, & conſtantia. Itaque dum Rex *Franciſcus* rerum gubernacula tenuit, *Olivario* ſuus honor & dignitas integra ſemper fuit. Cum verò ſucceſſiſſet filius non magis ætate quàm ingenio diſpar, obſedêre illicò juvenem aulicæ artes, & fœmineæ blanditiæ, per quas effectum eſt, ut vir graviſſimus, qui alienæ libidini turpiter inſervire nollet, quaſi jam adventante ſenio debilis & ad muneris ſui functionem propter lippitudinis incommoda parùm idoneus aulâ tandem expelleretur. *Senex lippus aulâ expulſus.*

Vixit in illo ſeceſſu placidè conſtanterq; 9. annos anteactæ vitæ contentus gloriâ, felix niſi fallaci Fortunæ ludibrio ſtatim poſt *Henrici II.* caſum à Rege novo *Franciſco II.* revocatus 64. annor. ſenex incidiſſet in triſtia civilium armorum præludia, cujus inſoliti motûs futuras calamitates animo præſagiens, ex animi dolore fatalem concepit morbum intraque paucos dies A. C. 1560. Naturæ conceſſit. Eum nactus ſucceſſorem, quem, ſi fuiſſet liberum, ſibi ipſe *A Rege Franciſco II. revocatus.* *Moritur.*

ipſe lubens adoptâſſet, *Mich. Hoſpitalium* ſtudiorum & virtutum ſocietate ſibi conjunctum.

* *Ex Elogiis Gallor. illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * * *

Vir ſuavitate ingenii, prudentiâ rerum uſu & integritate clarus, cum ex aulâ exul poſt mortem *Henrici II.* pulſo *Johanne Bertrandio* Procancellario, nuper in Collegium Cardinalium cooptato, priſtinæ dignitati reſtitutus eſſet (quod à *Carolo* Card. *Lotharingo* factum, ut moderati imperii ſub optimo legum moderatore ſpem faceret, ac vulgo res ferè perſonarum judicio metienti fucum faceret) nulli tamen magis illuſum eſt, quàm *Olivario*, qui nullius ſervilis ſententiæ ſpontè autor, cum libertatis ſervandæ fiduciâ in aulam ſe â quiete extrahi paſſus eſſet, fœdiſſimam ſervitutem ſervire coactus, vitæ quod ſupererat inter ludibria ac pericula, ſub impotenti dominatu toleravit, pauloque pòſt ſtatûs præſentis pertæſus, neque tàm ſenio confectus, quàm ex mœrore animi in lethalem morbum incidit: cum quo dum luctaretur, Cardinalem eum officiosè inviſentem averſo vultu excepiſſe, & tergum obvertiſſe fertur, exprobratorias voces identidem repetens, quibus ſibi vim ab eo illatam intelligi volebat: atque ita inter ſuſpiria & gemitus optimè meritam de Republicâ animam Deo tradidit. A. C. 1560.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A. C. 1560.

NICOLAUS GERBELIUS.

NAtus eſt *Pfortzhemii*, quod opp. vetuſtas Portam *Hercyniam* nominavit.

Tantum in Juris ſcientiâ profecit, ut non ſolùm Inſignibus ornatus ſit Academicis, ſed & doctiſſimis ſuæ ætatis Juris-Conſultis annumeratus. *Juriscon-ſultus.*

Primùm Juris ſcientiam *Viennæ* in *Auſtriâ* profeſſus eſt cum *Joh. Cuſpiniano*. Indè *Argentoratum* evocatus, operam ibi dedit Collegio Sacerdotum primario. Hiſtoriarum lectione delectatus, antiquorum & recentium populorum res geſtas explicavit & multa abſtruſa in lucem produxit. *Profeſſor Juris. Argentorati docet. Hiſtoriarum lectione delectatur.*

Vivere tandem deſiit valdè ſenex & jam dudum decrepitus 20. Jan. A. 1560. *Moritur.*

Cuſpiniani Chronica de Cæſaribus emendavit. Eandem quoque operam in *Arriani hiſtoriâ Græcâ de rebus geſtis Alexandri* præſtitit. *Scripta.*

A. 1545. Scripſit *Iſagogen in tabulam Græciæ Nicolai Sophiani*, quam poſteà ita auxit, ut in 7. Libros excreverit, quibus quicquid in totâ *Græciâ* memorabile, complexus eſt.

Scripſit etiam *Librum de Anabaptiſtarum Ortu & progreſſu.*

* *Ex Melch. Adami vitis JCtor.*

GEORGIUS COMMERSTADIUS.

Obiit A. C. 1560.

IN *Miſniâ* natus eſt 28. Martii Anno 1498.

Pater ei fuit *Dietericus* vir præſtans.

Mater *Anna* à *Betſchitz*, ex nobili familiâ *Miſnicâ* orta.

In Jurisprudentiâ Licentiati titulo ornatus *Cygneæ* Syndicus & Conſul fuit inſignis. *Licentiatus Juris.*

Deindè Doctor creatus in aulâ primùm *Georgii* & *Henrici* fratrum *Saxoniæ* Principum, deindè *Mauritii* & *Auguſti* Electorum Conſiliarium egit multis annis. *Doctor Juris. Conſiliarius Saxonicus.*

Hiſce Reip. curis immortuus eſt A. 1560. in Arce ſuâ **Kaltraut** / & *Reinersdorffii* in Templo ſepultus. *Moritur.*

Staturâ fuit corporis inſigni, prudentiâ, juſtitiâ, & doctrinâ præditus.

Ex familiâ ipſius celebratus etiam *Hieronymus Commerſtadius*, fratris *Johannis* filius, Canonicus *Miſnenſis* & *Mersburgenſis*.

Memoriâ tam eximiâ præditus fuit, ut ſæpè, ſi res ita poſtularet, non præmeditatus de graviſſimis negotiis coram Principibus perorârit, & disertè reſponderit.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

FRANCISCUS BURCARDUS.

Obiit A. C. 1560.

VInariæ in *Thuringiâ* honeſto loco natus eſt A. 1505. 6. Julii.

A teneris in Scholis educatus ſub *Melanchthonis* imprimis diſciplinâ plurimùm profecit, cum quo ei poſtmodum intima interceſſit amicitia. *Melanchthonis diſcipulus.*

In Academiâ *Wittebergenſi* literas primùm Græcas aliquandiu docuit. *Wittebergæ docet literas.*

Poſteà à Principe ſuo in aulam translatus legationibus multis obeundis Reip. operam præſtitit præclaram. *Legatus.*

Menſ. Nov. A. 1539. Cum *Henricus VIII. Angliæ* Rex, Principis *Clivenſis Guilielmi* Sororem *Annam* in matrimonium petiiſſet, jamque trajectura in *Angliam* Sponſa eſſet, *Saxo*, qui Sponſæ Sororem in matrimonio habebat, *Burcardum* hunc & *Joh. Dulcium* in *Angliam* miſit, ut Regiis nuptiis ſuo nomine adeſſent, ſimulque religionis ſtatum cognoſcerent. Ibi à Rege tam amicè habitus eſt, ut neminem externorum in familiare colloquium illo lubentius admiſerit, multaque viri hujus admonitu in regno emendârit. *in Angliam.*

A. 1540. Ex *Angliâ* redux, *Smalcaldiam*, ubi Conventus tunc Proteſtantium agebatur, cum *Dulcio* venit, & A. ſeq. ad Colloquium *Ratisbonenſe*. *Smalcaldiam. Ratisbonam.*

A. 1543. M. Jul. *Spiram* ad Cæſarem *Carolum V.* cum aliis miſſus eſt. *Spiram.*

An. 1560. Cum ex poſtremâ legatione *Anglicâ*, quam ad virg. *Eliſabetham* nuper ſolio regio potitam *Joh. Friderici* medii Ducis *Sax.* juſſu ſuſceperat, domum rediiſſet, in maraſmum lethalem incidit, quo extinctus eſt 15. Januarii A. 1560. æt. 56. *Moritur.*

Gene-

Generum habuit *Matthæum Weſenbecium* I. C. celebrem.

Ingenii dotes Burc. Graviſſimas hic *Burcardus* de Religione deliberationes, magnasque imperii res in ampliſſimis Principum Comitiis, ingenti ſemper animo, majori prudentiâ & conſilio, & admirabili orationis gratiâ feliciter ſæpè gubernavit, ſummis hinc Principibus, *Carolo* etiam V. hujusque fratri ac Succeſſori *Ferdinando* Imperatoribus, *Henrico* inprimis *VIII. Angliæ* Regi, gratus fuit & acceptus.

Eodem ſeveritatis comitatisque temperamento, tàm publicas quàm privatas actiones diſpenſavit, ſæpiusque, cum de injuſtis quorundam odiis, ac violentis machinationibus, quibus afferri bonis conſiliis vis poſſe credebatur, quereretur, dixit: ſe mortem malle oppetere, & extrema quæque perpeti, quàm vel latum unguem ab honeſtâ ſententiâ diſcedere.

* *Ex Melch. Adam. Vitis JCtor.*

Obiit A. C. 1560.

MARCUS ANTONIUS CAIMUS.

ORtus ex nobili & antiquiſſimâ familiâ *Mediolanenſi* literis & armis celebri, patrem habuit *Petrum Paulum Caimum*, Matrem *Margaretham Corvinam*. Juris utriusque peritiâ clarus à Senatu patrio publicam Legum Profeſſionem in Academiâ *Ticinenſi* conſecutus, non multò poſt ab Imp. *Carolo V.* inter Senatores *Mediolanenſes* cooptatus eſt. Ibi vitâ defunctus A. C. 1560. hoc Epitaphio honoratus fuit:

Juris Profeſſor Ticini. *Senator Mediolanenſis.* *Epitaphium.*

P. PAULO CAIMO
SUMMÆ INTEGRITATIS VIRO
MARGARETÆ CORVINÆ AB ARETIO
ORIUNDÆ, MATRONÆ SPECTATISSIMÆ,
M. ANTONIUS I. C. ET SENATOR
ALEXAN. I. C. JO. ALBERTUS ET JO. BAPTISTA
ET PHILOSOPHUS ET MEDICUS
FILII
PARENT. OPTIMIS
SIBI POSTERISQUE SUIS,
QUI SEDEM HANC EUSTORGIANÆ MAJORUM SUORUM
PRÆTULERIT SEPUL.
ANNO 1560.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Summariæ Annotationes in aliquot Juſtiniani Codicis Titulos.

in aliquot Titulos de Jurisdictione.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A. C. 1561.

GABRIEL MUDÆUS.

BRechtæ, *Antverpiæ* municipio, natus eſt parentibus honeſtis magis quàm lautis A. 1500.

Diſcipulus Ludovici Loji. Puer Præceptorem habuit in patriâ *Ludovicum Lojum*, cujus in docendo induſtriam grato animo ſemper prædicavit.

Hoc autore parentes *Lovanium* illum ablegârunt, ubi tum florebant *Eraſmus Roterod.* & *Ludovicus Vives, Hiſpanus*, qui inquiſitionis rabiem fugiens, patrium ſolum ſponte verterat. Horum in notitiam celeriter pervenit, uſus etiam convictu *Eraſmi* in Collegio *Liliano*. *Lovanium mittitur.* *Diſcipulus Eraſmi & Ludovici Vivis.* *Vivit cum Eraſmo.*

Ibi ætate adhùc immaturâ Philoſ. Magiſter renunciatus, mox literas elegantiores privatim & publicè docuit. Erat enim in eo tunc vis ingenii, rectitudo judicii, memoria ſingularis: animus præſens, oratio polita, os honeſtum, actio decens, & vox ſuavis. Cum verò tunc temporis Dom. à *Blioul* vir in aulâ clarus liberis ſuis doctorem philoſophiæ Jurisque conquireret, *Mudæum* omnibus prætulit, qui cum liberis ejus non ſolùm *Lovanii*, ſed & in plerisque *Galliæ* gymnaſiis conjunctiſſimè vixit. *Philoſophiæ Magiſter.* *Præficitur liberis D. à Blioul.*

Domum reverſus, *Lovanii* uxorem duxit, & Doctoris inſignibus ornatus jura docuit, quibus Logicam, diu antè à JCtorum ſubſelliis excluſam, conjunxit, & Ethicam ſtatuens, horum amborum ſine ſubſidio nihil ſolidi in Juris diſciplinâ perfici poſſe. *Doctor Juris creatur.* *Logicæ & Ethicæ ſtudioſus Mudæus.*

Brevi pòſt vacanti Juris inſtitutionum publ. Profeſſioni præfectus eſt, & quamvis in aulam & curias complures accerſitus, nunquàm tamen à ſcholaſtico vitæ genere abduci ſe paſſus eſt. *Profeſſor Inſtitutionum.*

Anno 1547. Primarius Juris Profeſſor factus, quinquies hebdomadatim ab horâ manè ſeptimâ ad nonam usque auditorium ſtudioſis plenum erudivit. Indè factum, ut tunc ultra duo millia Studioſorum Juris numerata fuerint, teſte *Weſenbecio*. *Primarius Profeſſor duabus horis continuis docet.*

A. 1561. tandem rebus humanis ſubductus, magnum ſui deſiderium reliquit, *Antverpiæ* præſertim, cui multos annos patrocinio ſuo opem tulit. *Moritur.*

Lites hic mortis inſtar fugit, & præcipuè cauſas ſanguinarias abhorruit, eoque nomine ob religionem de vitâ periclitantibus, quâ potuit, ſpecie Juris opitulatus eſt, quâ de causâ parum gratus ejus loci Theologis toto quo vixit tempore fuit. *Theologis exoſus.*

Carolus V. Cæſar ejusque Soror *Maria*, *Belgii* gubernatrix, conſilio ipſius ſæpè uſi plurimum ejus prudentiæ tribuerunt. *Acta Mudæi.*

A. 1536. Cum, quorundam calumniis & dolò factum eſſet, ut *Eraſmi Roter.* tanquàm hæretici bona, licet piis cauſis relicta, teſtamento reſciſſo, publicarentur, & Scripta ab ipſo edita Cæſaris edicto proſcripta de manibus ſtudioſorum excuterentur, ſtudio *Mudæi* tanta Reipubl. literariæ clades averſa eſt.

Etſi multorum Principum ac civitatum ampla ſtipendia mereret, tamen non aliter, quàm hâc exceptione operam ſuam ulli condixit, ut quæ pro injuſtis duceret, eorum abſtinere patrocinio integrú ſibi foret.

Prodierunt poſt obitum ejus hæc:

Commentarii in titulos aliquot digeſtorum, quibus XVII. — XX. libri Pandectarum & II. pars libri IV. Codicis ex parte explicantur.

Digitized by Google

Commentarius in tit. VI. Inſtit. lib. IV. de actionibus.

Ejuſdem de Contractibus IV. D. tituli facilè præcipui, qui ſunt.

1. Pro ſocio.

2. De contrahendâ emtione & venditione.

3. De actionibus emti & venditi.

4. De pignoribus & hypothecis &c.

Commentarius in aliquot titulos lib. VI. Codicis.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

Obiit A.C 1561.

JOHANNES VLATTENUS.

NObili apud *Juliacenſes* genere ortus.

In omni humanioris doctrinæ genere, Juris civilis inprimis Scientiâ verſatus, non dedecori ſibi duxit Philoſophicorum progreſſuum teſtimonium petere, cui Juris gradum ſummum, quem Docturam vocant, adjunxit. *Philoſophiæ Mag. & Doctor Juris.*

Præpoſitus *Aquenſis* factus, à *Guilielmo* Duce *Clivenſium* inter Conſiliarios cooptatus, Cancellarius ejusdem factus eſt, quo tempore inter ipſum & *Eraſmum* ſumma viguit amicitia. *Conſiliarius Clivenſis*

A. 1543. Cum *Clivenſis* dux occupatâ *Geldriâ* Cæſarem in ſe commoviſſet, ejusque adventu bellum *Cliviæ* funeſtum impendere videretur, pacificatio inter principes diſſidentes *Noribergæ* tentata eſt, quam *Vlattenus* legatus Principis ſui primarius probavit, & intercesſoribus ob navatam operam gratias egit.

Obiit *Düſſeldorpii* A. 1561. *Moritur.*

* *Ex vitis JCtor. Melch. Adami.*

Obiit A.C 1562.

PETRUS WESENBECIUS.

EX familiâ veteri & celebri natus eſt in *Belgio* à *Weſenbecke*, quod ſuperioribus *Germanis Wieſenbach*, Latinis torrentem pratorum ſignificat, A. 1487.

Studia Jurisprudentiæ *Lovanii* primùm, deindè *Lutetiæ*, *Antverpiæ* tandem coluit, ubi uxorem duxit *Barbaram* natam in familiâ *Cillorum* celebri patre opulento & negotioſo, multisque legationibus ad *Angliæ* præſertim Reges perfuncto. Ea cum anteà locupleti juveni nupſiſſet, qui ære alieno contracto brevi pòſt præ animi mœrore obiit, maluit fortunarum ſuarum quàm exiſtimationis mariti detrimentum pati, debita de ſuo creditoribus perſolvens. *Studia Juris amplectitur.* *Uxorem ducit.* *Occaſio nuptiarum conciliandarum.*

Deindè maturè in Decurionum numerum adſcriptus, Senatoriis partibus aliquandiu eſt perfunctus. *Senator.*

Duabus præcipuè virtutibus fuit commendatus, Amore in Remp. ſingulari, & in exhauſtâ in egenos liberalitate: nam in eum uſum ex fructibus & obventionibus annuis, quæ, connumerato quæſtu quotidiano, ad quatuor millia quotannis redibant, quarta pars ferè effundebatur: operam etiam dabat maximam, ut ex divitum contractibus & teſtamentis, in quibus ſe actore autoreque utebantur, aliqua ſemper bonorum pars Collegiis pauperum ingens quotidiè numerus è curiâ redeuntem domum comitabatur, aliis per viarum diverticula antevertentibus & ad ædes eum præſtolantibus, quod certum erat domeſticis appropinquantis heri ſignum. *Virtutes Weſenbecii.*

Deceſſit *Antverpiæ* in filii Dei verâ agnitione, puram Eccleſiæ Doctrinam Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis conſentaneam profeſſus 18. Febr. 1562: æt. 75. *Moritur.*

Tempeſtates ſeditionum & pericula, quæ depravatis Gubernatorum moribus ingruere proſpexerat, opportunâ muneris ſui ceſſione, & extra ditionem ſeceſſione tempeſtivè evitavit. Indè tamen, tranquillatis longo intervallo rebus, ad Senatorium locum revocatus, in fortunis 50000. Joachimicorum ſuperantibus, obitu ſuo excidium patriæ antevertit.

Ex conjuge ſedecim liberos ſuſcepit, interquos *Andreas*, *Mattheus* & *Petrus* J. C. eximii.

* *Ex Melchioris Adami Vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1562

BONIFACIUS AMERBACHIUS.

NAtus eſt *Baſileæ Bonifacius Amerbachius* A. 1495. patre *Johanne* typographo *Baſileenſi*, Matre verò *Barbarâ Ortenbergia*. Puer cum fratribus *Brunone* & *Baſilio* ætate ſe majoribus, & in juventute demortuis, *Johanne Conone*, *Noribergenſi*, qui nuper in *Italiâ* Græcas literas didicerat, præceptore privato uſus eſt. *Literis operam dat.*

A. 1513. Philoſophiæ & liberalium artium Magiſter in patriâ ſalutatus eſt. *Eraſmi* non ſolùm tunc, ſed & per tempus vitæ non familiaris modò amicus, ſed & hæres unà cum *Hier. Frobenio* & N. *Epiſcopio*. *Philoſophiæ Magiſter. Eraſmi hæres.*

Jactis verò ſic artium in patriâ fundamentis, *Friburgum* abiit, & domeſtico *Ulr. Zaſii* contubernio uſus, jurisprudentiam aggreſſus eſt, quam in *Italiâ* & *Galliâ* alacriter urſit, usque dum *Avenione* ſummum doctoratus gradum cum laude eſſet conſecutus. Cum itaque labore aſſiduo multarum ſibi rerū cognitionem comparâſſet eximiam, *Baſileam* rediit, & leges civiles publicè in Academiâ enarravit viginti ferè annis. *Profeſſor Jur. Juris ſtudium amplectitur. Fit D. Juris.*

Oblatâ autem ipſi ſæpiùs ad altiora ſcandendi occaſione, cum à Principibus ad Conſilia, & ab *Italis* ad leges publicè docendas, ſtipendio liberali propoſito, fuiſſet evocatus, ſuâ tamen ſorte contentus, patriæ docendo ſe dare maluit.

Ex Conjuge *Marthâ Fuchſiâ* in ætatis flore defunctâ, filium ſuſcepit *Baſilium*, cum filiabus *Urſulâ*, *Eſthere*, *Fauſtinâ*, & *Julianâ*.

Baſileæ morte placidâ Chriſti ſolius merito fretus obiit A. 1562. ætat. 67. 24. Apr. Ibidem in cœnobio *Carthuſianorum* ſepultus, in quo 1. Febr. 1544. parentibus, ſibi, uxori, & *Moritur.*

ri, & liberis monumentum conſtruxit cum ſequenti ad parietem inſcriptione:

Epitaphium. *Quo nullus ſuo ſeculo fuit, cum excudendis libris nitidior, quod ſumptuoſæ dexteritatis eſt, tum in iisdem ad veterum exemplarium fidem reſtituendis diligentior, quod eruditionem & laborem requirit: Johannes Amerbachius hic cubat cum Barbarâ Ortenbergiâ ſingularis prudentiæ fœminâ, ac Brunone Baſilioq; filiis præproperè hinc ereptis, ſed antè tamen eruditione ſua trilingui, per laborioſiſſ. Hieronymianorum operum recognitionem: quibus nunc docti ubique gentium fruuntur, orbi toti commendata: Bonifacius Amerbachius, Parentibus & fratribus optimis, ſed & Marthæ Fuchſiæ uxori ſuæ, Chriſtianarum virtutum dotibus incomparabili, cum Urſulâ ac Heſtere duabus fil: hic quieſcenti, item ſibi ipſi: Liberis ſuis ſuperſtitibus, Fauſtinæ, Baſilio, Julianæ, poſterisq; in humanæ fragilitatis memoriam. F. C. Parentibusq; fratribusq; jam olim, uxore verò in ipſo ætatis flore, cum filiolis haud ita dudum expectandi cenſorii noviſſimique Diei ergò collocatis Anno M. D. XLIV. Calend. Februar.*

Scripta. Scripſit *Epiſtolam de Urbe Baſileâ, inſertam Coſmographiæ Münſteri.*

Commentationes varias.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtor.*

Obiit A. C. 1562.

JOHANNES LUCANUS.

Lucæ, inf. Luſatiæ oppido, natus eſt circa Annum 1520.

Patrem habuit cognominem, illius loci Prætorem.

Wittebergæ literis operam dat. E patriæ ludo ſtatim in vicinam Academiam *Wittenberg.* miſſus, ibi privatis Præceptoribus uſus eſt *Joh. Velcurione*, & hoc mortuo *Joh. Marcello*.

Juris ſtudium amplectitur. Indè ad Legum ſtudium progreſſus, fontes ejus doctrinæ, *Melanchthone* interprete, deguſtavit. Hujus deindè conſilio diligenter *Conradum Mauſerum* audivit Inſtitutiones prælegentem, eumque domeſticum ſibi Præceptorem ac hoſpitem delegit.

Docet inſtitutiones. Paucis annis poſt vix natus annos 20. quâ ætate *Bartolus* ſcribit, ſe Doctoris titulum adeptum, cœpit in mediocri auditorum ſenatu grandiorum frequentiâ Inſtitutiones Juris privatim enarrare.

Audivit autem & tunc *Hieronymum Schurffium.*

Profeſſor Juris. A. 1543. Profeſſoris in Jure publici locus ipſi tributus eſt, quo munere cum fide & laude functus eſt ad bellum usque *Germanicum*, in quo An. 1547. Electore *Saxoniæ* capto, cum & *Schurffius* & alij aliò diffluerent, ipſe in *Megapolenſem* ditionem venit.

Ibi cum ſedem familiæ ſuæ fixiſſet, & *Theodoricus Molzanus*, Vir primarius, hoſpitium ei per integrum ferè annum præbuiſſet, *Joh. Albertus*, Dux *Megapolenſis*, *Molzani* commendatione ipſum in aulam vocatum *Cancellarius Megapolenſis.* Cancellarium ſuum reddidit.

A. 1548. Cum *Carolus V.* Victor novas de religione leges condens, etiam *Henricum* & *Joh. Albertum* Duces *Megapolenſes* urgeret, ut Eccleſias ſuarum Regionum juxta normam libri *Auguſtæ* cuſi, *Interim* dicti, curarent conſtituendas, Principes, convocatis *Sternbergam* Ordinibus, Cæſaris mandatum propoſuerunt, qui unanimi conſenſu *Sphingem illam Auguſtanam* repudiarunt, & *Lucano*, ut reſponſionem Cæſari mittendam formaret, mandatum dederunt. Quod cum feciſſet, nec quicquam poſt à Cæſare flagitatum eſt, niſi ut Legatos ſuos ad Synodum *Tridentinam* mitterent. *Interim à Cæſare obtruſum.*

Lucanus reſpondit. Narraverunt, qui reſponſum manu *Lucani* ſcriptum viderunt, eum in frontiſpicio hoc adſcripſiſſe dictum: *Si aliud jubeat Imperator, aliud DEUS, da veniam Imperator: tu carcerem, ille gehennam minatur.*

A. 1552. In bello, quod *Joh. Albertus*, Dux *Megapolenſis*, pro religione patriæque libertate cum aliis Principibus Imperii confœderatis geſſit, *Lucanum* perpetuum ferè Comitem habuit, & ipſius conſilio uſus eſt.

A. 1559. In Comitiis *Auguſtanis Ferdinandus* Imperator Nobilitatis honorem & privilegia ipſi contulit. Deinde Academiam *Roſtochianam* inſtauravit.

Moritur. 1. Maji 1562. Cum ante dies duodecim à Principe ſuo, finitis annis, quibus ipſi obligatus erat, dimiſſus fuiſſet, placidè obdormivit.

Ex conjuge honeſtâ *Wolfgangi Schiffterdeckeri*, Quæſtoris in arce *Wittenbergenſi* filiâ, filium unicum reliquit.

Facta Lucani notabiliora. Cum aliquando Nobiles quidam, ut eorum cauſis in aulâ expediret, multis Joachimicis additis, illum rogâſſent, placidè reſpondit: *Stipendium ſibi à ſuo Principe numerari, ut cauſas ad ſe delatas pro virili promoveat, nec fidem ſuam cuiquam, etiam ſine dono, defuturam.*

Aliquando in publico Ordinum totius ditionis *Megapolenſis* congreſſu publicè provocavit Calumniatores ſuos, quorum ibi non paucos adeſſe ſciebat, ut coràm accuſarent, aut jure ſecum agere experirentur: ſed cum nemo prodiret, ipſo ſilentio obtrectatorum os obſtructum putavit.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

Obiit A. C. 1562.

ÆGIDIUS MAGISTER.

Cancellarius Pariſienſis. *Gall. Le Maiſtre*, Senatûs *Pariſienſis* Princeps, ævo gravis, cum ex morbo decumberet, audito per urbem diſcurrentium tumultu, ex metu hoſtilis Proteſtantium, qui in propinquo erat, exercitûs, tantum pavorem concepit, cum ſe à Proteſtantibus peti crederet, ut exeo mox deceſſerit, vir Juris peritiſſimus, qui per omnes togæ gradûs ſecundâ ſolertiæ famâ ad hoc faſtigium evectus eſt. *Obiit ex terrore. Per omnes togæ gradûs evectus.*

Scripta ab eo edita. Poſt ejus mortem repertæ inter adverſaria *Deciſiones de ſubhaſtationibus, regalibus ac Sacerdotum juribus, de Appellationibus ab abuſu*, quas vocant, publicatæ ſunt, quæ pro

ratis

ratis ſententiis ubique in cunctis Regni *Galliæ* tribunalibus habentur, tantique viri memoriam in animis hominum intermori non ſinunt. Obiit A. C. 1562.

Moritur.

In ejus locum ſuffectus eſt *Chriſtoph. Thuanus*, à *Catharinâ Mediceâ* Reginâ ad id munus delectus. *Thuan. Lib. 33.*

* *Ex Thuani cuncleati Parte II. Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1562.

PHILIPPUS NIGRIUS.

Juris utriusque Doctor, *Mortuus Boloniæ* natus. *Bruxellæ* in D. *Gudulæ* Decanus, Cancellarius Ordinis aurei velleris. Primus *Antverpienſium* nominatus Epiſcopus, in ejusque præmaturè mortui locum *Franciſcus Sonnius* ſuffectus eſt. Obdormivit A. C. 1562. & ſepultus in D. *Gudulæ* hoc Epitaphio:

Cancellarius Ordinis aurei Velleris. Epiſcopus Antverpienſis primus.

Epitaphium.

Candida de Nigris, Iſaia I.
Extinctum luget tum plebs tum Curia Nigrum,
Conſilium hæc ejus, altera ſenſit opem.
Si quid erat nigri, famâ ampliùs omne repoſtum eſt,
Hoc iſthoc tumulo, cætera candor habet.
Vive precor ſummi candore, Philippe, beatus,
Candida dum fiant quæ modò nigra jacent.
Obiit anno CIↃ. IↃ. *LXII. ſtylo Brabantiæ. IV. Januarii.*

Scripta.

Scripſit:
De exemptione Canonicâ Lib.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1562.

CHRISTOPHORUS BRECHTERUS.

Argentorati natus in Scholâ patriâ literarum præcipuè ſtudio, quod linguis continetur & diſſerendi ratione, ſe totum dedidit. Posteà ab hoc veluti aditu januaque patefactâ ad Jureconſultorum Scholas tranſiit, jurisque ipſius publici prudentiâ & antiquitatis ſcientiâ inſtructiſſimus, ſummam lauream meritus eſt, ita ut jus civile porrò ipſum in Academiâ *Marpurgenſi* docuerit, & ea, quæ hoc in genere proponi conſueverunt, non populari quâdam trutinâ, ſed aurificis planè ſtaterâ examinârit. Obiit tandem A. 1562.

Linguarum & Oratoriæ ſtudio ſe dedidit. Jurisprudentiæ ſtuduit. Doctor Juris creatus. Academiæ Marpurg. Profeſſor Juris. Moritur.

* *Ex MSS. Marpurg.*

Obiit A.C. 1562.

SIMON PISTORIUS.

Simon Piſtorius, vel *Simon Piſtoris*, natus eſt *Lipſiæ* A. 1489. 28. Oct. ex vetuſtâ, celebri & nobili familia, Avum habuit *Nicolaum*, Patrem *Simonem*, utrumque Med. Doctorem & *Saxoniæ* Ducum Archiatrum.

Filius & Nepos Med. D.

A. 1509. ætatis 20. *Lipſiæ* gradum Baccalaurei Juris meruit.

Baccalaureus.

Hinc in *Italiam* profectus, *Jaſoni Mayno*, *Philippo Decio*, *Franciſco* & *Rocho Curtiis*, & *Paulo Pico* Jurisprudentiæ luminibus operam dedit.

A. 1512. *Italiâ* bellis diſtractâ, ad ſuos rediit, & Jur. Licentiam, A. verò 1514. Doctoris inſignia, promovente *Johanne Lindemanno*, ſuſcepit.

Juris Licentiatus & Doctor.

Statim posteà publicum interpretandi Codicem *Juſtiniani* munus adeptus eſt, in quo quinquennium verſatus, poſt mortem *Lindemanni* A. 1519. Juris Profeſſor ordinarius à Duce *Saxoniæ Georgio* nominatus eſt.

Docet Jura.

A. 1523. In aulam ejusdem Principis ad Cancellarii munus accerſitus, id invitus ſuccepit, & usque ad Obitum Principis *Georgii* A. 1539. laudabiliter adminiſtravit.

Cancellarius Saxonicus.

Exindè rediit ad Ordinarium *Lipſiæ* pulpitum, & licet ſtatim poſt *Ingolſtadium* literis *Viglii Zuichemi* in locum demortui D. *Franciſci Burckhardi* vocatus eſſet, in patriâ tamen manere maluit.

Lipſiæ docet.

A. 1542. Ab Electore *Mauritio* ad Archigrammatei munus revocatus, in eo ad annum usque 1548. perduravit.

Quo ſenio confectus in pagum ſuum *Seuſelitz* uno infra *Miſniam* lapide ad *Albim* ſe recepit, ſic tamen, ut in ſtipendio conſiliisq; Principum ad extremum vitæ ſuæ hæreret. Vitam ibi clauſit A. 1562. ætat. 73. Monumentum in ipſius honorem erectum in æde publicâ viſitur ſequens:

Moritur.

D. O. M.

Epitaphium.

Simon Pistoris J. V. D. Obiit III. Non. Decemb. A. Christi M. D. LXII. ætatis LXXIII. Pater liberorum XXIII. Vita nostra fidei vita est, non contemplationis. Simon Pistoris J. U. D. in erudita familia natus, Eruditos et honoratos linquens filios superstites, quem urbs Papia docuit, Patria Lipsia ornavit, Aula Saxonica observavit; sub hoc Saxo corpore conditur, animo vivit felicitate sempiterna. Obiit an. M. D. LXII. D. III. Dec. Hora V. Promeridiana.

Conditur hoc tumulo Simon Piſtorius, atque
A patre præclaro nomen avoq; tulit.
Saxonicâ vixit qui Cancellarius aulâ,
Ultraque quinque gerens luſtra regentis onus.
Ingenio præſtans, ſtudio indefeſſus, honore
Summus, Conſiliis utilis, ore potens.
Quod mortale fuit tellus tenet; inclyta fama
Nominis haud ullo ſtat violanda die.
P. C. P. C.
Patri Chariſſ. filii mœſtiſſ.

In more *Piſtorius* habuit, ut poſt horam noctis duodecimam ſurgeret, & ad quartam usque lucubraret, indè in lectum reverſus, ad ſextam usque quieſceret, id quod in itineribus fecit.

Liberos ex tribus Conjugibus XXIII. ſuſcepit, quorum plerique in aulis principum & Conſiſtorio Imp. dignitates præcipuas conſecuti ſunt.

Scripta.

Prodierunt ejus quædam lucubrationes

nes & reſponſa juris, ſive conſilia cum *Modeſtini* filii conſiliis.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1562.

AURELIUS DAVID SAVIUS.

Iuriſconſultus. Advocatus Taurini.

PAtriâ *Aſtenſis*, Duci *Sabaudiæ* ſubditus, Juriſconſultus fuit eximius voce & ſcriptis excellens, cujus Conſilia pro Oraculis habita fuêre. Patriâ demùm relictâ *Taurinum* conceſſit, & cauſarum actorem celebrem egit per vitæ ſuæ tempus reſiduum, ibidem vitâ defunctus 3. Dec. A. C. 1562. *Moritur.* In Templo *S. Franciſci* ſepultus cum hoc brevi & ſententioſo Epitaphio:

Epitaphium. HIC CINIS EST SAVII, BENE VIVERE, COETERA FUMUS.

DIE 3. DEC. 1562.

Edidit:

Scripta. *Tractatum de Verborum & rerum ſignificatione.*

Commentarium ſuper tit. de cap. & poſtlim. reverſ. in ſecundo Digeſti novi.

* *Ex Theatro virorum doctorum literatorum Italico Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1562.

BARTOLOMÆUS CAVALCANTIUS.

EX antiquâ patritiâ familiâ *Florentiæ* A.C. 1503. natus, ob libertatem patriâ profugus, à puero egregiâ optimarum ſcientiarum cognitione inſtructus, conſilio & eloquentiâ præclaram maximis in rebus S. Pontifici *Paulo III.* & ejus nepoti *Octavio Farneſio*, ſed maximè *Henrico II. Galliæ* Regi in *Senenſium* cauſâ, dum *Francorum* armis priſtinam libertatem tueri afflictæ Reipublicæ conatur, operam navavit, ac magna negotia ubique cum prudendentiæ ſummâ & integritatis laude geſſit.

Conſiliarius S. Pontificis & Regis Galliæ.

Demum ſecutâ inter *Gallos* & *Hiſpanos* pace, otii literarii cupidus, *Patavium* ſeceſſit, ubi ſtudiis & vitæ finem fecit 5. Id. Dec. A. C. 1562. ad *S. Franciſcum* à *Johanne* filio ſepultus.

Patavii obiit.

Præcipua ingenii ſui reliquit monumenta.

Scripta.

De Rhetoricâ Lib. VII.

Commentar. de optimo Reipubl. ſtatu, quem Franc. Sanſovinus authori poſthumum publicavit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1563.

ALVARUS A QUADRA.

Orator Regis Hiſpaniæ.

PRæſul *Aquilanus*, *Philippi II. Hiſp.* Regis Oratoris munere apud *Eliſabetham Angliæ* Reginam fungens, *Polorum* familiâ prænobili ſibi conciliatâ, in ſuſpicionem Reginæ venerat, quaſi res novas in *Britanniâ* moliretur. Rogatus *Philippus*, ut eum revocaret, ſe excuſavit, dicens, *Incommodè cum Principibus actum ibi, ſi ex quâlibet levi offenſionum opinione Legatos ſuos revocare teneantur.*

Cum hoc impetrare non potuiſſet Regina, ex aliâ cauſâ hominem ſibi inviſum indignum in modum habuit. Quippè non prius monito *Philippo* Legatus domi incluſus, & nullâ dignitatis habitâ ratione in Jure interrogatus, mœrore ex tantâ injuriâ contracto, paulò pòſt obiit A. C. 1563. Ei in munere ſuffectus eſt *Didacus Guſmannus Sylva.*

Reginæ Angliæ Eliſabethæ inviſus, & malè habitus.

Ex mœrore obiit.

Indè res inter *Anglos* & *Hiſpanos* ad diſſidium vergere cœperunt, quod tandem in bellum longum & atrox erupit.

* *Ex Thuani enucleati Parte I. Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1563.

ARNOLDUS FERRONUS.

PAtritius & Senator fuit *Burdegalenſis*, cujus eximiæ doctrinæ & induſtriæ multum patria debuit, quod præter aſſiduam in Jure dicundo prudentiam & æquitatem, Leges *Burdegalenſium* municipales pluribus in locis obſcuras & perplexas diſertis enarrationibus illuſtravit.

Iuriſconſultus. Leges Burdegal. illuſtravit.

Longè tamen ei plus debuit univerſa *Gallia*, quando is rerum *Gallicarum* Hiſtoriam *Pauli Æmilii* Libris attexendam à *Caroli VIII.* temporibus ad *Henrici II.* adventum eâdem ſtyli tum puritate tum velocitate perſecutus eſt.

Hiſtoricus Gallicus.

Non minus amplam & uberem nacturus operis continuandi ſegetem ſi ad ſubſecuta turbulenta *Galliæ* tempora filum Hiſtoriæ ſuæ perduxiſſet, nec in medio curſu conſtitiſſet, eò tamen faciliore jacturâ, quod ſummæ auctoritatis vir *Jacobus Auguſtus Thuanus* id quoque argumentum magno *Gallici* nominis incremento ſuſceperit. *Obiit* mœrentibus Muſis A. C. 1563. ætatis 48. *Moritur.*

Edidit:

Scripta. *Tractatum in Conſuetudines Burdegalenſes.*

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Obiit A.C. 1563.

GUILIELMUS PAGETUS.

LOco humili, ſed honeſto, *Londini* natus, virtute ſuâ meruit, ut inter *Angliæ* Regni Proceres poſtremò numeraretur, ſub *Henrico VIII.* legationibus honorificis apud *Carolum V.* Cæſarem & *Franciſcum I. Galliæ* Reg. defunctus, & inter Regni Curatores teſtamento ab ipſo nominatus, diu ſub *Edoardo VI. Lancaſtriæ* Principatus Cancellarius, & Regiæ aulæ cenſor, tandem etiam periſcelide donatus, quæ tamen ei injurioſè à *Joh. Dudleio Nortumbrio* detracta eſt.

Regis Angliæ Legatus. Curator Regni Angliæ. Cancellarius Lancaſtriæ.

Sub Reginâ *Mariâ* privati Sigilli Cuſtos, eâ mortuâ, quamvis in Majorum religione conſtanter perſeveraverit, *Eliſabethæ* cariſſimus, ob ingraveſcentem ætatem à negotiis miſſionem, nullo priſtinæ gratiæ damno impetravit, filiis tribus in aulâ relictis, qui di-

Privati Sigilli Cuſtos.

gnitatis à patre partæ titulos retinuerunt, filiabus item ſex antequàm excederet, in clariores Regni familias elocatis. *Thuan. Lib.* 36.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A. C. 1564.

FRANCISCUS CRANEVELDIUS.

Juris Doctor.

NObili apud *Geldros* familiâ *Neomagi* natus eſt, & decurſo Juris Civilis ſtudio Doctor *Lovanii* creatus.

Pòſt *Brugis Flandrorum* Reipublicæ Orator fuit, quem in *Belgio* magiſtratum Penſionarium vulgò nominant.

Conſiliarius Cæſaris. Indè *Machliniam* in Conſilium à Cæſare vocatus ſummâ cum fide munus id obiit.

Sexagenario major *Catonis* exemplo literas Græcas per ſe diſcere horis ſubciſivis non erubuit, quas tam avidè arripuit, ut ſine doctore Græcè benè peritus *Procopii de Juſtiniani Imp. ædificiis libros VI.* aliaque non pauca Latinitate donârit. *Græca diſcit. Vertit Procopii quædam.*

Amici Craneveldii. Magna illi cum *Eraſmo Roterodamo, Ludovico Vive, Thomâ Moro,* & *Alardo Amſtelrodamo* familiaritas fuit, ad quos etiam Græcè interdum ſcripſit.

Moritur. Obiit *Machliniæ* die *S. Franciſci* 4. Octob. A. 1564.

Scripta. Præter illos *Procopii* libros Latinè redditos, ſcripſit & præfationem in *Ludovici Vivis libros de veritate fidei Chriſtianæ.*

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

Obiit A. C. 1564.

HULDERICUS ISELINUS.

BAſiléæ ex honeſtâ familiâ natus eſt An. 1520.

Patrem habuit homonymum Senatorem ditiſſimum, Matrem *Eliſabetham Barin.*

Diſcipulus Simonis Grynæi. *Johanne Operino* Præceptore prima artium humaniorum fundamenta jecit. Poſteà in *Simonis Grynæi* contubernium admiſſus, in Græcis literis & Philoſophiâ non vulgarem doctrinæ ſupellectilem ſibi comparavit.

Juris ſtudio operam dat. A. 1538. *Lutetiam* miſſus, Jurisprudentiæ operam dedit.

Juris Profeſſor. Poſteà alias quoque *Galliæ* Academias acceſſit, & inprimis *Valentiæ* ad *Rhodanum* plurimùm profecit.

A. 1547. In patriam rediit, & Jura extraordinariè explicare cœpit. A. ſeq. *Italiam* adiit, & *Papiæ* ab *Alciato* Juris Doctor ſolenniter renunciatus eſt. *& Doctor.*

Baſiléam ubi rediit, *D. Bonifacii Amerbachii* I. C. filiam *Fauſtinam* uxorem duxit, paulòque pòſt Socero in Juris Profeſſione ſucceſſit, tertiáque Rectoratum vice geſſit.

Moritur. Ibi peſte ſæviente ſublatus eſt cum duobus Collegis *Marco Hoppero* & *Martino Lebero* ſub finem anni 1564. ætatis anno 44.

Sepultus in Cathedralis Eccleſiæ circuitu cum tali Epitaphio in marmore ſculpto : *Epitaphium.*

CULTOR JUSTITIÆ FUI SEVERUS,
ET VERUS PIETATIS * INDAGATOR
UTRAMQUE AD SUPEROS COMES SECUTUS;
HOC NATOS MONEO ET * SEROS NEPOTES
DISCANT JUSTITIÆ AC DEO * PARERE.
OB. A. C. M. D. LXIV.

** Æſtimator. * Pios. * Placere.*

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

Obiit A. C. 1565.

MODESTINUS PISTORIS.

SImonis Juriſconſulti & Cancellarii *Saxonici* filius, *Simonis* verò Archiātri *Saxonici* Nepos, *Nicolai* Archiatri *Saxonici* Pronepos, *Lipſiæ* natus eſt A. C. 1516. A Parentibus in omni literarum & virtutum ſtudio à teneris educatus, prima eruditionis fundamenta in patriâ Academiâ poſuit. Indè in *Italiam* profectionem ſuſcipiens, totum quinquennium Jurisprudentiâ animum excoluit.

Quare patriam jam confirmatâ eruditione repetens, in eâ Legum Doctor creatus, & ejusdem facultatis Ordinarius Profeſſor conſtitutus eſt. *Iuris Doctor & Profeſſor Lipſiæ.*

Hanc ſpartam cum more majorum diligenter ornaret, ab Illuſtriſſ. Saxoniæ Electore inter Conſiliarios adſcitur, & Judicii Curialis Aſſeſſor perpetuus deputatur. *Conſiliarius Saxonicus. Iudicii Curialis aſſeſſor Lipſienſis.*

Quin & Proavi Conſulis *Lipſienſis*, & avi Medici, & Patris Juriſconſulti exemplo per multos annos Conſulari dignitate *Lipſiæ* in Patriâ fungitur. *Conſul Lipſienſis.*

Tandem magnâ cum laude dignitatis, virtutis, ſapientiæ, juſtitiæ, magnique illius *Modeſtini* I. C. *Rom.* ut nominis ita ingenii ac ſtudii conſors digniſſimus, non tàm ætate conſumptus, quàm laborum pertinaci aſſiduitate fractus, piè ex hâc vitâ exceſſit A. C. 1565. ætatis 49. *Moritur.*

Filium reliquit *Ludovicum Piſtoris* J. U. D. & Cameræ *Spirenſis* Aſſeſſorem, qui 4. in rectâ ſurſùm lineâ Parentes numeravit Jur. Doctores, ipſe quintus.

Edidit *Volumen Reſponſorum Juris, ſeu Conſiliorum.* *Scriptum.*

* *Ex Vitis 50. Viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A. C. 1565.

ANTONIUS GOVEANUS.

TAntâ felicitate in humanioribus ſtudiis ingenium exercuit, ut nemo puriùs Latinè ſcriberet, nemo verſus elegantiùs pangeret. In Philoſophiâ verò *Ariſtotelicâ* tantum profecit, ut ejus patrocinium jam tum in illâ juvenili ætate contra *Petrum Ramum* ejus importunum impugnatorem magnâ cum laude ſuſceperit. *Philoſophus & Poëta. Petri Rami adverſarius.*

Poſteà in Juris Profeſſione tantos progreſsûs fecit, ut *Jacobus Cujacius* teſtatum reliquerit, *Goveanum* ex omnibus Juris *Juſtinianei* interpretibus, quotquot ſint aut fuerint, *Juris Profeſſor Pariſienſis.*

fuerint, unum eſſe, cui, ſi quæratur, quis excellat, palma deferenda ſit.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C. B.*

* * * *

Natus in *Luſitaniâ*, adoleſcens in patriâ, poſt *Lutetiæ* ſub patruo *Jacobo Goveano*, Collegii *Barbarani* præfecto, feliciter literis operam navavit.

Juvenis natu grandior tres ferè annos in Juris Civilis ſtudio dedit operam *Æmilio Feretto Avenione* profitenti, quem parentem alterum appellare *lib. 2. de Juriſdictione* non dubitavit. *Toloſæ* mox ſtudia continuavit.

Florebant tunc in *Galliâ* variis in Gymnaſiis Juris Civilis lumina, *Alciatus*, *Viglius*, *Ferettus*, *Duarenus*, *Coraſius*, *Contius*, & in *Belgio Revardus*, *Curtius*, *Balduinus*, *Mudæus*, ætatisque ſuæ familiam ducens *Jacobus Cujacius*, quibus omnibus eadem mens, Jus *Romanum* ab injuſtis poſſeſſoribus, barbaris ac rabulis vindicandi, quibuscum pro Juris Civilis dignitate juſtum ac pium bellum ſcriptis gerebant. Quo in bello, inquit *Goveanus*, ſi nihil potero, vota tamen pro victoriâ faciam, quorum nunquàm niſi ſerò damnabor.

Scripta ab eo edita. Edidit accuratè *ſecundas de Juriſdictione cogitationes duobus libris contra Eguinarium Baronem*, primum ætatis ſuæ *Biturigibus* Jurium Doctorem, qui quæſtionem eam obſcurè ac perplexè tractabat: Stylum tamen hìc ita temperavit, ut viri auctoritatem apud ſtudioſos ſummam minimè læſiſſe videretur.

Scripſerat adoleſcens in *Ciceronis Vatinianam interrogationem*, *& in duos priores ad Atticum libros*, ac de *Legibus*. Scripſit & *Variarum in Jure Civili Lectionum Libros* pereruditos. Citat alibi notata à ſe *de Prætoribus & Proprætoribus*, quæ an evulgârit, incertum.

Juris Profeſſor Caducri. Valentiæ. Toloſæ. *Cadurci* Jus annos aliquot magno concurſu docuit, & *Valentiæ Delphinatûs* An. 1555. ad *tit. de vulgari & pupillari ſubſtitutione* dictabat. *Toloſæ VI.* anteà anno *Andreæ* naturâ atque animo fratri beneficiis verò Parenti *Librum de Jure accreſcendi* inſcripſit. *Gratianopoli ad Legem Falcidiam*, quæ perdifficilis eſt, dictabat.

Gratianopoli. Uxorem duxit, & filios genuit. A. 1555. Quarto poſt anno, uxorem ibi domum duxit, ex eâque liberos ſuſtulit, *Petrum* & *Manfredum*, quorum illum *Petrus Bertrandus Cadurcorum* Epiſcopus in baptiſmatis fonte ſuſceperat.

Conſiliarius Ducis Sabaudiæ. *Taurinis Allobrogum* deceſſiſſe fertur Libellorum ſupplicum Magiſter apud *Sabaudiæ* Regulum, & Conſiliarius, annos natus vix 60.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ diverſorum auctorum.*

* * * *

Ex *Galliâ* in *Italiam* pulſus, & in aulâ *Philiberti Sabaudiæ* Ducis *Margaritæ* commendatione honeſtum otium nactus (nam in privatum Principis conſilium Senator cooptatus eſt) morbo ex immodico, ut fertur, peponum eſu contracto *Auguſtæ Taurinorum* obiit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

GUILIELMUS RASTALLUS.

Obiit A. C. 1565.

LOndini *Angliæ* metropoli natus, matrem habuit *Eliſabetham*, *Thomæ Mori*, Cancellarii celebris, ſororem. Legum ſtudiis præ cœteris deditus, & Legum præſertim Regni *Anglici* municipalium cognitione pollens, Judicis ſupremi munus cauſarum Civilium & Criminalium conſecutus eſt. *Index Cauſarum & Criminalium Londini.*

Regnante poſteà *Edoardo VI.* & fide mutatâ, Patriam deſeruit, & *Lovanii* in *Flandriâ* ſedem poſuit. Ibi conjugem ſuam *Wernfridam*, *Johannis Clementis* filiam ex *Angliâ* ſecum eò cum familiâ profectam A. 1553. morte abreptam in Templo *S. Petri terræ* mandavit. *Lovanii uxorem amiſit.*

Poſt obitum *Edoardi*, ſuccedente in Regno *Mariâ* Reginâ Catholicâ cum Rege *Hiſpaniarum Philippo II.* Reginæ Sponſo rediit in Patriam: ſed non diu permanſit. Cum enim Reginæ *Mariæ* vitâ defunctæ Soror *Eliſabetha* regno ſucceſſiſſet, & hæc religionem mutâſſet, iterum *Lovanium* conceſſit, & ibidem mortuus, eidem cum conjuge ſepulchro illatus eſt, addito *Epitaphio* utrique communi.

Epitaphium.

HIC SITA EST WERNFRIDA, CONJUX GUILIELMI RASTALLI AC JOHANNIS CLEMENTIS FILIA, QUÆ ANGLIAM PATRIUM SOLUM DIUTURNA HÆRESIUM LUE INFESTATAM RELINQUENS LOVANIUM CUM MARITO AC PARENTIBUS COMMIGRAVIT. UBI TRANSACTIS ANNIS TRIBUS CUM DIMIDIO DEO SPIRITUM REDDIDIT 17. DIE JULII ANNO 1553. VIXIT ANNOS 26. CUM DIMID. QUORUM 9. IN CONJUGIO EXEGIT. LATINÆ LINGUÆ NON IMPERITA, GRÆCAM VERO EXIMIE CALLENS, SED MORIBUS ET VITÆ SANCTIMONIA NEMINI POSTPONENDA. CUI, PIE LECTOR, DEUM QUÆSO DEPRECARE PROPITIUM.

POSTEA GUILIELMUS MARITUS, ECCLESIÆ JAM PACE RESTITUTA, IN ANGLIAM REDIENS, CUM NON ITA MULTIS POST ANNIS CATHOLICÆ FIDEI STATUS ILLIC DENUO PERTURBARETUR, AMPLISSIMO, QUEM INTER REGII CONSESSUS JUDICES OBTINEBAT, HONORE REPUDIATO, CLAM IN BRABANTIAM REMIGRAVIT, IBIQUE POSTEA ANNIS PLUS MINUS TRIBUS EXACTIS, NON SINE MULTORUM OB MERITA SUA MOERORE, FEBRI EXTINCTUS, NUNC CUM CHARISSIMA CONJUGE, A QUA NE MORTUUM QUIDEM ILLUM SECUBARE DEUS VOLUIT, HAC HUMO QUIESCIT. VIXIT ANNOS 57. MORTUUS EST 1565. AUGUSTI 27.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes: *Scripta.*

Vita Thomæ Mori.

Commentarii in Jura & Statuta Anglicana.

Legum Anglicarum vocabula.

Indices in Antonium Fitzberbertum.

Provocatio ex Ivelli Concionibus.

Linguâ *Anglicâ* ab eo ſcripta ſunt ſequentia:

Confutatio Concionum Ivell.

Admonitio de Conciliis, & Patribus.

Replicatio ad Reſponſionem falsò vocatam.

Defenſio veritatis.

Opera Thomæ Mori omnia in Volumen redacta.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A. C. 1565.

GEORGIUS SIGISMUNDUS SELDIUS.

Pater Seldii. A*Uguſtæ* natus eſt 21. Januarii A. 1516. Patre *Georgio*, familiæ *Auguſtæ* celebris tunc quadrigamo & ſexagenario Mathematicarum diſciplinarum peritiſſimo. Matre *Priſcâ Schallerinâ*, quæ poſt hujus mariti obitum, alii viro juncta, progenuit *Joh. Hegenmillerum* I. C. Conſiliarium primùm *Bavaricum*, poſteà & Cæſareum, aliquandiu etiam Cameræ Imp. Aſſeſſorem.

Seldius autem hic puer à *Plinitiano*, celebri Grammatico, in patriâ inſtitutus, ætatis anno undecimo cum *Raimundi Fuggeri* filiis *Ingolſtadium* miſſus eſt. *Cum Fuggeris Ingolſtadium mittitur.* Ibi cum annis non omninò duobus fuiſſet, cum iisdem *Fuggeris* in *Italiam* ablegatus eſt, *Indè in Italiam.* & *Lazarum Bonamicum* aliquandiu *Patavii*, longè diutius verò *Romulum Amaſeum Bononiæ* diligenter audivit. *Audit ICtos.*

Diſcedit in Galliam. Abſoluto in *Italiâ* biennio, in *Galliam* abiit, & *Biturigibus* etiam biennium conſumpſit, repetensque *Italiam*, Doctor Juris creatus eſt. *Doctor Iuris.*

Spiræ vivit. In *Germaniam* reverſus, *Spiræ* propter Judicium Cameræ aliquandiu vixit.

Indè ab *Antonio Fuggero* commendatus, *Henrico*, Comiti *Palatino*, Epiſcopo tunc *Friſingenſi*, in ejus Conſilium ſtatim eſt cooptatus.

Conſiliarius Bavaricus Mox *Ludovici*, *Bavariæ* Ducis, *Landisbutæ* Conſiliarius eſt deſignatus, qui ei Cancellarii ſui filiam uxorem dedit.

& Cæſareus A. 1546. Poſt mortem *Joh. Navii* ab Imp. *Carolo V.* petitus in Conſilium, & impetratâ à *Bavar.* Duce veniâ, cum eo in ejus temporis expeditione *Wittenbergam* profectus eſt.

Tandem Vicecancellarius. A. 1550. Ab Imp. Vicecancellarius declaratus cum eſſet, ob negotiorum molem *Joh. Marquardus Badenſis* & *Henricus Haſius* de voluntate Cæſaris ei adjuncti fuerunt.

A. 1557. In Colloquio *Wormatiæ* de Religione inſtituto cum *Julio Pflugio*, Epiſcopo *Naumburgenſi*, Commiſſarius & Judex Cæſaris nomine fuit, ſed eo colloquio interrupto, à *Carolo V.* ad Imperii reſignationem Electoribus offerendam *Ratisbonam* ad Comitia miſſus eſt.

A. 1559. Ab obitu *D. Jonæ* Procancellarius Imp. *Ferdinandi* declaratus, majori ex parte in *Auſtriâ* vixit, Imperatorem comitatus, qui eum identidem, Pater *Seld* ſolitus fuit appellare.

20. Maji 1563. Ab eo munere laboribus pleno dimiſſionem obtinens, in aulâ tamen manſit, *Dimiſſionem obtinet.* usque ad finem Junii Anni ſeq. quo cum uxore in *Bavariam* ad arces ſuas & libros reverſus eſt. Ibi reficiens arcem *Neuboſen*, ab Alberto *Bavariæ* Duce ſibi donatam in otio literario aliquandiu vixit.

A. 1564. Cum Imperator *Ferdinandus* obiiſſet, apud *Maximilianum II.* Patri in Imperio ſuffectum, qui evocârat, ivit ſe excuſatum, ſed admonitionibus *Philippi II. Hiſpaniarum* Regis & *Alberti Bavariæ* Ducis evictus, in *Auſtriam* rediit, ibique graviſſimis conſultationibus iterum adhibitus eſt.

26. Maji 1565. æt. 50. Cum eſſet extra *Viennam*, in prædium quoddam ad *Maximilianum* Imperatorem evocatus, in reditu eodem die, cum ruituri currûs equorum excitatorum curſu periculum inevitabile impenderet, prius deprompto è manicâ precum libello, animum ad DEUM convertit, tum cum Collegâ *Joh. Ulrico Zaſio*, Vicecancellario *Cæſareo* è curru deſiliit, & illiſis ad ſaxum quoddam temporibus eâdem adhùc horâ exſpiravit. *Ex miſerabili caſu moritur.*

Maximilianus Imperator caput ejus ſtatim juſſit ex materiâ convenienti plaſticè fundi, ut ejus vera effigies in Epitaphio poſteritati conſervaretur. *Luget Seldium Imperator.*

Zaſius periculosè quidem & ipſe cecidit, ſed DEI beneficio ſervatus eſt.

A. 1554. Comitis Sacri Palatii privilegiis ornatus *Seldius*, ſtudiis Geometricis & Muſicâ vehementer delectatus eſt, artifex autem teſtudinem pulſandi Principibus miraculo fuit. *Muſicâ delectatur & Matheſ.*

Subindè Imp. Ferdinandi animum curis defatigatum gravi oratione ſalibus & appoſitis exemplis ornatâ recreavit.

In poſtremo ex *Germaniâ* diſceſſu, *Carolus* Imperator *Fliſſingæ* ventos navigationi idoneos expectans, in multam usque noctem cum *Seldio*, fratris tunc *Ferdinandi* Legato, collocutus eſt. *Ultimum cum Seldio colloquium Caroli.* Poſteà *Seldio* abitum petente, cum ex familiâ in atrio partim dilapsâ partim dormiente nullus appareret, *Carolus* ipſe lychnum *Seldio*, quamvis recuſanti, prætulit, eique per gradus deducto, *Hoc tibi monumentum*, inquit, *Cæſaris illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitibus & excubiis quondam ſtipati, quem nunc ſolum, & à familiâ etiam deſertum vides, & cui tu tot annos ſerviiſti, is nunc etiam tibi ſervlis, & lumen prætulit.*

Scripta. Scripſit: *Conſilia graviſſima multa.*

Repertorium Juris quaſi prorſus novum confecit.

Genealogias, item *Caroli V. Imp. res geſtas*, *Diſcurſum de Cæſaris & Rom. Pontificis poteſtate*, *An Cæſar abdicaturus ſe Imperii onere id in manus Pontificis Rom. reſignare debeat edidit.*

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

JOACHI-

Obiit A.C. 1565.

JOACHIMUS DE NOVA DOMO, vel NEHAUSENUS.

Cancellarius Bohemicus.

EQues aurei velleris, & *Bohemiæ* Cancellarius, magnis & honorificis muneribus ſub Impp. *Ferdinando I.* & *Maximiliano II.* defunctus, Proteſtantium hoſtis acerrimus, cum petito commeatu munẽ ciſium conſcendiſſet, dum *Viennæ* pontem tranſivit, rupto pontis jugo, cum ciſio & equis deplorando caſu in *Danubium* præcipitatus ac ſubmerſus eſt, ciſiario uno enatante, & ſex equitibus, qui eum comitabantur, ſalvis, 12. Dec. A. C. 1565.

In Danubio ſubmerſus.

Thuan. lib. 38.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1566.

BARTOLOMÆUS LATOMUS.

ARluni, quod Ducatûs *Luxenburgici* oppidum eſt, natus A. C. 1485. à pueritiâ ſtudiis admotus, tantos temporis ſucceſſu progreſsûs fecit, ut magnus inter ſui temporis Philoſophos factus, nomenque ejus in *Italicis* Academiis in honore haberetur. Hinc & *Eraſmus Roterodamus* in amicorum ſuorum ac familiarium album cooptavit eum, & inter ævi ſui doctiſſimos recenſuit.

Philoſophus.

Conſiliarius Trevirenſis.

Hujus eruditionis famam cum *Trevirorum* Antiſtes inaudiviſſet, eum ad ſe invitatum inter primos ſui Senatûs, quo ejus in rebus arduis conſilio uteretur, inſtituit. Tandem octogenarius *Confluentiæ* circa An. Chr. 1566. obiit.

Moritur.

Extant ejus ſequentia:

Scripta.

Oratio de Eloquentiâ, ac Ciceronis laudibus.

Oratio funebris in obitum Principis Richardi, Archiepiſcopi Trevirenſis.

Carmen gratulatorium in Coronationem Reg. Romanor. ad Carolum V. Cæſarem, & Ferdinandum Regem, fratres Auguſtos.

Oratio Lutetiæ in Auditorio dicta, qua peregrinationem ſuam per Italiam deſcripſit.

Epitome Commentariorum Dialecticæ inventionis Rudolphi Agricolæ.

Scholia brevia in aliquot Ciceronis Orationes.

Annotationes in Paradoxa Ciceronis, de Officiis, de Amicitiâ, de Senectute.

— in Somnium Scipionis.

Enarrationes in Topica ad Trebatium.

— in Partitiones Oratorias.

Refutatio Calumniarum Martini Buceri.

Summa totius rationis differendi, uno eodemq́; corpore Dialecticas & Rhetoricas partes complectens.

Factio memorabilis Franciſci à Sickingen contra Urbem Trevirenſem, cum obſidione ejuſdem, Carmine Heroico.

Contra Petrum Dathenum, & Jacobum Andream pro SS. Euchariſtiâ, & incruento Miſſæ Sacrificio.

De doctâ ſimplicitate primæ Eccleſiæ, & de uſu Calicis, ac de Euchariſtiæ Sacrificio, contra eundem Jac. Andream.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1566.

HIERONYMUS BAUMGARTNERUS.

PAtricius *Norimbergenſis*, in Patriam ex Academiis reverſus, A. C. 1525. in ordinem Senatorum cooptatus, Reipublicæ ejusdem in variis Imperii Conventibus Legatus, auctoritate ſuâ res graviſſimas fideliter procuravit.

Senator.

Legatus in Comitiis.

A. 1544. E Conventu *Spirenſi*, quò miſſus à Civitate fuerat, rediturus, domum in itinere à quibusdam, qui ſe *Suevici* fœderis hoſtes profitebantur, inter quos erat *Albertus de Roſenberg*, interceptus, inque diverſis latebris abditus, non ſine vitę propter morbos periculo, biennio demum ferè exacto, pecuniâ numeratâ, dimiſſus & patriæ reſtitutus eſt, ad revertentis conſpectum univerſâ ferè civitate effuſâ.

Captivus per biennium.

Patriæ inſerviit abindè 20. adhuc annos, vir, in quo fuit ardens ſinceræ religionis ſtudium, amor erga Patriam ſingularis, eruditio ſolida, & ſuaviſſimus virtutum, juſtitiæ, moderationis ac beneficentiæ concentus.

Duumvir tandem in Senatu patrio epilepſiâ extinctus obiit A.C. 1566. æt. 68

Moritur.

Filius ejus *Hieronymus* itidem Duumvir Reipublicæ Noribergenſis, & in Academiâ *Altorfinâ* Scholarcha, de eâdem optimè meritus obiit 18. Dec. A. C. 1602.

Ieronimus Baumgartner.
Hieronimus Baumgartnerus.
Per Anagr.
Agri Numen & Urbis amor.
Vir perhumanus omne gratis.

Obiit A.C. 1566.

HENRICUS FALCKNERUS.

URbis *Baſileæ* Protonotarius, ob induſtriam patriæ probatam, illuſtriorem ſibi famam comparavit, quem & ſuas ob virtutes, linguarumque præter nativam *Latinæ* & *Gallicæ* uſum, Cæſar *Ferdinandus* cum ad eum A. 1563. publico *Baſilienſium* nomine *Oeniponten* Legatum egiſſet, nobilium ſocietati adſcripſit, quod etiam marmorea illic tabula in hunc modum teſtatur:

Protonotarius Baſilienſis.

Legatus ad Cæſarem.

Epitaphium.

D. O. M. ET CHR. S.
HENRICO FALCKNERO ULRICI
TR. PL. F.
BASIL. REIP. SCRIBÆ PRIM.
FIDELISS. QUI
QUI CUM AN. XXV. ASSID. OPERAM
R. P. NAVASSET,
REGQ. GRAVISS. LEGAT. ETIAM FUNCTUS
PERFECISSET,
ATQUE A D. FERD. IMP. IN TEST. VIRTUT.
NOBILITATIS INSIG. ORNATUS ESSET:
EXCESSIT E VIVIS MAGNO SUI DES. PAT. REX
TRIB. RELICTO,
ÆTATIS SUÆ AN. LX. CAL. D. AN. S. HU.
MDLXVI.
FILII MOESTISS. P. O. PIE POS.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſilienſis Chriſtiani Urſtiſii.*

Obiit A.C. 1566.

CAROLUS MOLINÆUS.

Caſſarum Patronus Pariſienſis.

Pariſienſis Juriſconſultorum ſuo ſæculo doctiſſimus, omnes ſupremæ Curiæ Patronos ſi non dicendo (nam linguâ nonnunquam hæſitabat) certè ſcribendo reſpondendoque facilè ſuperabat: quo in munere tam diu manſit, dum exardeſcente inter *Henricum Secundum* & *Julium* Pontificem Max. bello in *Romanam* Curiam ea ſcripſit, quæ cum ad tuendam Eccleſiæ *Gallicæ* libertatem ſpectarent, à quibusdam ita ſunt accepta, ut quaſi auctoritatem Pontificiam convellere viderentur.

Gallicæ libertatis defenſor.

Exul in Germaniâ.

Quo nomine voluntarius exul in *Germaniam* abiit, ubi tanto omnium Principum Civitatumque applauſu exceptus eſt, ut certatim ab illis aut ad profitendum, aut ad de Jure reſpondendum propoſitis præmiis invitaretur: inſigni levitatis documento, cum poſt aliquot annos, mutatis ex religionis diſſidio animis, à nonnullis eorum in vincula conjectus indignè haberetur, nec niſi eluſis cuſtodibus unà cum uxore & liberis indutâ famuli perſonâ evaderet.

Juris Profeſſor.

Carcere indutâ famuli perſonâ egreſſus.

Nec verò in *Galliam*, ex Regis decreto, revocatus, fortunam apud ſuos æquiorem expertus eſt, recrudeſcente indies malevolorum invidiâ, per quorum tandem inſidias vir innocens in ipſâ ſenectute carceris moleſtiam ſubiit.

Senex in carcerem conjectus Lutetiæ.

Sed ea fuit in illo ingenii vis & copia, quæ nec inter tot ſævientis Fortunæ procellas à ſcribendo abſtineret, ut non ſolùm Romani Juris plures locos, ſed & multarum *Galliæ* gentium, maximèque Pariſienſium leges municipales non vulgari ſubtilitate interpretaretur. Obiit *Lutetiæ* A.C. 1566.

Meritum.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Scripſit:

Scripta:

Notas in Jus conſuetudinarium noſtrum.
Conſuetudines Galliæ.
Conſultationem in Concilium Tridentinum, quæ illi perniciem creavit.

* * * *

Juris antiqui & *Gallici* conſultiſſimus fuit, cujus lucubrationes apud nos pro ratis Juris deciſionibus habentur. Vir bonus ac ſimplex, qui Patriæ charitate, ſupra quàm dici poteſt, inflammabatur, cum emendationem in Religione, quam tantoperè optabat, in licentiam & factiones verſam videret, admodùm indoluit, ac ſi vita ſuppeteret, religioſè promiſit, fore, ut exemplo ſuo ſcriptisque multos ab errore paſſim graſſante revocaret: in eâque cogitatione paulò pòſt animam Deo reddidit, ſexagenario major.

* *Ex Elogiis Thuanis Viror. doctor. C. B.*

* * *

Franciæ & *Germaniæ* Juriſconſultus fuit eruditione ac judicio conſpicuus, ſed in Religione mirè inconſtans, à Pontificiis enim ad *Calvinianos* tranſiit, & ab his, abjectâ doctrinâ Evangelicâ, ad Pontificios rediit.

* *Ex Dialogo de patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

* * *

Hic eſt, qui *Parmenſis* belli initio condito à Rege *Galliæ Henrico II.* edicto in depravatam Curiæ *Romanæ* in Sacerdotiis diſpenſandis diſciplinam, cum publicato in edictum illud Commentario in gravem offenſionem incidiſſet, à patriâ hanc indignam meritis ſuis gratiam retulit, ut ſolum vertere cogeretur.

Cum autem ab exilio revocatum *Annas Momorantius*, Equitum Magiſter, cujus ille negotia in foro *Pariſienſi* procurabat, Regi commendaret, *En*, inquit, *hominem*, *qui quod cum 30000. bellatorum facere nequiſti, ut Julium III. Pontificem placatum haberes, libello edito perfecit.*

Elogium Annæ Momorantii.

Poſteà etiam conſultationem in Concilium *Tridentinum* eâdem libertate ſcripſit, quâ ob multas cauſas Concilium nullum, vitio indictum, habitum & terminatum contra antiqua Patrum decreta, & Regni *Francici* dignitatem ac libertatem contendebat.

Concilium Tridentinum impugnavit.

Quare qui Religionis negotium Concilio decidendum relinqui debere cenſebant, graviter offenſi pervicerunt, ut *Molinæus* tanquàm malè de Religione ſentiens, & ſeditionis Scripto illo incentor ignominioſè in carcerem conjiceretur, ex quo tamen poſteà Regis diplomate emiſſus eſt, & plenæ libertati reſtitutus, additâ clauſulâ, ne quid ille impoſterùm in vulgus edere injuſſu Regis poſſet, de cœtero ejus rei cognitione Senatui eodem diplomate interdictâ.

In carcerem conjectus, & emiſſus.

Ante annum, cum turbarum à Proteſtantibus toto Regno excitaturum eum tæderet, isque ſe quaſi illorum fautorem in crimen vocari indignaretur, libellum ſupplicem Senatui M. Febr. obtulit, quo petiit, ut in eos inquireretur, & legibus ageretur.

Præcipua accuſationis capita erant, quod ſpecie Religionis ſeditioſos cœtus agitarent; pecuniam ſine Regis mandato ſequacibus ſuis imperarent, ſtipendiis ex plebis ſubſtantiâ iis attributis; quod ſuis in Conſiſtoriis Miniſtri Principem locum obtinentes de omnibus cauſis, ſpretâ Regiæ Majeſtatis juriſdictione, cognoſcerent; effrenem multitudinem erroneâ doctrinâ à ſe imbutam ad libertatem & licentiam vocarent, ipſi ferè exteri & hoſpites, nullâque legitimâ vocatione ad Miniſterium vocati, & *Genevenſis* adminiſtrationis ſive civilis ſive ſacræ diſciplinam ad evertendum Regnum inveherent: Eccleſiaſticos in ſuâ functione impedirent; denique omnia facerent, ut fidem Regis ſubditorum ſolicitarent.

Proteſtantes impugnavit.

Privati autem contra ſe illorum odii has cauſas afferebant, quod *Confeſſionem Auguſtanam*, quæ in *Germaniâ* obtinet, *Genevenſi* & *Hel-*

& *Helvetica* tolerabiliorem dixiſſet, & in Commentariis in Conſuetudines *Pariſienſes* fanaticos eos & ſeditioſos vocaſſet: eâpropter illos in Concionibus, Synodis, & ubique palàm ipſum traducere, domeſticos, qui ſe obſervent, corrumpere, & amanuenſes, ne eorum operâ uti queat, minis, pretio, blanditiis ſeducere.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

BASILIUS MONNERUS.

Obiit A.C. 1566.

VInariâ Thuringus: hinc eruditis, imò ſibi ipſi, dictus ſcriptione *Baſilius Vinarienſis*: item *Regius Selinus*. Primus Cœnobio in *Gothâ Auguſtiniano* A. 1524. reformato Rector datus. An. 1539. 16. Jan. Gradum Doctoris in Leucoréa impetravit. (*Doctor Juris.*)

Abindè in aulâ *Electoris Saxoniæ Johannis Friderici*, Conſiliarii officio functus eſt usque ad An. 1554. quo *Jenam* venit, primus Jurium in *Salanâ* Profeſſor Publicus, Facultatis ſuæ Decanus & Procancellarius conſtitutus. Ibi obiit 16. Jan. A. C. 1566. (*Conſiliarius Saxonicus. Profeſſor Juris Jenenſis primus. Moritur.*)

Viduam reliquit *Catharinam*, *Andreæ Wendii*, Conſulis *Arnſtatenſis*, filiam, quæ A. 1567. nupſit *D. Johanni Schrötero*, primo *Salanæ* Rectori, eoque A. 1593. demortuo, & ipſa denata eſt An. 1594.

* *Ex Nomenclat. Profeſſ. Jenenſ. M. Adriani Beyeri, qui hoc in ejus honorem addidit Epigramma:*

Primus es in noſtro, Baſili Monnere, Lycéo,
Qui gemini Juris dogmata ſacra doces.
Sub te Juridici ſunt facta Statuta Senatûs:
Sub te diva Themis prima brabeia dedit.

JUSTINUS GOBLERUS.

Obiit A.C. 1567.

GOslariæ in *Superiori Saxoniâ* oppido natus eſt.

Doctor Juris renuntiatus à Republicâ *Francofurtenſi* liberali ſtipendio conductus, operam illi ſuam fideliter & cum laude multis annis præſtitit. (*Doctor Juris.*)

Laboribus tandem & ætate exhauſtus, ad vitam abiit meliorem April. A. 1567. (*Moritur.*)

Fuit Juris Conſultus & Poeta elegans, atque in rei literariæ commodum cum alia, tum hæc elucubravit:

Scripta Juridica.

Pilei JCti opus de civilium atque criminalium cauſarum judiciis.

Summam Othonis de ordine judiciario & quam & emendavit & auxit.

Caroli V. de Capitalibus judiciis conſtitutionem Latinè vertit, commentarioq; auxit: ut & ejuſdem conſtitutionem de pace publicâ tenendâ.

Explanationem in L. Reſpiciendum ff. de pœnis.

Speculum Juris.

Scripta Philologica.

In Philologicis autem hæc ab eo edita ſunt:

Proſopographiarum lib. 4. in quibus imagines perſonarum illuſtrium aliquot & deſcriptiones ex optimis autoribus.

Continuatio Sleidani ab A. 1556. ad 1567.

Vita Petri Moſellani & Ulrici Fabritii JCti.

Lubeci Chronic libri III. ab Hermanno Bonno Germanicè notati à Goblero in Latinum traducti.

Oratio in Obitum Erici Duc. Brunſw. Oratio de laudibus Philoſophiæ moralis. Oratio de Juriſprudentiâ. Oratio Demoſth. de pace Latinè verſa.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

GONDISALVUS PINARIUS.

Obiit A.C. 1567.

CEtobricæ in *Luſitaniâ* Urbe claris & piis parentibus ortus, in primâ ſtatim pueritiâ literas humaniores didicit, & mox ineunte adoleſcentiâ juri Pontificio operam dedit primùm in Academiâ *Olyſipponenſi*, quæ eo tempore florebat, deinde in *Salmanticenſi*, ubi ſub clariſſimis Profeſſoribus brevi magnos progreſsûs fecit, & apud reliquos ſtudioſos non vulgarem ſibi eruditionis famam comparavit. (*Juris Pontificii ſtudioſus in Hiſpan.*)

Itaque in S. *Bartolomæi* Collegium admiſſus, & deindè ad Doctoris gradum evectus, adeò celebri nomine apud *Salmanticenſes* eſſe cœpit, ut à nonnullis amicis ad Senatoriam dignitatem ex *Pintianâ* curiâ invitatus fuerit. Quâ conditione repudiatâ, in *Luſitaniam* rediit, accerſitus à clariſſimo *Jacobo*, *Brigantii* Duce, Regis *Emmanuelis* ex ſorore nepote, cui operam ſuam in gravioribus negotiis biennio navavit. (*Juris Doctor.* — *Miniſter Jacobi Ducis Brigant.*)

Quo exacto ad Eccleſias, in quibus Sacerdotia obtinebat, ab eodem Duce ſibi collata, in regione, quam *Luſitani Ultramontanam* vocant, ſecedens, in otio honeſto vitam traducere decrevit. (*Sacerdos.*)

Sed vix elapſo ſemeſtri cum intellexiſſet, Canonicatum *Eborenſis* Eccleſiæ vacantem alicui ex Juriſperitis conferendum fore, qui optimum ingenii ſpecimen dediſſet, regnante *Johanne III.* A. 1533. *Eboram* ſe contulit, ac facto virium periculo in Legali & Canonicâ ſcientiâ cum aliis Candidatis, *Alfonſi* Cardinalis Regis fratris, qui *Eborenſi* Eccleſiæ præerat, omniumque Canonicorum, qui certamini interfuerant, ſuffragiis victor declaratus Canonicatum adeptus eſt. (*Canonicus Ebora.*)

Undè illi mox ingens eruditionis fama accrevit. Qua Rex permotus, Senatoriam ei dignitatem ſponte obtulit, nec multò poſt Epiſcopum *Zafienſem* jam deſignatum unà ſecum *Olyſipponem* proficiſci voluit. (*Senator. Epiſcopus Zafienſis.*)

Undè poſt ſuſceptum conſecrationis munus, illum confeſtim in *Galliam* miſit, ut *Bajonæ*, quæ civitas eſt *Aquitaniæ*, unà cum quibusdam aliis Collegis ardua quædam negotia obiret, quæ inter ipſum & *Franciſcum Galliæ* Regem inciderant: cumque eò jam rea devenisſet, ut ad arma ſpectare videretur, placuit Regibus, ut commune quoddam tribunal conſtitueretur, pari Judicum & Advocatorum ex utroque Regno numero: quâ in obeundâ provinciâ cum ipſe præci-(*Legatus in Galliam.*)

præcipuum locum obtineret, tanta ab eo diligentia eſt adhibita, ut ſedatis ſimultatibus lites ſopitæ fuerint.

Epiſcopus Bajonenſis. Tum *Bajonenſis* Epiſcopi munus, precibus Canonicorum victus, ſuſcepit, & ſpiritualium munerum onus religioſè geſſit, nihil ab A. C. 1537. ad 1542. prætermittens, quod ad vigilantis Paſtoris officium pertineret. Viris enim religioſis omnium Ordinum tam arctâ familiaritate conjunctus erat, ut illum non ſecus ac Patrem diligerent, eandem curam geſſit monialium, viduarum, ac pupillorum, omnium denique, quos egeſtate laborantes pudor mendicare non ſineret. Reliquos verò egenos quotidie intra ædium ſuarum veſtibulum admiſſos partim pecuniâ juvabat, partim menſæ reliquiis alebat.

A. 1542. ad Regis *Luſitaniæ* mandatum, in oppidum *S. Sebaſtiani* maximo cum populi luctu ſecedens trimeſtre ibi tempus exegit.

Iterum Legatus in Galliam. An. 1543. Acceptis à Rege literis, quibus in *Galliam* redire juſſus eſt, ut apud *Franciſcum* Regem Legati munus gereret, *Bajonam* reverſus, ab incolis ſummâ cum lætitiâ exceptus eſt. Sed biduo tantùm ibi quieti dato per *Pictavos & Aurelianenſes*, *Lutetiam Pariſiorum* petens, ad *Franciſcum* Regem pervenit, qui quoties eum ſe accedentem conſpiceret, bonum & pium Epiſcopum venire coràm multis prædicavit.

Erat tum imprimis *Leonoræ* Reginæ charus, tum propter ſingularem ejus in *Luſitanos* affectum, quorum Regi ante nupta fuerat, tum propter ſummam viri integritatem, cujus famâ Regis quoque filios, & præſertim *Henricum* in regno poſteà ſucceſſorem ad ipſum amandum invitavit.

Senator Ulyſſiponenſis. A. 1548. *Olyſſipponem* reverſus, ſtatim in numerum Senatorum, qui *Palatini* dicuntur, cooptatus eſt, in quo munere, ut in cœteris quos geſſit magiſtratibus ſingularem apud omnes integritatis famam eſt adeptus.

Epiſcopus Viſenſis. A. 1553. *Viſenſem* Urbem, cujus Epiſcopatum adeptus erat, accedens, brevi pòſt Synodum coëgit, in quâ nihil prætermiſit, quod ad communem diœceſeos utilitatem pertinere videretur. Nec multò pòſt conſtitutiones ab anterioribus Epiſcopis editas in optimam formam redactas, typis excudendas curavit.

Divino cultui imprimis ſtuduit, templorumque ædificiis reficiendis. Pauperum curam præcipuè habuit, præſertim viduarum & pupillorum, idque ita occultè, ut excepto quodam Canonico, qui ejus confeſſiones audiebat, nemo id reſcire ante ejus obitum potuerit.

Civium nobilium liberos, quibus tenuiores eſſent facultates, in familiam ſuam admiſſos, bonis literis imbui curavit, ex quibus multos ad Sacerdotia promovit. Hinc communis erga illum omnium amor & benevolentia, adeò, ut certatim illius nomen ad cœlum attollerent.

Vir fuit conſtantiâ, & humanarum rerum deſpicientiâ admirabilis, cujus vultum nec ſecundæ nec adverſæ fortunæ viciſſitudo facilè mutaret. Vix unquã illum aliquis ſubiratum vidit, nemo unquàm jurantem, nemo alicui detrahentem audivit. Valetudine uſus proſperâ, toto ferè vitę curriculo, tandem ex renum calculo & ſtomachi imbecillitate morbum contraxit, qui mortem illi attulit M. Nov. A. C. 1567. ætatis 77. *Moritur.*

Per omnem ætatem literis deditus, Juriſprudentiam adeò excoluit, ut inter ſui temporis Juriſconſultos imprimis floreret. *Bajonæ* propè jam ſenex literas Græcas diſcere cœpit. Linguæ quoq; Hebrææ cognitionem ſibi comparavit, in quâ multum laboris inſumpſit, dum per eam faciliorem ſibi aditum paravit ad S. Scripturæ lectionem, quam ſemper cœteris ſtudiis antepoſuit, dicere ſolitus, nihil magis decere ſacerdotiis addictos, quàm ut penitùs ſe ſacrorum librorum lectioni traderent. *Senex linguam Græcam didicit. Linguæ Hebrææ peritus. S. Scripturæ lectioni deditus.*

Quanquàm plurimis occupationibus eſſet diſtrictus, nunquàm Novi & Veteris Teſtamenti libros legere, & tàm Græcos quàm Latinos interpretes evolvere deſtitit. Adhibitis etiam Hebraicæ linguæ Commentariis, cujus linguæ addiſcendæ occaſionem illi *Pariſienſis* Academiæ opportunitas obtulit.

Ad Græcas etiam literas exactiùs perdiſcendas uſus eſt ibi operâ *Johannis Chevradami* ex ipsâ *Græciâ* oriundi, cujus nonnulla extant Opuſcula. Adjecit & Aſtronomiæ & Geographiæ ſtudium. Denique nulla eſt ars & digna ingenuo viro diſciplina, quam non attingere & delibare voluerit.

* *Ex Vitâ ejus à Jacobo Menœtio Vaſconcello deſcriptâ in Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum authorum.*

JOHANNES OLDENDORPIUS.

Obiit A.C. 1567.

Lumen hoc Jureconſultorum *Germanorum* ortum eſt *Hamburgi*, Urbe *Saxoniæ* liberâ, & emporio hodiè celebri: cujus nomen non ab *Hammone*; ſed à ſaltu ſylvaque, vel à ſalicto pratóve inditum. Ipſe *Oldendorpius* è patriâ *Coloniam*, uberioris comparandæ doctrinæ causâ, miſſus, ſingularemque expertus eſt avunculi ſui *Alberti Crantzii*, hiſtorici clari, liberalitatem.

Gryphiswaldiæ ſtudiis operam dat. Indè *Gryphiswaldiam*, *Pomeraniæ* Urbem, Academiâ notam, venit, ubi in omnibus diſciplinis, inque legum inprimis ſcientiâ, tantos ſe progreſſus feciſſe demonſtravit, ut dignus ſummis inſignibus ac Doctoralibus honoribus fuerit judicatus. Publico itaque teſtimonio ornatus, primùm *Roſtochianæ* Reipublicæ Syndicum egit: deindè *Coloniæ* idem *Agrippinæ* jura & publicè interpretatus, verus non tàm juris, quàm juſtitiæ conſultus. *Syndicus Roſtochienſis.*

Marpurgum poſteà evocatus, multis annis ibi jus civile eſt profeſſus, ſingulari cum laude doctrinæ, fidei, induſtriæ, ſapientiæ. *Marpurgi jus docet.*

Nec

Nec verò ſolùm leges pro cathedrâ explicuit: ſed etiam à conſiliis Principi ſuo fuit: adeò, ut audierit Jureconſultus acris judicii, & in praxi dexteritatis ſingularis. Semper enim, quæ à legibus & jure civili proficiſcerentur, ad æquitatem retulit, maluitque controverſias tollere, quàm litium conſtituere actiones.

Anno deindè Chriſti 1567. cum poſtridiè Paſcha *Philippus Haſſiæ* Princeps celeberrimus in fata conceſſiſſet; ſecutus eſt eum Conſiliarius hic *Oldendorpius*, duobus menſibus pòſt, ejuſdem anni, hoc eſt, die tertio Junii, *Marpurgi* honorifico funere ſepultus in ſummo templo ad ſiniſtram aræ.

Moritur.

Præſtantiſſimum & hunc fuiſſe JCtum, ac de jure ſuo præclarè meritum omnes hodiéque teſtantur uno ore ſacrarum legum antiſtites.

Egregiè ſanè multa & ad legalem ſcientiam, & ad alias diſciplinas facientia, dixit ſcripſitque, de quibus paucula delibanda ſunt:

Quid in jure tradendo deſiderârit?

Primùm itaque in jure tradendo quid deſiderârit hinc colligas: expoliri (inquit) debent ſolidâ doctrinâ, non diſtrahi altercationibus juvenum ingenia. De Commentariis & Commentatoribus ita judicat: commentariis legendis, magno temporis diſpendio à cognitione juris ſtudioſi avocantur. Et Commentatorum deſultorias opiniones qui in Academiis tradunt, & in foro allegant, inſaniunt.

Et alibi: Leges Romanorum & præſcripta juris Commentatores, relicto æquitatis ſtudio, adeò multiplicârunt, & altercationibus obſcurârunt, ut neque principium neque exitum invenias.

Judcium ejg de hodiernis judiciis.

De judiciis hodiernis ita judicat: forma judiciorum, quâ nunc utimur, neque ordo eſt, neque proceſſus, ſed magis confuſio, & nullum eſt in toto jure exemplum, quo probari poſſit. Nam quid eſt aliud, quàm calumnioſa ceremoniarum atque ſcriptorum altercatio extra omnem cauſæ cognitionem? adeò, ut judex ipſe non habeat ſæpè in manu, officium ſuum exercere in litibus, imò cogitur ad ſedentariam audiendi operam, donec omnes iſtæ ceremoniarum præſtigiæ peragantur.

De cauſis Juriſprudentiæ obſcuratæ.

Juriſprudentiæ obſcuratæ cauſas exponit has, doctorum tum inſcitiam tum ambitionem: deinde vaſtas moles commentariorum, tertiò uſum in foro neglectum, denique ἀμεθοδίαν. De fundamento legum ita ſentit: nullam propemodùm ſanctionem eſſe, quæ non aliquo modo ad naturæ perpendiculum reſpondeat, quæ non aliquam radicem ex naturalibus notitiis trahat.

Et alibi: Legum tabulas Moſen à Deo accepiſſe, nemo eſt, qui neſciat, à quo tota juris ſcripti ſeges proſeritur. Quicquid enim poſteri legum ſcriptores in monumentis reliquêre, id totum tanquàm ſimiæ à Moſe primùm Græci, deindè à Græcis Romani mutuati ſunt.

Diſputationes moderatè vult exercitii vice adhiberi, more veteris ſcholæ *Socraticæ*. De ſcholarum neceſſitate graviſſimè ſic: verbum Chriſti, inquit, neque in Eccleſiâ prædicari, neque in Republicâ retineri politica ordinatio, ſine ſcholaſticâ inſtitutione poteſt.

De ſcholarum neceſſitate,

De gradibus in ſcholis, hoc ſeculo, ait, & ordinem docendi, & titulorum nomina corruperunt inſulſi commentatores; alibi reprehendit Criticos, qui ordines iſtos elevant.

& gradibus.

De vero imperandi modo commodiùs poſſunt propagari, quàm ſi defendantur ſubditi in libertate juris ſui, ſi non graventur contra moderatam politiæ ordinationem. Contrà quoque nulla eſt amittendi imperii pernicioſior occaſio, quàm premere ſubditos: eripere fortunas eorum commentitio prætextus, miſcere fas & nefas.

De vero imperandi modo.

Itaque deridet eos, qui mirum in modum ſemper huc intenti ſunt, quomodo ditionem ſuam quoquo verſus latiùs proferant, & interim non ſolùm non arcent à ſubditis vim, ſed ipſi quoque ſanguinem emungunt. Quo fit, ut plerunque magnam ditionis partem amittant, bello domi ſuæ nato, quod cœci homines non animadverterunt. Sed hæc ſatis: plura, qui volet, in ejus ſcriptis reperiet.

Ut enim poſteritati prodeſſet, ad ſcribendum etiam animum, Minervâ non invitâ, appulit. Locupletavit enim ac promovit ſtudium juris Commentariis in multas juris partes quàm plurimis, ac præſertim practica actionum forenſium abſolutiſſima, quâ verus exercendæ Juriſprudentiæ uſus oſtenditur, in medio relicta. Sunt ejuſdem & variarum Lectionum libri aliquot, ad juris civilis interpretationem apprimè utiles, de quibus, ut & aliis ejus lucubrationibus, videndi elenchi librorum. Extat in eum Hendecaſyllabum ejuſmodi, *Abrahamo Schwartzio* auctore:

Scripta.

Si quiſquam Themidis fuit ſacerdos
Felix, jus alios docere ſacrum,
Oldendorpius hic fuit diſertus,
Qui legum cupidam bonis inventam
Libris inſtituit fidelis, uſum
Monſtrando & variis Fori applicando
Leges judiciis benè explicatas:
Qui multum teneram juvat juventam;
Laude eſt perpetuâ ac honore dignus.

Petrus autem *Nigidius* hoc eum epigrammate eſt proſecutus:

Epigramma.

Magne Oldendorpi, tu vivens, juris aſylum,
Gymnaſiiq; hujus ſol velut unus eras.
Ducum quandoquidem ſuperas inviſerat oras,
Cui ſolido à ferro nobile nomen erat,
Multos ſcripſiſti libros, quos Gymnicus atque
Gryphius ornatis excoluêre typis.
Quin & Wechelus, noſter quoque Colbius, iisdem
Auxiliatrices exhibuêre manus.

Rrrrr   Hos

Hos ſi quis recitet, ſummi quoque ſydera cœli
Atque maris fluctus is numerare velit,
Ejus in ore fuit crebrò ſententia Pauli;
Vita mihi Chriſtus, mors mihi dulce lucrum.
Conjicere undè licet, quantus pietatis amator
Extiterit canus decrepitusq; ſenex.
* *Ex Melchioris Adami vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1568.

ADRIANUS MARIUS.

NIcolai Everhardi filius, *Machlinienſis*, *Johannis Secundi* & *Nicolai Grudii* (quia *Lovanii* natus) frater, *Geldriæ Zutphaniæque* Cancellarius: à negotiorum curis ad Muſas non rarò divertit, & Jurisprudentiam cum Poëticâ conjunxit. *Cancellarius Geldriæ.*

Vitâ exceſſit *Bruxellis* plenus dierum XII. Kal. April. cIↄ Iↄ LXVIII. Corpus *Machliniæ* conditum in D. *Mariæ* ad Parentis Fratrisque Præſidum tumulum. *Moritur.*

Edidit: *Scripta.*

Luciani Dialogos aliquot carmine redditos.
Ejusdem de vitandâ calumniâ libellum proſâ oratione converſum.
Epicedium Johanni Secundo fratri ſcriptum.
* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1568.

JACOBUS REVARDUS.

NAtus eſt in *Eiswegâ*, municipio agri *Brugenſis* A. 1534.

Parentes habuit domi celebres, opibus & virtute honeſtos.

Adoleſcens *Lovanium* miſſus, animum ad Jurisprudentiæ ſtudium appulit.

Indè *Aureliam* in *Galliam tranſiit*, ubi biennio exacto Doctoris titulo ornatus eſt. *Juris Doctor.*

Bello inter Reges *Hiſpanum* & *Gallum* exorto ad ſuos reverſus, in Urbe *Brugenſi* ſedem fixit allectus ſæpiùs in ordinem Senatorum. *Brugis Senator.*

Pòſt ab Academiâ *Duacenâ* ad juris Profeſſionem evocatus, munus ſuum cum laude obiit. *Evocatur Duacum.*

Cum ex ſtudiis nimiis phthiſin contraxiſſet, *Brugas* regreſſus, ibi mortuus eſt A. 1568. ætat. 34. 1. Junii. *Moritur.*

E conjuge liberos aliquot ſuſtulit, in his *Petrum* ſummæ ſpei, ſed vitæ itidem brevis.

Præclara Ingenii *Revardi* monumenta ſunt hæc: *Scripta.*

Ad leges XII. Tab. liber ſingularis.
Variorum libri V.
Protribunalium liber.
De præjudiciis libri II.
De auctoritate Prudentium liber.
De Jure liberorum liber.
Ad Tit. de regulis Juris commentarius.
Item conjectaneorum lib. III.
* *Ex Melch. Adami vitis JCtor.*

Obiit A.C. 1568.

JOHANNES SCHNEIDEWINUS.

STolbergæ, *Thuringiæ* Oppido, natus eſt 20. Dec. A. 1519. Patrem habuit *Henricum*, Præfectum ærarii Comitum *Stolbergenſium*, qui inter 15. liberos hunc *Johannem* in extremâ ſuſcepit ſenectâ. Fratrem verò *Henricum* J.C. & Cancellarium *Vinarienſem*.

Schneidewinus autem noſter An. 1530. ætat. 11. à parentibus *Wittebergam* miſſus, & D. *Luthero* commendatus eſt, qui paterno eum complexus amore, toto decennio convictorem habuit: quo tempore gubernatore ſtudiorum privato uſus eſt *Vito Theodoro, Norib.* cum quo pleraſque conciones à *Luthero* domi habitas excepit, quæ deinceps publicatæ ſunt. *Literis operam dat Witteberga.*

A. 1539. Svaſore *Luthero* & cum parentum conſenſu duxit uxorem *Annam Duringiam*, cujus pater Aurifaber cognomine, ſocio *Luca Cranachio* pictore Seniore primus officinam Typographicam ſuo ſumptu *Wittenbergæ* inſtruxit. *Uxorem ducit.*

Ex eâ 16. ſuſcepit liberos, quorum plerique honores in Republ. ſunt conſecuti.

Maritus factus, totum ſe ad Juris ſtudium convertit, & elapſo quinquennio publicè pro Licentiâ, Præſide *Laurentio Zocho*, J.C. reſpondit.

Mox acceſſitus in aulam à Comite *Gunthero Schwarzenburgico*, ibi gubernationis conſilia magnâ cum fide prudentiâque per quadriennium rexit. *Conſiliarius Schwarzenburgicus.*

Initio A. 1549. *Wittenbergam* revocato locus inter Profeſſores attributus, & Inſtitutionum Juris ordinaria prælectio demandata eſt. Ibi Præceptorum ſuorum *Hieronymi Schurffii*, *Kiliani Goldſtein*, & *Melch. Klingii* methodum in docendo ſecutus eſt. *Prof. Juris Witteb.*

Paulò pòſt Electoris *Saxon.* mandato in judicium provinciale cooptatus eſt.

A. 1551. Doctor renuntiatus eſt, competitores honorum habens *Chriſtoph. Trautenbul*, Syndicum *Goslarienſem*, *Stephanum Glodium*, Conſil. *Vinar. Ulricum Sitzingerum* Conſil. Imp. *Maximil. II.* & *Andream Wolfſium*, civem *Wittenberg.* *Fit Doctor Juris.*

An. 1557. *Auguſti* Elect. *Sax.* mandato *Spiram* miſſus eſt ad controverſiarum gravium dijudicationem.

4. Dec. 1568. ætat. 49. In vicinam *Serveſtam*, opp. *Anhaltinum*, frigore ſatis acri, ſocio *Michaële Teubero* vocatus, ad componenda Senatûs quædam negotia, cum Principe *Joach. Erneſto* hoſpes diſcumbens, & in mediâ cœnâ ſurgens in hoſpitium abeundi veniam verecundè petiit, quod ſub noctis medium iter ad ſuos ingredi conſtituiſſet. Cum itaque ſanus, ut videbatur, in lectum ſe compoſuiſſet, manè complicatis in formam crucis manibus nihilque depravato corporis poſitu mortuus eſt repertus. *Moritur.*

Wittenbergæ tumulo impoſitus eſt ad latus *Mart. Lutheri*, quo hoſpite & Præceptore in vitâ uſus eſt. Ubi hodiè adhuc ſequens in tabulâ viſitur Epitaphium:

CLARISSIMI ET ORNATISSIMI, PIETATE, DOCTRINA, SAPIENTIA, VIRTUTE ET AUTORITATE PRÆSTANTISSIMI D. JOHANNIS SCHNEIDEWINI, J. U. DOCTORIS *Epitaphium.*

ctoris et Professoris in Academia Wittebergenſi; Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Augusti, Ducis Saxoniæ, Electoris, etc. Consiliarii, pia et celebranda memoria, qui in Christo obiit Anno a Christo incarnato M. D. LXVIII. IV. Decembr. Anno ætatis XLIX.

Hæc gener & nati charo monumenta parenti
Schneldwino officiis conſtituêre piis.
Hunc fœcunda tulit venis Stolberga metalli,
Lumine ſed verbi ditior ipſa ſacri.
Charus erat Luthere tibi, ceu filius inſtar,
Hunc quoque ſoviſti, docte Philippe, patris.
Religionis amans, veri ſtudioſus & æqui,
Integer & vitæ vir fideique fuit.
Laudibus & dignus geminis, dum certat utrinque
Juris in hoc ſanctâ cum pietate decus,
Leucoris hunc annos retinens Academia multos
Ornata eſt meritis & probitate viri.
Sic tria luſtra docens, & binos inſuper annos,
Semina Romani Juris aperta dedit.
Conſiliis aulas rexit Comitumq; Ducumq;,
Juſtitiæ vindex, arbiter, autor erat.
Hunc ad ſe terris ereptum & mole laborum,
Ipſe Deus vitæ de ſtatione vocat.
Nunc propè Lutherum placidâ cum pace quieſcit,
Adventum expectans, optime Chriſte, tuum.
Nunc etiam vivens cœli perfectius aula,
Percipit in Domino jura ſacrato Deo.
Encomia huic Charites, Themis, & cum Pallade Muſæ,
Religio, atque fides hæc pia juſta ferunt.
M. M. H. S. T.

Tabula hæc cohæret muro meridionali ſuprà ſcalam, quâ aſcenditur in ſuggeſtum, habetque hiſtoriam *Johannis* Baptiſtæ in deſerto, imaginem *Schneidewini* & uxoris ſuæ cum ſobole numeroſâ. Supra picturam adſcriptum eſt hoc dictum:

Lucæ III.

Ihr Hof- und Kriegs-Leute laſſet euch an eurer Beſoldung genügen / und beſchweret noch überſetzet niemand / und finanzet den Leuten nicht das ihre ab. Dann wer Schenkung nimmt / kan nicht einem wie dem andern das Recht und Gleichheit widerfahren laſſen.

Humi in lapide, ſepulchro ad caput *Lutheri* impoſito:

Johannes Schneidewinus J. U. D. *& hujus celeberrimæ Academiæ Profeſſor, III. nonas Decembris Anno M D LXVIII. in Chriſto JESU placidè obdormivit, Anno ætatis XXXXIX. climacterio ſeptimo.*

Hiob XIX.

Scio, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terrâ ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.

Species Viri hujus per ſe valdè honeſta fuit & decora, quæ gravitatem ſuavitati præ ſe ferret, partium corporis atque membrorum omnium decens conformatio, habitus ad plethoram magis, quàm ad gracilitatem accedens. Juriſperitus prætereà non ſolùm fuit egregius, verùm etiam vir bonus & juſtus, qui prodeſſe ſtuduit omnibus, nocere nemini. *Proſopographia Schneidewini.*

Sæpè *Baldi* ſententiam, velut Regulam profeſſionis ſuæ, commemoravit: *Judicem debere utroque ſale inſtructum eſſe, uno ſcientiæ, ſine quo ſit inſipidus; altero conſcientiæ, ſine quo ſit diabolicus.*

Crebrò in Ore habuit illud: *Ad pœnitendum properat, qui citò judicat.* Itaque cum de capite vel fortunis alicujus eſſet pronunciandum, rationum momentis accuratè penſitatis Deum oravit, ne inter legendum eſſet animo rerum alienarum curis occupato. *Commune ejus dicterium.*

Hiſtoriam paſſionis Domini numeris & rythmis Germanicis eleganter complexus eſt, ſuisque domeſticis ut formulam precum quotidianarum commendavit. *Scripta.*

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

ANDREAS WESENBECIUS.

Obiit A.C. 1569.

Natus eſt *Antverpiæ* A. 1527. Patre *Petro Weſenbecio*, Secretario primùm, deindè Senatore Reip. patriæ, Matre *Barbarâ Ciliâ*. *Filius Secretarii & Senatoris.*

De horum conſilio cum fratre *Matthæo* maturè *Lovanium* miſſus ad *Gabrielem Mudæum*, Academiæ Prof. Juris primarium, ibi publicis & privatis exercitiis tantum profecit, ut unà cum fratre doctore & ductore *Mudæo* publicè Doctor renuntiatus ſit An. 1550. *Lovanium mittitur.* *Ubi Juris Doctor.*

Indè *Bruxellas* ad ſupremum ejus provinciæ forum ſeſe contulit, ubi Cauſarum Patronum egit, & opinione juſtitiæ, virtutis ac eruditionis ad finem vitæ ſuæ floruit.

Morte ſublatus eſt *Bruxellæ* An. 1569. ætat. 42. *Moritur.*

Extinctus, ut domeſtici confirmârunt, mœrore animi, vigiliis & laboribus, non habitâ valetudinis ratione perpetratis: ut verò rumor vulgaris ſparſit veneno abalienigenâ, cujus contra rem veniſſet, propinato.

Ornârunt ipſum venuſtas corporis, cum matrem proximè referret, & lepor quidam morum ſingularis (undè in negotiis graviſſimis collegas ſuos facetiis appoſitis exhilarare ſolitus eſt) congruens ſymbolo ſuo *PIE ET LÆTE.* *Dignitas corporis & lepores.*

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

HAYMO CRAVETTA.

Obiit A.C. 1569.

Saviliani in *Pedemontio* natus, Juris Conſultus fuit celeberrimus, qui *Ferrariæ, Ticini,*

Juris Profeſſor.

cini, & *Taurini* Jura publicè profeſſus per totam *Europam* inclaruit.

Senator Taurini.

Duci *Sabaudiæ* chariſſimus, ab eo Senator declaratus, cum magno tandem Reipubl. literariæ damno vitam clauſit *Taurini* An. C. 1569.

Scripta.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Conſiliorum ſive Reſponſorum Tomi VI.

Super ſtatuto Ferrarienſi, & de Indemnitatibus mulierum Quæſtio in utramque partem.

Conſilium in materiâ Monetarum.

Tractatus de antiquitatibus Temporum.

de Intellectu.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Obiit A.C. 1569.

BAPTISTA MENILIUS.

Advocatus & Fiſci Patronus Pariſienſis.

IS in Foro *Pariſienſi* cauſis privatorum agendis ſummâ diligentiæ, fidei & induſtriæ famâ primùm verſatus, majori laude, poſtquam Fiſci Patronus à Rege creatus erat, Magiſtratum geſſit: cum ad eam dignitatem præter eruditionem & exactum rerum Forenſium uſum, infractam animi conſtantiam, generoſos citra vanitatem ſpiritûs, & perpetuum in æquali vitæ tenore recti amorem, publicique boni ſtudium attuliſſet.

Adhæc tanto ingenii acumine ac luce excellebat, ut cum Jus publicè diceretur, quæ multis horis ac verbis Advocati perplexè diſſeruerant, ille uno verbo expediret, tantâ æquitatis apud Judices opinione, ut vocem perorantis mox Decretum ſequeretur, & ipſe quodammodò Præſidi verbis præire videretur.

Obſervatum à Curioſis, nunquàm ferè Senatum ab ejus ſententiâ ſeu rogatione diſceſſiſſe.

Obiit *Lutetiæ* A.C. 1569.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doct. C.B.*

* * * *

Tandem vir hic Patriæ amans, & nominis *Gallici* ſupra conditionem ſtudioſus, vitia ſeculi indies invaleſcentia, & Procerum conſilia ad publicam perniciem inſanabili ſeu furore ſeu cœcitate inclinare ægerrimè ferens, contracto indè mœrore in hydropem incidit, ex quo 4. Id. Quintilis An. C. 1569. deceſſit.

Hydrope ex mœrore obiit.

Funus ei Senatorium decretum, & in ædem S. *Johannis*, ubi ſepultus eſt, non minore omnium Ordinum luctu quàm pompâ deductum eſt. Mortem ejus, ut optimè de Regno *Galliæ* meriti *Michael Hoſpitalius*, domum tunc relegatus, quo cum ille ob conſiliorum de Republicâ, & voluntatum conſenſionem commodiſſimè vixerat, eleganti Carmine deploravit, & inſigi Elogio decoravit. *Thuan. lib. 46.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1569.

JOHANNES LORICHIUS SECUNDUS.

Lorichiorum familia.

NAtus eſt ex celebri familiâ. Avus ipſius *Johannes Lorichius* arcis *Hadamarienſis* in Comitatu *Naſſovico* Præfectus, ſeptem filios habuit, quorum tres Præfecturas geſſerunt, quatuor autem literis excelluerunt, *Gerhardus*, *Valentinus*, *Reinhardus* & *Joſephus* Prof. Hiſtoriar. in Academiâ *Marpurgenſi.*

Reinhardus autem, hujus *Johannis Secundi* pater, *Marpurgi* Rhetorices Profeſſorem primùm egit, deindè, vitæ genere mutato, Paſtorem Eccleſiæ egit *Bernbachii* ſub nobilibus à *Franckenſtein.*

Poëſi delectatur Johannes Lorichius.

Hic *Johannes Secundus* à primis ſtatim annis in optimarum artium & poëſeos ſtudio tantum verſatus eſt, ut à ſummis viris in pretio habitus ſit.

Militem agit.

A. 1552. Cum *Francofurtum* ad *Mœnum* obſidione premeretur, ipſe patriæ libertatis amans militiæ nomen dedit. Sedatis autem tumultibus, ad Muſas rediit, & mox in *Lithuaniam* ad fratrem *Georgium*, J. C. profectus, eo autore, Legum ſtudium amplexus eſt.

In Lithuaniâ Juris ſtudium amplectitur.

In patriam reverſus, mox in *Galliam* conceſſit, & iterum brevi tempore militem egit. Deindè *Aureliis* totum ſe Juris ſcientiæ mancipavit.

Conſiliarius Auriacus.

Cum verò *Gullielmo Uraniæ* Principi innotuiſſet, is in Conſiliariorum numerum cooptavit, & à Secretis habuit intimum, quo in officio annis ferè undecim cum laude perſtitit.

E Belgio in Galliam migrat.

Cum autem calamitas fatalis *Germaniam Inferiorem* inundaret, in *Galliam* commigrans Reformatorum, quorum caput tunc erat, Admiralius *Collinius*, [illegible] acceſſit.

Globo trajectus perit.

Poſt multos autem conflictûs, in quibus iterum militem ſtrenuum præſtitit, cum jam de pace ageretur, in conflictiunculâ quâdam globo trajectus, in vivis eſſe deſiit M. Julio A. 1569.

Reddidit Carmine *Eccleſiaſticum* & *Syracidem.*

Scripta.

Edidit etiam *Librum Ænigmatum.*

* *Ex Melch. Adami vitis JCtor.*

Obierunt A.C. 1570.

JOHANNES TILII, *Fratres.*

NObile fratrum cognominum par, *Tiliorum* videlicet, *Engoliſmenſi* agro oriundorum annus 1570. abſtulit: quorum *Johannes* grandior natu Curiæ *Pariſienſis* Protonotarius fuit, qui curâ, diligentiâ, & ſummâ in ſuo munere aſſiduitate non ſolùm ingentes opes, ſed veram gloriam, & exactam *Franco-Galliæ* antiquitatis cognitionem ſibi comparavit.

Protonotarius Curiæ Pariſienſis.

Alter natu minor ſacris addictus fani primùm *Brioci* in *Armonicâ*, & poſteà *Meldorum* Epiſcopus fuit, qui à puero literis inſtructus ad rerum *Gallicarum*, quâ frater ejus excelluit, peritiam, etiam linguarum, juris priſci *Romani* & Eccleſiaſticæ Antiquitatis exactam cognitionem adjunxit, perluſtratis *Franciſci I.* Regis permiſſu cœnobiorum ac aliorum locorum toto regno celebrium, cum adhuc integræ eſſent Bibliothecis,

Epiſcopus Meldorum.

Juriſconſultus.

Antiquarius.

thecis, ex quibus pleraque in utroque genere Antiquitatis monumenta publico dedit, eoque nomine magnam ab ævi ſui hominibus & à poſteritate laudem meruit. *Thuan. lib. 47.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Scripta. Edidit Epiſcopus *Meld.*

Chronicon de Regibus Francorum Pariſiis An. 1548.

* * * *

Alius fortè eſt *Jean de Tillet*, cujus liber etiam *Lutetiæ* A. 1618. excuſus extat, hoc titulo: *Recueil des Roys de France, leur couronne, & maiſon, enſemble le rang des grands de France.* Et A. 1598. libellus, cujus inſcriptio: *Sommaire de l'hiſtorie de la guerre faite contre les heretiques Albigeois par feu Jean du Tillet.*

* *Ex Indice Chronologor. celebr. Martini Zeileri.*

Clar. A. C. 1570.

NICOLAUS SCHELLERUS.

Philoſophia Profeſſor Wittebergenſis. COburgo-Francus, veteranus Univerſitatis *Wittebergenſis* alumnus, utpotè in quâ A. 1555. Phyſicam & Dialecticam, ſed A. 1556. Arithmeticam prælegit.

Juris Profeſſor Jenæ. Exindè in *Salanam* profectus A. 1561. inter Profeſſores Juridicos relatus, atque inter tres primos Curiæ Provincialis Advocatos Intermedius conſtitutus, primusque Procurator Pauperum. Procurator Pauperum, Collegas habuit D. *Matthiam Colerum*, & L. *Georgium Taſch.*

Colloquio inter Theologos *Lipſienſes*, *Wittenbergenſes*, & *Jenenſes* de Juſtificatione aliisque affinibus 20. Octob. A. 1568. *Altenburgi* incepto, & 9. Mart. An. 1569. per Electorales interrupto, unà cum aliis quibusdam Profeſſoribus Publ. *Philippiſmo* infertis dimiſſus *Jenâ Arnſtadium* abiit, & in Cancellariatu *Schwartzburgico* obiit. Cancellarius Schwartzenburgicus.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jenenſ. Adriani Beyeri*, qui hoc Epigramma adſcripſit:

Nunc quoque Jus geminum Nicolaus Scheller acutis
Prælegit Hofferi Sympatriota, natis.
Schwartzenburgenſis mox Cancellarius Aulæ
Arnſtadium fauſto ſydere lætus abit.

Obiit A. C. 1570.

JACOBUS OMPHALIUS.

ANdernaci, ad *Rhenum* oppido, honeſtis Parentibus natus eſt, inque literis à puero educatus.

Studia Omphalii. Cum varias Academias perluſtrâſſet, inprimis dicendi artes excoluit, in quibus tantum profecit, ut *Ciceronis aliquot orationes Commentariis* illuſtrârit.

Doctor Juris. Poſteà ad Juris Scientiam animum appulit, & in eâ Doctor ſolenniter renuntiatus eſt.

Conſiliarius Clivenſis. Hâc eruditionis famâ clarum *Guilielmus Clivenſium* Dux Conſiliarium ſibi adſcivit, ejusque operâ in rebus arduis feliciter uſus eſt.

Docet Coloniæ. Indè *Coloniam Agrippinam* venit, ibique cum applauſu publicè docuit.

Moritur. Benè ita de Republicâ literariâ meritus, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt A. 1570.

Poſteritati elucubravit hæc:

Scripta. *Commentarios in M. T. Ciceronis orationes tres.*

De elocutionis imitatione & apparatu.

De officio & poteſtate Principis in Republ.

De uſurpatione legum & eorum ſtudiis, qui juriſprudentiæ profeſſionem ſibi ſumunt. l. VIII.

Commentarium de civili politiâ.

Item: Nemologiam.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

ÆGIDIUS BURDINUS.

Obiit A. C. 1570.

IN *Ægidii Burdini Pariſienſis* obeſo gravique corpore vividum & velox ingenium licebat admirari, vel ob id maximè, quod ſepultis, ut videbatur, alto ſopore ſenſibus, cum indeſinenter ſterteret, nihilominùs loquentes probè audiret, & illis appoſitè reſponderet.

Diſciplinas omnes tantâ celeritate hauſerat, ut puer ipſos Linguarum & Philoſophiæ Magiſtros laceſſeret ac propè ſuperaret. In Græcæ Linguæ verò cognitione ad eum pervenit uſum, ut quod in *Ariſtophanem* egregiè molitus eſt, antiquos Græciæ auctores ſuâ ipſorum Linguâ explicandos enarrandosque ſuſceperit. Græcæ linguæ peritus.

Jurisperitus. Præcipuum tamen ei ſtudium fuit Juris-prudentia, cujus auſpiciis forum ingreſſus, qualem ſe quantumque geſſerit, ex eo potuit intelligi, quòd unus inter tot excellentes cauſarum Patronos electus eſt, qui Regii Cognitoris munus in ſupremi Regni Senatu ſuſtinuerit. Cognitor Regius in Senatu Gall.

Eſt enim ea dignitas apud *Gallos* ampliſſima, quâ poſteà *Jacobum Guellaum* fungentem univerſa *Gallia* ſuſpexit.

Obiit apoplexiâ. Apoplexiâ tandem repentè oppreſſus A. C. 1570. ætatis 53. exſpiravit.

Scripta. Ex laboribus ejus, præter *Græcos illos Commentarios*, leguntur pauca tantùm, quibus nonnullam *Juris Gallici partem* interpretatus eſt.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

JOHANNES FRISIUS.

Obiit A. C. 1570.

DE *Heſſelager*, Regis *Daniæ Friderici I.* Viceancellarius, Regis *Chriſtiani III.* Cancellarius & Conſervator primus Academiæ *Hafnienſis* conſtitutus A. 1539. Primus Cancellarius & Conſervator Academiæ Hafnienſis.

Erga ſtudioſos pauperes beneficus. Legavit Pauperibus Studioſis ter mille *Joachimicos*, quam ſortem hæredes poſteà auxêre quingentis *Joachimicis*, quorum annuo fœnore Inſpector Stipendiariorum ex ordine Profeſſorio donetur. Sorti 3000. Imp. Studioſis legatæ *Fridericus Fris*, fratris filius, teſtamento adjecit 2000. Imperiales A. 1619. die 3. Junii.

Moritur. Obiit Anno 1570. 5. Dec. *Coagul.* Sepultus in ſummo Choro Templi D. Virginis

Hafnienſis. Lapis Sepulcralis hanc habet Inſcriptionem:

Epitaphium. JOHANNIS FRISII QUONDAM CANCELLARII OSSA HORAM ARCHANGELI BEATA SPE HIC EXPECTANT.

Familiæ inſignia vitæ officia, mortis monumentum vicina Columna indicat.

Columna eſt Auſtralis, monumentum habens affixum, cum hâc inſcriptione:

JOHANNI FRIS AB HESSELAGER, VIRO CLARISSIMO, DE REGIBUS ET REPUBL. DANIÆ PLURIMIS ET MAXIMIS IN REBUS BENE MERITO, FRIDERICI I. VICE CANCELLARIO, CHRISTIANI VERO III. ET FRIDERICI II. CANCELLARIO FIDELISSIMO ET PRUDENTISSIMO, CUJUS CONSILIO ET AUCTORITATE ECCLESIÆ ET SCHOLÆ DISCIPLINA ET REDITIBUS ORNATÆ SUNT, LEGUM EMENDATIONE REIP. FORMA STABILITA. QUI POSTQUAM FAMILIÆ SUÆ DECUS VIRTUTE ET MERITIS AMPLIFICASSET, VEGETA SENECTA, SED ANNORUM SATUR, VITAM NATURÆ, SPIRITUM SERVATORI DEO, PLENUS FIDE ET SPE REDDIDIT. MORITUR COAGII V. DECEMB. AN. 1570.

HÆREDES PATRUO B. M. POS.

VINCE BONO MALUM.

* *Ex Academiâ Hafnienſ. Eraſmi Pauli f. Vindingii.*

Clar. A.C. 1571.

GEORGIUS VIVIENNUS.

Fertilitas rara. ANtverpiæ natus eſt, Parentibus *Valencenalibus, Petro Vivienno, & Jacobâ Bailardâ,* quæ 32. proles peperit ex duobus maritis.

Artium Magiſter. *Lovanium* miſſus, Artium Magiſter renuntiatus eſt. Primò Medicinæ operam dedit, mox Theologiæ. Hinc ad Jurisprudentiam ſe transtulit, nactus Doctorem *Gabrielem Mudæum, Pariſiis* Regentem & Profeſſorem egit. Juris Profeſſor Pariſ.

Advocatus Antverpiæ. Juris Profeſſor Coloniæ. Conſiliario Electoris Colonienſis. Matre defunctâ circa A. 1562. in Patriam è *Galliis* venit, & Advocatum egit *Antverpiæ* & *Bruxellæ.* In Germaniam indè ſe conferens, *Coloniæ* Jus privatum docuit: tandem admiſſus ad Juris utriusque profitendi munus, tertio poſt anno aulæ Archiepiſcopi *Colon.* Aſſeſſor factus eſt.

Scripta. Scripſit:

Hiſtoriam rerum memorabilium, ad Ducem Albanum, Belgii Proregem.

Tabulas univerſalis Philoſophiæ.

Orationum Librum.

De Officio boni Patris, & Matris-familiâs.

Encyclopædiam.

Dialogos Sacros Vet. Teſtamenti Gallicè.

Schematismorum Libros.

Synopſin Juris utriusque ad Viglium Zuichemum Præſidem.

Inſtructionem rei militaris terrâ mariq́ue.

Conſiliorum Volumina.

Oeconomicorum, ſeu Ethopoliticorum Lib. IV.

Lexicon utriusque Juris.

Commentarios ad leti Introitûs Statuta Brabantiæ à Ducibus ſuis conceſſa, & à Carolo V. & Philippo II. filio confirmata.

Enchiridion de Verborum & Rerum ſignificatione.

Epitomen Regularum Juris Canonici.

Proverbia Juriſtarum.

De locis argumentandi Legalibus.

De Arreſtis & Arreſtationibus quarumlibet Perſonarum.

Commentar. in Lib. I. Pandectarum.

Juſtiniani Imp. Lib. IV. Inſtitutionum Juris Civilis emendatos.

Tabulas inſtitutorias in eosdem.

Compendium de univerſis Regulis Juris Civilis.

Chriſtianiſmi Elementorum Delineationem, maximè eorum, quæ nemo verè Chriſtianus ignorare debeat.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

JOHANNES ULRICUS ZASIUS. Obiit A.C. 1570.

NAtus *Friburgi Briſgoiæ* A. 1521. Patre *Ulrico,* J. C. celeberrimo. Primùm parentis curâ in patriâ, deindè *Joh. Paumgartneri,* Conſil. Cæſ. ſumtu in Academiis *Italiæ* educatus, patris veſtigia ſtrenuè conſecutus eſt. Literis ſtrenuè operam dat.

Doctor ſolenniter creatus *Baſileæ* JusCivile publicè docuit. Jus civile docet.

Indè in Cæſaris curiam ob prudentiam & facundiam allectus Impp. *Ferdinando I.* & *Maximiliano II.* à Conſiliis fuit. Conſiliario Cæſareus.

26. Maji An. 1565. *Viennâ* in Senatum, quem Cæſar *Ebersdorffii* habebat, evocatus cum *Seldio,* cum ambo ſub veſperam domum curru properarent, concitatis panico terrore equis, *Seldium* deſilientem, & eo caſu extinctum ſubſecutus, periculosè cecidit, & dextram capitis partem graviter afflixit, quæ deinceps deſtillationibus obnoxia manſit, & morti præmaturæ cauſam præbuit 27. April. A. 1570. ætat. 49. Moritur.

Uxorem *Catharinam* An. 1553. amiſit, *Hirſaugiæ* ſepultam.

Edidit quædam parentis, ut *Reſponſorum ſingularium librum.* Scripta.

Singularium intellectuum part. II.

Adſcribitur & huic *Catalogus legum antiquarum,* qui reperitur in tractatu tractatuum & Auctorum juſſu *Gregorii XIII. P.P.* in unum congeſtorum.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

NICOLAUS ASCLEPIUS BARBATUS. Obiit A.C. 1571.

CAſſellanus, initio efflorescentis Academiæ *Marpurgenſis* huc ſe *Hombergâ Cattorum,* ubi ludimoderatorem egerat primarium, contulit, Philoſophus, Poëta & Orator, uti ſeculum illud ferebat, non contemnendus. Atque quidem inter primos Academiæ proceres Dialecticam & Ethicam docere juſſus eſt. Locus nativitatis. Hombergæ Cattorum ludi moderatorem egit primarium. Dialecticam & Ethicam docuit Marpurgi.

Poſtmo-

J.U. Doctoris titulum adeptus.

Poſtmodùm etiam cùm Juris civilis prudentiam hauſiſſet, Juriſconſultorum ſuffragiis & *Ferrarii operâ* J.U. Doctoris titulum ac nomen adeptus eſt annô 1556.

Moritur. *Rectoris munus ſemel, Decani verò quinquies ſuſtinuit.*

Tandem grandævus & emeritus de curriculo hujus vitæ deceſſit annô 1571. die 21. Aprilis, cùm Rectoris ſuſtinuiſſet ſemel, Decani autem munus quinquies, & inter alios *Cratonem Heinbachium*, *Hersfeldenſem* poſteà Abbatem & Imperii ipſius Principem Philoſophicâ laureâ annô 1543. condecoraſſet.

* *Ex MSS. Marpurg.*

NICOLAUS GRUDIUS.

Obiit A.C. 1571.

A patriâ *Lovanio Grudius*, aliâs *Nicolaus Nicolaius* nominatus, *Nicolai Everbardi*, J.C. & Præſidis filius fuit, Eques & Poëta. *Gerardo Groesbequio*, Cardinali, & *Eburonum* Principi gratiſſimus extitit. Poſt *Philippo II. Hiſpaniarum* Regi, & Principi *Belgarum* à Conſiliis, atque illuſtri Velleris aurei Ordini ab actis fuit.

Juriſconſultus & Poëta. *Conſiliarius Hiſpanicus.*

Magna illi fuit familiaritas cum *Hieronymo Vida, Cremonenſe*, Poëtarum ſui temporis Principe. Obiit *Venetiis* An. C. 1571. eò profectus Reip. causâ.

Moritur.

Scripſit:

Scripta.

Piorum Poëmatum Negotia inſcriptor. Lib. II.
Epigrammatum Lib. III.
Elegiarum Lib. III.
Funerum Lib. II.
Hendecaſyllaborum Lib. I.
Sylvas & Epiſtolas.
Exomologeſin Jambico Carmine.
Epigrammata Arcuum triumphalium, à Valentianis Carolo V. in ejus Adventum exhibitorum.
Apotheoſin in obitum Maximiliani ab Egmondâ Comitis Burani.
Carmen Sepulchrale in funus Margarethæ Auſtriacæ.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

ALEXANDER LOSEUS.

Obiit A.C 1571.

A *Villani* in *Pedemontio Italiæ* Provinciâ natus, Legum ſtudia ſummo cum animi fervore excoluit, & cauſarum Patronus fuit eximius, ad quem velut ad Oraculum litigantes accurrerunt: nec tantùm Legum, ſed Sacræ Scripturæ etiam cognitione excelluit.

Advocatus.

Ex hâc tandem ad meliorem vitam diſceſſit *Taurini* 6. Jan. A.C. 1571. Sepultus in Templo S. *Mariæ* cum hoc Epitaphio:

Moritur. *Epitaphium.*

ALEXANDRI LOSEI JURECONS. PERITISS.
IN ENODANDIS LEGIBUS FORENSIBUSQUE
CAUSIS DEFENDENDIS
ACUTISS: AC IN SACRIS LITERIS NON
PARUM VERSATI,
INDIVIDUO DIVISO CORPUS LARIS HIC,
COELUM ANIMAM TEGIT.
POSTERITATI MONUMENTUM HOC FILII
MOERENTES
POSUERE. VIXIT ANN. 57. OBIIT 1571.
IDIB. JAN.

Edidit:

Scripta.

In tertium Codicis Librum Commentaria.
De inutili ſtipulatione Enarratiunculam perbrevem.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES ADAMUS MORDERUS.

Clar. A.C. 1572.

Legendo & ſcribendo indies profecit, in ſtudio & ſtadio Juris, & evaſit propterea in Conſultum tàm Juris quàm Juſtitiæ amantiſſimum.

In *Salanam* venit A. 1568. 5. die Octob. Matriculæ Facultatis Juridicæ inſcriptus, & 10. Octob. in Profeſſorum Publicorum Ordinem cooptatus.

Juris Profeſſor Jenenſis.

Ex eâdem A. 1572. diſceſſit *Spiram Nemetum* in Supremo Imperii *Romano-Germanici* Areopago & Tribunali Advocatus, ac tandem aſſeſſor legitimè conſtitutus.

Moritur. *Aſſeſſor Judicii Imp. Spir.*

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jen. M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit *Epigramma:*

Epigramma.

Johannes Adam Morderus ſidere fauſto
Salanæ noſtræ limina docta ſubit.
Annos poſt aliquot Jenenſia deſerit arva,
Et Spiram Nemetum ritè vocatus abit.

WIGANDUS HAPPELIUS.

Obiit A.C 1572.

Natus *Marpurgi Heſſorum* annô 1522. Patre *Wigando Happelio*, viro ordinis Senatorii Conſularis.

Marpurgi natus.

Cùm in patriâ Scholâ adoleſcens Græcam & Latinam Linguam egregriè imbibiſſet, *Lovanium* abiit Anno Chriſti 1539. ubi tum inſignis Mathematicus *Gemma Friſius* & *Petrus Nannius* docebant. Indè mox *Wittebergam* concedens, cum magno illo Theologo D. *Martino Luthero* habitavit, & *Philippum Melanchthonem*, *Caſparum Crucigerum* & *Johannem Pomeranum* audivit ſedulò.

Scholam patriam frequentavit. *Lovanium diſcendi causâ abiit.* *Wittebergam tranſiit.*

Poſteà annô 1542. *Argentinam* abiit, ubi tum erant *Petrus Martyr*, *Martinus Bucerus*, *Johannes Sturmius*, *Paulus Fagius*, *Caſparus Hedio*, aliique viri excellentes; undè *Tigurum* profectus, *Conrado Pellicano* fuit domeſticus.

Argentinam commigravit. *Tigurum profectus.*

Apud hos viros, & *Fagium* præſertim, ſe linguæ Hebrææ dedidit ſtudio, in quo ita profecit, ut ejuſdem linguæ canones in lucem emiſerit *Baſileæ*.

Linguæ Hebrææ Canones in lucem emiſit.

Notus indè doctis, cum Academia *Marpurgenſis* Profeſſorem S. linguæ mortuo *Noutzeno* non haberet, ipſe tametſi ad juris ſtudium appuliſſet animum, ſe nihilominus Academiæ rogatu ad linguam ſanctam pertractandam dedit, & Rectoratus inſuper dignitate vel quartâ vice auctus. Poſtmodùm annô 1556. J. U. D. titulo ab *Oldendorpio* inſignitus, ad Juriſconſultorum tranſiit ordinem, & codicem explanando ita ſe hisce abdidit literis, ut ad communem fructum afferret omnia, & in aſpectum lucemque juventutis proferret, & tamen nihilominus Hebræa publicè docere usque ad vitæ finem non ceſſaret.

Linguæ Sanctæ Profeſſor. *Rectoris vices quartâ vice ſuſtinuit.* *Juris Doctor creatus.* *Codicem tractavit.*

Sextùm

Sextùm indè Rector, hanc dignitatem à Calend. Juliis, uſque ad ſequentis anni Julium ſuſtinuit, quo Muſæ avitâ ſuâ ſede expulſæ, peſtis ipſius ſævitiâ *Francobergam* commigrârunt.

Francobergam migravit.

Deceſſit autem annô 1572. Martii 21. Præter honores, quos è ſtudiis retulit, inter cives quoque ſuos conſulatûs dignitate auctus, ſepultusque eſt in æde D. *Eliſabethæ*, adſoceri D. *Johannis Ferrarii* latus.

Moritur. Civitatis conſulatum geſſit. Sepultus in æde D. Eliſabethæ.

* *Ex MSS. Marpurg.*

MARTIUS RUTILIUS.

Clar. A.C. 1572.

NAtione *Vicentinus*, illuſtribus inſtitit veſtigiis patrui ſui *Bernardini Rutilii*, ejus, qui vitas deſcripſit veterum Juriſconſultorum, aliaque opera edidit, quorum celebri famâ 34. annos natus, ad primam Cathedram Juris Civilis in Gymnaſium *Avinionenſe* invitatus eſt, ſed cum ad iter illud ſe accingeret, morte præreptus obiit A.C. 1538.

Martius hic adhibitus eſt primùm ad textum, gloſſam, & *Bartolum* explicandum A. 1564. adeptus id munus novo exemplo, cum nondum Doctoris inſignia eſſet conſecutus.

Patavii Juris Profeſſor, nondum Doctor.

Poſteà factus Doctor, electus eſt ad Jus Canonicum veſpertinum interpretandum A. 1568. Collega *Caſp. Fabiani*, & A. 1571. Jus Civile ordinarium matutinum interpretabatur, Collega *Maxi. Mantuæ*, & *Tiberii Deciani*.

Cum autem propter nimios labores diuturnasque vigilias incommodâ valetudine circiter duos annos laborâſſet, nec propterea dimiſſus eſſet, tandem ipſe ex conſilio Medicorum A. 1572. neceſſariò ſe excuſavit, vixque miſſionem impetravit.

Dimiſſionem impetravit.

Abindè cultui divino deditus, factus eſt ſummus in Epiſcopatu *Vicentino* vicarius, ſucceſſor fratris ſui *Antonii*, viri religioſi, fulgensque ſimul lumine *Petri Pauli*, alterius fratris J.C. eximii, & *Patavii* Juris Civilis interpretis ordinarii veſpertini.

Vicarius Epiſcopi Vicentini.

* *Ex Gymnaſii Patav. Lib. II. ab Antonio Riccobono editi.*

Inchoavit Commentarium, & propè finem perduxit de Doctoribus; ubi diſertè declaravit *originem dandorum Doctoris inſignium*, qui talia Inſignia dare, qui accipere poſſent, multaque alia ad rem hanc pertinentia: ſed propter infirmam valetudinem perficere eum non potuit.

VITUS POLANTUS.

Obiit A.C. 1572

NAtus eſt A. 1520. *Fobendrafii*, *Palatinatûs* ſuperioris oppido.

Patrem habuit nobilem, *Georgium Polantum*, Senatorem in patriâ per decennium.

Matrem *Annam*, ex antiquâ *Cocciorum* familiâ.

An. 1532. Statim à morte parentis, ad Scholam novam in cœnobio *Heilsbrunn*, ubi Marchionum *Brandenburgicorum* ſepulturas ſtudiorum causâ contendit.

Literis.

An. 1538. Indè cum aliis ejus ſcholæ ſtipendiariis *Tubingam* venit, & Dialecticæ, Rhetoricæ ac Geometriæ præceptis incubuit.

Dialecticæ, Rhetoricæ & Geometriæ operam dat.

A. 1541. Propter luem *Tubingæ* graſſantem, *Ingolſtadium* abiit, ubi & Poëſi delectatus, in Philoſophiâ magiſterii honorem adeptus eſt A. 1543.

Ingolſtadium venit. Poëſi delectatur.

Deindè ad Juriſprudentiæ ſtudium ſe contulit, & poſtquàm *Germaniæ*, *Italiæ* & *Galliæ* Profeſſores audiviſſet, An. 1548. in Academiâ *Ferrarienſi* Doctoratûs inſignibus ornatus eſt.

Juris ſtudium amplectitur.

Indè peregrinatione per totam *Italiam* & *Galliam* ſuſceptâ, reverſus in *Germaniam*, *Spiræ* ad fori Praxin ſe contulit.

Spiræ degit.

Biennio pòſt ab *Ottone Henrico*, Electore *Palatino*, inter Conſiliarios cooptatus eſt.

Conſiliarius Palatinus.

Ab hoc ad *Carolum V.* Imp. legatus ire juſſus, cum ejus aulam annum ferè per *Brabantiam*, *Flandriam* & *Pannoniam* eſſet ſecutus, *Bruxellis* nobilitate donatus eſt ab ipſo Cæſare A. 1554.

Nobilitate donatur.

Sed cum *Otto Henricus* obiiſſet 12. Febr. A. 1559. Supremi quoque Conſiliarii officium apud ſucceſſorem *Fridericum III.* nactus eſt, & variis legationibus cum laude functus eſt ad Imp. *Maximilianum*, Reginæ *Angliæ Eliſabetham*, & Imperii Electores.

Adſciſcitur in Senatum ſummum.

Mundo tandem valedixit *Haidelbergæ* 27. Januarii A. 1572. ætat. 52.

Moritur.

Sepultus ibidem in Choro ad D. *Petrum*, cum Epitaphio ejusmodi:

Epitaphium.

VITO POLANTO V. NOBILISSIMO ET CLARISSIMO J. U. DOCTORI AC COMITI PALATII LATERANENSIS, ILLUSTRISS. PRINCIPP. D. OTH. HENRICI, ET D. FRIDERICI III. PALAT. ELECT. CONSILIARIO PRÆCIPUO, MARITO AC PATRI CARISS. CORDULA BOTZHEMIA, UXOR EJUS, LIBERIQUE SUPERSTITES MOESTISSIMI, HEU MULTIS CUM LACRYMIS H. M. F. C.

O VI. CAL. FEBR.

ANN. SAL.

CIƆ IƆ LXXII.

ÆTATIS AUTEM SUÆ LII.

Hoc tumulo Viti requieſcunt membra Polanti,
Juriſperiti nobilis:
Qui varias juvenis linguas edoctus & artes,
Doctoris ad gradus iit.
Pòſt à conſiliis Henricum juvit Othonem:
Et hunc ſecutum Principem:
Quorum nominibus varias legatus in oras
Ad Cæſares miſſus fuit.
A Carolo Quinto meritò virtutis & artis
Factus Palatinus Comes
In Chriſto placidè finivit tempora vitæ:
Res dulcis in Chriſto mori.

Eruditionem ejus teſtantur monumenta, de quibus ſunt:

Scripta.

Quæſtiones, earumq; diſtinctiones in libros codicis Juſtinianei: incerti authoris, ex vetuſto

tuſto M.S. exemplari deſcriptæ, opera, ſtudio & ſumtibus hujus *Polanti* in lucem editæ.

Acceſſit etiam ejuſdem authoris *fragmentum diſtinctionum digeſt.* vet. *cum indice quæſtionum.*

Petri à Bella Pertica, Galli JCti vetuſtiſſimi commentaria in ff. novum, videlicet ad 43. 44. 45. 46. & 49. pandectarum libros ex vetuſto M.S. exemplari.

Item *explicationes ſingulares*, ſive *repetitiones ejuſdem Petri à Bella Pertica in aliquot LL. ff. veteris & codicis Juſtiniani, per eundem Polantum repurgatæ.*

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

CAROLUS BELLOMANERIUS.

Obiit A.C. 1572.

Præceptor Henrici Regis Navarræ.

LAvardinus, *Henrici Navarræ*, poſteà & *Galliæ* Regis pueritiæ aliquandiu moderator, in Laniena *Pariſienſi* in manûs *Petri Lupi*, Curiæ cognitoris, hominis minimè mali, inciderat, qui cum eum ſervare vellet, ab aûlæ emiſſariis juſſus captivum interficere, quâ erat ingenii paratâ & argutâ feſtivitate, ſpatium petiit, dum ira ſua nondum excitata efferveſceret, quo dicto feritatem illorum ad tempus eluſit.

Sed mox ſuperveniente ab arce nuntio, quaſi à Rege miſſo, hominem in manûs ſtipatorum, qui eum coràm Rege ſiſterent, tradere coactus eſt.

Occiſus in lanienâ Pariſienſi.

Ii verò *Laverdinum* in itinere priùs pugionum ictibus confoſſum, è ponte in fluvium præcipitàrunt. *Thuan. lib.* 12.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES CORASIUS.

Obiit A.C. 1572.

Juris Profeſſor Tholoſæ.

THoloſæ, celebri legum domicilio, natus, & in Jurisprudentiæ ſinu molliter innutritus, quam à ſacro ejus ubere ſuxerat æqui & boni diſciplinam, pari deindè profitendi ſcribendique labore *Tholoſæ* in patriâ aliis Gymnaſiis *Europæ* largiſſimè profudit.

Cancellarius Regni Navarræi.

Relicto tandem umbratili ſtudio, in Senatum patrium allectus, ac paulò pòſt in aulam Regiam *Navarræ* ad Cancellarii dignitatem evocatus, videbatur ſibi comparâſſe tranquillam & honoratam à laborioſâ juventute ſenectutem, cum in civili tumultu præter omnem ſpem redintegrato, poſt interemtum *Lutetiæ Collignium* Admiralem, & poſt nuptias *Pariſienſes* cruentas, domum ad officium reverſus, poſtquàm ſuos cædipercepiſſet, in intimum conclave ſe abdidit, ubi cum ſupplici corde ad Deum vota feciſſet, eique animam ſuam piè commendâſſet, foribus effractis, à ſicariis immiſſis trucidatus eſt *Tholoſæ* A. C. 1572.

Occiſus.

* *Ex Elogiis Gallor. doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani, & ex Indice Chronologico Abrahami Bucholtzeri.*

Edidit:

Scripta.

Comment. in Pandectas.
in Sacerdotum materiam.
De Arte Juris.
Miſcellanea Juris.
In Titul. Cod. de Impuberibus, & aliis Subſtantiis.
De Actionibus.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Johannes Coraſius J.C. in præcipuis 6. Academiis *Galliæ* & *Italiæ*, *Andegavi*, *Aurelia*, *Lutetiæ Pariſiorum*, *Toloſæ*, *Valentiæ Allobrogum*, & *Ferrariæ* Profeſſor publicus fuit. Ejus vitam & laudes exponit peculiari Oratione *Matthæus Weſenbecius.*

BERNARDINUS SANDOVALIUS.

Obiit A.C. 1572.

NObili apud *Carpetanos* ſtemmate illuſtris non tàm genere ſe, dum vixit, jactabat, quàm literis, ac potiſſimum pietate excellere glorioſum ducebat. Primis itaque hauſtis literis, Juri ſe cum Cæſareo, tùm Pontificio, conſecravit, vicitque æquales: utque erat pietatis ſtudioſus & Sacerdos raræ virtutis, piis ſeſe quotidiè operibus, cùm ægrotos, tùm vinctos conſolando exercebat, ſcripſitque Hiſpanicè *Volumina II*, alterum *de Sacerdotis boni officio*, alterum *de iis, qui in carceris cuſtodiâ aſſervantur, conſolandis.*

Juris Cæſarei & Pontificii peritus.

Libri ab eo Hiſpanicè ſcripti.

Canonicus fuit *Toleti*, ubi opima admodùm Sacerdotia, atque adeò Scholarcha rexit Academiam à Majoribus ſuis excitatam.

Canonicus Toleti. Scholarcha.

Pòſt invidiâ virtutis comite laborare cœpit, & generis ac ſtirpis quæſtione motâ, ad cauſam *Romæ* dicendam provocavit.

Obiit in eâ Urbe magno ſui bonis omnibus relicto deſiderio: facultates enim pauperibus partim dùm viveret diſtribuit, partim teſtamento legavit, conditusque in æde B. Virginis majore ad Præſepia Domini, ubi hic titulus inſcriptus legitur:

Obiit Romæ.

Epitaphium.

BERNARDINO SANDOVALI HISPANO,
TOLETANÆ ECCLESIÆ CANONICO, ET
SCHOLASTICO, ACADEMIÆ EJUSDEM
URBIS A MAJORIBUS SUIS INSTITUTÆ
ORNATÆQUE CANCELLARIO: GENERIS NOBILITATE, DIVINI ATQUE HUMANI JURIS SINGULARI PERITIA,
QUAM LIBRIS EDITIS, SCRIPTISQUE
TESTATUS EST, CLARO:
OB EAMQUE DOCTRINAM, ET SINGULAREM
VITÆ SANCTITATEM,
CUM SUMMA HUMANITATE MORUMQUE
SUAVITATE CONJUNCTAM
PIO V. PONT. MAX.
EXTERIS ET MINUS ETIAM NOTIS AMABILI,
GEORGIUS FONSECA
FRATRI CARISS. PRÆPOPERA MORTE REBUS
HUMANIS EXEMPTO
MULTIS CUM LACR. P.
OBIIT ANNO LXXXIX. V. NON. MAJI
ANNO DOM. MDLXXII.

Cancellarius Academiæ Toletanæ.

Sſſſſ *Ex

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum Auctorum.*

Claruit A.C. 1573.

PETRUS BREME, vel PREMUS.

Cancellarius Saxo-Vinariensis.

EX Academiâ *Heidelbergenſi*, in quâ Juriſprudentiam aliquandiu docuit, in Aulam *Saxo-Vinarienſem* vocatus, & Ordini Conſiliariorum adſcriptus eſt.

Privilegia Univerſitatis Ienenſis inaugur. prælegit.

Hinc Privilegia Univerſitatis *Jenenſis* 25. Aug. A. 1557. *Viennæ* data, *Ferdinando, Romanorum* tunc Rege, poſteà Imperatore, in ſolenni *Salanæ* inauguratione 2. Febr. An. 1558. in Templo *Michaëlitano* prælegit.

Primus Facultatis Juridicæ & Scabinatûs in *Salanâ* Ordinarius, officio Ordinariatûs, A. 1561. introducti per D. *Henricum Schneiderwinum*, J. C. functus ad A. 1569. quo *Vinariâ Jenam* profectus eſt.

Jenâ dimiſſus.

Demùm A. 1573. 16. Junii à tribus Electorum & Tutorum, *Friderici Palatini, Auguſti Saxonici*, & *Joh. Georgii Brandenburgici* Legatis, unà cum aliis *Lutheraniſmi* patronis, & *Philippiſmi* antagoniſtis dimiſſus eſt.

Scripta.

Edidit *Vinariæ*

Librum de Securitatis promiſſionibus, & fide publicâ, quem A. 1555. Joh. Wilhelmo, Saxoniæ Duci, inſcripſit.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium Adriani Bayeri*, qui hoc addidit *Epigramma*:

Quamvis Juridici Collegi primus in Urbe
Jenenſi Præſes, tu Petre Preme, viges:
Oenagoræ aula tamen plures te detinet annos
Conſilio uſa tuo præſidioq; bonis.

Obiit A.C. 1573.

WOLFFGANGUS STREITHIUS.

Familia Streithiorum.

V*illingæ*, oppido ad *Hercyniam* ſylvam ſito, natus eſt 2. Maji An. 1537. Ex familiâ celebri, quæ *Villingæ* ultra 200. annos floruit.

Pater ejus cognominis Conſularem magiſtratum ibi cum laude geſſit.

Litteris operam dat.

Imbutus in patriâ puerilibus diſciplinis, ſub Præceptore *Sylveſtro Kauffmanno, Glareani* olìm diſcipulo, anno ætatis nono in Academiam *Friburgenſem* ablegatus, ſub Præceptore *Johanne Redio Tettingero* non parvam eruditionis fecit acceſſionem.

Diſcipulus Glareani, Hartungi.

Ibi quoque domeſticum ſtudiorum ſuorum, hiſtoricorum præcipuè, magiſtrum habuit *Henricum Glareanum*, & *Joh. Hartungum* linguas Græcam & Hebræam docentem diligenter audivit.

Iuris ſtudium amplectitur.

Deindè ad Juris ſtudia tranſiens A. 1560. *Galliam* adiit, & *Avarici Biturigum* primùm, deindè *Pictavii* aliquantiſper ſubſtitit.

Doctor Juris.

A. 1563. *Friburgum* rediit, & A. ſeq. Juris ibi Doctorales honores adeptus, & in Academiâ *Profeſſoribus* adſcriptus eſt.

Uxorem ducit.

Conjugio ſe mox mancipavit An. 1563. cum *Catharinâ*, filiâ *Matthæi Neſeri*, qui olim in jure *Tubingæ* Profeſſor, poſteà in *Spirenſi* judicio ſupremo Aſſeſſor, & Imperatorum *Caroli V.* ac *Ferdinandi* Conſiliarius, *Petri Neſeri*, in Conſiſtorio *Eyſtettenſi* Conſiliarii frater fuit.

Ex hâc cum filium *Matthæum* ſuſcepiſſet, eundem anno à nuptiis quarto amiſit.

Urbis Friburgenſis Oraculum.

Friburgi tàm docendo, quàm privatis æquè ac Principibus conſulendo eam æquitatis famam conſecutus eſt, ut domus ejus Oraculum totius Urbis meritò dici potuerit.

Divitias, quibus affluxit, ad alios egenos liberaliter derivavit, inter quos non poſtremus fuit *Thomas Freigius* J.C. quem non ſolùm ope & conſilio juvit, ſed etiam effecit, ut Ethices ac Logices Profeſſio *Friburgi* ei data ſit.

Moritur Streithius.

Obiit *Friburgi* circa initium An. 1573. ætat. 36.

Patruus ipſius *Jacobus Streithius*, Juris Profeſſor in Academiâ *Friburgenſi* primarius, multos annos cum laude Jura docuit.

* *Ex Melchioris Adami Vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1573.

ANDREAS MASIUS.

Philologus.

B*Ruxellenſis*, Juris utriusque Doctor, præter eximiam *Latinæ, Græcæ*, & *Hebraicæ*, linguarumque exoticarum cognitionem, tantam linguæ *Syriacæ* notitiam brevi adſecutus eſt, ut aliquantò pòſt *Neſtoriani* populi Patriarchâ pariter *Romam* veniente, nemo illi aptior repertus ſit, qui, quas hic à ſuis popularibus attulerat *Syriacas* interpretaretur.

Antverpiam evocatus, unà cùm *Benedicto Aria Montano*, Theologo maximo, iſtam verè Regiam *Bibliorum* editionem adornavit.

Magna illi cum *Antonio Auguſtino, Tarraconenſium* Archiepiſcopo, *Levino Torrentio, Sebaſtiano Münſtero*, & *Augerio Busbequio* familiaritas fuit.

Conſiliarius Clivienſis.
Moritur.

Guilielmo demùm *Cliviæ* Duci à conſiliis, eidemque admodùm charus. *Zevenaræ* 7. Id. April. A.C. 1573. diem clauſit extremum, hydrope non ita ſenex extinctus, omnium ſeculorum memoriâ vir digniſſimus.

Scripta.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Lexicon Græcum, & *Linguæ Græcæ Inſtitutiones.*

Explicatio in Hiſtoriam Joſuæ.

Grammatica Syriaca.

Diſputatio de Cœnâ Domini.

Syrorum peculium, hoc eſt, *vocabula apud Syros Scriptores paſſim uſurpata.*

Commentarius de Paradiſo ante annos propè DCC. à Moſe Bar-Cepha Syro ſcriptus, ex linguâ Syriacâ translatus.

Moſis Mardeni Jacobitæ, Legati, Patriarchæ Antiocheni apud Gregorium XIII. P. M. Profeſſiones fidei II. Ad hæc *duæ Epiſtolæ*, una *Sullakæ Neſtoriani*, altera *populi Neſtoriani ad Pontificem maximum ex linguâ Syriacâ Latinè translatæ.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1573.

SIMON SCHARDIUS.

Philologus, Hiſtoricus & JCtus.

NAtus eſt in *Saxoniâ* circa annum 1535. In ſtudiis tantas acquiſivit opes, ut clarus haberetur tùm Philologus, tùm Juris Conſultus, tùm Hiſtoricus.

Primùm

Conſiliarius Bipontinus. Primùm *Wolffgangi*, Ducis *Pal. Bipontini* fuit Conſiliarius.

Aſſeſſor Cameræ Spirenſis. Moritur. Poſteà An. 1566. *Spiram* in Collegium Aſſeſſorum Cameræ Imp. accitus, ibi vitam clauſit 26. Maji A. 1573.

Scripta. In uſum poſteritatis elucubravit: *Ideam Conſiliarii, hoc eſt, de Conſiliis & Conſiliariis Principum, eorumq́; qualitatibus, virtute, & electione libellum ex Friderici Furii Cariolani tractatu Hiſpanico de inſtitutione Principis in Lat. Linguam translato.*

Lexicon juridicum.

Orationes & Elegias funebres in Exequiis Germaniæ Principum, ab obitu Imp. Maximiliani I. ſcriptas & recitatas.

Opus Hiſtoricum in 4. Tomos diviſum, quorum I. *Germaniæ antiquæ deſcriptionem*, II. *Res ſub Imp. Carolo V. geſtas* III. *Res geſtas ſub Ferdinando Primo*, IV. *ea, quæ pòſt acciderunt ſub Maximiliano II, ad annum uſque 1572. complectitur.*

* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. JCtorum.*

Obiit A. C. 1573.

MICHAEL HOSPITALIUS.

VIr fuit incomparabilis, nec ſolùm *Arverniæ*, ubi primùm ortus eſt, ſed omninò *Galliæ*, imò *Europæ* totius ornamentum, qui omnibus & humanitatis & Jurisprudentiæ ſtudiis tùm in *Galliâ* tùm in *Italiâ* liberaliter inſtitutus adeò felicibus auſpiciis Rempublicam aggreſſus eſt, ut nullam ejus partem intactam relinqueret, donec ad ſupremam togati ordinis dignitatem accederet.

Cancellarius Sabaudicus. Quin etiam ejus quædam veluti rudimenta poſuerat Cancellarii quoque honore functus apud *Allobrogas*, quorum Principi *Margaretæ*, *Henrici* Regis ſorori, virtutis & literarum nomine gratiſſimus ſemper fuit.

Regni Galliæ Cancellarius. Sed tamen *Gallia* meritò ſibi vindicavit eum, quæ An. C. 1560. *Franciſco Olivario* regni Cancellario ſucceſſorem dedit, ad eam dignitatem *Catharinæ* Reginæ Matris imprimis operâ evectum. *Guiſiorum adverſarius.* *Guiſiorum* tunc ambitioni & avaritiæ ſtrenuè ſe oppoſuit, à quibus cum aliquando reprehenſus eſſet, quod bellum contra *Hugenotas* ſuſcipiendum diſſuaſiſſet, dicentibus, conditioni ipſius togatæ non convenire de bello gerendo diſſerere, reſpondit illis: *Arma quidem ſe tractare manibus non didiciſſe, ſed ex libris de cauſis & rationibus belli gerendi vel omittendi ſatis edoctum eſſe.*

Sacri Sigilli cuſtodiæ munere abdicatus. Cum itaque nonnulli è Primoribus ad imperii *Gallici* perniciem nati omnem publicæ utilitatis occaſionem averterent, non acquieverunt, donec ſanctiſſimum Senem Sacri Sigilli cuſtodiæ octavo pòſt initum Magiſtratum anno eximerent; is enim An. 1568. quod edictum Regium contrà Evangelicos nimis ſeverum improbâſſet, tanquàm ad iſta tempora minus idoneus, in domum ſuam amandatus eſt, qui tamen, ut erat ab omnibus Philoſophiæ præſidiis inſtructus, hanc lubricæ ſortis inconſtantiam æquo animo tulit. Tunc ſigillum Cardinalis *Biragæ* cuſtodiæ demandatum eſt.

Facie Ariſtoteli ſimilis fuit. Specie fuit anguſtâ, vultu gravi & tranquillo, qui, ut ex veteri Numiſmate apparuit, faciem *Ariſtotelis* planè referret. Sed neque ingenio minus eum referebat, cum ipſe quoque Philoſophiæ verioris magiſter multa de Jure ſcripſerit, quæ, niſi premerentur, ſummam Reip. utilitatem afferre poſſent.

Poëta Horatii æmulus. Poëmata non premuntur beneficio clariſſimorum virorum, *Vidi Fabri* & *Michaëlis Huralti* ejus generi, magni *Hoſpitalii* nepotis, qui ea ſtudiosè collegêre, & in lucem emittenda curavêre. In his autem *Horatium* præcipuè imitatus eſt, ita tamen, ut verborum nitore, & ſententiarum gravitate illum æquârit, carminis verò lenitate ſuperârit.

Moritur. Fato functus eſt in *Viniano* ſuo circiter 70. ætatis annum, 3. Idûs Martii A. C. 1573.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum in Galliâ Scævolæ Sammarthani.*

Scripſit:

Scripta. *Epiſtolarum, vel Sermonum Lib. VI.*

De Jure etiam quædam ſcripſit immortalitate digniſſima, quæ, teſte Jac. Aug. Thuano, in tenebris delituêre, ſed lucem aliquando magno Reip. bono viſura ſunt.

* * * *

Natione *Avernus*, Patrem habuit Doctorem Medicum, & comitem Principis *Caroli Borbonii* in *Italiam* relegati: quo poſteà filius puer furtim à mulonibus aſportatus fuit.

Educatus in Galliâ. Pater primam ejus ætatem ibidem ingenuis artibus ad humanitatem curavit informandam, ubi inter alios condiſcipulos in Philoſophiâ habuit *Strozios* nobiles *Florentinos, Petrum*, & ejus fratrem, Priorem à *Capuâ*: ac Præceptorem *Græcum*, qui *Organum Ariſtotelis* illis interpretaretur.

Romæ Secretarius Cardinalium. Adeò verò profecit in literis, ut facilè ſibi poſt multorum amicitias ordinis tàm Eccleſiaſtici quàm Senatorii conciliârit, imprimis Cardinalis *Graumontani*, cujus operâ *Romæ* præfectus eſt Libellis ſupplicibus Cardinalium conſiſtorio referendis.

Pariſ. Advocatus. Conſiliarius Regius. A parentibus deindè & amicis in *Franciam* revocatus, non diu ſolùm Dicaſterii Forenſis Patronus trivit, cum à primariis Senatoribus in generum expetitus ſit, & in Ordinem Regiorum Conſiliariorum cooptatus.

Indè brevi pòſt alios honorum gradûs ad ipſa tribunalia facilè aſcendit. Intereà dum tales *Lutetiæ* gereret Magiſtratûs, ſi quid poſſet otii à negotiis forenſibus nanciſci, id totum in Epiſtolas verſibus conſcribendas ad clariſſimos nobilitate & dignitate Viros conferebat. *Epiſtolas carmine ſcripſit.* Cujus rei fidem faciunt *Libri ſex Epiſtolarum Carmine ab ipſo conſcripti*, in lucem editi à *Michaële à Fato*, ipſius ex filiâ unicâ *Magdalenâ Hoſpitaliâ*, & genero *Roberto Huraldo Bellebaltio* nepote.

Talibus autem Epiſtolarum obſequiis non ſibi ſolùm benevolentiam Senatorum,

 ſed

ſed Principum etiam brevi collegit. Ex quibus, quæ ſunt ad priores ſcriptæ gradum ipſi fecerunt ad inferiorum honorum adeptionem, quæ verò ad poſteriores, ac præſertim illa ad Principem *Margaretham*, Regis *Henrici II.* Sororem, & Sermo ejus de ſacrâ *Franciſci II.* Regis *Galliæ* initiatione, atque adeò de ratione Regni prudenter adminiſtrandi metricè conſcriptus, faſtigium authoritatis togatæ impoſuerunt, illumque ad Cancellariatum *Franciæ* evexerunt.

Cancellarius Galliæ.

Nam poſt obitum *Henrici II.* delectus eſt ipſe veluti Paranymphus quidam ad *Margaritam* Principem Sponſam Duci *Sabaudiæ Emanueli Philiberto* deducendam.

Intereà moritur *Amboſii Franciſcus Olivarius*, *Franciæ* Cancellarius, quo deſiderato, quæſitum eſt ab adoleſcente Rege *Franciſco II.* quem ſuis privatis conſiliis exiſtimaret dignum, qui tantam Cancellarii perſonam ſuſtinere poſſet? Reſpondit, eum tali munere dignum videri ſibi, qui ipſum initio inaugurationis ſuæ docuerat rationem Regni prudenter adminiſtrandi.

Hoc reſponſo dato *Hoſpitalius Niceâ* revocatus eſt à negotiis *Margaretæ Biturigum & Sabaudiæ* Duciſſæ ad gubernacula regni *Gallici* tuenda, qui Cancellariatum *Bituricæ* ditionis genero ſuo *Roberto Huralto* demandavit.

Cancellarius Bituricenſis.

Munus verò poſteà ſuum depoſuit, & ad vitam privatam ſe recepit, inſigni læſus injuriâ à *Carolo*, *Lotharingiæ* Cardinali, qui bonum ſenem in tantâ autoritate conſtitutum medio Principum & Senatûs conſeſſu colapho petivit, quod recuſaret Antiſtitis affectibus & importuno imperio inſervire.

Colapho petitus à Cardin. Lotharing. Cancellariatu ſe abdicavit.

In ejus locum ſuffectus eſt *Renatus Biragus*, homo quidem vigilans & magni ingenii, ſed longè ab *Hoſpitalio* doctrinâ & judicio differens. Nam in tantis *Galliæ* civilis diſcordiæ tempeſtatibus, alienatis à bono publico Principibus & Civitatibus, opus erat Gubernatore Legum prudentiſſimo, quique natione *Gallus* eſſet, & in *Gallicarum* rerum uſu verſatus, ut patriæ curam cordatiore affectu ſuſciperet, & futuris periculis providentiâ ſingulari occurrere, & damna, quæ ſecuta ſunt, avertere poſſet.

Michaël igitur *Hoſpitalius* à munere Cancellariatûs diſcedens, in ſua prædia divertit, relictis illis fluctibus publicis, quibus totum *Galliæ* Regnum erat agitatum, ſeorſimque ab hominum conſpectu liber vivens cum amicis familiariter diſſerebat de impendenti naufragio: cumque ad annum ætatis 69. perveniſſet, è vitâ deceſſit 18. Martii A. C. 1573. Sepultus in æde Sacrâ *Chammotei* finitimi *Vigneo* Caſtello ejusdem prædio.

In prædio liber vixit.

Moritur.

* *Ex vitis virorum doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

Epitaphium ejus ſequens eſt:

Epitaphium.

Hic cineres Michaëlis habes, hic conditur ille
Gallus Ariſtides, noſtri Cato temporis alter;
Quiq; Sophis ſeptem numero ſuperadditur unus.

* *Ex Academiâ ſcientiarum & artium Iſaaci Bullarti.*

FRANCISCUS BALDUINUS.

Obiit A. C. 1573.

A*Trebati*, vetuſtâ *Belgii* Urbe, natus eſt An. 1520.

Patrem habuit *Antonium*, fiſci regii apud ſuos Procuratorem.

Lovanii Græcis Latinisque literis informatus, juris civilis ſtudia complexus eſt, ac deindè *Lutetiam Pariſiorum* ſe contulit, ubi *Guilielmo Budæo* & *Lazaro Bayſio* J. C. mox innotuit.

Juris ſtudium amplectitur.

Hinc in *Germaniam* ad *Melanchthonem* & *Bucerum*, deindè *Genevam* ad *Calvinum* & *Bezam* profectus eſt, ut ab illis intelligeret, quas ob cauſas ab Eccleſiâ *Romanâ* diſceſſiſſent.

Bucerum, Calvinum & Bezam adit.

Lutetiam reverſus, à *Biturigibus* ad docendi munus accerſitus, mox Doctor renuntiatus, ſeptennio docuit ibi, collegas habens *Equinarium Baronem*, & *Franciſcum Duarenum* J. C.

Doctor Juris. Baronis & Duareni Collega.

Deindè *Jacobo Cujacio*, ſucceſſore cooptato *Germaniam* adivit, & tùm *Genevæ*, tùm *Haidelbergæ* aliquandiu jura profeſſus eſt. Licèt autem Proteſtantium Religionem amplexus eſſet, poſteà tamen à *Georgio Caſſandro*, Theologo Pontificio moderato, perſuaſus, ad Pontificios regreſſus eſt.

Heidelbergæ docet.

Ad Pontificiorum partes ſecedit.

Pòſt in *Galliam* ab *Antonio Borbonio*, Rege *Navarræo*, revocatus, filium ejus naturalem *Carolum* in diſciplinam accepit. Audito verò Regis ad *Rothomagum* caſu, reverſus ad ſuos, *Duaci Flandrorum* Jura profeſſus eſt.

Duaci Flandrorum jura profitetur,

Sed tumultibus *Belgicis* ingraveſcentibus *Lutetiam* ad priſtinum docendi munus regreſſus eſt.

& Lutetiæ.

Interim *Veſontiones* jure Academiæ inſtituendæ, ut ajebant, impetrato, eum ad ſeſe invitârunt, quò cum veniſſet, & reperiſſet *Maximiliani II.* Cæſaris voluntate *Veſontiones* prohibitos Juris Scholam inſtituere, hortantibus nihilominùs, ut jus civile interpretaretur, reſpondit, *Nefas eſſe Juris autorem ab interprete Juris contemni.*

Vocatur à Veſontionibus.

Non docet ibi.

Itaque digreſſus indè *Andegavum* venit, ubi cum annos quatuor Jura docuiſſet, *Henrico* tum *Andium* Duce ad Regnum *Poloniæ* evocato, M. Aug. *Lutetiam* venire juſſus eſt, cum Principe ineunte vere proximo profecturus in *Poloniam*.

Andegavum venit, & docet ibi.

Sed fati vis prohibuit, ardore namque febris continuæ diu vexatus vitâ deceſſit 11. Nov. A. 1573. ætatis 53. *Lutetiæ Pariſiorum* in Collegio ſuæ gentis *Atrebatum*.

Moritur.

Adfuit morienti *Johannes Maldonatus*, Societatis Jeſu, quo erat familiariter uſus.

Conditus eſt in *Maturinorum* ſodalium periſtylio, in quo & *Johannes à Sacro Buſto*, Mathematicus celeberrimus, ſitus eſt.

Staturâ fuit juſtâ, formâ eximiâ, voce canorâ, ut docens tonare videretur.

Proſopographia Balduini.

Summè peritus fuit præter jus civile Hiſtoriarum, dicere ſolitus: *Hiſtoriam ſine Prudentiâ conjunctâ cœcam videri.*

Ex *Catharinâ Bitoniâ* Conjuge ſuſcepit unicam filiam.

Percun-

Percunctante *Papinio Maſſono*, *malletne filium quàm filiam habere?* Minimè, respondit, *Roma enim Ciceronis filium non agnoſcebat loquentem.*

Præter varia ad Jurisprudentiam pertinentia edidit:

Scripta. *Libros duos de inſtitutione Hiſtoriæ univerſæ, & ejus cum Juriſprudentiâ conjunctione.*

Scripſit etiam aculeatè contrà *Calvinum & Bezam.*

Libellum Chriſtianorum Jureconſultorum nomine, contrà Duarenum.

Eſt & ejusdem *Relatio ad Henricum Andium Ducem*, cui addita *Latini Pacati paneg. ad Theodoſium.*

Eumenii oratio de ſcholis.

Leges & edicta veterum Imperatorum de Chriſtianis.

Commentatus etiam *eſt in Ciceronis de officiis libros.*

* *Ex Melch. Adam. Vitis JCtor.*

Obiit A.C. 1573.

JACOBUS RUDINUS.

Baſileæ parentibus in primâ pueritiâ orbatus, cognatorum pietate domi, foris *Nicolai Deggibei*, *Burgundi*, familiaritate liberaliter educatus, tenuibus initiis, ferro, ære facto infectoque, ſalſamentis, oryzâ, melle, equis negotiari cœpit, propitio ubique Mercurio, hoc eſt, Deo optimo maximo omnium bonorum datore & conſervatore. *Mercator Baſileenſis.*

Trapeziticam 20. annis privatam S.P.Q. *Baſil.* jubente volente, publicam per 21. annos bonâ fide, felici ſucceſſu exercuit.

Senator. Ab A. C. 1533. quo primùm in Senatum allectus eſt, per omnes honorum gradûs, graviſſimis interim Legationibus, & inter eas ad *Henricum II. Gallorum* Regem ternis, ex dignitate votoque Reipublicæ ſuſceptis confectisque, ad ſummum plebeji Magiſtratûs faſtigium An. 1559. evectus eſt: quo octies adminiſtrato, ut poſt multa in politiam merita Academiam quoque ſibi devinciret, liberalis ſtipendii inſtitutione paulò ante exceſſum rem literariam promovere voluit. Cœtera ſequens Epitaphium continet: *Legatus ad Regem Galliæ. Tribunus plebis.*

Epitaphium.

CHRISTO S.
JACOBUM RUDINUM TRIB. PLEBIS BASIL.
CUI PRÆTER COETERA ILLUD ETIAM NUMINIS BENIG. CONTIGIT, UT EX IV. UXORIB. PATER ESSET XII. AVUS XLV. PROAVUS XXVII. LIB. V. NEP. XXIV. PRONEP. XXIII.
SUPERSTITES.
P. C. L. P. S. L.
ANNO SAL. M. D. LXXIII. ÆT. LXXII.
DIE NOV. XXIV.
QUOD VIRUM VERE MAGNUM LAPIS QUEM S. V. F. C. NON CAPERET,
IN ÆTERNÆ SPEM RESURRECT. SUB HOC SAXO COND.

Circa ſaxum hi verſus leguntur:

Clarus erat, quia magnus, erit quoque clarior olim:
Æmula ſi magni ſit pia poſteritas.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſil. Chriſtiani Urſtiſii.*

HIERONYMUS GERHARDUS.

Obiit A.C. 1574.

Hildeshemii, *Palatinatûs inferioris* oppido, natus eſt ult. Dec. 1518.

Pater ei fuit *Wendelinus*, qui filium duodecimum ætatis annum jam ingreſſum in ſcholam deduxit.

In hâc primo ſtatim, quo venerat, die literarum omnium, quibus Lat. lingua ſcribitur, nomina non tantùm recto, ſed etiam inverſo ordine ita didicit, ut mox illis in colligendis ſyllabis altero die uti poſſet. *Feliciſſimi ingenii puer.*

Itaque de conſilio Præceptoris à Patre ad frequentiores Scholas miſſus eſt, primùm *Heilbrunnam*, deindè *Eslingam*, poſt *Guttebergam*, & demùm *Halam Suevorum*, ubi cariſſimus fuit *Johanni Brentio* & *Job. Iſenmanno*, tum Evangelium Chriſti docentibus. *Scholas adit.*

A. 1531. A patre de conſilio *Brentii Wittenbergam* miſſus eſt, quem à *Brentio* commendatum *Melanchthon* ad ſe recepit & cariſſimum habuit. *Witteberræ Melanchthoni charus.*

A. 1537. A patre revocatus, *Brentio Tubingæ* tunc in Eccleſiâ & Scholâ docenti traditus eſt, qui & menſâ & inſtitutione ſuâ dignatus eſt eum ad annum usque 1538. *Brentio traditur.*

Indè in patriam profectus, cum gravem morbum trimeſtrem vix ſuperâſſet, *Tubingam* reverſus, ibi Philoſophiæ Magiſter ſolenniter creatus eſt, competitoribus *Job. Hoſpiniano, Baſileenſi*, & *Johanne Mendlino, Tubingenſi* ſcholæ poſteà Profeſſoribus, 8. Jan. A. 1539. Ea *Tubingæ Ulrico* Principi reſtitutæ prima fuit Evangelicorum promotio. *Philoſophiæ Magiſter.*

Indè cum ad ſtudium Juris inclinatione naturali ferretur, pater autem Theologiæ ipſum conſervare cuperet, *Halam* ad *Brentium*, quem apud patrem plurimùm valere ſciebat, profectus, cum ipſi conſilii ſui rationes explicâſſet, tale reſponſum accepit: *Deum in Eccleſiâ non modò bonis & doctis Theologis, ſed probis quoque Juriſconſultis opus habere, & unum J.C. tum pium plus Eccleſiæ prodeſſe poſſe, quàm multos Theologos doctos.* *Juris ſtudium amplectitur.*

Patre itaque conſentiente, *Tubingam* reverſus, Dialecticam privatim docere cœpit: nec multò pòſt eodem anno 1539. uxorem duxit *Margaretham, Michaëlis Rösleri*, civis *Tubingenſis* filiam, ex quâ decem liberorum pater factus eſt. *Dialecticam docet. Uxorem ducit.*

Tum ſtudium Juris inchoavit, Præceptoribus uſus *Johanne Sichardo, Ludovico Grempio*, & *Gerhardo Brasbergero.*

Circa id tempus cum Princeps *Ulricus Tubingæ* novum collegium inſtituiſſet, in quo beneficiarii omnes eâdem menſâ fruerentur, & ſub uno Præceptore inſtituerentur, *Gerhardus* etſi juvenis adhuc, ei præfectus cum laude quinquennium præfuit. *Gerhardus collegio novo præficitur.*

Deindè cauſas in conſiſtorio Principis agere cœpit: cumque fama ipſius innotuiſſet

iſſet *Georgio, Ulrici, Wirtenbergici* Ducis, fratri, honeſto ſalario illius operam conduxit.

Doctor Juris. An. 1546. *Tubingæ* Doctorales honores adeptus eſt cum *Chiliano Voglero*, Profeſſore *Tubingenſi, Caſparo Bero* & *Johanne Cruſio*, qui poſteà facti Conſiliarii *Wirtenbergici*.

Hæmorrhagiâ laborat. Cum autem ſub finem Anni ſeq. in graviſſimam incidiſſet hæmorrhagiam, quæ ultra 32. horas duravit, ut de vitâ periclitatus ſit, à Principe ſuo dimiſſionem difficulter impetravit A. 1549. Mox ab *Ulrico* Duce conductus, *Stutgardiam* cum familiâ migravit, Advocatus primo anno adſcriptus, variaſque legationes obivit.

Conſiliarius Wirtenberg. A. 1550. Ab eodem Duce inter Conſiliarios ſuos relatus, & ad Imperatorem *Carolum V.* ablegatus.

Cum autem ſub anni finem *Ulricus* fatis conceſſiſſet, ſucceſſore relicto *Chriſtophoro* filio unico, hic majore quàm pater favore hunc Conſiliarium ſuum proſecutus eſt. Ab eo enim ſtatim ac juſta patri perſolviſſet, *Auguſtam* legatus fuit miſſus.

Ad Concilium Tridentinum mittitur. A. 1551. Cum *Wernhero* à *Münchingen Tridentum* ad concilium miſſus eſt, quos brevi ſecuti ſunt Theologi *Wirtenbergici* Principis ſui Confeſſionem exhibentes & defendentes.

An. 1555. M. Januario ad Comitia *Auguſtana* à *Ferdinando* Rege inchoata cum Principe *Chriſtophoro* profectus eſt, in quibus Princeps inveſtituram ditionum ſuarum accepit.

Procancellarius. A. 1556. Epiſtolarum magiſter, ſeu Procancellarius à Principe ſuo creatus eſt, *Joh. Feſslero*, Cancellario, in ipſum oneris ſui molem, conſenſu Principis, deponente.

A. ſeq. Cum *Matthæi Gribaldi* JCti Prof. *Tubing.* hæretica de S. Trinitate opinio detecta eſſet, in eo negotio plurimum operâ ſuâ Principi præſtitit.

A. 1559. In privato coram Principe conſilio tantâ conceptus fuit vertigine, ut diſcedere neceſſe habuerit.

A. 1561. In feſto Aſcenſionis Dominicæ Uxorem amiſit, cum quâ conjunctiſſimè vixit.

Uxorem alteram ducit. Duxit deindè alteram ex *Bulliorum* familiâ, pater ex eâ unicæ filiæ factus.

A. 1564. Colloquio inter Theologos Electoris *Palatini* & *Wirtenbergici* Principis inſtituto propter controverſiam euchariſticam interfuit.

7. Nov. An. 1566. Cum manè conſilio privato Principis interfuiſſet, jamque concioni in templo primario intentus eſſet,

Apoplexiâ corripitur. apoplectico paroxyſmo correptus eſt, qui totum illi ſiniſtrum latus enervavit, adeò, ut ægrè domum deductus ſit.

Cum deindè magna pars humoris ad pulmones decumberet, & majus indè periculum immineret, liberatus eſt tamen aliquo modo, præfuitque officio ad mortem usque Principis *Chriſtophori*.

Moritur Tandem placidè in Chriſto obdormivit *Stutgardiæ* 12. Maji A. 1574. ætat. 55. Sepultus ibidem in Templo *Leonhardino* ad latus primæ Conjugis: Lapidem ſepulcro imponendum, & ex *Jeſaiâ* ei hæc inſcribenda curavit: ***Abſorpta eſt mors per victoriam:*** Monumentum autem eſt ejusmodi:

Epitaphium. HIERONYMUS GERHARDUS HEIDELSHEIMENSIS U. J. D. PIETATE, PRUDENTIA, ET ELOQUENTIA CLARISSIMUS, ILLUSTRISS. PRINCIPUM WIRTENBERG. CONSILIARIUS ET VICE-CANCELLARIUS, TUBAM HIC ARCHANGELI EXPECTANS REQUIESCIT. OBIIT IV. ID. MAJI. ANNO M.D.LXXIV. ÆTATIS SUÆ LV.

Poſtremis annis vitæ Commentarium *Joh. Brentii* ſuper *Eſaiam* Prophetam diligenter legit, & de nocte ſurgens, aliquot horas ſæpè lectioni illius impendit, quin etiam exemplar id toties à ſe perlectum ſepeliri ſecum voluit. Laborum in omni ſuâ vitâ tolerans, omnis virtutis amans, contrà turpitudinis oſor acerrimus: In religionis, quam à puero didicerat, confeſſione conſtans.

* *Ex vitis JCtor. Melch. Adami.*

ULRICUS MORDEISEN.

Obiit A. C. 1574.

NAtus eſt *Lipſiæ* 13. Julii A. 1519. *Wittenbergæ* inſtitutione & conſuetudine domeſticâ multis annis uſus eſt *Hieronymi Scharffii*, qui eum ut filium dilexit.

Italiam adit. Deindè in *Italiam* abiit, & præſtantiſſimos ejus temporis JCtos audivit, imprimis

Familiaris Mariano Socino. familiari conſuetudine dilectus *Mariano Socino*.

Aſſeſſor Cameræ Spirenſis. Reverſus ad ſuos, Aſſeſſorem judicii Cameræ *Spirenſis* aliquantiſper egit. Poſteà

Conſiliarius & Cancellarius Saxonicus. *Mauritii*, Electoris *Saxoniæ* Cancellarius, & tandem *Auguſti* Electoris Conſiliarius intimus factus eſt.

Legatus. A. 1565. Legatus ad Imperatorem *Maximilianum II.* miſſus unà cum *Daniæ* Regis Legatis, qui rogarent, ut Imperator mandato publico omnem in *Sueciam* è *Germaniâ* munitionum & commeatuum importationem prohiberet: *Mordiſius* hic judicans, iniquum eſſe, quod bellum inter exteros Reges *Germaniæ* commercia impediret, per amicos in aulâ Cæſareâ promulgationem mandati diſſuaſit. Id ubi Elector *Saxoniæ* reſcivit, *Mordiſio* ab officio Cancellarii remoto, & in domo ſuâ captivo *Georgium Cracovium* ſubſtituit.

Moritur. Tandem in gratiam receptus, vitam caducam cum cœleſti commutavit *Dresdæ* 6. Junii A. 1574. ætat. 55. Sepultus eſt in prædio ſuo *Waltersdorffii*: Inter alias ingenii dotes præcipuè in *Mordiſio* enituit eloquentia, adeò, ut judicatum fuerit eo tempore, eloquentiorem JCtum nuſpiam extitiſſe.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

ULRICUS SITZINGERUS.

Obiit A. C. 1574.

WOrmatiæ natus eſt, patre cognomine, matre *Annâ Rotardinâ* 11. Ap. A. 1525.

E patriâ



Digitized by Google


IOH FRANCISC, OTTHOBON,
Cancellarius Venet.
VIGILI, ZVICHEM, FRISIU
J Ctus & Conſil. Hiſpan.
NICOLAUS BACONUS
Conſil. Secr. Angl.
CONRADUS MATTHÆU
Juris conſ. & Prof. Marp.
BERNHARDUS COPIUS
Juris conſultus & Prof. Marp.
TIBERIUS DECIANUS
Juris Profeſſor Patavinus
PHILIPPUS GEUDERUS
Senator & Triumvir Norib.
VALENTINUS VOLZI,
J Ctus & Prof. Tubing.
IODOCUS DAMHOUDER,
J Ctus & Conſiliarius Cæſ.
IOHANNES FICHARDUS
J Ctus Francofurtenſis.
MARC, MANTUA BONAVIT,
Juris Profeſſor Patavij
CHRISTOPHOR, de THOU
Senator Regius Paris.
NICOLAUS CISNERUS
J Ctus & Prof. Heidelb.
GUIDO FABER
Cancellarius Paris.
AMBROSI, LOBWASSER,
Duc. Boruſſ. Conſiliarius.
CHILIANUS VOGLERUS
J Ctus & Prof. Tubing.

Noribergæ traditur Joh. Ketzmanno. E patriâ *Noribergam* cum fratre *Samuele* miſſus, *Johanni Ketzmanno* in diſciplinam traditus eſt A. 1538.

Wittebergæ Melanchthonem audit. A. 1544. *Wittenbergam* profectus eſt, ubi à *Melanchthone* in menſam receptus, & *Davidem Chytræum* contubernalem habuit.

Ibi ſtudiis philoſophicis operam dedit, & imprimis Mathematicis, cum & motus luminarium ac eclipſes ex tabulis ſupputârit, *Mathemata colit.* & Calendaria annua compoſuerit, *Chytræum* verò ipſum *Geneſes*, ſeu themata cœleſtia, erigere primus docuerit. Ethicen etiam & Politicen ſtudioſè coluit. Ita præclarè *Inſtitutiones juris enarrat.* jactis in Philoſophiâ fundamentis jurisprudentiæ ſtudio ſe totum dedidit, & Inſtitutiones Juris in Academiâ privatim enarravit.

Juris Doctor. Menſ. Febr. A. 1551. Doctor Juris renuntiatus eſt Decano *Laurentio Lindemanno.*

Paucis pòſt diebus *Wormatiam* profectus, cum ibi patrocinio ſuo cauſas bonas tueretur, citò in multorum notitiam venit, *Conſiliarius & Cancellarius Bipontinus.* & in his Ducis *Wolffgangi Palat. Bipontini*, à quo in Conſiliorum Senatum cooptatus, eodem anno exeunte *Bipontum* cum familiâ commigravit.

A. 1555. A Principe ſuo Cancellarius declaratus, munus id totos 20. annos cum laude adminiſtravit. Principi ſuaſor fuit, ut ſumma veræ de DEO doctrinæ populo proponendæ & ordo adminiſtrationis Eccleſiaſticæ ſcripto comprehenderetur, quod à Theologis confectum, & *Melanchthonis* judicio comprobatum An. 1557. primùm *Conſilia Sizingeri ſalubriora.* excuſum eſt: poſt annos autem aliquot, cum morte *Ottonis Henrici*, Electoris *Palatini*, *Neoburgicus* etiam Ducatus *Wolffgango* ceſſiſſet, recognitum, & à filiis, præfixâ Principis *Wolffgangi* confeſſione, denuò editum eſt.

Autor etiam fuit Principi ſuo, ut duo Gymnaſia, alterum in Ducatu *Bipontino Hornbaci*, alterum in *Neoburgico Lauingæ* erexerit, attributis reditibus perpetuis.

An. 1560. Domicilium vitæ & fortunarum ſuarum *Solisbachiæ* in *Norico* collocavit, cujus oppidi & viciniæ præfecturam Princeps ipſi commiſerat.

Tandem cum ſemina morbi multis annis circumtuliſſet, ea poſtremo officio, quod Principi ſuo *Philippo Ludovico*, *Wolffgangi* filio nuptias cum *Annâ Cliven*ſi celebranti præſtitit, vehementer aucta ſunt, ita, ut *Moritur.* paucis, poſtquàm æger domum redierat, diebus aſcite extinctus ſit in arce *Holenſtein* 2. Nov. A. 1574. ætat. 49.

Fratrem *Samuelem*, natu ſe juniorem, vix ætatis virilis annos ingreſſum Doctorem Juris *Spiræ* amiſit.

Uxorem habuit *Annam*, natam ex ſorore conjugis *Melanchthonis* & *Sebaldo Münſtero* J. C. Conſiliario *Saxonico* Profeſſore *Wittenbergenſi*. Hanc in familiâ *Melanchthonis* duxit A. 1548. & cum eâ in tranquillo conjugio vixit ad annum usque 1567. quo ſuperata partûs laboribus obiit, marito in legatione *Ratisbonenſi* abſente. Reliquit filium unicum *Ulricum*, & duas filias, quarum una *Guilielmo Rumelio*, patritio *Norico*, elocata, altera patri ſeneſcenti officiis ſuis inſervivit.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

ENIMUNDUS BONEFIDIUS.

Obiit A. C. 1574.

CHabovil, ignobili vico, in agro *Valentino Delphinatûs* natus eſt: Homo probus & ſimplex, qui cum pedem patriâ nunquàm extuliſſet, tamen Hebraicis, Græcis, *Philologus.* & Latinis literis ità egregiè inſtructus erat, ut in celeberrimis Orbis Academiis operam ſtudiis dediſſe ſub præſtantiſſimis Magiſtris crederetur. In Juris autem ſcientiâ, *Juris Profeſſor Valentiæ.* quam *Valentiæ* profitebatur, adeò excelluit, ut *Jacobus Cujacius*, qui principatum illius tenebat, alicubi ſcripſerit, ſi moriens rogetur (ut olim *Theophraſtus*) non alium habere ſe, quem diſcipulis ſuis poſſet oſtendere.

Moritur. Obiit *Genevæ* A. C. 1574. ætat. 38.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C. B.*

* * *

Poſt lanienam *Pariſienſem* à *Franciſco Hottomanno* invitatus, *Genevam* conceſſit, ubi Jus Orientale, cujus jam ſpecimen aliquod ediderat, majori opere illuſtrare aggreſſus, morte poſt biennium ſuperveniente, ſpem de ſe, tanto viro autore conceptam feſellit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

JOHANNES FRANCISCUS OTTOBONUS.

Obiit A. C. 1575.

VEnetiis Patre *Hectore* natus eſt An. C. 1515. Avus ejus *Stephanus* cladem *Filius & Nepos belli ducum.* *Turcis* illatam ad *Coryphaſiam* prælio navali morte ſuâ nobilitavit Annó 1499. Hujus Pater *Antonius Euboicum* portum à *Turcis* occupatum nave ſuâ ſolus ingreſſus eſt, & victoriam reportavit A. 1457.

Linguarum Græcæ, Hebraicæ & Latinæ *Philologus & Orator.* cognitione ac Eloquentiâ clarus, cum Gymnaſiis relictis patriæ reſtitueretur, ſtatim publicis negotiis admotus eſt, & literis deditus noctes integras interdum meditationibus inſomnis traxit.

Inter plures ſapientes Scriptores fami- *Plutarchi cultor.* liarem habuit *Plutarchum*, cujus vitas ſibi in uſum patriæ plurimùm profuiſſe faſſus eſt. Ex iis aliquot ex Græco ſermone in Latinum convertit, nec à cœpto opere deſtitiſſet, niſi privatus Muſarum oblectationes impediviſſet magnâ Rerumpublicarum curâ.

An. 1559. Reſpublica *Veneta*, defuncto *Cancellarius Venetus.* *Laurentio Rocca*, Magni Cancellarii dignitatem ipſi contulit. In eo munere literarum ſtudiis ad extremum deditus obiit *Ve-* *Moritur.* *netiis* A. C. 1575. ætatis 60. Majorum monumento illatus eſt in ædem D. *Antonii*, ſub cujus ſtatuâ hæc leguntur:

Epitaphium.

JO. FRANCISCO OTTOBONO,

SPECTA-

SPECTATÆ SAPIENTIÆ VIRO, MAGNO VENETORUM CANCELLARIO, DE PATRIA, DE REPUBLICA OPTIME MERITO, ADMIRANDÆ FIDEI, VIRTUTIS ANIMI NUNQUAM INTERMORITURO EXEMPLO.

Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.

Obiit A.C. 1575.

NICOLAUS BOTTONUS.

ORiginem traxit à *Bottonis* illis, qui antiquitùs duo tenuiſſe oppida in agro *Parmenſi* dicuntur. Cum autem *Obelerius Obelezerius*, *Lothario*, *Caroli Magni* Imperatoris filio, in *Italiam* venienti *Venetias* prodere tentâſſet, illo à populo interfecto, *Gentilis Bottonus* pacis author fuit inter *Lotharium* & *Venetos* componendæ A.C. 884. *Gregorio II.* Pontifice maximo ſedente.

Bernhardus Bottonus Juris Profeſſor.

Bernhardus verò *Bottonus* circa A. 1240. Gloſſemata in Decretales *Gregorii IX.* edidit, dum eas *Bononiæ* interpretaretur, ubi, præter Juris Pontificii interpretationem, primùm Canonicus eſt creatus, deindè Sacri Palatii Quæſtor declaratus, quem tunc Summi Pontificis Auditorem vocabant, & in cujus locum poſteà 12. Rotæ Auditores ſucceſſerunt, denique Academiæ *Bononienſis* Cancellarius factus, vitam ibidem finiit cum honore in majori templo humatus.

Origo 12. Auditorum Rotæ.

Horum poſteri rerum ſuarum domicilium *Patavium* transtulerunt, ubi inter cœteros claruit cum *Albertino* fratre Philoſopho & Medico, *Nicolaus Bottonus*, qui *Bernhardi* veſtigiis inſiſtens A. 1564. ad interpretandum textum, gloſſam, & *Bartolum* manè in primo loco electus eſt. Jurisperitus acutus. A. 1574. Juris Canonici veſpertini in ſecundo loco, quem *Guarinus Piſo Soacia* tenuerat, interpres factus eſt, annoque ſequenti 1575. vitâ exceſſit.

Patavii Juris Profeſſor.

Moritur.

Mortuo id honoris eſt habitum, ut moderatorem mandato reliqui temporis prœmium usque ad annum completum ejus filiis & hæredibus fuerit perſolutum.

* *Ex Libro II. Gymnaſii Patavini deſcripti ab Antonio Riccobono.*

Obiit A.C. 1575.

JULIUS CLARUS.

PAtritius *Alexandrinus*, *Ludovici* Senatoris *Mediolanenſis* filius, à primis adoleſcentiæ annis Juris Civilis ſtudio addictus, in eo biennii ſpatio majores fecit profectûs, quàm coætanei quinquennio.

Doctor Juris. Mediolani Senator & Præſes.

Doctoris deindè Juridici decoratus honore, mox à Rege *Hiſpaniæ Philippo II. Mediolani* Senator, & brevi poſt Præſes Magiſtratûs extraordinarii factus eſt.

Conſiliarius Hiſpanicus.

Sed nondum hic finis fuit honorum *Clari*, nam in *Hiſpaniam* à Rege ablegatus, Conſiliarii Coronæ illius, quod negotia *Italica* concernit, munus obtinuit.

Moritur Carthagine.

Exindè regreſſurus, *Madrito* in *Italiam* in viâ gravi morbo oppreſſus in oppido *Carthagine* 13. April. An. C. 1575. ætat. 50. vitam finiit. Corpus ejus exindè *Mediolanum* perductum, ſepulturam habuit in Templo Pacis cum hoc *Epitaphio*, quod vivens ſibi fecerat:

Epitaphium.

JULIUS CLARUS
ALOYSII F. JUR. CONS. SENATOR PRÆSES
QUÆSTORUM EXTRAORD. CURATOR AQUAR.
PUBLICAR. PRÆFECTUS REI FRUMENTAR.
DEIN
PHILIPPI REGIS HISP. IN IIS QUÆ PERTINENT AD RES ITALUS CONSILIARIUS.
ANNOS NATUS UNUM ET XXXX. SECUNDIS REBUS SUIS SUPREMI DIEI MEMOR,
UT HANC POSTERIS CURAM ADIMERET MONUMENTUM SIBI SUISQUE VIVENS FECIT
ANNO MDLXVI. VIII. ID. JAN.
IPSO DIE SUO NATALI.

Scripta.

Typis edidit:
Opera Juridica.
Receptarum Sententiarum opera omnia.
Volumen, in quo omnium criminum materia copioſiſſimè tractatur.

* *Ex Theatro virorum doctorum literatorum Italico Hieronymi Ghilini.*

Clar. A.C. 1576.

JOHANNES UNWERTH.

COmmuniter *Unwirth*, *κατ' ἀντίφρασιν*, Pretioſus & Hoſpitalis. De hoc cognomine D. *Martinus Lutherus* in *Libello de aliquot Nominibus propriis Germanicis* ita ſcribit: *Humbertus*, id eſt, Unwerth / *non charus*.

Extat Familia Nobilis hoc nomine, & videtur humilitatis virtute hoc nomen eſſe quæſitum, quaſi diceres: *Noli curare ſublimia, præſtat humili loco contentum eſſe, quàm Tragicâ gloriâ clarum fieri velle.*

Juris Profeſſor Jenæ.

A tribus Electoribus, *Friderico Palatino*, *Auguſto Saxone*, & *Johanne Georgio Brandeburgico* Septemviris, harum terrarum Tutoribus, in *Salanam* vocatus A.C. 1574. & receptus in Ordinem cùm J.C. Profeſſor. tùm Aſſeſſorum in Conſiſtorio Eccleſiaſtico & Curiâ Provinciali. *Jenâ Lipſiam* diſceſſit ſpe ſortis melioris.

* *Ex Nomenclat Profeſſor. Jen. M. Adriani Beyeri*, qui ſequens appoſuit *Epigramma*:

Johannes Unwerth Aſtrææ fautor honorus
Summum deportat Jure in utroq; decus.
Salanâ lictâ Lipſenſis docta Lycæi
Tecta petit, Themidos ſacraq; jura docet.

Obiit A.C. 1576.

CONRADUS HERESBACHIUS.

IN Majorum ſuorum *Heresbachiano* caſtro *Clivenſis* ditionis natus eſt ſub annum 1508.

Adoleſcens Præceptorem habuit *Juſtinianum Genuenſem*, Epiſcopum *Nebienſem*, à quo linguæ Hebraicæ cognitionem ſibi comparavit.

Conſiliarius Clivenſis.

A *Johanne* Duce *Clivenſi* & *Juliacenſi* in aulam acceſſitus, ad inſtituendum filium *Gulielmum* haud longè poſt eodem in Conſiliarium

liarium eſt adoptatus. Eo in munere 50. amplius annis dum verſaretur, cum fide & induſtriâ legationes multas obivit, & res magnas pacis belliqꝫ temporibus geſſit.

Tandem ob ſenectutem à Principe rude donatus, auctarium vitæ Sacris literis impendit, & *Pſalmos Davidicos Scholiis brevibus illuſtravit, adjectis precibus in ſingulos hebdomadæ dies.*

Scripta. Scripſit etiam in illo otio *Commentarios de re ruſticâ, de inſtitutione Principis libros duos, deq; Republicâ Chriſtianâ adminiſtrandâ.*

Linguarum plurium peritus fuit *Latinæ, Græcæ, Hebrææ, Italicæ, Gallicæ* & *Belgicæ*, & quanquàm in Pontificatu vixerit, monumentis tamen ſcriptorum ſuorum æquatam laudem apud Evangelicos Pontificiosque poſt ſe reliquit.

Moritur. Ad meliorem vitam abiit 14. Oct. An. 1576. ætat. 68. in ſuo *Lerinſulano.*

Obiit A.C. 1576.

HIERONYMUS ELENUS.

B*Alenſis, Brabantus*, Jurisconſultus. *Lovanii* in Gymnaſio Caſtrenſi Philoſophicis imbutus, *Lutetiam* profectus, ad uberiorem ingenii cultum *Johannem Straſelium Belgam* Græcas literas publicè interpretantem audivit, hauſitque quantum futuro ſatis eſſet Juriſconſulto.

Juris Doctor & Profeſſor Lovanii. Cauſarum actor Antverpiæ. Indè *Aureliam* profectus, Juriſprudentiam perdidicit. Deindè *Lovanium* reverſus, Laureâque ſuſceptâ, Jus Pontificium publicè docuit, & *Antverpiæ* Cauſarum patrocinium egit.

Ibidem juveniles vigilias, ne perirent, in Officinâ *Plantini* emiſit. *Moritur.* Morte immaturâ deceſſit *Antverpiæ* A. C. 1576.

Scripta. Scripſit:

Diatribarum, ſeu *Exercitationum ad Jus Civile Lib. III.*

Carmen de Jure Prætorii Antverpienſis.

Johannis Lanceloti Inſtitutiones Juris Canonici, cum Annotationibus.

Carmina Chronica, apud hæredes latent.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1576.

CLEMENS THEALDINUS.

P*Atavii* natus, A. C. 1565. electus eſt ad Jus Pontificium veſpertinum de ſuperiore loco profitendum, Collega clariſſimorum Juriſconſultorum *Caſparis Fabiani*, & *Guarini Piſonis Soaciæ*, quod munus præclarè obivit usque ad mortem ſuam, dato ejus loco *Paulo Bradiolo*, magni JCti, & Civis *Patavini Julii* filio A. C. 1576. *Juris Pontificii Profeſſor Patavii.*

* *Ex Gymnaſii Patav. Lib. II. Antonii Riccoboni.*

Obiit A.C. 1576.

JOHANNES CEPHALUS.

F*Errariæ* natus, ab incunabulis ingenuas artes profecutus, brevi poſt Juris utriusque Laureâ inſignitus eſt. *Juris Profeſſor Ferrariæ.*

Indè in patrio Gymnaſio docuit, donec in *Ticinenſe* Lycéum acceerſitus eſt, ubi per annos 5. docuit, & Collegam habuit *Franciſcum Alciatum*. *Ticini.*

A. 1565. *Patavium* acceerſitus, in locum *Julii Salerni*, ejusdem ſpartæ conſortes nactus eſt *Guidum Pancirollum, Franciſcum Manticam*, & *Franciſcum Zabarellam*. *Patavii.*

Hîc reliquum vitæ curriculum feliciter adeò confecit, ut nec *Bononienſium*, nec *Piſanorum* ingentia prœmia, nec oblati honores à *Gabriele Cuevâ, Mediolani* Gubernatore, qui ſe illum in Senatorum *Mediolanenſium* ordinem cooptaturum ſpoponderat, indè dimovere potuerint. Lucubrationes animi ſui delicias præcipuas ſolebat nuncupare. *Senatoris Mediol. honorem recuſat.*

Senio tandem debilitatus, piâ morte vitam clauſit A. 1576. Profeſſ. 46. *Moritur.*

Sepultus in Eccleſiâ Monialium S. *Petri Ferrariæ*: A *Riccobono* publicis encomiis celebratus eſt A. 1580.

Scripta. Edidit:

Conſultationes in 5. Volumina digeſtas: in quibus ſolidæ Doctrinæ pretium admirantur omnes.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

In Sepulchro ejus hæc legitur Inſcriptio:

MONUMENTUM
JOHANNIS CÆFALI
FERRARIENSIS LEGUM INTERPRETIS, AC
FRANCISCÆ CURTIÆ PAPIENSIS
CONJUGUM
ANNO MDLXXVI.

Floruit in tribus clariſſimis *Italiæ* Gymnaſiis, *Ferrarienſi, Ticinenſi*, & *Patavino*: clariſſimos Jurisconſultos Collegas habuit, *Ferrariæ Roncogallum, Ticini Franciſcum Alciatum*, poſteà Cardinalem, *Patavii Guidum Pancirollum, Franciſcum Manticam, Bonifacium Rogerium*, & *Franciſcum Zabarellam*.

Ejus tam celebris fuit fama, ut in aliis Gymnaſiis ſummoperè fuerit expetitus, imprimis *Bononiæ*, & *Piſis*, quò Reverendus & Illuſtris vir nomine *Tonſus*, illius Gymnaſii tunc Moderator, cum ſe ob id unum *Patavium* contuliſſet, An. 1579. honeſtè accerſivit, propoſito prœmio 1300. aureorum. *Piſis fruſtrà vocatur.*

Idem ex diuturno 46. annor. profitendi tempore bis habuit jus Comitis Palatini, quod 20. annorum ſpatio acquiritur ex lib. Codicis 12. cap. de Profeſſoribus, qui in Urbe *Conſtantinopolitanâ* docentes ex lege meruerunt comitatum. *Comes Palatinus.*

Senator *Mediolani* dicitur eſſe potuiſſe, ſi relinquere publicum interpretandi munus voluiſſet, procurante id excellentiſſimo viro *Gabriele Cuevâ*, Ditionis *Mediolanenſis* Gubernatore, qui per conſilium ejus prudentiſſimum, Ducatum quendam fuerat conſecutus.

* *Ex Gymnaſii Patavini Lib. II. ab Anton. Riccobono editi.*

Obiit A.C. 1576.

ANTONIUS COCUS.

Regis Edoardi VI. Præceptor.

ANglus, olim *Edoardi VI.* pueritiæ admotus, vir priſcâ morum ſeveritate ac multiplici doctrinâ, longâ vitâ & opes & dignitatem inter ſuos maximam quæſivit, & filias Græcè ac Latinè ſupra ſexum eruditas viris dignitate præcellentibus elocavit, *Guilielmo Cecilio*, ſummo *Angliæ* Quæſtori, *Nicolao Bacono*, magni Sigilli cuſtodi, *Thomæ Hobeio*, qui Legatus in *Galliam* obiit, *Rudolpho Rouletto*, & *Henrico Killegræo*.

5. filias habuit eruditas.

Moritur.

Fatis conceſſit ſeptuagenarius annô C. 1576. *Thuan. lib. 63.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1576.

JOACHIMUS HOPPERUS.

NAtus eſt 11. Nov. An. 1523. *Sneeæ in Friſiâ occidentali*, in ædibus avi materni *Pierſmani*, quo mater inſtante partu conceſſit, & in puerperio interiit.

Pater ipſius vir nobilis *Hemelis*, in prædio avito, propè *Stauriam* habitavit, nec diu ſuperſtes fuit, licèt poſt obitum primæ uxoris aliam duxerit, ex quâ *Schelt onem* ſuſcepit.

Apud avum *Sneeæ* educatus, rudimenta literarum didicit.

Literis & Jurisprudentiæ operam dat.

A. 1536. *Harlemum* miſſus, cum ibi 4. annos ſub diſciplinâ *M. Cornelii* in Philoſophicis diſciplinis exegiſſet, A. 1541. *Lovanium* venit, & Jurisprudentiæ ſe prorſus addixit, in quâ *Gabrielem Mudæum* & *Johannem Haſium* docentes audivit.

A. 1544. *Pariſios* & *Aurelias* profectus eſt. *Lovanium* reverſus, Licentiæ in utroque jure titulo ornatus, in gratiam ſtudioſæ juventutis cathedram mox conſcendit, &

Docet Jus.

nullo ſtatuto ſtipendio publicè docuit. Cum autem novâ docendi ratione Jus in artis formam redegiſſet, Ordines *Brabantiæ* deinceps ordinarium Juris Profeſſorem cum ſtipendio luculento deſignârunt.

Non multò pòſt uxorem duxit virginem *Chriſtinam, Gregorii Bertolſii*, primi in *Friſiâ* Senatûs Præſidis ſub *Carolo V.* filiam, &

Juris Doctor.

Doctoratûs in utroque Jure inſignibus fuit decoratus.

Exactis *Lovanii* in Profeſſione Juris aliquot annis, *Bruxellæ* in Secretum Senatum allectus, *Viglio Zuichemo*, & Cardinali *Granvellano* multum laboris ademit.

Conſiliarius Hiſpanicus.

3. April. An. 1566. *Carolo Tiſſenaco*, cui apud Regem in *Hiſpaniâ* rerum *Belgicarum* gubernacula commiſſa erant, ad ſuos reverſuro, poſtulante Rege, in illius locum ſuffectus in *Hiſpaniam* migravit: quem advenientem Rex humaniter excepit, & ſummi Conſiliarii Statûs *Belgici* dignitate ac Regii Sigilli Præfecturâ ornavit, tandemque nihil minus ambienti dignitatem Equeſtrem ac aureorum calcarium contulit unà cum *Johanne Auſtriaco*. Novennio in *Hiſpaniâ* tranſacto, in phthiſin incidit. Cum autem ſibi mortem jam imminere ſenſiſſet, duabus, antequam moreretur, horis ad Regem literas ſubſignavit, quibus rogavit, ut ſuæ conjugis & liberorum curam ſuſciperet, ac omnia fauſta Regi ſuo precatus, ultimum valedixit.

Moritur.

Obiit deindè 15. Dec. A. 1576. *Madriti*, ſepultusque in æde S. *Trinitatis*, cum vixiſſet annos 53.

Opera *Hopperi* in lucem edita præcipua hæc ſunt:

Sedevardus, ſive, de *verâ Jurisprudentiâ ad Regem libri XII.* nempè νομοθεσίας, ſive, *de juris ac legum condendarum ſcientiâ libr. IV. rerum divinarum & humanarum*, *ſive*, *de jure publico lib. IV. ad Pandectas*, *ſive*, *de jure privato lib. IV.*

Themis hyperborea, ſive *de tabulâ Regum Friſiæ lib. I.*

Ferdinandus, ſive *de inſtitutione Principis lib. I.*

In veram Juris prudentiam Iſagoges ad filium lib. VIII. nempè *paratitlion.*

Juris Civilis, ſive *de divinarum & humanarum rerum principiis lib. IV.*

Elementorum Juris, *ſive de principiis Juſti libri IV.*

Diſpoſitio in libr. 4. Inſtitut. & in libr. Pandect.

De Juris arte libr. III.

Paraphraſis in Pſalmos Davidicos cum libro de diviſione & uſu Pſalmorum.

* *Ex Melchioris Adami vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1577.

MICHAEL CABEDIUS.

NAtus *Cetobricæ*, Urbe *Luſitaniæ*, A.C. 1525. Patrem habuit ex familiâ nobili *Georgium Cabedium*, matrem *Tereſiam Pinariam*, clariſſimi viri *Gondiſalvi Pinarii*, Epiſcopi *Viſenſis*, ſororem.

Literas humaniores diſcere cœpit *Olyſſipone*, cum verò 19. ageret annum, unà cum *Johanne Pinario* fratre ſuo (qui poſteà D. *Dominici* religionem ingreſſus, cum magnus Theologus eſſet, miſſus ad Concilium *Tridentinum*, à Rege *Sebaſtiano*, *Romæ* obiit) in *Galliam* ab avunculo accerſitus,

Burdigalæ ſtudioſus.

Bajonam, *Aquitaniæ* Urbem, & deindè *Burdigalam* pervenit, ubi biennii ſpatiô in politioribus literis multum profecit.

Toloſæ Juris ſtudioſus.

Poſteà verò in Academiâ *Toloſanâ*, *Johannem Coraſium*, *Ferdinandum Berengarium*, *Ferrerium*, *Monſabracum*, & alios inſignes Juris interpretes, ſummo ſtudio coluit.

& Conimbricæ.

Deindè in *Luſitaniam* reverſus, *Conimbricæ Antonium Soarium Olyſſiponenſem*, & *Mart. Aſpilcuetam Navarrum* diligenter audivit.

Cumque iterum in *Galliam* rediiſſet, *Pariſienſe* Gymnaſium adiit, ibique ann. æt. 22. Comœdiam primam *Ariſtophanis*, quæ *Plutus* inſcribitur, è Græco Latinè converſam, in lucem edidit avunculo nuncupatam, qui tunc in *Galliâ* apud Regem *Franciſcum* Legatione fungebatur.

Senator.

In patriam reverſus, primùm ad Senatoriam dignitatem admiſſus, in ſupremâ illâ Curiâ,

Curiâ, quæ Supplicationis vulgò dicitur, magnam ſibi famam comparavit.

Criminum auditor. Nec multò poſt Criminum auditor creatus, munus illud incredibili animi moderatione & æquitate geſſit.

Permotus itaque Sereniſs. Rex *Sebaſtianus* ejus virtutum & eruditionis famâ, cum per diverſas *Luſitaniæ* Provincias certum Senatorum numerum cum ſupremâ poteſtate mittere decreviſſet, illum ad *Ciſtagenam* regionem delegavit, cui præerat *Petrus à Cugnâ*, vir ſummo loco natus, quo poſt paucos menſes à Rege ad quædam belli munia ſubeunda revocato, ipſe in ejus locum ſuffectus eſt, & Præſidis officium ſuſcepit: in quo ita ſe geſſit, ut, purgatâ à maleficis provinciâ, & optimè ordinato Reipublicę ſtatu, magnum decus indè reportârit.

Præſes Ciſtagenæ.

Mox cum Regi viſum è Republicâ fuiſſet, tres graviſſimos viros ex Senatorio ordine *Olyſſiponenſi* civitati gubernandæ præficere, ipſe inter primos ad eum triumviratum aſſumtus eſt.

Triumvir Olyſſipona.

Moritur. Annô ætatis 52. gravi morbo correptus, intra paucos dies obiit *Olyſſipone* M. Aprili A.C. 1577. Corpus ſuum in vicinâ S. Crucis Eccleſiâ deponi voluit, undè poſteà *Cetobricam* translatum, & in ſepulchrum avitum collocatum fuit.

Uxor ejus & filii. Uxorem habuit unicam *Leonoram Pinariam*, de *Vaſconellos*, conſanguineam ſuam, ex quâ 5. filios & 2. filias ſuperſtites reliquit. Ex filiis maximus natu *Georgius Cabedius* de *Vaſconellos* paterna veſtigia ingreſſus in munere Senatoris obeundo, aliiſque arduis negotiis à Rege *Philippo* & Principe *Alberto* ipſius fidei commiſſis ſummâ cum laude verſatus eſt, tandemque ad Conſilium Status *Luſitaniæ*, quod apud Regem *Madriti* reſidet, evocatus.

Filius ſecundo genitus *Gonçallus Mendez* de *Vaſconcellos*, ſacris inſignitus in Collegium S. *Pauli* Academiæ *Conimbricenſis* cooptatus eſt, in quo ad mandatum Regis per aliquot annos publicè legit.

Hunc Inquiſitionis munere functum, & ad Senatum ſupplicationis evectum Rex *Philippus Romam* miſit, ut apud S. P. *Clementem VIII.* negotia ipſius tanquàm Regis *Luſitaniæ* ageret, ubi Referendarius utriusque Signaturæ creatus eſt. Quo tempore adeptus occaſionem in lucem edidit aliquot ſua Opera, quæ ad Jus Canonicum & Civile pertinent.

Græcæ linguæ cultor. Græcis literis aſſiduam operam impendit, quas non minùs exactè quàm Latinas calluit, & plurima ex Græcis auctoribus in Latinum ſermonem convertit, quæ tamen in lucem edere noluit, præter *Plutum Ariſtophanis*.

Poëta. Scripſit libenter *Heroica Carmina*, quibus *Johannis* Principis Epithalamium, deindè *Sebaſtiani* Regis Genethliacon celebravit. Villas ſuas & ædes verſiculis & ingenioſis inſcriptionibus decorare ſtuduit.

* *Ex vitâ ejus in Bibliothecâ Hiſpaniæ deſcriptâ.*

JOHANNES MORVILLERIUS.

Obiit A.C. 1577.

Gallus Bleſis honeſto loco natus, quondam *Aureliani* Epiſcopus, multis Legationibus obitis, maximis in *Galliâ* honoribus ſe ſemper parem præbuit.

Epiſcopus Aurelianenſis.

Poſt *Michaëlem Hoſpitalium* (cujus virtutem ſæculi iniquitas ferre non poterat) domum relegatum, cum ſigillorum procuratione ornatus eſſet, homo probus & prudens innatâ timiditate nunquàm generoſi conſilii fuit auctor, ideòque mediis ſententiis potiùs præſens otium, quàm firmam impoſterùm pacem ſectatus eſt, fundatâ veluti alterâ ab *Hoſpitalio* in aulâ ſectâ, cujus adſtipulatores eò plures habuit, quod hi unionis inter Catholicos ſarciendæ ſtudio cuncta factioſorum (religionis cauſam falsò vel ipſorum judicio obtendentium) conſilia & conatus diſſimulandos exiſtimarent: cum alteri *Guiſianorum* ad altiora tendentium odio pacem quâvis ratione edendam ſuaderent, eâque re proteſtantium cauſæ favere crederentur.

Sigillorum Procurator Pariſienſis.

Morienti adſtitit *Pomponius Belleurêus*, ſummus ejus prudentiæ ac conſiliorum ſectator, qui mortuo, & in *Franciſcanorum* æde, ſicut teſtamento mandaverat, ſepulto honorifico elogio An. C. 1577. parentavit. *Thuan. lib. 64.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

THOMAS SMITHUS.

Obiit A.C. 1577.

Anglus, honeſtis parentibus in *Eſſexiâ* natus, & regiis ſumtibus in Scholis (ut mos eſt laudabilis in *Angliâ*) non ſolùm in Regno, ſed & in *Italiæ* Gymnaſiis educatus, doctrinâ & ingenii ſolertiâ meruit, ut *Edoärdo Somerſeto*, ſub *Edoardo VI.* Rege res adminiſtrante, alter à *Cæcilio* fuit Secretarius.

Secretarius Regis Angliæ.

Dein & rei ſtannariæ præpoſitus, curâ etiam Scholæ *Carlionenſis* & *Etonenſis*, de quâ optimè meritus erat, demandatâ. Quibus honoribus à *Mariâ* Reginâ privatus, eosdem ſub *Eliſabethâ* recuperavit, & multis legationibus defunctus rerum in *Hiberniâ* ordinandarum Reginæ autor fuerat, miſſo in inſulam naturali filio, qui in eâ expeditione periit.

Legatus Regius.

Literas & literatos impensè dilexit, & legibus de diſciplinâ in ſcholis ſanciendâ, ab eo ſatis plurimùm utilitati publicæ conſultum fuit.

Leges Scholaſticas condidit.

Obiit tandem A.C. 1577. In munere ſuffectus eſt ei *Thomas Wilſonus*, qui *Smitho* quadriennium ſolùm ſuperfuit.

Moritur.

Scripſit inter alia:

Scripta.

De Rep. Anglorum, opus imperfectum.
De Re nummariâ Commentarium.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

FLORIANUS BERNBECCIUS.

Obiit A.C. 1577.

Winsbemii natus eſt 8. Nov. A.C. 1509. Patre *Michaële*, Senatore & Conſule

ibidem: Matre *Margaretâ*, *Conradi Heyen*, Senatoris *Winsheimenſis* filiâ.

Juriam ſtudiis deditus.

Cum rudimenta literarum in patriâ didiciſſet, ad varias *Germaniæ* Academias eſt profectus, ut & Juris & rerum Politicarum ſibi compararet theſauros, quos in Patriæ poſtmodùm ſalutem impenderet.

Nubit bis.

Senator Kittingenſis.

In Patriam reverſus, matrimoniali fide ſibi obligavit *Magdalenam*, *Hieronymi Kumpffi* viduam, natam *Pfennigiam Kittingenſem*, A. 1535. quo in Senatum *Kittingæ* delectus eſt.

Hæc cum annô ſeq. 1536. vitâ defuncta eſſet, *Halam Suevorum* ſe contulit A. 1540. ibique 19. April. alteram tori ſociam elegit *Catharinam*, Nob. *Johannis à Morſtein*, Equitis *Suevi*, relictam viduam, ex quâ 3. filios cum 6. filiabus ſuſcepit.

Senator Hallenſis,

& Prætor.

A. 1541. A Magiſtratu *Hallenſi* non ſolùm Aſſeſſor, ut vocant, minoris Senatûs electus eſt, ſed etiam deinceps in majorem Senatum fuit receptus, & tandem ad Præturæ dignitatem evectus.

His in muneribus eâ prudentiâ, fidelitate, & diligentiâ uſus eſt, ut reliquis illius Reip. Adminiſtratoribus, Miniſterio Eccleſiaſtico, Civibus etiam omnibus gratus & acceptus fuerit.

Moritur Rotenburgi.

A. 1574. Poſt obitum ſecundæ Conjugis, duarumque filiarum *Mariæ* & *Annæ*, quæ omnes peſte tunc graſſante obiêrunt, à Genero ſuo, D. D. *Friderico Rengero*, *Halâ Rotenburgum* ductus, propter gravem corporis ægritudinem planè conſumptus & ênervatus, ibi tandem placidâ morte extinctus eſt 15. Martii A. C. 1577. ætat. 67.

* *Ex Parentationibus Johannis Wolffgangi Fabritii, LL. Studioſi Argent. editis A. 1625.*

Obiit A. C. 1577.

ALBERTUS KNOPPERUS.

Juris Doctor & Profeſſor Hafnienſis.

Legatus Regis Daniæ in Livoniam.

S*Wollenſis*, Juris utriusque Doctor, ad Profeſſionem Jurisprudentiæ in Academiâ *Hafnienſi* vocatus & receptus, albo Univerſitatis inſcriptus eſt A. 1549. Rectoratum geſſit ann. 1552. 1557. 1562. 1564. & 1569. & quidem in Rectoratu An. 1562. functus eſt Legatione Regiâ in *Livoniam* ad *Polonos*.

Præfectus Ringſtadienſis.

Procurator Templi S. Virginis aliquot annos fuit usque ad A. 1570. Præfecturâ etiam *Ringſtadienſi* à Rege donatus eſt. Filios habuit *Henricum Roſtochienſem*, & *Johannem*.

Moritur.

Obiit 16. Maji A. C. 1577. ex ictu globi tormentarii *Lovanii* in *Brabantiâ*.

Scriptum:

Scriptum.

Theſes ſelectæ ex Tractatu de Jure Emphyteutico. 1565.

* *Ex Academiâ Hafnienſi, repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A. C. 1577.

JACOBUS vel DIDACUS COVARRUVIAS DE LEVA.

T*Oleti*, *Regni Caſtiliæ* in *Hiſpaniâ* metropoli, mundum ingreſſus A. 1512. die S. *Jacobi*, nomen hujus Apoſtoli, linguâ *Hiſpanicâ Diego*, ex parentum devotione accepit. Cum *Salamancæ* à Sacerdote quodam ſuo cognato Linguæ Latinæ fundamenta didiciſſet, in ejusdemque ædibus fuiſſet educatus, ſtudiis Legalibus mentem applicuit, & Academiam celebrem *Hiſpaniæ Tarraconenſis Ovidum* accedens, ibi in Collegio Salvatoris ſtudiis Juridicis tanto cum fervore inſudavit, ut brevi pòſt Jura publicè in frequenti auditorum cœtu docuerit.

Salamancæ literas diſcere cœpit.

In Acad. Ovied. Jurium ſtud.

& Profeſſor.

Juris Doctor.

Lauream Doctoralem tandem cum applauſu conſecutus, unà cum aliis Juriſconſultis celebribus, juſſu Regis *Hiſpaniæ*, Concilium *Tridentinum* acceſſit.

Epiſcopus triplex.

Reverſus, triplicem Epiſcopatum in *Hiſpaniâ Tarraconenſi* ſucceſſivè promeruit, *Rodrigi*, *Segoviæ*, & *Mirandæ*.

Præſes Senatûs Reg. Madriti.

Moritur.

Madriti tandem Senatûs Regii Præſes conſtitutus, in eo munere, litéris per otium perpetuò deditus, ad vitam meliorem tranſiit 27. Sept. A. C. 1577. ætat. 65.

Ingenii monumenta reliquit:

Scripta.

Reſolutionum variar. ex Jure Pontificio, Regio, & Cæſareo lib. IV.

De Succeſſionibus ab inteſtato.

Practicas Quæſtiones.

De Teſtamentis & ultimis voluntatibus.

De Regulis Juris.

Collationem veterum Numiſmatum cum iis, quæ expenduntur publicâ & Regiâ auctoritate percuſſa.

De re nummariâ.

Comment. ad quartum, & ſextum Decretalium.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ diverſorum auctorum.

Didacum hunc, ejusque fratrem *Antonium*, patruus *Salmanticæ* ſatis re lautâ Sacerdos, jactis jam feliciter primis Latinæ linguæ rudimentis, unà domi aluit.

Cum fratre Antonio Juris ſtudiis deditus.

Hi pòſt in S. Salvatoris Collegii *Ovetenſis* Collegæ eos brevi in Jurisprudentiâ progreſsûs fecerunt, ut æqualibus longè antecellerent, pòſt etiam de ſuperiore loco Jus publicè ordine interpretarentur.

Tametſi verò in Doctoris Laureâ, iniquis Judicum ſuffragiis *Didacus* preſſus eſſet, vicit tamen ac tranſcendit, editis mox ingenii monumentis, expectationem, judiciumque perturbato animo datum.

Tum *Ferdinando* Græcarum literarum Doctore eſt uſus, qui eum in *Plinii* caſtigationibus non ſemel prædicat.

Miſſus hinc à Rege Catholico in Synodum *Tridenti* coactam, unà cum fratre *Antonio*, item *Ant. Auguſtino*, *Mart. Ayalâ*, *Ariâ Montano*, cæterisque.

Domum ubi revertit, Epiſcopus *Roderici* oppidi eſt renuntiatus, deindè *Segobienſis* Præſul, & *Conchenſis* deſignatus.

Senatûs Regii Præſes Jura docuit.

Senatûs quin etiam Regii Præſes ex anteceſſore creatus, eo munere annos aliquot Reip. conſtituendæ ſic eſt uſus, ut continenter jus docendo florem ſibi Nobilitatis *Hiſpanicæ* obſtrinxerit, temporis usque eò

parcus,

parcus, ut ſemihoræ ſpatium, quo Senatores unà ad Regem ingreſſuri expectare ſolent, elabi ſine fructu non ſineret. Sic intereà loci, Collegis inambulantibus, paucis menſibus *Platonem*, ac *Rhodigini antiquas Lectiones*, quaſi aliud agens, evolvit.

Obiit A.C. 1577.

HANNIBAL CRUCEIUS.

Secretarius Mediolanenſis.

Moritur.

MEdiolani natus, literis humanioribus, linguis præſertim *Græcâ* & *Latinâ* egregiè excultus unà cum Poëſi, Secretarius Regius fuit in Senatu *Mediolanenſi*, in quo munere conſenuit, peſte in patriâ graſſante vivis ſublatus 27. Sept. A.C. 1577. ætatis 68. Sepulturam nactus in templo Incoronatæ Patrum *Eremitanorum*, cum hâc inſcriptione marmori albo inſculptâ:

Epitaphium.

L. Annibali Cruceio
Ab Epistolis Senatus fide optima ac spectatissima,
Abstinentia admirabili, eximie justo atque integro:
Literis Latinis et Græcis exculto,
Poetæ perelegantl. Nato Ann. LXVIII.
Pestilentia mortuo
Ann. M. D. LXXVII.
V. Cal. Octob.
Fabricius filius Patri
B. M. P.

Scripta.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Carmina Achillis Statii Alexandrini, Latinitate donata.

De Clitophontis & Leucippes Amoribus Libri VIII. è Græcis Latini facti.

Epiſtolæ plurimæ nomine Senatûs Mediolanenſis ad Reſpublicas, Principes, Duces, Cardinales, Reges, Imperatores, & ſummos Pontifices ſcriptæ.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Peſte *Mediolani* jam biennium graſſante, cum placando Numini verſus elegantiſſimos, ſeu veriùs preces ardentes, ad Deum quaſi præſagâ mente concepiſſet, morbo ipſo correptus obiit, teſte *Jacobo Auguſto Thuano lib. 64.*

Obiit A.C. 1577.

VIGLIUS AB AYTA ZUICHEMUS.

NAtus eſt ſub annum milleſimum quingenteſimum ſeptimum, decimo nono Octobris, in villâ *Barrabuſiâ*, quæ tunc ad Monaſterium Canonicorum regularium in *Bergum* pertinuit, poſteà patri *Viglii* ab iisdem Canonicis in emphyteuſin data.

Parentes.

Pater ei fuit *Folcardus ab Aytâ*, ex perantiquâ *Aytanorum*, & nobiliſſimâ olim inferioris Germaniæ familiâ. Quanquàm bonis poſteà partim ob hæreditates multas diſtractis, partim nobilium factionibus, quæ centum ampliùs ante *Carolum V.* annis patriam ejus affixerant, attritis, multum potentiæ, & proindè etiam auctoritatis ac gratiæ amiſit.

Zuichemus autem hic *Viglius* eſt dictus à *Zuichemo*, pago avito, territorii *Leovardiani*, uno à *Leovardiâ* milliari, ubi adſita villa *Barrbuſia*. Mater ei fuit *Ida*, ſex liberorum parens.

Literis operam dat.

Hic autem *Viglius* à patruo adſumtus, ſex ferè annis *Leovardiæ* in ejus familiâ hæſit: ubi Præceptoribus traditus parùm admodùm profecit: partim quod Patruus Reipublicæ negotiis & Legationibus occupatus, adeſſe ſtudiis ejus non poſſet: partim quod magiſtri crebrò mutarentur. Nam prima literarum rudimenta à patrui ſacellano didicit, deindè in publicam ſcholam ductus, Grammaticen & Cantum Eccleſiaſticum percepit: hinc privatâ in ſcholâ cujusdam cognomento *Craſſi* vixit, quo peſte extincto, cum diu Præceptore caruiſſet, iterum ad publicum ludum venit.

Sed cum ibi in multitudine negligentiùs inſtitueretur, tandem obtigit illi Præceptor quidam non indoctus nec indiligens *M. Antonius Colonienſis*, apud quem in privatâ inſtitutione tantum profecit, ut jam majori alicui ludo idoneus haberetur.

Itaque ad ſcholam *Daventrienſem*, quæ tunc inter particularia, ut vocant, Gymnaſia florebat, eum Patruus ablegavit. Quo ſub initium anni decimi noni deductus, ibidem primùm ſeptimæ claſſi adſcriptus, ex eâ deindè ad ſextam & quintam aſcendit.

Revocatus autem à Patre *Daventriâ*, ab eo paulò pòſt cum fratre *Rintsio* miſſus fuit ad Patruum *Buchonem* in *Hollandiam*, qui tum *Hagæ Comitis* morabatur, ædis ſive capellæ principalis Decanus, à quo deindè anno vigeſimo ſeculi decimi quinti, ſub Feſtum *Johannis*, apud *Leydam* inſtituendus traditus fuit M. *Guilielmo Ferio*, qui præcipuorum Procerum *Hollandiæ* filios tum ibi in primis literis inſtituebat, ac tandem ſub finem anni vigeſimi primi *Hagam* rediens, operam dedit aliquot menſibus *Jacobo Volcardo, Bergenſi*, Viro inſigniter in Latinis Græcisque literis erudito.

Studioſus Lovanienſis.

Menſe deindè Octobri, anno vigeſimo ſecundo, cum eodem *Volcardo Lovanium* miſſus, manſit ad Feſtum usque Paſcha anni vigeſimi quarti. Undè cum eodem migravit ad M. *Ægidium à Molâ, Mechlinienſem*, propè Capellam Clericorum.

Duobus autem primis annis Græcis Latinisque ac humanioribus literis operam dedit, cum privatim apud eundem M. *Jacobum*, tùm publicè ſub Profeſſoribus *Conrado Goclenio* & *Rutgero Reſcio*, donec eum Patruus *Bucho Hagam*, anno vigeſimo quinto, ad ſe iterum evocans, aptum judicavit, ut ad juris diſciplinam ſeriò animum applicaret. Nec gravatus fuit ipſe *Bucho*, illum in primis elementis Juris inſtituere. A quo deindè *Lovanium* miſſus, ut juris ſtudium diligentiùs perſequeretur, ibidem audire cœpit Doctorem *Nicolaum à Bruxellâ*, ordinarium Legum Profeſſorem, tempore matutino.

Juris ſtudio ſe dedit.

Pace autem cum *Gallis*, capto Rege, ſperatâ, ad Academiam aliquam *Galliæ* ablegare

gare cum Patruus ille conſtituit: verùm cum inita cum *Gallis* concordia diſſolveretur, pecuniâ ad comparandos libros Juris Civilis liberaliter à Patruo inſtructus *Lovanium* rediit, ibique ad Menſem usque Julium ſtrenuam juri operam dedit. Undè *Hagam* rurſùs evocato, conſilium cùm Patre Patruus cepit, de eo in *Burgundiam* ad Academiam *Dolanam* mittendo.

Hagam Comitis proficiſcitur,

Valedicens igitur *Hagæ* Patri *Folcardo*, qui eodem venerat, & Patruo *Bucboni*, vigeſimo ſeptimo Septembris, anno vigeſimo ſexto, *Dolam Burgundiæ* cum nobili adoleſcente *Siovekone à Mellemâ*, populari ac familiari ſuo, eſt profectus. Ubi per totum ferè triennium M. *Aymoni Bourdier* cohabitans, ſub Profeſſoribus *Ludovico Maranchio*, *Jacobo Duximio*, *Johanne Monacho*, *Petro Phœnice*, & *Quinto Vitulo*, diligentem in utroque jure navavit operam, ut inter Auditores primam facilè laudem referret, eoque permoti ſtudioſi aliquot adoleſcentes Germani, *Henricus* ac *Quirinus Rechlingeri*, leviri D. *Antonii Fuggeri*, ejusdemque conſanguineus *Johannes Georgius Hermannus*, in iisdem ædibus habitantes ac convictores, familiaritate invicem conciliatâ, illum propter opinionem, quam de ſtudiis ejus habebant, valdè complecti cœperunt, eidemque perſuaſerunt, ut inſtitutiones juris civilis illis prælegeret.

& Dolam.

Cumque *Eraſmus Roterodamus Baſileæ* ſub id tempus non longè à *Dolâ* ageret, cui cum Patruo ejus *Bucbone* magna familiaritas intercedebat, captavit occaſionem ejus amicitiæ ſe quoque inſinuandi, & in eam humaniter admiſſus, crebris literis ultrò citroque miſſis eandem confirmavit, quâ ex re non parùm exiſtimationis apud condiſcipulos ei acceſſit.

Cum Eraſmo Roterodamo amicitiam contrahit.

Circa id tempus *Bucbonem* Patruum è vivis decimo tertio Decembris, anni vigeſimi octavi, deceſſiſſe intellexit. Cujus auditâ morte, animo tantum non dejectus conſternatusque de reditu in patriam cogitare cœpit: verùm audito illum legatum pecuniarum ſat magnum, & Bibliothecam, tàm in jure, quàm in aliis diſciplinis benè inſtructam reliquiſſe; quo videlicet ſtudia ſua commodiùs ad metam perducere poſſet, quod & parentes ejus ſuadebant, jubebantque; ac ſodales, qui privatim illum explicantem inſtitutiones audiebant, multis modis magnificisque promiſſis ab eo contenderent; ut ipſis ad Academiam *Avenionenſem* abiturientibus, comitem ſe adjungeret, tandem aſſenſit.

Perluſtratis aliquot oppidis, monaſteriisque Ducatus *Burgundiæ*, Urbeque *Salinorum*, ubi ſalſorum fortium memorabile miraculum conſpicitur, & tum Statuum conventus celebrabatur, ob auxilia à Rege *Ferdinando* petita adverſus *Turcas*, relictâ *Dolâ* per *Cabillonem*, & *Matiſconem*, præclaras *Burgundiæ* civitates, *Lugdunum* ſecundo *Arari* fluvio advecti ſunt. Ac deindè per *Rhodanum* deſcendentes *Avenionem* appulère, eo potiſſimùm deſiderio allecti, ut *Andream Alciatum* ac *Franciſcum à Ripâ*, quorum celebris inter juris Profeſſores fama erat, audirent.

Sed cum peſtis ibi graſſari incepiſſet, *Alciatum* aliosque Profeſſores ob ejus metum diſcedentes, paulò pòſt indè *Valentiam* non incelebrem Academiam, in *Delphinatu* conceſsêre.

Auditis autem ibi aliquandiu Profeſſoribus præclari nominis ac doctrinæ, ab iisdem ſibi perſuaderi eſt paſſus *Viglius*, ut in eâ Academiâ gradum Doctoratus, Promotoribus *Johanne de Molâ*, & *Felice Prato* Profeſſoribus primariis, *Antonio de Dornâ*, & *Johanne Baptiſtâ Palmâ Alexandrino* ſuſciperet.

Fit Doctor Juris Valentiæ.

Verùm haud diu illic manſère: ſed cum ſpes affulgeret pacis, de quâ tum apud *Cameracum* tractabatur, favore quoque adjuti *Andreæ Alciati*, qui *Avenione* diſcedens, in *Biturigenſi* Gymnaſio ad juris Profeſſionem evocatus eſt: impetratis à Rege *Gallorum* literis ſecuritatis, ipſi quoque *Biturigas* ſe contulerunt; quo illos inferioris ſuperiorisque *Germaniæ* complures ſtudioſi *Dolâ*, *Valentiâ*, *Avenione* ſecuti ſunt: eoque tempore, quo illic egère, *Viglius* privatim publicèque profitendo ac diſputando nomen inter ſtudioſos nonnullum ſibi comparavit, *Alciato*que poſteà in *Italiam* proficiſcente, ipſius locum in prælegendo tenuit, ac quietiſſimè jucundiſſimèque ibi ſupra biennium moratus eſt, magnâ amicitiâ & familiaritate *Franciſci Rupelii Germani*, ac *Caroli Sucqueti Flandri*, Jureconſulti valdè eloquentis, multorumque aliorum Doctorum ſtudioſorumque uſus, *Aureliam* verò eo anno *Lutetiam*que profectus, cum multis præclaris Viris notitiam iniit, ac à *Gulielmo Budæo*, *Johanne Tarteſio*, *Lexovienſis* Collegii Rectore, ac plerisque aliis humaniter honorificèque acceptus fuit.

Jus in Biturigenſi Gymnaſio docet.

Deindè verò rogatu eorundem ſodalium ſuorum, ſub autumnum anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi primi, in *Italiam* proficiſci conſtituit. Invitatus verò ab *Antonio Fuggero*, aliisque nonnullis, quorum liberi ejus auditores fuerant, ut per *Germaniam* tranſiret, ac cum ipſis coràm notitiam iniret, à *Biturigibus*, magna ſtudioſorum auditorumque ſuorum catervâ comitante, ad vicinum oppidum usque *Donle Rog*, conceſſit, *Lugdunumq́*, tertiò reviſens, ac penè per *Hebennam Lauſanamq́* tranſiens, *Friburgum Echtlandiæ* ſeu *Helvetiorum*, *Bernam*, *Solodurum*, *Baſileamq́* tranſiens, *Friburgum Briſgoiæ* pervenit, ubi ab *Eraſmo Roterodamo*, *Uldarico Zaſio*, aliisque doctis quàm humaniſſimè acceptus fuit.

Proficiſcitur per Germaniam.

Tres in eo itinere Academias inviſit, *Baſileenſem*, *Friburgenſem*, *Tubingenſem*: *Baſileæ Bonifacium Amerbachium*, Juriſconſultum, ſalutavit; ac in *Frobenianâ* officinâ cum eximiè docto Viro *Sigismudo Gelenio Boëmo*, qui libris ibi corrigendis præerat, *Hieronymoque*

moque Frobenio, Typographiæ magiſtro, illic notitiam contraxit.

Vidit tum quoque *Oecolampadium*, ac *Simonem Grynæum*, *Friburgi* verò *Briſgoiæ Eraſmum Ludovicum Berum*, inſignem Theologum ac Canonicum *Baſileenſem*, & multos alios viros doctos ibi tum degentes.

Auguſtæ Johannes Reylinger, *Henrici* ac *Quinti* pater, hoſpitio illum excepit, magnificèque tractavit, quotidianis conviviis à *Raymundo*, *Antonio* ac *Hieronymo Fuggeris*, à *Johanne Paumgartnero*, pleriſque ejus Urbis Patriciis, & à Doctoribus exceptus, & catenis numiſmatibusque ac aureis annulis, aliiſque cimeliis munificè donatus fuit.

In Italiam. Indè cum Comitibus, cum quibus è *Galliâ* venerat, *Italiam* verſus diſceſſit, ac *Monachii* ſe ipſis itineris comitem *Chriſtophorum Backenbuſium*, *Lubecenſis*, adjunxit.

Vigeſimo die pòſt *Sarotium* venêre, ubi à patre *Johannis Georgii Hermanni* ſplendidè accepti, ac triduo humaniſſimè habiti fuêre, fodinaſque argenti & æris ditiſſimas perluſtravêre.

Hic eos *Oenipontem* deduxit, ubi per *Rodolphum*, Comitem à *Suter*, Gubernatorem à locum tenentem *Tyrolenſis* Comitatus, ad Reginam *Annam*, Regis *Ferdinandi* uxorem, ac *Maximilianum* & *Ferdinandum*, ejus filios adhuc minorennes ſalutandos deducti, opiparèque cùm à Gubernatore, tùm à Cancellario *Hieronymo Baldingo* tractati fuêre.

Deindè per *Brixinnam*, *Tridentum*, *Terviſiam*, *Venetias* pervenerunt, indè *Paduam* conceſſerunt. Ubi tum in jure profitebantur *Franciſcus Curtius*, *Marianus Socinus*, *Marcus Mantuanus*, & *Arregutius de Arregutiis*, *Peruſinus*, multique alii in omni genere doctrinæ Viri præſtantes.

Commendaverat eum literis ſuis *Eraſmus Roterodamus Johanni Baptiſtæ Egnatio*, apud *Venetos* agenti, ac *Petro Bembo*, poſteà in ordinem Cardinalium adſcito, qui eum prolixâ benevolentiâ ſunt proſecuti.

Profeſſor Juris Paduæ. Cum autem eum annum conſumſiſſet in privatis lectionibus, auditioneque Præceptorum, Doctorum, publiciſque ex diſputationibus innoteſcere cœpiſſet, in novo delectu Profeſſorum, ipſe penè invitus ad publicam inſtitutionum lectionem protractus fuit, procurantibus imprimis *Chriſtophoro Manutio* & D. *Othone Truchſes* Barone, ejus auditoribus, qui ambo in Cardinalium collegium poſteà cooptati ſunt, ubi illi cum ambitioſo Antagoniſtâ D. *Caſparo Malignato*, crebræ concertationes diſputationeſque juxtà morem ejus Academiæ fuerunt.

Prælegebat autem Inſtitutiones ter in die, ſemel publicè cum apparatu (ut vocant) diligentique materiarum explicatione; deindè cum textu gloſſas percurrens, propoſitoque applicans, ac poſtremò pro junioribus textum tantum explicans. Quæ autem diligentiori ſtudio in ſcholis publicis legerat, domum reverſus annotare conſvevit: ea cum diſcipulis familiaribus communicâſſet, ad editionem hortati ſunt.

Quibus ipſe obſequens, *Hieronymo Frobenio*, *Baſileæ* Typographo, commentarios in decem Inſtitutionum titulos, quos *Patavii* fuerat profeſſus, excudendos dedit.

Interim autem dum *Patavii* ageret, duæ inſignes conditiones illi oblatæ ſunt, altera, ut eſſet Vicarius Judicialis in Regno *Cypri*: altera ut *Philippum*, *Caroli* filium, inſtituendum ſuſciperet, quas tamen juſtis tum de cauſis recuſavit.

Cum autem ibidem à Cæſare, Duci *Venetiarum* ut commendaretur, petiiſſet, quo Bibliothecæ, quam *Beſſarion* Cardinalis illic reliquit, inſpiciendæ facultas daretur, non difficulter id obtinuit, adjuvante *Matthiâ Held*, Vice-Cancellario Cæſaris, ubi Græcas Inſtitutiones *Juſtiniani* reperit. Quarum deſcribendarum poteſtate illi factâ, curavit in officinâ *Frobenianâ Baſileæ* imprimendas, ac *Carolo* Cæſari opus hoc, ſtudioſis omnibus plauſibile, dedicavit.

Expleto deindè curſu, ut vocant, annuo lectionum, cum decem titulos Inſtitutionum abſolviſſet, à multis invitatus fuit, ut in prælegendi munere perſeveraret, ſpe minimè dubiâ factâ obtinendæ primariæ inſtitutionum lectionis à Proviſoribus *Venetæ* Reipublicæ.

Verùm ipſum, qui quatuordecim annos à patriâ abfuerat, deſiderium ejus ac parentum permovit, ut de eâ repetendâ animum induceret. Itaque rebus omnibus compoſitis ac vale ſodalibus dicto, iter ingreſſus, iterum *Eraſmo Friburgi*, & aliis alibi ſalutatis *Baſiléam* venit, ut Inſtitutiones Græcas excudendas, & Commentarios in 10. tit. Inſtitut. correctiùs recudendos curaret. Quibus impreſſis iter ingreſſus eques *Coloniam* pervenit, ubi aliquot dies manſit. *Redit in Germaniam.*

Intereà autem cum Epiſcopi *Monaſterienſis* officialis defunctus eſſet; cumq; honorarium non contemnendum offerretur, ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut operam ſuam polliceretur; atque *Monaſterium* poſt viſitatos parentes adire promitteret. Itaque decedens in *Friſiam* venit. Poſthàc *Monaſterium* ab Epiſcopo vocatus, menſe Majo profectus eſt. *Fit Officialis Epiſcopi Monaſterienſis.*

Cœterum cum ob belli turbas, quas Anabaptiſtæ tunc movebant, judicia penè ceſſarent, conſilium in rebus agendis Epiſcopo præbuit, crebriſque legationibus obeundis operam navavit.

Dum hæc aguntur, Landgrafius *Haſſiæ* eum oblato ſtipendio ad Academiam *Marpurgi*, à ſe nuper inſtitutam invitavit, cui ſe *Viglius* rationibus juſtis excuſavit.

Sub idem etiam tempus Cæſaris ac Regis *Ferdinandi* literis ad Aſſeſſoriam dignitatem in judicio Cameræ Imperialis, nomine domus *Burgundiæ* vocatus eſt, ad quam conditionem, impetratâ ab Epiſcopo miſſione, *Spiram* profectus eſt. Ubi menſe Julio anno trigeſimo quinto in Aſſeſſorum ordinem receptus, in tertium annum permanſit, donec *Aſſeſſor Spiræ in Camerâ Imperiali.*

Profeſſor Academiæ Ingolſtadienſis.

nec ſub finem anni trigeſimi ſeptimi *Bavariæ* Dux *Wilhelmus* eum indè in Academiam *Ingolſtadianam* magno ſtipendio evocaret, ubi permanſit usque ad Paſcha anni quadrageſimi ſecundi, cœpitque profiteri ſecundam partem Digeſt. Vet. incipiens à titulo de rebus creditis.

Anno autem trigeſimo nono *Friſiam* parentesque ſub vacationum æſtivarum tempus inviſit, quos tunc incolumes reperit. Matrem tamen grandævam anno ſequenti amiſit.

Audiebatur autem à literatâ juventute libenter, multique ad eam Academiam fama ipſius acciti ſe contulerunt, tametſi Excellentiſſimos ex *Italiâ* Collegas haberet *Fabium Romanum* & *M. Antonium Gaynum Mediolanenſem*. Functus eſt præterea in *Ingolſtadianâ* Academiâ Rectorali dignitate & Decanali officio Juridicæ Facultatis.

Duæ autem illi *Ingolſtadii* commoranti conditiones oblatæ fuerunt: Una ab Electore *Joachimo*, Marchione *Brandeburgenſi*, qui eum rurſus miris modis duplicatoque ſtipendio nitebatur pertrahere in ſuam Academiam *Francofurtianam*, ut illic jus profiteretur, & à conſiliis eſſet, cum res deposceret, quam ipſe juſtis de cauſis abnuit.

Altera verò à Cæſare *Carolo V.* qui cum operâ Vice-Cancellarii ſui *Matthiæ Heldi* deſtitutus eſſet, multis modis per *Granvellanum* conatus fuit ei perſuadere, ut Vice-Cancellariatûs munus ſuſciperet, quem & ipſum ut humeris ſuis imparem, recuſavit.

Cumque imperioſiùs ageretur, quod cum eo, cum ſubditus naturalis Cæſaris eſſet, proprio potiùs Principi ſervire deberet, quàm in externâ regione fortunam quærere, reſponſum eſt ab eo, non poſſe humeris ſuis imparem provinciam ſuſcipere; verùm ſi aliqua offeratur conditio in patriâ, quâ ibi honeſtè vitam traducere poſſit, eam ſe non eſſe recuſaturum. Itaque paulò pòſt juſſu *Caroli V.* ſoror ejus *Maria*, Regina *Hungariæ*, tum Gubernatrix provinciæ *Belgicæ*, ſcriptis literis eum ſollicitavit, ut ſumtibus Imperatoris in *Belgium* ad ſe veniret, quo coràm cum illo de conditione oblatâ conveniret.

Reſignatâ igitur honeſtâ conditione *Ingolſtadienſi*, & codicillis, ac, ut vocant, commiſſione ſecreti conſilii in curiâ *Belgicâ* acceptis, relictâ illi optione, ſi ad quod aliud conſilium tranſire poſteà mallet, novam functionem aggreſſus eſt. Pertæſus legationum *Viglius*, poſtulavit ſibi locum tum vacantem in conſilio *Mechlinienſi*, uti promiſſum ei erat, concedi, & commiſſionem à Reginâ impetravit. Dimiſſo itaque ſtatu ſecreti curialisque conſilii, *Mechliniam* migravit.

Locum nanciſcitur in Conſilio Mechlinienſi.

Eodem anno parentem ſenem in *Friſiâ* inviſit, ac ubi indè reverſus eſſet Cæſar ſub hyemem à bello *Bruxellano*, *Viglium* ad ſe evocavit, benigniſſimèque allocutus ſibi gratiſſima fuiſſe dixit ſervitia in Comitiis Imperii, *Norinbergæ* ſibi præſtita, penſionemque ejus nomine ultrò obtulit trecentorum, ſumtusque in legationibus factos ei promtè exſolvi juſſit; poſtulavitque, ut intereà, dum in *Belgio* ageret, munere in curiâ non gravaretur, permittens, ut cum ſtipendio magni conſilii, ſecreti quoque intereà perciperet, atque unà ad Comitia *Spiram* indicta iret.

Animadvertens ergò Cæſaris erga ſe affectum, conſtituit ſedem in *Belgio* deinceps figere, & ad matrimonium animum applicare. Itaque procurante *Granvellano*, Viri cumprimis honeſti ac locupletis *Petri Damantii* filiam *Jaquelinam* uxorem duxit, celebratisque nuptiis in feriis Natalitiis cum Cæſare per *Leodium*, *Coloniam*, *Confluentiam*, ac *Simeriam* in *Germaniam Spiram* abiit, ubi Patrem *Folcardum* ipſumque *Viglium* plurimis Cæſar ornavit privilegiis, conceſſit, ut ſi quando in *Friſiâ* patriâ morari vellet, primi Conſiliarii poſt Præſidem in Senatu *Friſiæ* dignitatem obtineret.

Conjugium init.

Eodem quoque tempore *Poggius*, Epiſcopus *Tropienſis* ac ſedis Apoſtolicæ Nuncius, *Palatini* Comitis diplomate ipſum decoravit; Cæſar autem in conſilium Imperiale accivit.

Comes Palatinus & Conſiliarius Cæſareus.

Pòſt Cæſare in *Galliam* cum exercitu proficiſcente, ipſe *Bremam* ab eo miſſus fuit, ut ibi *Danica* pax tandem concluderetur, juramentisque hinc indè firmaretur. Quam profectionem ideò libentiùs ſuſcepit, quod, *Spiræ* dum ageret, intellexerat, patrem ſuum *Folcardum* è vivis exceſſiſſe, eâque de cauſâ fratrum ſororumque literis evocaretur, ut quæ ſuper familiâ herciſcundâ neceſſaria eſſent, unà tranſigeret.

Ab Imperatore Bremam mittitur.

Rebus deindè *Bremæ* confectis, ac negotiis cum fratribus concorditer in *Friſiâ* tranſactis, *Mechliniam* reverſus, Reginæ acta ſua declaravit. Mox indicto Ordinum Imperii conventu à, Cæſare *Wormatiam* miſſus fuit.

Wormatiam.

Hinc illum ad Ducem *Bavariæ*, poſt & *Ratisbonam* ad Comitia indicta proficiſci rurſus voluit.

Ratisbonam,

Indè verò cum bello exorto Proteſtantes Principes profligati eſſent, Cæſarque belli reliquias perſequens juxtà *Neoburgum* caſtra metaretur, incidit in gravem ægritudinem *Carolus Boiſſotus*, Theſaurarius, cuſtos archivi in *Rupelmudanâ* arce conſervati, quod in *Viglium* contulit, *Viglius* autem à Cæſare *Coloniam* indè miſſus fuit ad Conventum ibi indictum, ſuper privatione & exautoratione Archiepiſcopi *Colonienſis*; undè in *Belgium* reverſo Regina *Maria* ei commiſſionem ſatis difficilem & odioſam injunxit, videlicet ut poſſeſſionem aliquarum Urbium in *Weſtphaliâ* ac *Friſiâ* acciperet. Quâ in re declinato periculo, quod imminebat, maturè ſe ad tranquillitatem recepit.

Coloniam.

Ac cum *Ludovicus à Scorâ*, Præſes ſecreti Conſilii, rerumque Statûs Director, vitam cum morte commutâſſet, ipſe nihil tale cogitans expectansque in ejus locum ſurrogatus fuit. Cæſar autem, ut authoritatem officii

Fit Præſes ſecreti Conſilii.

officii ſuo favore adjuvaret, equeſtri honore eum inſignivit, & adveniente Principe *Philippo*, unico filio, *Viglio* commiſit, ut ipſum de ſtatu Provinciarum inſtrueret, ac Proceribus Ordinibusque ſiſteret.

Cumque viſitare *Belgii* Provincias conſtituiſſet, cum eo miſſus fuit ad Provincias, quia Germanico idiomate utuntur, cum conſuetâ inaugurationis ſacramenta præſtantur. Mortuo autem ſub idem tempus *Vincentio Corne* Theſaurario generali, qui officio Regiſtrarum in *Hollandiâ* fungebatur, illud Regina in *Viglium* contulit, alterumque, quod in *Flandriâ* antè gerebat, Theſaurarii videlicet aut cuſtodis Archivi, Doctori *Hermeti à Wingene*, Conſiliario ſecreti Conſilii, reſignavit.

Paulò pòſt *Viglius* uxorem amiſit, nec multò pòſt Abbas *Bavonis Viglium* ſibi coadjutorem poſtulavit: cujus petitionem cum Rex certior factus authoritate ſuâ ut Patronus comprobâſſet: *Viglius* coadjutorem S. *Bavonis* accepit, & in miniſterio Regis permanſit, ex quo alioqui ſe extricare conſtituerat.

Incidit in morbum.

Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo, menſe Septembri cum *Atrebati* morbus invaſit, ex quo nunquàm planè convaluit. Itaque menſe Novembri indè vix ſemivivus Bruxellam reductus fuit. Ægrotantem ſæpè per Medicos familiaresque ſuos inviſere, conſolarique Rex eſt dignatus, Bibliothecariique officium ei impoſuit, ac paululùm recuperatis viribus, ipſe Regem *Gandavum* ſecutus fuit. Menſe Auguſto, eodem anno, ex Medicorum conſilio, amicorum hortatu, & conſenſu Regis, Comite *Nicolao Bieſio*, medicinæ Profeſſore *Lovanienſi*, *Aquisgranum* profectus eſt, ubi calidis aquis per ſex hebdomadas uſus, non modicum levamen ſenſit. Indè *Bruxellam* reverſus, benignè à Duciſsâ *Parmenſi*, novâ *Belgii* Gubernatrice, ſuſceptus eſt, ubi duas neptes ſub Calendas Januarias anni ſexageſimi elocavit. Ipſe deindè eodem anno, menſe Majo, thermas *Emeſanas* adiit, felici eventu.

Aquisgrani calidis aquis utitur.

Anno verò ſequenti *Friſiam* patriam, à quâ penè ſeptendecim annis abfuerat, ut reviſeret Duciſſa, benignè conceſſit, honorificè à Civitatibus populoque univerſo ſuſceptus fuit, ac in villâ *Suichemenſi Igrami*, Conſiliarii *Friſiæ*, cum nepte ſuâ nuptias ſolenniter celebravit. Neptumque ac liberorum fratris ſui *Serapionis*, ſororumque defunctarum rationes à tutoribus exegit, paternorum maternorumque bonorum partitiones de propinquorum conſenſu fecit, multasque inter conſanguineos & propinquos diſcordiarum cauſas ſuſtulit.

Decimo autem octavo die Januarii, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, defuncto *Lucâ Munick*, Abbas S. *Bavonis* confeſtim accitus eſt Præſes ad capeſſendam poſſeſſionem Præpoſituræ ejus, qui ipſum quoque hæredem ſucceſſoremque ex Indulto Apoſtolico nominârat.

Mox funus ante omnia honorificè curavit, ac priùs poſſeſſione per Procuratorem acceptâ, ipſe deindè ſolennem ingreſſum *Gandavi* ad Eccleſiam *S. Bavonis* fecit, ſacrisque ordinibus initiatus, presbiter factus die Dominicâ, quæ Feſtum omnium Sanctorum præcedit, primum ſacrum celebravit, ac deindè ſolennem benedictionem à Cardinale *Granvellano* accepit.

Fit Abbas S. Bavonis.

Mortuo autem duabus hebdomadis ante Abbatis ipſius obitum *Philippo Nigro*, *Bruxellenſi*, & primario Conſiliario in ſecreto conſilio Regio, Cancellarioque ordinis aurei velleris, *Viglius* in ipſius locum ſurrogatus juramentum ſolenne præſtitit.

Ex hoc autem tempore, cum ex diſſidio Religionis factiones in dies augerentur, aſſiduis flagitationibus miſſionem à Rege tandem impetravit.

Placuit autem Regi, ut Conſiliarii ſecreti conſilii titulum ac ſtipendium etiam abſens retineret, & quo honoratiorem ejus miſſionem faceret, conſilii ſtatus Præſidis titulum eum retinere voluit.

Et cum eum collegium *Lovanii* ſtudioſorum erigere intellexiſſet, duodecim millia florenorum in ſubſidium ei ad id liberaliter contribuit.

Tyſenaco autem poſt annos tres ſubitaneâ morte ſublato, ipſi rurſus invito ſigillorum Regiorum cuſtodia obtruſa fuit. Sed cum ipſe, ſubeunte jam ſenio, morbis laſſatus eſſet, ſeriò cogitare cœpit de condendo teſtamento ſuo, quo rerum temporalium ſolicitudini finem imponeret; & quod reliquum vitæ ſupereſſet, id omne impenderet meditationi de vitâ cœleſti.

Sigillorum Regiorum cuſtos.

Itaque cum liberos ipſe nullos unquam ſuſcepiſſet, eam bonorum ſuorum diſpoſitionem fecit, ut id, quod ex beneficii Eccleſiaſtici Præpoſituræque *S. Bavonis* proventibus comparſerat, in pios uſus converteret. Collegium *Lovanii* in uſum ſtudioſorum fundavit, qui bonis literis operam darent.

Teſtamentum condit.

Collegium Studioſorum Lovanii fundat.

In pago autem *Suichemenſi* Hoſpitale ſive Gerontocomium fundavit pro ſenibus, qui victum quærere laboribus ampliùs non valerent. Scholam quoque ibidem fundavit pro pueris in primis literis ac religione rectè informandis cum Ludimagiſtro, tùm ædibus proventibusque neceſſariis, unamque operam dedit, ut in villam *S. Bavonis*, ubi antiqui monaſterii profanati reliquiæ in caſtelli militumque domicilia converſa erant, aliò tranſlatâ Eccleſiâ, rurſus ad ſubditorum commoditatem ac ſalutem parochialis Eccleſia, ſub appellatione *S. Amandi*, reſtitueretur, & ut eò habitiores revocaret, præclaram quoque judicialem ſive ſcabinalem domum exſtruendam curavit.

Hoſpitale pro Senibus condit, ut & Scholam.

In capitularis quoque domus Eccleſiæ *S. Bavonis* extructionem liberaliſſimè contribuit. Seminarium item ejus aliquot Burſariorum dotatione adjuvit, ipſisque Canonicis & Eccleſiæ Miniſtris, pauperibusque peramplum pro anniverſariâ ejus memo-

riâ in vitâ & poſt mortem donativum reliquit.

Poſtremò Capellam in æde *S. Bavonis* eleganti altaris ſtructurâ marmoreoque ſepulturæ monumento condecoravit, & Sacerdotem ibi dein competentem dotavit.

De reliquis autem bonis diſpenſationem ſuam ita moderatus eſt, ut quæ ex patrimonio ac induſtriâ ſuâ, largitioneque Principum pro ſervitiorum ſuorum remuneratione proceſſerant, ea inter propinquos, amicos ac ſervitores, ſecundùm uniuſcujusque meritum, qualitatem & conditionem diſtribuerit.

Itaque domum paternam in pago *Suichemenſi*, alteram *Leovardiæ* ſitam, quam Dux *Saxoniæ*, *Georgius*, patruo ejus donârat, operibus ſtructurisque novis non mediocriter amplificavit, exornavit, ac nepotibus ſuis agnatisque pro ſtirpis *Aytanæ* memoriâ reliquit.

Ad juſtam ætatem, hoc eſt, ſeptuagenariam pervenit. Decimo enim nono Octobris anno 1507. natus, & octavo Maji anno 1577. è vitâ hâc abiit. Mortuus eſt *Bruxellæ* in ædibus ſuis; ſepultus autem *Gandavi* ad *S. Bavonem*, in *Mauſoleo*, quod ſibi vivus ponendum curaverat.

Moritur.

Epitaphium.

Epigramma in eum Epitaphium *Max. Vrintii* legitur ejusmodi:

Qui curas Regum & regnorum pondera obivit
Pervigil, hoc dormit Viglius in tumulo.
Parce pios, Lector, manes turbare; quietem
Hæc poſt tot vigiles vindicat urna dies.
At vigilis Vigli exemplo vigil eſſe memento:
Nil etenim vita eſt, ſit niſi vita vigil.

Scripta.

Scripſit:

Commentaria in decem titulos ſecundi libri Inſtitutionum Juris Civilis.

Theophili Anteceſſoris Inſtitutiones Juris Civilis, in Græcum ſermonem translatas eruit, reſtituit, ac in gratiam legalis ſcientiæ ſtudioſorum publicas fecit; cum doctiſſimâ præfatione ad Carolum V. Cæſarem.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor. German.*

Obiit A.C. 1577.

ANTONIUS CONTIUS.

NOvioduno, in *Veromanduis* Patre Regio Præfecto natus, certi judicii & exactæ diligentiæ Jurisconſultus, *Jacobo Cujacio* teſte, primùm annos 19. *Avarici Biturigum* Profeſſor, poſteà *Aurelianum* evocatus, in eâ Academiâ Jus magnâ frequentiâ interpretatus eſt.

Juris Profeſſor Avarici Biturig. & Aurelia.

Tandem *Avaricum* Biturigum revocatus, & novâ Juris Civilis ac Pontificii editione magnam laudem promeritus, plerisque ſparſim ingenii ſui monumentis publicatis 17. Kal. Octob. ferè ſexagenarius obiit, ad *S. Hippolytum*, juxtà *Franciſcum Duarenum*, & *Equinarium* Baronem, Juris in eâdem Academiâ Profeſſores ſepultus. *Thuan. lib.64.*

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1578.

CHRISTOPHORUS CARLEVITIUS.

EX equeſtri familiâ à *Carlevitz* in **Rotenhaus** natus eſt, in *Miſnid* 14. Dec. An. 1507.

A. 1522. *Lipſiæ* Præceptorem habuit *Petrum Moſellanum*, condiſcipulis *Birckio*, Barone *à Dubâ*, & *Julio Pflugio*.

Diſcipulus Moſellani.

An. 1539. In aulam à Principibus *Saxoniæ*, *Georgio* & *Henrico*, adſcitus, à Conſiliis iisdem fuit, & præfectus *Zorbitii*.

Conſiliarius Saxonicus.

Poſteà A. 1546. Elector *Saxoniæ Mauritius* uſus eſt eo Oratore, Conſiliario & Capitaneo in duabus præfecturis *Lipſienſi* & *Zorbicenſi*.

Mauritio è vivis 11. Julii A. 1553. exempto, *Auguſtus* Elector eundem ſibi ab intimis Conſiliis eſſe voluit.

Quatuor etiam Cæſaribus, *Carolo V. Ferdinando I. Maximiliano II.* & *Rudolpho II.* fidem ſuam legatus, Orator, & Commiſſarius probavit.

Quatuor Cæſaribus gratus.

Legationes obiit varias, juvenis à Duce *Georgio* in *Angliam* miſſus eſt, in *Poloniam* cum Comite *Barbienſi*, inprimis autem in bello *Smalcaldico* An. 1547. prudentia ipſius extitit, cum pericula maxima pro patriâ ſubiret, & plurimis Principum Conſiliis intereſſet.

Legationes obit varias.

Expeditionibus XIII. Martis aleam expertus eſt, ſuâque virtute Equitum Auratorum dignitatem hæreditariam familiæ ſuæ impetravit.

Eques Auratus.

Mortuus eſt 8. Jan. A. 1578. ætatis 71.

Moritur.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtor.*

Obiit A.C. 1578.

BONUS BROACUS.

POſt *Philibertum Dioum*, Virum antiqui moris, in ejus locum S. Ordinis Senator *Lutetiæ* creatus eſt, *Catharinæ Medicææ* Reginæ Matris, cui *Romæ* & *Florentiæ* in cauſis ſuis privatis egregiam operam navaverat, commendatione.

Senator Pariſienſis.

Is *Turnonio*, in pago *Vivarienſi*, honeſtis parentibus natus, bonis literis operam dedit, ac poſteà Juris ſcientiæ, quam ſub *Andreâ Alciato* didicit, Jus ipſe *Toloſæ* profeſſus eſt, ac *Petro Villano*, Senatori *Pariſienſi*, avunculo ſuo, in *Mirapicenſem* Epiſcopum inaugurato in Senatorio munere ſuffectus eſt A. 1561. cum ambo diu in familiâ Cardinalis *Franciſci Juſti Turnonii*, unici literatorum fautoris, præcipuâ gratiâ ac dignitate vixiſſent.

Juris Profeſſor Toloſæ.

Ad ſcientiam utriusque Juris judicium acre & melleam eloquentiam attulerat, quam & cauſis agendis magnâ cum laude in foro *Pariſienſi* exercuerat, ita, ut cum poſteà Judex ſententiam diceret, in diſſentiendo ab aliis comis, nec refutandis opinionibus cuiquam gravis eſſet, Juris Pontificii ſpineta Civilis amœnitate temperans tantâ gratiâ, ut audientium non ſolùm oculos, ſed animos ac ſenſus ita in ſe verteret, *Chriſtophori Thuani* imprimis, qui dicere ſolebat: Hominem unum, quamdiu in Senatu fuit, ſe vi-

Advocatus Pariſienſis.

ſe vidiſſe, cui ſe voce, ore, dicendi facultate, totoque corporis geſtu ſimilem mallet.

Moritur. Obiit *Lutetiæ* A.C. 1578.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

JOHANNES RAMUS.

Obiit A.C. 1578.

Philoſophiæ Profeſſor Viennæ.

ZElandus *Goeſæ* natus eſt prid. Kal. Martias A.C. 1535. Græcè Latinèque doctus, laudandarum artium *Viennæ* Profeſſor fuit.

Juris Profeſſor Duaci, Naſcente *Duacenâ* Academiâ, tàm præclarum eruditionis ſpecimen exhibuit, ut Juriſconſultorum eloquentiſſimus, & eloquentium Juriſconſultiſſimus audiret.

& Lovanii. Hinc ab Ordinibus *Lovanium* vocatus, Jus Civile magno audientium concurſu docuit.

Dolæ obiit. *Dolæ Sequanorum* diem clauſit extremum, vix conſcenſâ cathedrâ An. C. 1578. ætat. 43.

Scripſit:

Scripta.

De Auſtriacis Heroibus Carmine Elegiaco.

Epigrammata varia.

Oeconomiam & Enchiridion Regularum utriusque Juris.

Commentar. ad Juſtiniani Titulos XI. de Tutelis.

Scutum Herculis Heſiodo tributum è Græco convertit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

NICOLAUS BACONUS.

Obiit A.C. 1578.

EX antiquâ familiâ in Provinciis *Nordfoldienſi & Suffolcienſi* oriundus, natus eſt Parentibus nobilibus A. C. 1509.

Regnante *Henrico VIII.* Syndicus, *Edoardo VI.* Conſultor & Armiger evaſit: imperitante verò Reginâ *Mariâ Atturnatus*, ut *Angli* loquuntur, ſeu *Advocatus Curiæ Wardorum* fuit.

Advocatus curiæ Angl.

Cuſtos Magni Sigilli, & Conſiliarius ſecretus Angliæ.

Regina tandem *Eliſabetha* Equitem cum auratum, Cuſtodem Magni Sigilli *Angliæ*, & ab arcanis Conſiliis conſtituit.

Hanc illuſtrem dignitatem, Cancellarium autoritate coæquantem, ad mortem usque retinuit.

Stipendia 6. ſtudioſis inſtituit. Dum in vivis fuit, annuas & perennes penſiones 6. diſcipulis, ſeu literarum ſtudioſis, in Collegio *Cantabrigienſi*, quod *Benedicti* nomen obtinet, ſuſtentandis dedit.

Complurium nobilium liberorum & virtutibus excellentium ſobolem omnes ejus terras & poſſeſſiones hæreditario jure occupaturam poſt ſe reliquens, mortem oppetiit *Londini* A. C. 1578. ætatis 69. Sepultus in æde *Paulinâ*. *Moritur Londini.*

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

* * * *

Vir hic ſigulari prudentiâ, ſummâ eloquentiâ, judicio acerrimo, & tenaci memoriâ præditus, ſecundum *Cecilium*, alterum Regii Conſilii columen habebatur. Huic defuncto ſuccenturiatus eſt in munere Cancellarii titulo *Thomas Brumlejus. Thuan. l.68.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

CYPRIANUS VOMELIUS.

Obiit A.C. 1578.

FAmiliâ *Stupertiâ* in *Friſiâ* natus eſt Anno 1515.

Primis literarum fundamentis in patriâ jactis, *Wittenbergæ* artium liberalium & Poëtices ſtudio Juriſprudentiæ cognitionem junxit.

Perluſtravit & alias *Germaniæ* Academias, & in ordinem Juriſconſultorum adſcriptus eſt. *Juriſconſultus.*

Moguntiæ poſteà in numerum Profeſſorum cooptatus, Jura publicè docuit. *Profeſſor Juris.*

Hinc ad ſummum Imperii tribunal, quod *Spiræ* habetur, vocatus, interque Aſſeſſores illius eſt receptus A. 1563. *Aſſeſſor Cameræ Spirenſis.*

Ex hâc diſceſſit vitâ *Spiræ Nemetum* 5. Maji A. 1578. ætat. 63. *Moritur.*

Fuit hic Poëta, Juriſconſultus, Comes Palatinus, Cameræ Imperialis aſſeſſor per annos 15. undè apparet, benè & hunc de patriâ & Republicâ literariâ meritum.

Scripſit:

Oden ad Deum pro tranquillando Chriſtiani orbis ſtatu. *Scripta.*

Librum Miſcellaneorum.

Epigrammata quædam.

Introductionem Arithmeticæ.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

JACOBUS LERSNERUS.

Obiit A.C. 1576.

HIc *Marpurgenſis* inter *Marpurgenſes* excelluit unus è multis, civilis ſapientiæ conſultus, quam etiam vivâ voce in Academiâ hâc propagavit. Ideòque hisce præſidiis inſtructior anno 1556. dignitatis ſupremæ in utroque Jure cepit inſignia, diſtribuente *Oldendorpio* & Principe ipſo *Heſſorum* præſente, qui id poſt reditum è cuſtodiâ Cæſaris Conſiliarii ſui dederat honoris, ut huic renunciationi ipſemet intereſſet, hominemque torque aureo, virtutis ergò, donaret. *Profeſſor Juris.* *Doctoris inſignia cepit.* *Principis Haſſici Conſiliarius.*

Vices quoque Cancellarii defuncto *Ferrario* in Academiâ *Marpurgenſi*, & A. 1575. pro agnato *Hermanno Lersnero*, cum is Comitiis intereſſet *Ratisponenſibus*, Prorectoratum ſuſtinuit. Demùm anno 1579. Martii 5. placidè exſpiravit. *Cancellarii vices juſtinuit.* *Prorector Academiæ.* *Moritur.*

* *Ex MSS. Marpurg.*

ANTONIUS FUMEUS.

Clar. A.C. 1580.

FUmeorum gentem olim equeſtrem primus ad munera togæ tranſtulit *Adamus Fumeus*, qui *Ludovico XI.* Rege ſupremam Juris *Gallici* Præfecturam adeptus eſt.

Ab eo repetebat originem hic *Antonius*, ingenio ad omne literarum genus feliciter natus. Itaque non iis contentus diſciplinis, quæ ad honores in Republicâ ſuſcipiendos per avita paternaque faſtigia viam illi ſternerent, Philoſophiam quoque & politiores Muſas magno ſtudio his adjecit.

Circumferuntur & maximè probantur à doctis nonnulla ejus Poëmata, nondum quidem typis mandata, ſed ſive ſermonis *Poëmata ſcripſit.*

leporem, ſive ſententiarum varietatem ſpectemus, hominum luce digniſſima. Scripſit & Oratione ſolutâ quædam paris elegantiæ.

Senator Regis Galliæ.

In Republicâ verò Senatoriisque muneribus obeundis, cum admirabilem præferret eruditionis & fidei præſtantiam, urgente bello Civili tertio, Legatus in *Auſtriam* à Rege *Carolo IX.* miſſus eſt, ſi copiæ *Germanorum* auxiliares, quas in ſuam pernitiem conſcribi Rex audiverat, Cæſaris auctoritate retineri poſſent, & à *Galliæ* finibus prohiberi.

Legatus.

Conſiliarius Regis Henrici III.

Exindè inſanctius illud Conſilium, ubi maxima totius regni negotia explicantur ab *Henrico III.* Rege aſſumptus eſt; cujus juſſu profectus in *Arverniam* de maximis Reipublicæ negotiis, dum peractâ Legatione *Lugdunum* contenderet, collectâ ex itineris laboribus ægritudine nondum ſenex animam emiſit.

Moritur.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum in Galliâ Scævolæ Sammarthani.*

CONRADUS MATTHÆUS.

Obiit A.C. 1580.

A*lsfeldiæ*, *Haſſiæ* oppido, natus eſt An. 1519.

Filius Senatoris,

Patre cognomine, Senatore, Matre *Eliſabethâ Hultſcherâ*.

Philoſophiæ Magiſter,

A. 1532. *Marpurgum* ad Scholam haud ita pridem apertam miſſus, ibi Magiſter Philoſophiæ creatus eſt An. 1536. ætatis 18. Statim deindè in Pædagogæo Grammaticam & alias artes docuit.

& Profeſſor.

A. 1551. In Collegium Profeſſorum cooptatus, Hiſtoriam primùm, deindè Rhetoricam docuit. Intereà domi Jura quoque diſcere cœpit, & per annos complures patronum egit cauſarum civilium in curiâ *Haſſiacâ*.

Juris ſtudium amplectitur.

M. Aprili A. 1563. A *Johanne Oldendorpio*, unà cum *Nicolao Vigelio* & *Hectore ab Jeſsâ Marpurgi* Juris Doctor renunciatus eſt.

Doctor Juris.

Cum deindè Principes *Haſſiæ* commune judicium appellationum inſtituerent, *Matthæum* hunc *Arnoldo de Virmund* Præſidi inter alios adjunxerunt Adſeſſorem, in quo officio ad obitum usque fidelem ſe geſſit.

Aſſeſſor Judicii.

Statuta Academiæ *Marpurg.* condidit, inſtitutum antiquum de Diſputationibus pro loco Collegii impetrando renovavit, ut & legem illam, ne ſtudioſi in oppido arma geſtent.

Statuta Academiæ condit.

Fuit etiam Actuarius & Syndicus Scholæ, qui omnia digeſſit & procuravit.

Scholæ Syndicus Marpurg.

Inter hos labores, cum in autumno popularis & novus morbus celeriter per totam *Europam* vagaretur, eodem lentâ nimirum febri correptus, placidè exſpiravit *Marpurgi* 28. Nov. A. 1580. ætatis 61.

Moritur.

Sepultus ibidem cum hoc Epitaphio G. *Sohnii*, generi ſui:

Epitaphium.

Stirpe patris, virtute, fide, pietate, Scholarum
Arte, fori ſtudiis conſilióq́; gravis:
Multiplicíq́; potens geminâ de Conjuge prole,
Hîc ſua Conradus buſta Matthæus habet.
G. Sohn, D.

Ex gemino conjugio filios reliquit *Philippum Matthæum*, J.C. patris ſucceſſorem, *Henricum*, Eccleſiaſten *Palatinum*, *Johannem*, Archiatrum *Naſſovicum*, & *Antonium*, Jur. Prof. *Marpurg.*

Generos habuit *Georgium Sohnium*, Theol. D. & *Valentinum Forſterum*, trium Acad. *Marpurgicæ, Heidelberg.* & *Helmſtadianæ* J.C.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

HENRICUS SCHNEIDEWINUS.

Obiit A.C. 1580.

S*tolbergâ-Cheruſcus*, D. *Johannis Schneidewini* frater.

A. 1538. Ex Univerſitate *Wittenbergenſi*, ab Electore *Johanne Friderico*, in Aulam *Torgenſem*, exindè *Vinarienſem* vocatus, Conſiliarii munus annis 42. obiit.

Conſiliarius Vinarienſis.

Intereà in *Salanâ* conſtitutus primus Brabeuta & Promotor *Matthæum Weſenbecium*, utriusque Juris Doctorem 21. Febr. A. 1558. creavit. Tum Facultatis Juridicæ & Scabinatûs ab A.C. 1561. usque ad 1569. Viceordinarius, nimirum D. *Petri Premi*, primi ordinarii Vicarius & Locumtenens, Aſſeſſor etiam fuit in Curiâ Provinciali, quæ *Jenæ* A. 1566. ſolenniter inchoata eſt.

Juris Profeſſor Jenæ.

Aſſeſſor Curiæ Provincialis.

E *Salanâ Arnſtadium* ad Cancellariatum evectus abiit, & in tranſitu redux *Jenæ* defunctus 7. Maji A. 1580. ſed ex voto *Arnſtadii* ſepultus eſt ſexagenarius.

Cancellarius Arnſtadii.

Moritur.

Ejus contoralis fuit *Anna*, filia *Wolfgangi Reyſſenbuſchii*, U. J. D. Præceptoris *Lichtenbergenſis*, & Electoris *Saxoniæ* in Aulâ *Torgenſi* Conſiliarii. Ex privatis reditibus aliquot adoleſcentibus animum ad ſtudium Theologicum applicaturis, ex magnâ liberalitate dari quotannis Stipendia ordinavit, quæ etiamnum *Schneidewinia* dicuntur, & à Senatu *Vinarienſi* ſolvuntur.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jen. M. Adriani Beyeri*, qui hoc ei adſcripſit *Epigramma*:

Epigramma.

Ancipites caſus liteſq́; Vicarius æquè
Ponderat, & dirimit per duo luſtra graves:
Henricus celebris Juris conſultus & Æqui
Schneidewein/ Græcis dictus is Οἰνοτόμος.

FRIDERICUS SCHENCKIUS.

Obiit A.C. 1580.

F*ilius Georgii Schenkii à Tautenbach*, *Friſiæ* quondam, & Territorii *Groningani* Gubernatoris, & aurei Velleris Equitis. Factus ex Præpoſito D. *Petri*, LXI. Epiſcopus *Ultrajectinus*, ejusque nominis V. ſucceſſit *Georgio Egmondano* 13. Nov. A. 1561. Annum agens 17. Laureâ Juris Doctorali inſignitus fuit.

Epiſcopus Ultrajectinus.

Doctor Juris.

Anno ætatis verò 22. *Carolo V.* Imperatori ab arcanis Conſiliis eſſe meruit. Cameræ Imperialis *Spiræ* quadriennio amplius

Conſiliarius Cæſareus Caroli V.

Præſes

Præſes fuit, Vir magnæ diligentiæ, humani Divinique Juris peritiſſimus. Obiit tandem 25. Aug. A. C. 1580. ætatis 87. Sepultus in D. *Martini*.

Moritur.

Scripſit:

Scripta.

Progymnaſmata Fori.
Viridarium Concluſionum Juridicarum.
Interpretationes in Lib. III. Feudorum.
De Officio Epiſcopali.
De Actis Civilium Judiciorum.
Dialogum contra temulentos.
Triadem Forenſem, Judicis, Actoris, & rei.
De vetuſtiſſimo Sacrarum imaginum uſu in Eccleſiâ Catholicâ.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Clar. A.C. 1580.

GEORGIUS RATALLERUS.

IN *Friſiâ Leowardiæ* natus circa An. Chr. 1518. *Ultrajecti* ſtuduit ſub *Georgio Macropedio*.

Lovanium primùm, deindè *Gallicas* & *Italicas* Academias adivit. In patriam redux, à *Carolo V.* Imper. in Senatum magnum *Machlmiæ* cooptatus, Supplicum Libellorum Magiſter conſtitutus eſt.

Libellorum Supplicum Magiſter.

Non multò pòſt à *Margarethâ Parmenſi* Legatus miſſus ad Regem *Daniæ*, & re feliciter actâ reverſus, *Ultrajecti* Senatûs Regii Præfectus renunciatus eſt, ubi & diem ſuum obiit ex morte repentinâ in ipſâ Curiâ, 1. Oct. A.C. 1580. ætat. 62.

Senatûs Regii Hiſpaniæ Præfectus.
Moritur.

Scripta ejus hæc ſunt:

Scripta.

Heſiodi Opera & Dies Latinè Carmine Elegiaco.
Epigrammatum Lib.
Sophoclis Tragœdiæ omnes Latinis verſibus expreſſæ.
Ejuſdem Fabulæ III. Latino Carmine.
Euripidis Tragœdiæ III. Phœniſſæ, Hippolitus coronatus, & Andromacha Carminicè.
Fragmenta ex veteribus Græcis Poëtis apud Stobæum, eodem metri genere expreſſa.
Elegia & Epitaphia in Obitum Guilielmi Canteri.
Catalogus brevis omnium Toparcharum, qui ditionem Ultrajectinam ſub Carolo V. Imp. & Rege Philippo II. gubernârunt. Itemque Præſidum, qui ſupremo Senatui præfuerunt.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1580.

CONRADUS MATTHÆUS.

A*Lsfeldiæ*, quod *Haſſiæ* ſuperioris non obſcurum oppidum, natus An. 1516. non ignotâ *Matthæorum* familiâ, quam primùm per ætatem potuit à parentibus piis, & de filio rectè educando ſolicitis in patriâ Scholâ Magiſtris traditus, Grammaticæ initiis imbui cœpit.

In Scholâ patriâ Grammaticæ fundamenta poſuit.

Poſtmodùm cum *Marpurgenſe* aperiretur Lycæum, ætatis anno 12. eò miſſus, ut quæ domi didicerat, illic in Pædagogêo excoleret uberiùs, uſumque ipſum perciperet.

Marpurgum miſſus eſt.

Sic itaque cum biennium hoc in ſtudio laborâſſet, ut primùm ex pueris exceſſit, ex hoc pulvere eluctatus, & ad publicas admiſſus lectiones, majori ſeſe operâ ad audiendum, legendum ſcribendumque dedidit eo ſucceſſu, ut triennio pòſt illius ſeculi more primâ, quam Baccalaureatus vocant, & altero biennio exacto, cum jam 18. eſſet natus annos, ſecundâ laureâ, quæ Magiſterii dici ſolet, donaretur.

Baccalaureus Philoſophiæ.
Philoſophiæ Magiſter.

Atque ita quidem brevi temporis ſpatio encyclopœdiâ abſolutâ eo ipſo, quem diximus, anno in Pædagogêo eas artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari conſvevit, tradere cœpit, eoque in munere difficili ſanè & perquàm moleſto, non, quod infimi ſolent homines, veluti mercedulâ aliquâ adductus, ſed tanquam is, qui publicam utilitatem privatis commodis anteponens in inculto & derelicto ſolo ſereret fideliter, è quo uberrimos & lætiſſimos fructus aliquando ferret Eccleſia & Reſpublica, 11. annos verſatus eſt.

In Pædagogêo artes humaniores tradere cœpit.

Ideòque cum Academiæ Patribus induſtriam fidelem ac diligentiam ſatis ſuperque approbâſſet, ab iisdem Principis autoritate intercedente anno 1551. in Profeſſorum numerum cooptatus, & hiſtorias, quibus rerum veterum cum ſuperiore ætate contexitur memoria, applicare juſſus eſt.

Hiſtoriarum Profeſſor Marpurgi.

At cum anno tertio pòſt *Rodingus Melſungam* abiiſſet, in ejus locum ſuffectus, Rhetoricen, ſine quâ nihil vel graviter, vel amplè, vel copioſè dici poteſt & explicari, docuit deinceps.

Rhetoricam docere cœpit.

Cœteroquin etiamſi publicis his negotiis eſſet diſtrictus, tamen vim rerum cognitionemque, quæ è Philoſophiâ & Politicâ effloreſcit, & ab illo è Jure *Romano*, tanquam fonte perenni hauſta fuerat, cum oratione ſociare cupiens, ad ſummam J. U. lauream aſpiravit, eamque anno 1563. menſe Aprili, unà cum *Vigelio* & *Hectore* à *Johanne Oldendorpio* diribitore conſecutus, ſimulque à Principe inter primos ſummi Tribunalis *Haſſiaci*, quo in cauſis forenſibus provocatio eſt iis, qui aliis in curiis causâ ceciderunt, Aſſeſſores lectus, & unà cum Collegis ejuſdem Præſidi *Arnoldo* à *Viermunde* adjunctus eſt.

J. U. D. creatus.
Summi tribunalis Haſſiaci Aſſeſſor.

At quâ fide, ſanctitate & diligentiâ uſque ad extremum ſpiritum munus id ſuſtinuerit, hic dicere nil attinet.

Forenſia negotia non infinitis concertationumque plenis diſputationibus, ſed autoritate præcipuè & nutu legum conſtituebat, & ab alienis mentem, oculos, manum abſtinebat, ut eum veri juris & juſtitiæ Sacerdotem appellare poſſis.

In Republicâ quoque Academicâ quintum Rector, Decanus ter, quaterve, & demùm etiam ejuſdem Syndicus fuit, quas partes anno 1566. jubente ita Principe, ſuſcepit primus, ita pro ſalute publicâ, cujus non minima pars in inſtituendâ cumprimis rectè juventute vertitur, excubuit & vigilavit, ut nihil quicquam eorum committeret, quæ ad juventutis ſtudia promovenda quoquo modo facere viderentur.

Rector Academiæ quintum, Decanus quater, Syndicus verò primus extitit.

Ideòque cum perſpiceret, omninò facilè è juventutis uſu non eſſe, ſi ejuſdem induſtria nullis ſcientiarum cancellis & limitibus circumſcripta diſtraheretur in plura, id authoritate effecit ſuâ, ut cujuſque artis & diſciplinæ ſynopſes & epitomæ certo ordine deſcriptæ & informatæ, adeòque veluti aurificis ſtaterâ aliquâ, non autem populari quâdam trutinâ examinatæ proponerentur publicè, è quibus iſta uno quaſi intuitu vim naturarumque rerum ſcientiis & diſciplinis ipſis comprehenſarum perſpiceret, tantoque artem quamlibet animo complecteretur faciliùs.

Atque inter iſtas quidem curas cogitationesque ſtudia & rei domeſticæ difficultates, cum Aſſeſſoris, Senatoris, Decani, Rectoris & Pro-Rectoris dignitatem non ſine fidei, ſedulitatis & induſtriæ laude ſuſtinuiſſet, operamque ſuam plus minùs 43. Reipublicæ navâſſet, anno ſalutis 1588. catarrho epidemico, qui univerſam propemodùm invaſerat *Europam*, correptus, 28. Novembris ſupremum illud inivit iter, quo confecto, nulla ampliùs cura aut ſolicitudo reliqua eſt, liberis, in quibus cùm nominis memoria, tùm verò generis fulcrum poſitum eſt, dignitatis paternæ æmulis, & omni honeſtarum artium genere non mediocriter verſatis ſuperſtitibus *Philippo Matthæo*, J. U. D. Succeſſore, *Henrico*, Eccleſiaſte *Palatino*, *Johanne*, Archiatro *Naſſovico*, & *Antonio*, Juriſconſulto, & Academiæ *Marpurgenſis* Profeſſore, ut non immeritò cum *Bruto* apud *Ciceronem lib. de Claris Oratoribus* exclamare liceat: *O generoſam ſtirpem, & tanquam in unam arborem plura genera; ſic in iſtam domum multorum inſitam ſapientiam. Cadaver in ſummo templo conditum, in ſpe reſurrectionis futuræ requieſcit.* (*Moritur.*)

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

FRANCISCUS VENERIUS.

Obiit A.C. 1581.

PAtritius fuit *Venetus*, qui Philoſophicis ſtudiis innutritus, in adoleſcentiâ *de Voluntate*, *de Anima*, & *de Fato* vernaculâ linguâ Commentarios edidit. (*Scripta.*) Deindè in Republicâ Patriâ honores magnâ integritatis & Prudentiæ laude geſſit: (*Senator Venetus.*) etiam ſenex Academiæ *Patavinæ* inſtaurandæ præpoſitus, editis poſtremò de Generatione ſcriptis, ad meliorem vitam migravit anno exeunte 1581. (*Moritur.*) *Thuan. lib. 74.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES FICHARDUS.

Obiit A.C. 1581.

F*Rancofurti* ad *Mœnum*, Urbe Imperii liberâ, natus eſt A.C. 1511. parentibus honeſtis. Hic ubi prima in ludo, ut vocant, triviali linguarum & dicendi artium jecit fundamenta, tùm ad Philoſophiam ac humaniores diſciplinas, tùm verò inprimis ad Juris ſcientiam animum adjecit, eoque nomine *Friburgum Briſgoiæ* ad Gymnaſium, ejus doctrinæ laude tunc celebre, ſe contulit. (*Ad Gymnaſium Friburgenſe ſe confert.*)

Ibi inter alios eruditione inſignes Viros, *Zaſium*, Germanorum Juriſconſultorum facilè Principem, ei audire contigit, jam propè ſeptuagenarium, quo tempore, quanquam ob ſenium multa fuêre in illo remiſſiora, etiam vox ipſa, quod tùm edentulus eſſet, blæſior; ita tamen adhuc docendo ſcribit, eum viguiſſe, ita, quæ dicebat, vixiſſe omnia, ut juratus confirmet, neminem ſe ex *Germaniæ* & *Italiæ* Doctoribus audiviſſe, qui *Zaſium* vividâ illâ docendi ratione ſuperârit.

Contulit ibi tùm *Zaſius* in *Fichardum*, diſcipulum ſuum, tantum benevolentiæ, operæ ac ſtudii, quantum vix in alium quenquam. Itaque eodem *Zaſio* inſtigante, ſummum doctrinæ honorem petiit, atque unà cum *Johanne Sichardo* ſummum eum honorem, promovente *Zaſio*, ibidem eſt conſecutus. (*Fit Juris Doctor.*)

Deindè *Spiræ Nemetum*, in ſupremo Imperii *Germanici* tribunali, aliquandiu feliciter ſe exercuit. Demùm *Patavii* & *Bononiæ*, ubi eandem ſcientiam eſt profeſſus, cœteriſque *Italiæ* Academiis juris ſtudium plurimùm confirmavit, ac tandem Reipub. in patriâ Syndicus annis quadraginta quatuor clariſſimus fuit. (*Syndicus Francofurt.*)

Nominis ſui celebrationem longè latèq; protulit plurimis non modò veterum Juriſconſultorum commentariis, ſed & ingenii ſui monumentis pulcherrimis, & utiliſſimis collectaneis in publicum editis, decus & ornamentum eorum, quibuſcum vixit & patriæ, imò *Germaniæ* totius, & ſeculi ſui.

Tandem functus vitâ deceſſit *Francofurti* in patriâ, anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo, annum agens ſeptuageſimum. (*Moritur.*)

Encomium ejus decantavit *Lauterbachius* hiſce verſibus: (*Ejus Encomium.*)

Quanta ſit ingenii, Ficharde diſerte, facultas:
Quanta ſit innocuo vita pudore nitens;
Quæ virtus cœlum donans, pulcherrima rerum
Hinc Themidis quantum juſtitiæq; decus.
Tot præclara tui referunt monumenta laboris:
Inſignes morum tot ſuper orbe notæ.
Facta tot, humano, quæ commendantur ab ore,
Arbitrii leges conſiliiq; tui.
Ut nullos famâ pereas Ficharde per annos:
Ingenium, virtus, vita, Themisq; facit.

Scripſit: (*Scripta.*)

Periochen Vitarum recentiorum Juriſconſultorum, *ab Irnerio uſque ad ipſum Zaſium.*

Indices duos omnium Scriptorum in Jure tàm Pontificio, quàm Civili.

Ex Galenis libris Græcis Latinitate donavit,

De libris propriis.

De ordine librorum ſuorum.

De Præſagiis ex inſomniis.

Quomodo morbum ſimulantes ſint deprehendendi.

De Exercitatione parvæ pilæ.

Conſ-

Conſilium in morbo comitiali.
Tractatus cautelarum omnium Juriſconſultorum, qui hactenus cautelarum materiam ex profeſſo tractârunt.
* *Ex Melch. Adami Vitis Germ. JCtorum.*

JODOCUS DAMHOUDERUS.

Obiit A. C. 1581.

BRugis Flandrorum natus eſt, illuſtri familiâ, anno ſeptimo ſeculi decimi quinti: cumque ingenium felix ad capeſſendum literarum cultum appuliſſet: ita in jure civili verſatus eſt, ut excelleret. Cujus diſciplinæ cum prior pars ſit Theoretica, finis verò Praxis: *Damhouderus* in hâc potiſſimum elaboravit, & inclaruit, libris illis, de rerum criminalium uſu, ad quos, tanquam ad lydium lapidem, verum à falſo in litibus diſcernatur, publicatis. Quorum fama *Carolum V.* Cæſarem impulit, ut auctorem intimis conſiliis & ſcriniis adhiberet, ac equeſtri honore amplisque præmiis decoraret, quæ eadem *Philippus*, *Carolo* ſuccedens, ut erat beneficentiæ nomine clarus, auxit.

Conſiliarius Cæſareus.

Tandem ætate ad ſenium deflexâ, pietate & religionis amore adductus, ſacris ſe ſtudiis impendit, & parænesses Chriſtianas, ſpeculumque conſcientiæ conſcripſit, quorum hoc morte præventus prælo committere non potuit.

Vixit quoque cœteris aliquando beatiùs, quartum videlicet & ſeptuageſimum ingreſſus annum, ut non niſi dierum & meritorum plenus, clarioris tituli munere dignus haberetur.

Epitaphium.

MEMORIÆ POSTERITATIS S.
HOSPES SEPULCHRUM VIDES VIRI A SE ET MAJORIBUS CLARISS. JODOCI DAMHOUDERI, EQUITIS AURATI:
QUI PER ANNOS TRIGINTA, IN BELGIO CONSILIARIUS FUIT IMPER. CAROL. V. ET PHILIPP. II. REGIS: CUJUS CURÆ RES FISCI CREDITA CUM FIDE ADMINISTRATA EST: QUI JUSTITIÆ SUMMUS CULTOR, SCELERUM VINDEX ACER, ETIAM PRÆFECTURAM GESSIT LITORIS FLANDRICI EXERCENDIS VIVERRIS. OBIIT XI. KAL. FEB. clↄ Iↄ LXXXI.

Edidit:

Scripta.

Enchiridion rerum criminalium vulgò *Practica.*
Praxin Rerum Civilium.
Parænesses Chriſtianas.
Pupillorum Patrocinium.
Subhaſtationum Exegeſin.
Declamationem panegyricam in laudem Hiſpaniorum negociatorum.
Promptuarium Theologicum Morale & Politicum.
De Peregrinatione hominis Chriſtiani ex hâc vitâ.
* *Ex Melchioris Adami vitis JCtorum Germanorum & aliis.*

JOHANNES HEINCENBERGERUS.

Obiit A. C. 1581.

WEtzlariæ, Urbe Imperiali, natus eſt 21. Aug. A. 1531.

Patre cognomine Senatore, Viro literato, Matre *Annâ Babenbuſanâ.*

In Scholam patriæ ductus celeriter elementa literarum hauſit, &, quod mireris, cum in pueritiâ usque ad annos adoleſcentiæ balbus fuiſſet, deinceps tamen ſummam laudem eloquentiæ conſecutus eſt. Puer à patre *Weilburgum*, opp. in ditione Comitum *Naſſovienſium* diſceſſit, ubi tunc literæ non infeliciter tradebantur.

Balbus fuit puer.

Mox in Pædagogium *Marpurgenſe* ablegatus, ibi in Philoſophiâ Præceptores habuit *Lonicerum* patrem, & *Caſp. Rudolphi* tanto cum ſucceſſu, ut An. 1548. primâ in Philoſophiâ laureâ, & 1550. Magiſterii gradu publicè ornatus eſſet.

Marpurgum mittitur.
Magiſter Philoſophiæ.

Tum ad Jurisprudentiam animum applicans, *Joh. Ferrarium* & *Joh. Oldendorpium*, J. C. celeberrimos avidè ſectatus eſt, inter alios commilitonem habens *Reinhardum Schefferum*, cum quo deinceps per omnem vitam amicitiâ junctus fuit.

Ferrarium & Oldendorpium audit.

A. 1555. *Marpurgi* cum *Ægidio Mummerio* Doctor Juris ſolenniter creatus eſt, cum jam ante annos aliquot uxorem duxiſſet filiam *Conradi Heſſi*, dicti *Buſſeck*, qui ſub *Carolo V.* cum *Roma* caperetur, A. 1527. ſtipendia fecit, deinde ordines ſub *Haſſiæ* Principe duxit, tandem Prætor oppidi *Marpurgi* obiit.

Doctor Juris.
Uxorem ducit.

Deindè publicè leges docuit & praxin tùm in patriâ, tùm alibi exercuit.

Praxin Juris aggreditur.

A. 1563. Miſſus eſt ad Imperatorem *Maximilianum II.* apud quem cum horas aliquot perorâſſet, auditorum ipſiusque Cæſaris animum in ſui admirationem & amorem traxit.

Mittitur ad Maximilianum II.

In reditu tum ab Electore *Saxoniæ*, tum ab aliis Rebuspublicis ac Principibus variis expetitus, patriæ inſervire maluit, *Philippo*, *Haſſiæ Landgravio*, conſiliis ſuis, & ad varia Comitia legationibus inſerviens.

Expetitur à multis.

A. 1567. *Ludovicus Landgrafius* ad *Haſſiæ* gubernationem evectus, hunc Conſiliarium primarium, & paulò pòſt Curiæ Cancellarium declaravit.

Conſiliarius & Cancellarius.

Cum autem in hoc officio longo ſatis tempore vixiſſet, in cogitationibus & curis perpetuis valetudinem afflixit, & multos annos doloribus arthriticis afflictus, tandem vitam placidè & piè clauſit 3. Februarii A. 1581. ætat. 50.

Moritur.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

TIBERIUS DECIANUS.

Obiit A. C. 1581.

PAtritius, Comes & Eques *Utini*, Civitate *Fori Julii*, natus eſt A. C. 1508.

Patriæ ſuæ magiſtratibus honorificè perfunctus, nec rarò ad Senatum *Venetorum* Legatus miſſus, pro privilegiis *Utinenſibus* conſervandis præclare ſe geſſit.

Senator Utinenſis.

Vene-

Advocatus Venetiis. *Venetiis* in foro cauſas defendit, dehinc Aſſeſſor *Vicentiæ Laurentio Venerio*, *Patavii Bernhardo Naugerio* poſteà Cardinali, & *Veronæ*, *Franciſco Venerio*, qui ad Principatum Reipublicæ *Venetæ* elatus eſt, fidelem operam præſtitit.

Juris Profeſſor Patavii. A. 1549. Extincto *Marco Blanco Patavino*, Criminalium Juris Interprete, à Moderatoribus Gymnaſii in ejus locum ſubrogatus eſt.

A. 1551. Cum *Hieronymus Cagnolus* vivere deſiiſſet, ad Lecturam Juris Civilis ordinariam de manè aſſumtus eſt, habuitque Collegas *Marcum Mantuam*, *Bonavitum Patavinum*, & *Jacobum Menochium Ticinenſem*.

Moritur. Filios relinquens ſuperſtites *Nicolaum*, J.C. *Job. Franciſcum*, & *Roncadinum*. Obiit *Patavii* A.C. 1581. ætat. 73. 7. Febr. Sepultus in Eccleſiâ *Carmelitarum*.

Oratione funebri laudatus ab *Antonio Riccobono*.

Edidit:

Scripta. *Conſilia*, vel *Conſultationum Volumina V.*

Reſponſorum Volumina III.

Tractatus Criminales, *duobus Voluminibus comprehenſos*, *à propinquis editos*, *miràque doctrinâ refertos*.

Apologiam pro Reſponſis J.C.rum adversùs Andream Alciatum.

Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.

Epitaphium. Sepulchro ejus, cum ſtatuâ, hoc *Epitaphium* legitur inſcriptum:

TIBERIO DECIANO,
PATRITIO UTINENSI,
COMITI, EQUITIQUE CLARISSIMO,
JURISPRUDENTUM CONSULTISS. ORATORI ELOQUENTISS. LITIUM IN PRÆTORIIS PROVINCIIS DIJUDICANDORUM DISCEPTATORI ÆQUISS. ET IN PATAVINO GYMNASIO SUBMOTA ÆQUALITATE SUPREMAM CUM SEMPITERNA GLORIA DIGNITATEM CONSECUTO: CUM A SERENISS. REP. VENETA, UT SIBI IN REBUS DE JURE PERTRACTANDIS, OBLATO, SUPRAORDINARIO INTERPRETIS LOCO AMPLISS. PROEMIIS AD URBEM ACCERSERETUR, CUM SUMMO OMNIUM MOERORE, ANNO ÆTATIS SEPTUAGESIMO TERTIO SANCTISS. MORTUO,
NICOLAUS J.C. JOH. FRANCISCUS RONCADINUS PATRI PIENTISS. MONUMENTUM HOC FAC. CUR. OBIIT VII. ID. FEBR. MDLXXXI.

Hîc cineres magni Deciani, ſufficit illud:
Diſces audito nomine quantus erat.

VALENTINUS VOLZIUS.

Obiit A.C. 1581.

ORe *Valentinus* vivebat *Volzius* illo,
Addens dimidio luſtra peracta novem.
Horba Hobeberga illi vitæ dedit orſa: parentes
Hunc voluêre ſacræ *Palladis* arma ſequi.
Studioſus Argentorati. Hinc *Argentinam* cauſâ miſêre ſtudendi:
Hic *Sophiæ* plenas impiger hauſit aquas.
Friburgi. Poſt *Friburgenſem* fuit ire coactus in Urbem,
Sic patriâ impulſus relligione fuit.
Ingolſtadii. Sic *Ingolſtadium* cauſâ conceſſit eâdem:
Hic illi magno culta labore *Themis*.
Pectore ſed tandem petit haud trepidante *Tubingam*,
Ad portum ſtudium ducit ibique ſuum.
Tubingæ Juris Doctor. Fit Doctor Legum: privato munere Jura
Explicat, & laudum cœpta ſecunda videt.
Feudorum Profeſſor. Denique Feudorum clarâ ſtatione Profeſſor:
Factus inexhauſto flumine Jura docet.
Hunc fuit Auditor magno complexus amore
Plurimus; hæc ejus gratia vocis erat.
Magnifici quoties Rectoris munere functus
Eximiâ functus dexteritate fuit.
Conſiliarius Onolsbacenſis. Fama Viri ſparſa: fit Conſiliarius abſens,
Marchio *Onolspachi Görg-Friderice*, tuus.
Quàm piùs? & patriæ quantus deſertor, amator
At noſtræ quantus relligionis erat?
Quod ſi fata virum non invidioſa tuliſſent
E medio (placidâ morte, piâque tamen)
Jamdudùm illius tetigiſſet ſidera nomen:
Tanto Juridicus nomine Doctor erat?
Sed benè quod vixit, docuit benè mortuus: annon
Hoc ſatis eſt laudum? nominis hoc ſatis eſt?

Morit. Obiit *Tubingæ* Jur. Prof. ordinar. 26. Sept. A.C. 1581.

Alluſio ad nomina ſub ejus effigie poſita.

Conſiliis, *pietate*, *fide*, *profitendo* Valebam;
Ut Volſci *bello*, *ſic ego Jure potens.*

* *Ex Elogiis Profeſſorum in Academiâ Tubingenſi Carminicè editis ab Erhardo Cellio Hiſtor. & Poëſ. Prof.*

PHILIPPUS GEUDERUS.

Obiit A.C. 1581.

EX antiquâ & nobili *Geuderorum* familiâ *Henricus*, *Hermanni* filius, civis & Patritius *Norimbergæ* primus eſt factus An. C. 1349. & poſteà An. 1366. Arcis Præfectus.

Filius Sebaldi. Ab hoc *Henrico* 15. deindè Senatoris primarios Urbs vidit deſcendentes, & inter hos *Sebaldum Geuderum*, aulæ quondam Epiſcopalis *Conſtantienſis* Gubernatorem, cui circa A.C. 1538. ex *Afrâ* conjuge Dom. *Bartolomei Welſeri*, Senatoris Auguſtani & Conſiliarii Imp. *Caroli V.* filiâ nati fuêre *Ludovicus Erneſtus*, *Antonius*, & hic *Philippus*: *à Philippo Melanchthone laudatus.* cui 14. annorum adoleſcenti *Philippus Melanchthon* A. 1552. *Norimbergæ* tranſiens ad Concilium *Tridentinum*, propter ingenii præſtantiam laudem ſingularem præ commilitonibus ſuis attribuit.

Juris ſtudioſus in Italiâ, A. 1553. Cum fratre *Antonio Patavium* in *Italiam* profectus, ibi, & poſteà *Bononiæ*, auditor *Matthæi Gribaldi*, & *Mariani Socini* fundamenta in ſtudio Juridico poſuit egregia.

& Galliâ. A. 1556. In Academiâ *Bituricenſi Gallorum* J.C. celebrem *Franciſcum Duarenum* audivit Jura docentem, privatum tunc unà cum fratre

Diſcipulus Nicolai Ciſneri, JCti. fratre *Antonio* ſortitus Præceptorem *Nicolaum Ciſnerum*, Judicii poſteà *Spirenſis* Aſſeſſorem. Patriæ redditus, A. 1561. in ultimo Tornamento *Norimbergæ* habito cum aliis Patritiis ſtrenuum ſe exhibuit.

Senator Noribergenſis. Septemvir & Triumvir. An. 1565. In Ordinem Senatorium cooptatus, A. 1575. ætatis ſuæ 37. inaudito anteà exemplo Septemvir, & An. 1579. Triumvir creatus eſt.

Referunt etiam quidam, eum Duumviratum ſibi oblatum modeſtè recuſâſſe.

Wilhelmi Landgrafii Haſſiæ encomium. Cum aliquando Reipublicæ ſuæ nomine Legatus ad *Wilhelmum Haſſiæ Landgrafium* veniſſet, itàque egiſſet, ut voluptati pariter atque admirationi fuiſſet omnibus, dixiſſe Principem illum ferunt ad ſuos: Non ſe exiſtimare *Venetorum* Senatui *Noribergenſem* poſtponendum eſſe, ſi plures *Philippos Geuderos* haberet.

Apoplexiâ obiit. In prædio ſuo tandem *Heroltsbergæ* apoplecticus obiit 2. Octob. A.C. 1581. æt. 43.

Antonii Geuderi encomium. Frater ejus Antonius non minùs eruditione excellens, nec Juris modò, ſed Linguarum etiam *Græcæ*, *Latinæ*, *Italicæ* ac *Gallicæ* peritus, A. 1582. poſt obitum fratris *Philippi* Senator in patriâ electus, & tandem Septemvir factus, fratrem ætate ſuperans obiit 16. Martii A.C. 1604. ætatis 65.

* *Ex Concione funebri Antonio Geudero Heroltsbergæ habitâ ab Andr. Hænlino.*

BERNHARDUS COPIUS.

Obiit A.C. 1581.

Natione *Weſtphalus*, *Strombergæ*, *Monaſterienſis* Diœceſeos oppido, natus anno 1525. patre *Bernhardo Copio*, viro literato, *Hervordenſis* primùm, deindè *Lemgovienſis* Scholæ Rectore, & poſteà in patriâ verbi Divini miniſtro, *Coloniæ Johannem Oldendorpium jura docentem audivit*, *atque Gabrielem Mudæum Lovanii*.

Coloniæ & Lovanii jura docere audivit.

Operam ſuam exhibuit aliquot Scholis. Primam operam ſuam exhibuit Collegio *Buſtorpiano Padebornæ*, alteram Scholæ *Monaſterienſi*, tertiam *Tremonienſi*, quartam denique *Lemgovienſi*.

Marpurgi privatim docuit. Poſtmodò ejuſmodi pertæſus laborum, *Marpurgum* concedens A. 1566. mox privatim docendo eum ſeſe exhibuit, ut defuncto *Johanni Lonicero*, in Profeſſione Græcæ Linguæ ſurrogatus anno 1569. publicè & hic doceret juventutem.

Græcæ Linguæ Profeſſor.

Erat enim Vir *Hebrææ*, *Græcæ* & *Latinæ* Linguæ peritiſſimus, Theologiæ ſcientiâ multis, qui eam profeſſi ſunt, ſuperior, ſummoque præditus ingenio, eloquentiâ, conſilio & ſapientiâ ſingulari, qui omnem operam & laborem non in Philoſophiæ, quàm hâc in Academiâ è tenebris veluti productam atque caligine in luce ſtatuit, atque oculis omnium, modò ſtudiis, verùm etiam Juris Civilis diſciplina, quam ne incompta prorſus videretur, eloquentiæ dote locupletavit & ornavit, conſumendum judicavit ſibi.

Ideòque hiſce belliſſimis veluti ſubſidiis inſtructiſſimus, cum ad eam, quæ literarum ſtudiis emergere poteſt uberrima, laudem ſpirâſſet, 16. Octobris anno 1567. ſummum in utroque jure dignitatis gradum aſſecutus locum inter ſummi tribunalis *Haſſiaci* judices tenuit, & menſe porrò Septembri proximè ſequentis anni extra ordinem dicendi munus, quod ei hâc lege deferebatur, ne lectiones, quæ ordine conſtitutæ eſſent, ullo modo interpellaret, adiit. Sed paulò poſt, anno videlicet 1569. Græcas literas in Philoſophorum numerum adſcriptus docere cepit, tertiâque adeò vice illius Facultatis egit decurionem.

Juris Doctor proclamatus ſummi tribunalis Haſſiaci Judex.

Juris Profeſſor Extraordinarius.

Facultatis Philoſophicæ tertiâ vice Decanus.

Tandem cum anno 1580. *Forſterus Heidelbergam* abiiſſet, ad Jureconſultorum menſe Auguſto traductus ſubſellia, in Inſtitutionibus Juſtinianeis explicandis operam poſuit.

Inſtitutionum Profeſſor.

Verùm anno proximè inſequenti menſis Decembris die 12. literarii ſui otii ſymbolis ideâ Philoſophicâ Platonis docendi methodum conſcriptâ, & orationibus aliquot relictis doctiſſimis, peſte cum omnibus ſuis, unâ tantùm filiâ ſuperſtite, extinctus, & authoritatis & prudentiæ ſuæ triſte omnibus deſiderium reliquit.

Scripta aliquot reliquit.

Peſte mortuus eſt.

Corporis, quas poſuit, exuviæ, cœmiterio ante *Franciſcanam* portam conditæ quieſcunt. *Copio* luculenta oratione parentavit *Hermannus Vultejus* ſub finem ejuſdem menſis.

* *Ex MSS. Marpurg.*

CASPAR FABIANUS.

Obiit A.C. 1582.

Civis *Patavinus* ad Jus Canonicum veſpertinum interpretandum A.C. 1560. in locum *M. Antonii Zabarellæ* fuit electus, Vir donec vixit ab omnibus tanquàm alter *Ariſtides* juſtiſſimus celebratus, ita ut non ſolùm ad eum publicè docentem plurimi ſtudioſi confluerent, verùm etiam ad ejus judicium, tanquàm ſapientiſſimum, maximus undique concurſus fieret, atque in eo prorſus omnes conquieſcerent.

Juris Canonici Profeſſor.

Diu tenuit primum locum Juris Pontificii veſpertini explicandi, qui eo extincto datus eſt *Sebaſtiano Monticulo Vicentino* A. C. 1582.

* *Ex Lib. II. Commentario. de Gymnaſio Patavino Antonii Riccoboni.*

SEBASTIANUS MONTICULUS.

Claruit A. C. 1582.

Vicentinus, propter aſſiduum ſtudium magnamque ingenii perſpicacitatem ad quamlibet de Jure quæſtionem decidendam vir idoneus, electus eſt primùm ad interpretandum textum, gloſſam & *Bartolum* horis matutinis An. 1562. poſteà ad explicandas Inſtitutiones *Juſtiniani* A. 1565. undè traductus ad Jus Canonicum veſpertinum A. 1576. in locum *Ottonelli Diſcalcii*, qui *Donato Fine* ſucceſſerat ad Criminalia explananda.

Juris Profeſſor Patavii.

Denique à ſecundo loco Juris Pontificii veſpertini ad primum, quem tenuerat *Caſpar Fabianus*, A. 1582. translatus eſt.

Scripta.

Extat ejus *Commentarius in tres titulos Inſtitutionum de rerum diviſione, de rebus corporalibus & incorporalibus, de actionibus.*

Tractatus de Inventario hæredis, cum gloſſemate ad Legem ultimam capite Codicis de jure deliberandi: & cum altero gloſſemate ad Autenticum de hæredibus, & Falcidiâ: & cum Antiphanutio, hoc eſt, *Deſenſione ejusdem adverſus Phanutium.*

* *Ex Libro II. Gymnaſii Patavini, deſcripti ab Antonio Riccobono.*

Obiit A.C. 1582.

MARCUS MANTUA BONAVITUS, vel BENAFIDIUS.

Filius *Johannis Petri Benavidii*, Medici, natus eſt *Patavii* A. C. 1489.

Cauſarum Forenſium aſſer.

Florente ætate vir brevis ſtaturæ, ſed judicii maximi, prætorio addictus, publicas Fori cauſas tum Civiles tum Criminales pro tutelâ pupillorum & pauperum mirâ pietate & eloquentiâ defendit.

Patriæ ſuæ lætitiam Sereniſs. *Franciſco Donato* in Principatûs ſui limine legatus aperuit *Venetiis* A. 1545.

Juris Interpres per 60. annos Patavii.

Juris Civilis & Canonici per 60. annos in Patrio Gymnaſio interpretem egit, Collegis *Ludovico Gometio Hiſpano, Vincentio Dollochio Bononienſi, Hieronymo Cagnolo Vercellenſi*, & *Tiberio Deciano Utinenſi.*

Comes & Eques ter creatus.

A *Bononienſibus* in ſuam Academiam, & à *Paulo III.* Pontifice Maximo, ut in *Romanæ* Rotæ auditores connumeraretur, fruſtrà accerſitus: ter Comes & ter Eques creatus eſt, An. 1564. à *Pio IV.* Pontifice Maximo A. 1545. ab Imperatore *Carolo V.* & A. 1561. ab Imperatore *Ferdinando.*

Profeſſor Supraordinarius Patavii.

Reſpublica tandem *Veneta* ſupremum in Scholâ *Patavinâ* dignitatis locum ei A. 1674. conceſſit, permiſsâ facultate legendi quando & quoties liberet, quem *Patavini* Supraordinarium vocant. A. 1572. Ad Jus Canonicum matutinum interpretandum in locum *Jacobi Menochii* traductus eſt.

In Palatio ſplendidè habitat.

Cum ſplendidè *Patavii* vixiſſet, Muſarum & Muſicæ Patronus, ædesque Principe dignas, quà picturis, quà monumentis antiquitatis illuſtres propè Cœnobium *Eremitanorum* exſtruxiſſet, obiit tandem *Patavii* A. C. 1582. ætatis 93. Prof. publ. 60.

Moritur Patavii.

In funere celebratus ab *Antonio Riccobono*, conditus jacet in Templo *Eremitanorum.*

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini, & ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

Scripta.

Libri ab eo ſcripti ſunt ſequentes:

Conſiliorum Tomi II.
Apophtegmata Legalia 700.
Collectanea ſuper Jus Cæſareum.
Problemata Legalia Lib. IV.
Centuria Praxis Judicialis.
Juris Prælectiones Civilis & Canonici.
Tractatus de Legitimâ filiorum.
De Pupillorum favoribus.
Suaſoria Legis Oppiæ ad compeſcendum muliebrem cultum.
De illuſtribus Juriſconſultis.
Obſervationes Legales Libri X.
De Liberationis & Libertatis favoribus.
Polymatiæ Libri XII.
Æquilibrium pro jure candidandis.
Locmorum commun. Lib. III.
Iſagoge Diſputandi de Jure. in 8vo.
Iſagogicus modus ſolvendi quoscunque argumentorum nodos.
De Privilegiis militaribus.
Enchiridium rerum ſingularium.
Dialogi de variis ſenſibus Divinarum humanarumq. literarum.
Dialogus de Concilio in 4to.
Trattato del Duello.
Encomium Sacerdotii.
Baſſanellus, Areopagita, & Groſſaria.

In Sepulchro ejus ſplendido hoc legitur Epitaphium:

Epitaphium.

MARCUS MANTUA BENAVIDIUS, PATAVINUS JURISCONSULTUS, JO. PETRI MEDICI FILIUS, SACRI LATERANENSIS PALATII AULÆQUE IMPERIALIS COMES ET EQUES, JURIS PONTIFICII SUPRAORDINARIUS,
EX PRÆSENTIBUS FUTURA PROSPICIENS PRÆTER COETERA MAUSOLEUM HOC SIBI VIVENS FIERI CURAVIT MENSE MAJO M D XLVI. VIXIT ANNOS LXXXXIII. MENSES VI. DIES VIII. SEXAGINTA PUBLICE DOCUIT.
PROXIME VERO A SENATU SUPRAORDINARII MUNERE DONATUS OCTO INTERMISIT. OBIIT QUARTO NONAS APRILIS M D LXXXII.

Obiit A.C. 1582.

CHRISTOPHORUS THUANUS.

Thuana gens antiquæ nobilitatis à *Thuano, Campaniæ Belgicæ* caſtro, quod olim poſſedit, nomen ſortita, diviſa fuit in familias plures, quarum una trajecto *Sequanâ* fluvio migravit ad *Celtas*, & in *Aureliano* ſaltu conſedit.

Nepos Jacobi.

Hujus auctor & princeps fuit *Sylveſter*, vir ſtrenuus, *Aurelianenſis* provinciæ præfectus, cujus deindè poſteri perſtiterunt in equeſtri ordine, donec *Jacobus*, *Jacobi* filius natu minor ad ſtudia togæ ſe contulit, Regiique Patroni munus à Principe obtinuit.

Filius Auguſtini.

Fuit illi filius *Auguſtinus*, qui & ipſe paternis veſtigiis inhærens in Senatum aſſumptus, & à Rege *Franciſco I.* ad Præſidis honorem evectus, paulò pòſt obiit A.C. 1545. ſuſceptis ex uxore claro loco fœminâ, *Henrici Marliani*, *Galliarum* Cancellarii pronepte 21. liberis, quorum natu maximus fuit *Chriſtophorus* hic, qui ab adoleſcentiâ forum ingreſſus, tantiſper in illâ palæſtrâ ſe exercuit, donec ab *Henrico II.* Rege præcellentis eruditionis, probitatis, & facundiæ meritò Præſes quoque diceretur: nec ita multò pòſt *Ægidio de Noailles*, Magiſtro Senatûs principe vitâ functo in ejus locum à *Carolo IX.* filio *Henrici* ſuffectus eſt. Quo in munere totos 20. annos ita ſe geſſit, ut accedente ad cœteras, quibus eminebat, virtutes, admirabili vigilantiâ omnes, qui anteceſſerant, anteiret, cum Senatoriam

Præſes Parlamenti Pariſienſis.

ſeveri-

ſeveritatem ſingulari quâdam ſermonis comitate condiret.

Certè quantus eſſet civium amor, & de ſummâ ejus virtute judicium tam facilè expertus eſt, cum aſperrimis temporibus unum elegêre, quem Urbi præficerent, & cujus fidei ſe fortunasque ſuas crederent, magno quidem Urbis commodo, ſed nec minore ornamento, cum pace conſtitutâ publicis eam monumentis & ædificiis maximè omnium auxerit. *Urbis Pariſienſis Præfectus.*

Poſtremò & à *Franciſco*, Regis fratre, *Andium* ac *Belgarum* Duce, ad Cancellarii dignitatem vocatus, tanto Principi deeſſe noluit. Quo mirandum minùs eſt, ſi tot diſtrictus negotiis, quos eruditio ejus polliceri videbatur, ingenii fœtus nullos reliquit, præter inchoatum de rebus *Gallicis* Commentarium, cujus editionem docti & nominis *Gallici* amantes viri avidè deſiderant. *Cancellarius Galliæ.* *Scripſit Commentarium de rebus Gallicis.*

Fato functus eſt Kal. Nov. An. C. 1582. cum ad annum ætat. 74. firmâ valetudine perveniſſet, publicoque omnium luctu apud *Andreæ Fanum* in majorum ſepulchro conditus eſt, inſtaurante funus uxore *Jacobâ Tuteâ*, ſplendido etiam genere ortâ; ex cujus fortunato connubio genuit filios tres, atque in iis *Auguſtum*, Senatûs quoque Præſidem, virtutum pariter omnium & ſcientiarum Antiſtitem: filias autem duas, *Annam*, & *Catharinam*, quæ generos ei dederunt ſuprema illa duo togæ ornamenta *Philippum Huraltum*, *Chevernii* Comitem, & *Achillem Harleum*, quorum alter ſummam Juris *Gallici* Præfecturam, alter Senatûs principatum à Soceri morte relictum obtinuit. *Senex vegetus obiit.* *Filium reliquit Auguſtum, Senatûs Præſidem.*

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Caſpar Cunradus Proſopogr. Melic. part. III. hoc in ejus honorem diſtichon ſcripſit:

Huc mea me virtus, ars & prudentia duxit,
Præſideo cauſis, Gallia magna tuis.

* * *

Præſes hic primarius Senatûs *Pariſienſis*, ex *Jacobâ Tulliâ Celiâ* arctâ cum *Franc. Olivario*, *Franciæ* Cancellario, neceſſitudine junctâ 3. filios, *Johannem*, *Chriſtophorum*, & *Jacobum Auguſtum*, & 4. filias ſuſtulit, quarum duæ monaſticam vitam profeſſæ ſunt. *Johannes* cum jam magnam de ſe in aulâ exſpectationem concitâſſet, dum ardente æſtate, Regis juſſu, *Pictavio Longencellum* usque intra 24. horas per equos diſpoſitos profectus eſſet, diuturno morbo oppreſſus, in flore ætatis concidit. *Chriſtophorus* cum filio cognomine per bella civilia miſerabili caſu periit.

* *Ex Vitâ Jacobi Auguſti Thuani, annexâ Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

ANDREAS PATRICIUS.

Obiit A.C. 1583.

PRimus poſt recuperatam à *Moſcho*, per *Stephanum*, Regem *Poloniæ*, *Livoniam* Epiſcopus *Verdenſis*, Vir fuit omni ſcientiarum genere præditus, in *Italiâ* cum fuiſſet, *Boncompagno*, *Sigonio*, *Paulo Manutio*, & *Roberto Turnero* familiaris.

Factus in *Poloniâ* Præpoſitus *Varſovienſis*, deindè *Vilnenſis* Eccleſiæ Archidiaconus, tandem à *Stephano* Rege inter Senatores cooptatus eſt, & Epiſcopatui *Vendenſi* in *Livoniâ* præfectus eſt, cui ille breviter præſidens, multis antè exhauſtus laboribus, vitam cum morte commutavit, ſeque in Epiſcopejo funerari juſſit A.C. 1583. *Senator Regius. Epiſcopus in Livoniâ.* *Moritur.*

Scripta ab eo ſunt ſequentia: *Scripta.*

Comment. in duas Ciceronis Orationes.
Lib. Fragmentorum Ciceronis.
Lib. Parallellorum Eccleſiæ orthodoxæ cum Synagogâ hæreticorum.
De verâ & falſâ Eccleſiâ lib. V.
Gratulationes ad Stephanum Regem poſt devictum ter Moſchum nomine Cleri Varſovienſis habitæ.

De his ita ingenioſè luſit *Joh. Cochanovius lib. II. Epigrammatum:*

Patricius Stephano canit hæc encomia Regi,
Non alio Rex hic ore canendus erat.
Sicut enim bello Rex inſuperabilis ille eſt,
Patricio eloquii laus ita prima datur.

* *Ex Elogiis & vitis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

JOHANNES THOMAS FREIGIUS.

Obiit A.C. 1583.

FRiburgi, *Briſcoiæ* Urbe, natus eſt. Patrem habuit *Nicolaum Freigium* ex *Schalbach*, Jur. Doctorem.

Matrem *Urſulam Armbroſteriam*, quæ peſte ſublata eſt A. 1564. Patris curriculum vitæ filius his Epitaphii verſibus eſt complexus: *Patris Nicolai Freigii vita.*

Hac ego Nicoleos Auguſti gloria Juris,* *Nicolaus.
Freigius in tumulo, care viator, ago:
Me pater agreſti genuit ſub rure colonus;
Hic ubi Rauriacos Rhenus adurget agros.
Prona ſed ad Muſas naturæ dona ſecutus,
Doctoris titulum commeruiq; decus.
Hinc ſacra legitimi pacto connubia lecti,
Briſgoicis conjux eſt mihi ducta jugis.
Cum quâ viventem quot erat ſat, ſuaviter annos,
Me fœtu quino fecerat illa patrem.
Cui dedit Heroi rupes Spoletica nomen,
Et tenet Alſaticis ſplendida regna jugis:
Illi noſtra fides & virtus cognita facta eſt.
Undè meus, dixit, jure vaſallus eris.
Ut quoq; poſt obitum notus feret omnibus, ille
Zaſius Almannæ gloria magna plagæ:
Vulgari illius multo monumenta labore:
Sic meritò laudem cepit uterque ſuam.
Quin clamoſa fori ſubſellia & ipſe ſecutus,
Pro trepidis feci ſplendida verba reis:
Hic ubi nimboſo torrente procacior Illa* * Illa flev.
Rubeni longè mœnia lata terit.
Indè ſed algentem cum conjuge veſtus ad Iſtrum,
Acceſſi ſedes Ulma ſuperba tuas.
Illic ipſe fui pars ſancti parva Senatus,
Et ſtudio juvi conſiliisq; patres.

Verùm hic intumuit ſuffuſâ venter ab undâ:
Is formidatis meq; peremit aquis.
Corpus at hanc conjunx transferri juſſit in ædem:
Quæ ſpatio hinc ipſâ diſtat ab Urbe brevi:
Sunt ubi virginibus collegia condita ſacris,
Incola Seſſlingam nomine turba vocat.
Ergò hic exuviæ exſpectant, quoad ultima cunctos
Ad juſti revocet judicis ora dies.

Diſcipulus Zaſii, Glareani & Rami. Friburgi verò *Johannes* hic ſedulò audivit *Ulricum Zaſium* & *Henricum Glareanum*. Audivit & *Petrum Ramum*, cujus per omnem vitam ſectator fuit, & quem indignâ morte ſublatum hoc elogio ornavit:

Invictus, Rame, es, nam bis duo pectora geſtas,
Socratis, Euclidis, Tullii, Ariſtotelis,
Arte es Ariſtoteles, methodo Plato, Tullius ore,
Ingenio Euclides; Rame, quid ulterius?

Docet Friburgi. Principiò *Friburgi* docuit, deindè *Baſileæ*, ubi cum laboribus ejus ſucceſſus non reſponderet, à Muſis abhorrere cœpit, & Muſas agreſtes cum typographicis laboribus conjuratas meditari.

Eâ in cogitatione dum fluctuat, à Senatu *Noribergenſi*, ſuaſore *Hieronymo Wolſio*, ad *& Altorfii.* novæ Scholæ *Altorffii* An. 1575. 29. Junii apertæ Rectoratum evocatus, ſecundus ibi Rector, primo *Valentino Erythræo* demortuo, magiſtratum iniit 30. Nov. A. 1576.

Eo in munere Hiſtoricos, Poëtas & Inſtitutiones Juris explicuit.

Tandem *Baſileæ* (alii volunt *Altorffii*) peſtis contagione, quæ jam tres ipſi liberos *Moritur.* ſuſtulerat, intra 40. horas ad vitam meliorem emigravit 16. Jan. A. 1583. Patrem intra octiduum eodem fato ſubſecuti ſunt duo filii.

Scripta reliquit: *Librum Triſtium.*
Scripta. *Paralipomena in Hiſtoriam Æmilii & Ferroni.*
Quæſtiones Geometricas, Logicas & Ethicas, Phyſicas, Oeconomicas & Politicas.
Rectoratum Gymnaſii Altorffiani.
Hiſtoriæ Synopſin.
Hiſtoriam de bello Africano, in quo Sebaſtianus Portugalliæ Rex periit 4. Aug. A. 1578.
Hiſtoricam Narrationem Martini Forbiſſeri, Angli, de navigatione in Occid. & Septentrionis regiones, Latinè redditam.
Partitiones Juris, hoc eſt, *omnium Juris materiarum in Tabulas digeſtionem.*
Paratitla ſeu Synopſin Pandectarum.
Logicam Juriſconſultorum.
Artium Logicarum Schematiſmos.
Quæſtiones Juſtinianeas.
Orationes Ciceronis notis variis illuſtratas.
Zaſium Freigii.
Commentarium in pandectas Juris Civilis.
Methodicam actionis Juris repetitionem.
Moſaicam ab orbe condito uſque ad mortem Moyſis.
Grammaticam Græcam ad uſum puerorum in epitomen redactam.
De perfecto Juriſconſulto.
Pædagogum, hoc eſt, Libellum, oſtendentem, quâ ratione prima artium initia *pueris quàm facillimè tradi poſſint*, in 8vo.

* *Ex Melchioris Adami Vitis JCtorum.*

LUDOVICUS GREMPIUS.

Obiit A. C. 1583.

STutgardiæ parentibus honeſtis natus eſt Anno 1509.

Tubingam, ſtudiorum gratiâ, miſſus, animum ad Juriſprudentiam appulit, ibique Doctor Juris ſolenniter renuntiatus eſt. *Doctor Juris.*

A. 1541. A Senatu Reipublicæ *Argentoratenſis* invitatus, Syndici munus ſuſcepit, quod multos annos, magnâ cum prudentiæ, fidei & induſtriæ laude geſſit. *Syndicus Argentoratenſis.*

Cum *Jacobo Sturmio*, Reipublicæ *Argentoratenſis*, Senatore, multis Imperii Comitiis & conventibus interfuit. *Intereſt Comitiis.*

A vicinis quoque Principibus ad Conſilia ſæpè adſcitus eſt.

Ad meliorem vitam abiit *Argentorati* 11. Martii An. 1583. ætat. 74. Moriens egregiam omnis generis librorum ſupellectilem *Academiæ Tubingenſis* Bibliothecæ legavit, quæ eò translata hodièque adſervatur. *Moritur.*

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

NICOLAUS CISNERUS.

Obiit A. C. 1583.

NAtus eſt anno à ſalutiferâ Domini noſtri JESU Chriſti nativitate, milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono, die vigeſimâ quartâ Martii, *Mosbachii*, familiâ honeſtâ ac vetuſtâ.

Mosbachium autem fuit olim una ex Imperialibus Urbibus, ſed ante ſecula plura, Cæſare conſentiente, jurisdictioni Principum *Palatinorum* ceſſit, ac ſedes fuit aliquot Principum, qui indè *Mosbacenſes Palatini* cognominati.

In hâc familia *Ciſnerianâ* aliquot ſeculis eminuit, ac dignitates præcipuas geſſit; nam, ut alios omittamus, avus hujus, vir *Avus.* ordinis Senatorii, defunctus eſt anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto, in extremâ ſenectâ; ac, præter famam nominis egregiam reliquit filios quatuor, *Jodocum*, *Andream*, *Johannem*, *Wilhelmum*, è quorum natu maximo genitus eſt *Nicolaus Ciſnerus*.

Hic itaque à Parentibus & patruis indè à pueritiâ bonis literis in ſcholâ patriâ imbutus, & in omni virtutum genere educatus, cum ingenii & indolis præclaræ eximia ſpecimina edidiſſet, *Haidelbergam* eſt miſſus, *Heidelbergæ literis incumbit.* ubi primùm in Scholâ *Nicrianâ*, quam etiamnum ſic ab alluente *Nicro* vocant, & quæ tum Pædagogéum Urbis erat, operam ſtudiis ætati convenientibus dedit, è quâ Scholâ non paucos doctos viros prodiiſſe ſæpè confirmavit.

Pòſt anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto, in collegium *Dionyſianum*, quod hodiè ab Illuſtriſſimo & fortiſſimo Duce *Johanne Caſimiro*, qui à fundamen-

to

to Anno 1588. inſtauravit, *Caſimirianum* dicitur, receptus, inſignes tum in literis humanioribus, Latinis, Græcis, atque Poëſi inprimis, tùm in Philoſophiâ progreſſus fecit, ut primam lauream anno quadrageſimo quinto, die decimo ſexto Junii, pôſt anno quadrageſimo ſeptimo, die ſexto Julii Philoſophici Doctoratus, ſive, ut vulgò, Magiſterii inſignia fuerit conſecutus, & in Senatum Philoſophicæ Facultatis cooptatus.

Fit Philoſophiæ Magiſter.

Exindè ad docendos alios animum adjecit, omnemque ſuam operam & ingenii vires ad inſtituendos ſtudioſos contulit, *Ariſtotelëam* Philoſophiam, diſciplinas Mathematicas & alias explicando. Itaque & legendo multa, & ſcribendo ſtatim nominis aliquam celebritatem ſibi comparavit.

Docet alios.

Profectus indè *Argentoratum*, tum ut ſtudiorum curſum urgeret, tum ut in virorum doctorum notitiam alibi etiam perveniret, eſtque abſenti in Academiâ patriâ locus ad reditum usque reſervatus.

Argentoratum proficiſcitur.

Ibi *Martinus Bucerus*, doctiſſimus & pacis ſtudioſiſſimus Theologus, *Ciſnerum*, ut qui affinitate ipſi junctus eſſet conjugis ſuæ ratione, quæ aviæ *Ciſneri* ex ſorore neptis fuit, humaniſſimè complexus, locum ei apud ſe ſtudiis accommodum, à domeſticis ſeniorum, cum ſummâ amoris teſtificatione, conceſſit.

Nec *Bucero* ſolùm, ſed & *Petro Martyre*, *Paulo Fagio*, *Johanne Sturmio*, aliisque *Argentoratenſis* Reipublicæ luminibus, familiariſſimè eſt uſus; humanitatem, benevolentiam in ſe, virtutesque alias eorum ſæpè prædicavit, ac ſacrarum literarum puræque religionis cognitionem ex ore illorum hauſit, de quo ſibi itidem ſæpè fuit gratulatus.

Amicitiam contrahit cum viris doctis.

Scripſit ſub idem tempus ad amicum quendam inter alia hæc: neque perditum illud commentum, Interim vulgò dictum, promulgatum. Legatos ad Cæſarem miſit Senatus, qui peterent, ut recepto teterrimo monſtro in collegiatis templis, reliqua puræ verbi Dei prædicationi & vero Sacramentorum uſui conſervarentur.

Paulò autem pôſt, diſcedente *Martino Bucero in Angliam*, ab amicis priori religioni faventibus *Haidelbergam* ad docendum eſt revocatus; & à Principe Electore *Friderico II.* ſtipendio liberali honoratus.

At cum veritatis, literarum & inprimis videndi *Melanchthonis*, civis *Palatini*, *Germaniæque* Phœnicis, deſiderio flagraret: abiit *Wittenbergam*, ubi quanto ipſum *Melanchthon* amore complexus ſit, epiſtolæ & carmina, quorum non pauca in lucem prodierunt, oſtendunt.

Amicus Melanchthonis.

Anno quinquageſimo ſecundo *Wittenbergâ Haidelbergam* reverſus, de voluntate *Friderici* Principis Electoris, primus Ethices Profeſſor publicus, extra ordinem, & præter morem antiquum majori ſalario, quàm alii Philoſophiæ Doctores, conſtitutus, interpretando *Græca Ariſtotelis ad Nicomachum Ethica*, & *Ciceronis de Finibus* libros, expectationi ac muneri ſuo præclarè ſatisfecit, in quo perſtitit, usque dum ſæva peſtis anno ſequente quinquageſimo tertio Scholam diſſipavit.

Fit Ethices Profeſſor Heidelbergæ.

Itaque cum agmine multorum diſcipulorum nobilium (in quibus *Johannes Landſchad à Steinach*, pôſt aulæ Electoralis Mareſchallus & *Mosbachenſis* Præfectus; *Julius* & *Antonius Genderi*, Patritii *Noribergenſes*) tantum non oneratus, ut ipſius verbis utamur, in *Galliam*, pôſt in *Italiam* ſe contulit: ac in ipſis Regionibus ampliùs quadriennio commoratus Juri Civili, & præſtantiſſimis JCtis operam dedit, & in Academiâ *Piſana* Doctor eſt renunciatus.

Iter ſuſcipit in Galliam & Italiam. *Renunciatur Doctor in Academ. Piſanâ.*

Nec ejus ſolùm ſcientiæ, ſed elegantium etiam literarum Profeſſoribus, *Petro Victorio*, *Frobertello*, cœterisque clariſſimis *Italis*, cariſſimus, imò admirationi fuit. *Biturigibus* autem, inprimis *Franciſco Duareno*, *Hugone Duello*, reliquis JCtis familiariter uſus.

Vixit etiam *Audibus*, & *Pictavii*, *Rupellam Santonum* portum adiit, Bibliothecas in illis regionibus præcipuas inquiſivit diligenter; ita jubente & potente Electore *Otthone Henrico* Palatino, qui libris raris antiquitatisque venerandæ *Palatinam* Bibliothecam inſtructurus, nulli ſumtui, nulli labori pepercit, quo gloriam immortalem & ſibi & Bibliothecæ *Palatinæ* peperit.

Anno quinquageſimo nono reverſus è *Galliâ Ciſnerus*, J.U.D. & multiplice ac exquiſitâ ſcientiâ auctus, *Haidelbergenſis* Academiæ Profeſſor Pandectarum, ſimul Electoris Palatini *Friderici III.* Conſiliarius eſt deſignatus; nec multò pôſt *Franciſci Balduini* Succeſſor, & juris civilis Anteceſſor à Proceribus Academiæ, ob præclaram docendi facultatem, induſtriam, promtitudinem ac integritatem vitæ conſtitutus.

Profeſſor Pandectarum Heidelbergæ.

Duxit ſub id tempus, anno nimirum ſexageſimo ſecundo, conjugem *Annam*, filiam *Hartmanni ab Eppingen*, J. U. D. quondam Imperialis Cameræ Aſſeſſoris, pôſt Conſiliarii & Cancellarii *Friderici II.* Electoris *Palatini*.

Conjugium init.

Iſtum *Hartmannum* Solonis *Palatini* cognomine noſtrates indigitarunt, ob juris ſcientiam, conſilii præſtantiam, juſtitiæ tutelam, agendi dexteritatem, quibus virtutibus adjunxit veræ religionis ſtudium & aſſertionem. At matrimonium iſtud fuit orbum liberis: undè poſteà *Ciſneri* hæreditatem filii fratrum adierunt.

Rectoratum Academiæ geſſit anno ſexageſimo ſexto, aliasque dignitates cum commodo Scholæ, cui quidem per octennium ſplendoris & laudis plurimùm attulit.

Diſceſſit ex eâ anno ſexageſimo ſeptimo in ampliſſimum Imperatorii judicii collegium & Cameræ *Spirenſis* Aſſeſſor cooptatus. Itaque Principis Electoris, *Friderici III.* permiſſu, imò voluntate, ut qui illum ad eam Provinciam nominâſſet, *Spiram* ſe recepit, ut exercitationi juris in ſummo tri-

Cameræ Spirenſis Aſſeſſor.

 bunali

bunali ſe dederet, ac patriæ majori uſui eſſet.

In eâ ſtatione permanſit annos quatuordecim omnium ordinum ſummâ gratiâ & approbatione, & ſummi illius tribunalis honore & emolumento, juſtitiæ & æquitatis antiſtes integerrimus, hiſtoriæ ſimùl & Muſarum cultor eximius. Nam ibi quicquid ab ordinariis laboribus ſucciſivi temporis habuit, legendo, ſcribendo, varios Authores evolvendo & edendo, conſumſit, omne tempus ſe perdidiſſe ratus, quod libris non impendiſſet. Collegis Aſſeſſoribus, & nominatim *Reinhardo à Sickingen*, *Melchiori à Fleiſch*, *Henrico Ramel*, *Renato à Duyn*, *Reinh. ab Oldenhuſen*, *Jonæ Weidenkopſio*, *Johanni Wageſſer*, *Theodoro Appiano*, cœterisque valdè charus & acceptus fuit, quos inter *D. Johann. Hartlib*, cognomento *Walſporn*, *Argentoratenſis* Reipubl. Conſiliarius fideliſſimus, & *Ciſnero* familiariſſimus*.

At illi quidem *Ciſnerum* lubenter & cupidè ſecum *Spiræ* retinuiſſent, cujus ſapientiam, æquitatem, ἀγχίνοιαν, integritatem multo tempore cognoviſſent; ſed eum anno octogeſimo *Ludovicus*, Elector *Palatinus*, *Haidelbergam* revocavit, ut ejus conſiliis, quæ pater *Fridericus III.* ſalutaria fuerat expertus, in Republ. patriâ gubernandâ commodiùs uteretur, eique tùm curiæ *Palatinæ* Judicis Vicarii, tùm extraordinarii quoque Profeſſoris juris in Academiâ Provinciam duplicem demandavit.

Conſiliarius Electoris Palatini.

Utramque præclarè geſſit, quoad vires corporis ſinebant. Valetudine enim annis duobus inſequentibus afflicta fuit: cumque paralyſis acceſſiſſet, tandem extremum diem clauſit *Haidelbergæ*, anno octogeſimo tertio, die ſexto Martii, intra quintam & ſextam veſpertinam, quâ eâdem die, menſe & anno *Zacharias Urſinus*, Theologus, & illi *Wittenbergæ* ſtudiorum ſocius, *Neuſtadii* exſpiràſſe fertur.

Moritur.

Sepultum autem eſt illius corpus in choro templi ad Spiritus Sancti, juxta conjugis, paucis antè menſibus defunctæ, ſocerique *Hartmanni* ſepulchrum.

Juſtus Reuberus, Vir clariſſimus, hoc illi epitaphium in pariete adſcribendum curavit:

Epitaphium.

PERPETUÆ MEMORIÆ NICOLAI CISNERI MOSBACENSIS J. C. SUA ÆTATE CLARISSIMI, QUI PRIMUM HEIDELBERGÆ MAGNA CUM LAUDE DOCUIT: DEIN SPIRÆ ADSESSOR; TANDEMQUE IN SUPREMO PALATINATUS JUDICIO PROJUDEX, CUM OMNIUM ADMIRATIONE JUS DIXIT; HÆREDES GRATI, CURANTE JUSTO REUBERO JURECONSULTO, POSUERUNT.

VIXIT ANNOS LIII. MENS. XI. DIES VI. OBIIT PRID. NON. MARTII POST ANNAM HARTMANNAM CONJUGEM MENS. IV. DIES XX. ET CUM EA HOC SEPULCHRUM SIBI COMMUNE ESSE VOLUIT.

Præter opuſcula à D. *Quirino Reutero* An. 1611. divulgata, ſcripſit plurima, tùm in jure, tùm in hiſtoricis, tùm in humanioribus diſciplinis, uti *Commentaria in Ethica Ariſtotelis*; *de ratione exercendi ſtyli ad imitationem Veterum, inprimis Ciceronis, libros IV.* in quorum primo de epiſtolis ad genus deliberativum pertinentibus egit; in ſecundo de iis, quæ ſub laudatione continentur; in tertio generis judicalis materias tractavit; quartum attribuit mixtis, ſicut ipſe ad amicum ſcripſit.

Scripta.

Sed deplorandum hic eſt fatum Bibliothecæ *Ciſneri*, quam reliquit inſtructiſſimam & manuſcriptis refertiſſimam. Accidit ei, quod de *Ariſtotelicâ* referunt Autores vetuſti, quæ cum ad hæredes *Theophraſti*, diſcipuli *Ariſtotelis*, homines ἀπαιδεύτους, nec tanti theſauri gnaros, vel dignos æſtimatores perveniſſet, carie ſituque periiſſet tota, niſi *Sylla Romanus*, captis *Athenis*, *Apelliconis* bibliothecam, in quâ latuerunt *Ariſtotelis* & *Theophraſti* monumenta, magno pretio redemiſſet, eaque doctis Grammaticis & Philoſophis recenſenda commendâſſet.

Sic jacuit & *Ciſneriana*, plures annos abdita, in gurguſtio humido recluſa, ſquallori, putredini, tineis & blattis obnoxia.

Longè poſt diſtracta, venit ære nonnulla ſui parte in poteſtatem *Philippi Hofmanni*, J. C. & Anteceſſoris in Academiâ *Haidelbergenſi*. Hic, quâ eſt humanitate, farraginem aliquam *Ciſnerianarum* chartarum cum D. *Reutero* communicavit, è quibus opuſcula quædam concinnavit, typisque exſcribenda curavit.

Excuſa *Ciſneri* opera antè ſunt & hæc:

Acta viſitationis Cameræ Imperialis, certos in titulos digeſta.

Aventinus latinè & germanicè, ex M. S. authenticis codicibus reſtitutus.

Crantzii Wandalia & metropolis recognita.

Cyni lecturæ in codicem recognita, & notis marginalibus aucta.

Catalogus Nobilitatis in Palatinatu, additis hiſtoriis quibusdam Principum Palatinorum.

Franciſci Duareni, J. C. Bituricenſis Anteceſſoris opera, collecta & recognita.

In Jure varios etiam ſcripſit libros & commentarios in diverſos titulos: ut

De *novi Operis nunciatione*.

De *Jure uſucapionum*.

De *Actionibus*, qui tractatus ſeparatim excuſi.

Alia quoque pluſima, ſed quæ periérunt.

Superſunt annotationes quædam ad *Plinium*, & nonnulla alia, ſed tenebris fortè damnata æternis.

* *Ex Melch. Adamo de Vitis JCtorum & aliis.*

CHRISTOPHORUS DURFELDIUS.

Obiit A. C. 1583.

Gothâ-*Thuringus*, in *Hieranâ*, quæ *Erfurti*, Philoſophicus Magiſter, ſed in *Salanâ* Juridicus Doctor 11. Febr. A. C. 1562.

Profeſſor Juris Jenenſis.

1562. promotus, ab A. 1554. Philoſophiæ, deindè ab A. 1560. Utriusque Juris Profeſſor, adhuc Juris Licentiatus in Juridicam Facultatem A. 1561. receptus eſt.

Conſiliarius Vinarienſis.

Et quamvis *Vinarienſis* Aulæ Conſiliarius, ſed extraordinarius, eſſet conſtitutus, attamen menſ. Jul. An. 1563. Univerſitatis *Jenenſis* Rector electus eſt.

Curiæ Provincialis Aſſeſſor.

Inter 4. primos Curiæ Provincialis (quæ *Jenæ* A. 1566. primâ celebratâ vice die Lunæ poſt *Ægidii* diem) Aſſeſſores ex Jurisconſultorum Ordine electos ultimus, Collegas habuit D. *Melchiorem Klingium*, D. *Henricum Schneidewinum*, & D. *Matthæum Weſenbecium*.

Syndicus Halenſis.

27. April. A. 1568. *Gothâ Halam Saxoniæ* abiit, ad Syndicatum vocatus, exindè *Spiram Nemetum* in Aſſeſſorum Cameræ Imperialis ordinem cooptatus eſt, ubi hominem, imò hominis miſeriam, exuit 23. Maji An. C. 1583.

Aſſeſſor Cameræ Imperialis Spiræ.

Filium reliquit nominis, tituli, & Officii *Spiræ* hæredem.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit *Epigramma:*

Epigramma.

Chriſtophorus Dürfeld Gothanis natus in oris
Philoſophos inter Juridicosq; cluet.
Hujus conſilio primùm Vinaria fulta,
Hala deindè, potens denique Spira fuit.

JOHANNES HOFFERUS.

Obiit A. C. 1584.

Coburgo-*Francus* natus eſt 6. Julii An. Chriſti 1534.

A. 1554. *Wittenbergæ* Magiſterii Philoſophici titulo inſignitus, Orationes *Iſocratis* in eâdem publicè A. 1556. explicuit. *Germaniâ* & *Galliâ* perluſtratis, *Pictavii* Jurium Doctor renuntiatus eſt.

Juris Doctor Pictavii.

Redux J.C.torum horum ordini in *Salanâ* 7. Febr. A. 1561. adſcriptus, & brevi in Aulam Grimmenſtein / quæ *Gothæ*, hodiè Friedenſtein / vocatus, Conſiliarii munere functus eſt usque ad 13. April. A. 1567. quo Arx *Gothana* capta, & Dux *Saxoniæ*, *Johannes Fridericus II.* abductus eſt in *Auſtriam*.

Conſiliarius Saxo-Gothanus.

In Cancellariatu *Brandenburgico Onoltzbacenſi* ſenex tandem vitâ defunctus eſt *Culmbaci* 24. Octob. A.C. 1583. ætatis 49.

Cancellarius Onoltzbacenſis. Moritur.

* *Ex Nomenclatore Profeſſor. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc appoſuit *Epigramma:*

Epigramma.

Johannes Hoffer prognatus lucis in auras
Coburgi, Juris ritè Profeſſor ovat.
Grimmenſteinenſis fit Conſiliarius Aulæ,
Quæ nunc à Pacis nomine dicta venit.

PAULUS STEMPOVIUS.

Obiit A. C. 1584.

Vir cùm aliarum linguarum, tùm Latinæ atque Græcæ peritus, *Conſtantinopoli* & alibi in *Græciâ* edoctus, exindè in *Italiam*, velut ad mercatum bonarum artium profectus, animum ad Jurisprudentiæ ſtudium appulit.

Jurisperitus.

Indè *Aurelianum* in *Galliam*, ac poſteà *Pariſios* tranſiit, biennioque exacto honore Jurisconſulti ibidem cohoneſtatus eſt.

A Rege *Sigismundo Auguſto* in album Secretariorum ſimùl cum *Andreâ Patricio* inſcriptus, & Tribunus terræ *Plocenſis* conſtitutus eſt, cum varias *Latinas Polonicasq;* Declamationes per otium confeciſſet.

Secretarius Regis Poloniæ.

Cum verò Rex, peſte paſſim per *Poloniam* graſſante, in *Lithuaniam* tendens, *Kniſiniæ* vitam cum morte commutâſſet, *Paulus* itidem, quod ævi reliquum erat, domi placidè tranſacto, mortem obiit A. C. 1584.

Moritur.

Scripſit:

Librum de Republicâ ad Regem Sigismundum Auguſtum.

Scripta.

Poëmata nonnulla Græca, quibus valdè delectabatur.

* *Ex Elogiis Centum Illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

CASPAR WILDIUS.

Obiit A. C. 1584.

Spiræ *Nemetum*, Urbe Imperii ſupremo Judicio celebri natus eſt A. 1526.

Patrem habuit *Marcum Wildium*, *Vahingenſem*, cuſtodem Archivi Cameræ Imperialis, quem lectorem vocant. Hic à Principe *Ulrico Wirtenbergico*, recuperatâ ditione, ut ei à Conſiliis eſſet, evocatus, dum in patriam iter moliretur, in cœleſtem patriam evocatus eſt, relictis cum uxore quinque liberis, ex quibus hunc *Caſparum* Princeps inter pueros eſſe voluit, quos in Scholâ *Tubingenſi* ſumtibus ſuis alebat, eòque venit A. 1537.

Filius cuſtodis Archivi Cameræ Imperialis.

A. 1540. *Tubingæ* honorem primum à baccâ lauri dictum, & 1544. Magiſterii ſupremi adeptus eſt, competitoribus 17. è quibus *David Chytræus*, *Georgius Liblerus*, & *Theodoricus Schnepffius*.

Magiſter Philoſophiæ.

Adoleſcens plurimùm in Matheſi diligentiæ collocavit, inprimis Geometriæ & Arithmeticæ ſtudioſus, adeòque in iis excultus, ut publicè cum laude easdem profiteri potuiſſet.

Matheſi delectatur.

Deindè cum *Erhardi Schnepffii* interceſſione, à Theologiæ ſtudio, ad quod Principis alumni omnes obligati ſunt, digreſſionem ad Juris ſtudium impetrâſſet, in eo triennium ampliùs verſatus eſt. Poſteà ut ad praxin accederet, cauſas in Conſiſtorio Principis agere cœpit.

Juris ſtudium amplectitur.

A. 1548. Uxorem duxit virginem *Annam*, *Amandi Mœglingi*, *Uracenſis* J.C. filiam, ex quâ filias 4. & filium unicum ſuſcepit.

Uxorem ducit.

An. 1549. A Principe *Ulrico Stutgardiam* vocatus eſt, & advocatis adſcriptus in Conſilio Principis cauſas agentibus.

An. 1550. Cum Princeps *Chriſtophorus* Ducatum gubernandum accepiſſet, in Conſiliariorum numerum *Wildium* allegit. Hujus deindè operâ 30. in Conſiliis & Comitiis variis Principes feliciter uſi ſunt.

Conſiliarius Wirtenbergicus.

Poſteà cum juſſu Principis conſtitutiones Eccleſiaſticæ & ſcholaſticæ conſcriberentur, eo in libro conficiendo primæ partes *Wildii* fuerunt, materiam ſuggerente D. *Brentio*, quem librum Principes nonnulli

Opera Wildii.

nulli in ſuis quoque Eccleſiis reformandis tanquàm normam ſecuti ſunt.

Ejuſdem Principis juſſu Jus municipale, ſecundum quod omnes controverſiæ judicarentur, adornavit.

6. Febr. A. 1584. Ad viſitandam Academiam *Tubingenſem* miſſus, cum deliberationibus biduò interfuiſſet, jamque cœnæ tempus inſtaret, libro, quem legebat, intentus, apoplexiâ correptus, paucisque vocibus editis extinctus eſt. *Moritur.*

7. Febr. ſeq. Corpus *Tubingæ* terræ mandatum eſt in Cœmiterio ſuburbano.

Jurium tenax Wildius. Jura Principum ſuorum acerrimè propugnavit, ſæpè dicere ſolitus: *Libentius ſe jacturam rerum ſuarum facturum, quàm de jure ſuorum Principum aliquid remiſſurum.*

* *Ex Melch. Adami vitis J Ctorum.*

Obiit A.C. 1584.

VITUS FABER PIBRACIUS.

EX gente *Fabrorum*, *Tholoſæ* clarâ, natus Patre Senatûs Præſide, poſt aliquot honores in Republicâ obitos tunc potiſſimùm ſe extulit, cum in Concilio *Tridentino Caroli* Regis Orator omnem Chriſtianum orbem eloquentiæ ſuæ famâ implevit. *Orator Regis Galliæ in Concilio Tridentino.*

Fiſci Patronus Pariſ. Ejuſdem deindè Regis commendatione Fiſci patronum in ſummâ *Lutetiæ* Curiâ egit, & *Henrico*, Regis fratri, in *Poloniam* ad inſignia regni capeſſenda proficiſcenti comes adſcitus, ſingulare per totam illam peregrinationem fidei gravitatis & conſtantiæ documentum dedit: non tamen ſine vitæ diſcrimine, cum *Poloni Carolo* mortuo clandeſtinum Regis diſceſſum indignè ferentes, in comitatum relictum ſævirent, *Vitusq;* ab illis deprehenſus, in ſummâ rerum deſperatione verſaretur, niſi quam toties aliis præſtiterat facundiæ operam, in ſui ipſius ſalutem opportunè impendiſſet. *Regem Henricum in Poloniam comitatus.*

Hujus præſenti ope liberatus, cum in *Galliam* ſe recepiſſet, non longo pòſt intervallo, indictis à Senatu *Polonico* Comitiis, in *Poloniam* remeare juſſus eſt, ut Regis nomine illis intereſſet, ipſiusque auctoritatem & nominis *Gallici* dignitatem pro ſuâ prudentiâ tueretur.

Sed potentiorum diſcordiis & gentis illius vecordiâ res eò devenit, ut & *Henrico* Imperium abrogaretur, & Comitia de novi Regis electione indicerentur.

Ille quod rei tam indignæ ſpectator eſſe nollet, relictâ *Poloniâ*, confeſtim in *Galliam* reverſus eſt, eo tempore, cum res *Galliæ* longis bellorum offenſionibus afflictæ ſalutari ejus operâ indigerent: Regi enim, qui potiſſimùm ejus conſiliis acquieſcebat, pacis inter ſuos conſtituendæ præcipuus adminiſter fuit. Quod Princeps ille publicæ Salutis amans in ſummo meriti loco poſuiſſe viſus eſt, quando & eum in ſupremâ Curiâ *Pariſienſi* Præſidem appellavit, & à *Franciſco* fratre, *Alenconii* Duce, Cancellarii munere honeſtatum approbavit. *Curiæ Pariſienſis Præſes. Cancellarius Pariſienſis.*

Sed non longum his frui fata conceſſerunt; *Vitus* enim poſt aliquot annos, & quidem paucis ante *Franciſci* Ducis *Alenconii* obitum diebus ex morbi diuturni tædio & animi mœrore è vitâ ſublatus eſt 6. Cal. Jun. A.C. 1584. ætatis 56. *Lutetiæ.* *Moritur.*

Reliquit ingenii monumenta;

Orationes aliquot in Senatu habitas.

Poëmata de Moribus.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * * * *

Jacobus Auguſtus Thuanus honorificam ejus mentionem facit in Hiſtoriâ ſuâ *Gallicâ* his verbis: *Vidus Faber Pibracius* exquiſitâ Latinè loquendi ac ſcribendi peritiâ (quam ſub *Petro Bunello* imbiberat) clarus fuit: ad quam etiam verſus *Gallicos* pangendi raram felicitatem adjunxerat. *Foxium* & *Fabrum*, optimos viros & *Gallici* nominis ſtudioſiſſimos, eodem menſe, quanquàm longè diſſitis locis amiſiſſe, cum Reip. noſtræ luctuoſum fuit, tum mihi imprimis, qui eorum amicitiâ ſemper familiariſſimè uſus ſum, & quibus ſecundùm Parentes plurimùm debebam, nam me ambo præcipuo amore ac tanquàm filium proſecuti ſunt, & quicquid doctrinâ ac rerum uſu valeo (ſi quid valeo) id utrique libentiſſimè acceptum fero, idque pro non ingrati animi monumento apud poſteritatem teſtatum volo.

* *Ex Elogiis Thuanis Virorum doctorum C. B.*

* * * * *

A.C. 1574. Cum Regem *Galliæ*, *Henricum III.* (qui *Carolo IX.* fratre mortuo concubiâ nocte ignaris, neque tamen non aliquid ſuſpicantibus *Polonis Galliam* petiturus in viam ſe dederat) ſecreti conſcius ſequi inſtituiſſet, infeliciter deerraverat, & in ſolitudines ac paludes delatus, jam re *Cracoviæ* detectâ (*Polonis* accurentibus, & *Gallos*, tanquàm transfugas, infeſtis animis proſequentibus, agreſtiumque manu ſe ad eos cum ſudibus, contis, haſtis, ligonibus conglobante) in loca impedita, quo denſiſſima erat ſylva, equo dimiſſo abdiderat, diſſoniſque ruſticæ plebis ſylvæ nexus rimantis clamoribus territus in proximam paludem humeris tenùs ſe immittit: ubi ab arundineto circumſeptus, & caput ad incertos jaculantium ictus limosâ palude identidem mergens totis 15. horis delituit. *Vitæ periculum in Poloniâ evaſit.*

Tandem dilabente per tuguria plebe, ipſe relictis in cœno ocreis, intecto capite prodit, & poſt vitatum hominum periculum, comitibus amiſſis, jam ferarum laniatibus expoſitus, ſolo ſyderum fulgore duce occidentem verſus iter intendit, ac tandem viâ feſſus, cum amne, cujus vadum neſciebat, ope divinâ trajecto, ad tugurium quoddam pane vili & cereviſiâ ſe refeciſſet, fortunatum iter perſequitur, & rhedâ procul conſpectâ (quâ *Stanislaus Sandivogius Karincovius Pibracio* ſummè amicus vehebatur) ad eam, cujus eſſet ignarus, vel cum certâ pernicie accurrit, ab eoque rhedæ imponitur.

Is in magni Regni Camerarii comitatu erat, qui Regem abeuntem inſecutus *Pleſsiæ*, in Regni & *Auſtriacæ* ditionis confinibus vix adſecutus, cum eum multis verbis, ut in Regnum rediret, obteſtatus eſſet, Rege minimè exorato, poſt acceptum magni pretii ab ipſo annulum, & viciſſim ſecto pugione brachio, & exſucto ſanguine fidem magno ipſius Regis ſtupore inviolabilem ipſi addixiſſet, *Cracoviam* rediit.

Sed cum alii Senatores, qui cum *Karnicovio* erant, *Pibracium* minis territarent, & tanquàm fugæ autorem *Cracoviam* ad cauſam dicendam retrahere vellent, ille nihil turbato vultu ſummâ conſtantiâ ſe defendit, neque inultas fore dixit, ſi quas ab ipſis accepiſſet injurias, & ita incredibili animi præſentiâ periculum depulit, quod metus intendiſſet, commodatâque à *Karnicovio* rhedâ iter inceptum perrexit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1584.

BALTHASAR AYALA.

Jurisconſultus & Hiſtoricus.

ANtverpienſis, *Jacobi* filius. Adoleſcens *Lovanium* miſſus, Juri Civili operam dedit. Id ſtudium cum varium & multiplex animadverteret, Hiſtoriam omnisq; Antiquitatis notitiam adjunxit.

Judex bellicus. In *Alexandri Farneſii*, *Parmæ & Placentiæ* Ducis fortiſſimi exercitu aulâque ſupremus annos aliquot Judex exſtitit.

Senator Machliniæ. Poſteà cohoneſtatus titulo Senator in ſupremâ *Machliniæ* Curiâ, ad ſumma honorum culmina haud dubiè conſcenſurus fuiſſet, niſi florem ſurgentem mors ſecuiſſet,

Nihil eximium quæ ſinit eſſe diu.

Moritur. Inter vivos eſſe deſiit *Aloſti* in *Flandriâ* 16. Kal. Sept. A. C. 1584. ætatis 36.

Scripſit:

Scripta. *De jure, officiis bellicis ac militari diſciplinâ Libros III. quos Farneſio, Belgii Proregi, inſcripſit.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1585.

JOHANNES BODINUS.

Hiſtoricus & Politicus.

ANdegavenſis, cum ab adoleſcentiâ bonis literis egregiè eſſet imbutus, imprimisque Gentium omnium Hiſtoriam abſolutè calleret, illius legendæ Methodum libello brevi quidem, ſed luculento, complexus eſt.

Fuit hoc illi famæ ſurgentis auſpicium, quam editis de Republicâ ſex Libris variâ multiplicique eruditione & ſtupendâ exemplorum varietate refertis abundè poſteà confirmavit & auxit.

Neque verò quam ſcriptis comparaverat exiſtimationem, præſentiâ ſuâ minuebat, ſi quando in familiari hominum congreſſu de quâcunque re propoſitâ disertè copioſéque diſputaret.

Quò magis mirandum eſt, hominem eâ facultate præditum inter nobiliores Curiæ *Pariſienſis* Advocatos locum obtinere non potuiſſe. Hâc enim re ſive neglectâ ſive infeliciter tentatâ reliquit *Lutetiam*, adhæſitque Cancellarii munere *Franciſco Herculi*, *Andium* Duci, Regis fratri, quem in *Britanniam* ſecutus, cum illic è ſuggeſtu publico ſua ſcripta juvenibus enarrari comperiſſet, ex hoc inuſitato glorioſæ proventu non mediocrem vigiliarum ſuarum fructum ſibi viſus eſt collegiſſe.

Cancellarius Franciſci Herculis, Ducis Alenconii.

Trajecit indè ad *Belgas* in ejusdem Principis comitatu, quo mox intempeſtivè ſublato A. 1584. *Laoduni Veromanduorum*, ubi Magiſtratum habebat, acquievit, alteroque demùm poſt Urbem illam à Rege expugnatam anno ſupremum vitæ diem exegit peſte ſublatus 10. Martii A. C. 1585. æt. 68.

Moritur.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * *

* *Ex Elogiis Thuanis Virorum doctorum C. B.*

In *Andibus* natus, & puer (ut quidam certò affirmârunt) in *Carmelitarum* Cœnobio vitam religioſam profeſſus, dein voto immaturâ ætate facto ſolutus, gnaviter literis operam dedit, linguarumque non vulgari peritiâ ſibi comparatâ, omnium artium circularem ambitum animo ingenti complexus eſt.

Oppiani Cynegetica eleganter Latinè vertit, & Commentario erudito interpretatus eſt. Poſt Methodum Hiſtoricam, & de re monetariâ contrà *Malaſtretum* accuratas Diſputationes, Opus magnum de Republicâ Gallicè publicavit: in quo ut omni Scientiarum genere non tincti, ſed imbuti ingenii fidem fecit, ſed non omninò ab oſtentationis vitio vacuum ſe probavit. Poſteà & Dæmonomaniam Magorum contrà *Wierum*, & Naturæ Theatrum publicavit.

Edita ab eo.

* * *

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedtii.*

Andegavenſis fuit ex *agris Andium*, Jurisconſultus & Politicus, homo, ſicuti à *Cujacio Obſerv. lib. 18. cap. 38.* laudatur, temerarius & inſolens, falsò admodùm pro more ſuo manifeſta mendacia ſcribens, propriaq; ſibi convitia perperàm in omnes effundens: vel uti à *Gulielmo Cambdeno* honoratur, in *Hiberniâ* ſuâ auditionibus & incertis rumoribus nimium ſerviens. Paſſim in *Germanos* evomit, quod ſe & ſua nimium prædicare, alios verò inſolenter conculcare ſoleat, factus eſt Anagrammatiſmus:

Vir veritatis ſuſpecta.

Joannes Bodinus. Andium ſine bono.

Obiit A.C. 1585.

CHILIANUS VOGLERUS.

V*OGLERI fuit hic Chiliani vultus, at annos*
A tredecim luſtris bis videt ire duos.
Patria Canſtadium Muſis ſacrat: indè Stugartum
Sub docto eruditi Marcoleone viro.
Tertia Muſarum ſedesq; extrema Tubingæ:
Hac Academiacum contulit omne decus.

Tubingæ Baccalaur. & Magiſter. Conventor Burſæ. Ethicæ Profeſſor. Jur. Doctor & Profeſſor.

Et Baccas Lauri dedit, & ſerta altera, Burſæ
Mox Conventorem facit & illa ſuæ.
Indè Profeſſorem ſtudii Moralis eandem
Fecit: id officii doctus & acer obit.
Jus ſtudet intereà: fit Doctor: & indè Profeſſor
Legum Argentinæ prima elementa docet.
Sed revocat magno ſuadente Tubinga Sichardo,
Inq́; ſuâ jubet hunc tradere Jura Scholâ.
Id facit ingenti ſeptem propè luſtra labore,
Et ſimul ingenti commoditate facit.

Aſſeſſor Tribunalis Würtenberg. Conſiliarius Würtenbergicus.

Indè Tribunalis, quo Würtenbergia ſummo
Utitur, Aſſeſſor tempora longa fuit.
Et Dux Chriſtophorus, Dux & Ludovicus honore
Hunc Conſultorem grandi habuêre ſuum.
Ardua ſæpè illi commiſſa negotia Juris,
Seu peragenda domi, ſeu peragenda foris.
Expediit ſummâ vir dexteritate, vir uſu
Rerum, doctrinâ, judicioque valens.
Vir pietate, fide, plenus candore, ſerenâ,
Mente, bonus votis, cœtus egens, talis.
Signum agè: florenos, τετράκις, bis mille benignus
In Martinenſem contulit ipſe domum.
Concitt ergò ſui magnum moriendo dolorem,
Æterno ingreſſus nomine regna Dei.

Moritur. Obiit *Tubingæ* 16. Martii A.C. 1585. æt. 70.

Alluſio ad Nomina ſub ejus icone poſita:
Commoda Mille dedi ſanctis è legibus hauſta:
Auceps, ſed nullâ parte doloſus eram.

* *Ex Elogiis Profeſſorum in Academiâ Tubingenſi Carminicè editis ab Erhardo Cellio Hiſtor. & Poëſ. Prof.*

MARTINUS GERSTMANNUS.

Obiit A.C. 1585.

Patriâ *Boleslavienſis*, ex vetuſtâ & honeſtâ civium ejus oppidi in *Sileſiâ* familiâ oriundus, vir doctiſſimus & Liberal. Legum Doctor, initio Imperatoris *Maximiliani II.* filiis in ſtudiis præfectus, poſteà in teſtimonium gratæ memoriæ Imperatoris *Rudolphi II.* ſeriâ commendatione A.C. 1572. electus Epiſcopus *Uratislavienſis*, ac ut tempora illa permittebant, etiam ante Pontificis hanc electionem approbantis auctoritatem ſupremæ Provinciæ *Uratislavienſis* Præfecturæ ſuffectus fuit.

Juris Doctor. Præceptor filiorum Imperatoris Maximiliani II. Epiſcopus Uratislavienſis.

Religionis ille quidem ſuæ fuit retinentiſſimus, ſed tamen in diverſa ſentientes non iniquus: quippè *Sileſiam*, utut unum Reipublicæ corpus non ita pari conſcientiæ jure retineri poſſe judicabat.

Moritur. Obiit *Niſſæ* 22. Martii A.C. 1585. æt. 58. cum 13. annis Epiſcopatui præfuiſſet. Et ſubrogatus eſt à Collegio *Uratislavienſi Andreas Jerinus*, natione *Suevus*, Canonicus & Decanus *Uratislavienſis*, & Theologiæ Doctor.

* *Ex Oratione fun. Chriſtoph. Coleri Mart. Opitio Uratislaviæ dictâ, & ex Indice Chronologico Abrah. Bucholtzeri.*

JACOBUS GORSCIUS.

Obiit A.C. 1585.

Craſſiore quamvis *Maſoviæ* aëre natus, à puero tamen ita mitioribus artibus imbutus, ut anno æt. 17. primam in Academiâ *Cracovienſi* lauream, Decano *Valentino* de *Ravâ* acceperit, cumque in literis etiam Græcis laudabilem feciſſet progreſſionem, ſumptâ Magiſterii dignitate, ad publicam Juriſprudentiæ profeſſionem cum laude acceſſit, & Doctoris inſignibus Archipresbyterialiq́; *Gneſnenſi* infulâ tempore labente decoratus eſt A.C. 1551.

Philoſophiæ Baccalaureus Cracovienſis, & Magiſter. Juris Doctor & Profeſſor. Archipresbyter.

Quanti porrò docendi provinciam ſemper fecerit, ex eo apparet, quod lautioribus affluens fortunis, cum quietus jam vivere poſſet, cathedræ officio & publicè docendi munere ſe non abdicârit. Cumque pari ferè laude in cognitione humani Divinique Juris floreret, quæſitam hanc in Scholis doctrinam uſu & exercitatione forenſi ſic confirmavit, ut ambigerent omnes, an Gymnaſiúmne, an ad Forum, an verò ad Rempublicam magis foret idoneus. Defuncto Curatores Teſtamenti Monumentum hoc in *Baſilicâ Cracovienſi* poſuerunt:

Epitaphium.

R.DO JACOBO GORSKI J.U.D. ARCHIDIACONO GNESNENSI, CANONICO ET ARCHIPRESBYTERO CRAC. UNIVERSITATIS PROFESSORI, PROCANCELLARIOQUE CELEBERRIMO, AC EJUSDEM OCTIES RECTORI DILIGENTISSIMO, DISCIPULORUM COPIA CLARISS. SCRIPTORIQUE DISERTISS. AC PROPTEREA MAGNO REGI STEPHANO CHARISSIMO, TESTAMENTI CURATORES ET AMICI PRECATI REQUIEM ÆTERNAM HOC MONUMENTUM POSUERUNT DEFUNCTO. ANNO M D LXXXV. XVII. JUNII.

Scripta elaboravit & reliquit:

Scripta.

De uſu legitimo Euchariſtiæ.
De Paſtore.
De Baptiſmo Prædeſtinatorum.
Prælectiones Plocenſes, Cracovienſes, & Leopolienſes.
Cruſium, ſeu animadverſionum in Theologos Wittenbergenſes.
Præmunitionem adverſus inſanum dogma Francken Arrianum, & adverſus eundem Apologeticum.
Apologiam pro Academiâ Cracovienſi.
Victoriam Regis Stephani.
De Periodis.
De Figuris
De generibus dicendi.
Commentaria Artis Dialecticæ, Rhetoricæ, & Orationes Præfationesque in varios variarum ſcientiarum Scriptores.

Præſtantiſſimorum virorum Epiſtolas ultro citroque ſcriptas libris XXX. comprehenſas, quibus præcipuè *Tomicii, Choienii*, & *Schidlovecii* res geſtas, conſilia, & Senatus conſulta ab oblivione vindicavit.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

AMBROSIUS LOBWASSERUS.

Obiit A.C. 1585.

Natus eſt *Sneberge*, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo decimo quinto, die quartò Aprilis. Pater ei fuit Præfectus metallorum, in illis metallicis, cujus officium

officium eſt, omnia moderari prudentiâ ſuâ; imperare, quæ fructum rei metallicæ afferant, prohibere contraria, omninoque gerit perſonam vel Regis vel Principis, irrogat & mulctas ſontibus. Hic tenerum pueri animum, ſimulac per ætatem potuit, literis curavit ac moribus elegantioribus imbuendum.

Quemadmodum enim in arboribus & plantis uſu venire videmus, ut teneræ adhuc culturam admittant, & quoquo velis flecti ſe patiantur: idem in educatione accidit ætatis primæ. Itaque cum maturè ad officinam virtutis & doctrinæ ductus eſſet, ſtatim ut felix planta, quæ ſpes fructuum concipienda eſſet, oſtendit.

Lipſiæ ſtudiis operam dat, Vix dum igitur annum ætatis duodecimum egreſſus, à patre in ſcholam *Lipſicam* fuit miſſus, ubi frater tum erat Profeſſor. Sub hoc ſtudiorum gubernatore, qui & ſanguinis conjunctione, & adoleſcentis indole ductus, nulli operę in informando pepercit, tantum profecit, ut eruditionis teſtimonium publicum anno ætatis vigeſimo fuerit conſecutus.

Poſteà exercendi ingenii causâ, juventutem artes & literas bonas docuit, profectuumque ſpecimen depoſuit honeſtum.

Verum cum ad altiora animus egregius adſpiraret, atque exteras perluſtrare regiones unicè in votis haberet, de conſilio ſuorum *Gallias* adiit, ephorus datus quibusdam è nobilitate præcipuâ adoleſcentibus.

& Lovanii. Venit igitur primùm *Lovanium*, ubi jamdudum floruit ſchola, & juris imprimis diſciplina. Eſt enim ſuus ferè cuique Academiæ genius atque laus quædam, ex certo doctrinarum genere, præcipua, ita, ut alibi dominetur verè domina facultatum, ut appellant, omnium, Theologia, alibi primas teneat Juriſprudentia, alibi aliæ artes. Audivit ibi magni nominis JCtum *Gabrielem Mudæum* diligenter, unà cum ſuæ fidei commiſſis.

Increbeſcente autem magis magiſque famâ de *Petro Ramo*, cupido inceſſit, & ipſum ſalutandi audiendique. Anno igitur *Pariſiis itidem,* *Lovanii* exacto, *Pariſios* cum ſuo comitatu petit, & ſemeſtre tum *Ramo*, tum aliis viris doctrinâ inſignibus operam dedit.

aliiſq; locis. *Lutetiâ* deindè *Biturigas* profectus, eſt, ubi coryphæi juris tunc temporis vivebant *Duarenus* & *Donellus*, quorum nomina nulla unquàm delebit oblivio.

His ducibus *Lobwaſſerus* ita in adyta ſacrarum legum ſeſe penetravit, nullus ut eſſet nodus legalis ſcientiæ, quem non perſpicuè & expeditè ſolvere poſſet.

Subſtitit ibi in tertium uſque annum, exindè perluſtratâ *Galliâ Lugdunenſi & Andegavo*, ubi annum ampliùs poſuit in ſtudio literarum, reditum in patriam ſuſcepit, cum in *Galliis* luſtrum degiſſet. Mox reverſum, ut carmen parentale habet,

— Burggravius qui rexit Miſnicâ rura
Ipſum à conſiliis juſſit adeſſe ſibi.

Eo in munere cum annos quinque non ſine fidei & induſtriæ laude fuiſſet, *Italiam* adiit, & *Felſinæ*, quæ *Bononia* hodiè, inſignibus doctoralibus eſt ornatus. *Fit Juris Doctor.*

Reverſus, apud fratrem *Lipſiæ* ſemeſtre delituit, donec à Principe *Alberto* Seniore, primo *Boruſſiæ* Duce, evocatus fuit, ut in *monte Regio*, ubi haud ita pridem publicam ſcholam aperuerat, ſtudioſæ juventuti jura proponeret & explicaret, ſuiſque conſiliis Reipublicæ & curiæ adeſſet.

Secutus eſt *Lobwaſſerus* honorificam vocationem, annisque compluribus ſpartam, quam nactus erat, ornavit.

Itaque charus fuit Principibus ſuis *Alberto* Seniori ejuſque filio ac Succeſſori, dum in tabulario Ducum prudenter conſulendo, induſtriam, doctrinam, fidemque luculenter probavit, ſummumque illius Academiæ magiſtratum, quem Rectoratum vocamus, pluries geſſit.

Ætate ad ſenium præcipitatâ, graviſſimo articulorum & pedum morbo fuit correptus; cumque eo ſexennium ipſum conflictatus, donec tandem, quod ſæpè optârat, & à Deo precibus devotis petierat, placida mors finem & dolorum & vitæ ei attulit. *Moritur.*

Quod factum *Regiomonti*, anno Chriſti 1585. die 27. Novembris, cum vixiſſet annos ſeptuaginta. Sepultus eſt ibidem cum tali monumento:

Epitaphium.

VIRO CLARISSIMO, PIETATE, VIRTUTE ET DOCTRINA PRÆSTANTISSIMO, DOMINO AMBROSIO LOBWASSERO, J. U. D. ILLUSTRISS. PRINCIPIS BORUSSIÆ CONSILIARIO ATQUE PROFESSORI. QUI OBIIT XXVII. NOVEMB. ANN. M. D. LXXXV. CUM VIXISSET ANNOS LXX. MENSES VII. DIES XXII. IN MEMORIAM IMMORTALEM, AMORISQUE SINGULARIS, ET GRATÆ MENTIS SIGNIFICATIONEM, PONI CURAVIT FRATER MICHAEL LOBWASSER.

Epitaphium ipſe moriturus de ſe tale fecit:

Expertus mundi vanas res eſſe nihilo,
Hîc quoque nunc jaceo pulvis & umbra, nihil,
Sed qui de nihilo cœlum terramque creavit,
Me cum carne meâ non ſinet eſſe nihil.
Hâc ſpe nil mortem feci, nihil omnia feci,
Nil nihili vermes poſſe nocere ſcio.

Vir fuit hic pius, eruditus, candidus, artium & humaniorum literarum amantiſſimus, quibus ut commodiùs vacare poſſet, cœlibem ad extremum uſque ſenectam vitam egit.

Moriens bibliothecam ſuam juridicam *Fabiano Lobwaſſero* fratris filio, legum ſtudioſo, ſupremâ voluntate legati nomine reliquit, & ſtipendium quoque ad cœptam ſtudiorum telam feliciter pertexendam decrevit.

Calluit linguas plures, interque eas *Gallicam*. Itaque totum Pſalterium Davidis Germanicè rhythmis ſecundum numeros *Gallicæ Theodori Bezæ, & Clementis Maroti* translationis rhythmicæ, quam proximè

ad Hebraicam veritatem accedens, horis ſubſecivis tranſtulit & illuſtravit, additis argumentis Pſalmorum, & precationibus breviſſimis, unà cum melodiâ quatuor vocum. De hâc translatione Pſalmorum ita habet auctor, qui carminicè vitam *Lobwaſſeri* deſcripſit:

Hos adeò Elector Rheni laudavit, ut ipſos
Cantare in templis juſſerit usque ſuis.
Vera loquor, Schedium quendam conduxerat idem,
Ut Pſalmos tali redderet ille modo:
Sed jam lapſus erat completis menſibus annus,
Tranſtulerat Pſalmos quando Poëta duos.
Prodiit intereà ſenis hujus pſaltria Muſa,
Et rarum, & magnæ ſedulitatis opus:
Ille, quod optavi dudum, mihi præſtitit Autor,
Inſignem dicunt tunc retuliſſe Ducem.

Scripta. Comprehendit etiam verſibus *Sermonem de dignitate literarum*: reddidit *Germanicis rhythmis patrum hymnos*: *Summas* denique *Capitum Biblicorum* itidem verſibus expreſſit.

* *Ex Melchioris Adami vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1585.

CHRISTOPHORUS HERDESIANUS.

H*Alberſtadii*, ex honeſtâ & antiquâ familiâ natus eſt A.C. 1523.

Ibi cum adhuc puer in Scholâ ſub *Papiſmo* viveret, & cum commilitonibus cæremoniis Miſſalicis aſſiſtere cogeretur, accidit aliquando, ut campanili movendo deſtinaretur. Sed dum pro ſuâ devotione & ſtudio impenſiùs inſtaret operi, funemq; acriter ſtringeret, campanile in terram dejecit. Non deerat Orbilius quidam plagoſus, qui eum ob factum quamvis improvidum ſeverè caſtigaret. Quare non multò poſt A.C. 1540. *Wittenbergam* abiit, *Martini Lutheri* & *Philippi Melanchthonis*, luminarium tum temporis *Germaniæ* famâ illectus, quibus etiam ob eruditionem & modeſtiam carus eſſe cœpit. Poſteà per ætatis incrementa auctiores ingenii cultus conſecutus, Alpes tranſiit, & *Bononiam* venit.

Wittenbergam accedit.

Indè in *Galliam* profectus, *Avarici Biturigum* tàm celebris repentè extitit, ut non ampliùs ad pedes docentium conſidere cogeretur, ſed cathedram conſcendere juberetur, in quâ cum aliquando cum laude ſummâ diſputâſſet, *Franciſcus Duarenus*, cujus famâ excitatus eò potiſſimùm venerat, delectatus hujus Juvenis Germani in reſpondendo dexteritate, in hæc admirabundus verba prorupit: *Auditores, ſi talia plura Germania habet ingenia, actum eſt de nobis Gallis & Italis.*

Avarici Biturigum in cathedrâ docere jubetur.

A Franciſco Duareno laudatur.

In *Germaniam* reverſus, & Reipublicæ *Norimbergenſis* Conſiliarius intimus conſtitutus, JureConſultorum θεολογικώτατον & Theologorum Jureconſultiſſimum ſe præbuit. Cœterùm eam, quam Reformatæ per *Galliam, Angliam, Belgium* & *Helvetiam* Eccleſiæ profitentur & defendunt religionem eſt profeſſus, variiſque in lucem editis propugnavit ſcriptis. Sed & alii plurimi ejus labore prodierunt libri, quibus errorum Pontificiorum tenebræ diſcutiuntur. Nunquàm tamen libris ſuis nomen ſuum, ſed vel *Ambroſii Wolffii*, vel *Hermanni Pacifici*, vel *Chriſtiani Heſſiandri* nomina frontiſpiciis librorum ſuorum prænotanda curavit, Vir ab omni ambitione alienus.

Conſiliarius Norimbergenſis.

Juris ConſultusTheologicus.

Annis jam major 50. tantâ memoriæ tenacitate valuit, ut non ſolùm pleraſque Leges Juris Civilis ad verbum recitaret, ſed etiam Periochas benè longas ex Patribus ſanctis, quos diligenter evolverat, ſine hæſitatione verbotim, ubi opus eſſet, expromeret.

Memoriâ ſingulari præditus.

Res ea in tantam admirationem rapuit *Joh. Thomam Freigium*, J.C. & Prof. *Altorfinum*, ut cum exſpatiandi causâ in Academiam *Argent.* fortè veniſſet, & in convivio quodam rogaretur, quâ parte *Argentinenſem* Rempublicam *Norimbergenſi* ſuperari arbitraretur? Ibi ille ingenuè, *Hoc ſolùm*, inquit, *iſta præſtat, quod Virum nacta eſt* (*Herdeſianum* puta) *qui ex Auguſtino, Ambroſio, Cyrillo, Chryſoſtomo, aliiſq; Eccleſiæ Patribus non inſigniores ſolùm ſententias callet, ſed etiam ex his & omni Vetuſtate integra aliquot folia ad verbum ſine ullâ hæſitatione recitare poteſt.*

Encomium ei datum à Johanne Thomâ Freigio.

Ex tribus uxoribus 9. liberos, filios 6. & 3. filias, cum reliquiſſet, hemiplecticus *Norimbergæ* in Templo ad S. *Ægidium*, cum Concionator hæc Evangelii verba legeret: *Aſpicite, & capita veſtra attollite, nam liberatio veſtra appropinquat*, è ſellâ prolapſus in terram, & domum deportatus 5. Dec. ſecundâ Dom. Adventûs A.C. 1585. ætat. 63 die 18. poſt 23. Dec. placidè obiit.

Hemiplexiâ moritur.

* *Ex vitâ ejus à Marquardo Frehero, J.C. deſcriptâ, & ex Programmate funebri filio ejus Joh. Chriſtophoro, Francofurti ad Viadr. facto A. 1620.*

A. 1585. quo obiit, *Donawerdæ* adhibitus eſt in conſilium unà cum *Lucâ Berlino*, Conſiliario *Ulmenſi*, ad ſopiendas & terminandas controverſias graves ac multiplices inter Archiducem *Auſtriæ Ferdinandum*, & Ordines Marchionatus *Burggravienſis* ferventes, præſentibus Principe *Henrico*, Ordinis Teutonici Magiſtro, & Barone *Georgio Ludodovico Seinsheimio*, quæ contentiones altero poſt anno cum ſubditorum ſalute fuêre ſublatæ.

Libri *Chriſtoph. Herdeſiani* J.C. ſub aliis nominibus editi.

A.C. 1571. *Refutatio dogmatis de fictitiâ Carnis Chriſti omnipræſentiâ, ſub nomine Chriſtiani Heſiandri, Genevæ, in 4to. cum prœmio Theod. Bezæ.*

Scripta.

Liber Reſponſorum Juris ſub ipſius nomine editus.

A. 1572. *Acta concordiæ inter Lutherum & Helvetios poſt Colloquium A. 1529. Marpurgi habitum, Germanicè, Heidelbergæ, in 4to.*

A. 1574. *Conſenſus Orthodoxus de Controverſiâ Cœnæ.*

De Communicatione & vivificâ carnis Chriſti vir-


CHRISTOPH: HERDESIAN
Conſiliarius Norimb.


MATTHÆ, WESENBECI,
Juris cons. Witteberg.



IACOB, CAPELBECCIUS.
Juris c: & Prof: Tubing.


MARTINUS NAVARRUS
JCtus & Advocatus Rom.


MICHAEL TEUBERUS
JCtus & Prof. Witteb.


HENRICUS SIDNEIUS
Eques Auratus & Prorex Hibern.


PHILIPPUS SIDNEIUS.
Eques aurat. & Præf. Fliſing.


ANDREAS GAILLIUS
JCtus & Conſiliarius Cæſar.


IOACHIM, MYNSINGER,
JCtus & Cancellarius Brunſv.


PETRUS PECKIUS.
JCtus & Conſil. Machlinienſis.


HENRIC, PETR, HERDESIAN,
JCtus & Conſiliarius Brunſv.


FRANCISC, HOTOMANNUS
JCtus Baſileenſis


FRANCISC, WALSINGHAMUS
Conſiliarius Angl.


IOHANNES WAMESIUS.
JCtus Lovanienſis.


IACOBUS CUIACIUS.
Juris Prof. Bituricenſis


BARTOLOMÆ, PÖMER
Senator & Triumvir Norib.

Digitized by Google



ſti virtute, ex Cyrillo & Epheſino Concilio, nomine Chriſtiani Heſiandri, Heidelbergæ in 8vo.

A. 1578. *Simplex & dilucida expoſitio, quâ ratione controverſia de Cœnâ Domini facilè componi poſſit, ſub nom. Hermanni Pacifici, Francofurti in 8vo.*

A. 1579. *Fundamenta doctrinæ Lutheranæ contrà Patres Bergenſes, nomine Ambroſii Wolffii, Genevæ in 4to.*

A. 1580. *Hiſtoria Confeſſionis Auguſtanæ Germanicè ſcripta nomine Ambroſii Wolffii, Neoſtadii in 4to.*

A. 1581. *Synodus Epheſina, cum adjunctis Theſibus de Cœnâ Domini, ſub nomine Hermanni Pacifici, Neoſtadii, in 4to.*

A. 1582. *De Cœnâ Domini doctrina ex Auguſtanâ Confeſſione. Item, Scriptum de fractione Panis, ex Scriptis Lutheri, Germanicè omnia, Neoſtadii, ſine nomine, in 4to.*

Provocatio ad Nicol. Selneccerum Germanicè, nom. Germani Bayer.

A. 1583. *Fundamenta argumentorum, quibus convincitur Selneccerus malæ conſcientiæ, & injuſtæ cauſæ, Neoſtadii, in 4to.*

A. 1584. *Supplementum Hiſtoriæ Confeſſionis Auguſtanæ, Germanicè Neoſtadii, in 4to.*

De Myſtico & incruento Sacrificio adverſùs abominandam Pontificiæ Miſſæ Idololatriam, cum nomine Euſebii Altkircheri.

A. 1585. *Vitæ ultimo, Hiſtoriola Colloquii Quedlinburgenſis, cum Scholiis Marginalibus, Germanicè, Neoſtadii, in 4to.*

Epitaphium ejus, quod *Norimbergæ* in Cœmiterio D. *Johannis* ſub No. 1425. videtur:

Epitaphium.

D. O. M. S.

IN MANIBUS TUIS DOMINE SORTES MEÆ. CHRISTOPHORUS HARDESIANUS HALBERST. JUR. D. EXIM. ET REIPUBL. NOR. CONS. PRÆCLAR. VIR SOLIDA ERUDIT. CLARUS: VIRT. ET INTEGR. CLARIOR: PIET. ET FIDE ERGA DEUM ET HOMINES CLARISS. CUM IN VITA SUA QUIESC. NUNQUAM, SED BENEFACIENDO ET INSERV. POTIUS ALIIS, QUAM SIBI ET SUISMET IP. STUD. INDEFESS. SEIP. CONSUMERET, POST FATA HUNC QUIETIS LOC. HAB. VOL. DONEC IN SORTE BEAT. RESUR. IN CUR. OB. PIE ET RELIG. CUM EX TRIBUS CONJUGIBUS, MARIA PFINZINGA, SABINA TILIA, ET ANNA MARIA MEINHARTA, MARES VIII. ET PUELL. III. PROCR. ET OMN. BON. MAX. SUI DESIDERIUM ET LUCT. RELIQUISSET, ÆTAT. SUÆ ANN. LXV. POST REPAR. SALUT. ANNO MDXXXV. DIE XXIII. DEC. UXOR ET HÆR. MOEST. MAR. ET PATRI BENEMERITO H. M. PONI CUR.

FRANCISCUS SANSOVINUS. *Obiit A. C. 1586.*

VEnetiis in lucem editus, Patrem habuit *Jacobum*, Sculptorem & Architectum ingenioſum, qui cognomen aſſumſit à Monte *S. Savino*, in ditione *Florentinâ* ſito, undè familia ejus orta eſt.

Literis Politicis & Legalibus adoleſcens addictus, in Curiâ *Romanâ* multo tempore vitam traduxit. Undè commotus *Julius II.* Pontifex Maximus, Camerarium ſuum conſtituit eum. *Camerarius Julii III. Papæ.*

Tunc non tantùm ſtudia ſua Politica magis excoluit, ſed etiam modum negotia publica & magnatum tractandi didicit, quo cum Secretariis Cardinalium diverſis amicitiam coluit. *Politicus.*

Obiit tandem *Romæ* A. C. 1586. *Moritur.*

Scripta *Italica* ab eo edita ſunt ſequentia: *Scripta.*

Del governo de i Regni, & delle Republiche coſi antiche come moderne.

I concetti Politici, conſacrati al Ceſare Rodolfo II.

L' Antichità di Beroſo Caldæo Sacerdote tradotte & dichiarate.

Cronologia del Mondo in due libri dal principio del Mondo fino al 1582.

Annali della Caſa Ottomanna.

Informatione della milizia Turcheſca.

Ritratto delle piu nobili & famoſo Cità d' Italia.

Delle famiglie illuſtri d' Italia.

Diverſe Orationi ſcritte da huomini illuſtri parte prima & ſeconda.

Il Segretario, che porge grande utilità à Profeſſori delle Segretaria.

Deſcrizione di Venezia.

Origine de Cavalieri.

Iſtoria di Caſa Orſina.

Epitome dell' Iſtoria di Franceſco Guicciardini.

Iſtoria de Turchi.

Deſcrizione del governo di tre Republiche, Genova, Lucca, & Ragugi.

Edifizio de Corpo humano.

Cento novelle.

Nove libri delle Lettere amoroſe di diverſi Huomini illuſtri.

La Fabrica del Mondo di Franceſco Alunno accreſciuta & megliorata.

* *Ex Theatro virorum doctorum literatorum Italico Hieronymi Ghilini.*

JACOBUS CAPELBECCIUS. *Obiit A. C. 1586.*

VEra Capelbecci fuit illa figura Jacobi,
Septem ævi emenſi luſtra decemq; ſui.
Lucem Auguſtano, Schönbergæ, accepit in agro,
Et Studii hic didicit prima elementa ſui.
Lipſia, Francfurtum Mœnenſe, Tubingaq; Muſis
Atque Ingolſtadium poſt coluêre ſuis.
Quæq; ipſum Sophiæ fecit, Witeberga, Magiſtrum, *Philoſophiæ Magiſter Witteberga.*
Et charum magnis quæ dedit eſſe viris.
Dive Luthere, tibi, geminos cui charus in annos
Convictor multâ commoditate fuit. *Convictor D. Lutheri.*
Magne Philippe tibi, duce quo Præceptor in Aulâ
Saxonicâ effectus: poſt, Buro Feſſe, tum.
Timotheo, Ambroſio Jungis, Paulo atq; Johanni
Baptiſtæ pariter factus & Hentzeliis.
Sic hos excoluit ſtudiis & moribus omnes,
Summorum ut natis nomina vera virûm.

Digitized by Google

Doctor Juris Ferrariæ. *Hos Italûm duxit, Gallorum hos duxit in oras,*
Ob ſtudii & variæ cognitionis opes.
Doctorem hunc tandem fecit Ferraria Juris
Juris Profeſſor Tubingæ. *Moxq́ Profeſſorem Sueva Tubinga ſuum.*
Proh! quanto ſtudio, quâ dexteritate docebat
Judicio præſtans conſiliisque ſuis?
Quæque aliis Juris dedit inclyta nomina Praxis,
Ille Theoriæ in ſtatione tulit.
At pietas illi, virtutum maxima, quanta?
Qui zelus, veræ & relligionis amor?
Sæpe Decanus erat Juris, Rectoris & ingens
Magnifici magnâ laude ſubivit onus.
Emeritus tandem, vitæ ſatur, omnibus ævi
Laudibus exacti mortuus aſtra petit.

Moritur. Obiit *Tubingæ* 14. Febr. A. C. 1586.

Alluſio ad Nomina effigiei ejus ſubſcripta.
Cauponi *ut* Panis, *pietas mihi Juraque cordi:*
Injuſtum pedibus Suppoſuique *meis.*

* *Ex Elogiis Profeſſorum in Acad. Tubingenſi Carminicè editis ab Erhardo Cellio Hiſtor. & Poëſ. Prof.*

Obiit A. C. 1586.

MATTHÆUS WESENBECIUS.

IN lucem editus eſt *Antverpiæ*, anno à ſalute partâ, 1531. die 15. Octobris, Patrem habuit *Petrum Weſenbecium*, qui in Republicâ *Antverpienſi* ſummâ cum pietatis, integritatis, & juſtitiæ laude, ſenatorio munere perfunctus eſt. Mater verò ei *Barbara Cilia* fuit. Ex eâ ſuſtulit liberos tredecim, quibus pater ſuo quodam conſilio duodecim Apoſtolorum nomina ordine imponere voluit, fuitque inter eos hic *Matthæus* natu minimus, uno excepto, patrem præter cœteros proximè exprimens, à quo ideò tenerrimè eſt dilectus, & *Joſephus* per jocum nominatus.

à puero ad ſtudia educatur. A puero igitur *Weſenbecius* hic ad virtutem & literarum ſtudia educatus, cum ingenii donis eſſet ornatus inſignibus & verè divinis, plurimùm in literis humanioribus profecit. Poſteà cum ingenium præſtantiſſimum ad Juris civilis ſcientiam contuliſſet, *Lovanium* maturè, & adhuc impubes, ſub annum ætatis decimum quartum, unà cum *Andreâ* fratre quadriennium propè natu grandiore, miſſus, in diſciplinam convictumque *Gabrielis Mudæi*, JCti ſummi, fuit receptus. *Lovanii ſtudio Juris incumbit.*

Amborum adoleſcentum quam grata acciderit tum ſeni *Mudæo* conſuetudo, vel indè apparet, quod cum cœteros convictores valetudinis ingraveſcentis, & occupationum ſpecie miſſos feciſſet, ambobus locum, usque eò dum diſcederent, ultrò perhumaniter reliquit, nec poſteà quenquam in illam interiorem vitæ conſuetudinem admiſit.

Licuit tum adoleſcentibus ſtudioſis rationes & ſtudiorum & morum ejus introſpicere penitùs, & de illis vel componere ſuas, vel emendare, cum ſe illis aperiret & daret totum; nec quicquam in eo fucatum, aut inſolentioris arrogantiæ notaretur. In eâ convictione duo *Weſenbecii* ad annum usque quinquageſimum permanſerunt, quo decurſus inſtitutionis ſuæ ſpaciis alia vitæ ratio divinitùs cuique præſcripta aliò eos deduxit. In illius jureconſulti conſuetudine privatâ, & inſtitutione publicâ eos fecit jurisprudentiæ progreſſus, unàque cum fratre germano in publicis diſputationibus, quæ ibi frequentiſſimè, ita ſe jactavit & exercuit, ut ingenii acumine doctrinæque ſubtilitate inter coæquales celebraretur; nec tantummodò reſpondentibus, verùm ipſis etiam præſidentibus, negotium non odioſum faceſſeret.

Poſteà verò quàm in illâ eruditionis umbrâ ſatis multa profectus ſui documenta publicè privatèque dediſſet, anno illo jubilæo, qui indicatus, ad Licentiæ, ut vocant, in utroque jure gradum cum fratre proceſſit, eo quidem diſputationum & examinationum tàm publicarum, quàm privatarum eventu, ut in ore vulgi eſſet, neminem, ex quo eâ Academiâ ſtetiſſet, tàm immaturâ ætate eò honoris perveniſſe, paucos majore gratiâ & dexteritate, auditoriis reſpondendo ſatisfeciſſe. Ac fuit tum ejusmodi à Præceptoribus, de duobus fratribus factum judicium; alterum ſtudio, quod certè in majore fuit flagrantiſſimum, alterum indole & alacritate quâdam animi alteri præſtare, utrumque loco illo juxtà dignum videri. *Fit Juris Licentiatus.*

Cum autem ab impetrato ſtudiorum illo commeatu, necdum per ætatem publico videretur aptus, juſſu parentum ad externas linguas ritusque forenſes addiſcendos, peregrinatus eſt aliquot annos, non ſine periculo.

Nam cum orto inter *Carolum Cæſarem* & *Henricum Galliæ* Regem bello, omnia latè arderent, infeſtaque ac infida hoſpitibus eſſent, nihil propiùs aliquando factum, quàm ut illud, quo ſe receperat, propugnaculum, ſtratagemate hoſtium improviſo, per mane nebuloſum, ex inſidiis caperetur. Quibus ſi res ſucceſſiſſet, conſilium omnes interficiendi puberes, ut pòſt de captivis cognitum, fuerat captum.

Sed Deo per arma circumſonantia, per cædes, incendia, prædationes juvenem deducente, revertit ad ſuos incolumis, ubi mox diuturni morbi matris, & placidiſſimi ejusdem obitus, in magno luctu, ſpectator fuit: paulòque pòſt contrà multorum expectationem, quodam indè fato divulſus, in *Germaniam* ſuperiorem, per id tempus paulò tranquilliorem, ſuis quibusdam inductus rationibus conceſſit. Quo locorum ignoto, adventitio, variisque difficultatibus jactato, ab omnibus deſerto, à ſuis deſtituto, deſperato, mediocrem locum, conjugem, liberos, aliaque degendæ tolerabiliter vitæ ſubſidia, propitiis ſuffecit Deus, documento in utramque partem luculenter conſtituto, quàm nec divina unquàm bonitas & defenſio iſtiusmodi extorribus deſit; neque diaboli rabies mundique huic ancillantis infeſta injuſtaque odia, calumniæ, vellicationes, & furor uſpiam eisdem abſint.

Docuit

Jus docet in Acad. Salan. Docuit juris diſciplinam primùm in Academiâ *Salanâ* annos ampliùs tredecim, tantâ quidem cum aſſiduitate, ut etiam in concurſu graviſſimarum occupationum, quas aula cumulare ſuo more conſuevit, nunquàm ſolitus fuerit, niſi extremâ urgente neceſſitate, docendi operas interrumpere.

Fit Profeſſor Witteberg. Exindè ſuffragante Principis *Auguſti, Saxoniæ* Electoris, clementiâ, à Senatu Academiæ *Wittembergenſis*, ad ſcholam inibi jurisprudentiæ habendam, eſt accerſitus, loco D. *Johannis Schneidewini*, anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo nono. Eò cum veniſſet, ſtatim ſub exitum Auguſti, amiſit conjugem matronam lectiſſimam, *Catharinam*, filiam præſtantiſſimi Viri *Franciſci Burcardi*, Cancellarii *Vinarienſis*. Ipſe autem perrexit in munere docendi & reſpondendi de jure publico, ad annum uſque octogeſimum ſextum, *Moritur.* quo die quinto Junii placidè ſpiritum Deo reddidit, cum in exilio terreno fuiſſet annis quinquaginta quinque.

Epitaphium. Epitaphium ſibi ipſe ante obitum compoſuit tale:

Matthæus placidâ ſopitus pace quieſco,
Juſtitiæ & juris preco Weſenbecius.
Vita mihi ſtudium fuit, impenſique labores,
Et dolor & gemitus, aſſiduæque preces.
Jova pater miſerere mei, miſerere meorum,
Solius in Chriſti ſanguine noſtra ſalus.

In lapide, ad ſiniſtram ſuggeſti & caput *Johannis Schytzii* ſepulchro *Weſenbecii* impoſito, fuſum eſt in laminâ æneâ inſigne ipſius, cubici ferè magnitudine, adſcriptis ad dextrum illius latus his verbis:

ORA ET LABORA

Ad ſiniſtrum verò

IN LABORE PROEMIUM

Sub inſigni autem:

Hæc Matthæe tenet te Weſenbece ſub urnâ,
Sed laus doctrinæ neſcit in orbe mori.

OBIIT 5. JUNII AN. DOMINI M.D.LXXXVI.
ÆTATIS VERO LV.

Portò hæc lamina ænea duabus munita eſt valvis ligneis, quæ claudi & aperiri poſſunt, ne ſcilicet inſigne pedibus inambulantium teratur. Intra valvas lapidi inciſum legitur:

HUC AD CAPUT REVERENDI PATRIS LUTHERI REPOSITUS.

Religionem orthodoxam amat. Pietatis & religionis orthodoxæ, ab ineunte ætate ſtudioſus, quam adoleſcens divinâ gratiâ ipſum ad ovile Chriſti vocante, amplexus eſt. Ità autem eſt vocatus: Cum *Lovanii* operam jurisprudentiæ daret, nec dum Pontificiis liberatus tenebris, erat ibidem quidam ſartor, utroque lumine orbus, qui inviſere ſolebat ægrotos, ut ex ſacræ Scripturæ dictis, quæ didicerat, conſolationem ipſis adhiberet, quod officium hominis pii caſeis & pane remunerabantur. Is à Pontificiis hæreſeos, quam vocant, *Lutheranæ* inſimulatus in carcerem fuit compactus, in pomœrio Urbis extructum, ità, ut cuilibet ad illum pateret aditus. Hunc cœcum in ergaſtulo Pſalmos *D. Lutheri*, erectâ & clarâ voce canentem *Weſenbecius*, cum reliqui ſtudioſi pilâ luſoriâ ſe in illo loco exercerent, non citra periculum attentiſſimo animo ſæpè audivit.

Ab hoc pietatis & conſtantiæ exemplo tandem motus, cœpit Biblia diligenter evolvere, adhibitâ lectione librorum, à *Luthero* & aliis orthodoxis editorum, quorum tum temporis copiam habere potuit.

Acceptâ igitur ſolidiori verbi divini intelligentiâ, ſummoperè ſtudium illud pietatis & reverentiæ ergà Deum coluit, fovit, auxit, & confirmavit. Orationi habendæ ſingulis plerunque diebus, quinque horas, matutinam nimirùm, quando cubitu ſurrexerat, nonam prandium antecedentem, quartam pomeridianam, cum illâ lectione vacabat, & horas ambas uſque ad octavam cœnam ſubſequentes, impendere conſueverat, quibus apud Deum, cordium ſcrutatorem, interiorem cordis affectum exponebat.

Biblia ſacra ſtudio ſummo & religione evolvit, perlegit, ponderavit. Undè & interpretationes ac annotationes margini paſſim adjecit, quæ veræ & orthodoxæ religionis ſtudium, divinamque quandam redolent ſapientiam.

Excellentiſſimum illud Pſalmorum opus & novi teſtamenti libros, præ reliquis unicè *Ejus pietas.* fuit exoſculatus, uti apparet variis ex elogiis, quæ codici ſuo manu propriâ adſcripſit, ut ad Pſalmi illius precationem: Deus docuiſti me à pueritiâ meâ, & huc uſque indicavi mirabilia tua, quare etiam dum ſenex & canus ſum, ne derelinquas me, ipſe hoc diſtichon adſcripſit:

Qui me ſervaſti patrum, juvenemque virumque:
Nunc fer opem miſero, Chriſte benigne! ſeni.

Adjunxit prætereà Patrum & aliorum præſtantium in ſtudio Theologico Autorum lectionem aſſiduam. Nunquàm tamen, quod & *D. Auguſtinus* faciendum monet, eorum literas, ut canonicas habuit; ſed ex canonicis conſideravit, & quod in iis divinarum literarum teſtimoniis conſentaneum fuit, cum laude recepit, quod verò diſſentaneum, cum pace & ſalvâ illorum exiſtimatione rejecit.

Scripta, quibus poſteritati prodeſſe voluit, præcipua ſunt hæc: *Scripta.*

Oratio de Papiniano, in prælectionum ingreſſu Wittembergæ dicta.

Huc addita ſunt & alia utilia de *Franciſco Burcardo*, de *Andrea Weſenbecio*, de *Victorino Strigelio*, item *Epiſtolæ*, *Scholia in Inſtitutionum libros quatuor, cum argumentis.*

Subſcriptio ad Conſilium Chriſtophori Hundeſiani in cauſâ *Honoldinâ*.

Oeconomia Juris.

Oratio de Mudæo J. C.

Tractatus & reſponſa, vulgò Conſilia Juris, quibus graviſſimæ Juris utriuſque controverſiæ deciduntur.

Extat

Extat & *Epiſtola Weſenbecii* hujus ad *Senatorem quendam Belgam*, in quâ illud urget: *Deo magis obediendum, quàm hominibus.*

Ibidem & *Theſes* reperiuntur *juridicæ*, ipſo præſide, in *quinquaginta Pandectarum libros.*

Totum jus civile artificioſâ & clariſſimâ methodo in artis formam, à multis anteà, etiam ab ipſo Cicerone, deploratam, aut deſideratam, redegit: & nunquàm intermorituris lucubrationibus univerſum jus illuſtravit, ut non magis ſtupendum, quàm utile opus dici meretur.

Ipſe denique & de ſe & inſignibus gentilitiis hæc carmina, ſicut nullius humanioris eruditionis fuit hoſpes, reliquit, quæ colophonis loco adſcribere lubet. Ità ergò de ſe:

In Belgis natus, Germanis hoſpes in oris,
Exilii tolerans, quod fert Eccleſia, partem,
Conficio ſpatium peregrinæ flebile vitæ,
Dum veram vocor in patriam, quæ ſanguine parta eſt
Chriſte tuo tu me poſt funera magna Sacerdos
Suſcipe, & extremæ ſubduc diſcrimine luctæ.
Mors tua vita mea eſt, tu debita lytra parenti
Solviſti moriens, ut per te vivere poſſim.
Hâc ergò fretus ſpe non dubitante recondar
In mortem, Dux Chriſte tuam, quæ janua vitæ eſt:
Ut tecum moriens, tecum ô mea vita reſurgam.

Luſit in inſignia ſua hæc:

Lilia cum auratis creſcant argentea malis,
Quæ campo æthereo virgula vulva ſecat.
Illa Weſenbeciæ fautrix Antverpia gentis,
Temporibus lætis patria dives alit.
At modò converſis, ut ſunt mortalia, fatis,
In queis nil ſtabile eſt, perpetuumq; nihil:
Ipſa ſui haud compos, tacitè vix audeat illam.
Nunc inter cives annumerare ſuos.
Ergò funeſtæ ſi convenientia ſorti
Pingere vis, pictor, ſtemmate, pinge crucem.
Hoc, ait, in ſigno, vinces, Deus, hæc rata ſancto,
Chriſti adſûm ſacræ ſymbola militiæ.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum Germanorum*, & *ex Jubilæo Wittenberg. D. Johannis Meuſneri.*

MARTINUS NAVARRUS.

Obiit A.C. 1586.

AB *Aſpilcuetâ* cognomen gerens, natus eſt in Regno *Navarræ* A.C. 1492. Undè Doctor *Navarrus* vulgò vocatus eſt.

Doctor Navarrus vocatur.

Vir divini humanique Juris conſultiſſimus, & eximiâ vitæ ſanctimoniâ præditus, cum ad Religioſorum inſtituta vocaretur, procul abdicatis rerum ſecularium curis, totus Divinis contemplationibus vacavit, ut ideò Eccleſiæ *Romanæ* non ſolùm vitâ Sacerdotali, ſed etiam ſcriptis graviſſimis fuerit ornamento.

Juriſconſultus Religioſus. *Sacerdos.*

Salamancæ in Academiâ ſupra 14tum annum *Decretorum Libros* explicavit.

Salamancæ Decretorū Profeſſor.

Mox ad Jus Pontificium in Lycæo regni *Portugalliæ Conimbricenſi* docendum evectus, id munus decennio fideliter exercuit. Eodem tempore cum laude in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando à Secretis fuit *Johannæ Auſtriacæ*, & ejus Nepotibus.

Juris Pontificii Profeſ. Conimbric.

Exindè *Romam* profectus, ut *Bartolomæi Carranzæ*, Archiepiſcopi *Toletani*, cauſam præſens ageret, ibi tùm Pontificibus *Pio V. Gregorio XIII.* & *Sixto V.* tùm JurisConſultis *Romanis* gratiſſimus cum eſſet, nec non Cardinalibus, vitæ reſiduum tranſegit. Vir cibi minimi, ſomni exigui, in ſtudiis aſſiduus, corpore tàm macilento, ut hominis ſpirantis imago videretur, in quo ſub tenui carne ſpiritus eniteſceret.

Advocatus Romæ.

Pauperum cauſas non ſolùm ſummâ induſtriâ tractavit, ſed etiam ad eorum inopiam ſublevandam patrimonium & proprios reditus liberaliter erogavit.

Pauperum Patronus.

Senex octogenarius, viribus infirmis conſulens, per Urbem mulæ inſidens vehebatur, quæ aſſuetudine, quaſi heri ſui animum cognoſceret, quoties inter eundum pauperes habebat obvios, toties in viâ conſiſtebat, donec mendicantium inopiæ pius ſenex eleemoſynâ datâ ſubveniſſet.

Ità tandem vitam piè traductam morte beatâ finiit *Romæ* 11. Cal. Jul. A.C. 1586. ætatis 94.

Moritur Romæ.

Libros ſcripſit & edidit:

Opera Theologica & Juridica.

Commentar. in Jus Canonicum.
Prælectiones.
Manuale.
Conſultorum Lib. V.
De Regularibus Comment. V.
Enchiridion confitentium.
Tract. de reditibus beneficiorum.
de Uſuris.
de anno Jubilæo, & Indulgentiis.
de finibus humanarum actionum.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Jac. Phil. Tomaſini, & ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

MARTINUS AB ASPILCUETA
per anagr.
Beatus in cœlum aſpirat.

Romæ ſepultus jacet in Templo *S. Antonii de Padoa*, in *Campo Martio*, cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

D. O. M.
MARTINUS AB AZPILCUETA NAVARRUS
H. S. E.
DIVINI HUMANIQUE JURISCONSULTISS. QUI SALMANTICÆ PRIMUM, DEINDE CONIMBRICÆ FAVENTIBUS PORTUGALLIÆ REGIBUS JUS PONTIFICIUM DOCUIT. ROMAM PROFECTUS PIO V. GREGORIO XIII. SIXTO V. P.P. M.M. CHARUS, OMNIBUS NATIONIBUS GRATUS, HUIC XENODOCHIO BENEFICUS.
OBIIT XI. CAL. JULII MDXXCVI. ÆTATIS SUÆ XCIV. M. VI. D. VII. MULTIS DOCTRINÆ SUÆ PERVULGATIS MONUMENTIS MARTINUS ZURIA AVUNCULO
B. M. POSUIT.

* * * *

Ab hoc Eccleſia Catholica eum accepit fructum, ut ab illo autore edito *Confitentium Enchi-*

Enchiridio omnes, qui Confeſſiones excipiunt, ſuo ſe munere fungi poſſe fateantur, & qui ante eum natum in illo munere verſabantur, ſummis difficultatibus & tenebris immerſos. Primùm *Toloſæ*, deindè *Salmanticæ*, demùm *Conimbricæ* in ſpatiis literariis ita perſtitit docendo, ut rude donatus publicâ auditorum prærogativâ, emeritis tamdiu ſtipendiis eodem prœmio afficiendus judicaretur, quo ad profitendum fuerat ultimo loco à Rege *Johanne III.* in *Luſitaniam* invitatus.

Tanta ejusdem fuit doctrinæ vis & auctoritas, non vulgi opinione collecta, ſed publico totius Reipublicæ Chriſtianæ teſtimonio comprobata, ut ejus ſententia certa quædam lex & quaſi oraculum ſit habita. Perſtabat ſemper in precationum aſſiduâ vigiliâ; abſtinentiæ adeò ſtuduit, ut ſtatis diebus jejunium ab Eccleſiâ indictum nunquam neglexerit, eaque in victu potuque moderatione, & in libidinibus abſtinentiâ vixit, ut incolumi valetudine vitam diutisſimè produxerit.

Salmanticæ majorem bonorum partem pauperibus erogavit. *Conimbricæ* domus ejus pauperum erat receptaculum. Qui dies de ſuperiore loco Decreta Pontificum interpretantem eum videbat, eundem ſæpè in xenodochiis ægris & pauperibus linteo præcinctum lecto & menſis miniſtrantem ſæpè intuebatur. Et in Urbe orbis reginâ ſibi ſubtrahere ſolitus, quæ inopiâ laborantibus ſuppeditaret, afflictos re & conſilio ſublevabat.

Judicium illius quanti *Romæ* fecerint, indicio eſt, quod cum A. C. 1579. *Romam* venit, tres Summi Pontifices, *Pius V. Gregorius XIII.* & *Xyſtus V.* illius ſapientiæ graviora pœnitentium negotia crediderint.

De jure reſpondebat non quæſtu aut emolumento adductus, ſed de republicâ benè merendi & omnes juvandi ſtudio.

Eo ſtudio ergà S. Euchariſtiam inflammatus fuit, ut 90. ampliùs annos natus quotidiè ritu ceremoniisque ab Eccleſiâ Catholicâ inſtitutis ſacris operaretur. Cum in ultimis verſans animam ageret, adeſſentque, qui ad mortem fortiter obeundam animarent, cum ad illum cruciatûs Chriſti locum ventum eſſet: *Ego palàm locutus ſum mundo, at in occulto locutus ſum nihil*, eadem moriente jam voce recitans, tanquàm & ipſe in hâc re ſecutus Chriſti veſtigia eſſet, Chriſto ſpiritum reddidit. Hæc ex laudatione habitâ in funere à *Thomâ Gorræo Luſitano*.

Vitam ejus fuſiùs *Romæ* ſcripſit *Simon Magnus Eburo*, ejus contubernalis, & pòſt disertè *Julius Roſcius Hortinus*.

Ore erat non pulchro, naſo aquilino, ſtaturâ procerâ, macie lucubrationibus & vigiliis contractâ. Auditorem habuit de multis *Didacum Covarruviam*, pòſt *Salmanticæ* Juris Profeſſorem, denique *Hiſpaniæ* Præſidem ac Præſulem *Segubienſem*.

* *Ex Bibliotheca Hiſpaniæ diverſorum auctorum.*

MICHAEL TEUBERUS.

Obiit A. C. 1586.

Natus *Islebiæ*, in Comitatu *Mansfeldico*, 15. Aug. A. 1524.

Patrem habuit honeſtate præſtantem, qui vivendo 84tum ætatis annum explevit. Adoleſcens à Patre ſtudiorum gratiâ *Wittenbergam* miſſus, ſtatim in familiam D. *Lutheri* aſcitus eſt, quod in præcipuâ parte felicitatis ſuæ poſuit. *Lutheri familiaritas præcipua Teuberi felicitas.*

In Philoſophiæ ſtudiis Præceptorem habuit *Philippum Melanchthonem*. *Auditor Melanchthonis.*

A. 1544. Sub Decano *Guilielmo Ryvenio, Trajectino*, Philoſophiæ Magiſter renuntiatus eſt.

Deindè ad legum ſtudium ſe convertens, publicè docentes audivit J.C.tos celeberrimos, *D. Hieronymum Schurffium* & Licentiatum *Conradum Mauſerum*, quorum operâ tantum profecit, ut ad forum animum applicare cœperit. *Juris ſtudium amplectitur.*

Tum ad Academiam *Ingolſtadienſem*, excolendi ingenii causâ, profectus Doctori *Fabio Arcadi de Namiâ*, *Romano*, J.C.to famoſo per aliquod tempus ſeſe informandum dedit. *Ingolſtadium venit.*

13. Januarii A. 1550. Uno eodemque die *Wittenbergæ* Doctor creatus eſt à D. *Laurentio Lindemanno*, & matrimonio junctus cum virgine *Euphroſynâ*, D. *Benedicti Pauli*, J.C. & Prof. filiâ. *Doctor Juris & Sponſus.*

Eodem anno in Collegium J.C torum cooptatus, & in profitendi munere ſocero ſuffectus eſt A. 1552. *Profeſſor Juris.*

Collegas tum habuit *Johannem Trautebuli*, *Anton. Freudemannum*, *Joh. Schneidewinum*, *Laurentium Lindemannum*, & *Ulricum Siccingerum*.

Deindè ab Adminiſtratore Epiſcopatûs *Caminenſis* vocatus, *Wittebergâ* diſcedens, Cancellarii munus ſuſcepit, Syndici etiam munus in oppido veteri *Stetino* imponi ſibi paſſus eſt. *Cancellarius Epiſcop. Caminenſ.*

A. 1565. In Academiam *Wittenbergenſem* revocatus, *Georgio Cracovio* in aulam *Sax.* aſcito ſuffectus, & Profeſſio ordinaria Decretalium ei demandata eſt. Relatus eſt quoque in numerum Aſſeſſorum ſupremi judicii, quod appellationum vocant. *Profeſſor Decretalium. Aſſeſſor ſupremi Appellationum Judicii.*

Conſiliarius præter Elect. *Sax.* Ducum *Brunsvicenſium*, *Megapolenſium*, *Pomeraniæ* & *Aſcaniæ* fuit. *Conſiliarius Brunsvic. & Megapol.*

Varias inſuper Legationes laudabiliter obivit.

A. 1572. Præcipuam operam impendit, dum unà cum Collegis ſuis, *Matthæo Weſenbecio* & *Joachimo à Beuſt*, *Jacobo Thomingio*, Prof. *Lipſ. Leonhardo Badehorno* ſeniore, & *Johanne Reiffſchneidero*, Decano *Marſtburgenſi*, Conſtitutiones Electoris *Sax.* nomine publicandas conſcripſit.

An. 1586. 9. Jul. Uxorem *Euphroſynam* morte ſurreptam amiſit, ex quâ decem liberos ſuſcepit, omnes in ætatis flore extinctos, præter filiam unicam matri homonymam conjugio junctam *D. Andr. Rauchbaro*, Conſil. *Sax.* 16. Sept. ſeq. Uxorem ſecutus *Moritur.*

Zzzzz in piâ

in piâ DEI invocatione animam exhalavit, cum vixiſſet annos 62. Cernitur autem ibidem in Cœnobio *Franciſcanorum Epitaphium Michaëlis Teuberi*, J.C. celeberrimi piè defuncti XV. Sept. Anno MDXXCVI. ſequens:

Epitaphium.

Ant è dies ſeptem decies heu morte ſolutæ,
Hic propè Teuberus conjugis oſſa cubat.
Juſtitia clarus, nulli pietate ſecundus,
Doctior haud quisquam jure in utroq; fuit.
Nec tamen hunc pietas, Themis haud doctrina valebat
Morte levare, licet vivere dignus erat;
Sed poſt ſex decies agitur dum tertius annus,
Morte datur vita nunc meliore frui.
Nempè mori didicit vitæ dum fila trahebat;
Ergò quisquis amas vivere, diſce mori

Scripta.

Edidit:

Reſolutionem quinquaginta quæſtionum.

Scriptum, cui titulus: D. Mich. Teubers nothwendige Erklärung / was bey Anſtellung und Vollführung der Proceß / fürnemlich am Cammergerichte / in acht zu nehmen.

Item: Von des H. Reichs Acht Erklärung / wie darinn zu verfahren / und ſich davon zu erledigen / aus der Cammergerichts-Ordnung und Reichs-Abſchieden *extrahiret*.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

HENRICUS SYDNEIUS.

Obiit A.C. 1586.

EX veteri illuſtrique familiâ è Ducatu *Andegavenſi* in *Galliâ* ſtemma ducens, Patre *Guilielmo Sydneio*, Equite aurato, natus eſt A. C. 1529. Sub finem regnantis *Henrici VIII.* ab infantiâ educatus in aulâ Regiâ Principi *Edoardo* tàm charus fuit, ut eum lecti ſui conſortem fecerit.

Principi Angliæ Edoardo charus.

Cum deindè *Edoardus* in Regale Solium collocaretur, tertio Regni ſui annò Equitis aurati & Cubicularii dignitate decoravit eum.

Eques auratus & Cubicularius Regius.

Eodem tempore A. C. 1550. ætatis ſuæ 21. ablegatus ad Regem *Galliæ Henricum II.* legatione cum laude perfunctus, & domum reverſus cum eſſet, poſteà Rex morti proximus in conſortis hujus ſui ulnis exſpirare voluit A. 1553.

A. 1554. Regina *Maria* eum in *Hiberniam* amandavit, & ibi eum Theſaurarii ac Juſtitiarii dignitate exornavit, ubi ab incolis in honore habitus, quaternis vicibus factus eſt Dominus Juſtitiarius.

In Hiberniâ Theſaurarius & Juſtitiarius.

A. 1564. Regina *Eliſabetha* ei honorem *Georgiani* Ordinis Aureæ Periſcelidis attribuit, nec diu poſt *Walliæ* Præfecturam commiſit.

Eques Aureæ Periſcelidis.

Deindè tribus diſtinctis vicibus cum Imperio Proregis in *Hiberniam* miſſus, ibi Caſtellum *Dublinenſe* reparavit. *Hibernica* ſtatuta nunquam prius publicata typis excudi curavit, & Academiam etiam in *Hiberniâ* fundâſſet, niſi morte præventus fuiſſet.

Prorex Hiberniæ.

Statuta Hibernica typis emiſit.

Ex Conjuge *Mariâ*, *Johannis Dudlei*, Ducis *Nortumbiæ* filiâ natu maximâ, multiplicem progeniem habuit. Totius vitæ curriculo Evangelium Chriſti profeſſus ex frigidâ paralyſi naturæ debitum ſolvit *Wigorniæ* A. C. 1586. ætatis 57. Corpus *Penshurſtum* in *Cantio tranſlatum* ſepultum eſt.

Moritur paralyſi.

* *Ex Herologiâ Anglicâ.*

PHILIPPUS SYDNEIUS.

Obiit A.C. 1586.

HEnrici *Sydnei*, Equitis aurati, primogenitus in aulâ *Eliſabethæ* Reginæ educatus, ab eâdem Eques auratus factus eſt. Non tàm Marte quàm Muſis nobilitatus heros propter eruditionem, pietatem, & laudes militares inter maximè rara ſui temporis exempla numerari meruit. An. 1585. *Regina Eliſabetha* eum ſuo fiduciario oppido *Fliſſingæ* & Caſtello *Rammekens* in *Seelandiâ* honorificè præfecit.

Eques auratus eruditus.

Præfectus Fliſſingæ.

Statibus unitis in *Belgio* militans, cum vulnus lethiferum in femore ab ictu bombardico accepiſſet, 24to die pòſt *Arnhemiæ Geldrorum* obiit 16. Oct. A.C. 1586. Mortui cadaver ſororis ſuæ filii *Robert. Dudleius*, *Leicestriæ* Comes, tum *Belgii* fœderati præfectus, *Londinum* ad ſepulturam deferri curavit.

Ex vulnere lethali moritur.

* *Ex Herologiâ Anglicâ.*

Joh. Owenus, Poëta Angl. hoc ei fecit *Encomium Epigramm. 27. & 28. Lib. II.*

Epigramma.

Quod ſit ab antiquo tantùm cantatus Homero
Felicem Macedo Rex vocat Æacidem.
O me infelicem! quia tu, divine Philippe,
Fœlix carminibus non potes eſſe meis.
Qui ſcribenda facit, ſcribitve legenda beatus
Ille; beatior es tu, quod utrumq; facis.
Digna legi ſcribis, facis & digniſſima ſcribi:
Scripta probant doctum te tua, facta probum.

Idem de ipſius Arcadiâ.

Ipſe tuam moriens (vel conjuge teſte) jubebas
Arcadiam ſævis ignibus eſſe cibum.
Si meruit mortem, quia flammam accendit amoris,
Mergi, non uri, debuit iſte liber.
In librum quæcunque cadat ſententia, nullâ
Debuit ingenium morte perire tuum.

VICTORINUS GRUNERUS.

Obiit A.C. 1586.

JEnâ-Thuringus. In patriâ Academiâ Jurium Doctor promotus 22. Nov. A.C. 1575. unà cum D. *Marco Gerſtenbergero*, *Butſtadio-Thuringo*, & biennio pòſt A. 1578. Juris-Conſultorum Ordini additus, inque Profeſſorum Publicorum numerum relatus 7. Sept. & quidem *Salveldiæ*, in quam ad *Salam* civitatem ob peſtem *Jenæ* graſſantem ſuis cum Muſis migraverat, pauſam hujus vitæ fecit 2. Nov. A. C. 1586.

Juris Profeſſor Jenæ.

Moritur Salveldiæ.

Filium reliquit cognominem, in Aulâ *Saxon. Altenburgenſi* Secretarium, natum ex *Euphroſyne*, *Johannis Forſteri*, *Saxo-Vinarienſis* Conſiliarii filiâ, & *Eliæ Forſteri*, U. J. D. & *Saxo-Altenburg.* Cancellarii ſorore.

* Ex

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc in ejus honorem *Epigramma* addidit:

Epigramma.

Dat Victorino Grunero patria Jena
Legitimè meritum Jure in utroq; gradum.
Juriſconſultos inter quoque collocat, amplo
Et Profeſſoris nomine honorat eum.

Obiit A.C. 1587.

MATTHIAS COLERUS.

A*Ltenburgo-Miſnicus*, natus eſt An. C. 1530.

Promotus in Univerſitate *Leucoreâ* Doctor & Philoſophicus A. 1550. & Juridicus 1. Dec. A. 1558. In *Salanâ* Juridicos inter Profeſſores Publicos cooptatus vice cum primâ An. 1558. usque ad 27. Febr. An. 1569. quo *Philippo-Strigeliano* Synergiſmo addictus fuit dimiſſus, tum ſecundâ 16. Junii A. 1573. quò D. *Petro Premo* ordinario primo abeunti in Ordinariatu ſucceſſit.

Juris Profeſſor Jenæ.

Intereà in Curiâ provinciali A. 1566. die Lunæ poſt *Ægidii* habiti ſub *Theodorico* Brandſtein in Wernburg primo Judice, primorum Advocatorum fuit primas.

Advocatus in Curiâ provinciali primarius.

Placidè vitâ deceſſit *Jenæ* ... 22. April. A. C. 1587. æt. 57.

Moritur.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jen. M. Adriani Beyeri*, qui hoc ei adſcripſit *Epigramma* honorarium:

Epigramma.

Matthias *gemini ſinuoſa volumina Juris*
Colerus *dextrâ ſedulitate docet.*
Jenâ diſcedit: revocatus ritè Senatûs
Juridici Preſes, Premo abeunte, manet.

Obiit A.C. 1587.

PAULUS MONTANUS.

U*Ltrajectenſis*, natus 5. Id. Sept. A. C. 1530. Prima literarum rudimenta in Patriâ accepit: Jurisprudentiæ initia *Lovanii*, & Lauream Juris *Andegavi* in *Galliâ* 7. Id. Jul. A. C. 1550. In Patriam redux, à *Philippo II. Hiſpaniarum* Rege, in Senatum Provinciæ *Ultrajectinæ* adſcitus, annos ferè 19. ſententiam dixit Vir comis & humanus, ab ambitione alienus, omnibus benè volens.

Juris Doctor.

Conſiliarius Regis Hiſpaniæ.

Vixit usque ad A. C. 1587. æt. 57.

Moritur.

Scripſit:

Scriptum.

Commentar. de Tutelis à liberis poſt mortem editum.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1587.

PETRUS BEUTRICHIUS.

M*Ompelgarti*, Ducatûs *Wirtenbergici* oppido, natus eſt A. 1538.

A puero literis deditus, ità in Politicis & Legum ſtudiis verſatus eſt, ut *Valentiæ* in *Galliâ* Doctoratus titulis & honoribus fuerit ornatus.

Doctor Juris.

Deindè *Fridericus III.* Elector *Pal.* à Conſiliis eum ſuis eſſe voluit, & cum filium *Johannem Caſimirum* cum copiis auxiliaribus in *Galliam* mitteret, hunc eum ei cum *Wenceslao Zulegero* Conſiliarium adjunxit.

Conſiliarius

A. 1577. Ad *Galliæ* Regem cum aliquot *Germanorum* equitum ductoribus legatus coràm Rege expoſtulationem inſtituit, quòd pecunia promiſſa non fuerit data.

Legatus ad Galliæ Regem.

Sub id tempus dum in *Galliâ* hæret, à præcipuæ dignitatis Viro ad convivium invitatus, veneno appetitus fertur, undè quidem evaſit, ſed non ſine vitæ & valetudinis jacturâ.

Veneno appetitur.

Poſteà cum ob religionis libertatem ſuis conceſſam *Gebhardus*, Elector *Colon.* periclitaretur, *Joh. Caſimirus*, Princeps *Palatinus*, ei cohortes ſelectas ex *Helvetiis* & *Gallis* conſcriptas Duce hoc *Beutrichio* in auxilium miſit, quas cum Archidux *Auſtriæ* tranſitu in *Alſatiâ* prohibere tentâſſet, viam ſibi partim vi, partim ſtratagematibus aperuerunt: cumque aliquando hoſtes pontem quendam, qui *Beutrichio* cum copiis tranſeundus erat, occupâſſent, ipſe primus eos adortus plures octo, antequam à reliquis adeſſe ſentiretur, confecit, atque ſic cœteris fugatis tranſitum pontis obtinuit.

Militiæ Dux ſtrenuus.

Deindè per *Rhenum* deſcendens egregio etiam ſtratagemate *Erneſti Bavari* exercitum *Andernaci* oppoſitum eluſit, omnesque ſuos incolumes *Bonnam* perduxit, & poſteà hoſtes ſatis feliciter aliquot velitationibus tentavit, ac ſemper ipſe primus inter ordines fuit.

Cum ità patriæ vitam omnem impendiſſet, obiit *Haidelbergæ* phthiſi conſumptus 12. Febr. A. 1587. ætatis 49. Sepultus eſt ibidem in ædis *Petrinæ* choro, ac tali monumento à ſuo Principe honoratus:

Moritur.

Epitaphium.

ARTE, SORTE, MARTE,
EXERCITUUM DUCTORI,
S.
PETRUS BEUTRICHIUS
MONBELGARDENSIS
CUM GENTIS SUAE HON. TENUITATEM
VIRT. ET ERUD. FAMA
ILLUSTRASSET.
PRUD. ET INTEGRITATIS LAUDEM
EX VARIIS LEGATIONIBUS
RETULISSET;
FRANCORUM REGEM LIBERAS VOCES
FERRE AC PERFERRE
DOCUISSET:
HELVETIUM MILITEM INDUSTRIE
CONSCRIPSISSET:
GALLORUM COHORTEM PER
HOSTES INFESTOS BONNAM
PERDUXISSET:
APERTIS OCCULTISQUE INIMICORUM
MACHINIS INVICTUS
SUB IPSA NAVARRÆ EXPEDIT.
CONTRA
IMPIÆ CONJURATIONIS TYRANNOS
SUSCEPTÆ INITIA
A TER MAX. IMP. LECTUS
EMIGRAVIT
CIↃ IↃ XXCVII. PRID. ID. FEBR.
ÆTAT. 42.
JOHANNES CASIMIRUS C. ET ADM. PAL.
BAVARIÆ DUX
CONSILIARIO, LEGATO, TRIBUNOQUE
MERITISSIMO P. D.

Virtutes & eruditio Beatrichii.

Hiſtorias *Romanas* & *Græcas* adeò ſibi familiares reddidit, ut nihil ipſum ſtratagematum militiæque veteris lateret, & verè *Xenophon Germanicus* fuerit dictus.

Severus fuit diſciplinæ militaris obſervator. Cum oppidum quoddam in diœceſi *Colonienſi* deditionem feciſſet, edixit publicè, ne quis ſub pœnâ patibuli civibus quippiam eriperet. Ibi cum offendiſſet quendam nobilis capitanei ſui intimi ſervum in ciſtâ effringendâ laborantem, illicò ſuo gladio transfodit.

Filium reliquit cognominem, qui arcem *Neidenfels* propè *Neapolin Nemetum* à *Joh. Caſimiro* patri donatam inhabitavit, ſed ſine liberis obiit.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

Obiit A.C. 1587.

JULIANUS GOSSELINUS.

ROmæ natus, ortu verò *Niſſenſis*, ex *Monteferrato*, A. ætatis 17. Secretarii munere fuit honoratus à Duce *Ferdinando Gonzagâ*, Regni *Siciliæ* tunc Vicerege, poſteà verò Status *Mediolanenſis* Regis *Hiſp.* nomine Gubernatore.

Secretarius Viceregum aliquot Mediolani.

Hoc Duce defuncto perſeveravit in eodem Secretarii officio apud Ducem *Albanum*, Succeſſorem *Gonzagæ*, & deinceps apud Ducem de *Seſſâ*, Gubernatorem quoque *Mediol.* qui Secretarium hunc ſuum in *Hiſpaniam* ſecum abduxit, ubi tunc Ducis ægrotantis negotia ardua coràm Rege *Philippo II.* tanto cum judicio & dexteritate tractavit, ut à Rege ſtipendium annuum 200. coronatorum ipſi decretum fuerit.

Mediolanum ex *Hiſpaniâ* reverſus, miniſterio Marchionis de *Peſcarâ*, qui Duci *Seſſano* in Status *Mediol.* gubernatione ſucceſſerat, ſeſe addixit, qui Conſiliarium ſuum in negotiis gravibus conſtituit eum.

Ab hujus Succeſſore verò Duce de *Albuquerque*, ſiniſtrè de eo judicante ſpoliatus Secretarii honore vitæ periculum incurrit, quam tamē perſecutionem patienter ferens cum gloriâ ſuâ portum ſecuritatis acceſſit.

Secretarii quoque munere Marchioni de *Alamonte* & Duci de *Terrâ novâ* Gubernatoribus ambobus Status *Mediolanenſis* inſervivit, ſummo in pretio ab iis habitus, vir quippe fuit præter integritatem vitæ in converſatione ſuavis, ergà amicos officioſus, & in conciliandis inimicis admirabilis: cumque ultrà 40. annos variis Principibus Secretarii munus obiiſſet, ſtudiis nihilominùs operam dedit, quod ſcripta edita ab eo teſtantur.

Moritur.

Mediolani tandem morte ſublatus eſt 12. Febr. A. C. 1587. ætat. 62. Sepultus in Sacello familiæ ſuæ cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

JULIANO GOSSELINO
INTEGRITATE, PRUDENTIA, CONSILIO
ADMIRABILI,
SUMMIS PRINCIPIBUS CLARISSIMISQUE
VIRIS CHARISSIMO,
COMPONENDIS DISCORDIIS NATO,
POETÆ ILLUSTRI, ET HISTORICO EXIMIO,
CLARA ALMANA UXOR MOESTISSIMA
MARITO COMMUNI OMNIUM LUCTU
DEPLORATO POSUIT.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia: *Scripta.*

Epiſtole varie.

Carmina varia.

Vita di Don Ferdinando Gonzaga.

Tre congiure, de Pazzi, & Salviati contra i Medici: del Conte Giovann Luigi de Fieſchi contra la Republica di Genoa, & d' alcuni Piacentini contra il loro Duca Pietro Luigi Farneſi.

Ragionamenti ſopra i componimenti del Borgheſi.

Dichiaratione d' alcuni componimenti.

Amore della Patria, componimento ſcenico & belliſſimo.

Vera Narratione delle coſe paſſate ne' Paiſi Baſſi, dopo la giunta di Don Giovanni d' Auſtria. Quod ſcriptum incerti Autoris ex linguâ *Gallicâ* in *Italiam* convertit.

Manuſcriptum reliquit in Bibliothecâ *Ambroſianâ Mediolani:*

Il Compendio della Guerra di Parma & del Piemonte à Don Ferdinando Gonzaga &c.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Obiit A.C. 1587.

ANTONIUS NICOLAIUS.

REceptâ *Gallicis* armis *Neapoli*, Rex victor Senatum in eâ Urbe conſtituit, Cancellariique dignitati præfecit virum nobilem ex *Gallia Narbonenſi Joh. Nicolaum*, qui paulò pòſt *Lutetiam* reverſus, primò libellorum ſupplicum in Regiâ Magiſter, deindè ſupremæ Rationum Curiæ primarius Præſes à Rege *Ludovico XII.* dici meruit: ætate verò gravior, abdicatis reipublicæ curis, & ſuffecto ſuum in locum *Æmario* filio, in patriam rediit, & in *S. Andeoli* ad *Rhodanum* oppidulo animam DEO reddidit. *Æmario* natus eſt hic *Antonius*, qui paterni hæres magiſtratus ultrà 34. annos eum tenuit, ejus itidem poſteà relicto ſucceſſore *Johanne* filio libellorum quoque ſupplicum *Lutetiæ* Magiſtro. *Avus ejus Johannes.* *Pater ejus Æmarius.* *Filius ejus Johannes.*

Huic itaque familiæ ſingulari Dei benevolentiâ conceſſum, ut 4. ex eâ ſummi viri ex ordine honorem ſupremum integro ſeculo poſſederint. *Omnes Curiæ Pariſienſis Præſides.*

Cœterum in *Antonio* viguerunt animi dotes quampluriмæ: magnum enim fuit ejus in omni re judicium, & incomparabilis in munere adminiſtrando cum fides tum diligentia, quâ de cauſâ permoti Reges intimis eum Regni conſiliis admiſerunt. Hanc etiam ejus fortunam ornabant paternæ & avitæ opes innocenter partæ ac habitæ. *Conſiliarius intimus Regis Galliæ.*

Staturâ fuit procerâ, ſed rectâ, colore non ſatis vivido, nec valetudine ſtabili, qui frequenti pleuritidis incommodo conflictaretur. Hoc tamen habitu vir ſobrius pervenit ad annum vitæ 62. ac poſtremò pridiè Nonas Majas A.C. 1587. in ædibus & amplexu *P. Amorii* Senatoris, quem pro veteri

Obiit apoplexiâ. teri neceſſitudine colebat, apoplexiâ extinctus eſt.

Sepultus eſt *Lutetiæ* ad *Medrici* fanum in *Balliotorum* ſacello, ex quâ familiâ maternam duxit originem.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum in Galliâ Scævolæ Sammarthani.*

SAMUEL BROTHAGIUS.

Obiit A.C. 1587.

GÖppingâ, aliis *Ulmâ-Suevus.* Philoſ. Magiſter promotus *Tubingæ* A.C. 1547.

Juris Doctor & Advocatus Spiræ. Gradu in utroque Jure legitimè impetrato *Spiræ Nemetum* Advocatum egit. Exindè *Jenam* profectus 22. Martii An. 1572. Matriculæ Facult. Juridicæ nomen dedit.

Profeſſor Juris Jenæ. 2. Martii A. 1573. *Johanne Wilhelmo*, Duce *Saxoniæ*, defuncto, cum omnes Profeſſores Juridici, nominatim *D. Petrus Premus, D. Virgilius Pirgizerus, D. Joh. Adamus Morderus* dimiſſi fuiſſent, ſolus *Brothagius* manere juſſus, Decanatu ſuccedaneo functus eſt.

Moritur poſt crus abſciſſum. *Jenæ* tandem ex dextri cruris inter ſaltandum læſi & ope Chirurgorum abſciſſi doloribus obiit 12. Junii A.C. 1587.

Aliquando prælecturus Auditorium Jurisconſultorum vetus, hodiè Medicis deſtinatum, ingreſſus, *D. Jac. Flachium*, Med. Profeſſorem, prælegentem offendit, & cum non ſine commotione ità allocutus eſt: *Cede Majori! Flachius* initiò territus, mox animatus, maſculè & appoſitè ex *Catone* reſpondit: *Parce minori.* Subſecuta eſt mira animorum unio, & Cathedræ communio.

* *Ex Nomenclatore Profeſſor. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc addidit *Epigramma*:

Epigramma.

Göppingæ natus Samuel Brothagius, artes
Tubingæ didicit cum pietate bonas.
Spiræ promovit Themidos ſacra Jura: profectus
Jenam, Profeſſor munia digna obit.

Sepulchro ejus hoc *Epitaphium* legitur inſcriptum:

Epitaphium.

Proſhagii fatum genus & miſerabile mortis
Nil ſtabile humanis rebus ineſſe monet.
Ille epulas inter ſolennes atque Hymenæos
Lætior ut paulo ſe exhilarabat ovans,
Ad cytharæ numeros & dulcia plectra choreas
Alternâ ductans mobilitate pedum:
Imminet à tergo fatum: Crus frangit, & ille
Poſt quartum ſecto mox obit ipſe diem.
Exequias celebrant pullâ veſte Camœnæ,
Interitumq́ viri mœſta Salana dolet.

LEONHARDUS BADHORNUS.

Obiit A.C. 1587.

NAtus eſt in Urbe *Miſnenſi* 6. Nov. A.C. 1510. Patre *Sigismundo*. A. ætatis 11. in Academiam *Lipſienſem* veniens, omnes gnaviter diſcendi occaſiones arripuit, perceptisque literis humanitatis orationes in illâ ætate habuit publicas quàm plurimas.

Cum autem Natura ad eloquentiam eſſet idoneus, ad Jurium ſtudium animum adjunxit, cujus ut uberiorem profectum ſibi compararet, ætate jam adultiore, cum & Decani in Comunitate bonarum artium, & Rectoris munere perfunctus fuiſſet, in *Italiam* profectus, ſummos tunc temporis Jurisconſultos audivit, & ſummo Doctoratûs gradu ornatus fuit. *In Italiâ Doctor Juris creatus.*

Poſt quinquennium, quo toto tempore in *Italiâ* commoratus fuit, reverſus ad ſuos denuò Academiæ *Lipſienſis* Rector deſignatus eſt, & in ampliſſ. Scabinorum ordinem cooptatus. *Rector & Scabinus Lipſienſis.*

Ab illuſtriſſ. etiam Electore *Saxoniæ Mauritio*, unà cum *Wolffgango Collero*, nobili, ad Synodum *Tridentinam* miſſus eſt, ubi cum audientium admiratione contrà Pontificios peroravit. *Legatus ad Synodum Tridentinam.*

Nam multò pòſt cum in J.C.torum Collegium eſſet aſſumptus, multos labores, ut & in ſupremæ Curiæ Electoralis judicio, poſteà ſuſtinuit. Indè ad Senatorum *Lipſienſium* ordinem adſcitus, etiam Conſulatum per aliquot annos geſſit. *Senator & Conſul Lipſienſis.*

Ex duplici conjugio vidit duos filios Doctores & Jurisconſultos, *Sigismundum*, & *Johannem*, quorum hic in matrimonium ductâ *D. Davidis Peiferi*, Cancellarii Electoralis filiâ Elect. *Sax. Chriſtiano* à conſiliis fuit; ille munere publico in judicio Provinciali functus eſt.

Omnium demùm honorum dignitatibus perfunctus è vitâ migravit *Lipſiæ*, 1. Julii A.C. 1687. ætat. 77. *Moritur Lipſiæ.*

* *Ex Programmate fun. Rect. Lipſ.*

JACOBUS MANGOTIUS, vel MANGOTUS.

Obiit A.C. 1587.

HUjus pater *Claudius* Themidis ſacris initiatus in forum *Pariſienſe*, relicto *Juliodunenſi* agro, ſe contulit, ubi famâ & fortunis auctis conſenuit, hoc uno maximè beatus, quod talem ex ſe filium edidit, cui ſi vitæ uſura contigiſſet longior, paucos *Gallia* pares fuiſſet habitura. *Filius Advocati Pariſ.*

Huic cum facultates abundè ſuppeterent, quibus pro more *Gallis* uſitato ſtatim ex ephœbis excedens ad ſummos in Reipubl. magiſtratûs progredi poſſet, tamen, quæ fuit ejus vel modeſtia vel prudentia, non priùs eo contendere voluit, quàm in privatorum cauſis agendis judicium uſu etiam & exercitatione confirmaret.

Ac primò quidem Vir factus, Libellorum ſupplicum in prætorio præfecturam adeptus eſt, cui mox & Regii Procuratoris in auguſtâ Rationum curiâ dignitatem adjecit: hunc fructum ex eâ conſecutus, quod non modò ex Archivorum tabulis, ſed etiam ex virorum virtute ac rerum uſu præſtantium conſortio ſolebat eorum, quæ ad totius rei *Gallicæ* ſtatum pertinerent, quotidiè peritior evadere. Quod poſteà lectus etiam Regis in Senatu Patronus magno ſibi ſenſit eſſe ad graviſſimi muneris functionem præſidio & ornamento. *Libellorum ſupplicum Præfectus. Procurator Regius in Rationum Curiâ. Patronus Regius in Senatu.*

Sed ſurgentem ejus gloriam ulterius fata progredi vetuerunt: febris enim oborta ſub autumnum A. 1587. vix 35. natum annos eripuit.

Moritur.

Defunctum in Senatu laudavit *Jacobus Paius Speſſeus*, ejus Collega, virtutumq; non minùs quàm muneris & laborum ſocius.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * * *

Regii Fiſci Patronus.

In Deum & Patriam verè pius ad eximium *Gallici* nominis ſtudium, cum Regii Fiſci in Senatu Patronus eſſet, generoſos ſpiritus attulerat, profundâ eruditione an facundiâ major incertum, ab omni ambitu & fuco alienus, & ſuprà omnem opum, quas ampliſſimas poſſidebat, amorem poſitus. Nec erat in tanto viro tot raris ingenii dotibus à Deo cumulato, quod meritò deſiderares, quàm firmiorem valetudinem, quæ per ſe debilis, aſſiduis pro communi ſalute ac Regni dignitate ſeriis cogitationibus & ſtudiis multùm debilitabatur, eò minore ſenſu, quò majore animo ad ea ferebatur.

Corpore debilis.

Igitur cum bello contrà Proteſtantes exorto ex auxiliaris exercitûs adventu ſpem concepiſſet, ut vel invitis quietis publicæ turbatoribus pax confici poſſet, ubi *Henricum III.* Regem malè conſultum tàm malè occaſione uti vidit, ad infirmam valetudinem publico mœrore accedente, ſub autumnum in gravem morbum incidit, qui poſtremò ipſi lethalis fuit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A. C. 1587.

HENRICUS HUSANUS.

ISenaci *Thuringorum* vitam hanc exorſus eſt A. 1536.

Puer Mercaturæ addictus.

Puer *Bergam*, *Norwegiæ* emporium, miſſus eſt, mercaturæ mancipandus. Sed cum ibi mercaturæ initiandi ſic è marinâ nudi extracti verberibus excipiantur, ut multus ſanguis exeat, nonnunquam etiam mors immatura ſubſequatur; ipſe à primo ſtatim experimento, miſsâ ad matrem interulâ cruore totâ perfuſâ, effecit, ut à Scythico illo diſciplinæ luſu (ità enim appellant Waſſerſpiel) domum revocatus, conſortioque Muſarum addictus feliciter ſtudiorum ſtadium decurrerit.

Waſſerſpiel initiati mercatores.

Literis operam dat.

Inter Præceptores ſuos laudat *Bartholomæum Roſinum*, commilitonem verò *Fridericum Widebramum*, cum quo *Stigelium* audivit, & *Wittenbergæ Melanchthonem* ſub Annum 1553.

Wittebergæ,

& Ingolſtadii,

Indè *Ingolſtadium* progreſſus, eruditionem mirificè auxit.

Galliam & Italiam adit.

E patriâ in *Galliam* ad *Bituriges* profectus, *Duareno* operam dedit. Hinc in *Italiam* digreſſus, *Patavii* A. 1559. febri ardente lethaliter decubuit. Undè *Elegiâ 7. lib. 1.* ità precatus:

Ægrotus decumbit.

O igitur mea lux, requies, ſpes unica, JESU!
Affer in articulo nunc mihi mortis opem.
Nunc apud offenſum pro me fac vota parentem,
Pacatumq; tuo redde favore mihi.
Sic mihi mors lucrum, ſic mundus cauſa triumphi,
Sic per te Satanas, gloria, victus erit.
Ecce patent cœli, vocor ex hoc carcere ſurſum,
O anima in requiem te mea verte tuam!
Rebus adhuc hæres etiam defixa caducis?
Quid tibi cum terrâ? ſordida terra vale.
Corpus humo linquens, animam tibi, Chriſte, remitto,
Mors adeſt & vitæ nunc mihi pande fores.

Redux indè *Spiræ* aliquandiu ſubſtitit & praxin Juris obſervavit.

Praxin Juris exercet.

Poſteà in aulam pertractus, modò egit *Suerini* An. 1572. modò *Wiſmariæ*, modò alibi.

E perluſtratione *Germaniæ*, *Galliæ*, & *Italiæ* redux A.C. 1561. 6. Sept. in Acad. *Jenenſi* Profeſſor Publ. & poſteà in Aulâ *Vinarienſi* & *Grimmenſteinenſi* Conſiliarius audiit usq; ad A.C. 1567. quo à Duce *Megapolitano* ad Cancellariatum vocatus abiit. Impetratâ dimiſſione, Reip. *Luneburgenſi* operam ſuam addixit, Syndici & Conſiliarii munere ſuſcepto.

Obiit *Luneburgi*, 9. Dec. A. 1587. æt. 54. ibidem tali cum monumento ſepultus:

Moritur.

Epitaphium.

HENRICO HUSANO ISENACENSI THURINGO, AB INEUNTE ÆTATE IN GERMANIA, ITALIA, ET GALLIA, BONIS LITERIS ET LINGUIS EXCULTO, ET MOX SUPER ÆTATEM EGREGIO ORATORI, POLITICO ET JCTO, SAXONIÆ ET MULTORUM PRINCIPUM CONSILIARIO ET LEGATO, CANCELLARIO MEGAPOLITANO, ET POST AULICARUM JACTATIONUM TÆDIUM LÜNEB. QUOQUE REIP. SYNDICO, DEXTERITATE ET USU RERUM CONSPICUO; ET IN CONSILIIS, TRANSACTIONIBUS ET PACIFICATIONIBUS MIRIFICE EXPEDITO PIEQUE HIC DEFUNCTO, IN SPEM OPTATISS. RESURRECTIONIS UXOR ET LIBERI CUM LACHRYM. P. P.

Chriſto uno duce carpe viam, ſic itur ad aſtra.
Aurea pulvereis præſtant, æterna caducis.
– – *Nulli ſine Marte triumphi.*
– – *Vita creſcendo decreſcit.*
– – *Mors lilia ſentibus æquat.*
Nil fragile à fracto differt, quod tu eſſe ſolebas,
Ipſe fui: ſies tu quoque, ſum quod ego.

Typis edidit:

Scripta.

Horarum ſucciſivarum ſive Imaginum Moſaicarum libros II.

Elegiarum lib. II.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum & aliis.*

Obiit A. C. 1587.

ANDREAS GAILIUS.

NAtus eſt *Coloniæ Agrippinæ* An. 1525. Primis literarum elementis imbutus, ad juris diſciplinam animum applicuit, ac primùm ejus Doctores in *Germania*,

pòſt

Doctor Juris.

póſt & in *Italiæ* & *Galliæ* Lycæis audivit, uti & inſignia Docturæ meruit.

Aſſeſſor Judic. Imp. *Conſiliarius Cæſareus.* *Cancellarius Colonienſis.* *Moritur.*

Reverſus verò ad ſuos, praxin aliquandiu exercuit, deindè *Spiræ* in judicio Imperii annis 11. aſſeſſorem ſe præbuit diligentiſſimum. Pòſt Imperatori *Maximiliano II.* à Conſiliis fuit aulicis & libellis ſupplicibus. Factus tandem Electoris *Colonienſis* Cancellarius, in patriâ mortuus eſt 11. Dec. A. 1587. æt. 62.

Scripta.

Scripſit:

Obſervationum Practicarum lib. II.

De pignoribus librum.

De pace publicâ, & proſcriptis ſive bannitis Imperii lib. II.

Tractatum de manuum injectionibus, ſive Arreſtis Imperii.

Literaria ei contentio fuit cum *Joachimo Mynſingero*, qui eum plagii arguit, quaſi fruſtulatim inferſiſſet ſuis ſcriptis quædam, ſuppreſſo Autoris nomine.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1588.

LUDOVICUS SANGELASIUS.

Legatus Gall. ad Concilium Tridentinum.

LAnſacus, olim cum *Arnoldo Ferrerio* & *Vido Fabro Pibracio*, Regis *Galliæ Caroli IX.* juſſu, ad Concilium *Tridentinum* Legatus miſſus, ad *Andream Guillarium*, inſularium Regis apud S.P. *Pium IV.* Oratorem literis datis multum de Synodi vitio, ac illicitis contrà Regem Regnumque machinationibus queſtus fuerat, poſtremò ſubjiciens, indignè omnes ferre, cum Synodus *Tridenti* convocata eſſet, nihil tamen *Tridenti*, omnia *Romæ* decerni: Præſides quippè Concilii quæcunque iſtic proponerentur, confeſtim ad Pontificem mittere, ac demùm quæ ipſi placuerint, uti ab eo decreta ſunt, *Româ* remitti: vulgòque inter Legatos jactari, Spiritum Sanctum non *Tridenti* Concilio præeſſe, ſed *Româ* ſingulis ſeptimanis per veredarios *Tridentum* ad Patres tranſmitti.

Querela de Concilio Tridentino.

Sed cum A. C. 1588. quo obiit, in *Galliâ* de Concilio recipiendo ageretur, ille nihilominus recipiendum ſuaſit urſitque, donec iſtis literis productis & à ſe agnitis conſilium mutavit. *Thuan lib. 93.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1588.

PHILIPPUS OCTAVIANUS.

MOntanianenſis, factus eſt *Patavii* Inſtitutionum Interpres A. C. 1553. Collega *Guidi Panciroli*: Indè A. 1561. adhibitus ad Jus Canonicum manè interpretandum, loco *Philippi Porcii Romam* tunc profecti.

Juris Profeſſor Patavii.

Denique A. 1567. ad Inſtitutiones revocatus, in locum *Franciſci Manticæ Utinenſis*, qui in ſecundo loco juris civilis veſpertini poſitus fuerat.

Inſtitutionum juris Interpres ſingularis. *Moritur.*

Idcircò autem eſt revocatus, quia in eâ explicatione mirabiliter excellebat, dum ad ipſarum Inſtitutionum interpretationem altiores omnes de Jure quæſtiones tàm facilè adhiberet, ut ſtudioſi juvenes maximum fructum eo audiendo reportarent, cum magnâ delectatione conjunctum. Diem ſuum obiit A.C. 1588.

* *Ex Gymnaſii Patavini deſcriptione ab Antonio Riccobono editâ.*

Obiit A.C. 1588.

JOACHIMUS MYNSINGERUS.

Majores Mynſingeri.

STutgardiæ cum dente, quod omine non caruit, natus eſt A. 1514. Ex nobili & veteri familiâ, quæ aliquot ſæcula in *Helvetiâ* loca *Sabaudiæ* vicina inhabitans, indè A. 1386. ab *Helvetiis* expulſa eſt, cum *Leopoldus*, *Auſtriæ* Dux, ad *Sempachium* in prœlio occubuiſſet.

Patrem habuit *Joſephum*, Cancellarium Imperatoris *Caroli V.* in Ducatu *Wittenbergico*, quando *Ulricus* Dux exulabat, cujus filius ſeptimus fuit, quique *Ebingæ* mortuus eſt 20. Sept. An. 1560. ibidem in templo ſepultus.

Mater ei fuit *Agnes Bremigia*, quæ poſt maritum deceſſit A. ætatis 65.

Avus fuit *Johannes Mynſingerus*, Med. Doctor, Eques auratus & *Friderici III.* Imper. Conſiliarius, qui, teſte *Cruſio*, A. 1468 Religionis ergò cum Imperatore *Hieroſolymam* ad loca ſancta profectus eſt, & adhuc vixit A. 1502. ætatis annum agens 79. cum natus eſſet A. 1423.

Joachimus hic ſeptennis literarum elementa in patriâ didicit ſub *Alexandro Marcoleone.*

Juris ſtudium aggreditur. *Patavium venit.* *Auditor Viglii Zuichemi.*

A. ætatis 13. *Dolam Burgundiæ* à parentibus miſſus eſt, ibi Juris ſtudium aggreſſus eſt, ſimulque Poëſi operam dedit: utque velociter ad metam perveniret, in Academiam *Patavinam* juvenis fuit ablegatus, ubi inter alios *Viglium Zuichemum* Inſtitutiones audivit exponentem.

Uxorem ducit. *Friburgum venit.* *Profeſſor Inſtitutionum.*

Ad ſuos reverſus, in matrimonium duxit *Barbaram Cellariam*. Sub id tempus cum *Udalrici Zaſii* fama per totam *Germaniam* celebraretur, ejus audiendi deſiderio cum Uxore *Friburgum* profectus eſt. Sed eodem Anno 1535. 24. Nov. *Zaſio* defuncto *Mynſingerus* ei ſuffectus, Inſtitutionum Profeſſionem ordinariam ſuſcepit, & mox Doctor ſolenniter creatus eſt A. ætatis 21.

Aſſeſſor Cameræ Imperialis. *Gratus Principibus viris.*

A. 1548. Aſſeſſor in judicio Cameræ Imperialis *Spiræ* declaratus, gratus tunc fuit inprimis *Wilhelmo* Comiti à *Cymbern*, *Wilhelmo* Comiti *Eberſteinio*, *Johanni* Epiſcopo *Oſnabruccenſi*, Comiti ab *Hoyâ*, *Ulrico*, Comiti *Montfortio*.

Cancellarius Brunsvicenſis.

A. 1556. *Henricus* junior, Dux *Brunsvicenſis*, Cancellarium ſuum conſtituit. Eodem Anno 29. Nov. fato erepta eſt ei conjux, prole nullâ relictâ, *Wolffenbyti* ſepulta.

Uxorem ducit alteram.

Poſteà duxit etiam *Agnetem* ab *Odersbauſen*, *Henrici Mareſcalli Brunsvicenſis* filiam, cum quâ reliquo vitæ ſuæ tempore concordi in amore vixit.

Ex eâ filios reliquit, *Henricum Albertum* & *Sigiſmundum Julium.*

A. 1568.

Digitized by Google

Camerario hæreditarius Brunſv. A. 1568. *Julius* in gubernatione *Brunſvicenſi*, *Henrico* mortuo, ſuccedens, eum precibus pretioque in munere ſuo detinuit, & Ducatus *Brunſvic.* Camerarium hæreditarium declaravit.

In otio vivit. Ætate autem ad ſenium vergente, cum paulatim vires deſcreſcere ſentiret, A. 1573. cum Principis ſui conſenſu dimiſſus, *Helmſtadii* in otio literario tempus vitæ reliquum tranſegit.

Author Academiæ Juliæ. Inter alios ſuaſor ſuo Principi fuit Academiæ *Helmſtadii* erigendæ, quæ introducta eſt A. 1576. 15. Octobris natali Rectoris primi Ducis *Henrici Julii*.

Moritur. Tandem placidè exſpiravit in arce ſuâ *Aldebianâ* 3. Maji A. 1588. ætatis 74.

Epitaphium. *Epitaphium* ejus alicubi refertur tale:

Mynſiger Europæ fidus, Themidosq; Sacerdos,
Frondeciæ frondens poſteritatis apex.
Præſentisq; hujus decus admirabile ſecli,
Sub gelidâ jacet hîc contumulatus humo.
Tumba tegit corpus, vivit ſed fama: tot eſſe
Virtutes uno non potuere loco.

Scripta. Edidit juvenis Poëmata quædam: *Neccarides*, *Naufragium Venetum*, *Batrachomyomachiam Homeri*, *Hymnos* & *Epigrammata*, *Auſtriados libros duos*, *Exhortationem ad bellum contrà Turcas ſuſcipiendum.*

In Jure extant: *Commentarii in Inſtitutiones ac Decretales.*

Centuriæ Obſervationum Cameralium.

Decades Conſiliorum.

Ordinatio Dicaſterii Ducatûs Brunſvicenſis.

Apoteleſmatis autem recenſionem inchoatam *Arnoldus de Reiger*, nobilis *Belga*, ut vivo *Mynſingero* adjuverat; ita, eo extincto, feliciter complevit.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1588.

JOHANNES CLOTZIUS.

Natus eſt *Wetzlariæ*, oppido Imp. haud procul *Marpurgo* 4. Dec. A. 1545.

Pater ei fuit *Antonius*, Vir Conſularis, Mater *Catharina Cletzin*.

E patriæ ludo *Düſſeldorpium* miſſus eſt ſub diſciplinam *Franciſci Fabricii*.

Marpurgi & Wittebergæ literis operam dat. Indè *Marpurgum* ablegatus, lectiones philoſophicas audivit, & primâ ornatus laureâ *Wittenbergam* abiit, ubi inter alios audivit *Thomam Rudingerum* in Phyſicis, & *Caſparum Peucerum* in Hiſtoricis. *Jurisprudentiam colit.* Prætereà Jurisprudentiam coluit, quam docentem imprimis *Joh. Schneidewinum* audivit: Cumque biennium ibi exegiſſet, An. 1565. in Academiam *Marpurgenſem* rediit, & docentes audivit *Johannem Oldendorpium* & *Antonium Heiſtermannum*. *Philoſophiæ Magiſter.* A. ſeq. Magiſter Philoſophiæ ibidem renuntiatus eſt.

Lutetiæ cauſas agere audit. A. 1567. *Lutetiam Pariſiorum*, in parlamento cauſas agere audivit. Cum autem Jus Theoreticum ibi non vigeret, *Dolam venit.* *Dolam Sequanorum* venit, ubi & linguam *Gallicam* didicit, & J. C. præſtantes audivit, & in curiâ praxin obſervavit. Indè *Genevam* tranſiens, *Baſiléam* venit, ubi aliquantiſper ſubſtitit.

& Spiram. Domum autem reverſus, de Conſilio ſuorum *Spiram* profectus, uti in convictu & familiari converſatione *Jocobi Friderici Meureri*, Advocati, vivens Praxin addidicit.

Poſteà cum *Marpurgo Ludovicus Fleinus Spiram* commigrâſſet, A. 1572. *Clotzius* hîc ei ſurrogatus eſt, cum biennium ampliùs *Spiræ* conſumpſiſſet.

Doctor Juris. *Marpurgum* ut venit, primùm Docturæ inſignibus ornatus, pòſt in Aſſeſſorum numerum adſcitus, officium Sacerdotis juſtitiæ præclarè præſtitit.

Conſiliarius Haſſiacus. E curiâ deindè à Principe *Haſſiæ* in Conſiliariorum Senatum cooptatus, cum in eo munere annos aliquot verſatus eſſet, tranquillioris vitæ deſiderio ductus, miſſionem petiit & impetravit. Migravit itaque in patriam, ſed ità, ut nihilominus Principi à Conſiliis eſſet.

& Cancellarius. Paulò pòſt *Heintzenbergero* morte ſublato, in ejus locum Cancellarius licet invitus multumque renitens declaratus eſt.

Virtutes Clotzii. Ità dum in officio ſuo ſtrenuum ſe geſſit, ſemina morborum varia collegit, ſubindè eryſipelate, ventriculi dolore, pedumque tumore afflictus. Cum itaque fatalem horam non procul abeſſe ſenſiſſet, ita avehendum ſe in patriam curavit, ut exindè, quemadmodùm dicebat, in veram patriam in complexu ſuorum emigraret.

Eò ſimùl ac venit, animum ab omnibus humanis avocavit, & *Evangelium Johannis* conſolationis plenum ſibi prælegendum curavit. Colloquia etiam plena pietatis habuit cum parentibus, fratre, amicis & Verbi Divini miniſtro.

Sigillum Principis ſibi, ut Cancellario, concreditum membranæ involutum, & conſignatum notario cuidam publico paulò ante mortem tradidit, ut Principi redderetur.

Moritur. Tandem Spiritum placidè DEO reddidit 5. Aug. A. 1588. ætatis 43.

* *Ex Melchioris Adami Vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1588.

LAMPERTUS DISTELMEIER.

Lipſiæ natus eſt, parentibus honeſtis, ex *Lunæburgo* oriundis 22. Febr. A. 1522.

Præceptorem in pueritiâ habuit *Caſparum Bornerum*, Scholæ *Thomanæ* in patriâ Præſidem. Creſcente ætate & judicio in Philoſophicis audivit D. *Wolfgangum Meurerum*, Philoſophum & Medicum clariſſimum.

Studium Theologicum deſerens. Cum ſtudia ſcholaſtica abſolviſſet, ad Theologiam animum appulit, cum priùs in ſtudio Linguæ Hebrææ biennium inſumpſiſſet: ſed ab eo ſtudio à proprio genio retractus, *Juridicum amplectitur.* An. ætat. 20. ad Jura diſcenda ſe contulit, Præceptorem adeptus *D. Adrianum Albinum*, Cancellarium *Cuſtrinenſem*.

Lipſiæ per triennium profitentes audivit *D. Modeſtinum Piſtorium*, & *D. Ludovicum Fachſium*.

A. æt.

A. æt.23. In aulam *Dreſdenſem*, ad *Simonem Piſtorium*, Elect. *Mauritii* Cancellarium ſe contulit, cujus converſatione domeſticâ per biennium uſus, A. 1546. *Lipſiam* rediit, ibique Præceptoribus uſus eſt *Petro Loriotto Gallo*, *Ulrico Mordiſio*, & *Leonhardo Badehornio*.

Licentiatus Juris. *Deſponſatur.*

A. 1547. Licentiatus Juris creatus, brevi pòſt in matrimonium duxit virginem *Eliſabetham*, *Chriſtiani Gotharii*, Senatoris *Lipſienſis* filiam, ex quâ 8. liberos ſuſcepit, ſed tres tantùm reliquit ſuperſtites, *Chriſtianum*, dignitatum paternarum hæredem, *Charitatem*, *Johannni à Koderitz*, Conſil. *Brandeburgico*, & *Eliſabetham*, *Jacobo Pfuel in Ranfft* elocatas.

Juris Doctor.

A. 1550. *Lipſiæ* in numerum Juriſconſultorum publicè adſcriptus eſt, collatis ipſi Doctoris inſignibus, unà cum *Wolffgango Crellio*, *Caſp. Curione*, & *Johanne Heuslero*.

Conſiliarius & Cancellarius Brandenburgicus.

Anno ſeq. 1551. Vocante Joachimo *II*. Electore *Brandenburgico*, *Berlinum* familiam tranſtulit, ibique officio Conſiliarii annos 37. Cancellarii verò ſuprà 30. functus eſt.

Tractatui Paſſavienſi interfuit,

A. 1552. Tractationi *Paſſavienſi* interfuit, in quâ Concilium *Tridentinum* diſſipatum, Pax in Religione conſtituta, & liber Interim vocatus exſpiravit.

& Conventui Auguſtano.

An. 1555. Ad Conventum *Auguſtanum* miſſus eſt, in quo decretum factum, ne ulli poſthâc Principi propter Religionem bellum inferretur. A. 1558. Cum Principe ſuo *Francofurtum* profectus eſt, cumque intereà D. *Johannes Weinlobius*, Cancellarius, obiiſſet, huic ab Electore ſuffectus eſt.

A. 1572. In totâ *Marchiâ* omnes Nobiles ac Cives Sacramento fidem jurare *Johanni Georgio*, Electori *Brandenburgico*, curavit.

Tres Impp. coronatos vidit.

Trium Imperatorum *Romanorum* electionibus & coronationibus adfuit, *Ferdinandi I*. A. 1558. *Maximiliani II*. A. 1562. & *Rudolphi II*. A. 1575.

Conſtitutiones Marchiæ ſcribit.

Cum tandem Conſtitutiones *Marchiæ* conſcripſiſſet, ejuſque operis publicationem filio *Chriſtiano* commiſiſſet, paucis pòſt annis ex catarrho ſuffocativo exſpiravit 12. Octob. A. C. 1588. ætatis 66.

Moritur.

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A. C. 1589.

JOHANNES STEPHANUS DURANTIUS.

Advocatus Regis Tholoſæ.

PAtre Senatore *Tholoſæ* natus, utque patritium decebat, omnibus artibus eximio Juriconſulto dignis liberaliter inſtitutus, Regiæ advocationis munus in Senatu patrio per aliquot annos tenuit.

Præſes Senatûs.

Mox ad Senatus principatum pervenit, primariusque Præſes in locum *Johannis Daſii*, ſoceri ſui, renuntiatus eſt.

Augebant indies hanc dignitatem ſpectata viri integritas, perfectaque Juris utriusque prudentiâ, cum ſummâ ſemper æquitate conjuncta, donec cæſis apud *Bleſios Guiſianis* fratribus *Tholoſæ* ut & aliis in locis oborta eſt furioſa repentè ſeditio, cui dum *Durantius* reſiſtere, Regiumque nomen tueri niteretur, à factioſis abreptus, & intra Cœnobii Dominicani ſepta in cuſtodiam traditus, indèque poſt aliquot dies in ſævientis plebeculæ furorem objectus immaniſſimè trucidatus eſt A. C. 1589.

Occiſus in ſeditione.

Additum ſceleri ſcelus integerrimo viro *Jacobo Daſio*, Præſidis filio, qui *Duranto* in Advocati Regii dignitatem ſucceſſerat, ſimili furore confoſſo.

Scripta.

Edita ab eo *Lucubratio de ritibus Eccleſiæ*, quam ut Catholicis partibus admodùm utilem *Sixtus V*. Pontifex Maximus, ſuis impenſis excudi juſſit.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * * *

Bello in *Galliâ* inter *Guiſianos* & *Henricum III*. Regem exorto, cum *Pariſienſium* exemplo etiam *Tholoſæ* quæſtio de obedientiâ Regi præſtandâ in deliberationem duci cepiſſet, alii ſcito Theologorum *Pariſ*. inſiſtentes Regi, qui fidem violâſſet, & Religionem oppugnaret, parendum eſſe negârunt, alii verò in obſequio manendum contenderunt. Hanc in rem copioſè & graviter diſſeruit *Joh. Steph. Durantius*, Senatus Princeps, & *Jacobus Daſiſius*, *Johannis* filius, fiſci patronus, & cum quidam Urbem jurejurando Regi præſtito ſolutam, & Regis imagines tollendas dicerent, generoſè pro ratione muneris inſurrexit, & acerbè eos increpuit.

Regem Henricum III. defendit.

Accedebant Concionatorum aſſiduæ declamationes in Regem & Regi fidos, quæ plebem reſipiſcere non ſinebant. Tenuit tamen *Durantii* auctoritas, ut, cum ſententiæ variarent, res integra ad Senatum referretur.

Intereà monitus ab amicis, ut ſeceſſu ſibi conſuleret, obtemperare noluit, & convocato 6. Kal. Febr. extrà ordinem Senatu, dehortantibus amicis *ne iret*, reſpondit: *Se quidem velut ex altâ ſpeculâ proſpicere tempeſtatem & Urbis everſionem; cæterùm ſe ruinâ ejus malle obrui, quàm committere, ut aut eam deſeruiſſe, aut ſeditioni cauſam præbuiſſe dicatur.*

Ibi agitata rurſus quæſtio de obedientiâ Regi debitâ, cumque ſententiæ hîc quoque variarent, nihil decerni potuit, concurſuque multitudinis efferatæ facto, *Durantius*, cum curru vectus è curiâ exiret, penè oppreſſus eſt, ictibus gladiorum curru undique perforato, quos ille reſupino corpore jacens, & equos per medium conjuratorum globum aurigâ impellente utcunque evitavit.

A plebe ſeditioſâ oppugnatur.

Tandem cum ad putei obvii marginem fervida rhedæ citatæ rota diſſiliiſſet, ipſe pedes haud hinc longè in Capitolium properavit, locum munitiſſimum, quo bonorũ civium auxilium ſibi præſtò futurum ſperabat. Sed longè ſpe ſuâ ſe falſum ſenſit, cum nemo ad illum itaret, nemo prætereuntem ſalutaret, ſive odio ſive metu amici mutaſſent, aut periculum vererentur.

In Capitolium fugit.

Cum ita quatriduum in Capitolio manſiſſet, tandem decreto Senatus obtinuit, ut ſibi ad valetudinem curandam Balneum,

Durantius in Capitolio exegit quatriduum.

quod eſt *Toloſani* Archiepiſcopi caſtellum, quarto ab Urbe lapide, ſecedere liceret.

In Cœnobium Dominicanorum detruſus.

Verùm factione reclamante, & ultorem, ſi exiret, metuente, non ſolùm in Urbe retentus, ſed in *Dominicanorum* Cœnobium detruſus, deducentibus eum *Convenarum* & *Caſtrenſi* Epiſcopis, ac ſub tam arctâ cuſtodiâ ſervatus, ut filiæ unicæ nunquàm patuerit ad eum acceſſus: tantùm conjugi conceſſum, ut cum marito eſſet, eâ lege, ut indè egredi liberum ei non eſſet, nec cum ullo ſermonem habere.

Jacobus autem *Daffiſius* in *Campaniam* villam extrà Urbem ſe contulit, undè ad *Jacobum Gobionem Matignonum Aquitaniæ* Præſidem, & *Gullielmum Daffiſium*, *Burdigalenſis* Senatûs Principem, fratrem literas dedit, quibus eos de ſtatu Urbis certiores faciebat, & laborantibus in eâ Regiis ſuppetias flagitabat: quæ à zelotis (ita factioſi nominari gaudebant) interceptæ, utrique perniciem attulerunt.

Nam miſſi mox ſatellites, qui *Jacobum* è villâ in Urbem retraherent, & in vincula conjicerent, isque interrogatus, literas à ſe ſcriptas confeſſus eſt, & pro neceſſitate muneris, quod feciſſet, juſtè ſe feciſſe reſpondit.

Sub horam quartam veſpertinam ſeditioſi conglobati *Dominicanos* circumſiſtunt, & cum cuſtodes portas aperire recuſarent, igne luculento accenſo, eas, nemine prohibente, exurunt, continuòque unus è cuſtodibus *Durantium* adiit, & à populo peti nuntiavit.

Hoc nuntio mortis ille perculſus, ſtatim in genua procumbit, & animâ DEO commendatâ, ad uxorem converſus, *Vale extremùm, dilectiſſima conjunx*, inquit, *vitâ, honoribus, facultatibus, quas dederat DEUS, brevi ſpoliabor, & anima criminum objectorum inſons ante DEI tribunal ſiſtetur.*

Furenti plebi traditus.

His dictis, cùm illa præ ingenti dolore ſtupens, nec vocem nec lachrymas mitteret, *Durantius* à nequiſſimo è ſtipatoribus deductus, & furenti plebi traditus eſt, hoc impio elogio addito: *Ecce homo!*

Sclopeti ictu ſauciatur.

Cumque ille conſtanti vultu, quodnam tanto odio dignum facinus admiſiſſet? adſtantes rogaret, multique ad adſpectum viri (quem anteà adeò ſuſpexerant) vim abſtinerent, repertus eſt unus, qui, turbam perrumpens, ſclopeti ictu pectus immoto ſeni transverberavit: mox incumbentes alii jacentem innumeris plagis confodiunt, corpusq; , ut erat cruentum, per vias raptatum in plateâ *S. Georgii* (in quâ vulgò damnati ad ſupplicium trahuntur) ſiſtunt, & cum patibulum deeſſet, ad portam ferream pegmatis in pedes erectum, laqueo ad collum ligato, ſuſpendunt; effigie Regis ex adverſo itidem ſuſpenſâ, & additis ad ludibrium inſolentibus verbis: *Adeò Rex tibi carus erat, nunc licèt ut eo fruaris, & cum illo taceas.*

Ignominioſè ſuſpenſus.

Quidam etiam veſanè amentes nihil ſentienti barbam vellicabant. Eodem furore plebs percita ad palatium rectà tendit, & *Daffiſium* ergaſtulo eductum telorum ictibus crudeliter laniatum ante portam carceris deſtituunt.

Daffiſius telorum ictibus confoſſus.

Famulus *Durantii*, qui herum primo tumultu ſtrenuè defenderat, ob idque in Archiepiſcopi carcerem conjectus fuerat, & ex vulneribus tunc acceptis decumbebat, in lecto interficitur.

Poſtridiè unus ex Octoviris, aſtante Senatore, corpus *Durantii* linteo involutum, & cum Regis imagine compoſitum ad *Franciſcanos* deferri curavit, ubi ſine pompâ & laudatione juxta majus altare terræ mandatum eſt. Corpus *Daffiſii* ad *B. Antonii* itidem ſine publicis exequiis conditum fuit.

Terræ mandatus.

Necdum ſatiata plebs, quæ Zelotis impellentibus, ne ſpes reconciliationis ſupereſſet, imaginem Regis è Capitolio avulſam, & per totam Civitatem unco tractam ſub haſtâ injurioſè vendidit, clamante uno quaſi præcone: *Licitatur Regem carnifex ad reſtim ſibi emendam.*

Atrociſſima in Regem injuria.

Continuò domus *Durantii* diripitur, & imprimis ejus Bibliotheca magno labore & curâ cumulata, ſcriniis ejus priùs inſanâ diligentiâ evolutis, ſi quid literarum fortè in iis reperiretur, quibus de conjurationibus falsò illi improperatis, vel ex ſuſpicione fides fieret.

Domus Durantii & Bibliotheca direpta.

Vixit majore integritate, quàm prudentiâ, dum plebi plùs juſto tribuit, vir antiquâ morum gravitate & doctrinâ conſpicuus. Deceſſit 56. ætatis anno in ſummâ tenuitate, cum frugaliter ſemper vixiſſet.

Elogium Durantii.

Literis à pueritiâ egregiè fuit inſtructus, ita præcipitatis ſtudiis, ut ante 17. annum de Jure publicè cum magnâ omnium admiratione totum triduum reſponderit. Religionibus totâ vitâ addictus Collegia duo *Toloſæ* inſtituit ſpecioſis S. Spiritûs & Miſericordiæ nominibus, quorum uni incumbit, virgines egenas conjugio elocare, alteri pauperes vinctos ſolari, alere, & libertatem iisdem procurare.

Collegia Spiritûs Sancti & Miſericordiæ inſtituit.

Jeſuitas in Urbem invexit, Patres *Capucinos* ex *Italiâ* evocatos propriis ſumtibus diù aluit, donec commodum domicilium in Urbe nacti ſunt: Flagellantium Ordines multis repugnantibus introduxit. Tot tantisque ſuæ fidei & pietatis teſtimoniis exhibitis, vir alioqui innocens, & qui caſtas manûs & oculos ad juſtitiæ ſacra attulerat, non tamen ſævas furientis plebis ab impiis hominibus concitatæ manus, cum cauſa religionis ageretur, evaſit, extremo etiam honore negato; qui tamen triennio poſt illi, compœnitentia inter animos ſubiiſſet, à Senatu decretus eſt, exequiis frequenti Senatu, & omnium Urbis Ordinum magno concurſu celebratis. *Thuan. lib.* 95.

Durantio triennio poſt cædem exequiæ habitæ.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

FRANCISCUS ROALDESIUS.

Obiit A.C. 1589.

Natus apud *Rutbenos Marſiliaci*, & piè ſacrificuli cujusdam curâ primis literis imbutus, continuòque *Toloſam* perductus,

ductus, cum adoleſcens Philoſophiæ ſtudiis & curioſâ rerum Naturæ contemplatione ad aliquot annos animum oblectâſſet, proceſſit indè ad Juriſpudentiam, acceptâque apud *Auguſtoritum* à *Roberto Irlando*, Anteceſſore ſui temporis clariſſimo Laureâ Doctorali, profitendi mox laborem aggreſſus eſt.

Juris Doctor & Profeſſor Auguſtoriti.

Hoc in munere per omnem deinceps ætatem raras admirabilis doctrinæ divitias in variis *Galliæ* gymnaſiis juventuti ſtudioſè liberaliter expedivit.

Nihil ſcripti edidit.

Socratis exemplo ſolâ docendi operâ contentus, nihil ferè in vitâ ſcriptum reliquit, quo ſe poſteris aliquando vixiſſe teſtaretur.

Cujacio & Hotomanno, JCtis, charus.

Cujacius & *Hotomannus*, Juriſconſulti celebres, tanti fecerunt eum, ut, exortâ inter ipſos de Juris interpretatione controverſiâ, judicem ferre non recuſarent; cum optimè noſſent, in exactâ totius antiquitatis, *Romanique* Juris cognitione nullum eſſe hoc viro majorem aut ſuperiorem.

Viſus eſt ad munus docendi à DEO deſtinatus, cum in cunis tenellus adhuc infans utroque parente peſte ſublato, infectisque cœli vitio totis ædibus, ipſe unus præter omnium expectationem evaſit incolumis.

Juris Profeſſor Tholoſæ.

Fuit autem ultima ſtudiorum ipſius ſedes *Tholoſa*, ubi poſt lachrymabilem Præſidis *Joh. Stephani Duranti*, quem unicè colebat, aliorumque bonorum civium cædem, accedente ad mœrorem dyſenteriâ, ſeptuagenario provectior è vivis exceſſit A. C. 1589.

Moritur.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * * *

Marſilliaci in *Rutenis* humili municipio natus eſt *Franc. Roaldeſius*, J. C. quem *Cujacius* omnis antiquitatis locupletem penum appellare eſt ſolitus. Alienam is potiùs induſtriam juvare, quàm proprio nomine inclareſcere voluit, nullis ferè editis ſcriptis, cum quotidiè ſuper graviſſimis Juris Quæſtionibus & rei antiquariæ arcanis coràm & per literas conſuleretur, teſte *Thuano lib. 96. Hiſtor.*

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

* * *

Gallus Marſiliaci in *Ruthenis* humili municipio natus, vir, in quo pietas & morum candor cum rarâ doctrinâ certabant, utrumque Jus *Divonæ Cadurcorum* primùm cum *Antonio Goveano*, deindè *Valentiæ Cavarum*, ac poſtremò *Toloſæ*, quò à *Joh. Steph. Durantio* evocatus fuerat, ad multam ætatem ſummâ cum laude profeſſus eſt.

Juris Profeſſor Divonæ, Valentiæ, Toloſæ.

Tandem mœrore ex indignâ *Durantii* Præſidis amiciſſimi nece concepto, menſ. Oct. obiit, hoc unum in morte alioqui non moleſtâ ſibi dolere dictitans, quod Urbem, quam puer tanquàm humanioribus literis inimicam vitaverat, ſenex in humanâ tanti Senatoris cæde ſceleratam aſpicere, & in eâ ſpiritum emittere cogeretur. *Thuan lib. 96. circà finem.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

ARNOLDUS FERRERIUS.

Obiit A. C. 1589.

NUſquàm aliàs illudentis Fortunæ præclarius exemplum apparuit, quàm in *Arnoldo Ferrerio Tholoſate*, Juriſconſulto graviſſimo, qui de Legum Profeſſore Senator, Inquiſitionumque *Lutetiæ* Præſes, & Concilio *Tridentino* magnâ cum dignitate interfuit, & bis ad Rempublicam *Venetam* Orator à Principe legatus eſt.

Juris Profeſſor Tholoſ. Senator Pariſ. Legatus ad Concilium Tridentinum.

Atque in ejuſmodi peregrinationibus tantiſper fuit, dum omni re familiari abſumptâ, ære alieno propè demerſus in *Galliam* redire cogeretur. Nam ſtipendiis fraudatus, per totum tempus illud ſuo ferè ſumptu Regi & Reipublicæ operam præbuit, neque porrò quod impenderat, præſtitum illi unquàm fuit. Incidit enim in extrema Patriæ tempora, cum ſpecie boni publici & Catholicæ Religionis tuendæ bellum toti *Galliæ* funeſtum regni quondam opulentiſſimi res affligeret, ac penè perderet.

Ergò inops & miſerabilis ſenex ad *Henricum Borbonium*, tunc Regem *Navarræ*, confugit, Principem omnium virtutum amantiſſimum, à quo non benignè tantùm exceptus, ſed ob excellentis doctrinæ famam Sacri etiam Sigilli cuſtodiâ ornatus eſt.

Cuſtos S. Sigilli apud Regem Navarræ.

Muneris hujus adminiſtrationem vix ingreſſus, nec multò antè quàm ipſi *Henrico Gallicum* Imperium obveniret, in ipſo repentè limine concidit A. C. 1589.

Moritur.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

ANDREAS DUDITHIUS.

Obiit A. C. 1589.

NObilis ab *Hoteboviczâ*, vir natalium claritate, ingenio, omnium ſcientiarum genere exculto, judicio, rarâ Latinè ſcribendi dicendique facultate, in negotiis explicandis prudentiâ ac ſolertiâ, præſtans: adhæc totius corporis formâ, geſtu, & oris renidentis gravitate conſpicuus: comitate, vitæ innocentiâ, omnium qui unquàm eum viderunt gratiam promeritus.

Orator.

Tantus verò *Tullianæ* eloquentiæ ſive admirator ſive ſectator fuit, ut totum *Ciceronem* ter propriâ manu deſcripſerit. Diverſarum linguarum peritus & trium Imperatorum Conſiliarius magnas Legationes ſub *Ferdinando*, *Maximiliano*, & *Rudolpho* ſummâ felicitatis & prudentiæ laude obivit apud exteros Reges & Principes.

Trium Imperatorum Conſiliarius & Legatus.

Tantas autem tàmque laudabiles animi dotes in Religione levitas obſcuravit. In eo verò fluctuationis ſalo hærens, hoc temperamentum ſervabat, ut nemini, qui viam veritatis ac ſalutis pectore non ficto aut ambitioſè rimaretur, graviùs ſuccenſendum

dum putaret, nec eos, qui in Religionis quæſtionibus hodiè tantoperè exagitatis erroneam opinionem tuerentur, modò turbulenta abeſſet pertinacia, pœnis atrocioribus dignos cenſeret. Quâ de re contrariæ extant luculentæ *Theodori Bezæ & ipſius Epiſtolæ*.

Moritur. Obiit tandem *Uratislaviæ* 23. Febr. A.C. 1589. ætat. 56.

* *Ex Elogiis Thuaneis Virorum doctorum C. B.*

* * *

Orator in Concilio Tridentino. *Tullianæ* eloquentiæ ſectator, & rerum Politicarum uſu probatus interfuit *Concilio Tridentino*, in quo *varias Orationes habuit*, quarum duæ, altera de *Communione ſub utraque ſpecie*, altera de *Sacerdotum Conjugio* tunc per *Germaniam* publicatæ ſunt.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

* * *

Fuit etiam aliquando *Sbardellatus* cognominatus à materno genere, mater quippe ejus nobilis *Veneta* eo nomine fuerat, ex quâ natus eſt Non. Febr. A. C. 1533. *Budæ* in *Hungariâ*, aut *Budæ* proximo caſtello.

Patavii ſtud. Primum ſcientiarum tyrocinium *Patavii* fecit, & in *Italiâ Paulum Manutium*, *Fr. Robertellum*, *Carolum Sigonium*, *Omphrium Panvinium*, *Petrum Victorium* partim audivit, partim amicos & familiares habuit.

Patavii tunc *Stephanum Bathorem* poſteà in *Poloniæ* Regem electus erat, cum quo ſubortæ jam tum occultæ ſive æmulationes, ſive ſimultates, quæ cum ætate creverunt.

Indè in *Angliam Reginaldum Polum* Cardinalem abeuntem cum *Aloyſio Priulo* ſecutus eſt, cujus & vitam à *Ludovico Beccatello Italicè* ſcriptam eleganter Latinè vertit.

Lutetiæ Linguam Græcam & Hebraicam didicit. Demùm ex *Angliâ Lutetiam* venit, & illic ſub optimo Doctore *Angelo Caninio Anglarenſi*, non ſolùm Græcæ Linguæ & Hebraicæ, ſed etiam Orientalium peritiſſimo denuò intermiſſis per illas peregrinationes ſtudiis operam dedit.

Epiſcopus Hungariæ. In *Pannoniam* ſuam reverſus, atque in aulam Cæſaream, quanquàm admodùm juvenis, ob admirabilem eruditionem & morum ſuavitatem *Timinienſis* Epiſcopus, & poſteà *Quinqueclesienſis* creatus fuit.

Dudithius Imp. Maximil. ad Regnum Polon. operam dedit. Poſteà *Sigismundo Auguſto*, *Poloniæ* Rege mortuo, in electione novi Regis ſedulam operam *Maximiliano* Cæſari navavit.

Doctrinam Proteſtantium amplexus. Tantas animi dotes in Religione levitas obſcuravit; nam ſacris majorum relictis, Proteſtantium doctrinam amplexus eſt, atque ut illi inter ſe per *Germaniam*, ac præcipuè per *Sarmatiam* ſtudiis & opinionibus diviſerant, ità nunc ad has, nunc ad illas partes propendens, diu fluctuavit, neutris propterea acceptus, cum & à Catholicis, quod primam fidem irritam feciſſet, ubique exagitaretur, & inter Proteſtantes quaſi emanſor haberetur.

Uxorem duxit. Ejeratâ Epiſcopâ, in uxorem virginem è Reginæ *Polonicæ* gynæceo, & ex familiâ *Straſſiâ* primùm duxit, de quâ res non indigna relatu memoratur: Cum adhuc Epiſcopus eſſet *Dudithius*, in *Poloniam* ab Imperatore *Maximiliano* legatus, & ad Infantem Pontificio ornatu in gynæceum, in quo plæræque nobiles virgines erant, admiſſus, uni ex illis non priùs ſibi viſæ ruborem expreſſit, tantâ circumſtantium admiratione, ut digreſſo Legato Infans ſtatim ab eâ quæſiverit, quid cauſæ eſſet, cum in Legati ingreſſu tàm apertum commoti animi indicium dediſſet?

Somnium mirabile. Illa verò cum initio alia atque alia cauſata ſe excuſâſſet, ad extremum, inſtante Infante, reſpondit, heſternâ nocte in ſomnis ſibi viſum virum à patre matreque maritum ſibi deſtinatum, totâ oris & corporis ſpecie, excepto Sacerdotali amictu, tàm Legato ſimilem, ut memor ſomnii tàm manifeſtè erubuerit.

Res ea biennio pòſt exitum habuit, cum Pater in Cæſaris aulam, *Poloniæ* Regis juſſu, profectus, cum *Dudithio*, qui jam de nuptiis cogitabat, de filiâ ei in matrimonium dandâ convenit.

Alteram uxorem duxit. Hâc verò mortuâ, alteram ex illuſtri *Polon.* familiâ, *Sboroviorum* ſororem, *Johannis Tarnovii* Comitis viduam duxit, ex quâ prolem ſuſcepit. *A. S. Pontifice proſcriptus.* Ob id *Romam* citatus, cum non comparuiſſet, ac propterea proſcriptus eſſet, non tamen Imp. *Maximilianus*, quamvis à Pontifice monitus, ob id ab ejus colloquio abſtinuit, aut operâ uti deſtitit.

In Quados ſeceſſit. Sed cum *Stephanum Bathorium* & *Sigismundum Suecum* à *Sborovviis* ipſius ſororiis prælatos *Auſtriacis*, quibus inſerviebat, mœreret, divenditis, quæ in *Pannoniâ* & *Poloniâ* habebat, bonis, in *Quados*, cum bonâ *Rudolphi* Cæſaris gratiâ, conceſſit, contractoque *Uratislaviæ* domicilio, grandem pecuniam Cæſari mutuò dedit, modicâ ex ejus uſurâ ſplendidè victitans, in eoque otio ad ſtudia priſtina revolutus, *Matheſi deditus.* præcipuè in Mathematicis ingenium exercuit, & arctam cum *Johanne Prætorio Joachimico*, harum ſcientiarum in Academiâ *Altorfinâ* Profeſſore, quem inter domeſticos aliquando ſtudiorum comitem habuerat, amicitiam coluit.

Subitâ morte extinctus. Morte tandem optatâ, cum non totis duabus horis decubuiſſet, & integros animi ſenſus ad extremum ſpiritum retinuiſſet, placidè obiit 8. Kal. Mart. A.C. 1589.

Pridiè quàm moreretur, de miſero quodam, quem ſæpè ſublevare ſolitus erat, quærendo famulis mandârat. Repoſcenti, cum illi hominem non repertum, reſpondiſſent, Cras, inquit, mihi eum ſublevare fortaſſe non erit integrum. *Thuan. lib. 96.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

MARTINUS CROMERUS.

Obiit A.C. 1589.

IN oppido *Biecz* minoris *Poloniæ* natus, & à parentibus in Academiâ *Cracovienſi Johanni de Caximiriâ*, viro ſtudio eloquentiæ claro, traditus, per omnem honeſtarum artium

Philoſophiæ Baccalaureus. tium cultum adoleſcentiam transegit, & A. 1530. primâ Philoſophiæ laureâ donatus eſt.

Auguſto deindè & *Henrico Poloniæ* Regibus multoperè gratus, adque Reipublicæ negotia Secretarii nomine admotus, cuncta ejus negotia ſingulari induſtriâ tractavit, *Secretarius Regis.* & poſtquàm Corona Regia ad *Stephanum Bathoreum* eſſet devoluta, inter ſanctiores Conſiliarios admiſſus, prœmium virtutis Inſulam *Varmienſem* in *Boruſſiâ* poſt defunctum *Hoſium* accepit. *Conſiliarius. Epiſcopus Varmienſis.*

Cum verò aſſiduas in Republicâ occupationes haberet, & plurimas pro illâ, apud *Carolum V.* & *Ferdinandum* ejus fratrem Cæſares *Rom.* alioſque in *Europâ* Principes obiret Legationes, literas tamen humanas Divinaſque aſſiduè evolvit, & cum diem ſacris aut civilibus occupationibus daret, noctem ſtudiis ſepoſuit. Obiit tandem 13. Martii A. C. 1589. *Legatus ad Cæſarem Carolum V. Moritur.*

In Epiſcopatu illi ſuffectus eſt *Andreas Bathorius*, Cardinalis, *Stephani* Regis ex *Andreâ* fratre Nepos, & per delegatos Regios in poſſeſſionem menſe Majo proximo miſſus, fruſtrà frementibus *Boruſſis*, ex ſuâ gente hominem per privilegia ſua flagitantibus, teſte *Jac. Aug. Thuano lib.96.*

Scripta edidit: *Scripta.*

Poëma de Chriſti reſurgentis triumpho.

Dubitationes de verâ viâ Salutis.

De pœnis Sacrilegorum.

De cœlibatu Sacerdotum.

De verâ & falsâ Religione.

De dogmatibus Eccleſiæ Catholicæ, quem librum *Monachum* appellavit.

De Sacramentis Catechiſes.

De concentibus Muſicis, quos *Chorales* appellamus.

De ſitu Poloniæ.

De rebus geſtis Polonorum Lib. XXX.

Sermones Synodales, quos in Provincialibus Epiſcoporum congregationibus ex altiori loco recitavit.

Epiſtolam de optimâ Politiâ ad Senatum Regni Poloniæ Chronico illius operi annexam.

Epiſtolas familiares plurimas, cum aliorum epiſtolis ab Archiepiſcopo Stanislao Karncovio, quo cum ipſi intervenerat amicitia, evulgatas.

Theognidem è Græco Latinum.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

* * *

Bartholomæus Keckermannus, in Commentario de naturâ & proprietatibus Hiſtoriæ, ità de eo ſcribit: Recentiores Hiſtorici *Germani*, præſertim autem *Suevi* & ſimiles, nimiâ verborum profuſione Lectorem avidum moroſè retinent, & magno quodam cum tædio retardant. A quo vitio non ità multùm mihi abeſſe videtur *Johannes (Martinus) Cromerus* in Hiſtoriâ *Poloniæ*.

Andr. Brunnerus Annal. Boicor. lib. 10. hæc dicit de *Cromero*: Maximus omninò Scriptor futurus, ſi *Ditmari, Wiponis*, aliorumq; coæva monumenta ei inſpicere licuiſſet, quia quibus caruit ſæpè fabulas, ſed oratione nitidâ circumveſtitas, eoque plauſibiliores genti ſuæ venditavit &c.

PETRUS PECKIUS. *Obiit A. C. 1589.*

Apud *Ziriceos* in *Seelandiâ* natus eſt An. 1529.

Juris ſcientiâ inſtructus, *Lovanii* primùm Jura docuit. *Jura docet.*

Indè *Machliniam* vocatus, in Magno Senatu *Belgico* Conſiliarius, & Libellorum ſupplicum Magiſter creatus eſt. Eo in munere ad finem vitæ permanſit. *Conſiliarius & libellorum ſupplicum Magiſter.*

Deceſſit *Machliniæ* 16. Julii An. 1589. ætatis 60. *Moritur.*

Reliquit filium tituli & doctrinæ hæredem, qui parentis corpus *Lovanium*, uti juſſerat, tranſtulit, inque Templo *S. Michaëlis* ſepulturæ tradidit, hoc addito Epitaphio:

D. S.

PETRO PECKIO REGIO IN MAGNO SENATU BELG. CONSILIARIO ET SUPP. LIBELL. MAG. ZIRICEÆ NATO, MACHLINIÆ E. A. D. XVII. KAL. AUG. CIↃ IↃ LXXXIX. DENATO LOVANII UBI MULTIS ANNIS JUS ENARRARAT APUD SUOS SEPOSITO, INQUE ILLO MUNERE PUBLICE BENE MER. SCRIPTIS CLARO, PIETATIS COLENTISS. OMNIBUS BONIS AMICO CLER. STUDIOSISS. *Epitaphium.*

CATHAR. GILLIS VID. ET LIB. P.

VIXIT ANNOS LX. D. I. BENE QUIESCAT IN CHRISTO JESU.

Scripſit: *Scripta.*

Conſilium de templis per Belgium reparandis & inſtaurandis.

De re nauticâ libros varios.

Commentarios de Teſtamentis Conjugum, de jure ſiſtendi, & de juris canonici regulis.

Juriſconſulto (mirum an?) res nautica ſcripta eſt:

Scripta ſed & Juris res mihi: Mome tace.

Caſp. Cunrad. Med. Proſopograph. Mel. part. III.

M. Mart. A. 1621. *Petrus Peckius*, hujus filius, Cancellarius *Brabantiæ*, ab Archid. *Auſtriæ* & Gubernatore Provinciarum Belgicarum ad Confœderatos *Hollandiæ* Status ablegatus *Hagam* Comitum venit, eoſque hortatus eſt, ut æquè ac aliæ *Belgii* Provinciæ Regi *Hiſp.* reconciliati pro Domino ſuo illum agnoſcere velint. Nihil tamen is impetravit, ſed in viâ *Roterodami* & *Delphis* à plebe cum ignominiâ lapidibus fuit petitus.

* *Ex Melchioris Adami vitis JCtorum Germanorum & aliis.*

ERICUS VOLCMARUS. *Obiit A. C. 1529.*

Nobilis *Saxonicus* à *Berlebſch*, *Sittichii* filius, ex *Felicitate, Jacobi Kelleri*, Equitis à *Steinbach* filiâ, natus eſt in *Langen Salza*/ & ex S. Baptiſmi fonte ſuſceptus ab *Erico*, Duce *Brunsvicenſi* 6. Jan. A. C. 1525.

Puellus à nutrice ſuâ occultatus, ruſticorum ſeditioſorum eum ad necem quærentium furor vi ereptus, ac mirificè DEO favente conſervatus eſt. *A ruſticis ſeditioſis ad mortem quæſitus.*

In adoleſcentiâ ſtudiis humanioribus operam dedit; & per *Italiam* ac *Galliam* peregrinatus eſt. Deſponſatus poſteà cum virgine nobili *Lucretiâ Schleinitziâ* A. 1563. Aſſeſſor primùm fuit Electoralis *Sax.* in judicio Cameræ *Spirenſis*, poſteà totius *Thuringiæ* Capitaneus ſupremus, tum Judex aulicus *Lipſiæ* ſupremus, & tandem in patriâ *Langen Saltzâ* Capitaneus.

Uxorem ducit. Aſſeſſor Cameræ Spirenſis. Capitaneus Thuringiæ, & Langen-Saltzæ.

Vivendi finem fecit in arce ſuâ *Urlebiâ*, ex paroxyſmo ſexto febris tertianæ 26. Aug. A.C. 1589. ætat. 64. ſine liberis.

Moritur.

Symbolum habuit:

Virtute Vincitur Voluptas.

Sepulchro ejus hoc *Epitaphium* legitur inſcriptum:

Epitaphium.

Nobilis à Berlebſch Ericus Volcmarus, ut unus
De tredecim luſtris defuit annus, obit.
Octo & viginti Saltzæ Capitaneus annos,
Ter novem conjunx, at ſine prole, fuit.
Decubuit febri fauſta quam finiit hora,
Nona dies ipſi mors quaſi ſomnus erat.
Sic pius & ſapiens multis perutilis heros
Ereptus terris nunc pius aſtra tenet.

* *Ex Catalogo Germ. mille viror. illuſtr. M. Wolfgangi Krügeri, Paſtoris Eccleſ. Turnav.*

LAURENTIUS CASTELLANUS.

Clar. A.C. 1590.

Patavinus habitus eſt perſpicaciſſimus & diligentiſſimus contemplator Legum, atque ad juvenum ſtudia juvanda natus. Ad locum tertium *Patavinorum* electus eſt A. 1566., & ad ſecundum locum traductus A. 1584. atque ad eam partem Juris, quæ Crimina tractat, adhibitus A. 1589. in locum *Ottonelli Diſcalcii.*

Patavii Juris Profeſſor.

Ejus edita eſt *clara & ſubtilis interpretatio in Rubricam; & Principium Inſtitutionum de Teſtamentis ordinandis: ac ſolennis explicatio quæſtionum, quæ à Doctoribus diſputantur.*

Scripta.

* *Ex Gymnaſio Patavino Antonii Riccoboni.*

HENRICUS PETRÆUS HARDESIANUS.

Clar. A.C. 1590.

Hardeſiæ natus Cal. Febr. An. C. 1546. Juriſconſultus fuit, Philologus, & Poëta clariſſimus, qui in diverſis *Germaniæ* Academiis omni liberalium doctrinarum genere excultus, tandem à Celſiſſimis *Brunsvicenſium* Ducibus in *Guelphanam* Arcem ad Conſiliarii ſacri munus evocatus, præclarè de re publicâ & literariâ meritus, æternâ famâ dignus, beatam ſibi memoriam reliquit.

Conſiliarius Brunsvicenſis.

* *Ex vitis Virorum doctorum Jani Jacobi Boiſſardi*, qui hoc diſtichon ejus Iconi ſubſcripſit:

Epigramma.

Te mores docuit Pietas, *artesq;* Minerva:
Carmen Apollo, *Fori Jus utrinq;* Themis.

CHRISTIANUS STEINACKERUS.

Claruit A.C. 1590.

Quedlinburgo-Saxo: in Salanâ An. C. 1587. promotus, & A. 1588. Profeſſoris Juridici Extraordinarii ſpartam publicè intimavit, à Dn. *Friderico Wilhelmo* & Dn. *Joh. Caſimiro* Patruelibus Ducibus *Saxoniæ* gratiosè impetratum. *Jenâ Magdeburgum* A. 1590. ſe contulit.

Juris Profeſſor extraordinarius Jenæ. Magdeburgum diſceſſit.

In ejus toro vixit *Margaretha, D. Johannis Stromeri*, in *Salanâ* J.C. & Prof. publ. filia, & *Valentini Ziegleri Heidelbroccâ-Thuringi* U.J.D. *Jenæ* in Curiæ Provincialis Advocaturâ A. C. 1586. defuncti vidua.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jen. M. Adriani Beyeri*, qui hoc ei adſcripſit *Epigramma.*

Epigramma.

Chriſtianus nomen lapidum deducit ab agro
Steinacker verò non ſine laude ſuum.
Namq; ruinoſam Themidis portavit ad ædem
Ingenii Lapides judiciiq; ſui.

TERENTIUS TERENTIANUS.

Obiit A.C. 1590.

Patavinus, Alexandri Terentii, Canonici religioſi, frater, vir fuit ad cathedram natus, primùm electus eſt ad Sextum Volumen Juris Canonici explicandum: deindè A. 1570. adhibitus ad textum, gloſſam, & *Bartolum* veſperi in primo loco explanandum, & An. 1577. ad Jus Pontificium traductus, & poſitus in loco *Michaëlis Quarantochii*, cui pro Jure Canonico munus explicandi Jus Feudorum delatum eſt, factusque Collega *Barthol. Sylvatici.*

Juris Profeſſor Patavii.

A. 1590. vitam cum morte commutavit, magnumque Legum ſtudioſis ſui deſiderium reliquit. Suſcepit filios *Johannem* & *Alexandrum*, ex quibus ille diſputatis publicè Juris Pontificii ac Cæſarei Quæſtionibus utriusque Juris Doctor factus eſt: hic verò ſe dedit rei familiari adminiſtrandæ.

Moritur.

Scripſit *Commentarios in Inſtitutiones Imp. Juſtiniani: in omnes eas partes Juris Civilis, quæ ſolent publicè explicari: itidemque in partes Juris Canonici.*

Scripta.

Conſilia.

* *Ex Gymnaſii Patavini Lib. II. ab Antonio Riccobono* editi.

FRANCISCUS HOTOMANNUS.

Obiit A.C. 1590.

Licèt *Lutetiæ* natus eſſet, patre *Petro* Senatore, crederetur que in togatam illam dignitatem ſuo tempore ſucceſſurus, cum tamen adoleſcentem, cum Juri Civili operam *Aureliani* dediſſet, occulta quædam fati vis aliò abripuit, longumq; in *Helvetiâ, Germaniâ*, & *Pruſſiâ* perpetuo ſtudiorum labore florentem detinuit: donec à Principibus Regiæ ſtirpis in *Galliam* revocatus, obitâque mox ad Cæſarem & *Germanicos* Proceres Legatione, Patriæ denuò redditus, quam exteris docendi operam præbuerat, eandem & ſuis tum *Valentiæ* tum *Avarici* (ſucceſſivè evocatus à *Joh. Montacio Valentiæ* Epiſcopo, & à *Margarethâ, Biturigum* Ducisſâ) ad aliquot annos impendit.

Jura docuit in Germaniâ. Valentiæ, & Avarici.

Jamque pertæſus alieni cœli, cogitabat in *Galliâ* ſedem ponere, certumque ſibi larem aliquando tandem conſtituere, cum, ut fortè *Lutetiam* venerat, inopinatâ & improviſâ

viſâ *Collignii* nece, tanquàm exortâ repentè procellâ turbatus, proripuit ſe *Lauſannam ad Allobrogas*, indéque aliquot interjectis annis ad illas *Germaniæ* gentes ergà literatos egregiè ſemper animatas ſe recepit.

Lauſanna.

Claruit *Genevæ Allobrogum* An. C. 1573. quo Jus Civile ibidem docuit, teſte *Jano Jacobo Boiſſardo, in Vitis virorum doctorum.*

Vir erat habili & fœcundo ingenio, variaque eruditione, ac potiſſimùm eximiâ quadam in *Romanorum* Jure illuſtrando facundiâ conſpicuus, variis editis de Jure & aliis ad antiquitatis & politioris literaturæ illuſtrationem toto vitæ tempore operibus, quæ ſimul poſtcà *Jacobus Lectius*, J.C. ſicut ab autore paulò ante mortem recognita ac digeſta erant, publicavit.

Obiit hydrope Baſileæ.

Fato functus eſt *Baſileæ Rauracorum* ex morbo intercute 12. Febr. A.C. 1590. æt. 66. Cum paucis antè annis Libellum edidiſſet aureum, quo impendentem apud *Gallos* inter patruum & fratris filium de Regiæ ſucceſſionis Jure controverſiam non minùs verè quàm eruditè in gratiam *Henrici* legitimi Succeſſoris explicavit.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani, & ex Elogiis Thuaneis Virorum doctorum C. B.*

Libros edidit:

Scripta.

Operum Juridic. Volum. II.
Comment. in Inſtituta.
in Digeſta de Teſtamentis.
in Regulas Juris.
Obſervationes in Jus Civile, & in Pandectas.
Comment. Verborum Juris, Antiquitat. Romanar. elementis amplificat. Juſtiniani vitam.
Dictionarium Verbor. Feudalium.
Tract. de Magiſtratibus.
de Legibus.
de Juriſconſultis.
de Senatu & Senatûs Conſultis.
de Formulis, & Comitiis.
de gradibus cognationis & affinitatis inceſtiſq; nuptiis.
De Actionibus Commentar.
Conjecturam de præſcriptis verbis.
Tract. de Feudis.
de liberis poſthumis.
de ſpuriis.
de rebus creditis, & Contractibus.
de Donationibus.
de Pactis, & Transactionibus.
de Morâ & Uſuris.
de Pignoribus, & Hypothecis.
de Actionibus.
Conſilia.
Reſponſorum amicabilium lib. II.
Diſputationum variarum volum.
De re nummariâ Populi Romani.
De legibus Populi Romani.
De optimo genere Juris interpretandi.
Quæſtiones illuſtres cum appendice contrà Leſcurium.
De ſucceſſione inter Patruum & Fratris præmortui filium.
Juriſconſultum, ſeu de Interpretatione Juris optimâ.
Partitiones Juris Civilis, & Obſervationes.
Indicem Cæſareum.
Epitaphia.
Franco-Galliam, cum notis Matharelli de Republicâ Francorum.
Græco-Galliam.
Dialecticam Juris.
Indicem univerſæ Hiſtoriæ ab Orbe condito.
Commentar. in Orationes Ciceronis.
De Cœnâ Domini Libellum.
De Pontificis Rom. Poteſtate & amplitudine.
De Religione Populi Romani ex inſtituto Numæ.
Ad Remundum Rufum, defenſorem Rom. Pontificis contrà Carol. Molinæum.
De ſtatu primitivæ Eccleſiæ, ejusq; Sacerdotiis, de Patriarchis, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Primatibus primæ ſedis Epiſcopis, Chorepiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis.

GEORGIUS TILENUS.

Obiit A. C. 1590.

Cenotaphium in medio templo *Witteb.* in quibus Doctores creantur, Occidentem versùs affixum conſpicitur:

Epitaphium.

CLARISSIMO VIRO, SAPIENTIA, DOCTRINA, DIGNITATE, CONSILIO, ET OMNIBUS VIRTUTIBUS PRÆSTANTI DN. GEORGIO TILENO AURIMONTANO SILESIO J. U. D. ET ILLUSTRISS. DUCIS MONSTERBERGENSIS CONSILIARIO, DE PATRIA PIETATIS ET LITERARUM STUDIIS PRÆCLARISS. MERITO, QUI CUM ANNO CHRISTI M.D.XC. D. VI. FEBR. URATISLAVIÆ NUPTIAS CELEBRASSET, IBIDEM DIE XXVII. POST, QUÆ FUIT VI. MARTII INTRA XII. ET I. NOCTIS HORAM, IN ARDENTISSIMA FILII DEI INVOCATIONE EX HAC VITA DISCESSIT, SEPULTUS IN ÆDE D. ELISABETHÆ MAGNO CUM TOTIUS SILESIÆ DOLORE, ANNO ÆTATIS SUÆ XXXIII. DIE XXII. BALTHASAR MENTZIUS, NIMECENSIS SAXO M.E.L.P. SINCERÆ AMICITIÆ ET JUCUNDISSIMÆ CONSUETUDINIS SANCTIQUE PROMISSI NON IMMEMOR, AMICO CHARISSIMO OPT. MAX. DE SE ET BONIS B. M. HOC PIETATIS MONUMENTUM WITTEBERGÆ IN ACERBISSIMO LUCTU POSUIT:

Cum ſciret Lacheſis, te, ſi fruerêre ſenectâ,
Æternum Muſis vivere poſſe tuis.
Ingenii curſum properatâ morte moratâ eſt,
Et florem vitæ falce citâ ſecuit.
O ſic ante diem vatum ſpes magna jacebis;
Spes & amicitiæ magna, Tilene, meæ.
Natus in Eliſiâ terrâ, patre vera docente
Sacra Dei, auriferis, qua Catus errat agris.
Nunc iterum Elyſios fatis poſcentibus agros
Ingrederis, ſuperi quâ patet ora poli.
Ergò digreſſi veneramur nomina Vates,
Atque ego: ſed vates, Carmine, ego Lacrymis.

Carminis

Carminis autori carmen debetur, amico
Par amor, in fratris funere do lachrymas.
PSALM. CXII.
BONORUM MEMORIA SEMPITERNA.

* *Ex Jubilæo Wittebergenſi D. Johan. Meiſneri.*

Obiit A. C. 1590.

FRANCISCUS WALSINGAMIUS.

ORtus ex familiâ *Anglicâ* multis ſæculis illuſtri.

Juvenis exilium, *Mariâ* regnante, ſubiit voluntarium Religionis ergò.

Conſiliarius, Secretarius & Legatus Anglicus.

Maturâ ætate Reginæ *Eliſabethæ*, 16. annis ab intimis Conſiliis & Secretis fuit, ejusque nomine Orator fuit apud Regem *Galliæ* multis annis. Rursùm bis in *Galliam*, ſemel in *Scotiam*, & ſemel in *Belgium* Reginæ ſuæ nomine functus eſt Legationibus, ejusque nomine cuncta ferè negotia gravia extrà Regnum *Angliæ* direxit.

Cancellar. Lancaſtr.

Fuit quoque triennium Cancellarius Ducatûs *Lancaſtriæ*. Ad extremam paupertatem ſub finem vitæ redactus obiit *Londini* 6. April. An. C. 1590. Noctu ſine ullis cæremoniis terræ mandatus.

Moritur pauper.

* *Ex Herologiâ Anglicâ.*

Obiit A. C. 1590.

ANDREAS PAULI.

B*Runsvigæ* natus eſt A. 1543.

Pater ei fuit *Gerardus*, Senator & Camerarius Urbis, Avus itidem *Gerhardus*, qui 4. ibi annos Conſulatum geſſit.

Melanchthonis &

Ut primum in pueritiâ Philoſophiæ fundamenta jecit, *Wittenbergam* miſſus, & *Melanchthoni* commendatus eſt., qui domum ſuam & in convictum eum recepit.

Camerarii diſcipulus.

Indè *Lipſiam* abiit, *Joach. Camerarii* viſendi causâ, qui non minore quàm *Melanchthon* favore eum proſecutus eſt.

Poſteà cum *Ingolſtadii* aliquantiſper hæſiſſet, in *Italiam* iter ſuſcepit, & *Bononiæ* triennium in Legum ſtudio conſumpſit.

Jacobum Cujacium audit.

Italiâ perluſtratâ, *Valentiam* ad *Jacobum Cujacium* pervenit, & poſtquàm illuſtriores *Galliæ* Urbes vidiſſet, *Spiram* venit, ut praxin addiſceret.

Conſiliarius Saxonicus.

A. 1561. Ab *Auguſto*, *Saxoniæ* Electore, vocatus, Conſiliarii provinciam ſuſcepit, & Electoris nomine multas Legationes ad Imp. & varios Reges ac Principes obiit.

Eandem fidem Electori *Chriſtiano I.* probavit, cum quo *Caſſellas* in aulam *Wilhelmi Haſſiæ Landgravii* profectus, ibi decumbere cœpit, eoque morbo extinctus eſt 4. Maji A. 1590. ætat. 47.

Moritur.

Corpus *Caſſellis* honorificè in Templo Parochiali ſepultum eſt, Concionem funebrem habente *Johanne Starckio*, Superintendente *Caſſellano*.

Juſtitiæ amator Pauli.

Dixit aliquando: *Se imprecari ſibi, ut eo ipſo baculo, quem manu tenebat, confeſtim extingueretur, ſi conſcius ſibi ullius ſit munuſculi ab ullo civium tàm ditiorum quàm pauperum accepti: exceptis donariis Principum & Magnatum, quæ ut non honeſtè recuſare, ità pro laboribus juſtè potuiſſet poſtulare.*

* *Ex Melchioris Adami vitis JCtorum.*

Obiit A. C. 1590.

DAVID LUCANUS.

F*Rancobergæ*, *Haſſiæ* oppido, lucem hanc primùm vidit 30. Dec. A. 1528.

Patrem habuit *Johannem*, Conſulem.

Cum in patrio ludo prima imbibiſſet elementa, *Wetteram* miſſus eſt, ubi *Familio* & *Pinciero* Præceptoribus feliciter in ſtudiis progreſſus eſt.

Marpurgi literis operam dat.

Indè *Marpurgum* acceſſit, ubi in Philoſophicis *Joh. Lonicerum* diligenter audivit, & primam Philoſophiæ lauream adeptus eſt.

Tunc temporis *Marpurgum* legati ex *Galliâ* venerunt, *Johannes Fraxinéus*, Epiſcopus *Bajonenſis*, & *Fridericus Reiffenbergius*, vir nobilis & re militari clarus. Hic cum in ædes *Ortwini Lucani* divertiſſet, adoleſcentem hunc *Davidem* ſibi adjungi petiit, & effecit, ut mox *Fraxinéo* à Secretis eſſet, & interpretis officio fungeretur. Ab eo *Galliæ* Regi commendatus, qui operâ ejus ad Principes patriæ in legationibus uſus, eumque magnificis honorariis remuneratus eſt.

Galliam adit.

Præficitur bellicis theſauris.

Liberato deindè *Landgravio* Principe ſuo *Lucanus* ad *Reiffenbergium* rediit, à quo theſauris bellicis præfectus eſt. Idem perſpiciens juvenis animum ad Juris ſtudium magis quàm militiam inclinans, ſumptibus ſuis ipſum raro liberalitatis exemplo, triennium in *Galliâ*, & annum in *Italiâ* ſuſtentavit.

Sparſo deindè rumore falſo de morte *Reiffenbergii* in *Germaniam* rediit, *Spiram* conceſſurus: ſed poſtquàm vivere adhuc Mecœnatem ſuum cognoviſſet, acceſſit eum tum in novo milite pro *Gall.* Rege conſcribendo occupatum. Hic ſtatim eum ad Regem ablegavit, ut de exercitu coacto nuntium afferret, fuitque Regi nuntius tàm gratus, ut illicò 500. Francis donatum cum literis ad *Reiffenbergium* remiſerit.

Profeſſores Juris audit.

Cum poſteà per annum ejusdem Comes individuus per *Galliam* & *Germaniam* fuiſſet, iterum *Bituriges* rediit, ubi ut & antè legum Profeſſores audiit *Franciſcum Duarenum*, *Johannem Robirium*, *Andream Levocontium*, *Jacobum Cujacium*, *Hugonem Donellum*, *Nicolaum Bugvirium*, & *Antonium Contium*. Horum lectionibus confirmatus 20. Sept. A. 1553. Juris utriusque Baccalaureus, mox die ſequenti Licentiatus, tandem ex *Italiâ* redux Doctor Juris An. 1559. ſalutatus eſt, dato ei à Collegii Profeſſoribus teſtimonio.

Doctor Juris.

Deindè *Marpurgum* reverſus, Uxorem duxit, & domicilium ibi fixit.

Conſiliarius Haſſiacus.

A. 1561. A *Philippo* ſeniore, *Haſſiæ* Principe, inter Conſiliarios adſcitus eſt, ut negotia *Gallica*, tum ob confœderationem cum Rege *Galliæ* crebra expediret. Brevi poſt ſummi Dicaſterii *Haſſiaci* Adſeſſor, mox Principis Conſiliarius intimus declaratus, in eo munere ad vitæ finem permanſit.

Dicaſterii adſeſſor.

A. 1566. Unà cum D. *Junio*, Electoris *Palatini* Legato, ad *Carolum IX. Galliæ* Regem miſſus, ab eo catenam auream 500. florenorum æſtimatam dono accepit.

A. 1576. Ad *Cæſarem Maximilianum II.* in Comitia *Ratisbonenſia*, & mox *Viennam* ad *Rudolphum II.* nuper electum ablegatus eſt. A. 1582. Ad Comitia *Auguſtana*, & A. 1585. *Pragam* ad Imperatorem cum aliis legatis miſſus eſt, ut pro *Saxonis* captivi liberatione deprecaretur.

Legationes obit varias.

A. 1590. M. Julio morbo gravi laborare cœpit, cum catarrhus ſuffocativus acceſſiſſet, inter preces uxoris & liberorum morte placidâ extinctus eſt 23. Aug. A. ætatis 62. In obitum ejus beatum carmen ſaxo inciſum eſt ejusmodi autore *Rodolpho Goclenio*:

Moritur.

Epitaphium.

Hic Lucane jaces, ſed non jacet inclyta virtus:
David, Francorum mortis alumne pie.
Fidus eras Dominis Cattorum, Martis & artis
Dotibus, eloquio conſilioq; potens.
Legatum Cæſar, Reges videre Ducesq;,
Si qua gerenda foris, ſi qua gerenda Domi.
Doctrinæ fuit hic & paupertatis aſylum:
Quàm placidum pectus: quanta viri gravitas!
Hinc capiant manes veram poſt funera laudem:
Pro meritis Cœlo gratia digna fuit.

Domi ſuæ ſtatas habuit horas, quibus S. literarum lectioni & precibus, quas in genua dicebat provolutus, vacabat. In rebus fidei plus fecit Apoſtolorum ſimplicitatem piſcatoriam, quàm argutias in humanæ rationis cerebro natas.

Vixit in conjugio gemino primùm cum *Urſulâ, Nicolai Wallenſteinii*, Scribæ Camerarii *Haſſiaci* filiâ, in primo partu extinctâ: Deindè cum *Catharinâ, Johannis Molleri*, civis *Francobergici*, filiâ, ex quâ filios 7. & 8. filias ſuſcepit.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

Obiit A. C. 1590.

JOHANNES WAMESIUS.

LEodici *Eburonum* natus eſt A. 1524.

A puero ad ſtudia adhibitus, ad ſtudia Juris tranſiit, *Græcisque* literis operam dedit.

A. 1553. *Lovanii* Doctor renuntiatus eſt unà cum *Johanne Vendvillio*, poſt Præſule *Tornacenſi, Joachimo Hoppero*, & *Petro Peckio*.

Doctor Juris.

A. 1555. Ibidem ad publicam Jurisprudentiæ Profeſſionem cum laude acceſſit: & A. 1570. Primarius Juris Anteceſſor audiit.

Profeſſor Juris.

Cum à *Johanne Auſtriaco*, Claſſis *Turcicæ* victore, & ad componendos motus *Belgicos* à fratre *Philippo II. Hiſpaniarum* Rege miſſo in ſummum Senatum legeretur, eo non uſus eſt beneficio, ne juventuti deeſſet, quam ſemel informandam ſuſcepit.

Quæſitam in ſcholis doctrinam exercitatione forenſi ſic confirmavit, ut ambigerent omnes, ad Gymnaſium an ad forum magis foret idoneus. Fidem faciunt elaborata ab eo *Reſponſorum juris volumina*.

Juris peritus Wameſius.

Diuturno morbo decumbens, obiit *Lovanii* A. 1590. 22. Julii, A. ætatis 66. Defuncto hæredes illuſtre poſuêre monumentum ad D. *Petri* ſequens:

Moritur.

Epitaphium.

MEMORIÆ SACRUM.
JOHANNES WAMESIUS H. S. E. QUEM BREVITER LECTOR NOSCE:
NATUS EST LEODICI EBURONUM ANNO ClƆ IƆ XXIV. AD STUDIA LITERARUM ET INDE JURIS TRANSIIT: IN IIS QUOQUE FAMAM ADEPTUS ETIAM GRÆCIS, NATURA ET INDUSTRIA DUCE.
AT IN JURE AD CULMEN IPSUM CONSCENDIT.
DOCTOR RENUNCIATUS A. ClƆ IƆ LIII.
PUBLICE PROFESSOR IN HAC SCHOLA A. ClƆ IƆ LXX.
HOC MUNUS CUM LAUDE ANNOS XX. OBIIT.
PRIMORIBUS GRATUS, VULGO VENERABILIS, OMNIBUS CARUS, BREVITER DOCTRINA, PRUDENTIA, AUCTORITATE, INTER ÆVI SUI PRIMOS.
OBIIT DIUTINA VALETUDINE A. ClƆ IƆ XC. XI. KAL. SEXTIL.
ISTE VIA FUIT, LECTOR, SED FUIT: TU QUOQUE QUOD ES NON ERIS ALIUS, ALIAS, SED OMNES HUC IMUS.
COGITA ET HUIC BENE APPRECARE, ITA POSTERI TIBI.
MAGNE DEUS,
IPSI ET NOBIS MISERERE.
HERR. PP.

Scriptis inclareſcere vivus nunquàm cupivit, ut poſt obitum ejus *Stephanus Weimſius & Gerardus Corſelius* evulgatis illius doctiſſimis *Recitationibus ad tit. de Appellationibus* palàm fecerunt.

* *Ex vitis JCtor. Melch. Adami.*

JACOBUS CUJACIUS.

Obiit A. C. 1590.

T*Oloſæ*, humili loco natus A. C. 1532. *Αὐτοδίδακτος* nullius Præceptoris adminiculo Linguas Latinam & Græcam didiciſſe fertur.

Cum juvenis in petitione Cathedræ *Toloſanæ* repulſam tuliſſet, ingratam exindè patriam exoſus, *Dalonæ Cadurcorum* ad *Oltam* amnem ſuggeſtum adeptus conſedit, mox *Biturigis Cuberis* ad *Avaricum*, *Valentiæ* quoque *Cavarum* ad *Rhodanum*, & aliquando *Toloſæ*, nec non *Auguſtæ Taurinorum*, ubi Senator *Emanuelis Philiberti* Principis *Sabaudiæ* nutu renuntiatus eſt, ac iterum *Biturigis*.

Valentiæ Jura docet, Senator Ducis Sabaudiæ Taurini. Juris Profeſſor Bituricenſis.

Optârat etiam aliquando ad Gymnaſium *Bononienſe* concedere, cum ne *Gregorii III.* Pontificis Maximi contemneret invitamenta, tum ut peregrinæ eruditionis pompam in clariſſimâ *Italiæ* luce ſolenniùs oſtentaret, ſed ab æmulis ſuis undique in *Galliâ* circumventus, ſui impos voti remanſit.

Africani & Papiniani ſtilum redolere ipſius opera, & primum ipſum Juris *Romani* notitiæ

Jus Romanum neglectum Latino candori reſtituit.

titiæ neglectum à cœteris junxiſſe Latini candoris ac hiſtoriæ apparatum concordi Juriſconſultorum judicio firmatum eſt.

Studioſorum amicus. Inuſitato eum affectu complecti ſolitum ſtudioſos proditum eſt, quando præter animi cultum pecuniâ etiam ſuâ illis interdum ſubveniret, ſi fortè ſeriùs hæc de foris à parentibus transmitteretur.

Præterea ſtatis diebus cum illis in ſuburbano lætiſſimè convivari ſolitus eſt, ſic tamen, ut ægrè ferret à quopiam de Legum ſtudio tunc temporis interrogari.

Nullam unquam expoſuit lectionem, niſi 6. vel 7. horarum interſtitio præmeditatam.

Præditus fuit ſtaturâ brevi, at optimè temperatâ, cum ſudor ex eo manans ſuave multum oleret, barba illi in juventute nigerrima cum ſimili capillitio, color faciei candidus, vox clara, multoque reſona ſpiritu, occiput protuberans indelebilis memoriæ teſtis: quibus ipſe fretus dotibus peracre nec intermiſſum quotidiè ſtudium potuit excolere, vel ad annos jam ſenio collabentes.

Bituricenſes eum de certâ in Regem fide ſuſpectum habentes, oborto ſeditioſorum tumultu non ſemel interimere conati ſunt.

Moritur Biturigibus. Urgentis tandem fati viribus cedere coactus eſt, dum *Biturigibus* deceſſit 3. Octob. A.C. 1590. ætat. 68. Ad ſacras D. Petri ædes nobilium diſcipulorum humeris translatus eſt, & Oratione publicâ à *Claudio Mareſchallo*, Regio Conſiliario & auditore olim ſuo collaudatus.

Elogium ipſi autem poſitum eſt ſequens:

Epitaphium.

JAC. CUJACIO. V. C.
TOLOSÆ. ILLIUS. DUM. QUONDAM. PALLAD. FUIT. ALUMNO. SUBCINERICIO. HÆREDIQUE. EX. ASSE. POSTUMO. ROMANI. JURIS. A. SUMMIS. CONDITIONIBUS. INTERPRETI. PRIMO. ET. ULTIMO. CUI. QUICQUID. PURÆ. NATIVÆQUE. LUCIS. ET. SCIENTIÆ. UNDECUMQUE. ACCESSIT. ÆTAS. SUA. DEBET. POSTERA. ETIAM. SI. QUÆ. LEGUM. CURA. MANET. DEBITURA. EST.
P. PITHOEOEUS. P. F. DOCTORI. BENE. DE. SE. DE. LITERIS. OMNIBUS. MERITO.
M. P.
VALE. CUJACI. NOS. TE. ORDINE. QUEM. DEUS. ET. NATURA. JUSSERIT. CUNCTI. SEQUEMUR.
DECESSIT. 4. NON. OCT. ANNOS. NATUS. P. M. LXVIII.

* *Ex Muſeo Hiſtorico Johan. Imperialis Phil. & Med. Vicent. & ex Elogiis Galler. doctrinâ illuſtr. Scævolæ Sammarthani.*

Jacobus Cujacius.
Per Anagr.
Jus à buſto excivi.

* * *

In Academiâ *Bituricenſi* juvenis adhuc Jura docens, acerrimas contentiones habuit cum *Franciſco Duareno* jam ſene. Indè non obſcuræ ſimultates exortæ ſunt inter ipſorum Auditores in partes diverſas diviſos, donec *Cujacius Duareno* cedens, *Valentiam* migravit, quo nomine poſteà ſe *Duareni* memoriæ plurimùm debere dixit, cujus æmulatione factum eſſet, ut Juris Profeſſionem jam diligenter excoluiſſet.

Mortui vitam & mores *Papirius Maſſonus* eleganti ſtylo poſteritati mandavit.

Cum *Tholoſæ Stephano Forcatulo* faceto magis quàm prudenti Juris Doctori in Cathedræ petitione poſthabitus, deindè verò *Biturigum* Scholæ præfectus omnium expectationem ſuperâſſet, *Tholoſanis* eum repetentibus pauca hæc repoſuit: *Senatui P. Q. Tholoſano Jacobus Cujacius. S. P. D.*

Fruſtrà abſentem requiritis, quem præſentem neglexiſtis. Valete.

* * *

Ex Elogiis Thuaneis Virorum doctorum C. B.

Jacobus Cujacius Tholoſæ natus, rarum non ſolùm *Galliæ*, ſed univerſi Orbis Chriſtiani ornamentum, à ſummis Juris conditoribus Interpres primus & ultimus: cui, quicquid puræ nativæque lucis ei ſcientiæ undecunque acceſſit, ætas hæc habet, & poſtera debitura eſt.

Huic rarâ felicitate contigit, ut vivus videnſque laude, quam meruerat, frueretur, & in Foro ac Subſelliis, cum alii peculiari quiſque nomine ſuo citentur, ipſe per eminentiam Juriſconſulti nomine appellaretur.

Brevi ſtaturâ fuit & corpore campacto ac quadrato, nullis ferè morbis totâ vitâ conflictatus: tantùm importuno ſingultu interdum vexabatur, quem ceſſatione aliquâ & hilariore inter diſcipulos convictu transigebat.

Tam firmâ valetudine fretus hanc ſortem ſibi Divinâ benignitate concedi optavit, & verò ſperavit, ut octuagenarius integris adhuc mentis & corporis viribus frequenti auditorio juventuti prælegere poſſet, quod ante 80. annos *Philippum Decium Piſis* feciſſe meminerat. Eâ fiduciâ *divinum Obſervationum Opus*, cujus ſinguli Libri 40. capitibus abſolvuntur, ad 40. uſque Libros perducere decreverat, eumque ſibi vitæ & ſcribendi finem præſcripſerat.

Verùm Civilium bellorum fœdâ ſubortâ tempeſtate, Vir, ut Profeſſione, ſic moribus Juris & æqui obſervantiſſ. ſe ad cædem oculis deſignari videret, mœrore confectus obiit.

Edidit:

Conſtitutiones Novell. Expoſit.
Baſilicon Juris Civilis.
De acquirendâ Poſſeſſione.
De Jure & Juſtitiâ.
Notas ad Inſtituta.
in Codicem.
in Digeſta.
in Pandectas.
in II. & IV. Decretal.
Quæſtiones Juris ad Africanum.
In Jul. Pauli Sententias Interpretationem.
Paratitla in Pandectas, & Codicem.

Opera,

Opera, quæ de Jure fecit.
Epitomen Operum.

Relictâ filiolâ, Bibliothecam libris & propriâ diligentiâ notatis, & ad manuſcriptos Codices ſummâ curâ collatis illuſtrem teſtamento publicè venundari mandavit, ut in plurium manus perveniens diſſiparetur, eo conſilio, ne ſi in unius poteſtate eſſet, præpoſterè curioſis ex notis ejus malè intellectis farragines librorum conſarcinandi occaſionem præberet. Adeò vir Reip. juvandæ natus, etiam de re literariâ poſt obitum accuratè ſollicitus fuit. *Thuan. lib. 99.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1590.

JACOBUS FAYUS SPESSÆUS.

B*artolomæus Fayus, Lugdunenſis*, familiâ natus illuſtri, doctrinæ virtutiſque commendatione in Senatum aſſumptus eſt, Præſidiſque demùm officio fungi promeruit. *Filius Præſidis Lugdun.* Is Uxorem habuit ex *Violarum* gente nobili, undè filium inter alios tulit *Jacobum*, qui cum in *Heliæ Andreæ* ſcholâ 12. annorum puer *Anacreontis* Odas Latinè, *Virgilii*que viciſſim Græcè mirâ facilitate reddidiſſet, *Poëta.* *Hoſpitalius* jam tum hanc admiratus indolem, patri prædixiſſe fertur, fore, ut puer tantus in rarum & præcellentem virum evaderet.

Fuit nimirùm in eo perſpicacis ingenii ſumma vis, & incredibilis memoriæ felicitas, cum ſolido judicio juncta. Quâ Naturæ bonitate fretus, ad eam brevi tempore pervenit eruditionis exuperantiam, ut in Senatorium ordinem adoleſcens adhuc & imberbis ex piâ patris ejuratione cooptaretur. *Senator Lugdunenſis.*

Legatus in Sarmatiam. Non multis interjectis annis, Legatus in *Sarmatiam* graviſſimis de rebus, unà cum *Nicolao Angennæo Rembolieto*, præcipuæ nobilitatis equite, propinquo ſuo miſſus eſt.

Libellorum præfectus. Hujus Legationis prœmium fuit libellorum in prætorio præfectura, quâ poſt annos aliquot abdicatâ factus in ſupremo Senatu Fiſci Patronus, *Fiſci Patronus.* tum demum in illo celeberrimo totius orbis conſeſſu totum ſe, quantus erat, explicavit. Nemo enim ampliores doctrinæ copias, nemo difficillimis temporibus majorem invicti animi conſtantiam ad munus illud honeſtum pro dignitate obeundum attulit.

Cujus cum ſæpè aliàs, tum ſub *Ibericæ* factionis exordia mirabile dedit ſpecimen, detectis non ſemel & in ipſius Regis conſpectu repulſis coràm artibus, qui per ſpeciem pietatis, propoſitâ S. Concilii promulgatione, res in *Galliâ* novas moliebantur, Eccleſiæque *Gallicanæ* libertatem, ac per ejus latus auctoritatem Regiam conabantur convellere: cum vir doctiſſimus ex ipſo Jure Pontificio, quod & perfectè callebat, non libertatem illam, ſed merum eſſe jus, ideóq; minimè violandum, apertè demonſtraret.

Secutus eſt funeſtus toti *Galliæ* tumultus, Rege per ſummum furorem *Pariſiis* expulſo, Senatuque ob tam indignum facinus ad *Turones* tranſlato.

Hujus ampliſſimi ordinis delectus Præſes *Præſes Senatûs Turonenſis.* *Faius* non modò permanſit inconcuſſus in officio & fide, ſed multorum etiam labantes erexit animos, acerrimumque præſtitit ſe Regii ordinis aſſertorem.

Vixit autem in eo magiſtratu paucos menſes: obſeſsâ enim à Rege *Lutetiâ*, cum ſeſe Julii menſis caloribus in caſtra contuliſſet, nec à militaribus muniis abſtineret, lethalem accerſivit febrem, quâ 46. tantùm natus annos extremum vitæ diem exegit, eò quidem placidiùs, quod in *Jacobi Auguſti Thuani* Collegæ chariſſimi ſinu animam exhalaret. *Ex febre obiit.* Funeratus eſt *Sylvanecti* magno Regis & omnium bonorum luctu 13. Cal. Octob. A.C. 1590.

Vir erat fronte minaci & ſeverâ, ſed ſermone comi, nec à liberalibus facetiis abhorrente. Summus in eo candor & ſinceritas elucebat, quodque fuit in viro tantæ doctrinæ ſibi conſcio mirum, tam longè aberat ab omni gloriæ fumo, ut cum tradere poſteris multa poſſet ingenii ſui documenta, tamen poſt abſolutiſſimas tot veterum lucubrationes publicare novos libros non modò ſupervacaneum eſſe duceret, ſed etiam ineptum.

Nec è doctiſſimis ejus vigiliis hodiè quicquam legeremus, niſi duo Regii Senatores, *Jacobus Gilotus* & *Carolus Faius*, hic *Speſſæi* germanus frater, ille fraternâ cum *Speſſæo* benevolentiâ jam à puero conjunctus, curaviſſent, ut *Gallicæ* ſaltem ejus aliquot ſupereſſent *Orationes*, *Scripſit Orationes Gall.* eo quidem conſcripto ſtylo, quem verè poſſis dicere *Cæſarianum*, ita ſunt omnia nativi candoris & eloquentiæ nuſquam affectatæ pleniſſima, quæ generoſum ejus animum teſtentur & ab omni fuco alienum.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Obiit A.C. 1590.

BARTHOLOMÆUS POEMERUS.

NAtus eſt *Norimbergæ* Menſ. Mart. A.C. 1533. Patre *Wolfgango Pömero*, Judicii Aſſeſſore, Matre *Annâ*, *Bartholomæi Flickii* filiâ.

Puerum perſpicacis ingenii & memoriæ felicis artibus liberalibus voluit erudiri Pater, *Diſcipulus ad S. Sebaldum ſcholæ.* & Præceptoribus ad *D. Sebaldum* dedit recoquendum, ſub quibus tales intra paucos annos progreſſus fecit, ut & animi cogitata verbis Latinis reddere, & de Logicis præceptis interrogatus, utcunque poſſet reſpondere. Quare *Lipſiam* miſſus à Patre eſt, *Studioſus Lipſiæ.* ut ſub clariſſimi Viri *Joachimi Camerarii*, *Pabebergenſis*, fiduciariâ quâdam literarum tutelâ indies magis in humanioribus proficeret.

Sub tanto Viro Græcis & Latinis literis diligenter excultus & exercitatus, *Wittebergam* porrò ſe contulit, *Wittebergæ.* ibique ductu *Philippico* non in verâ modò Religione confirmatus eſt, puriorisque Philoſophiæ præ-

cepta addidicit, ſed & ſub clariſſimis Juriſprudentiæ, cujus incenſus ſtudio mirificè fuit, Doctoribus non pœnitendos progreſſus fecit, quibus alacrior redditus, cum audiret, *Ingolſtadii* Legum florere ſtudia, famâ maximè excitatus *D. Franciſci Zanetti*, eò ſe contulit, ibique hæſit per biennium, donec in periculoſum incidens morbum, illinc diſcedere coactus, *Noribergam* primùm rediit; mox valetudine recuperatâ in *Galliam* abiit, & apud *Pictones* primùm, *Avarici* deindè *Biturigum*, quâ in Academiâ *Franciſcus* tum *Duarenus* floruit, ſedem ſtudiorum figens: ibi cum publicè, audiendo Anteceſſores, felicius tamen ſtudio privato, cognoſcendis veterum juxta & modernorum Juriſconſultorum, *Alciati* præſertim & *Budæi*, monumentis, rerum pulcherrimarum theſaurum ſibi comparavit, quem & multò reddidiſſet auctiorem, ni alieno prorſus tempore Parens ipſius ad cœleſtem hinc eſſet evocatus vitam, eamq; ob cauſam is ſuorum literis revocatus in patriam A. 1558.

Studioſus Legum Ingolſtadii.

Avarici Biturigum.

Per Galliam profectus.

Hoc acerbo nuntio perturbatus, protinus *Lutetiam* primùm excurrit, cœteras indè inviſit Regni *Gallici* civitates: tandem per *Helvetiorum*, *Allobrogum*, *Argentinenſium*, & Ducis *Würtenbergici* fines in patriam ad ſuos rediit.

Uxorem in patriâ duxit.

Ibi divinâ diſponente providentiâ de ſuorum conſilio Uxorem duxit *Eſther*, Ampliſſimi Viri D. *Chriſtoph. Tezelii*, Ariſtocratiæ Noricæ Duumviri filiam, *Sigismundi Ortelii*, ejus, qui non procul à *Lipſiâ* A.C. 1557. globo bombardico per inſidias trajectus occubuerat, viduam, quâ cum in concordi matrimonio octo ferè annos vixit, ex eâque filium cognominem ſuſcepit, reditibus poſteà ſacris *Herosbrucci* præfectum.

Judicii Norici Aſſeſſor.

Statim à nuptiis in Judicum Patriæ ordinem allectus, A. 1562. Ampliſſimi Septemviri ei locum Præfectis tàm Eleemoſynariis quàm tutelaribus Prætoribus pari ſuffragiorum jure aſſidendi (qui ſanè nondum Senatoriâ condecorato dignitate delatus honor permagnus fuit) conſignârunt, annoque proximo 1563. in Ampliſſ. Reipubl. Ordinem curârunt cooptari.

Senator.

Hunc honorem ſanctè adminiſtrando publicas Patriæ res ita geſſit, ut omnes ferè dignitatum gradus attingens ad Triumviratum usque, qui à Duumviris proximus eſt honor, conſcenderit. Academiæ quin etiam *Noricorum Altorfinæ* Scholarcha fuit digniſſimus.

Triumvir. *Scholarcha Altorf.*

Uxore *Eſther Tezeliâ* defunctâ, Dom. *Jacobi Muffelii* Septemviri filiam *Annam* duxit, ex quâ filiam matri cognominem ſuſtulit. Sed & hanc ubi fato præpopero ex partu amiſit, *Helenam*, prudentiſſimi quondam Senatoris D. *Joh. Starckii* filiam in uxorem accipiens, numeroſam ex eâ ſuſtulit & reliquit ſobolem.

Conjugium ejus ſecundum & tertium.

Vergente ad ſenectutem ætate moleſto & difficili laboravit perſæpè pedum dolore. Obdormivit tandem placidè die 25. Oct. A.C. 1590. ætatis 57.

Moritur.

* *Ex Oratione funebri Caſp. Paumgartneri, filii Balthaſar. Præfecti Altorfini.*

BONIFACIUS ROGERIUS.

Obiit A.C. 1591.

P*atavinus*, filius *Friderici* ejus, qui ob inſignem Juris Pontificii & Cæſarei doctrinam *Patavii* inter ſummos Legum Interpretes per multos annos de Republicâ literariâ optimè meritus eſt, & ab Imperatore *Carolo V.* Equeſtris Ordinis dignitate ornatus: quemadmodum & ipſe *Bonifacius* egregium ſe Legum interpretem præſtitit: tum Nobilis & Eques auratus, ſacrique Palatii *Lateranenſis* Comes ab Imperatore *Maximiliano II.* declaratus eſt A. 1569. & à *Rudolpho II.* A. 1583. in eâdem dignitate confirmatus.

Comes Palatinus.

Primùm autem textum, gloſſam, & *Bartholum* horis veſpertinis cœpit explicare loco *Friderici* parentis ſui incommodâ valetudine laborantis: deindè à Senatu ad id munus obeundum A. 1563. electus: poſteà ad Jus civile veſpertinum in tertio loco explicandum A. 1566. adhibitus: indè in ſecundo loco A. 1572. poſitus Collega *Franciſci Manticæ* cum loci æqualitate. Quod munus usque ad A. 1591. quo mortuus eſt, digniſſimè obivit. Oratione funebri laudatus ab *Antonio Riccobono*.

Juris Profeſſor Patavii. *Moritur.*

Charus fuit Principibus & Cardinalibus, imprimisque *Nicolao Sfondrato*, qui anno, quo ille obiit, factus eſt Potifex Max. vocatus *Gregorius XIV. Scipioni Gonzagæ*, *Franciſco Mariæ* ex *Marchionibus Montis S. Mariæ*, *Hieronymo Ruveréo*, qui cum eſſet Archiepiſcopus *Auguſtæ Taurinorum*, mandatoque Ducis *Allobrogum* Juriſconſultum perquireret, qui *Guido Pancirollo* ſuccederet, literis ad hunc *Rogerium* datis prœmium ei 700. aureorum propoſuit, qui tamen ſe excuſavit, ne *Veneto* Principi & Senatui, cui erat additus & obſtrictus, minùs gratus, minùsque beneficiorum memor videretur. Fuit, ut appellant, ſapiens Deputatus ad utilia *Patavinæ* Civitatis, & duo reliquit *Conſiliorum* ſatis magna *Volumina*, quæ typis impreſſa ſunt.

Scripta.

* *Ex Lib. II. de Gymnaſio Patavino Antonii Riccoboni.*

FRANCISCUS LANOVIUS, vel DE LA NOVE.

Obiit A.C. 1591.

Hic ille eſt, qui unus ferè ſuo ſeculo, vel in mediâ ferri licentiâ, poſſe militarem virum integrè modeſtèque vivere novo prorſus exemplo demonſtravit. Enitebat enim in eo rarus omnium virtutum concurſus, & ſingularis in omni vitæ actione moderatio: cumque nemo eſſet, ubicunque res id poſcere videretur, ad pugnam promptior, ſibi tamen ſic temperabat, ut victoriâ potitus ab hoſtium ſanguine ſemper abſtineret.

Miles Chriſtianus.

Sed nec ipſi vulgarem Natura formæ honeſtatem & corporis dexteritatem contulit,



Digitized by Google

Digitized by Google

lit, ut equitandi peritiâ cœteriſque militaribus muniis nemo æqualium antecelleret, nemo quoties ad ludicra convertebatur, majori ſe agilitate ad omne palæſtræ genus exerceret.

Eques ſtrenuus.

Sed ex plumbeæ glandis ictu ad *Fontenayum* oppidum altero mutilatus brachio hæc otii deinceps oblectamenta coactus eſt omittere, & quod relinquebatur à bellico labore vacui temporis, in quieto Muſarum contubernio conſumere. Fuerat enim puer in his ſtudiis educatus, quæ ad corporis & ingenii cultum ex æquo pertinerent.

Brachio mutilatus.

Ad Muſas reverſus.

Undè & clariſſimus belli Imperator evaſit, & plurimis de civili militarique ſcientiâ diſputationibus populari ſermone conſcriptis jure meruit in eruditorum numero cenſeri.

Libros ſcripſit de diſciplinâ militari.

Poſuerat militiæ rudimenta Regis *Henrici II.* tempore apud *Inſubres*, indeque Principi *Condæo* fideliter adhærens, iniquas fortunæ vices conſtanter ſuperavit. Bis enim eodem anno deletis *Henrici* fratris Regii felicitate *Borbonicarum* partium copiis, ipſe utrâque clade oppreſſus captusque eſt.

Bis prælio captus.

Mox verò libertate recuperatâ inſtauratoque in *Santonum* & *Pictonum* finibus mirâ celeritate ſuorum exercitu, regiis militibus numero pluribus & recenti rerum ſucceſſu elatis eâ loci opportunitate, ad *Luſcionium* illius tractûs oppidulum occurrit, ut fuſos omnes ac diſſipatos latè ſterneret, ipſumq; agminis Ducem *Pogallardium* militem veteranum in fugam converteret.

Victor ad Luſcionium.

Rurſum in *Belgio* dum Ordinum fœderatorum auſpiciis ſtrenuè militaret, ab *Hiſpanis* interceptus longa ſuperbæ gentis vincula pertulit, moleſta illa quidem, ſed glorioſa, quando Rex *Philippus*, qui tot annos captivum detinuit, vel hinc apertè oſtendit, quantoperè ſibi timeret à tanti Ducis fortitudine, quam cum ex aliis famæ operibus, tum maximè ex *Montii Hannonicæ* Urbis acerrimâ multorum menſium defenſione probè habebat perſpectam.

Ab Hiſpanis captus.

Quare vix tandem intercedente *Lotharingiorum* Duce facultas exeundi conceſſa his legibus, ut à *Belgico* bello impoſterùm abſtineret, nec adverſùs *Lotharingicæ* domûs dignitatem hoſtiliter unquam ſe gereret.

Liberatus.

Servavit pacti conditionem vir fidei tenaciſſimus, donec detectâ coitione Regem ipſum peti impium eſſe judicavit, & ab officio boni Ducis alienum ceſſare, nec ſuam in commune operam ad opprimenda conjuratorum arma conferre.

Itaque junctis ad *Sylvanectum*, agri *Pariſienſis* Urbem, cum *Longovillæo*, Regii exercitus ductore, copiis amborum virtute non Urbs modò de deditione propinquâ obſidione liberata eſt, ſed & hoſtes memorabili prœlio profligati, omnem rei deinceps benè gerendæ ſpem amiſerunt.

Sylvanectum obſidione liberavit.

Erat tunc in citeriore *Britanniâ* Prorex *Henricus Borbonius*, Regii ſanguinis adoleſcens, *Dumbarum* Princeps, qui omnes egregii ductoris partes in illâ jam ætate impleret. Hujus ad generoſos conatûs in propulſando hoſte potenti adjuvandos *Lanovium* Rex magno quidem *Armoricæ* nobilitatis conſenſu, ſed conſilio partim auſpicato mittendum cenſuit.

Eò namque vix appulerat, cum in *Lembale* vel *Lavallii* Urbis oppugnatione, dum ex edito loco muri ſitum exploraret, ſclopeti globo dejectus, colliſoque cerebro lethaliter ſaucius intra paucos dies vivis ereptus eſt: nempè ut quæ Regio tam illuſtris Equitis natalibus intumeſcebat (hinc ſiquidem ortus erat genere pernobili) eadem & extincti cineres jure ſuo poſſideret.

Sclopeti globo occiſus.

Sexagenarius obiit A. C. 1591. Superſtitem reliquit *Odetum*, filium bellicoſi pariter & eruditi Parentis imaginem, qui ex ſeptennii captivitate *Hiſpanicâ* liberatus patrem demortuum funeris honore affecit.

Filium ſibi ſimilem reliquit.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * *

Henrico Borbonio, Dumbarum Principi in *Britanniâ* citeriori contrà *Henoticos* bellum gerenti, ab *Henrico II.* auxilio miſſus in oppugnatione *Lemballæ* arcis, dum poſitâ galeâ intenſiùs locum luſtraret, ſclopeti ictum in capite accepit, qui tantùm cutem ſtrinxit, ſed ad os usque penetrans, tantâ vi cerebrum concuſſit, ut ſemianimis concideret, undè accurrentibus ſuis in hoſpitium relatus, per horam ſine voce & motu jacuit, dein, collectis ſpiritibus, paulatim ad ſe rediit, & poſt triduum cum *Joh. Maſſâ Mommartino Moncontorium* devectus eſt, ubi ob intolerabiles capitis dolores, quibus vexabatur, inter Chirurgos conſultatum fuit, & cum cœteris abſceſſum veritis placeret, ut os capitis aperiretur, unus inter eos, cui *Lanovius* nimium tribuebat, contradixit, & ſine oſſis ſectione eum intra paucos dies convaliturum impudenter affirmavit.

Tandem 15. à vulnere die, ingraveſcentibus capitis doloribus, qui illi ſomnum adimebant, cum Pſalmos ſibi prælegi juſſiſſet, deploratâ rei familiaris conditione, & ſubindè ſe recreans ſpe nuptiarum filiæ cum *Carolo Goblone Maſſæo* contrahendarum, quæ poſt obitum ejus celebratæ ſunt, & adventus *Odeti Telinii* filii brevi venturi, qui paulò antè carcere *Hiſpano* liberatus fuerat, opprimi cepit, & mortem imminere ſibi ſentiens, locum ex *Jobo* de reſurrectione corporum recitari juſſit, & à *Mommartino*, annon ita crederet, rogatus, ſublatis ad cœlum oculis, poſt preces cum largo lachrymarum fonte ad Deum effuſas, eâ ſe fide vixiſſe, in eâ ſe mori, voce primùm, deindè ſignis ad ultimum usque vitæ ſpiritum teſtatus eſt.

Ex Chirurgi temerâ negligentiâ obiit.

Vixit annos 60. valetudine admodùm firmâ, quam ſobrietas adjuvabat. Vir fuit prudentiâ & rei militaris peritiâ cum maximis Ducibus comparandus, plæriſque vitæ innocentiâ præferendus.

Cur æs alienum contraxerit? Teſtimonio fuit grande æs alienum, quod non luxu aut profuſionibus,ſed ad neceſſarios belli ſumtus ſuſtinendos contraxerat, quod filius poſteà diſſolvit.

Ante 18. ferè annos in obſidione *Rupellanâ*, cum in Urbis conſilio multis verbis egiſſet, ut eos ad pacis conditiones accipiendas inflecteret, domum reverſum *Placius* quidam ex innumerâ Paſtorum illorum turbâ proſecutus, poſtquam perfidum,proditorem, & transfugam ſæpiùs nominâſſet, ad injuriæ cumulum os etiam impactâ manu contumelioſè pulſaverat.

Generoſus injuria contemtus. Quâ re vir magni animi minimè commotus, ſed hominis dementiam miſeratus potiùs quàm incuſans, cum Nobiles adſtantes ad injuriam tantam vindicandam accurrerent, eos inhibuit, & comprehenſum *Placium* ad uxorem remiſit, ſubindè admonens eam, ut viri ad furorem prolabentis valetudinem commendatam haberet, qui tandem ob dementiam Paſtorali munere depoſitus fuit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1591.

LUDOVICUS ALEALMUS.

Patre nobili & divite *Vernolii* ad ſeptimum ab Urbe lapidem Toparcho genitus, & in fori *Pariſienſis* luce cum magnâ doctrinæ famâ diu verſatus *Aureliæ* poſtremò conſedit, ſuſceptamque ibi Præturam per 22. annos prudenter adminiſtravit. *Prætor Aureliæ.*

Colebat intereà ſacras Muſarum artes,& ea ſubſecivo tempore ludebat ſingularis elegantiæ Poëmatia, quæ poſt ejus obitum à filio paternæ ſimul dignitatis & virtutis hærede publicata leguntur cum admiratione, quod incomparabilem quandam præ ſe ferant ingenii felicis ubertatem. *Poëta.*

Moritur. Exceſſit è vivis ſeptuagenario major paucis ante diebus, quàm inter Regem *Galliæ* & conjuratos Duces pacis præviæ pangerentur induciæ A. C. 1591.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Obiit A.C. 1591.

HUGO DONELLUS.

IN Urbe *Burgundiæ Cabillon*, *Gall. Chalon* vocatâ, natus eſt An. C. 1527. Patre Regiis Præfecturis nobili.

Cum puer ob Præceptoris plagoſi ſævitiam à ludo literario planè alienaretur, ut nullis minis aut blanditiis ad eum reduci poſſet, fortè accidit, ut pater ejus pertranseuntem iſtâc paſtorem ſuarium cerneret, quo ad ſe vocato, coràm filio, rogare inſtitit, ecquid famulo opus haberet? eſſe ſibi domi filium, quem ei mancipare cuperet, averſum à literis & immorigerum. *Pater ſubulco famulum eum dare ſe velle ſimulat.*

Ad ſtudia revocat. Eâ voce puer adeò conterritus eſt,ut rem ſeriò agi exiſtimans, & flens parentis genibus advolutus eum obteſtaretur, ne ſe filium ſuum in eas ſordes projiceret, velle ſe literis deinceps operam ſtudioſè dare.

Cum itaque domi ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, ut Jura diſceret, *Toloſam* à Patre miſſus, ibi profitentes audivit *Johannem Coraſium* & *Arnoldum Ferronum* tanto cum concurſu auditorum, ut ad 4000. exceſſerint. *Toloſæ juris ſtudia incipit.*

Memoriâ adeò excelluit, ut totum Juris Corpus à capite ad calcem verbotenus recitare potuiſſet. Cum ab adoleſcentiâ,ſororis virginis piæ inſtinctu,Religionem Reformatam amplexus eſſet, in eâ deinceps ad finem vitæ perſeveravit. *Memoriâ excellit.* *Fidem Reformatam amplectitur.*

A. 1551. In *Biturigum* Academiâ Doctoratûs inſignia à manu *Franciſci Duareni* accepit, & ſtatim inter Profeſſores publicos receptus, Collegas ibi habuit Jura docentes præter *Duarenum*, *Equinarium Baronem*, *Franciſcum Hotomannum*, & *Jacobum Cujacium*. *Doctor Juris & Profeſſor Bituric.*

Aureliæ deindè quoque cum laude docuit. A. 1572. *Galliæ* ob cædes Evangeliorum funeſtæ manifeſto vitæ periculo mirabiliter ereptus eſt operâ fideli & ductu nobilium quorundam *Germanorum*, qui ſtudiorum causâ ibi viventes veſte *Germanicâ* amictum ſecum abduxerunt incolumem. *Aureliæ Jura docet.* *Lanienam Pariſienſem ope nobilium Germanorum evadit.*

Tunc *Lugdunum* primò, deindè *Genevam* venit, ubi aliquandiu ſubſtitit. Deindè progreſſus in *Germaniam*, aliquot annis in Academiâ *Heidelbergenſi*, ſub *Friderico III.* & *Ludovico* Electoribus, Jus Civile docuit. *Genevam venit.* *Heidelbergæ Jus Civile docet.*

A. 1575. quo *Lugduni Batavorum* Academia fundata eſt, in eam poſt legitimam vocationem commigravit, ibique, annis aliquot in profitendi munere exactis, *Anglicæ* factionis partibus involutus in *Germaniam* iterum A. 1588. abivit. *Juris Profeſſor Lugduni Batavorum.*

Lugduni cum aliquando quidam verbis obſcuris & obſoletis coràm ipſo copioſè prolatis eruditionem ſuam oſtentare vellet, reſpondit *Donellus*: *Rere tumet te fari ſcio, ſed fabàre neſcio.*

A Senatu tandem *Norimbergenſi Altorfium* vocatus, vix per triennium in illâ Academiâ Jura profeſſus, vitam cum morte commutavit 4. Maji A.C. 1591. ætat. 64. *Juris Profeſſor Altorfii moritur.*

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium & ex Programmate funebri.*

Edidit: *Scripta.*

Tract. de Uſuris & Nautico fœnore.
de Uſuris, Fructibus, Morâ, Pignoribus, &c.
de Rebus Dubiis.
de Pactis & Tranſactis.
Librum de eo, quod intereſt.
Ad Tit. Digeſt. de Verborum obligationibus.
Opuſcula poſthuma.

Teſte *Jac. Aug. Thuano Hiſt. lib. 98.* fatis conceſſit eodem, quo *Jacobus Cujacius*, ætatis anno, eò minore famâ, quod illius famæ voce & ſcriptis obſtrepere totâ vitâ pro ludo habuerit.

Obiit A.C. 1591.

JOHANNES LIMMERUS.

VItam ejus breviter deſcriptam oculis exhibet hoc Epitaphium *Wittebergæ* in Templo

Epitaphi-um.

Templo Cœnobii *Franciſcanorum* ipſi poſitum:

Juris Profeſſor Wittebergæ.

JOHANNES LIMMERUS LUCENSIS J. U. D. AC PROFESSOR IN HAC INCLUTA WITTEBERGENSI ACADEMIA, FACULTATIS JURIDICÆ SENIOR, ECCLESIASTICI NEC NON CURIALIS JUDICII ASSESSOR, INTER ARDENTES AD DEUM PRECES IN CHRISTO JESU EXSPIRAVIT, VI. DIE MAJI, MEDIA VESPERTINA, ÆTATIS ANNO XLIII. SALUTIS VERO HUMANÆ cIↄ Iↄ XCI.

Sub inſigni verſiculus hic legitur:

In vita & morte es tu mea, Chriſte, ſalus.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi à Gotfrido Suevo J.C. editâ.*

GUIDUS PANCIROLLUS.

Obiit A.C. 1591.

R*Egii* in *Lombardiâ* natus eſt ex illuſtri familiâ, Patre *Alberto*, J.C. & Legum Doctore A. C. 1516.

Adoleſcens *Ferrariam* à Patre miſſus, ut Jurisprudentiæ operam daret, ibi *Paſcettum* & *Hippolytum Riminaldum* audivit, quorum auſpiciis cum plurimùm profeciſſet, *Ticinum* adiit, ut *Andream Alciatum* audiret.

Indè *Bononiam* ad audiendum *Marianum Socinum* conceſſit, ac demùm permotus famâ *Marci Mantuæ* & *Julii Oradini*, in *Patavinum* Gymnaſium ſe recepit.

Profeſſor Inſtitutionum Patavii. Juris Doctor creatur.

Ibi antequàm in Doctorum numerum cooptaretur, dignus eſt habitus, qui poſthabitis aliis Imperatorias Inſtitutiones ſecundo loco publicè declararet: quo in munere cum ſeptennium transegiſſet, Jurisprudentiæ Doctor renuntiatus eſt.

Decedente deindè *Matthæo Gribaldo* ejus locum alteram veſpertini Juris Cathedram obtinuit, quam 16. annorum ſpatio decoravit.

Taurini Profeſſor Juris Cæſ.

An. 1571. *Taurinum* conceſſit, vocatus à Duce *Allobrogum Emanuele Philiberto*, ut in locum *Simonis Cravetæ* defuncti in primâ Cathedrâ, Collega *Bernhardo Trotto*, Jus Cæſareum interpretaretur, pro annuo mille aureorum ſtipendio, cui Dux *Carolus Emanuel* filius centum aureos honoris & dilectionis gratiâ protinus adjunxit, cum Patri ſucceſſiſſet.

Patavii Juris Profeſſor primarius.

Cum verò *Taurinenſis* intemperies aëris ſic illi obeſſet, ut oculorum altero penè deſtitutus eſſet, altero graviter laboraret, indè ſibi diſcedendum ratus *Patavium*, quò ad principem ſedem Jurisprudentiæ à Senatu *Veneto* accerſebatur, regreſſus eſt. A. C. 1582. *Johanni Cephalo* defuncto ſuccedens.

Moritur Patavii.

Licèt verò duo Summi Pontifices, *Gregorius XIV.* & *Clemens VIII.* illum ad Aulæ *Romanæ* limina conſultationis ergò vocârint, maluit tamen *Patavii* manere, ubi vitæ curſum peregit, mortuus 16. Maji An. C. 1591. ætat. 75.

Ad Eccleſiam *S. Antonii* celebri pompâ ab utrâque Univerſitate delatus, inibi publicis encomiis exornatus eſt à *Franciſco Viliâ*, J.C. Sepultus jacet in Eccleſiâ D. Juſtinæ in ſepulchro Monachorum, ut ipſe vivens concupiverat.

Scripta.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Practica Civilis & Criminalis.

De Juris antiquitate.

Civilium Judiciorum Praxis, ſive Ordo Judiciarius.

Plurimæ novæ Legum explicationes.

Reſponſorum & Allegationum in Jure Volumen.

De origine & auctoritate J.C.torum, & de viris illuſtribus maximè in Jure.

De origine & auctoritate equitum.

Commentaria in Opera Tertulliani.

De Numiſmatis antiquis.

De 14. utriusque tàm veteris quàm novæ Urbis, earundemque ædificiis tàm publicis quàm privatis.

Theſaurus variarum Lectionum in Libros III. digeſtus.

Rerum memorabilium deperditarum & noviter inventarum Partes II.

Commentarii in notitiam dignitatum utriusque Imperii, Orientis & Occidentis ultra Arcadii Honoriiq; tempora.

De Magiſtratibus Municipalibus, & Corporibus artificum libellus.

Stimuli virtutum adoleſcentiæ Chriſtianæ dicati Italicè.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

ANASTASIUS DEMLERUS.

Obiit A.C. 1594.

T*Alis Anaſtaſius* Demlerus *imagine vixit,*
Bis ſeptem luſtris anno ubi major erat.
Patria Marpachium, ſtudii Stutgardia mater,
Omne ſed huic tribuit celſa Tubinga decus.
In ſtudio Sophiæ lauro decoravit utrâque,
Doctoremq; Themis fecit honore ſuum.
Patronum fecit præclarâ laude forenſem:
Defenſor trepidis quàm bonus ille reis!
Indè Profeſſorem Romani fecit & illa
Juris & egregium nomen habere dedit.
Magnificum fecit Rectorem ſæpè, Decanum
Sæpèq; Quæſtorem fecit & illa Schola.
Ille docens ſeptem Themidis myſteria luſtris
Munera doctrinæ fecit aperta ſuæ.
Judicii Aſſeſſor per tempora longa Ducalis
Conſilii mirâ claruit arte ſui.
Dogmata quæ ſummum hoc antiqua Tribunal habebat
Judicii limâ reddidit aucta ſui.
Proh! qui juſtitiæ libertatisq; Patronus?
Quam gravis avitâ mente fideque pius?
Quam diſciplinæ ſtudioſus & acer alendæ?
Communis tutor quàm bonus ille Boni?
Res Dux Chriſtophoris magnas concredidit illi:
Dux illius amans & Ludovicus erat.
O multas videat tales Schola noſtra columnas,
Stare quibus valeat ſiq́ue vigere diu!
O multos habeat tales Reſpublica, qui ſic
Communi cupiant conſuluiſſe Bono!
Dignus es æternam cum Chriſto vivere vitam,
Demlere, & famæ perpete laude frui.

Tubingæ Philoſophiæ Magiſter. Juris Doctor.

Juris Profeſſor.

Judicii Ducalis Aſſeſſor.

Conſiliarius Ducis Würtembergenſis.

Obiit

Moritur. Obiit *Tubingæ* 22. Jul. A. C. 1591. ætatis 71.

Alluſio ad nomina ſub icone ejus poſita:

Quærit Reſurgentem *mercis manet aqua laborum:*

Pollebam at Pollex *in ſtatione meâ.*

* *Ex Vitis Profeſſorum Tubingenſium ab Erhardo Cellio Carminicè deſcriptis.*

GUARINUS PISO SOACIA.

Obiit A.C. 1591.

PAtavinus, cujus Majores ex oppido *Rhetorum Soaci Patavium* venerant, in ſtudio Legum *Hieronymi Cagnoli* fuit alumnus, & cum primùm Doctoris inſignia conſecutus eſſet, ad Inſtitutiones Imp. *Juſtiniani* explicandas adhibitus eſt: etiamſi ab eo munere poſteà in commodâ valetudine impeditus ceſſare neceſſe habuerit.

Patavii Juris Doctor & Inſtitutionum Profeſſor.

Artem deindè Oratoris & Advocati *Venetiis* & *Patavii* magnâ cum ſuâ laude, & eorum, quos defendebat, utilitate exercuit.

Advocatus Venetus.

A. 1568. Rurſus ad publicum docendi munus eſt revocatus, factusque Interpres *Textûs, Gloſſæ,* & *Bartoli;* indè explicator Juris Canonici veſpertini A. 1570. Poſteà ad tertium locum Juris Civilis matutini A. 1574. eſt traductus, & A. 1575. dignus habitus, qui *Jacobi Menochii* in æqualitate ſecundi loci Collega eſſet.

Juris Canonici Profeſſor. *Collega Jacobi Menochii.*

A. 1579. In duo clariſſima Gymnaſia magno propoſito prœmio invitatus eſt *Taurinenſe* & *Piſanum*, elegitque *Piſanum*, ubi 13. annis Jus Civile matutinum in primo loco profeſſus eſt, usque ad mortem ſuam, quam obiit *Patav.* prid. Non. A. C. 1591. quo malè laborans ſe contulerat, ut melioris aëris beneficio, Medicorumque præſtantiâ ſuam recuperaret ſanitatem, quod tamen obtinere non potuit: nullâ funeris pompâ ſepultus, quoniam ita ipſemet mandâſſet, alioquin omni honore digniſſimus.

Juris Profeſſor Piſis. *Moritur.*

Reliquit duos filios Juris Conſultos, *Petrum* & *Thaddæum*, quorum prior à Præſidibus *Salerni* A. 1589. per *Johannem Angelum Papium* utriusque Signat. Referendarium in *Sixti V.* Pontificatu electus eſt ad Jus Civile ordinarium matutinum interpretandum, conſtituto prœmio 300. aureorum: alter filius ad Jus Pontificium matutinum in Gymnaſio *Patavino* explanandum adhibitus eſt.

Petrus filius Profeſſor Juris Salerni.

Extant ejus Opera utiliſſima:

Scripta.

De Romanorum & Venetorum Magiſtratuum inter ſe comparatione.

In Feudorum uſus præludia methodicè conſcripta.

* *Ex Gymnaſii Patavini Lib. II. Antonii Riccoboni.*

ADOLPHUS MEELKERKIUS.

Obiit A.C. 1591.

BRugenſis Ordinis Equeſtris ſummi *Flandriæ* Concilii Præſes, in creandis per *Flandriam* Urbium Civitatumque Magiſtratibus Legatus perpetuus. Legationes Ordinum *Belgicarum* Provinciarum nomine apud varios *Germaniæ* Principes maximâ fide ſummâque cum laude totam vitam obivit.

Legatus Belgicus.

Eximiæ cognitionis tum Juriſprudentiæ tum Hiſtoriæ famâ celeberrimus, nec minùs à bonarum artium humanarumque diſciplinarum & linguarum, præſertim Latinæ & Græcæ (quarum poſterioris fuit reſtaurator) commendatus.

Juriſconſultus, & Hiſtoricus. *Philologus.*

Diem clauſit extremum *Londini* Prid. Non. Oct. A. C. 1591. æt. 64. Cum ibi apud *Eliſabetham*, *Angliæ* Reginam, Oratorem egiſſet, mœrore ex *Nicolai* filii admodùm ſtrenui Ducis ad *Daventriam* interfecti nuntio, ut creditum eſt, contracto, teſte *Thuano.*

Moritur.

Sepultus in Templo *D. Pauli.*

Symbolum ei fuit: *Et amico frater & hoſti.*

Scripſit & edidit:

Scripta.

Libellum de veteri & rectâ linguæ Græcæ pronuntiatione. Huic adjecta eſt *Ephemeris ſyllabica dierum Feſtorum Eccleſiæ Romanæ.*

Poëmata varia.

Moſchi & Bionis Idyllia ſcholiis illuſtrata.

Theocriti Syracuſani Epigrammata veſte Latinâ donata.

De tumultibus Belgicis M.S. apud heredes.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii: & ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

BARNABAS BRISSONIUS.

Obiit A.C. 1591.

PAtriam eandem habuit cum *Andreâ Tiraquello*, *Fontenaium* in *Pictonibus* oppidum, nobilium ingeniorum ferax. Patrem nactus honeſtum & divitem illius oppidi Proprætorem, proſpero ſtudiorum curſu ad ſummam doctrinæ laudem brevi tempore pervenit.

Vix enim adoleſcentiam egreſſus, in celeberrimis Advocatorum ſubſelliis apud ſummam *Galliæ* Curiam ſingulare ſui dedit ſpecimen: cum genere dicendi uteretur copioſo quidem illo, neque tamen affectato, ſed perſpicuo facilique, & in modum leniſſimi amnis nitidè puriterque fluente.

Juvenis Senator Regius Pariſienſis.

Quo in munere longiùs progreſſus, tantam ſui nominis famam excitavit, ut ob magni nominis, excellentis ingenii, ſolidæque eruditionis laudem clariſſimus à Rege *Henrico III.* inter Conſiliarios adſcitus primùm Fiſci Patronus, indè S. Conſiſtorii Aſſeſſor, & poſtremò ampliſſ. Senatorum Ordinis Præſes non longo intervallo renunciaretur.

Conſiliarius Regis Galliæ. *Præſes Senatus Pariſienſis.*

Rex equidem ipſe gloriari ſolitus eſt, nullum in Orbe Chriſtiano Principem eſſe, qui haberet, quem *Briſſonio* ſuo in literarum gloriâ opponeret: itaque eundem in *Angliam* de rebus maximis Legatum miſit, & cum ſua Majorumque Edicta Conſtitutionesque in unum colligere, Jurisque *Gallici* Codicem ſuo nomine inſcribendum componere meditaretur, unum hunc inter togatos maximè judicavit idoneum, cui gravem iſtum laborem committeret, quem tamen

Regis Henrici III. encomium.

men is intra paucos menſes admirabili celeritate perfecit.

Sed cum, æſtuante novis tumultibus Galliâ, Urbs ipſa *Pariſiorum* à Rege ſuo *Henrico IV.* defeciſſet, nec facinoroſi ex infimâ plebis fæce homines, quorum in illâ rerum perturbatione præcipua erat auctoritas, poſſent adduci, ut crederent, tantum virum Juris & Legum antiſtitem tam injuſtæ cauſæ verè & ex animo favere, furiali illum auſu abreptum, & multa nequicquàm deprecantem, unà cum duobus aliis Senatoribus, *Larcherio* & *Tardio*, indictâ cauſâ in carcere crudeliter ſtrangulârunt, eosque poſteà publicè ſuſpenſos exhibuerunt, 15. Novemb. A. C. 1591.

Innocens à plebe ſeditioſâ ſtrangulatus.

A. 1594. Urbe *Pariſienſi Henrico IV. Navarro-Galliæ* Regi redditâ, Senatui ſcelus hoc à multis ſeculis inauditum adeò diſplicuit, ut eodem patibulo, eâdem horâ, carnifex, apparitor, & à confeſſionibus Presbyter, cum civibus aliquot factioſis, quod *Briſſonio* è vivis tollendo operam ſuam locâſſent, ſuſpenſi juſſu Senatus fuerint.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Scripta.

Libros ſcripſit:

De Verborum, quæ ad Jus pertinent, ſignificatione, Opus ingens.

De Formulis, & ſolennibus Populi Romani Verbis.

Tract. de Adulteriis.

Selectas ex Jure Civili Antiquitates.

De Nuptiis & Jure Connubiorum, cum Hotmani Obſervationibus.

* * *

Fiſci Patronus.

Felici vir ingenio, ſive literarum ſtudia ſive negotia forenſia tractaret, ex Advocato famoſo primùm *Lutetiæ* Fiſci patronus poſt *Vitum Fabrum*, dein poſt *Pomponium Bellevreum* Curiæ Præſes creatus, magnum nomen meruerat.

Ambitioſus.

Verùm ambitio in eo erat immodica, adeò, ut impotenti primas in Senatu tenendi deſiderio, cum cœteri Præſides collegæ aut fugâ conſuluiſſent ſibi, aut Baſtiliâ incluſi eſſent (abrogatâ ab *Henrico III.* Rege occiſo ob rebellionem Urbis autoritate) facilè ſibi perſuaderi paſſus ſit, ut in eâ nihilominùs maneret, ratus, ſe eâdem facilitate, quam in explicandis cauſis forenſibus experiebatur, plebis efferatæ animos moderaturum, & Urbem, ut ajebat, Regi legitimo ſervaturum, neve in externorum manûs deveniret, prudentiâ ſuâ & ingenii dexteritate impediturum.

A Sedecimanis ad macellum ſervatus.

Poſteà tamen, homo in litium tricis, quàm in Republicâ adminiſtrandâ magis verſatus ſerò ſenſit, ſe involutos in errores delapſum, quibus extricare ſe nunquàm citrà vitæ periculum poſſet, auditùsque eſt ſæpiùs, cum amicis non ſine gemitu & ductis ex imo pectore ſuſpiriis diceret: Se à Sedecimanis (hi 16. Regionibus Urbis præerant, homines nequam, famelici, & *Hiſpanis*, qui fœderatis contrà *Henricum IV.* Regem *Henrici III.* Succeſſorem legitimum auxilio venerant, addicti, pacis conſilia ſectantes tanquàm Politicos & Sectariorum fautores inſectabantur) ad macellum ſervari.

In carcerem à rebellibus detruſus.

Nec triſti de ſe augurio eventus defuit: Dum enim tanquàm Præſes in Senatum veniſſet, miſerum hominem nihil tale cogitantem 17. Kal. Decemb. in horrendum carcerem detrudunt, ubi L. M. *Cromeum*, magni conſilii aſſeſſorem, hominem ſibi infeſtiſſimum, paludatum obviam habuit, qui ſtatim ipſum galero detracto in genua procumbere juſſit.

Mortem deprecatur.

Tum ſententia contra eum, tanquàm Divinæ humanæque Majeſtatis reum & proditionis convictum lata recitatur, quâ auditâ, ille attonitus quæſivit primùm, quibus à judicibus condemnatus, quibus indiciis ac teſtibus convictus eſſet? Cum hanc defenſionem riderent adſtantes, & quod inſtaret agere cum juberent, ad miſeras preces converſus mortem deprecatus eſt, & muris includi, ad abſolvendum opus, quod morte ejus magno Reip. detrimento periret, petiit.

Tandem poſt caſſas preces, vix ſpatio ad peccata confitendū conceſſo, ad ſcalam tigno affixam, *Cromeo* urgente, ſuſpenditur, & compreſſis laqueo faucibus à carnifice necatur.

Cum duobus Senatoribus ſuſpenſus.

Mox alii duo comprehenſi, *Claudius Archerius*, Curiæ Senator, & *Joh. Tardivius Ruſtius* in inferioribus ſubſelliis Conſiliarius, viri boni & innocentes, qui eandem fortunam ſubierunt.

Corpora injurioſè interfectorum poſtridiè è carcere producta, & ante ædes urbanas in *Ripenſi* plateâ totidem patibulis ignominioſè affixa, cum elogiis calumnioſis, ad ſpectaculum furenti plebi ad biduum proſtiterunt, ac poſtremò ab amicis noctu exportata & ſepulturæ mandata ſunt.

Cauſa odii Cromei.

Ad factionem *Hiſpanam* privati etiam odii ſtimulos acceſſiſſe ferunt, quibus incenſus *Cromeus* tantum facinus auſus fuerit. Origo ejus hæc fuit, quod parente ejus Quæſtore repetundarum ab Ordinibus *Burgundiæ* ante 25. annos poſtulato, *Briſſonius* Ordinum cauſam ſuſceperat, & actionibus quibusdam valdè elaboratis, ex quibus magnam ſibi conciliaſſet, eum peregerat reum. *Thuan. lib. 101. & 28.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

THOMAS CALIXTUS.

Obiit A. C. 1591.

Qualis vir fuerit, Inſcriptio *Witebergæ* in templo Parochiali teſtatur;

Epitaphium. Juriſconſultus Witebergenſis.

THOMÆ CALIXTI Schmelen. Viri ornatiſſimi et spectatiſſimi, Juris-Consulti præstantiſſimi, de tota Patria optime meriti, qui pie obiit Anno MDXCI. Decembr. die IX. hora VII. matutina, cum vixiſſet annos LXVIII. in matrimonio cum honestiſs. et castiſs. Matrona.

Norma boni Deus eſt ſolus: lex ſanƈto ſacra:
Lege vigente Dei lex ſacra ſarta manet.
Sic quia diſpenſat cunƈtis ſua jura Calixtus
In Chriſtum credens jura ſalutis habet.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi Gotfridi Suevi, J.C.*

Obiit A.C. 1592.

ANTONIUS PERESIUS.

Secretarius Regis Hiſpaniarum.

PHilippo II. *Hiſp.* Regi à Secretis epiſtolis, *Conſalvi*, qui eodem munere ſub *Carolo V.* & ipſo defunctus erat, filius, à Monte regio *Aviſæ* Majores ſuos repetens, quod autor ſive adminiſter cædis *Johannis Escovedi* haud inſcio *Philippo* patratæ fuiſſet, cum poſtularetur à *Petro*, *Johannis* filio, accuſatore *Matthæo Vaſéo*, initio ſe fori proſcriptione defenderat, & ſæpiùs *Philippum* per literas monuerat, ut autoritatem ſuam interponeret, neque ratione ejus, quod ipſius juſſu feciſſet, ſe vexari pateretur, ſe quidem cupere, ut cauſa cædis *Escovedi*, quoniam Regiæ Majeſtatis intereſſe id exiſtimet, in vulgus non emanet, & omnia facere decreviſſe, quantum in ſe erit, ne detegatur: ſed viciſſim petere, ut Rex ſuæ fidei rationem habeat, neque committat, ut dum famæ & exiſtimationi ſuæ conſulit, miniſtri cam fidi ſalutem neglexiſſe videatur.

Cadis accuſatus & abſolutus.

Ad hæc Rex, ſpe factâ, ut ob id periculum *Pereſio* minimè crearetur, tamen cũ cuperet rem tegi, auctor ei fuit, ut coram *Antonio Pasio*, Sacerdote Regio, *Caſtellæ* Præſide, reſponderet.

Quod licèt ægrè faceret, quippè contrà privilegia & libertates *Arragonenſium* id fieri ſciens, qui coràm alio quàm ſuo judice ſiſtere ſe minimè teneantur; tamen quod Præſidis æquitatem perſpectam haberet, & *Petri Bajardi*, *Marchionis Veleꝫii*, qui tum primarium in aulâ locum tenebat, favore ſe ſublevari ſentiret, aſſenſit; & poſtquàm reſpondit, ſuaſuque ipſius Præſidis vidua ac liberi ab accuſatione deſtiterunt; actum eſt per *Didacum Chavem* (qui Regi à ſacris confeſſionibus erat) ut *Pereſius* cum *Vaſéo* accuſatore reconciliaretur.

Tunc prima accuſatio aliquandiu quievit, & *Pereſius Mantuæ Carpetanorum* domi ſuæ manere juſſus, ablatis nihilominùs ſtipendiis & honorariis, negotia publica per amanuenſes ſuos, ut anteà, toto ſexennio adminiſtravit, usque ad An. C. 1585. quo omiſſâ priore accuſatione cenſuræ, dica *Pereſio* intentatur, *Viſitationem* vulgò vocant, quod eſt judicium ad vexandos homines, qui ſecreta Regis negotia tractârunt, repertum, in quo delationes, nullo teſtium diſcrimine, nulliſque contra eos rejectionibus admiſſis, perverſo omnis juris ordine admittuntur.

Alterum accuſatus.

In eo repetundarum convictus, quod à *Franciſco*, Magno *Hetruriæ* Duce, pro confirmatione beneficiariæ ditionis *Senenſis* nſum collatæ 10000. aureorum accepiſſet: quod cum *Annâ Mendoꝫâ* parùm honeſtè verſatus eſſet, quod *Johanni Auſtrio* multa, quæ premi, quàm evulgari, potiùs eſſet, multa eorum, quæ in arcano Regis conſilio agitabantur, ſcripſiſſet: quod in epiſtolis, quæ ad Regem mittebantur, literis ignotis ſcriptis, cum eas interpretabatur, multa addere, multa detrahere ſolitus eſſet.

Dum judicium peragitur, crebrò ad eum *Dicacus Chaves* ventitabat, & de ejus exitu ſecurum jubebat eſſe, neque magno conſtiturum affirmabat, tantùm caveat, ne codicillos à Rege ſcriptos, quod facere poterat ad exonerandum ſe, proferret. Quod cum ſedulò feciſſet *Pereſius*, tandem ſententia in eum perſcribitur non ſubſcripta, nec pronuntiata, quâ tanquàm criminum objectorum peracto reo lis æſtimata eſt 30000. aureorum: inſuper à Secretarii munere ſuſpenditur, additumque, ut per biennium in arctâ cuſtodiâ eſſet, quo exacto, ad octennium relegatus, aulâ abſtineret. Id illi inſinuatum, & in arcano promiſſum, ſi codicillos redderet, ſententiam in irritum caſuram.

Reus peractus.

Interim *Chaves* operam dabat, ut eos ab illo extorqueret, quorum & unum, quem *Pereſius* in manûs ipſius conſignaverat, retinuit, & conſtanter habuiſſe poſteà pernegavit.

Igitur *Pereſio* recuſante reddere codicillos, lictores ad eum mittuntur, ut ſententiam executioni mandarent: quorum adventui prævertere cupiens, in proximum templum confugit.

Sed indè vi abſtractus, & in *Turreganam* arcem truſus eſt, ubi 3. menſes ferreis catenis vinctus ſeverè à *Turriano Avilâ* habitus eſt; donec literis ſanguine proprio ſcriptis ad uxorem datis mandavit, ut arculas & ſcripta ſecreta *Baraiæ* Comiti ob id miſſo traderet.

Sed priùs convenerat, ut codicillos, qui ad cauſam *Pereſii* magis faciebant, ſeponeret: tamen quaſi Regis petitioni illâ reſtitutione ſatisfactum eſſet, *Pereſius* carcere moleſto ad tempus liberatus, & *Madriti* per quadrimeſtre laxiori cuſtodiâ liberatus eſt.

Sed cum denuò *Escovedi* vidua & liberi accuſationem reſumpſiſſent, rurſus cauſa decimo, poſtquàm primùm cœperat, anno coràm *Roderico Vaſco* Præſide agitata eſt, cui rurſus *Chaves* intervenit, & reo ſuaſit, ut cædem *Escovedi* fateretur, cauſas tamen non explicaret.

Verùm *Pereſius* id Regi invidioſum, ſibi periculoſum futurum reſpondit, ac potiùs videri, ut cum uxore & hæredibus defuncti pecuniâ datâ transfigeretur, quod & Regi placuit, & 20000. ducatorum in id expenſa ſunt. Tamen poſteà mutavit, & à *Vaſco* perſuaſus, id judicium transactione finitum inſtauraretur, mandavit.

De cade Escovedi cum axore ejus tranſigit.

Nam ad exiſtimationem ſuam pertinere, famâ cædis *Escovedi* quaſi juſſu ſuo patratæ jam ubique ſparſâ, ut judicio publico invidiam ejus amoliretur.

Pereſius

Tertiò accuſatus. torturæ ſubjectus eſt.

Pereſius itaque cùm nihil fateretur, neque adduci poſſet, ut quicquam ad exonerandum ſe in Regem diceret, à *Vaſco* violentæ quæſtioni ſubjectus eſt, & cruciatibus ad extremum victus, rem, ut erat, confeſſus, codicillorum exempla protulit, quibus confeſſiones ſuas firmavit.

Cum igitur ſe ad exitium peti videret, contra quàm illi à Rege miniſtriſque ejus initiò promiſſum fuerat, & interim Marchio *Velezii* deceſſiſſet, de cuſtodibus fallendis cogitare cœpit, & ope uxoris per diſpoſitos equos in *Arragoniam* transfugit, 30 leucas ut erat adhuc à torturâ debilis uno die emenſus. Neq; tamen primò Cæſaream *Auguſtam* venit, offenſam Regis veritus, ſed *Calataiudæ* ſubſtitit, & in *Dominicanorum* cœnobio urbis hoſpitiũ ſibi ſumpſit, unde mox ad Regem literis datis fugæ & profectionis ſuæ cauſas reddidit.

In Arragoniam aufugit.

Pro reſponſo miſſus urbis eques, qui *Pereſium* loco exire juberet, & recuſantem vi abſtraheret. Sed cum is mandatum ſuum Cœnobij ſodalibus approbare non potuiſſet, cellam monachalem reo pro cuſtodiâ attribuit.

Tandem, licet frementibus oppidanis, *Cæſaream Auguſtam Pereſius* abductus eſt. Ibi ab initio tribunal conſtitutum, cui ſummus ille Magiſtratus cum 17 viris præeſſet, *Manifeſtationis* nomine vulgò in digitatum, ad quod ex ſubſellijs ſupremis nec non Eccleſiaſticis provocatio eſſet, & in quo Rex partis tantùm vice fungeretur, non autem Judicis partes ſuſtineret.

In hoc conſeſſu *Pereſius* cum purgare ſe paratus eſſet, defenſionem ad objecta crimina ſcripto complexus, Regij miniſtri eum ad inquiſitionis tribunal revocant. Itaque ſeparationis, quam vocant, beneficio uſus Rex, ſe ab accuſatione cœptâ deſiſtere profitetur, ſalvo ſuo jure, quod, quando videretur, proſecuturus eſſet: inſuper declarat graviſſimas ſibi cauſas offenſionis & injuriarum cum *Pereſio* intercedere. Hæc autem erant, quod ad proſperos de Regis *Galliarum* rebus nuntios gaudio exultaret, adverſis ingemiſceret, & contrarios in Regis Catholici ſucceſſibus affectus indueret; quod præterea *Bearnum* cogitaret, & indè in *Bataviam* profectionem adornaret.

Denuò accuſatus.

Hæc cum abſurda viderentur, pronuntiatum eſt, inquiſitionibus locum non eſſe, neque actionem contra *Pereſium* inſtitutam valere.

Et *Galacianus Cerdanus Salmedina Cæſaraugustanus* (id ſupremi urbis magiſtratûs nomen eſt) quod probationes perperàm adverſus eum in hâc cauſâ collegiſſet, in carcerem conjectus eſt.

Tertiò accuſatus.

Cum hac non proceſſiſſet, aliâ emiſſarij viâ *Pereſium* aggrediuntur, & per Inquiſitionis Officiales, quos vocant, eum à Magiſtratu ordinario repoſcunt, & carceri urbis exemtum in ſuum peculiarem armatâ manu deducunt, non ſine plebis fremitu, quæ mox excitatâ ſeditione *Iñicum Mendozam*, March. *Almenaræ*, circumſiſtunt, ipſumque probris & convitiis, tanquàm patriæ proditorem, à fœminis ac pueris prius laceſſitum & multis ictibus malè multatum injurioſè in carcerem trudunt, in quo paulò pòſt deceſſit. Pleræque & incenſæ ædes, & multi in eo tumultu interfecti. Tandem *Pereſius* in Manifeſtationis carcerem reductus.

A civibus ſuis defenſus.

Deindè, inſtigante *Ludovico Marano*, conſultatum inter 13 Juriſconſultos, an cauſa *Pereſij* in S. Inquiſitionis tribunali agitari deberet? Et illi primò id privilegiis ac patriis libertatibus, quæ publicationes bonorum in eo foro decretas irritas declarant, adverſari reſponderunt. Sed poſteà metu ſeu precio corrupti mutarunt, & *Pereſium* Juriſdictioni Inquiſitoriæ ſubjacere pronuntiaverunt. Hoc decretum quando executioni mandaretur, inter miniſtros regios diu agitatum fuit.

Tandem magnâ Procerum, Equitum & militum manu collectâ dies ad 13 Kal. Sept. univerſis condicitur, quâ Inquiſitionis Officialibus præſtò eſſent, qui cum tempore condicto non comparerent, ad 9 Kal. Octobris dies comperendinatur, quo acies per plateas à Prorege inſtructa, & Inquiſitorij aſſeſſores ad carceris publici portam veniunt, & *Pereſium*, nec non *Franciſcum Majorinum Genuenſem*, *Pereſij*, ut aiebant, complicem dedi ſibi poſtulant.

Jamque inditæ manibus pedibuſque compedes, & in eo erant, ut vincti curribus imponerentur, cum vilior plebs nullo auctore primò tumultuari cœpit, moxque alij ad alios aggregantur: tantùm dux ad majorem motum deerat, quem ſe præbuit *Ægidius Meſa*, qui tali in neceſſitate periclitanti amico deeſſe noluit.

A plebe compedibus liberatus.

Extemplò ad libertatem ubique proclamatum promiſcuo concurſu, ut tanti ad vim faciendam paratus mox evanuerint, & diffugientibus Inquiſitoribus ac Prorege ipſo *Pereſius* & *Majorinus* libertati reſtituti ſunt, ac in domo *Didaci ab Heredia* ad placandam plebem, alioquin in miniſtros Regios ſævituram, depoſiti, & mox conſpecti per Urbem equitantes: ad vitandum tamen periculum in proximos urbi montes ad aliquot dies conceſſerunt, donec *Pereſius* à *Martino Nucâ* Nob. *Arragonenſi* revocatus in urbem rediit, & in ipſius ædibus aliquamdiu latuit.

Ad rei famam admodum commotus Rex *Philippus*, cum autoritatem in eâ ſuam verti exiſtimaret, ſicut ex privatis *Pereſij* odiis occaſionem *Eſcovedi* è medio tollendi ceperat, ſic ex *Pereſij* calamitate, quæ ſeditioni *Cæſaraugustanorum* cauſam dederat, privilegiorum Civitatis imminuendorum, quibus jampridem Reges inſidiabantur, commoditatem ſibi oblatam avidè arripuit, & exercitum ſummâ celeritate conſcripſit, cui *Alfonſum Vargam* præfecit.

Sed antequàm ille Urbem in ordinem redigeret *Pereſius* è latebris rurſus in montes

aufugit, ubi interim magnis promiſſis ut in *Hiſpaniam* reverteretur invitatus, ſuſpectas ſempertam honorificas invitationes habuit, ac tandem comperit, hæc in perniciem ſuam agi.

In Angliâ, & Galliâ tandem conſedit.

Igitur in *Angliam* aufugit, & poſtremò in *Galliâ* receptum habuit, ubi interim plures comprehenſi, qui pretio corrupti de eo tollendo ſeu ferro ſeu veneno fidem obligaverant. Actum & cum *Majorino* ſpe gratiæ factâ, ut ſocium interficiendum curaret, quod ille *Perefio* detexit. *Thuan. lib.* 104.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A. C. 1592.

CHRISTOPHORUS EHEMIUS.

Ehemiorum familia patritia.

IN lucem editus eſt *Auguſtæ Vindelicorum* familiâ patritiâ M. Aug. A. 1528. Patre cognomine certaminibus equeſtribus claro: matre *Annâ Reblingerâ.*

AntWerpiam mittitur.

Puer cum prima rudimenta ſub *Xyſto Betulejo* imbibiſſet, *Antverpiam* miſſus, juxta literas linguam *Gallicam* didicit condiſcipulo *Matthæo Weſenbecio.*

Argentoratum venit.

Exindè *Argentoratum* venit, ubi inter alios operam dedit *Juſto Velſio Hagano* in Philoſophicis & arte medicâ excellenti.

Juris prudentiam colit.

Tum in *Italiam* ſe contulit, ubi non ſolùm Juris prudentiæ, quæ caput ſtudiorum ejus erat, ſed etiam Philoſophiæ ac Medicinæ operam dedit ſub *Baſſiano Lando* Prof. Medico *Palatino.*

Docet Philoſophiam

Domum reverſus, Tubingam venit, ubi *Organi Ariſtotelici* interpres deſignatus eſt A. 1552. *Tubingâ Haidelbergam* evocatus, *Ottonis Henrici* Electoris *Palatini* autoritate

Jus civile

primus Jus civile in Academiâ profeſſus,

Conſiliarius.

deindè in numerum Conſiliariorum allectus eſt.

Cancellarius.

Colloquio maulbrunnenſi intereſt.

Deindè *Fridericus III* Elector Cancellarij munus ei demandavit, & A. 1564. ad Colloquium *Maulbrunnenſe*, A. verò 1566 ad Comitia *Auguſtana* legatum miſit.

Legatus ad Comitia Auguſtana

A. 1571. M. Junio cum eodem Electore ad Colloquium *Francothalij* cum *Anabaptiſtis* inſtitutum venit, & actionis initium fecit.

Et Ratisbonenſia.

A. 1576. Interfuit *Ratisbonæ* Conventui Principum, quem poſtremum Imperator *Maximilianus II* celebravit.

Mortuo Electore *Friderico III* apud *Caſimirum* manſit, cui autor fuit, cum Schola *Heidelbergenſis* diſſiparetur, ut *Neoſtadij* Athenæum aperiret A. 1578.

Neoſtadij Athenæum aperit.

Neoſtadio Heidelbergam cum Principe *Caſimiro* reverſus, conſtitutâ Eccleſiâ & Republicâ, iterum officio ſuo functus eſt.

Tandem *Caſimiro* rebus humanis exempto, *Friderico IV* fuit à Conſiliis intimis, quamdiu ſupervixit, Cancellarij munere ſublevatus.

Ejusmodi curis & laboribus fractus, mortalitatem exuit *Heidelbergæ* in *Eberhardi* filij feſto nuptiali repentè extinctus 1 Junij A. 1592. æt. 64.

Moritur.

Sepultus *Heidelbergæ* jacet in Choro D. *Petri*, ubi in monumento ejusdem (cujus lateribus uxorum *Mariæ* ſcilicet *Chriſtophori Wirſungi*, Patric. Aug: & *Suſannæ*, *Georgii Kötzeri* Patric: Auguſt: filiæ filiorum etiam filiarumque 21 nomina inſcripta ſunt) verba leguntur ſequentia:

Epitaphium.

JEHOVÆ S.
NOBILI ET AMPLISSIMO VIRO
D. CHRISTOPHORO EHEMIO
PATRIT: AUGUST: ICTO:
QUI IN JUVENTUTIS STUDIIS PHILOSOPHIAM CUM JURISPRUDENTIA DEINCEPS PIETATIS ZELUM CUM POLITICA DEXTERITATE ITA CONJUNXIT, UT OMNES HONORUM GRADUS, MERITO SUO PROGRESSUS, PROFESSOR PRIMUM TUBINGENSIS, TUM HEIDELBERGENSIS, DEINDE ILLUSTRISS. PRINCIPI OTHONI HENRICO ELECTORI, À CONSILIIS, POSTMODUM SERENISSIMORUM FRIDERICI III. ELECT. ET POSTEA JOHANNIS CASIMIRI COMM. PALAT. CANCELLARIUS DIGNISSIMUS: TANDEMQUE FRIDERICI IV. ELECT. CONSILIARIUS INTIMUS, PLURIMUM IN DIVINIS HUMANISQUE REIPUB. COMMODARIT, TAMQUE VITAM SUAM PRINCIPIBUS PROBARIT, QUAM NOMEN SCRIPTIS ET BENE MERITIS AD POSTERITATEM CONSECRARIT. PIE PLACIDEQUE IPSIS CAL. JUN. A. MDXCII. DEFUNCT. CONJUGI, PARENTI, AC SOCERO DILECTISSIMO.
VIDUA LIBERIQUE EX XXI. SUPERSTITES XIIII. NEC NON ETIAM GENERI IIII.
FRANC. PAC. ZIGLER, GERARD. FUS. DORER, GUILIELMUS SCHUMAN. ET ANDREAS WEBER, I.I.TI. MOESTISSIMI H.M.F.C.
1. Tim. 4.
PIETAS AD OMNIA UTILIS, UT QUÆ PROMISSIONEM HABET PRÆSENTIS AC FUTURÆ VITÆ.

Scripta.

Edidit *libros VII. de Principiis Juris.*

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

Obiit A. C. 1592.

JOHANNES VENDEVILLIUS.

NAtus eſt inſulis *Flandrorum* 2. Junij A. C. 1527. *Pariſiis* añum agens 15um juri operam dedit, & paulò poſt Lovanij Juris utriusque Licentiatus, mox Doctor renuntiatus fuit.

Juris Doctor.

Exindè Rex Catholicus in Academiam *Duacenam* recens à ſe erectam vocavit eum, daturum Lectioni juris principium & facem. In hac functione ob fidem Deo & Regi ſuo inviolabiliter ſervatam perſecutionem & exilium paſſus eſt.

Juris Profeſſor Duaci.

Adlectus deindè eſt in Regis Conſilium privatũ, in quo nemo eo bono publico conſuluit incorruptius, nemo Regem de negotiis *Belgicis* inſtruxit ſincerius.

Conſiliarius Regis Hiſpaniarum.

Hanc ob cauſam adſumpta eſt ei profectio tum *Romam* ad Pontificem *Sixtum V.* & *Clementem VIII.* tum in *Hiſpanias* ad Regem *Catholicum.* Elatâ uxore evectus eſt ad

Epiſcopus Tornacenſis. ad Epiſcopatum *Tornacenſem*, & virtutes accreverunt cum dignitate. Viſitavit Diœceſin diligentiſſime.

Eo monente & curante erectum Colloquium ſocietatis Jeſu Inſulis: Seminaria Paſtorum tam *Lovanij* quàm *Duaci* per Regem Catholicum: Collegia exteris nationibus, præſertim *Anglis*, *Scotis*, *Hibernis* per eundem.

Menſâ fuit parciſſimâ, cum eſſet in pauperes profuſiſſimus. Virtutes ejus ſingulari Libello deſcripſit *Nicolaus Zoëſius, Tornacenſis Canonicus*, qui ei à ſecretis fuit.

Moritur. Obdormivit in Domino 15 Oct. A. C. 1592. & ſepultus in æde D. Virginis.

Scripſit.

Scripta. *De Principiis juris ad Proëmium Pandectar. & Cod.*

Edicti perpetui Salvij Juliani & Cod. Theodoſiani cum Juſtiniani Imp. Legiſlatione Comparationem.

De gentilibus, paganis, idololatris, & Hæreticis convertendis.

Paſtorale Eccleſiæ Tornacenſis.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1592.

AUGERIUS GISLENIUS BUSBEQUIUS.

NObili & vetuſto *Buſbequiorum* apud *Flandros* genere natus eſt *Comitij* A. 1522. Adoleſcens *Venetiis Johanni Baptiſtæ Egnatio*, pòſt *Bononiæ* & *Patavij* aliis viris doctis in eloquentiæ ſtudiis operam dedit. *Venetiis literis operam dat.*

Ephorus Filiorum Imperat. Ætate grandior ab Imperatore *Ferdinando*, operâ ipſius Secretarij. N. *Vanderaim Belgæ Viennam Auſtriæ* evocatus & ipſi & *Maximiliano* filio fideliter inſervivit. Hujus etiam liberos *Matthiam*, *Maximilianum*, *Albertum* & *Wenceslaum* Ephorus informavit.

Legationes obit varias. Legationibus etiam compluribus cum honore functus eſt. Earum inſignes fuère *Conſtantino politana* & *Amaſiana*, quas literis ipſe mandavit.

Conſtantinopolitanâ imprimis. In iis Veteres inſcriptiones Animantium Orientis & Herbarum naturas inveſtigavit, quas *Petro Andreæ Mathiolo* & *Carolo Cluſio* communicavit. *Cluſius* autem Inſcriptiones Græcas ad *Janum Gruterum* miſit, qui eas Univerſali inſcriptionum operi inſeruit: quin etiam ultrà 100 antiqua tum Græca tum Latina in membranis calamo ſcripta Volumina mediâ in Græciâ ſtudioſè collecta in Cæſaream *Viennæ* Bibliothecam intulit. *Antiquit varias & naturalia ſecum fert.*

Legatus Conſtantinopolitanus ſecundâ vice. Secundò *Byzantium* miſſus in familiam aſcivit peritum pictorem, cujus operâ quæ minus commodè avehere poſſet depicta ſaltem auferret.

A. 1560 Dum *Ferdinandi* Cæſaris ad portam *Conſtantinop.* Oratorem egit, *Hiſpanos* à *Turcis* captos jamque deſperatos, ac inter eos *Sandæum Gerbi* Præfectum interceſſione ſuâ liberavit, ſecùmque in *Pannoniam* duxit.

A. 1562. *Byzantio* reverſus *Iſabellam Auſtriacam*, quæ *Carolo IX.* Regi *Galliæ* nuptui data, in *Galliam* duxit A. 1570. ejuſque aulæ præfectus & poſt *Rudolphi II.* Cæſaris legatus fuit.

Ab hoc cum jam ſeptuagenarius ſemeſtre ſpatium, ut Patriam inviſeret, impetrâſſet, per *Normanniam Belgium* verſus iter inſtituit. Ibi dum in vico quodam *Galliæ* dicto hoſpitatur, militum manus ex arte vicinâ noctu irrumpens per vim raptum & equo impoſitum abduxit. Cum verò ſibi legato contra jus gentium vim fieri clamâſſet, nebulones territi cum diluculo eum dimittente, aufugerunt. *Patriam inviſere tentat.* *In Itinere à milite graſſatore captivus ducitur.*

Moritur. Ipſe verò jam tum lethalem ægritudinem præſagiens, in ædes vicinas Toparchiæ *Maillocenſis*, ad fanum D. *Germani* deferri ſe juſſit, ubi vitâ deceſſit 19, die poſt 28. Octob. Anno 1592. ætatis 70.

Corpus ejus in æde ſacrâ conditum, Cor in Patriam relatum & Majorum monumentis illatum eſt.

Scripta. Scripta edidit: *Epiſtolas 6 Turcicas*, & *Conſilium de re militari contra Turcam inſtituendâ. Iter Conſtantinopolitanum & Amaſianum ad Solymannum Turcarum Imperatorem. Orationem de bello Turcis inferendo.*

* *Ex Melch. Adami vitis J Ctorum.*

Obiit A.C. 1593.

ABRAHAMUS ALMONDIUS.

NAtus eſt in Arce paternâ *Alternaco* 1. Feb. A. 1533. Patre *Johanne*, cujus Pater *Jacobus Almondius* Curiæ *Hollandicæ* Præſes fuit: Matrem habuit *Petronellam*, ex nobili *Werviorum* familiâ.

Conſul Delfenſis Aſſeſſor Ordinum Hollandiæ Curator Academiæ Leydenſis. Conſulatum *Delfis* aliquoties geſſit, nec non *Hiemradiatum* agri *Delfenſis*. Mox & Aſſeſſor factus eſt Collegii D. D. Ordinum *Hollandiæ*: deindè præfecturæ rerum nauticarum *Rotterodami*. Intereà & Curatoriâ Academiæ *Lugdunenſis* dignitate functus eſt. Obiit M. Ian. A. C. 1593. ætatis 60.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

Obiit A.C. 1593.

JOHANNES LAUTERBACHIUS.

POëta & I. C. ſuo tempore excellens in *Luſatiâ Sileſiæ* finitimâ regione, ex nobili familiâ in *NocolWitz* natus eſt.

Poëta natus. Cum ſuo ipſius teſtimonio, à teneris divinæ Poëtices amore incenſus carmina non tantùm in adoleſcentiâ luderet amœniſſima, venâ haud ſterili, ſed etiam in virili ætate artem illam excoleret, quamvis graviſſimis in jure utroque lucubrationibus diu noctuque eſſet deditus, ut ſupremos eâ in facultate honores Doctorales, conſecutus cum laude fuerit, & porrò emiſſis in publicum ingenii fœtibus præclaris Jus civile ac Politica ſtudia commentando non parùm illuſtrârit, nihilo ſecius tamen iſtâ nominis exiſtimatione nondum contentus, exemplo *Nicolai Reuſneri* I. C. & Poëtæ ſuo tempore nobilis, famam ampliorem Carminum beneficio ſibi auſpicandam eſſe unicè ſt aſtut *Doctor Juris.*

Digitized by Google

Hâc occaſione tacitè adeptus eſt nominis immortalitatem, dum Poëſin Jurisprudentiæ velut ſalem & condimentum adhibuit, quâ ſuaviſſimas famæ cupedias toti literatorum cœtui feliciter expoſuit. *Jurisprudentiæ Poëſin junxit.*

Mortalitatem exuit 11. Oct. A. C. 1593. *Moritur.*

Opera Poëtica ab eo evulgata ſunt ſequentia:

Scripta.

Cithara Chriſtiana, hoc eſt, *Pſalmodiarum ſacrarum Libri VII. Latinè & Germanicè. Pſalm. XV. Graduum cum Hymnis.*

Elegiarum Lib. V.

Epigrammatum Lib. II.

Heroicorum Lib. I.

Appendix Diſtichorum.

Opera ejusdem Politica ſunt:

Tractatus novus de armis & Literis, in quo de prærogativâ Militis & Doctoris diſſeritur.

Diſputatio: An bona Eccleſiaſtica rectè poſſideantur à Laicis.

Commentatio de Bello contra Turcas ſuſcipiendo, & confuſio ſectæ Mahometicæ.

Princeps Chriſtianus.

Enchiridion veteris & novi Teſtamenti cum figuris, & tetraſtichis Germ.

Flebilis expugnatio Byzantii A. 1453.

De Origine & progreſſu juris Civilis proceſſus, vel ordo judiciarius.

Tractatus de optimo Politiæ genere.

Theatrum Sapientiæ naturalis ad Nic. Reuſnerum I. C. cum Paradiſiacis Poſthio Meliſſeis.

* *Ex Poëmatibus Johannis Lauterbachii I.C. editis Witenbergæ A. 1598.*

NICOLAUS SUDORIUS.

Obiit A. C. 1594.

VIr hic ab ineunte adoleſcentiâ foro deditus, graviſſimoque Præſidis munere *Lutetiæ* perſunctus, in mediis tamen negotiorum civilium fluctibus ita ſuæ ſpontis fuit, ut ad ſuavitates Poëticas animum ſubindè deflecteret, non ut Epigramma unum & alterum meditaretur, ſed, quod *Flacius* fieri poſſe negaverat, aureum illum Dirces olorem in aërios nubium tractus multiplici gyro ſe attollentem aſſequeretur, ejusque Divinos cantus numero quidem diſpari, ſed pari ſpiritu latinis auribus excipiendos redderet. *Præſes Senatûs Pariſ.* *Poëta.*

Atqui arduum iſtud opus neminique antea tentatum *Sudorius* hic confidenter auſus eſt, & feliciter perfecit.

Numeris etiam *Gallicis* nonnunquam luſit, quorum ut levis jactura fuerit, non tamen ea, quæ de Jure doctiſſimè ſcripſit, celari diutius & jacere in tenebris, ſine magno Reipublicæ detrimento potuerit.

Obiit ſub id tempus, quo recepta eſt à Rege *Henrico IV. Lutetia*, Anno Chriſti 1594. ætatis ſuæ 55., ab impiâ latronum manu (dum à *Sequanorum* finibus *Lutetiam* ſe reciperet) in ipſo itinere ſæviſſimè necatus. *Crudeliter interfectus*

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

PAULUS BUSIUS.

Obiit A. C. 1594.

NAtus eſt *Amersfurti* A. 1531 *Paulus Buſius Dominus in Sevenhoſen & Cappel.*

In Acad. *Dolanâ* puer literis, operam dedit, deindè 2. Jan. A. 1556. Doctoris in jure titulum in Academiâ *Andegavenſi* acquiſivit. *Doctor juris*

3. Nov. A. 1557. Domino in *Aſſendelft*, Senatori & Præſidi Primario *Hagæ* juramentum præſtitit, quod ab advocatis Curiæ *Hollandiæ* præſtari ſolet.

A. 1561. Urbis *Leydenſis* Syndicus factus eſt, deindè deputatus unà cum Dominis in *Kennenburch*, *Pœlgeeſt*, & *Mathenes*, nomine *Hollandiæ*, in Collegio Ordinum generalium *Bruxellæ* apud Duciſſam *Parmenſem*, & Ducem *Albanum*. *Syndicus Lugdunenſis.*

A. 1572. Senator & Advocatus *Hollandiæ* Cuſtos magni ſigilli & Principis *Auraici* Conſiliarius datus, & delectus Præſes loco principis tàm in conſeſſu *Hollandiæ* & *Seelandiæ* Ordinum, quàm in Senatu provinciali. *Senator Holland. Cuſtos ſigilli.*

A. 1575. Naſcentis Academiæ *Lugduno Batavæ* ſecundus Curator electus eſt cum Domino *Jano Douſa*. *Curator Academiæ Lugdunenſis.*

Legationem in *Angliam* ad *Eliſabetham* Reginam tàm ordinum quàm Principis nomine tertium obiit cum Dom. *Aldegondio*, *Nordovickio*, & *Barneveldio*. Eo tempore Ordinem dignitatis Equeſtris ſibi â Reginâ oblatum cum gratiarum actione recuſavit. *Legatus ad Reginam Angliæ.*

Poſtremò cum Comes *Lyceſtriæ* nomine Reginæ *Angliæ* fœderatarum Provinciarum gubernationem ſuſcepiſſet, Collega in Conſilio Ordinum erecto nominatus eſt.

Evivis diſceſſit in prædio ſuo *Ten Vlit* in *Cappell*, in Provinciâ *Trajectinâ* April. A. 1594. ætatis 63. Sepultus in Templo *Sevenhoviano*. *Moritur.*

Libros edidit: *Scripta.*

Subtilitatum Juris, id eſt *ſubtilium diſſertationum Academicarum Libros VII.* in 8 vo.

Illuſtres quæſtiones controverſas ad Libros IV. Inſtitutionum diſputationibus XVIII. in Acad. Franeckerianâ propoſitas. in 4 to.

De *Republicâ Libros III.* in 8 vo.

De *annuis reditibus.*

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium, & aliis*

NICOLAUS KAAS.

Obiit A. C. 1594.

DE *Torupgaard*, natus eſt A. C. 1535. Patre Viro generoſo *Nicolao Kaas* de *Starupgaard*, qui jam 7 menſibus, priusquàm hic ſuus filiolus lucem hanc aſpiceret, ad lucem cœleſtis vitæ transierat; Matre verò D. *Annâ* generoſi *Biornonis Andreæ* filiâ: ac indè factum eſt, quod hic *Poſthumus*, ut in paternas opes, ita & nomen ſucceſſerit. *Poſthumus*

Orphanum deindè cum mater reliquiſſet, quinq; tantùm Annos natum recepit ad ſe Mag. *Magnus Kaas*, Dominus de *Torupgaard*, cumq; ita curavit educari, ut in Scholâ *Viburgenſi* prima eruditionis elementa fideliter

fideliter perceperit, ſub diſciplinâ viri induſtrii D. *Olai Scyt* novem annos, ac deindè vixerit apud Clariſ. Virum D. *Niol. Hemmingium* in Regiâ *Hafnienſi* Academiâ 4. annos, per quem quantum profecerit, ipſe memoriâ gratâ ſæpè teſtatus eſt. Hic *Hemmingius* juventutis inſtituendæ Præceptor ſolertiſſimus prædixerat, olim hunc Diſcipulum ſuum magnum futurum.

D. Nicol. Hemmingii convictor.

Profecturus deindè ad Germaniæ Academias, quanquam naufragus ad inſulam *Fimeriam* vix enataverit, iter tamen inceptum animo forti continuavit, ac *Viteburgam* feliciter advenit, ubi uſus eſt aliquandiu familiaritate D. *Philippi Melanchthonis*, quem Præceptorem ſuum quanti fecerit, in totâ vitâ declaravit.

Wittenbergæ Philippi Melanchthonis diſcipulus.

Divertit etiam ad Academiam *Francofurt.* ad *Oderam*, ac indè ad *Lovanienſes* ſe contulit, quorum Schola tunc celebris erat. Hoc modo complurium annorum ſpatio pectus imbuit omni doctrinarum genere, ſacro ſimul & Philoſophico, ac iis ita conjunxit ſtudium Hiſtoriarum & Politices, ut magnum ſibi theſaurum veræ ſapientiæ & prudentiæ conquiſiverit, cum elegentiâ inſigni Latini ſermonis: quæ res fecit, ut toto vitæ tempore apud doctos in admiratione fuerit.

Caſtra erant eo tempore ad *Samarobriam S. Quintini*, bellum gerentibus *Philippo Hiſpaniarum*, & *Henrico Galliarum* Regibus: ea quoque inviſere voluit juvenis *Henricus* ut Palladem armatam iſtâ occaſione aliquo modo cognoſceret.

Caſtra ad S. Quintinum inviſit

Rediit indè in patriam incolumis anno æt. 26. quem omnes propter eruditionem & mores placidos charum habuerunt: ac imprimis ipſe Rex Sereniſſ. *Fridericus* II. qui ſtatim eum adhibuit ad publica negotia, quæ tractantur in Cancelliâ Regiâ: in qua cum laude induſtriæ annis 11 verſatus eſt.

Delectus etiam eſt interea temporis, qui eſſet Archigrammateus & primus in iſto officio, quem vulgò vocamus â ſecretis: in quo ſe ita geſſit domi, tempore belli *Suecici*, apud delectum Senatum, qui erat *Hafniæ*, ut propter fidem & induſtriam. A. 1569. interfuerit colloquio cum *Suecis* ad *Ulfsbeck* in finibus utriusque Regni, cum Dom. *Johanne Fris*, Cancellario, aliiſque Senatoribus, & reconciliationi iſti, quæ tandem facta eſt *Stetini* A. 1570, præſentibus Legatis Cæſareis, Regum *Galliæ* & *Poloniæ*, ac præcipuorum Electorum & Principum totius *Germaniæ*; cujus pacificationis articulos ipſe paulò pôſt nomine publico accepit & reddidit ad *Knerod* in utriusque Regni confinibus.

Secretarius Regis Daniæ.

Sed cum quiddam etiam interveniſſet, quod utrumque Regem concerneret, A. 1572. cum generoſis Dominis *Petro Bilde*, & *Georgio Roſenkrantzio* miſſus eſt ad *Bremſebro*, de quodam negotio, quod paulò pôſt *Roſtochij* transactum eſt,

A. 1573 poſt obitum *Johannis Friſii* magni Regis Cancellarij onus illud humeris hujus *Kaaſij* in comitiis *Randruſienſibus* impoſitû quod magnâ cum prudentiâ fide & æquitate annis 22. obivit. A. 1575. *Calungæ* ſummam induſtriam adhibuit; dum inter Regnum hoc & Ducatum vicinum 11. ſeptimanis graviter diſceptatum eſt, ſex pariter Senatorum utrinque delectis arbitris & judicibus. 25. Martii A. 1579. eandem præſtitit fidem *Othoniæ*, cum Regi *Danorum* homagium præſtaretur â Principibus *Holſatiæ* pro feudo *Slesvicenſi*.

Magnus Cancellarius Regis Daniæ

Eodem anno prudentiam declaravit ſingularem apud *Flensburgenſes*, quando inter *Hamburgenſes*, & Regem *Daniæ* reconciliatio facta eſt, & *Stetini* cum Rege *Poloniæ*.

19. Maji A. 1593. venit ipſe in Conſiſtorium *Hafniæ* Academicum, & coràm oratione prolixâ Profeſſores monuit, ut ſeveriorem diſciplinam adverſus nonnullorû ſtudioſorum petulantiam exercerent: deindè ut iidem in prælectionibus Profeſſorum audiendis diligentiores eſſent: denique querelas de cibo in Communitate Regiâ præbito temerariis & levibus de cauſis recipi vetuit.

Salutis Academiæ Hafn. ſtudioſus.

Placidè tandem & piè obiit 19. Maij A. C. 1594. ſeptimo morbi die: & eo tempore ita ſe compoſuit ad mortem, ut præſentibus probârit, ſe facilè omnia contemnere, cui tam erat facilè mori: quique, cum corpore ſolveretur, non ſecus ac Imperator *Theodoſius* magis ſollicitus fuit de ſalute Eccleſiarum & Patriæ ſuæ, quàm propriâ valetudine.

Moritur.

Exſequiæ illi factæ ſunt 28. Julii in Templo D. Virginis *Hafnienſis*, & funus indictum Civibus Academicis publico Programmate â Rectore & Senatu Academiæ, cujus ille ſummus fuerat Conſervator & Patronus annis 22. Parentavit illi Oratione Latinâ D *Johannes Slangendorfius* Theologiæ Profeſſor.

Conſervator Academiæ Hafnienſis.

* *Ex Ademiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Paulif. Vindingio.*

JOHANNES â BORCHOLTEN.

Obiit A. C. 1594.

Ex nobili familiâ natus lucem aſpexit *Luneburgæ* A. 1537.

Cum in Jurisprudentiæ ſtudiis aliquot annos verſatus eſſet, Doctoralibus inſigniis ornatus, & ad legum Profeſſionem in Acad. *Roſtochianâ* publico Civitatis ſtipendio invitatus eſt. Hanc ſpartam cum multis annis ornâſſet, A. 1576. A *Julio*, Duce *Brunsvicenſi*, conditore Academiæ *Helmſtadianæ*, in eam ad Pandectarum prælectionem vocatus, iis Jurium Feudalium explicationem adjunxit diebus extraordinariis, quibus alii otio vacant ea docens.

Doctor Iuris.

Profeſſor.

Ex hâc vitâ diſceſſit *Helmſtadii* Nov. A. 1594. æt. 57. Filio *Statio* ſuperſtite relicto. Succeſſit ei *Valentinus Forſterus*.

Moritur.

Poſteritati literatæ Scripta juridica reliquit.

Commentaria in tit. 34. lib. 4 C. de uſuris.
Commentaria in tit. 14. l. 4. Pand. de pactis.

Scripta.

Tractatum

Tractatum de tranſactionibus.

Tract. de in litem jurando, & de Jure jurando voluntario, neceſſario & Judiciali.

Tract. de Gradibus, in quo matrimonio & ſucceſſionibus ab inteſtato agitur.

Commentaria in tit. ff. de verbor. obligat. & in tit. C. de nautico fœnore.

Item de compenſationibus:

Commentaria in inſignem tit: Pandect: de acquirenda vel amittenda poſſeſſione.

ad tit. Pandect: de rebus creditis & condict.

item ad tit: de obligationibus & actionibus

Sunt & ejusdem *Conſilia*, & *Diſputationum juridicarum part: II. cum objectionibus & reſponſionibus, & Commentaria in conſuetudines Feudorum, quibus adjuncta eſt ſingularis explicatio G. unici, quæ ſunt regalia.*

* *Ex Melch. Adami de Vitis JCtorum.*

ERASMUS NEUSTETTER, Cognomento STURMER

Obiit A.C. 1594.

SChönſeldiæ, *Franciæ* orientalis arce, ex Equeſtri familiâ natus eſt 7. Nov. A. 1525.

Peregrinatus Neuſtetter.

Puer apud *Danielem Stibarum*, Equitem *Francum*, educatus eſt.

Indè peregrinatione literariâ ſuſceptâ, exteras regiones perluſtravit.

Judicem agit.

Domum reverſus, *Wirceburgi* Provinciali Judicis munere longo tempore functus eſt

Allectus eſt etiam in Collegium Eccleſiaſticum, Eccleſiarum *Bambergenſis* & *Wirceburgenſis*. Canonicus, *Comburgenſis* verò Decanus creatus.

Fit Canonicus & Decanus

Obiit legationes.

Legationes aliquot graves cum laude obivit.

Abdicat ſe dignitatibus.

Ad ſenium declinante ætate, muneribus illis Eccleſiaſticis ultrò ſe ipſum abdicavit.

Mortuus tandem *Würceburgi* 23. Nov. obivit. A. 1544. æt. 70.

Fuit in hoc ingenium excellens: memoria divina, ſtudium indefeſſum, quo non tantùm latini ſermonis copiam ſibi comparavit eleganteм, ſed etiam aliarum, *Græcæ* ſcilicet, *Italicæ* & *Gallicæ* adjunxit cognitionem.

Franciſci Modii operâ ad bibliothecam ſuam, quam magnis ſumtibus *Comburgi* inſtituit, longo tempore uſus eſt. Ibi enim, ubi per jocum regulum ſe eſſe dicebat, libenter ſemper vixit.

Poeſi delectatur.

Obtrectatores maximè odit, idque verſiculis hiſce ad parietam alicubi annotatis teſtatum fecit:

Sit bonus interpres, nil mala verba nocent.
Sit malus interpres, nil bona verba juvant.

Cum alliquando veſperi eum accedens *D. Joh. Poſthius* poſt ſalutationem diceret:

Non invitatus venio cœnare paratus;

Ex tempore ſubjecit:

Et quia ſponte venis gratior hoſpes eris.

Symbolo uſus eſt tali

Amat ardua virtus.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

CLAUDIUS PUTEANUS.

LUtetiæ natus licet ſcriptis inclareſcere nunquàm ambiverit, ex eâ tamen, quâ inſigniter vigebat, Linguarum & Antiquitatis cognitione conjicere facilè eſt, non vires illi, ſed voluntatem, defuiſſe: præſertim cum in aliorum operibus cenſendis nullus Criticorum fuiſſet exactior aut acutior.

Philologus & Antiquarius.

Criticus.

Sed illa perfecti judicii vis in eo potiſſimùm elucebat, cum ad ſeria converſus in dirimendis hominum controverſiis præclaro Senatoris munere in patriâ fungebatur: majora etiam adepturus, ſi per invaletudinem licuiſſet, quæ â ſtudiorum vigiliis contracta, & miſerabili rerum *Gallicarum* ſtatu (quo vir patriæ amantiſſimus graviter commovebatur) identidem aucta eum ante tempus eripuit.

Senator Pariſienſis

Annum enim vitæ agens 46 ex calculorum doloribus atrocibus, quibus tenue corpuſculum intus penè totum ſcatebat, extinctus eſt proximo poſt urbem *Paris.* Regi reſtitutam anno, Chriſti 1594.

Moritur.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Clementis Puteani in Senatu *Pariſienſi* celebris cauſarum Patroni filius, â puero ſub optimis magiſtris, *Johanne Stracelio*, *Hadriano Turnebo*, *Joh. Aurato*, & *Dionyſio Lambino* literis operam dedit. Inde Jus Civile ſub principe I.C.rum *Jacobo Cujacio* didicit, & variis in peregrinationibus virorũ doctorum familiaritate uſus, *Urſini, Victorii, Manutii, Sigonii* ipſorum teſtimonio meruit, ut primas inter literatos teneret, honorificè ubique in eorum Scriptis appellatus. Nam nihil ſcripſit, judicioque per acri, quo in cenſendis aliorum ſcriptis valebat plurimùm, potiùs alienæ gloriæ quàm propriæ ſervivit.

Filius advocati.

Juris conſultus.

Nihil ſcripſit.

Demùm in ordinem ampliſſimum cooptatus, ut in literatorũ conſeſſu, ſic in illo Senatu principem locum facilè tenuit, cunctis ejꝰ probitatem, in enodandis juris quæſtionibus, profundam doctrinam, & in ſolvendis litium tricis ſolertiam ſtupentibus.

Arctam in *Italiâ* coluit amicitiam cum *Johanne Vincentio Pinello*, patritio *Genuenſi*, Philologo eximio, quam crebris officiis, poſtquàm domum rediit, ſemper renovans ad mortem uſque ſervavit.

Bellorum civilium incommoditates domo pulſus conſtanter pertulit, ac ſine ullâ privati ſenſus ſignificatione in moderatâ fortunâ ingentes ſpiritûs gerens, ut quanquàm numeroſâ prole auctus, tamen alieno prorſus ab omni quæſtu animo vixerit, omnemq́; rei domeſticæ curam dilectæ conjugi *Claudiæ Sanguineæ*, tanquàm ſe indignam, reſignaverit.

Domo pulſus.

Calculi tandem cruciatibus extinctus Cal. Dec. A. C. 1594. elatus eſt Senatorio funere, & ad S. *Sulpitium* in paterno monumento conditus, veris prius laudibus ab

Calculi doloribus extinctus.

Achille

Achille Harlæo ampliſs. Ordinis principe in Senatu laudat9, & poſtea multis carminib9 epitaphiis, quæ â *Chriſtophoro, Auguſto, Petro*, dignis tanto Patre filiis publicata ſunt, deploratus. *Thuan. lib.* 109.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Claudii Puteani tumulus ſequens eſt:

CLAUDIO PUTEANO. V.C.

CLEMENTIS. DISERTISSIMI ORATORIS. AC. JURIS. CONSULTI. EX. NOBILI. APUD. SEGUSIANOS. FAMILIA. ORTI. ET PHILIPPÆ. PONCETTÆ. PARISINÆ. MATRONÆ. LECTISIMÆ. QUIBUS CUM HIC. SITUS. EST. FILIO. SENATORI. INTEGERRIMO PRUDENTISSIMOQUE. CUJUS. SINGULARIS. ERUDITIO. TENACISSIMA. MEMORIA. ACRE. ET. INCORRUPTUM. JUDICIUM. ACCURATA. DILIGENTIA. MORES. SINE. FUCO. GRAVITAS. COMIS. HUMANITAS. NON. VULGARIS. SIC. OMNIBUS. PLACUERUNT. UT. AB. OMNIB9. PRÆDICARENTUR. QUAS. ETIAM OB. VIRTUTES. INTER. DELECTOS. EX. AMPLISSIMO. ORDINE. RECUPERATORES. QUI. RES. AQUITANICAS. COMPONERENT. A. CHRISTIANISSIMO. REGE. ADSUMPTUS. A. CONJURATIS. PERNICIOSISSIMÆ. FACTIONIS. MINISTRIS. CUM. RELIQUIS. ORDINIS. SUI. QUOS. OB. VITÆ. PROBITATEM. CONSTANTIAMQUE. IN. FIDE. PERMANSUROS. SCIRENT. IN. CARCEREM. CONJECTUS. EST. VIRO. INCOMPARABILI. BONO. REIPUB. NATO. SUMMO. OMNIUM. DOLORE. ORBI. AC. URBI. EREPTO. ET. VERE. SENATORIO. FUNERE. ELATO. CLAUDIA. SANGUINIA. CONJUX. SEX. FILIORUM. ET. DUARUM. FILIARUM. MATER. RELICTA.

HEU-NON. SINE. LACHRYMIS.

P. C.

DECESSIT. KAL. DEC. AN. CHRISTI. CIƆ IƆ XCIV. ÆTATIS XLVIIII.

JULIUS BEYMA.

Obiit A.C. 1595.

DOccumi, Urbe *Friſiorum*, natus eſt A. 1546.

Patre Conſulari.

Grœningæ ſub Rectore *Regnero Prædinio* Linguæ latinæ fundamenta jecit.

Adoleſcens *Lovanium* â Patre ablegatus, ibi in Jurisprudentiæ ſtudio præclaros fecit progreſſus.

Licentiatus Juris.

Deindè *Aureliam Galliæ* Academiam ſe contulit, & ibi Licentiati Juris honore decoratus eſt.

Docuit *Wittenbergæ, Lugduni Batavorum*, & tandem in Academiâ patriâ *Franckeræ*.

Docet Wittenberga, Lugduni & Franckeræ.

Poſteà cooptatus in numerum Conſiliariorum Supremæ Curiæ *Friſiorum*, cum annum amplius unum eo munere functus eſſet, *Leowardiæ Friſiorum* metropoli piè & placidè obdormivit, A. 1595. æt. 59.

Moritur.

Scripta.

Scripta reliquit: *Methodicum Commentarium ad Inſtitutiones Juris.*

Tractatum in materiam Contractuum, & pignorum. de uſuris, fructibus & morâ.

* *Ex Academia Lugdunenſ.*

BERNHARDUS TROTTUS.

Obiit A.C. 1595.

PAtria *Alexandrinus*, ex nobili & antiquâ familiâ natus, adoleſcẽs literis humanioribus & ſtudiis imprimis juridicis inſudavit, in quibus juris conſultus temporis ſui celeberrimus evâſit.

In omnibus *Italiæ* Academiis Leges publicè docens primas obtinuit Cathedras. Demùm ab *Emanuele Philiberto, Sabaudiæ*, Duce, *Taurinum* accerſitus, Juris Civilis in Academiâ Profeſſor publicus primo loco factus, Collegam habuit *Guidonem Pancirollum* I.C. famoſum.

Juris Civilis Profeſſor Taurini.

Ibidem poſteà Senator Ducalis, & tandem Præſes Senatûs conſtitutus, vitam innocenter transactam morte beatâ clauſit *Taurini* M. Nov. A. C. 1595. nullo relicto filio. Sepultus in Templo *S. Auguſtini.*

Senator & Præſes.

Moritur.

Ex multis ejus Scriptis eruditis lucem tantùm publicam aſpexerunt:

Scripta.

Additiones ad Bartolum, & alios juris conſultos.

Due curioſi Dialoghi ne quali con molta eruditione tratta della vita vedovile.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

LANCIAROTTUS GALLIA.

Obiit A.C. 1595.

PAtriâ *Alexandrinus*, Legum ſtudiis ab adoleſcentiâ deditus, & in Patriâ Collegio Doctorum inſertus inter primarios ævi ſui Juriſconſultos habitus eſt. In ædibus ſuis Juſtitiæ habuit hoſpitium, ad quod quotidiè Cives & peregrini in controverſiis ſuis Conſilium & auxilium habere ſperantes magno numero concurrerunt.

Juris conſultus & Cauſarum actor.

Inter alios filium reliquit *Antonium*, jurium Doctorem, & â Regè *Hiſpaniarum Philippo IV.* Senatoribus *Mediolani* adnumeratum.

Filius ejus Senator Mediolani.

Alexandriæ tandem vitam clauſit 10. Dec. A.C. 1595. æt. 63. In Templo S. *Martini* ſepultus.

Moritur.

Libros edidit:

Scripta.

Commentarium in conſuetudinem Alexandrinam, probibentem, maritum ultra certum modum uxori relinquere.

Patrocinium pro Republ. Alexandrinâ contra univerſum Mediolſtatum in cauſa erogationis muneris Præſidiis non aſpernandum.

Conſiliorum, ſive *Reſponſorum Volumen.*

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

DANIEL EULENBEGIUS.

Obiit A.C. 1595.

BArbiâ *Saxo* natus eſt A. C. 1539. Patre *Petro Eulenbeck* Comitum *Barbenſium* Cancellario, Doctoratus in utroque jure inſigniis *Senis* in *Italia* legitimè impetratis *Jenam* venit 10. Dec. A. 1573. Ibi Matriculæ Juriſconſultorum inſertus, aliquo tempo-

Doctor Juris Senis creatus.

Juris Profeſſor Jenæ.

tempore Facultatem juridicam ſolus, alter velut Atlas, ſuſtinuit, nimirum D. *Victorino Grunero* A. 1586. D. *Matthiâ Colero*, & D. *Samuele Brothagio* A. 1587. vitâ defunctis: & D. *Petro Weſenbecio Jenâ Wittenbergam* evocato A. 1587.

Moritur. Naturæ debitum ſolvit 15 Dec. A. C. 1595. ætatis 56.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc ei addidit *Epigramma:*

Epigramma.

In noſtram Daniel venit Eulenbecius Urbem,
Juriſconſultis aſſociatus ovat.
Barbia ei cunas, Senæ dant juris honores:
Jena ſed officium ſarcophagúmque parat.

Obiit A.C. 1596.

HENRICUS MEMMIUS.

Johannis Jacobi *Memmii*, viri inter togatos ornatiſſimi, filius paternis veſtigiis inſiſtens, ſed meliore uſus ſeculo, ingenium, quod â naturâ fœcundiſſimum acceperat, per bonas omnes diſciplinas liberaliter excoluit.

Senator Regius Paris. Michaëli Hoſpitalio charus.

Nec minori felicitate per omnes honorum gradus in Republicâ progreſſus, ad ſacrum Regis Conſiſtorium pervenit, *Michaëli Hoſpitalio*, ejus Ordinis principi, quanquàm diſpari ætate, adeò gratus & fidelis comes, ut, quoties ſenex ille valetudine uteretur minus proſperâ, nullum ferè lubentius quàm *Memmium* in laboris partem vocârit.

Legatus & Orator Regius.

Quanti autem & ipſi Reges eum fecerint, oſtendit illa celebris ad *Borbonios* Principes Legatio, cui unà cum *Birone* ſub finem tertii belli Civilis â Rege *Carolo IX.* præfectus eſt, eo eventu, ut exacerbatos ex diſſidii toties repetitis aſſuetudine *Gallorum* animos ad Pacis amorem facundiâ ſuâ revocaret, cum ſuperiorem in dicendi lepore haberet neminem.

Cujus nomine apud Regem *Henricum* ſucceſſorem maxima ejus gratia fuit. Donec invidorum calumniis ab illo diſtractus exceſſit ab aulâ, ut cum amicis & libris, quorum magnam & exquiſitam copiam habebat, placidam Senectutem exigeret. Sed hanc illi tranquillitatis occaſionem ademerunt, quæ mox inſecuta ſunt, *Ibericæ* factionis tempore, quorum tædio vir nominis *Gallici* ſtudioſiſſimus contabuit: atque in eo mœrore A.C. 1596. ætatis circiter 63 piam emiſit animam.

Moritur.

* *Ex Elogiis Gallorum Illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Obiit A.C. 1596.

WENCESLAUS ZULEGERUS.

TRactus eſt ad fines *Bohemiæ*, olim Conrads Grün, hodiè *Vallis* Joachimica, Joachimsthal, vocatus, in ditione Comitum â *Schlick*, argenti venis A. 1516. adapertis celebris, cum oppido ejuſdem nominis, in quo parentibus honeſtis & mediocris fortunæ civibus natus eſt *Wenceslaus Zuleger* Jul. A. 1530. A. ætatis 17. poſt obitum patris *Wormatiam* abiit, & apud Urbis Actuarium amanuenſem egit. Hujus commendatione pervenit ad *Preunlinum*, Juris Licentiatum in Camerâ Imp. *Spiræ* advocatum celebrem, qui ejus operâ in formulis negotiorum concipiendis uſus eſt.

Wormatiam venit. Amanuenſem agit.

A. 1552. Cum Imp. *Carolus V.* in *Metenſes* expeditionem ſuſcepiſſet, apud mil. quendam Ducem Scribæ militiæ munus tantâ cum induſtriâ obivit, ut mortuo Duce illo, antequàm obſidio ſolveretur, pro fide præſtitâ ultra 12000. flor. præmii loco donatus fuerit.

& Scribam militarem Feldſchreiber *agit.*

Eam pecuniam apud Præfectum ærarii Imperialis depoſuit, & cum nobilibus quibuſdam filiis, quibus pædagogus datus, in *Galliam* abiit, in quâ biennium commoratus cum eſſet, revocatis domum diſcipulis, ipſe *Genevam* ſe contulit, & cum Juriſprudentiâ Theologiæ ſtudium conjunxit, tanto cum ſucceſſu, ut Licentiati in Juris prudentiâ titulo, brabeutâ *Donello*, fuerit inſignitus.

Remuneratur. Abit in Galliam cum diſcipulis. Studium Theologiæ cum juriſprudentiâ conjungit.

Commilitones in *Galliâ* habuit *Caſparum Olevianum*, poſteà Theologum celebrem, & *Conradum Marium*, qui cum ipſo in patriam rediit, ubi uterque operam ſuam *Wolffgango* Principi *Palatino Neoburgi* addixit, *Zulegerus* in Conſiliis, *Marius* autem in informatione filiorum Principis, de quorum numero fuit *Johannes Bipontinus.*

A. 1561. Eo in officio verſatus, Uxorem duxit *Helenam Beerin* â *Berenthal*, virginem *Auguſtanam*, patritiæ familiæ, cum quâ, Principe dimittunte, *Auguſtam* commigravit, ibique ſedem fixit.

Ducit Uxorem.

Eodem año â *Friderico III.* Electore *Palatino* vocatus, *Haidelbergam* venit, ubi â Conſiliis intimis Principi fuit, præſertim Religionis reformationem in Scholis & Eccleſiis concernentibus, ad quam ſingulari zelo ferebatur.

Haidelbergam vocatur.

Hoc cum Johannes *Matheſius*, Paſtor Eccleſ. in *Valle Joachimica*, inaudiſſet, matrem *Zulegeri* de filii periculo, ut qui *Calviniſmo* ſeductus ſit, monuit. Undè matrona piè commota *Haidelbergam* ſtatim abiit, & filio errores, ut â Paſtore fuit inſtructa, verboſè expoſuit, qui nihil aliud reſpondit, quàm ſe rogare ipſam, ut ſecum dies aliquot commoretur & conciones frequentet.

A matre monetur Zulegerus de Religione.

Id cum mater feciſſet, tandem ultrò faſſa eſt, hactenus audita ſibi eſſe S. Scripturæ conſentanea, gratias agere Deo, qui beneficio tali dignatus eſſet. Deindè domum reverſa, *Matheſium* hiſce affata eſt: *Eccleſia vallis Joachimicæ lignea eſt, Haidelbergenſis lapidea: ego neutri innitor, doctrinam tamen utriuſque deprehendo diſcrepantem: & quæ Haidelbergæ traditur, conſcientiâ teſte, ſcio cum literis ſacris conſentire, cui deinceps per Dei gratiam adhærebo.* Audivit hæc invitus *Matheſius* eamque miſſam fecit, quæ poſteà cum duobus filiis *Stephano* & *Johanne* in *Palatinatum* commigravit.

Cum autem *Zulegerus* non ſolùm ut Conſiliarius, ſed etiam Præſes Senatus Eccleſiaſtici

Conſiliarius & Præſes Senatus Eccleſiaſtici.

cleſiaſtici fidem ſuam Electori multis annis probâſſet, A. 1567. Electoris filio *Johanne Caſimiro* primam in *Galliam* expeditionem ſuſcipiente, ut â Conſiliis ei bellicis eſſet, adjunctus eſt, ut etiam A. 1575.

Colloquio præſ.

A. 1571. â 28. Maii ad 19. Junii Colloquio *Francothalij* cum *Anabaptiſtis* inſtituto, juſſu Electoris, præfuit.

A. 1576. *Mortuo Friderico, Joh. Caſimirus* cum diœceſi *Neoſtadianæ* præfecit, in quâ præfecturâ vixit uſque ad Annum 1583, quo unà cum *Caſimiro Colonienſem* expeditionem ſuſcepit, ſed orto inter ipſum & *Petrum Beutrichium* Legatum diſſidio, cum gratiâ Principis dimiſſus, vitam privatam egit *Neoſtadii*.

Poſteà cum prædium *Hildesheimii* in ditione Comitum *Leiningenſium* coëmiſſet, eò commigravit, & aliquot annis in otio jucundè vixit, donec vergente ætate & valetudine decreſcente, cum familiâ *Haidelbergam* migravit. Ibi 1200. ſolares Coronatos, Uxor verò ipſius 4100. florenos ad pios uſus teſtamento legavit.

Moritur.

20. Maji A. 1594. Uxor obiit in Acidis *Sualbacenſibus*, cujus corpus *Haidelbergam* revectum ad *S. Petrum* terræ mandatum eſt. Ad cujus latus & ipſe ſepultus eſt, poſtquam *Francothalii*, quo ab uxoris obitu diſceſſit, ut prædio ſuo vicinior eſſet, podagricis doloribus miſerè vexatus exſpiràſſet Febr. A. 1596. æt. 66. Concionem funebrem ipſi habuit *D. Daniel Toſſanus*.

Fratrum ipſius alter *Johannes* Principi *Arauſico* â Secretis fuit, alter *Stephanus* in tabulario Elect. *Haidelbergæ* operam navavit. *Sibylla* Soror nupta fuit *Conrado Mario*, Senatûs Eccleſiaſtici ibidem Aſſeſſori.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

HENRICUS VICUS.

Obiit A. C. 1596.

OSthovii in *Flandriâ* Toparcha, natus eſt *Valencenis* A. C. 1536, Philoſophus & Theologus inſignis, Juriſconſulti titulum *Duaci* primos inter adeptus eſt. Luſtratâ *Italiâ* in *Flandriam* redux, *Bergis S. Winoci* ſubſtitit, eâque in urbe 12. annis Conſulem ſummâ cum laude egit, donec ab adverſariis preſſus *Armenteriam* quietis causâ ſe contulit, ubi & placidè in Domino obdormivit Id. Martii A. C. 1596, *Nipkerke* in Majorum monumento conditus.

Juriſconſultus. Conſul Bergenſis. Moritur.

Scripta.

Scripſit:

De Chriſtianorum Sacramentorum naturâ, officiis & numero.

De deſcenſu Chriſti ad inferos ex ſymbolo Apoſtol. & S. Scripturâ.

Apologiam ſacrarum Imaginum.

De Controverſiis hujus temporis.

De Communione Sanctorum, ex Symbolo, Sanctis Literis, & Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ.

Conſilium, quo oſtendit è re fore Eccleſiæ Chriſtianæ, ut in locum ſententiarum Petri Lombardi aliud opus ſubſtituatur ad hæreſes perimendas accommodatius.

Epitaphium.

Franciſcus Moſchus hoc illi *Epitaphium* ſcripſit:

Vixi, & quem dederat curſum Deus ipſe peregi,
Intentus ſtudiis, numeroſâ prôle beatus.
Id volui ſcires, mortis memor eſto, Viator,
Hic Curſus fuit, ipſe Veni, tua labitur ætas.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

PETRUS PITHOEUS.

Obiit A. C. 1596.

IN Urbe *Tricaſſium* patre nobili & erudito natus vir fuit noſtrâ ætate maximus, ſive probitatem morum, & veram nec fucatam pietatem, ſive ingenium excellens, & omnium rerum, quas perſpectas habuit, reconditam cognitionem, & tum in ſuis tum in alienis cernendis acre judicium ſpectes. Nemo melius unquàm unum quempiam Auctorem novit, quàm ipſe omnes antiquos utriusque linguæ Scriptores, quos ad unum legerat, ad vetera contulerat exemplaria, & concoxerat.

Philologus.

Nemo privata & domeſtica negotia exactiùs tenuit, quàm ipſe *Gallicam* externamque Hiſtoriam, origines populorum, deſcriptiones temporum, ſucceſſiones familiarum, bella, fœdera, conventiones, leges, mores, conſuetudines provinciarum, ſingularumve Urbium. Quarum omnium rerum â teneris annis indefeſſo labore ſibi perfectam notitiam tum ex vulgatis libris, tum etiam ex Bibliothecis antiquis, archivis Regiis, Senatûs, Rationalium, Urbium, Monaſteriorum comparaverat: Inſtrumentorumque ipſorum atque Actorum bonam partem propriâ manu deſcripſerat.

Hiſtoricus.

In Jure autem Civili ad illud faſtigium pervenerat, ut de eo celeberrimoque ejus Præceptore *Jacobo Cujacio* dici jure potuerit, Hunc diſcipulo præripuiſſe, ne primus Juriſconſultus eſſet, illum Præceptori, ne ſolus. Idem *Cujacius* & *Turnebus Galliæ* ſidera in libris ſuis frequentem & honorificam *Pithœi* hujus mentionem fecerunt, & ille jam ſenex juvenem hunc & diſcipulum ſuum in dirimendis cum æmulo controverſiis arbitrum ſibi optare non dubitavit.

Juriſconſultus. Jacobi Cujacii diſcipulus.

Lutetiæ dum degeret, incredibili clientium concurſu divina *Themidis* oracula quotidiè deprompſit, eâ doctrinæ pariter & ſanctitatis admiratione, ut Rex *Henricus III.* miſſis in *Aquitaniam* aliquot Patribus, qui jus dicerent, hunc ſimul & *Loiſelum* doctiſſimum quoque virum Legationis comites addiderit, qui ſua & Reipublicæ negotia graviſſima in illo Senatu procuranda ſuſciperent.

Advocatus Pariſienſis. Legatus Regius.

Fato functus eſt *Nogenti* ad *Sequanam* ex febre, Cal. Novem 6. die ſuo natal A. C. 1596. ætatis 57.

Moritur.

Fratrem reliquit natu minorem *Franciſcum Pithœum* eruditione parem, & inter inſignes *Pariſienſis* Fori Juriſconſultos meritâ multiplicis eruditionis famâ perfruentem.

Franciſcus Pithœus frater ejus.

Præter innumera veterum ſcripta è tenebris eruta, aut meliora publico data moriens reliquit, & *Franciſci* fratris fidei commiſit.

Scripta. *Conciliorum Gallicorum diligenter conquiſitorum ac digeſtorum collectionem.*

* *Ex Elogiis Thuaneis Virorum doctorum C.B. & ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

MICHAEL QUARANTOCTIUS.

Obiit A.C. 1597.

NObilis *Patavinus* originem traxit à *Quarantoctio Florentino*, qui obſidente *Patavium* exercitu *Veneto* adverſùs *Carrarienſes* ad portam S. Crucis cum uno comite muros adſcendit, occiſisque vigiliis, réque *Galeacio Gonzagæ* ſummo copiarum *Venetarum* Imperatori ſignificatâ, & præſidiis ab eo commiſſis, cauſa fuiſſe dicitur, cur porta caperetur, & per eam Exercitus introduceretur, Principe *Michaële Steno*, A.C. 1404. ut *Bernhardinus Curius narrat in Hiſt. Mediolan.*

Ex hujus familiâ *Patavii* propagatâ *Michaël* hic ortus, cum in Legum divinarum & humanarum ſtudio plurimùm profeciſſet & cum laude Doctoris in utroque jure conſecutus fuiſſet inſignia, A. 1564. factus eſt Explicator Juris Civilis in tertio loco: A. 1566. adhibitus eſt ad textum, gloſſam, & *Bartolum* horis veſpertinis in primo loco explicandum A. 1568. electus ad Jus Pontificium matutinum in ſecundo loco explanandum Collega *Jacobi Menochii*, A. 1577. ad explicationē Feudorum traductus, quam uſq; ad A. 1586, cum *Sebaſt. Monticuli* Interpretis Juris Canonici veſpertini Collega factus eſt, continuavit.

Juris Doctor Patavii & Profeſſor. *Interpres Juris Canonici.*

A. 1594. Auditor Rotæ Civilis *Genuenſis* declaratus eſt ad ordinarias *Genuæ* cauſas dijudicandas, & à Principe illius Reipublicæ ac Senatoribus honeſtè invitatus: quam tamen dignitatem recuſavit, ne ſuo ipſius Principi adeòque ſuæ Patriæ deeſſet.

Declaratus Auditor Rotæ Civilis Genuæ. *Recuſavit.*

Avunculum habuit excellenti pietate virum Archiepiſcopum *Urbini*, & Prolegatum *Bononiæ*, *Antonium Janotium*, & duos fratres *Horatium*, Theologiæ Doctorem, per 24 annos in multis muneribus *Patavinæ* Eccleſiæ Adminiſtrum, & inter cœtera *Nicolai Ormaneti*, Epiſcopi *Patavini* Vicarium: & *Camillum* I. C. oratorem egregium in foro *Patavino* cauſisque criminalibus magnâ cum laude verſatum, Equitem.

Moritur. Obiit tandem diem ſuum A. C. 1597.

* *Ex deſcriptione Gymnaſii Patavini editâ ab Antonio Riccobono.*

MATTHÆUS ENZLINUS.

Clar. A.C. 1597.

HAc *Enzlinus* erat *Mattheus* imagine, vitæ
Luſtra ubi, plus año, viderat octo ſuæ.
Studgartum hunc genuit; ſtudiisque *Tubinga* Sophiæ,
Et Themidis ſumum duxit ad uſq; locum.
Juris D. Tubing. Doctor ibi factus, profitetur Jura rogatus,
Ingenii effundens munera larga ſui,
Omnis eum jam tunc fuit admiratus, & ingens
Eulogium de ipſo, judiciumque tulit.
Sic ubi doctrinæ & rerum prædivite Cornu,
Virtutumque bonis ſuſpiciendus erat:
Indè Profeſſorem vocat *Heidelberga*, viroque *Profeſſor Heidelberg.*
Electoralis gratia ſumma favet.
Nam, *Ludovice*, tuus, Dux, Conſiliarius hic eſt;
Inque ſcholâ illuſtri nomine Jura docet.
Indè, *Capelbecius* cum functus morte, *Tubinga* *& Tubing.*
Avocat, hoc docant Civica Jura loco.
Id facit; & cunctis eſt admirabilis, oris,
Conſilii, ingenii fertilitate ſui.
Vir pius & rectus; cunctis prodeſſe paratus;
Nobilibus charus, principibusque viris.
Dux *Ludovice*, tuus ceu Conſiliarius antè, *Conſiliarius Ducis Würtenbergici.*
Sic nunc eſt primus, Dux *Friderice*, tuus.
Hoc fine nil Heros hic prudentiſſimus altum
Inchoat: *Enzlin*9 cor Ducis, oſque Ducis.
Conſiliis ingens; noſtro quoque teſte Senatu,
Quem decorat juveni fronte vir, ore ſenex.
O ſemper tales habeat *Würtbergia*; ſemper
Gymnaſium tales, *Suevæ Tubinga*, tuum.
Vive, *Enzline*, diu; decus, & tibi nobile partum eſt
Nomen: Id in cœlum fertque feretque Themis.

Diſtichon Προσονομασμόν.

Grande *Dei donum* es, Patriæque, Ducique, Scholæque:
Ens Legum, & curvi *Linea* recta fori.

* *Ex Elogiis Profeſſorum in Academiâ Tubingenſi Carminicè editis ab Erhardo Cellio Hiſtor. & Poët. Profeſſ.*

ANDREAS LAUBMARIUS

Clar. A.C. 1597.

LAubmarius facie hac *Andreas* vivit, ut ævi
Luſtra undena videt, dimidiumque ſui.
Patria *Stutgartum* Clarias hunc duxit ad artes;
Abſolvit gremiis indè *Tubinga* ſuis.
Vixque Magiſterii fuit auctus honore, regendam
Contubernalem cum capit ipſe Domum.
Claſſicus eſt ſimili tum factus honore Profeſſor,
Sed neutrum longo tempore fecit opus.
Nam *Stutgarteam* mox accerſitur in Aulam;
Ut coleret ſtudiis, & pietate Duces.
Te *Ludovice*, reor, Dux illuſtriſſime! Princeps
Optime, te pariter, Dux *Friderice*, reor.
Laubmario æternas, da, *Würtenbergia*, grates
Præceptor Ducibus quod datus ille tuis.
Functus ut officio fuit hoc duo luſtra; *Tubingam*,

ut

Ut caperet Juris prœmia ſumma, redit.
Doctoris titulo gaudens, redit indè *Stutgartum*,
Patronumque fori judicialis agit.
Prof. Tubing. Aſt, aliud patrio munus Duce dante, *Tubingam*.
Mox redit; & Juris ſancti Elementa docet.
Tum ſimul Aſſeſſor facundo conſulit ore
Conſiliarius Würtemb. *Würtembergiaco*, ſumma ubi Jura, Foro.
Morte ſed à *Volzi* docet ardua Feuda Profeſſor,
Magno ſuccedens hac ratione Viro.
Magnificuſque ſcholæ Rector, Juriſque Decanus
Pectoris exhibuit grandia dona ſui.
Sponte Profeſſoris poſt munere ſe abdicat illo,
Conſultor patrii factus ut antè Ducis.
Vir pie vive diù! cœptis felicibus illud
Munus obi, & laudes accumulato tuas.
Diſtichon προσωνομαςικόν.
Villcus auget opes *Foliis*, quia tegmina frugum:
è foliis tibi laus, clare Vir, aucta librûm.
* *Ex Elogiis Profeſſorum in Academia Tubingenſi carminicè editis ab Erhardo Cellio Hiſtor. & Poët. Profeſſ.*

JOHANNES HALBRITTERUS.

Clar. A.C. 1597.

TAli *Johannes* erat *Halbritterus* ab ore
Finierat vitæ ſeptem ubi luſtra ſuæ.
Huic Patria *Ambergum*: ſtudiumque *Ratisbona* pandit,
Auxit at hinc Muſis *Lipſia* clara ſuis.
Hinc facit illuſtris Sophiæ *Witteberga* Magiſtrum:
Hicque *Weſembecio* mox duce, Jura ſtudet.
Impiger at poſtquàm geminos conſumpſerat annos;
Heidelbergenſem flagrat adire Scholam.
Hic ubi tres ſtudio menſes detriverat illo,
Doctoris ſummo carpit honore decus.
Omne ſed artis opus quia perficit, & beat uſus,
Ad praxin celerem contulit indè gradum:
Illuc, priſcorum ſedes ubi celſa *Nemetum*
Imperii ſummum *Spira* tribunal habet.
Hic etiam geminos ubi deſudaverat annos,
Praxeos & magnas accumulârat opes:
Juris Prof. Tubing. Jus vocat hunc florens civile *Tubinga* profeſſum:
Vogleri, celebri, morte, vacante loco.
Hoc capit, & magno tutatur nomine munus,
Pectoris oſtendens inclyta dona ſui.
Id profitendo facit, diſſertandoque potenter,
Excipiens certâ ſpicula cuncta manu.
Edoctus Themidis myſteria maxima, cunctis
Doctrinâ, eloquio, judicioque placet.
Dexteritate ſuâ placet, & candore, fideque,
Et pietate ſuâ, conſiliiſque placet,
Eſt etiam ſancti pars exoptata Senatûs,
Magnificuſque gravi Rector honore viret.
Aſſere, Chriſte, Virum; longos da vivere in annos:
Semper erit noſtræ florida fama ſcholæ.
Diſtichon προσωνομαςικόν.
Chare Deo, verè, *Medius* qvi nomine, rebus
Totus es, & ſtudiis nobilis, acer *Eques*.
* *Ex Elogiis Profeſſorum in Academia Tubingenſi carminicè editis ab Erhardo Cellio Hiſtor. & Poëſ. Profeſſ.*

JOHANNES HARPRECHTUS.

Flor. A.C. 1597.

HArprechti facies erat hæc *Johannis* honora,
Quattuor ut vitæ ternaque luſtra videt.
Patria *Walhemium* tellus *Würtberga*: Parentes,
Peſte trucidatos, Patruus indè refert.
Suſcipit in fantem; nonumque educit in annum;
Donec eunt ludo dat, *Beſicama*, tuo,
Inchoat invitis doctas Tutoribus artes,
Quattuor ut denis meſſibus addiderat.
Carolus Argenti ducit *Mettmanuus* in urbem;
Commendatque tuis, Philoſophia, ſcholis.
Hic, luſtrum poſtquàm ſtudiis impenderat illis;
Juris inexhauſtum ſtrenuus æquor adit.
Aſt ubi peſtis atrox hinc cogit abire, *Tubingam*
Tendit, & inceptum fortis adurget iter.
Meſſibus exactis tribus hic, placet *Haſſica* tellus:
Marpurgique avidus docta Lycea petit.
Hic par annorum terit, & redit indè *Tubingam*;
Doctoriſque capit Jure in utroque gradum.
Spira trahit multos: illò ſe pervigil inſert:
Praxin & egregiâ ſedulitate colit.
Diſputat indè redux privatim Jura Tubingæ;
Et docto Leges explicat ore fori.
Illi ſed tandem commiſſa Profeſſio Juris Juris Profeſſor Tubingæ
Publica, quam magno præſtat honore ſui.
Hinc Academiaci pars eſt præclara Senatus,
Collegique, *Dice*, pars celebranda tui.
Quàm bonus Interpres, quantâque indagine Legum;
Novit & Auditor, ſcriptaque docta probant.
Vive *Harprechte*, diu, pie, dexter, & optime; noſtræ
Laus modò, laus olim grandis honorque ſcholæ.
Diſtichon προσωνομαςικόν.
Divinus favor eſt, *Duro* quod *frangere* nullo:
Tam conſtans animo cura, laborque tuo.

* *Ex Elogiis Profeſſorum in Academiâ Tubingenſi carminicè editis ab Erhardo Cellio Hiſtor. & Poëſ. Profeſſ.*

Clar. A.C. 1597.

DAVID MAGIRUS.

D*Avid* erat talis nativâ fronte *Magirus.*
Annum & ter deno plenè ubi natus erat
Luce *Vahinga* dedit, *Mulbronna* ſed artibus uti;
Stuttgartumque; parens hîc ubi præpoſitus,
Indè *Tubinga*, ſuo complexa favore, Magiſtrum
Fecit, honorato conſtituitque loco.
Juris inexhauſtas hinc ſeſe immittit in undas,
Officiumque, vigil navita ſicut, agit.
Remigium ingenii, propenſaque vela laborum,
Et Præceptorum vox Cynoſura fuit.
Nec modò *Neccarico* decurrere gaudet in amne,
Allobrogum doctas ſed quoque ſulcat aquas.
Hîc Jus abſolvit: variasque excurrit in urbes:
Hîc rerum, hîc linguæ notitiamq; parat.
Supremo reducem poſt ornat honore *Tubinga*,
Doctoremque ſuum prædicat alta Themis.
Indè petit cupidus *Nemethum* Imperiale Tribunal,
Cumque theoriâ jungere praxin amat.
Sic benè verſatum per Jura, domique foriſque,
Eſſe Profeſſorem vult ſchola noſtra ſuum. Juris utrique profeſſor Tubing.
Moxque Academiaci partem jubet eſſe Senatus;
Spe permota gravi, quam facit ipſe ratam.
Nam Logicis cupias hunc ſeu certare palæſtris,
Sive Mathematicis; fortis in hiſce pugil.
Sive docere velis Jura: aut defendere Jura:
Aut etiam ſenſus, Theologia, tuos:
Acer in arma venit: pius inſuper, optimus: ejus
Intactam credas pectus habere nivem.
O fortunatum tali *Davide* Parentem:
Cujus honor; Patriæ lauſque, decuſque Scholæ.
Diſtichon *προσωπομαντικόν*.
O! bona virtutum dilectus es omnibus arte
Ingenii mira civica Jura Coquens.

* *Ex Elogiis Profeſſorum in Academiâ Tubingenſi carminicè editis ab Erhardo Cellio, Hiſtor. & Poëſ. Profeſſ.*

Clar. A.C. 1597.

HENRICUS BOCERUS.

H*OC Henricus* erat vultu *Bocerus*; ut octo
Vitæ complêrat jam propè luſtra ſuæ.
Quem pars *Weſtphaliæ* fortis produxit in orbem;
[Saleatum ſalſis urbs bene dives aquis.]
Si genus excutias; antiqua gente paterna
Ortus, & è matris ſplendidiore domo.
Poſthumus ingenii puer hic capit orſa colendi
In celebri Patriæ, matre jubente, Schola.
Hinc excepit eum *Padiborna*, & *Lippia*, Muſis
Et *Luneburga* ſuis, atque *Hamelonga* ſuis.
Hinc adit *Haſſiacæ* Themidis tentoria terræ
Caſtra ubi *Marpurgum* fortia Juris habet.
Hinc petit *Helmſtadium*: meſſes ubi quattuor hæret:
Jura docet magnâ diſputat arte Theſes.
Hinc *Heidelbergam* cauſâ contendit eâdem,
Ut ſibi juridicas accumularet opes.
Urbe locat noſtrâ tandem ſuprema *Tubinga*
Et ſtudii, & vitæ caſtra ſequenda ſuæ.
Strenuus hic miles; tandem, de more, probatus, Juris utrumque D. & Prof. Tubing.
Doctoris titulum Juris ovando capit.
Fitque Fori Aſſeſſor, quod habet *Wirttbergia* ſummum;
Nullum aliud Civi conſuluiſſe licet.
Octonos operam cui cùm navaverat annos
Judicii, & ſenſus ubere laude ſui:
Alma Profeſſorem legit hunc Academia, dignum,
Panderet ingenii Feuda vigore ſui.
Quæ doctrina viri, quæ vis, Schola novit: idemque
Edita jamdudum ſcripta, hodieque probant.
Vita viro magno ſit longa pioque, bonoque:
Sic erit is noſtræ gloria longa Scholæ.
Diſtichon *προσωπομαντικόν*.
Quod *Manibus Dives*, tua publica ſcripta loquuntur:
Paſcis Corda reis, juridicæque ſcholæ,
Libros edidit: *
Tractatum de Crimine Læſæ Majeſtatis in 8. vo.
De Donationibus in 8. vo.
De Jurisdictione. in 8. vo.
Quæſtionum controverſarum de Jure ſuccedendi in feudum. in 8. vo. Scripta.
De Jure & commodo Senioris ſive Domini itemque Vaſalli, quod ipſi feudi nomine competit. in 8. vo.

* *Ex Elogiis, Profeſſorum in Academiâ Tubingenſi carminicè editis ab Erhardo Cellio Hiſtor. & Poës. Profeſſ.*

Obiit A.C. 1597.

PETRUS PAULUS RUTILIUS.

NOn ſolùm maximus Juriſconſultus, ſed etiam in præclaris literarum ſtudiis Rhetoricæ, Poëticæ, Hiſtoriæ, Philoſophiæ Moralis & Civilis verſatus, diu munus Oratoris & Advocati cum nominis celebritate *Venetiis* obivit, præcipuèque in foro regnavit Eccleſiaſtico, ſuitque Reipublicæ

Philologus. Advocatus Venetus.

Digitized by Google

publicæ *Veneta* in rebus Eccleſiaſticis Conſultor, atque in eum locum Succeſſor, quem olim *Hieronymus Gigas* tenuerat, qui poſteà *Cornelio Frangipani* datus eſt.

Cum verò tantùm per annum conductus fuiſſet, novâ Senatui de eo deliberatione in finem anni reſervatâ, fratre ſuo extincto, qui erat Vicarius in Epiſcopatu *Vicentiæ*, poſt annum completum, loco petendæ confirmationis & in publico docendi munere continuationis, ad fraternam hæreditatem ſatis locupletem vocatus, dimiſſionem petiit, & tandem impetravit: non acceptâ conditione honeſtâ, quæ à Viro illuſtri *Aloyſio Georgio* uno de Gymnaſii Moderatoribus, offerebatur proemii duplicati. *Vicentiam* profectus, in illud nobile juriſconſultorum Collegium ſummo conſenſu eſt cooptatus. A. 1592. *Patavii Bonifacio Rogerio* in locum ſecundum juris Civilis veſpertini ſucceſſit, tandémque obiit A. C. 1597, ſuccedente *Joachimo Scaino Saloenſi*.

Juris Profeſſor Patavii.

* *Ex Gymnaſii Patavi in deſcriptione ab Antonio Riccobono edita.*

Obiit A.C. 1597.

JOACHIMUS à BEUST.

Natus eſt *Möckeræ* in Epiſcopatu *Magdeburgico* 19. April. A. C. 1522. Patre viro Nobili *Achimo à Beuſt*, Epiſcopatus illius Capitaneo: Matre *Eliſabethâ* natâ ex nobili *Randaviorum* familiâ.

Parentes ejus nobiles

Fratres habuit natu majores, *Henricum*, qui A. 1553 in prœlio cruento propè *Brunſvigam* cum Electore *Saxoniæ Mauritio* interiit: *Melchiorem*, Capitaneum *Glauchaviæ*: *Caſparum* Capitaneum *Grüningenſem*, & *Balthaſarem*, qui omnes ipſum præceſſerunt.

Tres fratres ejus milites.

Cum domi in ſcholâ privatâ literarum fundamenta poſuiſſet, in Academiam *Lipſienſem* A 1539. à Patre miſſus, *Lutherum* ibi concionantem audivit, qui eodem tempore, cum paulò antè *Georgius* Dux *Saxoniæ* mortuus eſſet, juſſu fratris *Henrici* Reformationem fidei in *Miſnia* inſtituit, abdicato Papiſmo.

Lipſiæ Lutheri conciones audit.

Ibi præter alias docendi partes obeuntes audivit *Joachimum Camerarium Babepergenſem* & D. *Modeſtinum Piſtoris* Conſiliarium Saxonicum. Hujus conſilio A. 1544 in *Italiam* iter ſuſcepit, ubi Jura docentes audivit præter alios *Marianum Socinum Senenſem, Andream Alciatum &c.*

A. 1548. In Academiâ *Bononienſi* Doctor Juris ſolenniter renuntiatus, poſteà *Romam* reverſus eſt. A. 1550. ab Electore *Mauritio* in arce *Kemniz* inter Conſiliarios, paulò poſt verò inter Profeſſores Univerſitatis *Wittenbergenſis* receptus eſt.

Doctor Juris Bononiæ. Conſiliarius Saxonicus Juris Profeſſor Wittenbergæ. Conſiliarius Anhaltinus.

A. 1553 Electoris *Auguſti*, & A. 1565. cum ejuſdem conſenſu *Joachimi Erneſti* ac *Bernhardi* Principum *Anhaltinorum* fratrum Conſiliarius deſignatus eſt. A. 1586, Conſiliarius factus Electoris *Saxoniæ Chriſtiani* & A. 1591. Principum Electoralium, Tutoris nomine Conſilia ad finem vitæ direxit.

A. 1580 Conſiſtorii Electoralis tunc *Miſenâ Dreſdam* tranſlati conſtitutus eſt Aſſeſſor, eoque munere per ſexennium cum laude functus eſt. A. 1582. Colloquio *Quedlinburgenſi* ob Religionis diſſidium & Librum Concordiæ inſtituto, in quo præcipui Theologi Confeſſionis *Auguſtanæ* comparuerunt, juſſu Electoris *Auguſti* interfuit. A. 1592 Generali Viſitationi Eccleſiarum & Scholarum *Saxonicarum* à *Frid. Wilhelmo* Adminiſtratore & Tutore Electorali inſtitutæ cum aliis Theologis & Conſiliariis Politicis adjunctus eſt.

Aſſeſſor Conſiſtorii Electoralis Dreſdæ. Legatus Sax. in Colloquio Quedlinburg. & in Viſitatione Generali Eccleſiarum & Scholarum Sax.

A. 1556. Uxorem duxit virginem *Barbaram Brandiam* à *Lindau* ex quâ filium unicum ſuſcepit *Henricum Wittenbergæ* natum 13. Jul. A. 1559. Ex hoc filio nepotes vidit *Joach. Henricum*, & *Henricum Fridericum*, cum duabus neptibus *Annâ Mariâ* & *Barbarâ*.

Vir fuit religioſus, Theologorum imprimis, viduarum, & orphanorum patronus. Juxta Arcem ſuam *Planitz* vocatam Templum à fundamento exſtruxit.

I.C. tam religioſus Templum exſtruxit.

Commentarios *Lutheri* in *Geneſin* (quos decennio elaboráſſe & ſub finem vitæ domum abſolviſſe fertur) ſemper ſecum circumduxit. Sæpè dicere ſolitus eſt: Ex *Bartolo* & *Baldo* quâ ratione ſalvus fiam diſcere nequeo, ſed ex libro, de quo Chriſtus Veritas ipſa dixit: *Scrutamini Scripturas*.

Tria frequenter à DEO petiit & impetravit: 1. Ne morbis dolorificis ante mortem affligeretur. 2. Ut Uxorem ſuam morte præcedat. 3. Ut cum *Simeone* lætus mundo valedicat.

Viribus tandem ſenſim deficientibus placidè in Chriſto Servatore ſuo ſpiritum emiſit 4. Febr. A. C. 1597. ætatis 75. *Planitii* apud filium, quo paucis ante mortem annis *Dreſdâ* ſe contulerat. Sepultus in monumento, quod ipſe ſibi *Planitii* in Templo à ſe exſtructo condidit, cum hoc Epitaphio:

Mor. Planitii.

Picturam quoties hanc aſpicis, optime Lector,
Te toties vitreum noveris eſſe globum.
Inſtabilis pulvis vitæ eſt properantis imago,
Ille fugit veluti vita caduca fugit.
Mors certa eſt, incerta dies, hora agnita nulli,
Extremam quare quamlibet eſſe puta.

Iisdem Germ: literis aureis Epitaphio inſculpti leguntur:

So vielmahl du/ o Leſer mild/
Anſchaueſt diß Gemäld und Bild/
So offt wolſt u bedencken das/
Daß du ein Kugel ſeyſt von Glaß/
Deß Menſchen Leben/ mir das glaub/
Vergleicht ſich einem leichten Staub/
Wie der fleucht hin/ ſo gleich und eben
Fleucht hin dieſes vergänglich Leben:
Der Tod iſt g'wiß/ ung'wiß der Tag/
Die Stund auch niemand wiſſen mag/
Darumb fürcht Gott/ und denck dabey/
Daß jede Stund die letzte ſey.

Libros edidit:

Scripta.

Tractatum de Jure Connubiorum & Dotium.

Titulum

Titulum de Jure jurando.
Explicationes Evangeliorum.
Libellum Chriſtiados.
Libellum de Arte benè beatéque moriendi.
* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1597.

JOSIAS RIHELIUS.

Natus fuit *Haganoæ* 16. April A.C. 1525, parentibus honeſtis, Dn. *Wendelino Rihelio*, & *Margarethâ Metzlerin*: per S. Baptiſmum ibidem Eccleſiæ inſertus in Paſchatos feſto à D. D. *Wolfgango Capitone*, qui tum fortè *Haganoam* ſe contulerat, ut in Chriſto fratres ſolaretur & erigeret: atque ita primus extitit, qui eâ in urbe ſine ritu Pontificio more Evangelico baptizatus fuit.

Haganoæ primus more Evangelico baptizatus.

In urbem poſt *Argentinenſem*, unà cum Parentibus ſuis translatus in diſciplinam traditus eſt D. *Petro Daſypodio*, *Henrico Schwebelio*, *Wolfg. Capitoni*, *Mart. Bucero*, & aliis, qui ſingulari ſunt eum benevolentiâ complexi.

Et potuiſſet ſanè in virum doctiſſimum evadere, ſi in ſtatione hâc ei manere licuiſſet: non ad operas adhibitus Typographicas fuiſſet, in quibus tamen ipſis ita ſe geſſit, ut non tantùm de Academiâ *Argent.* ſed & totâ Republ. literariâ optimè meritus fuerit.

Typographus Argent.

Senator.

Ibidem in minorem, ut vocant, Senatum eſt lectus A. 1559, in majorem cooptatus A. 1563, ut & matrimoniale Conſiſtorium.

Secundùm deindè Senator eſt factus 1567, tertiùm 1571, quartùm 1575, quintùm 1579. In 21. poſt ordinem virorum translatus A. 1578, creatus 15 vir A. 1587, anno ſeq. 1588. Præfectus Collegii D. *Wilhelmi*, Scholarcha eodem anno, Tredecim vir denique 31 Jan. A. 1590. factus, & Diœceſi *Barrenſi* præfectus, & A. 1592. gravibus Reip. negotiis in Epiſcopatus adhibitus controverſiis eſt.

Scholarcha Tredecim Vir.

Moritur.

Hiſce muneribus omnibus ſummâ cum fide & induſtriâ ad annum æt. uſque 72. defunctus obiit 8. Martii A. C. 1597.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Argent. Ludov. Hawenreuteri Med. & Philoſ. Doct.*

Obiit A.C. 1598.

ANDREAS CLUDIUS.

Natus eſt A. C. 1555. in Civitate Ducatûs *Brunſuic. Oſterodâ* ad *Hercyniam* ſylvam ſitâ, & tum ob mineras metallicas, tum ob loci amœnitatem, & Reipublicæ benè conſtitutæ felicitatem celebri. Patrem habuit *Johannem Cludium*, civitatis illius Senatorem primarium.

Cum præclaræ indolis indicia in primâ ſtatim pueritiâ ederet, juvenis tantùm in ſtudiis profecit, ut annorum 24. illuſtriſſimi principis *Brunſvic. Henrici Julii* poſtulati Epiſcopi *Halberſtat* favorem mereretur, atque ab eodem ad publicam juris Profeſſionem in Academiâ ſuâ *Juliâ* honeſto ſtipendio conſtituto deputaretur.

Juris Profeſſor Helmſtat. A. æt. 24.

Jur. Doctor

Biennio pôſt A.C. 1579. ſupremæ Laureæ honores & Doctoræ inſignia ſolenni geſtu collata accepit. Cum verò Princeps ſingulari ejus eruditione, induſtriâ, fide, & animi candore mirificè caperetur, adſcivit eum in numerum Conſiliariorum ſuorum, negotia ei gravia committens, quæ advocando apud imperiale Cameræ *Spirenſis* Iudicium tutaretur.

Conſiliarius Brunſvicenſis

Nec verò ſolùm Conſiliarius *Brunſvicenſis*, & Aſſeſſor ſupremi Ducatûs illius Judicii factus, ſed & complures vicini Comites, & primariæ nobilitatis viri ſuis ipſum negotiis patronum delegerunt, quibus tum advocando, tum conſulendo operam ſuam fideliter præſtitit.

Judicii Aſſeſſor.

Tametſi verò tot tantiſque negotiis diligentiam fidemque ſuam deeſſe neutiquàm pateretur, ſtationem tamen ſuam in Profeſſione Juris publicâ obeundâ minimè deſeruit, ſed munere ſuo ſtrenuè functus non modò Anteceſſor Academicus ſuis auditoribus, ſed ſtudioſæ quoque poſteritati Scripptis editis præclarè conſuluit, donec vitâ morte beatâ finiit circa A. C. 1598. æt. 43.

Inter Scripta, quæ edidit, præcipua ſunt:
Tractatus de Jure ſequeſtrationis.
Comment. de Condictione furtivâ.
Libri Rerum Quotidianarum.
Inauguratio ſplendidiſſimi novi Muſarum Theatri in illuſtri Academiâ Juliâ Helmſtadii, quam ex mandato Principis peregit.

* *Ex vitis 50. Virorum doctrinâ præſtantium Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A.C. 1598.

GERMANUS AUDEBERTUS.

Aurelia ad *Ligerim* honeſtis ortus parentibus, ut eloquentiæ Philoſophiæque ſtudiis, quæ ab ineunte adoleſcentiâ coluerat, Juris & Legum prudentiam adjungeret, ſuperatis *Alpibus Alciatum Bononiæ* tunc docentem plures annos audivit, receptuſque ad ſuos *Italiæ* amorem nunquàm depoſuit. *Venetias* enim & *Parthenopen*, Urbes *Italicas*, eâ carminis majeſtate deſcripſit, in cujus immortali ſplendore ſpes illis manſuræ apud poſteros memoriæ non minor quàm in tot ſumptuoſis Majorum ſuorum monumentis procul dubio ſit reponenda:

Andr. Alciati I.C. auditor.

Poëta.

Quod inſigne meritum Reſpublica *Veneta* non putavit ſatis penſari poſſe, niſi honorem honore rependeret, præconemque ſuæ laudis eximium in Ordinū Equitum D. *Marci* (qui honor Principibus & Regibus deferri ſolet) ex publico Senatꝰ decreto cooptaret.

Eques D. Marci.

Sed nec inani hâc gloriolæ acceſſione ſuſtulit animos, nec ſibi quicquam de ſolitâ modeſtiâ detraxit, contentus eâ, quam apud ſuos dudùm exercebat, Vectigalium indictionumque Præfecturâ.

Præfectus Vectigalium.

Obiit tandem A.C. 1598. ætatis 80. Reliquit præter memorata Poëmata ſylvarum aliquot libros, qui lucem expectare poterant, ab ejus hærede filio in ſummâ *Rhedonum* curiâ Senatore, niſi & ipſe paucorum dierum interjectu cariſſimi parentis funus morte cumulâſſet ſuâ.

Moritur.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

GEOR-

Digitized by Google



ANDREAS CLUDIUS
JCtus & Consil. Brunsv.



PHILIPP, MARNIXIUS
JCtus & Consil. Antverp.



GEORGIUS TRADELI,
JCtus & Advoc. Augustan.



ELBERT, LEONINUS.
Jur. D. & Prof. Lovaniensis.



PETRUS HEIGIUS.
Prof. Jur. Witteb. & Consil. Saxon.



BOETIUS EPO.
JCtus & Antecessor Duacenus.



WERNER, SEUTER
JCtus & Advocatus August.



DIONYSIUS LEBEUS
JCtus & Advoc. Lutetiæ.




PETRUS FABER
JCtus & Senator Tolosæ.



ANGEL, MATTHÆACCI,
Patav. Juris Prof. primarius.



PAUL, HOCHFELDER,
Syndic. & Advocat. Argent.



NICOLAUS VIGELIUS
JCtus & Prof. Marpurg.



MARQUARD, FREHER,
Consiliari, & Advoc. Norib.




PHILIPPUS GLASERUS
Prof. Juris Argentorat.



NICOLAUS REUSNERUS
JCtus & Comes Palat. Cæsar.



IOHANNES BANCHEMI,
Curator Academ. Leidensis.


NICOLAUS
PAUL. HENTZNER
MATTHIAS

Obiit A. C. 1598.

GEORGIUS TRADELIUS.

ANno Chriſti 1530. natus eſt *Dillingæ*, Epiſcopi *Auguſtani* ad *Danubium* nobili oppido; patre in ordine Senatorum illius municipii honeſtum locum obtinente & unà cum laudatiſſimâ conjuge, potius à virtute, quàm ab ampliore fortunâ, gloriam ſibi comparante, ambobus tamen, hanc ſibi vel maximam à ſupremo Numine datam felicitatem, grato animo lætantibus, quod talem filium genuiſſent, cujus lumine & ipſi clariores haberentur, & toti ſuæ poſteritati ſplendidiſſimam facem accenſam eſſe cernerent.

Ingenium pueri, ad maximum decus & famam nati, *Caſpari Tradelii* patrui, in dicaſterio *Auguſtano* Juriſconſulti, diligens cura ſuſcepit, optimiſque magiſtris eâ in urbe in utrâque facundiâ liberaliter erudiendum tradidit.

Et verò jam tum enitebat in eo quædam præclara indolis admiratio; Nam & præceptorum expectationem antevertebat, & docilitatis laude omnes poſt ſe reliquens, æqualium venerationem ſibi conciliabat, prolixas orationes memoriter & cum delectabili venuſtate pronuntiabat, carminum *Virgilianorum* integros libros, vix terve quaterve accuratè perlectos, ſine ullâ linguæ hæſitatione, feſtivè modulato numerorum ſono, recitabat, quicquid verò ſuo Marte contexebat, puerilis judicii captum longè ſuperare videbatur. *Memoria ejus haud vulgaris.*

Ut primum igitur per ætatem licuit, à patruo iſto ad deſcribendos cauſarum civilium libellos ac formulas adhibitus eſt, quas ille non ſolùm celeri & correctiſſimo calamo in mundiores chartas retulit, ſed diverſas ſuopte ingenio, oblatis cauſis tàm eleganter excogitavit, ut ad forum & civilium negotiorum ampliſſimam tractationem, peculiari arridente aſtro, natus judicaretur.

Cum igitur nec dum ephebis exemptus non vulgarem in literis progreſſum feciſſet, jamque majora concipiens, animum ad divini & humani juris ſcientiam applicuiſſet, præter patrui ſui piam liberalitatem, *Auguſtani* quoq; ſtipendii, tenuioris fortunæ adoleſcentibus, liberalibus ſeſe mancipantibus ſtudiis deſtinati; ſubſidio fultus, apud propiores patriæ Academias, legalis diſciplinæ jactis feliciter fundamentis unà cum generoſis quibuſdã bonarum artium tyronibus, trans Alpes, ad florentiſſimum *Patavii* Gymnaſium profectus eſt. *Patavii literis incumbit.*

Ibi aſſiduis vigiliis, pertinacique ſtudio, & plurimâ diſſerendi exercitatione, brevi tempore tantum profecit, ut non ſolùm publicâ acclamatione lauream conſecutus; ſed etiam ad enarrandas *Juſtiniani* Imperatoris inſtitutiones Juris Civilis cathedrali dignitate æquiſſimis alienæ virtutis æſtimatoribꝰ, celeberrimæ illius Scholæ primariis anteceſſoribus, honorificè fuerit vocatus.

Quo, ille laudabili munere ultrà bienni-um feliciter functus, magnam ſingularis memoriæ, promtæ eloquentiæ, exacti judicii, ſubtilis abſtruſarum quæſtionum inveſtigationis, denique omnibus numeris abſolutæ doctrinæ laudem atque famam, in eruditiſſimorum hominum iſtâ clariſſimâ luce, cum inſigni patriæ honore, poſt ſe reliquit, ut planè mirum non ſit, natali ſolo reſtitutum, atq; apud *Ingolſtadienſem* Academiam legitimâ ductâ uxore & ad conſtantem vitæ tenorem, familiâ decenter ſtabilitâ, à non paucis Imperii potentibus Principibus, nobiliſſimis Ordinibus ac liberis civitatibus, ut aulis vel tribunalibus ſuis ſeſe adſcribi pateretur, honeſtiſſimis propoſitis conditionibus, certatim expetitum fuiſſe. *Uxorem ducit.*

Sed is præclaram *Auguſtæ Vindelicorum* Rempubl. cui operam ſuam totâ vitâ impenderet, omnibus aliis occaſionibus exercendæ virtutis, maturo animi judicio facilè prætulit, vel dulcis patriæ inſito amore accenſus, à quâ ſe longius amotum non voluit; vel pulcherrimæ urbis peramplâ celebritate, & omnium rerum uſibus humanis explendarum opportunâ affluentiâ pellectus; vel ingenuæ civilitatis liberiuſque vivendi ſtudio, ad id, ipſo genio ſuo compellente, incitatus.

In hâc conſiliarii, vel, ut loquendi mos eſt, Advocati Reip. honorificâ functione, dum cauſas civitatis ad judicia acriter defendit, lites prudenter definit: omniáque ad veram juris rationem, adhibito æquitatis temperamento, revocat, dum plurimas legationes, cum primi nominis Senatoribus, ad ſolennes Imperii, & provincialium ordinum conventûs feliciter obit; tantam exquiſiti judicii, abſolutæ eloquentiæ, & admirandæ promtitudinis famam conſecutus eſt, ut ei à *Suevicæ* provinciæ Senatu communia negotia, honeſtiſſimo conſtituto ſalario, commiſſa fuerint; pariterque cum Comitum, & inter hos ſplendidiſſimâ *Fuggerorum*, Baronum Imperii, familiâ, cum pleraque nobilitate, ad cauſarum ſuarum patrocinium ſubindè vocaverint. Undè & nominis ejus celebritas, & opum magnitudo honeſtiſſimè accrevit. *Reipublicæ Auguſtanæ Advocatus.*

Septuageſimum autem annum nondum attingens, cum Senatoribus *Auguſtanis* ad Comitia Imperii anno Chriſtianæ ſalutis nonageſimo octavo *Ratisbonæ* legationis munere functus, in ejulatu præſentis uxoris 13 Kal. Martii calculi doloribus, omnem medicæ artis opem ſuperantibus, compoſito ad Deum animo, & ritè ſupremi elogii confectis tabulis, quibus & Reip. olim dum in bonis literis tyrocinium poneret, ſibi collatum beneficium, pio legato eleemoſynæ publicè aſſcripto gratè remuneratus, in fata conceſſit. *Moritur.*

Indè Principum & Imperii ordinum nobiliſſimis legatis funus *Ratisbonæ* extra portam, ſolenni comitatu proſequentibus, ejus cadaver *Auguſtam* reportatum, ad ædem cathedralem Deiparæ Virginis, proprio tumulo honorificentiſſimè illatum eſt. Inſuper

per & monumentum marmoreum apud *S. Annam*, ſicut *Theodoræ* unicè dilectæ, nobiliq; matrimonio ornatæ filiæ, pater, ab exemplo in *Italiâ* abs ſe olim obſervato, in mandatis reliquerat, epigramma inciſum legitur ab hæredibus erectum.

Epitaphium.

D. O. M. S.
GEORGIO TRADELIO
PRIMARII NOMINIS ET SINGULARIS
ELOQUENTIÆ I. CONSULTO.
PROVINCIÆ SUEVICÆ, TUM AUGUSTANÆ
MULTARUMQUE ALIARUM RERUMP.
ET ORDINUM ADVOCATO,
QUI ANNO DOMINI CIƆ IƆ IIC. XIII Cal.
MARTII IN COMITIIS REGEN. REIP.
AUGUSTANÆ LEGATUS
IN ULNIS LACRYMANTIS UXORIS,
ANIMAM DEO PIE REDDIDIT.
MARITO ET PATRI DULCISS. VERONICA KETZERINA CONJUNX ET SUPERSTITES LIBERI MULTIS CUM LACRYMIS
POSUER.
VIXIT AN. LXVII M. X. DIES VIII.
THEODORA ET ÆGID. SEBAST.
VOIT à BERG. CONJUX,
IN TUMUL. PATRIS:

Quæ miſeranda tuo impoſui nunc ſaxa ſepulcro,
Accipe pro meritis, mi Pater, innumeris.
Si mihi marmoream licuiſſet ſumere formam,
Ipſa forem, haut alius, quo tegerère lapis.
Inciſisq́ notis legeres: Theodora parentis
Fit tumulus, reddens oſſibus oſſa piis.

Memoriæ tenaciſſimæ beneficio, quicquid vel olim legiſſet, vel nunquàm intermiſſo quotidiano labore, in proceſſu ætatis, ex optimis authoribus decerperet, optimâ fide, vixque mutatis verbis cum audientium ſummâ admiratione ſæpiùs recenſebat legum ſancita è propriis ſedibus depromebat; ſcriptorum diſcrepantes ſententias paginis dinumerabat. Nec minus calami incredibili quâdam celeritate coram intuentibus ſtuporem incuſſit.

Nondum maximis de rebus conſultatione aliquâ ad finem producta, ipſe ſaniora placita ſcripto comprehenſa, cum audientium applauſu proferebat. Proindè cum hæc inimitabilis induſtria ſolertisque ingenii expedita facultas, crebris Imperii comitiis, aliisque celeberrimis conventibus plurimum ſibi autoritatis contuliſſet; nulla ferè majoris momenti res in publicam deliberationem venit; in quâ non ipſius ſpectatiſſima prudentia, erudita facundia, & promtiſſima politi ſtyli elegantia expeteretur; adeò ut *Maximilianus II.* Imperator, ad aulam ſuam, opimis conditionibus benigniſſimè invitaret; illo civilis vitæ tranquillitatem vel maximo dignitatis ſplendori immoto animi judicio conſtanter præferente: etſi alioquin emeritæ virtutis condigna proemia non deſideraverit, â Cæſare nobilitatis inſignibus, ad perpetuum poſteritatis ſuæ ornamentum ſplendidè condecoratus.

Conjugii fidem ſanctiſſimè coluit. E primâ uxore *Ingolſtadii* ductâ Filium *Philippum* habuit, qui paternis veſtigiis inſiſtens, eosdem Jurisprudentiæ pulcherrimos titulos, florente ætate, adeptus, induſtriâque ſuâ partim patriæ, partim *Bavariæ* Duci; pariterque illuſtribus & nobilibus quibusdam partibus comprobata, paucis antè patris obitum diebus vitâ functus eſt. Duas itidem filias ex eodem matrimonio, nobilibus& claris nuptiis decoratas, ſuſtulit, quarum major patris fatum paucis menſibus antevertit. Secundam uxorem è patricio genere ſine liberis morte ſublatam amiſit. Cum tertia honore majorum, pietate, moribus, prudentiâ, frugalitate lectiſſimâ fœminâ, Veronicâ, undetriginta annos concordiſſimè vixit, ſex liberorum pater ex eâ factus: filiorum trium totidemque filiarum: Sed ex his majore natu filio *Georgio*, ante annum paterni obitus, *Venetiis* inopinato caſu ſublato, fati acerbitatem mater provida& per diſſimulationem apud conſternatum patrem mitigavit. Nihil unquam otio indulſit, ſed omne tempus â negotiis & actionibus vacuum legendo, ſcribendo & meditando traduxit: niſi quod plerumque â prandio, valetudinis causâ, vehiculo per unam atque alteram horam utebatur.

Sed enim tanto pulcherrimarum ſcientiarum ardore perpetuo flagrabat; ut etiam Cabalæ, diſciplinæ abſtruſæ, myſteria, deguſtatâ mediocriter Hebræorum ſacrâ linguâ, miro ingenii acumine aſſecutus, de omnibus ferè naturæ arcanis, multoties ſubtiliſſimè diſſerere ſolitus fuerit. Ingraveſcente verò ætate, præter juriſperitorum vaſtos commentarios, ſanctorum patrum nunquàm intermiſſâ lectione plurimum ſeſe oblectabat. Scripſit quoque quamplurima, quæ ſcriniis ſuis recondidit, præſertim illuſtrium cauſarum, ad juſtitiæ libram, exquiſitiſſimè appenſas conſultationes; quarum duo denſiſſima volumina filiis hæredibus reliquit.

* *Ex Melch. Adami vitis Germ. JCtorum.*

PHILIPPUS MARNIXIUS.

Obiit A.C. 1598.

Natus *Belgis* eſt eques *Sant Aldegondanus Bruxellis*, anno Chriſti 1538, è Parentibus *Burgundicis*; qui eò conceſſerant. Nomen ejus per *Europam* clariſſimum, & in viro genus cum ingenio, ingenium cum eruditione, eruditio cum virtute, virtus cum induſtriâ certârunt.

Itaque cum *Belgium* oppreſſum ingemiſceret, ſub intolerabili *Ferdinandi* Ducis *Albani* jugo, ſuosque vindices ac defenſores deſideraret, ecce inter primos hic ſeſe obtulit *Marnixius*, qui ex *Germaniâ* ſuperiore, quò profugerat, ac *Heidelbergæ* aliquandiu Aſſeſſorem Senatus Eccleſiaſtici egerat, in *Bataviam*, *Belgicæ* libertatis arcem, ſtatim contendit, anno Chriſti 1572. Quo in loco rem non tàm fortiter gerendo, imitatione *Cyneæ* cordatè loquendo, non poſtremum patriæ libertatis propugnatorem

Aſſeſſor Senatûs Eccleſiaſtici Heidelb.

gnatorem ſe declaravit: & à *Guilielmo Naſſovio Auraico*, magno Principe, ſummo in honore eſt habitus. Incredibile dictu, quantos labores, quæ pericula, pro Reipub. patriæ bello illo exceperit; ſemel iterumque captus, & ægerrimè dimiſſus, interventu *Hiſpanorum* ab alterâ parte interceptorum.

Reſpirante jam *Belgicâ*, *Brabantiâ*, *Flandriâ* aliiſque provinciis, libertatem apertè amplexantibus, magnum hujus nomen fuit apud omnes.

Legatus Principis Naſſov.

Legationes ad Reges, ad Principes, ad Reſpubl. diverſas obiit ſæpiùs, & quidem anno ſeptuageſimo quinto, decretâ in *Angliam* legatione, miſſi ſunt *Philippus Marnixius*, *Janus Douſa*, *Guilielmus Nivellus*, *Paulus Buſius* & *Franciſcus Maetſenus*, qui certis conditionibꝰ ſe illiꝰ patrocinio ſubjicerent.

Anno deindè milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo octavo, cum Imperii comitia *Wormatiæ Vangionum* Cæſar indixiſſet: eò à *Matthiâ Marnixius* miſſus, orationem mirè liberam habuit ad Septemviros, & qui aderant Imperii Principes, nonis *Maji*, quâ, deplorato miſerabili *Belgii* ſtatu, & *Albani* tyrannide acerbis verbis exagitatâ, Imperii opem imploravit.

Dixit tunc: commune eſſe periculum, & fore, ut belli incendium, niſi maturè extinguatur, ſe latiùs latiùſque diffundat, & ipſas Imperii Civitates apprehendat.

Typis excuſa in publicum prodiit ea oratio: cui quidam *Calidius Chryſopolitanus* aliâ oratione, *Lucemburgi* editâ, reſpondit: quæ tota in exagitandâ *Belgarum*, tum in Deum, tum in Principem, rebellione Occupatur.

Anno dein octogeſimo, cum diu de Principe aliquo externo deligendo, ab ordinibus *Brabantiæ*, *Flandriæ*, *Hollandiæ*, *Zeelandiæ*, *Mechliniæ*, *Friſiæ*, deliberatum eſſet, *Marnixius* & alii cum plenis, ut loquuntur, mandatis, in *Galliam* ablegati ſunt: ut cum *Franciſco* Principe *Andino* agerent de ſuſcipiendo illarum provinciarum imperio.

Anno octogeſimo tertio, cum *Uranii* Princeps in *Zeelandiam* cum aulicâ familiâ contenderet, antequàm diſcederet, rationem Magiſtratui *Antverpienſi* præſcripſit, quâ ſe in urbis adminiſtratione dirigeret, & *Marnixium*, cujus fidei ac prudentiæ plurimum tribuebat, in proximum annum Conſulem deſignavit, Prætoris, quem *Marggravium* vulgò vocant, etiam dignitate, quam ille recuſavit, delatâ.

Conſul Antverpienſis.

Geſſit itaque *Antverpiæ* Conſulatum eâ tempeſtate, quâ *Alexander Farneſius*, *Parmæ* Princeps, illam urbem obſedit, quam boni Conſulis munere perfunctus, ubi reliquit, ſibi ita vixit, ut & aliis vixerit. Nullum autem majus prudentiæ ſpecimen edidit eâ obſidione, quàm quod cum ipſe rei frumentariæ, viritim fere tenuioribus diſtribuendo, præfectus eſſet, collegis *Gualtero Grattero* ac *Lucâ Roſâ*, nemo unquàm è plebe ſentire potuit horrea ita exhauſta, ut ſi triduum adhuc dilata fuiſſet pacificatio cum Principe *Parmenſi*, fame expugnari potuiſſet urbs tota. Sanè nihil fuiſſe tunc temporis frumenti in publico, imò ne in privato quidem, indè liquet, quod primis diebus nullâ pecuniâ ibidem potuerit comparari panis, ac è vicinis pagis inferendus fuerit commeatus.

Poſteà cum anno nonageſimo tertio *Friderico IV. Elect. Palat.* *Loiſa Juliana*, *Wilhelmi Auraici* Principis filia, ſub finem menſis *Maji* deſponſata, adducenda eſſet, *Marnixius* eam ſponſam primùm *Dillenburgum*, dein *Heidelbergam* duxit, caput legationis. Nuptiæ autem celebratæ ſoleñiter fuerunt *Dillenburgi*, menſis *Junij* die duodecimo. Poſtremùm in *Galliam* legatus, valetudine obnoxia, fractoque multis laboribus corpore *Lugduni Batavorum*, in Muſarum gremio exſpiravit, cum in urbe illâ Bibliorum translationi incumbens, annos aliquot exegiſſet.

Obiit anno 1598, die 15. Decemb. ætatis ſuæ ſexageſimo. Extat in virum incomparabilem epigramma & epitaphium hujuſmodi: *Moritur*

Non poterant alibi tua digniùs oſſa cubare,
Marnixi, juxta claræ ſago atque togâ:
Quàm Leidæ, Martis quæ & Palladis artibus altæ
Effert præ reliquis urbibus alma caput.

Aliud

Conditur hoc tumulo Marnixius ille Philippus,
Clarus conſiliis eloquioque potens.
Qui magni illius, cui debet Belga ſalutem,
Principis Auraici cor animaſque fuit.
Cujus opem ſenſit Reſpublica libera magnam:
Et puræ adſertus relligionis honos.
Per denſa invidiæ tela ille [illegible] *mille labores*
Herculeo verè ſcandit ad aſtra gradu

Eſt & hoc *Jani Gruteri* in manes *Philippi Marnixii* carmen:

Orbis delicies amorque Marnix,
Quo digno poteris tegi ſepulcro?
Defunctus aliis, ſatis ſepulcro eſt
Pars terræ brevis urbis ipſe dignum
Vix totus fuerit tibi ſepulcrum,
Orbis delicies amorque Marnix.

E Linguâ Hebræâ, cujus præter alias plures apprimè peritus erat, *Pſalterium* in morè *Belgicam* Linguam, excluſis *Gallorum* vocibus, quibus alioquin hominum eorum verſus tunc temporis ſcatebant, rhythmis moduliſque conſtrictum induſtrioſiſſimè convertit. Id opus hactenus aliquoties typis publicatum, ſed nunquàm communi concionatorum conſenſu eſt receptum: cum contrà verſio alterius à tot millibus ediſicatur. Nimirum *Scripta.*

Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.

Biblia quoque ipſa ordinum *Belgii* auſpiciis eſt aggreſſus: quod opus abſolvere mors ei non permiſit.

Scripta ab eo in lucem edita partim Theologica, partim Politica, ſunt præcipuè hæc: *Pſalmi*, ut dictum, *ex Hebræâ in Belgicam Linguam translati*, deindè ad rhythmos Belgicos ab eodem revocati: ſic etiam *Veteris & novi Teſtamenti Cantica.* *Theologica*

Theſes aliquot de Eccleſiâ atque Eccleſiaſticarum traditionum κριτηρίῳ ſeu *certâ normâ.* Item *de Sacramento Cœnæ Dominicæ.*

Reſponſio ad Michaëlis Baji, Regii Profeſſoris Lovanienſis, apologiam.

Epiſtola conſolatoria ad fratres exules Brabantos, Flandros, Hannones, Arteſios, aliosque Belgas, ob Evangelii doctrinam peregrinis in regionibus diſperſos.

Tractatus de cœna Domini, ad Galliarum Regis Sororem Lotharingiæ Duci nuptam.

Contra Libertinos, apologetica reſponſio contra anonymum quendam Libertinum.

Alvearium Romanum An. 1571. editum & dedicatũ Franciſco Sonnio, primo Sylvæducenſi Epiſcopo, Hiſpanicæ inquiſitionis haud infimo, tempore ſævientis Albani in Belgiam.

Edidit & *tabulam, quâ differentiam exponit Chriſtianæ & Pontificiæ Religionis.*

Politica. Politica ejus hæc ſunt: *Oratio illa Wormatiæ pro Archiduce Auſtriæ Matthiâ, & Ordinibus Belgicis habita:* quæ â *Baptiſtâ Hovarto, Poëta Belga,* ad patrii idiomatis rhythmos eſt revocata. *Huic accedunt variæ variis temporibus evulgatæ admonitiones, declarationes, interpretationes, & inter ſeria jocia ac facetiæ, aliaque anonyma multa Marnixio Auctore:* quæ pro temporum ratione ſuis *Belgis,* patriæ religioniſque libertatem propugnantibus, prodeſſe Vir prudens judicavit. Ab hoc etiam profecta dicitur decantata illa cantilena, compoſita in laudem Principis *Guilielmi Naſſovii,* ad *Belgas,* tyrannide *Albani* oppreſſos, edita.

Ex Melch. Adami Vitis Germ. JCtorum.

ELBERTUS LEONINUS.

Obiit A.C. 1598.

BOmmelanus *Gelder,* â procerâ ſtaturâ *Longolii* Cognomentum tulit. *Lovanii* Juriſprudentiam ſummo cum honore docuit, magno auditorum concurſu. Tandem *Geldriæ* Cancellarius conſtitutus, & Ordinum *Belgicorum* partes ſecutus eſt. Finem vitæ fecit *Arnhemii* ſepultus in D. *Euſebij,* cum hoc Epitaphio:

Juris Profeſſor Lovanii. Cancellarius Geldr.

Epitaphium.

ELBERTO LEONINO I. C. AMPLISS.
IN FLORENTE QUONDAM ACADEMIA LOVANIENSI PRIMARIO
JURIS PROFESSORI,
CONSILIARIO STATUS DUCATUS GELDRIÆ,
COMITATUSQUE ZUTPHANIÆ CANCELLARIO.
OBIIT ANNO CIↃ IↃ XCVIII. DIE VI DEC.
ÆTATIS SUÆ LXXIX.
NATUS BOMMELIÆ
Vixit in primo ac unico matrimonio
annos LII.

Scripta.

Scripſit & poſteritati reliquit:

Centuriam Conſiliorum.
Emendationum ſive Obſervationum Lib. VII.
Prælectiones ad tit. C. de Jure Emphyteutico.
Commentar. ad Tit. D. de Uſufructu.
Prælectiones ad Tit. D. de Servitutibus.
Tract. de Sapientiâ.
Ad Lib. IX. Codicis, in quo Tituli & Leges ad inſtar Proceſſus Criminalis explicantur.

Orationem habitam tempore Colloquii Colon.
De bello, religione, & pace per Belgium.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

SAMUEL GRYNÆUS.

Obiit A.C. 1599.

NAtus eſt *Baſileæ Rauracorum* die *Medardi* A. 1539.

Patre *Simone,* Theologo & Philoſopho doctiſſimo: Matre *Catharinâ Lombardiâ.* Patrini ipſius fuerunt *OsWaldus Myconius,* & *Johannes Mejerus.*

Puer *Thomâ Platero* præceptore uſus, in literis ita profecit, ut in ſtudioſorum numerum receptus fuerit A. 1551.

Diſcipulus Thomæ Plateri.

Tum publicè docentes audivit in linguâ Græcâ *Thomam Grynæum* patruum, præpoſitum ſuper Collegii, in poëſi *Joh. Nyſſæum Auguſtanum,* & *Huldricum Coccium,* primùm Logicæ, deindè Theol. Profeſſorem.

Thomæ Grynæi auditor.

Cum deindè primo Philoſ. teſtimonio, cui â baccâ lauri nomen, ornatus fuiſſet, audivit *Cœlium Secundum Curionem,* Oratoriæ Prof. *Sebaſtianum Caſtalionem* in Græcis, & *Johannem Beckium* Organi *Ariſtotelici* interpretem.

Baccalaureus.

Horum inſtitutione aliquandiu uſus *Argentoratum* miſſus eſt, ubi inter alios *Joh. Sturmium* audivit.

Argentorati Joh. Sturmium audit.

Hinc poſt annos aliquot Domum reverſus, in patriâ aliquandiu ſubſtitit.

Poſtmodùm *Tubingam* profectus, Juris Civilis ſtudium aggreſſus eſt, & *Nicolaum Varenbülerum* audiit, ab eoque dilectus eſt. A. 1562. *Baſiléam* rediit, & ſtudium Juris ardenter proſecutus eſt, docentibus tunc ibi *Baſilio Amerbachio, Viti* filio, *Joh. Sphyractâ* & *Joh. Hoppero.* Sed poſteà peſte graſſante *Dolam Burgundiorum* conceſſit,

Tubingæ Juris prudentiæ operam dat.

Dolam venit.

A. 1565. In Patriam reverſus, ſummum in Philoſophiâ gradum obtinuit *Paulo Cherlero Elſterburgenſi,* & *Jona Graſſero Baſil.* competitoribus, ſub Decanatu *Joh. Hoſpiniani Steinani* Organici Profeſſoris.

Philoſophiæ Doctor.

Statim deindè in Profeſſorum numerum cooptato demandata eſt Profeſſio Oratoria.

A. 1569. Jul. Doctoratûs inſignibus, unà cum *Philippo Camerario* I. C. & Conſiliario deindè *Noribergenſi,* â *Caſp. Hervagio* ornatus eſt, Decanum agente *Adamo Henrico Petro.*

Profeſſor Oratoriæ Juris Doctor.

In Collegium deindè Profeſſorum receptus, Inſtitutiones Juris publico ſtipendio profiteri cœpit.

Profeſſor Juris.

Tandem *Baſilio Amerbachio* in Profeſſione & Syndicatu ſucceſſit.

Amerbachio ſuccedit.

Ipſo autem in eâ facultate Profeſſore & promotore Doctores & Licentiati Juris creati fuerunt ultra 360.

360. D D. & Licentiati creati.

Ad metam vitæ cum appropinquaret, hydrope diuturno correptus eſt, adeò invaleſcente, ut propter tumorem, voce ipſi ademtâ, per triduum nullum verbum ab ipſo fuerit auditum: interim tamen ſuſpiriis & ſublatis in cœlum manibus ſatis ſignificavit, undè auxilium exſpectaret. Tandem animam DEo reddidit 3. Apr. A. 1599. ætatis 60.

Moritur.

tis 60, cum annos 30 Academiæ patriæ præfuiſſet.

* *Ex vitis JCtor. Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1599.

PETRUS HEIGIUS.

PAtriam habuit *Stralſundam*, *Pomeraniæ* oppidum, ubi natus eſt A. 1558.

Docet jura. Adoleſcens Jus civile aggreſſus cum eſſet ab *Auguſto* Electore *Sax.* penè adhùc Juvenis partes publicè *Wittenbergæ* docendi ſuſcepit.

Aſſeſſor judicii. Præterea non minori cum laude Adſeſſoris tam in judicio provinciali, quàm in eo, quod Appellationibus dicatum eſt, functus eſt officio.

Conſiliarius. Tandem etiam in Conſiliariorum aulicorum Senatum adoptatus eſt.

Moritur. Ex hâc vitâ vocatus eſt A. 1599. ætat. 41.

In uſum Jura diſcentium collegit multas Juris controverſias arduas & uſu frequentiores, quæ poſt obitum autoris prodierunt operâ *Ludovici Perſonii* I. C. & Prof. *Witteb.* titulo, *Quæſtiones Juris tam civilis quàm Saxonici.*

* *Ex Melchioris Adami Vitis JCtorum.*

Obiit A.C. 1599.

BOETIUS EPO.

NAtione fuit *Friſius Rordalinſanus.*

Doctor Juris. *Toloſæ* Doctor Juris creatus, primùm *Lutetiæ Pariſiorum*, pòſt *Lovanii Grudiorum* Jura docuit.

Profeſſor Juris. A. 1562. *Duacum* in Academiam recens apertam vocatus, ibi 37. annos Profeſſoris Juridici munus ſuſtinuit.

Com. Palatinus. *Palatini* etiam Comitis titulum honorarii vice aſſecutus eſt.

Antiquitatis verò Eccleſiaſticæ peritiſſimum fuiſſe, arguunt ejus Syntagmata & Eccleſiaſticæ aliquot Heroicæ quæſtiones.

Scripſit etiam tractatum *De bonorum Academicorum uſu & progreſſu.*

Scripta. Item *Commentarios novem teſtamentarios.*

Moritur. Obiit *Lovanii* A. 1599. ſeptuagenario major.

Epitaphium. Conditus eſt in æde Soc. Jeſu cũ hâc brevi, ut juſſerat, inſcriptione: *Boëtii Corpus quieſcit hic Eponis, animam reſpice, â Jeſu, benigniter.*

Inter 12 liberos filium reliquit ut tituli, ſic & Cathedræ Conſortem.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum*

Obiit A.C. 1599.

PAULUS PARUTA.

PAtritius *Venetus*, vir rarâ in explicandis negotiis ſolertiâ & eloquentiâ, quas virtutes variis Legationibus in *Italiâ*, ac præcipuè apud S.P. *Clementem VIII.* cum *Ferrariam* venit, & *Margaretham Auſtriacam*, *Hiſp.* Reginam, cum ad virum deduceretur, exercuit, & Scriptis (quæ magno in pretio inter prudentiæ civilis ſectatores habentur) conſignavit.

Reip. Venetæ Legatus. Cum tandem in *Hiſpaniam*, ut apud *Philippum III.* novum Regem in Parentis morte & ipſius ad Regnum inauguratione ſolenni officio defungeretur, Legatus à Senatu *Veneto* ordinatus eſſet, ad meliorem vitam tranſiit 13 Kal. Martii A. C. 1599. ætat. 58. *Moritur.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1599.

PHILIPPUS HURALTUS.

GAlliæ Cancellarius, cum ad *Cevernium* arcem ſuam, in quâ natus erat, divertiſſet, confluente ad ipſum magnâ Nobilium gratulantium multitudine, *Veniſſe ſe*, dixerat, *ut ingenui leporis inſtar in cubili ſuo moreretur.* Id ominosè dictum exitus comprobavit. Nam cum optimè valere crederetur, ne opinatâ inteſtini convulſione correptus, paucis poſt diebus ibidem deceſſit 3 Kal. Sextilis A.C. 1599. ætatis 73. *Mortem ſuam prædixit.*

Elogium ejus. Fuit vir ingenio, prudentiâ, admirabilique in negotiis explicandis ſolertiâ præditus, tum præcipuè comitate inſignis, quâ fiebat, ut nemo à conſpectu ejus triſtis diſcederet. In Regni arcanis priſci moris, quem in Senatu olim imbiberat, retinens, quibus per novas Leges ac Inſtituta tàm in Civili, quàm ſacrâ diſciplinâ quicquam derogari aut præjudicari, quantum in ipſo fuit toto Magiſtratu ſuo paſſus non eſt. Eum 20 annis tenuit, & per 30 amplius floruit in gratiâ trium Regum, *Caroli IX*, *Henrici III* & *Henrici IV*, ab iisdem ad amplos honores & opes evectus. *Cancellarius Gall.*

Conjugium ejus & Liberi. Ex *Annâ Thuanâ*, *Chriſtophori Thuani*, Præſidis *Paris.* filiâ, plures liberos ſuſtulit, *Henricum Cevernii* Comitem, qui *Franciſcam Cabotiam Helionori* Comitis *Carnij* filiam, duxit, *Philippum Carnatum Epiſcopum* deſignatum, & *Ludovicum Limoraſii* Comitem: tres itidem filias ſplendidis auctas matrimoniis, *Margaretham*, quæ *Vido Lavallo*, *Nigellæ* Marchioni ad *Euriacam* pugnam fortiter pugnanti interfecto primis nuptiis elocata eſt, deindè *Annæ Anglario Giurio* itidem ad *Laodunum Clavatum* cæſo nupſit: *Annam*, quæ *Gilberto Tremollio*, *Rojani Marchioni*, & *Catharinam*, quæ primùm *Virginali Escubleo*, *Capellæ* Comiti, dein, eo in flore ætatis mortuo, *Antonio Ammontio*, famoſi illius *Johannis* E.T. filio ac præcipuo hæredi nupſit.

Invaluerat jam multis abhinc annis, ut non ex regni curiis, ſicut olim fiebat, ſed ex iis, qui in comitatu Principis gratiſſimi vixiſſent & maxima diu negotia tractâſſent, ad ſummum togæ Magiſtratum aſſumerentur.

Itaque quærenti ſucceſſorem ſtatim occurrit *Pomponius Belleuræus*, multis publicis muneribus ac crebris Legationibus cum prudentiæ famâ defunctus, qui aſſiduo obſequio & longo ævo meruit, ne quis alius ei ex aulicis præferretur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1599.

LIBORIUS HOFMANNUS.

FRiderichrodâ *Thuringus.* In *Albanâ* Univerſitate Jurium Licentiatus A.C. 1587. 9. Febr. à *D. Andreâ Rauchbaro* Prof. Publ. in *Salanâ* verò Jur. Utr. Doctor 2. Sept. A. 1588. *Jur. D. & Prof. Jena.*

A. 1588. à D *Virgilio Pingizero* renuntiatus eſt: cum jam eſſet conſtitutus Advocatus Curialis, & Albo Juriſconſultorum inſcriptus A. 1587. *Advocatus Curialis.*

Obiit *Düſſeldorpii*, quò ſe valetudinis recuperandæ causâ contulerat, 5. April A. 1599. Uxorem habuit *Sibyllam*, filiam *Martini Miri* Theol. D. & in *Salanâ* Prof. publ.

* *Ex Nomenclatore Profeſſor. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc addidit *Epigramma*:
Percelebris Themidos Doctor Liborius Hofmann
Prodiit in lucem, prodiit inque crucem.
Leucorea huic digno dat doctaLicentiæ honores
Sed Doctoratûs ſplendida Jena gradum.

WERNERUS SEUTERUS.

Obiit A.C. 1599.

H*Alæ Suevorum* natus eſt A. C. 1532. Patre *Conrado Seutero*, Senatore primario.

Adoleſcens in Academiâ *Tubingenſi* ſtudiis incumbens, brevi in Magiſtrum Artium promotus, deinceps Juris ſtudia tractare cœpit, conjunctis Theologicis, ad quæ converſatio quotidiana cum D. *Jacobo Andreæ*, cujus convictu uſus erat, magnam ei opem tulit.

Itinere poſteà per *Italiam* & *Galliam* confecto, *Heidelbergæ* ſolenniter Juris Doctor renuntiatus, *Spiræ* in Cameræ Imperialis judicio Praxin exercere cœpit. *Juris Doctor Heidelbergæ.*

15. April A. 1561. Cum paulò antè ab inclyto Senatu Reip. *Auguſtanæ* vocatus fuiſſet, addito ſalario convenienti, ut ejus Urbis Advocaturam ſuſciperet, eò cum totâ familiâ migravit, & per 38 annos viduarum præſertim & orphanorum patronus munere ſuo fideliſſimè functus, ut meritò Vir antiquâ virtute & fide vocari potuerit. *Advocatus Auguſtæ Vind. Viduarum & Orphanorum Patronus*

Ex primâ uxore *Sophiâ Planckiâ* 18. annorum conjugii tempore 9. liberos, & ex alterâ *Dorotheâ Weislandiâ*, cum quâ 23 annos feliciter exegit, 6 liberos ſuſcepit.

Tandem diuturnis doloribus corporis confectus beatâ morte vitam clauſit 17. April A. C. 1599. ætatis 67. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Jacobi Rulichii Wernerus Seuterides.*

Per anagramma *M. Joh. Hartmanni*, Poëtæ Laur. & Diaconi *Rotenburgenſis*
Severus & Serenus Vir.

JOSIAS MARCUS.

Obiit D. C. 1599. Jur. Doctor Ferrar. Cancellar. Arnſtadij. Jur. Profeſſor Jenæ. Vicecancellar. Brunſvic. Archigrammateus Sleſvici.

T*Orgâ-Miſnicus*, natus eſt A. C. 1524. *Ferrariæ* ab *Hippolyto Riminaldo* Jurium Doctor creatus A. 1560. *Arnſtadij* ad munus Cancellarii evectus A. 1565, exindè *Jenam* venit 4. Aug. A. 1570, & in facultatem juridicam receptus eſt. A. 1574. *Jenâ Wolferbytum* abiit, Viceccancellarii officio in Aulâ *Julii* Ducis *Brunsvicenſis* & *Luneburgenſis* functus. Poſteà *Sleſvici* apud *Adolphum*, Ducem *Holſatiæ*, Archigrammatéum egit, uſque ad A. C. 1585. quo *Vinariam* vocatus, Conſiliarius aulicus & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Præſes audiit. A. 1593. Rude donatus *Jenam* rediit ſalvo ſalario, ibique mortuus eſt 28. April. A. C. 1599. ætatis 75. *Conſiliar. Vinar. & Præſes Conſiſtorii Eccleſiaſt.*

Reliquit filios *Julium*, & *Adolphum Marcos*, Jur U. Doctores *Jenæ* promotos, illum A.C. 1612. 22. Junii, hunc A. 1617. 5. Nov. nec non *Sigismundum Andream Marcum*, qui ibidem Diſputatione pro Doctoratu Jur. habitâ obiit 17. Sept. A. 1600.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc appoſuit *Epigramma*:
Joſias Marcus fidus pernobile ſplendet
In noſtrâ, Jovâ ſic moderante, Scholâ.
Huic tribuit Juris titulum Ferraria: Spartam
Oenagore: tumbam Jenaque noſtra Seni.

JOHANNES MONACHUS.

Obiit A. C. 1599.

S*Chneebergâ-Miſnicus*: natus eſt 15. Aug. A. C. 1536.

Doctoratum adeptus tum Philoſophicum *Jenæ* 3. Jan. A. 1560, tum Juridicum *Baſileæ*. Inter Juriſconſultos & Profeſſores publicos in *Salanâ* receptus 8. Julij A. 1578. *Jur. Profeſſor Jenæ.*

Indè ad Syndicatum *Norinbergenſem* vocatus abiit A. 1579. *Lipſiam* profectus A. 1588 ibi Juris Anteceſſor, Facultatis Juridicæ Ordinarius, Scabinus, Conſul, & Canonicus *Martisburgenſis* floruit ad A.C. 1599. æt. 63. quo exſpiravit placidè 10. Aug. *Syndicus Norinberg. Juris Anteceſſor, Scabinus, & Conſul Lipſienſis. Moritur.*

Primus fuit, qui *Lipſiæ* utrumque munus, & Academicum & Politicum, Rectoris & Conſulis ſimùl geſſit. Idem ante eum ſuſtinuerunt *Johannes à Breitenbach*, *Joh. Lindemannus*, *Lud. Fachſius*, *Modeſtinus Piſtorius*, qui U. I. D. & P.P. ibidem floruerunt, ut loquitur Programma ejus exequiis affixum.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jenens. M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit *Epigramma*:
Johannem Monachum Sophiæ Salana Magiſtrum,
Doctorem Juris ſed Baſiléa vocat.
Hunc coluêre boni profitentem Jura Scholares,
Lipſiaquos fovit, Jenaque Juris amans.

JOHANNES BASIUS.

Clar. A. C. 1600.

F*Riſius*, *Leovardiæ* natus eſt.

Aubi teneris unguiculis ingenii ſpecimen certum de ſe dedit *Leovardiæ* & *Harlemi* humanioribus imbutus eſt. Deindè *Lovanium*, & poſteà in *Galliam* ſe contulit, Laureamque Juriſprudentiæ conſecutus eſt. In Patriam reverſus, nomen Curiæ ſupremæ dedit ubi Civilibus cauſis actitandis laudem induſtriæ non vulgarem conſecutus eſt. Tandem relictâ patriâ Senatui *Delfenſi* in *Batavia* à ſecretis fuit. *Doctor jurir. Advocatus Secretarius Delfens.*

Scripſit:

Paradoxarum Diſputationum Juris Civilis Lib. IV. quibus maledicus quidam hoc *Epitaphium* ſcripſit:

Non

Non liber, at variis repleta cloaca lituris
(Ne titulo, Lector, decipiâre) fui.
Latratûs, ructûs, ſtolidos ſine mente boatûs
Evomui in doctos, dum potui uſque, viros.
Lucem dum vixi timui, fugique repertam,
Ad ſordes natus ſcilicet & tenebras.
Præſidio ſolo noctis defenſus opacæ
Exegi vitæ tempora parva meæ.
Tandem Cumanum mea me vox prodit Aſellum,
Spernor, & in riſum mox timor omnis abit.
Nunc jaceo tineis, blattisque, & vermibus eſca.
Et veſtire jubet Pharmacopola piper.
Quin & tergendis damnata cloaca cloacis,
Auctoris culpam ſtultitiamque luo.
At te pro meritis, auctor ſtolidiſſime, tantis
Pro famâ maneat non peritura fames.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Clar. A. C. 1600.

DIONYSIUS LEBEUS-BATILLIUS.

NAtus eſt *Tricaſſibus*, urbe *Campaniæ*, quam quidam *Auguſtobonam Tricaſſium* vocant 27. Nov. A. C. 1551: parente utroque nobili, ſolus ex 5. fratribus ſuperſtes, cum duabus ſororibus, *Loysâ* viduâ *Marini Buiſſonii Cormonoclei*, *Ludovici* & *Henrici* Principum *Condæorum* domûs Magiſtri, & *Nicoleâ*, *Sebaſt. Brunelli*, regii Secretarii conjuge.

Studioſus Lutetiæ.

Prima literarum rudimenta poſuit in vico *Granvillæo*, ad ſextum ab Urbe milliare. Indè â Parentibus revocatus *Lutetiam*que miſſus, Præceptore uſus eſt *Philippo Monautholio*, poſteâ Medico inter *Pariſienſes* clariſſimo.

Genevæ.

Vix elapſo biennio Pater eum *Genevam* deduxit, ubi per quinquennium literis operam dedit, ſub *Bertrando Salis Burdigalenſi*, *Antonio Fajo*, *Jobo Feratio*, & aliis bonarum artium Doctoribus, ab ipſis amatus plurimùm, ut & â *Chriſtophoro*, Principe *Palatino*, *Henrico* â *Sabaudiâ Guernachéo*, *Amilcare Tellignio*, & aliis primariis Scholæ adoleſcentibus.

Petrum Ramum Genevæ & Lauſannæ docentem audivit.

Ibi etiam *Franciſcum Portam* Græca, & per aliquot dies *Scrimgerum* & *Carpentarium* Jus publicè docentes, nec non *Petrum Ramum* Orationem in *Catilinam* actione plenâ ſpiritus interpretantem audivit, quem etiam *Lauſannæ Bernatum* A. 1570. Logicam ſuam privatim prælegentem audire illi contigerat.

Audivit ibidem *Blaſium Marquardum*, *Claudium Alberium Triuncurianum*, & *Petrum Nunnium* Profeſſores publicos, cum peſte *Genevæ* ſæviente eò ſe indè multi recepiſſent.

Jur. ſtud. Lutetiæ.

Mox indè *Lutetiam* cum iiſdem condiſcipulis venit, ubi Juri ſtudere cœperunt, non intermittentes tamen *Dionyſio Lambino*, *Petro Ramo*, *Johanne Paſſeratio Tricaſſino*, *Joh. Aurato*, & aliis Profeſſoribus regiis ſe tradere, donec ſub initium anni 1572.

Valentiæ.

Valentiam Cavarum ad Jacobum Cujacium, & *Franciſcum Roaldæſum*, Jus Civile ibi magnâ cum laude profitentes, miſſi ſunt:

Cujacius ſtudioſos Juris Lutetiæ à clade Bartolom. ſervavit.

Sed paulò pòſt ſecuta eſt clades illa noctis *Bartholomææ*, quæ & Academiam illam nonnihil interturbavit, cæſis aliquot civibus, liberis tamen ſtudioſis Juris relictis, id accurante, fidemque ſuam pro iis erga magiſtratum interponente *Cujacio*: cumque eò ex *Italiâ* advenisset *Johannes Monlucius*, *Epiſcopus Condonenſis*, *Blaſij Monlucii* in *Aquitaniâ* Proregis filius, qui omni comitate *Lebeum* amplexus eſt, hunc in *Aquitaniam* anno ſeq. 1573 ſecutus eſt, ſequendum, ſi Deus dediſſet, & in *Poloniam* cum *Henrico Andium* Duce *Poloniæ* Rege electo, ad quam profectionem maximè invitabatur Epiſcopus ille â patruo *Montlucio*, Epiſcopo *Valentiano*, qui Legationis *Polonicæ* ad Regnum *Henrico* conciliandum princeps fuerat.

Juris Doctor Valentiæ.

At *Condonii Lebeus* periculoſo morbo affectus demorari coactus eſt, dum eo relevatus *Lutetiam*, & indè *Valentiam* iterum per *Tricaſſios* ſuos ſe contulit, ubi ſtudiis abſolutis, Juris utriusque Doctoris inſignia, ſimul cum familiari & convictore ſuo *Petro Poppæo Barreſequanenſi* accepit, illa ipſis plenâ manu pleniore animo præbentibus *Cujacio* & *Roaldæſo*.

Petron. Arbiter ab eo editus.

Mox domum revocatus, cum *Lugduni* eſſet, â *Johanne Torneſio* typographo, cum quo amicitiam inierat, ſub ejus nomine editus eſt *Petronius Arbiter*, ex veteribus membranis emandatior factus, cum in hoc ſuam operam *Lebeus* libenter commendâſſet,

Advocatus Lutetiæ.

Anno ineunte 1575 *Lutetiam* ſe ad forum & cauſas agendas contulit, in ſacramentum ſolitum cum Curiæ offerente Dom. *Antonio Oiſelo*, in id munus â clariſſimo *Petro Pithœo Tricaſſino*, cui *Lebeus* â Parentibus commendatus fuerat, rogato.

Juridicus Inſulæ ad Tricaſſes.

Cumque tertio indè menſe primam cauſam in Senatu *Paris.* orâſſet, jam tum aliquod nomen decusque inter Cauſidicos gerere cœpit. Nec ita multo pòſt Marchionatûs Inſulæ ad *Tricaſſes*, ditionis tum *Catharinæ Borboniæ*, *Henrici* Principis *Condæi* & *Mariæ Clevenſis* filiæ, Juridicus conſtitutus eſt â *Carolo* Card. *Borbonio*, ejusdem Catharinæ avuncolo & tutore, in gratiam *Dionyſij Lebei Batillij* patris, & renumerationem officiorum ab eo Domui *Clevenſi Nivernenſi* â longo tempore præſtitorum, factus & apud *Franciſcum* Ducem *Alenconium*, Regis *Henrici* fratrem, Libellorum Supplicum Magiſter.

Magiſter Libellorum ſupplicum.

Matrem amiſit A. 1584, de cujus virtutibus cognoſcet, qui tumulum ejus inter Opuſcula Muſæ Chriſtianæ â *Petro Poppæo* vernaculo ſermone conſcriptæ legerit.

Uxorem duxit.

Eodem anno duxit in matrimonium *Antonettam Bertinam*, *Georgii Bertini*, Medici Regii filiam, cum quâ partui proximâ anno ſeq. 1585, bello *Guiſiano* in bellum adverſus reformatos finibus Regni abſtinere juſſos mutato, exilium patriâ ſede mutavit, *Motpelgardum* primùm concedens, ubi Colloquii publici inter *Theodorum Bezam* & *Jacobum*

Exul Montpelgardi.

cobum Andreæ habiti fuit auditor, quod deſignâſſe videtur in *Embl. 62. de Hercule adverſus Cancrum pugnante.*

Baſilea. Indè *Baſiléam* acceſſit, ubi inter alios amicitiam coluit *Bonifacii Amerbachii, Theodori Zwingeri, Guilielmi Arragoſij*, Medici Cæſarei, *Johannis Aliboſij* Archiatri Regij, *Odoardi Bizetiebarlai*, & *Claudii Baſſini Tricaſſinorum*, *Petri Gualtheri Chabotii*: & aliorum *Gallorum*.

Inde A. 1587. ad *Sammarianas* fodinas, & ſeſquianno pòſt in *Metenſium* urbem venit, quò ſe ante receperat *Bertinus* ſocer, cum *Johanne Bertino* ſororio, quoque adventare nuntiabatur *Carolus Luxenburgius Briennæ* & *Lignii* Comes, Præfectus hujus Provinciæ futurus ex ultroneâ abdicatione *Joh. Ludovici Nogaretti Valettani Eſpernonii* Ducis, cujus ſororem duxit, & ex cujus domo *Bertinus* erat. *Metis privatus vixit.* Hîc privatus biennium exegit, donec A. 1591. ad eundem *Eſpernonium* Ducem in *Aquitaniam* amandatus, indè ad Regem tum *Rotomagum* obſidentem, peractis publicis negotiis *Præſes Regius apud Mediomatricos.* à Rege eo Magiſtratu, quem abindè apud *Mediomatricos*, Regii Præſidis nomine geſſit, auctus eſt. In eo tempus omne ſubceſivum in quærendo, diſcendo, & ſcribendo conſumens vitam clauſit.

Scripta. Edita ab eo ſunt, & partim edere ſibi propoſuit:

Emblemata à Jano Jacobo Boiſſardo delineata, & à Theodoro de Bry ſculpta.

Libellus de priſcis Aſſaſſinis cultelli feris Gallicè ſcriptus.

Theſaurus Linguæ Gallicæ.

Poëmata varia.

Farrago Proverbiorum.

Petrarcha de Remediis utriusque Fortunæ Gallicè redditus.

Commentarii rerum Mediomatric.

Calendarium Hiſtoricum, cum Faſtis omnium gentium.

De reliquiis Gigantum.

De iis, qui ſe pro aliis geſſerunt.

Hiſtoria Scotiæ Gallica facta ex Latinâ Buchanani,

* *Ex Vitis 50. Viror. Doctrinâ illuſtrium Jani Jacobi Boiſſardi.*

FRIDERICUS DRACHSTADIUS.

Obiit A. C. 1600.

BRevem ejus vitæ curſum exhibet Inſcriptio *Wittebergæ* in Templo Parochiali:

VIRI CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI D. FRIDERICI DRACHSTETS CONSISTORII ELECTORALIS ECCLESIAST. WITTEBERGÆ ASSESSORIS ORDINARII: IBIDEM SCABINATUS ET JUDICII AULICI SUPREMI SAXONICI PROTONOTARII AD ANNOS XLVIII. DIGNISSIMI, VIII. MAJI ANNO SECULARI MDC. CUM VIXISSET ANNOS LXXI. PIE DEFUNCTI.

Juriſconſultus Sax. *Protonotar. Judicii Aul.*

VENI DOMINE JESU CHRISTE, VENI, NOLI TARDARE, OVICULÆ CERTE TUÆ NOS SUMUS SANGUINE TUO REDEMPTÆ, DE TUIS HUMERIS NOS PENDENTES IN ÆTERNA GAUDIA TECUM TRANSFERTO.

Hâc Friderice Dracoſtadii grandæve ſub urnâ
Mortuus in Chriſto contumulate jaces.
Poſtquàm magnorum proavorum ſtemmate claro
Et virtute tuâ nobilitatus eras.
Poſtquàm Conſiliis prudentibus optima quæque
Curaſti Ducibus Saxonicisque diis,
Ut te Aſſeſſorem ſacra Conſiſtoria haberent
Arte, uſu eximium, judicioque gravem.
Ut te ſincerum Cultorem Eccleſia Chriſti
Foverit in gremio ſanctificata ſuo.
O quàm dulce cubas corpus quàm dulce quieſcis,
Expectans alios qui ſine fine dies.
Illic æterno ſplendore ornaberis, illic
Incipies vitæ participare novæ.
Qualem non oculus vidit, non audiit auris,
Qualis ſpe nobis, re tibi læta datur.

Margaretha Frider. Maria
Majorin. Drachſt. Stetnerin.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi à Gotfrido Suevo I. C. editâ.*

PETRUS FABER.

Obiit A. C. 1600.

VIdi Pibracii Fabri gentilis fuit, qui ad clarum familiæ in Novem populoneâ decus ſingularem antiquitatis omnisque divini & humani Juris cognitionem attulit, & eruditis Scriptis Præceptoris ſui *Jacobi Cujacii* veſtigiis inſiſtens teſtatum ad poſteritatem fecit. *Diſcipulus Jacobi Cujacii.*

Poſtquàm ampliſſimis togæ honoribus defunctus eſt, & principem in Senatu *Toloſano* locum poſtremò totum biennium tenuit, ſexagenario major ad Deum migravit M. Majo A. C. 1600. *Senator primar. Toloſæ.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

ANGELUS MATTHÆACCIUS.

Obiit A. C. 1600.

IN oppido *Maroſticæ* natus eſt A. 1536. Adoleſcens Jurisprudentiæ & Mathematicis diſciplinis deditus, præſertim quoad Opticam & Aſtrologiam multa futura eventu mirabili prædixit. *Aſtrologus.*

In Lyceo *Patavino* Pandectas per annos aliquot feliciter docuit, cumque aliquando ad *Octavium Montagnanam* & *Melchiorem Cattulanium* I. C. tos ſe poſt annos 5. Lecturam Juris Civilis primariam conſecuturum eſſe dixiſſet, id ad amuſſim contigit. *Patavii Jur. profeſſor primar.*

In *Fori Julii* regione multis annis Aſſeſſoris partes obivit, & in Venetiarum Urbe Cauſarum Actor perfulſit. Papa *Sixtus V.* ſemel & iterum Conſultationes ergò eum accerſivit *Romam*: & *Rudolphus Cæſar* ad ſe vocatum ob inſignia merita Equitis & Comitis inſigniis exornavit. *Cauſarum actor Venetiis.* *Eques & Comes Palatinus.*

Ædes ejus rerum artificialium Catroptricorumque Imaginum ipſius operâ inventarum plenæ fuerunt.

Relictis filiis *Joſepho* & *Georgio* vitâ exceſſit *Patavii* 14. Calend. Martii A. C. 1600. *Mor. Patavii.*

at.

ætat. 64. In Templo *S. Antonii* publicè laudatus eſt à *Franciſco Viduâ* J.C.

Scripta.

Edidit:

Tractat. de viâ & ratione artificioſâ totius Juris.

de Legatis & Fidei Commiſſis.

de Partu octimeſtri adverſus vulgatam opinionem.

Apologiam adverſus Bonifacium Rogerium.

Apologiam primæ Sedis Juriſprudentiæ, ad Sereniſſ. Reip. Venetæ Principem, ejusq. Ampliſſ. Collegium.

Hanc inſcriptionem illi *Joſeph Matthæacius* & *Georgius* filius unanimes poſuerunt:

Epitaphium.

M D C.
ANGELO MATTHÆACCIO
AULÆ CÆSARIS EQUITI, COMITIQUE
PALATINO,
PATAVII PRIMARIO JURIS CIVILIS
INTERPRETI,
SUMMO THEOLOGO, PHILOSOPHO ET
ASTROLOGO
MOESTISS.
JOSEPH. MATTH. PON. CUR. AC
GEORG. FILIUS.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

* * *

Maroſticenſis, quamvis *Baſſiani* ortus, & *Patavii* ac *Venetiis* educatus, poſteaquàm multis in locis *Veneto* imperio ſubjectis Aſſeſſor fuit, atq; *Venetiis* multos annos Advocati munere functus eſt, A. 1578. in Gymnaſio *Patavino* Pandectas ex publico decreto cœpit interpretari, tanto ſtudioſorum concurſu, ut eorum multitudinem vix perampla caperet Schola: quod munus cum multos annos obiiſſet, eo temporis ſpatio ne artem quidem Oratoris prorſus dimiſit, ſed oblatâ ſibi occaſione defendendi *Maynardum Bigolinum Patavinum* peculatûs accuſatum, eloquentiâ ſuâ eum in periculo capitis, tanquàm Sacri Montis pietatis depeculatorem, à ſummo ſupplicio liberavit, tunc cum Judices confeſſi ſunt, ſervatum eſſe eum primùm à ſuſpendio, deinde etiam ab amputatione manûs vi unius eloquentiæ *Matthæacianæ*, qui tantùm in exilium pulſus fuit.

Orator.

Philoſophus.

Extitit etiam Philoſophus & Aſtrologus non contemnendus usque adeò, ut *Venetiis* ad publicas de Philoſophiâ Diſputationes ſemper vocaretur, ac ſæpè de rebus Philoſophicis diſputaret, tum apud *Joh. Antonium Facchinettum Bononienſem*, qui tunc erat Legatus Pontificis Max. apud Principem *Venetiarum*, tum apud *Æneam* Epiſcopum *Lauridanum*, qui unâquâque hebdomade literatis viris convivium apparare ſolitus eſt, eòque perpetuò *Matthæacium* invitavit, maximè cum aliquis magni nominis Philoſophus affuturus eſſet, ut ſæpè aderat *Spero Speronius*, ſæpè *Archangelus Mercenarius*, quibuscum ille acerrimè diſſerere conſuevit: id faciebat quoque in Academiâ *Franc. Venerii* Philoſophi, ita, ut ei vix à quoquam reſiſti poſſe videretur.

In Aſtrologiâ prævidit ex ſtellarum obſervatione, dum munus obiret Pandectarum, ſe primâ Juris Civilis Cathedrâ eſſe potiturum, duobus antè annis quàm potitus ſit. Id quod cum *Philippo Octaviano Montorianenſi* aſſeveràſſet, præſente *Melchiore Chartulario*, irridebatur quidem antè eventum prædictio talis, ſed poſteà magnam omnibus admirationem attulit. In magnâ igitur famæ celebritate A. 1589. in locum *Jacobi Menochii* ad Jus Civile matutinum explanandum adhibitus eſt.

Ex aſtris ſibi primam Juris Cathedram prædixit.

Jacobi Menochii Succeſſor.

An. 1583. in *Dolanam* Academiam invitatus, propoſito prœmio 400. Scutatorum, centumque pro viatico, & A. 1590. in Gymnaſium *Firmanum* vocatus, propoſitis loco prœmii 700. Scutatis & in viaticum 80. conditiones eas recuſavit.

* *Ex Gymnaſio Patavino ab Antonio Riccobono edito.*

JOHANNES WOLFFIUS.

Obiit A.C. 1602.

Tabernis montanis, Bergzabern/ Ducatûs *Bipontini* oppido, natus eſt 10. Aug. An. 1537.

Patre *Wolffgango*, oppidi illius Prætore, Matre *Catharina Heugelianâ.*

Cum in triviali ludo maturè elementa artium percepiſſet, ad publica Gymnaſia miſſus, audivit viros undiquâque doctiſſimos, *Argentorati* quidem *Joh. Sturmium* A. 1556. *Wittebergæ Melanchthonem* A. 1558. *Tubingæ Jacobum Scheckium* A. 1561. & *Biturigibus Gallorum* JC.tos celebres *Jacobum Cujacium*, *Franciſcum Roſſardum*, *Antonium Contium*, *Hugonem Donellum.*

Doctiſſimos audit viros.

Deinde in diſciplinam nobiles aliquot adoleſcentes recepit, cum quibus in Academias *Biturigum* & *Dolanam* profectus, ac in iis ab An. 1564. ad 1567. verſatus, *Galliam* & *Burgundiam* perluſtravit.

Galliam cum Nobilibus perluſtrat.

Dolam poſteà cum *Barnimo* & *Erneſto Ludovico Pomeraniæ* Ducibus reverſus, ibi Licentiæ gradum adeptus eſt 7. Febr. A. 1567.

Licentiatus Juris.

Paulò poſt in *Germaniam* reverſus, *Spiram* praxeos exercendæ cauſâ ſe contulit. Ubi cum biennium exegiſſet, in ordinem Aſſeſſorum cooptatus eſt A. 1569.

Spiram venit.

Paulò poſt cum *Wolffgango* Duce *Pal. Bipontino* in *Galliam* cum exercitu Proteſtantibus auxilio venturo profectus, ſtatim ad *Carolum IX.* Regem *Verdunum* ablegatus eſt.

Cum autem Dux *Bipontinus* diu antè quartanâ laborans 11. Junii A. 1569. æt. 43. *Neſſunii* tribus à *Radiaſio* leucis inter *Ludovici Naſſovii* Comitis manus exſpiràſſet, Corpus exenteratum & *Engoliſmæ* adſervatum Ducis defuncti filii ad ſepulturam à Rege per *Wolffium* petierunt. Quod cum tandem eſſet impetrâtum, A. 1571. Principis ſui exuvias loculo incluſas per mare *Lubecam* transvehi curavit, & indè in patriam ad ſuos feliciter adduxit, à quibus 23. Sept. *Meiſenhemii* Ducatûs *Bipontini* oppido, ſepulturæ fuit Corpus conditum.

Wolffgangus Dux moritur.

Cadaver ejus per mare advectum.

Hoc ejus fidele ſervitium gratâ memoriâ filii *Philippus Ludovicus* & *Johannes Palatini* proſecuti ſunt. *Legatus.* Nam bis ad *Angliæ* Reginam, & ſemel *Poloniæ* Regem ablegârunt,& muneribus magnificis ornârunt.

Conſiliarius Badenſis. A.1573. A *Carolo* March. *Badenſi* interConſiliarios adoptatus, & An.1575. municipio *Mündelsheimenſi* præfectus eſt, quo in officio utroque annis 20. fidem ſuam probavit. Eandem *Caroli* filiis *Erneſto Friderico, Jacobo*, & *Georgio Friderico* conſtanter præſtitit, qui ob merita feudis aliisque beneficiis eum donârunt.

An. 1594. Viribus ob ſenium exhauſtus, à Marchionibus rude donatus, *Hallbrunnam* ſeceſſit, ibique domicilium fixit, & in otio literario vixit.

Moritur. Ibi repentino correptus morbo ſub veſperam, id quod in votis dudùm habuerat, placidè emigravit 23. Maji A. 1600. æt. 63.

Dictum Wolfii ultimum. Cum vitæ finem inſtare ſenſit, vocatis ad ſe Eccleſiæ miniſtris, inter alia dixit: *Cum ex corde omnes malæ cogitationes prodeant, atque eo multa quidem promittamus, pauca autem præſtemus; non immeritò jam moriturus homo corde plurimùm torquetur.*

Cum haberet plurium Regum & Principum imagines auro pretioſas in clementiæ ſignum ſibi donatas, nullam earum, ſed Chriſti crucifixi fuſile ex auro ſignum ad pectus dependens geſtavit.

Matrem viduam ſenem *Tabernis Montanis* ad ſe *Mündelsheimium* vocavit, & ſexennio aluit, donec nonagenariam cum luctu extulit.

Scripſit:

Scripta. *Clavem Hiſtoriarum.*

Lectionum memorabilium & reconditarum Centurias XVI.

Robertum Gvaninum hiſtoriæ Gallicæ Scriptorem celebrem, cum exempla ejus deſiderarentur, recudendum emendatius curavit: Idem in Alberti Crantzii chronicis & metropoli præſtitit.

* *Ex Melch. Adami Vitis* JCtorum.

PAULUS HOCHFELDERUS.

Obiit A.C. 1600.

ARgentinæ natus An. 1540. honeſtis parentibus *D. Lucâ Holfeldero*, & *Margarithâ Empfingeria*: in patriâ primum Scholâ fundamenta bonarum artium jecit: *Jur. ſtud. Tubingæ.* deindè iisdem in Academiâ *Tubingenſi* operam dedit: pòſt in *Italiâ* ac *Galliâ* viros celebres docentes audivit, indèque non linguarum ſolùm peritiam inſignem, ſed & eruditionem ſolidam reportavit, quâ & Patriæ ſuæ & aliis profuit plurimùm: *Syndicus & Archigrammat. Argent.* Syndicus A. 1569. Archigrammateus An. 1575. tandem Syndicus denuò An. 1593. factus.

Legatus ad Imp. Maximil. An.C. 1574. Legationi ad nunquàm ſatis laudatum Imp. *Maximilianum II.* miſſæ interfuit, & negotium feliciter magnâque cum admiratione propoſuit.

Orator diſertus. A. 1576. Ad Comitia cum aliis Reip. ſuæ nomine ablegatus, Civitatum nomine apud eandem Cæſar. Majeſtatem ita peroravit, ut dixiſſe hæc ad ViceCancellarium feratur: Virum talem Principi convenire.

Moritur. Magno tandem cum Senatûs patrii luctu vir longiore vitâ dignus morte peremptus obiit 11. April. A. C. 1600. ætatis 60.

* *Ex Programm. fun. Melch. Junii Rectoris Argent.*

NICOLAUS VIGELIUS.

Obiit A.C. 1600.

HIc natione *Haſſus*, *Freiſenſis* patriâ, cum ingenio reperiſſet *Heidelbergæ* ſub *Franciſco Balduino* dignitatem in Licentiæ gradu, quem vocant, collocatus, *Licentiæ gradum Heidelbergæ adeptus.* incredibilem quandam in legibus interpretandis & æquitate explicandâ ſcientiam conſecutus eſt, ut eam quoque ob cauſam dignus habitus fuerit vel maximè, cui inter Juriſconſultos locus attribueretur præcipuus. Ideòque cum anno 1560. 17. Octob. de more peroràſſet, publicè docendi munus aggreſſus eſt. *Jura docere cœpit.*

Anno verò poſtmodum 1564. ad altiſſimum honoris gradum ab *Oldendorpio*, unà cum *Conrado Matthæo* Doctor J.U. ſalutatus aſcendit. *J.U.D. renuntiatus.* Cœteroquin non illum magis Juriſconſultum, quàm juſtitiæ, multa, eaque præclara prorſus, monumenta ad omnem memoriam commendarunt.

Juris civilis methodum conſcripſit. Imprimis verò juris civilis methodus, quam accuratiſſimâ diligentiâ conſcripſit, ita, ut exteri etiam hunc, velut ex ungue leonem, hominem ipſum æſtimarint, & admirati ſint.

Nonnulla in jure civili obſcura diſtrinxit & illuſtravit. Neque abeunt reliqui, quibus ea, quæ in jure civili perplexa ſunt atque obſcura, diſtrinxit & illuſtravit, libri & commentaria.

Cum autem jura civilia publicè docuiſſet 34. annos, & Juris U. Doctores octodecim, itemque tres Licentiatos renunciâſſet, *Rude donatur juſſu Principum.* rude donatus eſt ſtipendio integro Principum juſſu eidem relicto, & poſtquàm 7. Aprilis anno 1594. profeſſione abiiſſet, privatus deinceps vixit, donec podagricis diu maceratus doloribus 10. Julii anno 1600. *Moritur.* ipſâ in Urbe *Marpurg.* ex iſtâ vitâ, tanquàm ex hoſpitio, non tanquàm è domo diſceſſit, in templo ſummo tumulatus ſeptuagenario major.

Scripſit:

Scripta. *Methodum Juris controverſ.* in fol.

Examen Juriſconſultorum.

Methodum Practicarum Obſervationum Cameræ Imperialis. in 12.

Juris Civilis in fol.

Juris Pontificii in 8vo.

Richter-Büchlein zu Beförderung Recht-hängiger Sachen nützlich. in 8vo.

Warhafftige Urſach/ warum das Römiſche Reich zertrennt/ und in Türken und Chriſten zertheilet. in 8vo.

Conſtitutiones Carolinas publicorum Judiciorum in ordinem redactas, cumq́; jure communi collatas. in 8vo.

De Obligationibus & actionibus ex contractu deſcendentibus. in fol.

Jurisprudentiæ Rom. ſuſpenſam dederam.
Dialecticam Juris civilis. in 8vo.
Compendioſam rationem diſcendi Juris, & de iis reſpondendi. in 8vo.
De cauſis matrimonialibus librum. in 8vo.
Progymnaſmata Fori. in 8vo.
* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

Nicolaus Vigelius de Dreiſa,
per Anagramma:
Os juris vindica Laude legat.

Ceu vigil excubias agit impiger omnis in urbe,
Talis ego toto dicor in orbe vigil.
Nox vigilata facit, vigilans ut jure ſacerdos
Laude vocor, veluti novit uterque polus.
Idcircò populus Venetus, cui ſcripta probantur
Cum Gallo, Teuto, laudat, honorat, amat.
M. Frid. ab Helbach. f.

Caſpar Cunrad Med. *Proſopogr. Melicæ millenar. III.*

Juridicæ methodum ſi quis deſideret artis,
Ille meos libros, in quibus ordo, legat.

Obiit A.C. 1601.

SAMUEL HORNMOLDUS.

IN lucem editus eſt 28. Sept. A. 1537. Patrem habuit *Sebaſtianum*, qui *Bieticæ*, oppido *Wirtenbergico*, patre *Adamo*, Reip. illius Prætore, A. 1500 natus, primùm inter Symphoniacos *Ulrici* Ducis *Wirtenbergici*, poſteà Conſiliarius in Conſiſtorio *Wirtenbergico* deſignatus annum attigit ætat. 81. Mater ei fuit *Anna*, è *Braunerorum* familiâ honeſtâ & opulentâ.

Baccalaureus. Cum in patriâ ſub Præceptore *Marcaleone* prima rudimenta percepiſſet, An. 1551. *Tubingam* miſſus, eodem anno Baccalaureus renunciatus eſt.

Camerarium & Melanchthonem audit. A. 1554. Exindè *Lipſiam* profectus, *Joachimum Camerarium* audivit, ejusque convictu uſus eſt.

An. 1555. *Wittenbergam* digreſſus, *Melanchthonem* ſalutavit, & biennium in ejus convictu tranſegit.

Academias varias adit. Indè literariâ inſtitutâ peregrinatione Academias *Roſtochianam*, *Francof. Jenenſem Baſil. Argent. Ingolſtad. Marpurg.* & *Heidelbergenſem* perluſtravit.

& Galliam. An. 1559. In *Galliam* iter inſtituit, ubi biennii decurſu linguam *Gallicam* ita condidicit, ut *Gallus* natus haberetur.

Licentiatus. A. 1561. *Dolæ* in *Burgundiâ* Licentiatus Juris declaratus, *Spiram* praxeos cauſâ acceſſit, ubi convictu amici veteris *Mauritii Breunlini* J. C. uſus, brevi tantum profecit, ut ad forum non ineptus videretur.

Doctor & Profeſſor Juris. Paulò pòſt in patriam reverſus, *Tubingæ* Doctor Juris creatus, & à Duce *Wirtenbergico Chriſtophoro* ad Profeſſionem vocatus, Inſtitutiones Juris enarravit: Eo officio annos XI. functus, Inſtitutionum *Juſtin.* libros novies percurrit, & Advocatum inſuper in aulico *Tubingæ* Conſiſtorio egit. Advocatus.

Conſiliarius Badenſis. Poſteà *Badam Marchicam* cum familiâ migravit, ibi primùm Conſiliarius, deindè Cancellarius deſignatus.

An. 1575. *Hailbrunnam* concedens, ſibi aliquandiu vixit. Non multò poſt ejus Reip. Syndicus declaratus, ſpartam hanc 20. annis fideliter obivit. Syndicus Heilbrunnenſis.

An. 1582. Legatus *Auguſtam Vind.* cum *Clemente Imlino* Conſule ivit. Et A. 1594. Ad Comitia *Ratisbonæ* indicta cum *Eraſmo ab Olhauſen.*

Moritur. Tandem circa ferias natalitias An. 1600. morbo correptus eſt, quem cum depuliſſe putaret, acceſſit alius cum variis ſymptomatis, quo placidè exſpiravit *Heilbrunnæ* 1. Febr. A. 1601. ætat. 64.

Uxores habuit tres, ex primâ earum, quam A. 1561. duxit, *Mariâ*, *Melchior. Calleri* Conſulis *Tubing.* filiâ, præter alios liberos filium reliquit primogenitum *Sebaſtianum*, J.C. Poëtam, & Comitem Palat. Duciſque *Wirtenberg.* Conſiliarium.

Conſcripſit:

Scripta. *Opus de proceſſu Juris ordinario.*
De vià ac idoneâ methodo juris diſcendi.
De exactiore & perfectiore actionum inveſtigatione.
De ſucceſſionibus ab inteſtato.
Orationes complures. Eorum autem nihil, dum (quod ſciamus) in lucem eſt prolatum.
* *Ex Melch. Adam. Vitis JCtor.*

Obiit A.C. 1601.

GALLUS TUSCHELINUS.

NÜrtingæ, Ducatûs *Würtenbergici* ad *Neccarum* oppido, natus An. C. 1531.

Filius Conſulis. Patrem habuit D. *Conradum Tuſchelinum*, Conſulem ibidem 40. annos, ex ſenio tandem cœcum, nihilominùs tamen Senatorem induſtrium: Matrem verò *Walpurgim Mainradiam*, Civis *Würtenbergici* honeſti filiam.

Nepos ex fratre Joh. Tuſchelini Conſil. Cæſ. Ab his puer bonæ indolis *Argentoratum* miſſus, & in convictum datus eſt patruo Dn. *Johanni Tuſchelino*, J. C. Cæſ. *Caroli V.* Conſiliario, Syndico & Conſil. *Argentinenſi*, cujus etiam *Sleidanus Hiſtor. ſuæ lib. 21.* meminit.

Argent. Juris ſtudio deditus. Ibi cum in ſtudiis humanitatis & pietatis fundamenta poſuiſſet, Jurisprudentiæ deditus eam in diverſis *Germaniæ* & extra eam Academiis feliciter abſolvit, & unà linguas exoticas perfectè didicit.

Conſiliar. aul. Bipont. Ad ſuos reverſus Ducibus *Bipontinis Palat.* commendatus à Dn. *Chriſtoph. Landſchadio*, Dn. *Henrico Schorrio*, & Dn. *Henrico Stiebaro*, reſpectivè tùm Gubernatore, Cancellario, & Conſiliariis *Bipontinis*, circa A. C. 1560. Principis *Palat. Wolfgangi* factus eſt Conſiliarius aulicus, in quo munere quoque Principi *Johanni*, *Wolfgangi* filio, ejusque fratribus fideliter inſerviit.

& Badenſi. Marchionibus etiam *Badenſibus*, aliisque *Rom.* Imperii Proceribus Conſiliarii ſecreti & Advocati nomine fuit acceptus, & Legatus ad varios Magnates fuit adhibitus.

Viſitator Scholarum. Scholarum & Eccleſiarum in Ducatu *Bipontino* & Comitatu *Sponheimenſi* per 30. annos fuit Viſitator & Examinator; Concionatores

natores & Eccleſiarum Paſtores dilexit, & libenter cum illis de rebus Divinis ſermones inſtituit.

Conjugium ſuit.

In conjugio concordi vixit cum *Suſannâ*, Dn. *Jacobi Caſtellani*, Quæſtoris *Crucenacenſis* filiâ unicâ, ex quâ præter filium unicum 4. filios ſuſcepit, & inter hos tres Jurium Doctores, quorum unus *Fridericus Conradus Tuſchelinus*, Reip. *Norimbergenſi*, cœteri diverſis Imperii *Rom.* Principibus & Proceribus talentis ſuis cum honore inſervierunt.

Tres filios habuit J.Ctos.

Tandem poſt publicationem Teſtamenti Principis *Palat. Caroli* domum reverſus febricitare cœpit, & 14. die pòſt viribus conſumptus morte placidâ extinctus eſt *Biponti*, die *Matthiæ* Apoſtolo ſacrâ A. C. 1601. ætatis 70.

Moritur.

In Scholâ *Hornbacenſi* Oratione parentali laudatus eſt.

* *Ex Concione fun. M. Pantaleonis Candidi, Superintend. Bipont.*

Obiit A. C. 1601.

MARQUARDUS FREHERUS Pater.

Auguſtæ Vindelicorum natus eſt 5. Jan. A. C. 1542. Patre *Hieronymo*, *Marquardi*, Medici *Auguſtani* filio unico, quem poſtea Imp. *Carolus V.* An. C. 1548. cum aliis inter Patritios *Auguſtanos* adſcivit, & Judicii Aſſeſſorem conſtituit. Matrem habuit *Magdalenam*, *Andreæ Remi*, Patritii *Auguſtani*, filiam.

Tubingæ ſtud.

17. April. A. 1554. *Tubingam* à Patre ſtudiorum gratiâ deductus, & D. *Melchiori Volmario*, Philologo celebri, in convictum traditus, privatum ibidem Præceptorem habuit *Johannem Dilbaum*.

A. 1558. Cum hoſpite ſuo D. *Volmario*, ejusque filio, ac *Jonâ Schallero Genevam Allobrogum* diſceſſit. Exindè in *Italiam* profectus, *Bononiæ* Jurium Doctor renuntiatus eſt 17. Febr. A. 1563. ætat. 21.

Doctor Juris Bononiæ.

Deſponſatus.

In Patriam reverſus *Auguſtæ Vindelicorum* 24. Maji An. 1564. nuptias celebravit cum virgine *Felicitate*, *Antonii Menharti*, Patritii *Auguſtani* filiâ, ex quâ filios ſuſcepit *Marquardum*, J.C. & Philologum celebrem, & *Paulum*, Juris Doctorem, ac Reipublicæ *Norimbergenſis* Advocatum, cum 3. filiabus, *Magdalenâ*, quæ *Wilhelmo Ehrenreitero ab Hofreith*, Præfecto *Palat.* in *Rüeden* nupta fuit; *Suſannâ*, *Gabrieli Lingelsheimio*, Præfecto *Palat.* in *Heinburg* deſponſatâ, & *Urſulâ*, quæ *Joh. Adolpho à Glauburg*, Patritio *Francofurtenſi*, in conjugium data fuit.

Advocatus Cameræ Spirenſis.

An. 1566. *Spiræ* Advocatus in Camerâ factus, juramentum publicè præſtitit. An. 1572. *Auguſtæ* oblatum ſibi Scribæ Judicialis & Referentis officium in locum D. *Fröſchelii* modeſtè recuſavit.

Conſiliarius Brandenburgicus Onolsbaci.

Paulò pòſt cum familiâ profectus *Onolsbacum* ad *Georgium Fridericum*, Marchionem *Brandenburgenſem*, factus ejus Conſiliarius & Advocatus, ſalarium annuum 400. florenorum cum vino & frumento ad familiæ neceſſitatem accepit.

13. Octob. A. 1575. Peſte graſſante *Onolsbaco* diſceſſit, & *Norimbergam* cum ſuis migravit: Marchioni tamen adhuc exindè pro 150. florenorum annuo ſalario per 8. annos inſerviit.

Conſiliarius & Advocatus Judicii Norimbergæ.

Norimbergæ mox Reipublicæ Conſiliarii & Advocati Judicialis munus cum ſalario annuo 500. florenor. accepit. 15. Mart. A. 1576. *Auguſtam* in Patriam profectus, Civitatis ibi Jus reſignavit.

Reformationem Noribergenſem Notis illuſtravit.

5. Febr. An. 1581. Reformationem *Norimbergenſem* emendatam, & Notis illuſtratam Dom. *Hieronymo Baumgartnero* Senatui præſentandam tradidit.

Cancellarius Palat. Neagoræ.

1. Sept. A. 1585. Per literas evocatus à *Johanne Caſimiro*, Comite *Palatino*, *Neagoram*, Palatinatûs ſuperioris oppidum, *Norimbergâ* diſceſſit, Cancellarius ibi conſtitutus in locum defuncti D. *Johannis Alberti*.

1. Octob. An. 1589. Cum à Principe ſuo Nobilitatis Privilegium, cum Inſigniis paternis auctis clementer accepiſſet, brevi pòſt 3. Nov. Calumniis oppreſſus, Cancellarii munus ſponte reſignavit.

17. Nov. A. 1590. *Ambergam* cum familiâ migravit, ubi per ſeſqui annum in mediocri vixit otio, & iterum à Senatu *Norimbergenſi* ſalarium 150. florenor. obtinuit.

Iterum Conſiliarius Norimb.

1. Julii A. 1592. Cum *Ambergæ* propter turbas ibi exortas dimiſſionem honeſtam impetrâſſet, *Norimbergam* ad priſtinum Conſiliarii munus reverſus, domum inhabitavit zum gulden Schild/ in quâ A. 1356. Aurea Bulla ſub Imp. *Carolo IV.* facta fuit.

Legatus ad Comitia Spirenſia.

29. Junii An. 1595. Cum Dom. *Georgio Volcamero*, Senatore, Legatus ad Comitia *Spirenſia* profectus, Menſe Julio ſeq. ob podagræ dolores, quibus frequenter fuit afflictus, ad Acidulas *Swalbacenſes* ſe contulit.

Moritur.

Norimbergæ tandem morte beatâ ſublatus, vitæ miſeræ finem impoſuit A. C. 1601. ætatis 60.

* *Ex manuſcriptis Marquardi Freheri propriis.*

Obiit A. C. 1601.

HENRICUS CAMERARIUS.

Juriſperitus & Theologus.

Juris Doctor & Profeſſor in Academiâ *Roſtochienſi*, Ducum *Lunæburgenſium* & *Pomeraniæ* Conſiliarius, Theologiæ non minùs quàm Jurisprudentiæ notitiâ fundamentali excelluit.

Multorum Juris Doctorum Promotor.

Perſpicua prælegendi ratio frequens ei auditorium conciliavit, & magnam apud ſtudioſos authoritatem, qui agminatim ad eum cupidè audiendum confluere ſolebant. Inter multos gradu Doctorum ornavit D. *Erneſtum Cothmannum*, D. *Chriſtoph. Sturcium*, D. *Berthold. Kichlerum*, D. *Henricum Bergium*, D. *Mart. Nordanum*, D. *Haionem à Neſſâ*, D. *Theodorum Mejerum*, fratres D. D. *Jacobum* & *Albertum Heinios*, D. *Nicolaum Wildebrandum* &c.

In conjugio felici & fœcundo 26. annos vixit cum *Margarethâ*, filiâ Dom. *Alberti Dobbinii*, Senatoris olim primarii, ex quâ tres

tres filias reliquis ſuperſtites. Ex his *Margaretha Martino Chemnitio*, Cancell. *Holſat.* nupſit A. 1594.

Repentè inter preces obiit. Repentinâ tandem morte multis laboribus fractus, ex hâc miſeriarum valle evocatus exſpiravit, dum librum precationum manibus teneret 14. Febr. An. C. 1601. ætatis 54.

In memoriam ejus Orationes ſcripſerunt *Chriſtophorus Sturcius*, J. C. & Hiſtoriarum Profeſſor, & *Martinus Bruſchius*, Logices Prof. in Academiâ *Roſtochienſi*.

* *Ex programmate funebri Valentini Schachtii, Theol. Doct. & Profeſſoris Roſtochienſis.*

PHILIPPUS GLASERUS.

Obiit A. C. 1601.

A*Rgentorati* natus in hanc lucem eſt honeſtis parentibus *Criſpino Glaſero*, Viro Senatorio, & *Veronicâ Mockin*, die 29. Nov. *Michaëli* Archangelo in Faſtis ſacro A. C. 1554.

Deinde ob eximiam indolis ſpem liberalium artium & linguarum ſtudiis adhibitus, tantos fecit doctrinæ progreſſus, ut ampliſſ. D. D. Scholarcharum, totiusque Conventûs Academici collectam haberet gratiam & patrocinium.

Philoſophiæ Magiſter Argent. Præceptor tertiæ Claſſis, & Viſitator Collegiorum. Linguæ Græcæ Profeſſor. Publico enim Magiſterii titulo & honoribus ornatus in Præceptorem tertii Scholar. *Argent.* ordinis An. 1575. & Collegiorum Viſitatorem A. 1582. electus eſt.

Claſſicis laboribus liberatus, Ordinarium Linguæ Græcæ Profeſſorem agere cœpit. An. 1589. & biennio pòſt, non modò triennalem Academiæ viſitaturam, ſed Philoſophicum etiam Decanatum geſſit an. 1592. quem & anno 1598. ſuſtinuit.

Hiſtoriarum Profeſſor. Derelictâ poſtmodùm Lectione Græcâ, Hiſtoriarum in ſeſe Profeſſionem recepit anno 1591. Quæ Provincia licèt ardua ſit & difficilis, nihilominus tamen tanto rei literariæ flagravit amore *Glaſerus*, ut poſtulante ita Academiæ neceſſitate, *Inſtitutionum Juris Profeſſor.* Inſtitutionum quoque conjungere Interpretationem non dubitaret anno 1600.

Quid utilitatis in hâc Profeſſionum diverſitate attulerit, ii habent, qui docentem ipſum ſedulò audiverunt, teſtatum faciunt librorum monumenta in lucem ab ipſo edita, comprobant Magnatum & Nobilium judicia, qui in gravibus negotiis operâ ejus & induſtriâ haud inutiliter uſi ſunt.

Conjugium ejus. In Conjugio ſuavi concordique 22. annos vixit cum *Annâ*, Dom. *Joſiæ Ribelii*, 13. Viri in patriâ & Academiæ Scholarchæ filiâ, ex quâ 6. thori pignora reliquit, poſtquàm *Moritur.* per mortem beatam vitâ defunctus eſt 1. Aug. A. C. 1601. æt. 47.

* *Ex Programmate fun. Bartholomæi Naſſeri, Theologiæ Profeſſoris Academiæ Argentoratenſis Rectoris.*

Edidit:

Scripta. *Syntagma Hiſtoricum*, quod filius ejus *Philippus Fridericus Glaſerus* continuavit ab An. C. 1601. usque ad An. 1628. in 4to.

Hiſtoriæ univerſalis Synopſin Theoricam & Practicam. in 4to.

Syngramma Hiſtoriæ Theoreticæ.

SEBASTIANUS GERSTMANNUS.

Obiit A. C. 1601.

B*Oleslaviæ*, *Sileſ.* oppido natus eſt, 24. Junii An. 1542.

Patre *Vincentio*, ejus loci Conſule, Matre *Urſulâ Hencelîâ*.

Fundamentis Linguæ Græcæ & Latinæ poſitis, tum in ſcholâ patriâ, tum *Freiſtadii* & *Goldbergæ*, An. 1560. In Academiam *Wittenberg.* miſſus eſt, ubi biennio *Melanchthonis*, *Eberi* & aliorum inſtitutione uſus eſt. *Melanchthonis & Eberi diſcipulus.* Deinde ad Jurisprudentiam animum applicans, cum *Matth. Weſenbeccium*, & *Mich. Teuberum* aliquandiu audiviſſet, *Lipſiam* *Juris ſtudium aggreditur.* conceſſit famâ commotus *Piſtoriorum* & *Henningi Hamelii*. Ibi triennio exacto *Italiam* adiit, & *Patavii* Præceptores ſibi delegit *Jacobum Menochium*, qui poſteà Cardi- *Patavium adit.* nalis factus eſt, *Tiberium Decianum*, & *Pancerolum*.

An. 1572. In *Galliam* abiit, & perluſtratis locis celebrioribus in Academiâ *Aurelianâ*, *Galliam videt.* ad quam *Alciatus*, *Duarenus*, *Cujacius*, & *Contius Biturigibus* paulò antè conceſſerant, aliquantiſper ſubſtitit, ubi Doctor Juris renun- *Doctor Juris.* tiatus eſt.

In patriam per *Belgium* reverſus, *Francofurtum* ad *Viadrum* venit, ubi mox Academiæ Syndicus, nec longè pòſt Profeſſor Ju- *Profeſſor Juris.* ris declaratus eſt, & Electori *Johanni Georgio Brandenburgico* à Conſiliis eſſe cepit, inter *Conſiliarius Brandenburg.* Conſiliarios aulicos locum habiturus, niſi Principi perſuaſiſſet, Academicam ſibi vitam magis probari.

Intereà ipſi etiam Cæſari *Rudolpho II.* ita *Et Cæſareus.* commendatus eſt, ut eum in Conſiliariorum ſuorum numerum cooptârit.

Biennio podagricis doloribus conflictatus, accedentibus ſubindè catarrhis & febre malignâ, placidè ſpiritum Creatori reddi- *Moritur.* dit 15. Nov. A. 1601. æt. 59.

In Conjugio annorum 28. tranquillo vixit cum *Servatii Rademanni*, Senatoris *Francof.* filiâ, è quâ 7. filios & 3. filias, uno filio præmiſſo, reliquit ſuperſtites. Filiarum duas duobus J. C.ſultis elocavit *Eliæ Robbero*, olim Prof. Jur. & *Jeremiæ Seiſero*, Acad. *Marchicæ* Syndico.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtor.*

JOHANNES BANCHEMIUS.

Obiit A. C. 1601.

L*Eidæ* natus eſt An. 1540.

Ultrajecti primò *Macropedio* dedit operam.

Jurisprudentiæ ſtudium amplectitur. Deinde *Lovanii* Jurisprudentiæ ſtudiis incubuit.

Andegavi in *Galliâ* Juris Doctor renun- *Juriùm Doctor.* tiatus, cum in patriam reverſus eſſet, in foro cauſas agere cepit.

A. 1582. Cum de conſtituendo ſupremo *Hollandiæ*, *Zeelandiæ* & *Weſt-Friſiæ* conſilio

agerетur, ei muneri cum aliis primoribus patriæ viris à Principe *Auraico* delectus eſt.

Curator Academiæ Leydenſis.

Demùm Academiæ *Leydenſis* cura ipſi commiſſa eſt, cui multis annis cum Collegis *Jano Douſâ* & *Hugone Grotio*, Conſule *Delphenſi*, præfuit.

Tandem extincto *Dieterico Winburgico*, ſupremi Conſiſtorii Præſidi ſucceſſit. In quâ dignitate vitam clauſit 29. Nov. anno 1601. ætat. 61.

Moritur.

* *Ex Vitis JCtorum Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1602.

JOHANNES WOGESSERUS.

Filius Conſulis Gieſſenſis.

IN hanc lucem natus eſt 21. Dec. An. C. 1546. in Civitate *Gieſſenſi Haſſiæ*, patre cognomine Viro Conſulari & Scabino, matre *Annâ Wellin, Gelnhuſanâ*.

Literarum fundamenta in Scholis *Dreiſenſi* & *Caſſellanâ* jecit, ex quâ poſteriore ſtatim ad publicas lectiones *Marpurgi* fuit admiſſus.

Studioſus Heidelbergæ & Argentorati.

Cum verò non in ſolâ patriâ ſibi hærendum, ſed ad alias quoque Academias, tanquàm ad Emporia bonarum artium, proficiſcendum ſibi duxiſſet; ideò patriâ relictâ *Heidelbergam* primùm, pòſt *Argentinam*, ad uberiorem ſtudiorum fructum capeſſendum ſeſe contulit, ubi tum in moribus tum in ſtudiis ita ſe geſſit, ut non modò charus Præceptoribus ſuis, ſed etiam acceptus exſtiterit iis, quorum tecto & menſâ uſus fuit.

Juris Doctor Valentiæ.

Jactis in utroque Jure feliciter fundamentis, tandem etiam in *Galliam* abiit, & omnibus ferè illius Academiis perluſtratis, aliquandiu *Valentiæ Delphinatûs* eſt commoratus, ibidemque An. ætatis ſuæ 25. Reverendo Viro Dom. *Johanne Monlucio*, *Valentinenſis* & *Dienenſis* diœceſeos Epiſcopo, nec non *Valentinenſis* Academiæ Cancellario; & examinatoribus atque promotoribus Juriſconſultis celeberrimis D.D. *Jacobo Cujacio* & *Franciſco Roaldo*, Juris utriusque Doctor cum laude die 5. Septemb. A.C. 1572. creatus.

Conjugium ejus & Liberi.

Primas deindè nuptias anno 1574. cum virgine *Mariâ Sabinâ, D. Philippi Oſtringeri*, Prætoris quondam *Heidelbergenſis* filiâ, *Heidelbergæ* celebravit, cum quâ duos filios totidemque filias genuit. Ex quibus ſuperſtes *Anna Chriſtina*, Dom. *Johanni Georgio Muegio* nupſit.

Aſſeſſor Cameræ Imperialis.

An. 1578. In numerum Aſſeſſorum Cameræ Imperialis cooptatus ei fideliter per ſexennium inſerviit.

Conjugium alterum.

Nuptias ſecundas cum virgine *Urſulâ*, Dom. *Conradi à Duntzenheim*, Senatoris olim *Argentoratenſis* anno 1588. peregit.

Conſiliarius & Advocatus Argentoratenſis.

An. 1584. ex Camerâ ad Rempublicam *Argentinenſem* vocatus eſt, & Conſiliarius illius atque Advocatus factus. Cui cum per annos 18. operam ſuam navâſſet, ex vivorum numero in beatorum avocatus eſt 2. Januarii A.C. 1602. ætatis 55.

Moritur.

* *Ex Programmate funebri Melchioris Sebizii, Medicinæ Doctoris & Profeſſoris, Rectoris Academiæ Argentoratenſis.*

Obiit A.C. 1602.

GEORGIUS THILO.

LIgnicii, *Sileſiæ* Urbe, ſede Ducum *Lignicenſium* & *Brigenſium*, natus eſt 5. Oct. An. 1552.

Patrem habuit *Gregorium*, Matrem *Margaretham Domkianam*, cives honeſtos.

Thilones VII.

Fratres habuit ſex, quorum quinque natu majores ſacris ſeſe devoverunt, hic cum *Valentino* natu minimo ad Jurisprudentiam animum appulit, in quâ cum gloriâ patriæque ſalute verſati ſunt uterque.

An. æt. 16. A patre in ſcholam *Goldbergenſem* ablegatus, in Præceptores incidit *Martinum Tabumum* & *Georgium Helmericum*.

Francofurti Jurisprudentiam colit.

Cum quinquennium ibi fuiſſet, A. 1573 in Academiâ *Francofurtenſi* cis *Viadrum* profectus, J.C.tis audiendis vacavit.

Domum reverſus, anno 1578. in Ducalem curiam ab *Henrico* Principe *Lignicenſi* allectus, libellorum publicorum operas ſexennio adjuvit.

Sequenti triennio Judicii provincialis Actuarium egit.

Secretarius. *Conſiliarius.*

A. 1583. *Fridericus IV.* Dux *Lignicenſis* in Curiam revocato Secretarii munus demandavit, nec multò pòſt Conſiliarium ſibi adſcivit. Quâ utrâque provinciâ etiam poſt *Friderici* mortem ſub *Joachimo Friderico*, Duce *Lignicenſium*, & Præpoſito *Magdeburgenſi* fideliter functus eſt.

Moritur.

Itaque cum 24. annos in aulâ patriæ tribus Principibus impendiſſet, paroxyſmo Apoplectico correptus, momento quaſi in paradyſum cœleſtem abiit 6. Febr. A. 1602. ætatis 49.

Exuviæ corporis terræ illatæ ſunt *Lignicii* in templo D. *Petro* & *Paulo* ſacro, cum monumento ejusmodi ſaxo ſepulchrali inciſo.

Epitaphium.

GEORGIUS THILO
A THILAW.
ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS LIGNICENSIS
AC BREGENSIS CONSILIARIUS,
QUI
TESTIMONIO PUBLICO SINGULARI
EXEMPLO
VITAM PIE, JUSTE, SOBRIE
ACTAM
CUM MORTE BEATA SUBITO,
SED NON IMPROVISO,
COMMUTAVIT,
A. C. M. DCII. VI. FEBR.
POSTQUAM COMPLEVISSET SEPTEM
ÆTATIS SEPT.
OB PRÆCLARA IN REMPUBL. MERITA
COMMUNI OMNIUM TOTIUS DUCATUS
ORDINUM LUCTU ELATUS, ET
SUB HOC LAPIDE
CONDITUS EST.

MORI SEMPER QUI DIDICIT * MORI SEMEL POTUIT
EX SENTENTIA.

**Hic inſignia ſunt inſerta*

In Conjugio felici 20. annis vixit cum *Agnete Stariſiâ*, quanquam ſine liberis.

ANDRE-

Obiit A. C. 1602.

ANDREAS FABRICIUS.

NAtus *Eubſchitzii* in *Sileſiâ* A. 1547. Patre cognomine ſcholæ ibidem Rectore.

Matre *Anaſtaſiâ*, è familiâ nobili *Kubergiâ* oriundâ.

Literis operam dat. An. æt. 14. in ſcholam celebrem *Uratiſlavienſem* miſſus, biennium in eâ inſumpſit, tum *Viennam Auſtriæ* profectus, & Baronum aliquot Præceptor factus, cum iis in *Styriam* migravit.

Juris Doctor. Exindè *Tubingam* venit, ibique Juris Doctor creatus eſt anno 1578.

Conſiliarius Boruſſiæ. An. 1580. Ducum *Boruſſiæ* Conſiliarius factus.

ViceCancellarius. An. 1592. Eorundem ViceCancellarius *Regiomontii* conſtitutus.

Moritur. 14. Jan. An. 1602. ætat. 55. *Regiomontii* placidè in Chriſto obdormivit.

Obiit A. C. 1602.

ANTONIUS COVARRUVIAS.

Juris Profeſſor Salmanticæ. A*Ntonius Covarruvias* à *Leyvâ*, *Toletanus*, *Didaci* Præſulis frater, Jureconſultus egregius *Salmanticæ* Jus Civile publicè profeſſus eſt, ingenti auditorum applauſu & fructu. *Græcas literas ſponte didicit.* Horis autem ſubſecivis, quantum alii tribuerunt ſomno, otio illiteratisque fabulis, tantum Græcis literis ſine dolore perdiſcendis impendit, eosque fecit progreſſus, ut Græcarum literarum doctiorem *Hiſpania* viderit neminem. Græcos enim Scriptores ſenex aſſiduè tractabat, legebatque diligenter.

Fecit Commentarium in Ariſtotelis Libros Politicorum. Moliebatur in *Ariſtotelis libros octo Commentarium*, & quidem poſt *Sepulvedam*, *Victorium*, ac *Perionium*, ab hæredibus aſſervatum.

In *Tridentinam* Synodum unà cum fratre *Didaco* miſſus eſt: eundemque in *Variarum Reſolutionum Libris continuandis*, humanitatis etiam notis inſignibus adjuvit.

Conſilii Regii Senator. Pòſt intimi Conſilii Regii Senator unus ob excellentem memoriam cum doctrinâ conjunctam atque eloquendi venuſtatem inſtar omnium Regi fuit.

Pòſt aurium morbo tentatus (ſurdaſter enim fuit) huic muneri non ampliùs idoneus, Collegio Canonicorum *Toleti* adlectus, *Scholarcha.* Scholarchæ, ut vocant, & Academiæ Præfecti eſt munere perfunctus, vixitque aſſiduè in ſtudiis firmâ valetudine, & ingenti corporis forma annum ætatis agens 78.

Moritur. Abiit autem è vitâ ſtranguriâ oppreſſus & nauſeâ ad 12. Kal. Januarias An. C. exeuntis 1602.

Scripta tibi, Antonii dias ſi luminis oras
Aſpicerent, tenuis laus foret iſta nimis.

Edidit:

Scriptum. *Scriptum de Jure Regni Luſitanici ad Philippum Regem Catholicum.*

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ diverſorum auctorum.*

JOHANNES PHILIPPUS A KETTENHEIM.

Obiit A. C. 1602.

Filius militis ducis. NAtus eſt in lucem hanc An. C. 1544. 30. Nov. *Kettenhemii* in *Palatinatu*: Patre nobili Viro D. *Philippo à Kettenheim*, qui fortem belli ducem ſub Imperatore *Carolo V.* in obſidione *Metenſi*, aliisque locis egit: Matre *Marthâ*, ex antiquâ *Mülheimiorum* familiâ oriundâ.

Studioſus Argentoratenſis. Puer ſtudiorum gratiâ *Argentinam* fuit ablegatus, & fidei nobilis Viri Dn. *Henrici à Mülnheim*, Prætoris ibi quondam, Scholarchæ & Cancellarii commiſſus. Ibi in ſtudiis adeò felices progreſſûs fecit, ut magnam de ſeſe expectationem apud omnes excitârit, eâque de cauſâ charus ſanguine junctis, gratus Præceptoribus, acceptus extiterit iis, quorum menſâ atque tecto uſus fuit.

Jactis feliciter ſtudiorum ſuorum fundamentis, in aulam Illuſtriſſimi D. *Caroli*, Marchionis *Badenſis* anno 1568. ſe contulit, ubi cum aliquandiu fuiſſet commoratus, filii *Præfectus aulæ Marchionis Badenſis.* Marchionis natu majoris D. *Alberti* aulæ Præfectus eſt conſtitutus. Poſteà aulicæ vitæ ſatur, primas nuptias cum nobili virgine *Agnetâ à Kettenheim*, nob. Viri Dn. *Ottonis Sturmii*, filiâ celebravit, ex quâ duas filias, *Martham* & *Veronicam* reliquit.

Abindè gradatim ad omnes ferè Senatoriæ dignitatis honores aſcendit, & primùm in ordinem majorum Magiſtratuum anno 1572. receptus fuit: deindè in Collegium 21. Virorum cooptatus an. 1574. paulò pòſt inter Tredecim Viros adſcitus: Indè ad *Prætor Argentoratenſis.* Prætoriam dignitatem an. 1579. evectus. Tandem an. 1580. 25. April. Scholarcha & *Scholarcha & Cancellarius.* Cancellarius Academiæ patriæ creatus eſt.

Secundas nuptias 12. Januarii an. 1595. cum nobili matronâ *Evâ à Rueſt*, Præfecti *Montis Pelicardenſis* filiâ habuit.

Legatus ad Comitia. An. 1582. ad Comitia *Auguſtana*, & anno 1594. ad *Ratisbonenſia* Reipublicæ patriæ nomine Legatus fuit miſſus. *Ad Cæſarem, & Magnates.* Sæpiùs etiam in Legationibus aliis ad Cæſaream Majeſtatem, Electores, Principes, Comites, Civitates ac Reſpublicas adhibitus, quas numero 84. fuiſſe conſtat. *84. Legationes obivit.* In quibus ita pietatem ſuam, prudentiam, gravitatem, induſtriam, & dicendi vim teſtatam fecit, ut nomen apud exteros conſecutus ſit maximum.

Sub officio ſuo Cancellarii quadringentos Magiſtros cum gaudio vidit promotos, & Academiam unicè amavit.

Moritur. Ex hâc vitâ tandem evocatus obiit 20. Febr. A. C. 1602. æt. 58.

* *Ex Program. fun. Rector. Argent. Melch. Sebizii, Med. D. & Prof.*

JOACHIMUS BERGERUS, vel A BERGE.

Obiit A. C. 1602.

NAtus *Herndorffii*, *Sileſiæ* agro 23. Martii anno 1526. Ex antiquâ & nobili familiâ à *Berge*, Patre *Johanne*, Matre *Catharinâ Brauniâ*: Pater obiit an. 1521. æt. 81.

Ut

Ut primum lumen adſpexit, tanta infantuli fuit imbecillitas, ut ad veſperam victurum non putarent, nihilominùs beneficio DEI provectam ætatem attigit.

Goldbergam venit. A. 1539. *Goldbergam* à matre ablegatus, Præceptorem habuit *Valentinum Trocendorffium*.

Wittebergam adiit. An. 1544. *Wittenbergam* adiit, & legum ſtudiis ſe devovens *Hieronymo Schurffio* audiendo vacavit: *Victorino* etiam *Strigello* privatim audiendo annum integrum impendit: quin etiam *Lutheri* conciones & lectiones per biennium frequentavit, ſummumque eum virum & electum Dei organum ultrò faſſus eſt.

Lutheri familiaris.

Curſus ſtudior. impeditus. A. 1546. die *Martini*, quo periculi imminentis metu ſuburbia viderat incendi, *Wittenbergâ* diſcedens, domum reverſus eſt, & annum in *Sileſiâ* cum ſtudiorum ſuorum jacturâ ſubſtitit.

Lipſiam abiit. An. 1548. *Lipſiam* ſe contulit, & ſtatim pòſt menſe Majo ad Comitia *Auguſtana* profectus, multa ibi viſu & memoratu digna obſervavit.

Redit Wittebergam. A. 1549. *Wittenbergam* reverſus, ſtudiorum telam pertexuit.

Periculum Bergeri. Jul. An. 1551. Cum obſeſſum à *Saxoniæ* Duce *Mauritio* teneretur *Magdeburgum*, *Melanchthone* invito, caſtra *Mauritiana* viſum abiit. Ibi dum omnia curioſè circumſpectat, derepentè globus tormentarius magnæ molis ad pedes illius decidit, magnâque vi ſubter humo ſub ipſius pedibus aliquò usque provolutus, à tergo tandem è terrâ rurſus erupit.

Francofurtum abit. An. 1552. *Francofurtum* ad *Oderam* evitandi contagii causâ ſeceſſit, ubi Præceptorem ſuum *Hieronymum Schurffium* magni nominis J. C. iterum docentem offendit.

Peregrinationes Bergeri. A. 1556. In patriam reverſus cum eſſet, ad exteras regiones ingreſſus iter cum *Lipſiæ* tranſiret, *Melanchthonem* in ædibus *Camerarii* offendit, cui cum extremum vale dixiſſet, à Comite *Günthero Schwarzenburgico* invitatus *Sangerhuſam* abiit. Ab hoc *Wilhelmo*, Principi *Naſſovio*, commendatus, ad eum *Dillenbergam* venit, cujus filiæ nuptiis cum *Wilhelmo* Comite de *Berge* celebratis brevi pòſt *Mœrſæ* interfuit.

Bruxellas venit. *Bruxellas* indè veniens, ab aulâ *Hiſpanicâ* ob literas commendatitias *Ferdinandi* Regis ſplendidè fuit exceptus, & à Comite *Egmondano* ad epulum regium, quotannis à Rege Equitibus aurei velleris inſtrui ſolitum admiſſus. Ab eodem Comite *Mariæ Angliæ* Reginæ commendatus, cum paulò pòſt *Londinum* appuliſſet, ſtatim Regina eum die S. *Thomæ* multis ſatellitibus ſtipatum ad templum Urbis primarium deducendum curavit, exceptoque manùs oſculandæ, qui honor in *Angliâ* non vulgaris, poteſtatem dedit: menſæ quoque magnæ aulæ Præfecti quotidiè adjunctum voluit.

Trajicit in Angliam.

In Galliam proficiſcitur. Exindè *Galliam* ingreſſus, cum *Lutetiæ* aliquantiſper ſubſtitiſſet, *Aureliam* venit, & *Annæ Burgio* Jura profitenti diligenter vacavit.

Aliud periculum Bergeri in Ligeri fluv. Digreſſus hinc *Bloëſas* cum duobus Comitibus, *Henrico Iſenburgio* & *Philippo Hanovio*, cum pontem transgreſſi propter *Ligerim*, qui altiſſimo muro concluſus illam Urbem allicit, progrederentur, agaſo quidam illis obviam fit, cujus aſinus utprimùm rudere cœpit, equus *Bergeri* perterrefactus & reſiliens in fluvium præceps cum eo deſiliit, quo loci ſemper prodigioſus aquarum gurges erat. Cum autem tunc in cumulum exaggerata eo eſſet loco arena, ut vix ad imum ventrem unda pertingeret, ſalvus in aquis equum frœno tenens ſtetit, è præſenti mortis periculo DEI gratiâ liberatus.

Venit Biturigas. & in Helvetiam. *Biturigas* deindè & *Genevam* adiit, ubi erga *Calvinum* gratam *Melanchthonis* mentionem fecit. Hinc cum per *Helvetiam Argentoratum*, & indè *Auguſtam* veniſſet, iter *Italicum* auſpicatus, *Patavium* progreſſus eſt, ubi ſtatim à populari ſuo *Martino Gerſtmanno*, Epiſcopo poſteà *Sileſiæ*, humaniter exceptus eſt. Indè *Bononiam* conceſſit, & *Venetiis* ſpectandis totum ſemeſtre inſumpſit. Ibi *Antonium de Mazâ*, Urbis Decemvirum, ſibi devinxit, qui à Senatu impetravit, ut reconditos *Venetorum* theſauros contemplandi poteſtas ipſi data fuerit, id quod Summis ſæpè denegatum fuit.

Patavium venit.

Italiæ urbes perluſtrat.

Poſteà *Romam* pervenit, & *Neapolim* usque excurrit.

Redit ad ſuos. A. 1558. Per *Stiriam*, *Carinthiam*, *Auſtriam*, *Hungariam*, & *Poloniam* ad ſuos ſalvus reverſus eſt, & an. ſeq. Capitanei *Glogovienſis* vicariam Provinciam ſuſcepit, & brevi pòſt Regiæ curiæ aſſeſſor factus. Nec hanc ſtationem diu tenuit, cum Conſiliarii quoque Cæſarei dignitas, Imperaroris *Ferdinandi* autoritate acceſſit. Quin etiam hujus filius Imperator *Maximilianus II. Bergerum* non tantùm ad colloquia familiaria admiſit, & ad Conſilia ſecretiora adſcivit, ſed etiam ad varios Principes Legatum adhibuit.

Capitaneus Glogovienſis.

Conſiliarius Ferdinandi. & Maximiliani.

An. 1566. Cum *Sigismundo Hornſtenio*, Ordinis Teutonici per *Alſatiam* & *Burgundiam* commendatore, ad *Auſtriæ* ſup. & *Alſatiæ* ditiones ab Imperatore miſſus, ut contra *Turcas* copias auxiliores impetraret, cum optato ſucceſſu *Auguſtam* ad Imperatorem rediit.

Innoteſcit Friderico III. Palat. Tunc & Electori *Palatino Friderico III.* innotuit, qui non ſemel ipſi hortator fuit ad S. literarum lectionem, *Regum verò 4. libros* imprimis ipſi commendavit, addens, ſe indè graviſſimis in perſecutionibus præſidia, in gubernationis verò difficultate documenta quæſiviſſe. Idem Elector cum an. 1571. *Bergerum* ex aulâ diſceſſiſſe reſciviſſet, literis manu propriâ ſcriptis ad ſe vocavit.

Cum autem Cæſar abitum *Auguſtâ* ob inſtantem expeditionem *Turcicam* maturaſſet, *Bergerum* ibidem cum *Wolffgango Hallero*, Imperii Secretario, aliquantiſper ſubſiſtere, & Imperii negotia quædam abſolvere juſſit. Id ubi factum, *Viennam* regreſſus, Cæſarem cum aulâ in caſtra ſecutus eſt 10. Aug. An. 1566.

A. 1567.

Legatus in Daniam & Sueciam. A. 1567. Ab Imperatore *Maximiliano II.* in *Daniam* & *Sueciam* legatus miſſus, Regum animos diſſidentes compoſuit, & ſub finem anni ſequentis domum ſalvus reverſus eſt.

Uxorem ducit. An. 1569. Matrimonii fidem iniit cum *Dorotheâ Knoblochsdorffianâ* viduâ, nuptiis 18. Aprili celebratis, ex eâ ſuſcepit liberos, quibus tamen omnibus ſuperſtes fuit. Eâ defunctâ, alteram duxit A. 1587. *Barbaram*, itidem *Knoblochsdorffianam*, ſibi ſuperſtitem.

A. 1571. Ab Imperatore dimiſſus in patriâ ſedem fixit, & vitæ tempus reſiduum patriæ conſulendo devovit.

Moritur. In eâ tabe catarrhali ſæpè laborans, ad meliorem tandem vitam ſine ſenſu doloris placidè emigravit 5. Martii Styli novi An. 1602. ætatis 76.

Exuviæ *Herndorffi* tumulo illatæ ſunt 1. April. ſeq.

Emblema ſtanneæ thecæ inſcriptum eſt tale: Picta eſt crux, quam circumquaque amplectitur vitis multis palmitibus & uvis, & ad radices hujus cranium cum oſſibus humanis, & in capite crucis Epigraphe ſeq.

Emblema in loculo ejus.

Ad meſſem Lætitiæ virtute tua.
Hic crux, hic vitis, multo cum palmite: palmes
Unus ego vitis tectus & hic jaceo.
Te tamen à verâ palmes dependeo vitæ
Vere novo virtus me tua tollet humo.
Hoc credo, hoc ſpero, fidei hoc mihi ſymbolon eſto;
Et fidei fulcrum crux tua, Chriſte, mihi.
Lætitiæ ad meſſem mox veris tempore ſurgam
Sed virtute crucis, vir crucifixe, tua.

Cum ſine liberis deceſſiſſet, adoleſcentes, qui ingenio pollebant, magno numero ſuis ſtipendiis aluit, quorum quoſdam Gymnaſiorum Præceptoribus erudiendos concredidit, quoſdam Academiarum Profeſſoribus excolendos tradidit. Hos deindè ſatis eruditos Scholis & Eccleſiis gubernandis conſecravit. Hoc beneficium ut perpetuum Reip. Chriſtianæ daret, grandem pecuniæ vim teſtamento legavit, de quâ tempore conſequente tenuioris fortunæ ſtudioſis ſtipendia conferrentur.

* *Ex Melch. Adami vitis J Ctorum.*

Obiit A.C. 1602.

NICOLAUS REUSNERUS.

PAternâ hic & maternâ familiâ clarus, ortum ſuum traxit ex *Sileſiorum* Urbe *Leobergâ*, anno Chriſti 1545. die Februarii ſecundo, horâ noctis duodecimâ.

Etſi autem ipſe genti *Reusnerianæ* claram alluxit faculam, & nominis magnitudine in varias orbis partes eam diſſeminavit, præſtantiam tamen Majorum ejus, haud humili loco habitorum, *Sileſia* hodièque loquitur. *Ejus Majores.* Nam ſtirps patria, viros antiquâ virtute, inſignes jactat *Franciſcum* hujus patrem, *Nicolaum* avum, *Jacobum* proavum, & *Simonem* abavum, qui omnes, ne præter nomen gentis & familiæ ſuæ viderentur nihil habere, pulcherrimumque genus rati, quod quis propriâ virtute conciliat, domi foriſque eam navârunt operam, ut præter virtutis honeſtum additamentum, & opulentiſſima ipſis accreverint prædia, quæ ipſi *Sirckvitii, Rackvitii, Moſæ, Gerſcheiſii*, & paſſim in *Leorino* poſſederunt, & poſteritati ſuæ, ne inopiâ preſſâ, igneam virtutis vim exercere impediretur, reliquerunt.

Paternæ genti & opibus, & nominis celebritate nunquam ceſſura familia materna, clara eſt *Fritſchneris* & *Wirthiis*: ex quorum progenie habuit matrem *Barbaram*, pietate in Deum, beneficentiâ in pauperes, ac præſertim ægrotos & indigentes, humanitate denique erga omnes perſpicua, viri prudentiſſimi *Chriſtophori Fritſchneri*, ex conjuge *Annâ, Georgii Wirth*, Viri Conſularis, filiam.

Sed cum Majorum præclara facta & virtutes excellens ſæpè ſint, ut *Cynicus* ille dixit, malitiæ & ignaviæ velamen, *Franciſcus* noſtri hujus parens: ne vetera patriæ jura poſſideret domus ignavus hæres, cum capiendis artibus & diſciplinis accreſceret ætas, filium iis imbuendum ſolicitè tradidit: *Studiis operam dat.* & quidem primùm in patriâ, in quâ jam tum tener animus ſpem haut fallacem futuræ eruditionis & amplæ meſſis oſtendit. Nam cum artium bonarum, & præſertim Poëſeos profectum fecit, ut vix dum undecimum ingreſſus annum, eruditi carminis laudem conſequeretur.

Ut verò hujus ſtudii fruticem produceret longiùs, à ſuis *Goldbergam* anno quinquageſimo ſexto ablegatus eſt, magiſtram gentis *Sileſiæ* ſcholam, in quâ ſub Doctoribus claris, *Henrico Paxmanno*, *Martino Taburno*, & aliis, per biennium, ac pòſt per totidem annos *Uratislaviæ* in ſcholâ *Eliſabethanâ*, præter Poëſin & alias diſciplinas ingenuas, eam Græcæ & Latinæ linguæ cognitionem adeptus eſt, ut dignus habitus ſuorum Præceptorum judicio fuerit, qui ad Academiam, ſcholis exemptus trivialibus amandaretur.

Wittenbergam ſtudiorum causâ adit. Annum itaque ingreſſus decimum ſextum, ad celeberrimum Muſarum domicilium *Wittembergam*, de ſuorum conſilio ſeſe contulit, non tàm loci amore tactus, quàm ſtudio videndi Phœnicem illum Germanicum *Philippum Melanchthonem*: in quem, ut *Neocles* de *Epicuro* dicebat, omnes atomos ſapientiæ concurriſſe, grata agnoſcit poſteritas. Verùm illius viri adſpectum mors paulò antè præripuerat. Quâ in parte etſi infelix *Reusnerus*, in eâ tamen rurſum felix, quod virum in ſcriptis ſpirare & vivere perſpiceret, qui juveni tantum deſiderium, amorem tantum, ac tantos laudis & gloriæ ſtimulos excitârunt; ut ad imitationem ejus nequaquam diſcendi ſitim atque ardorem unius quantumvis excellentis ſtudii labor expleturus videretur: ſed unus omnes ſcientias, & arcem ſapientiæ expugnaturus, lætus alacerque ruebat: *Marcianum* illud præcinens,

— tentanda via eſt, quâ me quoq; poſſim
Tollere humo; victorq; virûm volitare per ora.

Philoſophiæ itaque curſu abſoluto, quæ verbis & rationibus bonos efficere conatur, ad eam artem, quæ prœmiis & pœnis Rempublicam fartam tectam ſervare ſtudet, animum adjecit. Quo in ſtudio cum Præceptores quæreret idoneos, de conſilio *Georgii Wirthi II.* Medici, cognati ſui, *Lipſiam* contendit.

Lipſiam proficiſcitur.

Florebat ibi tunc *Modeſtinus Piſtoris*, *Jacobus Tomingius*, *Paulus Lobwaſſerus*, *Leonhardus Badenhorn*, *Henningus Hammelius*, *Balthaſar Schelhammer*, magni nominis Jureconſulti. His Præceptoribus eam auſcultando operam, induſtriam & aſſiduitatem probavit, ut diſcipulus eis eſſet chariſſimus, & vix à ſe abire ſint paſſi; cum *Wittenbergam* retraheret eum veteris hoſpitii memoria; & virtus nota virorum eximiorum *Joachimi à Beuſt*, *I. Schneidewini*, ac *Valentini Forſteri*.

Sub id tempus prodierunt ex ipſius penu multa Græcè & Latinè ſcripta, quæ famam ei pepererunt apud bonos & doctos felicem ac præclaram, quam ut ipſe aleret, omnibus eſt ingenii viribus annisus.

Cumque ad doctrinæ eruditionem experientia & variorum hominum adſpectus non parùm faciat, ipſe cùm Comitia *Auguſtæ* celebrarentur, eò profectus eſt. Sed cum in ſequentem ea annum rejecta eſſent, ne otioſus aut cum detrimento ſuo ibi deſideret, locus ei in Scholâ, operâ *Johannis Heincelii*, & *Hieronymi Wolfii*, conceſſus eſt, quem anno ſequenti, ingruentibus comitiis, reſignavit. Poſteà cum vigerent comitia frequentiſſima, ipſe id operam dedit, ut carminibus & epiſtolis in magnorum virorum notitiam & amicitiam perveniret.

Auguſtam.

Scripſit tunc varii argumenti elegias, inter quas *Germania ad Cæſarem*, & *Imperii Electores*. Hujus lectio non ſolùm Principum aliorumque magnorum Virorum; ſed ipſius etiam Cæſaris favorem ei excitavit, qui clementiâ ſingulari per *Ulricum Zaſium* ei obtulit, ut ſumtibus Cæſareis ablegatus, exteras paſſim Regiones perluſtraret, mores hominum cognoſceret, linguas varias diſceret, reverſus in aulâ Auguſtâ eruditionem ſuam ac ſolertiam probaret. Verùm hanc clementiſſimæ voluntatis ſignificationem, neſcio quæ ſcæva ei intervertit.

Sub finem illorum Comitiorum à *Petro Agricolâ* J. C. & Conſiliario Principi ſuo *Wolfgango* Comiti *Palatino* Ducique *Bavariæ* commendatus, *Lauingæ* inter Profeſſores ſcholæ paulò antè à *Johanne Sturmio* ad formam *Argentoratenſis* emendatæ, eſt cooptatus, ubi quinquennium ampliùs Græcos Latinosque Auctores explicavit, munere functus in claſſibus, ut vocant, Doctoris primarii.

Profeſſor Lauingenſis.

Deindè non ſolùm Juriſconſulti, ſed etiam Rectoris præfectus officio, undecim ei añis cum fidei & induſtriæ laude præfuit.

Intereà & Uxorem duxit *Magdalenam Walbemajeram*, quâ cum ut ſine prole, ita ſine reconciliatione vixit, & Comitiis iterum *Auguſtæ* coactis adfuit, & ſummis viris virtute ſuâ innotuit, de quibus *Julius* Comes *Salmæ*, *Adamus à Ditrichſtein* Baro, Palatii Cæſarei Præfectus ſupremus, & *Richardus* Baro *Schwartzenavius*. Anno itidem octogeſimo tertio *Baſiléam* abiit, ſummum in jure gradum petiturus, quem & poſt ſolennia experimenta meritò eſt conſecutus.

Uxorem ducit.

Baſileæ fit Juris Doctor.

Ab hoc honore Dux *Wirtembergicus Ludovicus*, Marchiones *Badenſes*, & Ordines *Suevici*, cum duobus aliis JCtis, Cameræ eum Imperiali Adſeſſorem repræſentârunt, & mox à Senatu *Argentoratenſi* evocatus, ſuâ ibi dexteritate & fide in jure explicando, deque eo reſpondendo ſatisfecit. Poſteà ſub annum octogeſimum octavum, cum in Academiâ *Salanâ* aliquot Juriſprudentiæ Doctores deſiderarentur, ipſius operâ aliquoties expetita, tandemque literis inprimis ipſorum Principum ad *Argentoratenſes*, qui ægrè à ſe dimittebant, impetrata fuit. Venit ergò *Jenam*, & ſuffectus *Samueli Brotbagio*, functus eſt munere Anteceſſoris, & quidem Senioris in ſcholâ, & Aſſeſſoris in Scabinatu. Nec ſolùm publicè docendo, ſed & ſcribendo prodeſſe ſtuduit, ut monumenta ejus varia teſtantur, de quibus paulò pòſt, & ſupremum in ſcholâ Magiſtratum aliquoties geſſit, & legationes aliquot obivit.

Prof. Juris Argentorati.

Profeſſor Jenenſis.

Nam anno nonageſimo quinto à *Saxoniæ* Pro-Electore ad conventum Regni ac Procerum *Poloniæ*, cum Conſiliariis ipſius Imperatoris & Electoris *Brandenburgici*, fuit miſſus, ut ſocia adversùs *Turcam* arma peteret.

Legationes obit varias.

Eò antequàm iret, à *Rudolpho II. Auguſto* in Comitiis *Ratisbonenſibus*, non ſolùm laureâ Poëticâ fuit ornatus, ſed & Comes *Palatinus* declaratus, & augmentum inſignium gentilitiorum conſecutus, quibus indultu Cæſarum & gratiâ, multis antè annis familia *Reusneriana* fuerat uſa.

Verùm dum ſe in corporis valetudine ſolitâ conſtitutum credit, ex improviſo nephritici dolores ipſum invaſerunt graviſſimi, qui neque diurnæ quietis partem conceſſerunt.

Itaque febrili æſtu corpus magis magisq; inflammante, opinione citiùs, caloris nativi ſubſecuta eſt oppreſſio atque ſuffocatio.

Diſceſſit ex hâc vitâ ad meliorem, in Rectoratu ſuo, die duodecimo Aprilis Stil. V. anno 1602. ætatis ſuæ duodeſexageſimo.

Moritur.

Hic vir, dum vixit, unum judicavit neceſſarium: Deum rectè agnoſcere, & agnitum vitâ verè piâ colere, fidem etiam operibus factis ipſis teſtari. Doluit, hâc tempeſtate eò deventum eſſe, ut ſimultates ſint immortales, amicitiæ contrà plus quàm vitreæ, benefecit pauperibus pro facultatibus munificè, &, verbo ut dicamus, totum ſe Reip. devovit.

Ejus virtutes.

Scripta ejus partim ſunt *Philologica*, eaque

que varia, partim *Juridica*: *Philologica*, & primùm *Poëtica* ſunt hæc:

Scripta.

Elegiarum lib. 5.
Eleg. Græcanicorum liber 1.
Heroicorum lib. 2.
Odarum lib. 2.
Epodon totidem.
Philothesiorum lib. 3.
Sylvarum lib. 1.
Epigrammatum libri vigintiquinque.
Anagrammatum lib. 9.
Diſticha Evangelica & Epiſtolica Græcè.

Emblemata partim Ethica & Phyſica, partim Hiſtorica & Hieroglyphica, quibus Agalmatum ſive Emblematum Sacrorum liber additus.

Paradiſus, ſive hortulus Poëticus, libris 7. diſtinctus.

Sunt & alia Poëtica quædam in publicum edita; de quibus bibliothecæ. *Ariadola* etiam feruntur hæc:

Aureolorum lib. 35.
Faſtorum ſacrorum libri 12.
Moſaicon lib. 2.
Chriſtiados lib. 7.
Litarum lib. 3.
Xenicorum lib. 1.
Laurearum lib. 2.

Logica hujus *Auctoris* ſunt *elementa Dialectica* & *Rhetorica*.

Hiſtorica autem hæc: *Monarcharum*, ſive *Summorum Regum lib. 7.*

Principum Germaniæ, ſive Electorum lib. 3.

Principum & Cæſarum Auſtriacorum, itemq; Palatinorum & Bojorum Principum, Principum item & Ducum Venetorum ſylvula.

Hodæporicorum lib. 7.

Elogia illuſtrium heroum Romanorum.

Germaniæ Urbes Imperiales: ut & aliæ ejusdem Regionis.

De Italiâ lib. 2.

Icones, ſive imagines virorum literis & armis illuſtrium.

In Philologiâ extant *Reuſneri*:

Symbola Auguſta.
Emblematum lib. 5.
Stemmatum, ſive armorum illuſtrium libri tres.

Ænigmatographia, ſive Sylloge ænigmatum & griphorum convivalium.

Orationum panegyricarum volumen 1 & 2.

Orationum & conſultationum de bello Turcico variorum Auctorum, volumina quatuor.

Aureolorum dogmatum de Principe & Principis officio ſylloge variorum & diverſorum.

Scripſit etiam *Ethicam Philoſophicam* & *Chriſtianam*: cui acceſſit *Politicarum diſputationum libellus ſingularis.*

In *Jure* multa ſcripſit idem *Reuſnerus*, de quibus primas ducunt *tractatus de ultimis voluntatibus.*

Eſt ejusdem *μαργαρίτης*, ſive *medulla jurisprudentiæ Juſtinianeæ.*

Βραχύλογος totius Juris civilis, ſive corpus legum cum notis.

Diſputationum Juris civilis libri aliquot.

Progymnaſmatum, ſive controverſiarum Juris illuſtrium, in utramque partem diſceptatarum libri 2.

Partitio ſive œconomia Juris civilis & canonici, brevibus tabellis comprehenſa.

Sunt & alia partim edita, partim apud hæredes adhuc latentia, inter quæ Reſponſorum Juris, ſive conſiliorum aliquot volumina, quæ tamen foràs data.

* *Ex Melch. Adami Vitis Germanorum JCtorum.*

PAULUS MONTIUS.

Obiit A.C. 1602.

DUacenus, Patriæ ſuæ à Secretis, vir literarum ſcientiâ morumque probitate valdè conſpicuus. Varias calluit linguas & præ cæteris *Hiſpanicam*: & quo magis Religionem hominis ſuſpicias, interpretatus eſt Libros, qui pietatem ac virtutis ſtudium vehementer promovent.

Secretarius Duacenſis.

Scripſit idiomate *Gallico*:

Scripta.

Comment. in Orationem Dominicam.
Bellum Chriſtianum, Hiſpanicè & Gallicè.

Ex Latinâ in *Gallicam* vertit:

Confeſſiones D. Auguſtini.
Thom. à Kempis de Imitatione Chriſti.
Dionyſii Carthuſiani Sentent. benè vivendi.

Animam cœlo reddidit *Duaci*, 6. Kal. Nov. A.C. 1602. æt. 72.

Moritur.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Scævolæ Sammarthani.*

VIDUS COQUILLIUS ROMANIUS.

Obiit A.C. 1603.

HIc poſt obitum illuſtrior, Scriptis ejus publicatis, quæ vivus preſſerat, nunc vel invitus in hominum memoriam retrahendus eſt. *Jus Conſuetudinarium*, cujus cognitione præcipuè excellebat, dum *Jus municipale* proprium interpretatur, maximè illuſtravit: & *Hiſtoriam patriam* magnâ fide ac diligentiâ ſcripſit: item accuratiſſimas de *Gallicanæ Eccleſiæ Juribus obſervationes* collegerat, quæ plagio perierunt.

Juris Profeſſor.

Hiſtoricus.

Vitam finiit A. C. 1603.

Moritur.

* *Ex Elogiis Thuanis Virorum doctorum C. B.*

* * *

Noviodino Æduorum (quod nunc *Niverzium* dicitur, & *Clivenſium*, ſeu *Gonzagorum* Principatûs caput eſt, & Epiſcopalis civitas) natus, *Lutetiæ* primùm literis humanioribus, deinde Juri utrique operam dedit, & in foro *Pariſienſi* aliquandiu verſatus *Patavium* petiit, ut ſe *Mariano Socino* juniori, (cujus tunc nomen erat celebre,) recoquendum daret.

Patavium Mariani Socini gratiâ adivit.

Indè patriam repetiit, nunquàm indè migrare certus, & æquitatis ac doctrinæ laude inter ſuos clarus conſulentibus facilem ad ſe aditum præbebat, à ſordibus alienus, & erga tenues munis.

Dum domi lateret, à popularibus tribus Ordinum Regni Conventibus in lucem productus eſt, iisque magnam ab omnibus gratiam reportavit.

Digitized by Google

A Principibus ſuis generali Provinciæ Procuratione decoratus fuit, & in eâ Menſ. Majo A. 1603. major octogenario, vir de ſuâ ætate & poſteritate optimè meritus deceſſit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1603.

PETRUS WESENBECIUS.

ANtwerpiâ Brabantus, Matthæi J.C. Patruelis, natus eſt 5. Maji An. C. 1546.

Profeſſor Juris Jenæ. In *Salanâ* Jurium Doctor creatus 3. Febr. An. 1574. & Profeſſor publicus 20. Febr. ſeq. vocatus, ex eâdem diſceſſit *Wittenbergam* 23. April. an. 1587. *Wittenbergæ.*

Altorfii. A. 1592. *Leucoreâ* valedictâ, Academiam *Altorfinam* acceſſit, factus D. *Hugonis Donelli* Succeſſor, & Collega D. *Joh. Thomæ Freigii.*

Coburgi Conſiliarius aulicus. A. 1595. *Coburgum* ſeceſſit, factus Aulæ Senator, Curiæ Provincialis Aſſeſſor, & Scabinatûs Ordinarius, isque primus.

Moritur. Ibidem vitâ defunctus eſt 27. Aug. A. C. 1603. æt. 57. Relicto in Ordinariatu *Eliâ Friderico*, Volck dicto, *Herdeſiano*, *Iſenaco-Thuringo.*

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc *Epigramma* honorarium addidit:

Epigramma.

Petre Weſenbeci, veſtigia Patrui adoras
Docta tui, ſtudiis nobilitasq; genus.
Te Jena audivit: te Wittenberga docentem:
Teq; Altorfinæ pulchra corona Scholæ.

Edidit:

Scripta.

Conſilia.
De ſubſidiis Neceſſitati publicæ ferendis.
Rudimenta Digeſtorum & Codicis ex Weſenbecio deſumta ſtudio à Voburg.
In Pandectas cum Notis Bachovii.

* *Ex eodem libello Profeſſorum Jenenſium Adriani Beyeri.*

18. Jul. A. 1578. cum Magnifico Rectore M. *Friderico Penſoldo*, Phyſices Profeſſore publico, Jenâ, in quâ peſtis gliſcebat, *Salveldiam* conceſſit, ut de commoditatibus ejus oppidi deſpiceret, quæ non minùs docentibus quàm diſcentibus inſervire poſſent. Luſtratæ itaque & numeratæ ſunt, Senatûs oppidani indultu, civium habitationes: locus item convictorio publico, & Auditorio in Cœnobio *Auguſtiniano* ſelectus, & ad mandatum illuſtriſſimi Regiminis *Vinarienſis* conceſſus fuit. Hinc Profeſſores multi cum familiis ſuis iſtûc loci conceſſerunt, quos ſtudioſi circiter 200. ſecuti ſunt: & redierunt poſtliminiò 9. Martii A.C. 1579.

Obiit A.C. 1603.

PHILIPPUS MATTHÆUS.

COnradi filius, à puerilis doctrinæ cunabulis ſe illuc contulit, ubi non ſecluſa aliqua artium & juris inprimis teneretur aquula, ſed undè univerſum flumen erumperet. Ideòque uno opere hanc incudem diem noctemque tundens, in patris viri doctiſſimi incurrit veſtigia, cujus quoque munus & in docendo partes veluti hæreditario quodam jure ſibi relictas non attigit modò, ſed explevit etiam.

Nam cum is catarrho epidemico extinctus eſſet, hic quidem An. 1581. illam ipſam muneris partem, quam parens ſuſtinuerat, *Marpurg.* ſubiit, eaque, quæ ad docendi artem pertinebant, integrum decennium usq; ad annum 1590. æſtu & ſiccitate non minùs memorabilem, quàm generoſiſſimo vino fertiliſſimum perſecutus eſt ita, ut in hâc unâ ratione tractandâ quodam modo habitaret. *Patris ſucceſſor.*

At *Vultejo* ſurrogatus, relicto *Treutlero*, quo perfunctus fuerat, docendi munus in Inſtitutionibus, & poſtmodùm *Vigelio* rude donato Pandectis explicandis mentem cogitationesque defixit. *Inſtitutionum & Pandectarum Profeſſor.*

Reipublicæ Academicæ clavum bis tenuit, & prætereà 13. Candidatis J.U.D. impertivit titulos & inſignia. Tandem cum annos vixiſſet 48. menſes 9. dies 29. & jura docuiſſet annos 12. anno 1603. 18. Junii horâ ſextâ pomeridianâ hydrope extinctus, mortales corporis poſuit exuvias, quæ in ſummo templo conditæ usque ad extremum judicii diem placidè conquieſcunt. *Rectoris munus bis ſuſtinuit.* *Moritur.*

Ingenii ſui monumenta ſunt ſequentia:

Scripta.

Commentarii in regulas Juris.
Poſthumi in titulum de rebus creditis, quos ab obitu patris typis excludi fecerunt hæredes filii.

* *Ex MSS. Marpurg. tranſmiſſis.*

Philippus Matthæus
per anagr.
Tu id pium ſape: ut lapis.

Obiit A.C. 1603.

CHRISTOPHORUS LERSNERUS.

JAcobi Lersneri, Academiæ *Marpurgenſis* Vicecancellarii, & Profeſſoris frater, cum per annos in Academiâ docuiſſet aliquot, eâ relictâ, in Ducatum *Megapolitanum* conceſſit, ab ejus Principe in numerum Conſiliariorum electus, ubi ei cura fuit judiciorum conſtituendorum, quo nomine terra iſta ei debet plurimum. *Docuit jura Marpurgi.* *A Duce Megapolitano Conſiliarius electus.*

Indè *Brunſuigam* contulit ſeſe, ibidemque Syndici officio functus, loci commoditate allectus. *Brunſvigi Syndici titulum geſſit.*

Sed cum imprimis vitæ quietioris amore teneretur, *Marpurgum* rediit, ut animo forenſibus negotiis defeſſo, curâ atque labore vacuus viveret iſthic. *Marpurgum rediit.*

Hinc porrò rebus ita ſuis poſtulantibus *Fridbergam* abiit, ubi 11. Aprilis anno 1603. ſatisfecit naturæ tribus annis octogenario major. *Fridbergam abiit.* *Moritur.*

Ex Manuſcriptis Profeſſores Marpurgenſes concernentibus.

Obiit A.C. 1603.

BARTHOLOMÆUS SYLVATICUS.

PAtritius *Patavinus*, natus eſt A. 1533. A primis annis *Juſtiniani Inſtitutiones* in Patrio Gymnaſio loco ſecundo ex- *Juris Profeſſor Patavii.*

plicare



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

plicare cœpit, Collega primùm *Guidi Pancirolli*, deindè *Philippi Octaviani Montagnanæ*.

Hinc ad Lecturam Criminalium explanandam in locum *Antonii Catari* ſuffectus, ita Praxin cum Theoriâ copulavit, ut æquè civibus & exteris in foro eloquentiâ ſuâ patrocinaretur.

Juris Pontificii Profeſſor. A. 1575. Vocatus eſt ad Juris Pontificii Profeſſionem in locum *Benedicti Barizelli*. Anno 1581. Cum pro Republicâ *Venetâ* varias Legationes obiiſſet, & ejus Jura Scriptis & voce conſervâſſet, ab eâdem *Conſiliarius Venetus.* Conſultor à Secretis renunciatus eſt, cum *Eraſmo Gratiano Utinenſi*.

Cum *Aloyſio Mocenico*, cognomento Philoſopho primique ſubſellii Senatore, miſſus eſt Collega *Marci Antonii Peregrini* ad ſtatuendos finium limites inter Rempublicam *Venetam* & *Alfonſum II. Ferrariæ* Ducem.

Eques D. Marci. Tandem Eques à Duce *Veneto* decreto publico acclamatus, & 300. aureorum torque cinctus eſt, cui torqui D. *Marci* numiſma aureum ſubnexum, cum hâc inſcriptione:

SENATÛS DECRETO FIDEI VIRTUTISQUE TESTIMONIUM.

Auditoriatum *Romanæ* Rotæ accipere noluit, quæ poſteà dignitas *Franciſco Mantuæ* delata eſt.

Filii ejus. Filios ſortitus eſt, *Aloyſium*, Juris Cæſarei & Pontificii Doctorem, qui etiam Archidiaconus Eccleſiæ Cathedralis fuit, *Petrum* militem & Gubernatorem, *Johannem Baptiſtam*, Equitem & Interpretem Juris, & *Benedictum*, Philoſophiæ & Medicinæ Doctorem, poſteà in Lycæo *Patavino* Med. Profeſſorem primarium.

Moritur. Senex tandem & vitæ ſatur corporis ſolutus vinculis animam cœlo reddidit 12. Cal. Octob. A. C. 1603. æt. 70.

* *Ex Elogiis Jacobi Philippi Tomaſini.*

Extant ejus apud Filios hæc illius Opera nondum edita:

Scripta. *Conſilia multa de rebus gravioribus, præcipuè in Cauſis ſibi commiſſis, ut de iis referret ad Ampliß. J.C.rum Collegium Patavinum.*

Commentarii in eas partes Juris tum Civilis tum Pontificii, quas publicè explicabat.

Tractatus de Juriſdictione ſeculari in Perſonas & res Eccleſiaſticas.

Memoria, quæ marmoreæ illius ſtatuæ ſubjecta cernitur, hæc eſt:

Epitaphium. BARTHOLOMÆO SYLVATICO, PATRITIO PATAVINO J. C. IN PATRIO GYMNASIO PER ANNOS L. PRIMARIO U. J. INTERPRETI, REIP. VENETÆ CONSULTORI, IN MAGNIS AD CÆSAREM ATQUE ALIOS PRINCIPES LEGATIONIBUS PRÆCLARAM EX EO MUNERE GLORIAM ADEMPTO, OB SINGULARES DOCTRINÆ, FIDEI, PRUDENTIÆ LAUDES AMPLISS. J. C. EQUESTRIBUS ORNAMENTIS INSIGNITO: RELIGIONE IN DEUM, BENEFICENTIA IN OMNES CONSPICUO. POST LXX. ANNOR. ÆTATEM PRINCIPI PATRIÆ ACADEMIÆ BONIS OMNIBUS IMMATURE ABLATO: HIER. SYLVAT. EQ. FR. ET FILII IV. LIBERALIS PATRIS EDUCATIONE PERHONESTIS AUCTI TITULIS D. D. OBIIT ANNO MDCIII. XII. KAL. OCTOBRIS.

Caſpar Cunradus Proſopographiæ Melicæ Millenario 3. hoc cum honorat diſticho:

Legiſera quod Dux Themidos Sylvaticus audit,
Hoc habet à Genii nobilitate ſui.

JOHANNES HOCHMANNUS.

Obiit A. C. 1603.

B*ibraci*, *Sueviæ* oppido, quod nomen, ut opinio quorundam fert, à *Caſtore*, ſive fibro Germ. Biber adeptum eſt, natus eſt in Palmarum hebdomade A. 1528.

Pater ei fuit cognominis Tribunus plebis & Senator.

Puer in Scholâ patriâ Præceptorem habuit *Petrum Piſcatorem*.

An. 1545. *Argentoratum* ad ſtudia continuanda miſſus eſt, cum paulò antè ſtipendium nactus eſſet, quod *Petrus Buſſerus*, Mercator *Jenenſis*, pro ſtudioſis Theologiæ ibi ſuſtentandis ordinârat. Ibi condiſcipulum præter alios habuit *Martinum Cruſium*. *Argentorati literis operam dat.*

A. 1547. *Tubingam* ſe contulit, ubi cum Græcam & Latinam Linguam profitebatur *Melchior Volmarus*, *Rufus Rotwilenſis*, à quo unà cum *Malachiâ Rammingero*, ſupremæ poſteà Curiæ Advocato, in album Univerſitatis fuit relatus. *& Tubingæ.*

Ibidem 7. Maji A. 1548. Baccalaureus, & 1. Mart. an. ſeq. Philoſophiæ Magiſter creatus cum eſſet, Theologiæ ſtudium ex ſtipendii *Buſſeriani* ſtatuto adjungere debebat. Sed cum orthodoxi miniſtri & Senatores Evangelici, interque hos pater *Hochmanni* loco ſuo deturbati in exilium pellerentur, ipſum quoque ſtipendium *Buſſeri* diſſolveretur, amicorum conſilio Juriſprudentiæ operam dare cœpit. *Philoſophiæ Magiſter.*

Mox publicæ prælectioni officiorum Ciceronis in Academiâ *Tubingenſi* præfectus eſt. *Docet publicè.*

A. 1549. Conjugii nexum iniit cum virgine *Mariâ*, filiâ D. *Ulrici Ruckeri*, Conſiliarii *Wirtenbergici*, cujus frater *Michaël Ruckerus* Medicinæ Profeſſionem *Tubingæ* per aliquot annos cum laude ſubivit. *Uxorem ducit.*

Deindè Doctoratûs inſignia ſolenniter ſub Decanatu D. *Jacobi Capl̄becchii* nactus, brevi pòſt inter Academiæ *Tubingenſis* Profeſſores publicos cooptatus eſt. *Doctor Juris.*

Poſt annorum quorundam intervallum, cum *Gebhardus Braſtbergerus* ætate confectus, ſuâ Juris Canonici Profeſſione ſe abdicâſſet, in ejus locum ſurrogatus eſt. *Juris Canonici Profeſſor.*

Duces autem *Wirtenbergici*, *Chriſtophorus*, *Ludovicus*, & *Fridericus* non ſolùm hunc à Conſiliis ſibi eſſe voluerunt, ſed etiam pretioſo feudo conſtituto, inter Vaſallos ſuos receperunt. *Georgius* etiam *Fridericus*, Marchio

chio *Brandenburgenſis*, ſalarium ipſi annuum liberale conſtituit.

Moritur. Exhauſtus tandem viribus, in Beatorum ſedem placidè abivit 24 Julii Anno 1603. ætatis 76.

Collegium inſtituit Tubingæ. Cum ſobolem è conjuge ſuſcepiſſet nullam, domum *Tubingæ* amplam exſtruxit, variis muſæis, cubiculis & conclavibus neceſſariis diſtinxit, eamque deſtinavit cum conjuge Collegio ſtudioſorum ex utriusque familiæ cognatis, addictâ ei cenſuum annuorum parte locuplete.

* *Ex Melchioris Adami Vitis JCtorum.*

* * *

Johannes erat hâc *Hochmannus* imagine, vitæ
Luſtra novem cernens & propè quinque ſuæ.
Patria *Bibracum* muſarum ducit in hortos,
Argentinenſis mox adit arva ſcholæ.
Artibus ingenuis vacat hic: petit indè *Tubingam*:
Jura, Magiſterii lætus honore, colit.
Claſſicus electus mox Linguæ utriusque Profeſſor,
Muneris & ſollers in ſtatione ſui.
Hinc Legum Doctor, Legumque fit indè Profeſſor,
Luſtraque jam Leges quinque, duoque docet.
Vir pietate, fide, virtute graviſſimus omni;
Conſiliando potens, & profitendo potens.
Diſcipulus magni veluti fuit ipſe *Sichardi*,
Diſcipulos magnos ſic habet ipſe viros.
Omnibus eſtque ſcholæ perfunctus honoribus: alto
Magnificus Rector munere ſæpè fuit.
Sæpè fuit Quæſtor, ſua cuique ſalaria pendens:
Sæpè Decanatus clarus honore fuit.
Et gravis Aſſeſſor, permagna eſt laude ſupremi
Wirtenbergiaci tempora longa Fori.
Nec minus hic Ducis eſt quoque Conſiliarius ejus,
Qui celſum *Onspachius Marchio* nomen habet.
Quamque Duci magnos huic ſit benè gratus ob actus,
Oſtendit dignis gratia facta modis.
Vive decus Juris; patriæ lux ſplendida vive;
Vive *Tubingenſis* gloria clara ſcholæ.
O multas habeat tales ſchola noſtra columnas,
Stare quibus poſſit, ſoſpes & eſſe diu.
Dum vigor ullus erit, tibi ſumptu divite facti
Stipendi; vivet laus, pietasque tua.

Diſtichon προσωποποιητικόν.

Altum jura *virum*, pietas, rerumque dat uſus:
Illa tibi tribuit, *Gratia* dona *Dei*.

* *Ex Elogiis Profeſſorum in Academiâ Tubingenſi carminicè editis ab Erhardo Cellio, Hiſtoriarum & Poëſeos Profeſſore.*

IACOBUS MONAVIUS.

Obiit A.C. 1603.

U*Ratiſlaviæ* patritiâ familiâ natus eſt An. 1546.

Præceptores Monavii. *Lipſiæ Joachimum Camerarium* & *Victorinum Strigelium* Præceptores nactus, ab eorum latere rarò diſceſſit, & *Strigelium Haidelbergam* usque comitatus, ab eo fidei doctrinam ſinceram hauſit.

Ætate & judicio firmatus, per totam *Italiam*, *Galliam* & *Belgium* peregrinatus eſt.

Reverſus licèt opera ipſius à multis Principibus, inter quos *Guilielmus Haſſiæ Landgravius* & *Chriſtianus I. Saxoniæ* Elector, expeteretur, ab aulis tamen abſtinuit, & patriæ totum ſe mancipavit.

Conſiliarius Lignic. & Bregenſ. Poſtremis annis *Joachimum Fridericum*, Ducem *Sileſiæ Lignicenſem* & *Bregenſem* Conſiliis ſuis juvit, Religionis reformatæ conſtans aſſertor.

Moritur. Obiit *Uratislaviæ* 6. Octob. anno 1603. ætatis 57. ſepultusque ſine elogio.

Relicto unico filio *Friderico Monavio*, fortunarum & virtutum hærede.

Scripta. Edidit *Carminum libros tres in Symbolum ſuum: Ipſe faciet.*

* *Ex Melch. Adami vitis Germ. JCtorum.*

NICOLAUS VARENBULERUS.

Obiit A.C. 1604.

NAtus eſt *Lindaviæ* 4. Dec. A. 1519. Ex nobili & antiquâ familiâ.

Patre *Johanne*, Conſule illius oppidi; Matre *Agathâ*, è patritiâ *Meltingorum* gente prognatâ.

In ludo patriæ puer habuit Præceptorem *Caſparum Haldelinum*, linguarum Latinæ, Græcæ & Hebraicæ peritum.

Argentorati Jurisprudentiam colit. A. 1537. *Argentoratum* à parentibus ablegatus, ibi triennium in Philoſophiæ ſtudiis conſumpſit, quibus & Jurisprudentiam jungens, Inſtitutiones *Juſtinianeas* è *Wendelino Bittelbrunnio audivit.*

Lovanium petit cum duobus fratribus. A. 1541. Cum duobus fratribus, *Georgio* & *Johanne Ludovico*, *Lovanium* miſſus, ibi *Gabrielem Mudæum* Jura docentes diligenter audivit.

Coloniam Agrippinam venit, An. 1542. Cum *Lovanii* obſidione Academia diſſiparetur, cum fratribus *Coloniam Agrippinam* conceſſit, & publicè ibique diligentem *Johannis Oldendorpii* Diſcipulum ſe præbuit.

& Tubingam, An. 1543. *Tubingam* cum fratre *Johanne Ludovico* appulit, & 13. Octob. nomen ſuum apud Rectorem Acad. *Michaëlem Ruckerum* medicum profeſſus eſt.

ubi Juris Doctor ſalutatur. 23. Febr. An. 1544. Ibidem cum fratre *Georgio* Juris ornamenta Doctoralia ſolenniter conſecutus eſt, promotore *Johanne Sichardo*.

Advocatus. Tum in Curiâ oppidanâ & coràm ſupremo tribunali *Wirtenbergico* Advocatum cauſarum egit.

Profeſſor Pandectarum & Conſiliarius Wirtenbergicus. Eodem anno die S. *Jacobi* Pandectarum Profeſſor publicus deſignatus, & paulò pòſt *Ulrici*, Ducis *Wirtenbergici* Conſiliarius factus eſt.

29. Aug.

Uxorem ducit. 29. Aug. An. 1547. Nuptias celebravit *Auguſtæ Vindelicorum* cum virgine *Reginâ*, *Bernardi Waltheri*, Patricii & Senatoris *Auguſtani*, filiâ.

Legatus Varenbulerus. A. 1548. Cum Imperator *Carolus V. Hiſpanorum* copias, *Albano* Duce, in agrum *Wirtenbergicum* duxiſſet, Senatus Academiæ *Tubingenſis* ab *Hiſpanorum* impetu ſibi metuens, & legationem ad ipſum Imperatorem *Auguſtum* decernens, quæ libello ſupplice militem deprecaretur; ad eam hunc *Varenbulerum*, cum *Johanne Stamblero*, Senatore *Tubingenſi*, delegit. Hi 27. horarum ſpatio 17. milliaribus confectis *Auguſtam* venerunt, & re feliciter expeditâ, oppidum omni metu liberârunt, cumprimis autem tunc curiæ ſtylo elegantiori indefeſſo vacabat ſtudio.

An. 1551. A *Chriſtophoro*, Duce *Wirtenbergico*, *Ulrici* ſucceſſore, in Conſiliarii munere confirmatus eſt. 1. Maji an. 1554. Rector Academiæ *Tubingenſis* deſignatus eſt. *Rector Academiæ.*

Codicis Profeſſor. An. 1558. Defuncto *Matthæo Gribaldo* Codicis Profeſſionem accepit.

A. 1580. A *Georgio Friderico*, Marchione *Brandenburgico*, *Onolsbachium* evocatus, Conſiliarius ipſius declaratus eſt.

An. 1593. Cum *Ludovicus* Dux *Wirtenbergenſis* mortuus eſſet, ab ejus ſucceſſore *Friderico* in munere Conſiliarii confirmatus eſt.

Legationes obit varias. Ejusdem, ut & trium præcedentium Ducum, nomine varias legationes obivit. In quarum ultimâ A. 1594 *Ratisbonæ* in Comitiis coram Cæſare & Ordinum Imperii conſeſſu jam ſeptuagenario major graviter peroravit, & ſenilis facundiæ laudem reportavit.

Rude donatur. Domum reverſus, Codicis Profeſſione in Academiâ *Tubingenſi* ſponte ſe abdicavit, & rude donatus, vitam privatam egit: nihilominus Senator Academicus & Juridici Collegii membrum manſit.

Jubilæum nuptiale celebrat. 30. Aug. A. 1597. Cum jam totos annos 50. in conjugio fœcundo & felici vixiſſet, Jubilæum conjugale inſtituit, & feſtivitatem nuptialem cum Conjuge ſolenniter celebravit, cujus deſcriptionem *Erhardus Cellius* verſu Heroico edidit.

Uxorem amittit. Nov. A. 1603. Uxorem morte abreptam anno ætatis ſuæ 77. amiſit.

Senex validus. Tunc filii natu maximi *Johannis Bernhardi* cohabitatione & menſâ uſus, & licèt jam eſſet octogenario major, ſine ſuſtentaculo tamen per plateas ingreſſus, publicis conventibus & actibus interfuit, & in diſputationibus publicis eo tempore adhuc graviter opponens auditus eſt. Studia etiam tum adhuc pro more ab horâ quintâ matutinâ ad duodecimam unâ ſeſſione continuavit.

Moritur. Tandem cum 13. Aug. Candidati cujusdam *Clementis Andleri* examini interfuiſſet, Collegis valedixit, & domum reverſus lentâ febri decubuit ad 20. Aug. ſeq. quâ placidè obdormivit A. 1604. ætat. 85.

Conjugium ſingulare. Cum Conjuge 56. annos vixit, viditque deſcendentes 90, animas liberorum, nepotum, & pronepotum Generos nactus eſt *Martinum Eichmannum*, *Matthæum Entzlinum* J. Conſultos, & *Chriſtoph. à Stetten*, Patritium ac Senatorem *Auguſtanum*.

Nicolaos Senior *Varnbuler* imagine tali,
Jam ſex, cum medio, luſtra novemque videt.
Lindavi genuit ſtirps illum nobilis: Artes
Hic primùm, *Argenti* mox colit urbe bonas.
Hinc petit occidui tunc clara Lycéa Lovanî;
Et pleno ſtudium tramite Juris init.
Agrippinenſes adit hinc, ob bella, Colonos;
Tractat & aſſidua civica Jura manu.
Proxima caſtra locat ſtudiis optata *Tubinga*;
Et ductu abſolvit, magne *Sicharde*, tuo.
Fit Legum Doctor; fit Codicis indè Profeſſor;
Et ſtudii claret nobilitate ſui.
Hinc Ducis *Ulrici* fit Conſiliarius: & pòſt
Chriſtophori: pòſt &, Dux *Ludovice*, tuus.
Aſſeſſorque diu juvit prælustre tribunal,
Nunc à Conſiliis, Dux *Friderice*, tibi.
Nec minus externis celebrato conſulit idem
Nomine Principibus, Nobilibusque viris.
Sæpiùs Imperii conventibus infuit idem,
Legatus Ducibus, magna ad agenda, ſuis.
Magnificus Rector, Juris perſæpè Decanus,
Officii ſummâ dexteritate, fuit.
Vir bonus, & ſapiens; aſſertor maximus æqui:
Nec pietate minor, nec gravitate minor.
Quadraginta annos Jus eſt ſeptemque profeſſus;
Donatus merita pòſt fuit ergò rude.
Corpore ſic valido tamen eſt, & mente; Senator
Ut ſit inexhauſtâ ſedulitate potens.
Vive diu incolumis, Natis, Generisque beate,
Et felix ſtudiis, magno & honore ſenex.

Diſtichon προσωπικόν.

Vinco annis *Populum*, magnis & honoribus: id mî
Jus, *Grave Conſilium* ſed dedit omne Deus.

* *Ex Elogiis Profeſſorum in Academiâ Tubingenſi carminicè editis ab Erhardo Cellio Hiſtor. & Poëſ. Profeſſ.*

JAOBUS TYPOTIUS.

Obiit A. C. 1604.

Conſiliarius Regis Sueciæ. Natione *Belga*, in negotiis tractandis ſolertiam affectavit, & in aulâ *Suecicâ* diu fuit, *Carolo Sudermanniæ* Duci, ac tandem Regi, cum Rege *Poloniæ Sigismundo* tunc diſſidenti, percharus. De eo *Relationem* ad *Guilielmum à S. Clemente* (qui Regis *Hiſpaniarum* res apud Cæſarem *Rudolphum II.* procurabat) pari candore & prudentiâ ſcripſit, & prætereà alia, quæ ejus ingenium ad majora natum produnt. *Scripta.* Non diu autem ſupervixit, & A. C. 1604. *Pragæ* non ita provectâ ætate fatis conceſſit. *Thuanus lib.* 131. *Moritur.*

* *Ex Thuano emaculato Gerardi à Stöcken.*

HENRI-

Obiit A.C. 1604.

HENRICUS TILESIUS.

EGræ, in confinibus *Bohemiæ* oppido, natus eſt menſ. Febr. An. C. 1565. Patre M. *Hieronymo Tileſio*, Superattendente *Müllhuſano*, qui A. 1564. *Egram* vocatus, Reformationem ibi Eccleſiæ ſuſcepit, & die S. *Eliſabethæ* primam Concionem habuit.

Conjugium iniit. A. 1592. æt. 27. Matrimonium iniit cum *Reginâ*, *Sebaſtiani Conradi*, Mercatoris *Lipſienſis* filiâ, M. *Chriſtoph. Vigelii*, Aſtronomi & Juris Profeſſoris, relictâ viduâ.

Syndicus, & Scholarum Inſpector Egræ. A. 1595. *Egræ* Syndici munus à Senatu legitimè vocatus ſuſcepit, & Scholarum Inſpector factus eſt. Tandem cum aliis Senatoribus iter ad aulam *Saxonicam* ſuſcipiens, in viâ febri malignâ correptus, viribus ſenſim proſtratis in Chriſto exſpiravit *Egræ* 4. Jan. A.C. 1604. ætatis 39. *Moritur febri malignâ.*

* *Ex Concione fun. M. Georgii Renneri, Superattendentis Egrani.*

Obiit A.C. 1604.

GUNTHERUS SCHNEIDEWINUS.

A*Ruſtadii*, in Comitatu *Schwartzenburgico*, natus eſt die Lunæ poſt Dominicam Trinitatis An. C. 1548. Patre D. *Johanne Schneidewino*, J. C. celeberrimo, qui nunquàm niſi prægreſſâ oratione ad Deum Acta ſibi miſſa legit.

Adoleſcens *Philippi Melanchthonis* auditor ſedulus, Juris deindè ſtudium in Academiis *Wittenbergenſi* & *Lipſienſi* excoluit.

Conſiliarius Vinarienſis. A. 1573. Regiminis *Merſpurgenſis* factus Conſiliarius, & A. 1575 *Vinariæ* Conſiliarius aulæ & Conſiſtorii declaratus eſt. Emeritus tandem Appellationum Conſiliarius audiit.

Conjugium ejus. 5. Sept. A. 1575. Conjugium ſubiit cum D. *Pontani* viduâ *Regina Baumgartnerianâ*, quam cum duobus filiis & tribus filiabus viduam reliquit.

Moritur. Apoplexiâ tandem extinctus vitam morte beatâ finiit 25. Febr. A.C. 1604. æt. ſuæ 56.

* *Ex Concione fun. Johannis Majoris, Diaconi Vinarienſis.*

Obiit A.C. 1604.

PAULUS GRASECKIUS.

NAtus eſt A.C. 1562. die Converſionis S. *Pauli*, Patre cognomine viro Senatorio ſibi ſuperſtite, matre *Annâ* ampliſſ. Reip. *Argentin.* quondam Conſulis, Dn. *Georgii Leimeri* filiâ.

A primâ ſtatim pueritiâ optimis artibus ac diſciplinis imbutus, & per 10. Academiæ patriæ Claſſes ad exteras quoque *Galliæ* & *Italiæ* Academias magnis ſumptibus à parentibus ablegatus eſt: in quibus ſub inſigni imprimis illo *Galliæ* lumine D. *Jacobo Cujacio*, quo Præceptore gloriabatur, quadriennium ab An. C. 1583. ad 1587. conſumpſit: magnamque tum Scientiæ Legalis, tum & civilis prudentiæ copiam domum ſecum reportavit. *Jacobi Cujacii, J. C. diſcipulus.*

Juris Doctor Baſileæ. Undè factum eſt, ut non multò pòſt ſupremam in utroque Jure lauream *Baſileæ* A. 1588. 11. Junii conſecutus, eodem anno deſinente in publicorum Juris Profeſſorum ordinem, Inſtitutionum explicatione ipſi demandatâ, fuerit cooptatus: Quo quidem in munere ita verſatus fuit dextrè & fideliter, ut tandem, Collegarum & totius Academici Senatûs judicio, Profeſſio Pandectarum, tanquàm præmii loco ei fuerit attributa. *Inſtitutionum Profeſſor Argent. & Pandectarum.*

Vix dum verò ſeſquiannum in Academiâ emenſus Viſitator Collegiorum factus eſt A. 1590. & hoc munere, quod triennale eſſe ſolet, confecto, ſtatim Academiæ Viſitator atque Syndicus eſt conſtitutus anno 1593. quæ duo ei officia iterum An. 1602. fuerunt commiſſa. Quin & Anno 1598. 3. Aug. Rector Academiæ deſignatus, id officium graviter & prudenter adminiſtravit. *Viſitator Collegiorum. Syndicus. Rector Academiæ Argentoratenſis.*

Domi verò ſuæ cum honeſtâ conjuge *Annâ*, honorati quondam civis *Sigiſmundi Flachii* filiâ, quam A. 1590. duxit, amanter & concorditer vixit: & liberos utriusque ſexûs (quorum tres filios & duas filias reliquit ſuperſtites) in eruditione & correptione Domini educavit. *Conjugium ejus. & Liberi.*

Febre tandem ardente correptus ſtatim de beatâ ex hâc vitâ migratione cœpit cogitare, omnibusque curis mundanis procul valere juſſis d. 12. Martii An. C. 1604. æt. 44. placidè in Domino exſpiravit. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. D. Johannis Pappi Theol. D. & Prof. Academ. Argent. Rectoris.*

Obiit A.C. 1604.

HUBERTUS GIFANIUS.

B*Atavus*, Juris utriusq; Doctor, Philoſophus, Philologus, & Linguæ utriusque peritiâ clarus. Juvenis operam dedit *Lovanii* & *Pariſiis* politioribus ſtudiis. *Aureliis* ad *Ligerim* Bibliothecam publicam Nationis *Germanicæ* inſtituit. *Juriſconſultus. Autor Bibliothecæ Aurel.*

Argentorati Philoſophiam docuit, Juriſprudentiam verò *Ingolſtadii* 15. annis, ubi ad fidem Catholicam rediit. Cæſari *Rudolpho II.* à Conſiliis *Pragæ* extremum clauſit diem ſepuagenario major, 7. Kal. Aug. A. C. 1604. *Conſiliarius Cæſareus. Moritur.*

Scripſit & edidit: *Scripta.*

Scholia in Homeri Opera à ſe emendata.
Comment. in Politica Ariſtotelis
in Ethica Ariſtot. ad Nicomachum.
de Imp. Juſtiniano, cui ſubjecit Indicem Hiſtor. Rerum Roman.
ad Inſtitutiones Juris Civilis.
ad Tit. de diverſis Reg. Juris.
Collectanea in T. Lucretii Cari de rerum Naturâ Libros, & Lucretii vitam.
Obſervationes ſingulares in Linguam Latinam.
Anatomiam Juris Civilis & Feudalis.
Oeconomiam Juris.
Lecturas Altorfinas in aliquot Tit. Dig. & Cod.
Explanationem difficiliorum materiarum Juris.
Notas in Corpus Juris Civilis.

Tracta-

Digitized

Tractatum de Renuntiationibus, & *de Jure Feudorum.*

Diſputationem de Actionibus Empti & Venditi.

Theſes de Sponſalibus, & Teſtamentis ordinandis.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

* * *

Hubertus Giphanius, aulæ Cæſareæ Conſiliarius, Juriſconſultus & Philoſophus celeberrimus, ſcriptis notus, qui, ſi conſtantiam in religione eruditioni conjunxiſſet, aulamque nunquàm acceſſiſſet, inter laudatiſſimos Anteceſſores referri merito ſuo potuiſſet. At *Lipſium* in mutatione Religionis expreſſiſſe videtur popularem ſuum. Hæc *Georgius Remus* in Epiſtolâ quâdam ad *Johannem Caſelium.*

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

* * *

Buræ in *Sicambris* natus, prima literarum rudimenta *Lovanii* cum imbibiſſet, induſtriam ſuam primò in *T. Lucretio* exercuit, quem poſt *Michaëlem Marullum Byzantinum* (qui tantum autorem miſerè interpolaverat) & ſecundùm *Dionyſium Lambinum* (qui in eo laudabilem operam navavit) nobis meliorem dedit. Deindè ſe totum Juris ſcientiæ mancipavit, Denique *Argentinæ* Jus Civile profeſſus eſt tanto cum plauſu, ut indè magnis ſtipendiis invitatus in aulam Cæſaream migrârit, & qui in adoleſcentiæ æſtu doctrinæ Proteſtantium tunc per *Belgium* invaleſcenti nomen dederat, ſenex ad Majorum ſacra rediit, & Conſiliarii Cæſarei titulo ornatus voce & ſcriptis rem literariam multùm promovit. Obiit *Pragæ* 26. Junii A. C. 1604.

T. Lucretii illuſtrator. *Juris Profeſſor Argentinæ.* *Senex religionem mutavit.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stücken.*

JANUS DOUSA.

Obiit A. C. 1604.

NObiliſſimâ *Hollandiæ* familiâ, ſub annum Chriſti 1545. in Profeſto *Nicolai*, hoc eſt, die quinto Decembris, natus, admodùmque infans parentibus orbatus, *Lyram*, *Brabantiæ* oppidum, ſtudiorum cauſâ eſt amandatus. Ibi prima ejus rudimenta fuerunt ſub *Johanne Fabro.*

Indè ſtatim *Delphos* translatus, *Henricum Junium* Præceptorem habuit, cujus celebris tum temporis ſchola. Huic cum annum unum operam dediſſet, *Lovanium* conceſſit, & mox indè *Duacum*, ubi inſigni *Lucæ Fruterii* ingenio captus, ſtudiorum eum ſocium ac comitem adſcivit; *Lutetiam* cum eo profectus, nobiliſſimum omnium ſcientiarum emporium. Vigebat enim eâ tempeſtate *Gallia* præſtantiſſimis Viris, inter quos *Hoſpitalius, Morellus, Gallandius, Turnebus, Auratus, Ronſardus, Bellajus, Bayfius, Lambinus, Paſſeratius*, alii.

Lutetiæ literis operam dat.

E *Galliâ* in Patriam accerſitus, mox eò rediit, ſummorum illic virorum famâ ac celebritate adductus, à quibus viciſſim propter excellentes ingenii judiciique dotes ſingulariter amatus eſt & æſtimatus.

Indè domum iterum reverſum, ductâ uxore, juvenem etiam tum ſibi Reſpub. vindicavit, atque in ſupremum aggerum curandorum, fluminumque collegium cooptavit, quo munere totos viginti annos functus, ſponte ſe abdicavit.

Interim tenerrimâ affectione complexus eſt condiſcipulos in Academiis *Belgicis*, *Falkenburgium, Giſelinum, Lernutium, Rogerſium, Hadrianum Junium.* In memorabili illâ *Lugduni* obſidione, magnum animi robur oſtendit, ita Principi *Auriaco* probatus, ut tam graviter afflicto patriæ ſtatu præfectura Urbis nemini rectiùs, quàm ipſi committenda crederetur.

Fit Præfectus Urbis Lugdunenſis.

Hanc ubi cum laude obiiſſet, liberatâ mox urbe, cum Academiam inſtituere illic decretum eſſet, nullum Principi ordinibusque tantæ rei auſpicatius nomen viſum eſt, quàm *Jani Douſæ*, cui & bellicâ virtute ſagacitateque, & eruditionis gloriâ parem alterum Reſpublica non habebat. Equidem cum à *Philippo Moro*, Poetâ ac Pictore egregio, blandis verbis pelliceretur, uti cum hoſte in colloquium ſaltem veniret, pollicitus ei Ducis nomine quamplurima privatim ac publicè, nihil illi epiſtolæ reſcripſit, quàm vulgatum illud:

Academiæ Curator.

Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Quid fecerit paſſusve ſit toto arctiſſimæ obſidionis tempore, colligere cuivis licet ex *Odis* ejus *Lugdunenſibus.*

Multiplex erat in viro lectio, incredibilis penè memoria, Græcarum ac Latinarum literarum, hiſtoriæ veteris ac novæ nihil, de quo rogatus non ex tempore reſponderet. Unus ipſe, quod de *Longino* ait *Eunapius*, erat βιβλιοθήκη τις ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον: Unus *Bataviæ Varro* & Academiæ commune oraculum. Et cum hâc quidem doctrinâ tàm eximiâ, cœteræ etiam virtutes certabant, Comitas, Candor, Urbanitas ac modeſtia. Ob quas non *Batavis* modò aut *Belgis*, ſed & *Gallis, Germanis, Anglis, Bohemis, Polonis*, atque adeò ipſis in *Turciâ Græcis*, *Europæis* pariter atque *Aſiaticis* in honore ac pretio fuit, æſtimantibus magni viri virtutem etiam tàm longè diſſitis gentibus, vel ex inſigni filiorum indole, quorum medius *Conſtantinopoli* aliquandiu egit, perque *Poloniam* domum redux, mortuus eſt deindè in peregrinatione *Indicâ Orientali.*

Eruditio ejus accuratiſſima.

Hoc autem habuit inter alia egregium, quod à juventute literatâ libenter pateretur ſe adiri. Undè quamdiu *Lugduni* domicilium habuit, eximiè dilexit dilectusque eſt à *Georgio Benedicto Franckammio, Johan. Caſtrio, Jano Grutero, Dominico Baudio, Adr. Bleyenburgio*, aliiſque quamplurimis, quorum ἀμοιβαῖα paſſim leguntur.

Literatorum Patronus.

Geſſit Academiæ curam annos undetriginta, quo medio tempore, cum ad patriæ annales conſcribendos animum adjunxiſſet, archivorum item publicorum cuſto-

diam in ſe ſuſcepit: Deindè in ſupremæ quoque curiæ Senatum adſcriptus, tredecim in eo munere annis laudabiliter exactis, ex mortalibus abiit A. Chriſti 1604. ætatis ſuæ 59. Mortuum panegyrico ſive laudatione funebri proſecutus eſt *Daniel ille Heinſius* V.Cl. Epitaphium eidem ſcriptum legitur ejusmodi:

Moritur.

Epitaphium.

Siſtas viator, Douiſci manes rogant
Tempus exiguum, moramq́; parvam
Quem terra novit Troiciq́; pallida
Mater Memnonis, integerque Phœbus.
Quiq́; emerentem ſurripit terræ diem,
Non iſti gemitusque tibiæque
Inane murmur, ſordidamque næniam.
Mendicant cineres vagumq́; leſſum:
Fractique raucos æneatoris modos:
Sed plenas tibi lacrymas remittunt.
Cui tota luctum deſtinat tellus ſuum,
Unius ſcelus eſt ciere voce.

Fuit & hic verè è paucis χωρὶς ἀρίστων μόνον ἀγαθῶν, qui plurima & in patriâ geſſit, & pro eâ legationes obivit plurimas, nec ullius ore ſæpiùs locuta eſt *Batavia*, quàm *Douſico*. Cumque eodem tempore & Academiæ curam ſuſtineret, & Reipublicæ, obſidebatur quotidiè ejus limen, ſollicitabantur fores & atria implebantur. Ipſe verò admittebat omnes, non in ædes tantùm, ſed in animum, humanitatem exhibebat omnibus, omnes aut menſâ exceptos dimittebat, aut domo. Nihil enim optimum eſt, quod non commune ſit; & viri magni etiam indignos interdum complectuntur, ne pauciores juvent.

Ejus Humanitas.

Scripta ab eo in Poſterorum commodum edita hæc ſunt:

Scripta.

Epigrammatum, ſatyrarum, elegiarum, ſylvarum libri.
Nova Poëmata Lugdunenſia.
Notæ ad Salluſtium.
Epodon liber ex puris Jambis.
Odæ Britannicæ.
Elegiarum & Epigrammatum liber.
Præcidanea ad Petronium Arbitrum.
Centurionatus ad Paulum.
Præcidanea ad Catullum.
Præcidanea ad Tibullum.
Schediaſma ſuccedaneum ad eundem.
Commentariolus in Q. Horatium.
Appendix ad eundem.
Epiſtolæ apologeticæ duæ: una de annalibus Bataviæ: altera pro Prætore Nottwiceno, peregrinitatis reo.
Annales Hollandiæ carmine.
Iidem proſâ oratione à filio incepti usque ad Diſtericum IV.
Echo, ſive *Halcedonia cum novis epigrammatis & elegiis.*

Procuravit itidem, ut ederentur ab aliis ſcripta, è quorum cenſu ſunt:

Batavia Hadriani Junii.
Inſcriptiones antiquæ Smetii.
Lucæ Fruterii opuſcula, quæ commendata à moriente Auctore *Oberto Giſanio*, cum hic non curaret excudenda, *Douſa* id fecit, ablatis, illo abſente, exemplaribus. Undè inter utrumque ſimultates ortæ, ut ex *Douſæ* carminibus apparet; nec diſſimulat *Lambinus* in præfatione ad *Lucretium*.

Confecta partim, partim adfecta nec edita *Douſa* reliquit:

Præcidanea in Juvenalem.
Volumina aliquot epiſtolarum.
Fragmenta omnia veterum Oratorum, Poëtarum, Hiſtoricorum.

Ex Melch. Adami Vitis Germ. JCtorum.

NICOLAUS THEOPHILUS.

Obiit A. C. 1604.

NAtus eſt in oppido Ducatûs *Sleſvicenſis Flensburgo* An. C. 1541. Patre *Nicolao Johannis* f. Miniſtro verbi Dei ad D. Virginem, & Eccleſiarum vicinarum Præpoſito: Matre *Annâ Laurentii* f. qui hunc filiolum in Scholâ patriâ primùm in pietate & literis curârunt educari: cumque attigiſſet an. ætatis 14. ad Scholam *Lubecenſem* miſerunt, in quâ triennium commoratus eſt, donec cum Rectore *Wittebergam* vocato indè exiret, & paulò pòſt proficiſceretur *Roſtochium*, commendatus clariſſimis Viris D. *Arnoldo Burennio* & D. *Davidi Chytræo*, apud quos vixit quinquennium, & profecit plurimùm cum in Philoſophiâ tum Medicinâ.

Diſcipulus in Scholâ Lubecenſ.

Roſtochii.

Amiſit eo tempore Patrem, qui 34. annos *Flensburgenſes* fidem Evangelicam docuerat; & propterea animum adjunxit potiùs ad ſtudium Juris Civilis, in quo ibi Præceptores invenerat eximios. Indè *Jenam* profectus eſt an. ætatis 23. & pòſt *Ingolſtadium*, ubi Jura etiam docuit aliquandiu cum laude & admiratione.

Juris ſtudioſus.

Jura docuit Ingolſtadii.

Quod autem à puero ſe exercuiſſet in Poëſi, atque eò etiam propenderet ingenium feliciter, impellebatur ab amicis, ut Lauream Poëticam acciperet à *Maximiliano II.* in arce Regiâ *Poſonio* A. 1567. Et teſtantur etiamnum ipſius Epigrammata, quæ edita ſunt, & alia, quæ poſt ſe reliquit Carmina, quàm felix fuerit in illo genere.

Poëta Laureatus.

Vocatus erat in *Sueciam*, à *Magno*, *Guſtavi* Regis, filio, ſed cum videret omnia ſpectare ad motûs graves, ſeceſſit in *Poloniam*, indè in *Italiam* & *Galliam*, donec *Roſtochium* redierit, ubi promotus eſt ſolenniter utriusque Juris Doctor 26. Sept. A. 1569.

Juris Doctor Roſtochii.

Vocatus eſt paulò pòſt ab Illuſtriſſimo Principe *Wilhelmo*, *Landgravio Haſſiæ*, in cujus aulâ vixit primùm Notarius, deindè Secretarius, donec ipſum tandem Princeps propter induſtriam & dexteritatem in Ordinem Conſiliariorum cooptaverat.

Conſiliarius Haſſiacus.

Duxit ibidem *Conradi Neid*, Principis *Philippi Landgravii Haſſiæ* ſtabuli Subpræfecti viduam *Annam Zaan* A. 1571. cum quâ placidè exegit annos 28. ſed ſine liberis.

Utebatur *Landgravius* ipſius operâ frequenter in Illuſtribus Legationibus, tum ad Electores & alios Principes, tum imprimis ad Sereniſſimos Reges *Daniæ Fridericum II.* & *Poloniæ Stephanum Batterium.*

Legatus ad Reges Daniæ & Poloniæ.

Sed commodè accidit, ut cum ita adiret Comitia

Comitia *Othonienſia*, A. 1581. de voluntate Sereniſſimi Regis *Friderici II.* ipſum vocârit generoſus Dom. *Nicolaus Kaas*, Cancellarius Regius, & Academiæ *Hafnienſis* Conſervator, qui D. *Knoppero* ſuccederet, & Jura publicè in Regiâ Univerſitate *Hafnienſi* doceret.

Juris Profeſſor Hafniæ.

Impetravit igitur dimiſſionem, ſed difficulter, à Principe ſuo *Landgravio*, atque ita cum uxore & familiâ *Hafniam* profectus eſt. Vixit in hâc Academiâ annis 23. Ibi A. 1603. Doctorem Juris creavit *Jonam Chariſium*, Med. Doctorem. Ter geſſit Summum Magiſtratum Scholaſticum. Interfuit intereà magnis Legationibus ad Imperatorem, Electores, in *Angliam* & *Scotiam*.

Legatus ad Imperatorem.

Calculo & morbo articulari ſæpiùs afflictus accedente tandem tabe placidè exſpiravit 2. Nov. Anno C. 1604. ætatis Climacterico 63. Funus Civibus Academicis Programmate publico à Rectore Acad. D. *Joh. Paulo Reſenio* indictum eſt.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Diſputatio de Teſtibus Forenſibus.
De Homicidio legitimo.
De Tutelâ, præmiſſa Doctorali Promotioni Jonæ Chariſii.
De diverſis Regulis Juris antiqui.
De Privilegiis Studioſorum.
Epigrammata.
* *Ex Acad. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

DIONYSIUS HARDUINUS.

Obiit A.C. 1605.

Gandenſis, Franciſci frater, Juris utriuſque Doctor, vir multæ lectionis & diligentiæ, Cauſarum militarium per *Flandriam* Auditor. Diem extremum clauſit in Patriâ, & ſepultus in D. *Michaëlis* hoc Epitaphio:

J.C. & Cauſarum militarium Auditor.

Epitaphium.

DIONYSIO HARDUINO THOMÆ F.
J. U. D.
IN ITALIA, BELGIO CIVILIBUS MILITARIBUS MAGISTRATIBUS HONESTE FUNCTO:
HIC QUIDEM PRÆTER ALIOS JURIDICI MILITUM SEU AUDITORIS PER FLANDRIAM ORIENT. ET PROTOSCABINI PERPETUA AD S. BAVONEM IN PATRIA GANDAVO: ILLIC VERÒ DIOECESIS CASSANENSIS IN CALABRIA VICARII, ET GUBERNATORIS GENERALIS.
OBIIT IV. JANUARII MDCV.

Juſtus Rychius adoleſcens concivi ſuo hoc illi luſit *Epitaphium*:

Si mens Juſtitiæ cultrix, Probitasque, Fidesque
Communi eriperent pectora ſancta nece;
Immortalis eras, Dionyſie, ſanctaque nunquàm
Stamina fatalis diſſolviſſet anus.
Sed quia communi nihil exit lege ſolutum,
Juſtitia hîc, Probitas, & jacet Alma Fides.

Scripſit multa, quorum major pars extat in Bibliothecâ *Emanuelis Sueyro* M.S. videlicet:

Scripta.

De Scriptoribus Flandriæ Lib. quo uſus Ant. Sanderus in ſuis Flandriæ Scriptoribus.
De Magiſtratibus Flandriæ Lib. ſingularis.
De Præſidibus Flandriæ.
Hiſtoria Eccleſiaſtica Flandriæ.
De Gandavo.
De Nobilitate Burgundicâ, Namurcenſi, & Leodicenſi.
De Illuſtribus Zeelandiæ Familiis.
De Nobilitate Hiſpanicâ.
Elogia gentis Farneſiæ.
De Titulis ac Principibus Regni Neapolitani.
De laudibus Heroum gentis Vitelliæ apud Ant. Sanderum M.S.
Epitaphia & Inſcriptiones Sepulchrales.
* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

SIMON MARIONUS.

Obiit A.C. 1605.

Noviodumo Heduorum, ſive *Nivernio*, perhoneſtâ familiâ natus, Juris ſcientiâ ac Eloquentiâ imprimis in foro *Pariſienſi* diu claruit, quod actiones aliquot forenſes ab eo editæ teſtantur.

Advocatus Pariſienſis.

Dein ad dignitates evectus ſe ſemper iis parem præbuit, & Patroni fiſci munus pari eloquentiâ & ſolertis judicii laude exercuit, Jura regia, libertatem publicam, Regni dignitatem ubique conſtanter tutatus. Obiit *Lutetiæ* 3. Id. Febr. A. C. 1605. æt. 65. & ad S. *Mederici* ſepultus eſt. *Thuan. l.* 134.

Patronus fiſci.

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES ZAMOSCIUS.

Obiit A.C. 1605.

Magnus exercituum in *Poloniâ* Generalis & Regni Cancellarius, cuſtos legum, defenſor libertatum, commune perfugium bonorum, fulmen bellorum, terror hoſtium, deliciæ literarum ac literatorum.

Natus eſt patre *Staniſlao*, Caſtellano *Chelmenſe*, militiâ claro & Regio Senatore.

Ortus nobilis.

Puer primæ literaturæ Præceptore uſus eſt *Alberto Oſtrowski*, Gymnaſiarchâ *Craſnoſtavenſi*, ubi cum celeriter æquales ingenii gloriâ ſuperâſſet, in *Gallias* ſe contulit, & duces ſibi elegit in ſtudiis humanioribus *Adrianum Turnebum* ac *Dionyſium Lambinum*; *Jacobum* verò *Carpentarium* in Philoſophiâ, *Petrum à Pena* in Mathematicis ſcientiis Præceptorem ſumſit. Juri quoque operam dederat in urbe *Patavina*, in quâ & Rector Academiæ creatus, munere eo cum laude perfunctus eſt.

Rector Patavii.

M. Majo An. 1583. Conjugio junctus eſt cum *Griſelide Battoreâ*, *Chriſtophori* Principis *Tranſſylvaniæ* filiâ, quâ defunctâ, conjugium reiteravit cum *Barbarâ* Comitiſſâ *à Tarnow*, ex quâ filium reliquit duodecennalem *Thomam Zamoſcium*, virtutum patriarum hæredem, quem Rex *Sigiſmundus III.* in Senatum vocavit, titulo *Palatini Chiovienſis*, quique non ſolùm ore Magnum pa-

Conjugium ejus.

Filius ejus Thomas.

trem retulit, ſed etiam ingenio, memoriæ capacitate, intelligendi acumine & Rempublicam adminiſtrandi auctoritate.

Bellator ſtrenuus.

Quantus autem vir bello fuerit, acta illius heroica fidem faciunt, qui Menſ. Jan. A. 1588. *Maximilianum*, Archiducem *Auſtriæ*, Regem electum *Poloniæ*, & iterum rejectum prœlio vicit, triduoque poſt captum *Lublinum* miſit.

M. Octob. A. 1595. Exercitu vix 10000. inſtructus *Tartatorum* 70000. in *Moldavia* profligavit, ut *Chamum Tartarorum Præcopenſium*, *Henzy Cherey*, inducias petere, pacem perpetuam regno *Poloniæ* juramento promittere, & intra triduum *Moldavia* excedere coactus fuerit.

Zamoſcii oppidi fundator.

Zamoſcium, *Poloniæ* Civitatem, propriis ſumptibus à fundamento exſtruxit, & ibidem Muſis domicilium erexit. Ibidem dum inter meditationes in ſellâ ſederet, apoplexiâ gravi correptus obdormivit 3. Junii A. C. 1605 ætat. 63.

Obiit apoplexiâ.

Funeris ipſe ſui cantator vivens *Epitaphium* hoc ſibi ab animo alto alienum fecit:

Epitaphium.

JOANNES SAMOSCIUS
QUICQUID MORTALE HABUIT HIC
DEPONI JUSSIT.

Edidit:

Scripta.

Lib. de Senatu Romano.

Syntagma de perfecto Senatore.

Orationem diſertam, quam habuit ad *Henricum Valeſium*, cum Legatus à Republicâ cum aliis 12. viris Senatorii Ordinis miſſus ipſum ad Regnum *Poloniæ* cupiendum invitaret.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

* * *

Johannes Sarius Samoſcius à puero in literis egregiè inſtitutus, quas totâ vitâ coluit, in *Italiæ* poſteà Gymnaſiis adoleſcentiam exegit, & arctâ cum *Carolo Sigonio* familiaritate vixit. In patriam reverſus, & Vicecancellarius Regni *Poloniæ* creatus, cum *Henricus Andium* Dux, *Henrici II. Galliæ* Regis filius, in Regem electus eſt, in *Franciam* legatione miſſâ inter primos comparuit, & Oratione luculentâ in publico Regis *Caroli IX.* & omnium Regni procerum conſeſſu habitâ, Regem eum renuntiavit.

Vicecancellarius Poloniæ.

Legatus in Galliam Henricum Regem Poloniæ renuntiavit.

Deindè poſt Regis in *Galliam* reditum novo Regi creando egregiam operam navavit, & *Stephanum Bathorium*, *Daciæ* Principem, contrà *Auſtriacorum* prenſationes tutatus eſt.

Cancellarius.

Militiæ Dux ſupremus.

Deindè ex Cancellario Regni, quam dignitatem totâ vitâ retinuit, exercituum Imperator à *Stephano* creatus, eandem, quam in negotiis explicandis, in re bellicâ ſolertiam adhibuit, & per bella *Moſchica* magnam ſui famam excitavit. Eandem, quam in *Stephani* creatione, in *Sigismundo*, *Sueciæ* Principe tuendo fidem præ ſe tulit, & ſub eo extremam ætatem in *Livonicis* bellis contrà *Moſchos* & contrà *Carolum Sudermanniæ* Ducem, Regis patruum, exercuit.

Inter has curas nuſquàm literarum ſtudia intermiſit, & inſignem Academiam in Urbe cognomine à ſe conditâ in *Belſenſi* præfecturâ 7. à *Leontopoli Ruſſiæ Polon.* metropoli milliaribus inſtituit, & An. 1593. Idib. Maji ludum aperuit, Profeſſoribus eximio ſtipendio ad eum *Cracoviâ* evocatis.

Academiam condidit.

Poſtremò aulæ pertæſus, neque ſatis gratum Principem, quem tot benefactis demeruerat, ergà ſe expertus, domum ſe contulit, & apoplecticus deceſſit.

Funus ejus magno apparatu celebratum plùs quàm 5000. ex Nobilitate eò confluentibus, inter quos 2000. inſignium militum, cum magnâ Senatorum frequentiâ.

Apparatu ſplendido tumulatus.

Novitatis ſtudio tributum, quod cum ſummâ non ſolùm conſiliorum, ſed etiam affectuum conſenſione *Stephanum* Regem coleret, qui impensè *Jeſuitas* in Regno fovit, tamen in ſuâ *Samoſcianâ* Academiâ nullos ex eorum Societate admiſit: quod etiam *Philippum Hiſpaniarum* Regem feciſſe quidam obſervârunt.

Jeſuitas odit.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOACHIMUS AXONIUS.

Obiit A.C. 1605.

G*Ravianus*, Juris utriuſque Doctor, Poëta, & Philologus utriuſque Linguæ peritus, *Belgicis* Principibus à Conſiliis maritimis *Italiam*, *Hiſpaniam*, *Galliam*, *Germaniam*, *Græciam*, *Mediam*, & *Terram Sanctam* perluſtravit. *Antverpiæ* extremum ſpiritum effudit, plenus dierum, & conditus in D. *Jacobi*, hoc Epitaphio:

Conſiliarius Belgicus.

Moritur.

Epitaphium.

HUMILES ALTA JUVANT.
JOACHIMUS AXONIUS GRAVIANUS J. U. D.
PRINCIPIBUS NOSTRIS A CONSILIIS
MARITIMIS.
BARBARA DE MANGELAER
EJUS UXOR,
MAGNUS WAUTHERUS
GASPARIS ET BARBARÆ PRÆDICTÆ F.
MORTALITATEM EXUTI HIC QUIESCUNT,
DUM IMMORTALITATEM INDUANT.
OBIERUNT ANTVERPIÆ
ILLE VIII. KAL. SEPT. ISTA PAULO POST
VII. KAL. OCT. ANNO CHRISTI CIↃ IↃ CV.
HIC V. ID. OCT. ANNO CIↃ IↃ CIV.
DEFUNCTIS BENE APPRECARE.
ADRIANUS MARSELAER GENERO,
CUM MARGARETHA DE WYSE MAGNI
PRÆCLARA VIDUA
PIAM MEMORIAM PROCURANTE.

Scripſit:

Scripta.

Epicedion & Monumentum in mortem Antonii Burgundi, Regis Catholici nomine apud Belgas Maris Præfecti.

Nuptiale in nuptias Philippi Lalani Comitis.

De ventorum naturâ ex Ariſtotele, aliiſq; Philoſophis formâ Tabulæ.

De libero hominis arbitrio, contrà Lutherum & Calvinum.

Carmen in laudem Coſmographiæ.

Maximi Planudis Orationem in Sepulchrum Chriſti, è Græco verſam.

Excerpta

Excerpta Heſiodi de Juſtitiâ.

Gregorii Palami, Philoſophi Græci Dialogum, cui titulus: Lis inter Corpus & animam, & Dei judicium illud dirimentis.

Agapeti præcepta morum ad Juſtinianum Imp. cum Ferrando Diacono Carthaginenſe, de officiis pii & verè Chriſtiani Ducis militaris.

Ad Archiduc. Matthiam Belgii Gubernatorem.

Itinerarium docto ſtylo manuſcriptum.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

STANISLAUS RESCIUS.

Clar. A.C. 1606.

PAtriâ *Poſnanienſis*, à teneris ferè annis in ſinû Cardinalis *Hoſii* educatus, bonas artes & bonos mores imbibit, illiusque ipſius exemplo ad pietatem informatus, per omne tempus Concilii *Tridentini* Secretarii titulo ornatus, in ejus familiaritate vixit.

Secretario in Concilio Tridentino.

Doctoris laureâ pôſt, Canonicâque apud *Varmienſes* dignitate aucto, in *Gallias* ad *Henricum Valeſium*, *Poloniæ* Regem renuntiatum Legatio *Romæ* obvenit, ut illi novam eam dignitatem nomine Cardinalis ſui gratularetur, fidemque ſimul ac ſubjectionem deferret.

Legatus in Galliam.

Indè reverſo Sigillatoris officium in tribunali S. Pœnitentiariæ commiſſum, ac tandem à Rege *Stephano* in patriam revocato Abbatia Sodalium Sacrorum *Andreovienſium* data: quâ auctus Legatum ad *Gregorium XIII.* & *Sixtum V.* Pontifices Maximos Regis ſui ac Reipublicæ nomine egit.

Abbas.

Legatus ad Papam,

Iterum juſſu Regis *Sigiſmundi III.* obivit Legationes ad Rempublicam *Venetam*, *Ferdinandum*, *Hetruriæ* Ducem, Regnum *Neapolitanum*, & demùm ad Papam, *Clementem VIII.* cui & obedientiam nomine ſuæ Majeſtatis fecit, & in causâ Canonizationis D. *Hyacinthi* plurimùm laboravit.

& Rempublicam.

Scripta ab eo edita, ſunt ſequentia:

Scripta.

Lib. pro augmento fidei Orthodoxæ.

Lib. Spongia intitulatus.

Pro defenſione Patrum Soc. Jeſu.

Miniſtromachia Atheiſmi, & Phalariſmi.

Vita Cardinalis Hoſii.

Paraphraſis 7. Pſalmorum Pœnitentialium.

Admonitio Polonica.

Sermones de Sacerdotio.

Pia Progymnaſmata.

Lib. Epiſtolarum familiarium.

Tractat. de Majeſtate Sedis Apoſtolicæ.

* *Ex Elogiis centum illuſtr. Polon. Scriptor. Simonis Starovolſcii.*

SOFREDUS CALIGNONUS.

Obiit A.C. 1606.

NAvarræ Cancellarius *Gratianopoli* in *Allobrogibus* natus, vir ingenio, doctrinâ, rerum uſu & in iis explicandis ſolertiâ ac morum ſuavitate cum paucis comparandus.

Cancellarius Navarræ.

In Edicto *Nannetenſi* condendo cum *Jacobo Auguſto Thuano* communem operam per triennium navavit. Totâ vitâ jucundus, quæ ſubitò in mœrorem verſa, cum in morbum lethalem incidit, tunc gravedine primùm tentatus, cum ad vocem *Jacobi Auguſti Thuani* amici ſe excitâſſet, ſtatim ei vocem hanc funeſtam reddidit, *Non tam viris bonis vitam eſſe optabilem*, nec multò pòſt exſpiravit A.C. 1606. ætatis 57.

Edicti Nannetenſis conditor.

Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

CORNELIUS NEOSTADIUS.

Obiit A.C. 1606.

SEvenhovæ & Cuyckæ Dominus *Brielæ* natus eſt A. C. 1549.

Cùm adoleviſſet, ſtudiorum causâ *Duacum* in *Galliam* ablegatus, exacto aliquo tempore in Patriam rediit, & Academiam *Lugdunenſem* recens erectam acceſſit, in quâ primus Doctor Juris renuntiatus, mox etiam Profeſſor factus eſt.

Leydæ primus Doctor Juris & Profeſſor.

Hinc *Hollandiæ*, *Zeelandiæ*, *Friſiæ*que Occidentalis, Curiæ Senator primarius, & tandem Curator Academiæ *Leydenſis*, obiit *Hagæ* Comitum A.C. 1606. æt. 57.

Curator Academiæ.

Moritur.

Edidit:

Scripta.

Tractatum de Feudis Hollandicis, & Friſiæ Occidentalis.

de Pactis antenuptialibus.

Obſervationes rerum judicatarum.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

HIERONYMUS FRANCUS.

Obiit A.C. 1606.

DUacenus Juriſconſultus. Cum *Germaniam* & *Helvetiam* luſtrâſſet, *Friburgi* Jus Civile publicè interpretatus eſt. In *Belgium* redux annos aliquot Reip. ſuæ à Conſiliis fuit. Deindè ad magnum Senatum *Belgicum* vocatus: poſtremum Præſes Concilio *Arteſii* datus eſt. Obiit plenus dierum A.C. 1606.

Juris Profeſſor Friburgi.

Senator Belgicus.

Præſes Concilii Arteſiæ.

Moritur.

Scripſit.

Scripta.

Commentar. ſolidos in Regulas Juris Civilis.

Hiſtoriam erectionis Academiæ Duacenſis, cui plurimùm inſudavit.

Reliquit filium *Rainutium*, Paternæ doctrinæ & dignitatis hæredem, qui poſteà Præſes Conſiſtorii *Machlinienſis* renuntiatus eſt.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

LAURENTIUS FINCKELTHUSIUS.

Obiit A.C. 1606.

LIpſienſis, Reipublicæ *Lubecenſis* Advocatus & Protoſyndicus, Juris Doctor renuntiatus *Lipſiæ*, Promotore D. *Matthiâ Colero*, à Scribâ ſuo, quem acrius objurgârat, ferro in ſiniſtro latere ictus, & crure ſauciatus nocte ſequente exſpiravit *Lubecæ* 11. Martii A.C. 1606.

Protoſyndicus Lubecenſis.

A Scribâ ſuo occiſus.

* *Ex Catalogo vel Indice Chronologico Abrahami Buchholtzeri.*

HIERONYMUS TREUTLERUS.

Obiit A.C. 1607.

SUidnicenſis Sileſius, J.C. celebris, Cæſareus in Regno *Bohemiæ* Conſiliarius, & Fiſci Regii per utramq; *Luſatiam* Advocatus, Vir fuit doctiſſimus, cujus ſolertiæ ad

Conſiliarius Cæſareus.

Juris Conſultus. Scripta.

Jus Civile Juſtinianeum Pandectis comprehenſum Diſputationes in omnium Juris ſtudioſorum manibus ſunt.

Moritur.

Obiit *Budiſſinæ Luſatiorum* An. C. 1607. ætat. 42.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt, & ex Indice Chronologico Abrahami Bucholtzeri.*

* * *

J.U. Doctor creatus. Oratoria Profeſſor Marpurgi.

Hieronymus Treutlerus, cum nequaquam elinguis, Juris Civilis intelligentiâ & omni prudentiæ genere præſtaret, an. 1590. die 29. Januarii publicum eruditionis in U. J. à *Vigelio* cepit teſtimonium & lauream, atque eodem anno, cùm *Philippus Matthæus* provinciâ, quam in dicendi arte explicandâ ſuſtinuerat, decederet, in hanc muneris publici partem toto animo & omni ſtudio incubuit, ut ejus potiſſimùm operâ appareret, quantam vim habeat accurata & facta quodam modo creatio.

Munus Syndici Urbis Budiſſinæ in Sileſiâ adminiſtravit.

Sed biennio pòſt locum mutavit, ac munus Syndici urbis *Budiſſinæ* in *Sileſiâ* partes peragendas evocatus, quamvis nec illic diu admodùm ſubſtiterit.

Conſiliarii munus obiit. Nobilitatis Jure ab Imperatore donatus eſt.

Nam Imperator virum abundanti doctrinâ & incredibili quâdam varietate atque copiâ in perſpiciendis rationibus conſtituendæ & regendæ Reipublicæ oculatiſſimum maximis propoſitis prœmiis vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem, ut Conſiliarii obiret munus, invitatum & nobilitatis jure donatum, primum ex novis hominibus, qui id decus eruditione promeruerunt, ampliſſimo honore affecit.

Scripſit & edidit:

Scripta.

Diſputationes è Juſtinianeis Inſtitutionibus conſcriptas.

Syſtema Rhetoricum aliorum operâ editum.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1607.

WILHELMUS RUDOLPHUS MECKBACHIUS.

IN *Haſſiâ* natus A.C. 1543. Patrem habuit nobilem virum *Johannem Meckbachium*, Arcis *Grünenbergæ* in *Haſſiâ* Præfectum, ob facundiam, & rei militaris peritiam *Philippo* Seniori, *Haſſiæ* Landgravio, ejuſque filio *Wilhelmo* charum: Matrem *Margaretam Steuberiam à Nellenburg*, familiæ ſuæ nobilis ultimam.

Cum adoleſcens in Academiâ *Marpurgenſi* principia Juris percepiſſet, illud in Academiâ *Jenenſi* continuavit, ibique *Margaretham*, D. *Henrici Schneidewini*, Conſiliarii *Saxonici*, Cancellarii *Vinarienſis* filiam, thori conjugalis ſociam futuram, parentum ex utrâque parte conſenſu, ſibi delegit.

Juris Licentiatus Aureliæ.

Deindè ſtudii Juridici abſolvendi gratiâ *Lovanium* profectus, exindè *Lutetiam Pariſiorum* Academias *Bituricenſem* & *Andegavenſem* inviſit, & *Aureliam* reverſus, Gradum Licentiati in Jure ſuſcepit.

A. 1565. In patriam reverſus, cum ſponsâ ſuâ nuptias ſolenniter in arce hæreditariâ *Grunbergâ* celebravit, & anno ſequenti

Juris Doctor Marpurgi.

Marpurgi, promotore D. *Johanne Oldendorpio*, Juris utriusque Doctor renuntiatus eſt.

Conſiliarius aulicus Haſſiacus.

Brevi pòſt *Wilhelmus*, *Haſſiæ* Landgravius, per literas acceſſitum Aulæ ſuæ Conſiliarium conſtituit, & ad varia negotia Legatum adhibuit.

Cancellarius Coburgenſis.

Hâc ratione cum Ducibus *Saxoniæ* innotuiſſet, cum Cancellarium *Coburgi*, conſentiente & ægrè dimittente Landgravio, conſtituerunt, quod munus ſeptennio cum laude adminiſtravit.

Poſteà verò revocatus ab *Haſſiæ* Landgravio, rediit ad priſtinum Conſiliarii munus, & varias Principis ſui nomine Legationes obivit.

Cancellarius Magdeburgicus.

A. 1585. Vocatus ab Adminiſtratore Archiepiſcopatûs *Magdeburgici* poſteà Electore *Brandenburgico*, Cancellarii munus aggreſſus, illud 12. annis usque ad A.C. 1598. ſummâ cum fidelitate obivit, multasque Legationes ad Cæſarem *Romanum* & Regem *Poloniæ* domûs *Brandenburgicæ* nomine expedivit.

Conſiliarius Regis Daniæ.

Famâ itaque indies inclareſcentem non tantùm Sereniſſ. *Daniæ* Rex *Fridericus II.* Conſiliarium ſibi conſtituit, ſed ètiam Imperator *Rudolphus II.* ſæpiùs in arduis negotiis conſilio ejus uſus eſt.

In prædio ſuo obiit.

Vitæ tandem aulicæ pertæſus, in prædium ſuum *Helmſtorfium* ſecedens, vitam tranquillam duxit, usque dum morbo correptus & viribus deficientibus inter amplexûs uxoris, præſente Medico D. *Theophilo Kentmanno*, morte beatâ ſublatus obdormivit 24. Febr. A.C. 1607. ætatis 64. Sepultus *Halle* in Templo primario.

Filios reliquit tres, *Reinhardum Wilhelmum, Burchardum Henricum*, Capitaneos, & natu minorem *Wilhelmum Mauritium*, cum filiabus duabus honeſtè elocatis.

* *Ex Concione funebri D. Johannis Olearii, Superintendentis Hallenſis.*

Obiit A.C. 1607.

JOHANNES ANTRECHTUS.

BAttenburgi, *Haſſiæ* ſuperioris oppido natus eſt 6. Dec. A. 1544.

Patre *Henrico*, ejus oppidi Senatore, Matre *Gertrude Sinſinâ*.

Mercaturæ addictus. Literis operam dat.

Patre A. 1561 è vivis ſublato, de cognatorum conſilio *Antverpiam* ad Mercatorem quendam profectus eſt: ſed cum literarum deſiderio flagraret, *Marpurgum* adiit, & in pædagogio pueros aliquandiu informavit.

Deindè ſcholaſtico pulvere relicto, *Argentoratum*, *Baſiléam*, *Tigurum* & *Genevam* perluſtravit.

Juris Doctor.

Tandem *Galliam* peragravit, & in reditu *Baſiléæ* Juris Doctor ſolenniter renuntiatus eſt.

Aſſeſſor Curiæ Haſſiacæ.

A. 1575. *Marpurgum* reverſus, à *Wilhelmo* & *Ludovico Haſſiæ* Landgraviis accitus eſt, ut Aſſeſſorem in curiâ ageret.

Conſiliarius & Cancellarius.

A. 1580. Ab *Haſſiæ* Landgravio *Wilhelmo Caſſellas* ad Conſiliarii munus evocatus, An. 1592. Ab ejusdem filio *Mauritio* Cancellarius deſignatus eſt.

Tandem

Moritur. Tandem viribus collapſis, accedente Catarrho, animam DEO reddidit 20 Maji An. 1607. anno ætatis climacterico magno, cum domui *Haſſiacæ* annis 32. fideliter ſerviiſſet.

In Conjugio cum *Catharinâ*, *Juſti Vulteji*, Hebrææ linguæ Profeſſoris *Marpurgenſis*, filiâ unicâ 31. annos exegit, ſuſceptis ex eâ 12. liberis, quorum cum matre viduâ 10. ſuperſtites reliquit.

Obiit A. C. 1607.

JACOCUS KIPSIUS.

Honeſtis parentibus in hanc lucem editus fuit *Argentorati*, Patre *Valentino*, Reipubl. XVviro, & *Margarethâ* ex antiquâ *Gottesheimiorum* familiâ oriundâ.

Ab his Parentibus in verâ pietate educatus, cum animum ad mercaturam adjeciſſet, in *Galliam* & *Belgium*, cum linguæ addiſcendæ causâ, tum hominum mores & inſtituta cognoſcendi gratiâ fuit ablegatus.

Uxorem duxit. E quibus Provinciis domum reverſus A. C. 1566. ætatis 25. matrimonium contraxit cum virgine *Marthâ*, Dom. *Georgii Ingoltii* filiâ. Quo ex tranquillo & fœcundo conjugio filios ſuſcepit 4. & filiam unicam: è quibus filius tantùm unus ſuperſtes Dom. *Jacobus*, Gener Dn. *Johannis Ludovici Havenreiteri*, Med. D. & in Academiâ Profeſſoris.

Cum induſtriæ & fidei in aulâ generoſi Comitis ab *Hanau* perhibuiſſet ſpecimina, A. 1580. concredita ei & demandata fuit ab ampliſs. Reipublicæ Magiſtratu cura & adminiſtratio Præfecturæ in *Herrenſtein*. *Præfectus in Herrenſtein.* Quo in officio ita ſe commendavit annos 11. ut abſentis etiam ratio habita, & à tribu, in quâ nomen ſuum profeſſus, in numerum Scabinorum relatus fuerit. *Scabinus Argentoratenſis.*

Iterum nupſit. Uxore verò defunctâ, ad ſecundas nuptias A. 1590. tranſitum fecit cum matronâ honeſtâ deſponſatus *Marthâ à Moltzheim*, relictâ viduâ D. *Caroli Lorcheri*, Reipublicæ patriæ Conſulis & Academiæ Scholarchæ.

XV vir. Anno ſeq. in Senatum lectus, & in XV-virorum ordinem cooptatus fuit, in eodemque Magiſtratu Anno 1598. confirmatus. *Conſul.* Tertiò officio Conſulatus eſt functus primò quidem An. 1594. quo ipſo anno 2. Octob. Scholarcha Academiæ electus: *Scholarcha.* poſtmodùm A. 1600. & demùm 1606.

Legationes 22. obiit. His gubernationis & adminiſtrationis ſuæ annis Legationes 22. Reipubl. cauſâ obiit, inter quas non poſtrema, quâ A. 1603. Comitiis Imperii *Ratisbonæ* habitis interfuit.

Ardenti tandem febriculâ correptus, cum paſſiones colicæ & tandem paralyſis acceſſiſſet, vi morbi ſuperatus 9. Julii A. C. 1607. ætatis 66. placidè obdormivit. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Rectoris Argent. D. Philippi Marbachii, Theologiæ Profeſſoris.*

Obiit A. C. 1607.

NICOLAUS STADMANN.

Hallæ *Suevorum* parentibus honeſtis natus eſt 18. Febr. A. C. 1531.

A. 1548. Cum *Johanne Brentio*, Theologo, propter Interim in exilium pulſo, *Baſileam* ſtudiorum gratiâ diſceſſit. A. 1549. cum eodem à *Chriſtophoro*, Duce *Würtenbergico*, *Tubingam* vocato, eò ſe contulit, & ſtudiis Juridicis operam dedit, quæ poſteà A. 1555. *Ingolſtadium* concedens ibi magis excoluit. *Juris ſtudioſus Tubingæ.*

A. 1557. *Norlbergam* veniens, Advocatum egit, usque ad An. 1559. quo in *Italiam* profectus, *Ferrariæ* Doctor Juris ſolenniter creatus eſt. *Advocatus Norimbergæ. Doctor Juris Ferrariæ.*

Indè *Spiram* reverſus, & exindè in Patriam A. 1561. 28. Jan. Nuptias celebravit *Culmbaci* cum virgine *Euphroſynâ*, *Johannis à Morſtein*, nobilis *Suevi* filiâ, ex quâ filiam *Catharinam* ſuſcepit, quæ poſteà duobus Doctoribus Juris nupta fuit, primùm *Sebaſtiano Kaiſero*, *Onoldini*, *Georgii Friderici*, Marchionis *Brandenburgenſis* Conſiliario, & Advocato *Culmbacenſi*: deindè *Johanni à Fladenſtein*, Marchionum *Brandenburgenſium Georgii Friderici* & *Chriſtiani* Conſiliario & Advocato *Culmbacenſi*. *Deſponſatus Culmbaci.*

Poſt nuptias *Culmbaci* Conſiliarius factus eſt *Georgii Friderici*, Marchionis *Brandenburgenſis*; deindè A. 1580. Cancellarius *Joachimi Erneſti*, Marchionis *Brandenburgenſis*; tandemque An. 1601. Conſiliarius Eccleſiaſticus & Præſes Conſiſtorii. *Conſiliarius, Cancellarius & Præſes Conſiſtorii Brandenburgenſis.*

Conjuge primâ vitâ defunctâ, 13. Jan. An. 1567. ſecundas celebravit nuptias cum virgine *Roſinâ*, *Bartholomæi Freyen*, Conſulis Urbis Imperialis *Rotenburgi ad Tubarim* filiâ, ex quâ decem ſuſtulit liberos, & inter hos *Johannem Burcardum*, Conſiliarium *Culmbacenſem*, & *Georgium Fridericum*, Jurium Candidatum, qui obiit A. 1623. æt. 37.

Ex filiabus verò *Anna Euphroſyna* duobus Doctoribus Juris *Dannero* & *Leuſchnero* nupſit: *Barbara* fuit elocata Dom. D. *Hieronymo Rauchbario*, Conſil. & Advocato *Onoldino*: *Cordula Roſina* data in conjugem D. *Conrado Müllero*, Conſiliario Marchionis *Joachimi Erneſti* & Advocato *Onoldino*.

Ipſe tandem non morbis, ſed ſenio & morte naturali conſumtus obiit *Onoldi* die 2. Auguſti A. C. 1607. ætatis 76. *Moritur.*

Vt LVX AVgVſto bIs fVLget ab arCe sVpremâ
StatMannVs CVLtVs teCta beata CapIt.

* *Ex Conc. fun. Laurentii Lælii Paſt. Onold. & ex Parentationibus Joh. Wolffg. Fabritii Argentinæ editis A. 1625.*

JACOBUS MENOCHIUS.

Obiit A. C. 1607.

Ticini natus eſt ex humilibus ortus parentibus A. C. 1532.

Juris Profeſſor Patavii. In Gymnaſio *Patavino* per annos 23. Jus utrumque docuit. Interim ab *Hetruriæ* Duce *Franciſco Piſas*, & à *Bononienſibus*, qui mille aureorum ſtipendium ipſi obtulerant, fruſtrà expetitus eſt.

Tandem à *Mediolanenſibus* in Academiam

Juris Prof. Papienſis. Senator Mediolanenſis. Conſiliarius Regis Hiſpaniæ. *Papienſem* accerſitus, in locum *Nicolai Gratiam* defuncti A. 1588. cum aliquando mille aureorum prœmio Jura docuiſſet, inter Senatores *Mediolani* Regios relatus, mox Præſes, & demùm Conſiliarius Regius acclamatus eſt.

Moritur. Obiit *Mediolani* 10. Aug. An. C. 1607. ætatis 75.

Scripta. Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Conſiliorum ſive Reſponſorum Libri XIII.

Opera de arbitriis Judicum Quæſtionibus & Cauſis.

Commentaria de adipiſcendâ, retinendâ, & recuperandâ poſſeſſione.

De Præſumptionibus, Conjecturis, ſignis & indiciis Tomi III.

De Imperio & Jurisdictione Commentarii poſthumi.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Ticini in Templo S. *Mariæ Clericor. Regularium* ſepultus jacet cum ſtatuâ ejus marmoreâ, & hoc Epitaphio:

Epitaphium.

JACOBUS MENOCHIUS
MAGNUM JUSTITIÆ ORACULUM
IN PEDEMONTANA, PATAVINA, TICINENSI CATHEDRA, TUM MEDIOLANI CUM SENATOREM, MOX PRÆSIDEM ET REGIUM AGERE CONSILIARIUM, DENIQUE IN ORBE UNIVERSO AUDITUM HIC TACET, CONSULENTI TAMEN ADHUC RESPONDERET, SI PLURA QUAM SCRIPSIT, DICI POSSENT. OBIIT ANNO CHRISTIANO MDCVII. DIE X. AUGUSTI, NATUS ANNOS LXXV.

* * *

Juris Profeſſor in Monte Regali. *Jacobus Menochius* ex Academiâ *Ticinenſi* ad Gymnaſium *Montis Regalis* ab *Allobrogum* Duce *Emanuele Philiberto* vocatus, cum 6. annos ibi floruiſſet, à Republ. *Venetâ* honeſto prœmio in Academiam *Patavinam* invitatus, ut primi Interpretis Juris Pontificii matutini perſonam ſuſtineret, munus id ab An. C. 1566. ad 1572. continuavit, cum ceſſante propter infirmam valetudinem

Collega Tiberii Deciani. *Martio Rutilio Vicentino*, ad Jus Civile matutinum interpretandum *Tiberii Deciani* Collega factus eſt, cui an. 1582. extincto ſuccedens primum locum conſecutus eſt.

A. 1578. à *Franciſco Medicéo*, magno *Hetruriæ* Duce 800. aureorum prœmium, ut *Piſano* in Gymnaſio primum Juris Cæſarei interpretandi locum obtineret, ei propoſi-

Cur Gymnaſium Patavinum Piſano prætulerit. tum fuit: ſed ſe eam conditionem recuſâſſe in quâdam præfatione, quam *Ticini* habuit, teſtatus eſt, tum quod *Piſani* aëris intemperies ſuæ parùm conduceret valetudini, tum quod tanta eſſet *Patavini* Gymnaſii celebritas, ut cum eo *Piſanum* comparari non poſſe videretur, tum quod Reſpublica *Veneta* eodem dato prœmio uti ejus operâ diutiùs voluiſſet.

A. 1582. Senatus *Bononienſis* ſuis ad eum literis & nuntio miſſo Equite *Lucio Magio*, promiſſo mille aureorum prœmio, ipſum in ſuam Academiam conducere conatus eſt. Sed cum itineri ſe accingeret, Reipublicæ *Venetæ* ſtudio effectum eſt, ut vinculum, quo ſe hic cum illis abſtrinxerat, diſſolveretur. Itaque ſuum in Gymnaſio *Patavino* docendi munus continuavit, & ad gravia *Venetorum* cum *Gregorio XIII. S. P.* negotiâ conficienda adhibitus eſt.

* *Ex Lib. II. Commentar. de Gymnaſio Patavino Antonii Riccoboni.*

JOHANNES PISTORIUS.

Obiit A.C. 1607.

NAtus in oppidulo *Haſſiæ* Schwarzenborn anno Chriſti, quo *Martinus Lutherus*, Theol. Doctor obiit, 1546. Patrem habuit *Conradum Beckerum*, loci illius Conſulem, Matrem verò *Catharinam*, ex familiâ *Dorbeckerorum* ortam.

Puer patre orbatus, Scholas diverſas *Neukirchenſem* in *Haſſiâ*, *Wildungenſem* in Comitatu *Waldeccenſi* annis aliquot frequentavit, donec in Gymnaſio *Marpurgenſi* ſtudiis humanioribus operam dedit.

Exindè *Vinariam* digreſſus, triennium Scholam frequentavit, & *Erfurti* quinquennium in Collegio *Auguſtiniano* exegit.

In *Jenenſi* demùm Academiâ 14. annos verſatus ſtudio Juridico vacavit, poſtquàm ibidem A. 1569. Magiſter Philoſophiæ creatus fuiſſet. Juris ſtudioſus & Philoſophiæ Magiſter Jenæ.

Cum itaque per Praxin variis Magnatibus innotuiſſet, an. 1583. *Wilhelmus*, Comes *Schwartzenburgicus*, *Franckenhuſam* vocatum eum Conſiliarium & Cancellarium ſibi conſtituit. Cancellarius Schwarzenburgicus.

Poſtmodùm in Academiam *Jenenſem* reverſus, poſtquàm ſub Præſidio D. *Samuelis Prothagii*, *de petitione hæreditatis* pro Gradu diſputâſſet, Competitoribus D. *Laurentio Finckelthuſio*, Syndico *Lubecenſi*, D. *Hieronymo Marcello*, Syndico *Magdeburgico*, & D. *Johanne Wechſio*, Cancellario *Saxo-Altenburgico*, Promotore D. *Matthio Colero*, primum ipſe locum nactus, ſolenniter Juris utriusque Doctor renuntiatus eſt. Doctor Juris Jenæ.

An. 1588. Deſponſatus cum *Eliſabethâ Herterichiâ*, cum eâ vixit in Conjugio concordi & felici, ſterili tamen, donec biennio ferè variis morbis afflictus, nihilominùs tamen munere ſuo pro viribus functus ex hâc miſeriarum valle per mortem placidam emigravit, die 4. Sept. A.C. 1607. æt. 61. Uxorem duxit. Moritur.

Joannes Piſtorius Schwartzenbornianus.

Per anagr. *Chriſtophori Steinfeldii*
Vir probus in Jure ut Azo inſontes ſanans.

* *Ex Concione fun. Eraſmi Rotmaleri, Eccleſ. Paſt. Francohuſani.*

POMPONIUS BELLEU-RÆUS.

Obiit A.C. 1607.

FIlius *Claudii de Bellievre*, primi Præſidis Parlamenti *Gratianopolitani* in *Delphinatu*, & *Ludovicæ Faya*, natus eſt *Lugduni Gallorum* A.C. 1519.

A. 1541. ætatis 22. Parlamenti *Cameracenſis* in *Sabaudiâ* Conſiliarius factus, An. 1570. Conſiliarius Parlamenti Cameracenſis.

& Pariſienſis. Præſes Parlamenti Pariſienſis. 1570. à Rege *Carolo IX.* Conſiliarius Parlamenti *Pariſienſis*, & A. 1574. ab *Henrico III.* Regnum ingreſſo Regni Theſaurarius, & Parlamenti *Pariſienſis* Præſes factus eſt.

Cancellarius Galliæ, & Custos Sigilli Regii. An. 1599. Poſt obitum *Philippi Huraldi*, Comitis de *Chiverny*, à Rege *Henrico IV.* Regni *Galliæ* Cancellarius, & Cuſtos Sigilli Regii declaratus, paulò pòſt cum nuntio Apoſtolico *Alexandro* Cardinale *Florentino* de conjugio Regis ſui cum *Mariâ Medicæâ* feliciter tractavit.

Conjugium ejus, & Liberi. Ex Conjuge *Mariâ*, *Johannis Prumiers*, filiâ 3. reliquit filios, & filiam unam. Filius natu major *Nicolaus*, Eques, Marchio de *Grignon*, Generalis Procurator & Præſes in Parlamento *Pariſienſi*, ex Conjuge *Claudiâ*, *Nicolai Brularti*, Conſiliarii Regii filiâ, reliquit *Pomponium de Bellieure II.* Avi in dignitatibus Succeſſorem, qui *Pariſiis* An. 1657. ætat. 51. obiit.

Alter ejus filius *Albertus*, poſt mortem *Petri ab Eſpinac*, factus eſt Achiepiſcopus *Lugdunenſis*, eique defuncto frater *Claudius de Bellieure* ſucceſſit an. 1605. isque obiit 19. April. an. 1612.

Filia *Helena* deſponſata fuit *Euſtachio de Reffuge*, Parlamenti Regii Conſiliario, qui, poſtquàm legationibus variis & gravibus Regis nomine perfunctus eſſet, obiit A. C. 1617. ætatis 53.

An. 1604. *Nicolao Brulardo*, Domino de *Sillery*, genero ſuo, & Succeſſori in Cancellariatu Regni *Galliæ*, Cuſtodiam Sigilli Regii ſponte tradidit.

Moritur. Ætate tandem & honoribus gravis vivendi finem fecit *Lutetiæ Pariſiorum* 5. Sept. A. C. 1607. ætatis 88.

* *Ex vitis virorum doctorum Scævolæ Sammarthani.*

Obiit A.C. 1607.

JOHANNES ZANGERUS.

BRunſvigæ natus eſt An. C. 1557. Patre cognomine Theologo, in Eccleſiâ Coadjutore, Matre *Catharinâ Ostermanniâ*, Mercatoris filiâ.

Juris Profeſſor Witteberga. A. 1578. Jurium Doctor in patriâ creatus eſt, eique brevi tempore pòſt Decretalium Profeſſio publica fuit demandata, Collegas tum habenti D. *Joachimum Beuſtium*, D. *Michaëlem Teuberum*, & D. *Matthæum Weſenbecium*.

Conſiliarius Electoris Saxoniæ. Judicii Aſſeſſor. Legatus Electoris. Factus deinde Conſiliarius *Chriſtiani II.* Electoris *Saxoniæ* aliorumque Principum, Conſiſtorii Eccleſiaſtici, & Judicii Curialis ac Provincialis aſſeſſor, multas in Comitiis variis Legationes cum laude obivit, & Rectoratum in Academiâ *Wittebergenſi* ter geſſit.

Theologiæ ſtudio deditus. Intereà ab An. 1597. Studia Theologica per totos quinque annos ſeriò tractavit, ut meritò Doctor in eâ facultate creari potuiſſet.

Tandem non tàm ætate conſumptus, quàm laborum pertinaci aſſiduitate fractus, cum maximo bonorum omnium luctu terrenam mortalis corporis ſarcinam in Chriſto piè & religioſè depoſuit *Wittebergæ* 6. Sept. A. C. 1607. æt. 50. Profeſſ. 26. *Moritur.*

Scripſit:

Scripta. *De exceptionibus tractatum.*
De torturâ reorum.

* *Ex Concione fun. D. Wolfg. Frantzii Theol. Prof. Witt.*

Epitaphium.

EPITAPHIUM:

PIETATI ET MEMORIÆ JOHANNIS ZANGERI BRUNSVICENSIS SAXONIS U. J. D. ET PROFESSORIS DECRETALIUM IN HAC ELECTORALI WITTEBERGA PER XXVI. ANNOS, CELEBERRIMI ASSESSORIS JUDICII CURIALIS NEC NON ECCLESIASTICI CONSISTORII IBIDEM, UT ET JUDICII PROVINCIALIS ET REGII ILLIUS IN LUSATIA INFERIORIS, SPECTATISSIMI SENIORIS ET CAPITIS COLLEGII JURIDICI MERITISSIMI, VIRI MERITISSIMI IN HANC TOTAM ACADEMIAM OPTIMI MAXIMI, QUI NON TAM ÆTATE CONSUMPTUS QUAM LABORUM PERTINACI ASSIDUITATE FRACTUS, INTER ARDENTES AD DEUM PRECES IN CHRISTO JESU PLACIDE EXSPIRAVIT D. VI. SEPT. HORA V. MATUT. ÆTATIS SUÆ ANNO L. CHRISTI VERO MDCVII. HÆREDES HOC DEBITI ET SINCERI AMORIS SIGNUM EX INTIMO PIETATIS AFFECTU LUGENTES P.

* *Ex Jubileo Witteberg. D. Johannis Meiſneri, & aliis.*

Obiit A.C. 1607.

JOHANNES STROMERUS.

NAtus *Aurbachii*, *Palatinatûs* ſuperioris oppido, 22. Julii An. C. 1526. Patrem habuit *Johannem Stromerum*, Senatorem *Aurbacenſem*, Patruum *Henricum Stromerum*, Medicinæ D. & Profeſſorem *Lipſienſem*: Matrem verò *Catharinam*, *Johannis Kelneri*, Civis honeſti in patriâ filiam. Ab his parentibus inter 14. libros decimus fuit.

Lipſiæ Baccalaureus. A. 1536. *Noribergam*, & paulò pòſt *Lipſiam* ſtudiorum gratiâ miſſus, ibi tantos fecit progreſſûs, ut A. 1544. primam Philoſophiæ Lauream à M. *Ambroſio Lobwaſſero* obtinuerit.

Intereà A. 1539. cum poſt obitum *Georgii*, Ducis *Saxoniæ*, Theologi *Wittebergenſes* ad Eccleſiæ Reformationem *Lipſiæ* convenientes, hoſpitio D. *Henrici Stromeri* Medici eſſent uſi, *Johannes* hic *Stromerus* cum fratre *Michaële*, duobusque filiis *Henrici* ante menſam miniſtravit.

Tum *Lutherus*, ſingulis luſtratis, *Johannem* ad ſe vocatum, deque nomine ſuo interrogatum, porrecto ipſi vini poculo, ita affatus eſt: *Johannes ſtude & bibe, nam è multis adhuc poculis auratis erit tibi bibendum.* Huic *Lutheri* omini reſpondit eventus, nam ex 4. *Stromeris* adoleſcentibus tunc aſtantibus ſolus hic literis operam dedit.

An. 1546. Exorto bello funeſto inter

Militem agit. Electorem *Saxoniæ* & Imperatorem *Carolum V.* cum abſque periculo domum redire non poſſet, militiæ cum pluribus aliis ſtudioſis nomen dedit, & Ducis *Mauritii* caſtra ſecutus per 13. menſes in armis manere, cum *Lipſia* gravi premeretur obſidione, coactus eſt.

Wittenbergæ 1. Theologiæ, 2. Medicinæ, 3. Jurisprudentiæ operam dat. An. 1548. Militiâ relictâ, *Wittenbergam* conceſſit, & domûs ac menſæ D. *Martini Lutheri* viduæ particeps factus per quinquennium ibi ſubſtitit, & cum anno primo Theologiam, ſecundo Medicinam delibâſſet, tandem amicorum ſuaſu Jurisprudentiæ dedit operam, ſedulus docentes audiens *Paulum Benedictum*, *Johannem Schneidewinum*, *Laurentium Lindemannum*, & *Joachimum Beuſtium*, J.C.tos celebres.

A. 1553. *Lipſiam* reverſus, Juris ſtudium ſub Præceptoribus *Petro Loriotto*, *Burgundo*, *Ludovico Fachſio*, *Paulo Lobwaſſero*, & *Modeſtino Piſtoris* ſtrenuè pertexuit. Nam *Juris Baccalaureus & Doctor.* An. 1559. Juris Baccalaureus, & ſeq. 1560. Doctor publicè renuntiatus eſt. An. 1565. Electoris *Auguſti* autoritate *Lipſiæ* munus *Juris Profeſſor Lipſiæ.* Advocati in ſummo judicio Provinciali nactus unà Juris Inſtitutiones, nec multò pòſt an. 1568. Codicem interpretatus eſt.

Cancellarius Vinarienſis. A. 1578. In aulâ Ducum *Saxo-Vinarienſium* Cancellarius deſignatus, munus id per integrum decennium cum laude geſſit.

Dicaſterii Aſſeſſor Jenæ. A. 1587. *Jenæ* defuncto D. *Matthiâ Colero*, Dicaſterii ſummi aſſeſſore, ex aulâ cum gratiâ dimiſſus, ipſi Succeſſor datus eſt, & totos 20. annos in eo munere vixit.

Deſponſatur Lipſiæ. 27. Aug. an. 1555. *Lipſiæ* deſponſatus eſt cum filiâ *Volckmari* Civis honeſti *Mariâ*, ex quâ 10. liberorum parens factus filium tantùm *Auguſtinum*, & *Margaretham*, filiam *Chriſtiani Steinackeri*, Juris D. Conjugem reliquit ſuperſtites. Cœteri omnes, *Spes*, *Johannes*, J.D. Cancellarius *Hohenſteinenſis*, *Chriſtophorus*, *Melchior*, *Michaël*, J.D. & Curiæ ſupr. in *Salanâ* Advocatus, *Catharina*, *Georgius*, & *Chriſtianus* ante patrem deceſſerunt.

A. 1582. Alteram duxit Conjugem *Catharinam*, *Johannis Börneri*, Cancellarii *Schwartzenburgici*, filiam, & *Johannis Breithauptii*, Civis *Cruceburgenſis* viduam, ex quâ filium *Johannem Fridericum*, virtutum paternarum æmulum, & filiam *Annam Mariam* ſuſcepit.

Moritur Jenæ. Catarrho tandem ad pectus defluente confectus, ſubitò inter adſtantium preces in patriam cœleſtem evolavit *Jenæ* 11. Oct. A.C. 1607. æt. 82.

* *Ex Lib. Programmat. ſim. Witt. Auguſti Buchneri.*

OTTONELLUS DISCALCIUS.

Obiit A.C. 1607.

Advocatus Patavinus. Junior, Civis *Patavinus*, & Jurisconſultus in patriâ inſignis, Vir pietate fulgens ab ineunte ætate cauſas eloquenti, conſilia prudenti, judicia juſto ſemper ore dixit, dedit, enuntiavit.

Libris editis ſe ipſum, explicatis Gymnaſii *Patavini* famam auxit. Siquidem in eo applaudentibus omnibus 42. annis modò *Juris Profeſſor.* Pontificii modò Cæſarei Juris ſolemnes prælectiones habens, dicendis interim cauſis operam dedit. His laboribus ac meritis aditum ſibi ad honores & opes patefecit.

Legatur. Variis Legationibus pro patriâ functus apud Sereniſs. Reipublicæ ſuæ Principem, *Eques Venetus & Comes Palatinus.* Equitis ab eo *Veneti*, ut à *Rudolpho II.* Imperatore Comitis Palatini & Equitis Cæſarei decora reportavit.

Principibus carus, à Conſiliis etiam iisdem fuit, & imprimis Sereniſs. Reipublicæ *Venetæ*, cujus libertatem & jura unà cum Principis auctoritate acriter tueri conatus eſt, & latiùs propagare. Itaque variis ab eo muneribus affectus eſt & honoribus inſignitus.

Moritur. Lentâ tandem febri correptus eſt & extinctus An. C. 1607. ætat. 71. magno cum Studentium & Civium mœrore, perindè ac ſi de univerſâ Jurisprudentiâ, eo defuncto, conclamatum eſſet.

Elatum magnifico funere corpus Eccleſia Patrum Heremitar. excepit, in quo aureæ literæ Virtutes ejus & merita ſic loquuntur.

Epitaphium.

D. O. M.
OTTONELLO DISCALTIO
SUMMO GENERE ET VIRTUTE JURISCON.
EQ. CO. PALAT. QUI PRÆSTANTISS. INGENIUM EXIMIA JURIS UTRIUSQUE SCIENTIA,
ET ADMIRABILI DISPUTANDI ATQUE DICENDI ACUMINE ET COPIA
EXCELLENS
PATRIÆ IN HONORIBUS, LEGATIONIBUS, CONSILIISQUE UTILISSIMUS, PRIVATORUM
IN JUDICIIS PERICULA SINGULARI
ELOQUENTIA PROPULSANS
PERQUAM DIU PRÆCIPUA JURIUM INTERPRETANDORUM SUMMA OMNIUM AUCTORITATE OBTINENS LOCA NON SEMEL AB ALIIS
PRINCIPIBUS EXPETITUS, A VENETIS
DOMINIS RETENTUS, ORNATUS,
AUCTUS EMICUIT.
OBIIT ANNO CHRISTI MDCVII.
ÆTATIS SUÆ LXXI.
ELISABET ZABARELLA
VIRO CLARISSIMO
APUD OSSA MAJORUM
P. C.

Altera hujus Viri memoria in Eccleſiâ S. *Antonii*, unà cum ejuſem ſtatuâ extat, quam illi generoſa *Germanorum* Natio erexit:

ÆTERNÆ MEMORIÆ
OTTONELLI DISCALTII
PATRITII PATAVINI, VIRI CLARISSIMI,
PRIMARII JURIS CIVILIS
INTERPRETIS,
COMIT. PALAT. ET EQUIT. D. MARCI
NATIO GERMANICA JURIST.
CONSILIARIO GEORGIO FEDERICO
A RAMINGEN SYND.
JUR. ADOL.
WECIT TERSHEIM PROCUR.

HENR

HENY HILLER ET FRIDER. BRANDIS PER ANNOS XX. ET ULTRA PATRONO ET ADVOCATO SUO DESIDERATISS.

POS. ANNO MDCII. MENSE DECEMB.

Arca tegit cineres, animam Deus addit Olympo,
Famam Germanæ ſuſcipiunt Aquilæ.

Scripta. Innumera ejus *Conſilia* extant, *Lectiones variæ & documenta* quamplurima, quæ diſcipulorum ejus manibus aſſiduè teruntur.

* *Ex Elogiis Illuſtrium Virorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

* * *

Alius Ottonellus Diſcalcius. Teſte *Antonio Riccobono Gymnaſii Patavini deſcriptione* alius hoc nomine *Ottonellus Diſcalcius* floruit circa A. C. 1380. in Legibus interpretandis Doctor egregius, Principibus *Carrarienſibus* ſummè charus, multis Legationibus aliis honoribus à *Franciſco* juniore decoratus. Hic Vicarius in urbe *Belluno* A. 1375. ſub regimine Nobilis Militis *Parcevalli Vleniebii*, Præfecti honorandi pro Ducibus *Auſtriæ Alberto* & *Leopoldo* fratribus, civitatis *Belluni* & *Feltriæ* Dominis; ac Prætor *Taurifii* A. 1381. pro *Franciſco Carrarienſi*, *Patavii*, *Taurifii*, & locorum ad eas urbes pertinentium Domino.

Hujus veſtigiis inſtitit ejus Abnepos *Aloyſius Diſcalcius*, J.C. in Gymnaſio *Patavino* multis annis Jus Civile profeſſus, & in foro *Veneto* diu verſatus.

Hic ætate jam ingraveſcente *Antonium Diſcalcium* filium ſuum inſignem J.C. omnis clientelæ ſuæ patronum fecit, & in patriam reverſus ſtudiis humanioribus operam dedit, *Aloyſio*que nepoti progreſſo ad legitimam Juris ſcientiam cum magnâ lætitiâ Doctoris inſignia manibus ſuis dedit, cujus frater *Ottonellus* ſimiliter factus eſt Juris utriusque Doctor, & primùm *Juſtiniani* Inſtitutiones explanavit, electus A. 1565. in locum Cæſaris *Mutionii Ceſenatis*, deindè A. 1575. Jus Canonicum veſpertinum cœpit interpretari loco *Nicolai Bottoni*. Poſtremo adhibitus ad Jus Civile matutinum in ſecundo loco A. 1586. & in æquitate primi loci A. 1596.

LAURENTIUS GOSLICIUS.

Obiit A. C. 1607. POsnanienſis Antiſtes, vir vitæ inculpatæ, qui cum Theologiæ & Aſtronomiæ cognitione naturalem quoque prudentiam, rerumque publicarum intelligentiam conjunxit.

Is in Academiâ *Cracovienſi* adoleſcens utrâque Philoſophiæ laureâ inſignitus & in *Italiam* profectus apud viros eruditos in honore fuit.

Abbas Claræ tumbæ. Epiſcopus Camenecenſis, Chelmenſis, & Poſnanienſis. Reverſus, Abbas primùm Ordinis *Ciſtercienſis* Sodalium *Claræ tumbæ* creatus ad *Camenecenſem* Epiſcopatum, deindè ad *Chelmenſem*, tandemque *Poſnanienſem*, virtutis ergò, ſedem erexit, in quâ olim *Lubranſcius* ille eruditus ſedit, qui perpetuum ſibi monumentum, bonarum artium Collegium *Cracovienſis* Academiæ Profeſſoribus, *Poſnaniæ* erexit.

Cum occulta depravatarum in religione opinionum lues, & Machiavellicarum fraudium labes *Poloniam* invadere cœpiſſet, ad incendium id reſtinguendum Oratione pro ſtatu ſacerdotali *Varſaviæ* in Senatu recitatâ obviam proceſſit.

Fato tandem functus eſt ſenex octogenarius, meruitq; marmoreum ſepulchrum, in Capellâ *Poſnanienſis* baſilicæ, tali Epitaphio inſcripto: **Moritur.**

Epitaphium. ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO LAURENTIO GOSLICKI GENTE GRIMATIO TERRITORII PLOCENSIS. VIRO PIETATE SINGULARI, INGENIO PRÆSTANTI, CONSILIO EXCELLENTI, CANDIDO, APERTO, ET ANIMOSO, REIPUB. ET ECCLESIÆ LIBERTATIS AMANTISSIMO, ELOQUENTIA RARA, QUI SCIENTIARUM INSIGNIBUS PUBLICE DECORATUS, ET A SERENISSIMIS POLONIÆ REGIBUS IN PRECIO & HONORE HABITUS POST MULTA, VARIA ET EXIMIA IN REMP. MERITA, ET COMPLURES IN GRAVISSIMIS ET DIFFICILLIMIS REGNI NEGOTIIS PARI FIDE ET FELICITATE OBITAS LEGATIONES; PRIMO CAMINECENS. PAULO POST CHELMEN. ECCLESIIS UTILITER EPISCOPUS PRÆFUIT: DEINDE AD ECCLESIAM PRÆMISLIENSEM PROMOTUS SIMUL CLARÆ TOMBÆ MONASTERIUM LAUDABILITER ADMINISTRAVIT. POSTREMO ECCLESIÆ POSNAN. PRÆSUL FACTUS CUM EAM FELICITER ANNIS SEX, MENSIBUS CIRCITER QUATUOR REXISSET, DEMUM DESIGNATO ET ADSCITO SIBI LEGITIMO COADJUTORE ET SUCCESSORE, SEPTUAGENARIO MAJOR, VIVIDA SENECTUTE, GANGRÆNA NERVORUM TACTUS IN PEDE DEXTRO SENSIM OCCUPANTE AD EXTREMA DEDUCTUS, ANIMAM DEO RELIGIOSE COMMENDAVIT, ET PIE PLENUS SPEI REDDIDIT CIAZINII ANNO DOMINI MDCVII. ULTIMA MENSIS OCTOB.

EIDEM EXECUTORES CUM NEPOTE EX TESTAMENTO MONUMETUM MOESTI POSUERE.

Scripta. Scripſit & edidit:

De optimo Senatore libellum.
De optimo Cive libellum.
Poëmata varia.

* *Ex Elogiis centum Scriptorum Polon. Simonis Starovolſcii.*

JACOBUS POEMERUS.

Obiit A. C. 1607. NOrimbergæ natus 26. Febr. A. C. 1561. Patrem habuit *Wolfgangum Pömerum*, Secretarium Duumviralem: Matrem *Annam Tucheriam.*

Anno C. 1572. A Patre *Altorfium* ablegatus in familiam D. *Glaciani* Oratoriæ Profeſſoris adſcitus eſt. Ibi totum ferè ſeptennium commoratus, & Præceptores

nactus in literis primùm humanioribus *Georgium Glacianum*, in ſtudio deindè Juridico D. *Johannem Thomam Freigium*, J.C. tum celebrem, tantos in ſtudiis progreſsus fecit, ut diligentiæ ſuæ luculentum teſtimonium reportârit. An. 1509. *Tubingam* ad ſtudia continuanda profectus: Anno ſeq. in *Italiam* peregrinationem ſuſcepit.

Juris ſtudioſus Altorfii, Tubingæ.

Elapſo triennio in Patriam reverſus, majorem etiam partem *Germaniæ* perluſtravit.

Conjugium ejus, & Liberi.

A. 1587. Matrimonium contraxit cum virgine *Barbarâ*, *Matthiæ Löffelholtzii*, Senatoris *Noribergenſis* filiâ, cum quâ 20. annos amantiſſimè vixit, ex eâque filios duos, *Wolfgangum Jacobum*, & *Albertum*, unamq; filiam *Barbaram Sophiam* genuit, quos liberos omnes cum matre ſuperſtites reliquit.

Senator Nor. & Scholarcha Altorf.

Non multò pòſt ad dignitatem Senatoriam, deindè Scholarchatum Academiæ *Altorfinæ* evectus eſt.

Moritur.

2. Dec. A.C. 1607. ætatis 47. Cum manè Concioni M. *Johannis Fabritii* interfuiſſet, eâque finitâ in Curiâ pro more negotia tractâſſet, veſperi cum uxore amicè colloquens, apoplexiâ correptus, placidè exſpiravit. *

* *Ex Oratione fun. Caſp. Panſæ, Hennebergici Theologiæ ſtudioſi.*

Obiit A.C. 1608.

TOBIAS PAURMEISTERUS.

Patriam habuit *Cochſtadium*, in medio ferè *Saxoniæ* ſitum, Diœceſeos *Halberſtadienſis* oppidum, natus initio An. C. 1553. Patre *Johanne*, viro honeſto, Matre *Geſâ* ab *Holten*.

In primâ ætate pietatis & literarum rudimenta in ludis tum patrio tum *Eglenſi* percepit. Annos pubertatis cum attigiſſet, in Scholam à parentibus miſſus eſt *Magdeburgenſem*, tum celebritate nominis præſtantem, in quâ *Sigfridi Sacci*, *Dionyſii Dragendorfii*, & *Georgii Rollenhagii* diſcipulus & auditor fuit annis octo.

Diſcipulus Magdeburgi.

Ætate autem ibi ſtudiiſque confirmatis, & linguæ utriusque fundamentis benè jactis, A. 1576. in Academiam *Francofurtenſem* ad *Oderam* ſe contulit. Hic cum artium optimarum Magiſter publicè renuntiatus eſſet, atque in artem boni & æqui, ſub Præceptore *Rudolpho Schradero*, cœteriſque ibidem Juris Profeſſoribus ſummo animi conatu incubuiſſet, toto ferè quadriennio, cœteras deinceps *Germaniæ* Academias perluſtravit, atque *Friburgi Briſgojæ* ſubſtitit.

Philoſophiæ Magiſter Francofurti.

Eâ verò in Academiâ ita brevi tum Profeſſorum tum ſtudioſorum ſibi animos conciliavit, ut præ cœteris eum illi amanter complecterentur, hi non commilitonem jam, ſed Doctorem agnoſcerent, utque publicè ibi Jus interpretaretur, obnixè rogarent. Illis obſecutus publicè Jus Civile extra ordinem quidem docuit magnâ aſſiduè auditorum frequentiâ.

Juris Profeſſor Friburgi.

Ibidem poſteà Laureæ Doctoralis honores ſummo Academiæ Procerum ſtudio ipſi collati ſunt. Sed non modò *Friburgenſes* verùm vicini quoque Regionis iſtius primates eum diligebant: nimirum Reverendus Princeps Dom. *Philippus Flachius*, Ordinis *Johannitarum* Magiſter, Reverendus item & nobilis Dom. *Wilhelmus Bocklinus*, nec non generoſus ille & de Chriſtianis adversùs *Mahometem* præclarè meritus Baro *Lazarus Schwendius*, gratiâ & benevolentiâ illum ſingulari proſecuti, ejusdem etiam conſuetudine ſunt delectati.

Juris Doctor.

Lazaro Schwendio familiaris.

Quamvis autem hæ tunc illi forent occaſiones, functionesque deferrentur non contemnendæ, Patriæ tamen præ cœteris operam ſuam deberi agnoſcens An. 1581. Vocationi *Halberſtadienſi* obſecutus eſt, à Cathedralis ibi Eccleſiæ Capitulo conſtitutus Advocatus & Syndicus.

Advocatus & Syndicus Halberſtadienſis.

Hanc Provinciam cum totos annos 13. probè adminiſtrâſſet, nihil de ſpartâ hâc deſerendâ cogitantem Illuſtriſſimus Princeps *Henricus Julius* Dux *Brunsvicenſis* ac *Luneburgenſis* poſtulatus Epiſcopus *Halberſtadienſis* An. 1594. Conſiliis eum ſecretis & Cancellis aulæ ſuæ præfecit. Cæſar etiam *Rudolphus II.* inter Conſiliarios ſuos eum adſcivit, & Comitem Palatinum creavit.

Cancellarius Brunsvicenſis. Conſiliarius Cæſareus, & Comes Palatinus.

Obiit tandem circa A. C. 1608. æt. 53.

Moritur.

Edidit:

Comment. rerum Politicarum, & Juridicarum.

Scripta.

De Jurisdictione Imperii Romani Lib. II.

* *Ex Vitis Virorum doctrinâ illuſtrium Johannis Jacobi Boiſſardi.*

Iconi ejus æri inciſæ hoc diſtichon *Jani Jacobi Boiſſardi* ſubſcriptum legitur:

Mentem forma tuam, Doctrinam penna, Cheruſci
Acta, Fidem Cæſar, Guelphiadesq; probant.

Obiit A.C. 1608.

DAVID CHILCHENIUS.

In *Livoniâ* nobilibus Parentibus natus, *Rigæ* primùm apud Patres Societatis *Jeſu*, atque *Vilnæ*, in *Italiâ* deindè, variisque *Germaniæ* Academiis operam literis navavit, uſus Præceptore *Friderico Bartſcio*, *Braunsbergenſe* inſigni Patrum Societatis *Jeſu* Theologo, & Concionatore, qui ſcripſit *Concionum controverſarum Tomos II.*

Diſcipulus Patrum Societatis Jeſu.

Indè in *Gallias* & *Britanniam* profectus, cum varios Profeſſores audiſſet, ſupremâ Jurisprudentiæ Laureâ decoratus, in patriam rediit, magnoque illi *Zamoſcio*, ob præclaras animi dotes, & Scripta prudenter in Jure Civili Pragmatico conſcripta, magnoperè gratus.

Juris Doctor.

Famâ deindè indies magis magisque notus, & in aulam accerſitus Sereniſs. Regi *Poloniæ Sigismundo III.* à Secretis fuit. Quin & à *Juſto Lipſio*, literarum ſui ævi Coryphæo abſens literis colebatur, & à Duce *Lituaniæ Radivillo* Generali exercituum militaribus turmis cum dignitate præficiebatur,

Secretarius Regis Poloniæ.

Milit. dux.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by


FRANCISCUS VIDVA.
Juris conſultus Patavinus


IOHAN. BROTBECCIUS
Ducis Wurtenb. Proto-Secret.


HERMAÑ. PETR. NIGIDI,
Syndicus Marpurg.


IOHANNES GROTIUS.
Curator Academiæ Leidenſis


PAULUS DIETHERR.
Diverſorum Magnatum Conſil.


GERARD. TUNINGIUS
Prof. Jur. Lugdun. Batav.


THOMAS SVTTON
Eruditorum Patron. Angl.


IOH. GEORG GODELMAN
Conſiliarius Saxonicus.


HIPPOLYTUS à COLLIBUS.
Conſiliarius Elect. Palatin.


IOHAN. LINDERHAVSEN.
Jur. Prof. Lugd. Batav.


GEORGI. OBRECHTUS
JCtus & Prof. Argentoral.


ALEXANDER FORTECIA
Fiſci Advocatus Patavii.


THOMAS OVERBURI,
Secret. Angl. & Eques Aurat.


CONRAD. RITTERSHUSI,
JCtus & Prof. Altdorff.


ACHATIUS HÜLSIUS
Conſiliarius Cæſareus.


MARQUARD. FREHERUS
Com. Palat. & Conſil. Elect. Palat.

Moritur. tur, in quo officio & vitam exſpiravit parto longè clariſſimo nomine A. 1608.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

Obiit A.C. 1608.

NICOLAUS DOBRO-CIESCIUS.

Juriſconſultus. PAterno in prædio haud procul *Cracoviâ* regni *Poloniæ* metropoli nobilibus natus parentibus, in Academiâ *Cracovienſi* Jus utrumque & literas politiores ita edoctus eſt, ut nemo in diſceptando acumen, in abſtruſis & ambiguis facilitatem, in evolvendis antiquorum decretis diligentiam, in reſolvendis controverſiis ſolertiam, rebus in omnibus denique ſummum judicium non ſit admiratus.

Antiſtites *Sarmatiæ* præcipui cum ob multarum rerum uſum, tum ob eximium Zelum, quo collapſos mores corrigere & Eccleſiæ priſtinam diſciplinam revocare ſtudebat, eum ſuis conſiliis adhibuerunt. Quibus animi dotibus cum paſſim in aulis Principum gratioſus, tum omnibus ferè in Canonicorum *Cracovienſium* Collegio charus vitam lætus peregit, & obiit A.C. 1608. ætatis 49. Moritur.

Conditus eſt in Capellâ Cathedralis Eccleſiæ D. *Stanislai*, quam ipſe ſumptu ingenti ſculptis marmoribus exornaverat, Mauſoleumque ſibi in eâ vivus ponendum curaverat, ubi ei amici & Collegæ hoc Cenotaphium poſuêre:

Epitaphium.

D. O. M.

NICOLAO DOBROCIESKI DE DOBROCIESZ J. U. D. CRACOV. ET SANDOMIRIENSI CANONICO.

O MORS INIMICA!

QUÆ PRISCAM VIRTUTEM CLERI ET ACADEMIÆ DECUS IMMATURE SUSTULISTI. DEFLENT PII DISERTUM ET GRAVEM VERBI DEI PRÆCONEM, DOLET DIOECESIS RENOVATA MAGNI CARD. RADIVILLI EPISCOPI CRAC. CANCELLARIUM. AT VOS AMICI ET EGENI DULCEM AMICUM ET PATRONUM DIU COMPLORATE. EHEU MAGNUS VIR OBIIT DIE XXVIII. JANUARII ANNO Dom. MDCVIII. ÆTATIS XLIX.

Cancellarius Cardinalis Radivilli.

Edidit:

Scripta.

Orationes ſcriptas ad Regem Stephanum Battoræum, & Sigismundum III. Maximilianum Auſtrium. Macieiovium Cardinalem.

Tractatum de Decimis.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

Obiit A.C. 1608.

SIGISMUNDUS BUCH-NERUS.

Ortus ex familiâ nobili. NOrimbergæ natus eſt antiquâ & nobili familiâ in *Saxoniâ* celebri, Patre *Mauritio Buchnero*, qui ex *Lipſiâ*, patriâ ſuâ, *Norimbergam* migravit, ibique in uxorem duxit virginem *Magdalenam*, Domini *Chriſtophori Fürer*, Senatoris primarii filiam, quæ filium hunc *Sigismundum* peperit An. Chriſti 1556.

Ab adoleſcentiâ ſtudio Juridico deditus, poſtquàm Doctorales honores adeptus eſſet. A. 1587. *Spiræ* inter Judicii Cameralis Cæſarei Aſſeſſores cooptatus in eo munere 21. annos egit. An. 1588. *Norimbergæ* deſponſatus eſt cum virgine *Clarâ*, *Joachimi Weyermanni*, nobilis *Suevi* filiâ, ex quâ 3. filios totidemque filias reliquit ſuperſtites. Juris Doctor. Judicii Cameralis Spirenſis Aſſeſſor. Conjugium ejus, & Liberi.

A. 1607. Cum aliis quinque Judicii *Spirenſis* Aſſeſſoribus *Ratisbonam* ad Comitia ablegatus, ibi mox ægrotare cœpit, & *Noribergam* ſpe ſanitatis recuperandæ diſceſſit. A. 1608. M. Majo reſtitutus utcunque *Spiram* ad uxorem rediit, ſed brevi poſt paſſus recidivam in Chriſto exſpiravit 8. Maji An. C. 1608. æt. 52. Legatus Ratisbonam ad Comitia. Obiit Spiræ.

* *Ex Concione fun. Chriſtophori Allgeyeri, Concionatoris Spirenſis.*

SEBASTIANUS RöTTIN-GERUS.

Obiit A.C. 1608.

NOrdlingæ natus eſt, Patre cognomine Prætore Oct. A. 1537.

Adoleſcens in Univerſitate *Wittenbergenſi* quinquennium literis inſumpſit, ibidemque à *Philippo Melanchthone* cum laude Philoſophiæ Magiſter creatus eſt. Philoſophiæ Magiſter.

Deindè cum *Antonio* Comite *Ortenburgico*, Præceptoris nomine, in *Galliam* peregrinatus, in *Bituricenſium* Academiâ Jurium Doctor ſolenniter creatus eſt A. 1567. Juris Doctor.

Tum *Italiâ* quoque perluſtratâ in *Germaniam* reverſus, & à Senatu patrio Reip. Advocatus: demùm ab Ordine Equeſtri in *Sueviâ* & *Franconiâ*, ſalario annuo conſtituto, in negotiis gravibus Conſiliarius conſtitutus eſt. Creatus etiam Comes Palatinus ab Imp. *Rudolpho II.* Advocatus Nordling. Conſiliarius Equitum Franc. Comes Palatinus.

Obiit *Nordlingæ* 16. Maj An. C. 1608. ætatis 71. Moritur.

* *Ex Concione funebri.*

FRANCISCUS VIDUA.

Obiit A.C. 1608.

PAtavii, Patre *Maximiliano* natus eſt An. C. 1563.

Juriſprudentiam poſt decurſum Philoſophiæ ſtudium amplexus cum eſſet, Doctor renuntiatus eſt, & erudiendis aliis ſe addixit. Cum aliquandiu Inſtitutiones Imperatorias in Gymnaſio patrio profeſſus eſſet, A. 1598. Pandectarum Cathedram conſecutus eſt, quam per Hiſtoriam & antiquitatum monumenta vagans decoravit, quod teſtantur Orationes variæ ab ipſo habitæ & typis editæ. Juris Profeſſor Patavii. Hiſtoricus & Orator.

Obiit tandem 8. Id. Maji Anno C. 1608. ætatis 45. Moritur.

* *Ex Elogiis virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Scripſit:

Scripta. *Orationes* complures, jam editas, quarum *una eſt in Obitu Guidi Panciroli, J. C. Altera in Obitu Angeli Matthæaccii, J. C. Tertia in Ingreſſu ad Pandectarum Lecturam. Quarta*

 de

Juris Conſulti. Scripta.

Jus Civile Juſtinianæum Pandectis comprehenſum Diſputationes in omnium Juris ſtudioſorum manibus ſunt.

Moritur.

Obiit Budiſſinæ Luſatiorum An. C. 1607. ætat. 42.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt, & ex Indice Chronologico Abrahami Bucholtzeri.*

* * *

Hieronymus Treutlerus, cum nequaquam elinguis, Juris Civilis intelligentiâ & omni prudentiæ genere præſtaret, an. 1590. die 29. Januarii publicum eruditionis in U. J. à *Vigelio* cepit teſtimonium & lauream, atque eodem anno, cùm *Philippus Matthæus* provinciâ, quam in dicendi arte explicandâ ſuſtinuerat, decederet, in hanc muneris publici partem toto animo & omni ſtudio incubuit, ut ejus potiſſimùm operâ appareret, quantam vim habeat accurata & facta quodam modo creatio.

J.U. Doctor creatur. Oratoriæ Profeſſor Marpurgi.

Sed biennio pòſt locum mutavit, ac munus Syndici urbis *Budiſſinæ* in *Sileſiâ* partes peragendas evocatus, quamvis nec illic diu admodùm ſubſtiterit.

Munus Syndici Urbis Budiſſinæ in Sileſiâ adminiſtravit.

Nam Imperator virum abundanti doctrinâ & incredibili quâdam varietate atque copiâ in perſpiciendis rationibus conſtituendæ & regendæ Reipublicæ oculatiſſimum maximis propoſitis præmiis vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem, ut Conſiliarii obiret munus, invitatum & nobilitatis jure donatum, primum ex novis hominibus, qui id decus eruditione promeruerunt, ampliſſimo honore affecit.

Conſiliarii munus obiit. Nobilitatis Jure ab Imperatore donatus eſt.

Scripſit & edidit:

Scripta.

Diſputationes è Juſtinianeis Inſtitutionibus conſcriptas.

Syſtema Rhetoricum aliorum operâ editum.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1607.

WILHELMUS RUDOLPHUS MECKBACHIUS.

IN *Haſſiâ* natus A.C. 1543. Patrem habuit nobilem virum *Johannem Meckbachium*, Arcis *Grünenbergæ* in *Haſſiâ* Præfectum, ob facundiam, & rei militaris peritiam *Philippo* Seniori, *Haſsiæ* Landgravio, ejusque filio *Wilhelmo* charum: Matrem *Margaretam Steubertiam à Nellenburg*, familiæ ſuæ nobilis ultimam.

Cum adoleſcens in Academiâ *Marpurgenſi* principia Juris percepiſſet, illud in Academiâ *Jenenſi* continuavit, ibique *Margaretham*, D. *Henrici Schneidewini*, Conſiliarii *Saxonici*, Cancellarii *Vinarienſis* filiam, thori conjugalis ſociam futuram, parentum ex utrâque parte conſenſu, ſibi delegit.

Deindè ſtudii Juridici abſolvendi gratiâ *Lovanium* profectus, exindè *Lutetiam Pariſiorum* Academias *Bituricenſem* & *Andegavenſem* inviſit, & *Aureliam* reverſus, Gradum Licentiati in Jure ſuſcepit.

Juris Licentiatus Aureliæ.

A. 1565. In patriam reverſus, cum ſponſâ ſuâ nuptias ſolenniter in arce hæreditariâ *Grunbergâ* celebravit, & anno ſequenti *Marpurgi*, promotore D. *Johanne Oldendorpio*, Juris utriusque Doctor renunciatus eſt.

Juris Doctor Marpurgi.

Brevi pòſt *Wilhelmus*, *Haſſiæ* Landgravius, per literas accerſitum Aulæ ſuæ Conſiliarium conſtituit, & ad varia negotia Legatum adhibuit.

Conſiliarius aulicus Haſſiacus.

Hâc ratione cum Ducibus *Saxoniæ* innotuiſſet, eum Cancellarium *Coburgi*, conſentiente & ægrè dimittente Landgravio, conſtituerunt, quod munus ſeptennio cum laude adminiſtravit.

Cancellarius Coburgenſis.

Poſteà verò revocatus ab *Haſſiæ* Landgravio, rediit ad priſtinum Conſiliarii munus, & varias Principis ſui nomine Legationes obivit.

A. 1585. Vocatus ab Adminiſtratore Archepiſcopatûs *Magdeburgici* poſteà Electore *Brandenburgico*, Cancellarii munus aggreſſus, illud 12. annis usque ad A.C. 1598. ſummâ cum fidelitate obivit, multasque Legationes ad Cæſarem *Romanum* & Regem *Poloniæ* domûs *Brandenburgicæ* nomine expedivit.

Cancellarius Magdeburgicus.

Famâ itaque indies inclareſcentem non tantùm Sereniſſ. *Daniæ* Rex *Fridericus II.* Conſiliarium ſibi conſtituit, ſed ètiam Imperator *Rudolphus II.* ſæpiùs in arduis negotiis conſilio ejus uſus eſt.

Conſiliarius Regis Daniæ.

Vitæ tandem aulicæ pertæſus, in prædium ſuum *Helmſtorfium* ſecedens, vitam tranquillam duxit, usque dum morbo correptus & viribus deficientibus inter amplexûs uxoris, præſente Medico D. *Theophilo Kentmanno*, morte beatâ ſublatus obdormivit 24. Febr. A.C. 1607. ætatis 64. Sepultus *Halle* in Templo primario.

In prædio ſuo obiit.

Filios reliquit tres, *Reinhardum Wilhelmum*, *Burchardum Henricum*, Capitaneos, & natu minorem *Wilhelmum Mauritium*, cum filiabus duabus honeſtè elocatis.

* *Ex Concione funebri D. Johannis Olearii, Superintendentis Hallenſis.*

Obiit A.C. 1607.

JOHANNES ANTRECHTUS.

BAttenburgi, *Haſſiæ* ſuperioris oppido natus eſt 6. Dec. A. 1544.

Patre *Henrico*, ejus oppidi Senatore, Matre *Gertrude Sinſiâ*.

Patre A. 1561 è vivis ſublato, de cognatorum conſilio *Antverpiam* ad Mercatorem quendam profectus eſt: ſed cum literarum deſiderio flagraret, *Marpurgum* adiit, & in pædagogio pueros aliquandiu informavit.

Mercaturæ addictus. Literis operam dat.

Deindè ſcholaſtico pulvere relicto, *Argentoratum*, *Baſiléam*, *Tigurum* & *Genevam* perluſtravit.

Tandem *Galliam* peragravit, & in reditu *Baſiléæ* Juris Doctor ſolenniter renunciatus eſt.

Juris Doctor.

A. 1575. *Marpurgum* reverſus, à *Wilhelmo* & *Ludovico Haſſiæ* Landgraviis accitus eſt, ut Aſſeſſorem in curiâ ageret.

Aſſeſſor Curiæ Haſſiacæ.

A. 1580. Ab *Haſſiæ* Landgravio *Wilhelmo* *Caſſellas* ad Conſiliarii munus evocatus, An. 1592. Ab ejusdem filio *Mauritio* Cancellarius deſignatus eſt.

Conſiliarius & Cancellarius.

Tandem

Moritur. Tandem viribus collapſis, accedente Catarrho, animam DEO reddidit 20 Maji An. 1607. anno ætatis climacterico magno, cum domui *Haſſiacæ* annis 32. fideliter ſerviiſſet.

In Conjugio cum *Catharinâ*, *Juſti Vulteji*, Hebrææ linguæ Profeſſoris *Marpurgenſis*, filiâ unicâ 31. annos exegit, ſuſceptis ex eâ 12. liberis, quorum cum matre viduâ 10. ſuperſtites reliquit.

Obiit A.C. 1607.

JACOCUS KIPSIUS.

HOneſtis parentibus in hanc lucem editus fuit *Argentorati*, Patre *Valentino*, Reipubl. XVviro, & *Margarethâ* ex antiquâ *Gottesheimiorum* familiâ oriundâ.

Ab his Parentibus in verâ pietate educatus, cum animum ad mercaturam adjeciſſet, in *Galliam* & *Belgium*, cum linguæ addiſcendæ causâ, tum hominum mores & inſtituta cognoſcendi gratiâ fuit ablegatus.

Uxorem duxit. E quibus Provinciis domum reverſus A. C. 1566. ætatis 25. matrimonium contraxit cum virgine *Marthâ*, Dom. *Georgii Ingoltii* filiâ. Quo ex tranquillo & fœcundo conjugio filios ſuſcepit 4. & filiam unicam: è quibus filius tantùm unus ſuperſtes Dom. *Jacobus*, Gener Dn. *Johannis Ludovici Havenreiteri*, Med. D. & in Academiâ Profeſſoris.

Cum induſtriæ & fidei in aulâ generoſi Comitis ab *Hanau* perhibuiſſet ſpecimina, A. 1580. concredita ei & demandata fuit ab ampliſs. Reipublicæ Magiſtratu cura & adminiſtratio Præfecturæ in Herrenſtein. *Præfectus in Herrenſtein.* Quo in officio ita ſe commendavit annos 11. ut abſentis etiam ratio habita, & à tribu, in quâ nomen ſuum profeſſus, in numerum Scabinorum relatus fuerit. *Scabinus Argentoratenſis.*

Iterum nupſit. Uxore verò defunctâ, ad ſecundas nuptias A. 1590. tranſitum fecit cum matronâ honeſtâ deſponſatus *Marthâ à Moltzheim*, relictâ viduâ D. *Caroli Lorcheri*, Reipublicæ patriæ Conſulis & Academiæ Scholarchæ.

XVvir. Anno ſeq. in Senatum lectus, & in XVvirorum ordinem cooptatus fuit, in eodemque Magiſtratu Anno 1598. confirmatus. *Conſul.* Tertiò officio Conſulatus eſt functus primò quidem An. 1594. quo ipſo anno *Scholarcha.* 2. Octob. Scholarcha Academiæ electus: poſtmodùm A. 1600. & demùm 1606.

Legationes 22. obiit. His gubernationis & adminiſtrationis ſuæ annis Legationes 22. Reipubl. causâ obiit, inter quas non poſtrema, quâ A. 1603. Comitiis Imperii *Ratisbonæ* habitis interfuit.

Ardenti tandem febriculâ correptus, cum paſſiones colicæ & tandem paralyſis acceſſiſſet, vi morbi ſuperatus 9. Julii A. C. *Moritur.* 1607. ætatis 66. placidè obdormivit.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Argent. D. Philippi Marbachii, Theologiæ Profeſſoris.*

Obiit A.C. 1607.

NICOLAUS STADMANN.

HAllæ *Suevorum* parentibus honeſtis natus eſt 18. Febr. A.C. 1531.

A. 1548. Cum *Johanne Brentio*, Theologo, propter Interim in exilium pulſo, *Baſileam* ſtudiorum gratiâ diſceſſit. A. 1549. *Juris ſtudioſus Tubingæ.* cum eodem à *Chriſtophoro*, Duce *Wirtenbergico*, *Tubingam* vocato, eò ſe contulit, & ſtudiis Juridicis operam dedit, quæ poſteà A. 1555. *Ingolſtadium* concedens ibi magis excoluit.

A. 1557. *Norimbergam* veniens, Advocatum egit, uſque ad An. 1559. quo in *Italiam* profectus, *Ferrariæ* Doctor Juris ſolenniter creatus eſt. *Advocatus Norimbergæ. Doctor Juris Ferrariæ.*

Indè *Spiram* reverſus, & exindè in Patriam A. 1561. 28. Jan. Nuptias celebravit *Culmbaci* cum virgine *Euphroſynâ*, *Johannis à Morſtein*, nobilis *Suevi* filiâ, ex quâ filiam *Catharinam* ſuſcepit, quæ poſteà duobus Doctoribus Juris nupta fuit, primùm *Sebaſtiano Kaiſero*, *Onoldini*, *Georgii Friderici*, Marchionis *Brandenburgenſis* Conſiliario, & Advocato *Culmbacenſi*: deindè *Johanni à Fladenſtein*, Marchionum *Brandenburgenſium Georgii Friderici* & *Chriſtiani* Conſiliario & Advocato *Culmbacenſi*. *Deſponſatus Culmbaci.*

Poſt nuptias *Culmbaci* Conſiliarius factus eſt *Georgii Friderici*, Marchionis *Brandenburgenſis*; deindè A. 1580. Cancellarius *Joachimi Erneſti*; Marchionis *Brandenburgenſis*; tandemque An. 1601. Conſiliarius Eccleſiaſticus & Præſes Conſiſtorii. *Conſiliarius, Cancellarius & Præſes Conſiſtorii Brandenburgenſis.*

Conjuge primâ vitâ defunctâ, 13. Jan. An. 1567. ſecundas celebravit nuptias cum virgine *Roſinâ*, *Bartholomæi Freyen*, Conſulis Urbis Imperialis *Roteburgi* ad *Tuberim* filiâ, ex quâ decem ſuſtulit liberos, & inter hos *Johannem Burcardum*, Conſiliarium *Culmbacenſem*, & *Georgium Fridericum*, Jurium Candidatum, qui obiit A. 1623. æt. 37.

Ex filiabus verò *Anna Euphroſyna* duobus Doctoribus Juris *Dannero* & *Leuſchnero* nupſit: *Barbara* fuit elocata Dom. D. *Hieronymo Rauchbario*, Conſil. & Advocato *Onoldino*: *Cordula Roſina* data in conjugem D. *Conrado Müllero*, Conſiliario Marchionis *Joachimi Erneſti* & Advocato *Onoldino*.

Ipſe tandem non morbis, ſed ſenio & morte naturali conſumtus obiit *Onoldi* die 2. Auguſti A. C. 1607. ætatis 76. *Moritur.*

Vt LVX AVgVſto bIs ſVLget ab arCe ſVpremâ
StatMannVs CVLſVs teCtâ beata CapIt.

* *Ex Conc. fun. Laurentii Lælii Paſt. Onold. & ex Parentationibus Joh. Wolffg. Fabritii Argentinæ editis A. 1625.*

JACOBUS MENOCHIUS.

Obiit A.C. 1607.

TIcini natus eſt ex humilibus ortus parentibus A. C. 1532.

Juris Profeſſor Patavii. In Gymnaſio *Patavino* per annos 23. Jus utrumque docuit. Interim ab *Hetruriæ* Duce *Franciſco Piſas*, & à *Bononienſibus*, qui mille aureorum ſtipendium ipſi obtulerant, fruſtrà expetitus eſt.

Tandem à *Mediolanenſibus* in Academiam

Papien-

Juris Prof. Papienſis. Senator Mediolanenſis. Conſiliarius Regis Hiſpaniæ.

Papienſem accerſitus, in locum *Nicolai Gratiam* defuncti A. 1588. cum aliquando mille aureorum proemio Jura docuiſſet, inter Senatores *Mediolani* Regios relatus, mox Præſes, & demùm Conſiliarius Regius acclamatus eſt.

Moritur.

Obiit *Mediolani* 10. Aug. An. C. 1607. ætatis 75.

Scripta.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Conſiliorum ſive Reſponſorum Libri XIII.

Opera de arbitriis Judicum Quæſtionibus & Cauſis.

Commentaria de adipiſcendâ, retinendâ, & recuperandâ poſſeſſione.

De Præſumptionibus, Conjecturis, ſignis & indiciis Tomi III.

De Imperio & Juriſdictione Commentarii poſthumi.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Ticini in Templo S. *Mariæ Clericor. Regularium* ſepultus jacet cum ſtatuâ ejus marmoreâ, & hoc Epitaphio:

Epitaphium.

JACOBUS MENOCHIUS
MAGNUM JUSTITIÆ ORACULUM
IN PEDEMONTANA, PATAVINA, TICINENSI CATHEDRA, TUM MEDIOLANI CUM SENATOREM, MOX PRÆSIDEM ET REGIUM AGERE CONSILIARIUM, DENIQUE IN ORBE UNIVERSO AUDITUM HIC TACET, CONSULENTI TAMEN ADHUC RESPONDERET, SI PLURA QUAM SCRIPSIT, DICI POSSENT. OBIIT ANNO CHRISTIANO MDCVII. DIE X. AUGUSTI, NATUS ANNOS LXXV.

* * *

Juris Profeſſor in Monte Regali.

Jacobus Menochius ex Academiâ *Ticinenſi* ad Gymnaſium *Montis Regalis* ab *Allobrogum* Duce *Emanuele Philiberto* vocatus, cum 6. annos ibi floruiſſet, à Republ. *Venetâ* honeſto proemio in Academiam *Patavinam* invitatus, ut primi Interpretis Juris Pontificii matutini perſonam ſuſtineret, munus id ab An. C. 1566. ad 1572. continuavit, cum ceſſante propter infirmam valetudinem *Martio Rutilio Vicentino*, ad Jus Civile matutinum interprerandum *Tiberii Deciani* Collega factus eſt, cui an. 1582. extincto ſuccedens primum locum conſecutus eſt.

Collega Tiberii Deciani.

A. 1578. à *Franciſco Medicéo*, magno *Hetruriæ* Duce 800. aureorum proemium, ut *Piſano* in Gymnaſio primum Juris Cæſarei interpretandi locum obtineret, ei propoſitum fuit: ſed ſe eam conditionem recuſâſſe in quâdam præfatione, quam *Ticini* habuit, teſtatus eſt, tum quod *Piſani* aëris intemperies ſuæ parùm conduceret valetudini, tum quod tanta eſſet *Patavini* Gymnaſii celebritas, ut cum eo *Piſanum* comparari non poſſe videretur, tum quod Reſpublica *Veneta* eodem dato proemio uti ejus operâ diutiùs voluiſſet.

Cur Gymnaſium Patavinum Piſano prætulerit.

A. 1582. Senatus *Bononienſis* ſuis ad eum literis & nuntio miſſo Equite *Lucio Magio*, promiſſo mille aureorum proemio, ipſum in ſuam Academiam conducere conatus eſt. Sed cum itineri ſe accingeret, Reipublicæ *Venetæ* ſtudio effectum eſt, ut vinculum, quo ſe hic cum illis abſtrinxerat, diſſolveretur. Itaque ſuum in Gymnaſio *Patavino* docendi munus continuavit, & ad gravia *Venetorum* cum *Gregorio XIII. S. P.* negotia conficienda adhibitus eſt.

* *Ex Lib. II. Commentar. de Gymnaſio Patavino Antonii Riccoboni.*

JOHANNES PISTORIUS.

Obiit A. C. 1607.

NAtus in oppidulo *Haſsiæ* **Schwarzenborn** anno Chriſti, quo *Martinus Lutherus*, Theol. Doctor obiit, 1546. Patrem habuit *Conradum Beckerum*, loci illius Conſulem, Matrem verò *Catharinam*, ex familiâ *Dorbeckerorum* ortam

Puer patre orbatus, Scholas diverſas *Neukirchenſem* in *Haſſiâ*, *Wildungenſem* in Comitatu *Waldeccenſi* annis aliquot frequentavit, donec in Gymnaſio *Marpurgenſi* ſtudiis humanioribus operam dedit.

Exindè *Vinariam* digreſſus, triennium Scholam frequentavit, & *Erfurti* quinquennium in Collegio *Auguſtiniano* exegit.

Juris ſtudioſus & Philoſophiæ Magiſter Jenæ.

In *Jenenſi* demùm Academiâ 14. annos verſatus ſtudio Juridico vacavit, poſtquàm ibidem A. 1569. Magiſter Philoſophiæ creatus fuiſſet.

Cancellarius Schwartzenburgicus.

Cum itaque per Praxin variis Magnatibus innotuiſſet, an. 1583. *Wilhelmus*, Comes *Schwartzenburgicus*, *Franckenhuſam* vocatum eum Conſiliarium & Cancellarium ſibi conſtituit.

Doctor Juris Jenæ.

Poſtmodùm in Academiam *Jenenſem* reverſus, poſtquàm ſub Præſidio D. *Samuelis Prothagii*, *de petitione hæreditatis* pro Gradu diſputâſſet, Competitoribus D. *Laurentio Finckelthuſio*, Syndico *Lubecenſi*, D. *Hieronymo Marcello*, Syndico *Magdeburgico*, & D. *Johanne Wechſio*, Cancellario *Saxo-Altenburgico*, Promotore D. *Matthio Colero*, primum ipſe locum nactus, ſolenniter Juris utriusque Doctor renuntiatus eſt.

Uxorem duxit.

An. 1588. Deſponſatus cum *Eliſabethâ Herterichiâ*, cum eâ vixit in Conjugio concordi & felici, ſterili tamen, donec biennio ferè variis morbis afflictus, nihilominùs tamen munere ſuo pro viribus functus ex hâc miſeriarum valle per mortem placidam emigravit, die 4. Sept. A. C. 1607. æt. 61.

Moritur.

Joannes Piſtorius Schwartzenbornianus.

Per anagr. *Chriſtophori Steinfeldii*

Vir probus in Jure ut Azo inſontes ſanans.

* *Ex Concione fun. Eraſmi Rotmaleri, Eccleſ. Paſt. Francohuſani.*

POMPONIUS BELLEURÆUS.

Obiit A. C. 1607.

FIlius *Claudii de Bellievre*, primi Præſidis Parlamenti *Gratianopolitani* in *Delphinatu*, & *Ludovicæ Faya*, natus eſt *Lugduni Gallorum* A. C. 1519.

Conſiliarius Parlamenti Cameracenſis.

A. 1541. ætatis 22. Parlamenti *Cameracenſis* in *Sabaudiâ* Conſiliarius factus, An. 1570.

& Pariſienſis. Præſes Parlamenti Pariſienſis. 1570. à Rege *Carolo IX.* Conſiliarius Parlamenti *Pariſienſis*, & A. 1574. ab *Henrico III.* Regnum ingreſſo Regni Theſaurarius, & Parlamenti *Pariſienſis* Præſes factus eſt.

Cancellarius Galliæ, & Cuſtos Sigilli Regii. An. 1599. Poſt obitum *Philippi Huraldi*, Comitis de *Chivernay*, à Rege *Henrico IV.* Regni *Galliæ* Cancellarius, & Cuſtos Sigilli Regii declaratus, paulò pòſt cum nuntio Apoſtolico *Alexandro* Cardinale *Florentino* de conjugio Regis ſui cum *Mariâ Medicæâ* feliciter tractavit.

Conjugium ejus, & Liberi. Ex Conjuge *Mariâ*, *Johannis Prumiers*, filiâ 3. reliquit filios, & filiam unam. Filius natu major *Nicolaus*, Eques, Marchio de *Grignon*, Generalis Procurator & Præſes in Parlamento *Pariſienſi*, ex Conjuge *Claudiâ*, *Nicolai Brularti*, Conſiliarii Regii filiâ, reliquit *Pomponium de Bellieure II.* Avi in dignitatibus Succeſſorem, qui *Pariſiis* An. 1657. ætat. 51. obiit.

Alter ejus filius *Albertus*, poſt mortem *Petri ab Eſpinac*, factus eſt Achiepiſcopus *Lugdunenſis*, eique defuncto frater *Claudius de Bellieure* ſucceſſit an. 1605. isque obiit 19. April. an. 1612.

Filia *Helena* deſponſata fuit *Euſtachio de Reffuge*, Parlamenti Regii Conſiliario, qui, poſtquàm legationibus variis & gravibus Regis nomine perfunctus eſſet, obiit A. C. 1617. ætatis 53.

An. 1604. *Nicolao Beulardo*, Domino de *Sillery*, genero ſuo, & Succeſſori in Cancellariatu Regni *Galliæ*, Cuſtodiam Sigilli Regii ſponte tradidit.

Moritur. Ætate tandem & honoribus gravis vivendi finem fecit *Lutetiæ Pariſiorum* 5. Sept. A. C. 1607. ætatis 88.

* *Ex vitis virorum doctorum Scævolæ Sammarthani.*

Obiit A. C. 1607.

JOHANNES ZANGERUS.

Brunſvigæ natus eſt An. C. 1557. Patre cognomine Theologo, in Eccleſiâ Coadjutore, Matre *Catharinâ Gercmanniâ*, Mercatoris filiâ.

Juris Profeſſor Witteberga. A. 1578. Jurium Doctor in patriâ creatus eſt, eique brevi tempore pòſt Decretalium Profeſſio publica fuit demandata, Collegas tum habenti D. *Joachimum Beuſtium*, D. *Michaëlem Teuberum*, & D. *Matthæum Weſenbecium*.

Conſiliarius Electoris Saxoniæ. Judicii Aſſeſſor. Legatus Electoris. Factus deindè Conſiliarius *Chriſtiani II.* Electoris *Saxoniæ* aliorumque Principum, Conſiſtorii Eccleſiaſtici, & Judicii Curialis ac Provincialis aſſeſſor, multas in Comitiis variis Legationes cum laude obivit, & Rectoratum in Academiâ *Wittebergenſi* ter geſſit.

Theologiæ ſtudio deditus. Intereà ab An. 1597. Studia Theologica per totos quinque annos ſeriò tractavit, ut meritò Doctor in eâ facultate creari potuiſſet.

Tandem non tàm ætate conſumptus, quàm laborum pertinaci aſſiduitate fractus, cum maximo bonorum omnium luctu terrenam mortalis corporis ſarcinam in Chriſto piè & religiosè depoſuit *Wittebergæ* 6. Sept. A. C. 1607. æt. 50. Profeſſ. 26. *Moritur.*

Scripſit:

Scripta.

De exceptionibus tractatum.

De torturâ reorum.

* *Ex Concione fun. D. Wolfg. Frantzii Theol. Prof. Witt.*

Epitaphium.

EPITAPHIUM:

Pietati et Memoriæ Johannis Zangeri Brunsvicensis Saxonis U. J. D. et Professoris Decretalium in hac Electorali Witteberga per XXVI. annos, Celeberrimi Assessoris Judicii Curialis nec non Ecclesiastici Consistorii ibidem, ut et Judicii Provincialis et Regii illius in Lusatia inferioris, spectatissimi Senioris et Capitis Collegii Juridici meritissimi, Viri meritissimi in hanc totam Academiam optimi maximi, qui non tam Ætate consumptus quam laborum pertinaci assiduitate fractus, inter ardentes ad Deum preces in Christo Jesu placide exspiravit d. VI. Sept. Hora V. matut. Ætatis suæ anno L. Christi vero MDCVII. Hæredes Hoc debiti et sinceri Amoris signum ex intimo pietatis affectu lugentes P.

* *Ex Jubilæo Witteberg. D. Johannis Meiſneri, & aliis.*

Obiit A. C. 1607.

JOHANNES STROMERUS.

Natus *Aurbachii*, *Palatinatus* ſuperioris oppido, 22. Julii An. C. 1526. Patrem habuit *Johannem Stromerum*, Senatorem *Aurbacenſem*, Patruum *Henricum Stromerum*, Medicinæ D. & Profeſſorem *Lipſienſem*: Matrem verò *Catharinam*, *Johannis Kelneri*, Civis honeſti in patriâ filiam. Ab his parentibus inter 14. libros decimus fuit.

A. 1536. *Noribergam*, & paulò pòſt *Lipſiam* ſtudiorum gratiâ miſſus, ibi tantos fecit progreſſus, ut A. 1544. primam Philoſophiæ Lauream à M. *Ambroſio Lobwaſſero* obtinuerit. *Lipſiæ Baccalaureus.*

Intereà A. 1539. cum poſt obitum *Georgii*, Ducis *Saxoniæ*, Theologi *Wittenbergenſes* ad Eccleſiæ Reformationem *Lipſiæ* convenientes, hoſpitio D. *Henrici Stromeri* Medici eſſent uſi, *Johannes* hic *Stromerus* cum fratre *Michaële*, duobusque filiis *Henrici* ante menſam miniſtravit.

Tum *Lutherus*, ſingulis luſtratis, *Johannem* ad ſe vocatum, deque nomine ſuo interrogatum, porrecto ipſi vini poculo, ita affatus eſt: *Johannes ſtude & bibe, nam è multis adhuc poculis auratis erit tibi bibendum.* Huic *Lutheri* omini reſpondit eventus, nam ex 4. *Stromeris* adoleſcentibus tunc aſtantibus ſolus hic literis operam dedit.

An. 1546. Exorto bello funeſto inter

Militem agit.

Electorem *Saxoniæ* & Imperatorem *Carolum V.* cum abſque periculo domum redire non poſſet, militiæ cum pluribus aliis ſtudioſis nomen dedit, & Ducis *Mauritii* caſtra ſecutus per 13. menſes in armis manere, cum *Lipſia* gravi premeretur obſidione, coactus eſt.

Wittenbergæ 1. Theologiæ. 2. Medicinæ, 3. Iurisprudentiæ operam dat.

An. 1548. Militiâ relictâ, *Wittenbergam* conceſſit, & domûs ac menſæ D. *Martini Lutheri* viduæ particeps factus per quinquennium ibi ſubſtitit, & cum anno primo Theologiam, ſecundo Medicinam delibâſſet, tandem amicorum ſuaſu Jurisprudentiæ dedit operam, ſedulus docentes audiens *Paulum Benedictum*, *Johannem Schneidewinum*, *Laurentium Lindemannum*, & *Joachimum Beuſtium*, J.C.tos celebres.

A. 1553. *Lipſiam* reverſus, Juris ſtudium ſub Præceptoribus *Petro Loriotto*, *Burgundo*, *Ludovico Fachſio*, *Paulo Lobwaſſero*, & *Modeſtino Piſtoris* ſtrenuè pertexuit. Nam

Juris Baccalaureus & Doctor.

An. 1559. Juris Baccalaureus, & ſeq. 1560. Doctor publicè renuntiatus eſt. An. 1565. Electoris *Auguſti* autoritate *Lipſiæ* munus

Iuris Profeſſor Lipſiæ.

Advocati in ſummo judicio Provinciali nactus unà Juris Inſtitutiones, nec multò pòſt an. 1568. Codicem interpretatus eſt.

Cancellarius Vinarienſis.

A. 1578. In aulâ Ducum *Saxo-Vinarienſium* Cancellarius deſignatus, munus id per integrum decennium cum laude geſſit.

Dicaſterii Aſſeſſor Jenæ.

A. 1587. *Jenæ* defuncto D. *Matthiâ Colero*, Dicaſterii ſummi aſſeſſore, ex aulâ cum gratiâ dimiſſus, ipſi Succeſſor datus eſt, & totos 20. annos in eo munere vixit.

Deſponſatur Lipſiæ.

27. Aug. an. 1555. *Lipſiæ* deſponſatus eſt cum filiâ *Volckmari* Civis honeſti *Mariâ*, ex quâ 10. liberorum parens factus filium tantùm *Auguſtinum*, & *Margaretham*, filiam *Chriſtiani Steinackeri*, Juris D. Conjugem reliquit ſuperſtites. Cœteri omnes, *Spes*, *Johannes*, J.D. Cancellarius *Hohenſteinenſis*, *Chriſtophorus*, *Melchior*, *Michaël*, J.D. & Curiæ ſupr. in *Salanâ* Advocatus, *Catharina*, *Georgius*, & *Chriſtianus* ante patrem deceſſerunt.

A. 1582. Alteram duxit Conjugem *Catharinam*, *Johannis Börneri*, Cancellarii *Schwartzenburgici*, filiam, & *Johannis Breitheuptii*, Civis *Cruceburgenſis* viduam, ex quâ filium *Johannem Fridericum*, virtutum paternarum æmulum, & filiam *Annam Mariam* ſuſcepit.

Moritur Jenæ.

Catarrho tandem ad pectus defluente confectus, ſubitò inter adſtantium preces in patriam cœleſtem evolavit *Jenæ* 11. Oct. A.C. 1607. æt. 82.

* *Ex Lib. Programmat. ſun. Witt. Auguſti Buchneri.*

Obiit A.C. 1607.

OTTONELLUS DISCALCIUS.

Advocatus Patavinus.

Junior, Civis *Patavinus*, & Juriſconſultus in patriâ inſignis, Vir pietate fulgens ab ineunte ætate cauſas eloquenti, conſilia prudenti, judicia iuſto ſemper ore dixit, dedit, enuntiavit.

Juris Profeſſor.

Libris editis ſe ipſum, explicatis Gymnaſii *Patavini* famam auxit. Siquidem in eo applaudentibus omnibus 42. annis modò Pontificii modò Cæſarei Juris ſolemnes prælectiones habens, dicendis interim cauſis operam dedit. His laboribus ac meritis aditum ſibi ad honores & opes patefecit.

Legatus. Eques Venetus & Comes Palatinus.

Variis Legationibus pro patriâ functus apud Sereniſs. Reipublicæ ſuæ Principem, Equitis ab eo *Veneti*, ut à *Rudolpho II.* Imperatore Comitis Palatini & Equitis Cæſarei decora reportavit.

Principibus carus, à Conſiliis etiam iiſdem fuit, & imprimis Sereniſs. Reipublicæ *Venetæ*, cujus libertatem & jura unà cum Principis auctoritate acriter tueri conatus eſt, & latiùs propagare. Itaque variis ab eo muneribus affectus eſt & honoribus inſignitus.

Moritur.

Lentâ tandem febri correptus eſt & extinctus An. C. 1607. ætat. 71. magno cum Studentium & Civium mœrore, perindè ac ſi de universâ Jurisprudentiâ, eo defuncto, conclamatum eſſet.

Elatum magnifico funere corpus Eccleſia Patrum Heremitar. excepit, in quo aureæ literæ Virtutes ejus & merita ſic loquuntur.

Epitaphium.

D. O. M.
OTTONELLO DISCALTIO
SUMMO GENERE ET VIRTUTE JURISCON.
EQ. CO. PALAT. QUI PRÆSTANTISS. INGENIUM EXIMIA JURIS UTRIUSQUE SCIENTIA,
ET ADMIRABILI DISPUTANDI ATQUE
DICENDI ACUMINE ET COPIA
EXCELLENS
PATRIÆ IN HONORIBUS, LEGATIONIBUS,
CONSILIISQUE UTILISSIMUS, PRIVATORUM
IN JUDICIIS PERICULA SINGULARI
ELOQUENTIA PROPULSANS
PERQUAM DIU PRÆCIPUA JURIUM INTERPRETANDORUM SUMMA OMNIUM AUCTORITATE OBTINENS LOCA NON SEMEL AB ALIIS
PRINCIPIBUS EXPETITUS, A VENETIS
DOMINIS RETENTUS, ORNATUS,
AUCTUS EMICUIT.
OBIIT ANNO CHRISTI MDCVII.
ÆTATIS SUÆ LXXI.
ELISABET ZABARELLA
VIRO CLARISSIMO
APUD OSSA MAJORUM
P. C.

Altera hujus Viri memoria in Eccleſiâ S. *Antonii*, unà cum ejuſem ſtatuâ extat, quam illi generoſa *Germanorum* Natio erexit:

ÆTERNÆ MEMORIÆ
OTTONELLI DISCALTII
PATRITII PATAVINI, VIRI CLARISSIMI,
PRIMARII JURIS CIVILIS
INTERPRETIS,
COMIT. PALAT. ET EQUIT. D. MARCI
NATIO GERMANICA JURIST.
CONSILIARIO GEORGIO FEDERICO
A RAMINGEN SYND.
JUR. ADOL.
WECIT TERSHEIM PROCUR.

HENR

HENY HILLER ET FRIDER. BRANDIS
PER ANNOS XX. ET ULTRA PATRONO ET
ADVOCATO SUO DESIDERATISS.
POS. ANNO MDCII. MENSE DECEMB.

Arca tegit cineres, animam Deus addit Olympo,
Famam Germanæ ſuſcipiunt Aquilæ.

Scripta. Innumera ejus *Conſilia* extant, *Lectiones variæ & documenta* quàmplurima, quæ diſcipulorum ejus manibus aſſiduè teruntur.

* *Ex Elogiis Illuſtrium Virorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

* * *

Alius Ottonellus Diſcalcius. Teſte *Antonio Riccobono Gymnaſii Patavini deſcriptione* alius hoc nomine *Ottonellus Diſcalcius* floruit circa A.C. 1380. in Legibus interpretandis Doctor egregius, Principibus *Carrarienſibus* ſummè charus, multis Legationibus aliis honoribus à *Franciſco* juniore decoratus. Hic Vicarius in urbe *Belluno* A. 1375. ſub regimine Nobilis Militis *Parcevalli Vienichii*, Præfecti honorandi pro Ducibus *Auſtriæ Alberto* & *Leopoldo* fratribus, civitatis *Belluni* & *Feltriæ* Dominis; ac Prætor *Tauriſii* A. 1381. pro *Franciſco Carrarienſi, Patavii, Tauriſii*, & locorum ad eas urbes pertinentium Domino.

Hujus veſtigiis inſtitit ejus Abnepos *Aloyſius Diſcalcius*, J.C. in Gymnaſio *Patavino* multis annis Jus Civile profeſſus, & in foro *Veneto* diu verſatus.

Hic ætate jam ingraveſcente *Antonium Diſcalcium* filium ſuum inſignem J.C. omnis clientelæ ſuæ patronum fecit, & in patriam reverſus ſtudiis humanioribus operam dedit, *Aloyſio*que nepoti progreſſo ad legitimam Juris ſcientiam cum magnâ lætitiâ Doctoris inſignia manibus ſuis dedit, cujus frater *Ottonellus* ſimiliter factus eſt Juris utriusque Doctor, & primùm *Juſtiniani* Inſtitutiones explanavit, electus A. 1565. in locum Cæſaris *Mutionii Ceſenatis*, deindè A. 1575. Jus Canonicum veſpertinum cœpit interpretari loco *Nicolai Bottoni*. Poſtremo adhibitus ad Jus Civile matutinum in ſecundo loco A. 1586. & in æquitate primi loci A. 1596.

LAURENTIUS GOSLICIUS.

Obiit A.C. 1607. *Poſnanienſis* Antiſtes, vir vitæ inculpatæ, qui cum Theologiæ & Aſtronomiæ cognitione naturalem quoque prudentiam, rerumque publicarum intelligentiam conjunxit.

Is in Academiâ *Cracovienſi* adoleſcens utrâque Philoſophiæ laureâ inſignitus & in *Italiam* profectus apud viros eruditos in honore fuit.

Abbas Claræ tumbæ. Epiſcopus Camenecenſis, Chelmenſis, & Poſnanienſis. Reverſus, Abbas primùm Ordinis *Ciſtercienſis* Sodalium *Claræ tumbæ* creatus ad *Camenecenſem* Epiſcopatum, deindè ad *Chelmenſem*, tandemque *Poſnanienſem*, virtutis ergò, ſedem erexit, in quâ olim *Lubranſcius* ille eruditus ſedit, qui perpetuum ſibi monumentum, bonarum artium Collegium *Cracovienſis* Academiæ Profeſſoribus, *Poſnaniæ* erexit.

Cum occulta depravatarum in religione opinionum lues & Machiavellicarum fraudium labes *Poloniam* invadere cœpiſſet, ad incendium id reſtinguendum Oratione pro ſtatu ſacerdotali *Varſaviæ* in Senatu recitatâ obviam proceſſit.

Fato tandem functus eſt ſenex octogenarius, meruitq; marmoreum ſepulchrum, in Capellâ *Poſnanienſis* baſilicæ, tali Epitaphio inſcripto: Moritur.

Epitaphium. ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO LAURENTIO GOSLICKI GENTE GRIMATIO TERRITORII PLOCENSIS, VIRO PIETATE SINGULARI, INGENIO PRÆSTANTI, CONSILIO EXCELLENTI, CANDIDO, APERTO, ET ANIMOSO, REIPUB. ET ECCLESIÆ LIBERTATIS AMANTISSIMO, ELOQUENTIA RARA, QUI SCIENTIARUM INSIGNIBUS PUBLICE DECORATUS, ET A SERENISSIMIS POLONIÆ REGIBUS IN PRECIO & HONORE HABITUS POST MULTA, VARIA ET EXIMIA IN REMP. MERITA, ET COMPLURES IN GRAVISSIMIS ET DIFFICILLIMIS REGNI NEGOTIIS PARI FIDE ET FELICITATE OBITAS LEGATIONES, PRIMO CAMINECENS. PAULO POST CHELMEN. ECCLESIIS UTILITER EPISCOPUS PRÆFUIT: DEINDE AD ECCLESIAM PRÆMISLIENSEM PROMOTUS SIMUL CLARÆ TOMBÆ MONASTERIUM LAUDABILITER ADMINISTRAVIT. POSTREMO ECCLESIÆ POSNAN. PRÆSUL FACTUS CUM EAM FELICITER ANNIS SEX, MENSIBUS CIRCITER QUATUOR REXISSET, DEMUM DESIGNATO ET ADSCITO SIBI LEGITIMO COADJUTORE ET SUCCESSORE, SEPTUAGENARIO MAJOR, VIVIDA SENECTUTE, GANGRÆNA NERVORUM TACTUS IN PEDE DEXTRO SENSIM OCCUPANTE AD EXTREMA DEDUCTUS, ANIMAM DEO RELIGIOSE COMMENDAVIT, ET PIE PLENUS SPEI REDDIDIT CIAZINII ANNO DOMINI MDCVII. ULTIMA MENSIS OCTOB.

EIDEM EXECUTORES CUM NEPOTE EX TESTAMENTO MONIMETUM MOESTI POSUERE.

Scripta. Scripſit & edidit:

De optimo Senatore libellum,
De optimo Cive libellum.
Poëmata varia.

* *Ex Elogiis centum Scriptorum Polon. Simonis Starovolſcii.*

JACOBUS POEMERUS.

Obiit A.C. 1607. *Norimbergæ* natus 26. Febr. A.C. 1561. Patrem habuit *Wolfgangum Pömerum*, Secretarium Duumviralem: Matrem *Annam Tucheriam.*

Anno C. 1572. A Patre *Altorfium* ablegatus in familiam D. *Glaciani* Oratoriæ Profeſſoris adſcitus eſt. Ibi totum ferè ſepteunium commoratus, & Præceptores

Juris ſtudioſus Altorfii, Tubingæ.

nactus in literis primùm humanioribus *Georgium Glacianum*, in ſtudio deindè Juridico D. *Johannem Thomam Freigium*, J.C. cum celebrem, tantos in ſtudiis progreſſus fecit, ut diligentiæ ſuæ luculentum teſtimonium reportârit. An. 1509. *Tubingam* ad ſtudia continuanda profectus: Anno ſeq. in *Italiam* peregrinationem ſuſcepit.

Elapſo triennio in Patriam reverſus, majorem etiam partem *Germaniæ* perluſtravit.

Conjugium ejus, & Liberi.

A. 1587. Matrimonium contraxit cum virgine *Barbarâ*, *Matthiæ Löffelholtzii*, Senatoris *Noribergenſis* filiâ, cum quâ 20. annos amantiſſimè vixit, ex eâque filios duos, *Wolfgangum Jacobum*, & *Albertum*, unamq; filiam *Barbaram Sophiam* genuit, quos liberos omnes cum matre ſuperſtites reliquit.

Senator Nor. & Scholarcha Altorf.

Non multò pòſt ad dignitatem Senatoriam, deindè Scholarchatum Academiæ *Altorfinæ* evectus eſt.

Moritur.

2. Dec. A.C. 1607. ætatis 47. Cum manè Concioni M. *Johannis Fabritii* interfuiſſet, eâque finitâ in Curiâ pro more negotia tractâſſet, veſperi cum uxore amicè colloquens, apoplexiâ correptus, placidè exſpiravit.

* *Ex Oratione fun. Caſp. Pauſæ, Hennebergici Theologiæ ſtudioſi.*

Obiit A.C. 1608.

TOBIAS PAURMEISTERUS.

PAtriam habuit *Cochſtadium*, in medio ferè *Saxoniæ* ſitum, Diœceſeos *Halberſtadienſis* oppidum, natus initio An. C. 1553. Patre *Johanne*, viro honeſto, Matre *Geſâ ab Holten*.

Diſcipulus Magdeburgi.

In primâ ætate pietatis & literarum rudimenta in ludis tum patrio tum *Eglenſi* percepit. Annos pubertatis cum attigiſſet, in Scholam à parentibus miſſus eſt *Magdeburgenſem*, tum celebritate nominis præſtantem, in quâ *Sigfridi Sacci*, *Dionyſii Dragendorfii*, & *Georgii Rollenhagii* diſcipulus & auditor fuit annis octo.

Philoſophiæ Magiſter Francofurti.

Ætate autem ibi ſtudiiſque confirmatis, & linguæ utriusque fundamentis benè jactis, A. 1576. in Academiam *Francofurtenſem* ad *Oderam* ſe contulit. Hic cum artium optimarum Magiſter publicè renuntiatus eſſet, atque in artem boni & æqui, ſub Præceptore *Rudolpho Schradero*, cœteriſque ibidem Juris Profeſſoribus ſummo animi conatu incubuiſſet, toto ferè quadriennio, cœteras deinceps *Germaniæ* Academias perluſtravit, atque *Friburgi Briſgojæ* ſubſtitit.

Juris Profeſſor Friburgi.

Eâ verò in Academiâ ita brevi tum Profeſſorum tum ſtudioſorum ſibi animos conciliavit, ut præ cœteris eum illi amanter complecterentur, hi non commilitonem jam, ſed Doctorem agnoſcerent, utque publicè ibi Jus interpretaretur, obnixè rogarent. Illis obſecutus publicè Jus Civile extra ordinem quidem docuit magnâ aſſiduè auditorum frequentiâ.

Juris Doctor.

Ibidem poſteà Laureæ Doctoralis honores ſummo Academiæ Procerum ſtudio ipſi collati ſunt. Sed non modò *Friburgenſes*, verùm vicini quoque Regionis iſtius primates eum diligebant: nimirum Reverendus Princeps Dom. *Philippus Flachius*, Ordinis *Johannitarum* Magiſter, Reverendus item & nobilis Dom. *Wilhelmus Bocklinus*, nec non generoſus ille & de Chriſtianis adversùs *Mahometem* præclarè meritus Baro *Lazarus Schwendius*, gratiâ & benevolentiâ illum ſingulari proſecuti, ejusdem etiam conſuetudine ſunt delectati.

Lazaro Schwendio familiaris.

Advocatus & Syndicus Halberſtadienſis.

Quamvis autem hæ tunc illi forent occaſiones, functionesque deferrentur non contemnendæ, Patriæ tamen præ cœteris operam ſuam deberi agnoſcens An. 1581. Vocationi *Halberſtadienſi* obſecutus eſt, à Cathedralis ibi Eccleſiæ Capitulo conſtitutus Advocatus & Syndicus.

Cancellarius Brunsvicenſis. Conſiliarius Cæſareus. & Comes Palatinus.

Hanc Provinciam cum totos annos 13. probè adminiſtrâſſet, nihil de ſpartâ hâc deſerendâ cogitantem Illuſtriſſimus Princeps *Henricus Julius* Dux *Brunsvicenſis* ac *Luneburgenſis* poſtulatus Epiſcopus *Halberſtadienſis* An. 1594. Conſiliis eum ſecretis & Cancellis aulæ ſuæ præfecit. Cæſar etiam *Rudolphus II.* inter Conſiliarios ſuos eum adſcivit, & Comitem Palatinum creavit.

Moritur.

Obiit tandem circa A. C. 1608. æt. 53.

Edidit:

Scripta.

Comment. rerum Politicarum, & Juridicarum.

De Jurisdictione Imperii Romani Lib. II.

* *Ex Vitis Virorum doctrinâ illuſtrium Johannis Jacobi Boiſſardi.*

Iconi ejus æri inciſæ hoc diſtichon *Jani Jacobi Boiſſardi* ſubſcriptum legitur:

Mentem forma tuam, Doctrinam penna, Cherusci
Acta, Fidem Cæſar, Guelphiadesq; probant.

Obiit A.C. 1608.

DAVID CHILCHENIUS.

Diſcipulus Patrum Societatis Jeſu.

IN *Livoniâ* nobilibus Parentibus natus, *Rigæ* primùm apud Patres Societatis *Jeſu*, atque *Vilnæ*, in *Italiâ* deindè, variiſque *Germaniæ* Academiis operam literis navavit, uſus Præceptore *Friderico Bartſcio*, *Braunsbergenſe* inſigni Patrum Societatis *Jeſu* Theologo, & Concionatore, qui ſcripſit *Concionum controverſarum Tomos II.*

Juris Doctor.

Indè in *Gallias* & *Britanniam* profectus, cum varios Profeſſores audiſſet, ſupremâ Jurisprudentiæ Laureâ decoratus, in patriam rediit, magnoque illi *Zamoſcio*, ob præclaras animi dotes, & Scripta prudenter in Jure Civili Pragmatico conſcripta, magnoperè gratus.

Secretarius Regis Poloniæ.

Milit. dux.

Famâ deindè indies magis magiſque notus, & in aulam accerſitus Sereniſſ. Regi *Poloniæ Sigiſmundo III.* à Secretis fuit. Quin & à *Juſto Lipſio*, literarum ſui ævi Coryphæo abſens literis colebatur, & à Duce *Lituaniæ Radivillo* Generali exercituum militaribus turmis cum dignitate præficiebatur,


BIBLIOT. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE


FRANCISCUS VIDUA.
Juriſconſultus Patavinus


IOHAN. BROTBECCIUS
Ducis Wirtenb. Proto-Secret.


HERMAÑ, PETR. NIGIDI,
Syndicus Marpurg.


IOHANNES GROTIUS.
Curator Academiæ Leidenſis


PAULUS DIETHERR.
Diverſorum Magnatum Conſil.


GERARD. TUNINGIUS
Prof. Jur. Lugdun. Batav.


THOMAS SUTTON
Eruditorum Patron, Angl.


IOH. GEORG GODELMAÑ
Conſiliarius Saxonicus.


HIPPOLYTUS à COLLIBUS.
Conſiliarius Elect. Palatin.


IOHAN LINDERHAUSEN
Jur. Prof. Lugd. Batav.


GEORG. OBRECHTUS
JCtus & Prof. Argentoral.


ALEXANDER FORTECIA
Fiſci Advocatus Patavii.


THOMAS OVERBURI,
Secret. Angl. & Eques Aurat.


CONRAD. RITTERSHUSI,
JCtus & Prof. Altdorff.


ACHATIUS HÜLSIUS
Conſiliarius Cæſareus.


MARQUARD. FREHERUS
Com. Palat. Conſil. Elect. Palat.

Moritur. tur, in quo officio & vitam exſpiravit parto longè clariſſimo nomine A. 1608.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

NICOLAUS DOBROCIESCIUS.

Obiit A.C. 1608.

PAterno in prædio haud procul *Cracoviâ* regni *Poloniæ* metropoli nobilibus natus parentibus, in Academiâ *Cracovienſi* Jus utrumque & literas politiores ita edoctus eſt, ut nemo in diſceptando acumen, in abſtruſis & ambiguis facilitatem, in evolvendis antiquorum decretis diligentiam, in reſolvendis controverſiis ſolertiam, rebus in omnibus denique ſummum judicium non ſit admiratus. *Juriſconſultus.*

Antiſtites *Sarmatiæ* præcipui cum ob multarum rerum uſum, tum ob eximium Zelum, quo collapſos mores corrigere & Eccleſiæ priſtinam diſciplinam revocare ſtudebat, eum ſuis conſiliis adhibuerunt. Quibus animi dotibus cum paſſim in aulis Principum gratioſus, tum omnibus ferè in Canonicorum *Cracovienſium* Collegio charus vitam lætus peregit, & obiit A.C. 1608. ætatis 49. *Moritur.*

Conditus eſt in Capellâ Cathedralis Eccleſiæ D. *Stanislai*, quam ipſe ſumptu ingenti ſculptis marmoribus exornaverat, Mauſoleumque ſibi in eâ vivus ponendum curaverat, ubi ei amici & Collegæ hoc Cenotaphium poſuêre:

Epitaphium.

D. O. M.

NICOLAO DOBROCIESKI DE DOBROCIESZ J.U.D. CRACOV. ET SANDOMIRIENSI CANONICO.

O MORS INIMICA!

QUÆ PRISCAM VIRTUTEM CLERI ET ACADEMIÆ DECUS IMMATURE SUSTULISTI. DEFLENT PII DISERTUM ET GRAVEM VERBI DEI PRÆCONEM, DOLET DIOECESIS RENOVATA MAGNI CARD. RADIVILLI EPISCOPI CRAC. CANCELLARIUM. AT VOS AMICI ET EGENI DULCEM AMICUM ET PATRONUM DIU COMPLORATE. EHEU MAGNUS VIR OBIIT DIE XXVIII. JANUARII ANNO DOM. MDCVIII. ÆTATIS XLIX.

Cancellarius Cardinalis Radivilli.

Edidit:

Scripta.

Orationes ſcriptas ad Regem Stephanum Battoræum, & Sigiſmundum III.

Maximilianum Auſtrium.

Macieiovium Cardinalem.

Tractatum de Decimis.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

SIGISMUNDUS BUCHNERUS.

Obiit A.C. 1608.

NOrimbergæ natus eſt antiquâ & nobili familiâ in *Saxoniâ* celebri, Patre *Mauritio Buchnero*, qui ex *Lipſiâ*, patriâ ſuâ, *Norimbergam* migravit, ibique in uxorem duxit virginem *Magdalenam*, Domini *Chriſtophori Fûreri*, Senatoris primarii filiam, quæ filium hunc *Sigiſmundum* peperit An. Chriſti 1556. *Ortus ex familiâ nobili.*

Ab adoleſcentiâ ſtudio Juridico deditus, poſtquàm Doctorales honores adeptus eſſet. A. 1587. *Spiræ* inter Judicii Cameralis Cæſarei Aſſeſſores cooptatus in eo munere 21. annos egit. An. 1588. *Norimbergæ* deſponſatus eſt cum virgine *Clarâ*, *Joachimi Weyermanni*, nobilis *Suevi* filiâ, ex quâ 3. filios totidemque filias reliquit ſuperſtites. *Juris Doctor. Judicii Cameralis Spirenſis Aſſeſſor. Conjugium ejus, & Liberi.*

A. 1607. Cum aliis quinque Judicii *Spirenſis* Aſſeſſoribus *Ratisbonam* ad Comitia ablegatus, ibi mox ægrotare cœpit, & *Norimbergam* ſpe ſanitatis recuperandæ diſceſſit. A. 1608. M. Majo reſtitutus utcunque *Spiram* ad uxorem rediit, ſed brevi poſt paſſus recidivam in Chriſto exſpiravit 8. Maji An. C. 1608. æt. 52. *Legatus Ratisbonam ad Comitia. Obiit Spiræ*

* *Ex Concione fun. Chriſtophori Allgeyeri, Concionatoris Spirenſis.*

SEBASTIANUS RöTTINGERUS.

Obiit A.C. 1608.

NOrdlingæ natus eſt, Patre cognomine Prætore Oct. A. 1537.

Adoleſcens in Univerſitate *Wittenbergenſi* quinquennium literis inſumpſit, ibidemque à *Philippo Melancbthone* cum laude Philoſophiæ Magiſter creatus eſt. *Philoſophiæ Magiſter.*

Deindè cum *Antonio* Comite *Ortenburgico*, Præceptoris nomine, in *Galliam* peregrinatus, in *Bituricenſium* Academiâ Jurium Doctor ſolenniter creatus eſt A. 1567. *Juris Doctor.*

Tum *Italiâ* quoque perluſtratâ in *Germaniam* reverſus, & à Senatu patrio Reip. Advocatus: demùm ab Ordine Equeſtri in *Sueviâ* & *Franconiâ*, ſalario annuo conſtituto, in negotiis gravibus Conſiliarius conſtitutus eſt. Creatus etiam Comes Palatinus ab Imp. *Rudolpho II.* *Advocatus Nordling. Conſiliarius Equitum Franc. Comes Palatinus.*

Obiit *Nordlingæ* 16. Maj An. C. 1608. ætatis 71. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri.*

FRANCISCUS VIDUA.

Obiit A.C. 1608.

PAtavii, Patre *Maximiliano* natus eſt An. C. 1563.

Juriſprudentiam poſt decurſum Philoſophiæ ſtudium amplexus cum eſſet, Doctor renunciatus eſt, & erudiendis aliis ſe addixit. Cum aliquandiu Inſtitutiones Imperatorias in Gymnaſio patrio profeſſus eſſet, A. 1598. Pandectarum Cathedram conſecutus eſt, quam per Hiſtoriam & antiquitatum monumenta vagans decoravit, quod teſtantur Orationes variæ ab ipſo habitæ & typis editæ. *Juris Profeſſor Patavii. Hiſtoricus & Orator.*

Obiit tandem 8. Id. Maji Anno C. 1608. ætatis 45. *Moritur.*

* *Ex Elogiis virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Scripſit:

Orationes complures, jam editas, quarum *una eſt* in *Obitu Guidi Panciroli, J.C. Altera* in *Obitu Angeli Matthæaccii, J.C. Tertia in Ingreſſu ad Pandectarum Lecturam. Quarta* *Scripta.*

d by Google

de laudibus Hiſtoriæ. Aliasque non editas, ſed habitas publico in *Ricovratorum* cœtu.

Introductionem in Porphyrium & Comment. in Logicam.

Comment. in Inſtitutiones Cæſaris.

Obiit A.C. 1608.

JOHANNES BROTBECCIUS.

Nürtingæ, in Ducatu *Würtenbergico*, ex parentibus honeſtis 18. Junii Anno C. 1544. natus, à primâ ætate Scripturæ deditus anno ætatis 18. *Stutgardiæ* in Archigrammatéo Subſtitutum agere cœpit.

Subſtitutus Stutgardiæ.

An. 1566. A Sereniſſimo *Chriſtophoro*, Duce *Würtenbergico*, inter Scribas Cancellariæ aulicæ receptus, A. 1668. ab *Eberhardo*, Ducis *Chriſtophori* filio natu majore, *Monachium* ad Sponſalia *Wilhelmi*, Ducis *Bavariæ*, Secretarii nomine miſſus eſt.

An. 1577. Secretarius Judicii matrimonialis factus. A. 1578. Uxorem duxit, cum quâ pacatè vixit, usque ad annum 1594. quo peſte extincta eſt *Bocknangæ*.

Mox poſt nuptias Synedrii *Stutgardiæ* ſuperioris, & A. 1582. Circuli *Suevici* factus eſt Secretarius. Poſtquàm itaque 5. ſucceſſivè Principum *Würtenbergicorum Chriſtophori, Eberhardi, Ludovici, Friderici*, & *Johannis Friderici*, 43. annorum ſpatio Secretarius fuiſſet, in Domino placidè obdormivit 15. Julii A.C. 1608. æt. 64.

Secretarius 5. Principum Würtenbergenſium. Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Petri Hueberi, Concionat. Stutgard.*

Obiit A.C. 1608.

WOLFGANGUS GRAFIUS.

Sarbrucci, in Comitatu *Naſſovienſi* natus 7. Aug. A. 1560. Patrem habuit *Johannem Grafium*, Juris Doctorem, & Comitum *Naſſov. Sarbruccenſ.* ac *Wetteraviæ* Conſiliarium, filium *Wolfgangi Grafii*, Conſulis *Nordlingenſis* benè meriti. Fratres habuit *D. Raimundum Grafium*, Jur.C. Conſil. *Sarbruc.* & *D. Johannem*, Med. *Nordlingenſem.*

Cum adoleſcens in Academiis *Marpurgenſi*, *Argentinenſi*, & *Heidelbergenſi* præter Philoſophiæ ſtudia Jurium exactam cognitionem hauſiſſet, Pater eum ad varias expeditiones adhibuit, & deinceps in *Galliam* ablegavit.

Reverſus in *Germaniam*, A. 1584. *Heidelbergæ* Jurium Doctor ſolenniter promotus, deinceps *Spiræ* in Judicio Cameræ Imperiali Praxin exercuit, usque ad An. C. 1589. quo vocatus à Republicâ *Nordlingenſi* munus Advocati ſuſcepit, idque ad finem vitæ fideliter adminiſtravit.

Doctor Juris Heidelbergæ. Advocatus Nordlingenſis.

Apoplexiâ tandem correptus, ſubitâ, beatâ tamen & vitæ prægreſſæ reſpondenti morte ſublatus eſt 27. Sept. Anno C. 1608. ætat. 49. *Nordlingæ.*

Moritur apoplexiâ.

* *Ex Concione funebri M. Frid. Franci.*

Obiit A.C. 1608.

VALENTINUS FORSTERUS.

Wittebergâ oriundus, exquiſitâ doctrinâ & ſingulari induſtriâ vir, quod ſcripta, quibus nunquàm intermorituram nominis famam collegit ſibi, oſtendunt præcipuè. Hic *Brunoniæ* primùm Duci à conſiliis, iſthicque locorum judicii Præſes, & Illuſtriſſimis *Heſſorum* Principibus *Marpurgenſem* in Academiam ab obitu *Heiſtermani* anno 1569. die 9. Februarii omnium applauſu evocatus eſt, ut Anteceſſoris munus ſuſtineret.

Brunoniæ Duci à conſiliis iſthic & locorum Judicii Præſes. In Academiam Marpurgenſem evocatus.

Ac cum decennium huic Provinciæ præfuiſſet, ſecundâ jam vice Rectoris Academici munus obtinuiſſet, anno 1580. ipſius Rectoratus ſtatim initiô *Heidelbergam* ad primariam juris profeſſionem in locum *Hugonis Donelli* accerſitus eò, *Copio* in honoris locum ſuffecto, concedit, cum quinquies antè J.U. Doctores renunciâſſet publicè.

Secundâ vice Rectoris munus ſuſtinuit. Heidelbergam ad primariam Juris Profeſſionem accerſitus.

Sed nec *Heidelbergæ* admodùm diu perſtitit; nam anno quinto pòſt *Wormaciam* ſe contulit, ubi usque ad annum 1595. commoratus operam ſuam Academiæ *Juliæ* addixit, in quâ poſtmodùm omnium eruditorum teſtimonio, cum prudentiâ, acumine, venuſtate & ſubtilitate, tùm verò eloquentiâ, varietate & copiâ facilè princeps e primâ cathedrâ jus docuit, atque ibidem diem obiit ſuum 28. Octobris anno 1608.

Wormaciam ſe contulit. In Academiâ Juliâ è primâ cathedrâ jus docuit. Mortuus eſt.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1609.

HENRICUS PORSIUS.

Natus eſt *Fridbergæ*, *Wetteraviæ* Civitate Imperiali A.C. 1556.

Cum aliquot annis in Academiâ *Marpurgenſi* Muſis litâſſet, *Wittenbergam* perrexit. Deindè omnigenâ eruditione inſtructus *Italiam* adiit, illicque virorum doctrinâ celebrium familiaritate uſus eſt. Ex *Italiâ Viennam Auſtriæ* veniens, ſummos ibi Mecænates nactus eſt, quorum interventu deinceps cum *Wolfio* Barone ab *Eitzing*, Cæſareo ad *Imperatorem Turcicum* Legato *Conſtantinopolim* profectus eſt An. 1579.

Conſtantinopolim adiit.

Reverſus Poëſeos Profeſſor primùm in Archigymnaſio *Vienenſi* conſtitutus, mox indè in Aulam accerſitus, Imperatori à Libellis fuit, eundemque poſtmodum, relicto docendi munere, *Pragam* ſecutus eſt, editis inter ibi A. 1583. Itineris ſui *Byzantini*, aliorumque Carminum, quæ maximam partem adoleſcens luſerat, libellis multorum virorum clarorum elogio commendatis. Tandem *Viennam* remigravit, & in Concilium Cameræ *Hungaricæ* lectus, imò Legationibus aliquot & ſummis alioquin honoribus perfunctus, obiit eo loci ſub initium A. 1609. ætatis 53.

Poëſeos Profeſſor Viennæ. Conſiliarius Cæſareus, & Legatus. Moritur.

Cum liberis careret, Uxorem *Helenam Pezoldiam* hæredem inſtituit. Libros verò ſuos cum Manuſcriptis *Dominico Porſio*, *Mœno-Francofurtenſi* gentili ſuo, poſteà *Georgii* Landgravii *Haſſiæ* Conſiliario legavit. Cæſarii inſuper, & Germanis ejusdem, adeòque omnibus, quicunque ex illorum poſteris Jurisprudentiæ ſtudiis operam darunt eſſent, annuam certam non exiguam pecuniæ ſummam

ſummam ad 24. ætatis usque annum cuique percipiendam per fidei commiſſum liberaliter conſtituit.

* *Ex Bibliotheca Poët. parte IV. Joh. Petri Lotichii Med. & Poëta.*

Caſpar Cunradus Proſopograph. Melica Millenar. II. ita eum laudat:

Conſtantinopolis Vatis me nomine clarat:
Ut viſa hæc viſu eſt carmine digna meo.

Obiit A.C. 1609.

PETRUS A BOMSDORF.

IN *Sileſiâ* natus eſt in Caſtello *Granâ* non procul à *Gubâ*, inferioris *Luſatiæ* oppido 22. Sept. An. C. 1578. Patre nobili *Baltaſ. à Bomsdorf*, matre *Dorotheâ Zabeliziâ*.

Adoleſcens *Francofurti* ad *Viadrum* per quinquennium, deindè *Argentinæ* triennio literis humanioribus operam dedit. Domum reverſus & *Chriſtiano*, Marchioni *Brandenburgico*, commendatus, ab eo *Croſſæ in Sileſiâ* inter Conſiliarios adſcriptus eſt, & cum eo *Culmbacum* conceſſit. Ibi phthiſi, colicis doloribus & aliis morbis per 4. ferè annos afflictus, cum biduo ante obitum inter alias preces devotas ità exclamâſſet: *Domine adeſto mihi morienti, occurre deſideranti, ſuccurre agonizanti, refove deficientem, conforta trementem, ſuſcipe exſpirantem*, animam Creatori ſuo reddidit 14. Febr. An. C. 1609. ætat. 31.

Conſiliarius Brandenburgicus. *Ejus ultimæ preces.* *Moritur.*

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1609.

JOHANNES GEORGIUS FLOSCULUS.

NAtus eſt *Wormatiæ* 16. Nov. A. 1565. Patre *Georgio*, Urbis illius Senatore. Cum in Scholâ patriâ pietatis & humanitatis fundamenta poſuiſſet, *Tubingæ* Jurisprudentiæ ſtudiis operam dedit. Deindè cum in *Italiâ* biennium transegiſſet, *Heidelbergam* regreſſus, cum & ibi ſtudiis Juridicis aliquandiu dediſſet operam, *Baſileæ* demùm Doctorales honores adeptus eſt A. C. 1588. æt. 23.

Doctor creatus Baſileæ.

A. 1590. A Principe *Palatino Simmerenſi Richardo* inter Conſiliarios receptus, & negotiis gravibus adhibitus eſt. A. 1594. *Philippus Ludovicus*, Princeps *Palatino-Neoburgicus*, Conſiliarium & ditionum ſuarum Advocatum conſtituit eum, in quo munere fidelis cum laude & honore ad finem vitæ ſuæ perſeveravit. Tandem cum ab annis aliquot variis infirmitatibus fuiſſet obnoxius, placidè in Chriſto exſpiravit *Neoburgi ad Danubium* 24. Maji an. C. 1609. æt. 44.

Conſiliarius Palatinus. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1609.

JACOBUS WELSEN.

L*Andsbergo-Marchicus.*

Aureliæ A.C. 1565. 30. Martii Doctor Juris Civilis promotus, & Profeſſor Juris in *Salanâ* extraordinarius conſtitutus an. 1583. 19. Martii. Fuit etiam in numero Profeſſorum Philoſophicorum prælegendo Partitiones Oratorias *Ciceronis*, ſed in intimum Facultatis Philoſophicæ & Juridicæ gremium propter Magiſterii Philoſophici & Doctoratûs in utroque jure defectum nunquam receptus eſt, licèt ſemel honorarius Decanus in Facultate Philoſophicâ an. 1594. fuerit.

Juris Profeſſor Jenæ. *Decanus honorarius.*

Mortuus eſt *Jenæ* 28. Maji an. C. 1609.

Moritur.

In Programmate exequiali U. J. D. ſcribitur, vel honoris ergò, vel inconſideratè, vel literæ initiales Unius Juris Doctorem intelligunt & exprimunt.

Viduam reliquit *Margaretham*, *Cyriaci Zamlsdorfii*, Patritii *Serveſtani* in *Anhaltino* Principatu filiam, nuptam an. 1569. & denatam an. 1615.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, hoc addito *Epigrammate*:

Epigramma.

Jacobus Welſen Juris Legumq; peritus
Inter Juridicos Philoſophosq; ſedet.
Jam Juris nodos legumq; ænigmata ſolvit:
Jam placidæ Suadæ verba polita refert.

Obiit A.C. 1609.

ANDREAS GOLDBECKIUS.

W*Erbæ, Marchiæ Brandenburgicæ* oppido, vitam auſpicatus eſt die S. *Jacobi* Apoſtoli A. C. 1564. Patre *Martino*, ibidem Senatore, & Matre *Luciâ*, ex vetuſtâ *Caulitziorum* familiâ oriundâ.

Ab his parentibus puer ad patruum Dom. *Henricum Goldbeckium Joachimi II. & Johannis Georgii* Electorum *Brandenburgicorum* Conſiliarium intimum miſſus, ab hoc *Berolini* Scholæ adhibitus, moxque *Magdeburgum* miſſus eſt, ut artium linguarumque fundamenta meliùs continuaret.

Diſcipulus in Scholâ Magdeburgenſi.

Volente deinde patruo, diverſas *Germaniæ* Academias, *Wittebergenſem, Heidelbergenſem*, & *Argentinenſem* ſtudii Juridici gratiâ acceſſit, variisque Jurisconſultis celebribus innotuit.

Iter demùm per *Galliam* ac *Italiam* ſuſcepit, inque reditu *Baſileæ* aliquantùm ſubſiſtens, Gradu ibi Doctoris in utroque Jure cum laude decoratus in patriam rediit.

Juris Doctor Baſileæ.

Pragam deindè diſcedens, Cauſarum patronum in Cameræ judicio egit, donec A. 1594. *Lipſiam* veniens, mox inter Judicii aſſeſſores cooptatus eſt, in quo munere 14. annos exegit an. 1608. Conſiliarius Regiminis ab Electore *Saxoniæ* deſignatus.

Advocatus Pragæ. *Judicii Aſſeſſor Lipſiæ.* *Conſiliarius Saxonici Regiminis.*

A. 1594. Conjugii ſocietatem iniit *Lipſiæ* cum *Annâ*, viduâ *D. Chriſtophori Reichil*, Syndici *Lipſienſis*, *Pauli Franckenſteinii*, Conſulis ibidem filiâ, ex quâ an. 1598. vitâ defunctâ 3. liberos viventes vidit. A. 1600. Iterum deſponſatus cum virgine *Evâ, D. Chriſtophori Benckendorfii*, Vicecancellarii *Brandenburgici* filiâ, cum eâdem ſibi poſt obitum ſuperſtite tres quoque liberos in vivis reliquit.

Conjugium ejus duplex & Liberi.

A. 1608. *Dresdam* vocatus, & inter Conſiliarios Electorales receptus, ſæpiùs malo hypochondriaco afflictus, dimiſſione ab Electore ſuo impetratâ *Lipſiam* rediit, & octiduo

Conſiliarius Electoris Saxoniæ.

Moritur. octiduo poſt fruſtrà Medicorum uſus conſiliis placidè exſpiravit die 7. Junii A.C. 1609. ætatis 45.

* *Ex Concione funebri D. Georgii Weinrichii, Profeſſoris & Superattendentis Lipſienſis,*

Obiit A.C. 1609.

NICOLAUS TULDENUS.

STiveducenſis, *Lovanii* Jurisprudentiæ ſe totum dedit, uſus Doctore *Johanne Wameſio.* In Patriam reverſus, in Senatorii Ordinis viros cooptatus eſt, vir doctrinâ inſigni, modeſtiâ, comitate, & candore ſingulari præditus. *Senator Sylvaducenſis & J.C.*

Moritur. Obiit in patriâ A.C. 1609. die 6. Octob. Sepultus apud *Franciſcanos.*

Scripta. *Locos communes Parium ac ſimilium Juris Jodoci Damhouderi Annotationibus auxit.*

Praxin Rerum Civilium ejuſdem Damhouderi Annotationibus illuſtravit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1609,

JACOBUS BILDAUERUS.

Ortu nobilis. NAtus eſt 10. Januarii A.C. 1561. ex parentibus nobilis familiæ, *Johanne* Bildauer / Præfecto *Cuprocellæ* oppidulo ſito in Comitatu *Hohenloïenſi*, & *Annâ Hermennin.* Decimum quintum ætatis attigit annum parentum moderatione & informatione domeſticâ uſus.

Deindè junctus illuſtribus Comitibus *Tubingenſibus*, iis cum Nobilibus aliis Adoleſcentibus inſervivit, ex Scholâ ad Aulam ſeſe dum conferrent: quo tempore dimiſſus optimâ gratiâ ſuis ſumptibus in Academias ſeſe contulit, ſtudiorum perſequendorum causâ: in quibus tantum profecit, ut anno 1588. ſummâ cum laude in Doctorem Juris promoveretur. *Doctor Juris.*

Anno hoc ipſo juncta eſt ei matrimonio virgo *Maria*, Dom. *Theodoſii Gerbelii*, Reipublicæ *Argent.* Archigrammatei filia.

An. 1593. eſſe à Secretis cœpit Eccleſiæ Majoris Cathedralis *Argentinæ*, & à Conſiliis Illuſtriſſimi Ducis *Würtenbergici*, *Johannis* Friderici An. 1608. A filio ejuſdem *Johanne* Friderico inter Conſiliarios receptus eſt. Vitam tandem morte beatâ clauſit 28. Octob. A.C. 1609. ætat. 48. *Conſiliarius Würtenbergicus.* *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Rect. Argent. Daniel. Rixingeri Med. Profeſſ.*

Obiit A.C. 1609.

AUGUSTINUS FRIDSCHIUS.

PArentibus honeſtis *Wittebergæ* natus An. Chriſti 1552.

4. Martii an. 1572. Philoſophiæ Magiſter renuntiatus, ſexennio pòſt an. 1578. in eorum, quos Adjunctos vocant, numerum à Collegio Philoſophico receptus, poſtmodùm A. 1592. Decani per ſemeſtre æſtivum munere in eâdem facultate functus eſt. Sub exitum ejuſdem æſtatis jubente Principe Electoratûs Adminiſtratore, Advocatorum Curiæ Electoralis Provincialis numero adſcriptus, & anno 1598. Doctoris in utroque Jure titulo & inſignibus ornatus fuit. *Jenæ Decanus Philoſophicus.* *Advocatus Curiæ Electoralis.* *Doctor Juris.*

Acceſſit his omnibus Conjugii non minùs fœcundi quàm honorati felicitas, in quo 12. annos ita vixit, ut 4. filiorum ſuperſtitum, & unius filiæ ante ipſum defunctæ factus ſit parens. Sed tot bonorum ſuavitatem valetudinis infirmitas extinxit, cum placidè obdormivit 11. Nov. An.C. 1609 ætatis 57. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Obiit A.C. 1609

HENRICUS STROBANDUS.

NAtus *Thorunii*, *Boruſſiæ* civitate vetuſtâ, 14. Nov. anno 1548.

Patrem habuit *Johannem*, Conſulem, & Regis *Poloniæ Thorunii* Burggravium, ex nobili & antiquâ familiâ *Brandeburgenſi* natum an. 1511. & mortuum 27. Oct. anno 1585. ætatis 74. *Filius Burggravii.*

A. 1559. æt. 11. A Patre in ludum *Suidnicenſem* miſſus, ſeptennium ibi exegit ſub diſciplinâ M. *Chriſtophori Ortlebii*, cujus inſtitutione antè in patriâ uſus fuerat. *Literis operam dat.*

A. 1566. æt. 18. In Academiam *Marchicam Francofurtum* ad *Viadrum* ablegatus, Politices Jurisprudentiæ ſtudium conjunxit. *Francofurti Jurisprudentiam colit.*

An. 1568. *Tubingam* hujus continuandi cauſâ ſe contulit.

A. 1570. In *Galliam* iter ſuſcepit, ſed cum *Argentoratum* & vix *Baſileam* perveniſſet, literis paternis domum revocatus eſt, partim pericula *Gallicæ* Religionis ergò impendentia, partim Patris ſenio affecti & negotiis gravati moleſtias ob oculos ponentibus. Reditum itaque domum inſtituit, ita tamen, ut *Germaniam* perluſtrando & in Academiâ *Wittenbergenſi* ſubſiſtendo annum propè conſumpſerit. *Redit ad ſuos.*

Domum reverſus, literas omnibus modis promovere ſtuduit, Gymnaſium *Thorunii* erexit, ſecutus rationem, quam *Johannes Sturmius* in *Argentoratenſi* aliiſque Scholis conſtituendis obſervavit. In eo Bibliothecam adornavit. Ipſo etiam curante domus ampla exſtructa eſt, in quâ tenuioris fortunæ, ſed bonæ ſpei adoleſcentes tàm peregrini quàm indigenæ & habitarent & alerentur. *Gymnaſium erigit.* *Bibliothecam adornat.*

In patriâ per annos 22. varia Magiſtratûs officia geſſit, nempè Scabinus Judicii Civilis *Thorunenſis*, Aſſeſſor Judicii terreſtris *Culmenſis*, Senator, Conſul, & Burggravius Regius. *Conſul Burggravius.*

Jus provinciale ſumptibus ſuis typis imprimi juſſit juxtà exemplar A. 1394. manuſcriptum. *Jus provinciale typis evulgat.*

9. Maji A. 1574. Conjugem duxit virginem *Catharinam*, *Martini Soldavi*, civis *Dantiſcani* filiam, ex quâ 33. annorum conjugio 13. liberos ſuſcepit, & 4. filios cum totidem filiabus ſuperſtites reliquit. *Uxorem ducit.*

Anno 1609. *Regiomontem* ab Electore

Bran-

Conſiliarius Brandenburgicus. *Brandenburgico* evocatus ad Conventum generalem 26. Maji indictum, cum ibi trimeſtre ſubſtitiſſet, & ab Electore inter Conſiliarios ſuos cooptatus eſſet; domum reverſum febris tertiana graviter afflixit, quam catarrhus tenuis & acris ſubſecutus pulmones corrupit, undè ſenſim tabeſcens, placidè tandem exſpiravit 20. Nov. anno 1609. *Moritur.* ætatis 61. Concionem pro funere *Germanicam* habuit *Martinus Triſnerus*, *Polonicam Andreas Tamnitius.*

Vitæ ſuæ rationes ad ter terna directas eſſe profeſſus eſt hoc diſticho, quod aliquando epiſtolæ ad *Georgium Obrechtum*, amicum veterem, ſubſcripſit:

Relligio, Muſæ, Pauper, Lex, Patria, Amici,
Conjunx, & Nati, Rus quoq; noſter amor.

Nocte quâdam inſomni hoc diſtichon compoſuit:

Fac me participem geminorum, Chriſte, bonorum:
Sit pia vita labor, morsq; beata quies.

Inſcriptio ædium. *Inſcriptio ædium Henr. Strobandi ſequens eſt:*

D. O. M.

SI HONESTA DOMO ES ORTUS:
SI PIE ET LIBERALITER EDUCATUS:
SI CIVIS ECCLESIÆ DEI FACTUS:
EST PROFECTO, CUR NATUS IMMORTALIS DEI BENEFICIA GRATA MENTE AGNOSCAS.

Porrò,

SI VIRTUTE ET LITTERIS ES ORNATUS:
SI JUSTAM OCCASIONEM REIP. JUVANDÆ NACTUS:
SI VITÆ NECESSARIA FIDOSQUE AMICOS ADEPTUS:
HABES CERTE QUARE VIVENS LARGITORI DEO GRATIAS AGAS.

Denique

SI PATRIAM SALVAM ET FLORENTEM VIDES:
SI IN HONORANDO TUO SENIO LIBEROS LIBERALITER EDUCATOS FAMILIÆ TUÆ PROPAGATORES POST TE RELINQUIS:
SI FIDE ET SPE IN CHRISTUM SERVATOREM TUUM AD FINEM USQUE PERSEVERAS:
VITAM HANC FRAGILEM IN SEMPITERNAM EXCELSO TRANSIENS ANIMO POTES CUM MORTE COMMUTARE, VEREQUE ERIS BEATUS ET IMMORTALIS.

Epitaphium demortuo à *Conrado Graſero*, Theologo celeberrimo, ipſi factum eſt ſequens:

Epitaphium.

EPITAPHIUM
NOBILISS. ET AMPLISS. VIRI
HENRICI STROBANDI
ASSESSORIS
JUDICII TERRESTRIS
CULMENSIS:
BURGGRAVII ET CONSULIS
THORUNENSIS
DE
ECCLESIA, SCHOLA, REPUBLICA
DOMI FORISQUE
PRÆCLARE MERITI
A. S. M.DC.IX. XII. KL. XBR.
ANTE H. MAT. III. ÆTAT. LXI.
VITA DEFUNCTI

Henrici, Lector, lapis hic tegit oſſa Strobandi:
Vis, qualis fuerit, noſcere? Magnus erat:
Teſtes Poloni: teſtis Germania: teſtes
Inclyta quotquot alit terra Boruſſa, boni.
Orphanus hunc luxit: luxit ſchola: luxit egenus:
Quicquid & egregii culta Thorunis habet.
Quod fuerat terræ, jacet hic: mens entheа cœlo
Reddita, ſub Chriſto gaudia vera capit.

* *Ex Melchioris Adami Vitis J Ctorum.*

HERMANNUS PETRUS NIGIDIUS.

Clar. A. C. 1610.

Jur. U. D. creatus. Eloquentiam Marpurgi docuit. Bis Decanus fuit. Syndici partes tueri juſſus eſt. A munere & negotiis Academicis remotus. Gieſſæ aliquot annos docuit. Moritur.

* **M***Arpurgenſis* J. U. adeptus honores ſummos anno 1590. die 29. Januarii in *Treutleri* locum, in *Sileſiâ* abeuntis, cooptatus, eloquentiam probabili induſtriâ docuit, bis Decanus, & tandem etiam Syndici partes anno 1604. clavibus traditis tueri juſſus. Sed enim cum poſtmodùm anno 1608. feſtivitati, quâ nova *Gieſſenſis* Academia inaugurabatur, interfuiſſet, Princeps indignatus, eundem à munere & negotiis Academicis removit. Ideoque paulò poſt *Gieſſam* profectus, aliquot annos iſtic in docendo operam poſuit, & naturæ tandem conceſſit ibidem.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

JOHANNES GROTIUS.

Clar. A. C. 1610.

NAtus & educatus *Delphis*, Patrem habuit *Hugonem Grotium*, qui anno 1567. in Conſulatu quarto mortuus eſt. Mater ipſi fuit *Eleſina ab Hemskerken.* Præceptoribus *Delphis* uſus eſt in linguâ Latinâ & Græcâ *Henrico Junio*, *Victore Giſelino*, & *Laurentio Ducholio.* An. ætatis 18. *Duacum* profectus, in Collegio Regio conviva fuit *Johannis Huveterii à Ferrariis*, ubi in eâdem tunc menſâ erat *Johannes Montanus*, S. Theolog. Doctor, amanuenſis quondam *Eraſmi Roterodami.*

Philoſophiæ Magiſter Duaci. Ibi Philoſophiæ operam dedit ſub *Johanne Sartio à Senephrâ*, cujus auſpiciis Philoſophiæ Magiſter creatus eſt.

Indè ad Jurisprudentiam ſe contulit, auditor *Pietbii Prælii* in Inſtitutionibus, & *Boetii Eponis.*

Tertius ſtudioſus matriculæ Lugd. inſcriptus. A. 1575. Fratris *Cornelii Grotii* literis permotus, in Academiam novam *Lugdunenſem* ſe contulit, in cujus matriculâ tertius omnium tunc temporis ſtudioſorum reperitur, ibique apud matrem, fratremque habitavit, usque ad ann. 1582. quo tempore ſe matrimonio junxit *Abidæ Borniæ Delfenſi*, undè filios tres, & filiam unicam ſuſtulit.

Conſul & Curator Academiæ Leydenſis. Conſiliarius Hohenloicus.

Adſcitus deindè in Ordinem Judiciarium, Conſulatus 4. continuos geſſit, moxque Curator Academiæ factus eſt. Tandem à Conſiliis Principibus *Hohenloicis*.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

Obiit A.C. 1610.

PAULUS DIETHERR.

Diverſorum Magnatum Conſiliarius.

PAtritius *Norimbergenſis, Pauli Dietherri*, Judicii agreſtis aſſeſſoris filius, natus A.C. 1556. Conſiliarius fuit Regis *Poloniæ Maximiliani*, Archiducis *Auſtriæ*, *Johannis Conradi*, Epiſcopi *Eyſtettenſis*, *Chriſtiani* & *Joachimi Erneſti* Fratrum, *Marchionum Brandenburgicorum*, Comitum *Hohenloicorum Wolfgangi, Philippi*, & *Georgii Friderici*, ac Ordinis Equeſtris *Franciæ Orientalis*. Obiit A.C. 1610. ætatis 54.

Moritur.

Pater ejus 13. Liberorum progenitor obiit *Norimbergæ* A.C. 1604. ætatis 73.

* *Hæc ſubſcripta leguntur iconibus eorum æri inſculptis.*

Obiit A.C. 1610.

SIGFRIDUS CLOTZIUS.

NAtus *Wetzlariæ* An. 1556.

Patre *Antonio*, Senatore, Matre *Catharinâ* Uetzin / quæ octogenariâ major filio etiam huic ſupervixit.

Juris prudentiam colit.

Cum *Marpurgi*, *Wittenbergæ*, aliiſque *Germaniæ* Academiis Jurisprudentiæ ſtudiis incubuiſſet, in *Italiam* & *Galliam* iter ſuſcepit.

Doctor Juris.

Reverſus *Marpurgum*, fratris *Johannis Clotzii*, tunc *Haſſiæ* Cancellarii ſuaſu ſubſtitit, & an. 1582. Doctoralibus inſignibus ornatus eſt, promotore *Regnero Sixtino*.

Conſiliarius Haſſiacus. Uxorem ducit.

Abindè ſtatim à Principe *Haſſiæ Ludovico* in Conſiliariorum numerum allectus, uxorem duxit *Dorotheam*, *Jacobi Schwartzii*, J.C. Conſiliarii *Naſſovici* filiam An. 1584. quâ cum in an. usque 1588. ſine lite & liberis vixit.

Cancellarius.

Eodem anno fratrem amiſit, eique juſſu Principis in Cancellarii munere ſucceſſit.

Alteram ducit uxorem.

Tum alteram duxit uxorem *Catharinam*, *Johannis Heintzenbergeri*, J.C. & Cancellarii *Haſſiæ* filiam, ex quâ liberos tres ſuſcepit antè patrem demortuos, matre ſuperſtite.

A. 1607. *Johanni Antrechto*, Cancellario demortuo, volente Principe *Mauritio* ſucceſſit, & *Caſſellas* ſedem tranſtulit.

Moritur.

Wetzlariam ad ſuos reverti cogitans, impetratâ jam dimiſſione, cum eryſipelate per annum conflictatus eſt, & tandem morte placidâ inter preces ſerias mundo valedixit *Caſſellis* 7. Martii an. 1610. æt. 54.

* *Ex Vitis JCtorum Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1610.

LAURENTIUS ZINCGREFIUS.

Hunnesruck unde nomen.

NAtus eſt 8. Januarii An. 1541. *Simmeriæ* oppido primario, ditionis, quæ Hundsruck / ſed rectiùs Hunnesruck vocatur ab *Hunnorum* planitie.

Patrem habuit cognominem *Francofurto*, ex honeſtâ & antiquâ familiâ oriundum, *Maximiliani II.* Imperatoris, & poſteà *Johannis* Comitis *Palatini* monetariorum præfectum.

An. 1551. *Coloniam Ubiorum* à patre miſſus, ibi rudimenta linguæ Latinæ didicit.

Francofurti literis operam dat.

A. 1553. Indè *Francofurtum* ad *Mœnum* miſſus eſt, biennium etiam ibi poſiturus, niſi patris juſſu propter ſævitiam plagoſi magiſtri, indè *Urſellas* ei migrandum fuiſſet.

Ibi ergò triennium exegit ſub diſciplinâ M. *Wolfgangi Lorberi*, Rectoris ludi.

Johannem Sturmium audit Argentorati.

A. 1556. *Argentoratum* abiit, ibique triennium audivit *Johannem Sturmium*, & Græcæ linguę operam navavit. Indè domum reverſus annum hæſit, cum pater ſubſidia ſtudiorum denegans tandem ab amicis perſuaſus illum *Wittenbergam* miſit. Ibi Mathematicis inprimis incubuit, hinc verò, quia ad Magiſterii gradum adſpiranti ſumtus denegaturus videbatur, ingenuè reſcripſit: Es ſey unmöglich / daß einer / ſo die Studien und Süſſigkeit der freyen Künſte einmal geſchmäckt / davon ablaſſen könne / zwar ehe er das Studiren verlaſſen wolte / ehe wolle er alles das Seinige / ſo er von ihme zu gewarten / verzehren / er könne ihme doch kein beſſers noch herlichers *Patrimonium* hinterlaſſen / als Kunſt und Geſchicklichkeit; Breviq; poſt 20. Maji A. 1565. Magiſter Philoſophiæ renunciatus, poſteà à Senatu Academico Studioſis Novum Teſtamentum Græcum publicè profiteri juſſus eſt

Mathesin colit.

Publicè docet.

Galliam adit.

Anno 1566. Reverſus in patriam cum Jurisprudentiæ ſtudio flagraret, de *Galliâ* cogitare cœpit. Cum verò patrem in ſubminiſtrandis ſtudiorum ſumtibus difficiliorem experiretur, *Georgium* Principem *Palatinum* compellavit, qui per quadriennium in ſingulos annos 100. Thaleros ad iter id conficiendum ipſi promiſit, eâ tamen conditione, ut deinceps nullius alterius ſervitiis ſe manciparet.

Stipendium impetrat.

Eodem itaque anno *Lutetiam Pariſ.* acceſſit, ubi multis ex juventute *Gallicâ* Aſtronomica privatim prælegit, eoque magni ab ipſis habitus fuit.

In Belgium proficiſcitur.

A. 1567. Propter motûs ejus regni civiles religionis causâ excitatos in *Belgium* progreſſus nonnihil *Duaci*, maximè verò *Lovanii* conſedit.

Pariſios venit.

A. 1569. Sedatis tumultibus ad *Pariſienſes* rediit.

Licentiatus Juris.

A. 1570. *Aurelias* ſe contulit, ibique Licentiatus in Jure renuntiatus eſt ſub Rectoratu *Guilielmi Formerii*, J.C. famâ clari, cujus tum Collegæ erant *Johannes Robertus*, *Antonius Contius*, & *Laurentius Godofredus*.

Conſiliarius Palatinus.

Exindè ad ſuos reverſus, mortuo intereà *Georgio* Principe, *Richardo* Succeſſori operam ſuam obtulit: & cum nullus tunc fortè locus vacaret, impetratis literis commendatitiis *Haidelbergam* ad Electorem *Fridericum III.* contendit, à quo in Conſiliariorum numerum cooptatus eſt 1. Sept. A. 1570.

13. Febr. A. 1574. Cum ejusdem Electoris filio *Chriſtophoro* Principi *Auraico* copias auxilia-

Conſiliarius bellicus. auxiliares in *Belgium* adducturo, Conſiliarii bellici vicem gerens *Haidelbergâ* diſceſſit.

Cum verò 14. April. ſeq. D. *Chriſtophorus*, unà cum *Ludovico* & *Henrico*, Comitibus *Naſſoviis*, in prœlio non procul à *Neomago*, cum *Hiſpanis* commiſſo fortiter dimicantes profligatis copiis ſuis & ipſi occubuiſſent, 6. Maji *Haidelbergam* ob Electorem jam de morte filii certiorem redditum reverſus eſt.

Deinceps per omne vitæ ſuæ tempus Conſilia ſua *Palatinatui* impertiit: multos etiam J.C.tos novitios ad praxin exercendam manu duxit. Horis ſucciſivis hiſtoriarum ſe lectione oblectavit, ſubindè *Plinii illud* in ore habens: *Nullum eſſe librum tam malum, ut non aliquâ parte prodeſſet.*

An. 1576. Mutatâ poſt obitum *Friderici III.* religione, in *Palatinatu*, conſtans permanſit, & Confeſſionem ſuam ſcriptam Electori novo obtulit, à quo, propter cauſarum Electoralium notitiam, præter ſuam ipſius expectationem, auctario etiam ad ſalarium ordinarium adjecto, retentus fuit.

Moritur. Tandem laboribus exhauſtus cum ab Electore *Friderico IV.* miſſionem obtinuiſſet, placidè diem ſuum obiit *Haidelbergæ* 25. Junii an. 1610. ætatis 71.

Symbolum habuit: **Wie GOTT will**: hoc verſu Latinè expreſſum:

Sic mihi cuncta cadant, ut fert Divina voluntas.

Staturâ fuit proceriori nec indecenti habitu corporis ac membris benè compactis, & ob id valetudine firma: Non amavit jocos, præſertim mordaciores, de quibus dicere ſolitus: **Nach ſolchen Schwäncken werffe man gerne um**: hoc eſt, poſt ejusmodi motiones vel jocos plerumque currus evertitur: In pauperes, qui litium aliquid habebant, affectu fuit ſingulari, & eorum cauſas gratis egit.

Apophthegmata ipſi familiaria fuêre præcipuè ſequentia:

Apophthegmata. *Nullam eſſe ſuaviorem harmoniam, quàm cordis & linguæ. Muſicam omnium pulcherrimam eſſe mores concinnos. Eos, qui diteſcere cupiunt, oportere curam magnam, conſcientiam habere parvam. Litem, lites parere. Si non improbi defenſores, non eſſent improbi litigatores. Tribus rebus ſapientiam ſolidam parari: antiquitatibus ac monumentis ſedulò inſpiciendis: multis libris legendis cum peregrinis regionibus perluſtrandis. Satiùs inter bonos nomen habere, quàm inter claros.*

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

CORNELIUS GROTIUS.

Obiit A.C 1610.

Natus eſt in oppido *Hollandiæ Delpho* 25. Julii anno 1544.

Grotiorum familia clariſſima. Patrem habuit *Hugonem Grotium*, ex patriciâ familiâ, quæ in Rep. *Delphenſi* totis 400. annis Conſularibus honoribus claruit. Mater ei fuit *Eliſea Hemskerkia.*

Puer in patriâ literarum fundamenta jecit ſub *Henrico Junio.*

Adoleſcens à patre *Lovanium* miſſus, per quadriennium Philoſophiæ ſtudio incubuit, linguæ quoque Græcæ & Hebrææ operam dedit. Commilitones ibi habuit *Janum Douzam* & alios. *Literis operam dat.*

An. ætatis 20. *Lutetiam Pariſiorum* profectus, Jurisprudentiam colere cœpit, cujus ſtudium *Aureliæ* abſolvit, ibidem Juris Licentiati gradum adeptus. *Juris Licentiatus.*

In patriam reverſus, foro ſe dedit, cumq; an. 1567. Pater vitâ deceſſiſſet, à Senatu *Delphenſi* in Conſilium cooptatus, & paulò poſt in Judicum album adſcriptus eſt. *Conſiliarius Senatûs Delphenſis.*

Deindè Princeps *Auraicus Guilielmus* libellorum ſupplicum magiſtrum eum creavit.

An. 1575. *Lugdunum* in Academiam recenter erectam vocatus, primùm Philoſophiam per aliquot annos, deindè Jura cum laude profeſſus eſt, & ſexies Rectoratum geſſit. *Profeſſor Philoſophiæ & Juris.*

Ibidem placidè obdormivit 25. Julii, quo natus eſt, A. 1610. ætatis 66. relictâ Conjuge abſque liberis. *Moritur.*

Libros quidem edidit nullos, ſed elaboratos conſcripſit ſequentes:

Scripta. *Commentarios ad Libros IV. Inſtitutionum Juris Civilis.*
ad omnes titulos IV. primor. Libror. Digeſtor.
Tom. II. Commentar. & Obſervationum feudalium.

Edidit etiam *Tractatum ſingularem, continentem 50. Differentias Feudorum à Feudis Hollandicis.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Caſpar Cunradus Millenario III. Epigrammat. hoc ei fecit:

Et rerum cauſas, Legesq; ſacramq; Matheſin
Socratico docuit Belgicus ore Plato.

GERARDUS TUNINGIUS.

Obiit A.C. 1610.

Lugduni Batavorum natus eſt A. 1566.

An. æt. 18. In *Hiſpaniam* ablegatus eſt, ut *Uliſſibonæ* negotiationibus præficeretur: ſed tempeſtate ortâ nautæ non ſine vitæ diſcrimine in portum redire coacti ſunt *Enchuſam*. *Mercaturæ addictus.*

Domum reverſus paulò poſt, literas Latinas, Græcas, Matheſin & Juris ſcientiam, tanto cum ardore didicit, ut anno ætatis 22. Doctoratus Inſignibus ab *Hugone Donello* ſolenniter ornatus fuerit. *Literis & Juris ſtudiis operam dat. Doctor Juris.*

Deindè *Hagæ Comitum* in cauſis agendis biennium exegit. *Advocatum agit.*

Denuò *Lugdunum* reverſus, Jura publicè ſummâ cum facundiâ docuit. *Profeſſor Juris.*

Vitam cœlebs finivit 19. Aug. an. 1610. ætat. 44. *Bruxellæ*, quò occaſione feriarum æſtivarum animi causâ ſe contulerat. *Moritur.*

Edidit *Apophthegmata linguis aliquot conſcripta.* *Scripta.*

Conſcripſit: *Commentarium abſolutiſſimum ad 4. digeſtorum libros.*

* *Ex Academiâ Lugdunenſi, & aliis.*

Obiit A.C. 1610.

PETRUS DENAISIUS.

ARgentorati natus eſt 1. Maji A. 1560. Parentibus nobilibus & divitibus, quos ex *Lotharingiâ* tempeſtates perſecutionum *Gallicarum Argentoratum* cieverunt cum prole numeroſa.

Doctor Juris.

An. 1583. *Baſileæ* competitore *Georgio Michaële Lingelshemio*, Conſiliario *Palatino*, Doctor Juris renuntiatus, mox in numerum Conſiliariorum *Palatinorum* adſcitus eſt.

Legationes ejus variæ.

Legationibus variis fideliter functus eſt ad Regem *Poloniæ*, *Eliſabetham Angliæ* Reginam, & alios Proceres.

Aſſeſſor Cameræ Spirenſis.

A. 1590. *Spiræ* Cameræ Imperialis Aſſeſſor conſtitutus, eo in munere ad finem vitæ perſtitit.

Moritur.

Diutinis tandem podagræ doloribus ac catarrhis exhauſtus, & hydrope ad extremum confectus, degenerante in phthiſin mortem nec metuens nec optans obiit *Haidelbergæ* in æde ſoceri ſui *Ludovici Culmanni*, Procancellarii olim *Palatini*, 20. Sept. anno 1610. ætatis 50.

Fuit peritus linguarum *Latinæ*, *Gallicæ*, *Italicæ* & *Anglicæ*. In linguâ vernaculâ elegantiſſimæ venæ Poëta, Muſices inſignis amator & cultor.

Paulò ante obitum omnia ſcripta è pulpitis & ſcriniis afferri juſſit, quæ omnia perquiſivit, & quæ aliis obfutura, vel ſilentio obruenda judicavit, ſtatim in ignem ponè excitatum conjecit.

Scripta.

Scripta edidit:

Jus Camerale.

Tractatus aliquot de Jure meri Imperii ſive *de Juriſdictione Cameræ Spirenſis.*

Diſſertationem de Idolo Hallenſi contrà Lipſium.

Libellum, cui titulus: Jeſuiter Latein.

Cum aliquando quæſtio incidiſſet: *cujus rei nullâ unquàm homines ſatietas caperet?* reſpondit: *lucri.* Atque replicante fratre: *ego verò negotioſam mercaturam, quamvis lucroſiſſimam, ultrò reliqui:* ergò, inquit ipſe, *fugiſti negotia & labores, non lucrum.*

Cum jam ſenior ſolitudinem amaret: hoc emblema in conclavi pingendum curavit: *Eliæ* nempè Prophetæ imaginem cum corvis in eremo, addito hoc verſu:

Alloquii ſatis eſt; cœtus fugiſſe profanos.

* *Ex Melch. Adami vitis JCtorum.*

Clar. A.C. 1611.

JOHANNES GOEDDÆUS.

Natus eſt Swertæ.

MEdiâ nocte inter ſeptimum & octavum Decembris diem anno 1555. in hunc mundum natus, patre *Henrico Gœddæo*, viro conſulari, & matre *Eliſabethâ*, *Johannis Beckeri*, Senatorii ordinis illius loci, & *Chriſtinæ Praleæ* filiâ in *Weſtphaliæ* Marchiâ, cui *Swerte* à gladio videlicet nomen, quo gemino pro inſignibus Reſpublica illa utitur.

In infantiâ & pueritiâ ad decimum octavum ætatis uſque annum variis morborum generibus conflictatus, dubiâ admodùm uſus eſt valetudine, quo factum, ut ſeriò ad ardua literarum ſtudia acceſſerit.

In ſcholâ patriâ & Tremonianâ & aliis Weſtphalicis prima ſtudiorum elementa poſuit.

At cum pubertatis attigiſſet annos, ex incommodâ valetudine Dei beneficio emerſus, & literis imprimis delectatus omni ſtudio ad artes diſcendas enitendum putavit ſibi. Ideòque primis in patriâ ſcholâ imbutus elementis pòſt in *Tremonianâ* ſub *Johanne Lambachio*, JCto, *Friderico Beurhuſio*, *Johanne Copio*, & M. *Philippo Fabricio*, aliiſque in ſcholis *Weſtphalicis* & vicinis quicquid erat vel ingenii, vel ætatis, vel operæ in artium liberalium cognitione collocavit.

A Patre ad mercaturam impulſus.

Verùm cum miles *Iberus* tùm præcipuè immineret *Daventriæ*, pater id è filii rebus eſſe arbitratus, eundem à literarum ſtudiis abſtractum ad mercaturam & negotiationes impulit. At enim cum hominis conatibus in mercaturâ faciendâ minus reſponderet fortuna, ipſeque adeò pater perſpiceret, Deum eſſe, qui hominis cujuſque ingenium huc & illuc flectat, quo mens ipſa inclinare videbatur.

Anno itaque 1576. nobiliſſimo adoleſcenti *Johanni a Marca* in *Wilgaſto* Præfectus, remotis cœteris ſtudiis, quamvis ampla ea eſſent prorſus atque præclara, in juriſprudentiam eâ ſedulitate incubuit, ut labores ipſos, qui multi magnique in hoc ſtudiorum genere collocandi ſunt, omnia adeò impedimenta diligentiâ induſtriâque ſuperaret.

Privatim docuit.

Ideòque ut intelligendi vel imprimis acueret prudentiam, eaque, quæ audiendo, legendo, ſcribendoque comprehendiſſet, in ſuccum quaſi verteret & ſanguinem, & aliorum quoque ſimul juvaret ſtudia, inter parietes privatos jus ipſum docuit, diſputationibuſque imprimis ea, quæ in hominum diſceptationem cadere poſſunt, conſtituit & explicavit doctè.

Doctor Juris creatur.

Atque hâc quidem ratione, cum hoc in ſtudiorum genere ſumma feciſſet omnia, honoribus quoque ſummis, qui non invitamentum ad tempus, ſed perpetuæ virtutis ſunt præmium, anno 1585. 29. Aprilis Juridicæ Facultatis decreto à *Vultejo* auctus eſt.

Spiram profectus eſt.

Poſteà verò *Spiram Nemetum* conceſſit, non alibi quàm in ſummo illo juſtitiæ tribunali ea, quæ forenſibus actionibus forenſ accommodatiora, addiſci poſſe ratus.

Conſul in patriâ renunciatus.

Cœterùm cum anno 1586. in patriam *Swerdam* rediiſſet eo tempore, quo Conſules legi ſolent, Senatores ii, penes quos ejus rei poteſtas eſt, Doctorem *Gœddæum* cooptàrunt, cooptatum & abſentem mox Reipublicæ ſuæ Conſulem renunciàrunt publicè. Quod licèt ipſi prædifficile, recuſare tamen verecundia inhibuit patriæ debita.

Præfuit igitur huic muneri cùm per alios, tùm per ſeipſum: quoties neceſſitas urgebat, & quando poterat, per biennium.

In ſcholam Cattimelibocenſem vocatus.

Anno verò 1588. menſe Junio vocatus ad illam *Naſſovio Cattimelibocenſem* ſcholam, quæ eſt *Herbornæ*, è curiâ ad Gymnaſii pulpita

pita tranſiit, munusque hoc & penſum, initio 10. Auguſti facto, usque ad annum 1594. accuravit, quo *Marpurgum* evocatus, 27. Aprilis, ut in hoc veluti ingenii theatro ea, quæ præſtantis Jurisconſulti propria ſunt, quibusque ſe jampridem alsveſecerat ille, pertractaret, 3. Nonarum Julii inſtitutiones Imperiales in D. *Philippi Matthæi* ſuffectus locum docere cepit & explanare, cum orationem de legis & hominis imperio in Republ. ſummo habuiſſet ante pridiè nimirum Calendarum Julii.

Inſtitutiones Marpurgi docet.

At poſtmodùm, cum *Matthæus* abiiſſet ad plures, quem in docendis inſtitutis habuerat, eundem in digeſtis explicandis ad id munus menſe Septembri anno 1603. deſtinatum, ſucceſſorem habuit, quanquàm ſe aliâ conditione uti collibuiſſet homini ad Codicis profeſſionem *Heidelbergam Palatini*, poſt etiam *Francofurtum* ad *Oderam Brandeburgenſis* Electoris nomine invitato eam ad rem opportunitas non deerat.

Digeſta explicare cepit.

Sed in ſorte hâc ſuâ acquieſcere, & locum hunc vel luculentiſſimè cuilibet conditioni anteponere non dubitavit, ut vel indè appareat, eum, qui viri vel imprimis boni eſt, non lucri cupiditate, ſed de juventute præcipuè benemerendi ſtudio ductum in hâc vitæ ratione verſari.

Porrò anno 1611. die Januarii 10. inter Conſiſtorii Eccleſiaſtici, quod *Marpurgi* eſt, Aſſeſſores allectus eſt.

Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Commentarii in titulos de ſequeſtratione Juris Canonici.

Commentarius in titulum Pandectarum de verborum ſignificationibus.

Tractatus de contrahendâ & committendâ ſtipulatione, & de mutuo, qui tamen commentarius temerè, non reviſus editus eſt, prout *Herborne* ab eruditioribus ex ipſius ore exceptus fuit, reſponſisque itidem aliquibus inter conſilia *Marpurgenſia* liquet.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Johannes Goeddæus,

per Anagramma:

A Deo genitus de ſano.

JOHANNES GEORGIUS GODELMANNUS.

Obiit A.C. 1611.

T*Uttlingæ*, oppido ad *Danubium*, tribus à *Conſtantiâ* milliaribus, natus eſt 12. Maji Anno 1559.

Pater ei fuit *Jeremias Gartachenſis*, Secretarius primùm *Michaëlis*, Comitis à *Wertheim*, deindè *Chriſtophori Wirtenbergici* nomine Præfectus *Teutlingenſis*: obiit tandem An. 1582.

Matrem habuit *Mariam Holdſchuerinam*, *Georgii Holdſchuerini*, Patritii *Norimbergenſis*, poſteà Cancellarii *Derbatenſis* in *Livoniâ* filiam, neptim verò D. *Johannis Hemmingeri*, Conſiliarii *Wirtenbergici*.

Stutgardiæ & *Tubingæ* literis imbutus 31. Martii A. 1574. primæ laureæ honorem inter 39. Competitores primus *Georgio Liblero* Brabeutâ accepit, Rectore *Friderico*, Duce *Wirtenbergico*.

Literis operam dat.

15. Febr. A. 1576. Cum aliis 23. juvenibus Magiſterii gradu a M. *Samuele Hailando* Decano ornatus eſt.

Philoſophiæ Magiſter.

Indè ad ſtudium Juris tranſiit, in quo docentes audivit *Chilianum Voglerum*, *Andream Laubmarium*, *Nicolaum Varenbülerum*, *Johannem Hochmannum*, *Jacobum Cappelbeccium*, *Anaſtaſium Demlerum*, & *Valentinum Volcium*.

Juris ſtudium amplectitur.

Octob. A. 1578. Cum *Jacobo Andreæ Wittenbergam* profectus, ubi *Matthæum Weſenbecium* & *Joachimum à Beuſt* audivit, ac nobilibus quibusdam privatim Inſtitutiones Juris explicavit.

Privatim Inſtitutiones explicat Wittebergæ.

April. A. 1579. *Roſtochium* venit, & mox vicinum *Daniæ* Regnum cum Academiâ *Hafnienſi* perluſtravit. *Roſtochium* reverſus, Inſtitutiones Juris uno anno ſtudioſis interpretatus, & ab iis 100. Joachimicis donatus eſt.

& Roſtochii.

Deindè per *Miſniam* & *Bohemiam* in patriam rediit A. 1580.

1. Sept. *Baſileæ* cum tribus aliis Doctor renunciatus eſt an. ætatis 21.

Juris Doctor.

An. ſeq. *Roſtochium* reverſus, in numerum Profeſſorum cooptatus, ſtatim poſt nuptias celebravit cum filiâ *Davidis Chytræi*.

Profeſſor Juris.

Indè à *Saxoniæ* Proelectore evocatus, ut à Conſiliis ſibi eſſet, *Dresdæ* ſedem fixit. Variis etiam legationibus Principis ſui nomine functus eſt, præſertim ad Imperatorem *Rom.* à quo inſignibus gentilitiis nobilitatus & Comes Palatinus declaratus eſt.

Conſiliarius Saxonicus.

Comes Palatinus.

Obiit *Dresdæ* 20. Martii A. 1611. æt. 52.

Moritur.

Scripſit & edidit:

Scripta.

Tractatum de rectè cognoſcendis & puniendis Magis, Veneficis & Lamiis in libros 3. diſtributum.

Geiſtliche *Supplicationes*, ſo ein frommer Chriſt der Göttlichen Majeſtät von Grund ſeines Herzens vortragen kan. in 4to.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

PHILIPPUS RUBENIUS.

Obiit A.C. 1611.

J*Ohannis*, Senatoris *Antverpienſis* filius, *Coloniæ* natus eſt 5. Kalendas Majas An. C. 1574. quem parens, prout ipſe doctiſſimus erat, domi erudiit ad annum ætatis 12. Ætate maturiorem *Johannes Richardotius*, Præſes Sanctioris Concilii, ſibi ab Epiſtolis eſſe voluit, commiſitque filios, *Guilielmum* & *Antonium*, cum quibus poſteà in contubernium *Juſti Lipſii* venit.

Secretarius.

Magnus Hetruriæ Dux *Piſas* evocavit eum, ut bonas literas de ſuperiori loco profiteri vellet. At Senatus *Antverpienſis* famâ viri impulſus eum *Româ* evocavit, ut illi eſſet à Secretis.

Piſas ad Profeſſionem vocatus.

Antverpiam itaque veniens, *Johanni Bochio*, viro ſolidè in utrâque linguâ docto, ſuccenturiatus eſt 19. Kal. Febr. anno 1609. Quantus autem ille fuerit, à magno *Lipſio* diſcere poteris, cujus hoc eſt de eo Encomium:

Secretarius Antverpienſis.

Encomium Juſti Lipſii de eo.

Omnis Ordo,
Quisquis hæc leges.

Ex fide & vero ſcias ſcripta. Philippum Rubenium domo Antverpiâ, annos P. M. quatuor in domo & contubernio meo egiſſe, menſæ participem, ſermonis & diſciplinæ. Probitatem à naturâ & modeſtiam attuliſſe, item ſemina aliqua doctrinæ, quæ immane quantum in ſpatio illo brevi auxit: Latinâ & Græcâ literaturâ promptus, utràvis oratione ſive ſcriptione diſertus, ſolutâ & nexâ. Hiſtorias & antiquitatem addidit, & quicquid boni bonitate & celeritate ingenii hauſit, judicio direxit. Adeò ſupra rem nihil adſtruo, ut pro re non dicam. Vis fidem? experire, & ſub modeſtiæ illo velo, ſed paulatim relege, quæ dixi, & quæ non dixi. O vos, quibus Virtus & Honor curæ, carum hunc habete, producite, applaudite: ita utraque illa vos reſpiciant, & hunc Fortuna, quæ pro meritis nondum riſit. Scripſi & ſignavi

Juſtus Lipſius, Profeſſor & Hiſtoriographus Regius Lovanii XV. Kal. Oct. ciↃ IↃ CI.

Scripta.

Scripſit:

Electorum Lib. II.

Poëmata varia ad Juſtum Lipſium, aliosq; Epiſtolas.

B. Aſterii Amaſeæ Epiſcopi Homilias ex Græco Latinas fecit.

Frater Petri Pauli Rubenii, Pictoris.

Fratrem reliquit *Petrum Paulum Rubenium*, Pictorem excellentiſſimum.

Moritur.

Deceſſit *Antverpiæ* in *S. Auguſtini* feſto A. C. 1611. Uxor marito monumentum ex marmore poſuit in æde Sacrâ S. *Michaëlis* Præmonſtrat. Abbatiâ, cum Epitaphicâ hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

PHILIPPO RUBENIO J. C.
JOHANNIS CIVIS ET SENATORIS ANTVERP. F. MAGNI LIPSI DISCIPULO ET ALUMNO, CUJUS DOCTRINAM PÆNE ASSECUTUS, MODESTIAM FELICITER ADÆQUAVIT: BRUXELLÆ PRÆSIDI RICHARDOTO, ROMÆ ASCANIO CARDINALI COLUMNÆ AB EPISTOLIS ET STUDIIS, S. P. Q. ANTVERPIENSI A SECRETIS.
ABIIT NON OBIIT VIRTUTE ET SCRIPTIS SIBI SUPERSTES, V. KAL. SEPT. ANN. CHRISTI ciↃ IↃ CXI. ÆT. XXXVIII. MARITO BENE MERENTI MARIA DE MOY DŪUM EX ILLO LIBEROR. CLARÆ ET PHILIPPI MATER, PROPTER ILLIUS EJUSQUE MATRIS MARIÆ PYPELINCK SEPULCHRUM HOC MOERORIS ET AMORIS MONUMENTUM P. C.
BONIS, VIATOR, BENE PRECARE MANIBUS, ET COGITA, PRÆIVIT ILLE, MOX SEQUAR.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

SALOMO JAHN.

Obiit A. C. 1611.

C*Uriæ* in *Voitlandiâ* urbe primariâ natus eſt 22. Julii A. C. 1556.

Patre *Georgio*, ejus Urbis Conſule, Matre *Barbarâ Groeniâ*

Wittenbergæ & Jenæ ſtudia Juris tractavit.

Marchionibus *Brandenburgicis* per annos 17. Conſiliarii & Camerarii munere fideliter inſerviit, eorumq; nomine variis Commiſſionibus functus eſt.

Conſiliarius & Camerarius Brandeburgicus.

Obiit tandem *Culmbaci* 16. Maji An. C. 1611. ætatis 55.

Moritur.

* *Ex Concione funebri.*

HENRICUS PRECHTERUS.

Obiit A. C. 1611.

EDitus in hanc lucem fuit A. C. 1556. die 6. Sept. Patre *Wilhelmo Prechtero*, & matre *Urſulâ Königin*: à quibus in pietate, ſtudiis, ac moribus nobilitatem condecorantibus educatus, cum ad maturam ætatem perveniſſet, matrimonium contraxit A. 1578. cum nobili matronâ *Julianâ à Botzheim*, Dom. *Bernhardi à Botzheim*, J. U. D. & Reipublicæ *Argentinenſis* multorumque Dynaſtarum quondam Conſiliarii filiâ, ex quâ duos ſuſcepit filios, *Johannem Carolum*, A. 1586. natum, & ſibi ſuperſtitem, ac *Eitelium Henricum*, quarto poſt partum menſe denatum.

Conjugium ejus, & Liberi.

Cum autem præclaras ingenii dotes non ad privatam tantùm, ſed potiùs ad communem utilitatem referendas eſſe ſciret, functiones quoque publicas ſibi imponi, & gradatim ad honores ab inclyto patriæ Magiſtratu excellentia ejus dona agnoſcente promoveri ſeſe paſſus eſt.

Nam A. 1586. in Minorem, & An. 1595. in Majorem urbis *Argentinenſis* Senatum fuit allectus: cooptatus in numerum 21. virorum an. 1596. aſcitus in 15. virorum ordinem A. 1601: in 13. virorum Collegium aſſumptus 16. Jul. 1611. cum non multò antè 3. Jan. ad Prætoriam dignitatem fuiſſet evectus, & proximo trimeſtri autumnali officium Prætoris primâ vice geſturus ſperaretur: ſed ſupremo rerum moderatori & arbitro aliter viſum eſt, qui illum ſibi quidem opportunè, viduæ verò & filio præproperè 17. Aug. A. C. 1611. in cœleſtem patriam evocavit.

Senator Argentoratenſis.

Prætor.

Moritur.

* *Ex Programm. fun. Decani Argent. Caſp. Bitſchii, U. J. Doct.*

MICHAEL WIRTH.

Obiit A. C. 1611.

L*Emberga* in *Sileſiâ* mundum ingreſſus 6. Jan. A. C. 1547. Patrem habuit cognominem Judicii aulici in patriâ aſſeſſorem, Matrem *Magdalenam Reuſnerіam*.

Ab his puer in Scholam patriam miſſus, poſtquàm literarum fundamenta jeciſſet, in Scholam *Goldbergenſem* abiit, Præceptorem nactus M. *Martinum Taburnum*. Exindè verò *Francofurtum* ad *Oderam*, & anno 1567. *Lipſiam* concedens, tantos in ſtudiis ſuis fecit progreſſûs, ut anno ſeq. 1568. Baccalaureus, & an. 1569. Philoſophiæ Magiſter ſolenniter fuerit creatus.

Scholæ Goldbergenſis diſcipulus.

Lipſiæ Philoſophiæ Magiſter.

A. 1571. Aſſumptus in Facultatis Philoſophicæ Collegium, ejusdem Decanatum anno ſeq. adminiſtravit. A. 1574. Primâ vice Rector Univerſitatis *Lipſienſis* electus

Decanus Facultatis Philoſophicæ.

munus

Google

munus hoc tantâ cum laude geſſit, ut ſæpiùs abindè ad eandem dignitatem fuiſſet evectus.

A primâ verò ætate Juris ſtudium amplexus tantos in eo fecit progreſſûs, ut anno 1573. primum Baccalaurei gradum, & anno 1576. alterum Licentiati, Anno demùm 1577. Doctoris in Facult. Juridicâ ſolenniter adeptus eſt. Anteà verò juſſu Electoris *Auguſti* Inſtitutionum Juris Profeſſionem auſpicatus eſt anno 1575.

Juris Baccalaureus, Licentiatus & Doctor. Inſtitutionum Juris Profeſſor.

Mox poſtquàm in Doctorem fuiſſet promotus Conſiliarius Electoralis & Aſſeſſor *Dresdæ* Judicii Appellationum, & A. 1579. Advocatus Judicii aulici *Saxonici Lipſiæ* conſtitutus eſt.

Conſiliarius Electoris Saxoniæ.

An. 1580. Ab Electore *Saxoniæ* Codicis & ultimarum voluntatum Lectio ipſi demandata fuit. Sed mox anno ſeq. 1581. in aulam *Sax. Coburgenſem* accerſitus, Cancellarii Provinciam ſibi demandatam per 11. annos fideliter obivit, Ducibus *Johanni Caſimiro* & *Johanni Erneſto* chariſſimus.

Codicis Profeſſor. Cancellarius Coburgenſis.

Varias intereà Legationes ad Cæſarem & Principes Imperii *Romani* obivit. A. 1592. A munere Cancellarii clementer dimiſſus *Lipſiam* ad priſtinum Profeſſoris in Facultate Juridicâ munus rediit.

Iterum Juris Profeſſor Lipſ.

Mox Directorium obtinuit Viſitationis Eccleſiarum & Scholarum per *Saxoniam*, eâque viſitatione finitâ Director Judicii Eccleſiaſtici, Aſſeſſor Judicii *Elect.* aulici, & Canonicus *Mersburgenſis* electus eſt. A.C. 1601. Facultatis Juridicæ Ordinarius unanimi Dnn. Collegarum conſenſu electus, & à Sereniſſimo Electore confirmatus eſt.

Director Judicii Eccleſiaſtici. Canonicus Merspurgenſis. Facultatis Juridicæ Ordinarius.

Menſ. Nov. A. 1577. Conjugium auſpicatus eſt *Lipſiæ* cum virgine *Annâ, Franciſci Kramii*, Juris Doctoris & Profeſſoris filiâ, quâ ſine liberis *Coburgi* vitâ defunctâ, altera Sponſalia celebravit A. 1588. cum virgine *Charitate*, *Pauli Lobwaſſeri* filiâ, quam ſterilem quoque viduam reliquit. Liberis itaque carens 12. ſtudioſis *Lipſiæ* menſâ communi perpetuò alendis 4000. flor. legavit.

Conjugium ejus duplex ſterile.

Maraſmo tandem ſenili viribus & corpore conſumptis, poſtquàm 5. Septimanis lecto decubuiſſet, eoque tempore D. *Joachimi Beuſtii*, Conſil. *Sax.* Libellum de *Arte benè moriendi* familiarem ſibi reddidiſſet, placidè in Chriſto exſpiravit 3. Dec. Anno C. 1611. ætatis 64.

Moritur.

* *Ex Concione funebri D. Georgii Weinrichii Prof. & Superattend. Lipſ.*

THOMAS SUTTONUS.

Obiit A.C. 1611.

Ex nobili familiâ natus eſt *Knaithe*, in agro *Lincolnienſi*. Juvenis primùm *Thomæ Howardo*, Duci *Norfolciæ*, deindè *Ambroſio Dudlejo*, Comiti *Warwicenſi* inſervit, cujus favore *Borwici* ad tormentorum bellicorum Præfecturam evectus eſt, & magnas opes congeſſit, ut vulgò *Opulenti Suttoni* nomen obtinuerit.

Vir opulentus, & nobilis.

Ultimis vitæ ſuæ diebus à cœtû hominum ſe ſubduxit ad pulchrum quoddam ſuum Oppidulum, *Campocaſtelliæ* nomine, ibique cum paucâ familiâ multos annos habitavit. Exſpiravit tandem in domicilio ſuo *Hackneiæ* propè *Londinum* Menſ. Dec. A.C. 1611.

Moritur.

Hæredum naturalium expers pauperum diſpenſatorem ſe eſſe dixit, & reverâ fuit. Vivens enim adhuc à *Thomâ Howardo*, Comite *Suffolciæ* magnificum domicilium, quod quondam fuit Carthuſiarum ſedes, multis librarum millibus acquiſivit, in Gerontocomium converſurus, ad quod Regis *Jacobi* conceſſionem impetravit Decreto Parlamentario confirmatum.

Pauperum diſpenſator.

Non multò poſt mortem ipſius Gerontocomium hoc, prout Teſtamento decreverat, collatis in id multis librarum centuriis exſtructum eſt, quale in totâ *Europa* vix reperitur.

Gerontocomium pro 80 ſenibus alendis Londini fundavit.

In eâ domo 80. ſenes quotidiè aluntur, addito Sacello, in quo ſingulis diebus Dominicis bis ab erudito Miniſtro Verbum DEI prædicatur, & Ludo Grammatico, quo 30. pueri egeni bonis literis erudiuntur, aluntur, & veſtiuntur.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

JOHANNES LINDERSHAUSEN.

Clar. A.C. 1611.

Natus eſt *Swelmæ* A.C. 1571. Patre cognomine cauſarum Patrono. Decennis *Tremoniam* ſtudiorum cauſâ amandatus, fundamenta poſuit ſub *Lambachio* & *Benthuſio* ſcholæ illius ſucceſſivè Rectoribus.

Studioſus Tremoniæ.

Ex eâ *Coloniam Ubiorum* translatus in Collegio Patrum Societatis Jeſu aliquandiu conſedit. Indè in patriam à Parentibus revocatus, 8. annos cum gravi ſtudiorum jacturâ commoratus eſt.

Coloniæ.

His exactis, in ſcholam, quam illuſtris Comes *Arnoldus Bentheimenſis* apud ſuos aperuit, conceſſit. Mox indè *Herbornam Naſſoviorum* ſe contulit. Tunc cum quæreretur juvenis, qui à ſtudiis eſſet nobilis *Edmundi Gruteri* filio, quique eum in *Galliam* duceret, ex conſilio D. *Johannis Piſcatoris*, Theologiæ Profeſſoris, occaſionem hanc ſibi oblatam non reſpuendam duxit, & *Duacum* verſus cum nobili adoleſcente migravit. Indè ad Legum *Romanarum* ſcientiam animum applicuit.

Herbornæ. Nobilem Gruterum in Galliam duxit. Jurisprudentiæ ſtudioſus Duaci,

Duaco annis duobus exactis *Lovanium* abiit, ubi aliquantiſper conſidens ad ſuos remeavit, & *Edmundo Grutero*, qui tunc *Delphis* agebat Præfectus aulæ & Comitis *Philippi ab Altâ Flammâ* Conſiliarius filium non mediocri literaturâ initiatum reddidit.

Lovanii.

Indè *Germaniam* repetens ſe ad titulum in Jure Licentiæ conſequendum compoſuit. Exindè rediens in *Hollandiam Lugdunenſem* Academiam inviſit, in quâ tria penè luſtra in exercendâ juventute publicè & privatim cùm docendo tùm diſputando peregit, donec *Cornelio Grotio* & *Gerardo*

Juris Licentiatus.

Tuningio

Juris Profeſſor Lugduni & Doctor.

Tuningio vitâ functis in numerum Profeſſorum Juris adſcriptus fuit die 20. Febr. anno 1611. Paulò poſt titulo quoque Doctoris per D. *Everhardum Bronchorſtium* decoratus eſt.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

Obiit A.C. 1612.

JACOBUS MAINOLDUS.

Doctor Juris.

C*Remonæ* ex nobili familiâ literis & armis clarâ duxit originem, cumque in primâ ætate diſciplinis humanioribus operam dediſſet, Juris deindè Civilis & Canonici ſtudiis operam impendit, & Doctorales honores promeruit. Politicis etiam literis animum recreans egregia opera edidit.

Legatus ad Papam.

A patriâ *Romam* ablegatus, ut *Gregorio XIV. Cremonenſi* ad thronum Papalem exaltato Reipublicæ ſuæ nomine gratularetur, muneri ſuo egregiè ſatisfecit.

Præſes in Senatu Mediolanenſi.

Reverſus, Magiſtratum in patriâ ſummo cum honore adminiſtravit, & tandem ſummum honorum culmen conſcendit ad Præſidis in Senatu *Mediolanenſi* munus evectus.

Moritur.

Ibi ex hâc vitâ ad meliorem diſceſſit An. C. 1612. *Cremonam* indè ad ſepulturam deductus.

Scriptum.

Librum edidit: *De titulis Philippi Auſtrii Regis Catholici.*

* *Ex Theatro Virorum doctorum Italico Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C 1612.

ANDREAS URSINUS.

VItam ejus brevibus deſcriptam exhibet Inſcripto *Witteberga* in Templo Parochiali his verbis legenda:

Epitaphium.

C. R. M. S.

Juriſconſultus Saxonicus.

ANDREÆ URSINO, J. U. D. SUPREMÆ CURIÆ ELECTORALIS ET CONSISTORII HUJUS ADVOCATO, VIRO SOLIDA ERUDITIONE, SINGULARI PIETATE, DE LENIFICO MORUM CANDORE, SPECTABILIQUE RERUM AGENDARUM PERITIA CLARISSIMO, HIERONYMUS NYMMANNUS WITTEBERGENSIS SS. THEOL. D. PASTOR ET SUPERINTENDENS, AC TEMPLI CATHEDRALIS MISENENSIS CONCIONATOR, CUM CONJUGE SUAVISSIMA ANNA MARIA SOCERO AC PARENTI SUO DESIDERATISSIMO HOC PIISSIMI AFFECTUS ET ÆVITERNÆ MEMORIÆ MONUM. P. C. NATUS EST SANDERSLEBIÆ ANNO MDLXVIII. XXX. NOVEMBR. CIRCA II. HORAM ANTEMERID. PARENTIBUS HONESTISSIMIS, A QUIBUS CUM DOMI BENE DOCTUS ATQUE EDUCTUS FELICITER EXORSAM IN SCHOLA PATRIA STUDIORUM TELAM IN TRIBUS GYMNASIIS, SEX ACADEMIIS, FELICISSIME PERTEXUISSET, ADJECIT ANIMUM AD VIRGINEM LECTISSIMAM VIRI REV. ET CLARISS. DN. M. PETRI HARINGII PASTORIS AC SUPERINTENDENTIS CÖTHENSIS RELICTAM FILIAM, EAMQUE DUXIT UXOREM ANNO MDXCVII. D. III. OCT. A QUA IN XIV. ANNOR. CONJUGIO IV. FILIORUM ET III FILIARUM PARENS FACTUS HAC VITA EXCESSIT WITTEBERGÆ ANNO MDCXII. D. XV. JAN. HOR. III. MATUT. CUM VIXISSET ANNOS XLIII. MENSEM I. HEBD. II. DIES III.

Buſtum corpus habet, paries teſtamen amoris,
Fama ſolum peragrat, Spiritus aſtra colit.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi à Gotfrido Suevo, J.C. editâ.*

Obiit A.C. 1612.

HIPPOLYTUS A COLLIBUS.

T*Iguri Helvetiorum* urbe natus eſt 20. Febr. anno 1561.

Pater Hippolyti Alexandriæ degens.

Pater ejus *Paulus Colli* in territorio *Mediolanenſi Alexandriæ* degens, & Evangelii luce illuſtratus domeſticam aliquandiu Eccleſiam habuit. A ſervo deindè ſuo de periculo monitus, ſtatim rebus divenditis ac convaſatis in *Rhetiam* ſe primùm cum familiâ contulit, nec longo intervallo pòſt *Tigurum* conceſſit.

Tigurum venit.

Adoleſcens à patre in pædagogium *Neohuſianum Palatinatûs* miſſus, Præceptorem ibi habuit *Fridericum Sylburgium.*

Legum ſtudia amplectitur ſilius. Doctor Juris.

Fundamentis jactis in *Italiam* profectus, totum ſe S. Legum ſtudio ita mancipavit, ut poſteà *Baſileæ* Doctoratûs gradum conſecutus, & in Profeſſorum numerum cooptatus fit.

Profeſſor Heidelbergæ.

Exindè in Academiam *Heidelbergenſem* evocatus, inter primarios Juris Profeſſores locum obtinuit, & A. 1588. ſummum Magiſtratum cum laude geſſit.

Deindè cum ob quaſdam privatas cum *Julio Pacio* controverſias aliò cogitaret, commodùm *Baſileam* revocatus, Reip. illi à Conſiliis fuit Syndici munus obeundo.

Cancellarius Anhaltinus.

Indè ad *Chriſtianum* Principem *Anhaltinum* veniens, Cancellarii munus ſuſtinuit, & cum A. 1591. Princeps ille Exercitum in *Galliam* ſuppetias Regi *Henrico IV.* lecturus duceret, cum eodem abiit, & à Conſiliis ei fuit militaribus.

Conſiliarius militaris.

Legatus in Angliam.

Paulò pòſt in *Angliam* ad *Eliſabetham* Reginam, & porrò ad Ordines Imperii præcipuos fuit ablegatus.

Legatus.

A. 1593. Cum ad *Fridericum IV.* Electorem *Palatinum* legatus ire juſſus eſſet, ſtatim Elector cum eo agendum curavit, de operâ ſibi addicendâ, in quod cum conſenſiſſet, Præſes dicaſterii & Conſiliarius eſt declaratus. Eo officio ad finem vitæ fideliter functus, imprimis ob duos virtutes celebratus eſt, taciturnitatem, & contemtum munerum.

Conſiliarius.

Virtutes duæ.

Conſiliarius intimus.

An. 1597. In Conſilium Principis arcanum electus eſt.

Dicaſterii Electoris Præſes.

A. 1603. *Haidelbergenſi* diœceſi præfectus eſt Dicaſterii Electoris Præſes.

A. 1608. Paci inter *Hiſpaniarum* Regem & confœderatas *Belgii* Provincias conſti-

tuendæ

tuendæ Principum *Germanorum* nomine interfuit.

Menſ. Aug. an. 1611. *Pragam* ad Imperatorem à *Johanne*, Adminiſtratore *Palat.* ablegatus, ipſi confirmationem Adminiſtrationis *Palatinatûs* impetravit.

Moritur. Tandem febri ardente correptus, intra decendium extinctus eſt 21. Febr. A. 1612. ætatis 51. Ad S. *Petrum* honorificè ſepultus.

Fuit hic vir ingenio felici, eloquentiâ ſuavi, judicio acri, lingvarum plurium, nec ſolum juris, verùm etiam humanarum diſciplinarum & hiſtoriarum peritus, in dicendo jure prudens ac juſtus, in quotidiano convictu admodùm urbanus & facetus: undè *Fridericus IV.* Elector *Palatinus* conſuetudine ejus plurimùm eſt delectatus.

In morbo ſupremo cum Medici de venæ ſectione conſultarent, & quidam ſuaderent, quidam diſſuaderent, ac contra regulas *Galeni* & medicinæ id eſſe dicerent, ipſe, *Dum vos*, inquit, *deliberatis, ego ſecundum regulas Galeni & medicinæ moriar.*

De parentum ſuorum exilio & damno ſæpè ſolitus eſt dicere: *Conqueruntur alii, ſe causâ Religionis omnia perdidiſſe, ego verò nunquàm eò dignitatis perveniſſem, niſi mea reliquiſſem.*

In conjugio 19. annorum pater factus eſt 5. liberorum, è quibus filium & filiam ſuperſtites reliquit.

Edidit:

Scripta. *Conſiliarium Principis*, in quo libello vivis coloribus depingit eos, qui in Principum conſilium legendi.

De nobilitate poſitiones 62.

Commentarium ad titul. ff. de diverſis regulis juris antiqui.

Acceſſit ſeorſim Palatinus ſeu Aulicus, & de incrementis Urbium tractatus.

Edidit item *libellum ſine ſuo nomine cum titulo Harpocrates, ſive de ratione ſilendi.* Editurus quoque erat *lib. Emblematum ſingularium*, quæ impreſſa dicuntur *Italis*, ſed mors & hæc & alia intercepit.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

GEORGIUS LUDOVICUS FRÖLICH.

Obiit A.C. 1612.

NAtus eſt *Laingæ* 2. Sept. An. C. 1562. Patre *Conrado*, Jurium Licentiato, Conſiliario *Palat. Neoburgico*, & Advocato *Laingano*, Matre *Annâ*, natâ *Baumeiſterin.*

Philoſophiæ Magiſter Tubingæ. Cum in Scholâ patriâ pietatis & literarum fundamenta jeciſſet, ad ea feliciter proſequenda de Parentum conſilio *Tubingam* profectus, ibi cum laude Philoſophiæ Magiſter creatus eſt An. 1580. *Heidelbergæ* deindè cum applauſu an. 1585. Doctor Jurium ſolenniter renuntiatus.

Doctor Juris Heidelbergæ.

Nuptias celebrat. 25. Febr. A. 1588. Nuptias celebravit cum virgine *Mariâ Salome*, *Georgii Schenckii*, Conſulis *Wertingenſis* filiâ, cum quâ 24. annos in conjugio concordi vixit, ex eâque liberos 11. ſuſcepit, ex quibus duos filios reliquit ſuperſtites *Philippum Andream*, & *Carolum*, cum filiâ *Amaliâ Hedwige*.

Conſiliarius & Cancellarius Palat. Neoburg. A. 1592. A Principe *Palatino-Neoburgico*, *Philippo Ludovico*, ditionum ſuarum Advocatus, A. 1595. verò ab eodem, poſt obitum D. *Waltheri Drechſelii*, Conſiliarius, & Cancellarius conſtitutus eſt. In eo munere cum à 15. annis ſæpiùs doloribus podagricis affligeretur, placidè tandem morte ſubitaneâ quidem, beatâ tamen inter preces devotas è vivis ſublatus eſt *Neoburgi* ad *Danubium* 15. Maji A.C. 1612. ætatis 49.

Moritur.

* *Ex Concione funebri.*

GEORGIUS OBRECHTUS.

Obiit A.C. 1612.

NAtus eſt *Argentorati* A. 1547. 25. Martii. Pater ei fuit *Thomas*, Syndicus illius Reipublicæ, ex clarâ & antiquâ familiâ *Seleſtadienſi* ortus: Mater vero *Eliſabetha Rothin.*

Cum in Academiâ patriâ per claſſes ad lectiones publicas aſcendiſſet, *Tubingam* ſe contulit, ubi cum triennium Philoſophiæ vacâſſet, Ethicæ inprimis operam dans, vaſtum deinceps Juris Oceanum ingreſſus eſt.

Juris ſtudium amplexatur.

Deindè *Galliam* ingreſſus, *Aureliæ* in magno diſcrimine verſatus eſt A. 1572. ob laniénam illam *Pariſienſem*, omnes urbes *Galliæ* pervagantem.

Vitæ periculum incurrit.

Evaſit tamen, ſed bibliothecæ ſuæ tam in *Galliâ* comparatæ, quàm domi relictæ & ſuppilatæ jacturam fecit. Quæ res domum reverſum adeò dejecit, ut de ſtudiis deſerendis & cum vitâ militari commutandis cogitârit.

Juris Doctor. Sed mutato conſilio novaque librorum comparatâ ſupellectile *Baſileam* ſe contulit, ubi Doctoris honorem adeptus eſt cum *Henrico Grotio*, *Tilmanno Erpio*, *Prochuſio*, & *Philippo Chelio* 13. Maji A. 1574.

Profeſſor Juris. Aug. an. 1575. *Argentorati* Profeſſor Juris conſtitutus ad finem vitæ ibi docuit, & tandem calculi doloribus & catarrhis à biennio confectus, felici fine vitam in terris clauſit 7. Junii A. 1612. ætatis 66.

Moritur.

Vixit in Conjugio genuino cum *Barbarâ*, *Johannis Marbachii*, Theologi filiâ, & *Urſulâ Ulrici Cheſii*, Medici *Argentoratenſis* viduâ *Theobaldi Winteri.*

Filium reliquit *Johannem Thomam*, qui cum patre *S. Palatii* Comes ab Imperatore *Rudolpho II.* creatus eſt.

Fratres habuit tres, *Henricum*, J.C. & Conſulem *Argent.* *Didymum*, & *Danielem* Medicos.

In evulgandis ingenii ſui fœtibus fuit parcior, non quod pro ſacris Eleuſiniis ſua haberet, ſed quod meliora ab aliis jam edita deprehenderet, maluit prætereà quâ docendo quâ conſulendo prodeſſe, quàm ad quosvis aliorum inſultus ſe præparare. Extant igitur aliorum, *Hermanni Vulteji* inprimis precibus & opera *Obrechti*:

Scripta. *Oeconomia juris univerſi legalis, topica.*

Jus feudale enucleatum.

Tituli Codicis præcipui foro imprimis accommodati.

Diſputationes de rebus variis.

Recognovit juris antithemata, quæ notis neceſſariis illuſtravit.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

VOLCMARUS SCHERERUS.

Obiit A. C. 1612.

NAtus eſt in *Valle S. Georgii*, olim Monaſterio in *Thuringiâ* ſito, 28. Jan. An. C. 1556. Patre *Philippo Scherero*, ejus loci Stabuli magiſtro, & Sylvarum Ephoro.

Cum in Scholâ *Vinarienſi* bonarum literarum fundamenta jeciſſet, circa an. 1572. in Academiam *Jenenſem* venit, & ad Juris ſtudium animum applicuit, docentes audiens *Matthiam Colerum*, *Johannem Monachium*, *Petrum Weſenbecium*, & *Danielem Eulenbeccium*.

Jenæ und die Doctor Juris & Maritus factus.

An. 1582. *Jenæ* unâ die Doctor Juris renunciatus & maritus factus eſt, deſponſatus cum virgine *Mariâ*, *Franciſci Burcardi*, junioris, Cancellarii *Vinarienſis*, filiâ. Ab eo tempore Cauſis agendis in Curiâ Judicii Provincialis operam ſuam locavit.

Conſiliarius & Cancellarius Saxo-Coburgicus.

A. 1586. A *Johanne Caſimiro*, Duce *Sax. Coburgi* in numerum Conſiliariorum adſcitus, poſteà Cancellarius factus eſt.

Primâ uxore defunctâ, ex quâ duos filios ſuperſtites reliquit, ſecundum conjugium iniit cum virgine *Mariâ*, D. *Johannis Freundii*, Cancellarii quondam *Saxonici* in aulâ *Coburg.* filiâ, ex quâ nullos ſuſcepit liberos.

Moritur cachecticus.

Annis tandem vitæ poſterioribus cum ex catenatis laboribus & curis perpetuis corporis cachexiam contraxiſſet, & à 5 ſeptimanis decubuiſſet, tandem Orationem Dominicam recitans, poſtquàm verba hæc pronuntiaſſet: *Fiat Voluntas tua!* beatam efflavit animam *Coburgi* 17. Dec. A.C. 1612. ætatis 57.

* *Ex Concione funebri.*

MANFREDUS GOVEANUS.

Obiit A. C. 1613.

Senator & Conſiliarius Sabaudiæ.

NAtus eſt *Taurini*, in *Pedemontio*, Metropoli, Patre *Antonio*, ex *Portugalliæ* Regno oriundo. Juriſconſultus eximius à *Carolo Emanuele*, *Sabaudiæ* Duce *Taurini*, inter Senatores & Conſiliarios Statûs receptus in patriâ mortuus eſt A. C. 1613.

Moritur.

Sepulchro ejus inſcriptum legitur *Epitaphium*, quod vivens ipſe ſibi fecerat:

Epitaphium.

MANFREDUS GOVEANUS ANT. F.

DUM IN VITA MORTEM, ET IN MORTE VITAM REPONIT, HOC SACELLUM MANIBUS, ET SEPULCHRUM OSSIBUS SUIS ET SUORUM, QUIBUS NEQUE DEESSE NEQUE SUPERESSE DEBEBAT, VIVENS P. UT QUORUM VITAS INTERJECTA SÆCULA DISJUNGENT, EORUM CINERES INTRA SUOS AMPLEXUS EADEM URNA CONJUNGAT. ANN. SAL. MDCV.

VITÆ MORS, MORTI GLORIA, GLORIÆ DIVINITAS NOSTRA SUPERVIVIT.

Edidit:

Scripta.

Conſilia.

Notas & Animadverſiones in Opera Julii Clari.

Oratione funebre nella morte di Filippo II. Re di Spagna.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

GEORGIUS ALBERTUS SPENLINUS.

Obiit A. C. 1613.

PAtrem habuit *Paulum Spenlinum*, *Creuzbergenſem*, Eccleſiæ *Kochbergenſis* in *Thuringiâ* Paſtorem fidelem. Fratres habuit *Johannem*, Pictorem excellentem, qui arte ſuâ multorum Principum ſibi conciliavit favorem, & *Bartolomæum*, qui cum multos annos Illuſtriſſimo Proelectori *Saxoniæ Guilielmo Friderico* à Secretis fuiſſet, poſteà *Erfurti* in functione honoratâ vitam duxit.

Stipendiarius Electoralis Witt.

Hujus fratris ope factum, ut *Georgius Albertus* ad continuandum ſtudiorum feliciter cœptorum curſum per annos aliquot inter beneficiarios Electorales ſtipendio, quod Juris ſtudioſis deſtinatum eſt, frueretur.

Wittenbergæ itaque lectiones publicas audiendo, & exercitia diſputationum publicè privatimque urgendo tantum profecit, ut dignus habitus fuerit, cui poſt mortem *Friderici Dracoſtadii* in Judicio Elect. Sax. ſupremo munus Protonotarii A. 1600. committeretur.

Protonotarius in Judicio Elect.

Simul tamen Juriſprudentiæ ſtudium ſtrenuè continuavit, tantosque in eo progreſſus fecit, ut tum Licentiam aſſumendi gradum Doctoris, à J C.rum Facultate acceperit, tum ab eâdem in Collegium, Adjuncti titulo, A. 1608. receptus fuerit.

Licentiatus Juris.

Deſponſatur.

Eodem autem, quo Primicerii munus ſuſcepit, anno, matrimonium quoque iniit cum virgine *Albina*, filiâ M. *Petri Albini*, Poëtæ & Hiſtorici, qui ex Profeſſore *Witt.* publico Secretarius Electoralis factus, gratam ſui memoriam in ſcriptis editis reliquit. Ex eâ filios binos & 4. filias ſuſcepit.

Moritur febre ardente.

Tandem febre ardente correptus, poſt 12. morbi diem finem habuit vitæ per annos 44. laudabiliter actæ conſentaneum, dum inter adſtantium preces ardentes exſpiravit A. C. 1613.

* *Ex Programm. Witt. Joh. Wanckelii.*

JOHANNES BAPTISTA FABRICIUS.

Obiit A. C. 1613.

AUguſtæ Vindelicorum natus eſt 5. Sept. A. C. 1565. Patre *Simone Fabricio*, Rectore Gymnaſii ad S. *Annam*, Græcæ linguæ Profeſſore & Bibliothecario, qui ibidem obiit 15. Julii A. 1593. Fratrem habuit *Hieronymum Fabricium*, Medicinæ D. Phyſicum ordinarium *Neoſtadii ad Ayſſum*, & Archiatrum *Chriſtiani* Marchionis *Brandeburgenſis*.

Cum optimarum artium fundamenta jeciſſet, & celeberrimas *Germaniæ* Academias perlu-

Doctor Juris Friburgi. perluſtraſſet, Doctoreum gradum in utroque Jure conſecutus eſt *Friburgi Briſgoiæ* 15. Febr. A. 1594. Rectore Dn. *Chriſtophoro Angerero*, & Decano *Johanne Henrico Dachero*, J. C. ſultis.

Conſiliarius & Cancellarius Comitis à Löwenſtein. Deindè *Spiram Nemetum* praxeos exercendæ causâ ſe contulit. Poſteà à Generoſo Dom. *Chriſtophoro Ludovico* Comite in *Löwenſtein* acceptus eſt Conſiliarius, Cancellarius, & Adminiſtrator Arcis *Löwenſteinenſis*, cui officio magnâ cum fide & dexteritate aliquot annos præfuit.

Uxorem duxit Noriberga. An. 1604. Uxorem ſibi elegit Virginem *Mariam Salomen, Friderici Wertheimeri*, Civis & Mercatoris quondam primarii relictam filiam, cum quâ 27. Febr. *Norimbergæ* nuptias celebravit.

Conſiliarius & Advocatus aulicus Imp. Rudolphi II. Deindè *Viennam* ſe contulit, & ab Imperatore *Rudolpho II.* inter Conſiliarios adſcitus & Advocatus aulicus, multisque lautioris & tenuioris fortunæ hominibus operam conſulendo advocandoque navavit fideliſſimam.

Moritur Viennæ peripnevmoniâ. Variis demûm gravibus & diuturnis ægritudinibus corporis conſumptus & enervatus *Viennæ* ex morbo Peripnevmoniæ vel inflammatione pulmonum animam ſuam DEO reddidit A.C. 1613. ætatis 48.

Tumulo mandatus ibidem in cœmiterio novo.

* *Ex Parentationibus Johannis Wolffgangi Fabricii L. L. Studioſi Argent. editis A. 1625.*

ObiitA.C. 1613.

ALEXANDER FORTECIA.

Patavinus, Orator celebris & Actor eximius cauſarum, ſed avidus gloriæ variis ſtudiis amicorum conſuetudinem ambitioſè coluit, parique in dictis & factis libertate uſus luxu & magnificentiâ, cum ingenii amœnitate permixtam famam emit.

Senex arthriticus ſellâ ſedens cauſas defendit. At qui florentis ætatis annos in delitiis abſumpſerat, eò devenit Senex, ut viribus artuum diſſolutis ſellâ tantùm vectus loco moveri poſſet, in quâ etiam ſedens ad Magiſtratus oraturus accedere conſuêrat.

Orator inſignis. Eâ verò verborum & ſententiarum copiâ perorabat, ut adſtantium animos facilè pertraheret in admirationem ſui.

Fiſci Advocatus Patavii. Fiſci partes in Urbe *Patavinâ* à Senatu *Veneto* ſibi delatas egregiè obivit.

Perennes itaque conſultandi & perorandi labores, nec non incommoda valetudo in causâ fuêre, ne poſteris ullum ingenii monumentum reliquerit.

Moritur. Conſumptis opibus Senex obiit Id. Mart. A.C. 1613. cum annis 64. inter mortales degens eorum prodeſſe commodis ſtuduiſſet. Sepultus eſt à filiis in Eccleſiâ Monialium Miſericordiæ, ad *Pratum Vallis*, Epitaphio nullo.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

MELCHIOR JUNIUS. *ObiitA.C. 1613.*

Natus eſt *Argentorati* 8. Nov. A.C. 1572. Patre *Melchiore Junio*, Eloquentiæ ibidem Profeſſore, matre *Margarethâ Riedlingerâ*, D. *Chriſtophori Riedlingeri*, Senatoris filiâ.

Puer per omnes Academiæ patriæ Claſſes ad publicas Scholas cum laude progreſſus, inibi diligenter audiendo Philoſophiæ Profeſſores: & tùm dicendo tùm diſputando publicè & privatim præclaris editis ſpeciminibus, 28. Octob. A. 1591. Magiſterii gradum ſub Decano Reverendo viro D.D. *Johanne Pappo* conſecutus eſt. *Philoſophiæ Magiſter Argentorati.*

Hoc Philoſophico curſu abſoluto totum ſeſe Juris ſtudio, artibus tamen Philoſophorum non intermiſſis, tradidit: & non modò Anteceſſores Juris in Academiâ attentè audivit, verùm etiam *Auſtriâ* peragratâ ad *Hungariæ* usque fines, per *Helvetiam* in *Galliam* profectus, omnes ferè ejus Academias viſitavit: & per *Lotharingiam* domum rediens, in *Pontomuſſanâ* aliquandiu ſubſtitit: atque in omnibus ita ſe probavit, ut præſtantiſſ. Jureconſultorum, & præcipuè *Gregorii Toloſani* familiaritate dignus judicatus fuerit. *Juris ſtudioſus* *in Academiâ Pontomuſſanâ.*

Spiram deindè ſeſe contulit, biennium illîc commoratus eſt: Indè *Baſileam* adiens Doctoris utriusque Juris titulum optimo cum teſtimonio ibidem conſecutus, & mox Profeſſio Inſtitutionum in patriâ Academiâ ei demandata eſt: cujus initium fecit ſolenni oratione 9. April. A. 1602. habitâ. *Juris Doctor Baſileæ.* *Argentorati Inſtitutionum Profeſſor.*

Perſpectâ autem ejus in auditoribus erudiendis ſcientiâ & induſtriâ, triennio pòſt Pandectarum explicationis pars eidem tradita, & A. 1612. Codicis interpretatio commiſſa eſt, cujus tamen ne quidem initium morbo præpeditus facere potuit. *Profeſſor Pandectarum & Codicis.*

An. 1603. In Conventum Academicum recepto Viſitatoris Collegiorum & A. 1604. Examinatoris Candidatorum, 1605. Decani, & An. 1607. Rectoris officium commiſſum fuit. *Rector.*

Anno 1602. Matrimonium contraxit cum virgine *Johannâ*, filiâ Dom. *Johannis Greuſii*, Juris Doctoris, & trium olim Marchionum *Badenſium* Conſiliarii, ex quâ unicam filiolam *Mariam Salomen* ſuſcepit, quæ poſt duos à nativitate menſes obiit. *Uxorem duxit.*

Ipſe tandem in Chriſto placidè obdormivit 6. April. A.C. 1613. æt. 41. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Joh. Lud. Havenreuteri, Phil. & Med. Doct. Rectoris Argent.*

WENCESLAUS A ZEDLITZ. *ObiitA.C. 1613.*

Natus eſt 28. Junii An. 1551. Ex antiquâ familiâ nobili *Zedlitziorum* à Neu kirch / quæ à 500. annis in *Sileſiâ* floruit.

Patrem habuit cognominem, qui in expeditione *Ungaricâ* A. 1566. volente *Maximiliano II.* Imperatore, Equitatûs *Suidnicenſis*

cenſis Ductorem egit, & obiit 5. Nov. Anno 1567. cum ei commiſſa eſſet unà cum *Sigfrido Promnitio*, Barone finium inter *Poloniam* & *Sileſiam* diſceptatio.

Puer octennis *Frideburgum* miſſus, ludum ibi literarium aliquandiu frequentavit. Inde *Laubanum*, *Suidnicium* & *Goldbergam* acceſſit, ubi *Martinum Taburnum* Præceptorem habuit.

Literis operam dat Wittebergæ & Francofurti. Poſteà *Wittenbergæ* quinquennium ſtudiis operam dedit, & deindè *Francofurtum ad Viadrum* acceſſit.

Militat in Ungariâ. Sed ut Martis etiam aleam experiretur, non ſolùm in *Ungariâ* ſub *Johanne Rubero* exercitûs Duce miles contra *Turcas* pugnavit, ſed etiam in *Belgio* Duce Barone *Sigismundo Kurtzbachio* nomen militiæ dedit.

Conſiliarius Lignicenſis. Domum ad ſuos reverſus, in Conſiliariorum numerum à *Friderico IV.* Duce *Lignicenſi & Bregenſi* cooptatus eſt, quo in munere annis 30. fideliter verſatus eſt.

A. 1596. Rebus humanis exemto *Friderico*, nullâ ex tribus uxoribus maſculâ ſobole relictâ, cum Ducatus *Lignicenſis* ad Patruelem ipſius *Joachimum Fridericum*, Jure hæreditario devolutus eſſet, *Zedlicius* hic unus dignus viſus eſt, qui Ducatui illi præfectus Principis locum teneret.

A. 1602. 25. Martii, defuncto Principe *Joachimo Friderico*, de voluntate ipſius duobus filiis ab ipſo relictis adhuc impuberibus tutor datus eſt.

Moritur. 22. April. A. 1613. In hæredio ſuo *Janowicio* poſt cœnam repentino apoplexiæ paroxyſmo correptus, placidè exſpiravit inter ferias ad DEUM preces 24. April. ſeq. A. ætatis 62.

Exuviæ *Lignicium* advectæ honorifico funere in Templo D. *Mariæ* tumulo illatæ ſunt.

Ita in ſe ipſo expertus, quod ſæpè dicere ſolitus eſt: **Wann GOtt durch einen verrichtet hat / was Er durch ihn hat verrichten wollen / ſo gibt Er ihm Feyrabend / und heiſt ihn ſchlaffen gehen.**

In Conjugio vixit terno, & in primo, quod cum nobili virgine *Eliſabethâ Biberanâ* A. 1580. inierat, 19. annorum decurſu liberos 12. ſuſcepit, è quibus 10. præmiſſis ſuperſtites reliquit filium & filiam. Duo poſtrema matrimonia prolis fuerunt expertia.

Judicio valuit prætereà hic exacto, longoque rerum uſu præclarè corroborato confirmatoque: eloquentiâ expeditâ plenâ dignitatis & gratiæ: auctoritate tantâ, ut ab omnibus obſervaretur: nec ſolùm paribus, verùm etiam ſuperioribus charus eſſet acceptusque, Cognitione denique artium & linguæ Latinæ ejuſmodi, ut eam & intelligere & uſurpare ad alios aptè: leges etiam adducere, & pro re natâ caſibus applicare ingenioſè noſſet.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

JACOBUS SCHRÖTERUS.

Obiit A.C. 1613.

V*Inariæ* natus An. C. 1533. Patrem habuit *Petrum Schröterum*, ibidem multis annis Conſulem, Matrem *Viti Dietzii*, civis in patriâ honeſti filiam.

Cum adoleſcentiæ ætatem ſtudia tractans in variis Academiis exegiſſet, A. 1563. Senator patriæ electus, & deinceps A. 1569. Conſulatûs honores adeptus eſt. *Senator & Conſul Vinarienſis.*

31. Jan. An. 1558. Conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Annâ Wittichiâ*, ex quâ filium cum duobus filiabus progenuit, omnes tamen in infantiâ præmiſit. *Bis Conjugium init.*

Hâc conjuge An. 1562. morte ſublatâ, ſexennio poſt A. 1568. iterum deſponſatus eſt cum virgine *Barbarâ*, D. *Chriſtiani Bruckii*, Cancellarii quondam *Saxoniæ* relictâ filiâ, ex quâ 3. filios & 7. filias ſuſcepit, ex quibus filius unicus cum 2. filiabus in primâ ætate obierunt, & mater ipſa A. 1607. ſubſecuta eſt. *Gener Chriſtiani Bruckii.*

Placidè tandem vitâ defunctus eſt 1. Maji A. C. 1613. ætatis 80. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. M. Nicodemi Leppii, Diaconi Vinar.*

CONRADUS RITTERSHUSIUS.

Obiit A.C. 1613.

DEdit Reipublicæ literariæ magnum hunc virum magnæ *Saxoniæ* Urbs *Brunsviga*, aliis *Brunopolis* dicta, die 14. Septembris, anno 1560. quo pius ille *Melanchthon* cum genero *Sabino* & amiciſſimo ſuo *Loticbio*, his in terris vivere deſiit, memoriæ nominis relicta ſempiterna.

Patrem *Rittershuſius* nactus fuit *Balthaſarum*, Jureconſultum, & Eccleſiæ collegiatæ *Baſileanæ* ibidem Canonicum ac Seniorem, virum ob officiorum & aliis gratificandi promtitudinem, animi candorem, vitæque integritatem, illâ in civitate inprimis laudatum & clarum. *Parentes Rittershuſii.*

Avus ei fuit *Henricus*, Ducum *Brunsvicenſium* & *Lüneburgenſium* in aulâ *Zellenſi* à ſecretis.

Matrem itidem habuit matronam piiſſimam, *Bergii*, viri laudati ac honeſti filiam.

Prima ſtudiorum tyrocinia ſub *Matthiâ Bergio*, avunculo depoſuit, qui *Catharinianæ ſcholæ* in Urbe *Rittershuſii* natali tunc præfuit, poſteà Ethicen in *Altdorfinâ* Academiâ cum laude profeſſus eſt. *Studiis operam dat.*

In ludum literarium ſimul ac venit, & magiſtris aliquantiſper operam dedit, omnium ſpem & expectationem ſuperavit hic *Rittershuſius*. Tunc enim poëmata plurima, tunc odas, orationes proſas & verſas felici minervâ contexuit, ac maturè de conſilio magiſtrorum Græca cum Latinis conjunxit.

Sic præclarè jactis fundamentis primùm in *Helmſtadianam* Academiam à parentibus eſt miſſus, ubi ſtudia Philoſophica, in patriâ inchoata, perpolivit. Ibidem ſanctæ Theologiç ingreſſus auditoria, brevi eximiam ſibi rerum Theologicarum cognitionem comparavit, atque ita ſcientiam ſcientiæ addidit. *Helmſtadium proficiſcitur.*

Vigebat eâdem tempeſtate in illâ ſcholâ excellens Jureconſultus *Johannes Borcholtus.*

tus. Huic cum aliis *Ritterſhuſius* operam diligenter dedit: eique non annum, ſed ipſum quinquennium adhæſit, id perſuaſum habens, nihil accidere poſſe nocentius, quàm crebras doctorum mutationes.

& Altorfium.

Helmſtadio anno 1584. *Altdorfium*, nobile Senatus *Norici* Athenæum, ingenii excolendi cauſâ *Hugoni Donello*, & *Huberto Giphanio*, viris æternâ memoriâ dignis, ſe informandum tradidit. Horum prudentiâ totum Jurisprudentiæ orbem tutò ac feliciter circuivit ac perluſtravit.

Ingolſtadium.

Confirmato jam judicio & feliciter inchoato Juris ſtudio *Ingolſtadium* cum *Giphanio* conceſſit, excellentiſſimi JCti *Facbinei*, *Itali*, famâ excitus, aut Præceptoris amore abreptus, ubi *Fachineum* illum annum ferè totum audivit, magnumque clariſſimorum in illâ officinâ literariâ favorem atque benevolentiam collegit, adeò quidem, ut judicio doctiſſimorum virorum hoc de ipſo jactatum fuerit, revixiſſe ipſum *Nazianzenum* in *Ritterſhuſio*, qui in ſcribendis Græcis carminibus poſſit ingenium illius feſtivè efformare.

Annum ibi exegerat, cum, ut generoſus animus cœlum imitatus, motu gaudet, cupiditas ipſum inceſſit peregrinandi, aliarumque gentium inſtituta, moresque cognoſcendi. *Auſtriam* ergò & *Pannoniam* adiit, quas cum vix ſalutâſſet, ad munus Conſiliarii à Comitibus *Salmenſibus* fuit invitatus, quam tamen vocationem modeſtè abnuit, non ignaviæ vitio, nec metu laborum, aut quaſi nollet hominibus conſiliis ſuis prodeſſe; ſed quod amore ſerviendi ſtudioſæ juventuti, totique adeò literarum orbi teneretur, ad quam rem natus educatusque videretur, & quod ſciret, non *Euripum*, non *Syrtes* ita eſſe inſtabiles, ut ſunt aularum voluntates. Hinc ipſe in elegiâ ad *Johannem Tradiſium*, Secretarium *Salmenſem* ita:

Non facit ad mores aulica vita meos.
Non ego Magnatum didici captare favorem,
Qui fragilis vitro non minus eſſe ſolet.

Poſt *Moraviæ* & *Bohemiæ* Regnum, *Germaniæ*que noſtræ provincias nonnullas peragravit, & aliquando non in jocularium, ſed in ſerium malum incidit. Anno enim octogeſimo ſeptimo, in *Mœno* navigans, quidam dœmoniacus navigium conſcenderat, ubi à Satanâ correptus, horribiliter ſtentoreâ planè voce clamans, toto corpore lintrem ita jactavit, ut in utrumque latus impelleretur, ac vix à tribus robuſtiſſimis, quo minus ſubmergeretur, conſervari poſſet.

Altdorfium ſecundâ vice ſe confert.

Perfunctus peregrinatione *Altdorfium* anno nonageſimo primo rediit, ubi cum gratulatione multorum exceptus fuit, qui præclaram ipſius doctrinam & profectus proſpiciebant & admirabantur.

Baſileæ J. U. D. creatur.

Indè *Baſileam Rauracorum* eodem anno abiit, quâ in Academiâ poſteaquàm non difficiles modò, ſed & abſtruſas quaſdam Juris materias publicè diſputando explicuiſſet, & eruditionem egregiam collegio Jureconſultorum probâſſet, dignus judicatus eſt, cui inſignia conferrentur, quæ præclarè doctis dari ſolent maxima.

Interim *Altdorfii* è vitâ diſcedit quidam Juris Anteceſſor, adeòque lacuna agitur in Academiâ laudatiſſimâ. Ad eam explendam Senatui *Norico* maximè idoneus viſus *Ritterſhuſius*. Vocatus ergò honorificè primò Inſtitutionum, poſt Pandectarum Succeſſor & Profeſſor eſt electus.

Juris Profeſſor Altdorfii.

Huic ſuæ Profeſſioni ſic præfuit, ut multum utilitatis ad ſtudioſam juventutem manârit, ut apud exteros gloriam comparârit, ut à quibuſdam Rebuſpublicis ad honorem Conſiliarii, â quibuſdam Academiis ad Juris civilis Profeſſionem ſat ſplendidis ſtipendiis fuerit invitatus.

Collegas habuit amiciſſimos & familiariſſimos *Petrum Weſembecium*, qui poſteà *Altdorfio* evocatus, Conſiliarii munus apud J. *Caſimirum*, Ducem *Saxoniæ*, *Coburgi* geſſit, *Scipionem Gentilem*.

Poſteà laborum ſocii adjuncti ipſi fuerunt *Matthæus Hubnerus* & *Andreas Dinnerus*, ambo Reipublicæ *Noricæ* Conſiliarii.

Conſiliarius Noricus.

Et cum ipſe ob gravitatem ſingularem & ſaluberrimorum conſiliorum in negotiis tractationem commendaretur, ad ſummum honoris aſcendit faſtigium, in Collegium Conſiliariorum *Norimbergenſium* cooptatus, in quo agmen duxit Vir nobiliſſimus & conſultiſſimus *Philippus Camerarius*, Gymnaſii *Altorfini* Pro-Cancellarius, generis nobilitate, nominis celebritate, legationibus ad comitia & ad conventus Principum ſuſceptis clariſſimus.

Cum verò rerum humanarum ea conditio ſit, ut nihil in iis perpetuum, conſtans nihil, præſertim in iis, quæ ad ſublimitatem & perfectionem ſuam pervenerunt, ita factum tandem eſt, ut tabe quoque laborare cœperit *Ritterſhuſius*, ad ſummum famæ culmen progreſſus. Eam tabem Medici quidem tentarunt omni ſtudio curare: ſed pertinaciâ morbi & virium imbecillitate ægri fruſtrà. Morbum æquo ipſe animo, ac planè invicto tulit, interim nihil quod ſtudiorum contentionem attinebat intermittens.

Valetudinarius.

Erat in ægro corpore ſanior mens; hinc malum illud vincere certabat, verùm victus. Paucis diebus cum à mortalibus lineis non longè abeſſet, eum dixiſſe ferunt: ſe in votis habere, ut poſſit librum ab amico quodam acceptum perlegere. Tanta in ipſo ſcientiæ fuit ſitis, tantus proficiendi ardor. Tandem elapſis aliquot menſibus, cum morbus indies ingraveſceret, die Maji 24. quæ fuit tertia Pentecoſtes feria, manè antè horam ſextam anni 1613. in ardentiſſimâ Numinis Divini invocatione, in conſtante & exultante fide ac confeſſione Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri piè exſpiravit, lue tabificâ penitiſſimè conſumtus: ut de ejus attenuato corpuſculo dici potuerit:

Moritur.

Pelliculâ indutum ſceleton, vix oſſibus hærens.

Eruditorum Anteſignanum.

Vixit annos 52. menſes 8. Profeſſioni præfuit annos 21. Verè fuit Vir hic inſignis, alter ſui ſeculi *Scævola*, Orator, Poëta, Philologus & Philoſophus eximius, Græcæ & Latinæ linguæ callentiſſimus, ita ut perpetuò cum literarum principibus, *Homero, Platone, Ariſtotele, Demoſthene, Herodoto, Xenophonte, Thucydide, Iſocrate*, aliisque tàm ſacris quàm profanis Scriptoribus, Græcis, Græcè, cum *Ceſare, Tullio, Varrone, Marone, Horatio*, & aliis Latini idiomatis proceribus Latinè ſcribendo & dicendo certare poſſet.

Linguæ etiam Hebrææ non hoſpitem fuiſſe, indè apparet, quod *Pſalmorum Davidicorum* maximam partem eâ felicitate metris Romanis expreſſit, ut Hebraicè docti pronuntient, neminem ferè omnium paraphraſtarum ita fontes aperuiſſe, & acu, quod ajunt, rem tetigiſſe. Gallicæ etiam ita fuit peritus, ut ex Gallico *apologicum Catholicum pro Henrico IV. Franciæ & Navarræ Rege* converterit.

In Jure interpretando ſumma ejus fuit ſcientia, varius & multiplex uſus, prudentia non vulgaris, quibus velut ſtella radians Lycæo *Altdorfiano* affulſit aliisque præcelluit.

In Patrum lectione ſingulari cum ſtudio eſt verſatus, quod teſtatur *Lexicon ex Patrum Græcorum tùm Latinorum ſcriptis collectum & digeſtum*, opus immortalitate & luce publicâ dignum.

Viros etiam doctos & claros ſui ſeculi beneficio utriusque linguæ & morum ſuavitate, totiusque vitæ integritate ſibi adjunxit & devinxit, quos inter præcipui ſunt *Juſtus Joſephus Scaliger, Juſtus Lipſius, Caſaubonus, Thuanus, Lectius, Ortelius, Canterus, Bongarſius, Douza* uterque, *Heinſius, Freherus, Gruterus, Stenius, Camerarii, Remus, Caſelius, Velſerus, Dionyſius Gothofredus, Meliſſus, Poſthius, Guilielmus Stuckius, Moravius, Beza, Morneus*, & alii quamplurimi illuſtres aquilæ ſapientiæ, præſides rei literariæ, vindicesque nobiliſſimi.

Conjugium duplex.

Uxores habuit duas: primam *Helenam, Georgii Staudneri*, Antiſtitis *Sultzbachiani* in *Palatinatu* filiam, ex quâ ſuſcepit liberos novem, de quibus patre ſuperſtites filii tres & filiæ duæ, reliqui in locum communem præiverunt.

Altera ejus conjux fuit *Catharina, Pancratii Holtzſchuchii, Bambergenſis* præpoſituræ Adminiſtratoris filia, ex quâ ei natus filius unus & una filia, quam viduam reliquit.

Poſterorum denique negotium etiam egit: dum quæ prodeſſe poſſent, vigiliis & curis multis conſcripſit. Ita enim ſe in bibliothecam, omnis generis libris refertiſſimam, abdidit, ut, tanquàm diligens agricola, arbores ſereret, quæ alteri ſeculo prodeſſent. *Jus enim Juſtinianeum* abſolutiſſimâ methodo ad miraculum *cum Novellis Juſtiniani Imperatoris elaboravit*: *Partitiones Feudales* edidit. *Vulgoſi conſilia* limâ accuratiori poſthuma Senatui *Veneto* dedicata tranſmiſit: *Iſidorum ex M.S. codice*, in Illuſtriſs. Ducis *Bajoariæ* bibliothecâ *emendatiorem*, & *integro libro quarto auctiorem* dedit, quem & *de Græco in Latinum convertit, notis*que uberioribus omnes libros *illuſtravit*. *Oppiani libris quatuor de venatione, & quinque de piſcatione*, cum Latinâ interpretatione, variâ lectione è collatione aliquot M.S. commentariorum adjectione, ſplendorem ac lucem publicam donavit.

Scripta.

Salvianum, Maſſilienſium Epiſcopum, de providentiâ divinâ & extremo judicio Europæ Academiis ac Muſarum officinis enucleatum inſcripſit: *Güntherum Ligurinum de rebus geſtis Friderici Barbaroſſæ Imperatoris cum commentario* edidit: *Phædri Auguſti liberti fabularum lib. 5. Malchi* ſeu *Porphyrii libell.* de *vitâ Pythagoræ* ex M.S. primùm prolatum, *commentariis* doctiſs. illuſtratum: *Maximi Margunii hymnos Anacreonticos* de *Græcis Latinos* eodem carminis genere: *Sententias Julii Pauli* recognitas & emendatas: *Sex Prophetas minores carmine Hexametro Latino*, cum totidem *Prophetis Jac. Auguſti Thuani*, *argumenta Græca duodecim Prophetarum minorum*, ex Græcis *Heſichii* & aliorum veterum Latinè reddita: *Orationes de indiciis duas*: in *epiſtolas optimi Principis Trajani & Plinii commentarium*: *Principis civiliter boni ſpeculum* J. *Georgio* Duci *Saxoniæ*, urbem *Noricam* ingredienti, oblatum: *Nemeſii de naturâ hominis* Græcè & Latinè: M. *Antonini Imperatoris libros duodecim de vitâ ſuâ Græcè & Romanè*: *in Inſtitutiones Juris, de contractibus, de ultimis voluntatibus*: *ad LL. XII. tabularum de differentiis Juris utriusque commentarios* evulgavit: & alia innumera in uſum poſteritatis procudit.

Ejus Comitas.

Intereà tamen non ut tenebriones aut Timones receſſibus iſtis fuit deditus, ſed cum Muſis & Gratiis litâſſet, ubique modeſtam humanitatem obſervavit. Neminem facilè à colloquio excluſit, in alloquendo facilem, in audiendo promtum, in reſpondendo hilarem ſeſe exhibuit, nihilque dignius odio duxit, quàm mores eorum, qui compellantibus ſe δυσπρόσιτοι difficiles præberent, & cum ſæpè ſint domi, eſſe tamen negarent. Nihil jucundius humanitate, nihil potentius lenitate, nihil validius firmiusve manſuetudine. Aberat ab ipſo omnis petulans in dicendo vox, geſtus, motúsve, jocis urbanis & feſtivis moderatè, inurbanis nunquàm eſt uſus. Imò *Rittershuſius* fuit humanæ vitæ, non ad intuendum modò, verùm etiam ad imitandum. Jure itaque deplorârunt obitum tanti viri omnes, quibus virtus ejus nota: inter quos non poſtremus Philologus *Janus Gebhardus*, à quo manes *Rittershuſiani* in lucem ire juſſi. Eſt in eum & *Caſparis Conradi, Medici D. & Phyſici Uratiſlavienſis* diſtichon ejusmodi:

Conradus Rittershuſius
ναλὰ ἀποφωνοῦσιν.

Juridici & Critici ſum florida fama Senatus,
Vitam aliis adfert ars mea, Muſa mihi.

* *Ex Melch. Adami vitis Germ. JCtorum.*

Cunra-

Conradus Ritterſhuſius Brunovicen. J.U.D.
per Anagr.
In re candidus uſu virtutis, cenſura ſobrius.
item:
Virtutis uſu in rebus cenſurâ oris candidus.

Obiit A.C. 1613.

MARCUS GERSTENBERGERUS PATER.

Juris Doctor Jenæ.

NAtus eſt *Budſtadii* in *Thuringiâ*, Dominicâ Lætare A.C. 1553. Patre *Jacobo*, Judice illius loci. *Jenæ* Doctor Juris creatus unà cum D. *Victorino Gruntero Jenenſi* 22. Nov. An. 1575. ætat. 22. Statim pòſt Cancellarius factus eſt Comit. ab *Hohenſtein*, in quo munere 12. annos exegit.

Cancellarius Com. ab Hohenſtein.

A. 1588. A Duce *Saxonico Friderico Wilhelmo Vinariam* vocatus, apud eum Cancellarii munus per aliquot annos geſſit. Indè *Altenburgum*, & tandem *Dresdam* accerſitus, per 4. annos Conſiliarius Electoris *Saxonici* fuit, ibidemque vivendi finem fecit 22. Aug. A.C. 1613. ætatis 60.

Cancellarius Vinarienſis. Conſiliarius Electoris Saxoniæ. Moritur.

Sepultus *Dresdæ* in Templo S. *Sophiæ*.

Dominus fuit in *Schwerſtätt*, *Drackendorf*, & *Leutenthal*. Admodùm fuiſſe liberalis prædicatur ergà Paſtores Eccleſiæ & ſtudioſos pauperes.

* *Ex Catalogo mille Virorum arte & Marte illuſtrium M. Wolfgangi Krügeri, Eccleſiæ Turnavienſis Paſtoris.*

Obiit A.C. 1613.

THOMAS OVERBURIUS.

Secretarius Anglicus.

VIr hic fuit amicus intimus *Roberti Car*, Comitis de *Somerſet*, ab eoque Secretarii loco habitus. Cum verò Comes hic amore flagrans, ergà mulierem quandam nobilem à Comite *Eſſexio* divortio ſeparatam, ab *Overburio* ſincerè admoneretur, ut à tali mulieris malæ famæ amore deſiſteret, extremum hic odium incurrit Comitis nihilominùs cum Amaſiâ ſuâ connubio junctum.

Eodem tempore cum Rex *Jacobus* Legatum in *Moſcoviam* mittere decreviſſet, Comes præ cæteris ad munus hoc obeundum *Overburium* Regi commendavit, qui Provinciam à Rege ſibi oblatam ſuſcepit, ſed brevi pòſt eodem Comite dolosè diſſuadente recuſavit, quâ de causâ Regis irati juſſu in Turrem *Londini* captivus eſt deductus 21. April. A. 1613.

Per dolum carceri incluſus.

Comes hâc ratione nactus occaſionem *Overburium* è medio tollendi, fraudem condolentiæ ſpecie diſſimulans famulum quendam ſuum, *Richardum Weſtonum* nomine, ad miniſtrandum ipſi in carcere adjunxit, qui ab hero ſuo pollicitationibus ſeductus, Arſenicum *Overburio* in juſculo comedendum obtulit: ſed hic venenum ſtatim vomitu rejecit.

Licèt verò multis præterea modis tum venenis in cibo oblatis, tum literis incluſis vitæ ipſius inſidiæ fuiſſent ſtructæ, omnes tamen DEO ſic volente, fuêre fruſtraneæ. Tandem cum ob vires corporis valdè proſtratas Medici cujusdam conſilio coactus eſſet uti, Comes cum uxore ſuâ Pharmacopœi Medicamenta præparantis ſervum, promiſsâ magnâ pecuniæ ſummâ, eò ſceleris adegerunt, ut Enema à Medico ordinatum veneno inquinârit, & *Overburio* in carcere applicuerit, quo facto 90. ſedibus ſanguineis cum ſummo dolore ſubſecutis ſequenti die mortuus eſt 15. Sept. A.C. 1613.

Per Enema venenatum interfectus.

* *Ex Heroologia Anglicâ.*

Obiit A.C. 1612.

JOHANNES WALRAFFUS ZUCKMANTELIUS à BRUMAT.

NAtus eſt in oppido *Alſatiæ Brocomago*, ſeu *Brumat*, à quo ipſi nomen gentilitium, Patre *Walraffo Zuckmantelio à Brumat*, Matre *Urſulâ à Colmar*, quam in primâ ſtatim infantiâ amiſit, nec multis annis pòſt etiam Patris carere conſilio & auxilio neceſſe habuit.

Ideò puer admodùm *Argentinam* venit, in eâque adolevit, educatus à Reverendo Viro Dn. *Thomâ Schallero*, ſummi Templi Paſtore, qui cum in eo præclaram indolem animadverteret, in Academiam eum deduxit, ut à Præceptoribus Claſſicis in pietate, linguarum, artiumque liberalium ſtudiis informaretur.

Argentoraṫi educatus.

Hoc facto, ne intra privatos duntaxat hæſiſſe parietes videretur, exteras quoque regiones adeundi, aliorumque populorum urbes & mores cognoſcendi deſiderio primùm in *Burgundiam Citeriorem*, ſeu liberum Comitatum, ut vocant, profectus, aliquandiu *Dolanâ* in Academiâ ſtudiorum curſum continuavit, pòſt etiam in *Gallias* iter ſuſcepit, tandem in *Angliam* transfretavit.

Dole in Burgundiâ ſtud.

Quâ ex peregrinatione cum in patriam reverſus eſſet, ad Conjugium animum adjecit, ductâ in Uxorem nobili Matronâ *Eliſabethâ Hüffeliâ*, feſtivitatibus nuptialibus celebratis 26. Oct. A. 1578.

Conjugem duxit.

Hanc poſt 34. annorum individuam vitæ ſocietatem ſub exitum A. 1612. in cœleſtem patriam non ſine mœroris ſenſu præmiſit, è vivis jam antè ſublatis liberis quatuor, ex eo conjugio ſuſceptis, duobus filiis egregiis, *Johanne Jacobo*, & *Johanne Walraffo*, glorioſâ morte in bello *Hungarico* contrà communem *Chriſtiani* nominis hoſtem peremtis, & filiabus totidem, *Urſulâ* in cunis demortuâ, & *Marthâ* A. 1611. poſtquàm parentes ſuos duabus neptibus ex marito nobili Dn. *Johanne Wilhelmo à Gemmingen* procreatis beâſſet, placidè defunctâ. Adeò, ut ex 6. liberis, duos tantùm poſt ſe in vivis reliquerit, filium ſcilicet unicum, nobilem Dom. *Johannem Philippum Zuckmantelium à Brumat*, à quo ipſi quoque & conjuge ejus *Felicitate à Sebach* jucundum avi nomen titulumque conſecutus eſt: nec non unicam filiam, *Mariam Eliſabetham*, uxorem nobiliſſimi & prudentiſſimi viri Dn. *Joachimi à Berſtet*, Reipublicæ *Argentoratenſis* Quindecimviri.

Etſi

Etſi vero Conjugii ſui majorem temporis partem in rure, nimirum arce & villâ *Eckendorf* tranſigeret, tamen cum in lege Domini omnis voluptas ejus eſſet, & filium *Johannem Philippum* in Academiâ *Argentoratenſi* aleret, placuit ei A. 1605. habitationem continuam in hâc Urbe collocare.

Senator Argentoratenſis. *Quindecimvir.* *Tredecimvir & Prætor.* Ubi cum ipſius induſtria ſeſe indies magis exſereret, non multò pòſt, Anno ſcilicet 1608. in ordinem Senatorium cooptatus, deindè ſub finem ejuſdem anni in Quindecimvirorum Collegium evectus, tum anno 1611. Tredecimvir ac Prætor creatus eſt: officiis etiam aliis & Præfecturis eidem demandatis: quibus ità præfuit, ut Reipublicæ incrementum, ſalutem Civium, & concordiam omnium Ordinum ipſi unicè curæ cordique fuiſſe pateret.

Moritur. Ex catarrho tandem ſuffocativo, ſine ullâ corporis commotione aut doloris ſenſu in Chriſto placidè obdormivit, cum vix diem unum & alterum decubuiſſet, 17. Oct. A. C. 1613.

* *Ex Programm. Funebri Tobiæ Specceri, Rectoris Argentoratenſis.*

PROSPER FARINACIUS.

Obiit A. C. 1613.

Natus eſt 30. Oct. A. 1544. *Romæ.*

Juriſperiti mali deſcriptio. Vir fuit peracris ingenii, ob faciem cicatricibus deformatam militem potiùs quàm Juriſperitum repræſentans: ſed ità propenſus ad fallendum, & Jus in quamcunque partem interpretandum, ut in ejus ore verum à falſo minimè diſcerneretur. Nam & reos defendere, & innoxios impetere, ac Judicum acies tùm palàm tùm Scriptis obtundere, pecuniæ corradendæ gratiâ, minimè dubitâſſe fertur.

Advocatus Fiſci Romæ. Fiſci partes in Urbe *Româ* probè ſuſtinuit, operamque ſuam Summis Pontificibus impertivit. Nimis ſeverus cum fuiſſet in puniendis delictis, nomen crudelis vulgò obtinuit.

Moritur. Tandem opibus relictis maximis, è vitâ exceſſit in perpetuo luxu tranſactâ *Romæ* An. C. 1613. ætat. 70. die, quâ natus erat, 30. Octob.

Opera ab eo edita *Voluminibus* 13. comprehenſa ſunt ſequentia:

Scripta.

Praxis & Theoria Criminalis.
Repertorium Judiciale.
De falſitate & ſimulatione Contractuum.
De Contractibus.
De Furtis.
De Teſtibus.
De Hæreſi.
De ultimis Voluntatibus.
De Immunitate Eccleſiarum.
Deciſiones ſelectæ, & Rotæ Romanæ.
Conſilia & Deciſiones variæ.
Fragmenta varia Criminalium.

* *Ex Elogiis Virorum Doctorum Jacobi Philippi Tomaſini, & ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

In Sepulchro ejus *Romæ* ad *S. Sylveſtrum* Patrum *Theatinorum* hæc Inſcriptio legitur:

Epitaphium.

OSSA
PROSPERI FARINACII
J. C. ROMANI
NAT. DIE XXX. OCTOB.
MDXLIIII.
OBIIT IPSO DIE ABEUNTIS
MDCXIII.

HERMANNUS LERSNERUS.

Obiit A. C. 1613.

Jura docuit. Docere cœpit anno 1564. 12. Aprilis, vir prorſus egregius omnique virtutis genere clariſſimus, in quo neſcias, utrum ingenii morumque ſuavitatem mirère magis, an faſtu remoto gravitatem.

Tertiâ vice Academiæ clavum tenuit. *Profeſſor proclamatur.* Tertiâ is vice Academiæ clavum tenuit, Procancellarii etiam anno 1579. ab obitu patrui *Jacobi Lersneri* dignitate auctus, & PP. juſſu menſe Martio à Proprincipe *Burchardo à Cram*, aſtante Profeſſorum cuneum coronâ proclamatur.

Rude donatus à Principe Mauritio. *Moritur Lengsfeldiæ.* Tandem ob longam annorum ſeriem impar ſuſtinendis ampliùs Academiæ oneribus rude ab *Heſſorum* Principe *Mauritio* anno 1595. ſtipendio relicto integro, donatus ad vitæ dies, naturæ concedit *Lengsfeldiæ*, & in parochiali Templo *Hersfeldenſi* ſepelitus 21. Novembris anno 1613. annum agens 79.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

Hermannus Lersnerus, J. U. D.
per Anagr.
Mens, verendis laurus.

POLIDORUS RIVA.

Obiit A. C. 1613.

Juris Profeſſor. *Senator Taurini.* Patriâ *Mediolanenſis*, Legum Civilium & Canonicarum Doctor eaſdem publicè *Ticini*, *Piſis*, & *Taurini* docuit, in quâ Urbe Senator quoque fuit. Tandem à magno Duce *Florentiæ* in Academiam *Piſanam* ad Juris publicam Profeſſionem accerſitus, ibidem vitæ curſum abſolvit 23. Decembr. A. C. 1613. *Moritur.*

Scripta. Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

De actis in mortis articulo.
Commentarii, quibus Canonicæ, Civiles, feudales, emphyteuticæ, criminales cæterarum Materiæ continentur.
De nocturno tempore.
Cato Taurinenſis.
Obſervationes ſingulares in foro reſponſæ.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

GALEOTTUS FERRUS.

Obiit A. C. 1614.

Patavii natus, Legalibus ſtudiis addictus in cauſis Forenſibus & conſultationibus excelluit.

Juris Profeſſor Salernit. & Meſſanenſis. An. 1592. Vocatus ad interpretandam Juris Civilis ſcientiam in Academiâ *Salernitanâ* loco principe, cum in eo munere præclarè ſeſe geſſiſſet, A. 1598. ad *Meſſanenſem* Univerſitatem accitus Collega extitit *Jacobi Galli*, *Neapolitani*, primam tunc Jurisprudentiæ Cathedram obtinentis: nec multò pòſt à *Meſſanenſibus* in Civium ſuorum numerum adſcriptus eſt.

Illu-

Invaleſcente verò ætate in Patriam rediit, ut ei labores ſuos reliquos devoveret. Itaque denuò vocatus à *Meſſanenſibus*, ut loco *Jacobi Galli* Lycæum illuſtraret, rejectis

Moritur Patavii. ſtipendiis patriâ pedem efferre noluit, in quâ lucubrationibus vacans vitam honeſto fine clauſit A. 1614.

* *Ex Elogiis virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Scripta. Scripſit *Volumen Conſiliorum*, quod lucem poſt obitum ejus hauſit.

In Lecturas matutinas, Prælectiones & Scholas.

Obiit A.C. 1614.

REINERUS BACHOVIUS.

Coloniæ Ubiorum natus eſt Aug. anno 1544. ex veteri & nobili familiâ *Bachoviorum ab Echt*, in quâ fratres *Arnoldus* & *Fridericus Bachovii* A. 1525. ab Imperatore *Carolo V.* propter operam ipſi & Præceſſoribus ejus fideliter præſtitam nobilitatis inſignibus ornati fuerunt.

Pater ei fuit *Henricus*, Civis *Colonienſis* primarius, qui fratres habuit *Johannem* & *Fridericum*, Doctores, alterum Medicinæ, Electoris *Trevirenſis* Archiatrum, alterum Juris, cujus opera Reſpublica *Colonienſis* in gravibus negotiis & Comitiis ſæpè uſa eſt.

Mercaturæ puer addictus. Adoleſcens mercaturam patris exemplo cœpit exercere, cujus gratiâ *Lipſiæ* domicilium fixit, & ibi An. 1570. uxorem duxit

Uxorem duxit. *Barbaram*, *Jacobi Gruben* à Malzdorff filiam, ex quâ 12. liberos ſuſcepit, de quibus 3. filios & 5. filias, reliquis defunctis, ſuperſtites reliquit, avus factus 26. nepotum.

Literarum & linguarum præcipuè amplectitur ſtudia. Præter mercaturam verò literarum ſtudia coluit, & linguas *Latinam*, *Græcam* & *Hebraicam* præter *Gallicam* ſibi vernaculam ferè ſine magiſtro didicit.

Initio quod ſuſpectus de *Calviniſmo* eſſet, ab honoribus Reipublicæ fuit excluſus, ſed

Senator & Scabinus Lipſienſis. poſteà temporibus extremis Electoris *Auguſti*, primùm Senator, poſt ſtatim A. 1585. ſub initiis *Chriſtiani I.* Scabinus *Lipſiæ* creatus eſt.

Conſul. An. 1588. Ad conſularem dignitatem evectus eſt, cujus reditus annui 1000. Joachimicis æſtimantur.

A. 1591. quo Elector *Chriſtianus I.* obiit, cum Religionis ſuæ profeſſionem deſerere nollet, ad defectionem variè ſollicitatus, & Conſulatu & Scabinatu ſe abdicare coactus eſt. Deindè monitus à *Nicolao Crellio*, Cancellario in carcerem conjecto, & aliis, ut ob idem periculum impediens ſibi fugâ conſuleret, fretus bonitate conſcientiæ, quod nihil in Sereniſſimum Electorem morte dignum commiſiſſet, nihil commotus eſt, & cum fama aliquando percrebuiſſet, adventare jam qui ipſum comprehenderent, nihil territus res ſuas compoſuit, & libros quosdam ſepoſuit, quorum lectione tædium carceris levaret.

A. 1593. Exorto tumultu funeſto *Lipſiâ* ejectus, lubens ceſſit plebis ſeditioſæ furori, & primò non ſineret familiaris & patrimonii jacturâ *Serveſtam* cum familiâ ſe contulit. *Serveſtam ſe contulit.*

A. 1594. In *Palatinatum* inf. *Haidelbergam* commigravit, ubi humaniter exceptus, cum per decennium Prætor fuiſſet, in Collegium eorum, qui rationibus præſunt, adoptatus eſt. A. 1605. Fiſci Electoralis cura eidem commiſſa eſt. *Prætor Heidelbergenſis.*

Jam viderat in publicis functionibus filios & generos conſtitutos, & in his filium *Reinerum* adhuc cœlibem à profeſſione Politices in Academiâ *Haidelbergenſi* ad Jus publicè docendum vocatum, & An. 1613. Rectorem renuntiatum, quo anno & uxorem amiſit, cum quâ jucundè 42. annos vixerat.

Senio tandem confectus obiit *Haidelbergæ* 27. Febr. A. 1614. ætatis 70. *Moritur.*

Sepultus ad D. *Petrum* in Choro juxtà Conjugem cum tali Epigraphe: *Epitaphium.*

CHRISTO SERVATORI
SACRUM ET MEMORIÆ PIORUM
CONJUGUM
REINERI BACHOVII AB ECHT
COLONIENSIS
ET
BARBARÆ GRUBEN IM MALTZDORF.
LIPSIENSIS:

HIC IN UXORIS PATRIA SUMMIS HONORIBUS ORTHODOXÆ RELIGIONIS ERGO SPONTE RESIGNATIS, IN PALATINATUM CONCESSIT A MORTE CHRISTIANI I. ELECTORIS SAXONIÆ: IBIDEMQUE PRIMUM PRÆTURA, DEINDE PRÆFECTURA ÆRARII, LAUDABILITER. OBIIT XXVII. FEBR. CIƆ IƆ CXIV. ÆTAT. LXIX. MENS. VI.

HÆC MARITI EXSILIUM LIBENS AMPLEXA, POSTQUAM ET DOMI INDUSTRIAM ET FORIS PIETATEM BENEFICENTIAMQUE PRÆCIPUE ERGA ÆGROS ET PAUPERES EXIMIE OMNIBUS APPROBASSET, OBIIT CIƆ IƆ CXIII. XXVII. FEBR. ANNO INTEGRO ANTE CONJUGEM: CUM QUO CONCORDISSIME VIXERAT ANN. XLII. MENSES VI. ÆTAT. SUÆ LXI. MENS. VI. VISIS E SE NATIS LIBERIS XII. NEPOTIBUS XXVI.

QUORUM SUPERSTITES SUPREMUM HOC PIETATIS OFFICIUM PARENTIBUS OPTIME MERITIS DESIDERATISS. CUM LACRYMIS POS.

Veni DoMIne ChrIſte VenI.

Edidit *Catecheſin Palatinatûs*, *teſtimoniis Sacræ Scripturæ ac ſententiis Patrum, qui primis 500. à Chriſto nato annis in Eccleſia clarueruut, exornatam, cum Epitome vitæ eorundem Patrum & Methodicâ narratione de Conſiliis, quorum Canones in illo libello Catechetico citantur.* Ex *Patribus* prætereà, quos frequenter & accuratè legit, *duo Volumina Locorum communium confecit*, quæ apud hæredes adſervantur. *Scripta.*

* *Ex Vitis Melchioris Adami JCtorum.*

Obiit A.C. 1614.

ACHATIUS HULSIUS.

ANnua fulgebat dum lux triceſima quarta
Poſt quingentenas milleque poſt ſegetes:
Martius auratis ingreſſus cornibus orbem
Bis denos cœpit cum numerare dies:
Natus Bambergæ. A.C. 1534.
Natus *Bambergæ* formoſus *Achatius* infans
Dirumpit matris viſcera chara ſuæ.
Ingrediturq; orbis vitales prætener auras,
Et Mundi querulâ voce ſalutat opus.
Vis genus? & clarus ſimul eſt & ſanguis honeſtus.
Undè ſuum traxit ſtemma aliud ne rogas?
Parentes ejus.
Ipſe *Jacobus* erat genitor digniſſimus urbis
Conſul, & officio commoda multa ſuo
Civibus exhibuit, quem dilexêre parentem
Ut proprium: recti nam ſtudioſus erat.
E *Zolneriadum* fuit orta propagine mater,
Kirchſchlettas inter nobilis *Anna* nurûs,
Poſtquàm ſuccrevit vernantibus auctior annis,
Et puero linguas diſcere cura fuit:
Maxima dilectos tangebat cura parentes
Informaretur quâ ratione tener.
Diſcipulus Culmbacenſis.
In *Culmbacenſem* primò miſêre *Palæſtram*,
Ut rectis ſtudiis invigilaret ibi.
Exiguum tempus cum contriviſſet ibidem,
Pronaque Muſæis ora rigâſſet aquis:
Miſſus Elyſtræum ſubit acri mente Lycéum,
Studioſus Lipſiæ.
Quà clara Aonias *Lipſia* fundit opes.
Cumque novem vixiſſet ibi benè ſedulus annos
Romani excellens cognitione ſoni:
Cum conjunxiſſet Latiali Pallada Grajam,
Et Logicas artes perdidiciſſet ibi:
Cum declamando diſſertandoque ſubindè
Ingenii exereret vimque aciemque ſui,
Seque exerceret privatim & publicè, & omni
Vellet præ multis ille placere modo,
Noη ſatis ingenio tanto fuit artibus eſſe
Excultum ingenuis, & benè poſſe loqui:
Sed cum Caſtalias hauſiſſet largiùs undas,
Atque foret linguâ promptus & ingenio:
Militiam amplectitur.
Martis amore calens & Enyus *Lipſica* liquit
Tella, jubens Phœbi ſuave valere nemus.
Tractandisque armis ſe fortiter aptat, & indè
Audet dulce ſibi conciliare decus.
Sic Artem Marti ſocians cumulavit utrinque
Facta, quibus poſſet nobilitare domum.
Votum ſuccedit, ſe mox occaſio belli
Offert, dat nomen militiæ ille ſuum.
Nam ſicut memorant Annales Scriptaque vatum
Quæ cupidâ faciunt mente relecta fidem,
Accenſus furiis *Albertus Marchio* diris
Brandenburgiacæ gloria prima domûs,
Vicinas urbes vaſtabat, & oppida ferro
Atque igne inſano depopulatus erat,
Dum celebres urbes flammis delere parabat,
Et gentes aliæ multa talenta dabant,
Ac alias inter captas dum fraudibus urbes
Curia mancipium ferriſoni hoſtis erat:
Decretum eſt armis hoſtem depellere juſtis,
Atque ejus vires frangere tempus erat.
Agmina ducebat generoſo pectore Martis
Miles ſub Pancratio Zölnero.
E Zöllnerino ſanguine Pancratius.
Sub ſigno illius pugnabat *Achatius*, inque
Excellens armis ordine primus erat.
Militis egregii cum pectore munus obiret
Intrepido, metuens hoſtica tela nihil:
Occidit adverſo *Zöllnerus* vulnere foſſus,
Et fuimmum vitæ clauſit in orbe diem.
Quod cum vidiſſet noſter bonus *Hülſius*, eheu
Exanimis magno frangitur ille metu.
Militiam deſerit.
Militiamque feram mox deſerit, atque caballo
Inſeſſo patriæ dulcia rura petit.
Marchio funeſtis tunc hanc obſederat armis,
Et multos ſævo ſtraverat enſe viros.
Pignoris & pariter prædæ vice (narro dolenda)
Cives à patriis duxerat iſte focis,
Inter quos etiam noſtri pater optimus *Hülſi*
Obſidis innocui triſte gerebat onus.
Juris Studioſus Tubingæ.
Tunc detrectato ſe contulit ære *Tubingam*,
Quæ magnis ſemper floruit Alma viris.
Poſtquàm Juris ibi ſinuoſa volumina ſacri
Volveret aſſiduâ nocte dieque manu.
Judicio Procerum *Tubii* conſtante *Lycei*
Provexit celebri nomina digna gradu.
Nec tamen ambitione levi, ſeductus avebat
Cingere Juridicâ Daphnide dulce caput.
Amicus Petri Pauli Vergerii.
Tempore *Paulus* ibi fuerat *Vergerius* illo,
Iſtria qui quondam ceu tibi numen erat:
Qui tum converſus magnos ſibi fecit Amicos,
Hülſius hic quorum pars benè ſancta fuit.
Spiræ Praxin Juris didicit.
Mox *Spiram Nemetum* præclaram cogitat urbem,
Ut praxin dubii diſceret ille fori.
Ejus id excoluit doctum *Spira* inclyta pectus,
Senſiſſetque magis nil ſupereſſe ſibi.
Necteret undè moram, plus & cognoſceret illic
Excuſſus quod nunc angulus omnis erat:
Mens exarſit ei peregrinas viſere terras,
Ingeniumque aliâ dote polire ſuum.
Quocirca *Italiam* viſit ſpumante caballo,
Quæque in eâ viſu ſunt benè digna notat.
Bononiæ Studioſus.
Palladis illa potens & priſca *Bononia* ſedes,
Quæ mater ſtudiis proditur alma bonis,
Mirè finxit ei quæque ad ſublimia mentem,
Reddidit & meliùs, quod fuit antè bonum.
Romam adit,
Diſcedens tandem *Romam* ſe contulit illinc,
Quæ vera & Latii gemma oculusq; ſoli.
& Neapolim.
Indè tuam ſubiit, præclara *Neapolis*, oram,
Suſpexitque tuas & celebravit opes.
Amicus Caracciolæ.
Magno illic *Caracciolâ* fuit uſus amico,
Qui gentis clarus Regulus ejus erat.
Nil tamen inter iter pietas veneranda pericli
Senſit: manſit adhuc intemerata fides.

Nam

Nam *Lobwaſſeri* verſûs cantare melódos
Imprimis ipſi maxima cura fuit.
Juris Doctor creatus cum Abrahamo Lobwaſſero Bononiæ.
Auſoniis Legum cum quo promotus in arvis
Ingenti rediit Doctor honore domum.
Urbibus *Italiæ* luſtratis, mœnia rurſus
Hülſius, & rurſus tecta paterna petit:
Nec mora, diſcretam cum vidit Cypria mentem
Ad reliquas infert taliter ore Deas:
Conſulite in medium, Divæ, mecumque ſorores
Proſpicite, huic quænam ſit ſocianda viro?
Nobiliter natâ, ſpecioſâ, divite, caſtâ
Hülſius hic noſter conjuge dignus erit.
Uxorem ducit.
Scilicet *Höltzlini* viduam ſociabimus ipſi,
Qui *Cameræ Imperii* nobile lumen erat.
Fœdera firmantur: mox feſta marita parantur,
Alter & alterius intus amore calet.
Tempore, quo Princeps *Bambergæ* ſceptra tenebat,
Cui *Viti* nomen ſacra lavacra dabant.
Cum jam notitiâ rerum clareſcere multâ
Cœpiſſet, variis quæ ſibi lecta locis:
Judex Bambergenſis.
Judicis officium, cui tota Provincia paret,
Ingenii ſcapulis ſuſtinet ille ſui:
Quod ſimul ad plebis votum laudemque ſuperbam,
Aulâ contemtâ Principis, expedit.
Cui cum conjugio peperiſſet multa feraci
Gaudia, divinæ dulcia dona manûs
Uxor, & exhilarans jucundo germine ſæpè
More ſalutâſſet geſticulante patrem:
Occidit amorum matrona vigore ſub ipſo
Nobilis, & luctum liquit adempta gravem.
Cum fuit indultum lacrumis & fletibus, uxor
Altera jam domui conſtituenda fuit.
Alteram ducit uxorem.
Audit, & approperat placidâ cum virgine *Cypris*
E Zewetzladum ſanguine progenitâ.
Cujus erat genitor *Romani* Cæſaris aulâ
Conſul, & in *Franco* mellea Suada foro.
Vir certè tantus quanto *Bamberga* ſuperbit
Haud minùs ut Craſſo *Roma* vetuſta ſuo.
Ipſa Libellorum quem Principis Aula Magiſtrum
Neſtora ceu quendam deveneratæ fuit.
Carolus at *Quintus* quondam fortiſſimus Heros,
Cui par nullus erat Cæſar in Imperio,
Ingenii tanto perſpectis munere donis
Sollicitâ patriæ pro pietate ſuæ,
Splendentem gemmis decoravit purpurâ & auro
Torquatique Equitis nomen habere dedit:
Comes Palatinus.
Atque *Palatini Comitatûs* Ordine dignum
Cenſuit, adjunxit *Conſiliisque* ſuis.
Conſiliarius Cæſareus Caroli V.
Omnibus Imperii Conventibus adfuit, actum
Nil quoque, de quo non conſuleretur, erat.

Tempore, quo contrà miſcebat prœlia Turcas
Cæſar, Bregellis dum ſua caſtra locat:
Hülſius hâc Doctor Legatus mittitur in re,
Cæſaris ac noſtri caſtra ſequenda monet.
Multa *Rudolphus* ei quoque privilegia Divus
Contulit, & *Pragæ* pluribus antetulit.
Legatus Cæſ. Rudolphi II.
Quando legebatur conflata pecunia contra
Turcarum hoſtiles ſanguineasque manus:
Nunc hûc Legatus nunc illûc miſſus ad urbes
Et Regni Proceres, nempè Tributa ſua
Penderet ut quivis, fandi virtute favorem
Attraxit, quidvis obtinuitque petens.
Undè probarentur, fuit ipſi cura monetæ,
Quæ damno aut poſſet forſitan eſſe lucro.
Undè *Rudolphus* cum meritò dilexit, & aucto
Magnificis titulis ſplendida dona dedit.
Ejus adhuc multis Heroum gloria floret
Aulis & votis poſcitur ipſe piis.
Næ *Bambergenſis*, næ *Saxo-Coburgicus Heros*,
Neſtoris hunc inſtar qui coluere ſui,
Sæpè recenſebant ſtudiumque operamque fidelem,
Exoptante pares Principe utroque ſibi.
Præſulibus ſtudium *ſeptenis* ordine dextrum,
Conſiliar. 7 Epiſcopor. Bamberg.
Quà *Bamberga* ſuas inclyta fundit opes,
Sæpiùs oſtendit voto felicius ipſo,
Re nunquàm rediens deteriore domum.
Nusquàm *Auguſtanâ* de Religione recedens
Servavit puram purus ubique fidem.
Jamque Senex vitæ multos cum triverat annos,
Et blandæ cupidus fortè quietis erat:
Altera dulcis ei fatis extinguitur uxor,
Et ſolus viduum noctacubile ſubit.
Magna viri quoque luxit in hoc patientia caſu,
Uni credentis ſeque ſuosque *DEO*.
Cœtera quod præter curas ſtudia attinet Aulæ
Non hîc propoſiti eſt dicere multa mei.
Hoc unum tangam, quod Biblia vertere Græca
Biblia Græca reddidit Latina.
Sit ſolitus, Latio reddideritque ſono.
Quantum hoc eſt autem Legum in Doctore ſacrarum?
Rara avis eſt iſtis lingua Pelasga viris.
Adde characteres, quod belles pinxerit ipſâ
Ætatis brumâ, jamque tremente manu.
Aſſiduè volvens veneranda volumina Patrum
Excerpſit quicquid profuit inſtar apis.
Æs dare pauperibus ſi quenquam juvit honeſtis
Beneficus.
Hülſius urgentes æs dedit antè preces.
Haud indonatus quisquam diſceſſit ab ipſo,
Quodq; dedit, lætâ non niſi fronte dedit.
Cum tandem ſciret haud ſe poſſe reſiſtere letho
Se pius ad cœli dulce paravit iter.
Et circumſtantes monuit *Pater* ordine *Gnatos*
Optimus, ut laudis par ſequerentur iter.

Ut cœli clavem pietatem in pectore ſancto
Servarent, irent juſtitiæque viam.
Moritur. Cum poſt millenum bis ter centeſimus annum
Et decimus quartus curreret: ecce dies
Abſtulit heu nobis illum vigeſima Marti,
Qui menſis multis exitio eſſe ſolet:
Poſt mediam noctem cum venerat hora ſecunda,
Et Phœbo dederat Luna fugata locum:
Conceſſi clauſit metam *Pater Hülſius* ævi,
Extremumque ſuis dixit in orbe vale.
Vixit annos 80. Bis quadragenos vitæ compleverat annos,
Nulli aſper, ſatagens omnibus eſſe bonus.
Quattuor hæredes *Gnatos* à morte reliquit,
Quos Patriæ ſervent Numina ſancta diu!
Vivit & eximiæ pietatis *Gnata* ſuperſtes,
Heberi magni fidâ marita *Viri*,
Legum Doctoris ſacri *Comitisque Palati*
Norica quem valdè *Curia* ſancta colit.
Eubulum quem jam ſibi *tertius Induperator*
Adſcivit: tantâ dexteritate vir eſt.

* *Ex* Βιβλιογραφία *D. Acaci Hülſi deſcriptâ Poëmatum Parte I Matthæi Zuberi Palatini.*

MATTHIAS HUBNERUS.

Obiit A.C. 1614.

SUb finem Concionis funebris, quam ipſi M. *Georgius Vitus*, Eccleſiaſtes ad S. *Petrum*, *Francofurti ad Mœnum*, habuit, hoc vitæ Curriculum legitur:

CHRISTO SACRUM.

MATTHIAS HUBNERUS, J.C. ANGLAMO NOBILI POMERANIÆ OCCIDUÆ CIS PANUM FLUMEN OPP. ORIUNDUS, HONESTO LOCO, PATRE SUPERINTENDENTE, NATUS, CUM IN ACAD. ALTORPHINA LEGES DECENNIO CUM AUDITORUM UTILITATE ET SUI LAUDE EXIMIA PROFESSUS ESSET, A SENATU AMPLISS. REIP. NORIMB. OB SINGULAREIS ANIMI DOTEIS IN NUMERUM CONSILIARIORUM RECEPTUS EST: QUI CUM FIDEM, DEXTERITATEM, ATQUE DOCTRINAM MULTIS IN REBUS OSTENDISSET PER OCTENNIUM, AB EODEM ORDINE STUDIO QUIETIS PUBLICÆ MOTO FRANCOFURTUM AD SOPIENDAS EXITIABILEIS LITEIS MISSUS; QUIBUS PRO SUA VIRILI COMPONENDIS DUM DESUDAT SEDULO SERIOQUE, EN PRÆTER EXSPECTATIONEM ARDENTI CORRIPITUR FEBRI; ET FLORENTE ÆVO, ANNUM ÆTATIS AGENS XLII. MEDIAS INTER TURBAS SAT TURBIDAS (SECUTA ENIM SUNT PLEBE SOLLEMNIA INSANIENTE GRAVIORA) ANIMO PACATISSIMO SPIRITUM REDEMPTORI, CONJUGE LECTISSIMA MATRONA MARIA TRAINERIA OCULOS MARITO CLAUDENTE, REDDIDIT: CUI ET PROLIBUS IV. ANIMI MOERORREM, AMICIS VERO DESIDERIUM SUI RELIQUIT MAXUMUM PERPETUUMQUE. Ɵ PRID. SANCT. PASCHAT. QUÆ INCIDERAT IN DIEM GEORGIO MARTYRI SACRAM, ANNO GRATIÆ CIↃ IↃCXIIII. IN ÆDE PETRINA FRANCOFORT. CONDITUS. CONJUX ET LIBERI POSUERE MARITO ET PATRI BENE MERITISSIMO.

Juris Profeſſor Altorfii. *Conſiliarius Reipublicæ Norimbergenſis.* *Legatus Francofurtenſis.*

O. Remus, Collega faciebat mœſtiſſ.

MARQUARDUS FREHERUS.

Obiit A.C. 1614.

NAtus eſt *Auguſtæ Vindelicorum*, 26. Julii A. 1565. ex Familiâ *Auguſtanâ* vetuſtiſſimâ & Patritiâ, Matre *Felicitate*, *Antonii Menhardi*, Patritii *Auguſtani* filiâ: Patre *Marqvardo*, J.D. & Advocato primùm Cameræ *Spirenſis*, Aſſeſſore dein Judicii illius Imperialis, Conſiliario pòſt Principis *Onoldini*, & Advocato *Noriberg.* ut & Conſiliario, *Johannis* inſuper *Caſimiri* Principis *Palatini*, ejusdemque Cancellar. *Novofori.* *Freherorum Familia Patritia.*

Avus ipſi fuit *Hieronymus Fröer*, ex numero Senatorum in Republicâ *Auguſtanâ* ab Imperatore *Carolo V.* qui veteres removerat, conſtitutorum. Proavus *Marqvardus*, ex oppido *Dünckelſpiel* ortus. A. 1490. *Peruſiæ* in *Italiâ* Doctor Medicinæ renunciatus in Diplomate Epiſcopi Nobiliſſimus *Marqvardus Fröer* ſalutatus, & *Auguſtæ* vulgò der Doctor Marquard vocatus eſt.

Abavus *Marqvardus*, Doctor item Medicinæ, Anno 1473. *Dünckelſpüle* mortuus, conſiliis, (quæ in *Freherorum* adhuc ſunt manibus) Medicis ſic nomen ſubſcripſit: Marquard Fröer / Meiſter der ſieben freyen Künſte / und Lehrer der * Erzney. ** Arzney.*

Cum *Altorfii* priùs An. 1581. 13. Sept. publicè diſputâſſet de Transactionibus, opponentem habens *Huldaricum Edonem*, Theologum, Academiæ tunc Rectorem, in *Galliam* à patre miſſus in *Biturigibus* Licentiatus Juris renuntiatus eſt à *Jacobo Cujacio* anno ætatis 18. Menſ. Majo A.C. 1585. *Licentiatus Juris.*

Cum verò ſingulari ingenii felicitate animum variarum linguarum, ſolidæ eruditionis, veræque Jurisprudentiæ cognitione protuliſſet, A. ætatis 23. inter Conſiliarios ſub *Johanne Caſimiro* Duce *Palatino* cooptatus eſt, & in ſuaviſſimo contubernio tum vixit cum *Joh. Leonclavio*, *Frid. Sylburgio*, *Hieron. Commelino*, *Abrah. Colbingero*, *Joh. Poſthio*, *Joh. Opſopœo*, *Paulo Meliſſo*, *Jano Grutero*, *Scipione Gentili*, & *Jano Douſâ*. *Conſiliarius Palatinus.*

An. 14. Pòſt Profeſſor Codicis in Academiâ *Heidelbergenſi* deſignatus eſt in locum *Julii Pacii* A.C. 1596. *Profeſſor Codicis.*

Reſignatâ deindè iſtâ functione A. 1598. gravioribus negotiis ab Electore *Friderico IV.* adhibitus, tandemque Vicarius Præſidis Curiæ creatus eſt. *Vicarius Præſidis Curiæ.*

Varias autem obivit Electoris nomine Legationes ad Regem *Poloniæ*, ubi ſingularem magnus eſt famam dexteritatis & fidei, ad *Moguntinum* item, *Colonienſem*, *Spirenſem*, *Wormatienſem* Epiſcopos. *Legationes obit.*

Inter hæc negotia nunquàm inſtitutum ſtudiorum curſum intermiſit in conſcribendâ, juſſu Principis ſui, Hiſtoriâ *Palatinâ*, contexen-

texendâ Hiſtoricâ nov-antiquâ præcipuè Germanicâ, multisque libris edendis, qui non niſi ab homine otioſo ſuique Juris proficiſci viderentur.

Moritur. Expiravit tandem *Heidelbergæ* in *Plintano* ſuo 13. Maji A. 1614. ætatis 49. Sepultus ad D. *Petri*, & concione funebri honoratus à *Joh. Philippo Myleo.*

Defunctum *Janus Gruterus* ſequentibus proſecutus eſt verſiculis: undè ſatis viri hujus dignitas eluceſcit:

Mercuri cum uxore ſuadâ, cumq; amore
Lucifer,
Tuq; Pallas cum Juventa, tuq; cum joco Venus,
Tuq; Come cum Lyæo, tuque cum Choro
Lepos,
Vosq; Muſæ cum Monetâ, cumque Matre
Gratiâ,
Nunc profectò omnes periſtis funditus; nunc
è polo
Lucido vobis migrandum eſt ad profunda
Tartari,
Ad fluenta muta Lethes: vel ſuperba ſi in
Deos,
In Deos, mors omne quod vult non poteſt,
tunc luctibus
Planctibusq; ſempiternis deſtinamini malè.
Nam Freherus ille noſter, ille Sol Germaniæ
Univerſæ & ſingularis totius mundi Pharus,
Ille flos merus Themiſtis, ille adamas mentis
bonæ,
Corculum illud comitatis, Muſicæ ille Rex
rei,
Veſter, inquit ille alumnus, veſter ille ama-
ſius,
Veſter ille pullus, ille lilium veſtrum ac roſa:
Veſter ille bonos amorq; delicatus haud dein
Se dabit vobis vivendum, corde, voce, car-
mine,
Dexterâ, oſculóve; inurnam conditus bi-
congiam.
O amara fata nobis! queis perit carbunculus,
Margaritaq; atque elenchus: ſed tamen no-
bis magis,
Queis erat ſuperſtes unus unico mage unicus:
Ergò lugeamus, ergò veſte nigra ſordidi,
In tenebris absq; luce deſidentes, ſepiùs
Deſiderio hunc inani flagitemus undique,
Ceu ſuum Memphis requirit ſacra Oſirim:
namq; erat
Invidentia fatente ſponte, Sol Germaniæ
Univerſæ, & ſingularis totius mundi Pharus:
Flos erat merus Themiſtis atque Adamas
mentis bonæ
Corculumque comitatis, Muſicæq; Rex rei,
Eloquentiæque. Certè nec Dei id negabitis
Queis erat potens alumnus ac potens amaſius,
Nemini certè ſecundus, corde, voce, car-
mine,
Dexterâ, oculoq; alumnus ac potens amaſius.

An. 1593. Nov. 25. Nuptias celebravit primas cum *Catharinâ, Johannis Weyeri*, Medici *Trevirenſis* & *Juliaci* filiâ, quæ ex febre ardente obiit A. C. 1598.

Secundas celebravit A. 1599. cum *Margarethâ*, filiâ Nobiliſs. *Johannis Book à Gutmansdorff*, Mareſchalli *Johann. Caſimiri*, & Adminiſtratoris *Friderici IV.* Electoris. Filios reliquit *Fridericum* & *Mauritium*, optimæ ſpei adoleſcentes demortuos: Filiam verò unicam *Loyſam Chriſtinam*, quæ *Noribergæ* maritum nacta eſt *Juſtinum Herdeſianum*, J.C. & Conſiliarium *Noricum* celeberrimum.

Verè fuit *Marquardus* hic *Freherus* Vir doctus, prudens, ingenio & judicio ſubtili, idque in corpore obeſiore exemplo rariori, Antiquitatis ab adoleſcentiâ ità ſtudioſus, ut gemmas, numiſmata, ſtatuas, effigies & ſimilia curioſè indagârit, & ſumptuoſè comparata adſervârit, ad quod ſtudium multum ei profuit inſignis artis pictoriæ peritia. Cum ob humilitatem nemini ſe præferret; alicubi ità de ſe ſcribit: *Elogium Freheri.*

Sum memor ipſe mei, atque ſatis mea ſtrobo-
la novi.

Principibus inſuper viris gratum Feudo *Fridericus IV.* Elector in pago Luſt-Stadt, quem *Terpſipolin* ſuam appellare ſolitus eſt, ab equeſtri familiâ de Zeiſcken extinctâ recepto munificè donavit cum filiis ipſius.

Caſpar Cunradus in Millen. 2. hoc eum honorat diſticho:

Quis ſim, pernorunt Academica pulpita
Nicri,
Quid dederim, dicent quæ vigilata mihi.

Elucubrata ab ipſo in poſteritatis uſum ſunt hæc: *Scripta.*

De famâ publicâ tractatus.

De exiſtimatione acquirendâ, conſervandâ & amittendâ tractatus, ſub quo de gloriâ & infamiâ in 8vo.

Originum Palatinorum pars I. & II. in fol.

Res geſtæ Friderici I. Elect. Palat. per *Joh. Trithem. cum notis; accedit Petri Antonii Finarienſis liber de dignitate Principum.*

Adſertio propriæ gubernationis Friderici IV.

Sigismundi Imperat. bulla.

De legitimâ tutelâ curâque Electorali ex integro ad auream bullam Caroli IV. commentario, editio ſecunda.

De teſtamentariâ tutelâ, curâque Electorali liberâ & integrâ, in 4to.

Epiſtola Reſponſoria ad Chriſtoph. Gewoldum, J.C. & Conſil. Bav.

De ſuſcepta ſive recepiſſe.

Parergon lib. II.

Formulæ fæderis Ludovici Germaniæ & Caroli Galliæ Regum.

Verſio vetuſtiſſima Alemannica Orationis & Symboli Apoſtolorum cum notis.

Verſio Saxonica vetuſtiſſima Decalogi, Orationis Dominicæ, Symboli Apoſtolici cum notis.

Conſtitutio Adolphi, Rom. Regis, Comitis Naſſovii, Norimberg. A. 1293.

De ſtatura Caroli Magni in 4to.

De ſecretis Judiciis olim in Weſtphalia uſitatis.

Rerum Boëmicarum antiqui aliquot Scriptores.

Corpus hiſtoriæ Francicæ.

Germanicarum rerum Scriptores à Carolo M. ad Fridericum III. Imperatorem.

Andreæ Presbyteri Chronicon de Ducibus Bavariæ.

Item Andreæ ejusdem hiſtor. fundationum nonnullorum monaſteriorum per partes Bavariæ.

Petri de Andlo tract. de Imperio Romano cum notis, item Lupold de Bebenburg de Juribus Regni & Imperii Romani.

Hieron. Balbi liber de coronatione.

Oratio de Conſtitutionum Imperialium excellentiâ.

Deciſionum Areopagiticarum ſylvula.

De numiſmate censûs à Phariſæis in quæſtionem vocato diſſertatio in 4to.

De re monetariâ veterum Romanorum & hodierni apud Germanos Imperii: item Nicolai Oreſmi lib. de monetis & Gabriel Biel tract. de iisdem cum notis in 4to.

*Conſtantiotheca ſive * Sapphiri Conſtantii Imperatoris expoſitio.*

* De hoc ſapphiro celeberr. vide Joachimi de Sandrart Teutſche Academiam.

Cenopiſtromachia, ſive antiquæ duelli gladiatorii ſcripturæ in Sardonyche expoſitio.

Conſtantini Imperatoris Byzantini numiſmatis argentei expoſitio cum Joſephi Scaligeri notis.

De verbis Domini: date Cæſari! ſermo votivus.

De luctu minuendo Epiſtola ad Johann. de Münſter.

Aurea Bulla Caroli IV.

Conſtantini donatio: item Ottonis III. donatio cum notis.

Gregorii de Heimburg ſcripta contrà Pii II. excommunicationem pro Sigismundo Archid. Auſtr.

Sulpitius, ſive de æquitate commentariolus in l. 8. C. de judiciis.

Imperatoris Ludovici IV. ſententia ſeparationis inter Margaritam Duc. Carinth. & Johannis Regis Bohem. filii, Ejuſdem diſpenſatio inter eandem Margaritam & Ludovicum March. Brandeb. cum conſultationibus Marſilii de Paduâ, & Guilielmi Occami.

Beſchreibung der Wetterauiſchen Länder/ *ſub nomine alieno.*

Johannis Trithemii opera hiſtorica.

Poëmata diverſa inter delitias Poëtarum Germanorum, plura tamen ad ſe ſcripta poſſidet Janus Gruterus.

Poſthuma ſunt hæc:

De Succeſſione Principum in primogenitis, commentariolus ad cap. 7. aureæ bullæ Carolinæ: cui acceſſit locus ejuſdem bullæ de Principum juniorum Inſtitutione in Latinâ linguâ.

De Lupoduno, antiquiſſimo Alemanniæ oppido.

In Auſonii Moſellam commentariolus.

Nondum edita:

Leges Curiatæ, h. e. pragmaticæ ſanctiones in Comitiis ſub Cæſarum nomine promulgatæ.

Pomponius, ſive de numiſmatis veteribus.

Lexicon, ſive Ethymologicum Alemannicum ſæpiſſimè ab eo promiſſum.

Habuit & alia affecta, ſicut ipſe vocat, egregia, ut:

Commentarios de Imperio Romano.

Juris Græco-Romani corpus.

Veteres populorum Teutonicorum leges.

In Jus feudale Saxonicum annotationes.

Elogia Palatinorum Principum.

De nominibus propriis Aleman. Opera Huttəni congeſta cum præfatione. Juris Canonici Hiſtoriam.

* *Ex Manuſcriptis Genealog. Freherianam concernentibus, & Melch. Adami vitis JCtorum.*

MARCUS VELSERUS.

Obiit A.C. 1614.

VElſerorum familia in verè *Auguſtâ* urbe *Auguſtanâ*, jam non ab uno ſeculo celebris eſt una de primariis, opibus juxtà & virtutum doctrinæque eruditione decoribus præſtans. A rei nummariæ nervis apprimè inſtructam vel hoc docet, quod cum *Carolus V.* pace cum *Gallo* facta transegiſſet; ut duodecim auri tonnas Rex Imperatori dependeret, *Fuggari* ac *Velſeri* tantam pecuniæ vim bipartitò ſe repræſentaturos promiſerunt.

Familia Velſerorum celeberrima.

Virtutes autem & doctrinæ minimè proletariæ documenta, tùm in aliis, tùm in hoc *Marco Velſero* ad omnem memoriam habemus illuſtriſſima.

Bono publico natus eſt anno Chr. 1558. die 20. Junii. A teneris artium ac virtutis ſtudiis excoctus, maturitatem ingenii, judicii & doctrinæ feliciter eſt conſecutus, nec imitatus eos, qui ſibi nati ac ſuis Camœnis inglorio in otio conſeneſcunt, omnemque ſcientiam vitâ umbraticâ finiunt, aut bracteatis næniis metiuntur. Vivido hic virtutis ardore ſtatim ſe in lucem protulit, patriæque Reipublicæ ac literariæ totum impendit.

Itaque ut mens generoſa cœlo affinis motu gaudet: ità & ipſe in *Italiam* progreſſus, edidit *Antiquitates Auguſtanas*, felix famæ ſurgentis auſpicium & pium. Exindè aliis atq; aliis ad unguem factis monumentis obligavit ſibi rem literariam. *Annales Boicos* ſcripſit *libris quinque* tantâ perſpicuitate, tantâ fide, tantâ prudentâi, tanto nitore, ut meditanti videantur adſtitiſſe hinc Muſæ & Gratiæ: hinc, *Conſus, Apollo, Suada, Venus.*

In Italiam proficiſcitur. Ejus Scripta.

Poſteà & patriæ, quæ maximam ſibi ortûs Noſtri partem vendicat, operam impendit præclariſſimam, dum conſulatum geſſit, dum Septemvir, tandemque Duumvir factus, abſolutiſſimum boni Magiſtratus exemplar præbuit, omnibus amabilis, omnibus utilis, nulli gravis.

Conſul Auguſtanus. Septemvir. Duumvir.

Inprimis autem ità promtus fuit ad viros doctos probosque complectendos ac provehendos, nulla ut fere hora præterierit, quâ non vel ab aliis ipſe fuerit compellatus, vel amicos *Gallos, Italos, Hiſpanos, Belgas* per epiſtolas ſalutârit.

Literatorum Patronus.

In *Germaniâ* equidem nemo fuit, cui ſaltem Muſarum Charitumque nomen auditum, qui *Velſerum* ſibi diligendum obſervandumque non ſumſerit, veluti unicum ſeculi ſui Phœnicem.



MARCUS VELSERUS.
Conſil. Cæſ. & Duumvir August.



ARNOLD. de REYGER
Conſil. Brandenburg.



NICOLA. de PASSERIN.
Iuriſconſultus Patavinus.



SCIPIO GENTILIS
Iuriſconſ. et Prof. Altorffinus.



BERNHARD. PRÆTORI.
Syndicus et Bibliothec. Norib.



MARC. ANTO. PEREGRIN.
Conſiliarius Venetus.



REGNERUS SIXTINUS
Conſil. Haſſo-Caſſellanus.



IACO. AUGUST. THUANUS
Præſes Parlamenti Regis Paris.



IACOBUS GALLUS
Iur. Prof. Patavinus.



ANTON. HEISTERMAN.
Iur. Prof. Marpurgens.



ALOYSIUS CORRADIN.
Iur. Prof. Patav.



IOH. ab OLDENBARNEVELD
Advocatus Holland.




PETRUS GUDELINUS
Iur. Prof. Lovanienſis.



IACOBUS THYSIUS.
Legum Licent. & Prof. Marp.



PETRUS MATTHÆ.
Iuris Conſ. & Conſili. Gall.



PAULUS GUALDUS
Iur. & Theol. D. Patav.

Argumento ſunt tot librorum inſcriptiones nomini ipſius dicatæ, & patrocinii ejus auſpicio in lucem edita ſcripta. Teſtatur id vel unicus *Janus Gruterus*, qui penes ſe ultrà trecentas aſſervat epiſtolas, quibus *Velſerus* eum fermè hebdomadatim ſuaviter compellare ſolitus.

Jani Gruteri amicus.

Exſtatque elogium hujusmodi comitatis in præfatione immenſi operis, quo *inſcriptiones Romanas* toto paſſim orbe exſtantes complexus eſt *Gruterus*.

Moritur.

Exemptus autem eſt rebus humanis *Velſerus* cum jacturâ rei literariæ ſempiternâ, anno Chriſti 1614. die 13. Junii, cum vixiſſet annos 56. memoriâ nominis ſui relictâ immortali, perturbatis nonnihil ſuis facultatibus. Defleverunt viri incomparabilis obitum, quotquot doctrina uspiam celebres, & collegit carmina exequialia *Georgius Remus*, U.J.C. *Norinbergæ* typis excuſa.

Addidit epigramma *Janus Gruterus*, amicus ejus unicus, quo conjunctim obitum *Velſeri* & *Freberi* lamentatur:

Epigramma.

Sicut habent oculos geminos præclara virorum
Corpora, & absque illis omnia membra jacent:
Omnia membra jacent, alium nec munus obire
Ritè queunt; ſed orbæ ſunt ſibi, ſuntque ſuis:
Sic tibi ſic duplex fuerat Germania lumen,
Velſeri atque Freberi hiſtoriale caput.
Illud utrumque nigro ſed mors damnavit ut Orco,
Quid facies gemino lumine capta? rues.

Libri ab eo ſcripti.

Librorum, quos vel ipſe edidit, vel edendos curavit, elenchus hic:

Commentarii rerum Auguſtanarum.

Annales Bojorum.

Opus inſcriptionum vetuſtarum à Jano Grutero collectum.

Annæ Comnenæ hiſtoria Græca & Hieroglyphica Horapollinis, operâ Höſchelii.

Demoſthenis & Ariſtotelis paralleli.

Tabula itineraria antiqua, ex bibliothecâ *Peutingerianâ*.

P. Optaniani Porphyrii panegyricus Conſtantino Magno dictus.

Rabani Mauri opus ſingulare.

Hiſtoria Apollonii Tyrii.

Hiſtoria Eugippii de S. Severino, Noricorum Apoſtolo.

Vita D. Ulrici.

Converſio & paſſio S. Martyrum Afræ, Hilariæ, Dignæ, Eunomiæ, Entropiæ cum commentario M. Velſeri.

Photius Græcè & Latinè operâ Höſchelii & Andreæ Schotti.

Synopſis conciliorum ſeptem Oecumenicorum è bibliotheca Auguſtanâ Græcè.

Gennadius Scholaris, Patriarcha Conſtantinop. de prædeſtinatione Græcè.

Vita Antonii Eremitæ à D. Athanaſio ſcripta Græcè Latinèque.

Adriani ſynagoge S. literarum Græcè.

Phrynich. epitome dictionum Atticarum cum notis.

Philonis opuſcula, priùs ἀνέκδοτα è bibliothecâ Auguſtanâ & Andreæ Schotti.

Siracides è M.S. codice Auguſtano.

Jambi Nazianzeni ὅροι παχυμερεῖς, *& alia ejus poëmatica.*

Geographica opuſcula Marciani Heracleotæ.

Scylacis Cariandenſis, Dicæarchi Meſſenii, Iſidori Characeni Græcè.

Appiani Illyrica e cod. Auguſt. Græcè, quorum antea non niſi extabat fragmentum.

Eclogæ legationum Dexippi, Eunapii, Petri Patricii, Pruci Sophiſtæ, Malchi Philadelphienſis Menandri Protectoris Græcè.

Alia plura Græcorum Patrum: inprimis *Gr. Nazianzeni, Niſſeni, Baſilii Magni, Johannis Chryſoſtomi, & aliorum homiliæ non paucæ.*

Laurentii Pignorii de ſervis.

* *Ex Melch. Adami vitis Germ. JCtorum.*

CHILIANUS BRASTBERGERUS.

Obiit A.C. 1614.

A parentibus præclaris procreatus lucem primùm aſpexit 15. Sept. An. C. 1569. Patre Dom. *Johanne Braſtbergero*, Cancellario quondam *Würtenbergico*, Matre *Mariâ*, Dom. *Chiliani Vogleri*, Conſiliarii *Würtenbergici*, & Anteceſſoris olim in Academiâ *Tubingenſi* per plurimos annos Gnatâ.

Filius Cancellarii.

Ab his Parentibus ut ad laudem inſtitutus, ita ad omnes Virtutes, quibus is, qui aliquando in hominum luce eſt victurus, indigere putatur, natus atque aptus inventus fuit.

Juris ſtudioſus Tubingæ.

Haud verò Artium ingenuarum, & Jurisprudentiæ fundamenta *Tubingæ* poſuiſſe ipſe ſatis habebat: ſed uberioris animi cultûs capiendi causâ in celeberrimis quibusque *Italiæ* & *Galliæ* Academiis aliquandiu verſatus, *Hiſpaniam* inſuper, *Germaniam, Belgium, Angliam, Scotiam, Bohemiam, Daniamq́;* longè lateque peragravit: in *Siciliam* quoque & *Melitam*, Orbis Chriſtiani propugnaculum, excurrit. Quin ut rem pariter addiſceret militarem, ſtipendia etiam ad *Caniſiam* à *Turcâ* antè occupatam, in Nobilium meruit cohorte.

Europam peragravit.

Militem egit ad Caniſiam.

In Patriam redux, 6. linguar. præter patriam cognitione eximiisque aliis ornamentis dotatus, Magnatum mox gratiam omniumque bonorum favorem facilè ſibi conciliavit, adeò, ut Sereniſſimus Dux *Würtenbergicus* Conſiliarium ſibi aulicum illum deſignârit.

7. Linguarum peritus.

Conſiliarius aulicus Würtenbergicus.

Sed cum jam ampliſſimos dignitatis gradus aſcendere, ad faſtigiumque votorum mox perventurus videretur, Remoram objecit Providentia Divina, manumque objecit, imò manui ipſius dextræ tumorem levi occaſione immiſit: qui ab initio incurioſius habitus, in monſtroſam paulatim magnitudinem, & malitiam gangrænoſam, malignis undique humoribus accelerantibus ſuccrevit: ita ut, dexterrimorum Medicorum artem exſuperante malo, communi omnium Peritiorum judicio, ne pars ſincerior

Ex tumore manûs gangrænâ correptus.

cerior traheretur, anceps & crudele ſectionis, uſtionisq; remedium, præhabito eventûs dubii præſagio, tentandum videretur. Quod ille mirandâ animi firmitate pertulit, & nullo ferè indicio acerbioris corporis ſenſûs, manum cum parte non exiguâ brachii abſcindi, truncumque candente ferro uſtulari ſenſit.

At ingens vis diutini morbi, qui animum nunquàm fregit, corporis tandem proſtravit vires, doloris acerbitate maloque materiæ medicæ uſu exſuccatus: atque id à corporis incendio excitatis æſtibus ſuccumbere, animamque ad Deum ardentibus ſuſpiriis properantem inter pias aſtantium preces, tranquillo prorſus diſceſſu reddere coëget, *Tubingæ* die 7. Julii A.C. 1614. æt. 45.

Poſt manum amputatam obiit.

* *Ex Programmate funebri Rectoris Tubingenſis D. Chriſtophori Beſoldi.*

ARNOLDUS DE REYGER.

Clar. A.C. 1615.

NObilis *Belgarum Tubantus* hæreditarius in *Glabeck*, natus 17. Jan. An. C. 1559. promotus U.J.D. in *Salana* An. 1593. eandem ſpartam eodem tempore & loco acceptam cum D. *Leopoldo Hackelmanno* nactus eſt & ornavit ad An. C. 1596. quo *Jenâ Halam Sax.* profectus, Conſiliariis in Aulâ Archiepiſcopali aſſcriptus intimis ex hâc *Berolinum* abiit, & in aulâ D. *Johannis Sigismundi*, Electoris *Brandenburgenſis* Conſiliarius & Vicecancellarius, nec non in inferiori *Luſatiâ* ac veteri *Marchiâ* Aſſeſſor Regius conſenuit.

Juris Profeſſor Jenæ.

Vicecancellarius Brandenburgicus.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc *Epigramma* appoſuit:

Epigramma.

Nobilis Arnoldus de Reyger ſanguinis ortu:
Nobilior ſummo Jure in utroque gradu.
Fit Doctor Jenæ ſimul & Profeſſor: & Halæ,
Berlini tandem Conſiliator ovat.

Edidit:

Scripta.

Mynſingeri Commentarium in Inſtitutiones Juſtiniani Imperatoris.
Diatribarum lib. IV.
Obſervationum centurias.
Diſputationes de proceſſu judiciorum.
Theſaurum Juris.
Conſuetudines Feudales.

GEORGIUS SCHÖNFELD, Junior.

Clar. A.C. 1615.

WItteberg*æ*, patre *Gregorio*, Theologo natus, *Caſſellis* tyrocinii poſuit rudimenta partim ſub privatis Præceptoribus, partim etiam in Scholâ aulicâ *Caſſellanâ*, & ab his puerilis doctrinæ incunabulis ad legum, morum, Jurisque ſcientiam in *Marpurgenſi* Academiâ defluxit, quam deinceps in *Galliæ* & *Italiæ* Academiis limavit, omnino politius & perluſtratâ etiam *Africæ* inſulâ *Malthâ*, quæ hodiè Chriſtiani orbis velut propugnaculum quoddam eſt, rerum ipſarum uſu, quem è longinquis adeò collegit peregrinationibus, confirmavit porrò.

Caſſellis tyrocinii poſuit rudimenta.

In Academiam Marpurgenſem venit.

Galliæ & Italiæ Academias & Africæ Inſulam Maltham perluſtravit.

Cœteròquin ex hisce itineribus redux cum anno 1615. Martii 29. Oratione lugubri habitâ promptam & pacatam in perorando operam oſtendiſſet, 21. Maji in Profeſſorum aſcriptus numerum, Oratoris ſimul ac Syndici munus curare juſſus eſt.

Profeſſoris Oratoriæ ac Syndici munus curavit.

Ideòq; 14. Junii oratione de more lectionem auſpicatus, 20. menſis ejusdem à *Gœddæo*, J.U. Doctoris honoribus ornatus eſt, & ſimul cum *Matthæi Weſenbecii* nepte nuptias celebravit.

A Gœddæo J.U.D. ornatus eſt.

Nuptias celebravit cum Weſenbecii nepte.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

ANDREAS SCHONÆUS.

Obiit A.C. 1615.

CUm à Magno illo *Socolovio* eruditus ac penè enutritus Baccalaureatûs Gradum Anno 1584. ſub Decano *Martino Slachcniski*, & biennio pòſt Magiſterii dignitatem in Academiâ *Cracovienſi* obtinuiſſet, in *Italiam*, ut Medicæ rei operam daret, cum aliis condiſcipulis ſuis ablegatus fuerat.

Philoſophiæ Magiſter.

Medicinæ ſtudioſus.

Sed ut ars Medica corporibus medetur, ſic animis Theologia, cujus miniſtræ ſunt artes univerſæ: ita & ille quoque exactis *Patavii* eo in ſtudio annis duobus ærea cum aureis permutavit, & ab illis caſtris ad Theologorum caſtra Phyſicus haud contemnendus jam tranſiit.

Ad ſtudium Theologicum tranſiit.

Doctor deindè Juris *Romæ* renuntiatus, brevi pòſt *Cracoviam* reverſus, Profeſſoris munus ſuſtinuit, & tandem ſucceſſivè ob ſummam doctrinam, & parem doctrinæ pietatem communibus omnium ſuffragiis unà cum *Baſilio Golinio* in Æde S. Trinitatis pallium Profeſſoris & mitram Theologi meritò accepit, quam & geſſit ita decenter, ut non domi tantùm doctrinæ gloriâ Procancellariique honore conſpicuus eſſet, ſed etiam foris innoteſceret magnis & eruditis viris, ac in his *Juſto Lipſio* gravi ingeniorum æſtimatori.

Doctor Juris.

Theologiæ Doctor & Profeſſor.

Procancellarius Cracovienſis.

Claruit & Græci ſermonis peritiâ, cujus ſtudio tantoperè in ſenectute oblectabatur, ut etiam ad incitandum alios fundaverit de demeſſo ſuo perpetuum in Academiâ Græcar. literarum Profeſſorem.

Profeſſorem Linguæ Græcæ inſtituit.

Ex ejus diſciplinâ prodiit *Simon Halicius*, primus *Tylicianæ* fundationis Orator, & S. Theologiæ Profeſſor.

Cœterùm quia citiùs quàm oportuit, conditionis humanæ neceſſitas ſuos conatûs præpediit, ideò præclara multa, quæ ſcripſit inchoata tantùm reliquit, uti eſt & liber ille, cui titulus: *Nihil & Omnia*.

Defuncto Poëtæ certatim omnes parentârunt, inter quos & *Laurentius Smieſcovicius* publicus tum Orator. Vixit annos LXIII. conditusque in Æde D. *Floriani Clepardiæ*, ubi inter Canonicos Cuſtodis titulum geſſerat, à quibus tali Elogio eſt ornatus:

Epitaphium.

DEO MAX. IMMORTALIQ.
NOMINE MAGNO.
M. ANDREÆ SCHONÆI GLOGOVIEN.
S. TH.

S. Th. Prof. J. U. D. Procancellario
Universitatis atque hujus Eccleſiæ
Decano, duraturoque
Dum stabit incerta Academia,
Ejus tum dicendi tum ſcribendi laude
illustrata ejus copiolis, qua in
Profess. Græcæ linguæ, qua in
Alumnos studioſos collatis,
Aucta et adjuta,
DEUS opt. beneficentissimusque,
Quem Vir innocens caste sancteq;
coluit, jubens esse beatum.
MDCXV. XVIII. Maji.

Scripta. Edidit:

Orationes, in Victoriam & Obitum poſteà Magni Zamoſcii.

In Ingreſſum in Urbem Georgii Radivili, Bernardi Macieiovii, Petri Tylicii, Epiſcoporum Crac.

Panegyrin Carolo Auſtrio, & Dietrichſtenio Epiſcopo Olmuc. ſcriptam.

Octonarios in obitum Socolovii Præceptoris ſui.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

JOHANNES CRUSIUS.

Obiit A.C. 1615.

W*Ittenbergæ* natus eſt A.C. 1549. Patre *Martino Cruſio*, Cive & proximi transAlbini pagi *Bratæ* Judice: Matre *Urſulâ Braunîâ*.

Adoleſcens ad Jurisprudentiæ cognitionem propenſus unà cum Philoſophiæ cognitione illius ſtudium maturè conjunxit, & in Philoſophicis quidem eos fecit progreſſus, ut dignus fuerit habitus, cui 5. Mart. A. 1573. Magiſtri Philoſophiæ inſignia conferrentur. *Magiſter Philoſophiæ Wittebergæ.*

In Jurisprudentiâ verò quo majore cum fructu verſaretur, eâ quæ publicè à celeberrimis Doctoribus didicerat, privatim docendo tirones augere & confirmare ſtuduit. *In Jure Collegia privata habet.*

A. 1575. Matrimonio ſibi junxit *Margaretam*, ex pervetuſtâ familiâ *Matthæorum* natam M. *Pauli Eberi*, Scholæ Senatoriæ *Witt.* Rectoris, & *Pauli Eberi*, Theologi olim eximii filii viduam, cujus frater M. *Burcardus Matthæus* poſt alios honores in patriâ geſtos Cancellarius fuit *Lignicenſis*. Ex eâ unicam ſuſepit filiam *Eliſabetham*, quam An. 1596. elocavit *Michaëli Hornio*, Senatori & Mercatori primario. *Conjugium iniit.*

An. 1577. In Senatum oppidanum cooptatus, deindè A. 1581. ærario præfectus Eccleſiaſtico muneri illi per quadriennium cum laude præfuit. Tum enim iis adjunctus fuit, qui ab Electore *Saxoniæ* colligendis in diœceſi *Wittenbergenſi* tributorum Electoralium penſionibus ſunt præpoſiti. *Senator Wittenbergenſis. Præfectus ærarii Eccleſiaſtici.*

Ad quod onus A. 1586. Syndici Senatorii, & Anno ſequenti Prætoris oppidani munus acceſſit, qui honor gradus illi proximus ad Conſulatum fuit, quem An. 1592. ſuſceptum laudabiliter adminiſtravit, & in conventibus provincialibus Senatûs nomine adeundis operam ſuam nunquàm deſiderari paſſus eſt. *Syndicus. Prætor. Conſul.*

Tandem febris ardens ipſum invaſit, quâ vires anteà languidæ mox ita fuêre proſtratæ, ut tertiò pòſt die accedentibus paroxyſmis vitam in terris ſuam finierit 15. Aug. A. C. 1615. ætatis 66. *Moritur.*

* *Ex Programmatibus fun. Auguſti Buchneri.*

NICOLAUS DE PASSERIBUS A GENUA.

Obiit A.C. 1615.

P*Atavinus*, illegitimis natalibus ortus tantum ingenio & doctrinæ ſuæ præſtantiâ profecit, ut alios paraſangis innumeris ſuperavit.

Is 6. Kal. April. A. C. 1585. ex Patre *Bartholomæo*, Equite, qui genus referebat ſuum ad *Marcum Antonium Genuam*, Philoſophum eximium, vitalem hanc lucem hauſit, ſortitus fratrem *Marcum Antonium*, Philoſophum *Patavii* celebrem.

In primâ ſui juventâ magnâ ſciendi cupiditate flagrans Philoſophiæ primùm, mox Cæſareo & Pontificio Juri operam dedit: cumque plurimùm in iis ſtudiis profeciſſet, eorundem difficiliora Theoremata publicè propoſita triduo in æde Divi *Antonii* defendit, liberâ unicuique argumentandi facultate conceſſâ. *In Jure triduò diſputavit.*

Laureâ poſtmodùm inſignitus Conſultationibus & cauſis Forenſibus operam navare cœpit, & contendente indies cum ingenio memoriâ fœcundâ cauſarum actores reliquos anteibat. *Juris Doctor, & Advocatus Patav.*

Proceræ & præpinguis ſtaturæ vir, facie pallidâ, ore libero, lætus & affabilis, ab illecebris non penitùs abhorrens, amicorum conſuetudine mirificè capiebatur, quorum *Genium* ſale & facetiis plurimùm oblectabat.

In aliorum Juribus tuendis aſſiduus ita reis aderat, nihil ut ſibi, quod vel ad magni ingenii experimentum, vel ad laudem & nominis celebritatem attineret, parvi pendendum eſſe duceret, moleſtiis & laboribus omnibus exantlatis.

Ætatis anno 30. Civilibus Patriæ Comitiis habilis effectus eſt, ob merita, quod illi natales anteà denegârant, publicisque tum primùm muniis præfectus eſt.

Peramplam Bibliothecam ære multò confecit, quam non ſecùs ac domum ipſam amicis & ſtudioſis omnibus aperuit.

Immaturo tandem occaſu extinctus vivere deſiit 3. Non. Octob. A. C. 1615. æt. 31. *Juvenis obiit.*

Scriptioni deditus *Commentarios in Inſtitutionum libros* elucubravit, qui apud *Jacobum Philippum Tomaſinum* exarati extant. *Scripta.*

Tractatûs duos de Scripturâ privatâ, & de Verbis enuntiativis, qui tribus ordine ſequentibus annis tribus diverſis in locis excuſi ſunt.

Tract. de Teſtamentorum Cedulâ.

Volumen, inſcriptum Conciliatio Legum,

quod loco Leges varias ſibi invicem adverſantes conciliârat.

Varia moriens amicis ex teſtamento legavit, & in his *Paulo Tomaſino*, J.C. cubiculi ſupellectilem, & aureatum fulcrum, amoris & benevolentiæ mutuæ monumentum.

Bibliothecam ne veniret fruſtrà fidei commiſſum fecit: quæſito quippè prætextu diſſolvendi æris alieni ſub haſtâ venditam hæres ejus abſumpſit, collachrymantibus *Nicolai* amicis, qui tanti theſauri jacturam ægrè perferebant.

* *Ex Elogiis Illuſtrium Virorum Jacobi Philippi Tomaſini*, qui Eulogium hoc ei ſcripſit:

Elogium.

NICOLAO PASSERÆ DE JANUA,
JURISCONSULTO CELEBERRIMO,
INGENIO SUPRA NATURAM EXCELLENTI,
CALAMO LEGES CONCILIANTI,
VOCE REOS MIRIFICE DEFENDENTI,
HOCCE GRATI ANIMI
MONUMENTUM POSTERIS
JAC. PHIL. TOM. MOERENS P.

Tetraſtichon *Jo. Baptiſtæ Paſſeræ Genuæ Patavini* in laudem ejuſdem:

Invida Parca mihi vincenti munus acerbum.
Non jaceo: doceo: ſcripta per ora volant.
Arte, labore nothum mutavit Gloria Juris.
En Nicolaus Paſſer *notus ubiq; viget.*

JACOBUS BORDINGUS.

Obiit A.C. 1616.

Hamburgæ natus eſt A. 1547. Patre cognomine Medico celeberrimo, Matre *Franciſcâ, Thermi Nicronii*, Patricii *Genuenſis filiâ*. An. 1560. quo patrem amiſit, *Roſtochium* cum matre venit.

Filius Medici.

Biennio pòſt *Antverpiam* miſſus ad ſalutandos agnatos de eorum conſilio mox *Lutetiam* ſe contulit, ibique ad Jurisprudentiam animum adjecit, cum fratres videret artis Medicæ ſtudio teneri.

Juris ſtudioſus.

A. 1567. Exorto bello cum de *Lutetiâ* obſidendâ metus eſſet, in *Belgium* conceſſit, & *Lovanii* aliquantiſper commoratus eſt.

Mox ad ſuos reverſus, à *Johanne Borcholto* Juris Licentiatus creatus eſt *Roſtochii*.

Juris Licentiatus.

Paulò pòſt *Ulricus* Dux *Megapolitanus* ipſi Profeſſionem Juris feudalis demandavit, & in Conſiliariorum numerum adlegit Anno 1574.

Profeſſor Juris Feudalis & Conſiliarius Megapol.

Deindè Doctor Juris creatus eſt *Ulrico* Principe præſente, qui aureo ipſum torque donandum curavit inſpectantibus cunctis in inauguratione publicâ per *Martinum Bolfraſium*, Conſiliarium.

Juris Doctor.

Ex eo tempore ſæpiùs in aulam accerſitus, rariùs quidem è cathedrâ docuit, ſed tamen Academiæ rationem ſemper habuit.

Poſteà Principem *Ulricum* in *Daniam* comitatus, ibi *Fridericus II.* Rex, *Ulrici* gener, *Bordingo* Conſiliario uſus eſt in arduis negotiis, quod & Rex *Chriſtianus IV.* fecit.

A. 1586. Cancellarii dignitate à Principe ſuo honoratus eſt. Et cum *Rudolphus* Cæſar in Comitiis *Auguſtanis* dignitatem Comitis Palatini ipſi obtuliſſet, ſubmiſsè, ut Decanus Collegii J.Ctorum *Roſtochii* eâ ornaretur, non ipſe impetravit, cui Jus eſſet & poteſtas creandorum Notariorum, faciendique alia, quæ ſummi Principes Comitibus Palatii concedunt.

Ætate autem ad ſenium vergente, poſtquàm à Principe ſuo miſſionem impetrâſſet, & nihilominùs Conſiliarii dignitatem retinuiſſet, *Lubecam* ſedem transtulit, ubi ſtatim ac venit, Senatus eum coëgit, ut Legati munere, ſi ita res ferret, fungeretur. Poſteà mortuis uno menſe duobus Conſulibus *Theodorico Bremſio & Hermanno Warnebuchio*, præter opinionem ſuam à Senatu Conſul declaratus eſt.

Eo in officio ſpiritum DEO reddidit An. 1616. ætatis 69.

Moritur.

In Conjugio vixit gemino, primùm cum filiâ *Arnoldi Burenii*, qui Academiæ *Roſtochianæ* tabulas quaſi ex naufragio collegit, cum quâ annos 19. pacatè vixit.

Amiſsâ eâ matrimonium iniit cum *Anna Horſtmannâ Lubecæ*, *Henrici Wedembovii*, Senatoris viduâ.

Fuit vir hic Politicus quidem excellens, ſed Religionis tamen ſtudio nemini ſecundus. Etenim ita ſacrarum literarum ſcientia pectus ſuum compleverat, ut pleraque omnia Religionis capita rectè intelligeret, & ſcripturæ teſtimonia, quibus verior ſententia probatur, non aliter in numerato haberet, ac ſi totum vitæ tempus eâ in doctrinâ conſumſiſſet: In reliquo officio juſtitiam coluit, donorum ſumus extitit oſor, ut qui ſtatuit *nihil* eſſe *injuſtius, quàm juſtitiæ præmium quærere, & qui mercede bonus ſit, eundem quoque mercede fieri poſſe malum.* Juſtitiæ autem ſeveritatem ſingulari condivit humanitate, calumnias & adverſitates, modò famam non attingerent, patienter tulit, carmen illud ſemper in ore habens:

Virtutes Bordingi.

Nobile vincendi genus eſt patientia: Vincit
Qui patitur. Si vis vincere, diſce pati.

* *Ex Melch. Adami Vitis JCtorum.*

MARTINUS AICHMANNUS.

Obiit A.C. 1616.

Ortu *Würtenbergicus*, A. C. 1550. die 13. Sept. vitam auſpicatus, cum primam ætatem in ſcholis diverſis, *Schorndorfii*, *Eslingæ*, *Stutgardiæ*, & *Ulmæ* exegiſſet, An. ætatis 16. Academiam *Tubingenſem* adivit, ibique per quadriennium ſtudiis Philoſophicis & Juridicis operam dedit.

Deindè *Wittenbergam* diſcedens per biennium D. *Matthæum Weſenbecium*, & *Joachimum Beuſtium* publicè docentes audivit.

A. 1577. *Tubingam* regreſſus, in Doctorem Juris ſolenniter promotus eſt.

Doctor Juris Tubingæ.

Anno 1579. *Georgius Fridericus* Marchio *Brandenburgicus Onolsbacum* vocatum, inter Conſiliarios adſcivit, & variis Legationibus adhibuit.

Conſiliarius Brandeb. Onolsbaci.

A. 1582. A *Ludovico* Duce *Würtenbergico Stutgardiam* accerſitus, Conſiliarius primùm, deindè Vice-Cancellarius, & A. 1591. Cancellarius Principis ſui conſtitutus eſt.

A. 1593.

Cancellarius Würtenbergicus. An. 1593. Idem Dux paulò ante obitum ſuum, *Aichmannum* hunc cum aliis tribus Regiminis *Würtenbergici* Conſiliarium denominavit. Id quod Succeſſorem Ducem *Fridericum* commovit, ut virum hunc quoque Cancellarium ſibi deſtinârit. A. 1601. Dux *Fridericus Wilhelmus*, *Saxoniæ* Adminiſtrator, ad ſe vocatum Conſiliarium ſecretum declaravit. *Conſiliarius intimus Saxonicus.*

Conjugium ejus. A. 1575. Nuptias *Tubingæ* celebravit cum virgine *Felicitate*, D. *Nicolai Varenbüleri* filiâ, cum quâ 42. annos in conjugio fœlici vixit, ex eâque liberos aliquot & nepotes vidit.

Moritur. Apoplexiâ tandem correptus, in lecto mortuus fuit repertus 16. Januarii, An. C. 1616. æt. 66. 25. Jan. ſeq. *Dresdæ* in Templo S. *Sophiæ* ſepultus.

* *Ex Concione funebri D. Matthiæ Hoë, Concionatoris aul. Sax.*

Obiit A.C. 1616.

CHRISTIANUS FRISIUS.

DE *Borreby* cognomen gerens, natus eſt in ſede patriâ *Orland*, 25. Decemb. A.C. 1556. Patre nobili *Henrico Friſio*, Dom. *de Orland*, Matre Dom. *Margareta Bild di Raunbolt*.

Diſcipulus in Scholâ Ræſchildenſi. Hi parentes filio à teneris fundamenta ſinceræ Religionis inſtillari curârunt, cumque accreſcente ætate tum privatæ Magiſtrorum curæ, tum in Scholâ *Ræſchildenſi* inſtitutioni liberaliori commiſerunt. An. ætatis 10. addito ſibi Præceptore *Perotto* Juris Licentiato *Roſtochium* miſſus eſt, ubi D. *Lucæ Bacmeiſteri* domeſticus quinquennium ſic in literis & moribus progreſſus eſt, ut jam tum ex eo puero, qui poſteà vir futurus eſſet, facilè homines conjectârent. *& Roſtochienſi.*

Johannes Friſii ex fratre nepos fuit. A. 1671. Ob exequias Patris (cujus frater *Johannes Friſius*, trium ordine Regum Cancellarius ſub finem A. 1670. rebus humanis exemtus erat) in patriam reverſus, re compoſitâ, de voluntate amicorum denuò in *Germaniam* contendit: in quo itinere, dum ſtudiorum gratiâ, *Lipſiæ* inprimis, *Jenæ*, *Tubingæ* & *Baſileæ*, usque ad annum 1576. commorabatur, laudabiliter profecit cùm in linguâ Latinâ, tùm in Religione ſincerâ, ductore potiſſimùm M. *Jacobo Godefrido*, D. *Heerbrando*, & aliis. *Studioſus Lipſiæ, Jenæ, Tubingæ, & Baſileæ.*

Galliam perluſtravit, A. 1577. per *Lauſannam*, *Genevam*, *Veſontium*, *Dolam*, in *Gallias* penetravit, ubi biennium deinceps agens *Pariſiis*, *Aureliæ*, & *Rochellæ* linguam populi iſtius, adjunctis exercitiis equeſtribus, bellè addidicit.

Hinc, facto excurſu interim in *Angliam*, per *Genuam* in *Italiam* conſcendit, linguamque ſimiliter A. 1579. inter graviora, poſtmodùm excoluit *Patavii*, *Bononiæ*, & *Senis*. *Romæ* item & *Neapoli* aliquantiſper commoratus, *Venetiis* rediit in *Germaniam*, veniens *Coloniam Agrippinam* An. 1580. tam egregiâ doctrinæ & experientiæ ſupellectile cumulatus patriam repetiit, ut ſtatim à Rege *Friderico II.* primò ad curam ærarii, mox in Cancellariam, ut vocant, adſcitus fuerit: à quo tempore ſuæ Regiæ Majeſtati in gravioribus indies Regni negotiis variisque Legationibus ſingulari cum induſtriâ inſerviit. *& Italiam.* *Cancellarius Regis Daniæ.*

Conjugium ejus. A. 1583. Jure matrimonii copulatus matronæ nobili Dom. *Mette Hardenbergicæ*, cum quâ vitam degit verè conjugalem, territorii *Nidroſienſis* Præſes conſtituitur. An. 1588. Præſes factus eſt *Anderſcovienſis*. Utroque Præſidio fideliter defunctus, anno 1596. Cancellarius magnus magno Optimatum totiusque Ordinis literarii applauſu deſignatur: in quo munere non minùs arduo quàm ſplendido quantùm prudentiâ & vigilantiâ Regnis hisce Borealibus præfuerit, gratâ mente agnoſcendum eſt. *Præſes Nidroſienſis & Anderſcov.* *Cancellarius magnus Daniæ.*

Legatus Regis Daniæ. Nec minore fidelitate quàm induſtriâ Legationibus plurimis pro Rege Regnique incolumitate eſt functus. Adhæc anno 1610. homagio, quod Sereniſſimo Principi electo Dom. *Chriſtiano I.* in *Daniâ*, hinc *Asloiæ* in *Norvegiâ* ſolenniter delatum ac datum eſt, magnificè præfuit.

Anno 1611. & ſequentibus, dum Rex in bello contrà *Suecos* agebat Herculeos labores exantlavit, plurima ipſum regni medullam concernentia ſapienter moderando.

A. 1612. In confinibus ad *Knerod* inſigne prudentiæ ſpecimen dedit, ubi cum aliis Regni Senatoribus ſic direxit omnia, ut Reipublicæ patriæ cum pace flos ſuus conſtaret.

Præſes in Comitiis Norveg. A. 1613. In Urbe *Norvegiæ Skeen* Comitiis habitis auctoritate Regiâ indutus præſedit.

A. 1616. Duo in *Norvegiam* unà cum Regiâ Majeſtate fecit itinera: prius M. *Januario Babuſium*, undè incolumis rediit; poſterius Menſ. *Julio* ad Comitia publica *Asloiæ* habita.

Moritur. Huc autem poſtquàm ſolito infirmior appuliſſet, diebus non ita multis exactis in navem, quæ Fides dicta eſt, ſpe patriam repetendi rediit. Sed morbus ſic invaluit, ut morte appropinquante animam beatam Deo conditori reddiderit 29 Julii A.C. 1617. poſtquàm Rex, remotis arbitris cum eo contuliſſet, ac deinceps Regni Senatores cum eo egiſſent.

Liberalitas ejus. Magna fuit hujus viri in tenuioris fortunæ homines liberalitas. Singulis ſeptimanis in eos 30. marcas in pecuniâ numeratâ ad ſedem hæreditariam *Borreby* erogavit. Singulis menſibus complurium Annorum *Hafniæ* in egenos 30. thaleros diſtribuit. Ut in juventute Academicâ excitaret diſcendi alacritatem, non paucos bonæ ſpei juvenes in Academiis *Germaniæ*, *Galliæ*, *Italiæ* munificè aluit.

Mortuo *Hafniam* delato exſequiæ factæ ſunt 19. Aug. funusque Civibus Academicis programmate publico indictum à M. *Chriſtiano Longomontano*, Rectore Academiæ, cujus Mecænas & Conſervator annos 20. fuerat: ſed & Oratione Latinâ in Auditorio Academico d. 20. Aug. ei à D. *Conrado Aslaco*, Theol. Prof. parentatum eſt. Sepultus eſt in ſummo Choro Templi D. Virginis,

nis, ubi Monumentum erectum eſt cum hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

C. F.

DEO TRINO ET UNI GLORIA.

MEMORIÆ ILLUSTRIS ET GENEROSI VIRI CHRISTIANI FRIS DE BORREBY, CUJUS INNATA VIRTUS, LITERIS ET USU, DOMI FORISQUE SEDULO EXCULTA, IN AULA ET ARCHIVO SERENISSIMI REGIS FRIDERICI II. PROBATA ET APPROBATA, REGIMINE VARIARUM PRÆFECTURARUM GNAVITER EXERCITATA, IPSUM TANDEM AD SUMMAM ARCHIVI SERENISSIMI REGIS CHRISTIANI IV. GUBERNATIONEM, ET SEDEM SENATORIAM REGNI EVEXIT: UBI FIDELITER ATQUE PRUDENTER ANNIS XX. EXANTLATIS, INSIGNI REGIS FAVORE, MAGNO REIP. FRUCTU ET APPLAUSU, DEMUM IN COMITIIS NORVEGICIS, IN NAVI REGIA PIE OBIIT XXIX. JULII, ANNO CHRISTI MDCXVI. ÆTATIS LIX. NEC NON GENEROSÆ IPSIUS CONJUGIS METTÆ HARDENBERG DE SKIOLDEMOSE, QUÆ CUM IPSO FIDO SOCIA VIVIT PIE ET CASTE ANNOS XXXI. DIES QUI SUPERERANT PAUCI, VIDUITATIS INTEGRITATE VITÆ AC REDEMTIONIS SPE REFOCILLANS, ANIMAM DEO REDDIDIT XV. JUNII ANNO CHRISTI MDCXVII. ÆTATIS LIV. HONORIS ET GRATITUDINIS ERGO HOC SCRIPSIT AC PONI CURAVIT PALLAS ROSENKRANTZ DE KRENKERUP.

Facies Monumenti extra chorum ſpectans hæc exhibet:

Chriſtian Frys til Borreby Königl. Maj. Canceller a Dannemarkis Rigis Raad.

Fru Mette Harderberg til Skioldemoſe.

Illorum recubant hic uno membra cubili,
Exſpectant faciem Chriſte videre tuam.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentata ab Eraſmo Pauli J. Vindingio.*

SCIPIO GENTILIS.

Obiit A.C. 1616.

NAtus eſt in *Marcâ Anconitanâ*, Caſtello *San Geneſo*, non procul ab Urbe *Maceratâ* negotiatione celebri ex nobili & perantiquâ *Gentilium Ruſſorum* familiâ A.C. 1563.

Filius Medicinæ Doctoris.

Patrem habuit *Matthæum Gentilem*, Medicinæ Doctorem, qui ex lectione diligenti S. Scripturæ Pontificiorum abuſus, & Evangelii veritatem agnovit, & eam ob cauſam aliò migrare decrevit, idque uxori aperuit, cui quidem id minimè diſplicuit, ſed ut ſeſe cum liberis parvis in patriâ permanere concedat rogavit.

Diſceſſit itaque valedictis omnibus, & aſſumto ſecum comite filio natu maximo *Alberico*, qui jam *Aſculi* Prætor erat, in Urbem *Kraen* feliciter pervenit, ubi à Magiſtratu mox Archiater conſtitutus eſt.

Cum verò amicis in *Italiâ* relictis notum fuiſſet illius filium quoque *Scipionem* apud ſe videndi deſiderium, hunc brevi pòſt, Matre licèt ægrè ferente, ad Patrem ablegârunt.

Tubingam mittitur. Wittenbergam, Lugdunum Batavorum. Doctor Juris creatur Baſileæ.

Hoc facto *Albericum* in *Angliam*, & *Scipionem* in *Germaniam Tubingam* amandavit, ubi cum Poëſi imprimis deditus in humanioribus ſatis profeciſſet, *Wittenbergam* conceſſit, deindè *Lugdunum Batavorum*, ibique Præceptorem fidelem nactus *Hugonem Donellum*, in Jurisprudentiæ ſtudiis eò progreſſus eſt, ut brevi pòſt *Baſileæ* à D. *Samuele Grynæo* Jurium Doctor cum laude creatus fuerit A. 1589.

Heidelbergæ Profeſſor Juris.

Non multò pòſt *Heidelbergam* ſe conferens, in numerum ibi Profeſſorum ad Jus docendum cooptatus.

Profeſſor Juris Altdorfii.

Sed cum aërem ejus loci ægrè ferret, nec cum *Julio Pacio*, populari ſuo, benè conſentiret, *Carolo*, Comiti *Ortenburgico*, Ephorum ſe exhibens in Academiam *Altorfinam* cum eo migravit An. 1590.

Conſiliarius Norimbergenſis.

Ibi cum Inſtitutionum Juris Profeſſio tunc temporis propter *Matthiæ Indenii* diſceſſum vacaret, eam *Scipio Donelli* operâ & adud Senatum *Norimbergenſem* commendatione facilè obtinuit, brevi pòſt Pandectarum, & tandem Anteceſſor primarius in Facultate Juridicâ conſtitutus, inque Conſiliariorum Reipublicæ *Norimbergenſis* numerum cooptatus eſt.

Eo munere per annos 26. ſedulò functus eſt, & licèt intereà tum à Pontifice *Rom. Clemente VIII.* in Academiam *Bononienſem*, libertate Religionis promiſsâ, tum ab Illuſtr. Ordinibus *Hollandiæ*, *Lugdunum Batavorum* amplo promiſſo ſtipendio, ad Jus utrobique docendum fuiſſet accerſitus, *Altorfii* tamen docendo vitam finire maluit.

Nubit.

A. 1612. Cum anteà vitam cœlibem degere ſtatuiſſet, animum mutavit, dum matrimonio ſibi ſociavit virginem *Magdalenam*, filiam *Cæſaris Calandrini*, Patritii *Lucenſis*, & Mercatoris tunc apud *Norimbergenſes* primarii, ex quâ filium reliquit *Ægidium Albericum*, & filiam *Eſtheram Magdalenam*.

Moritur.

Viribus tandem ex alvi fluxu periculoſo conſumptis exſpiravit *Altorffii* 7. Aug. A.C. 1616. ætatis 53. 11. Aug. ſeq. in Templo oppidi ſepultus, & à D. *Georgio König*, Theologiæ Profeſſore, concione funebri decoratus.

Scripta.

Libros edidit:

De Jurepublico populi Romani.
De Juriſdictione.
Orationes Imperatorum variorum.
De Alimentis.
De donatione inter virum & uxorem.
De Conjurationibus Libros II.
In Legem Apulei de Magiâ.
De Donationibus.

* *Ex Oratione funebri Mich. Piccarti Log. & Methaphyſ. Prof.*

Epita-

Epitaphium ei in Templo *Altorfino* æri inciſum, cum imagine *Jacobi* luctantis cum Angelo, additis verbis:

Non dimitto te Domine, niſi priùs benedixeris mihi.

Epitaphium.

D. O. M. S.

SCIPIONI GENTILI J.C.TO MATTHÆI MEDICI FILIO, ALBERICI J.C.TI FRATRI, CLARA NOBILIQUE FAMILIA IN MARCHIA ANCONITANA NATO: PATREM ET FRATREM, SOLA PIETATE IMPELLENTE, EX ITALIA PATRIA IN GERMANIAM SECUTO, INQUE EA, PROPTER SUMMAM VIRTUTEM ADMIRABILEMQUE DOCTRINAM, IMPRIMIS AUTEM JURIS EXACTAM PERITIAM, AD EAM NOMINIS FAMÆQUE DIGNITATEM EVECTO, UT CUM SUMMIS GERMANIÆ J.C.TIS COMPONERETUR: OB EAMQUE REM AB INCLUTO SENATU NORIMB. ACADEMIÆ SUÆ LAUDATISSIMÆ J.C.TIS CE. PIE DENATIS SUFFECTO, ATQUE UNA IN NUMERUM CONSILIARIORUM COOPTATO, INQUE ISTIS MUNERIBUS SUMMA FIDE, LAUDE, DIGNITATE VERSATO: TANDEM CUM ET CONSILIIS REMP. ET DOCTRINA JUVENTUTEM PLURIMUM JUVISSET, EDITISQUE PRÆCLARISSIMIS DIVINI INGENII MONUMENTIS UNIVERSAM REM LITTERARIAM EGREGIE DEMERUISSET: DEO OPT. MAX. ITA VOLENTE, VIVIS CUM DAMNO ET LUCTU PUBLICO EXEMTO, ET HOC IN LOCO JUXTA OSSA MAGNI ILLIUS ET PER OMNEM ORBEM CELEBERRIMI, HUG. DONELLI, CUI VIVO VIRTUS OMNI AFFECTU CONJUNCTISSIMUS, INGENIO ETIAM PROXIMUS FUERAT, IN CHRISTO JESU REQUIESCENTI HOC MONUMENTUM POSUIT CUM LACRUMIS.

MAGDALENA GENTILIS DOMO CALENDRINA, CÆS. CALENDRINI PATR. LUCENSIS F. MARITO CARISS. HONORATISSIMO, ÆGIDIUS ITEM ALBERICUS F. UNICUS, ET ESTHERA MAGDALENA F. UNICA PATRI OPT. NEC NON DESIDERATISS. ⊙ VII. EIDUS SEXTIL. clɔ Iɔ CXVI. ÆTATIS LIII.

S. T. T. L.

BERNHARDUS PRÆTORIUS.

Obiit A.C. 1616.

NAtus eſt *Bernhardus Pretorius, Jesbergi Chattorum*, A.C. 1567. menſe Majo: Patre ignobili, cujus nomen *Germ.* Schultheiß. Laureati Poëtæ titulum conceſſit ei *Paulus Meliſſus*, Comes Palatinus *Heidelbergæ* A.C. 1589.

Natus Patre ignobili.

Poëta Laureatus.

Per integrum triennium ſtudio Juris in Academiâ *Jenenſi* operam dedit; poſt, munificentiâ Illuſtriſſimi & generoſiſſimi Principis ac Domini Domini *Mauricii*, *Haſſiæ Landgravii*; *Italiam* per biennium viſitavit, quâ An. C. 1598. relictâ in *Galliam* profectus eſt.

Peregrinationes ejus.

Tandem ineunte A.C. 1599. è *Gallia* in *Germaniam* rediit, *Argentinam* vidit, indèque *Noribergam* pervenit, ubi brevi ſic inclaruit, ut dignum eum judicaret Magiſtratus, cui Syndici, & A.C. 1604. Bibliothecæ publ. *cuſtodis* munus demandaret.

Syndicus & Bibliothecarius Norbergenſis.

Verùm A. 1608. à *Chriſtophoro*, L. Barone à *Rœdern* perſuaſus, ſecundum iter in *Italiam* fecit, (ut ſcilicet dictus Baro Ephorum illum ſibi adjungere poſſet,) ſed breve & paucorum menſium; (nam exeunte eodem anno redux *Noribergam* factus,) utramque ſpartam, Syndici nimirum & Bibliothecarii, denuò obtinuit ac ornavit.

Nec gloriâ tamen ſuâ breve hoc alterum in *Italiam* caruit iter; *Ferrandus* enim de *Amandis* Imperialis commiſſarius *Bernardum Prætorium* ab *Elme*, totius *Romani* Imperii nomine & Civem *Romanum*, & Militem armatæ militiæ & Comitem Palatinum fecit in illuſtriſſimâ *Antenoris* urbe *Patavio* A. C. 1608. die 19. Aug.

Comes Palatinus.

Officia atque partes Syndici non ſine Divinâ providentiâ, in inclutâ *Norib.* Republ. ſuſceperat: ſtudiosè diligenterque curans, A.C. 1612. ad novi Imperatoris coronationem ornamenta & inſignia Imperialia, quæ apud hanc Rempubl. aſſervantur, cum Legatis Reip. ampliſſimis ad urbem *Francofurtum* deferre amandatus fuit.

Crebro quoque opere *Apollinis* œſtro mens illius incaleſcere ſolebat, cum multis etiam officiis implicatus teneretur: Optimorum carminum conditor, gloria eorundem præcellebat, quæ hodiè ſparſim extant.

Tandem ægrotum & animam fundentem, in ædes ſuas recepit Dominus *Sigefridus Pfinzingius* ab *Henfenfeld* ipſis idibus Novembribus A. C. 1616. (cum nondum annum ætatis quinquageſimum attigiſſet connubii expers) & defuncto oculos clauſit, qui vivum amaverat.

Obiit cælebs.

* *Ex annotationibus Chriſtophori Arnoldi, ad Memoriam Füererianam.*

Bernardus Prætorius,
per Anagr.
Terrena prorſus dubia.

MARCUS ANTONIUS PEREGRINUS.

Obiit A.C. 1616.

NAtus eſt *Vicentiæ* 1. Aug. An. 1530. ex *Melchiore* Patre.

Partâ Juris utriusque Laureâ Cæſareas Inſtitutiones in ſecundâ publici Gymnaſii *Patavini* ſede pomeridianis horis docere cœpit A. 1557.

Juris Profeſſor Patavii.

Indè Cauſarum actor celebris Fiſci partes ſibi à Republ. *Venetâ* commiſſas in Urbe *Patavinâ* per annos 56. ſuſtinuit. A. 1597. Reipubl. *Venetæ* Conſiliarius ſecretus factus, biennio pòſt catenâ aureâ donatus, & in Equeſtrem Ordinem D. *Marci* cooptatus eſt.

Advocatus Fiſci Patav.

Conſiliarius Venetus.

A. 1603. Defuncto *Bartolomæo Sylvatico* Principem Juris Pontificii tradendi locum in Scholis *Patavinis* adeptus eſt.

Moritur. Lentâ tandem febri interiit 5. Dec. A. C. 1616. ætatis 86.

Edidit:

Scripta. *Deciſiones Patavinas* in fol.
Additiones ad Bartolum.
Conſiliorum Libros VI.
De probatione, ſubſtitutionibus, legitimationibus, & capacitate Monaſterii.
De Juribus & Privilegiis Fiſci Libros VII.
De Fidei commiſſis.
De judiciariâ materiâ.
De Poſſeſſione & Proprietate.
De ordinariâ & delegatâ Juriſdictione.
De Pactis & Conventionibus.
De fictis modis acquirendæ Poſſeſſionis.

* *Ex Elogiis Jacobi Philippi Tomaſini, & ex Theatro Italico virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

Sepultus jacet in Templo primario *Patavii* cum hoc *Epitaphio*:

Epitaphium.

MARCUS ANTONIUS PEREGRINUS
ORIGINE VICENTINUS, ELECTIONE PATAVINUS JURIS CONS.
EQUES, ET SENATUS VENETI CONSULTOR.
A SECRETIS SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ.
SUPRAORDINARIUS LECTOR, ET EX DECRETO SERENISS. PRINCIPIS ANTESIGNANUS
DOCTORUM OMNIUM COLLEGII
PATAVINI.
QUANTUS FUERIT MULTIPLICIA EJUS IN JURE SCRIPTA UBIQUE TERRARUM SÆPE VISA SEMPERQUE PROBATA TESTANTUR.
OBIIT A. C. MDCXVI. DIE V. DEC.
VIXIT ANNOS LXXXVI.
M. III. D. IV.

JOHANNES UFFELIUS.

Obiit A.C. 1617.

Advocatus Antverpiæ. SEverini, Juriſconſulti filius, Patricius *Bruxellenſis*, Juriſconſultus & *Antverpiæ* Cauſarum patronus. *Duaci* J.C.ti titulum accepit, Doctore uſus *Boëtio Epone*, viro doctiſſimo. Vir candidi & modeſti ingenii migravit ex hâc vitâ *Antverpiæ* in ipſo ætatis flore A.C. 1617. & ſepultus in monumento paterno in Sacello S. Circumciſionis. *Moritur.*

Edidit:

Scripta. *Notas in Didaci Covarruviæ varias Reſolutiones.*
Conſultationem Connubialem, quâ quæritur: An Conjugium longiſſimi temporis cohabitatione, uſu publicâ famâ confirmatum noviſſimo Concilii Tridentini jure pro concubinatu haberi poſſit?

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

PHILPIPUS MASSINUS.

Obiit A.C. 1617.

EQues auratus, *Peruſiæ* natus, cum in adoleſcentiâ Juris Civilis & Canonici ſtudiis operam dediſſet, primarii ſui temporis Juriſconſulti nomen adeptus eſt. Cum *Firmi* Civitate in *Marcâ Anconitanâ*, *Piſis*, & *Bononiæ* publicè Leges explicuiſſet, à Senatu demùm *Mediolanenſi* vocatus, in Academiâ *Ticinenſi* publicum Profeſſoris in Jure Civili munus primo loco obtinuit. *Juris Profeſſor Ticini.*

Literis quin etiam humanioribus addictus, *Ticini* ab Academicis Intentorum & Affidatorum in Societatem receptus eſt. Poëta quoq; excellens Rhythmis editis *Petrarcham* egregriè imitatus eſt. *Bononiæ* tandem An. 1617. cum omnium eruditorum dolore exſpiravit. *Acad. Intentor. & Affidator. ſocius.* *Poëta.* *Moritur.*

Libros edidit:

Scripta. *Commentaria in ſecundam Codicis partem, de bonorum poſſeſſionibus, de Jure accreſcendi, & de ſubſtitutionibus.*
Selectarum Juriſdictionum Centuriam.
Commentar. in primam partem infortiati.
Commentar. de dividuis & individuis ſtipulationibus.
Poëmata Italica.
Lezioni Academiche.
Il Chiaro & ſcuro, & il Ligunno.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

JOHANNES STRUPPIUS.

Obiit A.C. 1617.

NAtus erat *Fridbergæ* 24. Junii An. C. 1563. Patre *Joachimo Struppio*, Electoris *Palatini* Dn. *Ludovici*, & deinceps Dn. *Georgii Haſſiæ* Landgravii, Archiatro; Matre *Eliſabetha*, Dn. *Benedicti Pauli*, J. C. Prof. *Wittenberg.* & Conſil. Elect. *Sax.* B. *Lutheri*, dum vixit, amici intimi, filiâ. *Filius Medici.*

Adoleſcens in Academiis, imprimis *Heidelbergenſi* & *Wittenbergenſi*, ſtudia Juridica tractavit, cumque ſingularem in iis acquiſiviſſet ſcientiam, an. ætatis 24. à Celſiſſimo Principe *Ludovico*, *Haſſiæ* Landgravio, in aulam vocatus Conſiliarii officio perfunctus eſt, eoque in munere ita ſe geſſit, ut deinceps ab eodem Principe Cancellariatûs officium *Gieſſæ* eidem demandaretur. *Conſiliarius Haſſiæ, & Cancellarius.*

Porrò cum ſingularem ſemper in negotiis ſibi commiſſis adhibuerit Prudentiam, hinc dignus judicatus fuit, qui ad res quasque graviſſimas & magni nominis Legationes adhiberetur. *Legatus.*

Conventus Imperii, quos Comitia vocant, nunquàm non Principis ſui nomine adivit. Ad ſemper *Auguſtum* Imperatorem *Rudolphum II.* aliquoties miſſus ab eo Dignitatem Comitis Palatii Cæſ. clementer obtinuit. *Comes Palatinus.*

Cum Celſiſſimus Princeps *Ludovicus*, *Haſſiæ* Landgravius, à Cæſareâ Majeſtate Privilegia pro Academiâ *Gieſſenſi* peteret, hujus Cancellarii operâ & Legatione uſus, voti ſui compos factus eſt. *Privilegia Academiæ Gieſſenſis ab Imperatore Rudolpho II. impetravit.*

Ex conjugio cum uxore 6. filios & duas filias ſuſcepit, ex iisque 4. filios cum duabus filiabus & viduâ ſuperſtites reliquit. Podagricis tandem & calculoſis doloribus conſumptus in Chriſto placidè obdormivit 2. Febr. A.C. 1617. ætatis 54. *Moritur.*

* *Ex Progamm. fun. Rector Giß. M. Chriſtoph. Scheibleri, Log. Prof. & ex Concione fun. Philippi Mylii, Diaconi Gieſſ.*

EPITA-

EPITAPHIUM
SEMPITERNÆ MEMORIÆ NOBILISSIMI
VIRI JOHANNIS STRUPPII A GELNHAUSEN JURISCONSULTI
PRÆSTANTISSIMI,
ILLUSTRISS. ATQUE OPTIMI PRINCIPIS DN. LUDOVICI HASSIÆ LANDGRAVII ETC. IN DICASTERIIS TUM DARMSTATINO CONSILIARII, TUM GIESSENO CANCELLARII: ET IN ARDUIS NEGOTIIS AD TER MAX. CÆSAREM ROM. LEGATI
FIDELISSIMI,
NEC NON
AULÆ CÆSAREÆ COMITIS PALATINI,
SCHOLÆ AUTEM GIESSENÆ BENEFACTORIS LAUDATISSIMI, UTPOTE CUI JURA ET PRIVILEGIA ACADEMICA
DIVO RUDOLPHO IMPER. AUGUSTISSIMO IMPETRAVIT, EADEMQUE IN MAXIMA PRINCIPUM, COMITUM, NOBILIUM, ET CLARISS. VIRORUM FREQUENTIA
PUBLICAVIT,
ANNO ÆTATIS SUÆ LIII. EX OCULIS HOMINUM NON EX ANIMIS EREPTI, CUJUS MENTEM IN OMNI VIRTUTUM ET OFFICIORUM GENERE PRÆSTANTEM MAGIS MIRARI QUAM LAUDARE FAS EST,
QUI IN FELICITATE SUMMA IGNORAVIT FASTUM, ITA HUMANUS ERAT;
NEC IN REBUS EXPEDIENDIS ADMISIT DOLOSUM ASTUM, ITA FIDELIS ERAT.
FUIT DUM VIXIT
OMNIBUS HOMINIBUS MAXIMIS, MINIMIS, MEDIOXIMIS BENEVOLUS, BENIGNUS ET BENEFICUS, CONTRARIUS NULLI.
⊕ ANNO CHRISTIANO cIɔ Iɔ CXVII.
POSTRID. CAL. FEBR.

REINHARDUS HENRICUS A LÆRBACH.

Obiit A.C. 1617.

IN hunc mundum natus A.C. 1577. *Larbaci* eo, quod familiæ huic cognomen dedit oppido, Patrem habuit *Melchiorem à Lärbach*, qui cum in adoleſcentiâ militiam ſectatus fuiſſet, varios deindè Principes ſibi devinxit, & aulicis officiis præfuit: Matrem habuit nobilem Matronam *Helenam à Ratenhauſen*, quæ præter alias virtutes hoc imprimis nomine fuit commendata, quod perpetuò benevolentiæ liberalitatis ſuæ rivulos in egenos derivârit. *Parentes ejus nobiles.*

Cum infans Patrem morte abreptum amiſiſſet, mater eum ad Scholam *Eſtwegienſem* in *Haſſiâ* miſit, ubi poſtquàm fundamenta ſtudiorum prima feliciter jeciſſet, contigit, ut Præſes Diœceſeos illius *Eſchwegienſis* in Regnum *Sueciæ* ablegaretur. *Studuit Eſchwegiæ,*

Huic itineri ſe comitem junxit, eoque feliciter confecto ad Academiam *Marpurgenſem* perrexit, aliquot illic annis ſtudia ſua continuavit, donec quos in ſtudiis profectûs fecerat, publicâ Diſputatione Celſiſſimo Principi *Ludovico* Seniori, *Haſſiæ* Landgravio, dedicatâ commonſtrârit. *& Marpurgi,*

Marpurgo in Academiam *Salanam* conceſſit, in quâ Legalis ſcientiæ peritiam amplam nactus eſt, æqueſtrium vel palæſtinorum exercitiorum debitâ interim ratione habitâ. *& Jenæ.*

Cum verò tunc temporis *Mauritius*, *Haſſiæ* Landgravius, numeroſo exercitu indigeret ad expeditionem *Rebſenſem*, militiæ huic nomen dedit, eaque ſpecimina fortitudinis edidit, ut Clementiſſimum indè Principem nactus fuerit. *Militiam ſecutus.*

Iſta expeditio cum finem ſuam nacta fuiſſet, majori cum alacritate ad ſtudia rediit, ſed ſtudia potiùs aliis in regionibus perſequi maluit, ac primò quidem *Galliarum* regnum adiit, ejusque diverſas Academias perluſtravit, Aulam regiam viſitavit, & inter frequentia exercitia Equeſtria & Palæſtrica totum regnum usque ad *Hiſpaniæ* terminos perluſtravit, inque iſtâ peregrinatione Linguæ *Gallicæ* cognitionem perfectam acquiſivit. *Peregrinationes ejus in Galliam, Angliam, Belgium, & Italiam.*

Itinere deindè in *Angliam* ſuſcepto, ejus regni potiores Civitates & Aulam regiam viſitans, dehinc per *Belgium* integro exacto biennio reverſus eſt in *Galliam*, & *Italiam* quoque perluſtravit.

Cum itaq; plurimum laborum & ſumptuum ad hæc itinera impendiſſet, pietate ad id impellente concupivit ardenter ea etiam loca coram intueri, quæ ad hiſtoriam Salvatoris pertinent, quæque ad ejus nativitatem, paſſionem, mortem, ſepulturam, aliavè monumenta in *Palæſtinâ* ſuperſunt oculariter ſpectare. Hoc conſilio ſocietatem cum aliis 5. Nobilibus iniit, ex familiâ *Schenkiorum à Schweinsburg*, *Leſchwitziâ*, *Jasquiniâ*, *Schoppiâ* & *Antiâ*, qui conjunctim cum *Venetias* perveniſſent, mari porrò ſe commiſerunt. *In Palæſtinam iter.*

Alexandriam autem cum attigiſſent, peſte eo loco tunc graſſante, correptus *Schenkius* in ulnis *Lärbachii* obdormivit, paulò poſt tribus aliis ſubſequentibus, ut ſolus *Lärbachius* cum *Leſchwitzio* ſuſceptum iter continuaverit.

Palæſtinam ubi duo hi Nobiles attigiſſent, monumenta, quæ in *Bethlehem* & *Jeruſalem* reliqua fuerant, curioſè perveſtigârunt & jucundè ſpectârunt.

Harum rerum recordatione plurimùm delectatus frequenter cum ſuſpiriis optavit, ut eo, quo Salvator noſter loco natus eſt, placidè ipſi obdormire licuiſſet, vel adhuc liceret.

Hieroſolymis dignitatem equeſtrem illius Ordinis ſibi delatam, utpotè conſcientiæ ſuæ parùm congruum honorem modeſtè recuſavit. Indè verò cum ingrederetur, iter longum & difficile per vaſta *Ægypti* deſerta ingreſſus eſt, donec *Alcairum*, grandem & celebrem *Ægypti* urbem, attingeret, undè per *Italiam* rectò pede in patriam reverſus eſt. *In patriam reverſus.*

Tunc *Hiſpaniam* quoque viſere prorſus conſtituit, ſed volente Principe *Mauritio*, in aulâ *Caſſellanâ* aliquandiu citra obligationem ſubſtitit.

Incidentibus tunc negotiis *Boruſſicis* ad Regem

Legatus Landgraviorum Haſſiæ ad Regem Poloniæ.

Regem Poloniæ communi *Haſſiæ* Landgraviorum nomine legatus fuit, atque tunc, quæ ipſi erat in dijudicando peritia, in eloquendo facundia, in ſingulis rebus prudentia, ita peregit Legationem iſtam, ut dignus ſit habitus, qui ad altiora aulæ officia proveheretur.

Conſiliarius aulæ Darmſtad.

Sed cum poſt obitum Landgravii *Haſſiæ Ludovici* ſenioris regimen *Marpurgenſe* mutaretur, ipſe priori aulâ dimiſsâ commiſſum ſibi Conſiliarii aulici munus in *Darmſtadina* humiliter ſuſcepit.

Mox cum Princeps *Ludovicus* A. 1607. ad Cæſarem proficiſceretur, ut corám eo de cauſis quibusdam gravibus ipſe ageret, ad hoc iter junxit ſibi Conſiliarium hunc ſuum, qui in omnibus negotiis diligentiam & prudentiam ſuam ita monſtravit, ut non ſolùm Princeps in actis & conſiliis ejus acquieverit, ſed etiam ipſe Cæſareæ Majeſtati, Electoribus aliisque Imperii Principibus innotuerit.

Peregrinationes ejus cum Philippo & Friderico Haſſ. Landgraviis.

Interim re ita ferente Principis ſui fratribus Landgraviis *Philippo* & *Friderico*, non minùs ſtudia & officia ſua probavit. Cum enim Princeps *Haſſiæ Philippus* Ordinum *Belgicorum* Provincias viſere vellet, ad iter illud expediendum ſibi hunc comitem adjunxit: Et cum Princeps *Fridericus* in *Galliâ* commoraretur, circa An. 1610. *Lärbachius Pragâ* ad eum miſſus, & apud eum officio Præfecti aulæ functus eſt, & per *Galliam*, *Angliam*, *Scotiam*, *Hiberniam*, & *Belgium* peregrinando comitatus eſt.

Mareſchallus aulæ Darmſtad. Præſes Diœceſeos Rüſſelheim.

Domum reverſus, à Principe ſuo *Philippo* ad Mareſchalli aulici munus promotus huic abundè ſatisfecit. Idem Princeps tandem A. 1616. ipſius aliis officiis adminiſtrationem Diœceſeos *Rüſſelheimenſis* clementer adjecit.

Pauperum amicus.

Menſ. Febr. Anni ſeq. peripnevmoniâ vel pulmonum inflammatione, prægreſſo ſputo cruento correptus, cum mortem ſibi inſtare cognoſceret, decimas pro 2000. & 50. florenis coëmtas omnes ad pias cauſas legavit, & ad pauperum ſuſtentationem addixit: Octo Medimnos *Haſſiacos* frumenti pauperibus *Lärbacenſibus* conſtituit quotannis, eo, quo mortuus erat, die, diſtribuendos: quin & Imperiales centum Eccleſiaſticis & in ſcholam *Darmſtadinam* deputavit. Horum omnium Legatorum frater ejus *Melchior à Lärbach*, Diœceſeos *Grunbergenſis* Præſes, ſolutionem in ſe recepit. Cum itaque totum ſe DEO commiſiſſet, piè & placidè in Domino inter ſuas & aſtantium preces obdormivit die 26. Febr. A.C. 1617. ætatis 40.

Moritur.

* *Ex Oratione funebri M. Chriſtoph. Scheibleri, Prof. Publ. & Rectoris Gieſſ.*

Obiit A.C. 1617.

REGNERUS SIXTINUS.

Doctrinæ initia in patriâ & Bolsvardiæ poſuit.

Natione *Friſius*, *Leovardiâ* oriundus, parentibus ſatus *Nicolao Regneri* & *Witsiâ* ab *Hettemâ*, puerilis doctrinæ initia in patriâ primùm, deindè *Bolsvardiæ* poſuit.

Poſtmodùm cum adoleſcentiæ ingreſſus annos literarum præcipuè amore exarſiſſet, acriùs domeſtico patrui magni *Johannis Sixtini*, Juriſconſulti in *Angliâ* vitâ defuncti, qui adoleſcentis ſtudia legato etiam juverat, exemplo illectus in ejusdem veſtigia iucurrendum putavit ſibi. Ideòque mente cogitationibusque in Jurisprudentiâ defixis *Galliam* imprimis, quæ tum veluti ludus & officina Jurisprudentię patebat omnibus, adire voluit, parentibus defunctis eorum, quos ſanguine attingebat, conſilio & ope adjutus.

Galliam adiit.

Præcellebant eo tempore iſthic cum omni virtutum & artium genere, tum verò vel Juris imprimis intelligentiâ clariſſimi viri *Baro*, *Duarenus*, *Robertus*, *Cujacius*, *Coraſius*, *Donellus*, *Balduinus*, quos etiamnum miratur, & deinceps admirabitur poſteritas.

Hos pleroſque non audiebat publicè modò aſſiduiſſimè, verùm etiam ad eosdem ſe familiariſſimè applicabat, id operæ pretium ratus vel maximè, ſi ad eorum, quos in jure paratiſſimos & conſilio atque prudentiâ Principes cognoviſſet, ſe ſuaque omnia effingeret.

Ideòque his quidem & vitæ & doctrinæ magiſtris & Doctoribus ea brevi temporis ſpatio, & veluti per curſum arripuit, quæ alii vix multis annis, adeò ut vigeſimo ſecundo ætatis anno ſummâ in utroque Jure laureâ donatus fuerit *Aurelìis*.

Doctor Juris proclamatus Aureliis.

Atque ſic quidem è *Galliâ*, veluti è literaturæ omnis emporio, cum propter orthodoxam, quam profitebatur, Religionem reditum ſibi in patriam, ubi tum temporis per vim graſſabatur immenſùm *Albanus*, interclusum videret, *Spiram Nemetum* ad illud *Romani* Imperii tribunal contendit.

Spiram venit.

Ita enim pro eo, quo pollebat, mentis acumine, judicavit prudentiſſimè, in rebus forenſibus uſum atque exercitationem ingenii à doctrinæ elegantiâ nequaquàm ſegregandam ei, qui publicâ utilitate metiri cupiat omnia.

Cœteroquin hoc in loco cum verſatus eſſet triennium, comprehendiſſetque ferè ea, quorum gratiâ iſthuc venerat, tandem clariſſimorum virorum D. *Ægidii Mommerii* & D. *Aggæi de Albadâ* Imperat. Cameræ Aſſeſſorum hortatu ac ſuaſu *Marpurgum* ſe contulit, & quæ multo labore didiciſſet, eadem non minori induſtriâ impertiret iſthuc aliis. Ideòque impetrato Academiæ primùm conſenſu anno 1568. 11. Octobris extra ordinem docere cepit gratis.

Marpurgum ſe contulit.

Profeſſor Extraordinarius.

Verùm cum majoribus theatris ejus propoſitæ eſſent virtutes, paulò poſt Illuſtriſſimorum *Haſſiæ* Principum *Guilielmi* & *Ludovici* p. d. judicio & ſtudio ſtipendium ei ſtatutum eſt de publico, Ampliſſimorumque Jureconſultorum ordini adſcriptus, eâdem, quâ alii, ſorte, & quidem *Forſtero Heidelbergam* abeunte, primâ è cathedrâ docere juſſus.

Ordinario Profeſſorum numero adſcriptus.

Anno

Anno poſteà 1580. ampliſſimis prætereà honoribus & dignitate decoratus eſt. Nam & Reipublicæ Academicæ gubernacula illi regenda tradita ſunt, & ipſi quoque *Haſſiæ* Principes ejus potiſſimùm operâ ſeorſim in conſiliis & ſupremo *Haſſiæ* tribunali uti voluerunt, quibus in muniis obeundis atque tractandis ſtudium ita poſuit ſuum, ut Principibus apprimè gratus graviſſimis etiam quibusvis legationibus ab iisdem adhibitus fuerit.

Rector Academiæ.

Atque ſic quidem anno quoque 1591 Legatus è *Dania* redux, cum ſe ejus temporis Theologis ob purioris Religionis ſtudium præ cœteris exoſum intellexit, & libertatis amantiſſimus conſcientiam ſuam illigari non paſſus eſt, dimiſſione ab *Haſſiæ* Principibus impetratâ & Senatu Academico 18. Maji valere juſſo, *Francofurtum ad Mœnum* conceſſit, ut impoſitas ſibi illic ſupremi Syndici ſive Advocati partes ſuſtineret.

Legatus in Daniam miſſus.

Francofurti ad Mœnum Syndici partes ſuſtinuit.

Cœterùm cum ibi ſubſtitiſſet triennium, & à literatiſſimo Principe *Mauritio* in *Haſſiam* revocatus eſt, ut iſthâc in aulâ Conſiliarii inſiſteret munus, (etſi aliæ conditiones luculentæ & honeſtæ tum in veteri *Heldelbergenſi*, tum in novâ *Juliâ*, quæ *Helmſtadii* eſt, quò ad primariam Juris profeſſionem accerſebatur, deeſſe non poſſent) *Caſſellas* tamen veluti patriam in alteram remeare maluit, præſertim cum ejus Celſitudo præ cœteris Conſiliariis immunitatem dediſſet eidem.

Conſiliarius à Duce Haſſiaco denominatus.

Sic itaque annos 26. in hâc ſpartâ adornandâ elaboravit, ut ejus in negotiis labor indefeſſus, in agendo ſingularis induſtria, in conficiendo prompta celeritas, in providendo prudens conſilium emicuerit vel imprimis, atque propterea etiam ab eodem Principe dignus habitus fuerit, quem in ſecretiorum ſuorum Conſiliariorum numerum porrò legeret.

Secretiorum Conſiliariorum numero adſcriptus.

Nec attinet referre, quâ fide operam ſuam, curam & ſtudium aliis quoque Principibus, Comitibus, civitatibus liberis & quibuscunque, quorum id intererat, in cauſis agendis advocando & conſulendo locârit.

Sanè ita viri rebus in omnibus ſpectata eſt induſtria, ut etiam propterea ejus opera certatim expectata ab omnibus, isque *Groningam, Leovardiam*, in *Friſiam Orientalem*, *Saxoniam Electoralem*, & *Roſtochienſem* Academiam oblatis ampliſſimis honoribus evocatus ſit.

Sed cum ingraveſceret ætas, in munere hoc ſuo & leni otio cum uxore & prole numeroſâ conquieſcere, quàm fortunæ & dignitatis acceſſiones alibi quærere, & ſe variis migrationum moleſtiis & fluctibus incertis committere maluit.

Auguſto itaque ſtatuæ monumento largiorivè præconio non opus habuit, qui clariſſima virtutis & eruditionis trophæa in hominum animis defixa reliquit, & non ſolùm vivâ voce, quâ 23. circiter annos non ſine omnium applauſu in *Marpurgenſi* Academiâ Jura docuit publicè, ſed & ſcriptis editis de Regalibus, & porrò edendis nominis ſui memoriam æternitati conſecravit.

Scripſit de Regalibus.

Obiit *Caſſellis* anno 1617. die Maji 11. ætatis anno 74. relictis gloriæ paternæ atque nominis æmuli D. *Guilielmo Burchardo*, & *Nicolao Haſſiæ* Principi *Mauritio* à conſiliis, nec non *Johanne Sixtino Halberſtadii* ad D. *Mariam* Canonico.

Moritur.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Regnerus Sixtinus,

per Anagramma:

Regens Rex Juſtinus.

TIBURTIUS RUHELIUS.

Obiit A.C. 1617.

Natus eſt *Wittenbergæ* 19. April. A.C. 1580. Patre *Andrea Ruhelio*, Prætore Urbis: Matre *Regina*, ex *Matthæorum* antiquâ familiâ.

A. 1593. æt. 13. In Electorale *Grimmenſe* Gymnaſium miſſus, triennio cum ſemeſtri linguis & humanitati operam dedit. Poſteà patriam repetens, ſub fratris ſui auſpicio Philoſophiæ, præcipuè Practicæ, attendit.

Hinc totum ſe Legum dedit ſtudio, in quâ palæſtrâ ita deſudavit, ut 21. Dec. An. 1604. Licentiam, & triennio pòſt A. 1607. Lauream Doctoralem publicè fuerit conſecutus.

Doctor Juris.

A. 1610. Inter Advocatos Curiæ Electoralis adſcriptus, & An. 1616. in Adjunctorum Facultatis Juridicæ & Scabinorum Collegium adſcitus, ſimulque D. *Lucæ Beckmanno*, Juris Profeſſori ad trimeſtres lectiones ſubſtitutus eſt vicarius. Geſſit & dignitatem Senatoriam, quam ipſis auſpiciis anni 1611. fuit adeptus.

Advocatus Curiæ Electoralis. Juris Profeſſ. Wittebergæ. Senator Wittebergenſis.

7. Sept. A. 1607. Nuptias fecit cum virgine *Eliſabethâ*, *Eraſmi Marcens* cognomento *Raba*, de ordine Senatorio filiâ, cum quâ conjugium ſuaviſſimum, ſterile tamen habuit. Menſ. Sept. An. 1616. quartanâ febre correptus, cui acceſſit phthiſis cum aquâ intercute, inter Orationem Dominicam manibusque ad cœlum ſublatis exſpiravit 26. April A.C. 1617. ætatis 37.

Nuptias celebrat.

Moritur phthiſi & hydrope.

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri.*

JACOBUS AUGUSTUS THUANUS.

Obiit A.C. 1617.

Natus eſt *Lutetiæ Pariſiorum* 7. Id. Oct. A.C. 1553. Avus ejus *Auguſtinus*, Senatus *Pariſienſis* Præſes, à *Franciſco I.* Rege lectus paulò pòſt obiit A. 1545. Hic *Chriſtophorum Jac. Aug.* parentem, & 21. prætereà liberos 20. annorum ſpatio genuit. *Chriſtophorus* ibidem Senatûs *Pariſienſis* primarius Præſes ex *Jacobâ Tulliâ Cœliâ*, arctâ cum *Franciſco Olivario*, *Franciæ* Cancellario, neceſſitudine conjunctâ 3. filios, *Johannem*, *Chriſtophorum*, & *Jacob. Auguſtum*, & 4. filias ſuſtulit, ac 6. alios, qui in infantiâ eſſe deſierunt.

Filius & Nepos Præſid. Pariſ.

Johannes cum jam magnam de ſe in aulâ expectationem concitâſſet, dum virium fiduciâ fretus ardente æſtate Regis juſſu

Piſtavio Longemellum usque intra 24. horas per equos diſpoſitos proficiſcitur, lentâ primùm febre tentatus, deindè diuturno morbo oppreſſus tandem in flore ætatis concidit.

Chriſtophorus cum filio cognomine per bella civilia miſerabili caſu periit.

Inter filias *Anna Philippo Huralto Cevernio*, Comiti *Franciæ* Cancellario, *Catharina Achilli Harlæo*, primario Senatûs *Pariſienſis* nupſerunt: reliquæ duæ vitam monaſticam profeſſæ ſunt.

Obitus Patris ejus, & Matris. Pater *Chriſtophorus* Kal. Nov. An. 1582. ætatis 74. animam DEO reddidit. Mater *Jacoba Tullia* ſexennio pòſt ſeptuagenaria deceſſit A. 1588. cum partem, quam in bonis ſuis habebat, ſeorſim à reliquis hæredibus ultimo voluntatis elogio *Jacobum* filium habere voluiſſet.

Tantis parentibus natus *Thuanus* difficilem admodùm infantiam habuit crebris torminibus & vigiliis cruciatus, & pro cibo totum biennium nihil præter lac accipiens, rejectâ omni pulte, à quâ deinceps totâ vitâ abhorruit: ſolito citiùs propterea abluctatus, ac deindè gracilis fuit ac macilentus, donec ad 5. annum pervenit, quo pinguescere & ſucco cœpit turgeſcere. Tum omni alio pueritiæ omiſſo oblectamento ad artem pictoriam naturâ ferebatur. *Infans ab omni pulte abhorruit.* *Naturâ ad picturam ductus.*

Patre defuncto cum in luctu ſolatium quæreret, domi *Claudium Cathalaunenſem* adhibuit, exprimendis pictor. excellentium tabulis egregium artificem, quem dum legeret, pingentem libenter ſpectabat.

Literarum ſtudia attigit in Schola Burgund. Decimo demum anno literas attigit, in Scholam *Burgundicam*, quæ proxima erat miſſus, in quâ *Henricum Monantholium*, *Remis* oriundum, audivit, qui in Scholâ *Prelæâ* educatus, & doctrinæ *Rami* addictus ad Medicinam Mathematicas artes adjecerat, & in Regiorum Profeſſorum collegium allectus, ad extremam vitam eo munere defunctus eſt. Eo Præceptore Arithmetica & Geometrica elementa didicit.

Plus verò literarum conſuetudine quàm labore proprio profecit, ſummâ in ſtudiis uſus libertate, omneſque, quorum famâ & ſcriptis nomen increbuerat, videre & alloqui jam tum geſtiebat.

Cum itaque *Hadrianus Turnebus* ad *Gothofredum Payum* ſub id veniſſet, & *Thuanus à Fayo* ad eum ſalutandum deductus eſſet, ex eo tam altè imago viri celebris hæſit, ut cum paulò pòſt in vivis eſſe deſiiſſet, ex ejus animo nunquàm deleri potuerit.

Poſt quinquennium, ubi è Scholâ exiit, *Dionyſium Lambinum*, & *Joh. Pelerinum*, qui *Ariſtotelem Græcè* loquentem interpretabatur, in Græcis Profeſſorem Regium audivit.

Jam *Joh. Auratus* Profeſſioni renuntiaverat, & in *Sanvictorianum* ſuburbium conceſſerat, quò frequens itabat *Thuanus*, ex ejuſque colloquio ſemper inſtructior.

Juris ſtudium Aureliæ auſpicatus, An. 1570. *Aurelianum* ad Juris ſcientiam diſcendam profectus audivit *Joh. Robertum*, *Guil. Fornerium*, & qui nuper *Avarico Biturigum* eò venerat. *Ant. Contium*.

Sed cum *Jacobi Cujacii* audiendi cupidus eſſet, in *Allobrogas* iter intendit, & cum priùs per aliquot menſes *Avarici Biturigum* commoratus *Fr. Hotomannum* quæſtiones illuſtres proponentem, & *Hugonem Donellum* audiviſſet, *Valentiam Segalaunorum* venit, ubi *Cujacius Papinianum* ſuum interpretabatur, & cum eo docebant *Fr. Roaldeſius* ac *Enimundus Boneſidius*. *Avarici Biturigum.* *Valentia.*

Hìc illi primùm cum *Joſepho Scaligero* contracta amicitia, qui *Cujacii* videndi cauſâ ab ipſo invitatus illùc antè venerat, quem abindè 38. annis indeſidenter coluit. *Cum Joſepho Scaligero amicitiam contraxit.*

Valentiâ An. 1572. domum à Patre revocatus eſt, ubi paucis poſt diebus *Caſpar Collinius* vulneratus, cujus vulnus ſecuta eſt laniena *Pariſienſis*, quam Patris exemplo deteſtatus eſt, & ad lanienæ illius ſpectaculum, cum ipſo die *Bartolomei*, qui tum in Dominicam incidebat, ad Sacra pergeret, lachrymas tenere non potuit. *Lutetiam rediit.* *Lanienam Pariſienſem deteſtatus.*

Sed cum impenſo *Italiæ* videndæ deſiderio flagraret, commendatione *Philippi Huralti* ſororii in comitatum *Pauli Foxii*, Oratoris Regii ad Summum Pontificem venit, & *Auguſtæ Taurinorum* arctam cum *Vido Demolinio Rupifortio Blæſenſi* jam provectâ ætate junxit amicitiam. *In Italiam iter fecit.* *Viros doctos acceſſit,* *Taurini,*

Is *Sabaudo* Principi charus ob raram Hiſtoriæ naturalis cognitionem honorificentiore loco, quàm Medici nomine apud illum vixit.

Ferrariæ profitebatur *Franc. Patricius Dalmata*, quem quod novas & erroneas opiniones in *Ariſtotelis* doctrinâ explicandâ tueri diceretur, ut ex Diſcuſſionum Peripateticarum parte jam editâ patebat, *Foxius* ad colloquium admittere inſuper habuit, & *Thuanus* tantùm vidit, non allocutus eſt. *Ferrariæ.*

Venetiis in librariorum apothecas diligenter veſtigavit, & comparato magno librorum præcipuè Græcorum numero bibliothecam ſuam locupletavit. *Venetiis,*

Patavii cum *Hieron. Mercuriali* familiariter verſatus, & *Bononiæ* cum *Carolo Sigonio* totos dies fuit, quem cum ægrè *Latinè* loqui ſciret, malebat *Italicè* balbutire, quàm non familiariter eo uti. *Patavii,* *Bononiæ,*

Vidit & *Ulyſſis Aldrovandi* amplam tum ſupellectilem ad Hiſtoriam naturalem illuſtrandam repoſitam.

Florentiæ Petrus Victorius venerandâ jam tum canitie ſenex cum *Thuano*, quando cum *Foxio* non licebat, aſſiduè de literis verba faciebat, eumque ad Bibliothecam *Sanlaurentianam* deducebat. *Florentiæ,*

Senis cum *Foxio Alexandrum Piccolomineum* venerandâ canitie ſenem in ædibus ſuis inviſit, tandemque exeunte Febr. An. 1574. *Romam* venit, ubi poſtquàm cum cœteris Nobilibus ad S. P. pedum oſculationem admiſſus eſſet, petitâ à *Foxio* veniâ *Neapolim* profectus eſt, in quâ urbe *Joh. Baptiſtam Portam* ſcriptis de naturali hiſtoriâ abſtruſiore notum vidit. *Senis.*

Romam

Romam reverſus, dum ibi per ſemeſtre vixiſſet, amicitiam doctorum virorum pro more & inſito literarum amore ſibi conciliavit, & imprimis *M. Antonii Mureti*, cujus judicium tanti à *Joſepho Scaligero* fieri meminerat, ut quantum ille *Julio* parenti tribuebat, ei non minùs ipſe tribueret.

M. Antonio Mureto familiaris.

Lutetiam ad ſtudia redux.

Ex *Italia* redux, domi librorum lectioni totum quadriennium impendit, & amicorum literatorum colloquiis profecit, in quibus primas ferebant *Petrus* & *Fr. Pithœi* fratres, *Anton. Oiſellus*, *Jacob. Hollerius*, & *Claudius Puteanus*. Sed omnium maximè cum *Nic. Fabro* conjunctè vixit.

Belgium perluſtravit.

Intereà majorem *Belgii* partem A. 1576. luſtravit: & *Antverpiæ* ad *Chriſtoph. Plantinum* divertit, in cujus ædibus licèt rebus acciſis tunc adhuc 17. prœlis operæ ſerviebant.

In patriam reverſus, vix ad conſueta ſtudia redierat, & interim in Senatum allectus fuerat, cum fratri *Johanni*, qui ex Medicorum conſilio *Plombinum* in *Lotharingia* proficiſcebatur, ſe viæ comitem addidit, dumque ille aquas medicatas ſumeret, aſcito linguæ *Germanicæ* perito comite, *Germaniæ* partem luſtravit.

Germaniæ partem luſtravit.

Argentorati Job. *Lobelium* vidit, quem jam antè *Lutetiæ* cognoverat, *Belgam* eruditum, ab hoc literas commendatitias ad *Hubertum Languetum*, qui *Badæ* erat, ad aquas ſumendas accepit. *Badæ Languetum* vacuum nactus, ita mordicus per triduum ei adhæſit, ut ab eo divelli non poſſe putaretur.

Ita candor hominis illum ceperat, judicio in literis & negotiis publicis, quæ totâ vitâ ſub variis Principibus geſſerat, præditi. Ab eo breve manuſcriptum, quod poſteà diligenter aſſervavit, accepit, quo generalis *Germaniæ ſtatus*, ſicuti tunc erat, Comitiorum jus, circulorum numerus, conſiliorum ordo deſcribitur.

Stutgardiæ Principem Wirtenb. ſalutavit.

Badâ Studgardiam veniens, & ad *Ludovicum* Principem *Wirtenbergicum* ſalutandum introductus, ſymphoniacorum delectum chorum in eâ aulâ præcipuè admiratus eſt.

Auguſtæ vidit hortos Marci Fuggeri.

Indè *Auguſtam Vindelicorum* profectus, ædes *Fuggerorum*, in iiſque *Marci* hortos fontibus artificioſis irrigatos & vivariis diſtinctos, adhæc congeſtos ab eo nummos aureos, argenteos, & æreos cupidè ſpectavit.

Baſileæ Baſilio Amerbachio acceptus.

Baſileæ tandem mora fuit aliquot dierum; nam *Baſilius Amerbachius*, ad quem commendatitias à *Fr. Pithœo* literas habebat, ab ejus latere nunquàm diſceſſit.

Antè omnia ei in propriis ædibus D. *Eraſmi Roterod.* bibliothecam & adverſaria manuſcripta, tum nummos antiquos, aliamque modicam ſupellectilem *Viſo* parenti ab ipſo legatam oſtendit, in eoque globum terræ argenteum à *Tigurino* quodam artifice factum, quem dum curioſis oculis inſpicit, medio eo aperto vinum utrinque infuſum eſt, & more gentis *Thuano* propinatum.

Indè *Plombinum* rediit, ubi fratrem non multùm aquarum uſu ſublevatum nactus de eo domum reducendo conſilium inivit, qui tandem *Lutetiæ* paucis menſibus poſt piè exſpiravit.

Sequens annus 1580. cum populari lue funeſtus eſſet, in *Turones* conceſſit, in *Malliâ* arce ſtudiis & aliquando venationibus animum oblectans.

Cum contagium deſæviiſſet, revocante patre *Lutetiam* rediit, cum inter delegatos ex Senatu *Pariſienſi* in *Aquitaniam* miſſus eſt, qui jus aſſiduè in eâ provinciâ dicerent.

In Aquitaniam ad Jus dicendum miſſus.

In itinere *Aginni Sylvium Scaligerum*, *Joſephi* fratrem, virum eruditum nactus, factâ Commentariorum Patris in Libros *Ariſtot.* de hiſtoriâ animalium mentione, eum rogavit, ut eos recenſeret, nec diutiùs publico invideret, quod & ille fecit, libro 10. publicato. An. 1583. poſt obitum parentis in patriam rediit.

Nunquàm autem, dum peregrinabatur, ſtudia intermittebat, & eorum, quorum familiaritate ad Opus Hiſtoricum, quod jam tum animo complectebatur, opus habebat, amicitiam ſedulo ambiebat.

In peregrinationibus Opus ſuum Hiſtoricum meditatus eſt.

Eo tempore mortuo *Lutetiæ* Senatore *Fr. Gardâ Sagnio*, & allato diplomate, quod primùm *Philippus Huraltus Cervernius* ipſius ſororius, nuper Procancellarius creatus obſignavit, & patri morem gereret, examini ſe ſubjecit, ad quod pallens tremenſque acceſſit. Per bihorium de Jure interrogatus coràm numeroſo Senatu egregiè reſpondit.

In Jure examinatus.

Tandem Senatûs Conſulto facto Sacramento adactus, ad magnam Inquiſitionum claſſem pro more à *Pomponio Bellevreo*, qui poſteà ad ſolſtitium honoris evectus eſt, deductus.

Magnæ Inquiſitionis Senator.

An. 1584. Ab Inquiſitoriis claſſibus migravit, non ambitione aut aulici ſplendoris deſiderio, ſed quia mater & patrini imprimis urgebant, ut vitæ ſe ſolutæ manciparet, quod tamen fieri non poterat, quamdiu inter Eccleſiaſticos Senatores maneret.

Itaq; Libellorum Supplicum Magiſtri quærendum fuit officium, quod permutatione cum munere ſuo Eccleſiaſtico facta in locum *Guil. Varii* ſuſcepit: is enim annos adoleſcentiæ vix egreſſus, etſi eo Libellorum Supplicum Magiſtri munere ob eximiam doctrinam dignus judicaretur, tamen in Senatoris Eccleſiaſtici Ordine ſedere, quàm protinus à foro aulam transvolare iſtius ætatis malebat.

Libellorum Supplicum Magiſter.

A. 1588. In Sanctius Conſiſtorium à Rege lectus *Autrici Carnutum* 7. Kal. Sept. Sacramentum dixit. Tandem cum A. 1595. patruus *Thuani Auguſtinus* Præſes Parlamenti Regii primarius animam DEO reddidiſſet, *Thuanus* ei jam pridem ſucceſſor deſignatus ſtatim ſuffectus eſt.

In Sanctius Conſiſtorium à Rege receptus. Præſes Parlamenti Regii primar.

Sciſsâ tunc in factiones *Galliâ* Regias partes ſtrenuè tutatus eſt, Regemque adultâ jam factione urbe excedentem inter alios ſecutus eſt.

Regias partes unicè ſecutus.

Eo tempore cum in conſilio placuiſſet, ut delegati in Provincias mitterentur, qui de re-

Oooooo 2 rum

Piſtavio Longemellum uſque intra 24. horas per equos diſpoſitos proficiſcitur, lentâ primùm febre tentatus, deindè diuturno morbo oppreſſus tandem in flore ætatis concidit.

Chriſtophorus cum filio cognomine per bella civilia miſerabili caſu periit.

Inter filias *Anna Philippo Huralto Cevernio*, Comiti *Franciæ* Cancellario, *Catharina Achilli Harlæo*, primario Senatûs *Pariſienſis* nupſerunt: reliquæ duæ vitam monaſticam profeſſæ ſunt.

Obitus Patris ejus, & Matris.

Pater *Chriſtophorus* Kal. Nov. An. 1582. ætatis 74. animam DEO reddidit. Mater *Jacoba Tullia* ſexennio pôſt ſeptuagenaria deceſſit A. 1588. cum partem, quam in bonis ſuis habebat, ſeorſim à reliquis hæredibus ultimo voluntatis elogio *Jacobum* filium habere voluiſſet.

Infans ab omni pulte abhorruit. *Naturâ ad picturam ductus.*

Tantis parentibus natus *Thuanus* difficilem admodùm infantiam habuit crebris torminibus & vigiliis cruciatus, & pro cibo totum biennium nihil præter lac accipiens, rejectâ omni pulte, à quâ deinceps totâ vitâ abhorruit: ſolito citiùs propterea ablactatus, ac deindè gracilis fuit ac macilentus, donec ad 5. annum pervenit, quo pingueſcere & ſucco cœpit turgeſcere. Tum omni alio pueritiæ omiſſo oblectamento ad artem pictoriam naturâ ferebatur.

Patre defuncto cum in luctu ſolatium quæreret, domi *Claudium Cathalaunenſem* adhibuit, exprimendis pictor. excellentium tabulis egregium artificem, quem dum legeret, pingentem libenter ſpectabat.

Literarum ſtudia attigit in Schola Burgund.

Decimo demùm anno literas attigit, in Scholam *Burgundicam*, quæ proxima erat miſſus, in quâ *Henricum Monantholium, Remis* oriundum, audivit, qui in Scholâ *Prelæâ* educatus, & doctrinæ *Rami* addictus ad Medicinam Mathematicas artes adjecerat, & in Regiorum Profeſſorum collegium allectus, ad extremam vitam eo munere defunctus eſt. Eo Præceptore Arithmetica & Geometrica elementa didicit.

Plus verò literarum conſuetudine quàm labore proprio profecit, ſummâ in ſtudiis uſus libertate, omneſque, quorum famâ & ſcriptis nomen increbuerat, videre & alloqui jam tum geſtiebat.

Cum itaque *Hadrianus Turnebus* ad *Gothofredum Fayum* ſub id veniſſet, & *Thuanus à Fayo* ad eum ſalutandum deductus eſſet, ex eo tam altè imago viri celebris hæſit, ut cum paulò pòſt in vivis eſſe deſiiſſet, ex ejus animo nunquàm deleri potuerit.

Poſt quinquennium, ubi è Scholâ exiit, *Dionyſium Lambinum*, & *Joh. Pelerinum*, qui *Ariſtotelem Græcè* loquentem interpretabatur, in Græcis Profeſſorem Regium audivit.

Jam *Joh. Auratus* Profeſſioni renuntiaverat, & in *Sanvictorianum* ſuburbium conceſſerat, quò frequens itabat *Thuanus*, ex ejuſque colloquio ſemper inſtructior.

Juris ſtudium Aureliæ auſpicatus,

An. 1570. *Aurelianum* ad Juris ſcientiam diſcendam profectus audivit *Joh. Robertum*, *Guil. Fornerium*, & qui nuper *Avarico Biturigum* eò venerat. *Ant. Contium.*

Avarici Biturigum. *Valentia.*

Sed cum *Jacobi Cujacii* audiendi cupidus eſſet, in *Allobrogas* iter intendit, & cum priùs per aliquot menſes *Avarici Biturigum* commoratus *Fr. Hotomannum* quæſtiones illuſtres proponentem, & *Hugonem Donellum* audiviſſet, *Valentiam Segalaunorum* venit, ubi *Cujacius Papinianum* ſuum interpretabatur, & cum eo docebant *Fr. Roaldeſius* ac *Enimundus Boneſidius.*

Cum Joſepho Scaligero amicitiam contraxit.

Hîc illi primùm cum *Joſepho Scaligero* contracta amicitia, qui *Cujacii* videndi causâ ab ipſo invitatus illûc antè venerat, quem abindè 38. annis indeſidenter coluit.

Lutetiam rediit. *Lanienam Pariſienſem deteſtatus,*

Valentiâ An. 1572. domum à Patre revocatus eſt, ubi paucis poſt diebus *Caſpar Collinius* vulneratus, cujus vulnus ſecuta eſt laniena *Pariſienſis*, quam Patris exemplo deteſtatus eſt, & ad lanienæ illius ſpectaculum, cum ipſo die *Bartolomei*, qui tum in Dominicam incidebat, ad Sacra pergeret, lachrymas tenere non potuit.

In Italiam iter fecit. *Viros doctos acceſſit,* *Taurini,*

Sed cum impenſo *Italiæ* videndæ deſiderio flagraret, commendatione *Philippi Huralti* ſororii in comitatum *Pauli Foxii*, Oratoris Regii ad Summum Pontificem venit, & *Auguſtæ Taurinorum* arctam cum *Vido Demolinio Rupifortio Blæſenſi* jam provectâ ætate junxit amicitiam.

Is *Sabaudo* Principi charus ob raram Hiſtoriæ naturalis cognitionem honorificentiore loco, quàm Medici nomine apud illum vixit.

Ferrariæ.

Ferrariæ profitebatur *Franc. Patricius Dalmata*, quem quod novas & erroneas opiniones in *Ariſtotelis* doctrinâ explicandâ tueri diceretur, ut ex Diſcuſſionum Peripateticarum parte jam editâ patebat, *Foxius* ad colloquium admittere inſuper habuit, & *Thuanus* tantùm vidit, non allocutus eſt.

Venetiis,

Venetiis in librariorum apothecas diligenter veſtigavit, & comparato magno librorum præcipuè Græcorum numero bibliothecam ſuam locupletavit.

Patavii, *Bononiæ,*

Patavii cum *Hieron. Mercuriali* familiariter verſatus, & *Bononiæ* cum *Carolo Sigonio* totos dies fuit, quem cum ægrè *Latinè* loqui ſciret, malebat *Italicè* balbutire, quàm non familiariter eo uti.

Vidit & *Ulyſſis Aldrovandi* amplam tum ſupellectilem ad Hiſtoriam naturalem illuſtrandam repoſitam.

Florentiæ,

Florentiæ Petrus Victorius venerandâ jam tum canitie ſenex cum *Thuano*, quando cum *Foxio* non licebat, aſſiduè de literis verba faciebat, eumque ad Bibliothecam *Sanlaurentianam* deducebat.

Senis.

Senis cum *Foxio Alexandrum Piccolomineum* venerandâ canitie ſenem in ædibus ſuis inviſit, tandemque exeunte Febr. An. 1574. *Romam* venit, ubi poſtquàm cum cæteris Nobilibus ad S.P. pedum oſculationem admiſſus eſſet, petitâ à *Foxio* veniâ *Neapolim* profectus eſt, in quâ urbe *Joh. Baptiſtam Portam* ſcriptis de naturali hiſtoriâ abſtruſiore notum vidit.

Romam reverſus, dum ibi per ſemeſtre vixiſſet, amicitiam doctorum virorum pro more & inſito literarum amore ſibi conciliavit, & imprimis *M. Antonii Mureti*, cujus judicium tanti à *Joſepho Scaligero* fieri meminerat, ut quantum ille *Julio* parenti tribuebat, ei non minùs ipſe tribueret.

M. Antonio Mureto familiaris.

Ex *Italiâ* redux, domi librorum lectioni totum quadriennium impendit, & amicorum literatorum colloquiis profecit, in quibus primas ferebant *Petrus* & *Fr. Pithœi* fratres, *Anton. Oiſellus*, *Jacob. Hollerius*, & *Claudius Puteanus*. Sed omnium maximè cum *Nic. Fabro* conjunctè vixit.

Lutetiam ad ſtudia redux.

Intereà majorem *Belgii* partem A. 1576. luſtravit: & *Antverpiæ* ad *Chriſtoph. Plantinum* divertit, in cujus ædibus licèt rebus accifis tunc adhuc 17. prœlis operæ ſerviebant.

Belgium perluſtravit.

In patriam reverſus, vix ad conſueta ſtudia redierat, & interim in Senatum allectus fuerat, cum fratri *Johanni*, qui ex Medicorum conſilio *Plombinum* in *Lotharingiâ* proficiſcebatur, ſe viæ comitem addidit, dumque ille aquas medicatas ſumeret, aſcito linguæ *Germanicæ* perito comite, *Germaniæ* partem luſtravit.

Germaniæ partem luſtravit.

Argentorati Joh. Lobelium vidit, quem jam antè *Lutetiæ* cognoverat, *Belgam* eruditum, ab hoc literas commendatitias ad *Hubertum Languetum*, qui *Badæ* erat, ad aquas ſumendas accepit. *Badæ Languetum* vacuum nactus, ita mordicus per triduum ei adhæſit, ut ab eo divelli non poſſe putaretur.

Ita candor hominis illum ceperat, judicio in literis & negotiis publicis, quæ totâ vitâ ſub variis Principibus geſſerat, præditi. Ab eo breve manuſcriptum, quod poſteà diligenter aſſervavit, accepit, quo generalis *Germaniæ ſtatus*, ſicuti tunc erat, Comitiorum jus, circulorum numerus, conſiliorum ordo deſcribitur.

Badâ Studgardiam veniens, & ad *Ludovicum* Principem *Wirtembergicum* ſalutandum introductus, ſymphoniacorum delectum chorum in eâ aulâ præcipuè admiratus eſt.

Stutgardiæ Principem Wirtenb. ſalutavit.

Indè *Auguſtam Vindelicorum* profectus, ædes *Fuggerorum*, in iiſque *Marci* hortos fontibus artificioſis irrigatos & vivariis diſtinctos, adhæc congeſtos ab eo nummos aureos, argenteos, & æreos cupidè ſpectavit.

Auguſtæ vidit hortos Marci Fuggeri.

Baſileæ tandem mora fuit aliquot dierum; nam *Baſilius Amerbachius*, ad quem commendatitias à *Fr. Pithœo* literas habebat, ab ejus latere nunquàm diſceſſit.

Baſileæ Baſilio Amerbachio acceptus.

Antè omnia ei in propriis ædibus D. *Eraſmi Roterod.* bibliothecam & adverſaria manuſcripta, tum nummos antiquos, aliamque modicam ſupellectilem *Vito* parenti ab ipſo legatam oſtendit, in eoque globum terræ argenteum à *Tigurino* quodam artifice factum, quem dum curioſis oculis inſpicit, medio eo aperto vinum utrinque infuſum eſt, & more gentis *Thuano* propinatum.

Indè *Plombinum* rediit, ubi fratrem non multùm aquarum uſu ſublevatum nactus de eo domum reducendo conſilium inivit, qui tandem *Lutetiæ* paucis menſibus poſt piè exſpiravit.

Sequens annus 1580. cum populari lue funeſtus eſſet, in *Turones* conceſſit, in *Malliâ* arce ſtudiis & aliquando venationibus animum oblectans.

Cum contagium deſæviiſſet, revocante patre *Lutetiam* rediit, cum inter delegatos ex Senatu *Pariſienſi* in *Aquitaniam* miſſus eſt, qui jus aſſiduè in eâ provinciâ dicerent.

In Aquitaniam ad jus dicendum miſſus.

In itinere *Aginni Sylvium Scaligerum*, *Joſephi* fratrem, virum eruditum nactus, factâ Commentariorum Patris in Libros *Ariſtot.* de hiſtoriâ animalium mentione, eum rogavit, ut eos recenſeret, nec diutiùs publico invideret, quod & ille fecit, libro 10. publicato. An. 1583. poſt obitum parentis in patriam rediit.

Nunquàm autem, dum peregrinabatur, ſtudia intermittebat, & eorum, quorum familiaritate ad Opus Hiſtoricum, quod jam tum animo complectebatur, opus habebat, amicitiam ſedulò ambiebat.

In peregrinationibus Opus ſuum Hiſtoricum meditatus eſt.

Eo tempore mortuo *Lutetiæ* Senatore *Fr. Gardâ Sagnio*, & allato diplomate, quod primùm *Philippus Huraltus Cervernius* ipſius ſororius, nuper Procancellarius creatus obſignavit, & patri morem gereret, examini ſe ſubjecit, ad quod pallens tremenſque acceſſit. Per bihorium de Jure interrogatus coràm numeroſo Senatu egregiè reſpondit.

In Jure examinatus.

Tandem Senatûs Conſulto facto Sacramento adactus, ad magnam Inquiſitionum claſſem pro more à *Pomponio Belleureo*, qui poſteà ad ſolſtitium honoris evectus eſt, deductus.

Magnæ Inquiſitionis Senator.

An. 1584. Ab Inquiſitoriis claſſibus migravit, non ambitione aut aulici ſplendoris deſiderio, ſed quia mater & patrini imprimis urgebant, ut vitæ ſe ſolutæ manciparet, quod tamen fieri non poterat, quamdiu inter Eccleſiaſticos Senatores maneret.

Itaq; Libellorum Supplicum Magiſtri quærendum fuit officium, quod permutatione cum munere ſuo Eccleſiaſtico facta in locum *Guil. Varii* ſuſcepit: is enim annos adoleſcentiæ vix egreſſus, etſi eo Libellorum Supplicum Magiſtri munere ob eximiam doctrinam dignus judicaretur, tamen in Senatoris Eccleſiaſtici Ordine ſedere, quàm protinus à foro aulam transvolare iſtûc ætatis malebat.

Libellorum Supplicum Magiſter.

A. 1588. In Sanctius Conſiſtorium à Rege lectus *Autrici Carnutum* 7. Kal. Sept. Sacramentum dixit. Tandem cum A. 1595. patruus *Thuani Auguſtinus* Præſes Parlamenti Regii primarius animam DEO reddidiſſet, *Thuanus* ei jam pridem ſucceſſor deſignatus ſtatim ſuffectus eſt.

In Sanctius Conſiſtorium à Rege receptus. Præſes Parlamenti Regii primar.

Sciſsâ tunc in factiones *Galliâ* Regias partes ſtrenuè tutatus eſt, Regemque adultâ jam factione urbe excedentem inter alios ſecutus eſt.

Regias partes unicè ſecutus.

Eo tempore cum in conſilio placuiſſet, ut delegati in Provincias mitterentur, qui de re-

Digitized by

rum ſucceſſu, Regis voluntate in convocandis Regni Ordinibus Præfectos & Magiſtratûs edocerent, & in fide confirmarent, *Thuanus Neuſtriam* ſortitus eſt, reque benè confectâ, eâdem de causâ in *Piccardiam* cum mandatis ipſius Regis manu exaratis miſſus, ubi obiter *Corbiæ* optimæ antiquitatis Bibliothecam jam à multis expilatam, ſed bonis adhuc libris, & bonæ notæ fragmentis refertam perluſtravit, multaque ſeorſim à reliquâ congerie ſepoſuit, quæ rebus compoſitis olim ſibi atque adeò rei literariæ uſui fore ſperabat.

Legatus Regius in Neuſtriam & Piccardiam.

Sed ſpem ejus fraudavit belli diritas & direptio, quæ pretioſas illas reliquias non templi, in quo aſſervabantur, religione tutas diſſipavit.

Bonorum jacturam æquo animo tulit.

Tum & ſupellectilem ſatis amplam, argenteam gazam, gemmas, tapetes, veſtes, & lectos, ex urbe cui metuebat aſportatos, *Farâ Veromanduorum* ab hoſtibus expugnatâ, amiſit, quæ jactura non minor 10000. aureorum æſtimata fuit: nemo tamen illum eâ de re conquerentem audivit, aut litem cuiquam poſt res compoſitas ob id moventem intellexit.

A. 1590. Cum in urbem *Pariſienſem* rediiſſet, factioſi conjecturam fecerunt, quaſi cædis *Guiſii* conſcius ad animos regiorum, & res in eum caſum præparandas veniſſet.

Itaque varia inter eos agitata contrà illum conſilia, & *Joh. Ruta*, homo facinoroſus, crebrò ad ædes ejus ventitabat, ut qui homines in iis eſſent, quæ arma, qui equi inſpiceret. Quas contumelias impatienter ferens parùm abfuit, quin manûs in ipſum injiceret, ſed ab amicis prohibitus ſe continuit, & ſubindè per tenebras domicilium mutavit, donec amicis ſibi metuentibus ad cœnobium S. *Franciſci* perfugium habuit, in quo humaniter habitus eſt.

Factioſorum Lutetiæ inſidias evaſit Cœnobium ingreſſus.

Intereà *Maria Barbanſona* abſentem maritum dum quærit à *Rutâ* illo in *Baſtiliam* deducta, ſed *Aumalii* Ducis juſſu profundâ nocte iterum emiſſa eſt.

Hæc paulò pòſt habitu matronæ urbanæ, poſitis Nobilitatis inſignibus, equo gradario vecta diſceſſit, & ad *Capreolium* receptum habuit.

Thuanus ipſe ad S. *Franciſci* adhuc hærens, ut militari habitu cuſtodias falleret, à *Feſſono* nobili pilæ ludi exercitore ſub veſperam in ſuburbium, ubi paratos equos habebat, deductus, & hoſtium manibus elapſus *Blaſas* profectus eſt.

Militari veſtitu clam urbe egreſſus.

Blaſas venit.

Ibi Rex in ſolitudine & morbo jacens *Thuanum* ſubitò admiſit, qui tunc Regi ut cum *Navarræo* in gratiam redeat, author ac ſuaſor fuit, quod ab aliis fruſtrà hactenus tentatum fuerat.

Regem Navarræum Regi Gall. reconciliavit.

Sic tandem acceſitus, & in occulto à *Caſp. Schonbergio* ac *Thuano* auditus *Philippus Mornæus Pleſſius Navarri* Legatus, & res cum eo tranſacta.

Poſteà legationis *Schombergio* commiſſæ comes in *Germaniam* proficiſci, & ſudorem pulveremque viæ cum ipſo partiri voluit.

Cum Schombergio in Germaniam profectus,

Is auxiliarem exercitum 20000. peditum & 1000. equitum conſcribere juſſus, dum delectibus habendis occuparetur, *Thuanum* ſibi ſocium adjungi petierat, qui Cæſarem primò adiret, deindè cœteros Imperii Principes, ac præcipuè fœderatos, quorum gratiâ & pecuniâ copiæ legi debebant.

Ubi *Venetias* ventum, nam interim in *Italiam*, quæ proxima eſſet, antequàm in *Germaniam* iret, tranſire, & pecuniam *Florentiæ* & *Venetiis*, quantùm poſſet, ſumere juſſus erat *Schombergius*, nuntius de Regis morte venit, & à Nobilitate *Navarrum* Regem in caſtris ſalutatum.

& Venetias.

Venetiis Patavium ſeceſſit, ut dulci *Joh. Vincentii Pinelli*, quem antè 16. annos non viderat, ad dies aliquot conſuetudine frueretur.

Per *Rhætiam* deindè & *Helvetiam* in patriam reverſus, à Rege ſuo benignè exceptus eſt, quem de rebus *Italiæ*, *Germaniæ*, & *Helvetiis* plenè edocuit, & petitâ veniâ *Silvanectum* ad uxorem, quam toto anno non viderat, ire perrexit.

Lutetiam rediit.

Dum indè rebus ex *Parenſi* calamitate convaſatis conſilium de transferendo in *Turones* domicilio capit, & ſeriùs in viam ſe dat, in itinere à *Bellovacenſis* civitatis præſidiariis uxor ejus cum toto gynecæo capta eſt: ipſe pernicis equi ope *Gifortium* ad Regem evaſit, ubi *Armandus Bironus* ſcriptis ad *Seſſevallium* literis libertatem uxori ac gynecæo impetravit, redemtis in urbe pecuniâ ab amicis commodatâ equis, quibus illa cum comitatu ad virum rediit.

Uxor ejus cum gynecæo capta, & liberata.

Hoc tempore dum ex *Carnatibus Cæſarodunum* rediit febri peſtilenti correptus, ope Medicorum *Caroli Paleæi* & *Franc. Vertuniani* convaluit.

A febri peſtilenti convaluit.

Deindè poſt aliquot annos in rebus cum *Carolo Lotharingo Meduanio*, & *Philippo Emanuele Mercuriano*, præcipuis *Henoticæ* Unionis Ducibus componendis felicem induſtriam Regi probavit.

Eodem anno, qui erat 1599. cum *Reginaldo Belnenſi* totum biennium in digerendis & corrigendis Academiæ *Pariſienſis* ſtatutis operam navavit, nec minore tamen ob id invidiâ flagravit.

Acad. Pariſienſis ſtatuta emendavit.

A. 1587. In uxorem duxit *Mariam Barbanſonam*, *Franciſci Barbanſoni*, *Canii* prælio *Sandionyſiano* extincti filiam. Nuptiæ poſt mediam noctem ad vitandum tumultum celebratæ, & quia olim Proteſtantium doctrinæ uterque Sponſæ parens addicti ſuſpicionem faciebant, quaſi liberi, quanquam ad ſacra majorum jam antè rediiſſent, in Religionis causâ mutarent. *Maria* in arcano ab *Arnulpho Meſnilio*, Epiſcopi *Pariſ.* vicario audita, & Confeſſione ſacrâ prius expiata eſt.

Conjugium ejus.

Hanc uxorem dilectam ex longo & moleſto morbo A. 1601. amiſit, cujus mortem non ſolùm extemporaneo carmine deploravit, ſed eidem ſtatuam è *Lunenſi* marmore ab artifice *Bartol. Priore* factam in Sacello *Thuanorum*, cum elogio erexit.

Anno tandem 1603, *Caſparum Caſtreum* auguſto

auguſto augurio ſibi copulavit, & penè intermortuam gentis *Thuanæ* ſpem fœcundâ prole renovavit, nam ex priore conjuge nullos liberos ſuſceperat. *Caſtrea* cum A. 1616. deceſſiſſet, morte ejus admonitus de ſuis rebus ultimo voluntatis elogio ſtatuit, & inter alia Bibliothecam ſuam 40. annorum ſpatio magno ſumtu congeſtum in uſum publicum legavit.

Bibliothecam ſuam uſui publico legavit.

Tandem exeunte anno 1617. ætatis ſuæ 63. animam optimè de Patriâ & Republicâ literariâ meritam DEO reddidit, cum gravi & diuturno morbo oppreſſus fuiſſet.

Moritur.

Epitaphium.

Epitaphium carmine hoc ipſe ſibi ſcripſit:

Hic in quiete buccinæ expecto ſonum
Animas jubebit cum ſolutas ad ſua
Humi relicta transvolare corpora,
Interq; functos ultimæ ſententiæ
Judex ſedebit & ſuperſtites Deus.
Ubique, quæ ſervata ſemper ab omnibus,
Hanc ipſe, quantum corporis non noxii
Hebesve ſenſus ingeni non obſtitit,
Teneris ab annis usque ſervavi Fidem.
Mihi culta corde ſancta non ficto Trias,
Et criminis Crux expiatrix non fuit.
Mihi veritatis cura vitæ commodis
Antiquiorque Caritatibus fuit:
Nulliq; facto voce nulli injurius.
Injurias patienter aliorum tuli.
Tu quisquis es, qualisq;, quantusq;, ô bone!
Si cura veri eſt ulla, ſi pietas monet,
A me, meisque injuriam quæſo abſtine.

Scripta, quibus rem literariam illuſtravit, ſunt ſequentia:

Scripta.

De re Accipitrariâ Libri III. Carminicè in gratiam amici ſui Mich. Huralti Hoſpitalii, magni illius Cancellarii Nepotis, publicati.

Jobi Conſtantia Poëtica Paraphraſi explicata.

Hieremiæ Threni Latinis verſibus propoſiti.

Eccleſiaſtes, h. e. ſapientiſſimi Regis de ſummo bono Concio, verſibus Latinis reddita.

Prophetæ, Joël, *Amos, Jonas, Abdias, Habacucus, & Haggæus metaphraſi Poëticâ explicati.*

Opus Hiſtoricum rerum in Regno Galliæ & totâ penè Europâ geſtarum ab A.C. 1593. ad A.C. 1607. In hoc opere conſcribendo, plurimùm ſe Petri Pithœi & fratrum Sammarthanorum operâ fuiſſe adjutum, teſtatus eſt.

* *Ex vitâ Jac. Aug. Thuani Gerardo à Stöcken Holſati Thuano cuſeleato ſub finem annexâ.*

Filius ejus *Franciſcus Auguſtus Thuanus* Parlamenti quoque Regii *Lutetiæ* Conſiliarius, ideò quod conſpirationem contrà Regem ſuum cum *Hiſpanis* initam, & ſibi ab amico *Henrico Deſſiato* Marchione *Cinc-Marchio* ſub fide ſilentii detectam non propalâſſet, cum eodem Marchione publicè ſecuri percuſſus, piè vitam finiit *Lugduni Gallorum* 12. Sept. A.C. 1642.

Undè quidam in eos luſit hoc Epigrammate:

Epigramma.

Morte pari periêre duo, ſed diſpare cauſâ:
Eſt reus ille loquens, eſt reus iſte tacens.
Morte pari periêre duo, ſed perdidit illum
Fracta fides, alium perdidit arcta fides.

Caſp. Cunradus, Med. D. in Proſopographiâ melicâ hoc in honorem *Jac. Aug. Thuani* ſcripſit diſtichon:

Hiſtoriæ lampas, Muſæ fax, Juris ocellus:
Vis dicam quis ſit vocè? Thuanus *is eſt.*

EPITAPHIUM:

Epitaphium.

JACOBO AUGUSTO THUANO, CHRISTOPHORI FILIO IN REGNI CONSILIIS ADSESSORI, AMPLISSIMI SENATUS PRÆSIDI: LITTERARUM, QUÆ RES DIVINAS ET HUMANAS AMPLECTUNTUR, MAGNO BONORUM ET ERUDITORUM CONSENSU, PERITISSIMO: VARIIS LEGATIONIBUS SUMMA SINCERITATE AC PRUDENTIA FUNCTO; A PRINCIPIBUS ÆVO SUO LAUDATISS. EXIMIE CULTO: HISTORIARUM SCRIPTORI, QUOD IPSÆ PASSIM LOQUUNTUR, CELEBERRIMO: CHRISTIANÆ PIETATIS ANTIQUÆ RETINENTISSIMO. PARCISSIME CENSUISSE VIDETUR, QUI TALI VIRO SÆCULUM DEFUISSE DIXIT.

JACOBUS AUGUSTUS THUANUS, JACOBI AUGUSTI FILIUS AMPLISSIMI ORDINIS SENATOR ET PRÆSES, TAM SUI, QUAM FRATRUM AC SORORUM ADFECTIBUS OBSEQUENS FACIENDUM CURAVIT.

* *Ex Academiâ ſcientiarum & artium Iſaaci Bullarti.*

LUDOVICUS MELTIUS.

Obiit A.C. 1617.

M*Ediolani* natus eſt ex familiâ virtute bellicâ illuſtri, A. C. 1567.

A primâ ætate Literis & Armis inclareſcere deſiderans, An. ætatis 18. inter Equites *Hieroſolymitanos, Melitenſes* vocatos receptus in mari per 18. annos contrà Piratas & *Turcos* militem navalem egit, ideò vix natus 24. annos Navis majoris Galeræ dictæ Capitaneus à Magno Ordinis ſui Magiſtro factus eſt.

Literis & armis clarus.

Eques Melitenſis.

Capitaneus Navalis.

Pedeſtri deindè militiæ nomen dans in *Flandriâ* ſumtibus ſuis per 6. annos Regi *Hiſpaniarum* miles voluntarius inſerviit, nullum vitæ periculum, quod ſæpiùs incurrit, pertimeſcens.

Hercules Sfondratus, Eccleſiæ Catholicæ ſub Pontificè *Gregorio XIV.* Generalis avunculus ejus Locumtenentem cum primùm Centuriæ Haſtatorum, & poſteà Capitaneum ejuſdem Centuriæ in *Galliâ* conſtituit.

Capitaneus Pedeſtris.

Johannes de Velaſco, Conneſtabilis *Caſtillæ* & Statûs *Mediolanenſis* Gubernator pariter eum Lanceatorum turmæ contrà Regem *Navarræum* præfecit.

Ab *Alberto* Cardinale *Auſtriaco* Magiſtri Campi obtinuit officium in *Flandriâ*, cumque militibus ſuis *Oſtendæ* obſidioni præſens ſcolopeti globo graviter vulneratus eſt.

Campi Magiſter.

Archidux *Albertus* Conſiliarium eum bellicum in *Flandriâ*, & Equitatûs Locumtenentem Generalem, poſt mortem Comitis *Theodori Trivultii* conſtituit. Rex verò Catholicus Conſiliarium Secretum *Mediolani* declaravit.

Conſiliarius bellicus.

Conſiliarius ſecretus Hiſp.

Militiæ Dux. In *Italiam* deindè reverſus, quo tempore Rex *Hiſpaniæ* & Dux *Sabaudiæ* bellum gerebant, à Marchione *Mendozâ* Statûs *Mediolanenſis* Gubernatore 7000. & 500. peditum, & 500. equitum imperium abſolutum obtinuit.

Moritur dyſenteriâ. Cum tandem 33. annis militem ſtrenuum egiſſet, *Vercellis* dyſenteriâ correptus, & *Mazentam* deportatus, morte glorioſâ vitam finiit 21. Julii A.C. 1617. ætatis ſuæ 60. *Sepultus Mediolani.* Corpus ejus *Mediolanum* tranſlatum in Templo *Gratiæ* Majorum ſuorum Sepulchro illatum eſt, cum ſeq. *Epitaphio*:

Epitaphium.

LUDOVICUS MELTIUS LUD. F.
PATRITIUS MEDIOLANENSIS,
EQUES HIEROSOLYMIT.
CATH. REGUM IN GALLIA, BURGUNDIA,
BELGIO, INSUBRIA
TURMÆ EQUIT. HASTATOR. DUCTOR,
LEGIONIS ITAL. LEGATUS
EQUITUM PROMAGISTER BELLICUS,
INTIMUSQUE CONSILIARIUS,
PROXIMO SUB ALPINO BELLO
ALTERIUS EXERCITUS MODERATOR,
HIC APUD MAJORES SUOS SITUS EST.
VIXIT ANNOS 59. MENSES 5.
DECESSIT V. ID. QUINT. CIƆ DCXVII.
ALOYSIUS MELTIUS COMES MAZENTÆ
SENATOR FRATRI OPT. MER.

Scriptum. Librum typis emiſit, hoc titulo:

Regole Militari ſopra il Governo & ſervizio particolare della Cavalleria.

Hic Liber in *Italicam*, *Hiſpanicam*, *Gallicam*, & *Belgicam* Linguam tranſlatus à Principibus & Ducibus militaribus in pretio habetur.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1615.

MELCHIOR ALCIATUS.

Juris Doctor Ticini & Profeſſor. Patritius *Mediolanenſis* & Juris utriusq; Doctor, in Academiâ *Ticinenſi*, Senatus *Mediolanenſis* decreto, Jus civile publicè cum auditorum applauſu docuit.

Ideò *Polydorus Riva* Juris Doctor & Profeſſor *Antonius Maria Spelta*, *Henricus Farneſius*, & *Bernardinus Baldinus*, tres Profeſſores celebres, in operibus ſuis frequenter in ſcriptis ſuis mentionem hujus *Alciati* fecerunt.

Moritur. Obiit in Turri *Cortiſorum Aretii*, loco territorii *Ticinenſis*, indè *Ticinum* delatus, in Templo *Carmelitano* ſine Epitaphio ſepultus fuit A. 1618.

Scripta. Opera edidit:

De præcedentiâ inter feudatarium Cæſarei Pontificii, Juris Doctorem & feudatarium habentem annexam Comitatûs & Marchiæ dignitatem.

De acquirendâ Poſſeſſione.

In Cæſareas Conſtitutiones Statûs Mediolani.

De novi operis nuntiatione.

De Ordine graduum Statûs Mediolani.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JACOBUS GALLUS.

Obiit A.C. 1618.

Natus eſt *Neapoli* A.C. 1552.

Juris Profeſſor Meſſanæ. Ab *Hiſpaniarum* Rege unus è multis electus eſt, qui *Meſſanenſe* Gymnaſium ſuis auſpiciis conditum illuſtraret.

Patavii Juris Profeſſor primarius. A. 1602. A Republicâ *Venetâ*, propoſito mille aureorum honorario, in Academiam *Patavinam* accitus, ibi Principem Jurisprudentiæ locum ſemper obtinuit.

Cæcus moritur. Tandem luminibus ferè captus, tres tamen adhuc annos in docendi munere perſtitit, & vivere deſiit A.C. 1618. ætatis 66.

In Eccleſiâ D. *Antonii* oratione publicâ laudatus eſt à *Sigiſmundo Boldonio*.

Scripta. Edidit:

Clariores Juris Cæſarei apices.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

ALEXANDER HOHENBUCH.

Obiit A.C. 1618.

Natus eſt *Wormatiæ* 23. Martii An. C. 1569. Patre cognomine, Syndico primùm *Wormatienſi*, deindè *Heidelbergæ* Conſiliario Eccleſiaſtico, tandem pòſt Religionem ibi mutatam A. 1584. Comitum *Hohenloicorum* Conſiliario.

Doctor Juris Heidelbergæ. Cum in Academiis *Wittenbergenſi* & *Tubingenſi* ſtudia ſedulus tractâſſet, *Heidelbergæ* Doctor Juris cum laude creatus eſt A. 1593. *Conſiliarius Palatino-Neoburgicus.* Deindè cum *Spiræ* Praxin didiciſſet, à Principe Palatino *Philippo Ludovico Neoburgi* in Conſilium adſcitus, in eo munere per vitæ reſiduæ tempus fidelem ſe exhibuit.

Nubit. Anno ſeq. 1595. Uxorem duxit virginem *Euphroſynam*, *Johannis Martini Hilleri*, Conſiliarii *Palatini* filiam, ex quâ 9. liberos ſuſcepit, ſed unicam filiam tantùm ſuperſtitem reliquit.

Moritur. Obiit tandem *Neoburgi* ad *Danubium* 15. Jan. A.C. 1618. ætat. 49.

* *Ex Concione funebri.*

CHRISTOPHORUS FISCHERUS.

Obiit A.C. 1618.

A *Nnebergæ* natus eſt An. C. 1562. Patre *Franciſco Fiſchero*, Conſule, Matre *Urſulâ*, *Petri Lehmanni*, ſenioris, ibidem Senatoris filiâ.

Magiſter Lipſiæ. Adoleſcens à parentibus in Academiam *Lipſienſem* miſſus, in eâ Magiſterii gradu inſignitus eſt A.C. 1584. ætatis 22. *ConRector & Rector Scholæ Annemontanæ.* Brevi pòſt in Scholâ Patriæ *Annæmontanâ* ConRector, & A. 1595. Rector factus, An. 1603. poſtquam 19. annos in pulvere Scholaſtico deſudâſſet, dimiſſionem à Scholâ petiit & obtinuit.

Senator & Judex. Paucis pòſt ſeptimanis in Senatum Patriæ electus, & anno ſeq. 1604. Judicis officium ſibi delatum ſuſcepit, quod etiam anno ſequenti, & poſtmodùm ſæpiùs cum laude adminiſtravit.

Præfectus molendinarum & Conſul. A. 1607. Præfecturæ molendinariæ admotus, & An. 1616. Conſul oppidi per electionem factus eſt.

19. Junii

Conjugium ejus duplex, & Liberi. 19. Junii A. 1587. primum matrimonium contraxit cum virgine *Magdalenâ*, Dom. *Leonharti Badeborni*, Judicis *Annæmontani* relictâ filiâ, ex quâ 3. liberos progenuit, & filium cum filiâ reliquit. Hâc morte ſibi abreptâ, biennio pòſt iterum deſponſatus eſt cum virgine *Annâ*, M *Wolffgangi Stolbergii*, Superintendentis ibidem filiâ, cum quâ 3. filios & 2. filias ſuperſtites reliquit, unicum verò filium præmiſit.

Cum verò ab 8. annis morbis variis fuiſſet afflictus, viribus tandem ſuccumbentibus placidè in Chriſto obdormivit 15. Febr. *Moritur.* A. C. 1618. ætatis 56.

* *Ex Concione funebri M. Chriſtiani Dunzelii, Archidiac. Annaberg.*

Obiit A. C. 1618.

ANGELUS SAXUS.

Civis *Patavinus*, & celebris Jurisprudentiæ Doctor, altæ ſtaturæ vir, & læti vultus, colore tamen plumbeo, albis oculis, fronte linearum capillarium plenâ, virtutibus variis & ingenuis artibus perornatus.

Juris Profeſſor Patavii. Hic omnibus literarum ſtudioſis amabilis à Sereniſſimâ Republicâ *Venetâ* A. 1588. Lecturæ Juris Canonici de ſero, ut ajunt, ſecundo loco centum florenis propoſitis adſcriptus eſt: at aucto ſtatis temporibus ſtipendio 400. ſingulis dein annis aureis honeſtatus eſt. Eâ in lecturâ clari & dilucidi Interpretis nomen tulit.

Cauſarum actor. In cauſis etiam forenſibus conſultus excelluit, cumque ad maximos Jurisprudentiæ honores increbeſcente indies nominis & virtutis ejus famâ eveheretur, Fortuna ſecundis adverſa miſcuit, vitamque ejus violento fato concluſit. Siquidem A. 1618. ſub auroræ ortum die Veneris Dominicæ *Interfectus.* Paſſionis ſacro, domi à ſceleſtiſſimo olim familiari ſuo fœdè dilaniatus eſt.

Sepulchrum habuit in Eccleſiâ Patrum D. *Mariæ* Servorum inter Majorum ſuorum cineres, nec ullum ejus in lucem poſitum monumentum extat.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A. C. 1618.

GOTHOFREDUS ANTONII.

Natus eſt in oppido *Weſtphaliæ Freudenbergâ* A. C. 1571. Patre *Petro Antonii*, aurifice, *Gothofredi* Judicis *Freudenbergenſis* filio: Matre *Franciſcâ Fiſcherinâ*, Conſulis *Mundenſis* filiâ.

Hi eum non Sacris modò initiârunt, ſed etiam literarum & pietatis ſtudiis omni meliori modo imbui curârunt, & ad vicinas Scholas *Unnaenſem* & *Hammenſem* delegârunt, nec multò pòſt ad *Suſatenſe* Gymnaſium, ubi fratris natu grandioris inſtitutioni & inſpectioni à parentibus commiſſus *In Gymnaſio Suſatenſi diſcipulus.* tantum brevi profecit, ut fratris, cujus modò erat diſcipulus, brevi & inſolitâ metamorphoſi factus ſit Præceptor. *Mox fratris ſui Præceptor.*

Tantæ virtutis indole commotus, Nobilis quidam literatus à *Thal* eum, cum eſſet adhuc adoleſcens, 12. annorum filiis ſuis Præceptorem præfecit. *Præceptor Nobilium an. æt. 12.* His, cum adhuc teneræ eſſent ætatis, per 12. annos continuò domeſticâ & Scholaſticâ inſtitutione præfuit in *Suſatenſi* Gymnaſio.

Memoria tunc in eo fuit divina & incomparabilis, ut integras Conciones, notâ quaſi per indicem diſpoſitione & ſacrorum dictorum allegatione, è templo domum reverſus, eo, quo propoſitæ erant, ordine recitare potuerit iiſdem planè verbis, geſtu, & ſono. *Memoriâ divinâ præditus.*

An. 1594. miſſus cum diſcipulis ſuis ad Academiam *Marpurgenſem*, ad Jurisprudentiæ fontes properavit, tantumque profecit, ut non ſolùm privatim cum Juris ſtudioſis ex Academiis redeuntibus de Quæſtionibus controverſis eruditè ſententias conferre, ſed etiam publicam Diſputationem laudabiliter defendere potuerit. *Juris ſtudioſus Marpurgi.* *Publicè diſputavit.*

Aperto tunc Inſtitutionum Collegio, aliis ſe adjunxit, ut Præſidis ſui Dn. D. *Philippi Kegelii* favorem adeò ſibi conciliârit, ut cum ille in medio Collegii curſu ad Syndicatum Civitatis *Hildeſienſis* avocaretur, & de ſubſtituendo Præſide conſuleretur, nullum hoc ipſo ad ſuſcipiendam eam Provinciam digniorem judicârit. *Præſes in Collegio privato.*

Iſto finito Collegio, ſtudioſos catervatim ſollicitatores habuit ad nova aperienda Collegia. Hoc ipſum cum videret ad publicam utilitatem, ſuum honorem, & aliorum redundare commodum, gnaviter effectum dedit, & non mediocriter inclaruit.

Cœterùm cum per biennium tantùm in Academiâ *Marpurgenſi* commoratus eſſet, à Senatu Juridico Inſignia Doctoralia in utroque Jure petiit, quæ & petenti ſummâ cum eruditionis commendatione A. 1596. à *Philippo Matthæo*, J. C. & Profeſſore percelebri, delata fuerunt. *Juris Doctor creatus Marpurgi.*

Huic actui & juſtitiæ deſponſationi acceſſit & nuptiarum feſtivitas, cum ei eodem die virgo *Eliſabethâ*, D. *Conradi Piſtorii*, J. C. & Conſiliarii *Haſſiaci* filia matrimonio copularetur. *Deſponſatus.* Ex eâ 4. filios & 5. filias ſuſcepit, omnes præter 3. filias ſuperſtites.

Adeptis honoribus Doctoralibus *Marpurgi* rerum ſuarum ſummam & domicilium conſtituit, ſtudia Academica cum Practicis conjunxit, & non rarò quaterna pluraque Collegia pro exercitio ſtudioſorum ſimul aperuit, iisque ſingulari lepore & gratiâ præfuit: cumque nominis ſui exiſtimationem non obſcurè propagâſſet, vocatio ſatis lauta & honeſta ipſi à Senatu *Stralſundenſi* ad Syndicatum oblata, promiſſo Salario 300. Joachimicorum, liberâ habitatione, vino ad neceſſitatem, lignis aliisque honorariis & immunitatibus. *Syndicatum Stralſundenſem recuſavit.*

Sed ille futuram Academicæ functionis exſpectationem lautæ conditionis oblationi prætulit, eamque honeſtè recuſavit.

Nec ipſum ſpes fefellit: paulò namque pòſt *Philippo Matthæo*, J. C. rebus humanis exempto,

exempto, Principum *Haſſiæ* ſuffragiis ad Inſtitutionum Juſtinianearum Profeſſionem in Academiâ *Marpurgenſi* vocatus eſt, quam honorificè tàm Diſputationibus quàm Prælectionibus adornavit. Id ipſum teſtantur Diſputationes Feudales *Marpurgi* brevi tempore habitæ, quæ ferè omnium Juris Candidatorum teruntur manibus. *Juris Profeſſor Marpurgi.* *Diſputationes Feudales habuit.*

Huic Profeſſioni cum per annum præfuiſſet, ad Pandectarum Profeſſionem, vacante loco, An. 1604. promotus fuit. Durante iſtâ functione ad Cancellariatum à generoſis Comitibus *Waldeccenſibus* deſideratus fuit, quem ob graves rationes ſubire recuſavit.

Sed cum hanc functionem per ſemeſtre ſpatium pari gratiâ & auditorum frequentiâ obiiſſet, incidit Reformatio *Marpurgenſis*, quæ ſtatum Academiæ florentem diſſipavit. Vocatus tum ab Illuſtriſſimo *Ludovico*, *Haſſiæ* Landgravio juniore, ad Conſiliarii & Profeſſoris in Academiâ *Gieſſenſi* munus, morem gerere decrevit, ſuamque à Sereniſſimo *Mauritio*, *Haſſiæ* Landgravio, dimiſſionem petiit, quam tamen ægerrimè obtinere potuit.

Studioſi tunc plurimi cum eo ad Gymnaſium *Gieſſenſe* tranſiverunt, in quo privilegiis Academicis obtentis & publicatis Academiæ Cancellarius & Juris Profeſſor primarius deſignatus, primus Rector magnificus nominatus, primum in Collegio ædificando poſuit lapidem, & primum Actum Doctoralem exercuit. *Cancellarius & Juris Profeſſor Gieſſ. Primus Rector.*

Docens tunc de obſcuris dilucidè, de confuſis diſpoſitè, de dubiis enucleatè diſſeruit, & ſingulari cum gratiâ, ac gravitate Diſputatoris partes ſuſtinuit.

Sæpiùs ad amicos dicere ſolitus eſt, quod in addiſcendo & interpretando Jure nunquàm ei obſtiterit moleſta difficultas, & quaſi innatam ſibi ſemper viſam fuiſſe *Romanam* Juriſprudentiam.

Ex Academiâ *Gieſſenſi* vocatus in *Helmſtadianam*, ut D. *Forſtero* in primariâ Juris Profeſſione ſuccederet, vocatus prætereà à civitate *Luneburgenſi* & *Suſatenſi* ad Syndicatum, omnes has vocationes recuſavit, Principi ſuo addictus eſſe volens.

Tandem cum graves cauſæ apud Sereniſſimum Electorem *Saxoniæ* eſſent expediendæ, Princeps *Gothofredum*, quamvis podagricis doloribus conflictantem, mandatis ad legationem eam obeundam inſtruxit. In eo itinere longo pedem de rhedâ ponere non potuit, ſed rhedarii & aliorum operâ geſtatus fuit. *Ultima legatio ejus ad Electorem Saxoniæ.*

Cum verò *Dresdam* appuliſſet, ab Electore *Saxoniæ* honorificè exceptus, negotia commiſſa, ægro quamvis corpore, magno tamen animo expedivit.

Ex hoc itinere reverſus, ita debilitatum ſe ſenſit, ut eunti Illuſtr. Principi ad Comitia *Ratisbonenſia*, quamvis maximè deſideranti, non valuerit adeſſe. Ex eo tempore podagrici dolores indies aucti, & non rarò nephritici accedentes, maximoperè eum afflixerunt, donec viribus diſſipatis placidè in Chriſto exſpiravit die 16. Martii A.C. 1618. ætatis 47. *Moritur.*

Typis emittere, ſed morte præventus elaborare non potuit,

De Sententia & re Judicatâ Tractatum nondum viſum, ex Principiis Theoreticis & Practicis elaboratum. *Scripta.*

De Jure feudali Tractatum ſingulari methodo ſcriptam.

* *Ex Oratione Parentali D. Theodori Reinking, J.C. & Conſil. Darmſtat. & ex Concione fun. D. Juſti Feurbornii, Theol. Prof. Gieſſ.*

ERNESTUS MüLLERUS.

Obiit A.C. 1618.

Natus fuit *Ilenburgi* in *Miſniâ* A.C. 1572. Patre *Valentino Müllero*, ibidem Conſule.

In Scholâ patriâ cum adoleviſſet, *Miſenæ* in Gymnaſio Electorali pietati & diſciplinis liberalioribus operam dedit, & induſtriam ſuam ita probavit omnibus, quos habuit Præceptoribus, ut de ipſo ſpem conceperint maximam, quæ quidem ipſos minimè fefellit. *In Gymnaſio Miſnenſi diſcipulus.*

In Academiarum luce multos verſatus fuit annos, & duos quidem *Wittenbergæ*, tres *Lipſiæ*, & totidem *Jenæ*, quo temporis ſpatio præclaram in Jure conquiſivit eruditionem. Quin & nobiles juvenes *Reitzenſtenios* ſuæ diſciplinæ concreditos ſummâ inſtituit fide, & dum alios doceret, ſemetipſum feliciter erudivit. *Jurium ſtudioſus Wittenbergæ, Lipſiæ, & Jenæ.*

Cum itaque in Juris ſtudio *Jenæ* progresſûs feciſſet laudatos, occaſionem ibi manendi circumſpiciens A. 1597. uxorem duxit *Barbaram*, *Philippi ab Herden*, Conſulis Oppidani filiam, quâ cum conjunctè vixit ad extremum usque ſpiritum, nec tamen parens ex eâ factus eſt ullius ſobolis, quod an felicitatis ſit, an infortunii, liberorum facit improbitas, ut haud injuriâ dubitari poſſit. *Uxorem duxit Jenæ.*

A. 1598. Protonotarii munus in Judicio Electorali *Saxonico Jenæ* ſibi delatum gerere cœpit, & ita quidem, ut venerandus ſenex Dom. *Albertus Cruſius*, qui olim eandem ſpartam feliciter ornârat, in ipſo revixiſſe videretur. *Protonotarius in judicio Electorali.*

A decem tandem hebdomadibus hypochondriacis doloribus graviter laboravit, quibus cum artuum & thoracis ſuperveniret paralyſis & catarrhus deflueret, reſpirationem prohibens, ardentes inter preces animam efflavit, & in cœleſtem patriam ſubvolavit 17. April. A.C. 1618. ætat. 46. *Moritur.*

Erneſtus Muller Jenæ Protonotarius,
per Anagramma:
Mors nullos pios terreat ne re vivent.

* *Ex Programm. fun. Prorectoris Jen. D. Dominici Arumæi, Jur. Prof.*

PETRUS LEHMANNUS.

Obiit A.C. 1613.

Annæmontanus, A.C. 1545. natus eſt, Patre cognomine, Senatore; Matre *Margarethâ Donati Fiſcheri*, ſenioris filiâ.

A. 1561.

Diſcipulus in Scholâ Freybergenſi.

A. 1561. In Scholam *Freybergenſem* à parentibus miſſus, in eâ triennium exegit, & An. 1564. in *Hungariam* profectus, fratres *Chriſtophorum*, miniſtrum Cæſareum, *Schemnitii oppido* montano, & *Laurentium*, Jur. Doctorem, *Auſtriæ*que inferioris Advocatum aulicum inviſit.

Viennæ tunc in ædibus Dom. *Colmani Egerni* conditionem Pædagogicam nactus eſt.

Magiſter Wittenbergæ.

An. 1568. Academiam *Wittenbergenſem* accedens, ſtudiis præſertim Mathematicis incubuit, & An. 1571. Gradum Magiſterii adeptus eſt, & totum ſe Jurium ſtudiis addixit.

Conſul Annæmont.

In patriam reverſus, Advocatum aliquandiu egit, & A. 1575. in Senatum receptus, & A. 1580. Judex electus, bis abindè Conſulatum cum honore adminiſtravit, &

Syndicus & Legatus.

Syndici munere functus eſt. Multas intereà Legationes Patriæ nomine ad varia Comitia fideliter obivit.

Conjugium ejus duplex & Liberi.

12. Junii A.C. 1574. Primum contraxit matrimonium, deſponſatus cum *Anna*, *Matthæi Zappii*, hoſpitis in patriâ viduâ, *Lazari Kürndörffert* filiâ. Ex eâ 5. filios & 9. filias progenuit, ex quibus 4. filios & 3. filias reliquit ſuperſtites. Hâc demortuâ, 8. Junii An. 1602. ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Margaretha*, *Davidis Schmidii*, Conſulis in patriâ filiâ, cum quâ tres filios *Euſebium Fridericum*, & *Chryſoſtomum* vivos reliquit.

Moritur.

Ipſe tandem placidè in Chriſto obdormivit 18. Junii A.C. 1618. ætatis 74.

Filius ei M. *Theodoſius Lehmannus*, Eccleſiæ Chriſti in *Elterter* Paſtor, quadruplicem hunc in Epideciis ſcripſit Anagrammatiſmum, cum Eteoſticho:

Magiſter Petrus Lehmannus & Conſul & Syndicus Annæbergenſium Emeritus.

I.

Ne timeas decus illuſtre, tu in morte triumphas, benè ſurges ut Magnus Cyneas.

II.

Vita benè ſeneſcens, gaudium & mors rurſus nempè ingentes lachrymas tulit.

III.

Num ſeni crypta domus & gleba tegumen? eheu. Rurſus in cœlis nitens ſatur es.

IV.

Ne timeas mens, namq; Deus generi eſt Galea, Chriſtus Clypeus, Verbum Turris?

Eteoſtichon:

QVI VIXIt ConsVL nVnC flt LaChryMabILe fVnVs,

FVnVs non IſtIC, aſt graVe fœnVs erIt.

* *Ex Concione fun. Philippi Schreiteri Concionat. Annæmont.*

JOHANNES AB ULM.

Obiit A.C. 1618.

Ex nobili & antiquâ familiâ natus eſt An. C. 1550.

Tiguri primùm, deindè *Heidelbergæ* ſtudiis humanioribus operam dedit.

Deſponſatur.

A. 1575. Deſponſatus cum virgine nobili *Barbarâ Höcklin à Steineck*, Eâ morte præmaturâ ſublatâ, relictisque ex eâ 5. filiis, 28. annos in viduitate exegit.

Conſiliarius Badenſis.

An. 1581. Præfectus *Schopfenſis* in Marchionatu *Badenſi*, A. 1585. Summus *Badenweilerii* Præfectus, & A. 1598. Conſiliarius March. *Badenſis*, & Præfectus *Röttelenſis* conſtitutus eſt.

Præfectus Röttelenſis.

Moritur.

Obiit tandem *Baſileæ* 5. Julii A.C. 1618. ætatis 68.

* *Ex Concione funebri.*

ELIAS JANUS.

Obiit A.C. 1618.

Natus eſt *Pegaviæ*, *Miſniæ* oppido 3. Sept. A. 1572. Pater ejus *Sebaſtianus*, Decurio ejus oppidi fuit, & ærarii Præfectus. Literis initiatus in Scholâ patriâ, in illuſtrem Ludum *Grimenſem* A. 1587. miſſus diſceſſit, ibi poſtquàm triennium conſumpſiſſet, Academiæ *Lipſienſi* civem dedit.

Quo in loco ita tractavit ſtudia, ut primo ſtatim anno Baccalaurei, vel (rectiùs forſan) Bacularii titulum, tertio verò poſt Magiſterii honores fuerit conſecutus.

Philoſophiæ Magiſter.

A. 1594. Menſ. Nov. *Jenam* petiit, quam annum unum cum inſederat, *Lipſiam* reviſit. A. 1596. In Acadiam *Wittenbergenſem* veniens, brevi pòſt in luculentam conditionem incidit, Conjugem ſibi nactus *Annam*, *Jacobi Bosdorfii*, Juris Candidati viduam, cum quâ ex voto vixit, & ex eâ 8. ſuſcepit liberos, quorum duos filios tresque filias poſt ſe reliquit. Ex filiabus natu major *Anna*, *Johanni Avenario*, Juris Licent. & Oratoriæ in Acad. *Witt.* Profeſſori paulò antè ipſius obitum deſponſata eſt.

Uxorem ducit Wittebergæ.

Fiſci Acad. Witt. Curator, & Quæſtor Electoralis.

A. 1618. Major Fiſci Academici curâ, & paulò poſt Electoralis Quæſturæ adminiſtratio ipſi demandata eſt, quam utramque provinciam ita ſuſtinuit, ut fides ipſius & induſtria bonis omnibus probarentur.

Obiit apoplexiâ.

20. Julii anno eodem 1618. cœnaturus precibus ſolitis vix abſolutis apoplexiâ vehementi oppreſſus, quartâ poſt horâ exſpiravit, cum vixiſſet annis 46.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

ANTONIUS HEISTERMANNUS.

Obiit A.C. 1618.

Brakelenſis *Weſtphalus*, J.U.D. ſummis quibusvis ætatis ſuæ viris vel ingenio vel doctrinâ vel eloquentiâ par habitus, prima ſtudiorum tyrocinia in *Weſtphalicis* Gymnaſiis poſuit, ſi quisquam alius, egregiè.

Studiorum fundamenta in Weſtphalicis Gymnaſiis poſuit.

Poſtmodùm ingenii quaſi æſtu quodam abreptus, & in altum è conſpectu penè omnium abſtractus, omnemque rerum & imprimis juris ſcientiam complexus, *Heſſorum* Principis *Philippi* accitu Muſarum Penatibus *Marpurgi* ſucceſſit hoſpes munus docendi, quod poſt *Oldendorpii* obitum primarium contigit homini oratione in collegio *Lani* anno 1564. die ſeptimo Maji habitâ auſpicatus.

Juris Profeſſor eligitur.

Quo quidem in munere ita ſe tractavit, ut & docendo & de jure ipſo reſpondendo

ad ſummam authoritatem omnium conſenſu ſibi paraverit aditum.

Academiæ Rector creatus. Sed annus à muneris functione quartus, qui *Heiſtermannum* Academiæ Rectorem in *Solmii* Comitis locum cooptatum viderat, omnem ſpem atque omnia vitæ conſilia præmaturâ morte ſuis luctuoſa & bonis omnibus gravi pervertit. *Moritur.* Obiit enim die Septembris duodecimâ anno 1618. cum annum ætatis vix ageret trigeſimum, ac in templo fuit ſepultus.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1618.

MICHAEL MONTANUS.

VOcatus **Von Berg** / Jurium Doctor, poſtquàm *Onolsbaci* duxiſſet uxorem Dom. *Pauli Flechtneri*, Quæſtoris *Brandenburgici* filiam 15. Oct. An. C. 1594. mox Reipublicæ *Rotenburgâ-Tubarinæ* Conſiliarius & Advocatus eſt declaratus, in quo munere 24. annos verſatus, varias Legationes obivit, & fidelem Juſtitiæ Sacerdotem ſe exhibuit. *Conſiliarius & Advocatus Rotenburgenſis.*

Tandem ex acidulis *Göppingenſibus* domum reverſus, febre correptus cum gravi capitis debilitate poſt dierum aliquot decubitum placidâ morte ſublatus exſpiravit 12. Sept. A.C. 1618. ætatis 52. *Moritur.*

Michaël Montanus, U. J. D.

per Anagramma M. *Joh. Hartmanni*, P. L. & Diaconi *Rotenburgenſis*:

Columna Themidis una.

Michaël Montanus, Doctor Juris utriusque, & Reip. Rotemburgæ Tuberinæ Advocatus,

per Anagramma M. *Johannis Seybothii*, Conrectoris *Rotenburgenſis*:

Juſtus homo moritur, nunc rarâ at in Urbe quieſcit,
Sub luce & portâ gaudet amore DEI.

* *Ex Concione fun. M. Joh. Neferi, Superint. Rotenburg.*

Obiit A.C. 1618.

ALOYSIUS CORRADINUS.

PAtavii, Patre *Hercule* natus eſt A. 1562. Juriſconſultus facundus in forenſibus cauſis pertractandis, præſertim verò criminalibus, inter alios eminuit. Sæpè à Concivibus fori Civilis Judex electus eſt. A. 1616. In Gymnaſio *Patavino* Pandectarum Lecturam obtinuit. *Patavii Judex fori Civilis, & Profeſſor Pandectarum.*

Cum aliquando *Vincentius*, *Mantuæ* Dux, à *Patavino* JurisConſultorum Collegio pro re gravi decernendâ Juriſconſultum Principem efflagitâſſet, hic eò miſſus, à Duce torque aureo remuneratus reverſus eſt. *Mantuam mittitur.*

Antiquitatis ſtudioſus Picturas, Statuas antiquas, & Numiſmata varia collegit, adeò, ut multi ex longinquis locis effigies Cæſarum ejus judicio dijudicandas transmiſerint. Eam Bibliothecam filii ipſius *Hercules* & *Bonocorſus* diligenter conſervârunt. *Antiquarius.*

Obiit tandem *Patavii* 6. Cal. Octob. A.C. 1618. ætatis 56. *Moritur.*

Edidit:

Seriem Cæſarum & Numiſmatum. *Scripta.*

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1619.

OSWALDUS HILLIGERUS.

NAtus fuit A.C. 1583. 20. Decembris *Fribergæ*, oppido in montanis *Miſniæ* celebri, ex pervetuſtâ & patritiâ familiâ. Patrem habuit *Oswaldum*, Patriæ Senatorem & Prætorem: Matrem *Annam*, Dom. *Michaëlis Schönlebii*, quondam Uſtrinarum Metallicarum Præfecti Electoralis filiam, *Friderici Schönlebii*, *Friberge* Conſulis ſororem: Avum paternum *Wolfgangum*, Conſulem, *Mauritio* & *Auguſto* Electoribus *Saxoniæ* propter multa ſpectatæ fidei documenta charum: Propatruum *Sebaſtianum Hilligerum*, U.J.D. Elect. *Auguſto* à Conſiliis, & dicaſterii *Lipſienſis* Aſſeſſorem. *Parentes & Majores ejus patrilii.*

De voluntate Parentum, cum puer in Scholâ Patriâ Linguarum Latinæ & Græcæ ſub ſolertiſſimis Præceptoribus fundamenta jeciſſet, & lucem Academiarum ferre jam poſſet, A. 1601. *Lipſiam* ſe contulit, ad capeſſendum uberiorem ingenii cultum; *Lipſiæ ſtudia inchoavit.* & cum ibi ſpacium unius ſaltem exegiſſet anni, *Wittenbergam* abiit, quâ in Academiâ per integrum quadriennium hæſit, præter ſtudium Philoſophicum Philologico & Hiſtorico deditus, propter morum honeſtatem & in ſtudiis diligentiam omnibus gratus, nemini moleſtus. *Wittenbergæ ſtudia Philologica & Hiſtorica tractavit.*

Anno 1606. *Jenam venit*, & Juriſprudentiæ, cujus poſt emetita Philoſophiæ ſpatia *Wittenbergæ* initium fecerat, ſe totum addixit, aſſiduus in audiendarum Lectionum publicarum conſtantiâ, in frequentiâ Diſputationum neceſſariarum, in diurnâ ſimul & nocturnâ Lectionis & ſcriptionis pertinatiâ. *Jenæ Juris ſtudioſus.*

Eod. An. Ibidem, DEO & hominibus approbantibus, ſummum honoris Gradum in utroque Jure modeſtè petiit,glorioſè obtinuit, & egregiè tutatus eſt. *Juris Doctor.*

A. 1610. Priorem *Donelli* enucleati partem, ſed poſteriorem triennio pòſt cum non vulgari nominis ſui commendatione & ſtudioſorum Juris utilitate in lucem edi paſſus eſt. *Edidit Donellum enucleatum.* An. 1616. In numerum Anteceſſorum Juris publicorum merito ſuo adſcriptus, & Dicaſterii *Saxonici* Aſſeſſoribus annumeratus. *Juris Profeſſor publicus.*

Ab eo tempore morum gravitate, operarum Scholaſticarum diligentiâ, & ferendarum Sententiarum in Dicaſterio æquitate talem ſe præſtitit, ut omnes ipſum boni amare & venerari cœperint. *Dicaſterii Saxonici Aſſeſſor.*

Matrimonium contraxit Anno 1614. & uxorem duxit Virginem *Margaritam*, Dom. *Nicolai Hornii*, ſenioris, Civis & Senatoris *Fribergenſis* filiam, cum quâ unicè & ſuaviter vixit, factus ex eâ Parens duorum filiorum, è quibus tamen natu major ante Parentem vitâ functus eſt, & unius Filiolæ *Uxorem ducit.*

Barbara, quæ poſteà nupſit *D. Barcardo Berlichio*, J.C. Secretario & Conſiliario *Sax.* hæreditario *in Wegefart.*

A. 1617. Jubilæo *Lutherano*, annuos ex ducentis florenis *Miſnicis* censûs duobus *Jenenſis* Diaconis ad ſalarii auctionem legavit in perpetuum: alios itidem florenos 200. pauperibus diſtribuendos.

Morbi ejus & obitus. Menſibus 5 vitæ ſuæ poſtremis morbo laboravit hypochondriaco, literatis familiari, ex hepate malè conſtituto, undè fluxus hepaticus conſecutus eſt, quem cum poſtremo octiduo febris ex putredine humorum excepiſſet, vires ita collapſæ ſunt, ut curationi locus planè nullus relinqueretur. Inter ardentes itaque preces & conſolationes è SacrisScripturis petitas, quas partim conquiſivit ipſe, partim ab Eccleſiæ Miniſtro adſtante cupidè audivit, placido correptus fuit ſomno, & ſine ullius ſignificatione doloris exſpiravit 25. Martii Anno C. 1619. ætatis 36. *Moritur.*

Edidit:

Scripta. *Donellum enucleatum Part. II.* quem 522. Interpretibus adhibitis elaboravit.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Jen. Henrici Hofmanni, Mathem. Profeſſ. ex Concione fun. D. Joh. Majoris Theol. Prof. & Superintend. Jen. & ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc addidit *Epigramma:*

Epigramma.

Qui meritò verus Donelli Nucleus audis
Oswalde, Hilligero ſanguine cretus homo:
Alma Themis viridi cingit tua tempora lauro:
Juridicâ & ſpartâ Te Schola noſtra beat.

JOHANNES AB OLDEN BARNEFELD.

Obiit A.C. 1619.

Advocatus Hollandiæ. Senator primùm fuit *Rotterodamenſis*, deindè Procurator generalis, Advocatus, & Cuſtos Magni Sigilli ac Archivorum *Hollandiæ Friſiæ*que Occidentalis, cum in hiſce muneribus gravibus multos annos fideliter verſatus eſſet, A. 1618. *Hagæ Comitum*, tanquàm ſeditionis ab *Arminianis* ſub Religionis novæ prætextu contrà Statûs *Hollandiæ* ſuſcitatæ coryphæus & anteſignanus arreſto detentus eſt in illo conclavi, in quo anteà Admirans *Hiſpanicus*, *Franciſcus Mendoza*, ex *Arragoniâ* captivus cuſtodiebatur. *In carcerem conjectus ob conſpirationem ſuſpectus.*

Unà cum Hugone Grotio & Rumoldo Hogerbetio. Eodem tempore etiam *Hugo Grotius*, *Leydenſis*, & *Rumoldus Hogerbetius*, *Roterodamenſis* Syndici, conjurationis ejuſdem complices, in vincula conjecti ſunt, & *Ultrajecti* Senatores aliquot unà cum Secretario eorum *Ægidio Ledenbergio* carceribus incluſi.

Menſ. Majo A. 1619. poſtquàm Synodus Nationalis propter *Arminianos Dordraci* habita fuiſſet finita, & eorum doctrina concluſionibus certis Latino ſermone comprehenſa, præſentibus plusquàm 3000. auditorum publicè rejecta, ſententia contrà conſpirationis ſocios talis lata fuit, ut cadaver *Ledenbergii*, qui ſibi ipſi manus in carcere violentas intulerat, in ciſtâ vinculis probè munitâ conditum ex urbe protraheretur, indque paratam eo ſine crucem ſuſpenderetur.

Grotius & *Hogerbetius* ad carceres perpetuos damnati, eorumque bona fiſco adjudicata. Sed *Grotium* uxor non minoris in maritum fidei, quàm ſagacitatis fœmina ciſtæ incluſum exportari cuſtodiâ locarique in tuto curavit, qui anno ſeq. *Lutetiam Pariſiorum* venit.

Hic verò *Barnefeldius* occultæ prætereà proditionis contrà Statûs *Hollandiæ* accuſatus, & à 26. Judicibus ad mortem condemnatus, cum ex curiâ produceretur in theatrum, prolapſus in genua per horæ quadrantem precatus eſt, ſurgens deindè hisce ſpectatores affatus eſt: *Vobis, cives dilecti, non minus ac patriæ meæ per omnem vitam meam fidelis fui, nunc verò morior non tanquàm proditor, ſed quia libertatem veſtram pro viribus propugnavi.* His dictis tunicam exuit, eamque unà cum annulo, quem digito detraxit, miniſtro ſuo donavit. Tunc in genua prolapſus, poſtquàm manibus elevatis exclamâſſet: *Miſerere mei, DEUS!* Carnificis gladio decollatus eſt, & unà digiti aliquot abſciſſi, *Hagæ Comitum* d. 3. Maji A.C. 1619. cum vixiſſet 73. annos. *Ad mortem condemnati verba ultima.* *Decollatus.*

* *Ex Hiſtor. Belg. Emanuel. Metterani, & ex Indice Chronologico Abrab. Bucholtzeri.*

VIRGILIUS PINGITZERUS.

Natus eſt 9. Nov. A.C. 1541. *Halæ*, oppido *Salisburgenſi*, *Salinis* celebri, Patre cognomine, ejus oppidi Conſule, matre *Annâ Gremſichid.* *Obiit A.C. 1619.*

Adoleſcens *Jenenſem* Academiam acceſſit ſuis in incunabulis tunc quaſi jacentem An. C. 1558. paulò antè inaugurationem publicam. Præceptores nactus tum alios, tum M. *Johannem Roſam, Coburgenſem*, Philoſophum & Theologum inſignem, qui ſuum hunc alumnum omni pietate & eruditione excoluit, & elapſo quadriennio abeuntem honorifico teſtimonio decoravit. *Jenæ diſcipulus Johannis Roſæ*

A. 1562. *Jenâ Ingolſtadium* abiit, ubi biennii ſpatio moratus, totum ſe Jurisprudentiæ addixit. Non multò poſt cum D. *Matthæo Weſenbecio*, J.C. celeberrimo, peregrinatione diu quæſitâ, bonam inferioris *Germaniæ* partem emetitus *Lovanii* ſtudiorum causâ aliquantiſper ſubſtitit.

Tandem inviſit & *Galliam*, cujus cum præcipuas obiiſſet Provincias, *Aureliæ* pedem quaſi figens, Gradum & Inſignia Doctoratûs in utroque Jure ſummâ cum laude A. 1567. petiit & impetravit. *Juris Doctor Aureliæ.*

Jenam exindè ſe recipiens, & campum induſtriæ ſuæ liberiorem, in quo poſſet excurrere, circumſpiciens primò quidem Advocatum Judicii Provincialis, deindè A. 1570. publicam ad Juris Profeſſionem vocatus, ſpartam ſibi commiſſam ita ornare cœpit, ut dubites, plusné à Jurisprudentiâ ipſe ornamenti, an ab ipſo Jurisprudentia acceperit. *Jenæ Advocatus Judicii Provincialis.*

Procurator pauperum.

rit. Tunc temporis cum in Lecturâ Jurium infimâ, tum in Procuraturâ pauperum gratuitâ ſucceſſit D. *Nicolao Schellero* primo pauperum Advocato à providis *Saxoniæ* Ducibus conſtituto. Cum Illuſtriſsimus Princeps *Saxoniæ, Johannes Wilhelmus*, vitâ functus eſſet An. 1573. obortâ tempeſtate quâdam, quæ tamen erat nubecula, citò tranſitura, quaſi declinans typhones hos feciſſet in Academiam *Juliam*, quæ *Helmſtadii* eſt, in quâ Jus & leges pari ſucceſſu interpretatus eſt, in eâque A. 1576. inauguratâ primus in Jure Anteceſſor audiit. Indè revocatus in aulam *Vinarienſem*, Illuſtriſſimo Duci *Saxoniæ Johanni* morum & ſtudiorum Director datus eſt.

Juris Profeſſ. Helmſtadii.

Ephorus Johannis Ducis Vinarienſis.

Jenæ Juris Profeſſor ſenior.

A. 1587. Principe jam adulto, & peregrinationibus operam daturo *Jenam* reverſus, ſtationem priorem recuperavit, quam & Profeſſor Juris publicus, & progreſſu temporis Collegii Juridici Senior, ac tandem Ordinarius, tum verò Curiæ Provincialis Aſſeſſor, & poſt obitum D. *Johannis Stromeri* A. 1607. Conſiſtorii Eccleſiaſtici Præſes ita tutatus eſt, ut Juſtitiæ clypeus ſimul & gladius fuerit, bonorum ſolatium & improborum terror.

Eloquentiam ſuam ſæpiùs in Comitiis Provincialibus & aliis congreſſibus, ubi verba facienda, teſtatam fecit. Magiſtratum Sholaſticum aliquoties ſummâ cum laude geſſit.

Conjugium ejus, & Liberi.

Jenam è *Galliis* reverſus, A. 1568. uxorem duxit *Catharinam*, Dn. *Wolffgangi Druckſcherſii*, Conſulis *Jenenſis* filiam, ex quâ Parens factus eſt 5 filiorum, è quibus *Fridericus Wilhelmus, Fridericus* prior, & *Wolfgangus* maturè obierunt: ſed *Virgilius* alter & *Carolus Guntherus* ſuperſtites literis operam dederunt.

Filias ſuſcepit ex eâdem ſeptem, è quibus *Eliſabetha, Maria* & *Juſtina* in annis adoleſcentiæ vivere deſierunt: reliquas verò feliciter elocavit, *Catharinam*, D. *Tobiæ Harniſchio*, Cauſarum actori, Senatori, & Camerario *Numburgenſi*, *Annam*, D. *Dominico Arumæo*, U. J. D. Profeſſori publ. Curiæ Provincialis & Dicaſterii aſſeſſori, *Dorotheam Suſannam*, D. *Antonio Varo*, Med. Profeſſori celebri, denique *Mariam Sophiam* ſucceſſivè Dn. *Johanni Harniſchio*, & *Georgio Starckio*, civibus *Numburgenſibus*.

Conjugium alterum.

Priorem conjugem, cum quâ 37. annos concorditer vixit, cum ad cœleſtem patriam præmiſiſſet, partim ingraveſcente ætate, partim rei familiaris curâ propè coactus, A. 1607. altero matrimonio ſibi junxit virginem *Euphroſynam*, D. *Michaëlis Neandri*, Medici clariſſimi, qui inter primos in Academiâ *Jenenſi* docendi munere functus eſt, filiam natu minimam, quæ tantâ fide & vigilantiâ Mariti ſeneſcentis curam egit, ut nemo dubitet, ejus operâ vitam ipſi per annos non paucos prorogatam fuiſſe.

Moritur.

Senio tandem conſumptus, & aliquando præ laſſitudine lecto affixus obdormiſcenti ſimilis, beatam exhalavit animam 20. Julii A. C. 1619. ætatis 78.

Scripta.

Publici Juris fecit:

Conſilia verbis brevia, ſed rebus ſelectis copioſa.

* *Ex Programm. fun. Rector. Jen. Henrici Hofmanni, Math. Prof. & ex Nomenclat. Profeſſor. Jen. Adriani Beyeri*, qui hoc ei ſcripſit Epigramma:

Epigramma.

Virgilio Themidos nutrix Aurelia ſummum
Fert Pingitzero Jure in utroque gradum.
Julia Juridicum concedit Jenaq; munus
Mortis in hâc guſtat pocula miſta ſenex.

LEOPOLDUS HACKELMANNUS.

Obiit A. C. 1619.

Patriam, quâ natus eſt A. C. 1563. agnovit *Stadium*, Archiepiſcopatus *Bremenſis* oppidum, ubi adhuc floret familia *Hackelmannorum*, ubi etiam in *Hadlerio* diſtrictu ejus nominis incolæ fundis divites reperiuntur.

Patrem habuit *Johannem*, Civem & Mercatorem ejus loci primarium: Matrem *Gertrudim*, ex familiâ Patritiorum *Stadenſium*, qui *Schenen* vocantur, oriundam.

Luneburgi ſtudia inchoavit.

Juris ſtudioſus Helmſtadii, Lipſiæ, & Jenæ.

Ab ineunte ætate ad pietatis, virtutis, & honeſtatis culturam aſſuefactus, & jactis in Scholâ patriâ fundamentis Chriſtianæ doctrinæ, literarum, & artium, miſſus eſt poſteà *Luneburgum*, ut ſub curâ & inſtitutione *Lucæ Loſſii*, viri de ſtudioſâ juventute benè meriti, artium & literarum ſtudia magis excoleret, anno pòſt ætatis ſuæ 21. *Helmſtadium* conceſſit.

Indè verò *Lipſiam* abiit & *Jenam*, ut in utrâque Academiâ ſtudium Juris, cui totum ſe dederat, audiendo, legendo, diſputandoq; abſolveret, in eâdemque facultate publicum applauſum mereretur.

Doctor Juris Jenæ: & Maritus eod. die.

Quod factum eſt An. 1591. 23. Sept. ubi peractis ſolennibus ab ampliſſimo Jureconſultorum *Jenenſium* ordine dignus judicatus fuit, cui inſignia Doctoralia omnium calculo conferrentur.

Eodem tempore, & quidem eo ipſo promotionis die, ſociam vitæ ſibi devinxit *Margaretham*, D. *Henrici Schneidewini* p. m. relictam viduam, filiam verò D. *Friderici Penſoldi*, quâ cum annos ad 22. tempus conjugii protraxit, Pater factus liberorum ſex, è quibus unicus filius *Johannes Henricus*, & binæ fœminæ virgines poſt obitum ejus ſuperfuêre.

Juris Profeſſor extraordinarius Jenæ.

Poſt impetratum autem à Collegio Juridico *Jenenſi* publicum doctrinæ teſtimonium, mox in numerum Profeſſorum extrà ordinem receptus, & Pandectarum Collegio publico præfectus fuit An. 1594. in quo ipſe Prælectionibus publicis aliiſque exercitiis non ſolùm Jus Civile, ſed etiam Pontificium & Feudale diſputando & docendo illuſtravit. Poſt mortem verò D. *Danielis Eulenbeccii* A. 1596. ibidem in Collegium Juridicum aſſumptus Profeſſor ordinarius, ac ſimùl Dicaſterii, Judicii Provincialis & Scabinatûs aſſeſſor conſtitutus eſt.

Juris Profeſſor ordinarius.

Decana-

Decanatum in Collegio J.C.rum aliquoties, Rectoris verò dignitatem ſemel anno 1598. magnâ autoritate & moderatione geſſit.

Rector Jenenſis ſemel.

Poſt depoſitam verò Academici apud *Jenenſes* Magiſtratûs perſonam, ad aulica officia evocatus, An. 1599. inter Conſiliarios Archiepiſcopatus *Magdeburgenſis* numeratus fuit, in quâ ſtatione per annos 15. ſubſiſtens, Conſultationibus aulicis non tàm aſfuit quàm præfuit.

Conſiliarius Archiepiſcopi Magdeburgenſis.

Prætereà Archiepiſcopatûs Cauſæ arduæ, & Proceſsûs Camerales in ſupremo *Romani* Imperii Dicaſterio pendentes illius demandatæ fidei eâ dexteritate confectæ fuerunt, ut non ſolùm Eccleſiæ *Magdeburgenſis* Capitulo, ſed etiam Archiepiſcopo *Magdeburgenſi*, Principi *Chriſtiano Wilhelmo* fidem & diligentiam ſuam ſufficienter probaverit. Eodem anno, defuncto D. *Petro Heigio*, Conſiliario Electorali, ſub adminiſtratione Electoratûs *Saxonici* in aulam *Dresdenſem* vocatus fuit, verùm Capitulum *Magdeburgenſe* cauſas ſui diſſenſûs exponens, in dimiſſionem conſentire non potuit. Sed cum poſteà A. 1612. eidem poſt obitum D. *Mich. Wirthii*, Profeſſoris ordinarii munus in Academiâ *Lipſienſi* offerretur, Sereniſſimo Electore *Saxoniæ* illum non ſolùm clementer vocante, ſed etiam interceſſionibus ſuis apud Archiepiſcopum *Magdeburgenſem* impetrante dimiſſionem, aulicæ vitæ Academiam præferens in hanc Academiam cum ſuis commigravit: ubi ſtatim Profeſſionem accepit, & locum in Curiâ Provinciali debitum obtinuit; quibus in functionibus fidem ſuam cùm legendo, tùm diſputando & conſultando, quantum fieri potuit, adimplevit.

Juris Profeſſor ordinarius Lipſiæ.

Curiæ Provincialis Aſſeſſor.

Cum autem A. 1613. Duci *Altenburgico*, *Johanni Philippo* ſceptra Academica fuiſſent delata, eique unus ex Profeſſoribus auctoritate & prudentiâ pollens adjungendus eſſet, ii, penès quos tùm temporis jus eligendi erat, ex omnibus *Hackelmannum* nominârunt, qui etiam in gratiam Academiæ libens id oneris in ſe ſuſcepit.

Prorector Lipſiæ.

Eodem anni tempore curas adminiſtrationis ſuſceptæ plurimùm perturbavit obitus inſperatus Uxoris chariſſimæ.

Anno ſeq. 1614. ad ſecunda vota tranſiens, fidem conjugalem dedit *Eliſabethæ*, Dom. *Georgii Feigii*, Med. Doctoris & Profeſſoris relictæ viduæ, quâ cum ſuaviter, ſine liberis tamen, ad vitæ finem vixit.

Alteram uxorem duxit.

A. 1618. Academia *Lipſienſis* ſuperioribus beneficiis, quibus eum benè meritum affecit, duo alia inſigniora adjecit, ubi 17. Iunii in publico 4. Nationum Conventu Canonicus *Martisburgenſis* & Decemvir Academiæ ſalutatus fuit.

Canonicus Merſburgenſis, & Decemvir Academiæ Lipſienſis.

Hoc ipſo Præpoſitus factus trium pagorum veterum Academicorum, omnia, quæ è re fuerunt, diligenter effecit. Sed circà initium anni ſeq. in quartanam incidit vires proſternentem. 5. Nov. ſeq. factus eſt hemiplecticus in dextro latere, cum paralyſi linguæ & muſculorum dextri brachii ac pedis reſolutione, quo malo nullis præſidiis cedente fuit extinctus 11. Nov. A.C. 1619. ætatis 56.

Obiit hemiplecticus.

* *Ex Programmate Rectoris Lipſienſis, & ex Concione fun. D. Polycarpi Lyſeri, Theol. Profeſſoris.*

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Quæſtiones Juris illuſtriores ſelectiores, in communi vitâ uſum habentes XXVI. Diſputationibus propoſitæ, in 4to.

Selectiores Quæſtiones ex Jure Pontificio Canonico, in 4to.

Diſputationes in libr. Pandectarum, & Feudales, in 4to.

Diſputationes quoque habuit in Jus univerſum: de Pactis, de Banno.

PETRUS GUDELINUS.

Obiit A. C. 1619.

HAnno-*Athenſis*, Juriſconſultus celeberrimus, natus eſt 8. Aug. An. C. 1550. Annorum 14. adoleſcens *Lovanium* venit, & in Collegio *Falconenſi* ſtudiis Philoſophicis eruditus Jus amplexus eſt. Hinc quadriennium *Machliniæ* in magno Senatu Cauſarum Patronum egit.

J.C. & Advocatus Machlinienſis.

Procurantibus deinde *Wameſio* & *Zuerio*, Academiæ *Lovanienſis* Anteceſſoribus, *Lovanium* rediit, docuitque annos 27.

Juris Profeſſor Lovanii.

Fuit illi Linguarum *Latinæ*, *Græcæ* & *Hebraicæ* cognitio, etiam Mathematicæ ſcientia, quibus adfuêre Modeſtia, Probitas, Pietasque ſingularis.

Philologus & Mathematicus.

Lovanii deceſſit, & ſepultus in novo Templo *Carmelitarum Diſcalceatorum Erycius Puteanus*, Profeſſor & Hiſtoriographus Regius, Arciſque *Lovanienſis* Præfectus pro ſuo in defunctum affectu *Epitaphium* hoc ſcripſit:

Moritur.

D. O. M.
PETRUS GUDELINUS H. S. E.
INSIGNI APUD ATHENSES LOCO NATUS, INGENIO, DOCTRINA, MODESTIA, INTER
JURISCONSULTOS ÆVI SUI EXCELLENS.
OMNES HAUSIT ARTES UT UNAM SCIRET, QUAM ANNOS XXVII. PUBLICE DOCUIT, ET RESPONDENDO CONTINUO ASSERUIT, JUSTE VIVERE, ALTERUM NON LÆDERE, SUUM CUIQUE TRIBUERE. FECIT QUÆ DOCUIT, QUÆ ASSERUIT, ET SIC ANN. XXV. CONSERVATORIS PRIVILEG. ASSESSOR FUIT,
VOTO TRANQUILLUS, FAMILIA
FELIX.
VIVENDO CONSECUTUS EST, NE INVITUS MORERETUR. OBIIT XV. KAL. NOV.
CIↃ IↃ CXIX. VIXIT ANN. LXIX.
M. IX. D. X.
MARIA VAN DER STEGEN UXOR ET VII
LIBERI ILLA MARITO HI PARENTI
OPT. MOESTISS. PP.

Epitaphium.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Comment. de Jure noviſſimo lib VI.

De Jure Feudorum & Pacis, cum Zoëſii Prælectionibus.

De Jure Pacis ad Conſtitut. Frederici.

De pace Conſtantienſi.

Tractat. de Feudis ad mores Belgii ſcript.

Notæ & Scholia ad Decretales.
Syntagma Regularum Juris.
Orationes variæ.
* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Clar. A.C. 1620.

JACOBUS THYSIUS.

Prima literarum fundamenta in patriis Gymnaſiis & Lovanii poſuit. Ad ſpem uberioris doctrinæ Marpurgum, deinde ad complures exteros locos commigravit. In Aulâ Caſſellanâ in munere bibliothecario & linguarum exoticarum interpretatione inſervivit.

ANtverpianus patriâ, primis literarum fundamentis in patriis Gymnaſiis & Lovanii jactis, ad ſpem uberioris doctrinæ *Marpurgum* primò, atque dein *Heidelbergam*, *Ingolſtadium*, & viſitatis *Galliæ* & *Pannoniæ* locis compluribus, *Paduam Italiæ* commigravit.

In quibus Academiis cùm Poëſeos & linguarum, *Latinæ*, *Italicæ*, *Gallicæ*, *Hiſpanicæ* ſibi comparâſſet experientiam ſanè egregiam, eo ſcientiarum illarum encomio *Heſſorum* Comiti *Mauritio* commendatus, atque in aulam vocatus, cum per annos viginti inſerviiſſet, partim in munere bibliothecario, partim in linguarum exoticarum interpretatione, anno 1615. ab ipſo Principe Hiſtoriarum, & Poëſeos Profeſſor conſtitutus eſt menſe Majo, ut ſuccederet *Kirchnero*. Hic Legum jam Licentiatus, cum anno 1620. dimiſſionem petiiſſet, eam impetravit.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

ObiitA.C. 1620.

JACOBUS JANIDLOVIUS.

BOdzentini oppido Epiſcopatûs *Cracovienſis* natus, in Philoſophicis diſciplinis *Sebaſtiano Petricio* Præceptore uſus, Magiſterii gradum A. 1594. obtinuit. Ingenio deindè ad Juris ſtudia converſo arcana ſcientiæ tantâ celeritate complexus eſt, ut Doctoribus ſuis, & in his *Joh. Foxio*, Archidiacono *Cracovienſi*, admirationi eſſet.

Philoſophiæ Magiſter.

His præſidiis ornatus, ad publicam Jurisprudentiæ Profeſſionem ſummâ cum laude acceſſit, & Doctoris inſignibus *Romæ*, quò ſe ad exploranda clarorum virorum ingenia contulerat, decoratus eſt.

Juris Doctor Romæ.

Cracoviam deindè reverſus, poſt ſolennes aliquot in publico concertationes, apud *Macieiovium* Cardinalem, *Petrum Tylicium*, & *Martinum Szyskovium* ſuccedentes ſibi Epiſcopos *Cracovienſes*, ob ingenii doctrinæque præſtantiam, non minùs gratiâ quàm & Præceptores ſui valuit.

Moritur.

Sub initium tandem anni 1620. vitâ deceſſit, conditus in ſummâ Æde D. *Stanislai* in arce. Ejus obitum quidam è Scholâ Grammatices his verſibus exornavit:

Patria Bozantina mihi, decus Itala terra,
Cracia mors: rexi Jura, Lycæa, Sophos.
Octo luſtra, novem æſtates dum vivere pergo,
Diſſecuit vitam Clotho maligna meam.
Hoc ſitus in tumulo, patriæ defunctus, amorem,
Sceptra Academiæ reddo, Deoq; animam.

Scripta.

Scripſit: *Proceſſum Judiciarium ad Praxin Fori ſpiritualis in Regno Poloniæ neceſſarium.* *Libellum de Curâ Paſtorali*, qui lucem non aſpexit.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

ObiitA.C. 1620.

HAJO A NESSA.

NAtales duxit ex *Friſonum* ſeu *Cauchonum* minorum antiquiſſimâ gente, natus 1563. parentibus honeſtiſſimis, patre viro ſpectatiſſimo, *Antonio Hajone à Neſſâ*, hæreditario in *Neſſen*, matre *Geſâ Weſterhauſen*, matronâ fœminei ſexûs coronâ.

Parentes.

Parentes hi in prole hâcce generoſas bonæ mentis ſcintillulas emicare animadvertentes, à primâ ſtatim infantiâ Præceptoribus erudiendum commiſerunt: oppidò enim bono omine inciderunt in virum Reverendum M. *Joh. Ligarium*, Comitis *Friſiæ* Concionatorem aulicum, qui *Hajonem* noſtrum fideliter inſtituit.

Præceptores.

Jactis primis artium & linguarum fundaminibus, in Academiam *Juliam*, velut ad uberiorem literarum mercat. ablegatus, non more ævi noſtri pravo, inſalutatis Muſis, *Themidos* arcem invaſit; ſed primitùs literaturæ politioris, hiſtoriarum & Politices thecas diſcuſſit, exindè depromptis hoſtimentis, Aſtreæ feliciſſimè litavit ejuſdem ſacraria penitiùs ſcrutatum, *Rhodopolin* ad matrem almam ſidere auſpicatiſſimo ſe convertit, eamque ibidem ſedulò cultam, ſibi adeò habuit propitiam, ut ab eâdem primo Octobr A. 1591. ſummis honoribus Doctoralibus, Decano Conſultatiſſimo raræ eruditionis & integritatis viro *Henrico Camerario* inſignitus fuerit.

Juris ſtudia.

Doctor Juris.

Quibus prœmiis virtus viri-juvenis, in generoſo corpore bulliens, effulgere cœpit, ut non Profeſſorum tantùm, ſed & aulicorum favorem & benevolentiam ad ſe pertraxerit.

Undè factum, ut anno eodem, quo Doctor creatus, Illuſtriſſimi Principis *Sigismundi*, & paulò pòſt Illuſtriſſimæ Principis viduæ *Sophiæ* Conſiliarius ſalutatus fuerit.

Conſiliarius Principis Megapolenſis.

Novus hicce aulicus procerum omnium amorem, virtutis ſplendore ſibi conciliavit, tum verò inter alios viri præſtantiſſimi *Joachimi Schonermarckii*, quæſtoris *Megapolenſis* fideliſſimi, animum in tantum ſibi devinxit, ut is pretioſiſſimum, quem domi ſuæ reconditum habebat theſaurum, filiam, virginem pudiciſſimam *Annam Hajoni* nuptui daret, cum quâ decem progenuit liberos, quorum in cœleſtes præmiſit oras duos, reliquos cum mœſtiſſimâ viduâ orphanos poſt ſe reliquit.

Conjugium, ex quo 10. liberi progenati.

Nec verò Hymeneus amor virtutis ardorem imminuit, ſed magis auxit & inflammavit, quinimò radii virtutis in aulæ *Guſtrovianæ* penitiores receſſus penetrârunt, eoq; *Udalrici* clementem affectum permoverunt, ut viro huic juveni ſparta ſimul unâ vice duplex, Profeſſio nimirum extraordinaria, & conſiliariatus, inprimis viſitatio eccleſiaſtica committeretur, in quâ utraque exor-

exornandâ talem ſe præſtitit, ut omnium aulicorum unanimibus ſuffragiis dignus habitus fuerit, cui Juniorum Principum Dn. *Adolphi Friderici*, & Dn. *Joh. Alberti* fratrum Ducum *Megapolenſium* Cancellarii officium demandaretur.

Cancellarius Principum Juniorum Megapolenſium.

Utrique Principi durante minorennitatis conditione fideliter inſerviit, utrumque *Argentinam*, veluti uberiorem generoſiorum mentium cultricem & officinam, deduxit. Utrique Homagium à ſubditis conjunctim exigenti, *Neſtoreo* eloquio & *Papiniano* conſilio adſtitit.

Inſuper Duci *Alberto* in *Sueciam* trajicienti proximus à latere, conjugii primi, felix conciliator exſtitit. Tandem illuſtriſſimis fratribus gubernacula capeſſentibus, ab utroque æmulo & parili clementi affectu adamatus eſt, aſt regimine diſpertito anno 1609. à Principe majore natu, Domino *Adolpho Friderico*, Cancellarius delectus & conſtitutus eſt.

Ejusq; prudentia.

Hos intra officii ſui cancellos ita ſe continuit *Hajo*, ut conſilia ad pacem & concordiam direxerit, juſtitiam & ſalutem publicam ob oculos ſemper habuerit, legationes complures ad Imperii comitia, conventus circulares, aliasque publicas conſultationes laudabiliter prudenterque obierit.

Legationes plurimæ,

& Eloquentia.

Tulliana hunc voce perorantem Reges & Principes ſæpè attoniti audivêre. De omnibus Juris privati & publici partibus, de Regni ſtatu, judiciorum tribunalibus ritè inſtituendis, aliisque ad publicam ſalutem conſervandam neceſſariis capitibus, ſummâ cum gravitate diſſerentem.

Profeſſor Roſtoch. Pandectarum.

A. 1602. verò Viro conſultiſſimo *Johanni Albino*, Pandectarum Profeſſore ordinario fatis cedente, eidem in officio ſuffectus, & in Collegium Juridici apud *Roſtochienſes* ordinis cooptatus fuit, in quâ etiam ſtatione omnibus ſe virum præbuit.

Morbus in Itinere.

Verùm legationibus crebrioribus publicisque curis & moleſtiis fractus, A. 1618. in itinere quodam officii ratione ſuſcepto, correptus febri Epidemicæ eſt, quæ inſidis induciis primò indultis, majori paulò pòſt impetu incrementum ſumſit, in quartanam degenerans; acceſſit quartanæ non infrequens ſoboles ſcorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pulmones defluxio, indèque indeſinens tuſſis, cujus vehementia, vena pulmonum diſrupta expectorationem ſanguinis concitavit, quibus omnibus concurrentibus, viribus ægri proſtratis, *Hajo* obiit A.C. 1620. ætatis verò 57.

Mors.

* *Ex Programm. funebr. Thomæ Lindemanni, J.D. & Profeſſ.*

MICHAEL LöFENIUS.

Obiit A.C. 1620.

TRevirìs, urbe Electorali ad *Rhenum*, mundum ingreſſus A.C. 1546. ibidem Scholas frequentavit, dum pater intereà *Lowenii* Præfecturam in ditione *Trevirenſi* adminiſtraret.

Hoc verò tum temporis vitâ defuncto cum perſecutio Evangelicorum in eâ regione vigeret, *Löfenius* hic cum matre ſuâ *Duſſeldorpium* diſceſſit, ibiq; in curſu ſtudiorum ſuorum feliciter progreſſus, *Genevam Allobrogum* poſteà concedens; biennium ibi exegit.

Per *Galliam* deindè iter ſuſcipiens, de laniena *Pariſienſi* A. 1572. notitiam aliquam nactus, eâ inſtante cum amicis aliquot in *Germaniam* rediit, & tum *Argentinæ*, tum *Baſiléæ*, Linguarum *Latinæ*, *Græcæ* & *Hebrææ* peritus, ſtudiis Juridicis inſudavit, donec ſub finem A. 1572. *Baſiléæ* Doctorales honores ſolenniter accepit.

Lanienam Pariſienſium evaſit.

Juris Doctor Baſileæ.

Argentinenſem deindè repetens Academiam, ibi A. 1576. Sponſalia celebravit cum virgine *Agnete*, Dn. *Luberti Eſthii*, Medicinæ Doctoris & Practici celebris filiâ.

Uxorem ducit.

Brevi pòſt *Heidelbergam* vocatus, ab Electore *Friderico III.* inter Conſilii ejus aulici aſſeſſores cooptatus eſt.

Conſiliarius Palatinus.

Poſt obitum Electoris *Friderici* verò propter Religionem dimiſſus, ab hujus ſucceſſore *Ludovico*, & poſt hujus quoque mortem ab Electore *Friderico IV.* revocatus locum inter Conſiliarios Electorales intimos obtinuit.

Ex conjuge 6 filios & 7 filias ſuſcepit, ex iisque 9 omnes in conjugio viventes poſt mortem reliquit, & rarò exemplo 53. nepotes vivos vidit.

Nepotes 53 vidit.

A. 1615. cum anno prægreſſo cum dolore conjugem mortis violentiâ ſibi vidiſſet abreptam, ſecundo connubio ſibi deſponſavit *Æmiliam*, Dn. *Lucæ Stöckelii*, Theol. Doct. viduam, Doct. *Henrici Smetii*, Medicinæ Profeſſoris filiam, quam viduam poſt fata reliquit.

Conjugium ejus alterum.

Cum tandem octiduo decubuiſſet æger ſenio exhauſtus, Præfectus Cœnobii *Caſtelenſis in Palatinatu* ſuperiori, inter conjugis, liberorum, aliorumque adſtantium preces placidè in Chriſto exſpiravit 30. April. A.C. 1620. ætat. 74.

Præfectus Cœnobii Caſtelenſis.

Moritur.

* *Ex Concion. fun. Johannis Salmuth, Miniſtri Eccleſ. Amberg.*

RUDOLPHUS A PONIKAU.

Obiit A.C. 1620.

VInariæ natus eſt A.C. 1567. Patre *Friderico*, Conſiliario *Saxonico*, & *Aulæ Vinarienſis* Gubernatore, qui cum domui Electorali *Sax.* 53. annos fideliter inſerviiſſet, A. 1588. mundo valedixit: Matre *Anna Wormia*, ex nobili familiâ *Thuringica*.

Adoleſcens in Academiâ *Jenenſi* ſtudiis Juridicis addictus, ea in Academiis deinceps *Italicis* magis excoluit, & cum Regiones alias quoque exteras perluſtrâſſet, domum reverſus, mox à Sereniſſimis *Saxoniæ* Ducibus *Friderico Wilhelmo*, *Johanne*, *Johanne Caſimiro*, & *Johanne Erneſto*, Judicii *Saxonici* aulici, quod *Jenæ* eſt, Aſſeſſor, & An. 1596. Conſiliarius & Curator ſupremus Comitatûs *Hennebergici* declaratus eſt.

Studioſus Juris Jenæ, & in Academiis Italicis.

Judicii aulici Jenæ Aſſeſſor.

Brevi pòſt nuptias *Vinariæ* habuit cum virgine nobili *Hedwige Magdalenâ*, Viri nobiliſſimi

-biliſſimi *Lucæ Tangelii*, Conſiliarii Cameræ *Vinarienſis* filiâ, ex quâ 4 ſuſcepit filias, ſed unicam modò reliquit ſuperſtitem, quæ poſteà Nobili *Burcardo ab Hanſtein* deſponſata fuit.

Eparchus Præfecturæ Mansfeldicæ & Meinungenſis. A. 1607. Utriusque Præfecturæ, *Mansfeldenſis* & *Meinungenſis* Eparchus denominatus, multas Legationes graves fideliter obivit.

Moritur. Febri tandem ardente correptus, accedente catarrho vehementi placidè exſpiravit *Meinungæ* die 20. Julii A.C. 1620. æt. 53.

* *Ex Concione fun. Johannis Gathii Superintend. Meinung.*

Obiit A.C. 1620.

JOHANNES CHRISTOPHORUS HERDESIANUS.

NOrimbergæ natus eſt A.C. 1577. Patre *Chriſtophoro Herdeſiano*, Reipublicæ *Norimbergenſis* Conſiliario primario & Theologo ſummo. Matre ex *Pfinzingiorum* Patriciâ familiâ.

Jura ſtudet Altorfii. Poſt mortem Parentum, quos puer amiſerat, à Tutoribus in *Ambergenſe* Gymnaſium, & paulò pòſt in Academiam *Altorfinam* miſſus, nihil habuit antiquius, quàm ut Parentis virtutem, pietatem, & prudentiam æmularetur: quare nunquàm relinquebat celeberrimos ejus temporis J.C.tos *Hubertum Giphanium, Petrum Weſenbecium, Scipionem Gentilem*, *Conradum Ritterſhuſium*, quibus omnibus in delitiis eſſe conſueverat, & quorum hortatu *Heidelbergenſem* poſteà Academiam viſitabat, *Heidelbergæ.* actisque aliquot ibi annis, quos *Marquardo Frebero, D. Michaëli Lingelsheimio*, & *Ludovico Camerario* cognatis ſuis impendit, ad peregrinas Regiones animum intendit.

Varias Regiones perluſtrat. Peragravit itaque *Galliam, Italiam, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Belgium, Germaniam*que totam: hisque exploratis Regionibus in *Angliam* reverſus eſt, quæ amorem ſui compenſavit. Nam Rex Sereniſſimus perſpectâ hujus Viri prudentiâ & dexteritate, generoſo cum Equiti *Stephano Leſero*, Comitem & Secretarium ad Electores ac Principes *Germaniæ* deſtinavit.

Ubi jam ſibi viſus eſt ex præcipuis Aularum totius penè *Europæ* ſpoliis omni genere dotium ſatis locuples evaſiſſe, A. 1615. in *Syndicus Norimbergenſis.* patriam reverſus, ab eâ honorificè exceptus, & Syndicatus honorem adeptus eſt, cui per quinquennium præfuit.

Deſponſatur. Sociam thalami in patriâ ſibi adſcivit An. 1615. virginem *Suſannam*, ex *Gugeliorum* antiquâ familiâ oriundam: ex quâ liberos aliquot ſuſcepit, ſed duas tantùm filias ſuperſtites reliquit.

Ipſe verò foris itineribus variis officio jubente diſtractus, ad ſcopum, quem minimè cogitabat, per ſubiti morbi compendia pervenit. *Uratislaviæ* enim in itinere verſatus, febri malignâ petechiali correptus, cum capitis dolore exquiſito, ſiti, æſtu, & præcordiorum anxietate, moræ impatiens, & rerum ſuarum ſatagens ad oppidum Ducatûs *Glogovienſis Bolcovicium* usque eques perrexit. Ibi ad priores affectûs paraphrenitis acceſſit.

Cumque Medico deſtitueretur, Amici unà itinerantes ægro manum medicam adhibere conati ſunt, ſed parùm prudenter: Primo enim die Critico venam ei humerariam ſecare juſſerunt, & jam dejectum viribus, & adhuc paraphreneticum aëri rurſum expoſuerunt, *Freiſtadiam*que ſecum per frigoris inclementiam deduxerunt. Tandem 17. Dec. *Francofurtum* ad *Oderam* cum comitibus venit, ubi complexibus agnati ſui D. *Cyriaci Herdeſiani*, J.C. & Hiſtoriarum Profeſſoris mirificè recreatus fuit.

Nulli tum labori vel ſumptui parſum eſt. Verùm etſi remedia adhibebantur, quæ & petechias expellerent, & paraphroſynin mitigarent, ſuccumbebat tamen natura vi morbi victa.

Accedentibus itaque die morbi undecimo, qui tyrannus in hoc morbo habetur, convulſionibus, præſente M. *Theophilo Eberto*, Verbi Divini Diacono, cum *Cyriaco Herdeſiano*, animam DEO reddidit, die 20. Dec. A. C. 1620. ætatis 45. *Febri malignâ moritur Francofurti ad Oderam.*

* *Ex Programmate funebri Matthæi Coldebacii, Jur. Prof. & Rectoris in Electorali ad Viadrum Academiâ.*

PETRUS MATTHÆUS.

Obiit A.C. 1621.

NAtus in ditione Epiſcopatûs *Baſileenſis*, in confinibus *Burgundiorum*, non procul à *Monte Pelicardo*, Patrem habuit humili textoris opificio victum quærentem, ſed vivacis ingenii ſpiritu ſuæ ſortis anguſtias mirificè ſuperantem: filii ſiquidem generoſum ſecutus genium altioribus artibus inſtruendum, & ab inopiæ ſordibus eximendum curavit. *Filius textoris in Burgundiâ.*

Is à Jeſu Patrum gymnaſio, ubi prima ætatis poſuit rudimenta, ad celeberrimum virtutis domicilium *Lutetiam Pariſiorum* transmiſſus, non mediocrem cœpit inter æquales plauſum, quibusdam Oratoriis Progymnaſmatis aucupari. *Educatus apud Jeſuitas.*

Ac præſertim ſummorum aulæ Procerum Panegyricis editis *Petri Janinii*, ejusdem aulæ Præſidis gratiam adeptus eſt, cujus etiam favore deinceps Hiſtoriographi & Conſiliarii Regii decus perhonorifico ſtipendio donatus promeruit. *Hiſtoriographus Regis Galliæ.*

At verò in conſcribendâ hiſtoriâ inſolenti auſu longè cenſetur à calcatis veterum veſtigiis receſſiſſe, Præceptorum namque moralium glomeratis cum undique luxuri & acervis, Philoſophi potiùs quàm Hiſtorici perſonam videtur induere.

In *Galliâ* Hiſtorici ejus fœtus vix prolati eruditorum judicio eviluerunt. In *Italiâ* quidam juniorum fervor, quos ſtyli novitas incredibili voluptate pellexerat, jam obriguit.

Maria Medicæa, Regis *Henrici IV.* uxor, ad Conſiliarii ſtatûs dignitatem vocavit eum; ad idemque faſtigium filio unico, *Conſiliarius ſtatûs Mariæ Medicææ.*

facto

facto Parlamenti Regii Conſiliario viam ſtravit.

In vivis tamen dum egit R ex *Henricus IV.* quod in ſuas laudes *Petrum* intemperantius operoſo volumine debacchatum exiſtimaret, audiit acerbius, ipſiusque ceu fucati Scriptoris vota conſtanti illiberalitate deluſit.

Cœterùm qui rerum Civilium Theoremata congruis agnitisque firmavit eventis, emerito fraudandus non eſt elogio, eòq; magis quod florenti ſollidioris facundiæ laude facer Muſarum cultor à quocunq; cœci livoris lue non præpedito cenſeatur.

Moritur. *Pariſiis* tandem fatis ceſſit, & publicâ funeris pompâ tumulatus eſt, cum annorum ætatis 75. attigiſſet Anno Chriſti 1621.

Scripta. Scripta *Gallico* idiomate ſunt ſequentia:

Hiſtoria Gallica, tempore pacis ſub Regno Henrici IV. & ejus continuatio.

Hiſtoria Gallica tempore belli ſub Regibus Henrico III. & IV.

Hiſtoria belli inter Regnum Galliæ & Hiſpaniæ ſub Regibus Chriſtianiſs. Franciſco I. Henrico II. Franciſco II. Carolo IX. Henrico III. & IV.

Genealogia ſtirpis Regiæ Borboniæ à Pharamundo ad Henricum IV.

Hiſtoria Proſperitatis infelicis Elii Sejani.

Vita Domini de Villeroy.

Hiſtoria Regis Ludovici IV. Lib. IV.

Tract. de vitâ & morte Gallico Latinis Verſibus ſcripſit, quem quidam ex Societ. frugiferâ Verſib. Germ. edidit.

* *Ex Muſæo Hiſtorico, Johan. Imperialis Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro Italico Viror. doctor. Hieron. Ghilini.*

Obiit A. C. 1621.

ARSENIUS MERIUS.

Jurisconſultus. *Patavinus*, honeſtis natalibus nequaquàm inflatus placidis moribus & ſuavi genio Jurisconſultus forenſes cauſas actitabat. Pallidus ei vultus erat, & imbecilla artuum nervorumque complexio, quâ non deterritus modò Fori Judicem, modò Magiſtratum eum geſſit, per quem jus ſuum Lanarii conſequuntur.

Fori Judex.

Poëta. Poëſis cultor, ſed languidus, paribus rithmis languidos cordis affectûs & ſpiritûs indicavit. Univerſitatis Legiſtarum nomine Sereniſſ. *Antonio Priulo, Venet.* Duci *Etruſcis* Carminibus prid. Non. Sept. An. 1618. publicè gratulatus, Eques ab eodem renuntiatus eſt.

Eques Venetus.

Moritur. Regreſſus domum, domeſticis oneribus afflictatus. Parentum adhæc & amicorum perturbationibus aſſiduis agitatus, in ſummâ intemperie corporis diem extremum clauſit A. C. 1621. ætatis 48.

Scripta. Extant demandata typis, ejusque nomen ſervant:

Etruſca Carmina ad Sereniſſ. Venetiarum Ducem, & Oratio, quâ Magiſtratum Lanariæ artis auſpicatus eſt.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1621.

BERNHARDUS PFANTZHARTUS.

Anno 1552. natus eſt *Hopferſtadii, Franconiæ* oppidulo, Patre *Georgio*, agriculturâ victum quærente. Puer maturè literis admotus, iis in patriâ primùm, deindè *Wurceburgi*, & tandem *Serveſtæ* operam dedit. In his cum non pœnitendos feciſſet progreſsûs, *Dresdam* petiit, ibique operam ſuam in informandis pueris quibusdam primariæ notæ elocavit.

Indè *Wittenbergam* profectus, ibi brevi in ſtudiis liberalibus ita promovit, ut An. C. 1583. Decano *Johanne Grunio, Norimbergenſi*, Ethicæ & Logicæ Profeſſ. publico, Philoſophiæ Magiſter crearetur. *Philoſophiæ Magiſter.*

Nubit. An. 1585. Conjugem duxit *Catharinam*, M. *Georgii Franckenbergeri*, Eccleſiæ *Torgenſis* Diaconi viduam. Ex eâ filios genuit duos, *Georgium*, & *Bernhardum*, quos in medio adoleſcentis ætatis & ſtudiorum curſu mors intercepit.

Senator & Ædilis Witteberga. A. 1618. in oppidani Senatûs Collegium adoptatus, & ædilitati præpoſitus eſt. An. 1620. cum annos 19. viduus poſt mortem conjugis egiſſet, ad ſecunda vota tranſiit, dum vitæ ſociam ſibi adoptavit *Eliſabetham, Andreæ Rubelii*, Prætoris oppidani filiam. Sed nec illi uxore, nec iſti viro ſuo diu frui utique licuit. Ventris enim & capitis doloribus diu afflictus viribus tandem prorſus omni vivendi facultate privatus eſt ipſis Calendis Januarii A. C. 1621. æt. 49. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri.*

Obiit A.C. 1621.

ANTONIUS LEO.

Nobilis *Patavinus*, Jurisconſultus, & Cauſarum actor, earum imprimis, quas Criminales vocant, vir gloriæ cupidior vehementer in defendendis reis piisque cauſis tuendis elaboravit. *Cauſarum Criminalium actor.*

Fuit & hilari vultu, eâque animi ſerenitate, ut plerique civium in eum oculos intenderent, ipſumque in maximum aliquando Jurisconſultum evaſurum conclamarent. Sed heu repentinâ febri correptus, ſpem omnium fregit, terris ereptus Kal. Januar. A. C. 1621. ætatis 38. *Moritur.*

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1621.

PAULUS PRUCKNERUS.

Natus eſt 7. Nov. Anno C. 1558. Patre *Georgio*, Senatore Civitatis *Cronacenſis*, in Epiſcopatu *Bambergenſi*, Matre *Margarethâ*, *Wolfgangi Hoffſchneideri*, Civis honeſti ibidem filiâ.

An. ætatis 8. miſſus à parentibus in Gymnaſium, quod *Curia Voitlandorum* eſt, & an. ætat. 14. in Academias *Wittenbergenſem, Jenenſem*, ac *Ingolſtadienſem*, ubi ſtudio Juridico dedit operam, quod deinceps An. C. 1579. per *Italiam* iter faciens *Senis* & *Patavii* magis excoluit.

A. 1581. æt. 23. 21. Maji *Baſileæ* cum laude Doctorales honores adeptus, *Spiram* conceſſit, & Praxin exercuit. *Juris Doctor Baſileæ.*

Advocatus Bambergenſis. Advocatus Suinfurtenſis. Conſiliarius Saxo-Vinarienſis.

Domum deindè reverſus, à Capitulo *Bambergenſi* Advocati munus accepit, in quo verſatus eſt usque ad Religionis in illo Epiſcopatu Reformationem. A. 1593. factus Advocatus *Suinfurtenſis*, & unà Ducum *Saxo-Vinarienſium* Conſiliarius 28. annos in eâ functione fideliter exegit.

Tres habuit Uxores.

In Conjugio triplici verſatus, A. 1598. Nuptias celebravit cum *Urſulâ*, viduâ *Chriſtoph. Wirtzburgeri Bambergæ*, ortu *Dietziâ*, ex quâ filiam ſuſcepit *Amaliam*, D. *Johan. Burckhardi Statmanni*, Conſiliarii *Brand. Bareitenſis* poſteà conjugem.

Hâc verò conjuge A. 1594. per mortem extinctâ, eodem adhuc anno ad ſecunda vota tranſiit cum *Margarethâ*, D. *Ottonis Reinholdi*, Cancellarii *Bambergenſis* relictâ viduâ, quâ per mortem quoque An. 1612. privatus, anno ſeq. tertiâ vice deſponſatus eſt cum virgine *Mariâ*, Dn. *Jacobi Hofmanni*, Conſulis *Winsheimenſis* filiâ, quæ liberos ei peperit *Georgium Jacobum*, *Annam Margaretam*, *Dorotheam Amaliam*, *Mariam*, & *Johannem Paulum*. Cum tandem 14. diebus febre ardente decubuiſſet æger, viribus ſenſim deficientibus morte placidâ extinctus eſt. 13. Sept. A. C. 1621. ætat. 63.

* *Ex Concione fun. M. Nicolai Grebii, Concionat. Suinfurt.*

Obiit A.C. 1621.

PAULUS GUALDUS.

EX nobili familiâ de *Gualdo* natus, anno 1548. quæ ſub *Othone*, Duce *Italiæ* conſedit, Patrem habuit *Joſephum*, J. C. præclarum, cujus veſtigiis inſiſtens humaniores inprimis literas coluit, & *Vicentiæ* ſub optimis Præceptoribus optimis artibus eſt imbutus.

Juris & Theologiæ Doctor.

Deindè *Patavium* ad audiendas Leges Civiles ac Sacros Canones perdiſcendos miſſus, metam inibi ſtudiorum partâ exoptatâ Laureâ conſignavit.

A Patre Eccleſię dicatus *Romam* progreſſus eſt, ubi Curiæ carus labores ſuos fortunato exitu concluſit. Opimis enim beneficiorum proventibus locupletatus, Eccleſiæ *Patavinæ* Archipresbyteratum ſecum indè retulit.

Archipresbyter Patav.

Patavium itaque reverſus, cum ab omnibus perhumaniter exceptus eſt, tum à *Marco Cornelio*, Epiſcopo, qui & illi Proantiſtitis Provinciam annis plurimis delegavit.

Eo in munere gravitate pariter & morum probitate fulſit, hâc inprimis dote clarus, quod heroicâ quâdam humanitate ſatisfaceret omnibus, nec triſti quisquam ab eo vultu diſcederet.

Apud cunctos *Italiæ* Principes in honore habitus, *Joanni* quoque *Vicentio Pinello*, viro doctiſſimo, ita conjunctus extitit, ut & dum viverent, ſeſe incredibili benevolentiâ invicem proſequerentur, & amici defuncti memoriam propagârit *Gualdus*.

Johannis Vincentii Pinelli vitam deſcripſit.

Edidit enim *Pinelli* cœlo redditi vitam & geſta eleganti ſtilo, tum ut tanti Herois virtutes, tum ut ſingularem in amicum benevolentiam ſuam toto terrarum orbi monumentis literarum perennibus teſtaretur.

Ætate tandem feſſus, etſi valetudine optimâ uteretur, Archibresbyteri onus Nepotis ſui *Joſephi Gualdi*, J. C. humeris injecit, ut otio pio vitam innocentem clauderet, quod ei contigit 17. Kal. Octob. An. C. 1621. ætatis 73. Sepultus eſt *Patavii* in Eccleſiâ Cathedrali.

Moritur.

Amici hoc illum Elogio decorârunt, quod ejusdem Imagini ſubſcriptum legitur:

Elogium.

PAULUS GUALDUS
Juris utriusque ac Theologiæ Doctor
humanioribus literis excultus,
Vicentiæ natus Patre Joſepho præclariſſimo J.C.
Vir planè ingenuus,
Vitæ ac morum ſuavitate & Candore
admirabilis,
Illis virtutibus omnibus exornatus,
ſummis Europæ Principibus carus,
Romæ Sacræ Reip. Patribus,
ac ipſi Summo Pont. Paulo V.
perhumaniter acceptus,
à quo
Illuſtriſſimo Patavinorum Canonicorum
Collegio
Archipresbyter datus
probè ſuo muneri ſatisfecit.
VINCENTI PINELLI
Clariſſimi & Amiciſſimi Viri Vitam
graviter & eleganter ſcripſit,
quæ
Veræ amicitiæ Imaginem cum ejusdem legibus
repræſentat.
Mirâ in agendis negotiis dexteritate
in peragendis celeritate nituit,
amabilis omnibus.
Cujus ergò vel defuncti Imaginem
Mortales omnes
amant, ſuſpiciunt, venerantur
Amici Amico Incomparabili
Amicitiæ ab eo ſanctiſſimè
perpetuo cultæ
Monumentum & teſſeram
amoris & officii titulo
P. P.

* *Ex Elogiis Virorum Illuſtrium Jacobi Philippi Tomaſini.*

FLAVIUS TORTUS.

Obiit A.C. 1622.

PAtritius *Papienſis*, ortus ex illuſtri Torquatorum *Romanorum* familiâ, qui vocati ſunt poſteà *Torti*, Juriſconſultus fuit ſuo tempore primarius, quem Senatus *Mediolanenſis* in Gymnaſio *Ticinenſi* Juris Canonici & Civilis Profeſſorem primarium conſtituit, in quâ functione 30. annis perſeveravit.

Juris Profeſſor Ticini.

Fuit præterea 25. annorum ſpatio Conſiliarius *Hiſpan.* & Auditor Tribunalis Inquiſitionis, hæreticorum malleus, & fidei Pontificiæ propugnator.

Conſil. Hiſp. & Inquiſit. Auditor.

Ultimis vitæ ſuæ annis ab Academicis Affidatorum Princeps eorum conſtitutus, Poëſi plurimùm delectatus eſt.

Princeps Acad. Affidator. Poëta.

Vivendi finem fecit in Patriâ A.C. 1622. Plurimùm deſideratus à Viduis, Orphanis, & Pauperibus, quorum protector & defenſor

Moritur



IOH: MARI, AVANTI,
Iuris conſ. Rhodiginus.



GVILIELM, VAIRIUS
Procancellarius Gallicus.



DIONYSI, GOTHOFRED,
Iuris Prof. Argentorat.




HIERO BUCCAFERRE,
Iuris Prof. Bononienſis.



LUCAS BECKMANN,
Iuris Prof. Witteb. et Conſil. Sax.



CHRISTOPH DEICHMANN,
Cancellarius Comitis Lippienſis.



PHILIPP, CAMERARIUS
Conſiliarius Noribergenſis.



GEORGIUS REMUS
Conſiliarius Noribergenſis.



PAULUS FREHERUS
Advocatus Noribergenſis.



ALEXAND: CARRERI,
Iurisconſultus Patavinus.



RUDOLPHUS SFORTIA
Iuriſconſ Romanus Epiſc. Piloſ.



EVERHAR. BRONCHORST,
Iuris Prof. Lugdunenſis.



PETRUS STORMIUS
Conſul et Scholarcha Argento:



MARC, ANTO: OTHELL,
Iuris Prof. Patavinus.



LEONHARD METZNER,
Conſiliarius Ducis Holsatiæ



CORNELI, vander MYLE
Curator Academ. Lugdunenſis

ſor fuerat. In Templo S. *Franciſci* ſepulturam nactus ab Oratore *Franciſco Mariâ Pirogallo* Diſcurſu funebri in Academiâ Affidatorum recitato, præſentibus multis Patriæ Nobilibus laudatus eſt.

Opera ſcripſit & edidit:

Scripta. *Additiones ad ſextum Volumen Conſiliorum Baldi.*

Annotationes, ſeu Lucubrationes ad Statuta inclytæ Civitatis Papiæ, opus omnibus Legum ſtudioſis, ac in foro verſantibus utile & neceſſarium.

Conſiliorum XV. Volumina manuſcripta.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Obiit A.C. 1622.

JOHANNES MARIUS AVANTIUS.

RHodigii natus eſt 23. Aug. A. 1549. Patre *Jacobo Laurentio*, Urbis *Rhodiginæ* Decurione, qui *Cœlii Rhodigini* diſciplinâ conſpicuus arma literis ſociârat.

Puer poſt prima Grammaticæ rudimenta *Antonio Riccobono* traditus, ut literis Græcis Poëticâ & Oratoriâ facultate inſtrueretur, brevi Carmina Latina ſuo Marte compoſuit. Hinc *Riccobonus* dicere ſolitus eſt, ſe ſolum *Avantium* noviſſe Poëtam ſimul & Rhetorem natum. *Orator & Poeta natus.*

Deindè Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis operam dare cœpit in Academiâ *Ferrarienſi*, ubi *Baptiſtæ Guarini*, *Torquati Taſſi*, & *Cæſaris Cremonini* contubernio & familiaritate uſus eſt. Indè ad Juriſprudentiam animum applicuit, primaque illius tyrocinia *Bononiæ* jecit.

Cum verò deindè Reſpublica *Veneta* Edictum promulgâſſet, ne ejus ditioni ſubjecti exteras Univerſitates adirent, *Patavium* conceſſit, ubi Lauream Doctoralem in utroque Jure conſecutus eſt. *Doctor Juris Patavii.*

In Patriam reverſus, demandatum ſibi à Principe Fiſci patrocinium ſuſcepit, cauſasque Civiles & Criminales tantâ nominis ſui famâ egit, ut quater & vigeſies ad agendas cauſas Criminales extra Patriam evocatus fuerit. *Patronus Fiſci Rhodigii.*

Cœpit tamen adverſa fortuna crebris turbinibus ejus animum exercere. Cum enim pro trapezitâ quodam ſe fidejuſſorem præſtitiſſet, decocto ab eo ære ſibi credito, aliquot aureorum millia erogare coactus eſt. Indè crebris hoſtium inſidiis petitus, tandem 18. vulneribus lethaliter confoſſus eſt, è quorum uno, quod amplum in abdomine habebat, prominentis omenti magna portio neceſſariò fuit amputata. Vix à vulneribus convaluerat, cum unicum fratrem hoſtili gladio amiſit. *Lethaliter vulneratus.*

Eodem tempore dilecta ipſius conjunx inter primi partus dolores unà cum filiolo exſpiravit. Ex eâdem verò filios reliquit ſuperſtites, *Hieronymum*, *Carolum*, Philoſ. & Med. Doct. ſcientiâ rerum naturalium, & inprimis *Rei Herbariæ* celebrem, *Jac. Laurentium*, & *Rudolphum*, cum 2. filiabus.

Proſcriptis & diſſipatis hoſtibus vitam tranquilliorem degere cœpit, rediitque ad diu intermiſſa bonarum literarum ſtudia, quorum amore plurimas noctes inter libros inſomnes tranſegit Philologus & Hiſtoricus inſignis.

Tandem cum priore uxore defunctâ matronam *Patavinam* duxiſſet ex nob. familiâ *Genâ*, illius precibus fatigatus A. 1606. domum *Patavium* tranſtulit, ubi Civitate donatus, fatis pro exitu conceſſit 11. Mart. A. 1622. æt. 73. *Moritur Patavii.*

Pietatis exemplum reliquit ſingulare, quod cum ipſi innotuit, ſtructas eſſe iis ipſis, qui fratrem ejus interfecerant, ab hoſtibus inſidias in viâ, miſſo religioſo Capucino monuerit eos, ne illâ die, ſi vitam ſalvam vellent, *Rhodigium* venirent, deinde ſicariis ſignificavit, detectas eſſe inſidias, mox ineundæ inter illos pacis autor fuit. Sed quantum Eloquentiâ valuerit, indè colligere licet, quod extremis vitæ ſuæ annis filii proprii, qui interfecto villæ ſuæ Parocho reus capitis agebatur, cauſam adeò feliciter dixerit, ut eum Judices liberum pronuntiârint.

Opera Manuſcripta ab eo filiis relicta ſunt ſequentia:

Edidit: *Poëmation Italicum*, quo *Lampyridis* ſeu *Noctilucæ metamorphoſin* eleganter cecinit, *Imperatori Ferdinando II.* inſcriptum. *Scripta.*

Hiſtoria Eccleſiaſtica à Lutheri Apoſtaſi ad ſua usque tempora.

Conſilia plurima de rebus Civilibus & Criminalibus.

Carmina varia Latina & Italica.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

GUILIELMUS VAIRIUS.

Obiit A.C. 1622.

NAtus 7. Martii A.C. 1556. Primò fuit Senator in ſupremâ *Pariſienſi* Curiâ, deindè Magiſter Libellorum ſupplicum, poſteà Princeps Senatûs *Aquenſis*, quartò *Franciæ* Procancellarius, tandem Epiſcopus & Comes *Lexovienſis*. *Procancellarius Galliæ.*

Obiit 3. Aug. A.C. 1622. Vixit annos 64. menſ. 4. dies 16. Sepultus eſt verò apud *Bernarditas Pariſienſes*, ubi legitur in tabulâ marmoreâ ſequens Epitaphium: *Moritur.*

GUILIELMUS DU VAIR,
FRANCIÆ PROCANCELLARIUS HIC EXPECTAT RESURRECTIONEM ET MISERICORDIAM. *Epitaphium.*
R. I. P.

GUILIELMUS VAIRIUS,
Per Anagramma.
Vas lilii uſu Regum.

* *Hæc ſubſcripta leguntur Iconi ejus ari inciſæ.*

* * * *

Cum vix adoleſcentiæ annos egreſſus, Libellorum ſupplicum Magiſter *Lutetiæ* fuiſſet declaratus, munus illud *Jacobo Auguſto Thuano*, factâ permutatione lubens conceſſit, & licet ob eximiam indolem ac doctrinam eo munere digniſſimus judicaretur

Senator Eccleſiaſticus. tur, tamen in Senatoris Eccleſiaſtici ordine ſedere quàm protinùs à foro ad aulam transvolare iſtuc ætatis malebat.

* *Ex vit[illegible] cobi Auguſti Thuani auctâ Thuano [illegible] erhardi à Stöcken.*

Obiit A. C. 1622.

FRIDERICUS PRENNINGERUS.

ROtenburgi, oppido Imperiali ad *Tubarum*, An. C. 1556. natus ex parentibus tenuis ſortis, in pueritiâ præ foribus canendo panem emendicare coactus, cum aliis alumnis ſtudia ſcholaſtica ſedulus tractavit, donec in Academiâ *Tubingenſi* ſtudium Juridicum auſpicatus, tantos in eo fecit progreſsûs, ut 17. Junii A. 1583. Doctoris gradum cum laude & honore aſſecutus fuerit.

Juris Doctor Tubingæ.

Unâ deſponſatus. Sequenti mox die 18. Junii deſponſatus eſt cum M. *Georgii Burcardi*, Philoſophiæ Profeſſoris *Tubingenſis* filiâ natu majore, ex quâ 8. liberos ſuſcepit, & ſuperſtites reliquit.

Hâc verò vitâ defunctâ, A. 1604. ad altera vota tranſiit in uxorem ductâ *Barbarâ*, Domini *Kiliani Dürrii*, Senatoris *Rotenburgenſis*, viduâ, quam ſterilem viduam reliquit.

Syndicus & Conſiliarius Rotenburgicus. Poſt primas nuptias ſtatim à Republicâ patriâ Syndicus & Conſiliarius factus, in eo munere fidelem ſeſe exhibuit, donec morbis variis per totum ferè vitæ ſuæ curſum, podagræ præſertim & calculi doloribus exhauſtus vitam morte beatâ clauſit 6. Aug. A. C. 1622. ætat. 67. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri Georgii Cyrilli, Superintendentis Rotenburgenſis.*

Johannes Hartmannus, Francus, Poët. Laur. Cæſ. præter alia, ſeqq. eum honoravit *Epigrammatibus*, & *Anagramm.*

Literæ initiales nomen exprimunt.

Fortunæ Radios Iuris, Deus Effice, Rector
Incolumis Cernat Vividiore Solo.
Pieridum Requies, Exemplar Nobile Iuſti,
Gratis Eſt Rupes Veriloquisq; Salus.

FRIDERICUS PRENIGERUS.
Per Anagramma:
Fide curris peregrinus.
Super *Symbolum:*

F*ridericus* P*renniger* D*octor,*
F*rango* P*atientiâ* D*urum.*

FRIDERICUS PRENNIGERUS ARTIUM ET JURIUM DOCTOR PRÆCLARUS SYNDICUS AD TUBARIM.
Diſtichon anagrammaticum:
Dum patior durum, Frangit Patientia Durum,
Sic Sydus Juris curro celebre Sacri.
Aliud:
FEDERICUS PRENNIGERUS Iu. DOCTOR REIQUE PUBLICÆ ROTEMBURGIACÆ ADMINISTER SEDULUS.
Et cum laude Fori Decus ingens dicor & Urbis,
Porrò pari curâ, quin gravi, Idem eſſe lubet.

Obiit A. C. 1622.

MICHAEL REICHSHOFERUS.

HAllæ-*Suevorum* mundum ingreſſus 8. Sept. A. C. 1555. cum in Scholâ patriâ ſtudiorum fundamenta jeciſſet, anno æt. 18. Academiam *Argentinenſem* acceſſit, ſtudium ibi Juris aggreſſus, triennio pòſt *Tubingam* venit, & triennium ibi Jurium ſtudioſus exegit.

Juris ſtudioſus Argentorati & Tubingæ.

An. 1579. à matre domum revocatus, eâdem conſentiente duxit uxorem *Rotenburgi*. Ibi A. 1581. Judex, & biennio pòſt Senator declaratus, A. 1598. Conſul electus eſt, & variis legationibus, expeditionibus ac commiſſionibus Reipublicæ gratiâ fideliter functus.

Judex, Senator & Conſul Rotenburgi.

A. 1617. Hemiplexiâ tactus, ſenſibus internis manentibus integris, loquelam amiſit, & quinquennium orando, legendo & ſuſpirando conſumpſit, donec accedente dyſenteriâ per mortem exoptatam DEO ſpiritum reddidit 14. Aug. An. C. 1622. ætatis 67. *Moritur.*

M. *Johannes Hartmannus, Poëta L. Cæſ.* hæc in ejus honorem compoſuit *Anagrammata:*

MICHAEL REICHSHOPHERUS.
Sic heri Cœlum ſpero.
MICHAEL REICHSHOFER.
Facilè ſic morere.
MICHAEL REICHSHOFERUS CONSULARIS ET SCHOLARCHA ROTENBURGOTUBERANUS PRUDENTISSIMUS.
Rarus bonos certè eſt Muſis vir charus in Urbe:
Ergò obitum ſic flent Curia, Templa, Schola.

* *Ex Concione funebri Georgii Zyrlini, Superintendentis Rotenburgenſis.*

Obiit A. C. 1622.

DIONYSIUS GOTHOFREDUS.

NAtus eſt *Pariſiis* 17. Oct. An. C. 1549. familiâ nobili, nobilibus ibidem *Harleorum*, *Thuanorum*, *Falcbetorum* familiis per cognationem insertâ: Patre *Leone Gothofredo*, Domino à *Gidonecourt*, Conſiliario Regio in Præfecturâ & ſede Præſidiali *Pariſienſi*, qui toto vitæ tempore in Regiâ illâ Urbe civis optimi partes ſuſtinuit, & ſuæ in Urbe regionis tribunatu præcipuo functus eſt: Matre verò *Mariâ Lourdela Falchetâ*, quæ præter alias neceſſitudines Comitem quoque *Chivernium* Regni Cancellarium inter propinquos numeravit.

Filius Conſiliarii Regii.

Cum adoleſcentiam bonarum literarum ac Juris præcipuè Civilis ſcientiâ in celeberrimis Univerſitatibus *Lovanienſi*, *Colonienſi*, & *Heidelbergenſi* excoluiſſet, in ipſam flammam belli Civilis, & parricidale facinus *Lutetianum* incidit, ubi cum nemini pio tutò vivere daretur, Patriam relinquere, & perfugium *Genevæ* petere coactus fuit: Hujus à Reipublicæ Senatu munere Profeſſoris in Jure donatus fuit, cum A. C. 1579. 28. Dec. in Univerſitate *Aurelianenſi* Doctor Jurisprudentiæ renuntiatus fuiſſet.

Juris Profeſſor Genevæ.

Doctor Juris Aureliæ.

Verùm *Henricus Magnus*, *Galliæ & Navarræ* Rex Viri doctrinam, induſtriam, & dexteritatem æſtimans, non ſolùm An. 1599. d. 11. Maji trium ad Juræ montis radices Præfecturarum, *Gexenſis*, *Dernienſis* & *Galliar-*

gliardenſis munus, à Baronibus ferè & aliis magni nominis viris antè adminiſtratum ipſi non pretio, ut ſolet in *Galliâ*, ſed judicio gratiâque detulit; verùm etiam ejuſdem anni Menſe Julio dignitatem Conſiliarii Curiæ Parlamentariæ *Pariſienſis* ob merita ipſi extra ordinem demandavit. Sed etiam illinc *Sabaudi* violentiâ in motu graviſſimo illorum temporum ejectus fuit, ac omnibus penè fortunis, præcipuèque Bibliothecâ ſuâ ſpoliatus. Quapropter induſtriam ſuam ac nominis celebritatem, quam Patriæ voverat, coactus impertiri *Germaniæ*.

Conſiliarius Regis Galliæ.

An. 1591. Menſ. April. in Academiâ *Argentinenſi*, à Dominis Scholarchis eò vocatus *Baſileâ*, Pandectarum Juris interpretationem ſuſcepit: & ita ſuam probavit operam, ut Sereniſſimus Elector *Palatinus Fridericus IV.* antiquiſſimæ ſuæ Academiæ lucem ac ſplendorem ex tanti præſentiâ Viri fœneratus *Heidelbergam* ipſum vocârit in vere A. 1600. Sed improborum iſtic æmulationibus irritatus, Menſ. Nov. An. 1601. *Argentoratum* repetiit, priſtinam Juris docendi provinciam aggreſſus.

Juris Profeſſor Argentorati.

& Heidelbergæ.

Melioribus tamen paulò pòſt temporibus requiem ſenectutis in charâ ſibi *Heidelbergâ* quæſivit rurſus & invenit.

Interim *Gallia* hoc veluti Palladium ereptum ſibi dolens, & à *Germaniâ* vindicatum ſæpius id ad ſe revocare, ſed fruſtrà, tentavit. Nam An. 1603. d. 3. Oct. ab *Henrico Magno* regiis literis ad Academiam *Bituricenſem* in Cathedram exceſſu *Jacobi Cujacii* vacuam eſt invitatus.

Varias vocationes honeſtas recuſavit.

Iterum An. 1609. 7. Maji per Cancellarium Regni *Galliæ Brulartium Sillerium*, ad primariam Juris Profeſſionem *Andegavium* eſt accerſitus.

A. 1610. die 9. Jan. denuò Rex *Henricus Magnus* cum ipſe tum ejus nomine *Lesdigerius*, datis uterque literis ad Sereniſſimum Electorem *Palat.* ut hunc ſuum *Valentiam* ad primariam Juris Profeſſionem ſuſcipiendam dimitteret, enixè contenderunt. Quas tamen ille vocationes omnes, etſi 1000. & 1200. Coronatorum annui ſtipendii cum pollicitatione factas, cum gratiarum actione repudiavit, quòd aut Religionis majorem, quàm iſtiusmodi commodorum rationem habendam exiſtimaret, aut ingraveſcenti ætati ſuæ, translato longiùs domicilio, præſertim è tàm charis ſibi ſedibus, minùs rectè ſe conſulturum putaret. Quâ eâdem causâ A. 1608. ab Ordinibus *Friſiæ* Occidendalis vocatus, ad ipſorum Academiam *Franeckeranam* venire recuſavit. Ac *Heidelbergæ* quidem gratiâ Principis & amicitiâ Conſiliariorum, cultuque Studioſorum floruit.

Poteſt & illud in parte felicitatis non exiguâ numerari, quod ibidem generos ſe dignos filiabus ſuis duabus maritos invenit. *Michéam* enim *Johanni Chriſtophoro Hallero*, Præfecto *Odernheimenſi*: *Renatam* verò *Philippo Camerario*, *Philippi* J. C. filio Præfecto *Ochſenhuſano* in matrimonium elocavit.

Heidelbergæ filias duas elocavit.

Cæterùm hanc ejus felicitatem interturbavit motus bellicus, cum *Palatinatus* ex florentiſſimo in miſerrimum ſtatum redactus extrema pateretur. Perfugium ergò rurſum habuit A. 1620. ad dilectum ſibi *Argentoratum*: ubi veteres amicos *Brederodium, Lingelshemium, Sebitium*, aliosque reperit, qui omnia amicorum ei præſtiterunt officia.

Argentoratum redit.

In ultimâ etiam ſenectâ memoriâ valuit adeò tenaci, ut optimorum quorumvis autorum loca, tanquàm ex ſcripto recitaret expeditè. *Juſtus Mejerus*, J. C. ejus æneo typo expreſſæ iconi hoc encomium ſubſcripſit:

Juſti Meieri encomium.

Æqui medulla: Juris almi Phoſphorus:
Scientiæ miraculum: Hiſtoriæ penus:
Theſaurus Orbis: Gratiarum corculum.

Cum Uxore *Dionyſiâ Santioniâ*, oriundâ è familiâ *Pariſienſi* nobili, Jurisdictione quoque criminali in Urbe quondam pollenti vixit concorditer annos undequinquaginta, quæ ſocia fuit ærumnarum indefeſſa, materque quinque liberorum, cum duobus filiis totidemque filiabus, ex longâ ſerie nepotum ſuperſtes.

Ex filiis *Theodorus* Regius *Lutetiæ* fuit Hiſtoriographus & Bibliothecarius, alter *Jacobus*, Hiſtoriarum ac Juris Profeſſor in Academiâ *Genevenſi*, tandemque ibidem Senator, qui, quàm genuini fuerint, præclaris ingenii monumentis oſtenderunt.

Filii ejus.

Viribus tandem deficiens ſyncope ſtomachicâ, vertigine, inſomniâ & ſcirrho lienis emaciatus, animam placidè Creatori reddidit, cum ſemihorâ vix antè neſcius imminentis ex tam propinquo mortis bibliopolæ mandata dediſſet, ſibi quosdam libros è mercatu *Francofurtenſi* petendi, 7. Sept. A. C. 1622. ætatis 73.

Meritum.

TertIVs & qVartVs SepteMbrIs In æthera LVXIt,
HeV! HeV! IVrIs *apeX, qVo Gotofre-*DVs *obIt.*

Studium ejus de literis & poſteritate merendi patuit inprimis in editione Corporis Juris Civilis, quâ nulla majore cum applauſu fuit excepta, ut ferè in ſingulos annos variis formis recudenda fuerit.

Dionyſius Gothofredus, cum alii Doctores ſoleant eas, quas allegant, leges, vel ex ſchedâ, vel ex ipſo codice prælegere, ille prolixè citatas plerasque 50. l. 60. linearum ex fidiſſimâ rerum cuſtode memoriâ depromebat.

* *Ex Programmate funebri Matthiæ Berneggeri, Rectoris Argentoratenſis.*

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Notæ in Corpus Juris Civilis.

Conſuetudines Bituricenſes, Turonenſes, & Aurelianenſes.

Praxis Civilis ex authoribus Germanis, Italis, Gallis, Hiſpanis, & Belgis collecta.

Quæſtiones Politicæ, ex Jure communi & Hiſtoriâ deſumtæ.

De Tutelis Electoralibus Teſtamentariis legitimas excludentibus Lib. V.

Epitome Hiſtoriæ antiquæ.

De Perſonis ſui Juris in Tutorum Poteſtate conſtitutis.

De Interdictis, ſeu Actionibus extraordinariis.

De Appellationibus.

Obiit A.C. 1623.

JULIUS SANNAZARIUS.

Juris Canonici Profeſſor Ticini.

EX nobili & antiquâ familiâ *Ticinenſi* natus, & Juris utriusque Doctor creatus, juſſu Senatûs *Mediolanenſis* in Academiâ patriâ Leges Canonicas publicè legit, & in Urbe Cauſarum ſibi commiſſarum Patronum fidelem egit.

Advocatus.

Legationes etiam aliquot Patriæ nomine cum laude obivit, particulatim verò A.1559. *Margaretham Auſtriacam, Hiſpaniarum* Reginam, ex *Germaniâ* venientem & *Papiæ* tranſeuntem, juſſu Senatûs patrii unà cum alio Juriſconſulto Sermone eleganti excepit.

Moritur.

Vitâ defunctus A.1623. ſepulturam habuit in Templo Majore *Ripæ Nazzanæ*, in territorio *Papienſi*.

Edidit:

Scriptum.

Tractatum de Sponſalibus & Matrimoniis.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1623.

JOACHIMUS STEPHANI.

FRater *Matthiæ Stephani*, Juris Profeſſoris *Gryphiswaldenſis*, patriam habuit *Pyrizium*, *Pomeraniæ* civitatem, ex quâ primitùs fulgur repurgati per D. *Lutherum* Evangelii huic oræ emicuit, luminaque Virorum in omni doctrinæ genere excellentium prodierunt.

Parentibus autem editus eſt *Hippolyto Stephani*, viro inter ſuos bono, & *Agathâ Burchardes*, qui eum liberalibus ſtudiis pro Scholæ patriæ modulo initiari gnaviter curârunt, donec anno ætatis 12. ad illuſtre Pædagogium *Sedinenſe* ex voto Parentum commigravit, ubi per aliquod temporis ſpatium oleum & operam ſtudiis impendit ſedulam nec perdidit.

Diſcipulus in Pædagogio Sedinenſi.

Indè *Wittebergam* ſe contulit, aliasq; abhinc *Germaniæ* Academias perluſtravit. Tandem *Roſtochium*, inclytum illud literarum emporium, appulit, laureâque Magiſterii inibi pro merito donatus fuit.

Philoſophiæ Magiſter Roſtochii.

Cumque ſingularis ipſius eruditionis fama increbeſceret, ab Illuſtriſſimo Principe Dom. *Erneſto Ludovico*, Duce *Stetini*, *Pomeraniæ*, & ad Matheſeos Profeſſionem in eâdem Academiâ ordinariam A.C. 1572. vocatus eſt.

Matheſeos Profeſſor.

Ad auguſtiora deindè aſpirans, & civili ſapientiæ ſeſe devovens, A. 1577. ejus Profeſſor & Doctor ſolenniter renunciatus eſt, unâque operâ nuptias cum honeſtâ Matronâ *Barbarâ Ribowen*, *Michaëlis Roſen*, civis primarii relictâ viduâ celebravit.

Juris Doctor & Profeſſor.

Tempore ſubſequenti Conſiſtorii Eccleſiaſtici directionem & Syndicatum Academiæ per plures annos ſuſcepit. Sed & illuſtriſſ. Ducibus *Pomeraniæ*, Dom. *Erneſto Ludovico*, D. *Bogiſlao* tunc temporis tutori, Dn. *Caſimiro*, & Dom. *Philippo Julio*, Patrono Academiæ *Roſtochienſis* beneficentiſſimo à Conſiliis fuit intimis.

Conſiſtorii Eccleſiaſtici Director, & Academiæ Roſtochienſis Syndicus.

Quatuor Ducum Pomeraniæ Conſiliarius.

Ex Conjuge ſuâ 7. ſuſcepit liberos, ſed unicus tantùm filius ſolatium ſenectutis ſuperſtes manſit, Dom. *Laurentius Stephani*, J.C. aulæ *Guſtrovienſis* Conſiliarius ac deſignatus Profeſſor Academiæ *Roſtochienſis*, ex quo & Conjuge ejus *Annâ*, Magnâ illius *Erneſti Cothmanni*, J.C. & illuſtr. Ducis *Megapolitani* Cancellarii filiâ, nepotes & neptes octo natos vidit. A.C. 1617. Conjugem, & cum eâ dimidium animæ ſuæ amiſit.

Pater Laurent. Stephani Cancellarii Megapolitani.

Ipſe tandem die 14. Jan. A.1623. pie placideque ex hâc in cœleſtem Academiam emigravit Facultatis ſuæ ſenior.

Moritur.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Demonſtrationes Politicæ in 8vo.

De Jurisdictione Græcorum, Judæorum, & Eccleſiaſticorum in 8vo.

Tractatiuncula de Conciliis & Synagogis, earumq; convocatione & auctoritate in 8vo.

Inſtitutiones Juris Canonici in tres libros ſecundùm tria juris objecta partitæ in 8vo.

De Arte Juris.

De Sponſoribus & Solutionibus in 8vo.

Expoſitio Novellarum Conſtitutionum Juſtiniani Imp. in 8vo.

* *Ex Programmate funebri D. Laurentii Stephani, Juris Profeſſoris Roſtochienſis.*

Obiit A.C. 1623.

WOLFFGANGUS WERTHERUS MüLPFORTIUS.

RHodâ-Thuringus: natus eſt 2. Nov. A.C. 1575. 2. Oct. A. 1602. Doctor Jurium promotus *Baſileæ*.

18. Julii A.1619. *Jenæ* Profeſſor Juris conſtitutus docuit usque ad 6. Maji A.1623. quo vitam ſpartamque finiit, an. ætat 48.

Juris Profeſſor Jenæ.

Moritur.

Filium inter alios liberos reliquit D. *Hieronymum Mülpfortium, Jenâ-Thuringum*, Advocatum ibidem in Curiâ Ordinarium, inq; *Saland* U. J. Doctorem promotum 28. Febr. A. 1643.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui addidit hoc *Epigramma:*

Wolffgang Wertbero Mülpforten ſpondet honores
Et Jure in gemino dat Baſiléa gradum.
Hinc cauſas tractat Themide aſpirante forenſes,
Et Profeſſoris denique munus obit.

Obiit A.C. 1623.

HIERONYMUS BUCCAFERREUS.

BOnoniæ natus A. C. 1552. Patrem habuit *Franciſcum*, filium *Vicentii*, qui frater fuit *Ludovici*, Philoſophi celeberrimi: Matrem *Jacobam*, *Jacobi Faſanini*, J. C. Cauſarum actoris, & Legum Interpretis poſthumam.

A. 1566. *Jacobum Paulum Mazolum*, ex ſorore conſobrinum, Logicæ & Philoſophiæ

phiæ publicum, *Bononiæ* Profeſſorem diligenter audivit. A. 1568. Jurisprudentiæ ſtudium aggreſſus, in Patrio Gymnaſio Imperatorias Inſtitutiones audire cœpit, & biennio pòſt ad Leges ordinarias ſe contulit, Præceptores nactus *Ferrandum Vessam*, & *Antonium Glavarinum*.

In Exercitationibus etiam Academicis, quibus Repetitiones *Bartoli* exponebantur, ſtrenuum ſe geſſit. 20. Maji A. 1577. Theſes ex Jure Civili, Cardinali *Paleoto* dicatas publicè ſuſtinuit.

Doctor Juris creatur.

Anno ſeq. 1578. Lauream in utroque Jure Doctoralem, promotore *Ferrando Vezzâ*, obtinuit. Statim deindè Cathedram Inſtitutionum impetravit, Collega datus *Camillo Buccaferreo*.

Juris Profeſſor, & Decurio Bononiæ.

Tunc etiam Patriæ Decurionibus adſcriptus eſt, quem Magiſtratum iteratis vicibus decies & ſepties obivit. An. 1580. ad ordinariam Jurisprudentiæ ſedem aſcendit, quam auctis honorariis per annos 42. honeſtavit, Collegas nactus *Ferrantem Vezzam*, *Hannibalem Mareſcotum*, *Laurentium Cavallinum*, & *Cæſarem Argilem*, utriusque Signaturæ Referendarium.

Nubit.

A. 1589. *Orintiam, Antonii Mariæ Catanei* filiam uxorem duxit. An. 1598. cum controverſia nata eſſet inter Cardinalem *Federicum Borromæum*, Archiepiſcopum *Mediolanenſem*, & Magiſtratum Regium ejus Urbis, Summus Pontifex *Clemens VIII.* qui tunc *Ferrariæ* morabatur, ex Gymnaſio *Patavino Guidum Pancirollum* ſelegit, cui *Buccaferreum* hunc ex *Bononienſi* Lycéo addidit, ut horum virorum cauſam æquis rationibus dijudicarent.

Rei benè geſtæ monumentum torquem aureum, *Clementis VIII.* numiſmate appenſo, retulit. A. 1600. Inquiſitionis Collegio Conſiliarius adſcriptus eſt. A. 1603. Collegio Juris Civilis patrio, ſicut anteà A. 1594. Canonici Juris aſſociatus eſt.

Conſiliarius Inquiſitionis.

Habuit tres filios J.C.ſultos.

Ex 5. filiis, quorum duos præmiſerat, tres ſuperſtites reliquit *Franciſcum Mariam*, J.C. paternæ gloriæ æmulum, qui poſtquàm annos 10. in Gymnaſio patrio Jus Civile docuiſſet, *Romam* ſe contulit, ubi 5. annis in cauſis tuendis, & præſertim ad celebre illud Rotæ Dicaſterium ſpectantibus laudabilem ſe præſtitit.

Defuncto deindè Senatori *Camillo Gypſio*, pauperum in Forenſibus Patrono, in patriâ ſuffectus eſt.

Alexander, alter filius, Juris pariter Laureâ honeſtatus, dum floridâ ætate Patriæ munera ſubiret, immaturo fato deceſſit.

Poſtremus *Hyacinthus* publico eruditionis teſtimonio in utroque Jure ornatus, magnam ſui expectationem Patriæ præbuit.

Ob ſenium rude donatur.

An. 1622. cum jam ſibi firmum nec unquam morbis tentatum, corporis robur deficere ſentiret, non ſolùm vacationis Privilegium in ætate ſenili docentibus conceſſum obtinuit, ſed huic etiam gratiæ is cumulus acceſſit, ut relicto ſibi docendi arbitrio filium *Franciſcum Mariam*, qui ſexennium Jus publicè docuerat, in eâdem cathedrâ docentem viderit.

Moritur.

Lentâ tandem febre conſumptus, 40. die poſt conjugis obitum exſpiravit 1. Martii A.C. 1623. ætatis 71.

Scriptum.

Poſt mortem ejus in lucem editum prodiit *Volumen è Conſiliis 1400. ſelectum.*

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

TIBERIUS GAMBARUTUS.

Obiit A.C. 1623.

Filius *Adriani Gambaruti*, nobilis *Alexandrini* Poëta & Philologus excellens, Juris etiam ſtudiis excultus, Doctoris in iis gradum adeptus eſt.

Juris Doctor.

Cum *Romam* adiiſſet, in aulâ Cardinalis quatuor Sanctorum Secretarii munus cum honore obivit, & poſt hujus obitum apud Cardinalem *Detium* Auditorem egit, & tandem Secretarius fuit Cardinalis de Arâ Cœli.

Secretarius Cardinalis.

Cum ſic 32. annos *Romæ* tranſegiſſet, nec ad honoris aliquem gradum, aliorum ſibi æqualium aulicorum inſtar, pervenire potuiſſet, *Romæ* valedicens, ad patrios penates rediit, & ſtudiis jucundis literarum humaniorum in vitâ quietâ dedit operam, morte ſubitaneâ vivis exemptus 6. Sept. A.C. 1623 ætat. 52. Sepultus *Alexandriæ* in templo S. *Andreæ*, ſine ullâ *Epitaphii* memoriâ.

Moritur.

Edidit:

Scripta.

Diſcorſi & Oſſervazioni Politiche.
La Regina Teano Tragedia.
La nuova Amarilli Favola Paſtorale.
Orazione à Margherita d' Auſtria Regina di Spagna, rallegrando ſi delle ſue Nozze, & raccomandando gli la ſua Patria.
Orazione nella venuta del Cardinale Aleſſandrino Nepote di Pio V. in Aleſſandria.

* *Ex Theatro Virorum doctorum Italico Hieronymi Ghilini.*

CHRISTOPHORUS DEICHMANNUS.

Clar. A.C. 1614.

Steinfurto, Weſtphaliæ oppido, an. 1576. poſt natum Chriſtum, patre *Rudgero*, patriæ pereruditо Conſule, oriundus, in ſcholâ patriâ fundamenta literarum jecit, & cum in puero egregia appareret indoles, *Coloniam Ubiorum* miſſus eſt, & indè *Wittebergam*, ubi annum unum atque alterum ſubſtitit, poſteà in vicinas *Germaniæ* Regiones, *Bohemiam* & *Marpurgum* etiam.

In ſcholâ patriâ fundamenta poſuit. Coloniam & Wittebergam miſſus eſt. Venit in Bohemiam & Marpurgum. In Galliam & Italiam profectus.

Quod cum ſtudiorum juris perficiendorum cauſa aliis præferret Academiis, aliquot annos ibidem eſt commoratus, donec *Vulteji* conſilio in *Galliam*, atque exin in *Italiam* profectus, atque celebrioribus urbibus omnibus peragratis cum Jurisconſultis ejus temporis ſummis & aliis magni nominis viris amicitiam contraxit, eo ſtudio & contentione in artium jurisque diſciplinis verſatus, ut majori non potuerit quisquam.

Ideòq; cum curſum, quem non cæca fortuna, ſed Dei imprimis providentia, parentum

tum cura & conſtantiſſima hominis voluntas dederant, peregiſſet, eos honores conſecutus eſt, qui ex hoc ſtudiorum genere referri poſſunt ſummi, iiſque ſolent eſſe vel imprimis jucundi, quorum dignitati laudatiſſimorum virorum conſenſus teſtimonium, non beneficium ambitionis dedit. Collegii enim juridici antiſtitum ſuffragiis initis 14. Aprilis anno 1605. U. J. Doctor publicè renunciatus eſt.

Doctor Juris renunciatur.

Nec ita multò pòſt 15. Octobris ejuſdem anni in Juriſconſultorum collegium receptus oratione prius, quemadmodum moris eſt, ejuſdem menſis 22. die de docendi & diſcendi juris neceſſitate habitâ docere cœpit publicè, poſtridiè eoque in curſu usque ad annum 1621. non ſine ſapientiæ & eloquentiæ laude perrexit gnaviter.

Profeſſor Juris.

Cœteroquin clavum quoque Reipublicæ Academicæ anno 1617. tenuit Rector, quo tempore Principis ipſius juſſu examen errorum & defectuum, ſi qui in Academiam irrepſiſſent clanculum, viſitationem vocant vulgò, inſtitutum eſt.

Rector Academiæ electus.

Eodem pariter tempore Princeps evocatis *Goclenio* Seniore, *Crucigero*, Pædagogiarcha, & ſcholarum cumprimis inſignium *Haſſiacarum* Rectoribus rationem iniit, quomodo deinceps ætas puerilis in *Haſſiâ* ad pietatem & humanitatem fingi debeat & informari, quod eâ in re non minimùm momenti poſitum animadvertiſſet. Anno demùm 1621. Sextili menſe ad illuſtrem Comitem *Lippenſem* ad Cancellarii officium vocatus, ab Academiâ diſceſſit.

Comitis Lippenſis Cancellarius.

* *Ex MSS. Marpurgenſibus.*

FRANCISCUS POLA.

Obiit A. C. 1624.

PAtriâ *Veronenſis* natus eſt A. C. 1568. *Veronam* literarum ornamentis illuſtravit, concives è ſepulchris calamo extraxit, deperditamque eorum memoriam immortalitate donavit.

Carmina ſcripſit *Heroica & Epigrammata.* Poſtquàm in Lycéo *Patavino* Pandectarum lecturam biennio tenuiſſet, morte abreptus eſt A. C. 1624. ætatis 56.

Scripta. Juris Profeſſor Patavii. Moritur.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum* Jacobi Philippi *Tomaſini*, qui hoc *Elogium* eidem ſcripſit:

Elogium.

Verona genuit
Franciſcum Polam J. C. celeberrimum.
FRANCISCUS POLA
Veronam literarum ornamentis
regenuit, illuſtravit,
Concives è ſepulchris calamo extraxit,
Deperditamq; eorum memoriam
Immortalitate donavit.
Carmina conſcripſit Heroica Epigrammata
ſale ac felle aſperſa libris ſex involvit.
Crebrò de Honore conſuluit
Scientiſſimus Moralium
Petrodiceam ad Pandectas
illuſtrandas exaravit,
Publicus Pandectarum Doctor.
In Lyceo Patavino moritur
Anno ætatis LVI.
Salutis ciↄ iↄ CXXIV.

LUCAS BECKMANNUS.

Obiit A. C. 1624.

HAmburgi, primariâ *Hanſeatici* fœderis civitate, vitalem ſpiritum hauſit An. 1571. Patrem habuit *Joachimum Amſtelrodamenſem*, ærarii ad D. *Petri* Præfectum: Matrem *Annam, Henrici* Thammen negotiatoris primarii filiam.

Emicuit in puero præter docilitatem ingenii ingens diſcendi ardor. Cum itaque humanioribus literis ſatis excoluiſſet, animum Juris Civilis diſcendi causâ *Helmſtadium* ſe contulit.

Poſteà *Roſtochium, Lugdunum Batavorum, Oxoniam*, tandemq; *Wittenbergam* & *Lipſiam* ſtudiorum ſedes delegit.

A. 1597. *Baſiléam* profectus, Juris Conſulti titulum & ſolennia ſolenniter aſſumſit. Indè reverſus *Lipſiam*, matrimonium iniit d. 19. Sept. A. 1597. cum virgine *Eliſabethâ*, *Johannis* Grünewald / Prætoris *Lipſienſis* filiâ, & nepti *Blaſii Grünewaldi*, trium *Sax.* Electorum *Johannis Friderici, Mauritii*, & *Auguſti* Archiatri, quæ obiit A. 1627. cum quâ ſuaviſſimè vivens bis ternam genuit ſobolem, ternam tamen reliquit, filios nimirum *Job. Joachimum*, & *Lucam*, cum filiâ *Annâ Eliſabethâ*, quæ poſteà *Nicolao Schaſhuſio*, J. U. D. nupta fuit. Primus ad publicas dignitates ipſi aditus fuit, cum ad jus extra ordinem docendum in Academiam *Wittebergenſem* evocatus eſt.

Juris Doctor Baſileæ. Uxorem ducit. Juris Profeſſor Wittebergæ.

Nam brevi pòſt auſpiciis Celſiſſimi Principis *Friderici Wilhelmi*, Ducis *Saxoniæ*, & Proelectoris in ipſum Profeſſorum Collegium cooptatus eſt. Quo ille defungens munere ſummam dexteritatis in rebus gerendis laudem conſecutus eſt, idque obtinuit, ut plurimi Magnates ejus operam ſibi conciliarent, præcipuè cum ipſe etiam Elector *Saxoniæ Johannes Georgius* in Appellationum Conſilio eâ uteretur.

Conſiliarius Electoris Saxoniæ.

Corpore infirmo & ſubindè imbecillitatibus obnoxio præditus ſatis ſe valere putabat, ſi non decumberet penitus, & ad officiorum obeunda munera utcunque ſufficeret. Itaque cum paucis ante mortem diebus neceſſarium ei munus ſuſcipiendum eſſet, non diſtulit, licet ex tuſſi non leviter laboraret. Sed cum inclementiâ aëris malum irritatum majore vi in ipſum pugnaret, jamque labem pulmonum viſcus contraxiſſet, ægerrimus domum rediit, & brevi pòſt interclufis reſpirationis viis vitam cum morte commutavit 8. Febr. A. C. 1624. æt. 53.

Moritur phthiſi.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

LUCAS BECCMANNUS Jurium Doctor.
Per Anagramma:
Num DEUS Laborem curat? Sic vinco.
Num DEUS curat ſtudii laborem?
Immò, quod certò ſcio, ſic & usque
Vinco, nec vincor, Bona cauſa ſemper
Jure triumphat.
Georg. Theod. Hofmann.

EPITA-

Epitaphium. EPITAPHIUM ejus *Wittebergæ* in Templo Parochiali:

LUCÆ BECMANNO J. U. D. SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ ET ALIORUM S. IMPERII PRINCIPUM CONSILIARIO, PROFESSORI PUBLICO IN HAC ACADEMIA, ET TAM ECCLESIASTICI QUAM SECULARIS CONSISTORII ASSESSORI, QUI NATUS HAMBURGI MDLXX. MENSE DECEMBRI, WITTEBERGÆ CUM PER ANNOS XXVI. JURISPRUDENTIÆ STUDIA DOCTRINA PUBLICA ILLUSTRASSET, NON SINE MULTORUM DESIDERIO ET LACHRYMIS ANNO MDCXXIV. D. VII. FEBR. OBIIT. HÆRED HOC MON. P. C.

* *Ex Bibliothecâ Academiæ Wittebergenſis Andreæ Sennerti.*

Obiit A. C. 1624.

ERNESTUS COTHMANNUS.

Lemgoviæ, *Lippiaci* Comitatûs in *Weſtphaliâ* metropoli, natus eſt 6. Dec. An. C. 1557. Patre *Dieterico Cothmanno*, Reipublicæ *Lembgovienſis* Conſule: Matre *Catharinâ, Dieterici Groten*, ejusdem Reip. Conſulis filiâ, & *Alexandri Grothen*, itidem Conſulis & purioris Religionis, quâ etiamnum *Lemgoviâ* fruitur, primi inſtauratoris & Reformatoris nepte. *Parentes Conſulares.*

Genitrice orbatum 14. Nov. An. 1565. Pater primò in Gymnaſium tunc temporis celebre *Düſſeldorpianum* ablegavit, ubi cum literarum humaniorum fundamenta jeciſſet, Academiam *Juliam*, & *Marpurgenſem* adiit. *Juris ſtudioſus Marpurgi.*

Ibi Themidi ſe totum mancipavit, & ei ductu J.C.torum *Nicolai Vigelii*, *Valentini Forſteri*, & *Regneri Sixtini* tantâ cum induſtriâ litavit, ut ante ætatem myſtis primoribus accenſeretur; quâ de cauſâ Parens eum in Academiam *Roſtochienſem* miſit, in quâ Juvenis adhuc Præceptores ita audivit, ut & auditores cum laude docuerit, & ex collegiis ſuis, ceu ex equo *Trojano*, infinitos viros doctos eduxerit. *Roſtochii.*

Undè alma hæc mater Academia hunc alumnum An. 1584. digno præmio, inſulâ Doctorali, Decano D. *Henrico Camerario*, Juris tunc Profeſſore, decoravit. Deindè *Wittenbergenſem* Academiam inviſens, inter alios *Vito Winshemio*, J. C. celebri familiariter innotuit. *Doctor Juris creatus.*

Roſtochium reverſus, connubiali fœdere junctus eſt Menſ. Sept. A. 1586. virgini *Eliſabethæ*, D. *Friderici Heinii*, Juris Profeſſoris, Anteceſſoris, Conſiliarii Ducalis, & Conſulis *Roſtochienſis* filiæ, *Jacobi*, *Alberti*, *Henrici* fratrum Juris Doctorum, & M. *Stephani Heinorum* ſorori. *Nubit.*

Ex eâ 38. annorum tempore 4. filios & filiam unicam ſuſtulit. Gnatorum primus 13. Oct. A. 1588. editus, eodem die Chriſto renatus & denatus eſt. Secundogenitus *Dietericus* An. 1590. lucem hanc aſpiciens, An. 1605. in ipſo ætatis flore fatis ceſſit. *Liberi.*

Tertius *Fridericus* An. 1597. natus patriæ virtutis æmulus, perluſtratis pleriſque *Germaniæ* celebrioribus Academiis, à Patre velut adventantis ſenectæ ſcipio, domum revocatus, ejusdem veſtigia ſedulò ſectatus eſt.

Quartus filius A. 1601. 29. Aug. ipſo eniſu extinctus eſt. Filia unica *Anna* An. 1610. ætatis 17. felici matrimonio juncta eſt *Laurentio Stephani*, Juris Doctori & Profeſſori, nec non *Johannis Alberti*, Ducis *Megapolitani*, Conſiliario, ex quâ avus nepotes duos, neptes ſex, ex iisque *Erneſtum*, *Margaretham*, *Eliſabetham*, *Eliſabetham* & *Annam* ſuperſtites vidit.

A. 1587. Ab *Udalrico*, Duce *Megapolitano*, in numerum Conſiliariorum adſcitus, aſſeſſor Judicii *Megapolitani* ſecularis & Eccleſiaſtici delectus, Collegam D. *Jacobum Bordingum*, Cancellarium nactus eſt. An. 1603. Duce *Udalrico* Menſ. Martio defuncto, & regimine ad fratrem *Carolum* devoluto, in priori ſtatione non tantùm permanſit, ſed & ab eodem Duce *Carolo* An. 1610. morituro ſucceſſori ſuo Dom. *Johanni Alberto* commendatus, ab eoque ad Cancellarii munus, invitus licèt, evectus eſt. *Conſiliarius Megapolitanus.* *Cancellarius Megapolitanus.*

A. 1595. In Ordinem Profeſſorum ordinariorum Juris cooptari ſe paſſus eſt, ita quidem, ut Cancellarii munere functus abſens in aulâ per Doctorem quendam Juris Lectiones in Academiâ publicas ſumtu ſuo curaret haberi. *Roſtochii Juris Profeſſor & Rector abſens.*

Intereà quoties ordo poſtulavit, Rectoratum Academicum ſuſcepit, quem, quantum fieri potuit, ipſe, negotiis verò impeditus, abſens per Prorectorem adminiſtravit.

In Decanatu quoque Juridico ordinatim ad ſe devoluto publicè diſputando, Doctores renuntiando, aliaque ſibi convenientia præſtando virum ſe præſtitit, licet negotiis aulicis ſatis ſuperque diſtrictus fuiſſet.

Non modò Juriſconſultus, ſed etiam Theologus inſignis Scripta *Lutheri* & Patrum, imprimis S. *Auguſtini*, frequenti lectione familiaria ſibi reddidit. Stipendium inſigne pro ſtudioſis Theologiæ & Jurisprudentiæ Teſtamento legavit. *Theologus inſignis.*

Valetudine à primis conjugii annis imbecilliore vivens, quinquennio ante obitum Hypochondriacæ & Scorbuti nonnunquàm inſultus cum vertigine moleſtâ expertus eſt, à quibus malis ope D. *Jacobi Fabricii*, Archiatri *Megapolitani*, convaluit quidem, ſed paulatim nativum calorem imminui ſenſit, usque dum præſentibus filio *Friderico*, & fratre *Johanne Cothmanno*, Conſiliario *Guſtrovienſi*, placidè obdormivit 13. April. A. C. 1624. ætatis 67. *Roſtochii.* *Hypochondriacus & Scorbut.* *Moritur.*

Anagrammata ex Epicediis ipſi ſcriptis:

I. ERNESTUS COTHMAN.
Honeſtans rectum.

Sic is honeſtavit Rectum linguaq; ſtyloque
Suadelâ, Vitæ ſic probitate ſuæ.
Ut ſatis haud liqueat, Cothmannus debeat ante
Plus Themidi plus huic debeat ante Themis.

Rrrrrr II. ER-

II. ERNESTUS COTHMANUS
JURISCONSULTUS.
(i in e converſo.)

Sol Juris mortuus: cuncta ſeneſcunt.
Mortuus eſt Juris Sol: heu! ſic cuncta ſeneſcunt,
Nec ſtabile in toto permanet orbe decus.

III. ERNESTUS COTEMANNUS D.
Docte, ſtrenuus manes.

Dum gemini Docte docuiſti myſtica Juris,
Strenuus hinc Myſtes nomine reque manes.

* *Ex Programmatibus funebribus Facultatis Juridicæ, & Rectoris Roſtochienſis Johannis Huswedelii: & ex Concione funebri Conſtantini Fidleri, Paſtoris Roſtochienſis.*

Scripta. Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Conſiliorum Volumina aliquot.

Libellus Conſolatorius ex S. Auguſtino extractus.

Reſponſa Juris, ſive Conſilia, V. Voluminibus comprehenſa. in fol.

Reſponſorum Juris & Conſultationum Academicarum Liber ſingularis. in fol.

Diſputationes Juris Civilis. in 12mo.

Meditationes piæ de remediis adverſus calamitates, preſſuras atque calumnias, & de inimicis diligendis, ex Auguſtino excerptæ. in 4to.

Commentaria in primum lib. Codicis Juſtiniani. in 4to.

Inſtitutiones Imperiales Juſtinianeæ ad Compendium redactæ. in 12mo.

Seine gottſeelige Betrachtungen etlicher wolbewährten geiſtlichen Recepten/ deren ſich ein frommer Chriſt im lieben Creutz mag gebrauchen. in 8vo.

Obiit A.C. 1624.

PHILIPPUS* CAMERARIUS.

Ejus Parentes. T*ubingæ* natus feriis ſecundis Pentecoſtes A. C. 1537. Patrem habuit *Joachimum Camerarium*, *Babebergenſem*, Philologum celebrem, *Tubingæ* tunc Profeſſorem, deindè *Lipſiæ*, ibidemque vitâ defunctum A. 1574. Matrem *Annam Truchſeſiam*, Nobilem à *Grünsberg*, quæ apoplectica obiit 15. Junii A. 1573.

Fratres. Ex S. Baptiſmi lavacro ſuſceptus eſt à *Philippo Melanchthone*. Fratres habuit *Johannem*, Ducis *Boruſſiæ* Conſiliarium, *Regiomontii* mortuum: *Joachimum*, Medicum *Norimbergenſem*, *Ludovicum*, Med. per *Italiam* & *Galliam* celebrem, qui *Annebergæ* in conjugio degens, indè in Thermas cum aliquot nobilibus profectus, ibi mortuus in lecto repertus eſt 14. Junii A. C. 1582. æt. 40. relictis cum filio tribus filiabus: & *Gotfridum*, *Richardo* Comiti *Palatino* inſervientem, qui obiit in pago *Palat. Oggersheim* 1. Aug. An. 1587. relictis cum ære alieno filio & filiâ.

Sorores tres nuptæ. E ſororibus una *Eſtomo Rudigero*, Philologo, altera *Johanni Hummelio*, Mathematico; tertia *Caſparo Jungermanno*, J. C. Profeſſoribus *Lipſienſibus* deſponſatæ fuerunt.

Poſtquàm in diverſis *Germaniæ* Academiis ſtudio Juridico dediſſet operam, An. 1565. cum *Petro Rietero*, Patritio *Norimbergenſi*, & poſteà oppidi *Herspruccenſis* præfecto, in *Italiam* iter ſuſcepit. *Romæ* verò ſubſiſtentes ambo, 6. Junii per *Judæum* quendam proditi, & in Inquiſitionis carcerem incluſi ſunt, cumque nec minis, nec blanditiis, ut à fide ſuâ deficerent ad Pontificios, cogi potuiſſent, ignis jam ſupplicio deſtinati, tandem ad literas interceſſorias Electoris *Saxoniæ*, aliorumque *Germaniæ* Principum ad S. P. *Pium IV*. ſcriptas 4. Aug. ex carcere, quo hactenus ſeorſim detenti fuerant, dimiſſi, *Peruſiam* conceſſerunt, & indè in Patriam reverſi ſunt, quam captivitatem *Romanam* ipſe manu propriâ luculenter Latino idiomate conſignavit. *Romæ Inquiſitionis carceri incluſus.* *Liberatus.*

A. 1569. *Baſileæ* Juris Doctor à D. *Caſp. Hervagio* creatus eſt unà cum *Samuele Grynæo*, Juris ibidem Profeſſore celeberrimo. *Juris Doctor Baſileæ.*

26. Febr. An. 1571. Nuptias *Norimbergæ* celebravit cum virgine *Helenâ*, *Martini Pfintzingii* ſenioris, in patriâ Senatoris, b. m. filiâ, præſentibus ipſius Parentibus. Ex eâ 8. ſuſcepit liberos: 1. *Helenam*, A. 1679. ætatis 7. variolis extinctam: 2. *Mariam*, 20. April. An. 1636. in ædibus paternis defunctam, poſtquàm 40. annis mente capta conclavi proprio incluſa, 63. annos vixiſſet: 3. *Philippum*, *Rockenhuſæ Palatinatûs* inferioris oppido 16. annis Præfectum, ibique ex febre ardente mortuum 20. April. A. C. 1624. æt. 49. 4. *Magdalenam*, primò *Henrico Eſthio*, Conſiliario *Palat. Ambergæ* An. 1600. nuptam, deindè A. 1607. *Paulo Frebero*, J. C. & Advocato *Norimbergenſi*, cui 6. filios peperit, & obiit 21. April. A. 1644. ætatis ſuæ 67. 5. *Salomen*. A. 1602. D. *Johanni Joachimo Guandſchneidero*, J. C. & Advocato *Norimbergenſi* nuptam, & poſt partum filiolæ mortuæ 7. April. An. 1607. extinctam: 6. *Helenam* alteram, quæ nupta *Sigismundo Geudero*, Nobili ab *Heroltsberg*, ſine liberis obiit 2. Apr. A. 1637. æt. 57. 7. *Barbaram*, A. 1587. æt. 5. ex variolis defunctam: 8. *Claram*, A. 1615. *Johanni Chriſtophoro Voito*, Patritio *Norico* nuptam, & 12. Oct. An. 1634. æt. 49. peſte tunc graſſante abreptam, relicto filio unico *Johanne Philippo*. *Deſponſatus.* *Liberi 8.*

22. Jan. An. 1573. Munus Conſiliarii in Republicâ & Judicio *Norimbergenſi* ſibi oblatum, non diſſuadente Domino Parente ſuo, ſuſcepit, ita tamen, ne contra Dominum ſuum Feudalem, Epiſcopum *Bambergenſem*, conſilia ſubminiſtrare cogeretur. *Conſiliarius Norimbergenſis.*

A. 1581. Academiæ *Altorfinæ* recens erectæ primus Procancellarius conſtitutus eſt. Rude tandem ob ſenium donatus, per otium *Horarum ſubciſivarum Centurias III.* elaboravit, & typis emiſit, quas poſteà, jam anteà *Gallico* & *Italico* idiomate editas, M. *Georg Mayer*, *Suabacenſis*, in linguam *Germanicam* translatas, ſub titulo Hiſtoriſcher Luſtgarten edidit. Quartam etiam auſpicatus non potuit abſolvere, morte beatâ ſublatus 22. Junii An. C. 1624. ætatis 87. viſu, quod hâc ætate rarum, integro, nec perſpiciliis opus habente. *Procancellarius Altorfinus.* *Horarum ſubciſivarum autor.* *Moritur ſenex.*

* *Ex ipſius Philippi Camerarii Manuſcriptis.*

BENE-

BENEDICTUS CARPZOVIUS.

Obiit A.C. 1624.

PAtriam ſortitus eſt *Brandeburgum*, vetuſtum & celebre *Marchiæ* oppidum, ubi d. 22. Oct. A.C. 1565. in lucem prodiit. Patrem habuit *Simonem*, prudentiâ primariam Conſulatûs dignitatem promeritum: matrem *Annam, Benedicti Lindholtzii, Straubingenſis* Reipublicæ Conſulis filiam. *Ejus Parentes.*

Prima literarum rudimenta in patriâ partim, partim in *Brunovicenſi* Scholâ poſuit, ubi cum neceſſariam liberalium artium & linguarum cognitionem ſibi comparâſſet, in *Francofurtenſem* Academiam A. 1583. profectus, ſedulam Juri Civili & Canonico operam navare cœpit.

Deindè cum *Wittenbergæ*, quò A. 1584. venerat, legitimum quadriennium Juris ſtudio expleviſſet, & viſitatis *Altorfinâ, Ingolſtadianâ, Tubingenſi, Argentinenſi, Heidelbergenſi* denique Academiis, A. 1590. reverſus fuiſſet in patriam, *Wittenbergam* indè iterum venit, Gradumque Doctoris in utroque jure petiit & impetravit, Decano *Eberhardo à Weyhe*, J.C. celeberrimo, & Brabeutâ *Johanne Limnero*, J. U. D. In illo autem dum verſaretur negotio, ſimul etiam factum eſt, ut cum virgine *Annâ, Conradi Flathii*, Senatoris & Medicamentarii *Wittenbergenſis* filiâ matrimonium feliciter iniret. *Doctor Juris Wittebergæ.* *Deſponſatus.*

Deindè poſtquàm A. 1592. in J.C.torum Collegium fuiſſet cooptatus, ſecundo mox anno 1594. ab illuſtri Comite *Martino in Reinſtein* & *Blanckenburg* Cancellarii munus ſibi demandatum eâ conditione ſuſcepit, ut *Wittenbergæ* tamen ſibi ſubſiſtere permitteretur. *Cancellarius Comitis à Reinſtein.*

A. 1599. Profeſſio Inſtitutionum Juris, & deinceps A.C. 1601. Profeſſio Digeſti Infortiati & novi concredita ipſi eſt. Eo ipſo anno poſt exceſſum prioris conjugis, quæ in partu defecerat, ad vota ſecunda tranſiit cum virgine *Chriſtinâ*, *Samuelis Seelfiſchii*, Viri Conſularis filiâ. *Profeſſor Juris.*

An. ſeq. 1602. à Principe *Sophiâ*, *Chriſtiani I.* Electoris *Saxoniæ* viduâ, *Dresdam* evocatus, Cancellarii ab eâ ſibi demandatum munus, mox & Conſiliarii Provinciam in Cauſis appellationum à Sereniſſimo Electore *Chriſtiano II.* ſibi injunctam ſuſcepit, cui officio ad obitum usque præfuit. *Cancellarius Saxonicus.* *Conſiliarius Electoris Saxoniæ.*

A. 1610. Illuſtr. Domina *Dorothea*, Duciſſa *Saxoniæ* & Abbatiſſa *Quedlinburgenſis*, eundem Conſiliarium ſibi legit, quippè quem viderat Matris & Fratris rebus egregiè conſuluiſſe.

A. 1623. Poſt obitum Duciſſæ *Sophiæ*, ex Sereniſſimi Electoris indulgentiâ cum familiâ *Wittenbergam* remigravit, ut quiete liberiore tot curis laſſatam ætatem foveret. *Wittenbergæ quietè vivit.*

Ex primo conjugio ſuſcepit filios Dn. D. *Cunradum*, in Academiâ *Wittenbergenſi* Profeſſorem publicum, & Conſiſtorii Sacri & Provincialis Dicaſterii aſſeſſorem, & Dn. D. *Benedictum*, Curiæ Electoralis *Lipſiæ* Scabinum: filias, *Annam*, quæ A. 1609. *Eraſmo Ludwigero*, Patritio *Hallenſi*, elocata fuit, & *Mariam*, Dn. D. *Friderici Lentzii*, Cancellarii *Quedlinburgenſis* uxorem. *Liberi ejus.*

Ex altero matrimonio ſuſcepit 5. filios: *Chriſtianum, Joh. Benedictum, Carolum, Auguſtum*, & *Johannem*, qui quidem in tenerâ pueritiâ obiit, cœteri in virtutes patrias adoleverunt.

Filias habuit 4. *Eliſabetham, Annam Mariam, Sophiam*, & *Chriſtinam Eliſabetham*, quarum priores duæ in flore ætatis obierunt.

Cum à 3. menſibus quartanâ laborâſſet, & nihilominus Menſ. Aug. *Jutroboci* conventui, qui à Principibus circuli ſuperioris *Saxoniæ* inſtitutus erat, Sereniſſimi Electoris juſſu interfuiſſet, infirmior tamen indies factus, tandem prorſus decumbere coactus placido obitu vitam finiit, 26. Nov. A.C. 1624. æt. 59. *Moritur.*

VIR MAGNIFICUS BENEDICTUS CARPZOVIUS BEAT. M. JURIS UTRIUSQUE DOCTOR, SEREN. ATQUE POTENT. ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIUS INTIMUS.

Per anagramma,

Inſigne Patriæ decus: virtutis oculus: ſuperis carus: æqui comes. Abiit: mortuus conditur Saxo: in cinere quies: at nomen florebit.

EPITAPHIUM ejus in Templo Parochiali *Wittebergæ*: *Epitaphium.*

BENEDICTUS CARPZOVIUS J. U. D. ACADEMIÆ HUJUS QUONDAM PROFESSOR PUBL. DEHINC ELECTORIS SAXONIÆ CHRISTIANI I. VIDUÆ P. M. CANCELLARIUS ET ELECTORIS SAXONIÆ JOHANNIS GEORGII CONSILIARIUS. NATUS 22. OCTOB. ANNO CHRISTI 1565. PIE OBIIT 26. NOVEMB. ANNI 1624.

Cum tabulâ egregiè pictâ, cui hi verſus aſcripti:

Carpzovius Senior cubat hîc, ô ſlete relicti,
Hîc ſimul Ars, Pietas, Suada, Themisq; cubant,
Saxea Saxonia es, ſi non hæc funera defles,
Saxeus hinc quisquis ſiccus abire poteſt.
* Ex Jubil. Witteb. D. Johannis Meisneri.

JANUS RUTGERSIUS.

Obiit A.C. 1625.

DOrdraci natus eſt è patriciâ familiâ. *Lugduni Batavorum* ſtuduit, & Juris Doctor creatus eſt. Latinè & Græcè admodùm doctus, Poëta ſuavis non Muſarum modò; ſed leporum & gratiarum delicium. *Doctor Juris.*

Conſiliarius Regis *Sueciæ*, ejusque ad *Bohemum*, & pleroſque *Germaniæ* Proceres, tandemque ad Confœderatos *Belgii* Ordines Legatus A.C. 1625. in flore ætatis obiit, cum omnium bonorum luctu & ſummâ literarum jacturâ. *Conſiliarius & Legatus Suecicus.* *Juvenis obiit.*

Sepultus *Hagæ Comitis*, in monumento, quod ampliſſ. Regum & Rerumpublicarum Legatis ab Ordinibus adornatum eſt.

Bibliothecam legavit *Danieli Heinſio*, ſcripſitque

Variarum Lectionum Lib. VI, quiplerunque Critica continent. *Scripta.*

Rrrrrr 2 Notas

Notas in Martialem, & in Horatium.

Epithalamium dictum Pompejo de Rovere & Annæ Caſimbrote.

Ex ejus Bibliothecâ prodierunt *Dominici Baudii Orationes.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1625.

GEORGIUS REMUS.

JUriſconſultus, Philologus, Hiſtoricus, & Poëta.

Parentibus nobilibus & Patritiis natus eſt *Auguſtæ Vindelicorum* 4. Jan. A.C. 1561. Cum à primis crepundiis literarum ſtudiis eſſet addictus, ſucceſſu temporis in humanioribus non modò diſciplinis, ſed & Jurisprudentiæ facultate adeò profecit, ut ſummos in eâ profeſſione honores Doctorales cum laude fuerit aſſecutus. *Doctor Juris.*

Cum verò poſteà conſiliorum dexteritate multis in occaſionibus Illuſtribus *Widæ* Comitibus, aliisq; Dynaſtis abundè ſe amabilem & admirabilem præſtitiſſet, accidit eum à Republicâ *Norimbergenſi* ad Conſiliarii munus honorificè vocari. *Conſiliarius Norimbergenſis.*

Iſtum nactus locum ſplendidum non modò Reipublicæ illi celeberrimæ, ſed & quibusvis facilè per orbem *Teutonicum*, aliasque regiones finitimas viris eruditis virtutem doctrinæque facultates egregias multis nominibus commendavit, usque eò, ut facilè tunc temporis hoſpes ille in literis humanioribus interque literatos cenſendus fuerit, qui *Remi* nomen aut ignorârit, aut obiter ſaltem inaudiverit. Vitæ ſatur tandem diem obiit ſupremum *Norimbergæ* An. C. 1625. æt. 64. ſine liberis. *Moritur.*

GEORGIUS REMUS J. C.
per anagr.
Hem gregis Jus curo.

GEORGIUS REMUS,
per anagr.
O! gregi murus es.

Pauca tantùm opera publicavit, quæ ſequentia:

Scripta. *Spicilegia in librum* παροιμιῶν *Salomonis: & in Eccleſiaſten Salomonis.*

Nemeſis Carolina, i.e. Imperatoris Caroli V. & Ordinum Imperii Romani Leges Capitales expoſitæ & Scholiis auctæ.

* *Ex Bibliothecâ Poëticâ Part. III. Joh. Petri Lotichii, Med. qui hoc præmiſit Epigramma:* *Epigramma.*

Remus in Aonio ramus viret arduus horto,
Bellerophonteæ quem rigat humor aquæ.
Macte decus Phœbi! jam dudum nubila tranat
Frons tua ſydereis proxima, Reme, plagis.

29. Junii A. 1623. Cum Univerſitas *Altorfina* ſolenniter inauguraretur, ipſe D. *Philippi Camerarii* tunc obſonium decrepiti vices gerens Orationem inauguralem in Templo recitavit.

An. 1624. cum D. *Philippus Camerarius* 22. Junii obiiſſet, in locum ejus ſuccedens ſecundus Univerſitatis *Altorfinæ* Procancellarius factus eſt. *Procancellarius Altorfinus.*

Inſignibus familiæ ſuæ Taurum in pulvino ſtantem repræſentantibus & æri inſculptis ipſo authore hi bini Hexametri leguntur ſubſcripti: *Inſignia.*

Cernis aratorem pulvino inſiſtere Taurum.
Jure: quies duro debetur honora labori.

Obiit A.C. 1625.

PAULUS FREHERUS.

AUguſtæ Vindelicorum natus eſt die *Wolfgangi* A. 1571. Patre *Marquardo*, Cancellario *Palatino*, & Conſiliario Reipublicæ *Norimbergenſis*: Matre *Felicitate*, *Antonii Menharti*, Patritii *Auguſtani* filiâ. *Parentes.*

24. Nov. A. 1585. *Ambergam* à Patre miſſus, in Scholam Cœnobialem ſub M. *Matthiâ Platone* literarum fundamenta jecit. An. ſeq. 1586. *Heidelbergam* profectus, Jurium ſtudia tractare cœpit. *Ambergæ ſtudia inchoat.*

8. Sept. A. 1590. In *Italiam* iter ſuſcepit, cumque *Bononiæ*, *Patavii* aliisque Academiis ſedulus in ſtudiorum curſu perrexiſſet, *Heidelbergam* reverſus, ibi Jurium Doctor ſolenniter renuntiatus eſt Menſ. Dec. A. C. 1595. ætatis 24. *Juris Doctor Heidelbergæ.*

Ad Parentes exindè *Norimbergam* ſe conferens, ſtatim ab inclyto Senatu in Advocatorum Urbis numerum receptus, munere ſuo cum laude & honore per annos 30. functus eſt, nec cauſas clientum defendendas ſuſcepit, quas injuſtas eſſe deprehendit. *Advocatus Norimbergenſis.*

A. 1596. Primam Uxorem duxit *Eſtheram*, *Petri Behemi*, Civis *Norimbergenſis* honeſti filiam, ex quâ præter alios liberos in infantiâ demortuos A. 1597. filium ſuſcepit *Hieronymum Marquardum*, literis humanioribus *Altorfii* primùm, deindè Patre invito militiæ *Palatinæ* ſub *Erneſto* Comite *Mansfeldiæ* deditum, tandem *Herspruccî* febri malignâ extinctum 1. Jan. A. 1622. *Conjugium duplex.*

An. 1607. Secundas nuptias celebravit cum *Magdalenâ*, *Philippi Camerarii*, J.C. celebris filiâ, & *Johannis Henrici Eſtbii*, Conſiliarii *Palat.* viduâ. Ex hâc ſex reliquit filios, *Philippum*, *Paulum*, Med. D. *Marquardum*, *Joachimum*, *Andream*, & *Johannem*, Theol.

Horum 4. *Philippum*, *Paulum*, *Marquardum* & *Andream* unà cum Præceptore *Leonhardo Buchfeldero*, *Palatino*, *Genevam Allobrogum* ciſio vectos ablegavit, ut ſtudiis operam darent A. 1624.

Corpore obeſo præditus, hydrope tandem alcite conflictatus, nec tamen ob eum lecto decumbere coactus, vixque per horæ ſpatium mortis agonem ſentiens, ſpiritum placidâ morte emiſit 11. Febr. A. C. 1625. ætatis 54. *Moritur.*

* *Ex Manuſcripto proprio.*

Symbolum hoc Albis amicorum ſic vocatis Libris, inſcribere ſolitus eſt:

GAUDETE QUOD NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN COELO. *Luc. Cap. 10. v. 20.*

Obiit A.C. 1625.

ELIAS FORSTERUS.

NAtus eſt 18. Julii A.C. 1567. *Vinariæ.* Patrem habuit *Johannem Forſterum*, *Variſcum*, qui per annos 47. continuos Electoribus & Ducibus *Saxonicis* inſerviit

tum

tùm in dandis Conſiliis, tùm in tabellas publicas referendis iis, quæ Nobilitatis prædia & honores complecterentur. Mater ipſi fuit *Urſula, Johannis Fugmanni*, Civis *Hainæ* majoris filia.

Jenæ ſtudia inchoat.

A. 1574. Ritu depoſitionis *Jenæ* bonis literis initiatus, *Vinariæ* in patriâ usque ad An. 1582. literarum humaniorum fundamenta poſuit. Tum de Patris voluntate Academiam *Jenenſem* adivit, & ibi non tantùm publicè docentes Profeſſores pro captu ſuo ſedulus audivit, ſed etiam privatos ſibi Magiſtros elegit M. *Conradum Limnæum*, non multò pòſt Eccleſiæ *Rudolſtadii* Paſtorem, M. *Valentinum Weinrichium*, & tandem M. *Wolffgangum Heiderum*, poſteà Philoſophiæ Profeſſorem *Jenenſem*.

Helmſtadii Juris ſtudia tractat.

An. 1587. Poſt obitum Parentis Academiam *Juliam Helmſtadii* accedens, Juris ſtudia tractare cœpit.

Patavii Conſiliarius Nationis Germanicæ.

A. 1589. In *Italiam* iter ſuſcipiens, *Venetias* primùm, deindè *Patavium* acceſſit, ubi Nationis *Germanicæ* Conſiliarius electus eſt. Hinc *Romam* petens, *Neapolim* usque progreſſus eſt.

A. 1591. In *Germaniam* reverſus, *Baſileæ* aliquantiſper ſubſiſtens, 5. Maji ſine Præſide *Diſputationem* publicam *De Donatione* defendit.

Conſiliarius Vinarienſis. *Doctor Juris Jenæ.*

17. Maji An. 1591. Reverſus in Patriam, 9. Junii A. 1592. à *Friderico Wilhelmo*, Adminiſtratore *Saxoniæ* Electorali, ejusque fratre *Johanne*, Duce *Vinarienſi*, inter Conſiliarios receptus, 22. Jan. A. 1593. in Academiâ *Jenenſi* Jurium Doctor ſolenniter renuntiatus eſt.

Nuptias celebrat.

26. Febr. An. 1593. Nuptias celebravit cum virgine *Annâ*, *Matthæi Ackermanni*, Quæſtoris *Saxonici* in Arce *Arensbergâ* filiâ. Ex eâ 3. filios ſuſcepit, *Fridericum Wilhelmum, Philippum Chriſtianum*, & *Johannem Philippum*, quos omnes in pueritiâ mors abripuit.

Filias 5. viris doctis elocavit.

Sex inſuper filias reliquit, omnes præter natu minimam *Chriſtianam Eliſabetham* deſponſatas: 1. *Annam Mariam*, D. *Andreæ Cunio*, Conſiliario *Saxonico*: 2. *Urſulam*, *Hieremiæ Huſano*, Juris Licentiato: 3. *Margaretham*, primùm *Caſparo Bornero*, Senatûs Eccleſiaſtici Conſiliario, deindè poſt obitum hujus *Johanni Deinharto*, Syndico *Magdeburgenſi*: 4. *Suſannam*, *Conſtantino Weckero*, Med. D. 5. *Annam*, *Johanni Michaëli Straſſio*, Conſiliario *Hennebergenſi*.

Iterum nupſit.

16. April. A. 1614. Cum anno prægreſſo uxor obiiſſet, iterum deſponſatus eſt cum *Mariâ*, viduâ D. *Volcmari Schereri*, Cancellarii *Coburgenſis*, quæ 3. ipſi peperit filios, *Philippum Fridericum*, *Johannem*, & *Carolum Chriſtianum*, quorum natu major ante patrem obiit, eumque mater ſecuta eſt 8. Jan. An. 1619.

25. Junii A. 1620. tertiam thalami fœdere ſibi junxit *Margaretham*, D. *Caſp. Goldſtenii*, Conſiliarii *Hallenſis* viduam, & D. *Marci Gerſtenbergeri* filiam.

Comes Palatinus. *Cancellarius Saxonicus.*

1. Nov. A. 1608. Ab Imperatore *Rudolpho II.* S. Palatii Comes creatus. Anno ſeq. 1609. Ab Electore *Saxoniæ Chriſtiano II.* in locum D. *Gerſtenbergeri Dresdam* vocati Cancellarius conſtitutus, ejusdem nomine Legationes varias ad Cæſarem *Romanorum*, Electores & Principes Imperii obivit.

Moritur.

Phthiſi tandem ex ulcere pulmonum brevi conſumptus, accedente apoplexiâ vitam morte beatâ clauſit 14. Febr. A. C. 1625. ætatis 58.

* *Ex Concione funebri.*

JOHANNES HAVRÆUS.

Obiit A. C. 1625.

GAndenſis van Havre vocatus, *Wallæi* Toparcha, vir nobilis, à primis annis omni culturæ literariæ mirè affectus fuit, in eâque tantos brevi tempore progreſſus fecit, ut Doctoris in utroque jure laureâ inſigniretur.

Doctor Juris.

Vidit deindè, & cum voluptate omnes *Europæ* plagas peragravit, in quo itinere annos undecim non infeliciter conſumpſit.

Literatos omnes Orbi *Europæo*, velut lucida ſydera inſperſos, mirificè coluit, & Virorum Principum familiaritatem ſemper ſectatus eſt. Sex Linguarum peritus polyglottos à ſuis habitus eſt.

Conſul Gandenſis. *Moritur.* *Epitaphium.*

In Patriam redux, Reipublicæ *Gandenſis* gubernaculis gratioſè præfuit, & in utrâque illius magnæ urbis Curiâ non ſemel Conſul ſedit. Obiit *Gandavi*, & ſepultus in D. *Michaëlis* hoc Epitaphio:

D. O. M.
V. N. JOANNI HAVRÆO,
WALLÆI TOPARCHÆ, ARISTIDI
FLANDRICO,
QUI CONSULARI APUD GANDENSES DIGNITATE SUMMA PRUDENTIÆ ET INTEGRITATIS FAMA PERFUNCTUS,
SUPREMIS TESTAMENTI TABULIS BIS MILLE ET SEXCENT. FLOREN. ANNUIS IN PAUPERES RARA LIBERALITATE EROGATIS DECESSIT
ANN. MDCXXV. PRID. NON. MART.
H. M. P.
VIXIT ANNOS LXXIV. M. V.
O NOBILES VIRI GANDENSES, SIC ILLE PRÆIVIT, PARI PASSU SEQUIMINI, ET COELUM MUNIFICENTIA SIMILI EXPUGNATE.

Symbolum habuit: *Neſcit labi virtus.*

Scripta.

Scripſit Carmine Heroico:

Arcem virtutis, ſive, de verâ animi tranquillitate Satyram.

De bono Senatore Opuſculum.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

PAULUS BELLONIUS.

Obiit A. C. 1625.

NAtus in *Burgo*, propè *Valentiam* ad *Padum* fluvium, ex antiquâ & nobili familiâ *Lombardiæ*, Græcis & Latinis literis in flore ætatis excultus, in Juriſconſultum evaſit celeberrimum, quem poſteà Senatus *Mediolanenſis* publicæ Legum Civilium Lecturæ in Gymnaſio *Ticinenſi* præfecit.

Juris Profeſſor Ticini.

Ibi ad ædes ejus tanquàm ad oraculum quotidiè pauperes & divites, viduæ & pupilli quærentes opem confugerunt.

Senator Mediolanenſis. Moritur.

Ad Senatoriam dignitatem *Mediolani* tandem promotus, in eo munere vitam finiit 20. April. An. C. 1625. In Templo S. *Fidelis* ſine memoriâ ſepultus.

Scripta.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Tract. de Teſtamentis ordinandis.

De Poteſtate eorum, quæ in continenti fiunt, vel ex intervallo Lib. II.

De Laudibus B. Alexandri Sautii Congregationis D. Pauli olim Ticicenſis Epiſcopi Oratio.

De Georgio Ripa, J. C. Academico Arrivato Intento Senatore creato Oratio habita in Intentorum Academiâ.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1625.

NICOLAUS ZOËSIUS.

Concilii Machlinienſis Senator. Epiſcopus Sylvæducenſis. Moritur.

AMersfortius, JurisConſultus, primùm domeſticus & à Secretis *Johanni Vendevillio*, Epiſcopo *Tornacenſi*: hinc Magni Concilii apud *Machlinienſes* Senator, demùm quartus *Sylvæducenſium* Antiſtes.

Mortuus eſt *Lovanii* ex febre, quæ eum vix aliquot dies tenuit, 22. Aug. A.C. 1625. & corpus *Sylvamducis* translatum, ſepultum in D. *Johannis* Templo primario, cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

D. O. M.

D. NICOLAUS ZOËS, EPISCOPUS BUSCODUCENSIS, MAGISTER LIBELLOR. SUPPLICUM, ET CONSILIARIUS MAGNI CONCILII, FREQUENTIORIBUS CLERI POPULIQUE AC DEVOTI FOEMINEI SEXUS PRECIBUS SE COMMENDATUM CUPIENS,
HOC LOCO VIVENS SIBI MONUMENTUM ELEGIT.
VIXIT ANN. LXI. ET DIES XVII.
PRÆFUIT ECCLESIÆ BUSCODUCENSI ANN. X. M. III. D. XII.
OBIIT ANNO MDCXXV. DIE XII. M. AUG.

Scripſit:

Scriptum.

Vitam Johannis Vendevillii, J. U. D. Lovanienſis, & Epiſcopi Tornacenſis, qui receſſit A. C. 1592.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1625.

MARTINUS EIGELMANNUS.

TEttelbachii, in Ducatu *Franconiæ*, ſub Epiſcopo *Herbipolenſi*, natus eſt ex parentibus honeſtis, *Chriſtophoro Eigelmanno*, & *Barbarâ Staudiâ*, A.C. 1565. Adoleſcens à parentibus An. 1582. in Scholam *Rotenburgenſem*, & exindè An. 1583, in Univerſitatem *Heidelbergenſem* ſtudium ibi Juridicum inchoavit, & anno ſequenti Reformationis in Religione poſt obitum Electoris *Palatini Ludovici* ſpectator fuit.

Juris ſtudioſus Heidelbergæ.

Cum Jeſuitis diſputavit Herbipoli.

A. 1585. *Ingolſtadium* ſtudiorum gratiâ diſceſſit, ſed brevi pôſt perſecutione in Epiſcopatu *Herbipolenſi* ingruente domum reverti, & *Herbipoli* Jeſuitarum examen acre ſuſtinere coactus eſt. Hi cum nihil, ut à fide Evangelicâ diſcederet, efficere potuiſſent, Parentibus ejus ſeriò prohibuerunt, ne filio impoſterùm ſumptûs ullos ad ſtudia erogarent. Ideò *Wittenbergam* ſe conferens, Collegiis ibi Lectoriis & Diſputatoriis privatim habitis vitam ſuſtentavit.

Wittenbergæ Collegia Jur. habuit.

Jenæ Doctor Juris. Conſiliarius aulæ Brandeburgenſis, & Judicii aſſeſſor.

An. 1591. In Academiâ *Jenenſi* Gradum Doctoris cum honore accepit. A. ſeq. 1592. *Kittingæ* nuptias habuit cum *Barbarâ Ulmiâ*, & brevi pôſt *Onolsbacum* à *Marchione Brandenburgico* ad munus Conſiliarii aulici & Advocati vocatus, Judicii quoque aſſeſſor fuit.

A. 1600. Domûs *Brandenburgicæ* nomine Legationem in *Poloniam* & *Boruſſiam* cum laude obivit.

Tandem cum per biduum tantùm ægrotâſſet, & Eccleſiæ, Scholæ, pauperibusque per viduam relictam pecuniæ ſummam egregiam diſtribui mandâſſet, in ſellâ ſedens inter preces adſtantium placidè exſpiravit 12. Dec. A.C. 1625. ætatis 60. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri Laurentii Lelli, Paſtoris Onolsbac.*

Obiit A.C. 1626.

ALEXANDER CARRERIUS.

CIvis benemeritus *Paduæ*, quam fruſtrà ſcriptis affectavit fortunam, hanc ſeveritate morum, & nimiâ dicendi libertate, quâ ſine diſcrimine Viros Principes & amicos impeteret, nanciſci conatus eſt. Sacerdotalem dignitatem adeptus Eccleſiæ S. *Andreæ* aliquandiu præfuit.

Sacerdos Patavinus, & Cauſarum actor.

Eo tempore oblatam ſibi Juris interpretandi provinciam in Gymnaſio patrio toto pectore renuit, quod liberiùs literarum ſtudiis ſibique commiſſo gregi vacare poſſet.

Hiſtoriæ Patavinæ Scriptor.

Tandem laborum pondere preſſus, animarum curam alteri demandavit, patriisq; conſcribendis Hiſtoriis ſe totum dedit. Dabat nihilominùs tum etiam operam Studioſorum conſuetudini, & in ſpatiis Academiarum ſe validè exercebat. Siquidem in Animoſorum Academiâ Diſceptationes multas diſertas & graves habuit, quarum duæ, nempè *De Somniis & Divinatione* una, & *An poſſint Arte ſimplicia veraque metalla gigni* altera luci datæ literatorum animos demulcent.

Philologus.

Multa prætereà fœcundi ingenii ſui monumenta edidit. Litibus tandem, & controverſiis implicitam ultimam ſenectutem traxit, domeſticisq; rebus intentus, octogenario propior apoplecticus obiit A.C. 1626. *Patavii*, ad D. *Andreæ* conditus in Sepulchro à ſeipſo conſtructo hâc Inſcriptione ſuperſtes:

Moritur.

Epitaphium.

ALEXANDRUM CARRERIUM
J. C. COLLEGII DECANUM, HUJUS ÆDIS OLIM PRÆPOSITUM, LITERATURA AC SCRIPTIS NON IGNOTUM
NULLO AGNATIONIS SUPERSTITE,
LICTA MONTAGNANA NEPTIS MOESTISSIMA SEPELIVIT.
OBIIT ANNO CIƆ IƆ CXXVI. DIE XX. AUG. ÆTATIS SUÆ LXXVIII.

Libros

Libros edidit:

Scripta. *De Poteſtate Rom. Pontificis Lib. II.*
De Sponſalibus & Matrimonio Lib. V.
De Geſtis Patavinorum Lib. X. M.S.
Un Diſcorſo ſovra l' opera di Dante.

* *Ex Elogiis Virorum Illuſtrium Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A. C. 1626.

RUDOLPHUS SFORTIA.

Patavii natus eſt 9. Martii An. C. 1594. Patre *Johanne Antonio*, viro prudentiſſimo. Fratres habuit *Bernardinum*, Sacerdotem, & *Bartolomeum*, Medicinæ *Patavii* Profeſſorem inſignem.

Juriſconſultus Romæ. Jurisprudentiæ deditus, in ætatis flore *Romam* profectus eſt, ut aulæ *Romanæ* & Auditoribus Rotæ operam navaret. Ibi Auditor datus Ill. *Corſino*, Nuntio Pontificio, *Gallias* peragravit. Eo munere usque ad obitum S. P. *Gregorii XV.* fideliter perfunctus, *Romam* reverſus, ab *Urbano VIII.* Episcopus Polenſis Moritur. *Polenſis* Epiſcopatûs infulâ decoratus eſt. Sed non multò pôſt obiit *Albonæ* 6. Cal. Sept. A. C. 1626. ætatis 32.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Sub ejus Imagine hæc leguntur:

Rudolpho Sfortiæ Patavino,
Jurisprudentiæ ſolertiſſimo Amatori,
Omnibus ingenuis artibus inſtructo,
Sanctiſſ. moribus & dotibus exornato,
Epiſcopo Polæ conſecrato
cui gratiſſimus extitit,
Julia Pietas ſuum amiſſum Patrem dolens
Ponendum curavit:
Ut ſicuti Rudolphus vix Epiſcopatum
ingreſſus interiit,
Ita hoc Monumento ejus nunquàm
Memoria interiret.

Obiit A. C. 1627.

JOHANNES LENTZIUS.

Natus eſt *Wittenbergæ* 21. Febr. A. 1565. Patre cognomine, cive honeſti nominis: cujus proavus *Paulus Lentzius*, qui tempore exortæ lucis Evangelii *Chriſtiano Beyero*, Juris D. & Conſuli fidelem dedit collegam. Matrem habuit *Margaretam*, *Felicis Mebus*, Civis primarii filiam.

Juris ſtudioſus. Cum puer in *Scholâ patriâ* bonas literas imbibiſſet, adultior Juris ſtudio ſeſe dedit. Conjugium ducit. A. 1589. matrimonium contraxit cum virgine *Barbarâ*, M. *Johannis Sumil*, Paſtoris Eccleſiæ *Bremenſis* filiâ. Cum eâ 35. annos ſuaviter vixit, & progenuit duos filios, Duo filii ejus J. Cti. *Fridericum*, Juris Doctorem, & Abbatiſſæ *Quedlinburgenſis* Cancellarium, & *Chriſtianum*, Juris Doct. & Electori *Saxoniæ* ab Appellationum Conſiliis. Ex filiabus *Eliſabetha*, Petro *Müllero*, Senatori *Wittenbergæ*; *Maria*, Danieli *Beckero*, Medicinæ Licentiato, & Profeſſori *Regiomontano* elocatæ, & *Barbara* patri viduo rem domeſticam adminiſtravit.

Advocatus Dresdenſis. A. 1594. *Dresdam* familiam ſuam tranſtulit, ibique advocando honeſtam nominis famam conſecutus eſt. Sed A. 1607. Patriæ velut genio retrahente *Wittenbergam* reverſus, brevi pôſt inter Electorales Curiæ Advocatos adſcriptus, anno autem 1615. Senator & Conſul Wittebergæ. in Senatorium Ordinem adſcitus eſt. A. 1617. Conſulatûs dignitas ei fuit collata.

Moritur hydrope. Tandem cum à duobus menſibus hydrope decubuiſſet, & pulmones etiam corrumpi cœpiſſent, dormienti ſimilis inter medias preces exſpiravit A. C. 1627. æt. 63.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Epitaphium ejus *Wittenbergæ* in Templo Parochiali.

Epitaphium.

D. O. M. S.

JOHANNES LENTZ, VIR CONSULTISSIMUS, CONSUL HUJUS URBIS PATRIÆ SUÆ AMPLISSIMUS, CURIÆ ELECTORAL. ADVOCATUS INTEGERRIMUS THEATRUM ORBIS INGREDITUR D. 21. FEBR. ANNO 1565. PIETATEM, JURIS SCIENTIAM, EXPERIENTIAM, FIDEM, CANDOREM DENIQUE, DEQUE REPUBL. URBICA BENE MERENDI STUDIUM BONIS OMNIBUS APPROBAT, NON UNI VERO DESIDERATUS EGREDITUR 19. JULII ANNO 1627.

PARENTI SUO UT QUAM DE SE OPTIME MERITO, ITA HEU QUONDAM LONGE AMANTISSIMO, LIBERI MOESTISSIMI QUICQUID HOC MONUMENTI.

Apocal. XIV.

BEATI MORTUI, QUI IN DOMINO MORIUNTUR A MODO, JAM DICIT SPIRITUS REQUIESCANT A LABORIBUS SUIS: OPERA ENIM SEQUUNTUR ILLOS.

Obiit A. C. 1627.

EVERHARDUS BRONCHORSTIUS.

Daventriæ natus in *Tranſiſulaniâ*, Patrem habuit *Johannem Bronchorſtium*, *Noviomagum*, Juris utriusque Licentiatum, Rectorem Scholæ *Daventr.* & anteà Profeſſorem Matheſeos in Academiâ *Roſtochienſi*, libris in Philoſophiâ editis celebrem: Matrem *Claram*, *Johannis Coſteri*, Conſulis *Daventr.* filiam.

Studiorum fundamenta in Patriâ jecit, ſub Præceptoribus, præter Parentem, *Baſilio* & *Lamberto*, Pithopœis. A. 1569. Cum Patre ob Ducis *Albani* tyrannidem patriâ pulſus, *Coloniam Agrippinam* ſe contulit, ubi Juris ſtudioſus Coloniæ. Patre poſt annum defuncto Jurisprudentiæ animum adjecit, quam *Marpurgi*, *Erfordiæ*, & *Wittenbergæ* continuavit.

Juris Doctor Baſileæ. Tandem *Baſileæ* à *Samuele Grynæo* Juris Doctor creatus eſt 17. Aug. A. 1579. Poſt adeptum Gradum *Wittenbergam* reverſus, ibi per annum docendo ſe exercuit.

& Profeſſor Witteberge ac Erfurti. Deindè biennio munere publico Profeſſoris Juridici in Academiâ *Erfurtenſi* defunctus eſt. An. 1586. In patriam poſt ſopitos nonnihil tumultûs militares reverſus, Reipublicæ Conſul electus eſt, Conſul Daventr. quo munere per annum functus, patriâ ſuâ *Hiſpanis* proditâ, iterum in exilium abire coactus, tandem Profeſſor Juris Lugduni. à Curatoribus Academiæ *Lugdunenſis* in numerum Profeſſorum Juris adſcriptus eſt 1. Julii A. 1587.

Obiit

Moritur. Obiit A.C. 1627. Orationem ei funebrem habuit *Petrus Cunæus.*

Scripta. Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Εναντιοφανῶν Centuriæ IV. & Conciliationes eorundem.

Centuriæ II. miſcellanearum Juris Controverſiarum.

Methodus Feudorum.

Oratio de ſtudio Juris rectè inſtituendo.

Oratio de laudibus Jurisprudentiæ.

Tractatus de Privilegiis Studioſorum, tum Profeſſorum & Doctorum.

Enarratio in Tit. de diverſis Regulis Juris antiqui.

* *Ex Vitis Profeſſor. Leydenſium, & ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1627.

PETRUS STORCKIUS.

A*Rgentorati* mundanæ lucis uſurâ frui incepit d. 4. Nov. A. C. 1554. Puerum Parentes Scholæ patriæ Præceptoribus erudiendum tradiderunt, quorum induſtriâ cum Claſſes Gymnaſii pertranſiviſſet, habitus eſt idoneus, qui ex arctioribus Gymnaſii viridariis emitteretur in liberiorem illum Academiæ campum, in quo aſſiduam ad res agendas applicatam occupationem re præſtitit, & poſt hauſta literarum ſtudia minora mox ad Juris Legumque ſcientiam omnem operam contulit.

Juris ſtudioſus,

& Hiſtoriarum.

Huic ceu condimentum adjunxit vetuſtatis nuntiam & vitæ magiſtram Hiſtoriam, quæ ſic cum in omni vitâ cepit, ut ne vergente quidem in ſenectâ ſelectiores rerum autores evolvere, & indè ſibi ſuæque Reipublicę, quod imitaretur, capere, fœdum quod vitaret exquirere pigratus fuerit.

A. 1573. Ex patriâ primùm egreſſus, doctore ſuo *Sturmio*, & bibliopolâ clariſſimo *Theodoſio Ribelio*, XIIIviro comitantibus ad mercatum *Francofurtanum* vernum profectus, indèque ad Academiam *Heſſorum Marpurgicam* transgreſſus eſt.

Stud. Marpurgi.

Ibi poſtquàm in contubernio *Petri Paganì*, Poëſeos & Hiſtoriarum Profeſſoris, annum exegiſſet, ac Viris celeberrimis *Nicolao Vigelio, Juſto Vultejo, Regnero Sixtino, Petris Nigidiis*, patri & filio, *Valentino Forſtero, Conrado Mathæo*, & aliis occaſione ſtudiorum, & morum amabilitate innotuiſſet, indè *Lubecam* & alias *Anſeatici* fœderis Urbes in tranſitu luſtravit.

Roſtochii. In Academiâ *Roſtochianâ Davidi Chytræo*, præcipuo Theologo & Hiſtorico gratus hoſpes aliquandiu ſubſtitit. Indè *Wittebergenſem*, indè *Lipſenſem* conceſſit in Academias, quarum in illâ *Huldrico Beſoldo, Chriſtophori* patri, fraternâ charitate junctus aliquandiu ſubſtitit.

Sed & *Magdeburgum, Brunsvigam*, & alias iſthîc Urbes celebriores adiit, ac ſub veris

Tubingæ. initium An. 1575. domum reverſus, ad *Tubingenſem* etiam Academiam excurrit, nec *Friburgenſem* in *Briſgoiâ* ſalutare neglexit.

Iter ejus in Galliam. A. 1576. primo vere *Genevam* abiit, ubi præter alios viros eruditione præſtantes intimâ ſibi junxit familiaritate, tum *Hermannum* illum *Vultejum*, ſummatem poſteà J.C. tum, tum *Matthiam Anomæum*, poſteà Artis Medicæ Doctorem eximium in *Auſtriâ ſuperiori Genevâ* duplicem fecit excurſum: unum breviculum, ad S. *Claudium*, in penitiſſimis Juræ montis compagibus, alteram *Dolam Sequanorum*, ubi longulè commoratus cum *Nicolao Jacobo Wurmſero, Sebaſtiano Mügio, Johanne Walraffo Zuckmantelio*, & *Baltaſare à Rueſt*, Viris Nobilibus ejus amicitiæ fundamenta jecit, quæ poſteà factos in ſummis dignitatibus Collegas ad finem usque vitæ proſecuta fuit.

In autumno A. 1576. *Dolâ Genevam*, An. 1577. *Genevâ* rediit *Argentoratum*, undè ſequentis A. 1579. vere *Italiam* petiit, anno integro & ampliùs eo ſibi calcatam. *In Italiam.*

Patavii Antenoris tunc plerumque temporis illius hæſit, vicinas interim *Venetias*, & *Bononiam*, ſed & *Romam, Puteolos, Neapolim, Capuam* luſtravit.

Hujus itineris comitem ferè perpetuum habuit *Johannem Cachelofium*, Med. D. in flore juventutis & Praxeos felicis *Argentorati* poſteà extinctum.

A. 1580. In patriam reverſus, ſtudia ſua conſummando ſtudia civium in ſe convertit. Ibi A. ſeq. 1581. 28. Febr. ſolenni Eccleſiæ ritu virginem *Genovefam*, *Hermanni Baumgartneri*, Civis primarii vitæ ſociam ſibi junxit, quod matrimonium, ſeu concordiam ſpectes per 46. annorum decurſum nec fribuſculo turbatam, ſive dulciſſima tori pignora conſideres, Numinis indulgentiâ fœliciſſimum fuit. *Conjugem duxit.*

Prima gerendæ Reipublicæ ſpatia fuit ingreſſus A. 1585. M. Oct. cum in Tribu, quàm liberorum Civium appellant, in Collegium Scabinorum adſciſceretur. Non longo temporis intervallo pòſt Tribunus & Aſſeſſor minoris Senatûs factus eſt. *Scabinus in Tribu liberorum Civium. Tribunus, & Senatus minoris aſſeſſor.*

A. 1591. Majorem, quem vocant, in Senatum cooptatus, hoc eſt, Reipublicæ gubernaculis propius admotus fuit. Eodem anno Præfecturam *Herrenſteniam* haud paulò Senatorio munere difficiliorem ei Reſpublica commiſit adminiſtrandam, & An. 1600. Præfecturam *Waſslenhemiam*. *Senatûs majoris aſſeſſor. Præfectus Herrenſtenius.*

A. 1602. Nov. Menſe, in Reipublicæ patriæ lucem ſe recipere juſſus, in Quindecimvirorum ordinem adſcitus, adhæc tribulium ſuorum Princeps factus eſt. Quibus muneribus anno ſequenti Præfectura Fabricæ Summi Templi ſuperpondium acceſſit. *Quindecimvir. Princeps tribulium.*

A. 1606. Supremum honoris apicem, qui auguſti Collegii Tredecimvirorum eſt, conſcendit, à quibus M. April. aſſumptus in laborum curarumque conſortium, minus quàm biennium expectandum habuit, ut claritudine virtutum ad ſummum quoque Conſulatûs faſtigium deligeretur. *Tredecimvir. & Conſul.*

An. 1614. Senatûs auctoritas honorato jam ſeni Scholarchiam, quaſi cumulum adjecit dignitatis, Conſulari dignitate non multùm inferiorem. Tunc totus cum Dominis Collegis ſuis id incubuit, ut idonei docto- *Scholarcha.*

doctores Academiæ conſtituerentur, ut eorum quiſque munus penſumque ſuum accurâret, & in ſtudiorum incude poſita juventus iis inſtructa mercibus, quarum comparandarum cauſâ *Argentinam* profecta eſt, domum aliquando rediret, & Urbis autoritatem & Academiæ decoratura.

Cum deindè A. 1623. Imperatoria Privilegia, Doctorum creandorum conceſsâ facultate, ſummam Univerſitati *Argentinenſi* manum impoſuiſſet, *Storckius* fuit præcipuus, ut & promulgatio Privilegiorum magnificè celebraretur, & Collegium Prædicatorium celebre Muſarum domicilium daretur.

Bibliothecæ & Horti Medici fundator.

In Bibliothecam etiam publicam & Hortum Medicum non paucà de ſuo impendit. Cœterùm ad Scholarchiam duæ quaſi appendices acceſſêre, Presbyteratus, quem vocant, vel Eccleſiarum Præfectura & Rei librariæ Cenſura.

Legationes 37 obivit.

Legationes intereà 37. ad totius Imperii Comitia, ad particulares Ordinum Imperii Conventus,& ad Illuſtriſſimos Principes, ad ſociarum Civitatum congreſsus, etiam periculoſis temporibus ac de magni momenti negotiis inſigni cum Reipublicæ Patriæ fructu nec minori prudentiæ, gravitatis, eloquentiæ laude geſſit.

In harum legationum ultimâ, quæ *Norimbergam* ad Correſpondentium, quos tum vocabant, Evangelicorum Ordinum Conventum ab eo pro Republicâ ſuâ ſuſcepta fuit, domum cum Sociis reverſurus juxta *Schorendorfium* in tranſitu *Remſæ* fluminis aquarum hyemalium torrentibus inflati vix ſubmerſionis vitæq; periculum evaſit.

Vitæ & ſubmerſionis periculum evaſit.

Sed ſoſpes tandem rhedâ meritoriâ vectus, *Gemundam Suevorum* per Dei clementiam appulit, poſtquàm tribus horis frigus aquarum vix juveni robuſto ferendum, infirmus ſenex ſuſtinuiſſet.

Ab eo tempore virium inſigne decrementum ſenſit, quâ de cauſâ cum A. 1626.

Conſulatum deprecatus.

Conſulatus ei quartùm gerendus, ex ordine votis omnium offerretur, onus iſtud cum valetudinis excuſatione deprecatus, non quidem omninò Reipublicæ curam omiſit, ſed quantum de Conſularibus curis remiſit, tantum Scholarchicas intendit.

Ingens autem ei ſolatium & ſenilis infirmitatis & mortis ad exitum citantis intuitus Filiorum erat, quos non ſolùm (ut & filias) honeſtis matrimoniis fœlices omnes, verùm etiam honoribus & officiis in Republicâ vidit inſignes.

Morbus ejus & obitus.

Sub initium tandem A. 1626. cum horis matutinis in Curiam ſe de more recepturus eſſet, ortus è catarrho ſtupor nec opinatus dextrum latus corripuit, ac id omne ferè motu ſenſuque privavit.

Ab eo tempore lecto utplurimùm affixus, ex hoc proceloſo vitæ terrenæ mari ſempiternæ beatitudinis portum anhelavit unicè, donec ad immortalitatem moriendo venit die 22. Maji A.C. 1627. ætatis 73.

Moritur.

* *Ex Oratione Parentali Matthiæ Berneggeri Profeſſoris Publici Argentoratenſis.*

MARTINUS BURCKARDUS.

Obiit A.C. 1627.

Wittenbergæ A. 1556. ex antiquâ & ultra 100. annos Senatoriâ familiâ natus eſt, Patre *Johanne*, viro prudentiæ & probitatis ſingularis: Matre *Margaretâ Schultziâ*. Cum in patriâ Philoſophicas diſciplinas ſufficienter addidiciſſet, pleraſque *Alberto Lemeigero*, Stipendiariorum Electoralium Inſpectore præcipiente, Indè Juriſprudentiæ ſe dedit, & præter alios *Matthæum Weſenbecium* ac *Michaëlem Teuberum*, J.C. tum lumina ſedulus audivit.

Juris ſtudioſus.

21. Oct. A. 1587. matrimonii ſolennibus ipſi juncta fuit *Margareta, Franciſci Blumii*, Piſtoris & civis integerrimi filia. Ex eâ 4. liberos ſuſcepit, *Martinum, Franciſcum, Eliſabetham*, & *Margaretam*. Quos omnes, præter *Franciſcum*, qui in primâ pueritiâ obiit, non modò adultos, ſed etiam honeſtis matrimoniis liberiſque florentes vidit.

Nubit.

A. 1592. inter Senatores Patriæ allectus, mox ad alias dignitates aſpiravit. An. enim 1598. cura ærarii Eccleſiaſtici ipſi commiſſa, quâ cum per 4. annos defunctus eſſet, Præturam, & anno tertio poſt Conſulatum ipſum ſuſcepit. Tandem à tribus menſibus tuſſi gravi decumbens, indies incrementa capiente, 16. Julii, plenus honoris & fidei Chriſtianæ deceſſit A.C. 1627. ætatis 71.

Senator Wittebergenſis.

Prætor & Conſul.

Moritur.

Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.

MARTINUS CHEMNITIUS.

Obiit A.C. 1627.

Exorſus felici eſt ſydere ex oppido veteris *Marchiæ*, *Pritzwaldia* dicto, cujus familia ſucceſſu fermè hæreditario Magiſtratum ſubivit.

Floruit enim jam circa An. C. 1287. *Johannes Chemnitius* ejus *Tritavi* Abavus, à quo poſteà 16. Conſules & Senatores per 339. annos deſcenderunt. Parentem habuit cognominem, Theologiæ Doctorem propter examen Concilii *Tridentini* celeberrimum, & Eccleſiæ *Brunopolitanæ* Præſulem digniſſimum, qui, poſtquam *Regiomonti* in *Boruſſiâ* Bibliothecæ Principis præfuiſſet, *Wittebergam* rediit, in convictum à *Philippo Melanchthone* receptus.

Filius Martini Chemnitii, Superintendentis Brunſvicenſis.

Quare A. 1554. à Senatu *Brunſvicenſi* ritè accerſitus, ut Doctori *Joachimo Mörlino*, Superintendenti adjungeretur, anno ſequenti uxorem duxit *Annam*, *Hermanni Jägeri*, J.U. Licentiati filiam, ex quâ deindè 10. utriuſque ſexûs liberos ſuſcepit. Ex his filius *Martinus Brunſvigæ* 15. Octob. A.C. 1561. natus, puer in Scholâ patriæ percelebri non ſolùm rudimenta artium & linguarum celeriter hauſit, ſed domi inſuper doctorem habuit optimum *Henricum Meibomium*, Poëtam, Hiſtoricum, & in illuſtri demùm *Juliâ* Profeſſorem. An. 1578. ad

Diſcipulus domi Henrici Meibomii.

ſtudia continuanda in Academiam *Lipſienſem* ſe contulit eo ſucceſſu, ut ſequenti ſtatim anno primæ Laureæ in Philoſophiâ Brabéum ſuo reportârit merito.

Lipſiæ Baccalaureus.

Poſt biennium ſub Magnifico tum Academiæ Procancellario *Wolfgango Hardero*, Theol. Doctore Artium liberalium Magiſter ſolenniter creatus eſt. Poſthinc Juris ſtudium aggreſſus *Francofurti ad Oderam* A. 1588. in utroque Jure Doctor renuntiatus, mox *Roſtochium* commigravit, & theoriæ praxin seriò adjecit.

Philoſophiæ Magiſter. *Juris Doctor Francofurti ad Oderam.*

Anno 1593. à Sereniſſimo Principe *Bugislao*, Duce *Stetinenſi Pomeraniæ* in Conſiliariorum numerum adoptatus, non multò pòſt Virginem ambivit *Margaretam*, Dom. *Henrici Camerarii*, aliquot Principum Cancellarii & Conſiliarii, ut & Legum in Academiâ ad *Viarum* Prof. primarii filiam, eamque in domum ſuam deduxit.

Conſiliarius Brunsvicenſis. *Conjugium ejus & Liberi.*

Conjugium hoc 31. annos ſummâ animorum conjunctione duravit, & fœcundâ prole fuit beatum. Filios *Martinum*, U.J.D. *Bugislaum Philippum*, *Henricum*, *Franciſcum*, & *Johannem Fridericum*, filiamque unicè dilectam *Sophiam Annam* vidit & gaviſus eſt. Cum verò ſocer ejus *Camerarius* obiiſſet An. 1601. ſucceſſit *Chemnitius* gener, & Profeſſionem Juris in Roſeto obtinuit.

Juris Profeſſor Roſtochii, & Academiæ Rector.

Mox Magnificus Academiæ Rector ſalutatus eſt, eamque poſteà purpuram à ſuis in Celſiſſimi *Ulrici*, *Pomeraniæ* Ducis, tum ſtudiorum causâ *Roſtochii* commorantis, humeros detulit.

Cancellar. Pomeran.

Ex Academiâ in Aulam A. 1603. acceſſitur, & Illuſtriſſ. Principi intimus datur Conſiliarius ſimulque Cancellarius.

Sed cum Dux *Bogislaus* 7. Mart. A. 1606. mortalium conditionem ſupergreſſus eſſet, à Succeſſore *Philippo* in ſingularem gratiam munerisque ſplendorem ſuſcipiebatur.

Legatus Ratisbon.

An. 1613. à Duce ſuo miſſus eſt *Ratisbonam*, ad inſtituta Imperii Comitia, eique Feudum, ut vocant, à Cæl. Majeſtate obtinuit.

Cancellar. Holſat.

A. 1618. poſt obitum *Philippi* æquè Illuſtris Princeps *Fridericus*, *Slesvici* & *Holſatiæ* Dux, *Chemnitium* ſuum quoque Cancellarium clementer expetivit. Ideò cum totâ familiâ *Stetino* commigravit *Slesvicum*, ibidemque Domicilium rurſus ſuum exſtruxit.

In omnibus actionibus ſuis magni Parentis Theologi incomparabilis veſtigia legens, zelum pro divinâ gloriâ vindicandâ oſtendit, ut poſteris ſingulare reliquerit exemplum non conſummati ſolùm Jurisconſulti, ſed religioſi quoque Theologi.

J.C.tus religioſus.

Singulis diebus Dominicis Patris Harmoniam Evangelicam, nec non *Balduini* & *Meisneri* Meditationes Evangelicas ſedulò evolvit, antequàm templum ingrederetur.

Solebat quoque nucleum cujuslibet textus metro aptare, eaque pia ſuſpiria filiolæ, ut memoriæ infigeret, tradere. Quid quod & Commentaria ſuper quosdam conſignare libros Biblicos jam aggreſſus eſſet?

Habuit ſanè Deum benignum, cujus ope jam grandævus proſperâ adhuc uſus valetudine nullâ oculorum caligine unquam laboravit. In morbum tandem lethalem incidens, totum ſe ad εὐθανασίαν diſpoſuit. Adſtante Confeſſionario ſuo ex intimo corde aliqua protulit ſuſpiria, dixitque: *Nunc me converto ad Medicum animarum noſtrarum*, & paulò pòſt:

Senex vegetus.

Peccavi fateor, veniam peto, Chriſte, remitte
Sanguine purgato crimina noſtra tuo.

Non diu pòſt à prædicto Antiſtite *Chriſtiano Sleidano* quæſivit, numne Principis *Megapolitani Johannis Alberti* de Morte meditationem unquàm legiſſet? Ad quod affirmans ille eam in *Danielis Crameri* tractatu de myſterio Corporis ſpiritualium bonorum extare reſpondit.

Conſolationem dehinc pluribus admiſit, ultimamque emiſit vocem, *JESUS meum ſolatium!* Ita exceſſit ille, cujus vita, quantum homini contigit, ſine culpâ, mors ſine acerbitate fuit, die 26. Auguſt. A.C. 1627. ætatis 65.

Verba ejus ultima.

* *Ex Concione funebri Doctoris Chriſtiani Sleidani, Paſtoris Slesvicenſis primarii.*

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Hiſtoria de Veſperis Siculis Carmine Heroico ſcripta, dum Lipſiæ ſtudioſus eſſet.

Hiſtoria Navigationis Indiæ Orient. Heroico carmine deſcripta. in 4to *Lipſiæ.*

Diſſertationes tres de Juſtitiâ & Jure, quibus Jus univerſum compendiosè tractatur, & ſimul ad forum cujusque conſcientiæ ſtudiosè confirmatur. Tubingæ in 4to.

Bericht von Unterſcheid Holſtein und Eyderſtätt. in 4to.

JOHANNES KITZELIUS.

Obiit A.C. 1627.

Epſtenii natus eſt 10. Febr. An. C. 1574. Patre *Wilhelmo*, Judicii Aſſeſſore primario, Matre *Margarethâ*, *Henrici Dürbaumii*, Sculteti ibidem filiâ.

Cum in Scholâ patriâ fidei Chriſtianæ & bonarum artium fundamenta poſuiſſet, A. 1588. in Academiam *Marpurgenſem* ad ſtudia continuanda miſſus, ibi 31. Martii An. 1593. Gradum Baccalaurii, & 29. April. A. 1596. Gradum Magiſterii cum laude obtinuit.

Magiſter Philoſophiæ Marpurgi.

A. 1598. ſub regimine *Ludovici* ſenioris Landgravii *Haſſiæ* Præceptor Claſſicus in Pædagogio *Marpurgenſi* factus, munus id triennium adminiſtravit.

Præceptor Claſſicus.

Deindè Juris Civilis praxin exercere cœpit *Marpurgi* in Judicio aulico Advocatum agens. An. 1605. ibidem pro gradu Doctoratûs diſputavit, & *Spiram* ſe contulit, ut in Judicio Cameræ Cæſareæ Jurium Proceſſum addiſceret.

Advocatus.

Non multò pòſt cum *Ludovicus* junior, *Haſſiæ* Landgravius, poſt obitum Patris cognominis *Marpurgi* Gymnaſium adornâſſet, ad Juris & Matheſeos Profeſſionem eò vocatus, & biennio pòſt, cum Menſ. Octob. An. 1607. Privilegia Academica à Cæſare impe-

Profeſſor Juris & Matheſeos.

impetrata publicarentur, Profeſſor ibidem Juris ordinarius conſtitutus eſt.

Bis nubit. 3. Nov. An. 1606. Sponſalia celebravit cum virgine *Catharinâ*, D. *Hermanni Lersneri*, Conſiliarii *Haſſiaci*, ViceCancellarii & Pandectarum Profeſſoris filiâ, quæ cum 12. Sept. An. 1607. filiolum *Johannem Hermannum* enixa eſſet, 5. horis poſt partum exſpiravit.

Abindè ſeptennio viduus iterum deſponſatus eſt 22. Aug. A. 1614. cum virgine *Chriſtinâ, Jodoci Meckbachii*, Conſulis *Hirſchfeldenſis* filiâ, eâdemque die Doctoris gradu inſignitus eſt. *Doctor Juris.*

Ex hâc conjuge cum filio unico 3. filias ſuſcepit, omnibus in infantiâ ante matrem defunctis, quæ 8. April. An. 1622. mundum reliquit.

A. 1617. ab Illuſtriſſimo Principe *Philippo, Haſſiæ* Landgravio, inter Advocatos receptus, aliis quoque Magnatibus, & Nobilibus Conſilia dando & Advocando fidelem operam navavit.

Procancellarius Marpurgenſis. 20. Junii A. 1618. Univerſitatis *Marpurgenſis* Procancellarii dignitatem nactus, ſexennio pòſt 16. Aug. A. 1624. tertia ſponſalia celebravit cum virgine *Annâ Urſulâ, Nicolai Henrici Fauſti*, *Aſchaffenburgenſis*, Conſulis *Francofurtenſis* relictâ filiâ, ex quâ duas filias reliquit ſuperſtites.

Moritur ex apoſtemate. Ex apoſtemate tandem à duabus ſeptimanis ægrotans, viribus ſenſim diſſipatis, placidè in Chriſto exſpiravit 30. Aug. A.C. 1627. ætatis 54.

* *Ex Concione funebri Philippi Mylii, Diaconi Marpurgenſis.*

CHRISTIANUS GRÆFINTHALIUS.

Obiit A.C. 1628.

Filius Muſici Electoris Saxoniæ. NAtus eſt *Cygneæ Variſcorum* An. 1571. Patre *Martino*, peritiſſimo artis Muſicæ, & ejus præcipuè, quæ Organis perficitur, quâ & Electori *Auguſto* totis 9. annis cum laude ſe probavit: Matre *Catharinâ, Pauli Cunradi*, Machinarum tormentariarum fuſoris & Civis *Dresdenſis* filiâ.

Lipſiæ Muſicam docet. Hauſtis in Scholâ patriâ literis 18. annorum adoleſcens in Academiam *Lipſienſem* amandatus eſt. Ibi per 4. annos Philoſophicis diſciplinis dedit operam, ſimulque honeſtos juvenes in organariâ Muſicâ, quam à Patre egregiè erat doctus, informavit.

Magiſter Philoſophiæ Wittebergæ. Hinc *Wittenbergam* ingreſſus, quamvis ibi paulò poſt creditum ſibi Organarii munus ſuſceperit, non interrupit tamen cœptorum ſtudiorum ordinem, & ſequenti anno 1594. Magiſter artium publicè creatus eſt.

Uxorem ducit. A. 1602. Conjugem duxit *Mariam, Simonis Wolckii*, Civis primarii filiam. Ex eâ 4. ſuſcepit filios, de quibus minimum natu ſuperſtitem reliquit, reliqui tenelli infantes obiêre.

Hâc An. 1611. Menſ. Nov. defunctâ, ſequenti año ad ſecunda vota tranſiit, junctâ ſibi conjugio *Sibyllâ, Matthiæ Gritzmacheri*, Prætoris *Dresdenſis* filiâ, ex quâ 4. filios & 6. filias nactus eſt, de quibus filiorum duo totidemque filiæ remanſêre.

Protonotarius Curiæ Electoralis. An. 1613. ad Protonotariatum Curiæ Electoralis & Scabinatûs vocatus eſt, quas partes ſummâ diligentiâ & fidelitate adminiſtravit.

Moritur Wittebergæ. Tandem cum à ſeſquianno doloribus colicis ſæpiùs afflictus eſſet, iis ingraveſcentibus ex hâc vitâ diſceſſit A. C. 1634. ætat. 57.

* *Ex Programmatibus funebribus Auguſti Buchneri.*

ERASMUS UNRUHIUS.

Obiit A.C. 1628.

NAtus eſt *Torgæ* 17. Aug. An. C. 1576. ex antiquis familiis, & ſupra 200. annos in Cæſarum, Electorum, & Principum aulis, cum Rerumpublicarum & munerum civilium adminiſtrationibus cum gloriâ verſatis. Patrem ſortitus eſt *Antonium*, Virum Conſularem: Matrem *Margaretam*, *Eraſmi Sachſii*, ejusdem Reipublicæ Prætoris filiam. *Filius Conſulis Torgavienſis.*

Perceptis in patriâ literis, quibus animi ſolent parari ad ſuſcipiendam cujusvis ſapientiæ ſementem, in Academiam *Lipſienſem* miſſus, ibi Philoſophicas diſciplinas eâ animi contentione imbibit, ut vel in tyrocinii annis magnam opinionem de ſe excitaret.

Doctor Juris Wittebergæ. Indè in *Wittenbergenſem* Academiam ſua traduxit ſtudia tam feliciter, ut an. ætatis 24. utriusque Juris Doctor ſolenniter crearetur.

Profeſſor Juris Scabinus, & Judicii Provincialis Senator. Quinto pòſt anno, C. 1605. in Profeſſorum ac Scabinorum numerum, & deinceps Provincialis Judicii Senatorum allectus eſt.

Raro autem ejus conatûs deſtituebat fortuna, nam & noverat invenire probè rationes agendi, atque urgere ſtrenuè, quas inveniſſet, ut prudens pariter & efficax eſſet.

Nubit. A. 1605. matrimonium iniit cum virgine *Ceciliâ*, Reverendi Viri *Polycarpi Lyſeri*, Theologi ſummi filiâ, ex quâ tamen nullos ſuſcepit liberos.

Moritur paralyſi. Cum tandem *Torgæ in Comitiis* Academiæ nomine indictis partibus ſibi demandatis ſedulò fungeretur, ſubitò correptus lateris dextri paralyſi, magno cum omnium præſentium dolore, plenus honorum & fidei Chriſtianæ vitam finivit 10. Maji A.C. 1628. ætatis 52.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri, & aliis.*

ERASMUS UNRUH, Juris UTRIUSQUE DOCTOR,
per anagramma:
Rus Ritusque muris tueor, Jus curando.
En tueor muris & Rus, Ritusq; Paternos,
Sacrum curando Jus: pietatis opus.
Georgius Theod. Hofmannus.

EPITAPHIUM:

Epitaphium. ERASMUS UNRUHE IN RABENSTEIN J. U. D. PROFESSOR PUBLICUS, SUMMA DOCTRINA, PRUDENTIA SINGULARI

ET MAGNO RERUM USU PRÆDITUS, QUI CUM PER ANNOS XXIII. DOCUIS-SET PUBLICE, TOTIDEMQUE TAM IN PROVINCIALI CURIA QUAM IN SCABINATU WITTEBERGENSI DICUNDO PARITER ET RESPONDENDO JURI ASSEDISSET, TER RECTOR, SÆPIUS DECANUS, IN OMNIBUS OFFICIIS MUNIISQUE INGENTI CUM LAUDE INDUSTRIÆ, FIDEI, DEXTERITATIS VERSATUS ESSET, TORGÆ IN PATRIA, UBI ANTE ANNOS XXI. NATUS ERAT, IN IPSIS COMITIIS, QUIBUS PUBLICO ACADEMIÆ NOMINE INTERERAT, ANNO MDCXXVIII. DIE X. MENS. MARTII EXTINCTUS, ET TANDEM HIC REPORTATUS A SUIS HOC IPSO IN MONUMENTO CONDITUS EST.

Juris & innocui vates ſanctiſſimus æqui
Hâc jacet Unrubius Doctor Eraſmus humo.
Cæcilia huic conjuncta ſua eſt ſata patre Lyſero,
Ut torus ambobus unus ita & tumulus.

Obiit A.C. 1628.

CASPAR HEIDENIUS.

NAtus eſt *Grunbergæ Haſſorum*, die 16. Sept. A. C. 1576. Patrem habuit *Johannem*, Civem ejus loci honeſtum: Matrem *Claram*, *Caſparis Rabi*, Viri Conſularis, filiam.

Bibliopola Wittenbergenſis.

Literis ut imbueretur, maturè in ſcholam patriam traditus eſt, quarum rudimenta unà cum pietatis doctrinâ cum percepiſſet, 15. annos natus *Wittenbergam* venit, ut *Berchtoldo Rabo*, avunculo ſuo, Bibliopolæ in adminiſtrandâ re librariâ operam navaret, quam cum per annos 25. fidelem & diligentem præſtitiſſet, id conſecutus eſt, ut mortuo avunculo & hero ſuo opimiorem hæreditatis partem ex teſtamento adierit. Sic factum, ut *Wittenbergæ* ſedem figeret.

Deſponſatus.

Ibi A. 1619. cum virgine *Eliſabethâ*, *Andreæ Haſelachi*, Pellionis filiâ, felicibus auſpiciis nuptias fecit, ex quâ 3. filias & unum filium ſuſcepit.

Senator, ædilis, & ærario præfectus Wittenbergæ.

A. 1620. Senatoribus allectus, inter ædiles conſtitutus eſt: tertio anno pòſt ærario præfectus fuit.

Cum tandem à tribus ſeptimanis deſtillationibus capitis & tuſſi fuiſſet vexatus, accedente paralyſi, triduo pòſt, cum auxilia medicamentorum nihil juvaſſent, vitam cum morte commutare coactus eſt 1. April. A. C. 1628. ætatis 52. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Rectoris Wittebergenſis.*

Obiit A.C. 1628.

MARCUS ANTONIUS OTHELIUS.

NObilis *Utinenſis*.

Juris Profeſſor Utinenſis,

A. 1574. à *Tiberio Deciano*, Cive ſuo, Juriſprudentiæ Laureâ inſignitus in patriam reverſus, Inſtitutiones Imperiales publico honorario expoſuit per novennium.

& Patavinus.

Exindè *Patavium* accerſitus, nullâ quidem vacante Cathedrâ Juris, nova de Regulis Juris ipſi decreta eſt, & Leges obſcuriores per 4. annos evolvens eum ſibi applauſum retulit, ut An. 1590. *Angelo Matthæaccio* ab explicatione Pandectarum ad Jus Civile traducto ſucceſſerit.

Exactis hoc modo in Gymnaſio annis 50. cum jam 80. mum exceſſiſſet, Reipublicæ *Venetæ* indulgentiâ, cum honorario ſtipendio ſatis amplo liberali otio relictus, *Venetias* ad nepotem medicum ſeceſſit. Ibi ſpiritum Creatori reddidit Menſ. Jul. An. C. 1628. *Moritur Venetiis.*

Edidit: *Scripta.*

Comment. & Lectiones in Jus Civile & Canonicum.
Conſilia.
De Jure Dotium.
De Pactis.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

BERNHARDUS A PÖLNITZ.

Obiit A.C. 1628.

SChwartzbachii natus eſt 4. Julii An. C. 1569. Patrem habuit *Johannem Brunonem à Pölnitz*, Conſiliarium *Saxonicum* & *Bambergenſem*. Matrem *Barbaram*, *Henrici Münchii*, Nobilis à *Bernsdorff* filiam.

A. 1578. Miſſus à Parentibus in Scholam *Neoſtadii ad Orlam*, in eâ quinquennium, & in Gymnaſio *Curienſi* annum exegit.

A. 1584. Ablegatus à Patre in Univerſitatem *Jenenſem*, ibi usque ad an. 1586. ſtudiis operam dedit, ad quæ feliciter continuanda, in Academiâ *Helmſtadienſi* 4. annos vixit, & an. 1590. *Altorfium* ſe contulit, & ſub *Hugone Donello* publicè diſputavit. Hoc verò demortuo, an. 1592. *Jenam* reverſus eſt. *Juris ſtudioſus Jenæ, Helmſtadii, Altorfii.*

Poſt obitum Domini Patris ſui an. 1593. *Coloniam* ad *Rhenum*, & anno ſequenti *Marpurgum* ſe contulit, non multò pòſt unà cum *Jacobo à Grünthal*, & *Georgio à Nismitz Argentoratum*, & exindè *Genevam Allobrogum* ac *Veſontium Burgundiæ* profectus, cum totam ex voto *Galliam* perluſtrare propter bella civilia non poſſe, tibi aliquandiu ſubſtitit, & Linguam *Gallicam* perfectè didicit. *Coloniæ, Marpurgi, & Argentorati. Galliam & Italiam percurrit.*

Deindè *Italiâ* perluſtratâ, an. 1596. in patriam reverſus, mox & vix elapſo anno dimidio filiis Celſiſſimi Principis *Friderici Wilhelmi*, Ducis *Saxoniæ*, & Adminiſtratoris Electoralis nobilis aulicus fuit adjunctus. *Conjugium ejus primum.*

An. 1598. Conjugium primum iniit cum virgine nobili *Urſulâ à Niswitz*, *Chriſtophori* filiâ unicâ.

Eodem adhuc anno ab Adminiſtratore Electorali Conſiliarius Appellationum conſtitutus, biennio pòſt an. 1600. ab eodem Duce ſuo, unà cum *Johanne Georgio Godelmanno*, Legatus ad Imperatorem *Rudolphum II. Pragam* miſſus eſt, eique in viâ crus dextrum ab equo fractum fuit. *Conſiliarius Appellationum Saxonicus.*

A. 1601. Electoris *Chriſtiani II.* regimen *Saxonicum* aggreſſi Conſiliarius aulicus, & anno ſequenti Eccleſiarum & Scholarum *Conſiliarius aulæ Saxonicæ.*

Præſes

Præſes à Conſiſtorio Eccleſiaſtico deſignatus eſt.

Cancellarius Saxonicus. Brevi pòſt A. 1602. Elector *Saxoniæ* Cancellarium & Conſiliarium intimum eum ſibi conſtituit, in quo munere usq; ad A. C. 1623. perſeveravit, intereàque diverſis Comitiis Cæſareis & Electoralibus interfuit.

Cum verò ſenio ingruente viribus imbecillior ab Electore *Johanne Georgio* ſupplex *Curiæ Provincialis supremæ Præſes, & Director Lipſiæ.* dimiſſionem petiiſſet, eam obtinuit, ſed Cancellarii loco Curiæ Provincialis ſupremæ, quæ *Lipſiæ* eſt, Præſes ac Director factus eſt 14. Sept. an. 1623. In omnibus hiſce muneribus nobilis religioſiſſimi, conſcientioſiſſimi, prudentiſſimi, doctiſſimi, & eloquentiſſimi nomen reverà obtinuit.

An. 1607. Conjugem chariſſimam *Urſulam Niswitziam* morte ſibi abreptam amiſit, quæ 6. ipſi liberos peperit, *Chriſtianum*, *Ejus Liberi.* Judicii *Saxonici Lipſienſis* Aſſeſſorem, *Johannem Chriſtophorum* per biennium ſub generali Cæſ. Comite *Tillio* militiæ deditum, & paucis ante obitum Dom. Parentis diebus domum feliciter reverſum, *Annam Mariam* biduo poſt partum defunctam, *Blandinam*, *Johanni Friderico à Brandt*, Conſiliario *Saxonico* nuptam, *Hedwigem*, *Wolffgango Alberto à Poſeck*, Nobili à *Weiſcblitz* deſponſatam, & *Urſulam* virginem.

Conjugium ſecundum & tertium. An. 1609. ad ſecunda vota tranſiit cum nobili matronâ *Catharinâ*, *Franciſci à Röhnigomarck* viduâ, filiâ Nob. *Chriſtophori ab Hoimb & Ermesleben* &c.

Hâc ſine liberis defunctâ, tertiam duxit conjugem *Amaliam*, Nobilis *Chriſtophori à Wibe & Burgscheidungen* relictam viduam, *Rudolphi Rauchhauptii ab Hohenthurn*, Capitanei bellici filiam, quam ſterilem reliquit viduam.

Morbus & Mors. Cum tandem ab annnis aliquot malo hypochondriaco ex flavæ bilis & ſanguinis aduſti copiâ, cum ructibus aſſiduis, appetitu proſtrato, vigiliis, aliisque ſymptomatibus fuiſſet afflictus, cumque 5000. flor. templis, ſcholis, & pauperibus legâſſet, inter aſſiduas preces placidè obdormivit 5. Aug. A. C. 1628. æt. 60. *Goſickii.*

PoLnItIVM LVget non frVſtra SaXonls orDo.

BernharD VoM PöLnItz VIVIt ſVper æthera LetVs.

* *Ex Concione funebri M. Chriſtophor. Danderſtadii, Superintendentis Friburgenſis.*

Obiit A. C. 1629.

CASPAR A TEUTLEBEN.

Ex pervetuſtâ familiâ Nobili *Thuringicâ* natus eſt 27. Martii A. C. 1576. Patrem habuit *Johannem Erneſtum Teutlebium*, Curiæ provincialis *Jenæ* 39. annos Aſſeſſorem, An. 1610. 24. Julii vitâ defunctum: Matrem *Brigittam*, Nobilis *Wolfgangi à Kottritz*, Cancellarii quondam Ducis *Saxoniæ Johannis Wilhelmi* filiam.

Præceptores ejus privati. In primâ ætate Præceptores privatos habuit M. *Valentinum Vigelium*, deindè *Iſenaci* M. *Quirinum Thalmannum*, tandem *Coburgi* M. *Chriſtoph. Kirchnerum*, Eccleſiæ Diaconum ibidem.

Jenæ ſtudioſus. An. 1593. Accedens Academiam *Jenenſem*, literarum ibi ſtudiis operam dedit usq; ad an. 1597. quo peſte graſſante domum ad parentes reverſus, mox Dom. Patre conſentiente cum Nobili *Joachimo Loſio* per *Italiam* iter ſuſcepit.

Reverſus An. 1603. à Sereniſſimo Duce *Vinarienſi*, hocque an. 1605. demortuo, ab *Miniſter aulæ Saxonicæ.* Electore *Chriſtiano II.* inter miniſtros aulæ nobiles receptus eſt.

A. 1607. *Wenige Somera* in patriâ nuptias celebravit cum nobili virgine *Agnete Mag-* *Conjugium ejus.* *dalenâ*, Viri nobilis *Lucæ Thangelii* filiâ, ex quâ 3. filios totidemque filias ſuſcepit.

Filius natu major *Joh. Erneſtus*, puer divino præditus ingenio, *Lanchæ* calculi doloribus oppreſſus obiit an. 1621. æt. 10. Alter *Wilhelmus Caſparus* Patri ſuperſtes *Vinariæ* natus an. 1613. familiæ *Teutlebianæ* columen fuit. Tertius biennio tantùm vivens an. 1625. obiit.

An. 1608. In Univerſitatem *Jenenſem* à Duce *Vinarienſi Johanne Erneſto & Friderico* *Judicii aulici aſſeſſor Jenæ.* *Saxoniæ* Duce miſſus, aulæ ibidem Ducalis Gubernator & Director factus eſt. A. 1611. Judicii aulici *Jenæ* aſſeſſor declaratus eſt.

A. 1613. Cum *Johanne Erneſto*, Duce *Saxoniæ* juniore, per *Galliam*, *Angliam*, & *Bel-* *Mareſcallus aulæ Vinarienſis.* *gium* gubernatoris nomine peregrinatus, feliciter *Vinariam* reverſus eſt A. 1616. Mareſcallus mox Aulæ *Saxoniæ Vinarienſis* conſtitutus.

A. 1620. Dimiſſus à Ducibus *Saxo-Vinarienſibus* Duci *Saxo-Coburgenſi* acceſſit *Jo-* *Conſiliarius Saxo-Coburgicus.* *hanni Caſimiro*, cujus Conſiliarius intimus factus eſt, ejusque nomine anno ſequenti *Viennam* ad Imperatorem *Romanorum* Legationem obivit.

Conſiliarius Saxo-Eiſenacenſis. Domum reverſus Menſ. Dec. A. 1621. à *Johanne Erneſto* ſeniore, Duce *Saxoniæ Eiſenacenſi*, inter Conſiliarios intimos etiam receptus eſt.

Tandem variis morbis correptus, viri- *Moritur.* bus ſenſim collapſis, morte beatâ vivis ereptus eſt 11. Febr. A. C. 1629. ætatis 53.

* *Ex Concione funebri Johannis Göringii, Concionatoris in Wenigâ Sommeriâ.*

* * *

Societati frugiferæ primus inſcriptus. Hic primus ordine Societati frugiferæ, die Fruchtbringende Geſellſchafft A. C. 1617. inceptæ, fuit inſcriptus, ſecundus *Ludovicus*, Princeps *Anhaltinus*, tertius *Johannes Erneſtus*, Dux *Saxoniæ*. Hujus Societatis Pictura eſt *Nux Indiana*, vel *Palma*: Symbolum, ſeu Verbum, Alles zu Nutzen, ex quo dicto ſcopus illius pateſcit. Socios enim oportet omnes ſuas dictiones actionesque ad bonum accommodare uſum, tum puritatem & Elegantiam linguæ Germanicæ propagare.

Ex Nomenclat. Prof. Jen. M. Adriani Beyeri in vitâ Zach. Prueſchenck J C.

Obiit A.C. 1629.

LEONARDUS METZNERUS.

NAtus eſt in Civitate *Anſeaticâ*, & Imperiali *Luneburgo* 10. Junii A.C. 1571. Parentibus honeſtis *Andreâ Metznero*, & *Annâ Krugerâ*. Ab his in tenellâ ætate illis ſtudiis, quibus ad pietatem & probitatem pueritia imbui ſolet, domi tam diu informatus eſt, donec ad alias artes diſcendas in Scholam *Hamburgenſem* mitteretur.

Diſcipulus Hamburgi.

Sed cum ingenii maturi excelſa indoles ad majora ipſum invitaret, 16. ætatis anno in Academiam *Wittenbergenſem* primùm venit, & quinquennium ibi in ſtudiis humanioribus poſuit.

Studioſus Wittenbergæ.

Poſteà celebritate ſtudiis Juris, quod *Lipſiæ* & *Jenæ* tunc temporis florebat, motus, illam biennium, hanc triennium cum fructu incoluit.

Juris ſtudioſus Lipſiæ & Jenæ.

Cumque paulatim matureſceret ætas, & cum eâ Juris ſtudium ac Prudentia, cui ſe totum dederat, Jurisprudentibus hinc indè in *Germaniâ* ſalutatis, Academiam *Baſileenſem* tandem adiit, ubi ſummos in Jure Doctoratûs honores retulit.

Juris Doctor Baſiliæ.

Hâc ſtudiorum metâ emenſâ, ad ſuos redux, in itinere ſalutato *Naumburgi* fratre ſuo *Henrico Metznero*, Conſule, viſendæ ſororis & Sororii causâ *Hafniam* venit: ubi aliquandiu commoratus, cum in aulâ Sereniſſimi Regis *Chriſtiani IV.* innotuiſſet, à Conſiliis in Archivo, quod ibi eſt, *Germanico* Regia Majeſtas ipſum adſcivit, eoque nomine apud exteros Principes ejus operâ crebrò uſus eſt, præſertim cum in Magnum *Moſcoviæ* Ducem Illuſtriſſimus Princeps *Johannes*, Regis frater, eligeretur, ipſum eò Regia Majeſtas ablegavit. Reverſus ex longinquâ & periculoſâ hâc expeditione, pertæſus ſolitariæ vitæ, in tori ſociam ſibi elegit virginem *Eliſabetham*, *Marci Heſſi*, Conſulis quondam *Hafnienſis* filiam, nuptiis Aug. Menſe celebratis An. 1603. Sed 26. annor. conjugii ſpatio nullos ex eâ ſuſcepit liberos.

Conſiliarius Regis Daniæ in Archivo Germanico.

Legatus in Moſcoviam.

Uxorem duxit ſterilem.

A. 1605. Vacante in Academiâ *Hafnienſi* Profeſſione Juridicâ, in locum ejusdem ſuffectus, integro decennio hanc provinciam adminiſtravit, donec A. 1615. Archivo Regis *Germanico*, cujus anteà Collega fuerat, præficeretur.

Juris Profeſſor Hafniæ.

Præſes Archivi Germanici.

Intereà A. 1612. cum in ordine Profeſſorio eſſet, Rectoratûs quoque Academici officium ſuſtinuit. In cauſis Regni expediendis apud Regem *Poloniæ*, Electores, Principes, & Civitates *Germaniæ*, cum Legatus prudentiam & fidelitatem ſuam ſæpiùs declarâſſet, tandem ad ipſam *Ferdinandi II.* Cæſaream Majeſtatem A. 1620. miſſus, tantæ admirationi Imperatori *Auguſto* fuit, ut Nobilitatis Privilegia & Inſignia inſigniter inſignita, in ſignum virtutis & prudentiæ ſuæ indè reportârit. Domum autem è Legatione *Bohemicâ* reverſus, ne Academicis rebus conſulere planè obliviſceretur, ad Profeſſionem Juridicam tunc temporis vocato Dom. *Claudio Plumio* Doctoris titulos & honores mandato Regis A. 1621. conferre juſſus, publicè & ſolenniter tribuit.

Nobilitatus ab Imperatore Ferdinando II.

Claudium Plumum Doctorem creavit.

Sed quod in viatoribus longo itinere defeſſis fieri ſolet, ut ad quietem tandem ſe conferant, id laboribus & peregrinationibus fatigato D. *Metznero* etiam uſu venit, & valedictâ Aulâ quietiorem vitam quæſivit.

Levatus igitur oneribus ſuis prioribus, bonâ cum Regis ſui gratiâ, *Flensburgum* A. 1625. ſe contulit, ut ibi in Conſiliis Ducatûs *Holſatiæ* & *Slesvici*, cum opus eſſet, adhiberetur, donec turbis bellicis indè pulſus, an. 1627. *Hafniam* iterum venit.

Conſiliarius Ducis Holſatiæ.

Hîc jam mediocri valetudine uſus, an. 1569. Menſ. Majo in hemiplexiam incidens, continuè lecto adhæſit. Et videbatur morbus ejus nonnihil levari, ſed ultimus vitæ terminus inſtans catarrho ſuffocativo corpus debilitatum die 25. Julii A. 1629. levi negotio deſtruxit, poſtquàm in hoc mundi ergaſtulo vixiſſet annos 58. & 7. hebdomadas.

Moritur.

Funus indictum eſt publico Programmate Rectoris Academici D. *Caſpari Eraſmi Brockmanni*. Sepultus eſt in Templo S. *Nicolai Hafnienſis*.

Scripta:

Scripta.

Diſpoſitio de Sponſalibus.
De Nuptiis.
De Adulterio & ſtupro.
De Rerum diviſione, & acquirendi earum dominio, breviter continens jura rerum ſacrarum, religioſarum, & ſanctarum: item jura Maris, Univerſitatis, Piſcationum, Venationum, Aucupiorum, Captivitatis in bello, & Theſaurorum.
De Fidejuſſoribus & Jure Obſtagii.
De Injuriis & famoſis libellis.

* *Ex Academiâ Hafnienſi, repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1629.

BARTOLOMÆUS REUSNERUS.

URatislaviæ, *Sileſiorum* metropoli, ex perantiquâ gente Viris doctiſſimis clariſſimâ 28. Martii An. gratiæ 1565. natus: Avum paternum habuit *Bartolomæum*; proavum *Nicolaum*, abavum *Jacobum*, atavum *Simonem*, omnes antiquæ virtutis & fidei Viros, quique ampliſſima prædia in agro *Leorino* (hinc enim oriunda *Reusnerorum* gens eſt) jam olim poſſederunt.

Familia ejus.

Pater *Bartolomæus Reusnerus*, Med. D. primùm *Uratislaviæ*, poſteà *Zittaviæ* poliatrum egit, Vir non in arte Medicâ tantùm, ſed Theologiâ etiam & Philoſophiâ eximiæ doctrinæ, quod Scripta, quæ edidit, teſtantur.

Pater Medicinæ D.

Mater *Catharina Uthmannia*, ex ſtirpe Patritiâ fuit orta.

Cum in Ludo literario *Zittavienſi* artes, quibus prima ætas imbui ſolet, mirâ docilitate ingenii arripuiſſet, Patrui *Chriſtophori Reusneri*, J.C. & Syndici *Leobergenſis* exemplo inſtigatus, 16. annorum adoleſcens Jurisprudentiæ diſcendæ causâ *Argentoratum* abiit,

Argentorati Jurisprudentiæ operam dat.

abiit, commendatus literis Affinis ſui Dn. *Iſraëlis Reichelii*, in *Uratislavienſi* Republicâ Senatoris, & ſtatim in contubernium agnati ſui *Nicolai Reusneri*, J. C. & Comitis Palatini, qui eo tempore Jurisprudentiam ibi docebat, ſe dedit. Hoc duce Jurisprudentiæ doctrinam ſtudioſè perdidicit.

A. 1588. cum D. *Nic. Reusnerus*, J.C. ab Illuſtriſſimis *Saxoniæ* Ducibus ad inſtaurandam Academiam *Jenenſem* evocaretur, eum ſequi officii ſui, & è re ſtudiorum ſuorum fore exiſtimavit.

Doctor Juris Jenæ. Quocircà cum per triennium ibi commoratus quà diſputando quà declamando & docendo ſe ipſum & alios bonæ notæ adoleſcentes exercuiſſet, ſummo doctrinæ gradu eſt inſignitus Menſ. Dec. A. 1591.

Juris Profeſſor Witteberga. A. 1594. *Wittenbergam* à Senatu Academico vocatus, ut Inſtitutiones *Juſtinianéas* doceret & explicaret, eo munere cum laude functus, ſequentibus annis ad altiora ſubindè conſcendit, donec tandem an. 1597. *Johanne Zangero*, Collegii Juridici Seniore, & paucis poſt ſeptimanis *Ludovico Perſonio*, Profeſſore Codicis, qui in *Zangeri* locum ſubrogandus erat, mortuis, Profeſſor Decretalium deſignaretur. Has ſumi muneris partes cum 16. annis magnâ cum fide adminiſtrâſſet, noviſſimus honor acceſſit, cum A. 1614. in Supremo Appellationum Judicio, quod *Dresdæ* eſt, à Sereniſſimo Electore aſſidere juberetur. *Aſſeſſor Judicii Appellationum Dresdæ.*

Academiæ faſces Rector ter geſſit, Decanatum ſæpius, Viſitationi Eccleſiarum in Electoratu Principis nomine cum aliis, quibus id datum negotii, ſemel interfuit.

Theologus inſignis. Præter inſignem Juris univerſi ſcientiam, Theologiam ita doctus erat, ut alius vix magis, qui in eo ſtudiorum genere totus eſſet, in quo multum adjuvabatur, quod *Græcæ* & *Hebrææ* linguarum peritiſſimus eſſet. Præter has Linguas *Italicam* quoque *Mathemat.* & *Gallicam* ſuo ſibi Marte didicerat. Aſtronomiam etiam, Geometriam & Geographiam ita callebat, ut nemini notior ſua domus, quàm huic univerſus terrarum orbis eſſet.

Muſicæ & Poëſeos amator. Sed Muſicâ imprimis delectatus fuit, qui ut ſelectiſſimarum Cantionum, & organorum variorum copiam ſibi compararet, magnos ſæpè ſumtûs fecit. Amavit & Poëſin, ejusque à primis annis ſtudioſus fuit. Sed præter Muſas Flora quoque, hoc eſt, hortorum & ruris amœnitas ipſius animum delinierat, rati, nunquàm ſe magis vivere, quàm ubi in villâ ſuâ ſuburbanâ & horto, aut ſubter arborum, quas ipſe plantaverat, umbraculis obambularet.

Conjugium ejus duplex. Uxores duas habuit *Dorotheam*, *Johannis Zangeri*, J. C. & Profeſſoris Publici filiam, quam Menſ. Nov. A. 1601. domum duxit: & *Dorotheam Brackeliam*, Patre *Livono*, Equeſtris dignitatis viro natam, quam prius Conjugem *Johannes Schreiterus*, Regis *Daniæ* Piſcatuum Præfectus habuerat, ex quo nihil liberorum tulit. Prior ſeptenâ prole Patrem reddidit, de quâ mortuo ſuperfuerunt præter filium *Johannem Bartolomeum*, omnium natu minimum, *Maria Magdalena*, Ampliſſimi *Georgii Schultzii*, J. U. D. Conjunx, & virgo *Anna Dorothea*: cæteros in primâ ætate mors extinxit.

Sub vitæ finem catarrhis Apoplecticis ſæpius infeſtatus generum D. D. *Georgium Schultzium* adjungere, qui ſuam vicem in exponendo Jure publico præſtaret, neceſſe habuit. Sed anno vitæ poſtremo domi ſe penitus continere, & ab omni negotiorum adminiſtratione abſtinere coactus, aſſiduâ mortis meditatione animum exercuit. Leniſſimâ tandem morte, quam ejus merebatur pietas, deceſſit, cum annos 64. confeciſſet, d. 16. Nov. A. C. 1629. *Placidè moritur.*

BARTOLOMÆUS REUSNER.
per Anagramma:
En verus amor eſt labor.

Epitaphium Wittenbergæ in Templo *Franciſcanorum* ſupra Tabulam in pariete erectam:

Epitaphium.

NON MORIAR, SED VIVAM, ET NARRABO OPERA DOMINI PSAL. CXVIII.

BARTOLOMÆUS REUSNERUS URATISLAVIENSIS SILESIUS, U. J. D. ET PROFESSOR EMERITUS, JURIDICÆ FACULTATIS ORDINARIUS, ET VICEDECANUS PERPETUUS, AC IN ACADEMIA SENIOR, SERENISS. PRÆTEREA SAXONIÆ ELECTORIS CONSILIARIUS, CURIÆ PROVINCIALIS ET DICASTERII, NEC NON CONSISTORII ECCLESIASTICI HIC WITEBERGÆ, ET SUPREMI JUDICII APPELLATIONUM ASSESSOR DRESDÆ, CUM CARO ET SANGUIS REGNUM DEI HÆREDITARE NEQUEANT, QUICQUID SUI MORTALE IN PULVEREM NECESSARIO REDIGENDUM POSSEDIT, PROPTER FACILEM IN SYMBOLIZANTIBUS TRANSITUM, SUBJECTÆ TERRÆ L. MQUE CONSECRAVIT. IPSE TERRESTRIS HUJUS DOMUS SUÆ TABERNACULO, JUXTA VOTUM TUMULO INSCRIPTUM, DISSOLUTO NUNC ABSENS E CORPORE, ADEST APUD CHRISTUM, CUJUS VIVIFICÆ CARNIS ET SANGUINIS, MEDIANTE PANE ET VINO, VESCENDI MODO SUPRA OMNEM MODUM, VERE ET REALITER PARTICEPS FACTUS ADHUC IN CORPORE, SCIT, SE TEMPORE RESTAURATIONIS OMNIUM ÆDIFICIUM EX DEO HABITURUM, DOMICILIUM NON MANU FACTUM, ÆTERNUM IN COELIS, QUO SUPERINDUI DESIDERAT. II. COR. V. JOH. VI. QUI EDIT CARNEM MEAM ET BIBIT MEUM SANGUINEM, HABET VITAM ÆTERNAM: ET EGO SUSCITABO IPSUM IN NOVISSIMO DIE. CARO ENIM MEA VERE EST CIBUS, ET SANGUIS MEUS VERE EST POTUS. QUI EDIT MEAM CARNEM, ET BIBIT MEUM SANGUINEM, IN ME MANET, ET EGO IN ILLO.

Chriſti {Fleiſch / Blut} iſt warhafftig {ſeine Speiſe / ein Tranck}

In tu-

In tumuli Saxo:

CUPIO DISSOLVI ET ESSE CUM CHRISTO,
OBIIT ANNO CHRISTI MDCXXIX.
MENS. NOVEMBR. D. XVI. ÆTATIS
ANNO LXIV. PROFESSIONIS XXXV.
SIT IN PACE MEMORIA EJUS B. R. D.
ANNO CHRISTI MDCXXVII. ÆTATIS LXIII. FACTUM.

* *Ex Programm. Fun. Aug. Buchneri & aliis.*

Scripta. Scripta ab eo relicta:

Oratio cum Illuſtriſs. Princeps D. Auguſtus, Saxoniæ Dux, Rector Academiæ Wittenbergenſis renuntiaretur. in 4to.

De Obligationibus ex die, vel ad diem contractis. in 4to.

Diſcurſus Philoſophicus contra Novatores & abuſores Legum Corruptores. in 4to.

Commentar. in 7. Leges difficillimas. in 4to.

Diſputationes de Monetâ: de mutuâ Conjugum Succeſſione: de exemtione Clericor. quoad perſonas eorum: de Foro competente: de recuſatione Judicis ſuſpecti: de actis Judiciorum ritè conſcribendis: de Tranſactionibus, modo acquirendi Dominii naturali & frequenti: de Hæreditatibus ab inteſtato: ex L. rem majoris pretii II. c. de reſcind. venditione.

Obiit A.C. 1629.

LUDOVICUS VIGNATUS.

LAudenſis Italus, ortus ex nobili & Virorum illuſtrium fertili familiâ, cum in patriâ Leges Civiles & Canonicas excoluiſſet, in Curiâ *Romanâ* 36. circiter annis Advocatum primarium egit, cujus Rota *Romana* in Deciſionibus, præſertim 759. cum encomio ſingulari mentionem facit. *Advocatus Curiæ Romanæ.*

Bononiæ cum munere Auditoris generalis inſerviit *Maffeo Barberino*, Cardinali Legato, poſteà Summo Pontifici nomine *Urbani VIII.* ſub cujus protectione felicem vitam duxit. Ibidem Cauſarum Civilium Judex, Victualiorum Præfectus, & Reipublicæ Conſiliarius intimus fuit. *Bononiæ Auditor generalis. Cauſarum Civilium Judex.*

Præter Legum cognitionem Orator etiam fuit inſignis, quem Reges *Hiſpaniarum Philippus III.* & *IV.* Duces *Florentiæ, Urbini, Parmæ* & Urbes *Italiæ* multæ Advocatum ſibi elegerunt.

Mediolani tandem Tribunalis Aſſeſſor ad vitam abiit meliorem 20. Nov. A. C. 1629. ætat. 70. Sepulto ad S. *Chriſtophorum* Patrum *Olevitanorum* hoc factum eſt Epitaphium: *Tribunalis Aſſeſſor Mediolani. Epitaphium.*

D. O. M.
LUDOVICO VIGNATO,
PATRITIO ANTIQUO GENERE CLARO ET EX
INGENUO CULTU VIRTUTIS ATQUE DOCTRINÆ PRINCIPIBUS VIRIS AC PRIMARIIS
ITALIÆ URBIBUS VALDE CHARO,
SUPRA OMNES JURISPRUDENTIÆ FAMA ET
INSIGNI ELOQUENTIA IN ROMANA
CURIA CELEBERRIMO,
REGUM CATH. HISP. PHILIPPI III. ET IV.
MAXIMORUMQUE HETRURIÆ, URBINI AC
PARMÆ DUCUM, ADEOQUE MULTARUM
CIVITATUM ET PROVINCIARUM
ADVOCATO INTEGERRIMO,
A SACRÆ ROTÆ AUDITORIO GRAVISSIMIS
IN DECISIONIBUS EGREGIIS VULGATISQUE
MONUMENTIS DECORATO,
URBANI VIII. PONTIF. MAX.
IN BONONIENSI LEGATIONE GENERALI
AUDITORI,
CIVILIUM CAUSARUM JUDICI, ANNONÆ
PRÆFECTO, INTIMOQUE IN EA REP.
ADMINISTRANDA CONSILIARIO,
IN MEDIOLANENSI DENIQUE PROVINCIA
MAGNI NOMINIS SPECTATÆQUE AUCTORITATIS REGIO DUCALI SENATORI,
VIRO INNOCENTIA VITÆ, SUAVITATE MORUM, MAGNITUDINE ANIMI, TUM RERUM
GERENDARUM DEXTERITATE USQUEQUAQUE
ADMIRABILI, QUI TOT HONORUM AC DIGNITATUM LAUDIBUS EXACTIS SINGULARE
TERRIS EXEMPLAR INTEGRITATIS RELIQUIT,
SIBIQUE AC POSTERIS ÆTERNUM VIRTUTIS
DECUS COMPARAVIT.
IACINTHUS VIGNATUS J. C. COLLEG. ET
DECURIO PATRUO DE FAMILIA AC DE SE
OPT. MER. HÆRES P. C.
OBIIT DIE XX. NOVEMB. MDCXXIX.
ANNOS NATUS LXX. MENS. IX.
DIES XXVIII.

Scripſit *tres Diſcurſus, Conſiliis Horatii Jovamonis*, J. C. *Bonon.* inſertos. *Scripta.*

Legatum Dotis, an in Caſu Religionis celi poſſit aliis quàm Monaſterio, &c.

An & quomodo Legatum uſusfructûs convertatur in proprietatem, & ſimiliter quando proprietas relicta dicatur.

Legatum quando dicatur temporale, & quando temporale reddatur perpetuum, præſertim quando heres prædecedit.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Clar. A. C. 1630.

NICOLAUS [illegible]RGUNDUS.

EStirpe *Burgundicâ*, à *Johanne Baſtardo* trahens originem, Patrem habuit *Nicolaum, Franciæ* Regi à Conſiliis, & à Quæſturâ in territorio *Angienſi*, ubi natus eſt A. C. 1586. in feſto *Michaëlis*.

Gerardo Corſelio & *Erycio Puteano* in diſciplinam traditus adoleſcens, ab altero eorum Rudimenta Juriſprudentiæ, ab altero Literarum arcana accepit. His armis inſtructus, *Gandavum* ad forum ſe contulit, optimis quibusque acceptus, & imprimis *Maxæmyliano Vrientio*, cujus funus Oratione proſecutus eſt. A. 1627. evocatus eſt magno honorario in Academiam *Ingolſtadienſem*, ad primariam Juris lectionem à *Bavariæ* Duce *Maximiliano*. *Juriſconſultus, & Advocatus Gandavi. Juris Profeſſor Ingolſtadii.*

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia: *Scripta.*

Tractatus Controverſiarum ad Conſuetudines Flandriæ.

Poëmata, in quibus Elogia, Sylva & Heroicorum lib.

Oratio de gradibus ad Eloquentiam Lovanii dicta.

Hiſtoria Belgica.

De Evi-

Digitized by Google


IOHANNES HUNINGA
Juris Prof. Groningensis.
IOH GERH FRAUENBURGI'
Consil. Norib. et Prof. Altorf.
LEONHARD' OTTHOBON'
Cancellarius Venetus
IOH CHRISTOP' ÖLHAFI'
IOH BAPT AGUCCHIUS
SIMON CONTARENUS
Curat Gymnasii Patavini
GEORGI' VOLCAMER'
ANTONIUS QUERENGUS
HENRIC' NEVENHANUS
Consiliarius Schwarzenburg
ORTOLPH' FOMANNUS.
Juris Prof. Jenensis.
HERMAN' VULTEJUS.
IULIUS PACIUS
Jurisconsul. Valent.
IOH BONIFA RHODIGINUS
Jurisconsult' Patavinus
CLAUDIUS EXPILLIUS
Delphinat. Curiae Praeses.
CASPAR' BITSCHI'
ANTONI' MATTHÆUS

De Evictionibus, & de Periculis & Culpis in Contractibus.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Clar. A.C. 1630.

CORNELIUS MYLIUS.

VAn der Myle vocatus, *Hagæ* Comitum natus eſt A. C. 1579. Patre *Adriano*, Curiæ *Hollandiæ* Præſide. *Lugduni* literis humanioribus imbutus, indè in *Galliam, Italiam, Germaniam*, cœteraſque Academias *Europæ* ſe contulit. In iis nihil æquè ac viros eruditos coluit.

JoſephoScaligero charus. Itinere confecto, *Lugduni Joſephum Scaligerum* invenit, cujus animum primo ſtatim intuitu expugnavit, quod heros ille legato poſteà honorifico teſtatus eſt.

Curator Academiæ Leydenſis. An. 1606. Curator Academiæ *Lugduno-Batavæ* factus, abindè ſemel ad *Venetos*, bis ad *Ludovicum XIII. Galliæ* Regem, & Reginam matrem, & bis ad Regem *Henricum IV.* Legatione publicâ functus eſt.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

Clar. A.C. 1630.

JOHANNES HUNINGA.

NAtus in agro *Gröningano*, mox in primâ Academiæ *Gröningenſis*, A. 1614. inſtitutione inter primos 6. Profeſſores introductus Philoſophiæ Moralis ordinariam, & Inſtitutionum Juris Profeſſionem extraordinariam, nec non Secretariatum nactus, & Rector Academiæ Menſ. Aug. A. 1619. mox Menſ. Febr. A. 1620. creatus Urbis Senator, Academiæque Curator, abdicavit ſe Recturâ & Profeſſione, & reliquam vitam in Republicâ exegit, ad Conſularem dignitatem evectus.

Fit Profeſſor Ethicæ & Juris. Senator Gröningæ.

* *Ex vitis Profeſſorum Gröningentium.*

ObiitA.C. 1630.

JOHANNES BAPTISTA LAMBERTINUS.

ÆGidii filius *Antverpienſis*, ex illuſtri Senatoriâ *Lambertinorum Bononienſium* familiâ oriundus, *Bernardini* Equitis abnepos.

A teneris annis ſtudiis & antiquarum Hiſtoriarum inquiſitioni deditus, *Cortraci* literis humanioribus vacavit: poſtmodùm *Lovanii* Philoſophiæ & Juri aliquot annos. Is perluſtratâ *Galliâ*, in *Italiam* ſe contulit, Urbis *Romæ* viſendæ causâ, in quâ annum conſumpſit, poſteà ad cœteras *Italiæ* partes profectus, *Bononiæ* ſecundæ quaſi Patriæ quietis causâ manſit, in eâdem Doctoratûs in utroque Jure adeptus eſt Gradum.

Lovanii Juris ſtudioſus. Juris Doctor Bononiæ.

Pòſt triremibus *Ferdinandi Magni Hetruriæ* Ducis vectus, contra *Turcam* per mare inferum navigans ad inſulam *Melitenſem*, indè per ſinum *Corinthiacum* ad *Peloponneſum* devenit.

Itinera ejus maritima, & terreſtria.

In *Italiam* reverſus, per *Germaniam* in *Belgium* rediit, in quo biennio expleto *Hiſpaniam* petiit, quâ totâ ad *Herculis* usque Columnas viſâ iterum patriam cogitavit. Juſſu deindè Sereniſſimi Archiducis *Alberti* & *Iſabellæ* ſummus civitatis & territorii *Halenſis* Prætor factus eſt. Rurſus Jubilæi causâ *Romam* profectus An. 1625. atque indè in *Belgium* reverſus, ſpartam ſuam adornavit, ſub Regis *Philippi IV.* tutelâ vivens.

Prætor Halenſis.

Edidit:

Scripta.

Theatrum Regium, ſive Regum Hiſpaniæ ſeriem, & compendioſam Narrationem variarum hiſtoriarum illius regni ad hæc uſque tempora.

Ex *Italico* in *Latinum* convertit vitam B. *Imeldæ Lambertinæ*, Nob. *Bononienſis*.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

PETRUS ANTONIUS LAZARUS.

ObiitA.C. 1630.

TIcini natus, Philoſophus fuit & Theologus eximius, Protonotarius Apoſtolicus, & Eques *Lateranenſis*, Protector Equitum *Hieroſolymitanorum*. Tandemque Præpoſitus S. *Mariæ Gualteriæ* in patriâ factus eſt.

Protonotarius Apoſtolicus, Theologus & Jurisconſultus.

Lentâ febre tandem oppreſſus, cum Medicorum ſuaſu aëris mutandi gratiâ tranſiiſſet *Alexandriam*, ibi morbo exeſcente, & calore nativo ſenſim deficiente ſpiritum emiſit 24. Sept. A. C. 1630. æt. 58. Sepulchro ejus hoc Epitaphium, petente fratre ejus *Franciſco Lazaro*, Monaſterii Guardiano, inſcriptum compoſuit:

Moritur.

D. O. M.

PIETRO ANTONIO LAZZARO PATRITIO PAPIENSI PROTONOT. APOSTOLICO, EQUITI LATERANENSI, ET SANCTÆ MARIÆ GUALT. PAPIEN. PRÆPOSITO, PHIL. SAC. THEOL. DOCTORI CELEBERRIMO, PONTIFICII ET CÆSAREI JURIS CONSULTISS. LIBRIS EDITIS ILLUSTRI, QUI EXIMIA IN DEUM PIETATE, BONIS OMNIBUS IN PAUPERES RELICTIS, DEMISSUS COELO, REDDITUS COELO, NON OBIIT SED ABIIT. OCT. CAL. OCT. ANNO clɔ Iɔ CXXX. ÆT. ANNO LVIII.

Epitaphium.

INSCRIPTIO ABBATIS HIERONYMI GHILINI.

Typis ab eo emiſſa ſcripta ſunt ſequentia:

Scripta.

Summa, ſive Compendium omnium Operum D. Martini ab Azpilcueta Navarri, jam per R. D. Jacobum Caſtellanum Tarviſinum collectum, nunc verò reformatum, & à mendis, quibus ſcatebat, purgatum, multiſq; in locis emendatum, ac perutilibus adjectionibus auctum.

Canonicarum Quæſtionum in foro practicabilium Sectio unica.

L' Orologio della Paſſione di Chriſto.

De Blaſphemiâ.

De Monitoriis.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

JOHANNES GERHARDUS FRAUENBURGIUS.

ObiitA.C. 1630.

NAtus eſt *Norimbergæ* 17. Nov. An. C. 1589. Patre *Gerhardo*, Cive & Senatui numeroſiori adſcripto, Matre *Catharinâ Hermanniana*.

Adoleſcens *Altorfii* ſtipendium nactus, ibi ſtudiorum fundamenta poſuit. A. 1617. *Baſileæ* Jurium Doctor renuntiatus eſt.

Stipendiarius Altorfii. Juris Doctor Baſileæ.

Tttttt 20. April.

Profeſſor Juris Altorfii. *Nubit bis.* 20. April. A. 1618. Poſtquàm in Academiâ *Altorfinâ* extraordinariam Juris Profeſſionem ſortitus eſſet, nuptias ibidem celebravit cum virgine *Mariâ Catharinâ*, M. *Georgii Pulmarii*, Profeſſoris Claſſici, & Notarii Cæſarei filiâ, ex quâ duos filios cum filiâ ſuſcepit, alterumque ex filiis præmaturo obitu amiſſum in cœleſtem patriam præmiſit. An. 1621. Juris Profeſſor in Academiâ Ordinarius & Reipublicæ *Norimberg.* Conſiliarius factus eſt. *Conſiliarius Norimbergenſis.*

16. Febr. A. 1624. Uxore priore defunctâ *Norimbergæ* cum alterâ deſponſatus eſt, virgine *Suſannâ*, *Stephani Geigeri*, Civis & Mercatoris filiâ, ex quâ itidem duos filios unamque filiam matrimonii fructûs vidit, viſurus è gravidâ conjuge quartam prolem, ſi DEUS vitam longiorem ei conceſſiſſet. Decanatum bis, Rectoratum Academiæ ſemel geſſit.

Cum à biennio ſæpiùs paroxyſmis hypochondriacis afflictus fuiſſet, in ipſo tandem Decanatûs officio repentinâ morte obiit 29. Octob. A.C. 1630. æt. 42. *Repentè moritur.*

* *Ex Oratione funebri Hectoris Pömeri, Patritii Norimbergenſis.*

* * *

Filius ejus ex *Suſannâ Geygeriâ* natu major *Johannes Carolus Frauenburgius* in patriâ Juridicis ſtudiis addictus, & demùm Doctorandus Comit. *Rheni* & Sylvarum Conſiliarius ac Præfectus *Grumbacenſis* evaſit.

Alter filius, *Georgius Chriſtophorus*, in Adoleſcentiâ mente captus, & in ædibus parentum incluſus, miſerè vitam duxit.

Mater vidua 5. Aug. A. C. 1635. *Norimbergæ* iterum nupſit Nobili viro Domino *Johanni Chriſtophoro Dietherro*, Patritio *Norimbergenſi*, & Capitaneo per multos annos, Viro antiquâ virtute & fide.

Hæc obiit *Altorfii* nullâ relictâ prole 29. Jan. An. C. 1665. eamque maritus ex apoplexiâ cum paralyſi lateris dextri triduò tantùm decumbens ſecutus eſt 3. Nov. An. C. 1669. æt. 73.

* *Ex Concione funebri Dn. Johanni Chriſtoph. Dietherro habitâ à D.D. Johanne Weinmanno, Theologiæ Doctore, & Profeſſore Altorfino.*

LEONHARDUS OTTOBONUS.

Obiit A.C. 1630.

Jacobo parente progenitus.

Legatus Venetus ad Concilium Tridentinum. Juvenis cum ſtudiis Philoſophiæ & Linguarum Theologiam junxiſſet, Oratoribus *Venetis* ad Concilium *Tridentinum* junctus eſt. Ibi omnes Concilii Actiones ſuâ manu in Diarium redegit.

Charus Imperatori Carolo V. & Philippo II. Regi Hiſpaniarum. In *Germaniâ* variis pro Republicâ patriæ negotiis obeundis ita ſe geſſit, ut *Carolus V. Imperator* ejus facundiâ allectus, ipſum cognomine ſuis dotibus reſpondere dixerit. *Philippo* etiam *II.* Regi *Hiſpaniæ* gratus, cum in eâ regione diutiùs vixiſſet, quicquid memoriâ dignum è monumentis & Inſcriptionibus in unum Volumen congeſſit, quod poſteri ejus aſſervant. *Antiquarius.*

In patriam ex *Hiſpaniâ* reverſus, ſtatim Reipublicæ causâ ad *Ferrariæ* Ducem ablegatus eſt, ut natam de limitibus controverſiam dirimeret. Intereà fide ejus perſpectâ abſens à Secretis Decemvirûm electus eſt, quod munus annos 20. cum laude exercuit. *Legatus ad Ducem Ferrariæ.* *Secretarius Decemvirûm.*

An. 1610. Defuncto *Bonifacio Anſelmio* ſubrogatus, & Reipublicæ *Venetæ* ſummus Cancellarius proclamatus eſt. *Cancellarius Venetus.*

Octogenarius vitâ exceſſit 13. Nov. An. C. 1630.

Senex jam octogenarius primus ſemper in Senatu comparuit, & poſtremus diſceſſit: illud quotidianis ſermonibus iterans, bonos cives laboribus pro patriâ ſuſceptis nunquam fatigari.

Funere magnifico ad D. *Antonii* ædem delatus eſt, ſub cujus ſtatuâ ex candido marmore hæc inſcriptio viſitur: *Epitaphium.*

LEONARDO OTTHOBONO
PIETATE INSIGNI, FACILITATE AMABILI, IN PATRIAM FIDE SPECTATO, LONGA MAJORIS CANCELLARII PRÆFECTURA CUNCTIS PARTIBUS BONI CIVIS EGREGIE FUNCTO, SENIOQUE VERIUS QUAM MORBO CONFECTO.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

MAURITIUS RITTERUS.

Obiit A.C. 1630.

F*Ranckenhuſæ* natus 11. Jan. A. C. 1584. Patrem habuit *Martinum Ritterum*, ejus oppidi Conſulem: *Urſulam Hauptiam*, *Northuſianam.*

A. 1598. in ſcholam *Roslebienſem* à parentibus miſſus, triennii ſpatio tantos fecit in ſtudiis Philoſophicis profectûs, ut A. 1601. Univerſitatem *Jenenſem* accedendi dignus haberetur, in quâ Jurisprudentiæ ſtudiis operam dedit, & A. 1606. in patriam reverſus, Praxin exercuit, & ſummo cum honore multis Nobilibus patrocinatus Advocatum egit. *Juris ſtudioſus Jenæ.* *Advocatus Franckenhuſæ.*

A. 1613. In patriâ matrimonii fœdus contraxit cum virgine *Annâ*, *Danielis Lindemanni*, Pharmacopœi filiâ, quæ filium ei peperit, & A. 1616. mortem oppetiit. *Bis deſponſatus.*

An. 1622. Iterum ſponſalia celebravit cum *Julianâ Eulenbeckia*, *Caroli Starckii*, Juris Doctoris *Budiſſini* relictâ viduâ, quam ſine liberis reliquit ſuperſtitem.

Ex itinere tandem æger domum reverſus, catarrho ſuffocativo ſubitò correptus, paucis elapſis horis exſpiravit 26. Nov. An. C. 1630. ætatis 46. *Moritur ex catarrho ſuffocativo.*

MAURITIUS RITTER,
per anagramma:
Rite miratur te Jus.

* *Ex Concione funebri Johannis Rothmaleri, Superintendentis Francohuſani.*

LAZARUS COLERUS.

Obiit A.C. 1631.

O*Schazii* in *Miſniâ* natus. *Wittenbergæ* Doctor Juris creatus 23. Octob. A. 1567.

Exindè

Juris Profeſſor Jenæ. Exindè *Jenam* profectus, cooptatus eſt inter Aſſeſſores tum Curiæ Provincialis 16. Aug. An. 1568. tum Facultatis Juridicæ 8. Julii An. 1569. Utramque ſpartam ornavit *Conſiliarius Vinarienſis.* usque ad A. 1572. quo *Jenâ Vinariam* abiit, factus Conſiliarius *Johannis Guilielmi I.* Ducis *Saxoniæ*.

Syndicus Magdeburgenſis. Hoc Duce mortuo, *Magdeburgum* ſe contulit, Reipublicæ Syndicus conſtitutus, ubi Urbe miſerum in modum homicidiis & incendiis à *Tillio* & *Pappenhemio*, Cæſareis Ducibus, devaſtatâ, *Miſerè periit.* miſerè periit Menſ. Majo A.C. 1631.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc eum *Epigrammate* honoravit:

Epigramma.

Lazarus in celebri meritos Colerus honores
Leucoreâ, Themidis lege jubente, tulit.
Poſteà Salanus Profeſſor tendit in oras,
Et Magdeburgi mortis adivit iter.

Obiit A.C. 1631.

JOHANNES CHRISTOPHORUS OELHAFIUS.

EX Patritiâ familiâ natus *Norimbergæ* A. 1574. Patrem habuit *Johannem Oelhafium*, Scabinum in Dicaſterio patrio: Matrem *Chriſtophori Harſtörferi* filiam. Fratres habuit 4. *Maximilianum*, militiæ deditum, *Eliam*, Dicaſterii Scabinum, *Paulum*, & *Gabrielem*, Eleemoſynarum Præfectum.

Sixti Oelhafii, Conſiliarii Cæſarei nepos. Avus ejus *Sixtus Oelhafius*, trium Imperatorum *Friderici* III. *Maximiliani I.* & *Caroli V.* Conſiliarius domeſticus, & ad Status Imperii ſæpius Legatus, cum An. C. 1501. ſponſalia celebrâſſet cum virgine *Anna*, *Sigfridi Pfintzingii* filiâ, à *Bertolto Moguntino* & *Hermanno Colonienſi* Electoribus, comitante toto Imperii Conſilio in Templum ad Altare deductus, & muneribus nuptialibus 6000. Philippicorum pretium excedentibus donatus eſt.

A.C. 1586. æt. 12. In Academiam *Altorfinam* miſſus, quinquennium ibi in ſtudiis humanioribus exegit. Deindè cum ad Jurisprudentiæ ſtudium animum adjeciſſet, *Argentorati & Marpurgi Juris ſtudia incipit.* *Argentoratum* diſceſſit, & poſteà *Marpurgum* ſe contulit, ubi ſub *Hieronymi Treutleri*, J.C. præſidio Pandectarum opus diſputando abſolvit, & Fidejuſſorum materiam abſque præſidio defendit.

Peregrinationes ejus. A. 1593. Peregrinationem in *Belgium* inſtituit, & cum eo anno *Lugduni Batavorum* commoratus eſſet, anno ſeq. 1594. vicinas regiones *Belgicas* peragravit, *Franeckeræ* & *Lovanii* Univerſitatibus aliquantum ſubſiſtens.

Poſteà in *Angliam* profectus, & A. 1595. in *Belgium* reverſus, *Italiam* petiit, & in Academiâ *Bononienſi* biennium tranſigens, ibi Conſiliarii & Præſidis Nationis *Germanicæ* munere cum honore functus eſt. *Præſes & Conſiliarius Nationis Germanicæ Bononiæ.*

Senior Nationis Germanicæ Aureliæ. A. 1597. *Galliam* ingreſſus, *Aureliam* ſtudiorum ſedem ſibi elegit, ubi in Seniorem Nationis *Germanicæ* electus, ut huic Nationi *Angli* cum *Scotis* incorporarentur effecit.

Indè in Academiam *Andegavenſem* delatus, ibi Licentiati in Jure Gradum promotore *Libergio* conſecutus eſt. *Licentiatus Juris Andegavi.*

Demùm *Hiſpaniâ* menſium aliquot ſpatio perluſtratâ, cum in Academiam *Monſpelienſem* redux veniſſet, & ibi valetudinis dubiæ causâ venam in brachio dextro aperiri curâſſet, Chirurgus infelici ſcalpelli ictu non venam tantùm perrupit, ſed & nervum adjacentem præſcidit.

Ignarus autem *Oelhafius* tanti periculi cum altero die horreret, in emittendo ſanguine ex altero brachio ejusdem Chirurgi operâ uſus eſt.

Sequentibus porrò diebus brachium læſum inflammari, & die ſeptimo in gangrænam converti cœpit. *Gangrænâ in brachio poſt infelicem venæſectionem correptus.*

Quare totum Collegium Medicum *Monſpelienſe*, cum ſuper eo caſu diu conſultâſſet, enuntiavit tandem: *Vel brachium dextrum amputandum, vel venam cum amortizatione totius brachii diſſecandam, vel vitæ jacturam faciendam.*

Cum *Oelhafius* magno animo poſtremum elegit, ſubjungens: *In Germaniâ ſibi vitæ ſubſidia vel calamo vel gladio paranda eſſe, cum autem ad utrumvis brachio opus habeat, malle ſe cum brachio vitam amittere, quàm ſine brachio eandem miſerè & otioſè producere.*

Poſtero die Medicorum illius loci Princeps *Johannes Hucherius* illum jam conclamatum accedens, ex *Ambroſio Paræo*, Chirurgo, ſignificavit, Regem *Carolum IX.* ſimili caſu perculſum priſtinam ſanitatem recuperâſſe, promiſitque, ſe omne artis periculum facturum, modò ipſe ſe dubio artis eventui committere, & cum ad dolorum obdurationem tum ſumptuum erogationem paratus eſſe velit. *A D. Johanne Hucherio curatur.*

Tum *Oelhafio* annuente in brachio affecto, novaculâ novum vulnus cruciatim incidit, & fruticulâ quâdam vulneri insertâ, eoque colligato, paucis diebus effecit, ut vena perforata & nervus abſciſſus conſpicerentur: tum oleo fervido locum illum ſæpè perfudit, eoque ipſo tantum dolorem patienti conciliavit, ut denuò in mortis viciniâ ageret: tandem verò, doloribus remiſſis, ligaturâ apertâ apparuit, quomodo nervus præſciſſus beneficio olei infuſi conglutinatus fuerit. Eâ ratione vulnere ſanato in integrum reſtitutus eſt.

A. 1599. Ad Patrios lares reverſus, ſtatim inter Reipublicæ *Norimbergenſis* Conſiliarios cooptatus, antequam officium id aggrederetur, per annum *Spiræ* praxeos diſcendæ gratiâ commoratus, tum *Baſileæ* Decano D. *Johanne Gathio* Doctoris titulum ſolenniter adeptus eſt. *Juris Doctor Baſileæ.*

A. 1601. Domum reverſus, Conſiliarii munus adiit, quo durante, ultra 50. Legationes Reipublicæ ſuæ nomine obivit. *Conſiliarius Norimbergenſis.*

Ab Imperatore *Matthiâ* Comitis *Palatini* privilegiis inſignitus eſt, & à *Ferdinando II.* inter Conſiliarios adſcitus, ut etiam ab Electore *Saxoniæ* Marchione *Brandenburgico*, Ordinis Teutonici Magiſtro, Comitibus *Comes Palatinus.*

Mansfeldicis & *Schwartzenburgicis*, Baronibusque de *Pappenheim* & *Wolffstein*.

Procancellarius Altorfenſis.

An. 1626. Academiæ *Altorfinæ* Procancellarius poſt mortem D. *Georgii Remi* factus eſt.

Conjugium ejus duplex, & Liberi.

Uxores duas habuit, quarum prior *Anna Maria, Lazari Harſtorferi*, Senatoris filia 6. ipſi filios & 7. filias peperit; ex quibus filios ſuperſtites reliquit *Chriſtophorum*, *Johannem Jacobum*, *Johannem Chriſtophorum*, & *Wolffgangum Hieronymum*, filias verò duas, *Reginam*, & *Sibyllam Veronicam*. Ex alterâ *Catharinâ, Pauli Pfintzingii*, Senatoris filiâ, 10. Martii An. 1629. ſibi deſponſatâ filium reliquit *Johannem Paulum*.

Menſ. Nov. & Dec. A. 1629. Conventui Correſpondentium propter *Fridericum*, Regem *Bohemiæ*, *Norimbergæ* habito, ipſe Reipublicæ patriæ nomine unà cum *Andreâ im Hoff*, Senatore, interfuit, in Cœnobio *Auguſtiniano*, ipſo quoque Rege *Friderico* præſente.

Moritur phthiſi.

Phthiſi tandem conſumptus incurabili, vitâ defunctus eſt *Norimbergæ* 12. die Maji A. C. 1631. ætatis 57.

Scriptum.

Edidit *Diſcurſum Hiſtorico-Politico-Juridicum de ſenſu Q. Mutii Scævolæ dicti: Turpe eſt Patritio & Nobili Viro cauſas oranti Jus, in quo verſatur, ignorare.* in 4to.

* *Ex Oratione funebri Altorfii habitâ à D. Tobiâ Oelhafio, J. C.*

Obiit A. C. 1631.

JOHANNES BLUMIUS.

WIttenbergæ natus eſt 9. Julii A. C. 1599. Patrem ſortitus *Michaëlem*, Reipublicæ oppidanæ Camerarium & Mercatorem primarium: Matrem *Margaretam*, ex celebri apud *Lipſienſes Steinmetziorum* familiâ oriundam, *Mauritii Steinmetzii*, Medicinæ Licentiati & Profeſſoris Publici *Lipſienſis* filiam.

Magiſter Philoſophiæ Wittenbergæ.

Adoleſcens An. 1620. Laureâ Magiſtrali ſolenniter in patriâ cum cœteris Competitoribus ſuis inſignitus, rectò deindè pede ad Legum ſcientiam, quam finem ſtudiorum ſibi præfixerat, graſſatus eſt. Hujus ſtudii gratiâ A. 1625. *Jenam* profectus, ſed brevi poſteà *Altorfio Noricorum* mutavit.

Doctor Juris Tubingæ.

Indè luſtratâ *Bavariâ* & *Palatinatu* ſuperiori *Tubingam* venit, ibique Doctoris in Jure utroque Gradum impetravit 18. April. An. 1627. Rectore *Andreâ Beyero*, Decano *Lucâ Oſiandro*, Promotore autem *Henrico Bocero*.

Tubingâ Straßburgum eodem anno abiit, viſâque *Baſileâ* & *Rheni* fonte Menſ. Octob. magnâ cum matris gratulatione domum rediit.

Febri quotidianâ moritur.

Sed brevi poſt hypochondriaco morbo graviter laborare cœpit. Huic cum febris quotidiana acceſſiſſet, viribus exhauſtis vitam beatâ morte finiit 20. Octob. An. C. 1631. æt. 32.

Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.

Obiit A. C. 1631.

MICHAEL BETZOLDUS.

ROtenburgi natus 17. April. A. C. 1572. Patrem habuit *Johannem Bezoldum*, Senatorem & Judicii Aſſeſſorem: Matrem *Annam Geiſſendorferiam*.

Cum in Gymnaſio Patriæ ſtudiis Linguarum & Artium humaniorum excultus Curſum Claſſicum abſolviſſet, ubi tunc temporis ultra 500. Diſcipuli fuerunt, nullus tamen peſte An. 1585. *Rotenburgi* graſſante, DEO providente, mortuus eſt.

Magiſter Philoſophiæ Argentorati.

A. 1590. diſcedens in Academiam *Argentoratenſem*, A. 1592. ſub Decanatu Theologi celeberrimi D. *Johannis Pappi*, in Magiſtrum Philoſophiæ promotus, inter plures Competitores ſecundum locum adeptus eſt.

Juris Doctor Baſileæ.

Abindè ſtudio Jurium totum ſe dedit, nec tantùm in Judicio Cameræ *Spirenſis* per aliquod tempus praxin addidicit, ſed etiam ex amicorum conſilio *Baſileam* adivit, ubi poſtquàm ſæpiùs in Collegiis publicis privatisq; ſeſe exercuiſſet, An. 1596. ſub Decanatu D. *Samuelis Grynæi*, prægreſsâ Diſputatione inaugurali, Jurium Doctor ſolenniter renunciatus eſt.

Conſiliarius & Syndicus Rotenburgenſis.

Domum mox reverſus, à Magiſtratu patriæ Advocatus, Conſiliarius, & Syndicus perpetuus fuit denominatus, nec multo poſt tempore conjugii fœdus iniit cum virgine *Barbarâ Henningeria*, ex quâ 35. annorum ſpatio 6. filios & 5. filias ſuſcepit.

Mœrore conſumptus moritur.

In ſenio tandem catarrhis apoplecticis ſæpiùs afflictus, & mœrore propter militum exſpoliationem conſumptus, morte deſideratâ vitam finiit 18. Dec. A. C. 1631. æt. 60. Sepulchro illatus 18. Dec. ſeq. in Templo *Franciſcanorum*.

§ *Ex Concione Funebri M. Johannis Hartmanni, Concionatoris ad S. Jacobum.*

Obiit A. C. 1632.

JOHANNES BAPTISTA AGUCCHIUS.

PAtritius *Bononienſis*, natus eſt 20. Nov. An. C. 1570.

Juriſconſultus.

Cum in patriâ juvenis Juriſprudentiæ dediſſet operam, A. 1595. ab avunculo ſuo *Philippo Segâ*, Epiſcopo *Placentino* & Cardinali Canonicatum adeptus eſt, undq; Civilis & Eccleſiaſtici gubernaculi poteſtatem.

Canonicus Placentinus.

Ab an. C. 1607. ad 1615. à negotiis liber, in Palatio Pontificis *Pauli V.* tranquillam vitam duxit, Poëtarum & Hiſtoricorum lectione maximè delectatus.

Secretarius.

Fuit aliquando *Petri Aldobrandini* Cardinalis Secretarius, & Major domûs.

Hoc defuncto Cardinali *Ludovico Ludoviſio* pari onere & honore adfuit.

Fuit etiam Papæ *Gregorio XV.* à Secretis Principum.

Nuntius Apoſtolicus.

An. 1623. à Papâ *Urbano VIII.* factus eſt à Libellis Conſiliorum Civilium Status Eccleſiaſtici. A. 1624. ab eodem Nuntius Apoſtolicus ad Rempublicam *Venetam* miſſus eſt,

eſt, ubi octennium integrum ſummâ cum dexteritate munus ſibi creditum ſuſtinuit.

A. 1630. Peſte undique ſæviente, *Venetiis* diſceſſit, & oppida Mediterranea circumivit, *Mottæ* tandem, *Fori Julii* oppido, ſubſiſtens, in Cœnobio Fratrum Minorum lentâ febre correptus obiit An. C. 1632. ætatis 62. *Moritur.*

Fratrem habuit *Hieronymum Agucchium*, Cardinalem.

Præ ejus multa *Hetruſco* ſermone ſcripta, hæc Latina quàm jure merentur lucem deſiderant:

Scripta. *De Cometis Tractatus, & de Cometa viſo A. C. 1618.*

De rebus Meteorologicis.

Vita Philippi Cardinalis Segæ, & Hieronymi Cardinalis Agucchii.

In æde Cœnobii hoc piis ejus manibus ſtatutum eſt monumentum:

Epitaphium.

SISTE ITER VIATOR.
JOHANNES BAPTISTA AGUCCHIUS
AMASIÆ ARCHIEPISCOPUS
HIC JACET.
PRÆSUL PROBITATE INSIGNIS, DOCTRINA EXIMIUS, PRUDENTIA CONSPICUUS,
ELOQUENTIA PRÆPOTENS,
QUI CALAMO SUO QUASI GLADIO ANCIPITI HÆRESIM TERRUIT, DISJECIT, FUGAVIT,
RELIGIONEM EREXIT.
JAM MULTIS ITEM, QUAM MAGNIS GRAVIBUSQUE MUNERIBUS MIRUM IN MODUM OBEUNDIS PONTIFICIAM MAJESTATEM AD ASTRA EVEXIT.
CUI PRO ECCLESIA DEI LABORASSE DULCE FUERAT, PROEMIA MERUISSE SATIS ERAT.
QUI TANDEM NOVENNALI LEGATIONE APUD VENETOS SUMMA CUM PRUDENTIA ADMINISTRATA,
DUM OPPIDA VENETIÆ MEDITERRANEÆ PESTIS ERGO VITANDÆ CIRCUMIRET,
OBIIT IN HUJUS ÆDIS COENOBIO, ANNO ÆTATIS SUÆ LXII.
DOMINICÆ VERO INCARNATIONIS
MDCXXXII.

* *Ex Elogiis Virorum Illuſtrium Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1632.

JULIUS ARMB.

NAtus fuit die 9. Januarii An. C. 1570. *Mainecceii Francorum*, Patre *Balthaſare* Armb / Præfecturæ *Mainecceñſis*, ad Præfecturam *Pobebergenſem* pertinentis Quæſtore, ſeu Præfecto, cujus & Parens *Chriſtophorus* & avus *Johannes* eidem Præfecturæ præfuerunt, ita ut interruptam per ſucceſſionem ad annos 70. hujus familiæ auctoritate Præfectura illa fuerit adminiſtrata. Matrem habuit *Margaretham*, ex familiâ *Silerianâ* oriundam.

Puer in pietate bonæque literaturæ rudimentis in Scholis trivialibus fideliter inſtitutus, poſtquàm vivere in Academiis non ſine fruge poſſe eſt viſus, primùm *Wittenbergam* eſt miſſus, ubi triennium commoratus, *Jenam* acceſſit, & quam Juridici ſtudii telam *Wittenbergæ* feliciter cœperat, feliciſſimè pertexuit. *Juris ſtudioſus Wittebergæ & Jenæ.*

Undè A. 1599. 16. Oct. poſt experimenta ſolennia & uſitata ritè peracta ſummum honoris gradum, Doctoratum quem vocant, Promotore D. *Nicolao Reusnero*, ſub Decanatu D. *Virgilii Pingizeri*, cum laude reportavit. Indè ſtatim ad Praxin agendasque Cauſas ſeſe accinxit, non infelicia fata inibi expertus. *Juris Doctor Jenæ.*

7. Sept. An. 1609. Advocatorum Judicii Provincialis numero eſt adſcriptus. Ita verò in controverſiis diſceptandis ſe geſſit, ut ubique fides & integritas ipſius eluceret, lites non tàm novas ſereret aut protraheret, quàm ad juſtam æquitatem ſemper reſpiceret. *Advocatus Judicii Provincialis.*

Uxores habuit duas, priorem quidem M. *Friderici Penſoldi*, *Weidenſis*, Philoſophi ac Medici periti Profeſſoris in Academiâ *Jenenſi* publici, & Facultatis Philoſophicæ Senioris filiam *Annam*, quam 7. Julii A. 1595. virginem duxit, at 15. Sept. A. 1616. mortis violentiâ abreptam præmiſit: poſteriorem verò Dom. D. *Heliæ Gulielmi Bodini*, Cancellarii Conſiliariique ſecretioris *Schwartzenburgici* lineæ *Arnſtadienſis & Sondershuſinæ* relictam filiam *Claram Mariam*, quam An. 1617. 10. Nov. in matrimonium adſcivit, & viduam reliquit ſterilem, ſicut etiam priorem. *Duas habuit uxores.* *Liberos nullos.*

Chiragrâ & podagrâ aliquot ab annorum decurſu ſæpiùs ipſi fuit conflictandum, quibus ex conflictibus crebrioribus, accedente ſenio, vires ita fuêre debilitatæ, ut ad artûs propelli ampliùs humores noxii non potuerint. *Morbi ejus.*

Indè factum, ut paroxyſmi Epileptico-apoplectici eum aliquoties corripuerint.

Eâdem de causâ tandem tuſſi & ejectione materiæ partim ſanguineæ & nigricantis, partim ſaniei ſimillimæ, ut & ſingultu laborioſo fuit detentus, à quibus malis nullâ Medicinâ liberari potuit.

Morborum itaque varietate ſuperatus, priùs inter preces verâ in Chriſtum fide animam exhalavit d. 25. Martii A. C. 1632. ætatis 63. *Mors.*

Ex Programmate funebri Rectoris Jenenſis D. Petri Theodorici, Juris Profeſſoris.

Obiit A.C. 1632.

CHRISTOPHORUS RABUS.

NOrimbergæ natus 17. Mart. A.C. 1579. Patrem habuit *Johannem Rabum*, Quæſtorem aliquandiu domûs *Eboracenſis*, Urbis poſteà Syndicum usque ad An. 1606. quo obiit: Mater ejus fuit *Anna Drechslinia*, *Herſpruccenſis.*

Ab his parentibus An. ætatis 11. in ſcholam *Schleuſingenſem* ſtudiorum gratiâ miſſus, ſexennium in eâ exegit.

A. 1596. cum anteà *Jenæ* Depoſitionis ritum Academicum ſuſtinuiſſet, Academiam *Tubingenſem* adivit, ſed cum propter peſtis contagium 15. tantùm menſes ibi vixiſſet, *Juris ſtudioſus Tubingæ,*

Altorfii, & Argentorati. ſet, in Academiam *Altorfinam* A. 1597. & 1599. *Argentoratum* venit.

Exinde per *Galliam*, *Angliam*, & *Italiam* itinere ſuſcepto, & quadriennii ſpatio abſoluto A. 1603. *Norimbergam*, patriam ſuam, feliciter reverſus eſt.

Juris Doctor Baſileæ. A. 1604. *Spiram*, & exinde *Baſileam* profectus, ibi eodem adhuc anno Jurium Doctor ſolenniter creatus eſt.

Duplex ejus Conjugium ſterile. A. 1606. *Dinckelſpülam*, oppidum Imperiale, concedens, ibi mox nuptias celebravit cum virgine *Clarâ*, Dom. *Michaëlis Altbammeri*, Senatoris filiâ, quâ An. 1624. per mortem ſibi ereptâ, A. 1625. ad altera vota tranſiit cum viduâ *Sibyllâ Krafftiâ*, *Ulmenſi*, quam, ut etiam priorem, ſterilem reliquit.

Ammannus Dünckelſpülæ. An. 1614. Oppidi *Dünckelſpül*. Præſes, quem *Ammannum* vocant, à Senatu conſtitutus, munus id 18. annis ſummâ cum fidelitate adminiſtravit, Praxin tamen Juridicam nunquam exercuit.

Author Bibliothecæ univerſalis. Eo tempre *Bibliothecam univerſalem* magno labore & ſedulitate conſcripſit, & ad finem ferè perduxit, in quâ omne ſcibile per Schematiſmos vel Tabellas methodicas oſtendere voluit. Organum Muſicum in templo xenodochiali ſumptibus ſuis condidit.

Moritur. Valetudinarius & morbis variis obnoxius, tandem in Chriſto obdormivit 5. Julii A. C. 1632. æt. 54.

* *Ex Concione funebri M. Michaëlis Mülleri, Ulmenſis, Concionatoris Dinckelſpülenſis.*

Obiit A. C. 1632.

JOHANNES RUGERUS.

NEoſtadii ad *Salam* natus eſt 3. Julii A. C. 1577. Patre cognomine, Cive ibi honeſto: Matre *Marthâ*, *Michaëlis Hartmanni*, Aſtygrammatei & Conſulis ibidem filiâ.

Hi parentes A. 1585. à *Julio*, *Herbipolenſium* Epiſcopo, in exilium pulſi, filiolum hunc cum tribus aliis liberis ſecum abduxerunt, & in Kalten Sontheim ſedem poſuerunt, ubi pater Pædagogum & Judicii Scribam egit usque ad An. 1611. quo vitâ defunctus eſt.

Diſcipulus in Scholâ Meinungenſi, Mox in ſcholam *Meinungenſem* à patre miſſus, ſtudiorum in eâ fundamenta poſuit, patronum nactus *Marcum Hartmannum*, avunculum ſuum, Conſiſtorii *Saxo-Hennebergici* Secretarium.

& Thannenſi. Triennio pòſt A. 1589. *Thannam* in ſcholam tunc celebrem miſit eum pater, ſed cum ſumtibus neceſſariis careret, mox anno ſequenti domum repetiit, & privatim à Patre in rationibus ac Scriptionis elegantiâ informatus eſt.

Præceptor privatus Schmalcaldiæ, An. 1591. *Schmalcaldiam* ablegatus, ibi per 4. annos Præceptorem egit domeſticum primò penes *Hieronymum Fuchſium*, ejus loci mercatorem, pòſt apud viduam *Henrici Zolneri*, Quæſtoris *Schmalcaldici*.

& Islebiæ. An. 1595. Hinc *Islebiam* migravit, commendatus fratri prædictæ viduæ *Stephano Wolfio*, rei metallicæ à Senatu *Noribergenſi* præfecto, cujus liberos informavit usque ad an. 1598. quo peſte graſſante *Norimbergam* venit, commendatus Dom. *Hieronymo Baumgartnero*, & Dom. *Chriſtophoro Fürero*, Duumviris, quorum liberali munificentiâ ſtipendium annuum 50. florenorum nactus, Academiam *Altorfinam* adivit, ubi filium Dom. *Füreri*, *Johannem Sigismundum*, patriæ poſteà Senatorem, & *Marcum Habinum Gilchium*, poſtmodùm Cameræ Imperialis *Spirenſis* Aſſeſſorem diſcipulos habuit, & ſtudium Juris feliciter auſpicatus eſt. *Altorfii Juris ſtudium inchoavit.*

A. 1602. cum his duobus adoleſcentibus informationi ſuæ concreditis in *Italiam* iter ſuſcepit, & *Peruſiæ* aliquandiu ſubſiſtens, ſtudia Juris continuavit, & collegia privata habuit. *In Italiam iter ſuſcepit.*

Licet verò Profeſſores ei *Peruſini* Jus Civitatis & Doctorales honores gratis conferendos obtuliſſent, modeſtè tamen renuens gratias egit, & visâ *Româ* cœteriſque Urbibus *Italiæ* primariis An. 1605. *Noribergam* rediit.

Anno ſeq. reverſus ad Parentes, mox *Iſenacum* vocatus à Principe *Saxoniæ*, *Johanne Erneſto*, ut Librum quendam ex *Italico* Idiomate in Latinum converteret, totam ibi hyemem exegit.

Cum deinde praxin aliquandiu *Spiræ* exercuiſſet, favore adjutus D. *Sebaſtiani Wolffii*, Cameræ Imperialis Advocati, *Stephani* fratris, *Baſileam* concedens, ibi 23. Sept. An. 1606. Gradum Doctoris in utroque Jure ſolenniter accepit. *Spiræ Practicus.* *Doctor Juris Baſileæ.*

26. April. A. 1607. *Iſenaci* deſponſatus eſt cum *Sabinâ*, M. *Johannis Runckelii*, quondam Urbis Actuarii viduâ, & filiâ *Sebaſtiani Grünewaldi*, Civis *Saltzungenſis* primarii. *Deſponſatur.*

28. Dec. ſeq. Vocatus à Principe *Saxoniæ*, *Johanne Erneſto*, *Iſenaci* munus Conſiliarii aulici intimi ſuſcepit, quod 25. annis ſummâ cum fidelitate adminiſtravit. Placidâ tandem morte vivis ſublatus vitam finiit 27. Julii An. C. 1632. ætatis 56. QVo pLaCens *Deo faCtVs eſt* DILeCtVs, & *VerſatVs Inter peCCatores ereptVs eſt.* Sap. 4. v. 10. *Conſiliarius intimus Johannis Erneſti, Ducis Saxoniæ.* *Moritur.*

DoCtor *Johannes* CœLeſti ſeDe LoCatVs
CLaVsIt qVIntILIs *ter nonâ bel fata* RVgerVs.

JOHANNES RUGERUS JURIS UTRIUSQUE DOCTOR, CONSILIARIUS AULÆ ISNACO-SAXONICÆ.

Per Anagramma M. *I. Weinrichii*, *Scholæ Isnacenſis Rectoris:*

Si corde, Ihova! te gero,
non ſi liqueſcat cor,
Caro, juvans in anxiis
Vires, ſalus, aura. Pſ. 73. v. 25. & 26.

JOHANNES RUGERUS J. U. D.
per Anagramma:
Vir urgens dona Jeſu. Et:
In Dei uſiurâ ſurge novi.

JOANNES RUEGERUS J. U. D.
per Anagramma:
Jus urgens en vir à Deo. Et;
In Deo ſurgens vir aut;

JOAN-

JOANNES RUGERIUS J. U. D.
per Anagramma:
O vi divinâ reſurgens.

* *Ex Concione funebri Chriſtophori Olpii, Archidiaconi Isnacenſis, & additis Epicediis.*

Obiit A.C. 1633.

SIMON CONTARENUS.

NAtus eſt *Venetiis* 27. Aug. A. 1563. Parentibus *Johanne Baptiſtâ Contareno*, & *Mariâ Gritti*.

Juvenis in Gymnaſio *Patavino* literis operam dedit. Progreſſu ætatis exercitiis gymnaſticis, maximè regendis equis generoſis excelluit, quibus in extremam ætatem delectatus eſt. *Eques excellens.*

In patriam reverſus, Comitiisque adſcriptus, paulò pòſt in Sapientum Ordinem relatus eſt, Vir majeſtatis ſingularis, in dicendo promptus, ingenii perſpicacis, nec vulgaris memoriæ. Deindè totum ſe peregrinationibus addixit, primum in Curiâ *Romanâ* tyrocinium agens. *Membrum Ordinis Sapientum.*

Ad ſuos redux, Senatûs decreto ad *Carolum Emanuelem*, *Sabaudiæ* Ducem, Orator electus eſt, apud quem triennium manſit. Ex eâ Legatione vix redierat, cum ad *Philippum II. Hiſpaniarum* Regem ordinarius Orator deſtinaretur. In hâc adeò prudenter omnia pro Patriâ peregit, ut Rex diſcedentem poſt triennium aureo torque ſuis Equitibus accenſuerit. Reverſum Senatus *Venetus* Prætorem *Conſtantinopolim* ablegavit. *Eques aurei velleris.* *Legatus Conſtantinopolin.*

Hâc Urbe relictâ, *Romam* ad Summum Pontificem *Paulum V.* miſſus, Reipublicæ æmulorum inſidiis mirâ prudentiâ occurrit. Ibi S. Pontifici adeò gratus fuit, ut ei publica & privata negotia non rarò communicârit, ipſumque in Conſilii ſui partes admiſerit.

Exacto *Romæ* quadriennio *Veneti* Senatûs mandato belli adverſus piratas *Uſcbocos* ſuſcepti rationes inſinuavit.

Vix in patriâ quies à tot laboribus ipſi data eſt, cum Senatus *Venetus*, poſtquàm *Octavianus* Bonus cum Collegâ præter mentem Reipublicæ Pactis ſubſcripſiſſet, ad Regem *Galliæ* Oratorem extraordinarium decrevit. *Legatus ad Regem Galliæ.*

Rebus feliciter peractis, *Ferdinando II.* Imperatore noviter coronato, cum *Franciſco Ericio* poſteà *Venetorum* Duce in *Germaniam* gratulatum miſſus eſt.

Patriæ redditum Patres defuncto *Michaële Mauroceno* in Procuratoris D. *Marci* locum ſubrogârunt. Eo honore auctus, cum inter Reges *Galliæ* & *Hiſpaniæ de Valle Telinâ* quædam præter Reipublicæ *Venetæ* dignitatem ſancita eſſent, illicò Oratoris extraordinarii titulo amandatus, vixque reverſus ad *Ottomanni Turcici* Imperatoris congratulationem miſſus eſt. *Procurator D. Marci.*

Itinere eo feliciter confecto, tranquillioris vitæ rationem obivit, gravioribus tamen patriæ negotiis nunquàm ſe ſubduxit, ſingularem etiam Gymnaſii *Patavini* curam geſſit. *Curator Gymnaſii Patavini.*

A. 1630. & 1631. Sæviente *Venetiis* peſte, ſolus nepotibus ruri abſentibus, unico famulo contentus, publicæ valetudini proſpexit. Cum tandem ſupremum vitæ ſibi inſtare cognoviſſet, per aliquot dies de rebus Divinis doctè diſſeruit, & carminis *Hetruſci* elegantiâ vitæ fragilitatem delineavit. Sic quod naturæ debuit, piè ſolvit cælebs 10. Januarii A.C. 1633. æt. 70. *Moritur cælebs.*

Reliquit ex fratre *Aloyſio* Nepotes ad ſumma natos *Petrum*, & *Simonem*.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1633.

GEORGIUS VOLCAMERUS.

EX antiquâ Patritiorum familiâ natus eſt *Norimbergæ* 30. Maji A.C. 1560. Patre & Avo *Georgiis* Septemviris, Proavo *Hartmanno Volcamero*, Duumviro: Matre *Annâ*, *Johannis Schütaii*, Medicinæ Doctoris filiâ.

A. 1575. In Scholam *Altorfinam* tunc recens enatam ſtudiorum gratiâ veniens, primus omnium Studioſorum Matriculæ nomen ſuum inſcripſit. *Primus Matriculæ Altorf. nomen inſcripſit.*

Cum pater ejus *Georgius Volcamerus* fatali lecto affectus, & morti proximus eſſet, eique Mater filium hunc *Altorffio* vocatum exhiberet, interrogans, quodnam ultimum mandatum filio chariſſimo rogare vellet, prudens ſenex nil aliud reſpondit, quàm: Mein Georg iſt / und wird fromb bleiben.

A. 1579. In *Italiam* profectus, in eâque biennium commoratus, unà cum *Italicâ Gallicam* Linguam didicit.

Domum reverſus, A. 1581. ætat. 21. in uxorem duxit virginem *Mariam Magdalenam*, *Chriſtophori Fabii Gugelii*, Juris Doctoris, & Conſiliarii *Noribergenſis* filiam, ex quâ duos filios ſuſcepit, *Georgium Chriſtophorum*, qui an. ætat. 23. in Senatum patriæ adſcitus, dyſenteriâ obiit 9. Aug. A.C. 1632. ætat. 50. & *Theophilum* præcoci morte abreptum An. 1610. *Conjugium ejus duplex & Liberi.*

Conjuge vitâ defunctâ, An. 1607. alteram per conjugium adſcivit vitæ ſociam, *Annam Sabinam*, *Hieronymi Kreſſii*, Senatoris, circuli *Franconici* Conſiliarii & Commiſſarii bellici filiam, ex quâ filium reliquit *Fridericum*, Senatorem, poſteà & ædilem, cum filiâ *Catharinâ*, *Johanni Sigiſmundo Mufſelio*, Senatori nuptâ.

An. 1582. Scabinus in patriæ Dicaſterio, An. 1584. Senator Reipublicæ patriæ, An. 1610. Septemvir, An. 1613. Scholarcha, A. 1620. Duumvir, & A. 1622. Prætor Imperialis creatus, ita per gradus ſummum dignitatum in patriâ apicem conſcendit. *Senator Norimbergenſis.* *Prætor Imperialis.*

Vir eruditione magnâ, prudentiâ majori, & experientiâ maximâ præditus, quique cum *Latinâ Gallicam* & *Italicam* Linguas exactè calluit, à 4. ſibi invicem ſuccedentibus Electoribus *Moguntinis*, *Johanne Adamo*, *Johanne Schweicardo*, *Georgio Friderico*, & *Conſiliarius Moguntinus.*

In tumuli Saxo:

CUPIO DISSOLVI ET ESSE CUM CHRISTO, OBIIT ANNO CHRISTI MDCXXIX. MENS. NOVEMBR. D. XVI. ÆTATIS ANNO LXIV. PROFESSIONIS XXXV. SIT IN PACE MEMORIA EJUS B. R. D. ANNO CHRISTI MDCXXVII. ÆTATIS LXIII. FACTUM.

* *Ex Program. Fun. Aug. Buchneri & aliis.*

Scripta. Scripta ab eo relicta:

Oratio cum Illuſtriſſ. Princeps D. Auguſtus, Saxoniæ Dux, Rector Academiæ Wittenbergenſis renuntiaretur. in 4to.

De Obligationibus ex die, vel ad diem contractis. in 4to.

Diſcurſus Philoſophicus contra Novatores & abuſores Legum Corruptores. in 4to.

Commentar. in 7. Leges difficillimas. in 4to.

Diſputationes de Monetâ: de mutuâ Conjugum Succeſſione: de exemtione Clericor. quoad perſonas eorum: de Foro competente: de recuſatione Judicis ſuſpecti: de actis Judiciorum ritè conſcribendis: de Tranſactionibus, modo acquirendi Dominii naturali & frequenti: de Hæreditatibus ab inteſtato: ex L. rem majoris pretii II. c. de reſcind. venditione.

Obiit A.C. 1629.

LUDOVICUS VIGNATUS.

Laudenſis Italus, ortus ex nobili & Virorum illuſtrium fertili familiâ, cum in patriâ Leges Civiles & Canonicas excoluiſſet, in Curiâ *Romanâ* 36. circiter annis Advocatum primarium egit, cujus Rota *Romana* in Deciſionibus, præſertim 759. cum encomio ſingulari mentionem facit. (Advocatus Curiæ Romanæ.)

Bononiæ cum munere Auditoris generalis inſerviit *Maffeo Barberino*, Cardinali Legato, poſteà Summo Pontifici nomine *Urbani VIII.* ſub cujus protectione felicem vitam duxit. Ibidem Cauſarum Civilium Judex, Victualiorum Præfectus, & Reipublicæ Conſiliarius intimus fuit. (Bononiæ Auditor generalis. Cauſarum Civilium Judex.)

Præter Legum cognitionem Orator etiam fuit inſignis, quem Reges *Hiſpaniarum Philippus III.* & *IV.* Duces *Florentiæ, Urbini, Parmæ* & Urbes *Italiæ* multæ Advocatum ſibi elegerunt.

Mediolani tandem Tribunalis Aſſeſſor ad vitam abiit meliorem 20. Nov. A. C. 1629. ætat. 70. Sepulto ad S. *Chriſtophorum* Patrum *Olevitanorum* hoc factum eſt Epitaphium: (Tribunalis Aſſeſſor Mediolani. Epitaphium.)

D. O. M.

LUDOVICO VIGNATO, PATRITIO ANTIQUO GENERE CLARO ET EX INGENUO CULTU VIRTUTIS ATQUE DOCTRINÆ PRINCIPIBUS VIRIS AC PRIMARIIS ITALIÆ URBIBUS VALDE CHARO, SUPRA OMNES JURISPRUDENTIÆ FAMA ET INSIGNI ELOQUENTIA IN ROMANA CURIA CELEBERRIMO, REGUM CATH. HISP. PHILIPPI III. ET IV. MAXIMORUMQUE HETRURIÆ, URBINI AC PARMÆ DUCUM, ADEOQUE MULTARUM CIVITATUM ET PROVINCIARUM ADVOCATO INTEGERRIMO, A SACRÆ ROTÆ AUDITORIO GRAVISSIMIS IN DECISIONIBUS EGREGIIS VULGATISQUE MONUMENTIS DECORATO, URBANI VIII. PONTIF. MAX. IN BONONIENSI LEGATIONE GENERALI AUDITORI, CIVILIUM CAUSARUM JUDICI, ANNONÆ PRÆFECTO, INTIMOQUE IN EA REP. ADMINISTRANDA CONSILIARIO, IN MEDIOLANENSI DENIQUE PROVINCIA MAGNI NOMINIS SPECTATÆQUE AUCTORITATIS REGIO DUCALI SENATORI, VIRO INNOCENTIA VITÆ, SUAVITATE MORUM, MAGNITUDINE ANIMI, TUM RERUM GERENDARUM DEXTERITATE USQUEQUAQUE ADMIRABILI, QUI TOT HONORUM AC DIGNITATUM LAUDIBUS EXACTIS SINGULARE TERRIS EXEMPLAR INTEGRITATIS RELIQUIT, SIBIQUE AC POSTERIS ÆTERNUM VIRTUTIS DECUS COMPARAVIT. IYACINTHUS VIGNATUS J. C. COLLEG. ET DECURIO PATRUO DE FAMILIA AC DE SE OPT. MER. HÆRES P. C. OBIIT DIE XX. NOVEMB. MDCXXIX. ANNOS NATUS LXX. MENS. IX. DIES XXVIII.

Scripſit *tres Diſcurſus, Conſiliis Horatii Jovannonis, J. C. Bonon.* inſertos. (Scripta.)

Legatum Dotis, an in Caſu Religionis cedi poſſit aliis quàm Monaſterio, &c.

An & quomodo Legatum uſusfructûs convertatur in proprietatem, & ſimiliter quando proprietas relicta dicatur.

Legatum quando dicatur temporale, & quando temporale reddatur perpetuum, præſertim quando hæres prædecedit.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Clar. A. C. 1630.

NICOLAUS BURGUNDUS.

E ſtirpe *Burgundicâ*, à *Johanne Baſtardo* trahens originem, Patrem habuit *Nicolaum*, *Franciæ* Regi à Conſiliis, & à Quæſturâ in territorio *Angienſi*, ubi natus eſt A. C. 1586. in feſto *Michaëlis*.

Gerardo Corſelio & *Erycio Puteano* in diſciplinam traditus adoleſcens, ab altero eorum Rudimenta Jurisprudentiæ, ab altero Literarum arcana accepit. His armis inſtructus, *Gandavum* ad forum ſe contulit, optimis quibusque acceptus, & imprimis *Maxæmyliano Vrientio*, cujus funus Oratione proſecutus eſt. A. 1627. evocatus eſt magno honorario in Academiam *Ingolſtadienſem*, ad primariam Juris lectionem à *Bavariæ* Duce *Maximiliano*. (Jurisconſultus, & Advocatus Gandavi. Juris Profeſſor Ingolſtadii.)

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia: (Scripta.)

Tractatus Controverſiarum ad Conſuetudines Flandriæ.

Poëmata, in quibus Elogia, Sylva & Heroicorum lib.

Oratio de gradibus ad Eloquentiam Lovanii dicta.

Hiſtoria Belgica.

De Evi-




IOHANNES HUNINGA
Iuris Prof. Groningensis.

IOH GERH FRAUENBURGI'
Consil. Norib. et Prof. Altorf.

LEONHARD' OTTHOBON'
Cancellarius Venetus

IOH CHRISTOP' ÖLHAFI'
Consil. Norib. et Procanc. Altorf



IOH BAPT AGUCCHIUS
Iuriscons. et Nunci' Apostol.

SIMON CONTARENUS.
Curat. Gymnasii Patavini

GEORGI' VOLCAMER'
Senat. Norib. et Pr. Imperial.

ANTONIUS QUERENGUS
Romae Utr. signat. Referendari'



HENRIC' NEVENHANUS
Consiliarius Schwarzenburg

ORTOLPH' FOMANNUS.
Iuris Prof. Ienensis.

HERMAN' VULTEJUS.
Cons. Caesar. et Procanc. Marburg

IULIUS PACIUS.
Iurisconsul. Valent.



IOH BONIFA RHODIGINUS
Iurisconsult' Patavinus

CLAUDIUS EXPILLIUS
Dignitat. Curiae Paris.

CASPAR' BITSCHI'
Ius Prof. Prim. Argentorat.

ANTONI' MATTHAEUS
Iuris Profes. Groningens

De Evictionibus, & de Periculis & Culpis in Contractibus.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Clar. A.C. 1630.

CORNELIUS MYLIUS.

VAn der Myle vocatus, *Hagæ* Comitum natus eſt A.C. 1579. Patre *Adriano*, Curiæ *Hollandiæ* Præſide. *Lugduni* literis humanioribus imbutus, indè in *Galliam*, *Italiam*, *Germaniam*, cœterasque Academias *Europæ* ſe contulit. In iis nihil æquè ac viros eruditos coluit.

Joſepho Scaligero charus. Itinere confecto, *Lugduni Joſephum Scaligerum* invenit, cujus animum primo ſtatim intuitu expugnavit, quod heros ille legato poſteà honorifico teſtatus eſt.

Curator Academiæ Leydenſis. An. 1606. Curator Academiæ *Lugduno-Batavæ* factus, abindè ſemel ad *Venetos*, bis ad *Ludovicum XIII. Galliæ* Regem, & Reginam matrem, & bis ad Regem *Henricum IV.* Legatione publicâ functus eſt.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

Clar. A.C. 1630.

JOHANNES HUNINGA.

NAtus in agro *Gröningano*, mox in primâ Academiæ *Gröningenſis*, A. 1614. inſtitutione inter primos 6. Profeſſores introductus Philoſophiæ Moralis ordinariam, & Inſtitutionum Juris Profeſſionem extraordinariam, nec non Secretariatum nactus, & Rector Academiæ Menſ. Aug. A. 1619. mox Menſ. Febr. A. 1620. creatus Urbis Senator, Academiæque Curator, abdicavit ſe Recturâ & Profeſſione, & reliquam vitam in Republicâ exegit, ad Conſularem dignitatem evectus.

Fit Profeſſor Ethicæ & Juris. — *Senator Gröningæ.*

* *Ex vitis Profeſſorum Gröningentium.*

Obiit A.C. 1630.

JOHANNES BAPTISTA LAMBERTINUS.

ÆGidii filius *Antverpienſis*, ex illuſtri Senatoriâ *Lambertinorum Bononienſium* familiâ oriundus, *Bernardini* Equitis abnepos.

A teneris annis ſtudiis & antiquarum Hiſtoriarum inquiſitioni deditus, *Cortraci* literis humanioribus vacavit: poſtmodùm *Lovanii* Philoſophiæ & Juri aliquot annos. Is perluſtratâ *Galliâ*, in *Italiam* ſe contulit, Urbis *Romæ* viſendæ causâ, in quâ annum conſumpſit, poſteà ad cœteras *Italiæ* partes profectus, *Bononiæ* ſecundæ quaſi Patriæ quietis causâ manſit, in eâdem Doctoratûs in utroque Jure adeptus eſt Gradum.

Lovanii Juris ſtudioſus. — *Juris Doctor Bononiæ.*

Pòſt triremibus *Ferdinandi Magni Hetruriæ* Ducis vectus, contra *Turcam* per mare inferum navigans ad inſulam *Melitenſem*, indè per ſinum *Corinthiacum* ad *Peloponneſum* devenit.

Itinera ejus maritima, & terreſtria.

In *Italiam* reverſus, per *Germaniam* in *Belgium* rediit, in quo biennio expleto *Hiſpaniam* petiit, quâ totâ ad *Herculis* usque Columnas viſâ iterum patriam cogitavit. Juſſu deindè Sereniſſimi Archiducis *Alberti* & *Iſabellæ* ſummus civitatis & territorii *Halenſis* Prætor factus eſt. Rurſùs Jubilæi causâ *Romam* profectus An. 1625. atque indè in *Belgium* reverſus, ſpartam ſuam adornavit, ſub Regis *Philippi IV.* tutelâ vivens.

Prætor Halenſis.

Edidit:

Scripta. *Theatrum Regium, ſive Regum Hiſpaniæ ſeriem, & compendioſam Narrationem variarum hiſtoriarum illius regni ad hæc usque tempora.*

Ex *Italico* in *Latinum* convertit vitam B. *Imeldæ Lambertinæ*, Nob. *Bononienſis.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1630.

PETRUS ANTONIUS LAZARUS.

TIcini natus, Philoſophus fuit & Theologus eximius, Protonotarius Apoſtolicus, & Eques *Lateranenſis*, Protector Equitum *Hieroſolymitanorum*. Tandemque Præpoſitus S. *Mariæ Gualteriæ* in patriâ factus eſt.

Protonotarius Apoſtolicus, Theologus & Juriſconſultus.

Lentâ febre tandem oppreſſus, cum Medicorum ſuaſu aëris mutandi gratiâ tranſiiſſet *Alexandriam*, ibi morbo creſcente, & calore nativo ſenſim deficiente ſpiritum emiſit 24. Sept. A.C. 1630. æt. 58. Sepulchro ejus hoc Epitaphium, petente fratre ejus *Franciſco Lazaro*, Monaſterii Guardiano, inſcriptum compoſuit:

Moritur. — *Epitaphium.*

D. M.

PIETRO ANTONIO LAZZARO PATRITIO PAPIENSI PROTONOT. APOSTOLICO, EQUITI LATERANENSI, ET SANCTÆ MARIÆ GUALT. PAPIEN. PRÆPOSITO, PHIL. SAC. THEOL. DOCTORI CELEBERRIMO, PONTIFICII ET CÆSAREI JURIS CONSULTISS. LIBRIS EDITIS ILLUSTRI, QUI EXIMIA IN DEUM PIETATE, BONIS OMNIBUS IN PAUPERES RELICTIS, DEMISSUS COELO, REDDITUS COELO, NON OBIIT SED ABIIT. OCT. CAL. OCT. ANNO CIↃ IↃ CXXX. ÆT. ANNO LVIII.

INSCRIPTIO ABBATIS HIERONYMI GHILINI.

Scripta. Typis ab eo emiſſa ſcripta ſunt ſequentia:

Summa, ſive Compendium omnium Operum D. Martini ab Azpilcueta Navarri, jam per R. D. Jacobum Caſtellanum Tarviſinum collectum, nunc verò reformatum, & à mendis, quibus ſcatebat, purgatum, multisq; in locis emendatum, ac perutilibus adjectionibus auctum.

Canonicarum Quæſtionum in foro practicabilium Sectio unica.

L' Orologio della Paſſione di Chriſto.

De Blaſphemiâ.

De Monitoriis.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Obiit A.C. 1630.

JOHANNES GERHARDUS FRAUENBURGIUS.

NAtus eſt *Norimbergæ* 17. Nov. An. C. 1589. Patre *Gerhardo*, Cive & Senatui numeroſiori adſcripto, Matre *Catharinâ Hermannianâ.*

Adoleſcens *Altorfii* ſtipendium nactus, ibi ſtudiorum fundamenta poſuit. A. 1617. *Baſileæ* Jurium Doctor renuntiatus eſt.

Stipendiarius Altorfii. — *Juris Doctor Baſileæ.*

Tttttt 20. April.

Profeſſor Juris Altorfi. Nubit bis. 20. April. A. 1618. Poſtquàm in Academiâ *Altorfinâ* extraordinariam Juris Profeſſionem ſortitus eſſet, nuptias ibidem celebravit cum virgine *Mariâ Catharinâ*, M. *Georgii Pulmarii*, Profeſſoris Claſſici, & Notarii Cæſarei filiâ, ex quâ duos filios cum filiâ ſuſcepit, alterumque ex filiis prænaturo obitu amiſſum in cœleſtem patriam præmiſit. An. 1621. Juris Profeſſor in Academiâ Ordinarius & Reipublicæ *Norimberg.* Conſiliarius factus eſt. *Conſiliarius Norimbergenſis.*

16. Febr. A. 1624. Uxore priore defunctâ *Norimbergæ* cum alterâ deſponſatus eſt, virgine *Suſannâ*, *Stephani Geigeri*, Civis & Mercatoris filiâ, ex quâ itidem duos filios unamque filiam matrimonii fructûs vidit, viſurus è gravidâ conjuge quartam prolem, ſi DEUS vitam longiorem ei conceſſiſſet. Decanatum bis, Rectoratum Academiæ ſemel geſſit.

Cum à biennio ſæpiùs paroxyſmis hypochondriacis afflictus fuiſſet, in ipſo tandem Decanatûs officio repentinâ morte obiit 29. Octob. A.C. 1630. æt. 42. *Repentè moritur.*

* *Ex Oratione funebri Hectoris Pömeri, Patritii Norimbergenſis.*

* * *

Filius ejus ex *Suſannâ Geygeriâ* natu major *Johannes Carolus Frauenburgius* in patriâ Juridicis ſtudiis addictus, & demùm Doctorandus Comit. *Rheni* & Sylvarum Conſiliarius ac Præfectus *Grumbacenſis* evaſit.

Alter filius, *Georgius Chriſtophorus*, in Adoleſcentiâ mente captus, & in ædibus parentum incluſus, miſerè vitam duxit.

Mater vidua 5. Aug. A.C. 1635. *Norimbergæ* iterum nupſit Nobili viro Domino *Johanni Chriſtophoro Dietherro*, Patritio *Norimbergenſi*, & Capitaneo per multos annos, Viro antiquâ virtute & fide.

Hæc obiit *Altorfii* nullâ relictâ prole 29. Jan. An. C. 1665. eamque maritus ex apoplexiâ cum paralyſi lateris dextri triduò tantùm decumbens ſecutus eſt 3. Nov. An. C. 1669. æt. 73.

* *Ex Concione funebri Dn. Johanni Chriſtoph. Dietherro habitâ à D.D. Johanne Weinmanno, Theologiæ Doctore, & Profeſſore Altorfino.*

LEONHARDUS OTTOBONUS.

Obiit A.C. 1630.

JAcobo parente progenitus.

Juvenis cum ſtudiis Philoſophiæ & Linguarum Theologiam junxiſſet, Oratoribus *Venetis* ad Concilium *Tridentinum* junctus eſt. Ibi omnes Concilii Actiones ſuâ manu in Diarium redegit. *Legatus Venetus ad Concilium Tridentinum.*

In *Germaniâ* variis pro Republicâ patriæ negotiis obeundis ita ſe geſſit, ut *Carolus V. Imperator* ejus facundiâ allectus, ipſum cognomine ſuis dotibus reſpondere dixerit. *Philippo* etiam *II.* Regi *Hiſpaniæ* gratus, cum in eâ regione diutiùs vixiſſet, quicquid memoriâ dignum è monumentis & Inſcriptionibus in unum Volumen congeſſit, quod poſteri ejus aſſervant. *Charus Imperatori Carolo V. & Philippo II. Regi Hiſpaniarum. Antiquarius.*

In patriam ex *Hiſpaniâ* reverſus, ſtatim Reipublicæ cauſâ ad *Ferrariæ* Ducem ablegatus eſt, ut natam de limitibus controverſiam dirimeret. Intereà fide ejus perſpectâ abſens à Secretis Decemvirûm electus eſt, quod munus annos 20. cum laude exercuit. *Legatus ad Ducem Ferrariæ. Secretarius Decemvirûm.*

An. 1610. Defuncto *Bonifacio Anſelmio* ſubrogatus, & Reipublicæ *Venetæ* ſummus Cancellarius proclamatus eſt. *Cancellarius Venetus.*

Octogenarius vitâ exceſſit 13. Nov. An. C. 1630.

Senex jam octogenarius primus ſemper in Senatu comparuit, & poſtremus diſceſſit: illud quotidianis ſermonibus iterans, bonos cives laboribus pro patriâ ſuſceptis nunquam fatigari.

Funere magnifico ad D. *Antonii* ædem delatus eſt, ſub cujus ſtatuâ ex candido marmore hæc inſcriptio viſitur: *Epitaphium.*

LEONARDO OTTHOBONO
PIETATE INSIGNI, FACILITATE AMABILI, IN PATRIAM FIDE SPECTATO, LONGA MAJORIS CANCELLARII PRÆFECTURA CUNCTIS PARTIBUS BONI CIVIS EGREGIE FUNCTO, SENIOQUE VERIUS QUAM MORBO CONFECTO.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

MAURITIUS RITTERUS.

Obiit A.C. 1630.

FRanckenhuſæ natus 11. Jan. A.C. 1584. Patrem habuit *Martinum Ritterum*, ejus oppidi Conſulem: *Urſulam Hauptiam*, *Northuſianam*.

A. 1598. in ſcholam *Roslebienſem* à parentibus miſſus, triennii ſpatio tantos fecit in ſtudiis Philoſophicis profectûs, ut A. 1601. Univerſitatem *Jenenſem* accedendi dignus haberetur, in quâ Juriſprudentiæ ſtudiis operam dedit, & A. 1606. in patriam reverſus, Praxin exercuit, & ſummo cum honore multis Nobilibus patrocinatus Advocatum egit. *Juris ſtudioſus Jenæ. Advocatus Franckenhuſæ.*

A. 1613. In patriâ matrimonii fœdus contraxit cum virgine *Annâ*, *Danielis Lindemanni*, Pharmacopœi filiâ, quæ filium ei peperit, & A. 1616. mortem oppetiit. *Bis deſponſatus.*

An. 1622. Iterum ſponſalia celebravit cum *Julianâ Eulenbeckia*, *Caroli Starckii*, Juris Doctoris *Budiſſini* relictâ viduâ, quam ſine liberis reliquit ſuperſtitem.

Ex itinere tandem æger domum reverſus, catarrho ſuffocativo ſubitò correptus, paucis elapſis horis exſpiravit 26. Nov. An. C. 1630. ætatis 46. *Moritur ex catarrho ſuffocativo.*

MAURITIUS RITTER,
per anagramma:
Rite miratur te Jeſu.

* *Ex Concione funebri Johannis Rothmaleri, Superintendentis Francohuſani.*

LAZARUS COLERUS.

Obiit A.C. 1631.

OSchazii in *Miſniâ* natus.

Wittenbergæ Doctor Juris creatus 23. Octob. A. 1567.

Exindè

Digitized b

Juris Profeſſor Jenæ.

Exindè *Jenam* profectus, cooptatus eſt inter Aſſeſſores tum Curiæ Provincialis 16. Aug. An. 1568. tum Facultatis Juridicæ 8. Julii An. 1569. Utramque ſpartam ornavit uſque ad A. 1572. quo *Jenâ Vinariam* abiit, factus Conſiliarius *Johannis Guilielmi I.* Ducis *Saxoniæ*.

Conſiliarius Vinarienſis.

Syndicus Magdeburgenſis.

Hoc Duce mortuo, *Magdeburgum* ſe contulit, Reipublicæ Syndicus conſtitutus, ubi Urbe miſerum in modum homicidiis & incendiis à *Tillio* & *Pappenhemio*, Cæſareis Ducibus, devaſtatâ, miſerè periit Menſ. Majo A.C. 1631.

Miſerè periit.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc eum *Epigrammate* honoravit:

Epigramma.

Lazarus in celebri meritos Colerus honores
Leucoreâ, Themidis lege jubente, tulit.
Poſteà Salanas Profeſſor tendit in oras,
Et Magdeburgi mortis adivit iter.

Obiit A.C. 1631.

JOHANNES CHRISTOPHORUS OELHAFIUS.

EX Patritiâ familiâ natus *Norimbergæ* A. 1574. Patrem habuit *Johannem Oelhafium*, Scabinum in Dicaſterio patrio: Matrem *Chriſtophori Harſtörferi* filiam. Fratres habuit 4. *Maximilianum*, militiæ deditum, *Eliam*, Dicaſterii Scabinum, *Paulum*, & *Gabrielem*, Eleemoſynarum Præfectum.

Sixti Oelhafii, Conſiliarii Cæſarei nepos.

Avus ejus *Sixtus Oelhafius*, trium Imperatorum *Friderici* III. *Maximiliani I.* & *Caroli V.* Conſiliarius domeſticus, & ad Status Imperii ſæpiùs Legatus, cum An. C. 1501. ſponſalia celebrâſſet cum virgine *Anna, Sigfridi Pfintzingii* filiâ, à *Bertolto Moguntino* & *Hermanno Colonienſi* Electoribus, comitante toto Imperii Conſilio in Templum ad Altare deductus, & muneribus nuptialibus 6000. Philippicorum pretium excedentibus donatus eſt.

A.C. 1586. æt. 12. In Academiam *Altorfinam* miſſus, quinquennium ibi in ſtudiis humanioribus exegit. Deindè cum ad Jurisprudentiæ ſtudium animum adjeciſſet, *Argentoratum* diſceſſit, & poſteà *Marpurgum* ſe contulit, ubi ſub *Hieronymi Treutleri*, J.C. præſidio Pandectarum opus diſputando abſolvit, & Fidejuſſorum materiam abſque præſidio defendit.

Argentorati & Marpurgi Juris ſtudia incipit.

Peregrinationes ejus.

A. 1593. Peregrinationem in *Belgium* inſtituit, & cum eo anno *Lugduni Batavorum* commoratus eſſet, anno ſeq. 1594. vicinas regiones *Belgicas* peragravit, *Franeckeræ* & *Lovanii* Univerſitatibus aliquantum ſubſiſtens.

Poſteà in *Angliam* profectus, & A. 1595. in *Belgium* reverſus, *Italiam* petiit, & in Academiâ *Bononienſi* biennium tranſigens, ibi Conſiliarii & Præſidis Nationis *Germanicæ* munere cum honore functus eſt.

Præſes & Conſiliarius Nationis Germanicæ Bononiæ.

Senior Nationis Germanicæ Aureliæ.

A. 1597. *Galliam* ingreſſus, *Aureliam* ſtudiorum ſedem ſibi elegit, ubi in Seniorem Nationis *Germanicæ* electus, ut huic Nationi *Angli* cum *Scotis* incorporarentur effecit.

Indè in Academiam *Andegavenſem* delatus, ibi Licentiati in Jure Gradum promotore *Libergio* conſecutus eſt.

Licentiatus Juris Andegavi.

Demùm *Hiſpaniâ* menſium aliquot ſpatio perluſtratâ, cum in Academiam *Monſpelienſem* redux veniſſet, & ibi valetudinis dubiæ causâ venam in brachio dextro aperiri curâſſet, Chirurgus infelici ſcalpelli ictu non venam tantùm perrupit, ſed & nervum adjacentem præſcidit.

Ignarus autem *Oelhafius* tanti periculi cum altero die horreret, in emittendo ſanguine ex altero brachio ejuſdem Chirurgi operâ uſus eſt.

Sequentibus porrò diebus brachium læſum inflammari, & die ſeptimo in gangrænam converti cœpit.

Gangrænâ in brachio poſt infelicem venæſectionem correptus.

Quare totum Collegium Medicum *Monſpelienſe*, cum ſuper eo caſu diu conſultâſſet, enuntiavit tandem: *Vel brachium dextrum amputandum, vel venam cum amortizatione totius brachii diſſecandam, vel vitæ jacturam faciendam.*

Cum *Oelhafius* magno animo poſtremum elegit, ſubjungens: *In Germaniâ ſibi vitæ ſubſidia vel calamo vel gladio paranda eſſe, cum autem ad utrumvis brachio opus habeat, malle ſe cum brachio vitam amittere, quàm ſine brachio eandem miſerè & otiosè producere.*

Poſtero die Medicorum illius loci Princeps *Johannes Hucherius* illum jam conclamatum accedens, ex *Ambroſio Paræo*, Chirurgo, ſignificavit, Regem *Carolum IX.* ſimili caſu perculſum priſtinam ſanitatem recuperâſſe, promiſitque, ſe omne artis periculum facturum, modò ipſe ſe dubio artis eventui committere, & cum ad dolorum obdurationem tum ſumptuum erogationem paratus eſſe velit.

A D. Johanne Hucherio curatur.

Tum *Oelhafio* annuente in brachio affecto, novaculâ novum vulnus cruciatim incidit, & fruticulâ quâdam vulneri inſertâ, eoque colligato, paucis diebus effecit, ut vena perforata & nervus abſciſſus conſpicerentur: tum oleo fervido locum illum ſæpè perfudit, eoque ipſo tantum dolorem patienti conciliavit, ut denuò in mortis viciniâ ageret: tandem verò, doloribus remiſſis, ligaturâ apertâ apparuit, quomodo nervus præſciſſus beneficio olei infuſi conglutinatus fuerit. Eâ ratione vulnere ſanato in integrum reſtitutus eſt.

A. 1599. Ad Patrios lares reverſus, ſtatim inter Reipublicæ *Norimbergenſis* Conſiliarios cooptatus, antequam officium id aggrederetur, per annum *Spiræ* praxeos diſcendæ gratiâ commoratus, tum *Baſileæ* Decano D. *Johanne Gutbio* Doctoris titulum ſolenniter adeptus eſt.

Juris Doctor Baſileæ.

A. 1601. Domum reverſus, Conſiliarii munus adiit, quo durante, ultra 50. Legationes Reipublicæ ſuæ nomine obivit.

Conſiliarius Norimbergenſis.

Ab Imperatore *Matthiâ* Comitis *Palatini* privilegiis inſignitus eſt, & à *Ferdinando II.* inter Conſiliarios adſcitus, ut etiam ab Electore *Saxoniæ* Marchione *Brandenburgico*, Ordinis Teutonici Magiſtro, Comitibus

Comes Palatinus.

Mansfeldick & *Schwartzenburgick*, Baronibusque de *Pappenheim* & *Wolſſtein*.

Procancellarius Altorfenſis. An. 1626. Academiæ *Altorfinæ* Procancellarius poſt mortem D. *Georgii Remi* factus eſt.

Conjugium ejus duplex, & Liberi. Uxores duas habuit, quarum prior *Anna Maria, Lazari Harſtorferi*, Senatoris filia 6. ipſi filios & 7. filias peperit; ex quibus filios ſuperſtites reliquit *Chriſtophorum*, *Johannem Jacobum*, *Johannem Chriſtophorum*, & *Wolffgangum Hieronymum*, filias verò duas, *Reginam*, & *Sibyllam Veronicam*. Ex alterâ *Catharinâ, Pauli Pfintzingii*, Senatoris filiâ, 10. Martii An. 1629. ſibi deſponſatâ filium reliquit *Johannem Paulum*.

Menſ. Nov. & Dec. A. 1629. Conventui Correſpondentium propter *Fridericum*, Regem *Bohemiæ*, *Norimbergæ* habito, ipſe Reipublicæ patriæ nomine unà cum *Andreâ im Hoff*, Senatore, interfuit, in Cœnobio *Auguſtiniano*, ipſo quoque Rege *Friderico* præſente.

Moritur phthiſi. Phthiſi tandem conſumptus incurabili, vitâ defunctus eſt *Norimbergæ* 12. die Maji A. C. 1631. ætatis 57.

Scriptum. Edidit *Diſcurſum Hiſtorico-Politico-Juridicum de ſenſu Q. Mutii Scævolæ dicti: Turpe eſt Patritio & Nobili Viro cauſas oranti Jus, in quo verſatur, ignorare.* in 4to.

* *Ex Oratione funebri Altorfii habitâ à D. Tobiâ Oelhafio, J. C.*

JOHANNES BLUMIUS.

Obiit A. C. 1631.

W*Ittenbergæ* natus eſt 9. Julii A. C. 1599. Patrem ſortitus *Michaëlem*, Reipublicæ oppidanæ Camerarium & Mercatorem primarium: Matrem *Margaretam*, ex celebri apud *Lipſienſes Steinmetziorum* familiâ oriundam, *Mauritii Steinmetzii*, Medicinæ Licentiati & Profeſſoris Publici *Lipſienſis* filiam.

Magiſter Philoſophiæ Wittenbergæ. Adoleſcens An. 1620. Laureâ Magiſtrali ſolenniter in patriâ cum cœteris Competitoribus ſuis inſignitus, recto deindè pede ad Legum ſcientiam, quam finem ſtudiorum ſibi præfixerat, graſſatus eſt. Hujus ſtudii gratiâ A. 1625. *Jenam* profectus, ſed brevi poſteà *Altorfio Noricorum* mutavit.

Doctor Juris Tubingæ. Indè luſtratâ *Bavariâ* & *Palatinatu* ſuperiori *Tubingam* venit, ibique Doctoris in Jure utroque Gradum impetravit 18. April. An. 1627. Rectore *Andreâ Beyero*, Decano *Lucâ Oſiandro*, Promotore autem *Henrico Bocero*.

Tubingâ Straburgum eodem anno abiit, viſâque *Baſileâ* & *Rheni* fonte Menſ. Octob. magnâ cum matris gratulâtione domum rediit.

Febri quotidianâ moritur. Sed brevi poſt hypochondriaco morbo graviter laborare cœpit. Huic cum febris quotidiana acceſſiſſet, viribus exhauſtis vitam beatâ morte finiit 20. Octob. An. C. 1631. æt. 32.

Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.

MICHAEL BETZOLDUS.

Obiit A. C. 1631.

R*Otenburgi* natus 17. April. A. C. 1572. Patrem habuit *Johannem Bezoldum*, Senatorem & Judicii Aſſeſſorem: Matrem *Annam Geiſſendorferiam*.

Cum in Gymnaſio Patriæ ſtudiis Linguarum & Artium humaniorum excultus Curſum Claſſicum abſolviſſet, ubi tunc temporis ultra 500. Diſcipuli fuerunt, nullus tamen peſte An. 1585. *Rotenburgi* graſſante, DEO providente, mortuus eſt.

A. 1590. diſcedens in Academiam *Argentoratenſem*, A. 1592. ſub Decanatu Theologi celeberrimi D. *Johannis Pappi*, in Magiſtrum Philoſophiæ promotus, inter plures Competitores ſecundum locum adeptus eſt. Magiſter Philoſophiæ Argentorati.

Abindè ſtudio Jurium totum ſe dedit, nec tantùm in Judicio Cameræ *Spirenſis* per aliquod tempus praxin addidicit, ſed etiam ex amicorum conſilio *Baſiléam* adivit, ubi poſtquàm ſæpiùs in Collegiis publicis privatisq; ſeſe exercuiſſet, An. 1596. ſub Decanatu D. *Samuelis Grynæi*, prægreſsâ Diſputatione inaugurali, Jurium Doctor ſolenniter renunciatus eſt. Juris Doctor Baſileæ.

Domum mox reverſus, à Magiſtratu patriæ Advocatus, Conſiliarius, & Syndicus perpetuus fuit denominatus, nec multo pòſt tempore conjugii fœdus iniit cum virgine *Barbarâ Henningeria*, ex quâ 35. annorum ſpatio 6. filios & 5. filias ſuſcepit. Conſiliarius & Syndicus Rotenburgenſis.

In ſenio tandem catarrhis apoplecticis ſæpiùs afflictus, & mœrore propter militum exſpoliationem conſumptus, morte deſideratâ vitam finiit 18. Dec. A. C. 1631. æt. 60. Sepulchro illatus 18. Dec. ſeq. in Templo *Franciſcanorum*. Mœrore conſumptus moritur.

§ *Ex Concione Funebri M. Johannis Hartmanni, Concionatoris ad S. Jacobum.*

JOHANNES BAPTISTA AGUCCHIUS.

Obiit A. C. 1632.

P*Atritius Bononienſis*, natus eſt 20. Nov. An. C. 1570.

Cum in patriâ juvenis Juriſprudentiæ dediſſet operam, A. 1595. ab avunculo ſuo *Philippo Segâ*, Epiſcopo *Placentino* & Cardinali Canonicatum adeptus eſt, unàq; Civilis & Eccleſiaſtici gubernaculi poteſtatem. Juriſconſultus. Canonicus Placentinus.

Ab an. C. 1607. ad 1615. à negotiis liber, in Palatio Pontificis *Pauli V.* tranquillam vitam duxit, Poëtarum & Hiſtoricorum lectione maximè delectatus.

Fuit aliquando *Petri Aldobrandini* Cardinalis Secretarius, & Major domûs. Secretarius.

Hoc defuncto Cardinali *Ludovico Ludoviſio* pari onere & honore adfuit.

Fuit etiam Papæ *Gregorio XV.* à Secretis Principum.

An. 1623. à Papâ *Urbano VIII.* factus eſt à Libellis Conſiliorum Civilium Status Eccleſiaſtici. A. 1624. ab eodem Nuntius Apoſtolicus ad Rempublicam *Venetam* miſſus Nuntius Apoſtolicus.

eſt,

eſt, ubi octennium integrum ſummâ cum dexteritate munus ſibi creditum ſuſtinuit.

A. 1630. Peſte undique ſæviente, *Venetiis* diſceſſit, & oppida Mediterranea circumivit, *Mottæ* tandem, *Fori Julii* oppido, ſubſiſtens, in Cœnobio Fratrum Minorum lentâ febre correptus obiit An. C. 1632. ætatis 62. *Moritur.*

Fratrem habuit *Hieronymum Agucchium*, Cardinalem.

Scripta. Præ ejus multa *Hetruſco* ſermone ſcripta, hæc Latina quam jure merentur lucem deſiderant:

De Cometis Tractatu, & de Cometa viſo A. C. 1618.

De rebus Meteorologicis.

Vita Philippi Cardinalis Segæ, & Hieronymi Cardinalis Agucchii.

In æde Cœnobii hoc piis ejus manibus ſtatutum eſt monumentum:

Epitaphium.

SISTE ITER VIATOR.
JOHANNES BAPTISTA AGUCCHIUS
AMASIÆ ARCHIEPISCOPUS
HIC JACET.
PRÆSUL PROBITATE INSIGNIS, DOCTRINA EXIMIUS, PRUDENTIA CONSPICUUS,
ELOQUENTIA PRÆPOTENS,
QUI CALAMO SUO QUASI GLADIO ANCIPITI HÆRESIM TERRUIT, DISJECIT, FUGAVIT,
RELIGIONEM EREXIT.
JAM MULTIS ITEM, QUAM MAGNIS GRAVIBUSQUE MUNERIBUS MIRUM IN MODUM OBEUNDIS PONTIFICIAM MAJESTATEM
AD ASTRA EVEXIT.
CUI PRO ECCLESIA DEI LABORASSE DULCE FUERAT, PROEMIA MERUISSE SATIS ERAT.
QUI TANDEM NOVENNALI LEGATIONE APUD VENETOS SUMMA CUM
PRUDENTIA ADMINISTRATA,
DUM OPPIDA VENETIÆ MEDITERRANEÆ PESTIS ERGO VITANDÆ CIRCUMIRET,
OBIIT IN HUJUS ÆDIS COENOBIO,
ANNO ÆTATIS SUÆ LXII.
DOMINICÆ VERO INCARNATIONIS
MDCXXXII.

* *Ex Elogiis Virorum Illuſtrium Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A. C. 1632.

JULIUS ARMB.

Natus fuit die 9. Januarii An. C. 1570. *Maineccii Francorum*, Patre *Balthaſare* Armb / Præfecturæ *Mainecenſis*, ad Præfecturam *Pabebergenſem* pertinentis Quæſtore, ſeu Præfecto, cujus & Parens *Chriſtophorus* & avus *Johannes* eidem Præfecturæ præfuerunt, ita ut interruptam per ſucceſſionem ad annos 70. hujus familiæ auctoritate Præfectura illa fuerit adminiſtrata. Matrem habuit *Margaretham*, ex familiâ *Silerianâ* oriundam.

Puer in pietate bonæque literaturæ rudimentis in Scholis trivialibus fideliter inſtitutus, poſtquàm vivere in Academiis non ſine fruge poſſe eſt viſus, primùm *Wittebergam* eſt miſſus, ubi triennium commoratus, *Jenam* acceſſit, & quam Juridici ſtudii telam *Wittenbergæ* feliciter cœperat, feliciſſimè pertexuit. *Juris ſtudioſus Witteberga & Jenæ.*

Undè A. 1599. 16. Oct. poſt experimenta ſolennia & uſitata ritè peracta ſummum honoris gradum, Doctoratum quem vocant, Promotore D. *Nicolao Reusnero*, ſub Decanatu D. *Virgilii Pingizeri*, cum laude reportavit. Indè ſtatim ad Praxin agendasque Cauſas ſeſe accinxit, non infelicia fata inibi expertus. *Juris Doctor Jenæ.*

7. Sept. An. 1609. Advocatorum Judicii Provincialis numero eſt adſcriptus. Ita verò in controverſiis diſceptandis ſe geſſit, ut ubique fides & integritas ipſius eluceret, lites non tàm novas ſereret aut protraheret, quàm ad juſtam æquitatem ſemper reſpiceret. *Advocatus Judicii Provincialis.*

Uxores habuit duas, priorem quidem M. *Friderici Penſoldi*, *Weidenſis*, Philoſophi ac Medici periti Profeſſoris in Academiâ *Jenenſi* publici, & Facultatis Philoſophicæ Senioris filiam *Annam*, quam 7. Julii A. 1595. virginem duxit, at 15. Sept. A. 1616. mortis violentiâ abreptam præmiſit: poſteriorem verò Dom. D. *Heliæ Gulielmi Bodini*, Cancellarii Conſiliariique ſecretioris *Schwartzenburgici* lineæ *Arnſtadienſis & Sondershuſinæ* relictam filiam *Claram Mariam*, quam An. 1617. 10. Nov. in matrimonium adſcivit, & viduam reliquit ſterilem, ſicut etiam priorem. *Duas habuit uxores. Liberos nullos.*

Chiragrâ & podagrâ aliquot ab annorum decurſu ſæpiùs ipſi fuit conflictandum, quibus ex conflictibus crebrioribus, accedente ſenio, vires ita fuêre debilitatæ, ut ad artûs propelli ampliùs humores noxii non potuerint. *Morbi ejus.*

Indè factum, ut paroxyſmi Epileptico-apoplectici eum aliquoties corripuerint.

Eâdem de cauſâ tandem tuſſi & ejectione materiæ partim ſanguineæ & nigricantis, partim ſaniei ſimillimæ, ut & ſingultu laborioſo fuit detentus, à quibus malis nullâ Medicinâ liberari potuit.

Morborum itaque varietate ſuperatus, priùs inter preces verâ in Chriſtum fide animam exhalavit d. 25. Martii A. C. 1632. ætatis 63. *Mors.*

Ex Programmate funebri Rectoris Jenenſis D. Petri Theodorici, Juris Profeſſoris.

Obiit A. C. 1632.

CHRISTOPHORUS RABUS.

Norimbergæ natus 17. Mart. A. C. 1579. Patrem habuit *Johannem Rabum*, Quæſtorem aliquandiu domûs *Eboracenſis*, Urbis poſteà Syndicum usque ad An. 1606. quo obiit: Mater ejus fuit *Anna Drechslinia*, *Herſpruccenſis*.

Ab his parentibus An. ætatis 11. in ſcholam *Schleuſingenſem* ſtudiorum gratiâ miſſus, ſexennium in eâ exegit.

A. 1596. cum anteà *Jenæ* Depoſitionis ritum Academicum ſuſtinuiſſet, Academiam *Tubingenſem* adivit, ſed cum propter peſtis contagium 15. tantùm menſes ibi vixiſ- *Juris ſtudioſus Tubingæ.*

Altorfi, & Argentorati. ſet, in Academiam *Altorfinam* A. 1597. & 1599. *Argentoratum* venit.

Exindè per *Galliam*, *Angliam*, & *Italiam* itinere ſuſcepto, & quadriennii ſpatio abſoluto A. 1603. *Norimbergam*, patriam ſuam, feliciter reverſus eſt.

Juris Doctor Baſileæ. A. 1604. *Spiram*, & exindè *Baſiléam* profectus, ibi eodem adhuc anno Jurium Doctor ſolenniter creatus eſt.

Duplex ejus Conjugium ſterile. A. 1606. *Dinckelſpülam*, oppidum Imperiale, concedens, ibi mox nuptias celebravit cum virgine *Clarâ*, Dom. *Michaëlis Althammeri*, Senatoris filiâ, quâ An. 1624. per mortem ſibi ereptâ, A. 1625. ad altera vota tranſiit cum viduâ *Sibyllâ Krafftiâ*, *Ulmenſi*, quam, ut etiam priorem, ſterilem reliquit.

Ammannus Dünckelſpüle. An. 1614. Oppidi *Dünckelſpül.* Præſes, quem *Ammannum* vocant, à Senatu conſtitutus, munus id 18. annis ſummâ cum fidelitate adminiſtravit, Praxin tamen Juridicam nunquam exercuit.

Author Bibliothecæ univerſalis. Eo tempre *Bibliothecam univerſalem* magno labore & ſedulitate conſcripſit, & ad finem ferè perduxit, in quâ omne ſcibile per Schematiſmos vel Tabellas methodicas oſtendere voluit. Organum Muſicum in templo xenodochiali ſumptibus ſuis condidit.

Moritur. Valetudinarius & morbis variis obnoxius, tandem in Chriſto obdormivit 5. Julii A. C. 1632. æt. 54.

* *Ex Concione funebri M. Michaëlis Mülleri, Ulmenſis, Concionatoris Dinckelſpülenſis.*

Obiit A. C. 1632.

JOHANNES RUGERUS.

Neoſtadii ad *Salam* natus eſt 3. Julii A. C. 1577. Patre cognomine, Cive ibi honeſto: Matre *Marthâ*, *Michaëlis Hartmanni*, Aſtygrammatei & Conſulis ibidem filiâ.

Hi parentes A. 1585. à *Julio*, *Herbipolenſium* Epiſcopo, in exilium pulſi, filiolum hunc cum tribus aliis liberis ſecum abduxerunt, & in Kalten Sontheim ſedem poſuerunt, ubi pater Pædagogum & Judicii Scribam egit usque ad An. 1611. quo vitâ defunctus eſt.

Diſcipulus in Scholâ Meinungenſi, Mox in ſcholam *Meinungenſem* à patre miſſus, ſtudiorum in eâ fundamenta poſuit, patronum nactus *Marcum Hartmannum*, avunculum ſuum, Conſiſtorii *Saxo-Hennebergici* Secretarium.

& Thannenſi. Triennio pòſt A. 1589. *Thannam* in ſcholam tunc celebrem miſit eum pater, ſed cum ſumtibus neceſſariis careret, mox anno ſequenti domum repetiit, & privatim à Patre in rationibus ac Scriptionis elegantiâ informatus eſt.

Præceptor privatus Schmalcaldiæ, An. 1591. *Schmalcaldiam* ablegatus, ibi per 4. annos Præceptorem egit domeſticum primò penes *Hieronymum Fuchſium*, ejus loci mercatorem, poſt apud viduam *Henrici Zolneri*, Quæſtoris *Schmalcaldici*.

& Islebiæ. An. 1595. Hinc *Islebiam* migravit, commendatus fratri prædictæ viduæ *Stephano Wolſio*, rei metallicæ à Senatu *Noribergenſi* præfecto, cujus liberos informavit usque ad an. 1598. quo peſte graſſante *Norimbergam* venit, commendatus Dom. *Hieronymo Baumgartnero*, & Dom. *Chriſtophoro Fürero*, Duumviris, quorum liberali munificentiâ ſtipendium annuum 50. florenorum nactus, Academiam *Altorfinam* adivit, ubi filium Dom. *Füreri*, *Johannem Sigismundum*, patriæ poſteà Senatorem, & *Marcum Habinum Gilchium*, poſtmodùm Cameræ Imperialis *Spirenſis* Aſſeſſorem diſcipulos habuit, & ſtudium Juris feliciter auſpicatus eſt. *Altorfii Juris ſtudium inchoavit.*

A. 1602. cum his duobus adoleſcentibus informationi ſuæ concreditis in *Italiam* iter ſuſcepit, & *Peruſiæ* aliquandiu ſubſiſtens, ſtudia Juris continuavit, & collegia privata habuit. *In Italiam iter ſuſcepit.*

Licet verò Profeſſores ei *Peruſini* Jus Civitatis & Doctorales honores gratis conferendos obtuliſſent, modeſtè tamen renuens gratias egit, & viſâ *Româ* cœteriſque Urbibus *Italiæ* primariis An. 1605. *Noribergam* rediit.

Anno ſeq. reverſus ad Parentes, mox *Iſenacum* vocatus à Principe *Saxoniæ*, *Johanne Erneſto*, ut Librum quendam ex *Italico* Idiomate in Latinum converteret, totam ibi hyemem exegit.

Cum deindè praxin aliquandiu *Spiræ* exercuiſſet, favore adjutus D. *Sebaſtiani Wolfii*, Cameræ Imperialis Advocati, *Stephani* fratris, *Baſiléam* concedens, ibi 23. Sept. An. 1606. Gradum Doctoris in utroque Jure ſolenniter accepit. *Spiræ Practicus. Doctor Juris Baſileæ.*

26. April. A. 1607. *Iſenaci* deſponſatus eſt cum *Sabinâ*, M. *Johannis Runckelii*, quondam Urbis Actuarii viduâ, & filiâ *Sebaſtiani Grünewaldi*, Civis *Saltzungenſis* primarii. *Deſponſatur.*

28. Dec. ſeq. Vocatus à Principe *Saxoniæ*, *Johanne Erneſto*, *Iſenaci* munus Conſiliarii aulici intimi ſuſcepit, quod 25. annis ſummâ cum fidelitate adminiſtravit. Placidâ tandem morte vivis ſublatus vitam finiit 27. Julii An. C. 1632. ætatis 56. QVo pLaCens Deo faCtVs eſt DILeCtVs, & VerſatVs Inter peCCatores ereptVs eſt. Sap. 4. v. 10. *Conſiliarius intimus Johannis Erneſti, Ducis Saxoniæ. Moritur.*

DoCtor Johannes CœLeſti ſeDe LoCatVs
CLaVsIt qVIntILIs ter nonâ bel ſata
RVgerVs.

JOHANNES RUGERUS JURIS UTRIUSQUE DOCTOR, CONSILIARIUS AULÆ ISNACO-SAXONICÆ.

Per Anagramma M. *I. Weimichil*, *Scholæ Isnacenſis Rectoris*:

Si corde, Ihova I tegero,
non ſi liqueſcat cor,
Curo, juvans in anxiis
Vires, ſalus, aura. Pſ. 73. v. 25. & 26.

JOHANNES RUGERUS J. U. D.
per Anagramma:
Vir urgens dona Jeſu. Et:
In Dei uſurâ ſurge novi.

JOANNES RUEGERUS J. U. D.
per Anagramma:
Jus urgens en vir à Deo. Et;
In Deo ſurgeas vir auo.

JOAN.

JOANNES RUGERIUS J. U. D.
per Anagramma:
O vi divinâ reſurgens.
* *Ex Concione funebri Chriſtophori Olpii, Archidiaconi Iſnacenſis, & additis Epicediis.*

Obiit A. C. 1633.

SIMON CONTARENUS.

NAtus eſt *Venetiis* 27. Aug. A. 1563. Parentibus *Johanne Baptiſtâ Contareno*, & *Mariâ Gritti*.

Equo excellens. Juvenis in Gymnaſio *Patavino* literis operam dedit. Progreſſu ætatis exercitiis gymnaſticis, maximè regendis equis generoſis excelluit, quibus in extremam ætatem delectatus eſt.

Membrum Ordinis Sapientum. In patriam reverſus, Comitiisque adſcriptus, paulò poſt in Sapientum Ordinem relatus eſt, Vir majeſtatis ſingularis, in dicendo promptus, ingenii perſpicacis, nec vulgaris memoriæ. Deinde totum ſe peregrinationibus addixit, primum in Curiâ *Romanâ* tyrocinium agens.

Ad ſuos redux, Senatûs decreto ad *Carolum Emanuelem*, *Sabaudiæ* Ducem, Orator electus eſt, apud quem triennium manſit. Ex eâ Legatione vix redierat, cum ad *Philippum II. Hiſpaniarum* Regem ordinarius Orator deſtinaretur. In hâc adeò prudenter

Eques aurei velleris. omnia pro Patriâ peregit, ut Rex diſcedentem poſt triennium aureo torque ſuis Equitibus accenſuerit. Reverſum Senatus *Venetus* Prætorem *Conſtantinopolim* ablegavit. *Legatus Conſtantinopolin.*

Hâc Urbe relictâ, *Romam* ad Summum Pontificem *Paulum V.* miſſus, Reipublicæ æmulorum inſidiis mirâ prudentiâ occurrit. Ibi S. Pontifici adeò gratus fuit, ut ei publica & privata negotia non rarò communicârit, ipſumque in Conſilii ſui partes admiſerit.

Exacto *Romæ* quadriennio *Veneti* Senatûs mandato belli adverſus piratas *Uſchoccos* ſuſcepti rationes inſinuavit.

Vix in patriâ quies à tot laboribus ipſi data eſt, cum Senatus *Venetus*, poſtquàm *Octavianus* Bonus cum Collegâ præter mentem Reipublicæ Pactis ſubſcripſiſſet, ad Regem *Galliæ* Oratorem extraordinarium decrevit. *Legatus ad Regem Galliæ.*

Rebus feliciter peractis, *Ferdinando II.* Imperatore noviter coronato; cum *Franciſco Ericio* poſteà *Venetorum* Duce in *Germaniam* gratulatum miſſus eſt.

Procurator D. Marci. Patriæ redditum Patres defuncto *Michaële Mauroceno* in Procuratoris D. *Marci* locum ſubrogârunt. Eo honore auctus, cum inter Reges *Galliæ* & *Hiſpaniæ de Valle Telinâ* quædam præter Reipublicæ *Venetæ* dignitatem ſancita eſſent, illicò Oratoris extraordinarii titulo amandatus, vixque reverſus ad *Ottomanni Turcici* Imperatoris congratulationem miſſus eſt.

Curator Gymnaſii Patavini. Itinere eo feliciter confecto, tranquillioris vitæ rationem obivit, gravioribus tamen patriæ negotiis nunquàm ſe ſubduxit, ſingularem etiam Gymnaſii *Patavini* curam geſſit.

A. 1630. & 1631. Sæviente *Venetiis* peſte, ſolus nepotibus ruri abſentibus, unico famulo contentus, publicæ valetudini proſpexit. Cum tandem ſupremum vitæ ſibi inſtare cognoviſſet, per aliquot dies de rebus Divinis doctè diſſeruit, & carminis *Hetruſci* elegantiâ vitæ fragilitatem delineavit. Sic quod naturæ debuit, piè ſolvit cœlebs 10. Januarii A. C. 1633. æt. 70. *Moritur cœlebs.*

Reliquit ex fratre *Aloyſio* Nepotes ad ſumma natos *Petrum*, & *Simonem*.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

GEORGIUS VOLCAMERUS.

Obiit A. C. 1633.

EX antiquâ Patritiorum familiâ natus eſt *Norimbergæ* 30. Maji A. C. 1560. Patre & Avo *Georgiis* Septemviris, Proavo *Hartmanno Volcamero*, Duumviro: Matre *Annâ*, *Johannis Schütz*ii, Medicinæ Doctoris filiâ.

A. 1575. In Scholam *Altorfinam* tunc recens enatam ſtudiorum gratiâ veniens, primus omnium Studioſorum Matriculæ nomen ſuum inſcripſit. *Primus Matriculæ Altorf. nomen inſcripſit.*

Cum pater ejus *Georgius Volcamerus* fatali lecto affectus, & morti proximus eſſet, eique Mater filium hunc *Altorffio* vocatum exhiberet, interrogans, quodnam ultimum mandatum filio chariſſimo rogare vellet, prudens ſenex nil aliud reſpondit, quàm: Mein Georg iſt / und wird fromb bleiben.

A. 1579. In *Italiam* profectus, in eâque biennium commoratus, unà cum *Italicâ Gallicam* Linguam didicit.

Domum reverſus, A. 1581. ætat. 21. in uxorem duxit virginem *Mariam Magdalenam*, *Chriſtophori Fabii Gugelii*, Juris Doctoris, & Conſiliarii *Noribergenſis* filiam, ex quâ duos filios ſuſcepit, *Georgium Chriſtophorum*, qui an. ætat. 23. in Senatum patriæ adſcitus, dyſenteriâ obiit 9. Aug. A. C. 1632. ætat. 50. & *Theophilum* præcoci morte abreptum An. 1610. *Conjugium ejus duplex & Liberi.*

Conjuge vitâ defunctâ, An. 1607. alteram per conjugium adſcivit vitæ ſociam, *Annam Sabinam*, *Hieronymi Kreſſii*, Senatoris, circuli *Franconici* Conſiliarii & Commiſſarii bellici filiam, ex quâ filium reliquit *Fridericum*, Senatorem, poſteà & ædilem, cum filiâ *Catharinâ*, *Johanni Sigiſmundo Muffelio*, Senatori nuptâ.

An. 1582. Scabinus in patriæ Dicaſterio, An. 1584. Senator Reipublicæ patriæ, An. 1610. Septemvir, An. 1613. Scholarcha, A. 1620. Duumvir, & A. 1622. Prætor Imperialis creatus, ita per gradus ſummum dignitatum in patriâ apicem conſcendit. *Senator Norimbergenſis.* *Prætor Imperialis.*

Vir eruditione magnâ, prudentiâ majori, & experientiâ maximâ præditus, quique cum *Latinâ Gallicam* & *Italicam* Linguas exactè calluit, à 4. ſibi invicem ſuccedentibus Electoribus *Moguntinis*, *Johanne Adamo*, *Johanne Schwicardo*, *Georgio Friderico*, & *Anſelmo* *Conſiliarius Moguntinus.*

Anſelmo Caſmiro in Conſiliariorum Ordinem cooptatus eſt.

Conſiliarius Suecicus. An. 1632. *Guſtavus Adolphus*, *Suecorum* Rex glorioſus, dum *Norimbergæ* eſſet, Regiminis cum *Moguntini* & Aulæ ſuæ Conſiliarium conſtituit, ac Patris appellatione dignatus eſt. Poëſi delectatus A. 1629. in privatæ vitæ ſuæ rationum Libro hos Rithmos manu propriâ ſcripſit:

Kirchen und Schulen halt rein/
Mit groſſen Herrn laß dich nicht ein/
Das Bürger-Recht mach nicht zu gmein/
Stell überflüſſig Ausgab ein/
Bindnus vermeid / erhalt das Dein/
Such gmeinen Nutz / und nicht den dein/
So wird dir wol gerathen ſeyn.

Horti ejus Inſcriptiones, Pictura & Emblemata. Horto ſuo domeſtico ſupra fores hoſce Verſûs inſcribi curavit:

Hortule noſter amor, quoties tua germina reddis,
Surgere ſic tumulis corpora noſtra doces.
Nam ſi quis putridas videat reviveſcere plantas,
Cur dubitet cineres ſurgere poſſe ſuos?
Felix in fragili, qui diſcit talia flore,
Qui verò in Chriſto terq; quaterq; magis.

In horti hujus veſtibulo & aditu ſalutare videtur ingredientes homo depictus palliolo breviſſimo, caliginis ad talos demiſſis, cœterâque veſtitûs, oris, & geſtuum ſpecie joculari, cum inſcriptione:

Stultorum ſunt omnia plena.

A latere ſe offert Fœmina elegans, fucata, thorace feneſtrata, capite pileata & criſtata, cœteroque cultu dubium penè ſexum præ ſe ferens, hoc adjecto Emblemate:

En nova progies!

In medio Horti fornicato quodam loco cernitur exhibita Regio triſti incendio undiquàque flagrans, in cujus meditullio homo purpurâ & diademate inſignitus throno inſidet, alto ſomno veluti ſepultus, adſcriptis his verbis:

Heu nimium ſecura quies!

In alio loco Pictura conſpicitur Terrarum orbem larvatum repræſentans, cum inſcriptione:

Hæc mundi facies.

Huic loco & ſenſu proxima eſt Hiſtoria *Abneris* à *Joabo* interfecti, additâ Epigraphe:

Sinceratio fraus eſt.

Inter alias prætereà parietum in hoc horto Inſcriptiones hæc legitur:

Multis annis jam peractis
Nulla fides eſt in Pactis,
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde fraus in factis.

Moritur. Morte tandem beatâ vitam finiens, Pater Patriæ Civibus perpetuum ſui deſiderium reliquit, mortuus *Norimbergæ* 11. Martii A. C. 1633. ætat. 73. cum per annos 49. raro exemplo Senatoris munere functus eſſet, & ex nepte *Annâ Sabinâ*, D. *Tobiæ Oelhaſi*, J. C. uxore tres Pronepotes vidiſſet.

VOLCAMERUS.
Per Anagramma:
Oraculum es. Et: *Oculus eram.*
Ex Oratione funebri D. Tobiæ Oelhaſi, Conſiliarii Norici.

CHRISTIANUS KREMBERGIUS.

Obiit A. C. 1633.

Natus eſt *Haina*, Comitum *Saxoniæ* oppido 15. Dec. An. 1585. Patre *Andreâ*, Quæſtore ejus loci, Matre *Dorotheâ Rhodiâ*.

Adoleſcens 14. annor. in Scholam *Halenſem* traditus, toto quinquennio omne genus literas & artes liberales egregiè hauſit.

Wittenbergæ Juris ſtudium tractat, & Collegia privata habet. Indè in Academiam *Wittenbergenſem* veniens primis annis Philologiam cum Philoſophiâ diligenter excoluit. Deindè monitus à Patre, Juriſprudentiæ animum adjecit, in quâ brevi eos progreſſûs fecit, ut privatas Scholas habere inciperet: quo XI. illæ Diſputationes de Succeſſione ex Teſtamento pertinent, quas A. 1611. conſcripſit & habuit.

Notarius Spiræ. A. 1612. *Spiram Nemetum* Judicio Cameræ Imperialis celebrem Urbem profectus, ibi veterano Cauſidico ſe adjunxit, apud quem Notarii vices egit.

Annum cum exegiſſet ibi, *Wittenbergam* rediit, cum eo itinere pleraſque ſuperioris *Germaniæ* Academias luſtrâſſet, & Viros claros, qui ibi docebant, ſalutâſſet.

Doctor Juris Wittebergæ. *Wittenbergæ* poſtquàm de Jure Protimiſios publicè diſputâſſet, Doctoralem dignitatem A. 1615. *Brabeutâ Valentino Forſtero*, J. C. & tunc Academiæ Rectore cum 4. competitoribus impetravit.

Conſiliarius Saxo-Lauenburgicus. Altero ſtatim pòſt anno vocatus *Lauenburgum* in Conſilium *Franciſci*, Ducis *Saxo-Lauenburgici*, non diu potuit ibi ſubſiſtere ob aëris temperiem valetudini ſuæ adverſam, quàmdiu enim ibi verſatus eſt, nunquàm ſincerè valuit.

Adjunctus Facultatis Juridicæ Witteberg. Bonâ itaque cum Principis ſui dimiſſus veniâ *Wittenbergam* rediit A. 1625. & Menſ. Januaro inter Advocatos Curiæ Provincialis, Menſe autem Martio inter Adjunctos Facultatis Juridicæ adſcriptus eſt.

Nubit. 8. Febr. A. 1614. Uxorem *Wittenbergæ* duxit *Annam Matthæum*, ex familiâ ultra 300. annis in eâ Urbe clarâ. Ex eâ ſuſcepit filios ſex, & tres filias, ſuperſtites verò reliquit filios duos, totidemque filias, quos probè erudiri ſummoperè ſemper laboravit.

Moritur. Tandem cum ſupra octavum menſem decubuiſſet, difficili morbo peſſimè exercitus, & tuſſi aſſiduâ miſerè afflictus, vir pietatis ſtudioſus, & veritatis amans animam exhalavit 26. Maji A. C. 1633. ætatis 49.

* *Ex Programm. funebri Auguſti Buchneri.*

ANTONIUS QUÆRENGUS.

Obiit A. C. 1633.

Patavii Parentibus *Nicolao Quærengo*, *Patavino*, & *Eliſabethâ Ottelia*, natus eſt An. C. 1546. Cum biennis Patrem amiſiſ-

amiſiſſet, in tutelam *Caſpari Ottelii* avi materni receptus eſt. Ingenio prædictus divino, vix annum ætatis duodecimum attigerat, cum Grammaticis addictus verſus funderet.

Poëta natus.

Poſteà diſciplinarum inferiorum ſtudium mirâ celeritate percurrens, anno ætatis decimo quinto, avi judicio, ad Inſtitutiones Juris Civilis capeſſendas gradum fecit, & triennium *Marco Mantuæ* cœterisq; Gymnaſii *Patavini* Juriſconſultis impendit.

Intereà poſt Rhetoricas exercitationes *Platonis* lectionem domi arripuit, quem anno ætat. decimo ſeptimo totum pervolvit, Philoſophicis etiam Diſciplinis addictus Poëſin imprimis coluit.

Cum autem naturali inſtinctu Sacrarum Literarum ſtudia proſequeretur, amicorum ſuaſu ab humanâ ſapientiâ ad Divinam conceſſit, eo animi fervore, ut anno ætat. 25. ſummis honoribus ornatus, Theologorum Collegio patrio fuerit adſcriptus.

Theologiæ Doctor.

A. 1576. æt. 30. Cum *Federico Cornelio*, Epiſcopo *Patavino*, *Romam* adiit, quam Urbem vix ingreſſum Cardinalis *Flavius Urſinus*, Ducis *Gravinæ* filius, literatorum æſtimator acerrimus, eo ipſo die ſibi primum à Libellis conſtituit.

Secretarius Cardinalis Flavii Urſini.

Eo tempore cum *Romæ Animoſorum Academia* cœpiſſet inſtitui, ejus initia *Quærengus* non parùm promovit, variiſque declamationibus honeſtavit.

Academiæ Animoſorum Romæ promotor.

Defuncto *Urſino*, *Inicus* Cardinalis de *Arragoniâ* ipſum itidem à Libellis ſuis conſtituit, tandemque Cardinalis *Eſtenſis*: quo munere talem ſe præbuit, ut *Antoniano* ad Purpuræ dignitatem evecto, ſtatim in ejus locum Cardinalium Collegio à Secretis electus fuerit, & raro exemplo quinq; Summorum Pontificum, *Sixti V. Urbani VII. Gregorii XIV. Innocentii IX.* & *Clementis VIII.* Sacris Comitiis interfuerit.

Hujus *Clementis* benignitate *Patavii* Canonicatum obtinuit, mirante Pontifice, quod Curiæ conditionem cum illâ permutare cuperet.

Canonicus Patavinus.

Impetratâ itaq; dimiſſione *Patavium* rediit, ubi ab amicis cum lætitiâ exceptus eſt, imprimis à *Federico Cornelio* Abbate, & tunc Cardinali, cujus auſpiciis Academiæ *Ricovratorum* initia legibus optimis ſtabilivit.

Academiæ Ricovratorum fundator.

An. 1605. *Clemente VIII.* vivis exemto, cum *Leo XI.* ſucceſſiſſet, is *Quærengum Romam* revocavit, qui eò contendens *Ferrariæ*, cum ibi à *Mario Farneſio* Generali militiæ Eccleſiaſticæ Præfecto exceptus eſſet, de morte Pontificis nuntium accepit. Tum dubius, & *Patavium* recogitans *Mario* ſuadente iter continuavit.

Romam cum veniſſet, *Paulus V.* ſumto Pontificatu mox ipſum intimis ſuis adſcriptum, Prælatum domeſticum & Signaturæ utriusque Referendarium elegit, *Gregorio XV.* & *Urbano VIII.* poſtrema hæc dignitatis incrementa approbantibus.

Romæ Signaturæ utriusque Referendarius.

Stabilitis ita in Aulâ *Romanâ* fortunæ fundamentis A. 1607. *Flavio* Nepoti Canonicatum *Patavinum* conceſſit.

Ita leni otio inter literas & amicorum officia extremos vitæ annos traduxit, Pontifici *Urbano VIII.* gratiſſimus & chariſſimus, cujus munere nepotes *Flavium*, *Marcellum*, & *Marcum Poiaghi* Comites ob ſua in *Eſtenſium* familiam merita vidit.

Vitæ tandem & gloriæ ſatur, animam tranquillè DEO Creatori ſuo reddidit 1. Sept. A. C. 1633. ætatis 87.

Moritur ſenex.

Pridiè ante diem fatalem Sacris expiatus cum S. *Franciſci* geſta Latinè ſcripta attentè auſcultâſſet, funiculo huic tutelari dicato præcinctus, in hæc verba prorupit: *O Pater Johannes Baptiſta, quàm hæc verè intellexiſti!* Principem *Alfonſum*, *Mutinæ* Ducem, innuens, qui paulò ante in *Capucinorum* ſocietatem ſeceſſerat.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Hexametri Carminis Libri VI.

De Marci Varronis diviſione, quâ ſe complexum arbitratum eſt omnes Philoſophorum Sectas, qui vel fuiſſent aliquando, vel eſſe poſſent.

Rapſodiæ variorum Carminum Libri V.

De geminis nobilium Diſciplinarum officiis.

Pendaſius, ſive *de Animæ immortalitate Libri II.*

De præſtantiam Linguarum cognitione Libri III.

Epitome tertii tumultûs Belgici Alexandro Farneſio Provinciam adminiſtrante.

De Platonis, Ariſtotelis, & Polybii in Politicis rebus diſſenſione.

De unicâ totius Politicæ diſciplinæ Methodo.

De naturali verborum ſignificatione.

De analyticæ methodi in utrâque Philoſophiâ indifferenti uſu.

De triplici Rhetoricâ.

De imitatione veteris Eloquentiæ.

De Hiſtoriæ Pragmaticæ Polybianæ triplici fine.

De Ideis Hermogenis.

De Judicio Dionyſii Longini in comparatione Demoſthenis & Ciceronis.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini, & ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Raynuccius Farneſius, *Parmenſis* Dux, ad ſe vocato *Quærengo*, Patris ſui *Alexandri Farneſii*, Militum Ducis Generalis, in *Galliâ* & *Flandriâ* res præclarè geſtas conſcribendi provinciam dedit, id quod egregiè præſtitit.

Cardinalis *Perronius* laudato eo coràm *Gallorum* Rege *Henrico IV.* dedit occaſionem, ut *Lutetiam* is accerſeretur, eique Regis hujus facta Heroica deſcribenda darentur, in quo munere ſæculi ſui *Livii* nomen obtinuit.

Flavius Quærengus propè prædiolum ſuburbanum in Sacello D. *Antonii* Abbatis, quod in Cœmiterio S. *Urſulæ* extructum, Patruo meritiſſimo hoc ſtatuit monumentum.

Uuuuuu ANTO-

Monumentum.

ANTONIO QUÆRENGO
CAN. PAT. AC UTR. PONT. SIG. REF.
CUJUS SAPIENTIAM, VIRTUTEM, ERUDITIONEM SUSPEXIT ITALIA,
CUJUS CINERES ROMA TANTO VIRO ORBATA IN MEMORIAM AC SOLATIUM SERVAT.
CUJUS MAGNA IMAGO PRÆSENS ASTARE CREDITUR, AD HÆC SEPULCHRA AMATA
AVORUM, PATRIS, ET FRATRIS,
FLAVIUS QUÆRENGUS POIAGHI COMES ET CAN. PAT. FRATRIS F. PATRUO OPTIMO
ANNO MDCXXXVII.

Patavii pariter in Templo D. *Auguſtini* ad *Aviæ* tumulum ei Cenotaphium hoc magnifico apparatu erexit:

Epitaphium.

ANTONIO QUÆRENGO
UTR. PONTIF. SIGN. REFERENDARIO, PAULI V. GREG. XV. URB. VIII. PRÆLATO DOMESTICO, SACRI COLL. A SECRETIS POST CARD. ANTONIANUM, ET CAN. PATAVINO.
CUJUS MERITA ELOQUENTIS AC ERUDITÆ SAPIENTIÆ, PROBITATIS, JUDICII ROMA PRÆDICAT, SCRIPTA TESTANTUR, NOMINIS ANTONII DIGNISSIMO AB ANTONIO AVUNCULO, MAGNO MAXIMIL. I. IMP. A CONS. ET TRIDENTI PRÆTORE
FLAVIUS QUÆRENGUS POIAGHI COMES, PAULI, GREG. URB. INTIMUS CUBICULAR. ET CAN. PAT. FRATRIS F. PATRUO DE SE OPT. MERITO P.C. VIXIT ANN. LXXXVI. OBIIT ROMÆ MDCXXXIII.

ANDREAS DINNERUS.

Obiit A.C. 1633.

Filius Juris Doctoris.

NAtus eſt *Herbipoli*, in *Franconiâ*, Urbe Epiſcopali, 2. Febr. An. C. 1579. Patre *Conrado Dinnero*, Juris Doctore, & duorum *Wurceburgenſium Friderici* ac *Julii* Conſiliario: Matre *Helenâ*, filiâ *Johannis Burcardi*, Præfecti *Ochſenfurtenſis*, quod oppidum tertio lapide ab *Herbipoli* diſſitum eſt.

Poſt jacta artium diſciplinarumque fundamenta diverſas Academias adivit, & Jura docentes audivit *Wurceburgi Guilielmum Bruſſium Scotum*, *Petrum Gulckenium*, *Johannem à Drieſch*, & *Antonium Salicetum Belgas*, *Altorfii Conradum Rittershuſium*, *Ingolſtadii Andream Fachinéum Italum*, & *Hubertum Giphanium Geldrum*, *Tubingæ* tandem *Johannem Hochmannum*, *Johannem Halbritterum*, *Davidem Magirum*, & *Henricum Botterum*.

Doctor Juris Tubingæ.

Deindè peregrinationis cupidus, poſt perluſtratam *Galliam*, *Angliam*, & *Italiam*, *Tubingam* reverſus, ibi Doctor renunciatus eſt A. 1603. Abindè Praxeos perdiſcendæ causâ *Spiram* adiit, & quosdam Advocatos in *Franconiâ* magiſtros habuit.

Nubit Bambergæ.

Tandem *Bambergæ* matrimonium iniit cum virgine *Urſulâ*, *Pancratii Holzſchuheri*, Juris Doctoris, Præfecti Præpoſituræ *Bambergenſi*, & Nobilitatis *Montanæ* in *Franconiâ* Advocati filiâ, ex quâ decies Pater effectus, filium, tresque natas ſuperſtites reliquit.

Conſiliarius Norimbergenſis. Juris Profeſſor Altorfii.

A. 1606. Menſe Junio in numerum Conſiliariorum Reipublicæ *Norimbergenſis* receptus, poſt bimeſtre Profeſſionem Inſtitutionum in Academiâ *Altorfinâ* ſuſcepit.

A. 1613. Poſt obitum D. *Conradi Rittershuſii* Pandectarum Profeſſor, & A. 1616. in locum *Scipionis Gentilis* demortui Juris Profeſſor primarius deſignatus eſt. Cum Rectoratum in Academiâ ter laudabiliter geſſiſſet, tandem ſubitâ morte vivis ereptus, obdormivit 24. Nov. A.C. 1633. ætatis 54.

Subitò moritur.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta.

Fama Altorfina. in 4to.

De juſto rerum pretio definiendo, & quatenus in eo circumvenire liceat contrahentes Commentatiuncula. in 4to.

Hiſtoricæ Expoſitionis Lib. V. de ortu, vitâ, & rebus geſtis Baronis Georgii Ludovici à Seinsheim, ſub nomine ficto Thraſybuli Leptæ.

Diſputationes de Monetæ mutatione quoad ſolutionem. in 4to.

Oratio de Natali altero Academiæ & Promulgatione Privilegiorum Doctoralium. in 4to.

Concluſiones tàm Contractuum quàm contentionum obſcur. in 4to.

Oratio de Milite Veſpertilione, edita à Chriſtophoro Ludovico Dietherro in Theſauro Practico Beſoldino pag. 508.

Epiſtolæ ad varios & variorum ad Dinnerum exſtant unà cum Richterianis. in 4to.

Oratio in creatione 5. Doctor. Juris habita. in 4to.

Diſputationes publicæ habitæ, de Venatione: de Academiis: de Majeſtatis jure & privilegiis.

HENRICUS NEUENHANUS.

Obiit A.C. 1634.

ISenaco-*Thuringus* natus eſt 5. Nov. An. C. 1590.

Juris Doctor & Profeſſor Hiſtoriarum Jenæ. Conſiliarius Schwartzenburgicus.

27. Nov. An. 1620. in *Salanâ* Jurium Doctor renuntiatus, & Profeſſor Hiſtoriarum ac Poëſeos 20. Aug. An. 1625. factus, paulò poſt *Jenâ* diſceſſit *Ilmenam*, futurus in aulâ *Ludovici Guntheri*, Comitis *Schwartzenburgici*, & *Hohnſteinii* Conſiliarius.

Moritur.

Ibi è vivis diſceſſit 27. Febr. An. C. 1634. ætatis 44.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Bayeri*, qui hoc ei ſcripſit *Epigramma*:

Epigramma.

Naſcitur Henricus Neunhanus in Iſidis Urbe,
Arx cui Wartburgum proxima ſtructa venit.
Juridicus Jenæ Doctor, Sophicusq; Profeſſor
Audit & Ilmenæ Conſiliator obit.

SIGISMUNDUS HAFNERUS.

Obiit A.C. 1634.

SPiræ natus, Patre cognomine, Comite *Palatino* Cæſareo, & Tribunalis Advocato ac Procuratore, ex matre *Johannâ Kircheriâ*, 19. Nov. A. 1564. Cum in Scholâ patriâ literarum fundamenta poſuiſſet, in Academiis *Argentinenſi*, *Jenenſi*, & *Tubingenſi* ſtudium Juridicum feliciter excoluit, & poſt-

Juris Doctor Baſileæ. poſtquàm *Galliam* cum *Belgio* perluſtrâſſet, A. 1593. *Baſileæ* Doctorales honores ſolenniter accepit.

Cameræ Spirenſis Advocatus & Procurator. An. ſeq. 1594. Reverſus in patriam, mox Cameræ Cæſareæ Advocatus, & A. 1597. Procurator conſtitutus eſt.

In Conjugio triplici vixit: ductâ 1. An. 1595. Virgine *Barbarâ, Wilhelmi Nelſpachii*, Miniſtri *Hanovici* filiâ, ex quâ 10. liberos ſuſcepit.

Hâc An. 1610. defunctâ, A. 1611. ſponſalia reiteravit cum virgine *Marthâ Sibyllâ*, Dom. D. *Hieronymi Reinharti*, Judicii Cameræ Aſſeſſoris filiâ, quæ ſterilis A. 1627. obiit.

An. 1629. Uxorem tertiam duxit virginem *Eleonoram*, Dom. *Ruperti Schlumpfii* filiam, quam ſuperſtitem reliquit.

Moritur. Cum tandem duobus menſibus æger decubuiſſet, viribus aſſumptis in Chriſto placidè exſpiravit 10. April. An. C. 1634. ætatis 70.

* *Ex Concione funebri Johannis Georgii Notteri, Paſtoris Eccleſiæ Spirenſis.*

Obiit A.C. 1634.

ORTOLPHUS FOMANNUS Pater.

Filius Theologi. Lucem primitùs adſpexit *Sileſii*, ſive *Sleuſingæ* in Comitatu *Hennebergico* 23. Jan. A.C. 1560. Pater ejus fuit M. *Jacobus Fomannus*, Eccleſiæ iſtius loci Paſtor & Decanus, Gymnaſii Inſpector ſuperior: Mater *Margaretha*, M. *Sebaſtiani Steudens*, Paſtoris primùm *Magdeburgenſis*, poſt *Erfordienſis* filia.

Fratrem habuit *Erneſtum Fomannum*, J.C. Conſiliarium *Saxo-Coburgicum* Secretiorem, & Conſiſtorii illius Præſidem.

Jenæ Magiſter Philoſophiæ. Cum in Gymnaſio patrio fundamenta piæ eruditionis feliciter jeciſſet, uberioris iſtius comparandæ gratiâ An. 1580. in Academiam *Jenenſem* miſſus, tanto ardore ſtudia ſua urſit, ut non ſolùm altero anno pòſt 1582. 23. Januarii gradu & honore Magiſterii cum laude fuerit ornatus, ſed etiam

Profeſſor Philoſophiæ. Inſpector Stipendiariorum Ducalium. A. 1588. in Facultatis Philoſophicæ Adſeſſorum ſeu Adjunctorum, & anno ſeq. Profeſſorum Ordinem cooptatus, ejusque fidei unà Stipendiariorum Ducalium Inſpectio commendata fuerit.

Philoſophico ergò in Lycéo publicè docuit ea cumprimis, quæ literaturæ ſunt politioris; privatâ verò induſtriâ Juris ſtudium, cui animum applicaverat, ita pertexuit, ut an. 1595. 20. Octobris die Lauream

Doctor Juris. Doctoralem utroque in Jure, proclamatione præviâ, reportârit, primus in æde Collegii Sacrâ (nam in templo oppidano antehac promotiones haberi ſuperiorum Facultatum ſolebant) Doctor renuntiatus.

Juris Profeſſor. Aſſeſſor Curiæ Provincialis & Dicaſterii. Poſthâc 21. Maji an. 1599. ex Philoſophicâ translatus in Juridicam Facultatem, & Jura docere juſſus, pauló pòſt ad Curiæ Provincialis & Dicaſterii publici ſeu Scabinatus, qui *Jenæ* eſt, Aſſeſſorum allectus fuit.

Senior & Ordinarius Facultatis Juridicæ. Progreſſu temporis Senioris in Facultate ſuâ an. 1607. tandemque an. 1619. 25. Aug. Ordinarii locum & Officium, *Virgilii Pingiseri* Succeſſor, obtinuit. Adſeſſorem præterea id temporis Conſiſtorii Eccleſiaſtici *Saxonici* egit, multas Legationes obivit, Decanatûs munere in Facultate Philoſophicâ tertiâ vice, in Juridicâ plurimâ, Rectoratûs Academici quartâ functus fuit. Perilluſtres inſuper Comites *Schwartzenburgici*, ad annos 15. & *Ruthenici* Barones ad 14. Conſiliario fuêre ipſo uſi. Vir verò tantæ eruditionis & auctoritatis cum eſſet, nullo ambitionis æſtu fervidus alios præ ſe habuit contemptui, vel offendere unquam voluit, humanitatis, concordiæ, pacis & tranquillitatis ſtudioſiſſimus, erga omnes pares & inferiores officioſiſſimus.

Aſſeſſor Conſiſtorii Eccleſiaſtici. Ter Academiæ Jenenſis Rector. Conſiliarius Comitum Schwartzenburgicorum & Baronum Ruthenicorum.

Conjugium ejus duplex. In conjugio vixit gemino, utroque tranquillo & fertili. Prior uxor fuit *Nicolai Schoberi*, Præfecturæ *Jenenſis* Quæſtoris filia *Chriſtina*, quam duxit 28. Aug. A.C. 1587. Pater ex eâ factus filiarum duarum, quarum prior *Chriſtina* an. 1589. nata D. *Johanni Suevio*, Conſiliario *Saxonico* & Antecesſori *Salanæ* an. 1609. elocata, an. 1625. è vivis exceſſit: poſterior *Margaretha*, *Stephano Grünpecken*, *Graziâ Styro*, qui propter religionem exul primùm *Jenæ*, poſt in pago Geſchwitz ſedem fixit, A. 1608. nuptui data, undecies hunc avum, & ex filiâ honeſtè elocatâ bis proavum reddidit.

Generi, D. Joh. Suevius, J.C. & Stephanus Grünpeck.

D. Georgii Myli, Theologi gener. Altera conjunx, quam priori an. 1594. denatâ, 20. Octob. an. 1595. quo tempore Doctoralis eidem inſula fuit collocata, in tori ſociam adſumpſit, fuit D. *Georgii Mylii*, Theologi olim & Superintendentis *Jenenſis* filia *Barbara*, quæ parentem ipſum fecit filiæ unius, ac filiorum trium. Illa A. 1596. nata, & matri cognominis in Baptiſmo facta, pòſt D. *Petro Leipoldo*, J.U.D. Conſiliario *Saxo-Coburgico* an. 1615. matrimonio juncta ſexies avum eum fecit, & an. 1633. præmiſſos jam ante 5 liberos ad beatorum ſedes ſecuta, huic mundo valedixit.

Gener ejus D. Petrus Leipoldus.

Filius Ortolphus Fomannus, J.C. Ex filiis natu maximus *Ortolphus Fomannus*, Juris Doctor, Hiſtoriarum & Poëſeos in patriâ fuit Profeſſor publicus, Curiæque Provincialis Aſſeſſor extraordinarius. Secundus natu fuit *Georgius*, A. 1624. hâc ex vitâ, filiolo *Johanne Georgio* relicto, ereptus. Tertius & *Jacobus* Juris utriusque Doctor. Ex liberis itaque ſuis nepotes pronepotesque 27. ſuperſtites vidit.

Moritur. Cum tandem ex lapſu coſtam ſpuriam in ſiniſtro hypochondrio fregiſſet, ut dolores indè ſentiret acutos, medicamenta quidem non neglexit, quibus coſta fracta coaluit firmiter doloresque mitigati ſunt: viribus verò ſenſim concidentibus, inter adſtantium conjugis, filiorum, & generi unius preces obdormiſcenti ſimilis placidè exſpiravit 19. Maji A.C. 1634. ætatis 75.

6. Martii an. ſeq. 1635. Oratione parentali laudatus à M. *Philippo Horſtio*, Philoſophiæ Practicæ Profeſſore Publico.

Epicedium Andreæ Oſterreicheri, Cob.

Epicedium. *Ortolphus Foman ſenior Jur. utrs. Do. Conſiliarius Saxonicus ordinarius, Curiæ Provincialis & Scabinatus Jenenſis Aſſeſſor, Profeſſor publicus, piè denatus.*

Per Anagramm. Tetraſtich.

Non Pax, Lis cunctis (inviſum) re inſonat oris,
Undè ortos caſſis judicat ipſe favor.
Dira lues ſparſa, ac vis lethi ſubrepit Orbi,
In cœlis verſans ſoſpes honore fruor.

Edidit:

Scripta. *Collegia Diſputationum ſuper Inſtitutiones Imperatorias, Digeſta, & Conſuetudines Feudales.*

Volumina manuſcripta habuit multa Sententiarum Deciſivarum, & Conſiliorum petitorum, & Prælectionum per annos 34. habitarum.

* *Ex Programmate funebri Rectoris Jenenſis D. Valentini Riemeri, J. C.*

Obiit A.C. 1634.

GEORGIUS HORNIUS.

NAtus eſt *Pœnici* in *Thuringiâ* Menſ. Jul. A. 1562. Patre Johanne, Pannifice: Matre *Catharinâ, Johannis Rahnii*, ejus oppidi Conſulis filiâ.

Cum rudimenta literarum cepiſſet haurire, puer undecennis *Wittenbergam* miſſus in Scholam oppidanam, Rectore M. *Leonharto Etslero*, Conrectore M. *Erneſto Hettenbachio*, Græcam & Latinam literaturam uberiùs hauſit, & in eo genere ſtudiorum

Poëta. egregios fecit progreſsús: nam & poëſin adjunxerat, in quâ libenter ingenium, nec infeliciter, exercuit non adoleſcens tantùm, ſed major etiam & grandior.

His fretus opibus, peregrè profectus eſt in *Ungariâ, Auſtriâ, Moraviâ, Sileſiâ*que expertus fortunam, cum aliis tum Illuſtribus etiam Viris operam ſuam elocaret.

A. 1599. *Wittenbergam* rediit, & præter

Juris ſtudioſus. alia ſtudia Jurisprudentiæ etiam operam dare cœpit, cujus non tantùm capita quædam publicè deinceps diſputavit, ſed etiam Juris Inſtitutiones Juſtinianéas tyronibus nonnullis interpretatus aliquando eſt. Quo factum, ut cum Illuſtriſſimus *Saxoniæ* Princeps *Auguſtus*, *Chriſtiani I.* Electoris filius, ſtudiorum causâ *Wittenbergæ* viveret, puerorum nobilium, qui in comitatu ejus erant, inſtitutioni præfectus fuerit: poſteà

Advocatus Conſiſtorii Eccleſiaſtici. autem locus ipſi inter Eccleſiaſtici Advocatos Conſiſtorii aſſignaretur, quas partes gnaviter adminiſtravit.

Tandem ſenio laſſus & feſſus annis, fatali

Moritur apoplexiâ. apoplexiâ correptus, cubitum iturus cum morte ipsâ continuavit quietem illam, quod factum 25. Maji A.C. 1634. ætat. 72.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Obiit A.C. 1634.

GEORGIUS HETTENBACHIUS.

NAtus eſt *Wittenbergæ* A.C. 1593. Patre *Erneſto Hettenbachio*, Med. D. Profeſſore Publico, & ejus Collegii Seniore: Matre *Mariâ*, ex *Benewitziorum* (qui & *Apiani* vocantur) familiâ oriundâ, filiâ *Materni Benewitzii*, cognomento *Apiani*.

Fratres habuit *Balthaſarum*, Med. D. & Poliatrum *Pirnenſem*, & *Johannem*, *Lucavienſis* Reipublicæ Senatorem.

Literis à primâ pueritiâ diligenter excultus, ætate grandior, Juris Civilis ſtudio ſe dedit, inque id ſummâ induſtriâ incubuit.

A. 1621. *Luneburgenſis* cujusdam Patritii ſtudiis præpoſitus fuit, & in *Argentinenſem* Academiam cum eo miſſus. Ubi cum aliquandiu eſſet commoratus, alias quoque *Germaniæ* Academias & celebriores Civitates vidit ac perluſtravit.

An. 1624. *Argentinam* rediit aſſumendi Gradûs causâ, qui ſummus in eo genere habetur: fuitque Panegyris illa, in quâ creatus Doctor utriusq; Juris eſt, prima omnium, quæ in Academiâ illâ, poſt impetrata Privilegia de conferendis Doctorum honoribus, celebrata fuit. *Primus Juris Doctor creatus Argentinæ.*

Wittenbergam reverſus, 2. Nov. A. 1625. Conjugem duxit virginem *Mariam, Bartholomæi Krugeri*, Med. Doct. filiam, ex quâ filiam unicam ſuſcepit *Annam Mariam*. *Nubit.*

An. 1627. inter Advocatos ordinarios Judicii Provincialis in patriâ cooptatus, partes ſuas induſtriè adminiſtravit: Pietatis etiam cultor conſtantiſſimus fuit. Quibus rebus id conſecutus eſt, ut à bonis omnibus amaretur, cum & ſuavi lepidoque eſſet ingenio. *Advocatus Judicii Provincialis.*

Sed imbecilli corpore, quod ſæpè morbis tentaretur, donatus, cum paucis diebus, æſtibus febrilibus obrutus, lecto affigeretur, tandem in complexu uxoris placidè exſpiravit 14. Junii A.C. 1634. æt. 41. *Moritur febri ardente.*

Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.

Obiit A.C. 1634.

GOTFRIDUS REUTERUS.

NAtus *Bitterfeldæ*, oppido *Saxoniæ*, *Wittenbergæ* vicino, 14. Aug. A. 1585. Patre *Cunrado*, ejus oppidi per 35. annos Conſule: Matre *Annâ*, *Wolffgangi à Muchelu*, Salinarii *Hallenſis* filiâ.

In Ludo *Grimmenſi* artium & linguarum cognitione excultus ſexennio, A. 1604. in Academiam *Wittenbergenſem* venit, commendatus à Patre D. *Ægidio Strauchio*, Theol. poſteà Superintendenti *Dresdenſi*, ut diſciplinis Philoſophicis, quas tum temporis ille privatim cum applauſu docebat, imbueretur. *Wittenbergæ Philoſophiæ ſtudioſus.*

Poſteà ad Juris ſtudium applicuit animum, in quo brevi tempore eos profectus conſecutus eſt, ut privatas Scholas & Diſſertationes de eo inſtitueret. Quo nomine cum Dn. *Chriſtophoro à Los* in *Pilnis*, Sacri *Romani* Imperii Theſaurario & Conſiliario *Saxonico* commendatus eſſet, factum eſt, ut ejus filio *Chriſtiano* director ſtudiorum *Dresdæ* adjungeretur. *Jura privatim docet.*

Quâ functus provinciâ, cum *Wittenbergam* rediiſſet, aliis nobilibus adoleſcentibus

eandem

candem operam addixit, & ita vetera ſtudia tractavit, ut habitâ diſputatione ſolenni honores Doctorales A. 1604. impetrârit.

Doctor Juris creatur.

Indè agere cauſas & verſari in foro cœpit, eâ integritate animi, ut magnam apud omnes conſequeretur laudem.

Juris Profeſſor.

A. 1617. inter Juridicæ facultatis Aſſeſſores cooptatus, Jus 10. annos publicè docuit, quippè cui Provincia hæc A. 1624. demandata fuerit, quo ipſo tempore & viduæ Electorali *Lichtenburgi*, & *Anhaltinæ* in *Coswig* à Conſiliis eſſe cœpit.

Conſiliarius Saxonicus & Anhaltinus.

Rectoratu in Academiâ ſemel functus eſt, Juridici Ordinis Decanatum ter geſſit.

Conjugem duxit.

Conjugem duxit A. 1622. d. 3. Sept. *Eliſabetham*, *Johannis Netboſii*, Mercatoris primarii, *Pragæ* & Curatoris Eccleſiæ Evangelicæ filiam, ex quâ 3. filios totidemque filias ſuſcepit. Septimam prolem in utero geſtavit mater orba marito.

Hemiplegiâ moritur.

Tandem cum ab annis aliquot morbo hypochondriaco graviter laboràſſet, & hemiplegia dextri lateris acceſſiſſet, poſt trimeſtres labores & dolores, quos ſolitâ pietate animi ſuperavit, placidâ morte exſpiravit 20. Junii A.C. 1634. æt. 49.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

EPITAPHIUM ejus in Templo Parochiali:

Epitaphium.

DEO OPT. MAX. SACR. ET MEMORIÆ GODOFREDI REUTERI J. C. ET ANTECESSORIS IN ACAD. WITEB. IN QUA DE JURE INTER ANTECESSORES AMPLISSIMI ORDINIS RESPONDIT ANNOS XVII. PROFESSOR ORDINARIUS PUBLICE DOCUIT ANNOS X. ET TOTIDEM SERENISSIMÆ ELECTRICE IN LICHTENBURG ET ILLUSTRISS. ANHALDINÆ PRINCIPIS IN COSWIG VIDUIS A CONSILIIS FUIT, NON SINE MAGNA INNOCENTIÆ, INTEGRITATIS, DOCTRINÆ, FIDEI ET PRUDENIÆ LAUDE. NATUS EST BITTERFELDÆ DIE XIV. AUG. AN. MDLXXXV. OBIIT WITTEBERGÆ DIE XXVII. MENSIS JULII AN. MDCXXXIV. CUM JAM TRES INTEGROS MENSES DECUBUISSET, POST VII. LIBEROS QUOS GENUIT, INSIGNE PIETATIS, PROBITATIS, CANDORISQUE EXEMPLUM OMNIBUS RELINQUENS CONJUNX M. P.

* *Ex Bibliothecâ Academiæ Wittebergenſis Andreæ Sennerti.*

Clar. A.C. 1634.

HERMANNUS VULTEJUS.

Filius Profeſſoris Marpurgenſis.

NAtus Veteris *Haſſorum* oppido 16. Dec. A.C. 1555. Patrem habuit *Juſtum Vultejum*, Hebraicæ linguæ Profeſſorem in Academiâ *Marpurgenſi*, & Pædagogiarcham, Matrem *Catharinam Fottiam*.

Studiorum ejus progreſſus celeres quidem, non præcoces tamen fuerunt; Quarto enim ætatis anno in Scholâ patriâ literis imbui cœpit, decimo quarto ad Lectiones publicas *Marpurgi* admiſſus, decimo quinto Baccalaureus à *Petro Nigidio* ſeniore Phyſices Profeſſore renuntiatus, & decimo nono Philoſophiæ Doctor à *Bernhardo Copio*, linguæ Græcæ Profeſſore, creatus fuit, ubi inter 14. Philoſophiæ Candidatos locum obtinuit ſecundum.

Marpurgi Baccalaureus & Magiſter.

Principia Philoſophiæ ſub patre & *Petro Nigidio* in Phyſicis, *Victorino Schonfeldio* in Matheſi, *Copio* in Græcis, & *Petro Nigidio* juniore in Philoſophiâ Practicâ ibidem hauſit.

Heidelbergæ ſtudioſus Philoſophiæ & Linguarum.

Heidelbergæ deindè per triennium ferè Profeſſoribus clariſſimis, *Zachariæ Urſino* in Phyſicis & Hebraicis, *Lamberto Pithopœo* in Mathematicis, *Guilielmo Xylandro* Organi *Ariſtotelici* interpreti, *Hermanno Witekindo* Græca docenti, *Matthæo Lanoio*, Philoſophiæ Practicæ enarratori, & *Immanueli Tremellio*, Theologo inſigni, in Hebraicis publicè & privatim operam dedit: quo tempore & *Hieronymum Zanchium*, Locos communes Theologicos tractantem, audivit, ac per intervalla quoque Poëſin excoluit.

Juris ſtudioſus Marpurgi.

Poſt abſolutum quadriennii ſpatio Philoſophiæ & Linguarum curſum, Juris ſtudium aggreſſus eſt, florentibus tunc in Academiâ *Haſſiacâ* J.C.tis *Reguero Sixtino*, *Hermanno Leisnero*, & *Nicolao Vigelio*, privatâ *Johannis Antrechti*, ſororii mox ſui inſtitutione non parùm adjutus.

Genevæ.

Genevæ verò familiariter uſus eſt *Franciſco Hotomanno* & *Julio Pacio*: ubi & de difficili Pactorum materiâ magno cum *Germanorum Gallorum*que applauſu diſputavit, & permiſſu Academiæ Collegium Inſtitutionum, ut & Dialecticum & Oratorium aperuit.

De Pactis diſputavit.

Patavii.

Patavii docentes audiens, *Jacobum Menochium*, *Tiberium Decianum*, *Cephalum*, & *Socinum*, vaſtum illud Juris pelagus feliciter emenſus, ac peragratâ *Galliâ* & *Italiâ* Academiisque & Scholis *Bononienſi*, *Senenſi*, *Piſanâ*, *Romanâ*, *Neapolitanâ*, *Taurinenſi*, *Ticinenſi*, *Argentoratenſi*, *Dolanâ*, aliiſque perluſtratis, an. æt. 24. in Academiâ *Baſileenſi* ſummos in utroque jure honores petiit & obtinuit. In patriam reverſo, illicò defertur Profeſſio linguæ Græcæ, (ubi paulò poſt nuptias celebravit *Marpurgi* cum virgine *Eulaliâ*, *Wigandi Happelii*, J. C. p. m. filiâ, ex quâ poſt 13. liberorum pater factus, poſt ſe tantùm reliquit *Johannem Chriſtophorum*, Conſiliarium *Haſſiæ* jam mortuum, & *Johannem Vultejum*, *Haſſiæ* Cancellarium adhuc ſuperſtitem,) anno ſeq. Academiæ Syndicatus, mox & Profeſſio Inſtitutionum Juris Civilis, & non totis decem annis interjectis D. *Sixtino* ex Academiâ in aulam à *Mauritio*, *Haſſiæ* Landgravio, attracto, in primariâ Juris Profeſſione ſucceſſit. Docebat tunc tantâ famâ, ut ex omnibus *Europæ* partibus ſtudioſi ad eum audiendum accurrerent.

Academias Italiæ, Galliæ & Germaniæ perluſtravit.

Juris Doctor Baſileæ.

Linguæ Græcæ Profeſſor.

Syndicus Marpurgi.

Sixtini ſucceſſor in primariâ Juris Profeſſione.

Nec minor erat in Curiâ: ſive enim in Dicaſterio *Haſſiaco*, quod *Marpurgi* eſt, jus diceret, ſive Facultatis ſuæ nomine reſponſa conciperet, ſive denique ſolus conſultus Regibus, Principibus, civitatibus privatis

Vocationes ejus.

de jure reſponderet, ſummam ubique æquitatem & exactam praxeos peritiam oſtendit.

Dux *Johannes Caſimirus*, Comes *Palatinus*, Cancellariatum ipſi adhuc juveni & 32. ætatis annum vix egreſſo obtulit.

Sub idem tempus Academia *Heidelbergenſis* ipſum *Hippolyto à Collibus* ſucceſſorem deſtinavit: eademque non multo pòſt, cum diſceſſiſſet *Julius Pacius*, Profeſſionem ei primariam, ſi impetrari poſſet, decrevit.

Aliquoties tentatus, ut *Caſſellis* à latere Principis *Guilielmi* Conſiliarii munere fungeretur, id ſemper egit, ne vocatio ad ſe perveniret.

A Duce quoque *Brunsvicenſi*, officio Conſiliarii & primariæ Juris Cathedræ in Academiâ *Helmſtadienſi Johanni Borcholten* ſucceſſor deſtinatus.

Similiter à *Roſtochienſibus* ad Syndicatum Urbis & Profeſſionem in Academiâ deſideratus eſt. Sed & à Rege *Daniæ* an Cancellarii munus ad res *Germanicas* dirigendas in Regno ſuſcipere vellet ſollicitatus. Quas conditiones omnes conſtanter, gratiis actis, recuſavit. Procancellariatum verò Academiæ patriæ, reſignante *Leusnero*, à Principe *Mauritio* ſibi delatum, ſuſcepit & geſſit. Suſcepit & ſimul munus Conſiliarii *Suecici* ad res *Germanicas* à *Sueciæ* Rege honorifico ſtipendio ei oblatum.

Procancellarius Marpurgenſis.
Conſiliarius Suecicus.

Denique & in numerum Aſſeſſorum ſupremi *Haſſiæ* Senatus Eccleſiaſtici, eodem Principe *Mauritio* volente, cooptari ſe paſſus eſt.

Aſſeſſor Senatus Eccleſiaſtici.

A. 1624. Imperator *Ferdinandus II.* proprio motu ipſum Sacri Palatii Comitivâ ſtrenæ loco decoravit, nec minus Equeſtris dignitatis ac Conſiliarii Cæſarei dignitatem per Dominum à *Stralendorf*, Imperii Procancellarium, ei reluctanti obtulit.

Comes Palatinus, Eques & Conſiliarius Cæſareus.

Fuit ſtaturâ mediocri, habitu corporis gravi & decoro, acie oculorum vegetâ, facie valetudinis nuntiâ, quâ ſat proſperâ ad extrema usque vitæ tempora uſus eſt.

Fratres habuit duos, *Johannem* & *Chriſtophorum*, quorum ille *Rackenburgi* Archiater Archiducis *Auſtriæ*, hic *Haderslebiæ*, Regis *Daniæ* in *Jutriâ* Conſiliarius deceſſit, & ſororem unicam *Johanni Antrechto*, *Haſſiæ* olim Cancellario nuptam.

Duorum Doctorum frater.

Ex unico matrimonio cum *Adelheide*, *Wigandi Happelii*, J.C. & Profeſſoris *Marpurgenſis* filiâ unicâ, ſuſcepit 13. liberos, quorum 6. filii & duæ filiæ ante patrem diem clauſerunt.

Gener Wigandi Happelii Profeſſoris Juris Marpurgi.

Superſtites poſt ſe reliquit *Johannem Chriſtophorum*, Conſiliarium *Haſſiacum* cœlibem, & *Johannem Vultejum*, ad Pacis *Monaſterienſis* Tractatus Legatum, ad Cancellariatum deindè *Haſſiæ* evectum: tres item filias, unam *Chriſtophoro Deichmanno*, Pandectarum tunc in Academiâ *Marpurgenſi* Profeſſori, poſt Cancellario *Lippiaco* nuptam, alteram *Hieronymo Cotrichio*, Principis *Auraci* Conſiliario elocatam, & tertiam *Johanni Pfreundio*, Abbatiſſæ *Hervordenſis* Cancellariæ Directori nuptum datam, ex quibus multos nepotes neptesq; cum gaudio vidit.

Puer Johannis Vulteji, Cancellarii Haſſiaci.
Socer trium Cancellariorum.

Quarto ante exceſſum ſuum menſe Jubilæum quinquagenarii ſolenne, ita volente Principe *Georgio*, *Haſſiæ* Landgravio, celebravit, cum eodem actu neptem ex filiâ *Conrado Balthaſ. Pichtelio*, J.C. deſponderi vidiſſet.

Jubilæum Conjugii quinquagenarii celebravit.

Obiit tandem Vir pientiſſimus. morte placidâ 31. Julii A.C. 1634. ætatis 79. Profeſſionis 55. matrimonii 53. Aſſeſſoratûs in dicaſterio 54. Cancellariatûs 29.

Moritur.

HERMANNUS VULTEJUS.
Per Anagramma:
Sta unus Jure Lumen.
vel:
Es lumen ut Uranius.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Orationes duæ de vitâ & morte Guilielmi, & Ludovici ſenioris Haſſiæ Landgraviorum. in 4to.

Expoſitio XVI. poſter. titulor. lib. II. Inſtitutionum. in 8vo.

Commentar. in titulos Codicis de Juriſdictione & foro competenti. in 8vo.

Diſceptationum Juris Scholaſticorum lib. in 8vo.

In Guerrinum Piſonem de Feudis. in 8vo.

Jurisprudentia Romana cum annotationibus Winckelmanni. in 8vo.

Idea Juris. in 8vo.

Conſilia ſeu Reſponſa Doctorum & Profeſſorum Facultatis Juridicæ in Academiâ Marpurgenſi in IV. Volumina diſtributa. in fol.

Commentar. in IV. lib. Inſtitut. Civ. in 4to.

Exegeſis Summa Juris, quod eſt de Feudis. in 8vo.

Tractatus tres: 1. Idéa Juris Logica. 2. Diatribe de cauſis Juris conſtituentibus. 3. Expoſitio XVI. poſter. tit. lib. 2. Inſtitut. in 8vo.

Tractatus poſthumus de Judiciis in lib. IV. diviſus, operâ Johannis Authoris filii in lucem editus. in 4to.

Diſputatio de Jure dotium.

* *Ex Vitæ H. Vulteji deſcriptione Joh. Henrici Dauberi, J.C. Caſpar Cunradus, Proſopographiæ Melicæ P. III.*

Me Romana ſuum Jurisprudentia Myſtam
Jactitat, in laudes, diva Themiſta tuas.

GEORGIUS SCHULTZIUS.

Obiit A.C. 1634.

NAtus eſt *Leobergæ* in *Sileſiâ* menſ. Nov. A.C. 1599. Patrem habuit *Georgium Schultzium*, ejus Civitatis Conſulem: Matrem *Reginam Frobiam*.

Puer in Scholâ patriâ literas hauſit celeriter, quibus cum imbutus ſatis videretur, An. 1616. in Academiam *Wittenbergenſem* miſſus eſt, ut Juri Civili operam daret.

In hoc ſtudio eâ induſtriâ verſatus eſt, ut A. 1624. d. 17. Febr. à *Bartolomæo Reuſnero*, Facultatis Juridicæ Seniore cum laude Juris utriusque Doctor ſolenniter creatus fuerit. Cumque deinceps doctrinæ & ingenii præclara documenta dediſſet, an. ſeq. in J.C.rum Ordinem (cujus Decanatum ſemel adminiſtravit)

Juris Doctor creatur Wittebergæ.

Curiæ Electoralis Advocatus. ſtravit) & poſteà inter Electorales Curiæ, quæ *Wittenbergæ* eſt, Advocatos adſcriptus fuit.

Indè factum, ut non tantùm Comites de *Barby* eum ſibi Conſiliarium primò, deindè Cancellarium etiam legerint, ſed & J.C.rum Collegium dignum judicârit, cui Profeſſio *Juris Profeſſor.* Juris publica, ſi Electori ita viſum, committeretur.

Nubit. Conjugem duxit *Mariam Magdalenam*, *Bartholomæi Reusneri*, J.C. & Promotoris ſui filiam, eo ipſo die, quo Gradum conſecutus eſt: ex eâ ſuſcepit liberos quinque, filiolos duos, & tres filiolas: ex illis *Bartholomæum*, ex iſtis ſola *Maria Magdalena* Patrem ſupervixêre, reliqui infantes obierunt.

Periculoſo tandem morbo correptus, *Moritur.* quartâ poſt die plenus fidei & ſpei in Servatorem unicum vitâ exceſſit 5. Oct. An. C. 1634. ætat. 35.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Sequenti *Epitaphio* in Cœmiterio ſuburbano ante Portam *Elyſtr.* relicto:

Epitaphium. SUB HOC MONUMENTO QUIESCIT VIR CLARISSIMUS ATQUE EXCELLENTISSIMUS DN. GEORGIUS SCHULTZIUS LEORINUS SILESIUS U. J. D. FACULTATIS JURIDICÆ ASSESSOR, CURIÆ PROVINCIALIS ELECTORATUS SAXON. ADVOCATUS ET PRACTICUS, NEC NON ILLUSTRISS. ET GENEROSISSIMORUM COMITUM BARBIENSIUM QUONDAM CANCELLARIUS ET CONSILIARIUS, QUI NATUS EST LEOBERGÆ IN SILESIA AN. A NATO CHRISTO MDXCIX. D. XI. SEPTEMBR. MORTUUS VERO D. V. OCTOBR. WITEB. A. MDCXXXIV.

* *Ex Inſcriptionibus Wittebergenſibus Andreæ Sennerti.*

Scripta reliquit:

Scripta. *Synopſin Inſtitutionum cum tit. de Verborum ſignificatione & diverſis regulis Juris antiqui.* in 8vo.

Paratitla Conſtitutionum Electorum Saxoniæ. in 12mo.

Synopſin judiciariam ex Jure novo, quo hodiè in Imperio Romano-Germanico utimur, nec non receptis in foro opinionibus deſumtam. in 12mo.

Synopſin Juris Feudalis Rom. Germ. Imperii. in 8vo.

Proceſſum Judiciarium. in 4to.

Tractatum de Oblatione, Obſignatione, & Depoſitione pecuniæ ſeu rei debitæ. in 12mo.

Arboris Conſanguinitatis & Affinitatis expoſitionem. in 12mo.

Obiit A.C. 1634.

JOHANNES SUEVUS.

A *Nnæbergâ-Miſnicus* natus An.C. 1564. Vulgò Schwabe vocatus.

Promotus *Lipſiæ* & Philoſophiæ Magiſter, & Juris utriuſque Doctor 24. Octob. A. 1605.

Profeſſor Juris Jenæ. *Jenam* profectus eodem anno, die 13. Dec. inter Profeſſores publicos receptus eſt.

Exindè *Altenburgum* migravit, Conſiliarius aulicus & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Præſes conſtitutus 30. Jan. A. 1616. *Conſiliarius Altenburgicus.* Poſtliminiò *Jenam* rediens, 20. Januarii An. 1624. priorem adeptus ſpartam, eam ad obitum ornavit, mortuus 13. Dec. A.C. 1634. æt. 70. *Moritur.*

Annuos cenſus S.S. Miniſterio Eccleſiaſtico & Scholaſtico apud *Jenenſes* obvio An. C. 1617. Jubilæo *Lutheranorum* primo legavit, quos Quæſturæ *Roslavienſis* Præfectus, ex mandato Aulæ *Saxo-Altenburgicæ* præſcripto, quotannis circa feſtum *Michaëlis* ſolvere tenetur.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium Adriani Beyeri*, qui hoc ei adſcripſit *Epigramma* honorarium:

Epigramma.

Gratum culta Gradum tibi Lipſia, Jena, ſed inter
Juris Conſultos nomen habere dedit,
Johannes Suevi: Criticorum phosphore & Vates
Non male: Juridici claraque ſtella poli.

Obiit A.C. 1634.

MARCUS GERSTENBERGERUS Filius.

B *Leicheradæ*, in Comitatu *Hohnſteinenſi* natus eſt 5. Junii A.C. 1583. Patre cognomine, Domino à *Schwerſtätt*, *Drackendorff*, *Schiebelau*, & *Leitenthal*, Jurium Doctore, Cancellario *Saxo-Vinarienſi*, & Conſiliario Electoris *Saxoniæ* intimo: Matre *Annâ*, *Johannis Köleri*, Sylvarum Præfecti *Saxo-Altenburgici* filiâ.

A. 1595. æt. 12. miſſus in Univerſitatem *Jenenſem*, linguarum & Jurium ſtudiis operam dedit uſque ad an. 1600. quo *Marpurgum*, & exindè *Argentoratum* ac *Baſiléam* diſceſſit. *Studioſus Juris Jenæ, Marpurgi & Argentorati.*

Per *Galliam* poſteà ſuſcepto itinere, An. 1604. *Altenburgum* ad Dominum Parentem rediit, Matre intereà vitâ defunctâ.

Mox in aulâ Electoris *Saxoniæ* Conſiliarii aulici munus ſibi delatum aggreſſus, fideliter adminiſtravit, & An. 1611. Legationes in *Galliam*, *Angliam* & *Belgium* obivit. *Conſiliarius aulæ Saxonicæ. Legatus Saxonicus.*

A. 1612. Conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Annâ Barbarâ*, D. *Johannis Badebornii*, Conſiliarii Elect. intimi filiâ. *Conjugem duxit.*

Deindè à *Johanne Philippo*, Duce *Saxoniæ*, Præfectus *Leichtenburgi*, *Orlamundæ*, & *Rodæ* factus, cum ob corporis infirmitatem munere eo ritè fungi nequiret, reſignato illo An. 1624. cum conjuge *Dresdam* ſe contulit.

Ibi cum per ſeptimanas aliquot ægrotus decubuiſſet, viribus aſſumptis placidè exſpiravit 14. Dec. A.C. 1634. æt. 52. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Chriſtiani Zimmermanni, Concionatoris Dresdenſis.*

Obiit A.C. 1635.

JULIUS PACIUS.

V *Icentiæ* natus eſt, Patre *Paulo*, Matre *Lucretiâ Angiolettâ* A.C. 1550.

Triennio minor fuit fratre *Fabio Pacio*, Medico celebri. *Berigæ* cognomen tulit à vico *Vicentiæ* vicino, qui meridiem verſùs collem *Bericam* reſpicit.

Juvenis

Juvenis nondum exacto ætatis anno 13. Arithmeticæ Libellum conſcripſit.

Juriſprudentiæ ſtudioſus. *Patavium* adoleſcens miſſus, cum *Fabio* fratre Philoſophiam, mox Juriſprudentiam didicit. In patriam reverſus, & amicis deſtitutus, mox per *Alpes Rhæticas* ad *Lacum Lemannum* contendit. Ibi primis annis in Philoſophiâ juvenes informavit, donec editis ingenii monumentis publico docendi munere ornaretur.

Uxorem ducit. Tum nobilem *Lucenſem* uxorem ſibi delegit, quæ 10. natorum patrem fecit.

Profeſſor Philoſophiæ Heidelberg. Intereà in Academiam *Heidelbergenſem* evocatus, Organum *Ariſtotelis* interpretatus eſt, cum linguâ Græcâ plurimùm valeret.

Philoſophiam deindè ibi magno diſcipulorum concurſu publicè docuit.

In *Pannoniam* indè accitus, Jus Civile illis regionibus magis neceſſariam docuit. Cœterùm *Galliæ* famâ invitatus, cum *Henricus*, Dux *Bullioneus*, *Sedani* Academiam novam aperuiſſet, in eâdem Logicam docuit, & *Profeſſor Logices Sedani.* poſt exiguam ibi moram, ob belli rumores, ad *Allobroges* rediit.

Indè *Nemauſenſi* Gymnaſio præfectus, poſteà in celebri *Montis Peſſulani* Gymnaſio Regiam Cathedram obtinuit.

Juris Profeſſor Valentiæ. Conſiliarius Regis Galliæ. Tandem *Valentiam* profectus, in eo Lycéo docens, Civitatis Jure donatus, Regis *Galliæ* Conſiliariis adſcriptus, & annuo 600. Coronatorum honorario Conſilio *Gratianopolitano* adſcitus eſt.

Juris Profeſſor Patavii A. 1618. Defuncto *Jacobo Gallo*, Gymnaſii *Patavini* primario Juris Civilis Profeſſore, Senatûs *Veneti* decreto, ſtipendio 1200. Coronatorum, & 400. viatico invitatus, eidem Reipublicæ Libellum de *Jure Maris Adriatici* præmiſit.

Eques D. Marci. Ipſi mox ſeculo Equeſtris dignitas cum torque aureo 300. Coronatorum collata eſt. Filius etiam ipſius *Jacobus*, itineris Comes, in Profeſſorum Juris Civilis numerum adſcriptus.

Patavium cùm veniſſet, die Orationis ſolennitati indicto auditores novo exemplo Scholarum ſubſellia magnâ ſollicitudine occupârunt, tum vitæ ſuæ & itinerum rationem ad unguem memorantem attentè audiverunt. Abindè ſemper in confertâ auditorum coronâ è ſuggeſtu Jura docuit.

Exacto *Patavii* vix anno, cum aeris & victûs mutationem graviter ferret, impe- *Iterum Valentiæ Jura docuit.* trato à Gymnaſii Moderatoribus in *Galliam* reditu, *Valentiam* repetiit, ubi 1000. Coronatorum ſtipendio ad decrepitam ſenectu- *Moritur.* tem usque docuit, & placidè pièque vitam clauſit A. C. 1635. ætatis 85.

Filios 4. Juris Laureâ ornatos vidit, quorum *Laurentius* & *Juſtus Julius* præcipuis Cathedris in *Galliâ* expetiti, immaturo fato obierunt, *Paulus* ſummo ſplendore familiam ſuſtinuit, *Jacobus*, literis & armis clarus, poſtquam cum Patre ex *Italiâ* rediiſſet, ab Epiſcopo *Valentiæ* Judicis dignitatem *Divioni* obtinuit.

Scripta. Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Synopſis Juris Civilis.
Editio Corporis Juris Civilis cum Notis & Legum argumentis.
Analyſis Inſtitutionum Imp.
Legum Conciliatarum Centuriæ X.
Oeconomia Juris.
De Contractibus Tractatûs VI.
Iſagoge in Inſtitutiones Imp. Lib. IV.
Notæ in easdem.
De Juris Methodo Libri II.
Tract. de Gradibus affinitatis.
De Dominio Maris Adriatici.
Diſceptatio inter Regem Hiſp. ob Regnum Neapolitanum & Rempublicam Venetam.
Artis Lullianæ emendatæ Libri IV.
De conſervandâ memoriâ Tract.
Opus Peripateticum Logicæ.
Libri de Cœlo, & de Animâ Græci & Lat. cum Comment.
Doctrinæ Peripateticæ Tomi III. I. Logicus: II. Philoſoph. III. Politicus.
Comment. ad tit. Cod. de rebus creditis, ſeu obligationibus, quæ recontrahuntur.
Comment. in Tit. de Pactis & Transactionib.
Epitome Juris ſecundum ordinem Inſtit. Imp. digeſta.
In Decretales Lib. V.
Picturæ II. de gradibus ſecundùm Jus Civile & Canonicum.
Organum Ariſtot. Græcum & Latinum cum Notis.
Phyſici Libri VIII. Græci & Latini cum Comment.
Inſtitutiones Logicæ in uſum Scholæ Sedanenſis.
Rudimenta Logicæ.
Logicæ Diſputationes.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Vitæ ſuæ curſum his verſibus ipſe circumſcripſit:

Urbs genuit, Venetis condens quam Gallus in oris,
Hoſtibus à victis nomen habere dedit.
Pacis ubi, & Berigæ noſtræ cognomina gentis
Clara per innumeros inveniuntur avos.
Cum fratre à teneris, juſſu Patris, excolor ambo,
Hellados & Latii ſcripta diſerta legens.
Miſſus in illuſtrem poſt hæc Antenoris urbem,
Et Sophiæ juſſis imbuor & Themidis.
Tum fatum injuſti fugientem tela furoris
Detulit ad fines, terra Lemanna, tuos.
Tu vitæ ſociam primâ florente juventâ
Junxiſti: decies me facit illa patrem.
Evocat hinc luſtris tradentem Jura duobus
Pannonia, & retinet tempore penè pari.
Abſtrahor à caris, colui quos ſemper, amicis,
Moribus averſis, livida turba, tuis.
Pace peto Muſam, mox linquo bella gerentem,
Antiquo Allobrogum reddor & hoſpitio.
Sed ſi hinc pertraxit Rectoris læta Nemauſus
Imponens humeris munera juncta meis,
Cur revocas? præſtare vetant, en optime Princeps,
(parce piæ menti) juſſa ſuperba fidem.

Non

Non tamen invitum retinebor tempore longo,
Auro libertas gratior eſſe ſolet.
Excipit hinc igitur vicina Academia, tandem
Sed Placentinâ, Rege jubente, locans.
Hactenus adverſam expertus, ſortemque ſecundam.
Evaſi invictus. Scire futura nefas.

Obiit A.C. 1635.

FRANCISCUS HESSIUS.

NAtus eſt *Torgæ*, oppido in *Miſniâ*, 24. Dec. A. C. 1567. Patrem ſortitus fuit *Danielem*, Senatorii Ordinis, Matrem *Catharinam*, ex antiquâ & celebri *Hoppiorum* familiâ oriundam.

Literis & artibus liberalibus in patriâ cum probè eſſet eruditus, primò *Hamburgum* profectus, ibi quibusdam pueris nobilibus præfectus eſt inſtituendis, in quâ provinciâ cum duos años integros manſiſſet, *Brunsvigam* profectus, pædagogi partes denuò adminiſtravit.

Pædagogus Brunsvigæ.

Indè in Academiam *Wittenbergenſem* venit A.C. 1589. & Juris ſtudio ſe totum dedit. Anno ſequenti in Academiam *Juliam* diſceſſit. Ibi poſteaquàm Notarius Publicus creatus eſſet, ab *Henrico Pappenburgero*, S. Palatii Comite, & illius Academiæ Prorectore, A. 1592. *Wittenbergam* rediit, ut ſtudia cœpta continuaret, & cauſas in foro tractaret.

Notarius Publicus.

Cauſarum Forenſium actor Witteberga.

Indè An. 1593. per *Sileſiam* in *Bohemiam* contendit, ibique Illuſtri Dom. *Melchiori à Rödern*, Conſilario Cæſareo, & Duci Copiarum, cujus magna opera in Bellis *Hungaricis* fuit, ſe addixit, ut ab Epiſtolis eſſet. Sed eo munere paulò pòſt depoſito, *Torgam* in patriam rediit, & denuò forum ingreſſus eſt.

Secretarius bellicus.

A. 1597. menſ. Martio *Wittenbergam* ad capeſſendum Protonotarii munus evocatus, id per annos 39. ita adminiſtravit, ut nec fidei nec induſtriæ quicquam à ſe deſiderari pateretur.

Protonotarius Wittebergenſis.

Brevi pòſt Conjugem duxit *Mariam*, M. *Davidis Meſii*, Proelectoris *Friderici Wilhelmi*, Concionatoris aulici filiam, cujus mater *Maria Keſtneria*, magni illius Theologi *Martini Lutheri* ex ſorore neptis fuit.

Conjugem duxit.

Ex hâc 8. liberos ſuſtulit, filiam unam, *Catharinam*, M. *Andreæ Schniſio*, Eccleſiæ Cathedralis, quæ *Brandenburgi* eſt, Paſtori collocatam, ſed jam olim demortuam, filiosque ſeptem, de quibus ſolus *Samuel* ſuperſtes manſit, & Notarius publicus fuit: *Daniel Johannes* An. 1630. *Baſileæ* mortuus eſt, cum paulò ante Medicinæ Doctor fuiſſet creatus, *Franciſcus* verò Philoſophiæ Magiſter uno ante patrem anno *Wittenbergæ* obiit. Cœteri filii omnes pueri aut adoleſcentes diem obierunt.

Cum ab aliquot annis podagrâ laboràſſet, aliaque acceſſiſſent ſymptomata, viribus tandem proſtratis tàm placidè obiit, ut, qui adeſſent, putarent omnes, eum dormire velle, non vitæ finem facere, An. 1635. ætatis 68.

Placidè moritur.

* *Ex Programm. funebri Auguſti Buchneri.*

MICHAEL LEDERER.

Obiit A.C. 1635.

NAtus eſt *Torgæ* in *Miſniâ* 1. Junii An. 1578. Patre *Georgio*, Cive honeſto, Matre *Barbarâ Lehmanniâ*.

Puer ingenio docili præditus, in Scholâ patriâ Præceptorem habuit M. *Johannem Wanckelium*, Subrectorem, cui poſteà in Academiâ *Wittenbergenſi* Hiſtoriarum Profeſſio commendata fuit.

A. 1597. menſ. Majo in Academiam *Wittenbergenſem* venit, & primò Philoſophiæ, deinde utrique Juri operam dedit, aſſiduus in Scholis, ubi ſcientia Juris tradebatur, auditor, in quâ palæſtrâ ſæpè Opponentis, quem vocant, non raro & Reſpondentis perſonam egit, pari laude.

Juris ſtudioſus Witteberga.

A. 1600. Adoleſcentes nobiles de Bomsdorff & Blauen ejus inſtitutioni commiſſi ſunt, cum quibus paulò pòſt *Argentinam* profectus, illi Academiæ Civem dedit.

Ex quâ cum poſt duos annos *Wittenbergam* rediiſſet, Electorali ſtipendio impetrato, urgere labores ſtudiorum veteres, & Jus ſtudioſiſſimè retractare cœpit.

Stipendiarius Electoralis Witteberga.

A. 1606. menſ. Febr. primas nuptias celebravit *Wittenbergæ* cum *Blandinâ Hannemanniâ*, quam D. *Caſp. Keilhammerus*, Civitatis *Colbergenſis* Medicus, viduam reliquerat. Hanc, anno ſeq. poſtquàm filium ei *Johannem* peperiſſet, morte abreptam amiſit.

Nubit bis.

Paulò pòſt, habitâ Diſputatione, publicâ pro Licentiâ, Doctor utriusque Juris renuntiatus eſt.

Doctor Juris.

30. Januarii ſequentis anni 1608. ſecundam Conjugem duxit *Eliſabetham*, *Hartmanni Schacheri*, Mercatoris apud *Lipſienſes* primarii & Senatoris filiam, ex quâ procreavit Liberos undecim, & in his filios 5. de quibus 4. ſuperſtites reliquit, quot filias quoque de ſenis poſt ſe reliquit.

Ex iis *Margaretha*, *Johanni Bergero*, Senatori & Bibliopolæ elocata eſt.

An. 1611. menſ. Oct. inter Provincialis Curiæ Advocatos cooptatus eſt, & A. 1615. menſ. Majo in Facultatem Juridicam receptus, reſpondere etiam de Jure cœpit, ejusque Collegii Senior tandem evaſit. Decanatûs dignitas ter ei collata fuit.

Juris Profeſſor Witteberga.

Tandem cum ab annis aliquot hypochondriorum morbo laboràſſet, febrisque conſecuta eſſet, factum eſt, ut proſtratis viribus decumbere penitùs & intermittere ſolita munera haberet neceſſe, donec plenus fidei & ſpei Chriſtianæ tam leni placidâque morte finitus eſt, ut ab aſtantibus liberis & uxore vix ſentiretur, quod factum eſt d. 29. Januarii A.C. 1635. æt. 57.

Placidè moritur Witteberga.

* *Ex Programm. funebri Auguſti Buchneri.*

Epitaphium ejus Wittebergæ in Templo Parochiali:

Epitaphium.

SUB HOC MONUMENTO QUIESCIT
VIR CONSULTISSIMUS ATQUE EXCELLENTISSIMUS DN. MICHAEL LEDERERUS
J. U. D. ASSESSORUM AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ SENIOR, CURIÆ

Digitized by Google

PROVINCIALIS ELECTORATUS SAXONICI ADVOCATUS, ET PRACTICUS CELEBERRIMUS, QUI NATUS EST TORGÆ ANNO MDLXXVIII. CALEND. JUNII VESPERTINO TEMPORE INTER VII. ET VIII. ET AN. MDCXXXV. XVI. CAL. FEBR. INTER III. MATUTINAM PLENUS FIDEI AC SPEI CHRISTIANÆ TAM LENI PLACIDAQUE MORTE FINITUS EST, UT AB ASTANTIBUS LIBERIS ET UXORE CONJUNCTISSIMA VIX SENTIRETUR.

* *Ex Bibliothecâ Academiæ Wittebergenſis Andreæ Sennerti.*

JOHANNES HENRICUS A FEILITSCH.

Obiit A.C. 1635.

Filius *Urbani Caſp. à Feilitſch*, Conſiliarii & Cancellarii *Brandenburgici*, unicus: & *Veronicæ*, filiæ Nobiliſſimi Dn. *Wilhelmi Curtii à Mülich*, Dn. in *Boketrâ* & *Rausdorff*.

Natus in arce Stemmatis avitâ *Kürbitz*, 28. Aug. An. 1608. ex Felicium illuſtri & pervetuſtâ familiâ *Romanâ*.

Avum habuit *Rudolphum Levinum*, Proavum *Urbanum*, qui ad ætatis annum centeſimum pervenit, teſte *Epitaphio*, quod *Kürbitzii* in templo cernitur.

Studioſus Lipſienſis. A. 1624. Cum Præceptore *Johanne Limnæo* in Acad. *Lipſienſem* ſtudiorum gratiâ miſſus, triennium ibi tranſegit.

Argentoratenſis. An. 1627. *Argentoratum* conceſſit. Tum per *Galliam*, *Britanniam* & *Belgium* peregrinatus, domum reverſus eſt A. 1631.

Uxorem ducit. A. 1634. In legatione ad Electorem *Saxoniæ Dresdam* Patrem comitatus, ibi cum virgine *Evâ Eliſabethâ*, filiâ *Friderici Metſchii*, Conſiliarii Electoris *Saxoniæ* primarii, fide matrimoniali ſeſe obſtrinxit, lætis quidem auſpiciis, exoptato tamen fine exitu.

Ex itinere enim cum Patre redux *Plaviæ* diarrhœâ correptus eſt tantâ cum ſævitiâ, ut attritis indies viribus placidè & piè in Chriſto exſpirârit 11. April. A. 1635. æt. 26. *Moritur.*

VALENTINUS RIEMERUS.

Obiit A.C. 1635.

Hirſchbergæ in *Sileſiâ* natus eſt poſthumus, menſ. Febr. A.C. 1582.

Patrem habuit cognominem, Reipublicæ patriæ Syndicum.

In Scholâ patriâ prima eruditionis rudimenta jecit. Hinc *Uratislaviam* miſſus, in Scholâ *Magdalenæâ*, ſub Rectore M. *Johanne ab Höckelshauſen*, tantos in Philoſophiâ fecit progreſſus, ut inde *Lipſiam* diſceſſerit, & cum honore Magiſterii gradum adeptus fuerit. *Magiſter Philoſophiæ Lipſiæ.*

An. 1605. *Marpurgum* concedens, Juris ſtudiis incubuit. Sed cum paulò pòſt ob religionis controverſias, & Profeſſorum cum ſtudiis diſſidia *Marpurgenſis* Academia *Gieſſam* transferretur, ipſe cum multis aliis anno ſeq. 1606. Dom. D. *Gotfridum Antonii*, Cancellarium ejus Academiæ & Juris Profeſſorem ſecutus, biennio ibi in Jurisprudentiæ ſtudio ſe exercuit, tandemque *Lipſiam* reverſus, ſtudia ſua continuavit.

5. April. In Academiâ *Jenenſi* Juris utriusque Doctor A. 1614. ſolenniter creatus, ibidem nuptias celebravit cum virgine *Suſannâ Eliſabethâ*, *Johannis Wexlii*, J.C. & *Johannis*, Ducis *Saxoniæ*, Cancellarii filiâ. *Jenæ Juris Doctor creatus. Nubit.*

Ex eâ Parens factus eſt 3. filiorum & 4. filiarum: ex quibus primogenitus cum filiolâ paulò ante parentem mortui ſunt, reliqui cum matre ſuperſtites manſêre.

An. 1618. Profeſſionem Hiſtoriarum & Poëſeos nactus, *Johanni Gryphiandro Jenâ* diſcedenti ſucceſſit. *Profeſſor Hiſtoriarum & Poëſeos.*

A. 1619. Juris Profeſſor *Jenæ* conſtitutus, ſpartam hanc 25. Sept. *Diſputatione de Jure accreſcendi* auſpicatus eſt, & in Scabinatum adſcitus, Collegia Diſputatoria privata & publica habuit. *Profeſſor Juris.*

A. 1633. Curiæ Provincialis *Jenæ* Aſſeſſor extraordinarius factus, & paulò pòſt Ordinariorum Aſſeſſorum Albo adſcriptus eſt. Rectoratum Academiæ *Jenenſis* bis, Decanatum verò aliquoties cum honore geſſit. *Aſſeſſor Curiæ Provincialis.*

Tandem cum per ſeptimanas aliquot ex doloribus arthriticis lecto hæſiſſet affixus, accedente febri malignâ, quali & filiolus eodem tempore mortuus eſt, vitam morte beatâ finiit 21. April. A.C. 1635. æt. 53. *Moritur febre malignâ.*

* *Ex Programmate funebri.*

JOHANNES BONIFACIUS.

Obiit A.C. 1635.

Rhodigii A.C. 1547. ortus, patre *Sebaſtiano*, Patritio *Rhodigino*, & matre Imperatrice *Miranâ Patavinâ*: cui annos 50. ſine ullâ querelâ matrimonio junctus, integris ſenſibus annum æt. 96. attigit.

Filius bonæ indolis, puer, Muſis in patriâ feliciter ſalutatis, ab *Antonio Riccobono* literas humaniores didicit.

Patavium deindè miſſus, ſtudiis operam impendit eâ facilitate, ut poſt quinquennium Juris utriusque Lauream publico applauſu reportaverit. *Juris Doctor Patavii.*

Eo florentis ætatis tempore quicquid ſeveriori Legum ſtudio & Academicis Diſceptationibus eripere poterat, id totum Poëticis oblectamentis impendebat, *Italicisque* Carminibus delectatus, varia drammatica Poëmata contexuit, quæ amicis ſuadentibus publici Juris facta ſummam ei laudem attulerunt. *Poëta Italicus.*

Forenſibus juxtà cauſis poſtquàm animum applicuiſſet, ad ſuæ familiæ propagationem *Iſabellam Marci Antonii Martinagi*, nobilis *Tarviſini* unicam filiam & hæredem ſibi Conjugem delegit, *Tarviſiumque* in domum Soceri accitus, laudabilem Cauſidici operam ibidem aliquot annis præſtitit. *Cauſidicus Tarviſii.*

Hiſtoriam ibi *Tarviſinam* in XII. Libros digeſtam magno eruditorum, atque imprimis *Abrahami Ortelii*, Geographi Regii applauſu divulgavit, ob quam etiam *Alfonſi Eſtenſis*, poſtremi *Ferrariæ* Ducis eum favorem commeruit, ob memorata ſuæ familiæ decora, *Hiſtoricus.*

decora, ut præter literas humanas pretioſi adamantis honorario auctorem dignatus fuerit.

Ab Academiis variis exceptus, meruit eodem tempore inter Urbis *Patavinæ* Cives enumerari.

Civis Patavinus.

Cum aliquot jam annos *Tarviſii* forenſibus cauſis transegiſſet, *Venetorum* ſuaſu ſe ad Aſſeſſoris munus applicuit, quo fidem Senatoribus *Bergomi, Belluni, Feltrii, Vicentiæ, Veronæ, Brixiæ*, & *Patavii* operam ſuam probavit tantâ ſedulitate, animique dexteritate, ut certatim eum ad Curiæ decus acciverint.

Aſſeſſor Senatus Tarviſii.

Hâc occaſione ſubciſivis horis *opus edidit de Furtis*, in quo univerſa materia Contrectationum, ac rei alienæ occupationum examinatur, *Venetis* roboratum legibus, variisque Hiſtoricis & Poeticis figmentis ornatum.

De Feudis quoque Tractatu Legem *Venetam* dilucidavit, qui labor Sereniſſ. *Venetiarum* Duci dicatus non minori comitate exceptus fuit, quàm *Legum Venetarum Methodus*. Hinc JurisConſulti non minus quàm Hiſtorici inſignis nomen retulit.

Excitati verò ingenii novæque rei præcipuum dedit argumentum Liber etruſco idiomate conſcriptus dell' *Arte de Cenni*, ſive de *Eloquentiâ viſibili*.

Rhodigii ei controverſia inſignis cum *Baptiſta Guarino*, Equite, de translatione corporis S. *Bellini* intercesſit, quæ diu Scriptis hinc indè libellis agitata Epiſcopi & *Guarini* morte ceſſavit.

Principibus diverſis gratus, ſolis *Venetis* ſe addixit, donec laborum tandem pertæſus, patrii ſoli amore *Rhodigii* otium literis ſuaviter exigens, diverſis opuſculis extremam imponeret manum.

Rhodigii in otio literario vixit.

Secundis autem nuptiis A. 1610. *Patavii* contractis cum nobili matronâ *DaulâGrompâ*, cujus filia *Sebaſtiani Bonifacio* Nepoti in matrimonium data, propè Carmelitarum ſedem fixit, neque octogenarius literarum ſtudia omiſit.

Viribus tandem ſolutus, mortalitatem explevit die 23. Junii A.C. 1635. ætatis 88. delatus in proximam ædem S. *Jacobi*, ubi è Lydio lapide erectum hoc ipſi *Elogium*:

Moritur.

Elogium.

Amice Lector Salve.

Cupis fortaſſe ſcire, cujus ſit hoc Monumentum?
Johannis Bonifacii, Sebaſtiani F. honeſtiſſimis
Parentibus nati, in liberalibus diſciplinis
educati,
Juriſconſulti, Hiſtorici, Aſſeſſoris,
Civis Rhodigini, Tarviſini, Patavini,
Propinquis benefici, Amicis grati, Principibus
Viris grati,
Qui ſi magna non fecit ſcribenda, plura tamen
ſcripſit legenda,
Quæ ſi tu benè inſpexeris, qualis ipſe fuerit
melius intelliges, & illius memoriam ſervabis,
& benè vale. MDCXXX.

Familiæ *Bonifaciæ* ſplendorem ſervârunt *Balthaſar* & *Caſpar* fratres, ille *Tarviſinæ* Eccleſiæ Archidiaconus, hic patrii Senatûs Archigrammateus, uterque Apollinis & Muſarum myſtes celeberrimus.

Edita ab eo leguntur:

Scripta.

Comment. de Furtis, & de componendis Epitaphiis.

La Hiſtoria Trivigiana in Lib. XII.

L' Arte de Cenni.

Commènt. ſopra la Feudal Legge Veneta fatta l' anno 1586.

Diſcorſo Academico del modo di ben formare una Tragedia.

L' Hercole Dialogo.

Il Fracbetta Dialogo.

Oratione fatta in Rovigo, per drizzar una ſtatua à Celio Rhodigino.

Una altera, per transportar in Rovigo il Corpo di S. Bellino Veſcovo.

Montano, Favola Paſtorale.

Raimondo, & Nicaſio Favole Tragiche.

Volume delle Lettere familiari.

Methodo delle Leggi della Sereniſſ. Rep. Veneta.

La Republica delle Api.

L' Arte liberali & mechaniche come ſiano ſtate dagli animali irragionevoli à gli huomini dimonſtrate.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

GOTSCHALCUS MAIERUS.

Obiit A.C. 1635.

Nichemii in Epiſcopatu *Paderbornenſi* natus eſt An. C. 1600. Patre *Arnoldo Maiero*, Judice ibidem, qui puerum adhuc filium hunc Patribus Societatis Jeſu in Collegio quodam tradidit, in quo linguarum & artium fundamenta poſuit.

Patrum Societatis Jeſu diſcipulus.

Deindè juſſu Patris Cancellariam *Paderbornenſem* acceſſit, ut Scribæ fungeretur officio, ſed brevi pòſt tempore, cum Pater obiiſſet, *Helmſtadienſem* Academiam adivit, & non multò pòſt *Mindam* ad fratrem Patris ſui *Lutheranum* digreſſus, conſilium ab eo petiit, quâ ratione ſtudia ſua continuare poſſet? Ab hoc Juriſconſulto cuidam celebri *Tubingæ* commendatus eſt, qui modum & viam ei monſtravit, ſtudium Juridicum feliciter continuandi.

Juris ſtudioſus Tubingæ.

Eò cum An. 1623. veniſſet, ſesquianno nobilibus quibusdam ex familiâ *Gottſchinorum* inſerviit, & unà ſtudia ſua tractavit. Intereà domi, quod religionem mutâſſet, omnia bona ejus paterna fiſco adjudicata ſunt.

A. 1624. *Tubingâ* diſcedens, *Waldenburgum* ad Comitem *Hoënloicum* venit, ejusque filios biennio informavit. A. 1626. *Argentoratum*, Comitis conſenſu, diſcedens, & biennio ibi commoratus, in Jure Licentiati titulum accepit.

Præceptor Comitum Hoënloicorum, Juris Licentiatus Argentorati.

A. 1628. *Waldenburgum* revocatum, Comes *Hoënloicus* Conſiliarium ſibi & Advocatum conſtituit.

Conſiliarius & Advocatus Hoënloicus.

A. 1630. 20. Aug. *Halæ Suevorum* ſponſalia celebravit cum *Euphroſynâ*, viduâ *Dom. Johannis Schulteri*, Senatoris, quæ filiolum ei

 pepe-

peperit, mox poſt S. Baptiſmi lavacrum iterum denatum.

& Limpurgicus.

Baronum præterea *Limpurgenſium* & Ordinis Equeſtris *Franconici Odenwaldici* Conſiliarius & Advocatus conſtitutus, anno demùm 1634. in Senatum *Hallenſem* communibus ſuffragiis receptus eſt.

Senator Hallenſis.

Per morbum tandem lethalem lecto affixus, ſeptimo pòſt die placidè in Chriſto exſpiravit 6. Aug. A. C. 1535. ætatis 35.

Moritur.

* *Ex Concione funebri M. Nicolai Glockii, Concionatoris Hallenſis.*

GODESCALCUS MEIERUS.

Per Anagramma *Johannis Jacobi Wernheri*, Paſtoris *Altorfini*:

Magis decorus eluces.

Qui vivus patriæ fueras lux ac decus ingens
Eluces magis *in cœlo poſt fata* decorus.

Obiit A. C. 1635.

SEBASTIANUS SCHREIBERUS.

Natus eſt An. C. 1569. Patre *Martino Schreibero Buchenſi*, Præceptore olim generoſi Comitis *Friderici Hoënloici*, & nobiliſſimi *Johannis Philippi ab Helmſtatt*.

Scriba triplex.

A primâ ætate Scriba, *Waldenburgi* primùm Scriba Culinæ, deindè *Biſchoffsheimii* Scriba Nobil. ab *Helmſtatt*, tandem *Neuenſteinii* Cancellariæ Scriba, & unà *Philippi* Senioris Comitis *Hohenloici* Culinæ magiſter factus eſt.

Syndicus Oeringenſis.

A. 1617. demum apud *Oeringenſes* Quæſtoris Sacrorum redituum munus adeptus, in eo Syndici nomine 18. annos verſatus eſt.

Vixit in Conjugio triplici.

Intereà vitam in triplici Conjugio exegit: 1. Cum *Magdalenâ Gärtneriâ*, Conſulis *Neuenſteinenſis* filiâ, ex quâ 9. filios & 5. filias ſuſcepit, ſed duos tantùm filios unamque filiam reliquit ſuperſtites. 2. Cum *Mariâ*, *Jonæ Steinbergeri*, Cellarii *Hoënloici* viduâ, quæ duos ei filios duaſque filias peperit, omnes morte prægreſſos. 3. Cum eâ, quam viduam reliquit, unà cum 5. filiis unâque filiâ.

Moritur.

Vitæ tandem laborioſæ ſatur, æternam anhelans, in Chriſto exſpiravit 9. Octobr. A. C. 1635. ætatis 66.

Alluſio ad cognomen ejus *Jodoci Jordani*, Scholæ *Oeringenſis* Collaboratoris:

In Scriptis Artem, de Scriptis nomen habebas.
Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.
Wie einer einen Namen hat/
So ſtimmt gemeinglich ein die That.

Ex Concione funebri Georgii Hermanni, Diaconi Oeringenſis.

Obiit A. C. 1636.

DAVID SCHMALCALDERUS.

Marpurgi in *Haſſiâ* natus eſt 12. Dec. An. C. 1569. Patre *Conrado*, ibidem Conſule, Matre *Annâ*, *Valentini Lauckii*, Conſulis *Franckenbergenſis* in *Haſſiâ* filiâ.

Philoſophiæ Magiſter.

Adoleſcens in Academiâ patriâ ſtudiis humanioribus deditus, anno ætat. 19. Magiſter artium creatus, mox ſtudium Juridicum aggreſſus, in Academiis aliquot celebrioribus excoluit, & *Spiræ* Praxin exercuit, donec An. 1596. Gradum Doctoratûs in Academiâ patriâ ſummâ cum laude conſecutus eſt.

Juris Doctor Marpurgi.

A. 1594. *Richardus*, Comes *Palatinus*, Conſiliarium eum & Truchſeſium *Kirchbergæ* conſtituit. Poſt hujus obitum An. 1596. à *Georgio Guſtavo*, Comite *Palatino*, *Lützelſteinii* Conſiliarius & Præfectus, & deinceps Præfectus Comitatûs *Veldentiæ* clementer factus eſt. An. 1607. Familiam ſuam *Wormatiam* transtulit, in cujus viciniâ nobilibus & aliis propter praxin forenſem celebris evaſit. An. 1609. Senatus *Hallenſis* in *Sueviâ* Conſiliarium eum & Advocatum in Republicâ ſuâ declaravit, in quo munere 27. annos fideliter exegit.

Conſiliarius Palatinus.

Præfectus Comitatûs Veldentiæ.

Conſiliarius & Advocatus Hallenſis.

An. 1597. Primam conjugii Societatem iniit cum virgine *Leonorâ*, Dom. *Johannis Hauſſi*, Præfecti *Schorndorfenſis* in Ducatu *Würtenbergico* filiâ, quæ 3. ei filios, & 4. filias peperit.

Conjugium ejus duplex & Liberi.

Hâc vitâ defunctâ, 18. Junii A. 1629. ad ſecunda vota tranſitum fecit cum virgine *Catharinâ*, Dom. *Sebaſtiani Dieterici*, Juris Doctoris, & Reipublicæ *Hallenſis* Conſiliarii filiâ, duorum filiorum, deinceps & 4. filiarum matre, ſed filio tantùm unico & filiâ ſuperſtitibus.

Calculi tandem doloribus à biennio conſumptus, cum paucis tantùm diebus decubuiſſet, inter aſtantium preces placidè emigravit 2. Febr. A. C. 1636. ætatis 66.

Moritur.

* *Ex Concione funebri M. Nicolai Glockii, Concionatoris Hallenſis ad S. Michaëlem.*

Obiit A. C. 1636.

CLAUDIUS EXPILLIUS.

Natus eſt in oppido apud *Allobroges*, *Verono Gratianopoli* tres leucas diſtante, 22. Dec. A. C. 1562. Filius unicus *Claudii Expillii*, militis in *Galliâ* generoſi, qui juvenis primùm Centurio, deindè ſub *Jacobo à Sabaudiâ Nemauſorum* Duce Metatoris caſtrorum titulo auctus, & ſub *Franciſco Borbonio*, *Montiſpenſerii* Duce, Caſtrorum Vicepræfectus creatus, tandem præſidio caſtelli *Cambrillani* præpoſitus, fortiter pro Rege ſuo dimicans, ultimum diem clauſit 22. Sept. A. 1574.

Filius Militum Ducis.

Matrem habuit *Johannam de Richard*, natalium ſplendore claram.

Adoleſcens *Muſis* quàm *Marti* addictior, jactis primarum diſciplinarum fundamentis, ad *Taurinos* conceſſit, ut Eloquentiam cum Juriſprudentiâ conjungeret, Poëſi etiam tunc deditus, Poëma *Torquati Taſſi Gotfredum* nomine totum memoriter didicit.

A. 1581. Indè digreſſus *Patavium* Legum Coryphæos, *Marcum Mantuam Benavidium*, *Hieronymum Torniellum*, *Tiberium Decianum*, *Guidum Pancirolum*, quem *Taurini* docentem audiverat, & *Jacobum Menochium* ſtudiis ſuis faventes habuit.

Patavii Juris ſtudioſus.

Ibidem *Mantuæ* & *Deciano* defunctis extrema pietatis perſolvit. *Jaſonem* quoque de

Noræ virtutum præcepta tradentem audivit, & cœteris Gymnaſii Profeſſoribus adjunxit *Johannem Vincentium Pinellum.*

An. 1583. A ſuis revocatus, cum *Italiam* perluſtrâſſet, in patriam rediit, à matre ſuaviter exceptus. Ut verò cœptos ſtudiorum labores ad metam perduceret, *Lutetiam* conceſſit, ubi cum aliquandiu moram traxiſſet *Bituriges* profectus, à *Jacobo Cujacio* Doctoratûs Inſignia ſuſcepit.

Doctor Juris.

Exacto ita ſtudiorum curriculo, in Curiâ *Delphinatenſi* ſeſe cauſis forenſibus addixit, quam provinciam in Clientum tutelam 12. annos laborioſè ſuſtinuit.

In Curiâ Delphinatenſi Advocatus.

Eo tempore *Deciſiones* Clientibus patrio ſermone ſcriptas in lucem emiſit, poſteà Latinè converſas. Poëmata etiam edidit elegantiſſima.

Ingenii monumenta ab eo edita.

A. 1593. Matrimonium iniit cum *Iſabellâ Bonetoniâ.*

Cum ejus fama per totam *Galliam* increbuiſſet, *Henricus IV.* Rex in ſupremâ Fiſci *Delphinatûs* Præfecturâ Procuratoris generalis officium ei adſignavit, quod ſummâ fide per annos 8. exercuit.

Procurator generalis Fiſci Delphinat.

A. 1600. Devictis *Sabaudis*, ad ſupremum *Camberenſe* Conſilium Advocatus eſt electus, quo munere, dum *Sabaudia Galliæ* paruit, Regi & populo abundè ſatisfecit.

Advocatus Conſilii Camberenſis.

A. 1602. Ad Dominii Regii vindicationem cum aliis *Delfinatenſis* Curiæ Senatoribus delegatus, re benè geſtâ anno ſeq. à Rege Advocati Regii munere in Senatu *Gratianopolitano* decoratus eſt, quod per annos 14. fideliter adminiſtravit.

Advocatus Reg. Gratianopoli,

A. 1616. Ad ſummam Præſidis in Senatu *Gratianopolitano* dignitatem evectus, purpuram promeruit, & omnibus gratum ſui Regiminis deſiderium reliquit.

& ſummus Præſes.

A. 1628. Peſte per *Gallias* ſparſâ rus receſſit, ubi ſolitudinis tædium novo Muſarum commercio delinivit. A. 1630. Fractis à Rege *Ludovico XIII. Sabaudis*, Supremi *Camberienſis* Senatûs à Rege ſuo creatus Princeps eſt, Regiique, quod dicitur, cerarii exarchus.

Præſes Senatus Camberenſis.

An. 1631. Uxor ipſi chariſſima morte erepta eſt. A. 1633. *Pinerolienſi* ærario cerarioque præfectus ad *Amadeum*, *Sabaudiæ* Ducem, regendis *Pinerolienſis* agri finibus delectus eſt arbiter.

Iis difficultatibus ſuperatis, an. 1635. à *Ludovico* Rege reditum in patriam impetravit.

Tandem annis & honoribus plenus, relictâ *Caſpardâ*, filiâ unicâ, Dominâ de *Bryone* &c. Deo & naturæ quod debuerat, reddidit 8. Cal. Aug. An. C. 1636. ætatis 75. *Gratianopoli.*

Moritur Gratianopoli.

Edidit *Opus Gallicum*, ſeu *Orthographiam ſecundùm pronuntiationem Linguæ Gallicæ.*

Scripta.

Corpus communi omnium deſiderio in Sacello ædis D. *Claræ Gratianopoli*, ipſius juſſu, repoſitum. Tumulo ænea *Expillii* effigies hoc titulo eminet:

Epitaphium.

HEU HOSPES, QUO TAM CITO PROPERAS?
SISTE PAULULUM ET PERLEGE.
CLAUDIUS EXPILLIUS POEPIÆ DOMINUS,
INTERIORIS CONSISTORII REGII CONSILIARIUS, IN SENATU GRATIANOPOL. PRÆSES,
HUMANÆ SORTIS NON IMMEMOR, VIVENS
SACELLUM HOC ET SEPULCHRUM SUIS, AC
NOBILIS IZABELLÆ BONETONIÆ UXORIS
CHARISSIMÆ, POSTERUMQ.
OSSIBUS PARAVIT
ANN. SAL. MDCXVII. CONJUGII XXVII.
ÆTATIS LVI.
ABI, QUO LUBET, HOSPES,
ET QUAM SIS ÆVI BREVIS
METIRE QUOD AUDES. NEMO SCIT,
MIHI CREDE, QUANTA NESCIT,
MEMORIA NOSTRA DURABIT,
SI VITAM MERUIMUS.

Numiſmata III. dum viveret, evulgavit:

Numiſmata ab eo evulgata.

I. Cum patre orbatus Juris ſtudium inchoâſſet, Numiſma, cujus una facie Mulier unâ manu Juſtitiæ idolum tenebat, alteram intendebat in arma humi ſtrata, hâc Epigraphe: *Nec inferiora ſecutus.*

II. Cum poſt urbis *Rupellæ* deditionem rus ſecedens ſolitudinis tædium novo Muſarum commercio delinivit, grati ſeceſſûs monumentum annos natus 68. novum Numiſma prædiolum repræſentans A. C. 1629. vulgavit, hâc Inſcriptione: *DEUS nobis hæc otia fecit.*

III. Poſt obitum conjugis, vitæ per annos 38. cum ipſâ ſuaviter tranſactæ Numiſma emiſit, Turturem in ſiccâ arbore exhibens, hoc titulo: *Nec gemere ceſſabit.*

* *Ex Elogiis Virorum doctrinâ illuſtrium Jacobi Philippi Tomaſini.*

JOACHIMUS CLUTENIUS.

ObiitA.C. 1636.

NAtus fuit in feſto *Michaëlis* Archangeli Anno C. 1582. in Ducatûs *Megapolitani* urbe *Parchim*, patre cognomine, Ducum *Megapolenſium* ibidem Præfecto & Senatore primario, matre *Annâ Clawreſſin*, qui parentes ab ineunte ætate in verâ pietate & probitatis moribus ipſum educârunt, & quamprimùm literis capeſſendis aptus videbatur, Gymnaſio patrio informandum tradiderunt.

Verùm cum in patriâ ob diſceſſum tum temporis dicti Gymnaſii Rectoris ulterius progredi in ſtudiis non poſſet, An. 1595. ad Gymnaſium Academiæ *Roſtochienſis* miſſus fuit: indè ad Gymnaſium *Suerinenſe* A. 1598. translatus, An. 1599. Gymnaſium *Stendalienſe* viſitavit.

Diſcipulus Gymnaſii Suerinenſis, & Stendalienſis.

Atque cum jam ſuperioribus diſciplinis capeſſendis idoneus judicaretur, ad Academiam *Roſtochienſem* rediit, in eâque curſum Philoſophicum continuavit, idque privatim audiendo explicationem Inſtitutionum Juris & viſitando Collegia privata.

Juris ſtudioſus Roſtochii.

A. 1602. Relictâ *Roſtochienſi* ad Academiam *Francofurtenſem* ad *Oderam* venit: bien-

Francofurti ad Oderam.

Lipſia. biennio pòſt & huic valedicens, *Lipſiam* appulit, An. verò 1606. *Argentinam* primò vidit, & cum commilitonibus ſuis curſum Juris continuavit, & ferè abſolvit.

Argentorati Bibliothecarius. Profeſſor Hiſtoriarum Argentorati, & Inſtitutionum Juris. A. 1608. *Altorfium* abiit: indè rurſus *Argentoratum* venit, ubi Bibliothecarius primò Academiæ conſtitutus, paulò pòſt Profeſſor Hiſtoriarum nominatus fuit: antequàm verò hanc Profeſſionem aggrederetur A. 1613. 14. Maji Profeſſio Inſtitutionum Juris ipſi demandata fuit, 30. Dec. pòſt Doctoris titulum & honorem in Jure & Philoſophiâ ab Academiâ *Baſilienſi* impetravit, atque ſic Profeſſionem demandatam aggreſſus eſt. *Juris & Philoſophiæ Doctor Baſileæ.*

Principum aliquot Conſiliarius. A diverſis intereà Principibus, *Leopoldo Ludovico*, Comite *Palatino Rheni*, *Auguſto*, Duce *Brunsvicenſium* & *Luneburgenſium*, *Erneſto Bogislao*, Duce *Arscotano*, & *Franciſco Alberto Megapolitano* inter Conſiliarios receptus eſt.

Conjugium ejus & Liberi. A. 1622. de propriâ familiâ inſtituendâ cogitans, matrimonio ſibi junxit virginem *Annam Reginam*, Dom. *Johannis Cunradi Kreidenmanni*, Syndici *Eslingenſis* filiam, cum quâ feliciter ad horam usque mortis vixit, ex eâque filios ſuſcepit *Conradum Ehrenfridum*, *Joachimum Erneſtum*, *Joachimum Ehrenfridum*, & *Auguſtum Erneſtum*; filiasque tres, *Annam Reginam*, *Annam Heinricam*, & *Chriſtianam Dorotheam*, quam ſolam cum duobus filiis poſterioribus reliquit ſuperſtitem.

Mortem tandem, quam diu ante meditatus erat, (quod meditationes pulcherrimæ eo tempore ipſius manuſcriptæ clarè teſtantur) libenter & placidè excepit 8. Sept. A. C. 1636. ætatis 54. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Rectoris Johannis Rudolphi Saltzmanni, Med. D. & Profeſſoris.*

Obiit A. C. 1636.

JOHANNES WILHELMUS UNTZERUS.

Natus eſt *Hale-Saxonum* die 25. Dec. An. 1570. ex Patritiâ familiâ. Patrem habuit *Wilhelmum Untzerum*, Salinariis Feudis Nobilem, & dignitate Senatoriâ conſpicuum: Matrem *Margaretham Molliam*.

A. C. 1589. ætatis 19. *Lipſiam* amandatus eſt, ubi cum per 10. annos optimæ cuique arti & Jurisprudentiæ imprimis dediſſet operam, profectus eſt in *Bohemiam*, ubi cum ingenii ejus ſolertia diu latere non poſſet, factum eſt, ut inter Conſiliarios Cæſareos, quos Juſtitiæ vocant, cooptaretur. *Conſiliarius Cæſareus Juſtitiæ.*

Sed cum ob fidei confeſſionem Evangelicam multum ipſi daretur negotii, *Lipſiam* rediit, & paulò pòſt A. 1608. *Halâ Wittenbergam* migravit, ibique conſidere cepit, cum ſummum in Jurisprudentiâ gradum, poſt experimenta legitima, ſolenniter conſecutus eſſet. *Doctor Juris Wittebergæ.*

Juris Profeſſor. An. 1615. in J.C.rum adſcriptus Collegium eſt, impetrato in illo loco & poteſtate de Jure reſpondendi. An. 1630. Decanatu functus eſt.

A. 1633. Advocatio in Electorali Curiâ ipſi commiſſa, quam cum laude adminiſtravit. *Advocatus Electoralis.*

Conjugem duxit *Annam*, *Jacobi Blumelii*, Juris Doct. & *Lipſiæ* Facultatis Juridicæ Aſſeſſoris Electoralisque Judicii ibidem Advocati filiam, cujus Mater *Davidis Peiferi*, J.C. & trium Electorum *Saxon.* Cancellarii, ex *Marco* fratre D. & Medico *Lipſienſi* neptis fuit. *Conjugem duxit.*

Genuit unam tantùm filiam *Annam Dorotheam*, quæ A. 1614. nata, ſequenti 1615. denata fuit.

Valetudine afflictâ fermè ſemper uſus, cum per aliquot menſes ex variis morbis graviter decubuiſſet, ſpe omni in Servatorem Jeſum defixâ obiit 3. Nov. A. C. 1636. ætatis 66. *Moritur Wittebergæ.*

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Obiit A. C. 1636.

CASPAR BITSCHIUS.

Filius Sutoris. Hagenoæ 5. April. A. C. 1579. Patre *Michaële*, Sutore, Matre *Magdalenâ*, *Johannis Wucbereri*, Figuli filiâ in lucem editus eſt.

Poſtquàm prima linguarum, nec non Dialecticæ & Rhetoricæ fundamenta in Scholâ patriæ jecerat, & jam uberiore cultu indigeret, A. 1594. cum puſillâ pecuniâ dimiſſus *Argentoratum*, ibi aliis inſerviendo puerosque inſtituendo vitæ ſubſidia quærere fuit coactus, à ſecundâ claſſe Gymnaſii curriculum ſtudiorum redauſpicatus. *Argentorati ſtudia auſpicatur.*

A. 1596. Ad lectiones publicas promotus, intra biennii ſpatium utramque Philoſophiæ lauream impetravit. *Philoſophiæ Magiſter.*

Deindè in atria Themidis pedem promovens, Jura docentes audivit *Georgium Obrechtum* & *Dionyſium Gothofredum*. *Juſtum Meierum*, initio ſtudiorum ſocium, pòſt etiam Magiſtrum, denique Collegam habuit, ejusque dogmata mordicùs tenuit. *Juris ſtudioſus Argentorati.*

An. 1600. ad aulam *Solmenſem Laubacbianam* diſceſſit, Generoſo Comiti *Solmenſi* Dom. *Henrico Wilhelmo* à ſtudiis & informatione futurus. *Ephorus Comitis Solmenſis, & aliquot Nobilium.*

Hoc autem non multò pòſt in *Belgium* ad rem militarem profecto, præfectus fuit Ephorus Nobil. juvenibus *Hermanno* & *Joh. Michaëli* à *Cronberg*, nec non *Volperto Riedeſello*, tum in Academiâ *Marpurgenſi* ſtudiis operam navantibus.

Cum his A. 1602. in *Galliam* abiit, quam biennii ſpatio totam perluſtravit. A. 1604. reductis ad patrios lares diſcipulis, ipſe *Argentinam* fidiſſimam ſtudiorum ſuorum nutriculam reverſus eſt, & initio quidem inſpectioni Nobilium adoleſcentum *Henrici* à *Lutzelburg* & *Johannis Philippi Zugmantelii* per triennium, quarto autem anno regendæ primæ Gymnaſii curiæ adhibitus: hoc verò finito ad Hiſtoricam Profeſſionem fuit promotus, eodem quo ſupremos in Jure Doctoratûs honores *Baſileæ* aſſumpſit, 7. Junii An. 1608. & Sociam lecti pactus eſt *Argentorati Præceptor primæ Claſſis. Profeſſor Hiſtoriarum. Doctor Juris Baſileæ.*

Suſan-

Uxorem duxit. *Suſannam*, Dom. *Melchioris Greineri*, Syndici *Hagenoæ*, & Archigrammatei filiam, ex quâ in conjugio concordi 9. liberorum pater factus eſt.

Inſpector Collegior. Argent. *Inſtitut. Profeſſor. & Pandectar. & Codicis ac feudorum.* *Rector Acad. ter.* Ex eo tempore alternis ferè annis novis functionibus exornatus eſt, nimirum viſitaturâ ſive Inſpectione Collegiorum An. 1609. Canonicatu *Thomano* A. 1612. Profeſſione Inſtitutionum A. 1613. officio Conſiliarii apud Com. *Hanovienſem* A. 1614. Rectoratu Academiæ primo An. 1617. Profeſſione Pandectarum A. 1619. Rectoratu altero A. 1621. Profeſſione Codicis & feudorum An. 1623. faſcibus Rectoratûs tertiâ vice ſuſceptis A. 1629. denique Præpoſiturâ Capituli *Thomani* A. 1630. potitus eſt.

Hydrope extinctus. Cum tandem à multis annis malè valuiſſet, hydropis violentiâ extinctus eſt 2. Dec. A. C. 1636. ætatis 57.

GASPARUS BITSCHIUS. J. U. DOCTOR.

Per Anagramma:

Tu jus certas, hoc dictis probas.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Oratio Parentalis in obitum Juſti Meyeri J. C. Arg. in 4to.

Tractat. de Feudis, & de Clauſulâ Codicillari. in 4to.

Quæſtiones miſcellaneæ. in 4to.

Promotio Doctoralis Juridica. in 4to.

Tract. de rerum communium diviſione.

Commentar. de acquirendâ & amittendâ Poſſeſſione.

Decas caſuum pro Amico. in 4to.

Tractatio Methodica de Theſauris in 4to.

Diſputationes publicæ: de Dominio ejusq; Jure, de Donatione Conſtantini, de Emptione, de Emphyteutico Jure, de Evictione Feudi, de Exceptionibus, de Fidejuſſore ſurrogato, de Locatione, de Mutuo, de Numeratione, de verborum Obligatione, de Pactis, de Pacis Pactionibus, de Uſufructu, de Uſurpationibus.

* *Ex Oratione Parentali Johannis Ottonis Taboris, J. C. Argentoratenſis.*

Caſp. Cunradus, Med. D. in Proſopograph. Mel. Millen. III. hoc ei ſcripſit diſtichon:

Pandectas mihi dia Themis, ſuadente Monetâ,
Credidit: hinc fœnus Argyrope alma capit.

Obiit A. C. 1637.

DOMINICUS ARUMÆUS.

NObilis *Belgarum Friſius*, hæreditarius in *Lobedau* & *Geſchwitz* natus eſt *Leowardiæ* A. C. 1579. exeunte. Jurium Doctor *Jenæ* promotus 23. April. An. 1600.

Profeſſor Juris Jenæ. Profeſſor Juris initio An. 1602. extraordinarius, deinde 28. Febr. An. 1605. Ordinarius, in Facultatis gremium receptus, D. *Ortolpho Fomanno I.* An. 1634. 19. Maji defuncto in Ordinatu ſucceſſit, *Jenæ* tandem

Moritur. defunctus, 24. Febr. A. C. 1637. ætatis 58.

Bibliothecam ſuam Univerſitati *Jenenſi* ex Teſtamento legavit, ductus exemplo aliorum, ſcilicet *Chriſtophori Columbi*, qui Monachis *Dominicanis* in *Hiſpali* ad D. *Pauli*, *Hulderici Fuggeri*, qui Academiæ *Heidelbergenſi*, D. *Marſilii* ab *Inghen*, qui eidem, *Johannis Holmanni*, & *Joſephi Juſti Scaligeri*, qui Acad. *Lugdun. Johannis Capnionis*, qui templo *Phorcenſi*, D. *Ant. Probi*, qui templo *Vinarienſi*, *Cœlii Calcagnini*, qui *Dominicanis Ferrar. Jacobi Alvarotti*, qui *Patavinæ*, *Joh. Sturleri*, qui *Argentinenſi*, *Lud. Grempii*, qui *Tubingenſi*, *Aldi Manutii*, qui *Piſanæ*, & *Franc. Petrarchæ*, qui Templo D. *Marci Venetiis* ſuos legârunt libros.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit *Epigramma* honorarium:

Epigramma.

A. verbo dominor nomen qui ducis & omen,
Friſiâ Arumæus nobilitate ſatus:
Ordinis ipſe ſui Dictator fidus habetur,
Vivit & in ſcriptis, quæ Themis alma probat.

Edidit:

Scripta.

Deciſionum & Sententiarum Lib. I.

De Comitiis Romano-Germanicis.

Commentarium Methodicum de Morâ.

Diſputationes ad præcipuas Pand. & Cod. Leges.

Diſcurſum Academicum de Jure publico.

Exercitationes in Pandectas Schröteri.

Exercitationes Juſtinianeas ad Inſtitutionem Juris.

Sepulchro ejus *Jenæ* hoc *Epitaphium* inſcriptum legitur:

Epitaphium.

Juris eram Graciq; potens ſermonis amator,
Cui radicalis cognita lingua fuit.
Cauſas tractavi, ſubſellia prima ſubivi,
Cauſidiceq; fui lumen honorq; togæ.
Juridicâ ſubitò ſenſûs in ſede reliqui,
Nec breve mors brevis eſt dicere paſſa Vale.
Quàm dicas aliena prius tua diſcito Judex,
Vicinum capiti dicere cura Jovem.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A. C. 1637.

GEORGIUS DAVID LOCAMERUS.

FIlius M. *Georgii Locameri*, Paſtoris Eccleſiæ *Landavienſis*, natus eſt circa An. C. 1588. Tenerâ adhuc ætate ad Gymnaſium *Argentinenſe* exili cum viatico ablegatus, ut uberiore doctrinâ mentem imbueret, in quartam Claſſem ab Ephoris admiſſus eſt, & ſtudiis ſuis ac ſervitiis panem quæſivit quotidianum.

Studia pauper inchoavit Argentorati. *Baccalaureus & Philoſophiæ Magiſter.*

A. 1608. ad Lectiones promotus publicas, biennii ſpatio utramque Philoſophiæ Lauream accepit.

Poſitis deinde in Academiâ iſtâ Juriſprudentiæ fundamentis, præfectus fuit & adjunctus eximiorum parentum filiis, *Sigiſmundo Flachio*, *Melchiori Greinero*, & *Johanni Reinhardo Storckio*, cum quibus non Academias ſolùm *Wittebergenſem*, *Lipſienſem*, *Gieſſenſem*, ſed & *Bohemiam*, *Marchiam*, *Pomeraniam*, *Daniam*, Civitates *Hanſeaticas*, aliasque Provincias perluſtravit, nihil interim de diligentiâ in ſtudiis remittens.

Illis

Juris Doctor Heidelbergæ. & Profeſſor Acad. Argent. Illis abſolutis non tantùm meruit, ut A. C. 1618. Juris Doctor in Brabevtico *Heidelbergenſi* renunciaretur, ſed paulò pòſt Profeſſoriæ functioni quaque in patriâ deſtinaretur.

Exindè collata ſunt in ipſum & nuptiarum gaudia, & omnes dignitatum Academicarum formulæ, Inſpectoris Collegiorum, Decanatûs, Promotoris, & Rectoris, in quibus obeundis ita ſe geſſit, ut deſiderium ſui omnibus reliquerit.

Moritur. Finito tandem vitæ Profeſſionisque ſuæ curſu, mundo lætus valedixit 26. April. A. C. 1637. ætatis 49.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta. *Centuria Quæſtionum Criminalium.* in 4to.

Elogia Inſtitutionum Juſtinianearum. in 4to.

Diſputationes Novo Juſtinianæ. in 4to.

Quæſtiones Juſtinianeæ, quæ per omnes Juris libros in controverſiam vocari ſolent. Quibus accedunt Quæſtiones feudales. in 8vo.

De diviſione & qualitate rerum.

Annotationes in Juſtiniani Inſtitutionum Libros IV. in 12mo.

Diſputationes in Lycéo Argent. habitæ: de Antichreſi, de cauſis Actionum, de famoſis libellis, de Compenſationibus, de Contractibus innominatis, de Debiti conſtitutione, & maximè liquidi, de Dominio ejusque Jure, de Donationibus, de Emptione, de Emphytevtico jure, de furtis & Rapinis, de Exceptionibus, de Prorogatione Jurisdictionis, de Nuptiis, de Pignoribus & Hypothecis, de Reſtitutione in integrum, de Succeſſione, de Syndico, de Tutelis, de Transactionibus.

* *Ex Oratione Parentali Johannis Ottonis Taboris, J.C. Argentoratenſis.*

TOBIAS MÆVIUS.

Obiit A.C. 1637.

NAtus eſt *Jutroboci* 1. April. An. 1602. Patre *Thomâ*, Senatore illius loci: Matre *Anna Niendorfiâ*. Cum primas literas hauſiſſet domi, *Halam* in Scholam miſſus eſt, & indè *Magdeburgum* conceſſit, ubi ſub diſciplinâ M. *Sigismundi Evenii* totos 6. annos in ſtudiis egit. *Magdeburgi ſtudioſus.*

A. 1623. In Academiam *Wittenbergenſem* venit, eique ſe civem dedit.

Ibi cum curſum Philoſophicum abſolviſſet, totum ſe dedit Juri civili, & A. 1630. poſtquàm ſpecimina aliquot eruditionis, & documenta in foro cauſis agendis edidiſſet, honore ſummo Doctorali ſolenniter ornatus eſt. *Doctor Juris Wittenbergæ.*

Nubit. Eodem tempore nuptias fecit cum *Annâ Friſiâ, Zachariæ Schureri*, Bibliopolæ, & Senatorii ærarii Præfecti viduâ.

Curiæ Electoralis Advocatus. Conſiliarius Comitis de Barby. A. 1635. inter Curiæ Electoralis *Wittenberg.* Advocatos cooptatus, mox Comites *Barbyenſes* literis evocârunt, ut Conſiliarii munus in ſe reciperet: ſed quò minus id ex voto poſſet ſuſcipere, tempora periculoſa, quæ inciderant, effecerunt.

Conſiliarius Anhaltinus. A. 1636. à Principe *Anhaltino Georgio Ariberto* adſcitus eſt, ut à Conſiliis ſibi eſſet, quas partes ſummâ cum laude adminiſtravit.

Liberos progenuit, & reliquit *Thomam*, & *Dorotheam*. Febri tandem conſumptus, ex vitâ deceſſit A.C. 1637. æt. 35. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Epitaphium ejus Wittebergæ in Templo Parochiali: *Epitaphium.*

HIC SITUS EST
TOBIAS MEVIUS J. U. D. QUI NATUS
JUTROBOCI AN. MDCII. CAL. APRIL.
ET WITTEBERGÆ VIII. ID. MAJI
ANN. II. IN CURIA ELECTORALI ADVOCATI PARTIBUS, ET TOTIDEM APUD
ILLUSTRES BARBYENS. COMITES CONSILIARII, APUD CELSISS. VERO ANHALTINI PRINCIPEM ANN. I. SINGULARI FIDEI ATQUE PRUDENTIÆ LAUDE
ESSET PERFUNCTUS, ET OB HAS IPSAS
RES, NEC NON INSIGNEM CANDOREM
ET RECTI STUDIOSUM ANIMUM INCREDIBILE DESIDERIUM SUI APUD PLURES, QUIBUS TANTÆ VIRTUTES CURÆ,
RELIQUISSET, ANNA FRISIA, CUM
LIBERIS DUOBUS, QUOS EX EO SUSCEPIT, MARITO INÆSTIMABILI, QUI
CUM NON PLURES QUAM VII. ANNOS
CONJUNCTISSIME EGIT, INTEMERATI
AFFECTUS ARCTISSIMIQUE AMORIS
MONUMENTUM CONFUSA MOERORE
ACERBISSIMO PERPETUOQUE LUCTU
DAMNATA P C.

ANTONIUS MATTHÆUS.

Obiit A.C. 1637.

OBrigit huic alteri *Papiniano*, natale ſolum *Francoberga Haſſorum*, quo graſſante *Marpurgi* peſtilentiâ ſedes ſuos tranſtulit Academia, A.C. 1564. 27. Dec. iis parentibus & majoribus, qui *Alsfeldiæ*, quò originem familiæ referunt, *Marpurgi*, ac per *Haſſiam* ultra ſeculum claruerunt.

Patrem habuit D. *Conradum Matthæum*, ſupremi *Haſſorum* Dicaſterii Aſſeſſorem; nec non *Marpurgenſis* Academiæ Profeſſorem & Syndicum: Matrem *Urſulam Wemeriam*: Fratres tres literarum gloriâ celebres, *Philippum Matthæum*, Juris Doctorem, Parentis in Profeſſione *Marpurgenſi* ſucceſſorem, *Henricum*, Eccleſiaſten *Palatinum*, & *Johannem*, Archiatrum *Naſſovicum*, & Scholæ *Herbornenſis* Profeſſorem. *Pater ejus J. C.*

Ipſe, cum ingenio valeret, in diſciplinam traditus fuit Pædagogiarchæ *Marpurgenſi* D. *Juſto Vultejo*, ex cujus Scholâ ſolida doctrinæ fundamenta ad Academiam attulit, in album Studioſorum relatus A. 1581.

Primum triennium Curſus Academici diſcendæ Philoſophiæ impendit, publicè privatimque ſedulam operam navans, M. *Rudolpho Goclenio*. Reliquum tempus Jurisprudentiæ cognoſcendæ attribuit: cumque Inſtitutionum libros *Marpurgi* audiviſſet à D. *Hermanno Vultejo*, *Juſti* filio, indè *Heidelbergam* ſe contulit A. 1585. ſed oborto anno ſequenti ſtudioſorum tumultu, qui Academiæ diſſipationem acceleravit, ipſe *Wittenbergam* ſeceſſit. *Marpurgi ſtudioſus Philoſophiæ, & Jurisprudentiæ.*

Indè


NICOLA' FABRICI' PEIRES
Reg. in Aquisextiens. curiæ Senator
PETRUS CUNÆUS
Iurisconſ. et Prof. Leidensis.
IO. BURCARD' STADMAÑ
Consiliarius Brandenburgicus.
IOH HARPRECHT'
Iuris Profes. Tubingensis
MARTIN' OPITIUS.
Secretari' Regis Poloniæ.
MARC' OTTHOBON'.
Cancellari' Venetus.
EUSEBIUS CAIMUS.
Iuris Doctor Patavii.
IOSEPH' GUALDUS.
Jur. D. Perusiæ et Arch. Patav
NICOLAUS LANGIUS.
Jur. D. et Prof. Groningensis
PAULUS TOMASINUS.
Iuriscons. et Advocat. Patav.
CORNELI' PYNACKERUS
Iuris Profes. Fran.
HUGO GROTIUS.
Syndicus Roterdamensis.
IONAS WEHNERUS.
Senat. Iudex et Cons. Suinfurt.
IOH. IACOB TETZELIUS.
Senator Noribergensis.
IUSTIN' HERDESIAN'.
Consiliari' Noribergensis.
IOH. CONRAD' MONÆ'.
Iuris Prof. Groningensis.

Ephorus Baronis Tranſſylvani.

Inde *Heidelbergam* à ſororio D. *Georgio Sohnio*, Theol. revocatus, præfuit ſtudiis privatis Baronis *Tranſſylvani*, Dom. *Alexandri Somborii*: quâ ephoriâ intra biennium defunctus, *Altorfium Noricorum* excurrit, ſtudio audiendi nobile par *Juriſconſultorum Hugonem Donellum* & *Hubertum Giphanium*.

Marpurgum deindè & *Helmſtadium* regreſſus, Collegia privata Inſtitutionum & Pandectarum ſtudioſis petentibus cum laude habuit.

Juris Doctor Marpurgi, & Profeſſor Herbornæ.

Nec multò pòſt A. 1594. non modò *Marpurgi* Juris Doctor renuntiatus à D. *Vultejo*, ſed etiam *Herbornam* ad Profeſſionem Juridicam à *Johanne* ſeniore, Comite *Naſſoviæ*, fuit vocatus.

Conjugium ejus.

Succeſſit conjugium cum virgine *Eliſabetha*, viri ſpectati *Eckardi Schuleri*, qui *Haſſiæ* Principibus ab Archivis erat, filiâ, ſub initium An. 1596. felicibus auſpiciis contractum, ex quo numeroſa proles progerminavit marium 9. & trium fœmellarum.

Juris Profeſſor Marpurgi.

A. 1605. exeunte, à *Mauritio Haſſiæ* Principe *Marpurgum* accerſitus ad Juris Civilis Profeſſionem, unà cum tribus Collegis D. *Vultejo*, D. *Göddeo*, & D. *Deichmanno* diviſis operis ſubeundam, in eâ ſtatione annos 20. perſeveravit, donec An. 1625. in Academiam *Gröningenſem*, autoritate Illuſtrium Ordinum ad Juris Profeſſionem traduceretur.

& Gröningæ.

Moritur hemiplexiâ.

Ibi hemiplexiâ tactus, animam Creatori, inter gemitûs preceſque adſtantium, reddidit 28. Maji A.C. 1637. æt. 63.

Filii 4. Doctores.

Quatuor filios habuit Profeſſores in 4. Academiis, *Caſſellis* D. Johannem, qui fata Patris biennio antevertit, *Ultrajecti* D. *Antonium*, patri cognominem, *Gröningæ* D. *Conradum*, & D. *Chriſtophorum* in Gymnaſio *Harderovicceno*, illos Jurium, hos Medicinæ Doctores Clariſſimos.

Opera ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Notæ & Animadverſiones in Libros IV. Inſtitutionum Imp. Juſtiniani.

Collegia Juris ſex, unum fundamentorum Juris, alterum, tertium & quartum Inſtitutionum, quintum Pandectarum, ſextum Codicis, quibus adjectæ ſunt quædam Diſputationes extraordinariæ.

Diſputationes de Judiciis.

Orationes Juridicæ.

Tract. de Actionibus.
de Succeſſionibus.
de Matrimon. & Tutelis.
de Obligationibus.
de Crimin. & Servitute.
de Jure Municipali.

Proœmia J.C.tis uſitatiſſimæ.

Scripſit etiam *Commentaria in varios Digeſtorum & Codicis titulos*, quæ apud Filios hæredes aſſervantur.

* *Ex Vitis Profeſſorum Gröningenſium.*

Obiit A.C. 1637.

ABRAHAMUS A KOSERITZ.

EX familiâ nobili fuit editus in lucem 10. Octob. A. 1573. in *Burckkemnitz*, Patre cognomine, Matre *Annâ à Schonfeld*, ex domo *Lobnicenſi*. Avus ei paternus fuit *Jacobus à Koſeritz*, *Johannis Friderici*, Electoris *Saxoniæ* Conſiliarius.

Wittenbergæ ſtudioſus.

Adoleſcens à Domino Parente in Academiam *Wittenbergenſem* ablegatus, per aliquot annos ſtudiis literarum & Linguæ Latinæ dedit operam.

Sed cum privatæ vitæ amantior eſſet, familiarem rem ſuſcepit adminiſtrandam, cui ut rectiùs præeſſet, adſcivit in matrimonium illam, quam viduam reliquit, virginem *Catharinam à Minkwitz* ex Domo *Niſchka* ortam, cum quâ nuptias An. 1619. celebravit.

Uxorem ducit.

Liberos vidit ex eâ duos, filiolum *Caſparum Abrahamum*, qui 4. annos natus exemtus humanis eſt, & filiam *Annam Catharinam*, quam innuptam reliquit puellam.

Exul Wittenbergæ degit apud fratrem Danielem.

An. 1636. Cum prædia ejus ab hoſtibus exuſta eſſent, ad fratrem *Danielem à Koſeritz*, Conſiliarium *Saxonicum*, & Curiæ Electoralis Præſidem cum familiâ ſe contulit, à quo humaniſſimè receptus & habitus eſt *Wittenbergæ*. Ibi tempus omne DEO impendit.

Moritur Wittebergæ.

Non multò pòſt cum in febrem malignam incidiſſet, fruſtrà à *Daniele Sennerto*, Medico celeberrimo, adhibitis remediis, placidè exſpiravit 26. Junii An. C. 1637. ætat. 64.

Die mortem prægreſſâ ita uxorem affatus eſt: *Recordor quidem, Mea, te retrahentem me ſæpiùs ab aſſiduâ librorum Sacrorum lectione hoc tuliſſe reſponſum: Omninò legendum valenti, affore enim horam, quâ legere minimè liceret. Id nunc tempus mihi acceſſit: videor tamen, cum lecta antehâc in memoriam revoco, ſpatiari per hortos amœniſſimos, & delibare voluptate ſummâ flores, quos olim cum curâ plantavi.*

Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.

Obiit A.C. 1637.

NICOLAUS CLAUDIUS FABRICIUS PEIRESKIUS.

EX perantiquo *Fabriorum* ſeu *Fabriciorum* ſtemmate natus eſt in *Belgenſerii* oppido 1. Dec. A.C. 1580. quo tempore Parentes ejus *Reginaldus Fabrius*, Juriſconſultus & Regius Miniſter, & *Margaretha Bomparia*, peſte *Aquis Sextiis* graſſante, exindè *Belgenſerium* diſceſſerunt.

Mater annis aliquot in conjugio ſterilis, quamprimùm gravidam ſe eſſe perſenſit, deſtinavit proli luſtralem ſponſorem non magnatem aliquem, ſed pauperem obvium primò futurum, qui accerſitus fidem pro puero dum S. Baptiſmi fonte ablueretur, ſpopondit, puer verò à nomine patrui *Claudius* appellatus eſt.

Mater eum à paupere obvio ex S. Baptiſmo ſuſcipi voluit.

Sed cum patruus ſuperveniſſet, etiam avi nomen gerere illum voluit, undè quaſi prænomine *Nicolai* impoſito dictus eſt *Nicolaus Claudius*: quanquam non modò, cum puer eſſet, *Nicolaus* ferè audivit, ſine adjuncto *Claudii*, ſed etiam deinceps ætate provectus,

etiam eſt ab auctoribus *Nicolaus Faber*, ſeu *Fabrius*, ſeu *Fabricius* appellitatus.

Cognomen verò *Peireskium* tulit ex montano oppido maternæ ditionis, quod Latinè *Petrisco*, vulgò *Peireſc* nomen habuit.

Fratrem habuit Palamedem.

An. 1582. natus eſt illi frater *Palamedes*, qui deinceps à clientelari fundo dictus eſt *Valaveſius*, altero à partu, ejus menſe mater, abſente marito negotiorum cauſâ *Gratianopoli* interiit anno ætatis 22.

Sed *Reginaldus* pater quartodecimo poſt anno 1596. ſuperinduxit etiam conjugem *Catharinam Vaſallam Caradeteam*, cujus majores ex paternâ ſtirpe inter *Achaiæ* principes, ex maternâ verò ad *Fliſcanos Genuenſes* attinuerunt.

Ea vidua tum erat, nupta priùs *Olivario de Thuliâ* ex Senatorio ordine, ex quo filiam tum habuit ſuperſtitem, *Marchiſam* nomine, quæ *Palamedi* poſtmodùm nupſit.

Puer Brinoniæ ſtudia auſpicatus in Collegio San Maximitano.

Septennis cum eſſet, & unà cum fratre inſtitueretur *Brinoniæ*, ubi tunc Curia ſubſidiorum rationumque ob peſtem *Aquis Sextiis* perſeverantem commorabantur, erudiri expetiit in *San Maximitano* Collegio, & fratri ex eo tempore Præceptoris loco fuit.

Avenioni diſcipulus Patrum Societatis Jeſu.

Inardeſcentibus poſteà à morte Regis *Henrici III.* civilibus bellis, *Avenionem* An. 1590. miſſi ſunt, ubi quinquennio in Collegio Patrum Societatis Jeſu ſtuduerunt ſub Profeſſoribus humaniorum literarum *Antonio Colombatio*, & *Andreâ Vaſſaderio*.

Adoleſcens rei antiquariæ ſtudioſus.

An. 1595. *Aquas Sextias* rediit, illicque anno integro dedit operam Philoſophiæ. Eo tempore oblatum fuit Patri numiſma Aureum *Arcadii*, quod *Belgenſerii* fuerat repertum: id ipſe illicò popoſcit, & cum circumſcriptas literas legiſſet, Imperatoriſque nomen adnotâſſet, ad patruum ſtatim retulit, qui illi gratificaturus duo alia numiſmata, & libros, quibus uberiùs erudiri poſſet, conceſſit. Ex eo tempore avidè conquirere & congerere cœpit antiquos nummos, & inſcriptiones ſepulchrales, aliaſque ſtudioſè indagare.

Turnoni Cosmographiæ deditus.

A. 1596. Deſtinatus eſt cum fratre *Turnonem*, ut ſub Patribus Societatis Jeſu Philoſophiæ curriculum abſolveret, fratre adhuc in ſtudiis humanioribus conſiſtente. Ibi ſtudio Matheſeos inardeſcens, Cosmographiam, quam illic docebant, ardenter arripuit, & poſt uſum Sphæræ, addidicit etiam uſum Aſtrolabii.

Nihil intereà remittebat neque ex ſtudio rei antiquariæ, cujus cauſâ *Petro Royero* Profeſſorum uni fuit eximiè charus, neq; ex humanioribus ſtudiis, quæ, ut à fratre excolerentur, tanquàm magiſter attendebat.

Juriſprudentiæ ſtudioſus.

A. 1597. *Turnone Aquas Sextias* à patruo revocatus, Juriſprudentiæ nomen dedit ſub *Franciſco Fortio Andino*, qui in *Aquenſi* Curiâ Advocatus & docendi Juris peritus magnâ curâ Inſtitutiones ei prælegit.

Ille verò tàm occaſione hujus ſtudii, quàm ne cœptam eruditionem omninò intermitteret, tenere ſuo Marte cœpit Imperatorum ſeriem, à quibus leges fuerant latæ, texuit & ſeriem Conſulum & cæterorum Magiſtratuum, conquiſitis undique Numiſmatibus, ut & facie & rebus geſtis Latores Legum agnoſceret.

Iter ejus Italicum.

Erat tum *Aquis Sextiis Petrus Antonius Raſcaſius Bagarrius*, rei antiquariæ peritiſſimus, quem poſteà Rex *Henricus Magnus* acceſſivit, & cimeliarchio ſuo præfecit. Hunc *Peireskius* frequens acceſſit, ut ab eo edoceretur. Initio Sept. A. 1599. cum fratre & morum ſtudiorumque Gubernatore *Paulo Gudanes Fonvivio* nobili è *Biarniâ* in *Italiam* iter ſuſcepit.

Patavii Juris ſtudioſus.

Cum itque *Genuam, Lucam, Piſas, Florentiam, Bononiam, & Ferrariam,* Urbes primarias luſtrâſſet. *Venetiis* demùm paucis diebus immoratus, *Patavii* ſedem fixit. Ibi tametſi unà cum fratre Profeſſores Juris *Jacobum Gallum, Bartholomæum Sylvaticum, Joachimum Scainum, & Ottonellum Diſcalcium* frequenter adiiſſet, nihilominùs alios etiam, quotquot aderant, eruditos viros convenit, & in admirationem traxit.

Cariſſimus autem fuit *Johanni Vincentio Pinello*, qui origine *Genuenſis*, & patriâ *Neapolitanus*, eam civitatem delegerat, in quâ tranquillè ævum degens, totum ſe literis ingenuis promovendis conſecraret. Is ibi Bibliothecam inſtructam apparârat, rerumque omnium exquiſitarum promptuarium inſtruxerat, ac ævi illius literatos omnes libris aliiſque rebus adjutabat.

Venetiis viros doctos adiit.

Commeabat autem tertio quoque menſe *Venetias*, tum ut pecuniam neceſſariam exigeret, tum ut viros doctos, veluti *Paulum Sarpium*, *Dominicum Molinum*, *Philippum Cunaium Fraxineum*, Regis *Galliæ* Oratorem, aliosque conveniret.

Præcipuus in his fuit *Fridericus Contarenus*, Divi *Marci* Procurator, qui cum Muſæum haberet inſtructiſſimum, illius tamen pretium non novit, donec *Peireskius* demonſtravit, quidnam, & quanti æſtimandum unumquodque cimeliorum foret, & quid inſcriptiones Numiſmatum Græcæ ſignificarent.

Initio Septembris *Romam* versùs iter ingreſſus, *Bononiæ* retardatus eſt, quod *Julius Cæſar Velius*, qui credebatur hauſiſſe totam antiquitatis notitiam, ſuavi illius congreſſu captus detinere ipſum pluſculùm voluerit.

Florentiæ vidit Sponſalia Regis Galliæ Henrici IV. cum Mariâ Medicæâ.

Accedens deindè *Florentiam*, à patre literas commendatitias accepit *Caroli Lotharingii* Ducis *Guiſii* ad *Nicolaum Brulartum Sillerium*, qui fuit deinceps Regni *Gallici* Cancellarius, quique tunc Regius *Romæ* Orator eò venerat, ad Sponſalium Regis ſui cum *Mariâ Mediceâ* celebrationem.

Hic itaque *Peireskium* cum fratre accitos in familiam voluit, ut ſuis ſub auſpiciis omnia liberiùs contuerentur. Ibidem inter alios amicum ſibi paravit *Richardum Richardi*, ſtudioſum plantarum & marmorum, qui ipſum quoquo verſùm ad opera publica hortoſque deduxit.

Menſe

Menſe transacto, *Senas* petiit, ubi *Celſum Cittadinum* ſalutavit, qui tunc habebat præ manibus tractatum de Origine, progreſſuque *Latinæ* & *Italicæ* Linguæ.

Romæ antiquarios acceſſit.

Romam tandem ſub finem Octobris pervenit; Ibi mox antiquarios ibi celebres convenit, Cardinalem *Baronium*, *Jacobum Sirmondum*, Societatis Jeſu, *Lelium Paſchalinum*, cujus Cimeliarchium inſpexit, *Fulvium Urſinum*, *Philippum Pigafettam*, *Paulum Gualdum*, *Petrum Stephanonum*, *Dionyſium Octavium Sadam*, & alios.

Cum porrò dies aliquot in videndo *Pantheo*, columnâ *Trajani*, aliiſque urbis antiquitatibus inſumpſiſſet, nullum etiam Templum, Sacellum, Collegium, aut Xenodochium fuit, quod ingreſſus non fuerit, nullum Palatium aut celebre Pontificum opus, ad quod non diverterit, nulla *Raphaëlis Urbini*, *Michaëlis Angeli*, *Polydori Caravagii*, & *Titiani* pictura, quam non inſpectârit.

Neapoli Muſæa varia inviſit.

An. 1601. Paſchalibus *Romæ* exactis profectus eſt *Neapolim*. Hîc nata ipſi mox eximia familiaritas cum *Portæis* fratribus, *Johanne Vincentio* & *Johanne Baptiſta*, viris canitie jam venerandis, quorum armaria pretioſa ſpectavit.

Inviſit præterea Muſæum *Ferrantis Imperati*, raris naturæ operibus inſtructum, itemq; *Adriani Guilielmi*, *Martis Gurguſtiolæ*, & *Matthæi Cappuani Conchanorum* Principis, ad quod extra civitatem divertendum fuit.

Peruſiam venit.

Altero pòſt menſe *Romam* repetiit, & brevi pòſt iter inſtituit *Peruſiam* Academiæ gratiâ. Deflexit indè *Eugubium*, occaſione inventæ illic non ita pridem Tabulæ æneæ linguâ veteri *Hetruſcâ* perſcriptæ. Salutato poſteà ad *Aſſiſium* D. *Franciſci* monumento, inviſit *Fulinii Natalitium Benedictum*. Tum votis ad fanum D. *Mariæ Lauretanæ* perſolutis, adiit *Anconam*, indèque *Urbinum*, ad obtinendum licentiam pervolutandi Bibliothecam Ducis.

Lauretum, & Urbinum.

Piſaurum & Ravennam.

Digreſſus *Piſaurum* & *Ariminum* acceſſit *Ravennam*. *Venetias* tandem & *Patavium* medio circiter Junio reverſus eſt. Ibi ad intermiſſa Juris ſtudia ſe compoſuit. Linguas etiam uſui ſibi futuras excoluit. Nam ex *Hebraicâ*, & ex utroque charactere, tam vulgari quàm *Samaritano*, ex *Syriacâ* item dialecto idiomateque *Arabico* tantum delibavit, quantum ad Siclorum ſimiliumque Numiſmatum interpretationem neceſſarium duxit, uſus magiſterio *Judæi Rabbii Salamonis*, *Patavii* commorantis.

Patavii ad Juris ſtudia rediit.

Linguas Hebraicam, Syriacam & Græcam excoluit.

Græcæ linguæ majorem operam impendit, tum propter varias conſtitutiones Imperatorum *Græcorum*, ipſamque Juris originem, quæ ad Græcos fontes refertur, tum propter Poëſeos & Hiſtoriæ, quæ in eâ linguâ ſuperſunt, monumenta, tum propter explicationem Numiſmatum & marmorum, quorum ſunt Græcæ Inſcriptiones, quibus illuſtrandis pulchrum ſemper duxit, ſeriam operam collocare.

& Matheſin.

Invigilavit etiam Mathematicis artibus, carus ex eo tempore *Galilæo Galilæi*, quem ex inventâ hauriendis aquis tum urbem infeſtantibus machinâ ſuſpexit. An. 1602. *Monſpelium* diſceſſit, & in contubernium *Julii Pacii* ſe dedit, quem Jura profitentem ibi ſe Julus audivit. Ibidem ſæpiùs divertebat in Hortos Regios à 4 jam annis inſtructos ad *Richerium Bellevallium* hortis Præfectum. Divertebat etiam frequens ad *Franciſcum Ranchinum*, Medicum, & rerum antiquarum cultorem.

Monſpelii Julii Pacii J. C. auditor.

Cum verò ob ſtudia & morbos literas exindè ſcripſiſſet rariores, rumor de ejus morte *Romæ* ac *Patavii* percrebuit, & *Pignorius* ad Patrem ejus conſolatoriam ſcripſit, *Gualdus* verò, falſitate rumoris compertâ, illum quaſi redivivum ſalutavit, crudelem blandè appellitans, quod ſuâ in ſcribendo negligentiâ amicos tam bonos enecaret.

Aquas Sextias, jubente Patruo, reverſus, 18. Jan. A. 1604. poſtquàm triduanas Theſes ex utroque Jure miſcellaneas defendiſſet, Lauream Doctoralem ſolenniter conſecutus eſt. Biduò verò pòſt ornamenta Doctorea in fratrem *Palamedem* ipſe contulit.

Juris Doctor creatur.

Fratrem creavit Doctorem.

Sollicitatus deindè de conjugio, cœlibem vitam prætulit, & non multò poſt ſuſceptum Doctoreum gradum perluſtrare placuit ipſi maritimam oram, tum ut omnia antiquitatis monumenta perveſtigaret, tum ut rariores quaſdam plantas deligeret in Hortum *Belgenſerianum* transferendas.

Cœlibem vitam conjugio prætulit.

An. 1605. *Pariſios* iter ſuſcepit, ubi mox *Auguſtum Thuanum* & *Iſaacum Caſaubonum*, Bibliothecarios Regios ſalutavit. Ibidem familiaritatem contraxit cum *Frontone Ducæo*, *Papyrio Maſſono*, *Nicolao Fabro*, *Jacobo Bongarſio*, *Scævolâ*, & *Ludovico Sammarthanis* fratribus, *Franciſco Pithœo*, *Petri Germano*, aliiſque.

Pariſios diſceſſit.

An. 1606. in *Angliam* trajecit, & *Londini*, præeunte Oratore, *Jacobum* Regem ſalutavit. Admiſſus eſt etiam in conclave, ſeditque inter primores Comites in ſolenni conventu eo tempore celebrato.

In Angliâ Regem Jacobum ſalutavit. & in Conventu Comitum ſedit.

Londini & *Oxonii* viros doctos acceſſit *Guilielmum Camdenum*, de *Britanniâ* benè meritum, *Robertum Cottonum*, *Jacobum Collium*, ejuſque ſocerum *Matthiam Lobelium*, Regium Botanographum.

Ex *Angliâ* in *Belgium* diſcedens, *Lugduni Batavorum* primum omnium *Joſephum Scaligerum* ſalutavit, deindè *Carolum Cluſium*, quem octogenario majorem podagra tunc primùm tentabat.

Iter ejus in Belgium.

Ibidem iniit amicitiam cum *Bonaventurâ Vulcanio*, circa *Procopii* verſionem tunc occupato, cum *Dominico Baudio*, & nonnullis aliis.

Fuit deinceps *Amſterodami*, ubi ſatiari vix potuit cognoſcendo tam multa rara, quæ ex utrâque Indiâ in id emporium convehuntur. Fuit *Encuſæ*, ut ſpectaret illic celebre illud *Bernhardi Paludani* Cimeliarchium, in quo non ægrè tuliſſet conſeneſcere. *Hagæ Hugonem Grotium* agnovit, quem, tametſi adoleſcentem, eruditio matura commendabat.

Currus mirabilis Schevelingæ.

Divertit verò *Schevelingam*, ut exploraret vectationem, & velocitatem Currûs eâ ſolertiâ à paucis annis excogitati, ut paſſis velis in littore navigii inſtar evolaret. Hunc currum Comes *Mauritius* poſt *Neoportuenſem* victoriam unà cum capto in prœlio *Franciſco Mendozâ* conſcendit, & intra duas horas attigit oppidum *Puttenum*, quod inter & *Schevelingam* 14. milliaria horaria intercipiuntur.

Lovanii apud Medici cujusdam viduam vidit leporem cornutum, qui ex *Norvegiâ* dicebatur allatus. *Bruxellæ* amicitiam iniit cum celebri Pictore *Wenceslao Cobergo*, qui tum habebat præ manibus inſigne opus quadripartitum de Architecturâ, de Picturâ, Scripturâque antiquâ, de Deorum imaginibus, de Numiſmatis ſeu Metallis, aut metallicis æneis à *Julio Cæſare* ad *Gallienum* usque.

Carolus Dux Croy us Antiquitatis amator.

Ulterius progreſſum Princeps *Carolus* Dux *Croyus* & *Arſchotanus* totis decem diebus in celebri domo *Bellimontanâ* detinuit, continuò ſpectantem innumera & rariſſima cimelia, ditiſſimasque metallothecas, quibus ille Muſæum exornaverat: quin diſcedentem etiam coëgit abſportare omnia, quæ habebat antiquorum *Galliæ* Regum tam aurea quàm argentea Numiſmata, & 60. ex Græcis, cum tamen nihil aliud à *Peireskio* accipere voluerit, quàm æreum nummum *Johannis* illius, qui *Theodoſii* & *Placidii Valentiniani* temporibus arripuit imperium.

Senator Aquis Sextienſis.

Ex *Belgio* in patriam reverſum Patruus extimulavit, ut ſeſe ad adipiſcendam deſtinatam pridem Senatoriam dignitatem in Curiâ *Aquiſextienſi* compararet, prægreſſo itaque examine ſolito, miro cum applauſu Senatoribus adſcriptus eſt.

A. 1608. Patruus ejus *Claudius Fabricius*, cum 7 tantùm diebus morbo lethali decubuiſſet, vitâ exceſſit.

Mira canis fidelitas.

In hujus funere mirata eſt tota urbs, fidum defuncti canem affectatione perpetuâ circumſtitiſſe feretrum, nec potuiſſe per plures dies amoveri à tumulo, & poſtquàm domum reductus fuit, coram icone diu conſtitiſſe.

Somnium mirabile.

A. 1610. *Monſpellium* rurſus profectus eſt, cumque rebus ſuis proſperè geſtis domum tenderet, ſomnium in viâ habuit noctu mirabile, videbatur enim ſibi eſſe *Nemauſi*, & oblatum ſibi fuiſſe ab Aurifice Numiſma aureum *Julii Cæſaris* pretio 4. ſcutatorum, cumque pecuniam numerare vellet, importunè ab itineris ſocio excitatus, omnia evanuiſſe vidit. Sed nihil moratus ſomnium, *Nemauſum* diſceſſit, ibi per civitatem, dum prandium pararetur, digreſſus, caſu in Aurificem incidit, ex quo dum requireret, an rarum quippiam haberet? habere ſe reſpondit ille *Julium Cæſarem* aureum 4 ſcutatorum pretii. Id itaque ſtatim numeravit, & ſomnium ſuum mirâ felicitate completum eſſe vidit.

A. 1612. Amicorum inviſendorum deſiderio *Pariſios* iteratò profectus, anno ſequenti domum rediit.

Abbas S. Mariæ Aquiſtrienſis.

A. 1618. Nominatus eſt à Rege in Abbatem S. *Mariæ Aquiſtrienſis* in *Aquitaniâ*, ad quam rem opem præ cœteris Cardinalibus eximiam *Romæ* contulit *Maffæus Barbarinus*, ſummus poſteà Pontifex, cum quo ei ab illo tempore conſuetudo literaria interceſſit.

Obtinuit etiam Diploma Regium, quo fuit ipſi permiſſum, perſeverare in functione dignitatis priſtinæ, licet Abbas factus, Eccleſiaſticam induiſſet perſonam.

Moritur.

Ex renum tandem dolore gravi cum tumore abdominis aſcito, & urinæ ſuppreſſione conſumptus, animam DEO reddidit A. C. 1637. ætatis 57.

Defuncto frater *Valaveſius* hoc *Epitaphium* monumento Sepulchrali curavit incidi:

Epitaphium.

HIC SITUS NICOLAUS FABRY PEIRESCIUS, AMPLISSIMI ORDINIS IN AQUAR. SEXT. CURIA SENATOR CHRISTIANAM RESURRECTIONEM EXPECTAT.

RECONDITISSIMOS ANTIQUARIÆ SUPELLECTILIS THESAUROS SAGACITATE, CONSILIO, LIBERALITATE CUNCTIS ORBE TOTO DISCIPLINARUM STUDIOSIS APERUIT, DOCTISSIMIS UNDE PROFICERENT SÆPE MONSTRAVIT, MIRA BEATITATE FELIX, SECULO SATIS RIXOSO NOTISSIMUS SINE QUERELA VIXIT, VIII. CAL. JUL. ANNO CHR. CIƆIƆCXXXVII. ÆTATIS SUÆ LVII.

OPTIMO VIRO BONOS OMNES BENE ADPRECARI DECET.

21. Dec. An. C. 1637. *Romæ* in publico Cardinalium aliorumque eruditorum Academicorum *Romanorum* conſeſſu Oratione funebri laudatus eſt à *Johanne Jacobo Buccardo Pariſino*.

Scripta ab eo relicta & edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Hiſtoria Provinciæ Galliæ Narbonenſis.

Nobilium ejusdem Provinciæ familiarum origines, & ſeparatim Fabritiæ.

Commentarii rerum omnium memoriâ dignarum ſuâ ætate geſtarum.

Liber de ludicris naturæ operibus, quæ certis regionibus è terrâ effodiuntur, ſcilicet, de lignis in lapidis vel aliam naturam degenerantibus, de immanibus Gigantum, ut vulgus opinatur, oſſibus, & de Plantis peregrinis, Indicis præſertim.

Mathematica, & Aſtronomica varia.

Obſervationes Mathematicæ.

Epiſtolæ ad S. P. Urbanum VIII. Cardinales Barbarinos, aliosq; viros eruditos.

Autbores antiqui Græci & Latini de Ponderibus & Menſuris.

Elogia & Epitaphia.

Inſcriptiones antiquæ, & novæ.

Genealogia domûs Auſtriacæ.

Catalogus Librorum Bibliothecæ Regiæ.

Poëmata varia.

Nummi Gallici, Saxonici, Britannici &c.

Linguæ Orientalis, Hebræa, Samaritana, Arabica, Ægyptiaca, & Indices Librorum harum Linguarum.

Obſervationes in varios Authores.

* *Ex vitâ Nicolai Claudii Fabricii de Peireſc Libris VI. deſcriptâ à Petro Gaſſendo, Pariſiis Regio Matheſeos Profeſſore.*

Obiit A.C. 1637.

GEORGIUS HIERONYMUS MARSTALLERUS.

NOrimbergæ natus, Patrem habuit *Hieronymum Marſtallerum*, Mercatorem primarium, qui ſuſcepit eum ex *Annâ Dietrichinâ* A. C. 1602.

Juris Doctor Tubingæ. Cum in patriæ Scholis in literis humanioribus fundamenta ſolida poſuiſſet, Academiam *Altorfinam*, & exindè *Tubingenſem* adivit, in quâ ſexennio Jurium ſtudiis addictus, An. 1628. Doctoratûs Inſignia cum laude & honore accepit.

Deindè per *Galliam*, *Italiam*, *Hiſpaniam*, *Angliam*, *Daniam*, *Belgium*, & magnam *Germaniæ* partem peregrinationem inſtituit, & Itinerarium, in eoque plurima memorabilia conſcripſit.

A. 1635. Conjugium *Auguſtæ Vindelicorum* iniit cum virgine *Sibyllâ*, nobilis viri *Georgii Oeſterreicheri* filiâ, ex quâ poſthumum reliquit.

Syndicus Francofurtenſis. A. 1636. vocatus à Republicâ *Francofurtenſi ad Mœnum* ad Syndicatum eò 7. Febr. An. 1637. conceſſit.

Cum verò 26. Febr. ſeq. *Norimbergam* contenderet, ut uxorem ſecum abduceret, *A Sicariis occiſus.* in viâ milites 6. *Hanovienſes* eum invadentes ſclopetis exploſis in manu ſiniſtrâ & humero dextro graviter vulnerârunt. Sic *Francofurtum* reductus, & medicorum operâ fruſtrà uſus, tandem poſt 7. dierum decubitum, in Chriſto exſpiravit 15. Julii A.C. 1637. ætatis 35.

* *Ex Concione funebri Chriſtiani Gerlachii, Concionatoris Francofurtenſis.*

Obiit A.C. 1637.

ARNOLDUS STILLIUS.

NAtus eſt in celebri *Hanoverenſium* civitate A. 1609. patremque habuit *Arnoldum Still*, Civem & Mercatorem primarium, matrem *Margaretham*, Reverendi Viri *Bernardi Bockelmanni*, Paſtoris Eccleſiæ *Horſtenſis* filiam.

Sed cum Patrem vix annum natus amiſiſſet, patris tamen partes adminiſtravit poſteà *Henricus Orandeſſe*, Civis itidem & Mercator, ductâ domum ſuam Matre, cum jam quinquennium vidua duxiſſet. Hic privignum hunc ſuum ita amavit, ejusque ſtudia adjuvit, ut germanus pater majora nato præſtare non poſſet.

In Gymnaſio Hamburgenſi ſtudioſus. Adoleſcens cum in Gymnaſio *Hamburgenſi* biennio verſatus literarum copiam *Latinarum* juxta & *Græcarum*, nec non Artium liberalium ſibi paraſſet, in Academiam *Wittenbergenſem* venit A.C. 1629. ætat. 20. & Philoſophiæ primùm operam dedit: deindè Juris utriusque ſtudium amplexus, in eo ita profecit, ut A. 1635. 14. Julii ſummo gradu ſolenniter ornaretur: *Juris Doctor Wittenbergæ. Nuptiæ.* quo tempore & nuptias fecit cum virgine *Annâ*, D. *Bartolomæi Reusneri*, J.C. & Anteceſſoris in Univerſitate *Wittenbergenſi* filiâ, ex quâ Pater factus eſt prole geminâ, *Margarethâ Catharinâ*, quæ biduo major non fuit, cum extingueretur, & *Annâ Eliſabethâ*, quæ vix menſem unum cum paucis diebus vivens, antequàm nôſſet, amiſit Patrem.

Advocatus Curiæ Electoralis. Juris Profeſſor. Menſ. Jan. A. 1636. inter Electorales Curiæ Advocatos cooptatus, ſub finem verò ejusdem anni in Facultatem Juridicam allectus eſt.

Tandem febre ardenti graviter afflictus, viribus abſumptis placidè exſpiravit 6. Sept. A.C. 1637. ætatis 28. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

* * *

Clarum fuiſſe Jurisconſultum ex Inſcriptione *Wittenbergæ* in Templo Parochiali ipſi poſitâ liquet, quæ talis eſt:

D. O. M. S.

Epitaphium. HUMANA CUNCTA FUMUS, UMBRA, VANITAS, ET SCENÆ IMAGO, ET VERBO UT ABSOLVAM NIHIL. HIC SITUS EST ARNOLDUS STILL J.U.D. QUI CUM EGREGIAM DOCTRINAM ACQUISIVERIT SIBI, FACTUM EST, UT OB ANIMI DEXTERITATEM IN ORDINEM ADVOCATORUM CURIÆ ELECTORALIS SAXONICÆ AC COLLEGIUM ASSESSORUM FACULTATIS JURIDICÆ WITTEBERGENSIS FUERIT ELECTUS. *Conſiliarius Electoris Saxoniæ.* NATUS IS EST HANOVERÆ BRUNSVIGORUM ANNO MDCVIII. DIE II. FESTI PENTECOSTES. PRÆMATURE DENATUS WITTEBERGÆ DIE VI. SEPT. ANNO MDCXXXVII. NOMINE AC FAMA SPIRANS PERPETUO. CUI MONUMENTUM HOC IPSIUS VIDUA ANNA DOROTHEA REUSNERIA, CUM FILIOLA EX DUABUS UNICA SUPERSTITE, ANIMI MOERORE PLENA AC PERTURBATIONE POSUIT, UT IPSA SOLATII INITIUM, TU AUTEM, VIATOR, MORTALITATIS HABERES SPECULUM, DEFUNCTIQUE FAVERES CINERIBUS.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi à Gotfrido Suevo, J.C. editâ.*

Obiit A.C. 1637.

BURCKARDUS CLANNERUS.

SAliſburgi in lucem editus eſt 10. Octob. A. 1566. Patrem habuit ex antiquâ ultra 200. annos nobili familiâ ortum *Wigelium Clannerum* in *Stralheim*, Matrem *Ehrentrudam Preuſſeriam*.

Avus *Sebaſtianus*, Proavus *Auguſtinus*, Atavus *Stephanus Clanneri* ſinguli Conſulari dignitate in *Saliſburgenſi* Republicâ emicuerunt.

Cum in infantiâ Patrem amiſiſſet, & *Joſephum Eltern*, Senatorem Evangelicæ fidei addictum, nactus eſſet Tutorem, hujus curâ ado-

adoleſcentulus An. 1578. in illuſtrem Ludum recens *Lintzii* conſtitutum translatus eſt, ubi ſub Rectore M. *Johanne Membbardo* ita profecit ſubindè, ut fidei Evangelicæ fundamenta ſtrueret non modò firmiter, ſed & egregiam ſcientiam in literis Latinis pariter & Græcis ſibi compararet. *Lintzii ſtudioſus.*

A. 1584. cum *Georgius* à *Kienburg* potitus rerum eſſet, & Regionibus illis ac Scholâ ipsâ Provinciali ejeciſſet tandem omnes Evangelii veritatem profeſſos, ipſe quoque domum rediit.

Undè poſt multas ſollicitationes Principis, ut *Valentinam* aut *Toletanam* Academiam in *Hiſpaniâ* adiret, *Friburgum Brisgoiæ* conceſſit, hoc conſilio (quod prædictus ei *Membbardus* ſuggeſſerat) ut *Argentoratum*, utpote in viciniâ ſitam Academiam, ſe conferret clam, & ita tyrannidi Pontificiorum ſe ſubduceret.

Argentinæ ſtudioſus. Poſtquàm itaque *Argentinam* An. 1586. veniſſet, & ibi *Membbardum* ſuum offendiſſet, reſtitit hujus hortatu in Academiâ illâ aliquandiu, & Philoſophicis, maximè autem Moralibus ſtudiis, ac ipſi Jurisprudentiæ deinceps operam dedit.

Tubingam deindè conceſſit, datus Nobilior binis *Auſtriacis* Rector morum & diſciplinæ.

An. 1588. in Academiam *Wittenbergenſem* venit, & biennii ſpatium civili prudentiæ impendit.

Nubit Witteberga ter. Tunc in matrimonium accepit virginem *Margaretham*, *Georgii Matthei*, Reipublicæ Syndici & Conſulis filiam unicam. Ex quo conjugio liberos 8. ſuſcepit, maſculos quinos, & filias tres, ſed filii duo in infantiâ exceſſerunt: tertius natu, qui fuit Vexillifer in militiâ *Suecicâ*, *Laingæ* ad *Danubium* An. 1632. obiit. Reliqui duo ſupervixêre, *Burcardus* Senator & Hoſpes *Wittenbergenſis*, & *Fridericus*, Civis *Berolinenſis*.

Functâ primâ hâc conjuge, A. 1606. ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Mariâ Neblthaniâ*, *Auguſtini Nebelthauii*, Senatoris & Mercatoris *Torgenſis* filiâ, cum quâ 10. procreavit liberos, de quibus tantùm *Emanuel* adoleſcens, & tres filiæ manſerunt vivæ.

Hâc iterum morte abreptâ, tertium matrimonii fœdus pepigit cum virgine *Mariâ*, *Eliæ Thilii*, Prætoris *Zanenſis* filiâ, quæ 4. liberos peperit, ſed *Conradum* filium, & *Annam Sophiam* reliquit; cum ipſa morbo populari paulò ante maritum obiiſſet. In univerſum igitur 22. liberorum pater fuit, & 24. nepotum avus.

Senator Wittebergenſis. Advocatus Conſiſtorii Eccleſiaſtici & Curiæ Electoralis. Syndicus, & Conſul. An. 1597. in numerum Senatorum allectus, paulò pòſt inter *Advocatos* Eccleſiaſticos Conſiſtorii adſcriptus fuit. A. 1611. ex 8. Doctoribus Juris delectus à Duce & Electore *Saxoniæ Chriſtiano II.* habitusque fuit dignus, cui Advocationis in Electorali Curiâ, quæ *Witteberga* eſt, provincia committeretur. Eodem tempore quoque Syndicus à Senatu Civitati datus eſt.

Ad quem honorem A. 1615. Conſulatus acceſſit, quem 22. annos cum ſummâ prudentiâ geſſit.

Quamvis verò eâ præditus eſſet eruditione, quæ gradu ſummo Doctoris poneretur non indigna, habuit tamen domi ſuæ cauſas, cur infra hos titulos ſe continere vellet.

Cum à multis annis calculi doloribus afflictus eſſet, accedente tandem febri lethali vitam morte beatâ clauſit 7. Oct. A. C. 1637. ætatis 71. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

VALENTINUS FORSTERUS.

Obiit A. C. 1637.

W*Ittenbergæ* natus eſt 4. Junii A. 1599. Patre *Valentino Wilhelmo Forſtero*, J. C. & Anteceſſore ſcriptis editis claro: Matre *Sabinâ*, *Friderici Hortlederi*, J. C. Conſiliarii *Saxonici*, & Hiſtorici celeberrimi ſorore, filiâ *Valentini Hortlederi*, Præfecti Arcis *Amfurti* in *Saxoniâ* inferiori, quæ obiit A. 1620.

Puer literis imbutus, in patriâ ita profecit, ut publicas Profeſſorum Lectiones audiret, feciſſetque ulteriores progreſſus, niſi Parentum fata interveniſſent, quæ ſtudiorum ipſius ordinem turbârunt.

Tunc enim Scripturas exercere coactus eſt, & Protonotario Curiæ operam ſuam addicere, quod A. 1620. accidit, & eas partes per 15. annos ſummâ fide adminiſtravit, donec A. 1635. ipſum Protonotarii munus ipſi demandatum eſt. *Protonotarius Curiæ Wittebergenſis.* Menſ. Oct. A. 1636. Matrimonium auſpicatus eſt, cum jungeret ſibi virginem *Albinam*, *Georgii Alberti Spentini*, J. U. L. Aſſeſſoris Scabinatûs, & Curiæ Electoralis Protonotarii filiam, cum quâ ſuaviter, brevi tamen tempore, vixit. *Deſponſatur.*

Per quadriduum demùm febre malignâ decumbens, omnem Antidotorum opem reſpuente placidè obiit 12. Octob. A. C. 1637. ætatis 38. *Moritur febre malignâ.*

* *Ex Programm. funebri Auguſti Buchneri.*

Scripta edidit:

Scripta.

De Jurisdictione.
Hiſtoriam Juris Civilis Rom.
In IV. Libros Pr. Pandectarum.
De Dominio.

DANIEL À KOSERITZ.

Obiit A. C. 1637.

NAtus in *Burg-Kemnitz* avitis prædiis, die 17. Febr. A. 1569. Patrem habuit *Abrahamum à Koſeritz*, Electoralis Curiæ *Saxonicæ* Aſſeſſorem, Matrem *Annam à Schonfeld*, ex domo *Löbnitz*. Avus ejus paternus *Jacobus à Koſeritz*, Electoris *Saxoniæ Johannis Friderici* Conſiliarius fuit.

Infans luſtratus Fonte inter pietatem & innocentiam feliciter adolevit, matrem tamen vix 6. annos natus amiſit: & cum idoneâ præditus indole ad hauriendas literas videretur, pater in eam curam perpetuò incubuit, ut filius optimis Magiſtris uteretur.

A. 1584.

Studioſus Wittenbergæ. A. 1584. in Academiam *Wittenbergenſem* miſſus, & *Thomæ Calixti Schmidle*, J. C. inſpectioni ac curæ traditus eſt.

Sed cum anno ſequenti 1585. Patris obitus interveniſſet, translatus à Tutoribus in *Serveſtanum* Gymnaſium, ibi ſexennium ſub diſciplinâ *Gregorii Bersmanni* exegit, & egregios profectus in melioribus literis fecit. Eodem tempore Juris principia hauſit, Ducibus ad hoc *Bartolomeo Charitio* & *Caſparo Taſchenbergero*, J.C.tis. In quo tamen ita ſe tractavit, ut & Hiſtoriis & Aſtrologiæ nonnihil impenderet temporis, quibus per omnem vitam mirificè delectatus fuit. *Serveſtæ. Juris ſtudioſus. Hiſtoricus & Aſtrologus.*

Cœterùm cum alter fratrum, cui *Jacobo* nomen, An. 1610. excederet vitâ, & ad eum omnia paterna prædia venirent, abindè ſolus familiarem rem regere cepit, eo ſucceſſu, ut brevi tempore, quicquid debitorum eſſet, exſolveret, nec parùm inſuper faceret lucri.

Quam viri prudentiam cum intelligeret Princeps, multis & graviſſimis cauſis componendis cum adhibuit, ab anno 1604. maximè ad 1614. usque, quo ab Electore *Saxoniæ* præter ſpem ſuam inter Conſiliarios relatus, & Curiæ Electoralis Præſes factus, nec non *Wittenbergenſis*, *Belzigenſis*, *Gomeranæ*, & *Elbenavienſis* Diœceſium Præfectus ſummus, eoque tempore quinquies Legatus ad *Pomeraniæ* Ducem miſſus eſt: ſæpiùs etiam Electoris ſui perſonam in Conventibus publicis Principum geſſit. *Conſiliarius Electoris Saxoniæ.*

Ejus Conjugium, A. 1604. in matrimonium adſcivit Nobilem virginem *Martham*, *Joachimi à Kobler*, qui aliàs *Krojik*, in *Prira*, *Mildenſtein* & *Roſenburg* filiam. Ex eo Conjugio Liberos undecim ſuſcepit, filios 8. & 3. filias. De quibus *Chriſtophorus Fridericus*, & *Georgius Rudolphus*, *Anna* item *Eliſabetha* dudum diem obierunt; ſed *Joachimus Abrahamus Daniel*, Conſiliarius Electoris *Saxoniæ* deſignatus, *Johannes Jacobus*, *Otto Henricus*, *Johannes Georgius* & *Auguſtus Rudolphus*, duæque filiæ, *Anna Sabina*, quæ An. 1628. Nobili *Wolff Magno Loſtro* nupſit, & *Martha Eliſabetha* virgo Patrem ſupervixerunt. *& Liberi.*

Moritur phthiſi. Tandem cum ab anno ferè malè ſe habuiſſet, accedente ex venâ interius ruptâ tuſſi diuturnâ viribus conſumptis, inter medias preces & cantilenas adſtantium finem vivendi fecit A.C. 1638. ætat. 69.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

PETRUS CUNÆUS.

Obiit A.C. 1638.

Natus eſt *Fliſſingæ Zelandorum* An. C. 1586. Patre Mercatore. *Lugduni* anno 14. ætatis ſtudia aggreſſus, pro animi libidine modò ad Medicinam, modò ad jurisprudentiam, plurimùm verò ad Hebræas & Græcas literas animum applicuit. *Juriſconſultus & Philologus.*

Politices Profeſſor Leydæ. Tandem A. 1611. ab Academiæ *Leydenſis* Curatoribus mandata illi eſt Latinæ Linguæ primùm, ac dehinc Politica Profeſſio, cujus auſpicia fecit ab Interpretatione *Cornelii Taciti.*

Ibidem vitam beatâ morte clauſit A.C. 1638. ætat. 52. *Moritur.*

Orationem funebrem ei habuit *Adolphus Vorſtius*, Medicinæ Profeſſor.

Edidit: *Scripta.*

Animadverſionum Lib. in Nonni Dionyſiaca, in quo errores & inſcitiam illius auctoris perſecutus eſt. in 8vo.

Sardos venales in 24to.

Satyram Menippæam, in ſui ſeculi homines ineptè eruditos. in 8vo.

Juliani Imp. Cæſares ex Græco verſos. in 8vo.

De Republicâ Judæorum Lib. III. in 8vo.

Exercitationum Oratoriarum Inaugurationem. in 4to.

Commentar. de cauſis Juris & facti, earumq; differentiis. Item de Pactis, deque rebus creditis.

Orationes varii argumenti. in 8vo.

Laudationem funebrem recitatam in exequiis Ælii Everhardi Vorſtii, Medicinæ Profeſſoris primarii.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

BLASIUS MATTHÆUS.

Obiit A.C. 1638.

Natus eſt *Wittenbergæ* 13. Dec. A. 1593. ex antiquâ & ſuprà 400. annos celebri in eâ urbe *Matthæorum* familiâ. Patrem habuit cognominem, Senatorii Ordinis, Matrem *Annam Mülmanniam.*

Puer eruditus literis domi diligenter fuit: quâ de causâ affinem ſuum Reverendum Virum *Paulum Müllerum*, S. Theologiæ Licentiatum & Profeſſorem Publicum in Academiâ *Juliâ*, tunc autem *Iglavienſis* Scholæ Rectorem ſecutus, biennio integro domo abfuit, ejusque manuductione in ſtudiis non ſine inſigni fructu uſus eſt.

Poſteà à matre revocatus domum, familiarem rem adminiſtravit; ſed poſt biennium cum deceſſiſſet mater, penes ipſum bonorum poſſeſſio eſſe cepit, paternæ hæreditatis nonus ipſe poſſeſſor, quod ſingularis hujus familiæ frugalitatis argumentum fuit.

A. 1620. Duxit Uxorem *Mariam*, *Auguſtini Wochii*, *Coswigienſis* Conſulis filiam, quam *Georgius Hertz*, Civis *Coswigienſis*, viduam reliquerat. Ex eâ Pater factus ſexies, tres filios, & filias totidem ſuſtulit, ſed minimum modò natu filium, & duas filias ſuperſtites reliquit. *Uxorem duxit.*

An. 1623. in Senatorium Ordinem allectus, decimo anno pòſt Eccleſiæ Arcæ, & abhinc altero Senatus & Civitatis ærario præfectus eſt. Quas omnes partes ita geſſit, ut nemo illius ordinis eſſet, qui non egregium teſtimonium Collegæ ſummæ fidei & ſtudiis perhiberet. *Senator Wittebergenſis. Quæſtor.*

Tandem cum paulò antè uxorem, triaq; pignora, poſt hæc nepotem ex fratre, & ſororem extuliſſet, mœrore confectus, & viribus deficientibus exſpiravit 8. Jan. An. C. 1638. ætat. 45. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

CUNO

Obiit A.C. 1638.

CUNO ALVENSLEBIUS.

Origo familiæ nobiliſſimæ Alvenslebianæ.

Alvonem quendam, quem quidam Albionem appellant, & *Wittekindi* Magni patruelem ſtatuunt, inſtituiſſe *Alvenslebianam* arcem, ſimulque genti dediſſe originem & nomen, literis proditum eſt. Hæc licet poſteà per immanitatem bellorum dejecta nonnihil de ſuo culmine fuerit, cum ex dignitate Comitum ad Equeſtrem devolveretur, inter nobiliſſimas tamen familias primo loco ſemper habita fuit.

Parentes.

Ex hâc familiâ *Cuno* hic *Fridebergi* in avitis prædiis A. 1588. natus. Patrem ſortitus eſt *Gebhartum ab Alvensleben*, Archiepiſcopatûs *Magdeburgenſis* Conſiliarium, *Ludolphi* Archiepiſcopalis aulæ Magiſtri ac Conſiliarii & *Bartæ à Bardensleben*, ex domo *Walſtburgenſi*, filium: Matrem habuit *Helenam*, Nobiliſſimi Viri Domini *Cunonis Habuti* filiam.

Wittenbergæ ſtudet Philoſophiam

Puer omni literali culturâ in patriâ excultus, annorum 16. Adoleſcens in Academiâ *Wittenbergenſi* cum fratre *Gebharto* miſſus, & in diſciplinam *Jacobi Martini* Theol. D. & Academiæ Senioris, qui tum Logicam & Phyſicam profitebatur, traditus eſt.

& Jurisprudentiam.

Ex eo itaque non diſciplinas modò Philoſophicas, ſed fidei quoque ſalvificæ ſummam hauſit. Simul & Jurisprudentiam attigit, manuductore domeſtico uſus *Ambroſio Pechtio*, eo nomine ipſi commendato.

In iſtis ſpatiis cum quadriennio ſe gnaviter exercuiſſet, in *Italiam* profectus eſt, adſcito Comite *Adamo Bolfraſio*, *Francofurtenſi*, Juvene Jus Civile egregiè docto.

Canonicus Magdeburgenſis.

Cum eſſet reverſus domum, A. 1610. in Ordinem Canonicorum Metropolitanæ Eccleſiæ *Magdeburgenſis* receptus eſt: quâ dignitate cum 12. annos functus eſſet, deſiderium habere cepit videndi non tantùm *Italiam* denuò, ſed *Galliam* quoque & Regiones alias perluſtrandi: nec fefellit augurium animi, & quantas ſibi copias opesque eâ ratione paraverit, A. imprimis 1628. oſtendit, cum ipſi ad S. Cæſaream Majeſtatem Legatio cum aliis demandata fuiſſet.

Legatus ad Cæſarem.

Wittenbergæ virorum doctorum conſuetudine delectatur.

Poſteà cum turbis triſtiſſimis Patria & Archiepiſcopatus cumprimis involveretur, maturè quò ſe reciperet deliberans, *Wittenbergam* conceſſit, ut conſuetudine virorum doctorum, quâ ſemper delectatus fuerat, uti affatim poſſet. Ibi lectione præcipuè voluminum Theologicorum delectatus eſt.

7. Martii A. 1638. cum finis eſſet impoſitus, Conventui *Calbæ*, oppido *Magdeburgenſi*, autoritate Collegii inſtituto, ipſe ibi præſens altero ſtatim die implicitus morbo decumbere cepit. Et licet *Bernburgo* maturè accitus Medicus optima remedia adhibuerit, leniri tamen haud potuit malum, ſed in dies pejus habere cepit, donec plenus ſpei & fidei Chriſtianæ in *Calbenſi* arce placidè exſpiravit 13. Martii A.C. 1638. ætat. 50.

Moritur in Conventu Calbenſi.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Obiit A.C. 1638.

FRANCISCUS CALYDONIUS.

Sententias ex Livio congeſtas edidit.

Comes *Vicentinus*, J.C. integram *Livii* hiſtoriam & documenta à teneris annis in ſuccum & ſanguinem convertit, cujus ſententias in gratiam Nepotum peculiari libello digeſtas publici juris fecerat, easque amicis ſingulari comitate impertiebatur.

Vir militaris.

Vir non tam literis quàm armis vigente ætate deditus, varios militiæ honores à Sereniſſimâ Republicâ *Venetâ* domi foriſque geſſit.

Mathematicus.

Mathematicas diſciplinas & Mechanicas præcipuè coluit non tam ad animi oblectamentum, quàm publica patriæ commoda.

Præfectus 7. pagorum.

Reipublicæ decreto 7. pagis ſeu Communitatibus in vicinis patriæ montibus ſummâ fide præfuit: ubi incolas antiquo privilegio immunes & diſciplinam militarem jam diu à Principe in illis alpibus deſideratam renuentes, ad eam ſpontè ſuſcipiendam adegit: ob id Equeſtri dignitate, & publico ſtipendio unà cum duobus ex fratre nepotibus auctus & decoratus.

Eques Venetus.

Edidit Avorum ſuorum Elogia.

Familiæ ſuæ decora Palatio & Picturis excitavit, editis Avorum ſuorum Elogiis.

Moritur.

Annorum plenus ſanctè in patriâ ultimum diem clauſit, 20. Maji A.C. 1638. conditusque in monumento, quod ſibi paraverat in æde D. *Laurentii* hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

FRANCISCUS CALYDONIUS Eques ANTONII FIL. A. DOM. MDCIX.

In Palatii ſui atrio *Vicentiæ* ejus effigies marmorea conſpicitur hoc alloquio prudentiæ pleno:

Inſcriptio ad ejus effigiem marmoream.

ADVORTITE NEPOTES POSTERI.

EGO FRANCISCUS CALYDONIUS J.C. SERENISSIMI SENATUS VENETI DECRETO EQUES, VICENTINIS AD ALPES FINIBUS LIMITANEISQUE MILITIBUS PRÆPOSITUS MEAM HANC IMAGINEM VOBIS VELUTI ALLOCUTURAM POSUI. JURISPRUDENTIA, ELOQUENTIA, HISTORIA, MILITARI DISCIPLINA, MATHEMATICIS, COETERISQUE SCIENTIIS, EXTERNARUMQUE LINGUARUM PERITIA VOS IMBUTOS VOLO, JUBEO. SUPERIORI PRÆTEREA IN PORTICU GLORIOSOS MAJORUM NOSTRORUM VULTUS NOBILITATIS VENETÆ STEMMATA VENERANTES SUSPICIENDOS EXPOSUI, AD HONESTA FACINORA VOBIS LUMINA, INCITAMENTUM. QUA FIDE, QUA INDUSTRIA, QUA VIGILANTIA PRINCIPIBUS INSERVIENDUM EX VOBIS DISCITE. HINC COMMODUM, HINC ÆDES NON INDECORÆ IN URBE, IN PAGO NOSTRO CALYDONIO, SUMMA IMPENSA, LABORE, STUDIO COMPARATÆ, AUCTÆ, EXCULTÆ. HOC AGITE. HUC INTENDITE. DOMESTICIS AUSPICIIS ANTIQUUM GENTIS NOSTRÆ DECUS PRÆCLARIS GESTIS FOVETE, PROPAGATE. NIL IMPENSIUS OPTO, NIL

ENIXIUS

ENIXIUS REQUIRO, MANDO. MDCXXIX.

* *Ex Elogiis Virorum doctrinâ illuſtrium Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1638.

JOHANNES BURCARDUS STADMANN.

NAtus eſt *Culmbaci* 10. Sept. A.C. 1570. Patre *Nicolao*, Conſiliario & Cancellario *Brandenburgico*, Matre *Roſina*, *Bartholomæi Freyen*, Conſulis *Rotenburgenſis* filiâ.

Juris Doctor Tubingæ.

Jurisprudentiæ ſtudiis in diverſis *Germaniæ* Academiis deditus, curſu eorum feliciter abſoluto, à facultate *Tubingenſi* ſummo in utroque Jure gradu inſignitus eſt A. 1601.

Conſiliarius Brandenburgicus.

Factus deindè Conſiliarius aulicus *Brand.* Illuſtri Regimini *Culmbacenſi* præfectus fuit.

Nuptiæ.

21. Aug. A. 1604. Maritali fide ſibi obligavit virginem *Amaliam*, filiam *Pauli Prückneri*, Juris Doctoris, Conſiliarii *Saxo-Vinarienſis*, & Advocati *Salufurtenſis*.

Moritur.

Obiit tandem *Culmbaci* 3. Aug. An. C. 1638. ætat. 68.

* *Ex Parentationibus Johannis Wolfgangi Fabricii, Argent. editis A.* 1625.

Obiit A.C. 1639.

JOHANNES BRANTIUS.

ANtverpiæ natus eſt pridiè Kalendarum Octobris A.C. 1559. Ab ineunte ætate ſtudioſus literarum, eâque procedente *Lovanii* liberalium artium Magiſterii titulum adeptus eſt.

Magiſter Philoſophiæ.

In *Galliam* profectus, primùm *Aureliæ Johannem Robertum*, & *Guilielmum Fornerium*, Anteceſſores, *Biturigis* Magnum *Jacobum Cujacium* Jus Civile profitentes audivit, à quo & Juris Conſulti honore auctus eſt.

Juris Doctor.

Pòſt *Italiam* adiit, & *Patavio*, *Ticino*, *Bononiâ* ſtudiorum cauſâ, *Româ*, *Venetiis*, aliisque Urbibus inſignioribus viſendi ſtudio perluſtratis, *Germaniâ* inſuper in reditu, patriam ſuam reviſit.

Conſiliarius Brabantiæ.

Etiam in ſummo *Brabantiæ* Conſilio in cauſis agendis verſabatur, cum *Antverpiæ* uxore ductâ, & reditum *Bruxellam* paranti manum illi injecit Senatus populusque *Antverpienſis*, & ſibi ab Actis eſſe voluit.

Actuarius Antverpienſis.

Quo munere annos 31. laudabiliter functus, ætate ingraveſcente, miſſionem honeſtam à Senatu impetravit, ut filius *Henricus* in ejus locum ſuccederet.

Senator Antverpienſis. Moritur.

Ipſe verò literis ſe abdere deinceps, & honeſto otio quod ſupereſſet vitæ frui deſtinârat. Sed longè à deſtinatione ſuâ abfuit, nam non multò pòſt communibus civium ſuorum ſuffragiis in Senatum allectus eſt. Ibi vitam finiit A. C. 1639. æt. 70.

In lucem edita ab eo ſunt ſcripta ſequentia:

Scripta.

In C. Julii Cæſaris Commentarios Notæ Politicæ & Criticæ.

Elogia Ciceronianâ Romanorum domi militiæq; illuſtrium, annis ampliùs 200. ab Urbe conditâ usque ad Auguſti Imperium.

Spicilegium Criticum in omnia Opera L. Apuleji.

S. Aſterii Amaſeæ Epiſcopi Homiliæ Græcè & Latinè, Philippo Rubenio interprete.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1639.

GEORGIUS BURCKARDUS.

LUbecæ natus eſt 18. Julii A. 1581. Patre *Antonio Burckardo*, Mercatore, Matre *Margaretâ Wildiâ*.

Mercaturæ additus.

Hos parentes cum admodùm puer epidemiâ lue extinctos amiſiſſet, à tutoribus A. 1604. *Wittenbergam* miſſus eſt, ut literis operam daret, pauló pòſt tamen ab iisdem, metuentibus, ne ſtudiorum ſumtûs deficerent, domum revocatus, ut mercimoniis applicaretur. Ille verò perſuaderi non potuit, ut ſe vitæ generi daret, undè alienior erat à naturâ.

Ad ſtudia rediit.

Remiſſus itaque eſt anno quarto pòſt in Academiam *Wittenbergenſem*. Ibi cum moralem imprimis Philoſophiam didiciſſet, Juri ſe dedit, & cum poſteà ſe dediſſet actitandis cauſis, ut inſervire foro poſſet, Notarius publicus creari voluit, quem honorem conſecutus eſt à *Daniele Zolnero*, J. C. & Comite Palatino in patriâ, ubi tum negotiorum ſuorum cauſâ verſabatur.

Notarius publicus creatur.

Wittenbergæ Senator. Ædilis.

Cum itaque ſe gereret, ut bonum virum decet, A. 1617. in Senatûs *Wittebergenſis* Collegium adoptatus, & Ædilis munus ipſi demandatum eſt.

Camerarius.

Tertio anno pòſt in Camerarii honore præfectus ærario eſt, An. 1627. verò etiam Eccleſiaſticæ arcæ, in quo munere triennium exegit.

Conſul. Syndicus.

A. 1629. Prætorem, & 1632. Conſularem dignitatem conſecutus eſt. A. demum 1638. Syndicatus quoque ipſi demandatus eſt. Quas partes omnes ita adminiſtravit, ut nec ſolertiam Senatus, nec fidem Civitas in eo deſideraret.

Deſponſatus bis.

A. 1610. matrimonium contraxit cum virgine *Margarethâ*, *Georgii Burcardi*, Viri Conſularis filiâ, ex quâ ſuſcepit filias tres, quas parvas omnes extulit. Deindè A. 1617. ſecundis votis ſibi junxit *Barbaram*, *Clementis Bergeri*, Conſulis & Bibliopolæ celebris filiam, quam viduam reliquit. Ex 9. liberis, quos cum iſtâ genuit, filios reliquit *Georgium* & *Gothofredum* cum 3. filiabus.

Moritur.

Epilepſiâ tandem aliquoties afflictus, ſubitò mortuus eſt 8. Febr. A.C. 1639. æt. 58.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Obiit A.C. 1639.

MARTINUS OPITIUS.

Senatoris Boleslavienſis filius.

BOleslaviæ, in *Sileſiâ* urbe celebri natus, Patrem habuit *Sebaſtianum Opitium*, in patriâ Senatorem, Matrem *Martham Rothmannam*, Senatoris *Boleslavienſis* filiam, quam filiolum adhuc lactantem præfiſcina mors abripuit.

Puer in ludo Patrio Præceptores habuit *Sebaſtiani* patris ſui fratrem *Chriſtophorum Opitium*, eoque defuncto *Valentinum Sanftlebium*.

Uratiſlaviæ ſtudia inchoat.

lebium. Indè *Uratiſlaviam* miſſus, ſtatim in Scholam *Magdalenæam* conceſſit, cui tunc præfectus erat *Johannes Hœkelshafius*, qui ſtatim cognitum adoleſcentis ingenium ad ſumma quæque natum amplexus eſt, & cœteris condiſcipulis in exemplum digito quaſi monſtravit.

Hujus commendatione magni nominis eâ ætate Medicis, Poëtis ac Philologis *Danieli Bucretio* & *Caſp. Cunrado* innotuit, quorum ille probatis adoleſcentis profectibus dignum deprehendit, quem filiorum ſuorum pari *Danieli* & *Theodoro* Præceptorem præficeret.

Hujus patroni domeſtici conſilio *Muſas* cum *Gratiis*, & cum ſtudiis Sapientiæ eloquentiam conjunxit: Doctores etiam in Gymnaſio publicos audivit, ac omnem antiquitatem Græcam & Latinam ſibi familiarem fecit. Poëſi quoque deditus, ad quam natus eſſe videbatur.

ad Poëſin natus.

Uratiſlaviâ Bethaniam conceſſit, & commendatione tàm propriarum virtutum, quàm *Caſp. Dornavii* datus eſt Ephorus filio Magnifici viri *Tobiæ Sculteti de Schwanenſee in Bregoſchitz.*

Exindè in Academiam *Francofurtanam* concedens, per annum ibi cum *Nüslero* ſuo vixit. Quâ occaſione uterque, ille Carminibus, hic Laude araneæ, ſcripto politiſſimo, Proxenetâ *Andreâ Geislero*, Cancellario *Ligio*, viam ad aulam & gratiam *Georgii Rudolphi*, Principis *Lignicenſis*, invenit, ſub cujus tutelâ & umbrâ par illud olorum ſecurè poſteà vixit & cantavit.

Aulicus Lignicenſis.

Hinc in patriam redux, à Parente *Heidelbergam* ablegatus eſt, ubi *Georgius Michaël Lingelsheimius*, Conſiliarius *Palatinus*, filiis cum ſuis in paleſtrâ bonæ mentis exercendis præfecit.

Præceptor Heidelbergæ.

Tunc ludicra, ſeria, Latina, Germanica, ubique ambidexter luſit & publicavit, quos tanti ingenii fœtûs *Janus Gruterus* admiratus eſt, cujus conſilio, cum bibliothecâ publicâ ac ſuâ per biennium non ſine fœnore uſus eſt *Opitius*, qui etiam id beneficium reverenter, quamdiu vixit, agnovit.

Ibidem amicos habuit familiares *Caſp. Barthium*, cujus aliquandiu contubernio uſus eſt, *Julium Zincgrefium*, Emblematum & Apophtegmatum *Germanicorum* collectione clarum, *Janum Gebhardum*, apud *Gröninganos* Hiſtoricum, & *Balthaſarem Venatorem*, Principis poſteà *Palatini Bipontini* Conſiliarium.

Argent. excurrit,

Exindè in Academiam *Argentoratenſem* excurrit, famâ *Berneggeri* motus, quo viſo virtutes priſci ævi in ipſo eminentes admiratus eſt: viciſſim hic ingeniorum æſtimator *Opitium* dictum iri *Virgilium Germanicum* ex veri tripode prædixit.

& Tubingam.

Hinc per tractum *Wirtenbergicum Tubingæ* Profeſſores eximios, *Chriſtophorum Beſoldum*, J.C. & Politicum, ac *Thomam Lanſium* ſalutavit, atque hinc *Heidelbergam* reverſus eſt.

Sed moto paulò pòſt incendio *Bohemico* & *Palatinatu* ex contagio viciniæ attacto, flammis ſe his publicis ſubterduxit, & cum Equite quodam *Dano* migravit in *Belgium*, ac *Leidam* tandem devenit, hinc *Amſtelrodamum* ac *Hagam Comitum*.

Iter ſuſcepit in Belgium.

Hinc cum Comite ſuo *Dano* in *Cimbriam* citeriorem profectus, tempus ſuum ſcribendis *de Conſtantiâ libris* fefellit, quos nonum in annum domi preſſos paucis ante obitum annis in publicum exire paſſus eſt.

Cum poſteà Imperator *Ferdinandus II. Georgio Rudolpho*, Principi *Lignicenſi*, præfecturam totius *Sileſiæ* mandaſſet, ex *Cimbriâ* in patriam rediens, Proregi anteà cognitus, tuncque à *Nüslero* & *Kirchero* propiùs commendatus, relicto privato & obſcuro vitæ genere in aulam conceſſit.

Exindè in *Tranſſylvaniam* vocatus, ut in Gymnaſio *Albæ Juliæ* munificentiâ Principis *Gabrielis Betlenii* erecto doceret, in functione illâ Profeſſoriâ publicè interpretatus eſt *Horatium* & *Senecam*: quâ induſtriâ apud Principem benevolentiam, qui ipſum ſæpè in aulam ad colloquium & menſam doctis viris plenam vocari juberet, apud indoctos invidiam meruit.

Profeſſor Poëſeos Albæ Juliæ.

Maximus verò fructus hujus peregrinationis fuit, quod latum ita campum habuit cogitandi de origine Gentis *Dacicæ*, de *Decebali* formidabilis illic Regis clade, victoriâ *Trajani*, & coloniis illûc miſſis, cui hiſtoriæ illuſtrandæ multas Inſcriptiones *Romanas* ex ruderibus corroſis deſcriptas congeſſit, defectûs ſupplevit, falſa correxit, & ad *Grotium*, *Gruterum*, *Berneggerum* horum cimeliorum æſtimatores tranſmiſit, ut Antiquarum Inſcriptionum operi, tanquàm appendix, addi poſſent.

Cœterum cum ex inſolentiâ aëris *Tranſſylvani* & ſoli corporis invaletudinem & animi nauſeam concepiſſet, permiſſu Principis ab ipſoque muneribus auctus, paulò antè ſecundum bellum *Tranſſylvanicum* in *Auſtriam* motum in patriæ gremium rediit.

Tunc *Dacia* antiqua ipſum totum habuit, in quo opere extruendo nullis lucubrationibus pepercit, id tamen lentiùs ſucceſſit, ob inopiam *Columnæ Trajani* tandem poſt aliquot annos repertam.

Tunc etiam *Epiſtolas Dominicales* & *Feſtivales* anni, exemplo *Poſthii* idem de Evangeliis facientis, juſſu Principis *Lignicenſis*, verſibus reddidit, ſingulisque ſingulare carminis genus aptavit, ut Melodiis *Gaudemelæ* Muſici *Galli* canerentur.

Intereà *Julius Guilielmus Zincgrefius* tanti Poëtæ famæ illuſtrandæ, errantes longè latèque Muſas *Opitii* in unum corpuſculum collectas primus *Argentorati* typis excudi curavit.

Porrò ne tædium aut ſatietas loci rerum aut hominum ſibi & aliis oriretur, interdum excurrit in Urbem patriam, cui quantum deberet, multis Carminibus & Præfatione Libelli de *Germanicâ* poëſi teſtatum fecit.

Imò pedem etiam extra *Sileſiam* ad *Saxones* extulit, ut *Luſciniam* illam ad *Albim*, *Buch-*

Wittenbergam venit.

Buchnerum vultu uſurparet, cum quo fermè in contubernio per integrum ſemeſtre dies colloquiis eruditis traduxit, ubi *Troades*, *Senecæ Tragœdiam* à ſe verſam, publicæ luci dedit.

Excurrit in Aulam Saxonicam,

Eâ occaſione allectus in aulam Electoris *Saxoniæ*, Amicos *Seuſſium* Poëtam, & *Anſorgium* Electorali juventuti præfectum ſalutandi cauſâ, & poſtmodùm in aulam literatiſſimi Principis *Ludovici Anhaltini* excurrit, tum hunc ipſum Evergetam & Poëtarum *Auguſtum* veneraturus, tum ejus amicos *Tobiam Hübnerum* verſione *Saluſtii Bartaſinarum hebdomadum* ſibi cognitum, uti etiam *Dietericum Werderum* verſione Operis *Taſſiani* de recuperato regno *Hieroſolymitano* celebrem compellaturus.

& Anhaltinam.

Rediit in Aulam Lignicenſem.

Hinc in patriam redux, gratus fuit Principi, aulicis, & amicis omnibus. Commodè tunc accidit, ut à Principe *Lignicenſi* in Aulam Cæſaris *Caſpar Kirchnerus* eloquentiâ promtiſſimus ablegaretur, qui *Opitium* comitem itineris & conſortem quorundam negotiorum adſcivit.

Tunc opportunè memoriæ *Caroli* Archiducis *Auſtriæ* inter ſummam futuræ gloriæ ſpem prærepti *Epicedium Germanicum* condidit, quod ei fuit initium ad Cæſaream clementiam & honores ſubſecutos.

Vagam vitam egit.

Poſt reditum vago vitæ genere vixit, cum eum nunc *Uratislavia*, nunc *Brega*, nunc *Lignitium*, nunc hæc vel illa Aula, nunc Nobiles, & amici viri docti tenerent, ut verè ipſe affirmaret, ſe domi peregrinari.

Intereà illuſtris Baro à *Dohnâ*, cui à *Kirchero* quidem fuerat commendatus *Opitius*, cum eo lautis conditionibus tranſegit, ut eſſet ſibi ab Epiſtolis ſecretis ad Magnates, cum quibus ipſi ratione muneris à Cæſare commiſſi, multùm commercii erat, dirigendis.

Secretarius Baronis à Dohnâ.

Undè ipſum ad Principes & Magnates ablegavit, ſed imprimis uſus eſt illo in Epiſtolis ad Pontificem, Cæſarem, Reges & Principes exarandis; quo concordi inſtituto & Dominus & Miniſter, quisque ſuo gradu, ſummis orbis Monarchis, eorumque amicis commendatiſſimos ſe effecerunt: fuit enim in *Opitio* conciliandæ Principum gratiæ & promerendi amoris, comiter ſe gerendo, & facundè alloquendo ſtudium efficax, ac ſingulare quoddam artificium.

Caſtra ſecutus, mox ad ſtudia rediit.

Caſtra quidem, ſuaſu heri ſui ſub ſummo Præfecto Copiarum *Pechmanno* ſemel adiit, ſed excurſione factâ, pulſis *Pechmannianis*, ſe ex poſtremiſſimis inter pugnandum primum ac principem in fugâ factum, poſteà commemorans facetè ſub ſuâ perſonâ galeatos illos lepores tetigit.

Ita caſtris valedixit, & cum Libris veteribus ſuis amicis in gratiam rediit, imprimis verò ad ſeriam curam Daciæ ſuæ animum applicuit: cumque libris evolvendis defatigatum ſe ſentiret, ad carminis amœnitatem refugit, ſicque nullum tempus in negotio & otio ſibi fruſtra elabi paſſus eſt.

Occurrente poſteà opimâ occaſione, *Dohnano* ſumtûs pollicente, in *Galliam* iter ſuſcepit, & *Argentorato Lutetiam* citato gradu contendit.

Lutetiam profectus.

Ibi ſingulari cum favore complexus eſt *Hugo Grotius*, quo cum jamdudùm commercium literarium ei interceſſerat, cujus domum quotidiè frequentavit, nec ab ipſo unquam niſi doctior, melior, & prudentior abivit.

Celebrabatur tunc *Lutetiæ*, acuendis ingeniis & judicio firmando eruditorum conventus in domo *Puteanorum*, ubi de ſtatu totius *Europæ* diſceptare ſolebant.

Eruditorum conventum in domo Puteanorum accesſit.

Eò *Grotius*, quoties per graviora negotia vacavit, libenter acceſſit, & *Opitium* manu quaſi adduxit, eumque flori virorum illic congregatorum ſtitit, qui omnes illum Latinè loquentem amplexi non tàm in Collegium ſuum receperunt, quàm invitârunt, ſibi de tanto hoſpite gratulantes.

Intereà fallendi temporis cauſâ Parænetico Carmine *Cornelium Grotium* quindecennem, ſed cognitione linguarum, eloquentiæ profectu, & pangendi carminis felicitate ætatis ſuæ annos exemplo paterno egreſſum, ut veſtigiis paternis inſiſtens Patrem olim æquaret, ut vel ipſo paterno voto ſuperaret, adhortatus eſt.

Galliæ valedicens, & in aulam *Dohnanam* regreſſus, libros varios raræ notæ manuſcriptos, editos, ineditos, Græcos, Latinos, varios item variarum gentium nummos, aureos, argenteos, æneos ſecum detulit.

Ab hoc reditu ultra biennium ſtationem ſuam non priùs deſeruit, quàm tempeſtatibus *Germaniæ* ingruentibus *Dohnanus* caſtra Cæſaris ſecutus, paulò pòſt *Pragæ* febri occubuiſſet: tunc enim in aulam *Johannis Chriſtiani* Principis *Lignicenſis* ſeceſſit, à quo cum poteſtatem accepiſſet in urbe, quâ vellet, ſedem ſtatuendi *Gedanum* maritimum emporium elegit, ibique in domum & convictum ſe dedit *Nigrini* Theologi *Helveticæ* ſententiæ, qui perſpectis *Opitii* virtutibus eum *Gerhardo Dänhoſio*, Aulæ Regis *Poloniæ* Mareſchallo & exercituum Ductori commendavit.

Gedani ſedem ſtatuit.

Hunc patronum magnum magis ſibi conciliare cogitans *Antigonem Sophoclearum* Tragœdiarum facilè Principem, ſpeculum contemplandi noſtrum ſeculum, ſub illius nominis autoritate in publicum cothurno *Germanico* indutum exire paſſus eſt.

Hoc monumento *Denhoſius* devinctus, nullo alio beneficio penſare illud poſſe credidit, quàm ſi clientem ſuum Sereniſſimo Regi in aures & oculos ferret & ſiſteret.

Regem verò proxenetâ *Dänhoſio* faventem nactus *Opitius* duobus Panægiricis duplici quaſi vinculo, altero *Germanico*, reduci à Moſchis ſine cæde & ſanguine victis, altero ejusdem *Felicitati Auguſtæ* ac *Honori* nuptiarum cum *Nymphâ Auſtriacâ* inſtitutarum dedicatis ſibi porrò concilliavit, ut fidei ſuæ multa apud Reges *Galliæ*, *Angliæ*, *Daniæ* expedienda crederentur: quibus feliciter

Uratiſlaviæ ſtudia inchoat.

lebium. Inde Uratiſlaviam miſſus, ſtatim in Scholam *Magdalenæam* conceſſit, cui tunc præfectus erat *Johannes Hœckelshaſius*, qui ſtatim cognitum adoleſcentis ingenium ad ſumma quæque natum amplexus eſt, & cæteris condiſcipulis in exemplum digito quaſi monſtravit.

Hujus commendatione magni nominis eâ ætate Medicis, Poëtis ac Philologis *Danieli Bucretio* & *Caſp. Cunrado* innotuit, quorum ille probatis adoleſcentis profectibus dignum deprehendit, quem filiorum ſuorum pari *Danieli* & *Theodoro* Præceptorem præficeret.

Hujus patroni domeſtici conſilio *Muſas* cum *Gratiis*, & cum ſtudiis Sapientiæ eloquentiam conjunxit: Doctores etiam in Gymnaſio publicos audivit, ac omnem antiquitatem Græcam & Latinam ſibi familiarem fecit. Poëſi quoque deditus, ad quam natus eſſe videbatur.

ad Poëſin natus.

Uratiſlaviâ Bethaniam conceſſit, & commendatione tàm propriarum virtutum, quàm *Caſp. Dornavii* datus eſt Ephorus filio Magnifici viri *Tobiæ Sculteti de Schwanenſee in Bregoſchits.*

Exindè in Academiam *Francofurtanam* concedens, per annum ibi cum *Nüslero* ſuo vixit. Quâ occaſione uterque, ille Carminibus, hic Laude araneæ, ſcripto politiſſimo, Proxenetâ *Andreâ Geislero*, Cancellario *Ligio*, viam ad aulam & gratiam *Georgii Rudolphi*, Principis *Lignicenſis*, invenit, ſub cujus tutelâ & umbrâ par illud olorum ſecurè poſteà vixit & cantavit.

Aulicus Lignicenſis.

Hinc in patriam redux, à Parente *Heidelbergam* ablegatus eſt, ubi *Georgius Michaël Lingelsheimius*, Conſiliarius *Palatinus*, filiis eum ſuis in paleſtrâ bonæ mentis exercendis præfecit.

Præceptor Heidelbergæ.

Tunc ludicra, ſeria, Latina, Germanica, ubique ambidexter luſit & publicavit, quos tanti ingenii fœtûs *Janus Gruterus* admiratus eſt, cujus conſilio, cum bibliothecâ publicâ ac ſuâ per biennium non ſine fœnore uſus eſt *Opitius*, qui etiam id beneficium reverenter, quamdiu vixit, agnovit.

Ibidem amicos habuit familiares *Caſp. Barthium*, cujus aliquandiu contubernio uſus eſt, *Julium Zincgrefium*, Emblematum & Apophtegmatum *Germanicorum* collectione clarum, *Janum Gebhardum*, apud *Gröninganos* Hiſtoricum, & *Balthaſarem Venatorem*, Principis poſteà *Palatini Bipontini* Conſiliarium.

Argent. excurrit,

Exindè in Academiam *Argentoratenſem* excurrit, famâ *Berneggeri* motus, quo viſo virtutes priſci ævi in ipſo eminentes admiratus eſt: viciſſim hic ingeniorum æſtimator *Opitium* dictum iri *Virgilium Germanicum* ex veri tripode prædixit.

& Tubingam.

Hinc per tractum *Wirtenbergicum Tubingæ* Profeſſores eximios, *Chriſtophorum Beſoldum*, J.C. & Politicum, ac *Thomam Lanſium* ſalutavit, atque hinc *Heidelbergam* reverſus eſt.

Sed moto paulò pòſt incendio *Bohemico* & *Palatinatu* ex contagio viciniæ attracto, flammis ſe his publicis ſubterduxit, & cum Equite quodam *Dano* migravit in *Belgium*, ac *Leidam* tandem devenit, hinc *Amſtelrodamum* ac *Hagam Comitum*.

Iter ſuſcepit in Belgium.

Hinc cum Comite ſuo *Dano* in *Cimbriam* citeriorem profectus, tempus ſuum ſcribendis *de Conſtantiâ libris* fefellit, quos nonum in annum domi preſſos paucis ante obitum annis in publicum exire paſſus eſt.

Cum poſteà Imperator *Ferdinandus II. Georgio Rudolpho*, Principi *Lignicenſi*, præfecturam totius *Sileſiæ* mandâſſet, ex *Cimbriâ* in patriam rediens, Proregi anteà cognitus, tuncque à *Nüslero* & *Kirchero* propiùs commendatus, relicto privato & obſcuro vitæ genere in aulam conceſſit.

Exindè in *Tranſſylvaniam* vocatus, ut in Gymnaſio *Albæ Juliæ* munificentiâ Principis *Gabrielis Betlenii* erecto doceret, in functione illâ Profeſſoriâ publicè interpretatus eſt *Horatium* & *Senecam*: quâ induſtriâ apud Principem benevolentiam, qui ipſum ſæpè in aulam ad colloquium & menſam doctis viris plenam vocari juberet, apud indoctos invidiam meruit.

Profeſſor Poëſeos Albæ Juliæ.

Maximus verò fructus hujus peregrinationis fuit, quod latum ita campum habuit cogitandi de origine Gentis *Dacicæ*, de *Decebali* formidabilis illîc Regis clade, victoriâ *Trajani*, & coloniis illûc miſſis, cui hiſtoriæ illuſtrandæ multas Inſcriptiones *Romanas* ex ruderibus corroſis deſcriptas congeſſit, defectûs ſupplevit, falſa correxit, & ad *Grotium*, *Gruterum*, *Berneggerum* horum cimeliorum æſtimatores tranſmiſit, ut Antiquarum Inſcriptionum operi, tanquàm appendix, addi poſſent.

Cœterum cum ex inſolentiâ aëris *Tranſſylvani* & ſoli corporis invaletudinem & animi nauſeam concepiſſet, permiſſu Principis ab ipſoque muneribus auctus, paulò antè ſecundum bellum *Tranſſylvanicam* in *Auſtriam* motum in patriæ gremium rediit.

Tunc *Dacia* antiqua ipſum totum habuit, in quo opere extruendo nullis lucubrationibus pepercit, id tamen lentiùs ſucceſſit, ob inopiam *Columnæ Trajani* tandem poſt aliquot annos repertam.

Tunc etiam *Epiſtolas Dominicales* & *Feſtivales* anni, exemplo *Poſthii* idem de Evangeliis facientis, juſſu Principis *Lignicenſis*, verſibus reddidit, ſingulisque ſingulare carminis genus aptavit, ut Melodiis *Gaudemele* Muſici *Galli* canerentur.

Intereà *Julius Guilielmus Zincgrefius* tanti Poëtæ famæ illuſtrandæ, errantes longè latèque Muſas *Opitii* in unum corpuſculum collectas primus *Argentorati* typis excudi curavit.

Porrò ne tædium aut ſatietas loci rerum aut hominum ſibi & aliis oriretur, interdum excurrit in Urbem patriam, cui quantum deberet, multis Carminibus & Præfatione Libelli de *Germanicâ* poëſi teſtatum fecit.

Imò pedem etiam extra *Sileſiam* ad *Saxones* extulit, ut *Luſciniam* illam ad *Albim*,

Wittenbergam venit.

Buch-

Buchnerum vultu uſurparet, cum quo fermè in contubernio per integrum ſemeſtre dies colloquiis eruditis traduxit, ubi *Troadas*, *Senecæ Tragœdiam* à ſe verſam, publicæ luci dedit.

Excurrit in Aulam Saxonicam, & Anhaltinam.

Eâ occaſione allectus in aulam Electoris *Saxoniæ*, Amicos *Seuſſium* Poëtam, & *Anſorgium* Electorali juventuti præfectum ſalutandi cauſâ, & poſtmodùm in aulam literatiſſimi Principis *Ludovici Anhaltini* excurrit, tum hunc ipſum Evergetam & Poëtarum *Auguſtum* veneraturus, tum ejus amicos *Tobiam Hübnerum* verſione *Saluſtii Bartaſiani hebdomadum* ſibi cognitum, uti etiam *Dietericum Werderum* verſione Operis *Taſſiani* de recuperato regno *Hieroſolymitano* celebrem compellaturus.

Rediit in Aulam Lignicensem.

Hinc in patriam redux, gratus fuit Principi, aulicis, & amicis omnibus. Commodè tunc accidit, ut à Principe *Lignicenſi* in Aulam Cæſaris *Caſpar Kirchnerus* eloquentiâ promtiſſimus ablegaretur, qui *Opitium* comitem itineris & conſortem quorundam negotiorum adſcivit.

Tunc opportunè memoriæ *Caroli* Archiducis *Auſtriæ* inter ſummam futuræ gloriæ ſpem prærepti *Epicedium Germanicum* condidit, quod ei fuit initium ad Cæſaream clementiam & honores ſubſecutos.

Vagam vitam egit.

Poſt reditum vago vitæ genere vixit, cum eum nunc *Uratislavia*, nunc *Brega*, nunc *Lignitium*, nunc hæc vel illa Aula, nunc Nobiles, & amici viri docti tenerent, ut verè ipſe affirmaret, ſe domi peregrinari.

Secretarius Baronis à Dohnâ.

Intereà illuſtris Baro à *Dohnâ*, cui à *Kirchero* quidem fuerat commendatus *Opitius*, cum eo lautis conditionibus tranſegit, ut eſſet ſibi ab Epiſtolis ſecretis ad Magnates, cum quibus ipſi ratione muneris à Cæſare commiſſi, multùm commercii erat, dirigendis.

Undè ipſum ad Principes & Magnates ablegavit, ſed imprimis uſus eſt illo in Epiſtolis ad Pontificem, Cæſarem, Reges & Principes exarandis; quo concordi inſtituto & Dominus & Miniſter, quiſque ſuo gradu, ſummis orbis Monarchis, eorumque amicis commendatiſſimos ſe effecerunt: fuit enim in *Opitio* conciliandæ Principum gratiæ & promerendi amoris, comiter ſe gerendo, & facundè alloquendo ſtudium efficax, ac ſingulare quoddam artificium.

Caſtra ſecutus, mox ad ſtudia redit.

Caſtra quidem, ſuaſu heri ſui ſub ſummo Præfecto Copiarum *Pechmanno* ſemel adiit, ſed excurſione factâ, pulſis *Pechmannianis*, ſe ex poſtremiſſimis inter pugnandum primum ac principem in fugâ factum, poſteà commemorans facetè ſub ſuâ perſonâ galeatos illos lepores tetigit.

Ita caſtris valedixit, & cum Libris veteribus ſuis amicis in gratiam rediit, imprimis verò ad ſeriam curam Daciæ ſuæ animum applicuit: cumque libris evolvendis defatigatum ſe ſentiret, ad carminis amœnitatem refugit, ſicque nullum tempus in negotio & otio ſibi fruſtra elabi paſſus eſt.

Lutetiam profectus.

Occurrente poſteà opimâ occaſione, *Dohnano* ſumtûs pollicente, in *Galliam* iter ſuſcepit, & *Argentorato Lutetiam* citato gradu contendit.

Ibi ſingulari cum favore complexus eſt *Hugo Grotius*, quo cum jamdudùm commercium literarium ei interceſſerat, cujus domum quotidiè frequentavit, nec ab ipſo unquam niſi doctior, melior, & prudentior abivit.

Eruditorum conventui in domo Puteanorum acceſſit.

Celebrabatur tunc *Lutetiæ*, acuendis ingeniis & judicio firmando eruditorum conventus in domo *Puteanorum*, ubi de ſtatu totius *Europæ* diſceptare ſolebant.

Eò *Grotius*, quoties per graviora negotia vacavit, libenter acceſſit, & *Opitium* manu quaſi adduxit, eumque flori virorum illic congregatorum ſiſtit, qui omnes illum Latinè loquentem amplexi non tàm in Collegium ſuum receperunt, quàm invitârunt, ſibi de tanto hoſpite gratulantes.

Intereà fallendi temporis cauſâ Parænetico Carmine *Cornelium Grotium* quindecennem, ſed cognitione linguarum, eloquentiæ profectu, & pangendi carminis felicitate ætatis ſuæ annos exemplo paterno egreſſum, ut veſtigiis paternis inſiſtens Patrem olim æquaret, ut vel ipſo paterno voto ſuperaret, adhortatus eſt.

Galliæ valedicens, & in aulam *Dohnanam* regreſſus, libros varios raræ notæ manu ſcriptos, editos, ineditos, Græcos, Latinos, varios item variarum gentium nummos, aureos, argenteos, æneos ſecum detulit.

Gedani ſedem ſtatuit.

Ab hoc reditu ultra biennium ſtationem ſuam non priùs deſeruit, quàm tempeſtatibus *Germaniæ* ingruentibus *Dohnanus* caſtra Cæſaris ſecutus, paulò poſt *Pragæ* febri occubuiſſet: tunc enim in aulam *Johannis Chriſtiani* Principis *Lignicenſis* ſeceſſit, à quo cum poteſtatem accepiſſet in urbe, quâ vellet, ſedem ſtatuendi *Gedanum* maritimum emporium elegit, ibique in domum & convictum ſe dedit *Nigrini* Theologi *Helveticæ* ſententiæ, qui perſpectis *Opitii* virtutibus eum *Gerhardo Dänboſio*, Aulæ Regis *Poloniæ* Mareſchallo & exercituum Ductori commendavit.

Hunc patronum magnum magis ſibi conciliare cogitans *Antigonem Sophoclearum* Tragœdiarum facilè Principem, ſpeculum contemplandi noſtrum ſeculum, ſub illius nominis autoritate in publicum cothurno *Germanico* indutum exire paſſus eſt.

Hoc monumento *Denboſius* devinctus, nullo alio beneficio penſare illud poſſe credidit, quàm ſi clientem ſuum Sereniſſimo Regi in aures & oculos ferret & ſiſteret.

Regem verò proxenetâ *Dänboſio* faventem nactus *Opitius* duobus Panægiricis duplici quaſi vinculo, altero *Germanico*, reduci à Moſchis ſine cæde & ſanguine victis, altero ejusdem *Felicitati Auguſtæ ac Honori* nuptiarum cum *Nymphâ Auſtriacâ* inſtitutarum dedicatis ſibi porrò conciliavit; ut fidei ſuæ multa apud Reges *Galliæ*, *Angliæ*, *Daniæ* expedienda crederentur; quibus feliciter

liciter

Currus mirabilis Schevelingæ. Divertit verò *Schevelingam*, ut exploraret vectationem, & velocitatem Currûs eâ ſolertiâ à paucis annis excogitati, ut paſſis velis in littore navigii inſtar evolaret. Hunc currum Comes *Mauritius* poſt *Neoportuenſem* victoriam unâ cum capto in prœlio *Franciſco Mendozâ* conſcendit, & intra duas horas attigit oppidum *Pattenum*, quod inter & *Schevelingam* 14. milliaria horaria intercipiuntur.

Lovanii apud Medici cujusdam viduam vidit leporem cornutum, qui ex *Norvegiâ* dicebatur allatus. *Bruxellæ* amicitiam iniit cum celebri Pictore *Wenceslao Cobergo*, qui tum habebat præ manibus inſigne opus quadripartitum de Architecturâ, de Picturâ, Scripturâque antiquâ, de Deorum imaginibus, de Numiſmatis ſeu Metallis, aut metallicis æneis à *Julio Caſare* ad *Gallienum* usque.

Carolus Dux Croy Antiquitatis amator. Ulterius progreſſum Princeps *Carolus* Dux *Croyus* & *Arſchotanus* totis decem diebus in celebri domo *Bellimontanâ* detinuit, continuò ſpectantem innumera & rariſſima cimelia, ditiſſimasque metallothecas, quibus ille Muſæum exornaverat: quin diſcedentem etiam coëgit absportare omnia, quæ habebat antiquorum *Galliæ* Regum tam aurea quàm argentea Numiſmata, & 60. ex Græcis, cum tamen nihil aliud à *Peireskio* accipere voluerit, quàm æreum nummum *Johannis* illius, qui *Theodoſii* & *Placidii Valentiniani* temporibus arripuit imperium.

Ex *Belgio* in patriam reverſum Patruus extimulavit, ut ſeſe ad adipiſcendam deſtinatam pridem Senatoriam dignitatem in *Senator Aquis Sextienſis.* Curiâ *Aquiſextienſi* compararet, prægreſſo itaque examine ſolito, miro cum applauſu Senatoribus adſcriptus eſt.

A. 1608. Patruus ejus *Claudius Fabricius*, cum 7 tantùm diebus morbo lethali decubuiſſet, vitâ exceſſit.

Mira canis fidelitas. In hujus funere mirata eſt tota urbs, fidum defuncti canem affectatione perpetuâ circumſtitiſſe feretrum, nec potuiſſe per plures dies amoveri à tumulo, & poſtquàm domum reductus fuit, coram icone diu conſtitiſſe.

Somnium mirabile. A. 1610. *Monſpelium* rurſus profectus eſt, cumque rebus ſuis proſperè geſtis domum tenderet, ſomnium in viâ habuit noctu mirabile, videbatur enim ſibi eſſe *Nemauſi*, & oblatum ſibi fuiſſe ab Aurifice Numiſma aureum *Julii Cæſaris* pretio 4. ſcutatorum, cumque pecuniam numerare vellet, importunè ab itineris ſocio excitatus, omnia evanuiſſe vidit. Sed nihil moratus ſomnium, *Nemauſum* diſceſſit, ibi per civitatem, dum prandium pararetur, digreſſus, caſu in Aurificem incidit, ex quo dum requireret, an rarum quippiam haberet? habere ſe reſpondit ille *Julium Cæſarem* aureum 4 ſcutatorum pretii. Id itaque ſtatim numeravit, & ſomnium ſuum mirâ felicitate completum eſſe vidit.

A. 1612. Amicorum inviſendorum deſiderio *Pariſios* iteratò profectus, anno ſequenti domum rediit.

A. 1618. Nominatus eſt à Rege in Abbatem S. *Mariæ Aquiſtrienſis* in *Aquitaniâ*, ad quam rem opem præ cœteris Cardinalibus eximiam *Romæ* contulit *Maffæus Barbarinus*, ſummus poſteà Pontifex, cum quo ei ab illo tempore conſuetudo literaria interceſſit. *Abbas S. Mariæ Aquiſtrienſis.*

Obtinuit etiam Diploma Regium, quo fuit ipſi permiſſum, perſeverare in functione dignitatis priſtinæ, licet Abbas factus, Eccleſiaſticam induiſſet perſonam.

Ex renum tandem dolore gravi cum tumore abdominis aſcito, & urinæ ſuppreſſione conſumptus, animam DEO reddidit A. C. 1637. ætatis 57. *Moritur.*

Defuncto frater *Valaveſius* hoc *Epitaphium* monumento Sepulchrali curavit incidi: *Epitaphium.*

HIC SITUS NICOLAUS FABRY PEIRESCIUS, AMPLISSIMI ORDINIS IN AQUAR. SEXT. CURIA SENATOR CHRISTIANAM RESURRECTIONEM EXPECTAT. RECONDITISSIMOS ANTIQUARIÆ SUPELLECTILIS THESAUROS SAGACITATE, CONSILIO, LIBERALITATE CUNCTIS ORBE TOTO DISCIPLINARUM STUDIOSIS APERUIT, DOCTISSIMIS UNDE PROFICERENT SÆPE MONSTRAVIT, MIRA BEATITATE FELIX, SECULO SATIS RIXOSO NOTISSIMUS SINE QUERELA VIXIT, VIII. CAL. JUL. ANNO CHR. CIↃIↃCXXXVII. ÆTATIS SUÆ LVII. OPTIMO VIRO BONOS OMNES BENE APPRECARI DECET.

21. Dec. An. C. 1637. *Romæ* in publico Cardinalium aliorumque eruditorum Academicorum *Romanorum* conſeſſu Oratione funebri laudatus eſt à *Johanne Jacobo Buccardo Pariſino*.

Scripta ab eo relicta & edita ſunt ſequentia: *Scripta.*

Hiſtoria Provinciæ Galliæ Narbonenſis.

Nobilium ejusdem Provinciæ familiarum origines, & ſeparatim Fabritiæ.

Commentarii rerum omnium memoriâ dignarum ſuâ ætate geſtarum.

Liber de ludicris naturæ operibus, quæ certis regionibus è terrâ effodiuntur, ſcilicet, de lignis in lapidis vel aliam naturam degenerantibus, de immanibus Gigantum, ut vulgus opinatur, oſſibus, & de Plantis peregrinis, Indicis præſertim.

Mathematica, & Aſtronomica varia.

Obſervationes Mathematicæ.

Epiſtolæ ad S. P. Urbanum VIII. Cardinales Barbarinos, alioſq; viros eruditos.

Authores antiqui Græci & Latini de Ponderibus & Menſuris.

Elogia & Epitaphia.

Inſcriptiones antiquæ, & novæ.

Genealogia domûs Auſtriacæ.

Catalogus Librorum Bibliothecæ Regiæ.

Poëmata varia.

Nummi Gallici, Saxonici, Britannici &c.

Linguæ

Linguæ Orientales, Hebræa, Samaritana, Arabica, Ægyptiaca, & Indices Librorum harum Linguarum.

Obſervationes in varios Authores.

* *Ex vitâ Nicolai Claudii Fabricii de Peireſc Libris VI. deſcriptâ à Petro Gaſſendo, Pariſiis Regio Matheſeos Profeſſore.*

Obiit A.C. 1637.

GEORGIUS HIERONYMUS MARSTALLERUS.

NOrimbergæ natus, Patrem habuit *Hieronymum Marſtallerum*, Mercatorem primarium, qui ſuſcepit eum ex *Annâ Dietrichinâ* A. C. 1602.

Juris Doctor Tubingæ.

Cum in patriæ Scholis in literis humanioribus fundamenta ſolida poſuiſſet, Academiam *Altorfinam*, & exindè *Tubingenſem* adivit, in quâ ſexennio Jurium ſtudiis addictus, An. 1628. Doctoratûs Inſignia cum laude & honore accepit.

Deindè per *Galliam*, *Italiam*, *Hiſpaniam*, *Angliam*, *Daniam*, *Belgium*, & magnam *Germaniæ* partem peregrinationem inſtituit, & Itinerarium, in eoque plurima memorabilia conſcripſit.

A. 1635. Conjugium *Auguſtæ Vindelicorum* iniit cum virgine *Sibyllâ*, nobilis viri *Georgii Oeſterreicheri* filiâ, ex quâ poſthumum reliquit.

Syndicus Francofurtenſis.

A. 1636. vocatus à Republicâ *Francofurtenſi* ad *Mœnum* ad Syndicatum eò 7. Febr. An. 1637. conceſſit.

A Sicariis occiſus.

Cum verò 26. Febr. ſeq. *Norimbergam* contenderet, ut uxorem ſecum abduceret, in viâ milites 6. *Hanovienſes* eum invadentes ſclopetis exploſis in manu ſiniſtrâ & humero dextro graviter vulnerârunt. Sic *Francofurtum* reductus, & medicorum operâ fruſtrà uſus, tandem poſt 7. dierum decubitum, in Chriſto exſpiravit 15. Julii A. C. 1637. ætatis 35.

* *Ex Concione funebri Chriſtiani Gerlachii, Concionatoris Francofurtenſis.*

Obiit A.C. 1637.

ARNOLDUS STILLIUS.

NAtus eſt in celebri *Hanoverenſium* civitate A. 1609. patremque habuit *Arnoldum Still*, Civem & Mercatorem primarium, matrem *Margaretham*, Reverendi Viri *Bernardi Bockelmanni*, Paſtoris Eccleſiæ *Horſtenſis* filiam.

Sed cum Patrem vix annum natus amiſiſſet, patris tamen partes adminiſtravit poſteà *Henricus Orandeſſe*, Civis itidem & Mercator, ductâ domum ſuam Matre, cum jam quinquenium vidua duxiſſet. Hic privignum hunc ſuum ita amavit, ejusque ſtudia adjuvit, ut germanus pater majora nato præſtare non poſſet.

In Gymnaſio Hamburgenſi ſtudioſus.

Adoleſcens cum in Gymnaſio *Hamburgenſi* biennio verſatus literarum copiam *Latinarum* juxta & *Græcarum*, nec non Artium liberalium ſibi paraſſet, in Academiam *Wittenbergenſem* venit A. C. 1629. ætat. 20. & Philoſophiæ primùm operam dedit: deindè Juris utriusque ſtudium amplexus, in eo ita profecit, ut A. 1635. 14. Julii ſummo gradu ſolenniter ornaretur: quo tempore & nuptias fecit cum virgine *Annâ*, D. *Bartolomæi Reusneri*, J.C. & Anteceſſoris in Univerſitate *Wittenbergenſi* filiâ, ex quâ Pater factus eſt prole geminâ, *Margarethâ Catharinâ*, quæ biduo major non fuit, cum extingueretur, & *Annâ Eliſabethâ*, quæ vix menſem unum cum paucis diebus vivens, antequàm nôſſet, amiſit Patrem.

Juris Doctor Wittenbergæ. Nubit.

Advocatus Curiæ Electoralis. Juris Profeſſor.

Menſ. Jan. A. 1636. inter Electorales Curiæ Advocatos cooptatus, ſub finem verò ejusdem anni in Facultatem Juridicam allectus eſt.

Moritur.

Tandem febre ardenti graviter afflictus, viribus abſumptis placidè exſpiravit 6. Sept. A. C. 1637. ætatis 28.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

* * *

Clarum fuiſſe Jurisconſultum ex Inſcriptione *Wittenbergæ* in Templo Parochiali ipſi poſitâ liquet, quæ talis eſt:

Epitaphium.

D. O. M. S.

HUMANA CUNCTA FUMUS, UMBRA, VANITAS, ET SCENÆ IMAGO, ET VERBO UT ABSOLVAM NIHIL. HIC SITUS EST ARNOLDUS STILL J.U.D. QUI CUM EGREGIAM DOCTRINAM ACQUISIVERIT SIBI, FACTUM EST, UT OB ANIMI DEXTERITATEM IN ORDINEM ADVOCATORUM CURIÆ ELECTORALIS SAXONICÆ AC COLLEGIUM ASSESSORUM FACULTATIS JURIDICÆ WITTEBERGENSIS FUERIT ELECTUS. NATUS IS EST HANOVERÆ BRUNSVIGORUM ANNO MDCVIII. DIE II. FESTI PENTECOSTES. PRÆMATURE DENATUS WITTEBERGÆ DIE VI. SEPT. ANNO MDCXXXVII. NOMINE AC FAMA SPIRANS PERPETUO. CUI MONUMENTUM HOC IPSIUS VIDUA ANNA DOROTHEA REUSNERIA, CUM FILIOLA EX DUABUS UNICA SUPERSTITE, ANIMI MOERORE PLENA AC PERTURBATIONE POSUIT, UT IPSA SOLATII INITIUM, TU AUTEM, VIATOR, MORTALITATIS HABERES SPECULUM, DEFUNCTIQUE FAVERES CINERIBUS.

Conſiliarius Electoris Saxoniæ.

* *Ex Academia Wittebergenſi à Gotfrido Suevo, J.C. editâ.*

Obiit A.C. 1637.

BURCKARDUS CLANNERUS.

SAlisburgi in lucem editus eſt 10. Octob. A. 1566. Patrem habuit ex antiquâ ultra 200. annos nobili familiâ ortum *Wigelium Clannerum* in *Stralheim*, Matrem *Ehrentrutam Preuſſeriam*.

Avus *Sebaſtianus*, Proavus *Auguſtinus*, Atavus *Stephanus Clanneri* ſinguli Conſulari dignitate in *Salisburgenſi* Republicâ emicuerunt.

Cum in infantiâ Patrem amiſiſſet, & *Joſephum Eltern*, Senatorem Evangelicæ fidei addictum, nactus eſſet Tutorem, hujus curâ

Lintzii ſtudioſus. adoleſcentulus An. 1578. in illuſtrem Ludum recens *Lintzii* conſtitutum translatus eſt, ubi ſub Rectore M. *Johanne Membbardo* ita profecit ſubindè, ut fidei Evangelicæ fundamenta ſtrueret non modò firmiter, ſed & egregiam ſcientiam in literis Latinis pariter & Græcis ſibi compararet.

A. 1584. cum *Georgius* à *Kienburg* potitus rerum eſſet, & Regionibus illis ac Scholâ ipsâ Provinciali ejeciſſet tandem omnes Evangelii veritatem profeſſos, ipſe quoque domum rediit.

Undè poſt multas ſollicitationes Principis, ut *Valentinam* aut *Toletanam* Academiam in *Hiſpaniâ* adiret, *Friburgum Brisgoiæ* conceſſit, hoc conſilio (quod prædictus ei *Membbardus* ſuggeſſerat) ut *Argentoratum*, utpote in viciniâ ſitam Academiam, ſe conferret clam, & ita tyrannidi Pontificiorum ſe ſubduceret.

Argentinæ ſtudioſus. Poſtquàm itaque *Argentinam* An. 1586. veniſſet, & ibi *Membbardum* ſuum offendiſſet, reſtitit hujus hortatu in Academiâ illâ aliquandiu, & Philoſophicis, maximè autem Moralibus ſtudiis, ac ipſi Jurisprudentiæ deinceps operam dedit.

Tubingam deindè conceſſit, datus Nobilior binis *Auſtriacis* Rector morum & diſciplinæ.

An. 1588. in Academiam *Wittenbergenſem* venit, & biennii ſpatium civili prudentiæ impendit.

Nubit Witteberga ter. Tunc in matrimonium accepit virginem *Margaretham*, *Georgii Matthei*, Reipublicæ Syndici & Conſulis filiam unicam. Ex quo conjugio liberos 8. ſuſcepit, maſculos quinos, & filias tres, ſed filii duo in infantiâ exceſſerunt: tertius natu, qui fuit Vexillifer in militiâ *Suecicâ*, *Laningæ* ad *Danubium* An. 1632. obiit. Reliqui duo ſupervixêre, *Burcardus* Senator & Hoſpes *Wittenbergenſis*, & *Fridericus*, Civis *Berolinenſis*.

Functâ primâ hâc conjuge, A. 1606. ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Mariâ Nebelthauiâ*, *Auguſtini Nebelthauii*, Senatoris & Mercatoris *Torgenſis* filiâ, cum quâ 10. procreavit liberos, de quibus tantùm *Emanuel* adoleſcens, & tres filiæ manſerunt vivæ.

Hâc iterum morte abreptâ, tertium matrimonii fœdus pepigit cum virgine *Mariâ*, *Eliæ Thilii*, Prætoris *Zanenſis* filiâ, quæ 4. liberos peperit, ſed *Conradum* filium, & *Annam Sophiam* reliquit; cum ipſa morbo populari paulò ante maritum obiiſſet. In univerſum igitur 22. liberorum pater fuit, & 24. nepotum avus.

Senator Wittebergenſis. Advocatus Conſiſtorii Eccleſiaſtici & Curiæ Electoralis. Syndicus, & Conſul. An. 1597. in numerum Senatorum allectus, paulò poſt inter *Advocatos* Eccleſiaſticos Conſiſtorii adſcriptus fuit. A. 1611. ex 8. Doctoribus Juris delectus à Duce & Electore *Saxoniæ Chriſtiano II.* habitusque fuit dignus, cui Advocationis in Electorali Curiâ, quæ *Witteberga* eſt, provincia committeretur. Eodem tempore quoque Syndicus à Senatu Civitati datus eſt.

Ad quem honorem A. 1615. Conſulatus acceſſit, quem 22. annos cum ſummâ prudentiâ geſſit.

Quamvis verò eâ præditus eſſet eruditione, quæ gradu ſummo Doctoris poneretur non indigna, habuit tamen domi ſuæ cauſas, cur infra hos titulos ſe continere vellet.

Cum à multis annis calculi doloribus afflictus eſſet, accedente tandem febri lethali vitam morte beatâ clauſit 7. Oct. A. C. 1637. ætatis 71. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

VALENTINUS FORSTERUS.

Obiit A. C. 1637.

Wittenbergæ natus eſt 4. Junii A. 1599. Patre *Valentino Wilbelmo Forſtero*, J. C. & Anteceſſore ſcriptis editis claro: Matre *Sabinâ*, *Friderici Hortlederi*, J. C. Conſiliarii *Saxonici*, & Hiſtorici celeberrimi ſorore, filiâ *Valentini Hortlederi*, Præfecti Arcis *Amfurti* in *Saxoniâ* inferiori, quæ obiit A. 1620.

Puer literis imbutus, in patriâ ita profecit, ut publicas Profeſſorum Lectiones audiret, feciſſetque ulteriores progreſſûs, niſi Parentum fata interveniſſent, quæ ſtudiorum ipſius ordinem turbârunt.

Protonotarius Curiæ Wittebergenſis. Tunc enim Scripturas exercere coactus eſt, & Protonotario Curiæ operam ſuam addicere, quod A. 1620. accidit, & eas partes per 15. annos ſummâ fide adminiſtravit, donec A. 1635. ipſum Protonotarii munus ipſi demandatum eſt. Menſ. Oct. A. 1636. Matrimonium auſpicatus eſt, cum jungeret ſibi virginem *Albinam*, *Georgii Alberti Spentini*, J. U. L. Aſſeſſoris Scabinatûs, & Curiæ Electoralis Protonotarii filiam, cum quâ ſuaviter, brevi tamen tempore, vixit. *Deſponſatur.*

Per quadriduum demùm febre malignâ decumbens, omnem Antidotorum opem reſpuente placidè obiit 12. Octob. A. C. 1637. ætatis 38. *Moritur febre malignâ.*

* *Ex Programm. funebri Auguſti Buchneri.*

Scripta edidit: *Scripta.*

De Jurisdictione.
Hiſtoriam Juris Civilis Rom.
In IV. Libros Pr. Pandectarum.
De Dominio.

DANIEL à KOSERITZ.

Obiit A. C. 1637.

Natus in *Burg-Kemnitz* avitis prædiis, die 17. Febr. A. 1569. Patrem habuit *Abrahamum à Koſeritz*, Electoralis Curiæ *Saxonicæ* Aſſeſſorem, Matrem *Annam à Schonfeld*, ex domo *Löbnitz*. Avus ejus paternus *Jacobus à Koſeritz*, Electoris *Saxoniæ Johannis Friderici* Conſiliarius fuit.

Infans luſtratus Fonte inter pietatem & innocentiam feliciter adolevit, matrem tamen vix 6. annos natus amiſit: & cum idoneâ præditus indole ad hauriendas literas videretur, pater in eam curam perpetuò incubuit, ut filius optimis Magiſtris uteretur.

A. 1584.

Studioſus Wittenbergæ.

A. 1584. in Academiam *Wittenbergenſem* miſſus, & *Thomæ Calixti Schmiele*, J.C. inſpectioni ac curæ traditus eſt.

Serveſtæ.

Sed cum anno ſequenti 1585. Patris obitus interveniſſet, translatus à Tutoribus in *Serveſtanum* Gymnaſium, ibi ſexennium ſub diſciplinâ *Gregorii Bersmanni* exegit, & egregios profectus in melioribus literis fecit. Eodem tempore Juris principia hauſit, Ducibus ad hoc *Bartolomæo Charitio* & *Caſparo Taſchenbergero*, J.C.tis. In quo tamen ita ſe tractavit, ut & Hiſtoriis & Aſtrologiæ nonnihil impenderet temporis, quibus per omnem vitam mirificè delectatus fuit.

Juris ſtudioſus. *Hiſtoricus & Aſtrologus.*

Cæterùm cum alter fratrum, cui *Jacobo* nomen, An. 1610. excederet vitâ, & ad eum omnia paterna prædia venirent, abindè ſolus familiarem rem regere cepit, eo ſucceſſu, ut brevi tempore, quicquid debitorum eſſet, exſolveret, nec parùm inſuper faceret lucri.

Quam viri prudentiam cum intelligeret Princeps, multis & graviſſimis cauſis componendis eum adhibuit, ab anno 1604. maximè ad 1614. usque, quo ab Electore *Saxoniæ* præter ſpem ſuam inter Conſiliarios relatus, & Curiæ Electoralis Præſes factus, nec non *Wittenbergenſis*, *Belzigenſis*, *Gomeranæ*, & *Elbenavienſis* Diœceſium Præfectus ſummus, eoque tempore quinquies Legatus ad *Pomeraniæ* Ducem miſſus eſt: ſæpius etiam Electoris ſui perſonam in Conventibus publicis Principum geſſit.

Conſiliarius Electoris Saxoniæ.

Ejus Conjugium,

A. 1604. in matrimonium adſcivit Nobilem virginem *Martham*, *Joachimi à Kobler*, qui aliàs *Kroſik*, in *Prira*, *Mildenſtein* & *Roſenburg* filiam. Ex eo Conjugio Liberos undecim ſuſcepit, filios 8. & 3. filias. De quibus *Chriſtophorus Fridericus*, & *Georgius Rudolphus*, *Anna* item *Eliſabetha* dudum diem obierunt; ſed *Joachimus Abrahamus Daniel*, Conſiliarius Electoris *Saxoniæ* deſignatus, *Johannes Jacobus*, *Otto Henricus*, *Johannes Georgius* & *Auguſtus Rudolphus*, duæque filiæ, *Anna Sabina*, quæ An. 1628. Nobili *Wolff Magno Loſtro* nupſit, & *Martha Eliſabetha* virgo Patrem ſupervixerunt.

& Liberi.

Moritur phthiſi.

Tandem cum ab anno ferè malè ſe habuiſſet, accedente ex venâ interius ruptâ tuſſi diuturnâ viribus conſumptis, inter medias preces & cantilenas adſtantium finem vivendi fecit A.C. 1638. ætat. 69.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

PETRUS CUNÆUS.

Obiit A.C. 1638.

Natus eſt *Fliſſingæ Zelandorum* An. C. 1586. Patre Mercatore. *Lugduni* anno 14. ætatis ſtudia aggreſſus, pro animi libidine modò ad Medicinam, modò ad jurisprudentiam, plurimùm verò ad Hebræas & Græcas literas animum applicuit.

Juriſconſultus & Philologus.

Politices Profeſſor Leydæ.

Tandem A. 1611. ab Academiæ *Leydenſis* Curatoribus mandata illi eſt Latinæ Linguæ primùm, ac dehinc Politica Profeſſio, cujus auſpicia fecit ab Interpretatione *Cornelii Taciti*. Ibidem vitam beatâ morte clauſit A.C. 1638. ætat. 52.

Moritur.

Orationem funebrem ei habuit *Adolphus Vorſtius*, Medicinæ Profeſſor.

Edidit:

Scripta.

Animadverſionum Lib. in Nonni Dionyſiaca, in quo errores & inſcitiam illius auctoris perſecutus eſt. in 8vo.

Sardos venales in 24to.

Satyram Menippeam, *in ſui ſeculi homines ineptè eruditos.* in 8vo.

Juliani Imp. Cæſares ex Græco verſos. in 8vo.

De Republicâ Judæorum Lib. III. in 8vo.

Exercitationum Oratoriarum Inaugurationem. in 4to.

Commentar. de cauſis Juris & facti, earumq; differentiis. Item de Pactis, deque rebus creditis.

Orationes varii argumenti. in 8vo.

Laudationem funebrem recitatam in exequiis Ælii Everhardi Vorſtii, Medicinæ Profeſſoris primarii.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

BLASIUS MATTHÆUS.

Obiit A.C. 1638.

Natus eſt *Wittenbergæ* 13. Dec. A. 1593. ex antiquâ & ſuprà 400. annos celebri in eâ urbe *Mattheorum* familiâ. Patrem habuit cognominem, Senatorii Ordinis, Matrem *Annam Mülmanniam*.

Puer eruditus literis domi diligenter fuit: quâ de causâ affinem ſuum Reverendum Virum *Paulum Müllerum*, S. Theologiæ Licentiatum & Profeſſorem Publicum in Academiâ *Juliâ*, tunc autem *Iglavienſis* Scholæ Rectorem ſecutus, biennio integro domo abfuit, ejusque manuductione in ſtudiis non ſine inſigni fructu uſus eſt.

Poſteà à matre revocatus domum, familiarem rem adminiſtravit; ſed poſt biennium cum deceſſiſſet mater, penes ipſum bonorum poſſeſſio eſſe cepit, paternæ hæreditatis nonus ipſe poſſeſſor, quod ſingularis hujus familiæ frugalitatis argumentum fuit.

A. 1620. Duxit Uxorem *Mariam*, *Auguſtini Wochii*, *Coswigienſis* Conſulis filiam, quam *Georgius Hertz*, Civis *Coswigienſis*, viduam reliquerat. Ex eâ Pater factus ſexies, tres filios, & filias totidem ſuſtulit, ſed minimum modò natu filium, & duas filias ſuperſtites reliquit.

Uxorem duxit.

An. 1623. in Senatorium Ordinem allectus, decimo anno pòſt Eccleſiæ Arcæ, & abhinc altero Senatus & Civitatis ærario præfectus eſt. Quas omnes partes ita geſſit, ut nemo illius ordinis eſſet, qui non egregium teſtimonium Collegæ ſummæ fidei & ſtudiis perhiberet.

Senator Wittebergenſis. Quæſtor.

Tandem cum paulò antè uxorem, triaq; pignora, poſt hæc nepotem ex fratre, & ſororem extuliſſet, mœrore confectus, & viribus deficientibus exſpiravit 8. Jan. An. C. 1638. ætat. 45.

Moritur.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

CUNO

Obiit A.C. 1638.

CUNO ALVENSLEBIUS.

Origo familiæ nobiliſſimæ Alvenslebianæ.

ALvonem quendam, quem quidam *Albionem* appellant, & *Wittekindi* Magni patruelem ſtatuunt, inſtituiſſe *Alvenslebianam* arcem, ſimulque genti dediſſe originem & nomen, literis proditum eſt. Hæc licet poſteà per immanitatem bellorum dejecta nonnihil de ſuo culmine fuerit, cum ex dignitate Comitum ad Equeſtrem devolveretur, inter nobiliſſimas tamen familias primo loco ſemper habita fuit.

Parentes.

Ex hâc familiâ *Cuno* hic *Frideburgi* in avitis prædiis A. 1588. natus. Patrem ſortitus eſt *Gebhartum ab Alvensleben*, Archiepiſcopatûs *Magdeburgenſis* Conſiliarium, *Ludolphi* Archiepiſcopalis aulæ Magiſtri ac Conſiliarii & *Bartæ à Bardensleben*, ex domo *Wulſburgenſi*, filium: Matrem habuit *Helenam*, Nobiliſſimi Viri Domini *Cunonis Habnii* filiam.

Wittenbergæ ſtudet Philoſophiam.

Puer omni literali culturâ in patriâ excultus, annorum 16. Adoleſcens in Academiâ *Wittenbergenſi* cum fratre *Gebharto* miſſus, & in diſciplinam *Jacobi Martini* Theol. D. & Academiæ Senioris, qui tum Logicam & Phyſicam profitebatur, traditus eſt.

Ex eo itaque non diſciplinas modò Philoſophicas, ſed fidei quoque ſalvificæ ſummam hauſit. Simul & Jurisprudentiam attigit, manuductore domeſtico uſus *Ambroſio Pechtio*, eo nomine ipſi commendato.

& Jurisprudentiam.

In iſtis ſpatiis cum quadriennio ſe gnaviter exercuiſſet, in *Italiam* profectus eſt, adſcito Comite *Adamo Bolfraſio*, *Francofurtenſi*, Juvene Jus Civile egregiè docto.

Canonicus Magdeburgenſis.

Cum eſſet reverſus domum, A. 1610. in Ordinem Canonicorum Metropolitanæ Eccleſiæ *Magdeburgenſis* receptus eſt: quâ dignitate cum 12. annos functus eſſet, deſiderium habere cepit videndi non tantùm *Italiam* denuò, ſed *Galliam* quoque & Regiones alias perluſtrandi: nec fefellit augurium animi, & quantas ſibi copias opesque eâ ratione paraverit, A. imprimis 1628. oſtendit, cum ipſi ad S. Cæſaream Majeſtatem Legatio cum aliis demandata fuiſſet.

Legatus ad Cæſarem.

Wittenbergæ virorum doctorum conſuetudine delectatur.

Poſteà cum turbis triſtiſſimis Patria & Archiepiſcopatus cumprimis involveretur, maturè quò ſe reciperet deliberans, *Wittenbergam* conceſſit, ut conſuetudine virorum doctorum, quâ ſemper delectatus fuerat, uti affatim poſſet. Ibi lectione præcipuè voluminum Theologicorum delectatus eſt.

7. Martii A. 1638. cum finis eſſet impoſitus, Conventui *Calbæ*, oppido *Magdeburgenſi*, autoritate Collegii inſtituto, ipſe ibi præſens altero ſtatim die implicitus morbo decumbere cepit. Et licet *Berenburgo* maturè accitus Medicus optima remedia adhibuerit, leniri tamen haud potuit malum, ſed indies pejus habere cepit, donec plenus ſpei & fidei Chriſtianæ in *Calbenſi* arce placidè exſpiravit 13. Martii A.C. 1638. ætat. 50.

Moritur in Conventu Calbenſi.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Obiit A.C. 1638.

FRANCISCUS CALYDONIUS.

Sententias ex Livio congeſtas edidit.

COmes *Vicentinus*, J.C. integram *Livii* hiſtoriam & documenta à teneris annis in ſuccum & ſanguinem convertit, cujus ſententias in gratiam Nepotum peculiari libello digeſtas publici juris fecerat, easque amicis ſingulari comitate impertiebatur.

Vir militaris.

Vir non tam literis quàm armis vigente ætate deditus, varios militiæ honores à Sereniſſimâ Republicâ *Venetâ* domi foriſque geſſit.

Mathematicus.

Mathematicas diſciplinas & Mechanicas præcipuè coluit non tam ad animi oblectamentum, quàm publica patriæ commoda.

Præfectus 7. pagorum.

Reipublicæ decreto 7. pagis ſeu Communitatibus in vicinis patriæ montibus ſummâ fide præfuit: ubi incolas antiquo privilegio immunes & diſciplinam militarem jam diu à Principe in illis alpibus deſideratam renuentes, ad eam ſponte ſuſcipiendam adegit: ob id Equeſtri dignitate, & publico ſtipendio unà cum duobus ex fratre nepotibus auctus & decoratus.

Eques Venetus.

Familiæ ſuæ decora Palatio & Picturis excitavit, editis Avorum ſuorum Elogiis.

Edidit Avorum ſuorum Elogia.

Annorum plenus ſanctè in patriâ ultimum diem clauſit, 20. Maji A.C. 1638. conditusque in monumento, quod ſibi paraverat in æde D. *Laurentii* hâc Inſcriptione:

Moritur.

Epitaphium.

FRANCISCUS CALYDONIUS EQUES ANTONII FIL. A. DOM. MDCIX.

In Palatii ſui atrio *Vicentiæ* ejus effigies marmorea conſpicitur hoc alloquio prudentiæ pleno:

Inſcriptio ad ejus effigiem marmoream.

ADVORTITE NEPOTES POSTERI.

EGO FRANCISCUS CALYDONIUS J. C. SERENISSIMI SENATUS VENETI DECRETO EQUES, VICENTINIS AD ALPES FINIBUS LIMITANEISQUE MILITIBUS PRÆPOSITUS MEAM HANC IMAGINEM VOBIS VELUTI ALLOCUTURAM POSUI. JURISPRUDENTIA, ELOQUENTIA, HISTORIA, MILITARI DISCIPLINA, MATHEMATICIS, COETERISQUE SCIENTIIS, EXTERNARUMQUE LINGUARUM PERITIA VOS IMBUTOS VOLO, JUBEO. SUPERIORI PRÆTEREA IN PORTICU GLORIOSOS MAJORUM NOSTRORUM VULTUS NOBILITATIS VENETÆ STEMMATA VENERANTES SUSPICIENDOS EXPOSUI, AD HONESTA FACINORA VOBIS LUMINA, INCITAMENTUM. QUA FIDE, QUA INDUSTRIA, QUA VIGILANTIA PRINCIPIBUS INSERVIENDUM EX VOBIS DISCITE. HINC COMMODUM, HINC ÆDES NON INDECORÆ IN URBE, IN PAGO NOSTRO CALYDONIO, SUMMA IMPENSA, LABORE, STUDIO COMPARATÆ, AUCTÆ, EXCULTÆ. HOC AGITE. HUC INTENDITE. DOMESTICIS AUSPICIIS ANTIQUUM GENTIS NOSTRÆ DECUS PRÆCLARIS GESTIS FOVETE, PROPAGATE. NIL IMPENSIUS OPTO, NIL ENIXIUS

ENIXIUS REQUIRO, MANDO. MDCXXIX.

* *Ex Elogiis Virorum doctrinâ illuſtrium Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1638.

JOHANNES BURCARDUS STADMANN.

NAtus eſt *Culmbaci* 10. Sept. A.C. 1570. Patre *Nicolao*, Conſiliario & Cancellario *Brandenburgico*, Matre *Roſinâ*, *Bartholomæi Freyen*, Conſulis *Rotenburgenſis* filiâ.

Juris Doctor Tubingæ. Jurisprudentiæ ſtudiis in diverſis *Germaniæ* Academiis deditus, curſu eorum feliciter abſoluto, à facultate *Tubingenſi* ſummo in utroque Jure gradu inſignitus eſt A. 1601.

Conſiliarius Brandenburgicus. Factus deindè Conſiliarius aulicus *Brand.* Illuſtri Regimini *Culmbacenſi* præfectus fuit.

Nupſit. 21. Aug. A. 1604. Maritali fide ſibi obligavit virginem *Amaliam*, filiam *Pauli Prucknerí*, Juris Doctoris, Conſiliarii *Saxo-Vinarienſis*, & Advocati *Swinfurtenſis*.

Moritur. Obiit tandem *Culmbaci* 3. Aug. An. C. 1638. ætat. 68.

* *Ex Parentationibus Johannis Wolffgangi Fabricii, Argent. editis A. 1625.*

Obiit A.C. 1639.

JOHANNES BRANTIUS.

A*Ntverpiæ* natus eſt pridiè Kalendarum Octobris A.C. 1559. Ab ineunte ætate ſtudioſus literarum, eâque procedente *Lovanii* liberalium artium Magiſterii titulum adeptus eſt. *Magiſter Philoſophiæ.*

In *Galliam* profectus, primùm *Aureliæ Johannem Robertum*, & *Gulielmum Fornerium*, Antecéſſores, *Biturigis* Magnum *Jacobum Cujacium* Jus Civile profitentes audivit, à quo & Juris Conſulti honore auctus eſt. *Juris Doctor.*

Pòſt *Italiam* adiit, & *Patavio*, *Ticino*, *Bononiâ* ſtudiorum cauſâ, *Româ*, *Venetiis*, aliiſque Urbibus inſignioribus viſendi ſtudio perluſtratis, *Germaniâ* inſuper in reditu, patriam ſuam reviſit.

Conſiliarius Brabantiæ. Etiam in ſummo *Brabantiæ* Conſilio in cauſis agendis verſabatur, cum *Antverpiæ* uxore ductâ, & reditum *Bruxellam* paranti manum illi injecit Senatus populuſque *Antverpienſis*, & ſibì ab Actis eſſe voluit. *Actuarius Antverpienſis.*

Quo munere annos 31. laudabiliter functus, ætate ingraveſcente, miſſionem honeſtam à Senatu impetravit, ut filius *Henricus* in ejus locum ſuccederet.

Ipſe verò literis ſe abdere deinceps, & honeſto otio quod ſupereſſet vitæ frui deſtinârat. Sed longè à deſtinatione ſuâ abfuit, nam non multò pòſt communibus civium ſuorum ſuffragiis in Senatum allectus eſt. Ibi vitam finiit A. C. 1639. æt. 70. *Senator Antverpienſis. Moritur.*

In lucem edita ab eo ſunt ſcripta ſequentia:

Scripta.

In C. Julii Cæſaris Commentarios Notæ Politicæ & Criticæ.

Elogia Ciceroniana Romanorum domi militiæq; illuſtrium, annis ampliùs 200. ab Urbe conditâ uſque ad Auguſti Imperium.

Spicilegium Criticum in omnia Opera L. Apuleji.

S. Aſterii Amaſeæ Epiſcopi Homiliæ Græcè & Latinè, Philippo Rubenio interprete.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1639.

GEORGIUS BURCKARDUS.

L*Ubecæ* natus eſt 18. Julii A. 1581. Patre *Antonio Burckardo*, Mercatore, Matre *Margaretâ Wildiâ*.

Hos parentes cum admodùm puer epidemiâ lue extinctos amiſiſſet, à tutoribus A. 1604. *Wittenbergam* miſſus eſt, ut literis operam daret, paulò pòſt tamen ab iiſdem, metuentibus, ne ſtudiorum ſumtûs deficerent, domum revocatus, ut mercimoniis applicaretur. Illi verò perſuaderi non potuit, ut ſe vitæ generi daret, undè alienior erat à naturâ. *Mercaturæ addictus.*

Ad ſtudia rediit. Remiſſus itaque eſt anno quarto pòſt in Academiam *Wittenbergenſem*. Ibi cum moralem imprimis Philoſophiam didiciſſet, Juri ſe dedit, & cum poſteà ſe dediſſet actitandis cauſis, ut inſervire foro poſſet, Notarius publicus creari voluit, quem honorem conſecutus eſt à *Daniele Zolnero*, J. C. & Comite Palatino in patriâ, ubi tum negotiorum ſuorum cauſâ verſabatur. *Notarius publicus creatur.*

Cum itaque ſe gereret, ut bonum virum decet, A. 1617. in Senatûs *Wittenbergenſis* Collegium adoptatus, & Ædilis munus ipſi demandatum eſt. *Wittenbergæ Senator. Ædilis.*

Tertio anno pòſt in Camerarii honore præfectus ærario eſt, An. 1627. verò etiam Eccleſiaſticæ arcæ, in quo munere triennium exegit. *Camerarius.*

A. 1629. Præturam, & 1632. Conſularem dignitatem conſecutus eſt. A. demum 1638. Syndicatus quoque ipſi demandatus eſt. Quas partes omnes ita adminiſtravit, ut nec ſolertiam Senatus, nec fidem Civitas in eo deſideraret. *Conſul. Syndicus.*

A. 1610. matrimonium contraxit cum virgine *Margarethâ*, *Georgii Burcardi*, Viri Conſularis filiâ, ex quâ ſuſcepit filias tres, quas parvas omnes extulit. Deindè A. 1617. ſecundis votis ſibi junxit *Barbaram*, *Clementis Bergeri*, Conſulis & Bibliopolæ celebris filiam, quam viduam reliquit. Ex 9. liberis, quas cum iſtâ genuit, filios reliquit *Georgium* & *Gothofredum* cum 3. filiabus. *Deſponſatus bis.*

Epilepſiâ tandem aliquoties afflictus, ſubitò mortuus eſt 8. Febr. A.C. 1639. æt. 58. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Obiit A.C. 1639.

MARTINUS OPITIUS.

B*Oleslaviæ*, in *Sileſiâ* urbe celebri natus, Patrem habuit *Sebaſtianum Opitium*, in patriâ Senatorem, Matrem *Martham Rothmannam*, Senatoris *Boleslavienſis* filiam, quam filiolum adhuc lactantem præfiſcina mors abripuit. *Senatoris Boleslavienſis filius.*

Puer in ludo Patrio Præceptores habuit *Sebaſtiani* patris ſui fratrem *Chriſtophorum Opitium*, eoque defuncto *Valentinum Sanftlebium*.

Zzzzzz

Uratiſlaviæ ſtudia inchoat. *lebium.* Indè *Uratiſlaviam* miſſus, ſtatim in Scholam *Magdalenæam* conceſſit, cui tunc præfectus erat *Johannes Hœkelshaſius*, qui ſtatim cognitum adoleſcentis ingenium ad ſumma quæque natum amplexus eſt, & cœteris condiſcipulis in exemplum digito quaſi monſtravit.

Hujus commendatione magni nominis eâ ætate Medicis, Poëtis ac Philologis *Danieli Bucretio* & *Caſp. Cunrado* innotuit, quorum ille probatis adoleſcentis profectibus dignum deprehendit, quem filiorum ſuorum pari *Danieli* & *Theodoro* Præceptorem præficeret.

Hujus patroni domeſtici conſilio *Muſas* cum *Gratiis*, & cum ſtudiis Sapientiæ eloquentiam conjunxit: Doctores etiam in Gymnaſio publicos audivit, ac omnem antiquitatem Græcam & Latinam ſibi familiarem fecit. *ad Poëſin natus.* Poëſi quoque deditus, ad quam natus eſſe videbatur.

Uratiſlaviâ Bethaniam conceſſit, & commendatione tàm propriarum virtutum, quàm *Caſp. Dornavii* datus eſt Ephorus filio Magnifici viri *Tobiæ Sculteti de Schwanenſee in Bregoſchitz*.

Exindè in Academiam *Francofurtanam* concedens, per annum ibi cum *Nüſlero* ſuo vixit. Quâ occaſione uterque, ille Carminibus, hic Laude araneæ, ſcripto politiſſimo, Proxenetâ *Andreâ Geiſlero*, Cancellario *Ligio*, viam ad aulam & gratiam *Georgii Rudolphi*, Principis *Lignicenſis*, invenit, ſub cujus tutelâ & umbrâ par illud olorum ſecurè poſteà vixit & cantavit. *Aulicus Lignicenſis.*

Hinc in patriam redux, à Parente *Heidelbergam* ablegatus eſt, ubi *Georgius Michaël Lingelsheimius*, Conſiliarius *Palatinus*, filiis eum ſuis in paleſtrâ bonæ mentis exercendis præfecit. *Præceptor Heidelbergæ.*

Tunc ludicra, ſeria, Latina, Germanica, ubique ambidexter luſit & publicavit, quos tanti ingenii fœtûs *Janus Gruterus* admiratus eſt, cujus conſilio, cum bibliothecâ publicâ ac ſuâ per biennium non ſine fœnore uſus eſt *Opitius*, qui etiam id beneficium reverenter, quamdiu vixit, agnovit.

Ibidem amicos habuit familiares *Caſp. Barthium*, cujus aliquandiu contubernio uſus eſt, *Julium Zincgreſium*, Emblematum & Apophtegmatum *Germanicorum* collectione clarum, *Janum Gebhardum*, apud *Gröninganos* Hiſtoricum, & *Balthaſarem Venatorem*, Principis poſteà *Palatini Bipontini* Conſiliarium.

Argent. excurrit, Exindè in Academiam *Argentoratenſem* excurrit, famâ *Berneggeri* motus, quo viſo virtutes priſci ævi in ipſo eminentes admiratus eſt: viciſſim hic ingeniorum æſtimator *Opitium* dictum iri *Virgilium Germanicum* ex veri tripode prædixit.

& Tubingam. Hinc per tractum *Wirtenbergicum Tubingæ* Profeſſores eximios, *Chriſtophorum Beſoldum*, J.C. & Politicum, ac *Thomam Lanſium* ſalutavit, atque hinc *Heidelbergam* reverſus eſt.

Sed moto paulò pòſt incendio *Bohemico* & *Palatinatu* ex contagio viciniæ attracto, flammis ſe his publicis ſubterduxit, & cum Equite quodam *Dano* migravit in *Belgium*, ac *Leidam* tandem devenit, hinc *Amſtelrodamum* ac *Hagam Comitum*. *Iter ſuſcepit in Belgium.*

Hinc cum Comite ſuo *Dano* in *Cimbriam* citeriorem profectus, tempus ſuum ſcribendis *de Conſtantiâ libris* fefellit, quos nonum in annum domi preſſos paucis ante obitum annis in publicum exire paſſus eſt.

Cum poſteà Imperator *Ferdinandus II. Georgio Rudolpho*, Principi *Lignicenſi*, præfecturam totius *Silesiæ* mandâſſet, ex *Cimbriâ* in patriam rediens, Proregi anteà cognitus, tuncque à *Nüſlero* & *Kirchero* propiùs commendatus, relicto privato & obſcuro vitæ genere in aulam conceſſit.

Exindè in *Transſylvaniam* vocatus, ut in Gymnaſio *Albæ Juliæ* munificentiâ Principis *Gabrielis Betlenii* erecto doceret, in functione illâ Profeſſoriâ publicè interpretatus eſt *Horatium* & *Senecam*: quâ induſtriâ apud Principem benevolentiam, qui ipſum ſæpè in aulam ad colloquium & menſam doctis viris plenam vocari juberet, apud indoctos invidiam meruit. *Profeſſor Poëſeos Albæ Juliæ.*

Maximus verò fructus hujus peregrinationis fuit, quod latum ita campum habuit cogitandi de origine Gentis *Dacicæ*, de *Decebali* formidabilis illîc Regis clade, victoriâ *Trajani*, & coloniis illûc miſſis, cui hiſtoriæ illuſtrandæ multas Inſcriptiones *Romanas* ex ruderibus corroſis deſcriptas congeſſit, defectûs ſupplevit, falſa correxit, & ad *Grotium*, *Gruterum*, *Berneggerum* horum cimeliorum æſtimatores transmiſit, ut Antiquarum Inſcriptionum operi, tanquàm appendix, addi poſſent.

Cœterum cum ex inſolentiâ aëris *Transſylvani* & ſoli corporis invaletudinem & animi nauſeam concepiſſet, permiſſu Principis ab ipſoque muneribus auctus, paulò antè ſecundum bellum *Transſylvanicum* in *Auſtriam* motum in patriæ gremium rediit.

Tunc *Dacia* antiqua ipſum totum habuit, in quo opere extruendo nullis lucubrationibus pepercit, id tamen lentiùs ſucceſſit, ob inopiam *Columnæ Trajani* tandem poſt aliquot annos repertam.

Tunc etiam *Epiſtolas Dominicales* & *Feſtivales* anni, exemplo *Poſtbii* idem de Evangeliis facientis, juſſu Principis *Lignicenſis*, verſibus reddidit, ſingulisque ſingulare carminis genus aptavit, ut Melodiis *Gaudemelæ* Muſici *Galli* canerentur.

Intereà *Julius Guilielmus Zincgreſius* tanti Poëtæ famæ illuſtrandæ, errantes longè latèque Muſas *Opitii* in unum corpuſculum collectas primus *Argentorati* typis excudi curavit.

Porrò ne tædium aut ſatietas loci rerum aut hominum ſibi & aliis oriretur, interdum excurrit in Urbem patriam, cui quantum deberet, multis Carminibus & Præfatione Libelli de *Germanicâ* poëſi teſtatum fecit.

Imò pedem etiam extra *Sileſiam* ad *Saxones* extulit, ut *Luſciniam* illam ad *Albim*, *Wittenbergam venit.* *Buch-*

Buchnerum vultu uſurparet, cum quo fermè in contubernio per integrum ſemeſtre dies colloquiis eruditis traduxit, ubi *Troades*, *Senecæ Tragœdiam* à ſe verſam, publicæ luci dedit.

Excurrit in Aulam Saxonicam,

& Anhaltinam.

Eâ occaſione allectus in aulam Electoris *Saxoniæ*, Amicos *Seuſſium* Poëtam, & *Anſorgium* Electorali juventuti præfectum ſalutandi cauſâ, & poſtmodùm in aulam literatiſſimi Principis *Ludovici Anhaltini* excurrit, tum hunc ipſum Evergetam & Poëtarum *Auguſtum* veneraturus, tum ejus amicos *Tobiam Hübnerum* verſione *Saluſtii Bartaſſianarum hebdomadum* ſibi cognitum, uti etiam *Dietericum Werderum* verſione Operis *Taſſiani* de recuperato regno *Hieroſolymitano* celebrem compellaturus.

Rediit in Aulam Ligicenſem.

Hinc in patriam redux, gratus fuit Principi, aulicis, & amicis omnibus. Commodè tunc accidit, ut à Principe *Ligiicenſi* in Aulam Cæſaris *Caſpar Kirchnerus* eloquentiâ promtiſſimus ablegaretur, qui *Opitium* comitem itineris & conſortem quorundam negotiorum adſcivit.

Tunc opportunè memoriæ *Caroli* Archiducis *Auſtriæ* inter ſummam futuræ gloriæ ſpem prærepti *Epicedium Germanicum* condidit, quod ei fuit initium ad Cæſaream clementiam & honores ſubſecutos.

Vagam vitam egit.

Poſt reditum vago vitæ genere vixit, cum eum nunc *Uratiſlavia*, nunc *Brega*, nunc *Lignitium*, nunc hæc vel illa Aula, nunc Nobiles, & amici viri docti tenerent, ut verè ipſe affirmaret, ſe domi peregrinari.

Intereà illuſtris Baro à *Dohnâ*, cui à *Kirchero* quidem fuerat commendatus *Opitius*,

Secretarius Baronis à Dohnâ.

cum eo lautis conditionibus transegit, ut eſſet ſibi ab Epiſtolis ſecretis ad Magnates, cum quibus ipſi ratione muneris à Cæſare commiſſi, multùm commercii erat, dirigendis.

Undè ipſum ad Principes & Magnates ablegavit, ſed imprimis uſus eſt illo in Epiſtolis ad Pontificem, Cæſarem, Reges & Principes exarandis; quo concordi inſtituto & Dominus & Miniſter, quisque ſuo gradu, ſummis orbis Monarchis, eorumque amicis commendatiſſimos ſe effecerunt: fuit enim in *Opitio* conciliandæ Principum gratiæ & promerendi amoris, comiter ſe gerendo, & facundè alloquendo ſtudium efficax, ac ſingulare quoddam artificium.

Caſtra ſecutus, mox ad ſtudia rediit.

Caſtra quidem, ſuaſu heri ſui ſub ſummo Præfecto Copiarum *Pechmanno* ſemel adiit, ſed excurſione factâ, pulſis *Pechmannianis*, ſe ex poſtremiſſimis inter pugnandum primum ac principem in fugâ factum, poſteà commemorans facetè ſub ſuâ perſonâ galeatos illos lepores tetigit.

Ita caſtris valedixit, & cum Libris veteribus ſuis amicis in gratiam rediit, imprimis verò ad ſeriam curam Daciæ ſuæ animum applicuit: cumque libris evolvendis defatigatum ſe ſentiret, ad carminis amœnitatem refugit, ſicque nullum tempus in negotio & ocio ſibi fruſtra elabi paſſus eſt.

Occurrente poſteà opimâ occaſione, *Dohnano* ſumtûs pollicente, in *Galliam* iter ſuſcepit, & *Argentorato Lutetiam* citato gradu contendit.

Lutetiam profectus.

Ibi ſingulari cum favore complexus eſt *Hugo Grotius*, quo cum jamdudùm commercium literarium ei interceſſerat, cujus domum quotidiè frequentavit, nec ab ipſo unquam niſi doctior, melior, & prudentior abivit.

Eruditorum conventum in domo Puteanorum acceſſit.

Celebrabatur tunc *Lutetiæ*, acuendis ingeniis & judicio firmando eruditorum conventus in domo *Puteanorum*, ubi de ſtatu totius *Europæ* diſceptare ſolebant.

Eò *Grotius*, quoties per graviora negotia vacavit, libenter acceſſit, & *Opitium* manu quaſi adduxit, eumque flori virorum illic congregatorum ſtitit, qui omnes illum Latinè loquentem amplexi non tàm in Collegium ſuum receperunt, quàm invitârunt, ſibi de tanto hoſpite gratulantes.

Intereà fallendi temporis cauſâ Parænetico Carmine *Cornelium Grotium* quindecennem, ſed cognitione linguarum, eloquentiæ profectu, & pangendi carminis felicitate ætatis ſuæ annos exemplo paterno egreſſum, ut veſtigiis paternis inſiſtens Patrem olim æquaret, ut vel ipſo paterno voto ſuperaret, adhortatus eſt.

Galliæ valedicens, & in aulam *Dohnanam* regreſſus, libros varios raræ notæ manuſcriptos, editos, ineditos, Græcos, Latinos, varios item variarum gentium nummos, aureos, argenteos, æneos ſecum detulit.

Ab hoc reditu ultra biennium ſtationem ſuam non priùs deſeruit, quàm tempeſtatibus *Germaniæ* ingruentibus *Dohnanus* caſtra Cæſaris ſecutus, paulò poſt *Pragæ* febri occubuiſſet: tunc enim in aulam *Johannis Chriſtiani* Principis *Ligiicenſis* seceſſit, à quo

Gedani ſedem ſtatuit.

cum poteſtatem accepiſſet in urbe, quâ vellet, ſedem ſtatuendi *Gedanum* maritimum emporium elegit, ibique in domum & convictum ſe dedit *Nigrini* Theologi *Helveticæ* ſententiæ, qui perſpectis *Opitii* virtutibus cum *Gerhardo Dänhofio*, Aulæ Regis *Poloniæ* Mareſchallo & exercituum Ductori commendavit.

Hunc patronum magnum magis ſibi conciliare cogitans *Antigonam Sophocleanam* Tragœdiarum facilè Principem, ſpeculum contemplandi noſtrum ſeculum, ſub illius nominis autoritate in publicum cothurno *Germanico* indutum exire paſſus eſt.

Hoc monumento *Dänhofius* devinctus, nullo alio beneficio penſare illud poſſe credidit, quàm ſi clientem ſuum Sereniſſimo Regi in aures & oculos ferret & ſiſteret.

Regem verò proxenetâ *Dänhofio* faventem nactus *Opitius* duobus Panegiricis duplici quaſi vinculo, altero *Germanico*, redoni à Moſchis ſine cæde & ſanguine victis, altero ejusdem *Felicitati Auguſtæ* ac *Honori* nuptiarum cum *Nymphâ Auſtriacâ* inſtitutarum dedicatis ſibi porrò conciliavit; ut fidei ſuæ multa apud Reges *Galliæ*, *Angliæ*, *Daniæ* expedienda crederentur; quibus feliciter

Hiſtoriographus & Secretarius Regis Poloniæ.

liciter expeditis Titulos Hiſtoriographi & Secretarii Regii à Rege ſatis ſplendidos, & depenſo annuo pretio quoque fertiles lucri fecit.

Deindè Magno Regni Cancellario *Thomæ Samoſcio*, Magni illius *Johannis* armis & literis clari filio ac ſucceſſori, ſingularem *Variarum Lectionum Librum*, *Sarmarticarum rerum epitomen* obtulit: à quo Patrono in ſingularis benevolentiæ ſignum aureo nummo, *Johannis* effigie ſignato, donatus eſt.

Daciam antiquam opus 16. annorum abſolvit.

In hoc liberali otio Operi illi *Daciæ* ſuæ, quod in 16. usque annum preſſerat, ſummam manum impoſuit, ac ſi aliquot menſibus ſupervixiſſet, illud in portum judicii publici ſtitiſſet.

Pſalterium Lobwaſſeri Poëticum inter dolores arthrit. elaboravit.

Eodem tempore illud *Pſalmorum Davidicorum* ad modum *Clementis Maroti* & *Theodori Bezæ Gallico* metro concinnatorum, & *Gaudimelæ* melodiis accommodatorum Opus longè majori felicitate, quàm *Ambroſius Lobwaſſerus*, inter acutos arthriticis dolores edolatum publicârat, Chriſtianæ genti aliquod devotæ pietatis ſuæ monumentum relinquens.

Sed in medio hoc virtutum & gloriæ curſu illuſtre hoc ingenium literis natum cum ingenti orbis literarii luctu ac damno invidia lethi præcerpſit, quem dolorem auxit conſtans rumor illum ex contagio graſſantis luis peſtilenti ſidere afflatum, & uno ictu ſubitò cum impetu interceptum eſſe.

Cælebs peſte obiit Dantiſci.

Obiit itaque floridæ ætatis ſpatio, & cœlebs mundo ereptus *Gedani* 13. Aug. A.C. 1639.

Patriæ *Germaniæ* duas immortales filias in cœlibatu genitas reliquit, *Germanicam* Poëſin, & *Daciam Romano* cultu linguâ & mente indutam, cui parente ſuo orbæ tutorem & Curatorem elegit *Nüslerum*, qui ipſam pro paterno amore poſteritati propriam dicabit.

* *Ex laudatione funebri Martini Opitii, Uratislaviæ publicè dictâ à Chriſtophoro Colero.*

Scripta.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Opera Poëtica.
Veſuvius, Poëma.
Proſodia Germanica.
Epiſtolæ Dominicales & Feſtivales, Il. Vocum Germanicè.
Judith. Cum Muſicâ Andreæ Tſcherningeri.
Lob des Feldlebens.
Gedanken bey der Nacht / als er nit ſchlaffen kunte.

Obiit A.C. 1639.

JOHANNES COLERUS.

Filius Theologi cognominis.

NAtus *Halæ Saxonum* menſ. Aug. A.C. 1608. Patrem habuit *Johannem Colerum*, *Glauchenſis* Eccleſiæ, qui diœceſeos *Hallenſis* eſt, Paſtorem.

Cum per ætatem capax literarum factus eſſet, in urbis Gymnaſium traditus eſt, ex quo in *Lipſienſem* Academiam profectus, alumnum ſe Civem ei dedit. Ibi Philoſophicis diſciplinis & Juris Civilis tractationem, quo ſtudii genere præcipuè ducebatur, adjunxit, utrobique diligentem operam poneas.

Adoleſcentum nobilium Præceptor.

Vix autem annum ibi egit, cum ſumtus ei neceſſarii deficerent, & domina à *Feldheim* filiis ſuis erudiendis eum præponeret: quam provinciam per 6. annos eâ induſtriâ adminiſtravit, ut diſceſſurum in Academiam denuò benigniſſima Hera ſtipendio in 40. florenis quotannis numerandis dimiſerit.

Wittebergæ Præceptor privatus.

A. 1632. præcipite hyeme cum *Wittenbergam* veniſſet, paulò poſt à *Gotefredo Reutero*, Juris Doctore & Profeſſore publico liberorum ſuorum inſtitutioni præfectus, ita ſe approbavit, ut quamdiu is viveret, nemini alii eas vellet demandatas partes.

Mortuo autem ipſo, tam diu in ſemel ſuſcepto munere manſit, quamdiu per fatum illud licuit, quod totum illum diſcipulorum gregem hauſit demùm & intercepit.

Advocatus Conſiſtorii Eccleſiaſtici.

Interim quicquid vacabat à munere, id Jurisprudentiæ tribuit. Hinc factum, ut cum jam antè inter Eccleſiaſtici conſiſtorii Advocatos aſcriptus eſſet, à Senatu etiam conficiendorum Judicialium Actorum cura ei commendaretur.

Nubit.

Menſ. Nov. A. 1638. domum duxit conjugem *Amaliam*, *Johannis Neerboſii*, Mercatoris & Conſiliarii Eccleſiaſtici *Pragenſis* filiam. Hâc anno ſequenti ipſi ereptâ, ita doluit, ut nihil ampliùs in hâc vitâ ſibi amœnum fore exiſtimaret.

Moritur in flore ætatis.

Nec multò pòſt febre ardente correptus, & in ſuburbanum Academiæ *Noſocomium* deportatus ob metum contagii, in eo animam exhalavit 9. Sep. A.C. 1639. æt. 31.

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Obiit A.C. 1639.

JOHANNES HARPRECHTUS.

HArprechti facies erat hæc Johannis honora,
Quattuor ut vitæ terneq; luſtra videt.
Patria Walbemium tellus Würtberga: Parentes,
Peſte trucidatos, Patruus indè refert.
Suſcipit infantem, nonumq; educit in annum,
Donec eum ludo dat, Beſicama, tuo.
Inchoat invitis doctas Tutoribus artes,
Quattuor ut denis meſſibus addiderat.
Carolus Argenti ducit Mettmannus in urbem,
Commendatque tuis, Philoſophia, Scholis. — *Argentorati Juris ſtudioſus.*
Hîc, luſtrum poſtquàm ſtudiis impenderat illis,
Juris inexhauſtum ſtrenuus æquor adit.
Aſt ubi peſtis atrox hinc cogit abire, Tubingam — *Tubingæ.*
Tendit, & inceptum fortis adurget iter.
Meſſibus exactis tribus hic placet Haſſica tellus:
Marpurgique avidus docta Lycéa petit. — *Marpurgi.*
Hîc par annorum terit, & redit indè Tubingam,
Doctoriſque capit Jure in utroque Gradum. — *Doctor Juris Tubingæ.*
Spira trahit multos: illo ſe pervigil inſerit
Praxin & egregiâ ſedulitate colit.
Diſputat indè redux privatim Jura Tubingæ,
Et docto Leges explicat ore fori. — *Juris Profeſſor Tubingæ.*
Illi ſed tandem commiſſa Profeſſio Juris
Publica, quam magno præſtat honore ſui.

Hinc

Hinc Academiaci pars eſt præclara Senatûs,
Collegiiſque, Decu, pars celebranda tui.
Quàm bonus Interpres quantâque indagine Legum:
Novit & Auditor, ſcriptaque docta probant.
Vive, Harprechte, diu, pie, dexter, & optime, noſtræ
Laus modò, laus olim grandis, honorque Scholæ.

Moritur. Obiit *Tubingæ* An. C. 1639. ætatis 80. 15. Sept.

Alluſio ad Nomina ſub effigie ejus ſcripta:

Divinus favor eſt, Duro quod frangere nullo:
Tam conſtans animo cura laborque tuo.

* *Ex Elogiis Profeſſorum in Academiâ Tubingenſi, Carminicè editis ab Erhardo Cellio.*

Scripta. Scripta ab eo edita leguntur:

Operum Tomi IV. in 4to.
Oratio de immenſâ Dei optimi maximi in omnibus ad humani generis felicitatem & uſum condendis conſervandiſque rebus bonitate & ſapientiâ.
Commentarii: I. de Legatis, II. de Lege Falcidiâ, III. de Fidei Commiſſis, IV. de Codicillis. in 8vo.
Commentarii: I. De Exceptionibus, II. De Replicationibus, III. De Interdictis, IV. De Officio Judicis.
Tractatus Criminalis, in quo publicorum inprimis Judiciorum materia explicatur. in 4to.
Comment. de Succeſſionibus ab Inteſtato.
Comment. de Jure Tutelæ & Curæ. in 8vo.
De publicis Judiciis. in 8vo.
Tract. de Proceſſu Judiciario. in 8vo.
De Retorſione. in 8vo.
Repetitio plerarumque Legum difficilium, quæ in Pandectis occurrunt. in 4to.
De Emptione & Venditione. in 8vo.
Poëmatum Libri quatuor. in 8vo.
Comment. de Obligationibus Mutuo, Indebito, Commodato, Depoſito, Pignore. in 4to.
in Tit. de Mandato, de Servitute, & ſeqq. in 8vo.
Oratio in obitum D. Nicolai Varenbüleri.
Orationes de variis materiis publicis in conventibus & actibus habitæ. in 8vo.
Diſputationes ad 4. Inſtitut. Libros. in 4to.
Tractatus de Patriâ poteſtate, de Nuptiis, & Adoptionibus.
Comment. de Locatione & Emphyteuſi. in 8vo.
de Servitutibus. in 8vo.
de Teſtamentis. in 8vo.
de Procurationibus & Satisfactionibus in Tit. de Fidejuſſoribus & literarum Obligationibus. in 8vo.

Obiit A.C. 1639.

JOHANNES STRAUCHIUS.

W*Ittenbergæ* natus eſt 26. Junii An. C. 1588. Patrem ſortitus *Ægidium Strauchium*, civem primarium & inſtitorem: Matrem *Gertrudem Platiſiam.* Fratrem habuit *Ægidium Strauchium*, Theol. Doctorem, Eccleſiæ *Dresdenſis* Superintendentem, & ſupremi Electoralis Synedrii Conſiliarium.

Primas literas in Scholâ Senatoriâ hauſit: indè egreſſus partim ex prælectionibus publicis, partim ex Præceptoribus privatis Philoſophiam perfectè didicit, de quo ſtudio ſibi poſtmodùm gratulatus eſt, cum animadverteret, quantum id ſibi utilitatis attuliſſet. *Philoſophiæ deditus Wittebergæ.* Juriſprudentiæ deindè rudimentis cum induiſſet animum, *Pragam* ſe ad Cognatum contulit, ſpe fretus non inani, in ejus domo, qui publica Imperii negotia curaret, ea ſe diſcere poſſe, quæ ex eruditiſſimorum Scriptorum libris nequicquam peteret. *& Juriſprudentiæ.*

Ibi itaque, cum aliquot annis locuplete ſupellectile inſtruxiſſet animum, *Wittenbergam* denuò volente matre rediit, reverſuſque eſt ad ſuos libros, quibus ſe totum ita dedit, ut nullam voluptatem majorem ſtatueret, quàm quæ ex Lectione Autorum carpi ſolet.

An. 1618. Pro Licentiâ, quam vocant, publicè ſummâ cum laude diſputavit, alteroque anno pòſt Decano *Eraſmo Unrubio*, Juris Doctore & Profeſſore publico, Doctoris gradu ornatus ſolenniter eſt, & aliquanto pòſt inter Electorales Curiæ Advocatos in Patriâ adſcriptus. *Doctor Juris Wittebergæ. Advocatus Curiæ Electoralis.*

A. 1622. d. 23. April. ab Electore *Saxoniæ* vocatus *Dresdam*, inter Conſiliarios Aulæ aſſidere cœpit. Sed A. 1629. cum D. *Bartolomeus Reusnerus*, Electoris Conſiliarius in Appellationum Curiâ, & Collegii Juridici Senior, Director Eccleſiaſtici Conſiſtorii & Anteceſſor primarius obiiſſet diem, dignus eſt viſus, qui in partes defuncti ſuccederet. *Juris Profeſſor.*

Surrogatus igitur in ejus locum, *Wittenbergam* ineunte A. 1630. venit, id ſemper operam dans, ne Academia detrimenti aliquid caperet, & ut privilegia ejus ſalva cuſtodirentur. In eâ Rectoratu ſemel, ſed Decanatu Collegii ſæpiùs functus eſt.

Uxorem duxit A. 1621. d. 29. Maji virginem *Catharinam, Michaëlis Blumii*, Senatoris & Camerarii *Wittenbergenſis*, ac Mercatoris primarii filiam, cum quâ per vitæ tempus reſiduum ſummâ concordiâ egit, ac vixit, 7. liberorum pater, cum tamen patris titulo 8. annis poſt nuptias caruiſſet. Filiam unam cum 5. filiis (ſextum enim nondum quinquennem amiſit) reliquit ſuperſtites. *Uxorem ducit.*

Febre malignâ tandem correptus, vires ſenſim conſumente, & omnem Medicorum ſolertiam eludente d. 28. Sept. dominicâ, cum ſacra concio finiretur, inter medias preces corporis ſolutus vinculis deceſſit A. C. 1639. ætat. 52. *Moritur febre malignâ.*

* *Ex Programmate funebri Auguſti Buchneri.*

Scripta. Edita ab eo ſunt ſcripta ſequentia:

Exercitationes Exotericæ de Controverſiis illuſtribus.
Diſſertationes ad Jus Juſtinianeum.
Diſputationes publicè habitæ de Locatione & Conductione.

De Germanorum Principum Jure.

De Promotione, quam pro Gradu Doct. habuit.

Collegium Juridicum Succeſſionum ab inteſtato. in 4to.

De Legitimâ Liber in Academiâ Witteb. publicè prælectus. in 4to.

Epitaphium ejus Witteberge in Templo Cœnobii Franciſcanorum:

Epitaphium, HIC SITUS EST JOHANNES STRAUCHIUS: QUI NATUS WITTENBERGÆ D. XXVI. JUNII AN. MDLXXXVIII. DUCTUSQUE A PRIMA USQUE ÆTATE PER OMNEM ERUDITARUM ARTIUM CULTUM, JURISPRUDENTIÆ SE DEDIT, ATQUE IN EO STUDIORUM GENERE INDEFESSA INDUSTRIA ITA PROFECIT NOBILITER, UT GRADU ASSUMTO AD SUMMOS TOGÆ HONORES AC DIGNITATES ASPIRARIT. VIXIT AN. LI. MENS. III. ET D. TOTIDEM, DICUNDO JURI IN SUPREMA CURIA DRESDÆ CONSILIARIUS ELECTORIS OPERATUS EST ANN. VII. IN APPELLATIONUM CURIA ANN. IX. TOTIDEM QUOQUE JURA APUD NOS PUBLICE DOCUIT, ET FACULTATI JURIDICÆ ORDINARIUM DEDIT AC CAPUT: CAUSASQUE ECCLESIASTICI FORI DIJUDICAVIT. DECESSIT D. XXIX. SEPT. A. MDCXXXIX. EX FEBRE MALIGNA, IN IPSO RECTORATU SECUNDO, QUEM PROPIUS FINEM ADDUXERAT, PIETATIS, CANDORIS, JUSTITIÆ, ATQUE MODESTIÆ SINGULARIS LAUS, ET ABSOLUTÆ DOCTRINÆ GLORIA, QUAM VIVUS SIBI PEPERIT, TAM DIU DURABIT IN TERRIS, QUAMDIU VIRTUTIS AC SAPIENTIÆ NOMEN NON EVILESCET. CATHARINA BLUMIA, SUO ET SEX DE SEPTEM SUPERSTITUM LIBERORUM NOMINE, MARITO PATRIQUE INCOMPARABILI, AC EA DE CAUSA DESIDERATISSIMO, NON SINE INGENTIBUS LACRIMIS P. C.

Obiit A. C. 1639.

CHRISTIANUS FRISIUS.

DE *Kragerup* cognominatus Non. Nov. A. 1581. natus eſt, Patre viro nobili Dom. *Georgio Friſio*, Domino de *Kragerup*, Senatore, & arcis *Segelſtrupienſis* Præſide Regio: matre ex Generoſâ *Biornonum* ſtirpe ortâ. Poſtquàm ad eam ætatulam adoleverat, quæ exercitiis literariis habilis

Diſcipulus in Scholâ Soranâ. videretur, primò domi, deindè in Scholâ *Soranâ* latentes virtutis & exaggeratæ mentis igniculos excitari curârunt Parentes.

Ætate grandior in *Germaniam* digreditur, fratrum *Georgii* & *Biornonis Fris* (quos immatura mortis iniquitas in *Galliis* eripuit) nec non *ἐγχοδιαίτου* ſui M. *Hermanni Nicolai*, Linguæ Hebrææ Profeſſoris conſortio ſtipatus.

Studioſus Marpurgi & Argentorati. Eo fine primo biennali decurſu *Marpurgum*, mox *Argentoratum*, reliquasque inclyti nominis Academias *Germaniæ* inſedit.

Indè in *Daniam* reverſus, brevi pòſt tempore quicquid *Gallia* & *Italia* laudis ſuo ambitu continet, id totum avido ſpiritu complexus eſt, variarumque linguarum ac ſcientiarum ubertate nobile pectus adimplevit. *Galliam & Italiam perluſtravit.*

Hic ubi integrum luſtrum Rerumpublicarum formis, Gentium moribus ac inſtitutis notandis, & civili parandæ prudentiæ impendiſſet, *Belgium* militaris gloriæ palæſtram adiit, & Illuſtriſſimi Principis Ducis *Mauritii* auſpiciis primam belli aleam felici ſucceſſu jecit. *In Belgio miles.*

Reverſus anno 1607. in Patriam Regiæ Majeſtati obſequii gloriam officiosè detulit, & decus Aulicum eâ morum feſtivitate ſuſtinuit, ut publici boni nomine aliquoties in exteris ſuam fidem & obſervantiam Regno probaverit.

Inter Aulici ſplendoris obſequia ſic quadriennium conſumſit, donec A. 1611. belli incendio inter *Danos* & *Suecos* exorto nobilis hæc flamma trecentis militibus ſtipata ſe immiſcuit. *Aulicus Regis Daniæ.*

Calmario tunc telorum imbre & globorum procellis attrito ac devicto præficitur, ubi nullâ moleſtiarum aſperitate dexteritas, ſed in laboribus primus, in refectione poſtremus erat, & à ſuis amari quàm ſuſpici maluit. *Calmariæ Præfectus.*

Anno 1612. totius *Oelandiæ* & *Borsholmii* Præſes renuntiatus, omnes hoſtium aſſultûs non tàm vi quàm providentiâ eluſit. *Præſes Oelandiæ & Borsholmii.*

A. 1613. Regio favore ſublimis ad *Röeskildenſis*, mox *Hafnienſis* arcis adminiſtrationem extollitur. *Adminiſtrator arcis Hafnienſis.*

Inter tot curarum fluctûs ſacri conjugii vinculo ſe innectere cogitans d. 8. Maji An. 1614. nobilem virginem, Generoſi Domini *Johannis Vitrop* filiam, utriusque fortunæ conſortem, in genialem thorum introduxit. Horum thalamum novem liberorum fæcunditate beavit Deus: ex quibus *Chriſtianus* poſteà Tribunus militum & machinarum bellicarum præfectus generalis fuit: *Georgius Vardbuſienſis* Præſes Regius: *Johannes* Tribunus militum & *Silkeburgenſis* Præſes Regius: *Gregorius* ductâ uxore, non ita diu pòſt vitâ exceſſit. *Conjugium ejus & Liberi.*

Filia *Anna Catharina* A. 1622. obiit Virgo: *Eliſa* nupſit *Joachimo Bech de Gladſaxe*, arcis *Beulingenſis* Præſidi Regio: *Eliſabetha Axelio Jul de Volſtrup*, Exedræ *Lundenſis* Prælato: *Barbara Georgio Seefeld de Visborg*, arcis *Holdenſis* Gubernatori Regio: *Anna Catharina Antonio Jul de Sögaard.*

Ipſe inter ardentes publicorum miniſteriorum æſtûs vigilando ſe ſuamque vitam attrivit, ut civibus dulcem & quietam tranquillitatem procuraret.

Eodem verò, quo dulcis uxor ſibi in manum convenerat, anno, in decuriam eorum adſciſcitur, qui Majeſtati Regiæ in magnam *Britanniam* tranſituræ honorata obſequia deferrent. *Regem Daniæ in Britanniam comitatus eſt.*

Rex

Princeps Dan. Aulæ magiſter. Rex poſteà cognitâ ſingulari *Friſii* perſpicacitate & Judicii dexteritate, ipſi Illuſtriſſ. Electi Principis curam Aulæque magiſterii commiſit.

Senator Regni, Eques auratus, & Summus Cancellarius. An. 1616. In Ordinem Senatorium cooptatus, mox Equitis aurati titulo cohoneſtatus: Summus tandem Cancellarius proclamatur. Tunc fluentem in ſe negotiorum molem maſculè ſuſcepit, & perpete curâ perdomuit quicquid arduum fuit, nec quicquam actum putabat, cum quid agendum ſupereſſet.

Morbus ejus lethalis. Reverſus Comitiis *Fyonienſibus* A. 1639. ſenſim ſibi vires minui conquerebatur, & ad eas corroborandas conſilio Dn. D. *Fabritii* Archiatri uſus eſt: ſed malum indomitum mox in ferocem febrilis intemperiei ardorem erupit, & varia naturæ graviter laborantis indicia dedit.

Acceſſit urina ſanorum ſimilis, undè ſagaces naturæ interpretes, D. *Nicol. Foſſius*, M. *Tanckerus*, M. *Steugardus* candidè eum violentiæ morbi & ferocientis materiæ morbificæ admonuerunt.

Ipſe verò pro felicitate Regis & Regni precatus, conjugem & liberos vocari juſſit, quos ad ardens virtutis & pietatis ſtudium hortatus, iis ad genua affuſis benedictionem precatus eſt.

Mox ad Conjugem ſe convertens: *Vive*, inquit, *vive lux mea, noſtri conjugii memor, & vale: nolo in terris morari, ne cœleſtis gaudii recordatione contabeſcam.*

Accerſi deindè juſſit religioſum Epiſcopum D. D. *Caſparum Brochmannum*, cui conſcientiam voluit explicare, & S. Cœnæ Domini epulo viciſſim refici.

Iis ſummâ cum devotione peractis ab omni poſteà tumultuariâ ſenſuum conſuetudine, abreptus, perpetuâ rerum Divinatione, quaſi catenis aureis religatus, adhærebat origini ſuæ Deo, mentem totam velut puri nitoris ſpeculum æterno Numini prætendens, & in hâc fragili corporis argillâ Angelorum vitam cœleſteſque delitias & meditari & æmulari cœpit.

Totus nempè erat in orationibus, in hymnis, & calidis ad Deum ſuſpiriis, & Salvatorem ſuum *Jeſum Chriſtum* adſtantem velut intuebatur, conſulebat, alloquebatur, exoſculabatur. Inter hæc ſeria pietatis exercitia ipſis Calendis Octobris An. C. 1639. animam Creatori reddidit. *Moritur.*

Exſequiæ illi factæ ſunt in Templo D. Virginis *Hafnienſis*, & Programmate publico funus indictum Civibus Academiæ à D. *Claudio Plumio* Academiæ Rectore, cujus Patronus & Conſervator ann. 23. fuerat. Parentatum quoque eſt ei Oratione Latinâ in Auditorio Academico à *Johanne Johannis Reſenio*, Theologiæ Doctore & Profeſſore.

Defuncti corpus *Soram* translatum, & ſepulcro, quod vivus conſtituerat, illatum.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

MARCUS OTTOBONUS. *Clar. A.C. 1640.*

PArentibus *Marco Antonio*, & *Eleonorâ Baſalci Venetiis* natus, vir fuit in florenti Patriæ ſuæ Republicâ omnibus numeris clarus & felix, ſive ſobolem ejus numeroſam ſpectes, ſive honores ejus conſideres, ſive etiam fortunæ corporiſque dotes expendas.

Legationes 13. obivit. A primis annis literarum ſtudiis cum prudentiâ ad ſenium conjunctis ter decies muneribus diverſis domi foriſque apud potentiſſimos totius *Europæ* Principes cum laude perfunctus eſt.

Teſtis præclaræ vigilantiæ & dexteritatis eſt *Germania*, *Gallia*, *Britannia*, *Polonia*, & *Hiſpania*: atque imprimis urbium Regina *Roma*.

Utilem præcipuè operam Patriæ præſtitit, cum tota *Italia* A. 1590. ingenti annonæ caritate laboraret.

Dantiſco frumentum Venetias advexit. Afflictâ namque *Venetorum* ditione magnis itineribus publico decreto per *Poloniam*, *Dantiſcum*, *Boruſſiæ* metropolim, rei frumentariæ commerciis celebrem pervenit, & humaniter ab Electore *Brandenburgico* acceptus, ſupra fidem denis navibus frumento onuſtis Urbi *Venetæ* ſubvenit.

Ducem Ferrariæ cum S. Pontifice conciliavit. Eloquentiam cum felici eventu oſtendit, cum Senatûs Decreto Cæſarem *Eſtenſem Ferrariæ* Ducem ab armis in S Pontificem retraheret: ipſius enim conſilio & ſuaſu Pontifici Urbem ceſſit.

A. 1606. & ſeq. vertente in Pontificem & *Venetos* controverſiâ, Patrum auctoritate cum Cardinale *Gioyeuſâ* cœteriſque Principum Oratoribus diligenter egit. Tot tantoſque labores excepit dignus honor, quo Concilio Decemvirum à Secretis electus eſt: quem eâ laude ſuſtinuit, ut rebus humanis exempto magno Reipublicæ Cancellario *Johanne Baptiſtâ Patavino* d. 24. Maji A. 1639. in ſublimem hanc ſedem evectus fuerit. *Secretarius Decemvirûm. Cancellarius Venetus.* His omnibus non minimum à progenie acceſſit gloriæ & proſperitatis. Filius enim *Petrus Ottobonus*, Juris utriusque peritiâ inſtructus, accedente morum integritate, *Romæ* eam ſibi peperit famam, ut *Franciſci Barbarini* Cardinalis auctoritate diverſis urbibus rerum ſumma ei credita fuerit.

Idem S. P. *Urbani VIII.* favorem ſibi concilians, *Georgio Cornelio* Epiſcopo *Patavino* Rotæ Auditor ſubrogatus eſt.

Marcus ultimi finis memor, ad familiæ decus Sepulchrum ex nigro marmore conſtruxit hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

MARCUS OTTHOBONUS, MARCI ANTONII FILIUS, MONUMENTUM ANTE ARAM A MAJORIBUS SUIS CONSTRUCTAM, SIBI, UXORI, ET POSTERIS

P. C.

ANNO SALUTIS MDCXX.

* *Ex Elogiis Virorum Doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

BERN-

Obiit A.C. 1640.

BERNHARDUS BERTRAMUS.

Quedlinburgi natus eſt, Patre *Matthiâ Bertramo*, Senatore, Matre *Margaretha, Johannis Göſlingii*, Civis *Mörſenſis* in Epiſcopatu *Monaſterienſi* filiâ, 12. Jan. A.C. 1591.

A. 1598. Poſt obitum matris, pater eum in Scholam *Kalbenſem* miſit, & Præceptoris cujusdam ſibi agnati diſciplinæ ſubmiſit.

Ibi cum Linguæ Latinæ ac Græcæ fundamenta poſuiſſet, an. ætatis 13. in Gymnaſium *Hallenſe* à patre ablegatus eſt, cujus tunc Rector fuit M. *Johannes Æſchartus*, vir doctrinæ reconditæ & facundiæ admirandæ.

In Gymnaſio Hallenſi diſcipulus.

A. 1608. Patris juſſu in Academiam *Wittenbergenſem* ſe contulit, in quâ non modò ſtudia Philoſophica feliciter abſolvit, ſed etiam Juris ſtudiis operam dare cœpit, quorum gratiâ An. 1610. *Lipſiam* ſe convertit, & brevi pòſt *Tractatum de Subſtitutionibus* elaboravit, quem A. 1612. in Academiâ *Jenenſi*, cum facultatis Juridicæ conſenſu Diſputationis loco publicè propoſuit & defendit.

Wittenbergæ Philoſophiæ ſtudioſus & Juris.

Lipſiæ Tractatum Juris de Subſtitutionibus compoſuit.

Ibidem *duas* habuit *Diſputationes* alias, *de Pace Religionis*, & *de Comitiis Imperii*, quæ ab eruditis magni æſtimantur.

12. Jan. A. 1616. *Jenæ* Juris Gradum Doctoreum adeptus, 3. Sept. ſeq. nuptias celebravit cum virgine *Mariâ*, D. *Johannis Timæi*, J.C. celebris, & Cancellarii *Zizenſis* filiâ, quæ filium ei duasq; filias peperit, quarum una ſola patri ſuperſtes die mortem ejus præcedente deſponſata fuit Nobili viro *Wolfgango Cunrado à Thumsbirn*, Conſiliario *Saxonico*.

Juris Doctor. *Conjugium iniit.*

Generum habuit Wolfgangum Cunradum à Thumsbirn.

An. 1618. Aſſeſſor Judicii ſupremi aulici Elect. *Sax. Lipſiæ* factus, in eâ functione manſit usque ad An. 1625. quo demandatum ſibi à Capitulo Epiſcopatûs *Halberſtattenſis* Cancellarii munus, ſuadente Dom. Socero, tunc Cancellario *Magdeburgenſi* ſuſcepit.

Aſſeſſor Judicii Saxonici Lipſiæ. Cancellarius Halberſtattenſis.

A. 1626. Vocante Dom. *Johanne Philippo*, Duce *Saxo-Altenburgico*, Conſiliarius intimus & Cancellarius *Altenburgicus* factus eſt: in quo munere arduo Principi ſuo fidelis & ſubditis acceptus, vitæ tempus reſiduum exegit, & phthiſi conſumptus, ex ulcere pulmonum accedente hæmoptyſi, ſpiritum Deo reddidit 25. Febr. A.C. 1640. ætat. 49.

Cancellarius Altenburgicus. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri D. Ægidii Hunnii, Superintendentis Altenburgici.*

Obiit A.C. 1640.

PETRUS THEODORICUS.

Cizâ-Miſnicus, hæreditarius in Groß-Lobichau / natus *Groſſenæ* propè *Cizam*, 9. Aug. A. C. 1580. Juris Doctor promotus *Jenæ* 26. Junii A. 1606. Ibidem conſtitutus Profeſſor publicus 29. Nov. A. 1607. D. *Dominico Arumæo*, An. 1637. 24. Febr. defuncto, in Ordinariatu ſucceſſit, & placidè ipſe ex hujus vitæ ergaſtulo diſceſſit 9. Maji A.C. 1640. ætatis 60.

Juris Profeſſor Jenæ. *Moritur.*

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc appoſuit *Epigramma:*

Epigramma.

Inter Doctores, quos docta Salana ſalutat,
Et Profeſſores Jure in utroq; graves,
Petre, Theodrici gaudes cognomine, Juris
Dignus es Antiſtes, Juridicumq; caput.

Obiit A.C. 1640.

ORTOLPHUS FOMANNUS Filius.

Jenâ-Thuringus, hæreditarius in Waldewachſen: natus eſt 3. Jun. A. 1598. Patre cognomine, J.C. Matre *Barbarâ*, D. *Georgii Mylii*, Theologi, filiâ.

Promotus in Patriâ utriusque Juris Doctor 11. Sept. A. 1620. conſtitutus Profeſſor Hiſtoricus & Poëticus 22. Aug. An. 1625. Poſteà Juridicus 12. Maji An. 1635. Vitâ defunctus eſt in tenerrimo ætatis & dignitatis flore, vitâ longiore vir digniſſimus, *Jenæ* 6. Junii A.C. 1640. ætat. 42.

Profeſſor Hiſtoriarum, Poëſeos & Juris. *Moritur Jenæ.*

Inter alios liberos, duas reliquit filias, *Annam Barbaram*, natam 30. Aug. An. 1629. & nuptam 12. Oct. A. 1646. D. *Sigismundo Peilickio, Lipſiâ-Miſnico*, *Jenæ* in Doctorem Utriusque Juris promoto: & *Mariam*, natam 4. Martii An. 1631. nuptam 8. Octob. A. 1649. D. *Erneſto Friderico Schrötero, Jenâ-Thuringo*, in Patriâ Curiæ Provincialis Advocato.

Duos generos habuit Juriſconſultos.

Has duas filias ex ſecundâ conjuge ſuſcepit, *Dorotheâ Suſannâ*, D. *Dominici Arumæi*, J.C. filiâ, quam An. 1623. duxit, quæque A. 1640. 10. Aug. obiit.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit *Epigramma:*

Epigramma.

Junior Ortolphus Fomannus ritè patriſſat,
Nam Patrem titulis officiisque refert.
Ut Genitor primùm Sophiam, Sacra Jura deindè,
Sic Genitus Sophiam, Sacraq; Jura docet.

Obiit A.C. 1640.

EUSEBIUS CAIMUS.

Utini, *Fori Julii* Provinciâ, ex antiquâ familiâ *Mediolanenſi*, Patre *Jacobo Caimo*, J.C. natus eſt A.C. 1565. Fratrem habuit *Pompejum Caimum*, Medicum celebrem.

Patavii Jurisprudentiæ ſtudiis addictus, & *Jacobi Menochii*, J.C. uſus contubernio, ab eodem poſteà Juris utriusque Lauream retulit.

Juris Doctor Patavii.

Patriæ redditus, cauſas forenſes & pupillorum lites linguâ calamoque defendit.

Patronus pupillorum.

A. 1605. Senatûs *Veneti* decreto, electus fuit, qui cum *Mutio Fabricio* Limitum in Patriâ curam haberet. Eccleſiaſticis mox rebus deditus, Eccleſiæ Metropolitanæ *Aquilienſis* Canonicus electus eſt.

Canonicus Aquilienſis.

A. 1616. Oratoris titulo aliisque duobus junctus, à civibus ſuis *Venetias* miſſus, ibi novo Duci *Johanni Bembo* eleganti oratione dignitatem gratulatus eſt.

An. 1620.

Epiſcopus Æmoniæ.

An. 1620. Defuncto *Franciſco Marino, Utinenſi*, Epiſcopo *Æmoniæ* à S.P. *Paulo V.* iſti Eccleſiæ præfectus eam per annos 20. rexit.

Moritur.

Vitam tandem clauſit *Vertenegli*, quò propter gravem *Æmoniæ* aërem ſeceſſerat 19. Octob. A. C. 1640. ætatis 75.

Scripta.

Scripta reliquit apud *Jacobum Caimum* in Gymnaſio *Patavino* Juris Civilis Profeſſorem:

Reſponſorum Volumina duo.
De Retractu Lib. III.
Juris Miſcellanea.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Defuncti corpus in Eccleſiâ B. Virginis *Gratiarum Utini*, propè *Pompeji* fratris cineres conditum, hoc *monumento*, quod ſibimet vivens deſtinaverat:

Epitaphium.

D. O. M.
EUSEBIO CAIMO J. C. UTINENSI,
EPISCOPO ÆMONIENSI,
PRO TUA IN DEUM DIVAMQUE PIETATE
REQUIEM ÆTERNAM DICAS.
OBIIT ANNO MDCXL. ÆTATIS SUÆ
LXXV.

Obiit A.C. 1640.

JOSEPHUS GUALDUS.

V*Icentiæ* natus eſt 25. Jan. A. C. 1594. Patre *Æmilio Andreâ*, J.C. & Patriæ perpetuis muneribus uſque ad 80. annum clariſſimo: Matre *Margarethâ*, Dominâ *de Borghiano*. Fratres habuit *Johannem Baptiſtam*, Equitem S. *Michaëlis*, & *Hieronymum*, antiquitatis ſtudioſum.

Diſcipulus Patrum Jeſuitarum.

Puer Grammaticam didicit *Vicentiæ*, Præceptore *Alexandro Lucido*, poſteà ad Scholas Patrum Jeſuitarum miſſus, Rhetoricam & Logicam ab iis didicit.

Clericus Romanus.

A. 1610. *Romam* profectus, Clerici habitum ſuſcepit, ibique à Patribus Jeſuitis Philoſophiam naturalem & Moralem promptè apprehendit. Adultior in patriam reverſurus, ut matri morbo gravi laboranti adeſſet, cum in Sacello *Lauretano* pro more precatus eſſet, vix è templo egreſſus, res mira! repentino tactus dolore collachrymans ſociis aſtantibus dixit: *Jam mea genitrix ad cœleſtem Patriam tranſiit*; quam poſtmodùm acceptis literis eâdem horâ exſpiràſſe intellexit.

Matris mortem prædixit.

Doctor Juris Peruſiæ.

Sic mutato viæ inſtituto *Peruſiam* deflexit, ubi Legum Doctores ſectatus, eam brevi tempore Jurium cognitionem adeptus eſt, ut An. 1615. Lauream Doctoralem reportàrit.

Tum patrios lares & amicos reviſens, patrui *Pauli Gualdi*, J.C. & Archipresbyteri *Patavini* conſilio citò *Romam* reviſit. Ibi præter alios Viros clariſſimos ſingulari amore Cardinalis *Ludoviſius* ipſum proſecutus eſt.

Archipresbyter Patavinus.

Patrui deſiderio *Patavium* revocatus, Archipresbyteratum Eccleſiæ Cathedralis *Patavinæ*, cum Prioratu S. *Danielis Montiſilicis* ab ipſo jam annis confecto obtinuit.

Defuncto patruo in *Marci Cornelii*, Epiſcopi *Patavini*, Palatium & tutelam tranſiit, apud quem tantâ fide valuit, ut Epiſcopus præcipua ſuæ dignitatis onera in ejus humeros repoſuerit. Erat enim exacti judicii & tractandis rebus aptiſſimus.

Poëta.

Hiſtoricus.

Domum Archipresbyteratus eximiâ ſupellectili ornavit, Iconibus præſertim rarioribus, quarum ſtudio delectabatur. Poëticis figmentis interdum abreptus, Mathematicis etiam prædictionibus nonnihil tribuit, Hiſtoriarum verò ſtudio maximè delectatus, ſui temporis res geſtas ab A. 1613. ad A. 1630. *Hetruſco* ſermone ſummo ſtudio conſcripſit. Pietatis verò argumenta ſunt *Hymni ſacri & Morales*, quibus vitam feliciorem appetendam docuit.

Solitudinis amans.

Moritur Patavii.

Triennio ante obitum ad ruris ſolitudinem ferebatur, ubi conſortia declinans, verborum paucus, ſacros libros & hiſtorias volvens ſolitudine delectabatur, donec lentâ febre correptus & *Patavium* delatus, ſeptimâ die à deſtillatione interceptâ voce placidè exſpiravit 23. Octob. An. C. 1640. ætatis 46.

Hieronymus Gualdus, antiquitatis ſtudioſus, qui gentis ſuæ ſeriem pertexuit, hæc Scripta fratris in ſuo Muſæo poſteris conſervavit:

Scripta.

Hiſtoriam Etruſco idiomate ab A. 1613. ad A. 1630.
Volumen Carminum Macaronicorum, Etruſcorum, & Agreſtium.
Dialogo delle delitie della villa.

* *Ex vitis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1641.

HENRICUS HORSTIUS.

N*Atus eſt *Helmſtadii* in Academiâ *Juliâ* 27. Jan. A. C. 1582. Avum nactus eſt *Johannem Horſtium*, *Nordenſis* Præfecturæ in *Friſiâ Orientali* Quæſtorem, qui magni illius J.C.ti *Matthæi Weſenbecii* ſororem *Catharinam* uxorem habuit, & indè ſuſtulit filium *Dedhardum*, Juris Doctorem in Academiâ *Juliâ*, Profeſſorem publicum & Anteceſſorem, ut & Cæſarei Palatii Comitem, hujus *Henrici* Patrem. Mater ei fuit *Barbara, Henrici de Borck*, Patritii *Antverpienſis* filia.

Filius J.C. & Profeſſoris.

Literis maturè traditus eſt, & diligenter iisdem imbutus: quas Græcas juxtà Latinasque cum didiciſſet, *Wittenbergam* miſſus in ſtudia eſt.

Locupletato ibi optimis artibus ac diſciplinis animo ad Patrem rediit, & ſub auſpiciis ejus ac ductu Juriſprudentiæ ſe totum dedit, inque eâ plurimùm profecit.

Notarius.

Sollicitator Pragæ.

Advocatus Wittebergenſis.

Mox ut pararet ſe foro, Notarii titulo ornatus à Patre *Pragam* in aulam Imperatoris profectus eſt, ibique Sollicitatoris, quem vocant, Comitum & Procerum diverſorum aliquandiu partes ſuſtinuit. Intereà parens ex Academiâ *Juliâ Wittebergam* demigraverat: eò igitur & filius hic ejus mandatu capeſſivit reditum, & foro diligentem operam navavit.

Uxorem duxit. A. 1618. Matrimonio ſibi junxit virginem *Mariam Magdalenam*, *Jane Fritſchii*, Civis *Wittebergenſis* primarii & Mercatoris filiam, cum quâ 23. annos conjunctiſſimè vixit, ac liberos genuit tres, *Mariam Magdalenam*, *Johannem Henricum*, & *Godofredum*, quem ſolum reliquit Juris Civilis ſtudium in Academiâ *Lipſienſi* ingreſſum.

Senator Wittebergenſis. A. 1620. *Wittebergæ* in Senatorium Ordinem cooptatus eſt: tertio anno pòſt & Cura ærarii ei commiſſa, quâ functus annis 12. *Prætor.* ad Præturam aſpiravit, digitate Conſulibus proximus & quaſi Collega.

Advocatus Conſiſtorii Eccleſiaſtici. Præter has partes à multis annis & in Eccleſiaſtico Conſiſtorio Advocati ordinarii munus adminiſtravit cum laude. Noviſſimus honor contigit, cum annis vitæ ſuæ *Conſiliarius Anhaltinus.* poſtremis ab illuſtri *Anhaltinorum* Principe *Ariberto* dicundo Juri Conſiliarius allegeretur: quas partes ita adminiſtravit ac geſſit, ut neque induſtriam nec fidem in ſe deſiderari unquàm pateretur, & ſic abundè iis, quorum agebat res, ſatisfaceret: etiam cum inter Patronos perferendarum pro Civitate aut Senatu Legationum delectus nunc in Aulam, nunc in Conventûs publicos mitteretur: quas vices pro eâ, quâ pollebat, prudentiâ ſolertiâque ſæpiùs adminiſtravit.

Morbus ejus ultimus. Cum tandem inter alios *Dresdam* ad indicta Comitia eſſet profectus, in ipſo itinere morbum contraxit, in quo curando cum ita verſaretur, ne ſuam interim operam publico ſubduceret, factum eſt, ut ſopiretur malum potiùs auxilio Medici, quàm tolleretur.

Reverſus domum, etſi nonnihil curare corpus cœperat, mox *Lipſiam* tamen Reipublicæ causâ eidem ſuſcipiendum iter fuit: ex quo cum vix ſe recipiſſet domum, denuò valetudine implicitus gravius decubuit, *Catarrho ſuffocativo extinctus.* omnes Medicorum operas catarrhi, quem vocant, ſuffocativi violentiâ diſturbante.

Obiit itaque plenus fidei fiduciæq; Chriſtianæ, cum annos 59. minùs tribus ſeptimanis exegiſſet, 7. Januarii A.C. 1641.

* *Ex Programmate funebri D. Jacobi Martini, Theologiæ Profeſſoris Wittebergenſis.*

CORNELIUS CRULLIUS.

Obiit A.C. 1641.

Qualis nam vir fuerit, ex ejus Epitaphio *Wittenbergæ* in Templo Parochiali apparet:

Juris Profeſſor Wittebergæ. HIC SITUS EST CORNELIUS CRULLIUS J.C.TUS ET ANTECESSOR, QUEM EXQUISITAM OB ERUDITIONEM, PROBITATEM, PRUDENTIAM, ALIASQUE PRÆCLARAS VIRTUTES, UT BONI QUIQUE AC DOCTI VIVENTEM AMARUNT SINGULARITER, ITA NUNC PROPERATA EREPTUM MORTE ACERBE AC VEHEMENTER LUGENT AC DOLENT. NATUS EST QUEDLINBURGI D. XXIII. DECEMBR. ANNO CHRISTI MDCI. *Moritur.* OBIIT DRESDÆ IN ITINERE D. XVIII. SEPTEMB. ANNO MDCXLI. NONDUM QUADRAGENARIUS, ET DEPORTATUS DOMUM HIC CONDITUS SEPULTUSQUE EST, CUM ANNUM L. MENS. IV. ET DOCUISSET PUBLICE JUS, ET IN ELECTORALI CURIA ECCLESIASTICO CONSISTORIO AC SCABINATU DEFINIENDIS DISCEPTANTIUM CONTROVERSIIS ASSEDISSET, *Aſſeſſor Curiæ Electoralis.* VITUS, OTHO ET MARGARETHA ELISABETHA PARVI ET ORPHANI, ATQUE HOC INFELICES MAGIS, PATRI OPTIMO DESIDERATISSIMO CURANTE MATERNA AVIA P. C.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi à Gotfrido Suevo, J.C. editâ.*

GEORGIUS FREYWALDUS.

Obiit A.C. 1641.

Patrem habuit virum nobilem *Donatum à Freywald*, J.C. celebrem, & generoſorum Comitum ab *Eberſtein* in *Pommeraniâ* Cancellarium, Matrem *Euphemiam*, *Georgii Kelheimeri*, Conſulis *Torgenſis* filiam, quæ *Torgæ* filium hunc enixa eſt 10. Sept. A.C. 1587.

Diſcipulus Scholæ Portenſis. Poſt obitum patris à matre miſſus in Scholam *Portenſem* A. 1599. in eâ quinquennium ſub diſciplinâ & informatione M. *Jacobi Lindeneri* exegit.

An. 1604. Suadente agnato D. *Johanne Badborno*, Conſiliario *Saxonico*, Univerſitatem *Wittenbergenſem* adivit, & ſub Rectoratu Illuſtriſſimi *Auguſti*, *Saxoniæ* Ducis, Prorectore *Leonharto Huttero*, S. Theologiæ Doctore & Profeſſore albo ſtudioſorum inſcriptus eſt.

Tunc per biennium Philoſ. ſtudiis deditus, 23. Sept. An. 1606. Decano facultatis Philoſophicæ *Andreâ Urſino*, Philoſophiæ & J.U. Doctore, cum aliis Candidatis Magiſter publicè ac ſolenniter creatus eſt. *Magiſter Philoſophiæ Wittebergæ.*

Juris ſtudioſus. Studium deindè Juridicum aggreſſus, Lectiones publicas J.C.rum *Bartholomæi Reuſneri*, *Wolfgangi Hirsbachii*, & *Tiburtii Rubelii* ſedulus audivit, & frequenter publicè privatimque Diſputando ac Opponendo ſe exercuit.

A. 1611. Iter ad alias quoque Academias, *Roſtochienſem*, *Hafnienſem*, *Gryphswaldenſem*, ſuſcepit, ſed ob bellum inter *Sueciæ* & *Daniæ* regnum ulterius iter ſuum proſequi impeditus, A. 1612. *Heidelbergam*, *Spiram*, *Argentinam*, & exindè *Baſileam* acceſſit, ubi poſtquàm Diſputationem inauguralem de neceſſariâ defenſione habuiſſet, & mox Examen rigoroſum ſuſtinuiſſet, ſub Decanatu D. *Ludovici Iſelii*, Juris Profeſſoris publici, à D. *Johanne Feſchio* Doctor utriusque Juris ſolenniter creatus eſt. *Juris Doctor Baſileæ.*

Nuptias celebravit Torgæ. In patriam deindè reverſus *Torgæ* 1. Sept. A. 1612. nuptias celebravit cum viduâ *Ludovici Gatteri*, *Veneti*, Iocularii *Lipſienſis*, *Margarethâ*, *Joachimi Volmari*, Mercatoris *Torgenſis* filiâ: cum quâ poſt nuptias *Lipſiam concedens*, Cauſarum Patronum egit. *Advocatus Lipſienſis.* *Viennam* A. 1618. ad negotia gravia expedienda profectus, ipſi Cæſari *Matthiæ* innotuit, qui nobilem ejus ſtatum Inſignium auctione exaltavit.

A. 1620.

A. 1620. Exindè *Norimbergam*, *Auguſtam*, aliasque Imperii civitates adiens, negotia varia ſibi concredita feliciter expedivit. In reditu verò *Lipſiam* verſùs, triſte nuntium accepit de morte ſubitaneâ conjugis ſuæ.

Conſiliarius & Conſiſtorii Præſes Altenburgicus. Tunc A. 1625. *Altenburgum* ſe contulit, & à Principe *Johanne Philippo* mox inter Conſiliarios aulicos & Juſtitiæ cooptatus; An. 1639. tandem aulici Conſiſtorii *Altenburgici* Præſes denominatus eſt.

Conjugium ejus ſecundum, A. 1627. Sponſalia reiteravit cum virgine *Annâ Margarethâ*, *Johannis Guntheri Forſteri*, J.C. filiâ, ex quâ filiolum unum ſuſcepit *Johannem Georgium*, 7. tantummodò ſeptimanas viventem.

& tertium. An. 1637. Cum & hæc ejus uxor morte fuiſſet abrepta, tranſitum fecit ad tertia vota, deſponſatus cum virgine *Reginâ*, Dom. *Pauli Frobergeri*, J.C. Practici & Judicis *Lipſienſis* relictâ filiâ, quam ſine liberis poſt fata reliquit.

Liberalitas ejus. Vir erga pauperes beneficus, An. 1627. cum primâ vice viduus eſſet factus, Eccleſiæ *Torgenſis* miniſtris, Scholæ Præceptoribus, & pauperibus ibidem in Xenodochio ad Spiritum Sanctum 1300. florenos per donationem inter vivos aſſignavit, & conſtituit, ut cenſus hujus pecuniæ quotannis diſtribueretur.

Moritur. Hemiplegiâ tandem correptus, triduo pòſt ſpiritum Creatori reddidit *Altenburgi* die 7. Octob. A.C. 1641. ætatis 54.

* *Ex Concione funebri D. Ægidii Hunnii, Superintendentis Altenburgici.*

M. *Jacobus Clauderus*, Philoſophiæ & S. Theologiæ ſtudioſus, hoc *Epitaphio* Mecœnati optimè de ſe merito parentavit.

EPITAPHIUM

Epitaphium.

Deo et memoriæ posterorum, si qui futuri sunt consecr.
Pie Viator.
Monum. hoc quid monet vides.
GEORGIUS A FREYWALD,
Quem hanc in lucem Torga; Wittenberga dein Magistrum; Basilea vero Juris utr. Doctorem protulit: quique per integros XVII ann. in hac Urbe fuit Consiliarius, et biennium quoque Sacri Synedrii Præses: Vir cumprimis bonus et integer vitæ, Musarum autem Fautor opt. max.
de rebus abiit.
VII. d. Octob. A. CIƆ IƆ CXLI.
Hæc videlicet meta laborum postquam vixisset
Solos LIV. ann. Mens. I. Min. III. D.
Cujus votis ad lacrymas relicta uxor extremum votum persolvens in hoc VII. Fratrum quicquid de illo claudi potuit in spem gloriosæ resurrectionis deponi curavit.
Tu quisquis es piæ peregrinat. tuæ non immemor animæ bene adprecare, et diu optime Vale!

FRANCISCUS RUDOLPHUS INGOLDUS.

Obiit A.C. 1642.

Lucem hanc primùm aſpexit *Argentorati* 24. Auguſti S. *Bartholomæo* ſacro A.C. 1572. parentibus Dom. *Philippo Ingoldo*, ex antiquâ & Patriciâ familiâ, quæ ante ſeculum, & quod excurrit, *Henricum Ingoldum*, Conſularibus faſcibus bis, ſcilicet A. 1508. & 1514. inſignitum dedit, oriundo, & *Felicitate* Domini *Lucæ Mæſſingeri*, Conſulis *Argentoratenſis* filiâ. *Parentes ejus.*

Hujus, ut & vitrici Dom. *Didymi Obrechti*, Medicinæ Doctoris, cui mater ſecundis votis nupſerat, auſpiciis, non modò domeſticis informatoribus eruditis in diſciplinam traditus, ſed etiam curæ ſolicitudineque publicorum doctorum curiis Gymnaſii patrii præfectorum commiſſus eſt.

Quem claſſium curſum cum inter varia eximiæ indolis indicia, aſſiduitatis & induſtriæ ſpecimina illuſtria, jucundiſſima etiam diligentiæ prœmia exegiſſet, Præceptorum ſuffragiis ad altiora ſtudia admiſſus, Politicæ imprimis & Hiſtoriarum cognitioni vacavit in Academiâ patriâ, mox etiam peregrinationem adjunxit, & in Univerſitatibus *Germaniæ* celebrioribus, *Heidelbergenſi*, *Jenenſi*, *Lipſienſi*, aliiſque pluribus Jurisprudentiæ operam dedit, eâ quidem ſedulitate, ut præter frequentatas publicas Prælectiones præcipuorum Reipublicæ literariæ Procerum in præfatis emporiis florentium amicitiam ſibi comparârit, privatis etiam exercitiis diſputatoriis eruditionem partam in tantum auxerit, ut ſummo prœmiorum Academicorum apice jure merito honeſtari potuiſſet, ni voluntate & juſſu propinquorum in patriam revocatus fuiſſet. *Claſſes Argent. percurrit. Politicus & Hiſtoricus. Juriſperitus.*

Contigit id An. 1597. cujus anni menſe Octobri nuptias celebravit cum virgine *Salome*, *Friderici Wideni*, Senatûs majoris Aſſeſſoris filiâ, quæ A. 1637. conjugii 40. obiens maritum præceſſit. *Conjugium ejus.*

Suſcepit ex hoc thalamo filios tres, *Philippum*, *Fridericum*, & *Franciſcum Rudolphum*, filias autem ſex, *Felicitatem* primam, & ſecundam, *Catharinam*, *Salomen*, *Dorotheam*, & *Mariam*. *Liberi.*

Sed unicus annus acerbo luctu tres præfatos filios cum conceptâ propagandæ Nobilis familiæ fiduciâ abſtulit. *Felicitas* prior illo, quo exorta erat, Sole rurſus eſſe deſiit; altera ad maturam quidem ætatem pervenit, ita tamen, ut 3. Junii A. 1626. cum celebris quidam Juriſconſultus eam deperire cœpiſſet, obitu inſperato deſiderium ſui reliquerit. *Maria* ordine naſcendi poſtrema 13. Sept. A. 1633. itidem ad plures abiit.

Catharina viro nobili Dom. *Joh. Franciſco König*, Præfecto diſtrictûs *Wadenheimenſis* nupta, maritum 6. liberorum parentem fecit. *Salome* autem in matrimonium Dom. *Johannis Caſpari Vogleri*, U. J. D. & Practici *Argentinenſis* conceſſit, trium filiarum fulcris ſubnixum. *Generi ejus.*

Dorothea deniq; fidem conjugalem ſpon-

pondit Dom. *Erneſto Friderico Mollingero*, U. Jur. Doctorando & Practico celeberrimo, quem unica filiola, *Margaretha Salome* appellata auxit.

Primum pedem in Reipublicæ patriæ adminiſtrationem 10. Dec. An. 1603. intulit, in Collegium Scabinorum Tribus, quæ à Speculo nomen ſortitur, cooptatus, ſequentique anno ejusdem Tribus Magiſter renuntiatus.

Magiſter Tribus Speculi.

A. 1605. 3. Jan. ordini Aſſeſſorum minoris Senatûs eum adjunxit, quo munere biennio integro præclarè defunctus eſt.

Aſſeſſor Senatûs minoris.

8. Jan. A. 1607. Triumviris ærarii publici additus, induſtriam ſuam ita probavit, ut ante elapſum triennii terminum, quo præfatum munus includitur, mox anno ſeq. 1608. die 27. Febr. Ampliſſimo Quindecimvirorum Collegio adſcriberetur, in eodemque 14. Jan. A. 1609. curæ monetariæ, & paulò poſt inſpectioni rei frumentariæ præficeretur.

Ærarii præfectus. *Quindecimvir.*

Sed quia per Leges patrias ad perpetuos iſtos ſtatosque Magiſtratuum ordines nemini aditus patet, niſi quorum fides in Majori etiam Senatu, qui temporarius eſſe ſolet, probè perſpecta ſit, illius Senatûs Aſſeſſoribus (quamvis ea dignitas XV viratu minor ſit) A. 1609. die 5. Jan. inſertus eſt, quo munere adhuc durante, A. 1610. d. 23. Martii auguſto Tredecimvirorum Collegio annumeratus, pariter quo Tribûs Liberorum civium moderator & Caput conſtitutus, mox verò ejusdem anni die 28. Julii ad gubernationem Tribus Speculi translatus fuit.

Senatûs Majoris Aſſeſſor. *Tredecimvir.* *Gubernator Tribûs Liberorum civium, & Speculi.*

Et aſcendiſſet procul dubio eo ipſo tempore, conſentientibus omnium votis ad ſummum Conſulatûs faſtigium, ni leges Patriæ fundamentales, iſtam Conſulatûs dignitatem ad Vaſallos juramento fidelitatis aliis obſtrictos deferre prohibentes, obſtitiſſent.

Conſul fieri non potuit.

His muneribus & honoribus per gradûs conferri ſolitis diverſis temporibus alii quoque magno cumulo acceſſerunt. Nam annus 1610. quatuor muneribus, Præfecturâ rubri Templi, Præfecturâ S. *Stephani*, Directione diſtrictûs *Waslenheimenſis*, & Inſpectione ciſtæ ærarii publici eundem auxit.

Alia ejus officia.

An. 1614. ſupremam Stabuli, quod vocant, curam ei commendavit. Annus 1620. & in eo menſis Novembris duo alia adjecit munera, die 4. Deputatis è numero Tredecimvirorum ad publicorum redituum reformationem, die autem 6. Præfectis Fabricæ & ædis B. *Mariæ* Virginis eundem inferens.

Annus 1627. die 28. Maji Præſidem territorii *Argent. Trans Rhenani*: Annus ſeq. 1628. d. 9. Junii Moderatorem mercatuum & Nundinarum, quæ quovis ſemeſtri celebrari ſolent, eundem effecit.

Præſes territorii transRhenani. *Moderator Nundinarum.*

Verùm inter hæc extraordinaria munera ab *Ingoldo* præclarè geſta velut Sol inter ſtellas radiat officium Scholarchatûs, reliquis omnibus tantò ſplendidius, quantò majora commoda è Scholis ad omnes vitæ ordines redundare ſolent, quo à die 27. Nov. A. 1620. usque ad vitæ finem eo in literatos amore, eâ auctoritate, eo etiam rerum ſucceſſu functus eſt, ut quam Academiam arctioribus privilegiis conſtrictam ingreſſu officii ſui accepit, eandem Univerſitatem, ampliſſimâ Privilegiorum extenſione exaltatam, ſuis imprimis curis & laboribus decedens reliquerit.

Scholarcha.

Proximum ab hoc locum obtinet Presbyteratus Eccleſiæ ad Juniorem *Petrum*, quem ab A. 1628. penè per 14. annos ſuſtinuit. His omnibus auctarii loco acceſſit Suprema inſpectio Archivi ſcriniorumque ſecretiorum peculiari Decreto Dominorum Tredecimvirorum 12. Maji An. 1624. ipſi concredita.

Legati præterea munus, raro exemplo, ſeptuagies novies ſuſtinuit, qui glorioſæ vocis confiſus munimine ita eorum animos, ad quos miſſus erat, domitavit, ut è Legationibus ſemper domum remeaverit auctior unâ ſyllabâ, & qui miſſus erat Orator, redierit Exorator. Ex his Legationibus 4. ſolus providâ mente ſuſtinuit, in reliquis aliorum è Reipublicæ vel Proceribus vel Conſiliariis adjutrices manûs habuit.

79. Legationes ſuſtinuit.

2. Nov. A. 1641. horâ undecimâ nocturnâ invaſit eum catarrhus hemiplecticus, eâ vi celeritateque, ut omnes jam mortis tempus adeſſe crederent, ſed tamen Divinâ benignitate & Medicorum dexteritate nonnihil adjutus eluctari cœpit, donec tandem totâ velut morborum manu de novo oppugnatus, piam animam Chriſto Redemptori ſuo piè placidèque reddidit 3. Jan. A.C. 1642. ſeptuagenarius.

Morbus & obitus.

* *Ex Programmate funebri Rectoris Univerſitatis Argentoratenſis D. Gregorii Biccii, J.C. & Pandectarum Profeſſoris ordinarii.*

FRIDERICUS PRÆTORIUS.

Obiit A.C. 1642.

Juriſconſultum fuiſſe celebrem ex Epitaphio *Witteberge* in Templo Parochiali ipſi poſito videre licet:

Epitaphium.

HIC SITUS EST FRIDERICUS PRÆTORIUS J.C.tus, IN cujus FUNERE, SI PER NATURAM RERUM LICERET, PIETATEM, JUSTITIAM, INNOCENTIAM, PROPRIAS EJUS VIRTUTES, UBERTIM FLEVISSE VEROSIMILE SIT. NATUS EST GRABOVIÆ MECHALBURGICÆ DITIONIS D. XXV. JAN. ANNO CHRISTI MDXCIV. OBIIT WITTENBERGÆ D. IV. FEBR. ANNO CHRISTI MDCXLII. CUM VIXISSET ANNOS XLVIII. VI. AMPLISSIMO CANCELLARIATUS MUNERE IN QUEDLINBURGENSI AULA ESSET DEFUNCTUS, ATQUE EX EO HIC REVOCATUS CIVILE JUS DOCUISSET PUBLICE MENS. IV. ET DE EODEM IN SCABINATU ET DICASTERIO ELECTORALI RESPONDISSET, SUMMAM

Cancellarius Quedlinburgenſis. *Juris Profeſſor Wittebergæ.*

SUMMAM PRUDENTIÆ SOLERTIÆQUE ET PROBITATIS LAUDEM POST SE RELINQUENS, CHRISTINA SEELFISCHIA DENUO VIDUA ET ACERBISSIMO ORBITATIS MALO INFELIX MARITO OPTIMO DESIDERATISSIMO LUGENS MOERENSQUE PONI CURAVIT.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi à Gotfrido Suevo, J. C. editâ.*

ADAM VENEDIGER.

Obiit A.C. 1642.

GRæcii in *Styriâ* natus eſt 18. Febr. An. C. 1585. Patre cognomine Juris Doctore, Scribâ Provinciali Ducatûs *Styrenſis*, & Scholarum Evangelicarum Inſpectore, Matre *Barbarâ Zehneriâ.*

Juris ſtudioſus Argent. & Tubing. In Scholâ patriâ literis Grammaticis, Dialecticis, Rhetoricis, Muſicis & Arithmeticis innutritus, A. 1599. Academiam *Argentinenſem* adivit, & poſteà *Tubingenſem*, in quibus Jurisprudentiæ dedit operam, & diverſa ſpecimina eruditionis tàm diſputando, quàm perorando emiſit.

Ephorus Comitum Starenbergenſium. Idcircò famâ inclareſcentem Generoſus Comes *Richardus Starenbergicus* Ephorum illum filiis ſuis conſtituit, & per triennium ſibi Secretarium eſſe voluit.

Advocatus Lintzii. Cum deindè Praxin Juridicam *Spiræ* didiciſſet, A. 1613. *Lintzii* factus Advocatus, multis proceribus inſerviit per 12. annos.

An. 1616. Matrimonii ſocietatem iniit cum virgine *Annâ Mariâ*, D. *Johannis Springeri*, Medicinæ Doctoris & Phyſici *Auſtriaci* Senioris filiâ, ex quâ filium reliquit ſuperſtitem, 5. liberis morte præmiſſis.

In pueritiâ lapſus difficulter abindè in 20. annum locutus, tandem in publicâ peroratione, multis Proceribus præſentibus, habitâ loquelam perfectam miraculosè recuperavit.

Exul Norimbergæ obiit. Cum deniq; multis annis exul *Norimbergæ* cum familiâ degiſſet, doloribus arthriticis conſumptus, in Chriſto exſpiravit 16. Oct. A. C. 1642. ætatis 58.

* *Ex Concione funebri M. Jacobi Petri Schechſii, Diaconi ad S. Laurent. Norimb.*

Scripta Theologica reliquit:

Scripta. Tractat von dem Menſchlichen Hertzen-Kampff wegen des Höchſten Guts.

Unterricht wider die ſchweren Anfechtungen frommer Chriſten / wann GOtt ihr Gebet nicht erhören will.

Geiſtliche *Meditationes.*

ALEXANDER GALLUS.

Obiit A.C. 1643.

Jurisprudentia deditus. JAcobi Galli, J.C. celeberrimi filius, *Neapoli* natus eſt 3. April. A.C. 1579. In Gymnaſio *Patavino* Jurisprudentiæ operam navans, patriam æmulatus eſt gloriam, ſed non ita liberè curſum ſtudiorum perficere potuit.

Theologus. Peragratâ hinc indè *Italiâ* & *Galliâ*, defuncto Patre, aulam *Romanam* inviſit. Eccleſiaſticæ vitæ addictus, poſt aliquot annos *Neapolim* rediit, & aliquot Patris Monumenta evulgavit.

Epiſcopus Maſſa. A. 1632. Vacante Epiſcopatu *Maſſæ*, iſto munere, qui fungeretur, dignus eſt judicatus, & conſecratus à Cardinale *Pamphilio* 8. Decemb.

Moritur. Obiit tandem A. C. 1643. ætatis 64.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

ANDREAS LUDOVICUS SCHOPPERUS.

Obiit A.C. 1643.

Filius Theologi. ONolsbaci natus 19. Maji An. C. 1589. Patrem habuit Virum Reverendum Dom. *Jacobum Schopperum*, Theol. D. & poſteà Profeſſorem publicum in Academiâ *Altorfinâ*; matrem *Sabinam Schechneriam.*

Philoſophiæ Magiſter Altorfii. *Altorfii* ex Claſſibus ad Lectiones publicas promotus adoleſcens, ibidem Magiſterii gradum cum honore aſſecutus eſt.

Juris Doctor Argentorati. Cum deindè ſtudium Juris in diverſis aliis Academiis excoluiſſet, aliquoties publicè de Cathedrâ diſputâſſet, & in Collegiis tàm publicis quàm privatis cum laude Præſidem egiſſet, A. 1620. in Academiam *Argentinenſem* profectus, habitâ pro more Diſputatione Inaugurali, Juris utriusque Doctor ſolenniter renuntiatus eſt.

Conſiliarius Brunsvicenſis. Mox à Sereniſſimo Duce *Brunsvicenſium* & *Lunæburgenſium Auguſto* juniore inter Conſiliarios ſecretos adſcitus, quinquennium in eo munere exegit.

Conſiliarius Palatinus Sulzbac. A. 1628. Ob corporis malam diſpoſitionem munus ſuum reſignavit, & clementer à Ducibus *Brunsvicenſibus* dimiſſus, *Norimbergam* venit, & aliquandiu ſubſiſtens, An. 1630. *Sulzbacum* à Sereniſſimo Principe *Palatino Auguſto* vocatus, Conſiliarius & Cancellarius factus eſt.

Poſt obitum verò hujus Principis apud Principem *Johannem Fridericum*, Principum *Sulzbacenſium* Tutorem eodem in officio multis annis verſatus.

Conjugium ejus duplex. Eodem anno 1630. *Norimbergæ* prima Sponſalia celebravit cum virgine *Barbarâ*, Dn. *Wolfgangi Möringeri*, Mercatoris & diverſorum Principum Factoris relictâ filiâ, cum quâ poſt nuptias *Altorfii* peractas, *Sulzbacum* reverſus, filiolam ex eâ *Annam Sophiam* ſuſcepit, brevis admodùm vitæ.

An. 1638. Ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Barbarâ*, Dn. *Johannis Nöttelii*, Mercatoris *Norimbergæ* primarii filiâ, quam viduam cum filiolo annuo *Johanne Philippo Jacobo* ſuperſtitem reliquit.

Moritur. Sed cum ob varias corporis ægritudines *Sulzbaci* quoque diutiùs ſubſiſtere non poſſet, à Principe ſuo dimiſſus, *Ratisbonæ* vitam quietam quæſivit, non tamen invenit: viribus etenim à morbis indies conſumptus, cum ſeptimanis aliquot lecto fuiſſet affixus, placidè tandem in Chriſto obdormivit *Ratisbonæ* 30. Junii A. C. 1643. ætatis 55.

* *Ex Concione funebri M. Hieronymi Pfaffenreuteri, Concionatoris Ratisbonenſis.*

ObiitA.C. 1643.

NICOLAUS LANGIUS.

LUcis hujus uſuram ſortitus eſt *Crempæ*, *Holſatiæ* urbe, pridie Kal. Febr. An. C. 1586. Pater ei fuit *Hartichius Langen*, ex vetuſtâ inter *Dithmarſos* familiâ, Patri & Avo ſuis in miniſterio Verbi Divini ſucceſſor, Eccleſiæ *Meldorpenſis*, propè *Crempam*, Paſtor primarius. Mater *Catharina Leſen*, Senatoriâ familiâ nata.

Puer bonæ ſpei à piis Parentibus *Hammoburgum* amandatus, Scholæque illius illuſtris Præceptoribus amicisque aliis commendatus fuit, ſub quorum partim inſtitutione, partim inſpectione per biennium ad eam maturitatem ſtudia ſua promovit, ut conſenſu Parentis in Academiam *Roſtochienſem* miſſus fuerit, in quâ per triennium primum Philoſophicis ſtudiis & humanioribus præludendum duxit graviori ac vaſtæ Legum Juriumque prudentiæ, ad quam genio inclinante ferebatur.

Studet Roſtochii.

Tum hujus quoque ſacris initiatus, *Wittenbergenſem* Academiam petiit, in quâ biennio ferè ſtudio Juridico vacavit, & An. 1611. Diſputationem de Connubiorum Jure, ſub præſidio D. *Helfrici Ulrici Hunnii*, *Ægidii* Theologi filii, publicè defendit.

Diſputat Wittenbergæ.

Ulterius deindè *Lipſiam*, & *Heidelbergam* perrexit: tandem An. 1612. Academiam *Lugduno-Batavam* petiit, in quâ præ cœteris Dominis Profeſſoribus D. *Cornelio Pynackero* maximè familiaris exſtitit, ejusque præſidio munitus, menſ. Julio de Jure dotium publicam Diſputationem inſtituit.

Diſputat Lugduni Batavorum.

Collegia quoque hoc & ſeq. anno de graviſſimis in Jure materiis Studioſis aperuit.

Quâ induſtriâ cum laudem ſibi famamq; comparâſſet, *Lovanienſem* adiit Academiam, in eâque per menſes 6. moratus, *Flandriam* indè reliquam peragravit. Tum in *Britanniam* transfretavit, eâque perluſtratâ *Galliam* adivit, cui obeundæ biennium impendit, moribus gentis & linguæ cognoſcendæ deditus.

Tandem tædio vitæ Academicæ & deſiderio patrios Lares revidendi obrepente, patre quoque revocante, *Daniam* petiit, per eamque ad ſuos reverſus, paucisque menſibus in patriâ exactis, *Wittenbergam* repetiit, ſimulque cum *Hunnio* contractam veterem familiaritatem renovavit.

Tandem A. 1618. in Academiam *Gröningenſem* venit, Rectore Dom. *Franciſco Gomaro*, Theol. brevique Procerum Academiæ animos ita ſibi devinxit, ut Facultas Juridica facultatem ei Collegia privata aperiendi ultrò concederet, & Academiæ Curatores A. 1619. Profeſſionem Juris extraordinariam ad preces ſtudioſorum demandarent.

Gröningæ Profeſſor Juris extraordinarius.

Hanc ut magis decoraret, teſtimonio publico eruditionis ſuæ in Juris ſtudio ornari expetivit, quod poſt ſolennia examina tributum eſt ei, brabevte D. *Johanne Huningâ*, 4. Febr. A. 1620.

Doctor Juris creatur.

Singulariter etiam & extrà ordinem, affectûs teſtandi cauſâ, in convivio Doctorali ex fiſco Academico honorarium vinum *Rhenanum* ei dono fuit oblatum.

Spartam Academicam auſpicatus eſt d. 17. Febr. A. 1620. oratione inaugurali, quæ eruditionem ſimul facundiamque Viri oſtenderet.

Cumque huic Urbi & Academiæ Divinâ eum providentiâ conſecrâſſe videretur, larem perpetuum hîc fixurus, Deo Duce tori ſociam ſibi junxit ex nobili ſtirpe oriundam Matronam viduam *Margaretham Eliſabetham Brochuſen*, ex quâ 7. liberorum parens factus, 4. tantùm ſuperſtites reliquit, filium unum, & filias tres, quarum natu maxima nupſit Nobili Viro Domino *Johanni Chriſtophoro Schombach*, *Holſato*, Dom. *Johannis Schombachii*, Regis *Daniæ* per 27. annos Conſiliarii, & Principis *Holſatiæ* per triennium Vice-Cancellarii filio.

Deſponſatur.

Novo marito ad novam Profeſſionem mox novum adjunctum munus Secretarii Academiæ, quod, quoad vixit, induſtriâ ſingulari ornavit.

Secretarius Academiæ Gröningenſis.

A. 1633. In Profeſſorum Ordinariorum numerum cooptatus, in eâ Provinciâ graviter exornandâ per annos 10. perſeveravit. Academiæ Recturam bono publico ſemel geſſit A. 1642.

Profeſſor Juris ordinarius.

Interim ſenio arrepente, dum aliis laborat ac lucet, ipſe paulatim conſumitur: cui cum tormenta calculi aliæque acceſſiſſent infirmitates, præſentibus D. *Henrico Altingio*, Prof. Theol. *Johanne Steinbergio*, Anteceſſore Juris, & Reverendo Dom. Paſtore, quem preces præeuntem modico ante ſupremum habitum intervallo Amen ſupremum expreſſerat, placidiſſimè exſpiravit 23. Julii A.C. 1643. ætat. 57.

Morbis affligitur & moritur.

Libri ab ipſo editi:

Scripta.

Exercitationes Juridicæ ad textum Inſtitutionum Juſtinianearum accommodatæ.

Jus Controverſum ex Pandectarum & Codicis præcipuis Legibus compilatum, & communi operâ hujus Langii & Pynackeri in lucem productum.

Compendium Inſtitutionum majus & minus tyronibus ob deſcriptiones & accuratas diviſiones maximè commodum.

* *Ex Vitis Profeſſorum Gröningenſium.*

ObiitA.C. 1643.

PAULUS TOMASINUS.

NAtus eſt *Patavii* in vico S. Crucis 24. Oct. A. 1584. *Jacobo Tomaſino*, & *Hippolytâ Paniſolâ* Parentibus.

A pueritiâ literis humanioribus excultus, ad Juriſprudentiam ſe contulit, & 24. Nov. An. 1603. ætatis 19. ſtudiorum præmium Lauream Doctoralem utriusque Juris reportavit, quam ei *Jacobus Gallus* contulit.

Fit Doctor Juris.

An. 1608. Religioſam peregrinationem ad B. *Virginem Lauretanam*, *Franciſci* ſepulchrum, & Romam ſuſcepit, omniaque ſcitu digna conſignavit.

A. 1609.

A. 1609. In patriam reverſus, licet à litibus abhorreret, ab amicis tamen perſuaſus, *Advocatus.* Cauſas forenſes progreſſu temporis exercere cœpit, præ cœteris pupillorum, viduarum, & pauperum tutelam ſuſcipiens.

Orationem dicit in laudem Angeli Cornarii Prætoris. 28. Febr. A. 1611. Advocatorum nomine publicam Orationem in laudem *Angeli Cornarii*, Prætoris habuit, quam typis evulgavit. An. 1612. Matrem amiſit, & Patrem cum fratribus *Aloyſio* & *Franciſco* A. 1616.

A. 1618. Cum ſolus propagandæ familiæ ſupereſſet, eò quod frater ipſius *Jacobus Philippus Tomaſinus* Sacris initiatus eſſet, *Conjugium init.* in matrimonium ſibi delegit *Claudiam Peregrinam*, magni J. C. *M. Antonii* Equitis pronepotem, ex quâ anno ſequenti *Jacobum* filium ſuſcepit, & alterum poſteà *Aloyſium*, quos moriturus fratri *Jacobo Philippo* commendavit.

Cum itaque per annos 35. fori negotia voce calamoque fideliter peregiſſet, & Advocatorum Senior primum ſubſellium obtinuiſſet, febri correptus animam DEO reddidit 20. Sept. A. C. 1643. æt. 59. *Moritur.*

Ingenii Monumenta reliquit:

Scripta. *Conſiliorum & Allegationum Volumina XVI.*

Obſervationum, quæ ſpectant ad Leges, Volumina II.

Obſervationum circa Statuta Patavina Volumen unum.

Miſcellaneorum & Adverſariorum Volumina II.

* *Ex Elogiis Virorum Doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

In Templo S. Crucis *Patavii* ſepultus jacet, cum hoc *Epitaphio*: *Epitaphium.*

PAULO TOMASINO
PATAVINO JURISCONSULTO,
CAUSIDICO SENIORI,
QUI ANNOS XXXV. GRAVISSIMA FORI
NEGOTIA VOCE CALAMOQUE PROMPTUS
SUMMA INGENII SEDULITATE
ATQUE INTEGRITATE ANIMI PEREGIT,
DONEC ASSIDUA CLIENTUM TUTELA
SUPRA VIRES FRACTUS
PRÆMATURO FATO SUIS ERIPITUR
COMMUNI URBIS MOERORE
ANN. SAL. MDCXLIII.
DIE IX. SEPTEMBRIS SUÆ ÆTATIS LIX.
JACOBUS PHILIPPUS TOMASINUS
EPISCOPUS ÆMONIENSIS FRATER,
JACOBUS ET ALOYSIUS J. C. FILII
DEBITÆ PIETATIS MEMORES
P. C.

JOHANNES JACOBUS HOFMANNUS.

Obiit A. C. 1644.

Baſileæ natus eſt 16. Febr. An. C. 1591. Patre *Johanne Henrico Hofmanno*, Senatore & Scholarchâ, Matre *Juſtinâ Gebwileriâ*.

Cum in Scholâ patriâ, ad *Burgum* vocata, curſum Claſſicum feliciter abſolviſſet, Lectionum publicarum auditor ſedulus An. 1609. Baccalaureus, & A. C. 1611. artium liberalium Magiſter ſolcniter renuntiatus eſt. *Philoſophiæ Magiſter.*

Juridicum deindè ſtudium auſpicatus, A. 1616. in *Galliam* iter ſuſcepit, & diverſas Academias acceſſit. An. 1617. reverſus in patriam, Doctorales in utroque Jure honores, promotore D. *Johanne Jacobo Feſchio* ſeniore, Syndico Reipublicæ patriæ cum laude accepit. *Juris Doctor.*

Promotus abindè ad munera Academica, Profeſſionem primò Oratoriæ, deindè Inſtitutionum Juris, & tandem *Juſtinianei* Codicis fideliter obivit. An. 1641. Academiæ Rector electus, officium ſuum ſummâ cum laude adminiſtravit. *Oratoriæ & Juris Profeſſor. Rector Academiæ Baſileenſis.*

25. Aug. An. 1628. Matrimonium iniit cum virgine Dom. *Danielis Burcardi* filiâ, ex quâ filiolum ſuſcepit An. 1631. unà cum matre ſuâ denatum. 24. Junii A. 1633. Conjugium reiteravit cum virgine *Helenâ Iſeliná*, quam cum 4. filiis, duabusque filiabus reliquit ſuperſtitem. *Conjugium ejus duplex & Liberi.*

Ex dyſenteriâ tandem lecto affixus, fatali B. *Auguſtini* dictis his ſubindè recitatis ſe conſolatus eſt: *Ure, cæde, ſeca, parce tantùm animæ meæ.* Item: *Cum blandiris, Pater es, cum cædis, Pater es: blandiris, ne deficiam, cædis, ne peream.* Hoc etiam J. C.ti celebris *Matthæi Weſenbecii* diſticho Symboli loco eſt uſus:

Una ſit in dubiâ tibi re Medicina, Jehovæ
Cor patrium, os verax, omnipotenſque manus.

Placidè ſic in DEO exſpiravit 2. Sept. A. C. 1644. ætatis 54. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri Theodori Zwingeri, Theologiæ Doctoris, & tunc Rectoris Baſil.*

CORNELIUS PYNACKERUS.

Obiit A. C. 1645.

Natus eſt in pago *Pynacker*, modico milliari ab Urbe *Delfenſi* diſtante, die 6. Julii A. 1570. Patre *Adamo Kerckhofio*, Concilii *Chomatarchici Delfici* Quæſtore, Matre *Johannâ van Polanin*.

Septennis *Delphos* in ſcholam miſſus, Linguas Græcam & Latinam excoluit. Indè *Leydam* abiens, ibi Theologiæ operam dare cœpit, & diſputatione de Pontifice *Romano* publicè habitâ, hoc ſtudium continuavit *Heidelbergæ* A. 1590. *Lugduni Batavorum ſtudet Theol.*

Hic aliquantiſper commoratus, cum *Genevam* iter conſtitueret, vir generoſus *Elbertus à Pallant* ipſum ſtudiorum & itineris Comitem per *Italiam, Siciliam, Pannoniam, Moraviam, Bohemiam, Germaniam* ad Arcem ſuam *Selmenſem*, quæ eſt in *Cliviâ*, reduxit.

Leydam reverſus, totum ſe, mutatis ſtudiis, Jurisprudentiæ tradens, eam parvorum annorum ſpatio Juris ſcientiam acquiſivit, ut præviâ Diſputatione inaugurali de Jurejurando, ab *Everbardo Bronchorſtio* Juris utriusque Doctor renuntiaretur 16. Maji An. 1597. *Fit Doctor Juris,*

Sed vix Praxin exercere cœpit, cum *Leydam* revocatus, in numerum Profeſſorum cooptaretur, poſtquàm *Julius Beyma*, Juris Profeſſor indè ad ſuos, ad Curiam & Ordinem *& Profeſſor Juris Leydæ.*

nem Senatorium in *Friſiâ* allectus, Cathedram Juridicam vacantem reliquiſſet.

Conjugium I. Hoc munere Profeſſorio dum fungitur, primo conjugio ſibi jungit *Suſannam de Treslong* viduam, filiam *Guilielmi Bleſenſis*, dicti *Treslong*, Maris apud *Zelandos* Præfecti.

Juris Profeſſor Groningæ. A. 1614. ab Illuſtriſſimis *Groningæ* Ordinibus ad novam eorum Academiam vocatus, in eâ magno cum Auditorum applauſu docuit.

An. 1622. Munus legationis ſuſcepit ad Barbaros in *Africâ* pro repetendis navibus 150. & redimendis captivis. In hoc negotio tribus luſtris impenſis rediit in patriam.

Juris Profeſſor Franeckeræ. An. 1636. ab Illuſtribus *Friſiæ* Ordinibus ad Juris Profeſſionem primariam Academiæ *Franeckeranæ* vocatus eſt.

Conjugium ſecundum. A. 1641. Mortuâ priori uxore, tranſiit ad ſecundas nuptias, ductâ virgine *Sibyllâ*, *Antonii Boterpol*, Secretarii quondam urbis *Vianæ* filiâ, Dom. *Jacobi Sas*, in Curiâ *Ultrajectinâ* Senatoris Sorore.

Moritur. Denatus eſt d. 12. Jan. A. C. 1645. æt. 75.

* *Ex Vitis Profeſſorum Groningenſium.*

Caſpar Cunradus Proſopographiæ Melicæ Millenario III. hoc ei fecit diſtichon:

Qualia Jura feri data ſint Mavortis alumnis
Expedio argutâ Jureperitus acie.

Scripta. Evulgavit *Jura & Privilegia militum, ex variis collecta.*

Andreæ Fachinæi Controverſias Juris Centuriis XIII. juxtà Pandectarum ſeriem diſpoſuit, breviterq; decidit.

Obiit A. C. 1645.

SIGISMUNDUS HEUSNERUS.

Nobilis Francus. C*oburgi, Franconiæ* urbe, natus eſt 7. April. A. C. 1592. Patre cognomine, nobili *Wanderslebienſi*, Sereniſſimi Ducis *Saxoniæ*, *Johannis Caſimiri* Conſiliario, & Cameræ Secretario: Matre *Dorotheâ*, nobiliſſimi viri Domini *Johannis Miltneri*, Cancellarii *Fuldenſis* filiâ.

Juris ſtudioſus Heidelbergæ, Cum in Gymnaſio patrio ſtudiorum fundamenta feliciter poſuiſſet, *Heidelbergam* ad Dom. *Brederodium*, Conſiliarium *Palatinum* à patre miſſus, ab anno æt. 8. usque ad 16. ſtudiis ibi Politicis inſudavit.

& Jenæ. In Univerſitatem deindè *Jenenſem* ſe conferens, cum & ibi per annos aliquot ſtudia tractâſſet, in *Hollandiæ* Academiam *Lugdunum*, & exindè in *Poloniam* iter ſuſcepit.

Tunc Baro quidam *Polonicus*, filium ipſi ſuum in *Gallias* deducendum tradidit, quo itinere triennii ſpatio confecto, cum diſcipulo ſuo in *Poloniam* reverſus eſt.

Mox *Coburgum* reverſus, alterum iter in *Galliam* confecit. Poſt annos aliquot domum reverſum, *Secretarius Vinarienſis.* Sereniſſimus *Saxoniæ* Dux *Vinarienſis* Secretarium ſecretum ſibi conſtituit. Hujus poſteà Principis & Domini ſui corpus *Cronenſtadii* in *Hungariâ* defuncti *Coburgum* ad ſepulturam deduxit.

Brevi pòſt A. 1624. *Wilhelmum*, Ducem *Saxo-Vinarienſem*, captivum *Viennæ* detentum ex cuſtodiâ liberavit. Hic Princeps *Wilhelmus* cum paulò pòſt ditionum *Vinarienſium* aggreſſus eſſet gubernationem, *Conſiliarius Vinarienſis.* ejusque fratres *Heusnerum* hunc inter Conſiliarios ſecretos receperunt.

Uxorem ducit. A. 1628. Conjugii ſocietatem auſpicatus eſt cum virgine *Annâ Mariâ*, Dom. *Johannis Evandri*, Conſiliarii & Camerarii *Saxo-Vinarienſis* filiâ, ex quâ 2. filios & 5. filias ſuſcepit, omnes præter unicam filiam in primâ ætate denatos.

Generalis Commiſſarius bellicus Guſtavi Adolphi, Suecorum Regis. Cum varias Legationes Principis ſui nomine obiviſſet, & A. 1632. ad Sereniſſimum *Suecorum* Regem *Guſtavum Adolphum* fuiſſet ablegatus, hic eum inter Conſiliarios ſuos recepit, eique repugnanti licet Generalis Conſiliarii bellici munus detulit.

Quo nomine poſteà, turmæque equeſtris ductor, in *Franconiam* Regem comitatus eſt, & per quinquennium *Suecis* adhæſit. Sed cum A. 1638. Sereniſſimus Elector *Saxoniæ* per mandatum emiſſum omnibus nobilibus, qui *Suecis* hoſtibus ſerviiſſent, ut ad prædia ſua redirent, mandâſſet, ipſe quoque obtemperavit.

Conſiliarius Cæſareus. Tunc Cæſarea Majeſtas inter Conſiliarios ſuos ſuſceptum Reſidentem conſtituit in *Helvetiâ* urbium *Baſileæ*, *Conſtantiæ*, & *Lindaviæ*.

Circuli Saxonici Generalis Commiſſarius. Triennio pòſt *Ratisbonam* à Cæſare revocatus, Circuli *Saxonici* Generalis Commiſſarius declaratus eſt, & *Magdeburgi* per triennium Reſidentem egit.

Moritur. Ex calculi tandem doloribus *Wittebergæ* decumbens, & conſilio Dom. *D. Marci Banzeri* uſus, viribus conſumptis, præſente Theologo M. *Auguſto Fleiſchbauero*, ſpiritum Creatori reddidit 12. April. A. C. 1645. ætatis 53.

* *Ex Arcus Triumph. Concionum fun. D. Pauli Röberi Tomo III.*

Obiit A. C. 1645.

JACOBUS SCHRöTERUS.

V*inariâ-Thuringus*, natus patre cognomine, Reipublicæ *Vinarienſis* Conſulari viro, Matre verò *Barbarâ*, *Chriſtiani Pontani*, J. C. in Aulâ *Saxo-Gothanâ* Grimmenſtein / hodie Friedenſtein / Cancellarii filiâ.

Juris Profeſſor extraordinarius Jenæ. U. J. D. creatus 26. Febr. A. 1599. & Profeſſor publicus extraordinarius ibidem factus; An. 1601. Titulum Pandectarum extremum, qui eſt de diverſis Regulis Juris Antiqui, interpretari publicè exorſus eſt.

Cancellarius Hennebergicus. E *Salanâ* vocatus *Mainungam*, Comitatûs *Hennebergici* Principali dignitate conſpicui Metropolim abiit A. C. 1604. ubi initio Conſiliarii, deindè Cancellarii ſpartam ornavit, *Moritur.* inque eâ obiit menſ. Jun. A. C. 1645.

Contoralis ordine eidem fuit gemina, prima *Sara*, *Wolfgangi Speltemi*, J. C. & *Saxo-Vinarienſis* Cancellarii filia A. 1599. nupta, & A. 1616. denata. Secunda *Anaſtaſia*, *Henrici Zölneri*, Præfecti *Schmalcaldenſis* filia, defuncta An. 1644. Suſcepit ex illâ *Rudolphum*,

phum, ex hâc *Jacobum*, utrumque J. U. D. *Jenæ* promotum, illum An. 1637. hunc An. 1645.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc *Epigramma* appoſuit:

Epigramma.

Munia delatæ præſtare vicaria Spartæ
Jacobus Schröter dum cupit atq; capit.
Principis indultu Mainungam rite vocatus
Conſiliatoris munia clara ſubit.

Obiit A. C. 1645.

HUGO GROTIUS.

Delphis *Batavorum* urbe natus eſt April. An. 1583. Patre *Johanne Grotio*, viro Patritio, Academiæ *Lugdunenſis* Curatore, cujus extant Carmina, & *Lipſii* ad ipſum epiſtolæ. Avus paternus cognominis, Latinarum, Græcarum & Hebræarum literarum peritus fuit. Patruus *Cornelius Grotius*, Jus Civile *Lugduni* profeſſus eſt.

An. ætat. 7. verſus fecit. Adeò felicis fuit ingenii, ut A. 1591. ætatis 7.mo fundere verſus inceperit, & An. 1597. de Philoſophicis argumentis bis publicè diſputârit. *A. ætat. 15. in Galliam Legato profectus.* A. 1598. æt. 15.to in Comitatu *Johannis Olden Barnefeldii* ab Ordinibus *Hollandicis* ad Regem Legati *Galliam* cum vidiſſet, ornatus Regiâ liberalitate & virorum illuſtrium amicitiâ domum rediit, cum jam antè edere cœpiſſet Notas in 7. artes liberales *Martiani Capellæ*.

Fit Advocatus Hagienſis An. ætatis 16. A. 1599. Advocatorum *Hagienſium* ordini adſcriptus eſt, nec multò pòſt Cauſas forenſes agere cœpit. Eodem tempore *Hollandiæ* Ordines operâ ipſius ad ſcribendam Hiſtoriam belli *Belgici* uti cœperunt.

Advocatus Fiſci. A. 1607. Ad Fiſci advocationem electus eſt, quod munus eo loci præter cauſas propriè fiſcales criminum quoque publicam perſecutionem continet.

A. 1613. Cum diem obiiſſet *Elias Olden-Barneveldius*, ejus in locum in Civitatis *Roterodamenſis* aſſeſſionem, quem Syndicatum vocant, cooptari ſe paſſus eſt, & ita à foro ad Rempublicam tranſivit. *Syndicus Roterodamenſis.* Simul in *Britanniam* miſſus, ob motas de commercio *Indico* controverſias, præter Regis benevolentiam, hunc etiam itineris ſui fructum nactus eſt, ut quem abſentem coluerat *Iſaacum Caſaubonum*, eum ſibi præſentem amiciſſimum experiretur.

Cuſtodiæ mandatur, & aſtu ancillæ liberatur. An. 1619. *Lugduni Batavorum* cuſtodiæ mandatus, tanquàm conſpirationis contrà Principem *Mauritium* cum *Olden Barneveldio* & *Rumoldo Hogerbetio*, ſub novæ Religionis prætextu ſocius, indè, uxoris *Mariæ Reigersbergiæ* cum ancillâ litigantis aſtu, evaſit, dum ciſtæ incluſus eſt, quam ancilla quaſi propriam in *Galliam* diſceſſura, navi impoſitam ſecum *Gorkumium* avexit, undè *Antverpiam* veſte mentitâ venit A. 1620.

Abit in Galliam: & Sueciam. Hâc ratione cum veniſſet in *Galliam*, *Lutetiæ Pariſiorum* aliquandiu vitam duxit. Exindè *Stockholmium* in *Sueciam* migravit.

Tandem in patriam reverti cupidus, navim, quâ *Lubecam* veheretur, conſcendit: ſed vehementibus per triduum in mari jactatus procellis, & naufragium paſſus, æger ad *Coſſubiæ* littora appulit.

Roſtochii ægrotat. Indè curru perquàm incommodo *Roſtochium* devectus, ibi ſtatim Medicum D. *Stockmannum*, & *Johannem Quiſtorpium*, Theologiæ D. & Profeſſorem primarium, ad ſe vocari curavit.

Hic biduo pòſt in mortis eum agone conſtitutum videns, ut ad beatam emigrationem ſe componat, hortatus eſt: is regerens, ſe miſerum peccatorem in ſolo Chriſto ſpem omnem repoſitam habere, paulò pòſt ſpiritum exhalavit 28. Aug. An. C. 1645. ætatis 63. *& moritur.*

Scripta. Libri ab eo evulgati ſunt ſequentes:

Notæ in Martiani Capellæ Satyricon, quas fecit anno ætatis 7.mo.

Tragœdiæ, Adamus exul, & Chriſtus patiens.

Notæ in Hymnum Orphei.

De veritate Religionis Chriſtianæ in 12mo.

Sophompaneas Tragœdia.

De Imperio ſummarum Poteſtatum circà Sacra.

Defenſio Fidei Catholicæ de Satisfactione Chriſti, adverſùs Fauſtum Socinum Senenſem.

Annotationes in Libros Evangeliorum, quibus additi Tractatûs IV. de Antichriſto, de fide & operibus, Explicatio Decalogi ut Græcè extat, & Appendix ad Commendationem de Antichriſto.

Illuſtratio Hiſtoriæ Moſaicæ ex Scriptis Ethnicorum.

De Jure Pacis & belli Libri III. continentes Diſcurſûs Politicos.

Mare liberum, ſive de Jure, quod Batavis competit ad Indica Commercia Diſſertatio.

Annalium Belgic. Lib. XXIII.

H. Grotii & M. Berneggeri Epiſtolæ mutuæ.

De Antiquitate Reip. Batavicæ.

Grollæ obſidio cum annexis A. 1627.

Annotata ad Vetus Teſtamentum.

Poëmata collecta à Guil. Grotio.

Notæ in Arati Phænomena.

Ordinum Hollandiæ Pietas à Calumniis Sibrandi Lubberti vindicata.

Comparatio Rerumpublicarum Athenienſis, Rom. veteris & Batavicæ.

Apologeticum, quo refutantur, quæ adverſùs Grotium & alios acta & judicata ſunt.

Dicta Poëtarum, quæ apud Johannem Stobæum *extant, emendata, & Lat. Carmine reddita.*

Portuum inveſtigandorum ratio.

Epicedia in obitum Jacobi Arminii.

Epigramma ad bajulum, qui ciſtam carcere extulit:

Cum gravidam ferres arcano pondere ciſtam,
Inſolitum numquid te malè preſſit onus?
Credo equidem, nam quâ latitabat Grotius arcâ,
Hâc Latium atque omnis Græcia clauſa fuit.

Caſpar Cunradus Med. Proſopograph. Melicæ Millenar. II. ita eum laudat:

Debitor anne magis Phœbo? magis anne Themiſtæ?
Fœnore non caret hæc, non caret ille ſuo.

 * Ex Vi-

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium, & ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Epiſtola Johannis Quiſtorpii, S. S. Theol. Doct. facult. ejusdem Prof. Senioris, & primarii Templi Roſtochienſium Paſtoris de obitu Hugonis Grotii.

COntendis à me, N. N. ut perſcribam, quem mundo huic valedicturus literatorum Phœnix, *Hugo Grotius*, ſe geſſerit: En paucis id habe.

Conſcenderat ille *Stockholmiæ* navim, quâ *Lubecam* ferretur: vehementibus per triduum in mari jactatus procellis naufragium patitur, & æger ad *Coſſubiæ* littora appellit. Indè perquàm incommodo curru, pluviâ tempeſtate, per 60. & plura milliaria tandem *Roſtochium* noſtrum devolvitur. Divertit ad *Balemanniam*. *Doct. Stockmannum*, Medicum, advocari curat, qui ætate, naufragio, incommodis itineris fractas vires advertens, vitæ terminum imminere præſagit. Secundo ab ingreſſu in hanc Urbem die (qui ſtyli vet. erat 18. Aug.) me horâ nonâ veſpertinâ ad ſe vocat. Acceſſi, propemodùm in agone Virum conſtitutum offendi: compellavi, & me nihil maluiſſe affirmavi, quàm ut mihi cum ipſo incolumi ſermones ſociare licuiſſet. Regerit ille, *Ita DEO viſum fuit*. Pergo, ut ad beatam emigrationem ſe componat, peccatorem agnoſcat, ſuper commiſſa doleat, moneo: cumque inter loquendum Publicani Peccatorem ſe fatentis, & ut DEUS ſui miſereretur precantis meminiſſem; reſpondet: *Ego ſum ille Publicanus!* Progredior, ad Chriſtum, extrà quem nulla eſt Salus, illum remitto: ſubjicit ille, *In ſolo Chriſto omnis ſpes mea eſt repoſita*. Ego clarâ voce precationem Germanicam recitabam: **HErr JEſu Chriſt waar Menſch und GOtt ꝛc.** Ille complicatis manibus ſubmiſſâ voce me inſequebatur. Cum finiviſſem, quæſivi, an me intellexiſſet? Reſpondet: *Probè intellexi*. Pergo illa recitare ex verbo DEI, quæ jamjam morituris in memoriam revocari ſolent: quæro, an me intelligat? Reſpondet: *Vocem tuam audio, ſed quæ ſingula dicas, difficulter intelligo*. Cum hæc dixiſſet, planè conticuit, & ſpiritum brevi pòſt exhalavit, in puncto duodecimæ nocturnæ.

Habes Cataſtrophen vitæ à *Grotio* ſummo Viro actæ.

Cadaver Medicis pòſt commiſſum eſt. Inteſtina Lebeti aheneo impoſita, ut in templi apud nos primarii *Mariæ* Virgini ſacri locum honoratiſſimum reponerentur, à Templi Præfectis facilè impetravi. Molliter cineres cubent! Vale, dabam *Roſtochii* propridiè *Michaëlis* A. 1645.

Tuus

Johannes Quiſtorpius.

Obiit A.C. 1646.

JONAS WEHNERUS.

NEoſtadii ad *Salam* natus 11. Oct. A. C. 1586. Patrem habuit Dn. *Tobiam Wehnerum*, Conſulem *Heltburgenſem*, in Ducatu *Coburgico*, quò ſe ob fidei Evangelicæ confeſſionem, poſt exortam *Herbipoli* perſecutionem, contulit, ibique à milite quodam *Croatâ* barbaricè domi ſuæ acinace diſſectus obiit die S. *Michaëlis* A.C. 1632. æt. 80. Mater ejus *Urſula Schonerina* ibidem in exilio obdormivit 26. Nov. A.C. 1629. ætat. 80. conjugii 53. liberorum 11. Mater.

Parentes ejus 53. annorum conjuges.

Menſ. Mart. A. 1603. In illuſtre Gymnaſium *Magdeburgenſe* miſſus, ibi ſub diſciplinâ Rectoris *Gabrielis Rollenhagii* biennio ſtudiis operam dedit. Deindè in oppido *Weſtphaliæ Lemgoviâ* & *Diſmolpi* apud M. *Lazarum Schonerum*, Mathematicum, avunculum ſuum triennium transegit.

Studioſus Magdeburgi.

A. 1608. *Coburgum* profectus, ibi ſub *Andreâ Libavio*, Medicinæ Doctore & Gymnaſii Directore publicè diſputavit. Prætereà ſub M. *Zachariæ Schefferi*, Ethicæ & Politices Profeſſoris præſidio privatim diſputando & publicè declamando in ſesquiannum ſtudia ſua proſecutus eſt.

Coburgi.

18. Junii A.C. 1609. Cum Scholæ illi valedixiſſet, in *Auſtriam* diſceſſit, vocatus à Dom. *Johanne Chriſtophoro Zechio*, Commilitone anteà ſuo, cujus commendatione apud nobilem virum *Matthæum Eyſelerum* à *Klingenberg* duobus illius filiis Pædagogus aulicus præfectus, & annuo ſalario 80. florenorum remuneratus eſt.

Præceptor privatus.

3. Sept. An. 1610. Cum eodem *Zechio Viennâ* diſcedens, *Italiam* peragravit. *Viennam* deindè reverſus, apud *Petrum Hägckl*, Conſiliarium Cæſ. 19. menſes vixit, nepotis ipſius Præceptor conductus.

Hoc verò brevi pòſt morte ſublato apud Baronem *Remprechtum à Polhaim* Advocatum agens, Cauſam illius in aulâ Cæſaris per annum egit *Viennæ*.

Advocatus Viennæ.

A. 1615. *Stephani Liſtii*, Baronis in *Preulingkirchen* Præceptor aulicus ab ipſius Dom. Patre conſtitutus, hunc per *Italiam, Galliam, Angliam, Belgium*, aliasque Provincias perduxit, & ſalvum ad Patrem domum reduxit 9. Sept. A. C. 1617. 500. Thaleris ſupra Salarium conſtitutum honorarii loco remuneratus.

Peregrinationes ejus.

Deindè cum per 13. menſes apud Ordines *Auſtriacos* commiſſarium egiſſet, menſ. Sep. A. 1621. *Ratisbonam* ad Comitia profectus eſt.

Commiſſarius Auſtriacus.

A. 1629. Reverſus in patriam, anno ſeq. *Kitzingæ* nuptias celebravit cum virgine *Urſulâ*, *Nicolai Sabrii*, Senatoris primarii filiâ, cum quâ deindè *Heltburgum* ad Parentes ſuos commigrans biennium cum iis vixit.

Conjugium ejus.

15. Junii A. 1626. *Sueinfurtum* migrans, ibi ſtatim inter cives à Senatu receptus, & paulò pòſt in inferiorem Reipublicæ Ordinem, & A. 1623. in ſuperiorem Senatorum Claſſem cooptatus eſt.

Sueinfurti Senator.

An. 1632. Dicaſterio Judex aſſociatus, & A. 1634. Conſulibus annumeratus eſt. 7. Jan. An. 1643. Poſt obitum *Johannis Merckii* à Civitate juxtà privilegia ab Imperatoribus

Judex & Conſul.

Carolo

Præfectus Urbis Suinfurtenſis.

Carolo IV. Sigismundo, & *Carolo V.* ſibi conceſſa, Præfectus Urbis Imperialis, & Judex privilegiatus electus eſt.

Morbi ejus & obitus.

Tandem cum per aliquot annos doloribus podagricis per intervalla fuiſſet afflictus, accedentibus doloribus nephriticis, & convulſionibus epilepticis in corpore plethorico, Spiritum Creatori reddidit die 8. Martii A. C. 1646. ætat. 60. nullis relictis liberis.

* *Ex Oratione funebri M. Wilhelmi Bargeri, Gymnaſii Suinfurtenſis Rectoris.*

Obiit A. C. 1646.

JOHANNES FLORIANUS SCHULTERUS.

NAtus eſt 15. April. A. C. 1581. Patre *Johanne Schultero*, Juris Doctore, Cancellario *Würtenbergico*, Conſiliario *Hoënloico* lineæ *Waldenburgicæ*, & Reipublicæ *Hallenſis*: Matre *Veronicâ Rippiâ Würtenbergicâ*.

Studioſus Tubingæ.

Cum puer in Gymnaſio *Hallenſi* literarum primitias percepiſſet, anno ætatis 11. cum Præceptore *Tubingam* miſſus perorando, opponendo & diſputando ultrà biennium transegit.

Anno ætatis 14. de Patris voluntate iter in *Italiam* ſuſcepit, in quâ perluſtrandâ, ſtudiisque in Academiis illius continuandis ſexennium inſumpſit.

Gubernator aulæ Schillingsfürſt.

Præfectus Bartenſteinii.

Reverſus anno ætatis 20. cum Comite quodam *Pappenhemico*, Gubernatoris nomine, in *Galliam* & *Angliam* profectus eſt. Accedente poſteà *Georgio Friderico* juniore Comite *Hoënloico*, cum eo *Belgii Provincias* adivit, ab eoque domum reverſo, in aulâ *Schillingsfürſtianâ* Gubernator conſtitutus eſt, promotus exindè ad Præfecturam *Bartenſteinianam*, quam per 13. annos direxit.

Conjugium ejus & Liberi.

Intereà conjugii ſocietatem inivit cum nobili virgine *Magdalenâ Geuderiâ ab Heroltzberg*, *Jacobi Geuderi* filiâ, ex quâ 4. filios duasque filias reliquit ſuperſtites.

Gubernator Mergentheimenſis.

Bartenſteinio poſteà per milites direpto, ipſe omnibus amiſſis vix fugâ ſalvus evaſit, & ad *Mergentheimenſis* gubernaculi clavum evectus eſt. Triennio poſt exul *Argentoratum* adivit, & aliquandiu ſubſtitit.

Conſiliarius Hoënloicus.

Poſtliminiò tandem *Schillingsfürſtam* reverſus, Conſiliarii *Hoënloici* munus, & aulæ illius Præfecturam ſupremam per 8. annos cum laude & honore adminiſtravit.

Moritur.

Febre tandem ardente cum variis ſymptomatibus decumbens, placidè in Chriſto exſpiravit 19. April. A.C. 1646. ætatis 65.

* *Ex Concione funebri Georgii Adami Schmidii, Concionatoris Hoënloici.*

Obiit A.C. 1646.

GOTFRIDUS FIBIGIUS.

URatiſlaviâ Sileſius: natus eſt 13. Octob. A.C. 1612.

Jenæ Advocatus Curialis.

Juris Profeſſor.

In Jurium Doctorem promotus *Jenæ* 22. Sept. A. 1636. Ibidem cooptatus in Ordinem cum Advocatorum Curialium 6. Sept. An. 1637. cum Profeſſorum Juridicorum 23. Sept. A. 1640.

Moritur.

Vitâ defunctus eſt *Jenæ* 27. Maji An. C. 1646. ætatis 34.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc appoſuit *Epigramma:*

Epigramma.

Præcocibus ſolet ingeniis mors invida ſemper
Eſſe: quod exemplo ſignificare queo.
Gotofredus enim Fibigius arte politus
Et jure herba velut ſolſtitialis obit.

Obiit A.C. 1646.

LAURENTIUS COLASIUS.

NAumburgi *Hermundurorum* urbe natus eſt An. C. 1579. Patre Cive primario, *Henrico* Kohlhaſe / Matre *Catharinâ*, nobilis viri *Nicolai* Harnecks von Bürgel filiâ.

In Scholâ Portenſi ſtudia inchoavit.

A puero animum ad pietatis & literarum ſtudia adpulit, & in Scholâ præcipuè *Portenſi* Græcæ & Latinæ Linguæ fundamenta poſuit, cujus rei documentum univerſâ vitâ dedit, quando integras ex *Cicerone* pagellas, ex *Iſocrate* ſententias, Novum Teſtamentum autem fermè totum recitare noſſet.

Prætor militaris.

In Academiis poſteà *Jenenſi* & *Lipſienſi* Juris ſtudio deditus, A. 1603. *Francofurtanam* ad *Viadrum* inviſit, in quâ cum aliquandiu auditoria privata & publica frequentâſſet, à generoſis quibusdam *Sileſiæ* Equitibus permotus eſt, ut expeditionem in *Hungariam* adverſus *Muſulmannos* ſequeretur, & Prætorem militarem egerit.

Exindè reverſus ad ſtudia urgenda, alacrior nobiles *Noſtitios* informandos ſuſcepit, & varia Collegia ſtudioſis, quædam etiam pauperibus gratis habuit.

Cuſtrini Advocatus Cameræ.

Praxin deindè, Nobilibus quibusdam inſerviens, exercuit, obtinuitque, ut *Cuſtrini* in Collegium Advocatorum Judicii Cameræ *Brandenburg.* reciperetur.

Doctor Juris Baſileæ.

A. 1611. *Baſileam* profectus 22. Aug. promotore D. *Joh. Jacobo Feſchio*, Juris utriusque Doctor ſolenniter creatus & proclamatus eſt.

Deſponſatus bis.

Francofurtum reverſus, 10. Aug. A. 1612. nuptias celebravit cum virgine *Evâ*, D. *Sebaſtiani Gerſtmanni*, Conſiliarii *Brandenburgici*, & Profeſſoris in Univerſitate *Francofurtenſi* Juridici filiâ, ex quâ filiolum *Chriſtianum* ſuſcepit biennio poſt An. 1614. unà cum matre vitâ defunctum.

5. Febr. An. 1616. ad ſecundas tranſiit nuptias deſponſatus cum virgine *Hedwige*, *Johannis Blotii*, Senatoris & Mercatoris primarii filiâ, D. *Ægidii Blotii*, Profeſſoris Juridici ſorore, ex quâ 3. filios & 11. filias ſuſcepit, ſed filium tantùm natu ultimum *Adamum Wilhelmum*, & 6. filias ſuperſtites reliquit.

Cancellarius Brandenburgicus.

A. 1612. In Cancellarium *Baliviæ Sonnenburgicæ*, Ordinis S. *Johannis Hieroſolymitani*, Magiſtro Principe *Erneſto* Marchione *Brandenburgico* evectus, eodem Ordinis miniſterio deinceps ſub *Georgio Alberto*, *Johanne Georgio*, *Joachimo Sigismundo* Marchionibus, & tandem cum *Adamo*, Comite *Schwartzenbergico*, perfunctus eſt.

Digitized by

Jurk Profeſſor Francofurti. 30. Maji A. 1632. A Senatu Academico *Francofurti* ad *Viadrum* Profeſſor Pandectarum legitimè vocatus, & ab Electore *Georgio Wilhelmo* confirmatus, eique in locum D. *Matthiæ Polenii* anno prægreſſo defuncti Profeſſio Decretalium demandata fuit. Rectoratum in Academiâ bis, Decanatum ſæpiùs adminiſtravit.

Moritur. Calculi doloribus & Scorbuti malignitate exhauſtus Spiritum Creatori reddidit 15. Junii An. C. 1646. ætatis 68. *Francofurti ad Oderam.*

* *Ex Concione funebri M. Martini Heniſii, & ex Programmate funebri Rectoris D. Matthæi Coldebacii, Juridicæ facultatis Senioris.*

Obiit A.C. 1646.

JOHANNES JACOBUS TETZEL.

NAtus eſt *Norimbergæ* 6. Oct. A.C. 1595. Patre *Carolo Tetzelio*, Senatore & Conſiliario bellico, qui obiit 23. Jan. An. 1611. ætatis 53. Matre *Annâ im Hofid.*

Lugduni Batavorum diſputavit. An. 1612. *Lugdunum Batavorum* ſtudiorum gratiâ miſſus, ibi de Officio Judicis publicè cum laude diſputavit. Deindè Univerſitates quoque *Germanicas*, *Jenenſem* & *Altorfinam* acceſſit. *Angliam* etiam & *Galliam* perluſtravit.

Sponſalia celebravit. 5. Febr. A. 1616. *Norimbergæ* Sponſalia celebravit cum virgine *Magdalenâ*, *Eraſmi Schwabii*, Civis primarii filiâ, quæ 4. ipſi filios & 11. filias peperit, ex quibus tamen 3. tantùm filios & 11. filias ſuperſtites reliquit.

Senator. A. 1620. In Senatorum Patriæ ordinem cooptatus, vir præter alias animi dotes excellentes, humanitate ſingulari mirâque facundiâ præditus, ab An. C. 1622. ad 1643. Legationes 49. ad varios Magnates Reipublicæ Patriæ nomine perfunctus eſt, & 31. Conventibus Imperii præſens adfuit, plurimis etiam Commiſſionibus bellicis adhibitus eſt. *49. Legationibus functus.*

Collegii Medici Præſes. Supremus militiæ patriæ præfectus. A. 1625. Collegii Medici *Norimbergenſis* Præſes, An. 1632. Conſiliarius bellicus, & A. 1636. Supremus militiæ patriæ Præfectus conſtitutus, An. demùm 1642. à *Franciſco*, Epiſcopo *Bambergenſi* & *Herbipolenſi* Conſiliarii bellici munus in Circulo *Franciæ Orientalis* obtinuit.

Moritur. Cum tandem ab 8. Septimanis variis morbis afflictus decubuiſſet, vivendi finem fecit in patriâ 19. Junii A. C. 1646. æt. 51.

Cor ſibi Momus edat; Veriſſima ſunt tamen illa,
Quæ de TETZELI funere Fama refert,
Quodq; ego publicitùs dixi: (*) TETZELIUS UNUS
MULTORUM INSTAR ERAT, NORICABERGA, TIBI.

(*) Joh. Saubertus.

IaN IaCob TetzeL LVX eſt eXtinCta SenatVs,
NorIaCos CIVes protege ChrIſte ManV.
Verharr beI Vns HErr IEſV ChrIſt/
Der VVeIsheIt Kron VMgVVorffen Iſt.
MagnVs TetzeLIVs trIſtI nos Vrbe reLInqVIt,
HeroIs prob! qVID trIſtIVs InterItV.
VVann Groſſe TetzeL VVelChen/
Erfahrne Herrn erbLeIChen/
ACh/aCh! Der ſChVVehren LeIChen/
So nIChts nICht zV VergLeIChen.

* *Ex Concione funebri Juſti Danielis Heeringii, Diaconi ad S. Sebald. Norimbergæ.*

Tria prædia in territorio *Norimbergenſi* poſſedit, à quibus ſe ſcribere ſolitus eſt, *Kirchenſittenbachium*, *Vorrha*, & *Artelshofium*. Hoc poſtremum cum A.C. 1626. coëmiſſet, Concione votivâ inauguravit M. *Chriſtophorus Welhamerus*, Concionator *Norimb.* ad Spir. S. A.C. quo impletum eſt vaticinium:

ArteLshoVIVM TetzeLIo DIVInItVs paretIt.

Obiit A.C. 1646.

HENRICUS MAYERUS.

LUbeſſæ in Comitatu *Schaunnburgico* natus circa An. C. 1586. Patrem habuit cognominem, Matrem *Catharinam Pullenbergiam*, quæ ad centeſimum ætatis annum pervenit.

Cum in Gymnaſio *Osnabruccenſi* fundamenta in literis humanioribus poſuiſſet, in Academiâ *Juliâ* ſtudium Juridicum auſpicatus, Univerſitatem *Gieſſenſem* tunc novam, & demùm *Heidelbergenſem* adivit, in quâ A. 1615. Gradum Doctoris in utroque Jure cum ſummâ laude accepit. *Doctor Juris Heidelbergæ.*

Mox *Spiram* veniens, in quâ & anteà praxin feliciter exercuerat, 31. Jan. An. 1616. inter Advocatos Cameræ Imperialis cooptatus eſt. *Advocatus Cameræ Imperialis Spiræ.*

Anno ſequenti Nuptias celebravit cum *Magdalenâ Reinhardiâ*, D. *Cornelii Ameiſii*, Cameræ *Spirenſis* Advocati relictâ viduâ, quam ſterilem A. 1635. morte abreptam amiſit, & abindè vitæ tempus reſiduum viduus exegit. *Conjugem ducit.*

Varias intereà Vocationes ad ſtatus Imperii *Romani* diverſos, & Cancellarii inter has munus ſibi oblatum ſorte ſuâ Advocando & Conſulendo contentus, quietis amore recuſavit.

Senior tandem inter Advocatos *Spirenſes* receptus, poſtquàm 28. ſeptimanas cacheticus cum diſpoſitione hydropicâ decubuiſſet, placidè exſpiravit 1. Sept. An. C. 1646. æt. 60. *Senior inter Advocat. Spirenſes. Moritur.*

Heinrich Meyer.
Per Anagramma:
Hier mein Reich.

* *Ex Concione funebri D. Johannis Conradi Schragmülleri, Concionatoris Spirenſis.*

Obiit A.C. 1646.

JACOBUS KILLINGERUS.

MUndum hunc per nativitatem ingreſſus in oppido Imperiali *Dünckelſpühl*, d. 1. Julii A.C. 1571. Patrem habuit *Caſparum Hillingerum*, Mercatorem, Matrem *Rebeccam*, Dn. *Alberti Rockenbachii* Senatoris ibidem filiam. Cum in Scholâ patriâ

Diſcipulus in Scholâ Rotenburgenſi.

patriâ literarum primitias didiciſſet, à Patre ſuo *Rotenburgum* ad *Tubarum* in Scholam tunc ibi celebrem, & 500. diſcipulis fœcundam deductus, Præceptoribus commendatus eſt.

A. 1587. *Tubingam* cum patre profectus, & D. *Georgio Hambergero*, Medicinæ Profeſſori commendatus eſt, qui ſuaſit, ut Juridico ſtudio daret operam.

Philoſophiæ Magiſter Tubingæ.

Juris ſtudioſus Tubingæ.

Tunc Philoſophiæ ſtudia aggreſſus An. 1588. Baccalaureus à M. *Erhardo Cellio*, Poëſeos & Hiſtoriarum Profeſſore, annoque ſequenti, promotore, M. *Michaële Mæſtlino*, Mathematum Profeſſore, anno ætat. 18. raro exemplo, Philoſophiæ Magiſter creatus eſt. Ad ſtudium deinde Juris progreſſus, in eo Profeſſores docentes audivit D. *Johannnem Halbritterum*, *D. Matthæum Entzlinum*, & *D. Johannem Hochmannum*.

Ingolſtadii.

Jenæ.

Juris Doctor Jenæ.

A. 1589. Ad Academiam *Altorfinam* converſus, præter alios ibi Juris Profeſſores D. *Hubertum Giphanium* audivit, quem eo tempore *Ingolſtadium* ad Juris Profeſſionem vocatum cum aliis ſtudioſis eò comitatus eſt, ſed ob Religionem adverſus paucos tantùm menſes ibi tranſegit, mox A. 1590. in Academiam *Jenenſem* diſcedens, in eâ 5. Diſputationes Juridicas publicè defendit, & A. C. 1592. ætatis 21. Jurium Doctor ſolenniter creatus eſt.

Advocatus Biberaci.

An. 1594. Poſthabitis diverſis vocationibus, *Ratisbonam*, *Lindaviam*, & in Principum aulas, in opp. *Rom.* Imp. *Biberacenſi* munus Advocati ſuſcepit, quod cum ipſi propter diſſidia Magiſtratûs cum Civibus nimis videretur moleſtum, A. 1596. reſignavit, & *Auguſtam Vindelicorum* diſceſſit cum familiâ ſuâ.

Advocatus Nordlingenſis.

A. 1610. Prægreſsâ vocatione legitimâ, *Nordlingam*, inſtinctu Conſulis Dn. *Johannis Wilhelmi Gundelfingeri*, ſedem tranſtulit, ubi per 36. annos Advocati munere fideliter functus eſt: & licet intereà *Spiram* fuiſſet accerſitus, ut Aſſeſſorem ibi Cameræ ageret, modeſtè tamen honorem illum recuſavit, ſorte ſuâ contentus.

Conjugium ejus primum.

A. 1593. Prima ſponſalia celebravit *Auguſtæ* cum virgine *Anaſtaſiâ*, Dom. D. *Werneri Seuteri*, Advocati celebris, quæ duos ei filiolos & totidem filiolas peperit, ſed filium cum filiâ præmiſit.

Filius Jacobus Wernerus Jur. D. Tubingæ creatus A. C. 1619. ætat. 21.

Filius alter *Jacobus Wernerus*, Parentis veſtigia ſectatus, *Tubingæ* A. C. 1619. æt. 21. cum laude & honore in Doctorem Juris promotus, Librum poſteà ſcripſit & edidit de *Ganerbiis Caſtorum*, ſive de Arcium pluribus communium Dominis; ſed hic filius anno ſeq. 1620. *Auguſtæ* morte ſubitâ fuit extinctus.

Filia verò *Rebecca Sophia Johanni Welſero*, Patritio *Auguſtano*, nupſit, ex quâ nepotes *Johannem Jacobum* & *Johannem Henricum Welſeros* vidit.

Conjugium alterum ſterile.

An. 1622. poſt obitum primæ Conjugis ſecundam duxit, virginem *Reginam*, *Johannis Ebingeri a Baltzheim* filiam, quam ſterilem reliquit ſuperſtitem. Cum tandem 7. modò diebus ſingultu aliisque ſymptomatibus decubuiſſet, ab amicis intereà viſitatus, & quomodo valeret interrogatus, *hic jaceo*, reſpondit, *Dei captivus, cujus voluntas fiat!* Sic doloris ferè omnis expers, mente cum ſenſibus integris inter preces adſtantium placidè exſpiravit 17. Sept. A. C. 1646. ætatis 76. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Georgii Alberti, Concionatoris Nördlingenſis.*

ÆGIDIUS AGRICOLA.

Obiit A. C. 1640.

NAtus eſt *Neukirchii*, *Palatinæ* ditionis loco *Sultzbachio*, quarto lapide diſtante, d. 3. Julii A. C. 1578. Patre Reverendo Dn. *Johanne Agricolâ*, Paſtore ibidem, Matre *Annâ Schnedneriâ*.

Ab his parentibus ſimul ac diſciplinæ viſus eſt per ætatem idoneus, Eccleſiæ patriæ Diaconis formandus & inſtituendus fuit commiſſus.

Diſcipulus Ambergæ.

Hinc A. 1591. *Ambergam* miſſus, Dn. *Fridericum Strobelium* per 6. annos hoſpitem & magiſtrum ſtudiorum habuit.

Juris ſtudioſus Tubingæ.

Jenæ.

Tubinga deinde prima fuit Academia, in quam ex *Ambergenſi* Scholâ A. 1597. miſſus eſt, & exin *Jenam* profectus A. 1600. ad Juris ſtudium ſe contulit, uſus interprete *Geilkirchio*, mox *Hœnonio* & *Dominico Arumæo*, Doctoribus celeberrimis.

Diſput. Præſide D. Ortolpho Fomanno.

Poſthæc & ipſum ſe non in ambitionem, ſed ut ingenii facem accenderet, publicè conſpiciendum dedit, publicatis ad examinandum 15. Jan. An. 1603. ſub præſidio D. *Ortolphi Fomanni*, variis ex Jure Civili, Canonico, & Feudali quæſtionibus.

Altorfii Diſputationem habuit ſub Scipione Gentili.

Eodem anno *Jenæ* valedixit, & cum à Parentibus ad continuanda ſtudia novos ſumtus impetrâſſet, fama J. C. rum celebrium in *Altorfinam* eum pellexit, ubi A. 1604. die 25. Octobr. Præſide *Scipione Gentili*, propoſita *De Actionibus in factum* magnâ cum gloriâ propugnavit.

Compater Scipionis Gentilis.

Ex eo tempore Præſes illum omni benevolentiâ complexus, publicis invitationibus ad ſuſcipiendas partes Opponentis in Diſputationibus honeſtavit, & Collegam poſteà factum An. 1615. primo ſibi genito compatrem aſcivit, appellatusque infans de Suſceptione ac Patrui nomine *Ægidius Albericus*.

Spiræ praxin forenſem didicit.

A. 1606. *Argentoratum* petiit, ubi cum ferè biennium literis operam dediſſet, parandis, quæ ad vitam, forum, & praxin facerent, *Spiram* abiit.

Juris Doctor Baſileæ.

Sic rerum forenſium cognitione inſtructus, *Baſileæ* demùm 3. Nov. A. 1609 ſummum laborum pretium, Inſignia Doctoralia legitimè prenſata obtinuit.

Altorfii Collegia privata aperuit.

Anno ſeq. 1610. iterum in Academiam *Altorfinam* conceſſit, & indultu Facultatis Juridicæ Collegiis Lectoriis Diſputatoriisque, ut vocant, apertis, eam ſibi famam, & apud inclytum Senatum benevolentiam peperit, ut ſtipendio 120. florenorum extraordinario, & ſinceris promiſſis, ne aliis

Juris Civilis Profeſſor publicus. haud ſpernendis vocationibus obſequeretur, per triennium ferè detentus ſit, & tandem An. 1613. Profeſſionem Publicam Juris Civilis acceperit.

In hoc officio Magiſtratum Academicum bis geſſit, A.C. 1617. iterum A. 1633. Multas etiam intereà calamitates graves perpeſſus eſt, dum A. 1632. die 9. Junii in viâ *Noricâ*, cum filio filiâque, ab aliquot Cohortibus militaribus circumventus abductusq; ſuam ſuorumque ſalutem velut ſub haſtâ venalem omni pecuniâ tot annorum quæſitâ ſudoribus redemit. *A militibus captus.*

Nec tum abſolvit miſeriarum fabulam, ſed negotium ſuum agere perrexit inimica Fors A. 1640. quo conſeneſcenti, curis & laboribus fracto, ſolatiisque & auxiliis cumprimis indigo primùm filiam chariſſimam *Eſtheram Magdalenam*, Dn. *Benedicto Utzio*, L. L. Candidato nuptam inter ipſas gratulationes de nato ex eâ nepote, ac non diu pòſt 1. Septemb. die dilectiſſimam coſtam *Margaretham Catharinam*, D. Johannis *Buſenreuthi*, J. C. filiam, cum quâ ſine bile per 27. annos vixerat, eripuit. *Filiam, & Uxorem uno tempore amiſit.*

Norimbergæ tandem, relicto de 6. liberis unico filio, vitam morte beatâ clauſit, die 16. Octob. A.C. 1646. ætatis 63. *Moritur.*

* *Ex Programm. funebri Rectoris Altorf. D. Georgii Nösleri, Med. Prof.*

JUSTINUS HERDESIANUS.

Obiit A.C. 1646.

NAtus eſt *Norimbergæ* 30. Dec. A. 1584. Patre *Chriſtophoro Herdeſiano*, Juris Doctore, & Conſiliario *Norimbergenſi*, Matre *Annâ Mariâ*, *Antonii Meinhardi*, Patritii *Auguſtani* filiâ.

Cum adoleſcens in Academiâ *Altorfinâ* ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, & per *Galliam* iter ſuſcepiſſet, in reditu *Baſileæ* Juris Doctor creatus eſt A. 1612. Domum reverſus, cum paulò pòſt matrem morte amiſiſſet, *Spiram* profectus, ibi aliquandiu in Cameræ Judicio Imperiali Praxin didicit. *Fit Doctor Juris Baſileæ.*

In Patriam reverſus, An. 1615. Nuptias celebravit cum virgine *Marthâ*, Dom. *Chriſtophori Andreæ Gugelii*, Ducis *Saxo-Coburgici*, & Reipublicæ *Norimbergenſis* Conſiliarii filiâ. Ex hâc duos filios *Chriſtophorum* & *Juſtinum*, Jur. D. duasque filias *Annam Mariam* & *Urſulam* ſuperſtites reliquit. *Nubit.*

An. ſeq. 1616. Inter Conſiliarios & Judicii Aſſeſſores adſcitus, A. 1625. Appellationum judicio, & 1631. Banco Mercatorum datus eſt Conſiliarius. *Conſiliarius Norimbergenſis.*

16. Oct. A. 1630. Uxore vitâ defunctâ, menſ. Aug. A. 1631. cum alterâ deſponſatus eſt virgine *Loyſâ Chriſtinâ*, *Marquardi Freheri*, J.C. & Conſiliarii *Palatini* filiâ. Ex quâ 4. reliquit filios, *Cornelium*, *Rudolphum Fridericum*, *Johannem Marquardum*, & *Tobiam*: cum 5. filiabus *Philippinâ*, *Cornelio de Braſſeri*, Mercatori *Norimbergenſi* nuptâ, *Clarâ Margarethâ*, *Suſannâ Magdalenâ*, *Reginâ Chriſtinâ*, & *Mariâ Loyſâ*, quæ poſthuma 8. poſt Dom. Patris mortem ſeptimanis nata eſt. *Iterum nubit.*

Variis morbis afflictus, tandemque Septimanis aliquot decumbere coactus, cum vigiliis diuturnis, octiduo antequàm moreretur, præter omnem ſpem ſomno placido correptus eſt, cumque expergeſieret, cum admiratione dixit uxori, ſe in loco quodam gaudii & amœnitatis ineffabilis verſatum, brevi tamen pòſt indè excluſum, hanc vocem audiviſſe: *Nondum adeſt tempus!* *Ejus morbus.*

Gangrænâ tandem in pede correptus, viribus conſumptis, placidè obdormivit 21. Octob. A.C. 1646. æt. 62. *Moritur.*

JUSTINUS HERDESIANUS.
Per Anagramma:
Trans finis Dei vives.
IVſtInVs tanVM ab! DeCIes ſeX VIXIt
In annos.

* *Ex Concione funebri.*

JOHANNES CONRADUS MONÆUS.

Obiit A.C. 1647.

CRucenaci, oppido *Palatinatûs* inferioris, ditionis *Simmerenſis* natus.

Patrem habuit *Conradum Monæum*, *Vetterano-Haſſum*, Gymnaſii *Neubuſiani* primùm, deindè Scholæ *Crucenacenſis* Rectorem: Matrem *Margaretham Georgiam à Stolpen*. *Parentes ejus.*

In Scholâ patriâ jactis literarum fundamentis *Neubuſium* miſſus eſt: ſed cum mox A. 1621. hæc Schola bello ingruente diſſiparetur, *Marpurgum* migravit. Hic ſtudia feliciter continuavit, tum ſub M. *Theodoro Victore*, Profeſſore Linguæ Græcæ & Pædagogiarchâ, tum in Academiâ, quæ ſummos habuit Philoſophos, *Rodolphum Goclenium*, *Georgium Crucigerum*, *Johannem Combachium*; alios: nec non J.C.tos celebres D. *Hermannum Vultejum*, D. *Johannem Gœddæum*, D. *Antonium Matthæum*, D. *Chriſtophorum Deichmannum*, ut facilè potuerit ad culmen eruditionis imprimisque Jurisprudentiæ aſcendere. *Marpurgi ſtudioſus.*

Brevi pòſt gliſcentibus turbis *Haſſiacis*, iſtâ quoque ſtatione exutus, *Bremam* contendit, ubi cum Patritiorum primariorumque in Civitate ac Gymnaſio Virorum familiaritatibus uſus eſt, tum eximiè charus fuit Scholæ illius Rectori perpetuo *Matthiæ Martinio*, Philologo & Theologo celebri.

Huic cum aperuiſſet deſiderium, quo flagrabat, exteras luſtrandi Regiones, ipſo autore, brevi voti ſui compos factus eſt à Generoſiſſimo Dom. *Ennone Guilielmo*, Barone ab *Inhauſen* & *Kniphauſen*, datus Ephorus ſtudiis ac moribus filio ipſius *Rudolpho Wilhelmo*, Curatori poſteà Athenæi *Grüningenſis*. *Ephorus Baronum ab Innhauſen.*

Cum hoc prolixum per *Gallias* iter emenſus *Genevæ* ad tempus ſubſtitit. Ibi præ cæteris *Jacobo Gothofredo*, Jurium Antiſtiti & Conſuli, ſingulari animorum coagulo adhæſit, cum eo de graviſſimis quæſtionibus conferre ſolitus, qui cum ſemper ſingula- *In Gallias iter ſuſcepit. Genevæ Jacobo Gotofredo charus.*

ſingulare quid ei elucidaret, eas obſervationes marginibus Codicis ſui accuratè annotabat.

In Jure *Genevæ*, poſt avocatum indè D. *Steinbergerum* ad Academiam *Gröningenſem*, Collegia privata varia habuit, ut nemo dubitaret, Profeſſionem Juris ibi ipſi demandatum iri, niſi vehementius peregrinandi deſiderium aliò animum ejus avocâſſet.

Pedem *Genevâ* movens, cum Barone ſuo ſe accinxit ad *Celticam*, *Italicam*, *Britannicam* viſendas. In itinere *Italico* Landgravium etiam *Haſſiæ*, *Fridericum*, ſibi aſſociavit.

Perluſtratis ita præcipuis *Galliæ*, *Italiæ*, *Angliæ* urbibus, & compellatis ubique viris literatis, inſpectisque antiquitatis veſtigiis viſu dignis, non tantùm promptiſſimum Linguæ *Italicæ Gallicæ*q; ſibi uſum comparavit, ſed leges etiam, mores, inſtituta ſingulorum obſervavit, ut de variis rebus jucundè cum omnium attentione diſſereret.

Abſoluto prolixæ peregrinationis curriculo, Generoſiſſimum ſibi concreditum Baronem ſalvum parentum gremio reſtituit *Hamburgi*, quæ civitas Dom. Patrem ejus Chiliarcham tum habebat & Præfectum.

Juris Profeſſor Rintelii. Indè *Rintelium*, novam Academiam, vocatus ad Juris Profeſſionem, eò ſe contulit, ſpartamque eam capeſſivit An. 1642. ante

Juris Doctor. re, quàm nomine Doctor & J.C.tus, quem gradum anni demùm ſeq. 7. Febr. munere ſic poſcente, in eâdem Academiâ ſuſcepit: quibus honoris ejus natalibus, præter alios viros ſummos, 6. quoque Comites *Schaumburgi*, triga maſculi ſexûs, triga Illuſtrium fœminarum, præſentiæ ſuæ ſplendorem accommodare dignati ſunt.

Indè, præter ordinaria Academiæ exercitia, ad Conſilia de ſummâ rerum adhiberi cœptus, cum exquiſitam prudentiam ſuam Juriumq; cognitionem luculenter expromſiſſet, mox cum Illuſtriſſimo Dom. *Philippo*, Comite *Schaumburgico*, Academiæ *Erneſtinæ* ſupremo Statore, ad Comitatum, quem Epiſcopus *Mindenſis* affectabat, vin-

Legatus ad Reginam Sueciæ, dicandum Legatus miſſus in *Sueciam*, ibi apud Sereniſſimam Reginam & Regni Proceres cauſam fideliſſimè egit, feliciterque obtinuit.

ad Landgraviam Haſſiæ. Brevi pòſt ad *Haſſiæ* Landgraviam *Ameliam Eliſabetham Caſſellas* ablegatus, ex voto ablegantium munere ſuo defunctus eſt.

Eâ occaſione Illuſtriſſima illa Heroina operam ejus expetivit, ut eo Legato in Tractatibus Pacis univerſalis uteretur, à diverſis quoque *Germaniæ* Principibus literis ad ipſum manu propriâ exaratis ad Conſiliarii munus invitatus fuit: ſed ipſe, qui ornandæ ſpartæ Academicæ talentum ſuum deſtinâſſet, ab eo ſuo decreto deflectere noluit.

A militibus ſpoliatus. Dum *Rintelii* degit, nihil ſiniſtri ei evenit, præter inopinatam ſemel *Cæſarianorum* irruptionem, quâ in communi Oppidi & civium direptione, ipſe quoque non parvo damno affectus, & veſtibus ſpoliatus, ſicque nudatus relictus eſt, quo tamen nuncio in aulâ percepto, è veſtigio indè aliæ veſtes ipſi fuêre ſubmiſſæ.

Deſponſatus. Fixo verò *Rintelii* lare, vitæ ſociam ſibi adjunxit 2. Febr. A. 1645. virginem *Annam Catharinam*, Dom. *Johannis Wippermanni*, Conſiliarii & Aulæ Miniſtri *Schaumburgici* filiam: ex quâ viventi filiæ duæ, & tertia ei poſthuma nata.

Juris Profeſſor Gröningæ. Cum Spartam *Rintelenſem* per triennium ornâſſet, 11. April. A. 1645. in Academiam *Gröningenſem* vocatus, in locum D. *Nicolai Langii*, licet egrè à Collegis avelleretur, tamen quod non ſatis tutam impoſterum *Rintelii* ſtationem ob pericula belli ſibi futuram auguraretur, promptè annuit, & eò cum familiâ profectus, 27. Oct. inauguratus eſt.

Etſi autem triſti fato Academiæ in hâc Spartâ ornandâ brevis nimis ei fuerit periodus, ſic tamen partibus ſibi mandatis defunctus eſt, ut nec publicè in Cathedrâ, nec privatim, ſive docendo ſive diſputando amplius quid optare ab eo poſſet legum cupida juventus, niſi ut annis pluribus eâ ipſius inſtitutione frui ſibi liceret.

Pietas ejus. In omni verò vitâ pietatem teſtabatur tum frequenti Concionum auſcultatione, tum quotidianâ Sacri Codicis lectione, quem non minus ac *Juſtinianeum* magni faciebat, & quotannis à capite ad calcem integrum abſolvebat.

Carus ibi collegis omnibus, arctiorem tamen cum *Jacobo Altingio*, Theologo, ob patriæ communis & affinitatis vinculum, amicitiam percoluit. Tum, de quo ſibi ſæpè gratulabatur, interioris & gratæ admiſſionis erat apud Excellentiſſimum *Ludovicum & Joachimum Camerarios*, ac *Paulum Straſburgerum*, Coronæ *Suecicæ* Exlegatos & Conſiliarios, cum quibus nunquàm non jucunda & utilia colloquia miſcuit.

Calculi renalis doloribus per dies aliquot excruciatus, cum ſymptomata gravia accederent, mox ad beatam ἀνάλυσιν ſe præparavit, & conjugem illachrymantem conſtanti animo conſolatus, divinæ Providentiæ ſe ſuffulciebat, qui cum volucres cœli & lilia campi veſtiat, ipſi liberisque ſuis fiduciâ piâ in eum reclinantis abundè ſit proſpecturus.

Delectabatur imprimis præſentiâ Dom. *Altingi* & ſacris conſolationibus ab eo ſuggeſtis, adeò, ut Dom. Medicis *Deuſingio* & *Perizonio* de Pharmacis exhibendis deliberantibus, ad ipſum converſus, *Veſtrum*, diceret, *Pharmacum omnium eſt optimum*.

Horâ fatali preces præeuntem Rev. Dom. *Zamſchliſerum* fervido Zelo ſecutus, tum voce ſatis clarâ Orationem Dominicam adjecit, ſimulque Cygneam ſuam recitavit Cantionem ex hymno Germanis uſitato, Herr Jeſu Chriſt waar Menſch und Gott ıc. Tum obvertens ſe, ut in latus incumberet, ſic Germanicè fatus: Warlich

Placidè obdormivit. ich will ſchlaffen! eâ voce myſticâ placidè in Domino obdormivit A. C. 1647.

Poſtridiè D. *Joh. Steinbergerus*, Juris Anteceſſor, Collegæ amiciſſimo parentavit.

Scripta

Scripta. Scripta ab eo edita ſunt:

Tarattatus de Legum Interpretatione, Diſputationibus &c.

Tract. de Jure Publico.

Explicatio Rubricarum ad Digeſta.

* *Ex Vitis Profeſſorum Gröningenſium.*

Obiit A.C. 1647.

NICOLAUS SCULTZIUS.

Qualis vir fuerit, Inſcriptio hæc in Templo Parochiali *Wittebergæ* declarat:

CHRISTO RESUSCITATORI S. SITUM HIC EST, QUOD MORTALE HABUIT NICOLAUS SCHULTZ LEOR. SIL. J.U.D. QUI CUM IN CURIA REGIA DISTRICT. LEOR. PRÆSES PER ILLUSTR. DNN. COMIT. IN BARBY CONSILIAR. IN FACULT. JURID. HUJUS ACAD. WITTEB. ASSESSOR, IN CURIA ELECTOR. ADVOCATUS PRIMAR. FIDEM, SOLERTIAM, DEXTERITATEM OMNIBUS UBIQUE PROBASSET, LENTO CONFECTUS MORBO PIE AC PLACIDE EXSPIRAVIT ANNO CHRISTI MDCXLVII. ÆTATIS XLIX. D. VII. APRIL. INGENTI LUCTU CATHARINÆ TAUTIÆ, QUÆ MARITO DESIDERATISS. MONUMENTUM HOC P. C. Juris Conſultus Sax. Elect.

* *Ex Academiâ Wittenbergenſi editâ à Gotfrido Suevo, J. C.*

Obiit A.C. 1647.

MARTINUS A BENCKENDORF.

Natus *Croſſæ* in Marchiâ *Brand.* 3. Oct. A. 1579. Patrem habuit *Andream Benckendorfium*, Judicii aulici Electoralis Aſſeſſorem: Matrem *Evam Schefferiam* à *Lindau*, Avum paternum *Martinum*, Juris Licentiatum, & Marchionis *Brandenburgenſis Johannis* Conſiliarium.

Doctor Juris Baſileæ. Cum in Gymnaſio *Gorlicenſi*, & Academiis *Francofurtenſi* ac *Wittenbergenſi* literarum ſtudia abſolviſſet, An. 1607. Doctoris gradum ſolenniter adeptus eſt *Baſileæ*.

Conjugium quadruplex. An. 1608. Primum conjugium iniit cum virgine *Margarethâ*, *Zachariæ Seidelii*, Judicis *Wallerbacenſis* in *Palatinatu* filiâ, quæ cum A. 1615. obiiſſet, A. 1617. alteram duxit *Margaretham*, *Johannis Dieterici* filiam, ex quâ tres filios reliquit, *Johannem Andream*, *Laurentium Chriſtophorum*, & *Samuelem Auguſtum*, cum filiâ *Veronicâ Mariâ*, quæ poſteà deſponſata fuit D. *Johanni Chriſtophoro Püblero*, Advocato *Brandenburgico*.

A. 1639. Tertias nuptias celebravit cum *Annâ Mariâ*, *Georgii Friderici Guttbäteri* viduâ, quæ cum obiiſſet, A. 1641. quartâ vice nupſit *Sophiæ*, *Johannis Alemanni* viduæ, ex quâ filium ſuſcepit *Johannem Mauritium* An. 1645.

Conſiliarius Brandeburgicus. A. 1619. Factus Electoris *Brandenburgici* Conſiliarius, in eo munere vitæ reſiduum transegit, apoplexiâ abreptus 24. Octob. A. C. 1647. æt. 68. Moritur.

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1648.

JOHANNES MüLLERUS.

Geroltzhofii, non procul à *Suinfurto*, in *Franconiâ*, natus ſub veſperam feſti Purificationis S. *Mariæ* 1. Febr. die An. C. 1583. Patrem habuit cognominem, ejus loci Syndicum, Matrem *Ottiliam Liſchiam*, à quibus inter 6. filios & filiam primo loco genitus eſt.

A. 1587. Cum *Julius*, Epiſcopus *Herbipolenſis*, religionem in ditione ſuâ mutaret, Parentes ejus diſcedere coacti, *Winsbemium* cum liberis migrârunt, quo loci Pater ejus ſtatim Pupillorum Curator factus eſt à Magiſtratu. Winsbemii cum parentibus exul.

Ibidem cum in Scholâ literarum primordia didiciſſet, An. 1607. à Patre in Academiam *Argentinenſem* ablegatus, ibi ſtudio Philoſophico Juridicum conjunxit. Jurium ſtudioſus.

A. 1603. Domum Parentes inviſendi gratiâ excurrens, à nobili Viro *Johanne Reinhardo à Berliching* filio ſuo *Melchiori Reinhardo* Ephorus adjunctus, cum eo *Argentoratum* reverſus, ſtudium Juridicum feliciter abſolvit.

An. 1606. Cum eodem *Lugdunum Batavorum* migrans, biennium ibi tranſegit, & intereà Urbes *Belgii* præcipuas perluſtravit.

An. 1608. Per *Angliam* iter ſuſcipiens, & triennio ſequenti Urbibus *Galliæ* præcipuis perluſtratis A. 1611. *Jagſthuſam* feliciter reverſus, *Berlichingio* filium ſuum reſtituit.

Ibi tamdiu moratus eſt, donec ad nobilem virum *Johannem Fuchſium*, Generalem militiæ *Danicæ*, venit, eique Secretarii munere per annos aliquot inſerviit. Secretarius bellicus.

An. 1614. Matrimonio ſibi *Weiſſenburgi* junxit virginem *Margaretham Barbaram*, *Laurentii Koberl*, Præfecti *Wirtzburgenſis* filiam. Ex eâ, durante conjugio 23. annor. 8. liberos ſuſcepit, ex quibus ſuperſtites reliquit duos filios, *Johannem Theodorum*, & *Martinum Caſparum*, cum filiâ *Annâ Margarethâ*, quæ A. 1640. deſponſata fuit *Johanni Andreæ Waldmanno*, Præfecto *Winsbeimenſi*. Deſponſatur bis.

A. 1639. Cum anno prægreſſo conjugem à morte ſublatam amiſiſſet, duxit in conjugium ſecundum *Annam Margaretham*, M. *Nicolai Grebii* Eccleſiæ *Suinfurtenſis* Superintendentis viduam, natam *Rudingeriam*, cum quâ Sponſaliis peractis *Calmbacum* migravit, & 9. annos feliciter exegit.

An. 1615. Secretarii bellici munere relicto, Præfectus *Uffenbeimenſis* à Marchione *Onoltzbacenſi* conſtitutus, & A. 1618. Gymnaſii *Heilsbronnenſis* Curator factus eſt. Curator Gymnaſii Heilsbronnenſis.

A. 1629. Indè à Marchione *Brandenburgico Chriſtiano Bareythum* vocatus, Camerarii munus, & Anno ſeq. Conſiliarii intimi ſuſcepit. Eo durante officio, Legationes plurimas Principis ſui nomine fideliter obivit. Conſiliarius Brandenburgicus & Legatus.

5. Febr. A. 1645. *Oſnabruggum* à Marchione ad Pacis tranſactiones ablegatus, ibi cum 19. Dec. An. 1647. gravi diarrhœâ cum vomitibus & ſingultibus continuis correptus

Moritur. correptus fuiſſet, vitam beatâ morte clauſit 6. Jan. A. C. 1648. ætatis 65. 12. Mart. ſeq. ibidem in fano S. *Catharinæ* honorificè ſepultus eſt.

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A. C. 1648.

JOHANNES SEBASTIANUS LEITERSBERGER.

Filius J. C. EDitus in hanc lucem eſt *Argentorati*, d. 9. Sept. An. C. 1603. Patre Dom. *Sebaſtiano Leitersbergero*, J.C. Reipublicæ, pluriumque Statuum Imperii Conſiliario, & Advocato, Matre *Suſannâ Heuſid.*

Hi ut non ceſſarunt filii præclaram bonæ mentis indolem primò ſe prodentem gnaviter excipere, ita ille induſtriam ſuam ex animi deſiderio collocavit, imprimis puer adhuc mox in religioſum DEI cultum propendere cœpit, & ita literarum elementa imbibere, ut cordatam indè eruditionem ſeriò ſitiret: cui ſuſcipiendæ magis magisque in Gymnaſio patrio ſe accinxit.

Studioſus Mombelgard. & Sedani. Poſteà verò juſſu ſuorum florentes tunc temporis Scholas, *Mombelgardienſem & Sedanenſem* in *Galliis* adiit, in iisque per ſexennium commoratus, præter cœteras artes liberales etiam linguam *Gallicam* addidicit.

Juris ſtudioſus Argentorati. Reverſus A. 1622. in Patriam Univerſitatem, Jurisprudentiæ omnes lucubrationes ſuas conſecravit, & 8. annorum ſpatio ita continuavit, ut publicis editis ſpeciminibus, ſuam in Jure ſcientiam accuratam ſæpiùs demonſtraret.

Cum autem animadverteret, Theoriam ſine Praxi mancam eſſe, noluit in eâ ſaltem pedem figere, ſed A. 1630. ad ſupremum illud Imperii Tribunal, quod *Spiræ* eſt, ſe contulit, & per biennium practico Juris ſtudio vacavit: ſic eam perfectionem acquiſivit, ut ſummos in utroque Jure honores haud dubiè obtinere potuiſſet, niſi Doctus eſſe quàm Doctor haberi maluiſſet. *Spiræ.* *Doctus eſſe quàm Doctor haberi maluit.*

Uxorem ducit. *Spirâ* fortunatè rurſum domum appellens, nuptias pactus eſt cum virgine *Mariâ Salome*, Dom. D. *Johannis Kuefferi*, Medici celeberrimi, & Comitis Palatini Cæſarei natâ, ex quâ 5. liberorum parens factus, filiæ nempè unius, *Suſannæ Mariæ*, & 4. filiorum, quorum duos cum conjuge, quæ An. 1646. obiit, præmiſit, duos verò poſt ſe ſuperſtites, *Adamum*, & *Fridericum Caſimirum* orphanos reliquit.

Cœterùm quia ita bonis artibus & imprimis Juris ſcientiâ ſe inſtruxerat, ut citra Reipublicæ injuriam ſibi relinqui non poſſet, non tantùm A. 1640. in judicium Tribunitium & Scabinorum ordinem ab Ephoris Tribus Fabrorum Lignariorum allectus eſt, verùm etiam bis idem Adſeſſor Triumviralis ſtabuli fuit. Quæ munera poſteà aliæ excepêre dignitates, nempè dignitas Senatoria, quâ A. 1646. & Prætura Tutelaris, quâ anno inſequente 1647. honoratus fuit: in quibus omnibus induſtrius & accuratus fuit, decenter partibus ſuis ſatisfaciens, ſicut etiam in omni vitâ ſuâ integer & purus fuit, homo formulæ, quod dicunt, antiquæ. *Tribunus & Scabinus.* *Adſeſſor Triumviralis ſtabuli.* *Senator, & Prætor tutelaris.*

Hecticâ tandem febre conſumptus, vitam morte beatâ finiit, 16. Martii A. C. 1648. ætatis 45. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri D. Johannis Rebhan, Juris Profeſſoris Argentoratenſis.*

Obiit A. C. 1648.

JOHANNES JACOBUS DRACO.

INter Atlantes patriæ, quos Ducatus *Coburgenſis* veneratur, eminuit olim & inter alios tantum caput extulit ſuum, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi, ut cum Poëtâ *Mantuano* loqui liceat, Vir Magnificus, Dn. *Johannes Jacobus Draco*, J.U.D. celeberrimus, Comes Palatinus Cæſareus, Cancellarius *Saxo-Coburgenſis*, & Conſiliarius intimus, de Republicâ & Patriâ meritiſſimus.

Natus is eſt die 24. Junii, qui ſacer eſt memoriæ *Johannis Baptiſtæ*, *Lohræ* ad *Mœnum* in *Franconiæ* oppido, anno 1595.

Majores habuit familiæ claritate valdè conſpicuos, & parentes pietatis & integritatis laude, nec non orthodoxæ religionis amore claros, ejusque Patri nomen fuit *Johannes Georgius* Drach / civis & negotiator ibidem integerrimus; matri verò *Anna*, è celebri familiâ *Heuſneria* von Wanderoleben in *Thuringiâ*.

In Juventute Exul. Indè pietate & literis benè innutritus, in infantili adhuc ætate ob reformationem Papiſticam cum Parentibus abiit in exilium, atque ſic *Coburgum* venit, ubi cum in Scholâ Senatoriâ & illuſtri Gymnaſio eſſet φιλομαθὴς, de ſententiâ *Iſocratis* facilè quoque factus eſt πολυμαθὴς, ſiquidem palmam quàmplurimis præripiens diſcentibus anno ætatis ſuæ decimo nono, maturus Academiæ *Jenam* profectus eſt, de quo B. Doctor *Libavius*, Director t.t. Gymnaſii celeberrimus, affirmare & ſcribere non dubitavit, ipſum in Orationibus, carminibus & diſputationibus in univerſo cœtu non habuiſſe parem. *Studioſus Jenæ*

& Altorffii. Cui teſtimonio etiam fidem fecit, quando non tantùm *Jenæ*, ſed etiam *Altorphii* in Jurisprudentiâ, cui animum adjunxerat ſuum, privata Collegia aperuit, & impetratâ conceſſione ſingulari ab ampliſſimâ facultate Juridicâ legendo ac præſidendo eò usque diligentiam probavit ſuam, donec menſe Septembri anno 1602. ad Profeſſionem Juris in Athenæo *Caſimiriano* legitimè fuit vocatus.

Fit Doctor Juris Baſileæ. Quam functionem ut & majori autoritate & gravitate obiret, anno ſequenti *Baſileæ* in *Helvetiorum* Academiâ Doctor Juris ſolenniter fuit renunciatus.

Curiæ Provincialis Advocatus Coburgi. Eodem anno ſpartam quoque nactus eſt per vocationem legitimam in Scabinatu *Coburgenſi*, in quo Aſſeſſor & unà Curiæ Provincialis Advocatus conſtitutus eſt.

Sicuti verò virtus obſcurari nequit, ſed in tenebris lucet, & ad ſumma conſcendere

 pro-

properat; ita quoque Dn. *Draco* propter exquiſitam juris ac legum cognitionem, & expeditam in cauſis forenſibus exercitationem per inferiores officiorum & dignitatum gradus tandem ad ſummum celeriter eſt evectus.

Conſiliarius.

E Scabinatu namque anno 1626. in Magnificum Dn. Conſiliariorum Senatum in Cancellariâ *Saxo-Coburgicâ* cooptatus, & biennio pòſt Scabinatûs Ordinarius, & Curiæ Provincialis Adſeſſor confirmatus fuit, quibus dignitatibus tandem ultima & ſuprema inſecuta eſt, ſcil. Cancellariatus, ut ab Illuſtriſſimo Principe Cancellarius & Conſiliarius intimus conſtitueretur.

Cancellarius.

Quibus in officiis ſublimibus certè & ſplendidiſſimis, qualem ſe in adminiſtrando geſſerit, præſertim inſtantibus t. t. tumultibus bellicis, qui labores, curas & onera multiplicare ſolent, non opus eſt prolixâ commemoratione, cum rerum adſint teſtimonia, & adhuc tota loquatur provincia.

Ob hanc in expediendis officiorum laboribus fidelitatem & dexteritatem, ab Illuſtriſſimo Principe in Comitiis & Conventibus Imperii varias ad legationes fuit adhibitus, in quibus cum dona ejus paſſim innoteſcerent, non tantùm ab aliis Imperii Proceribus ſimiles ad functiones certatim fuit expetitus, ſed etiam multis privilegiis nobilitatus, & inter ea anno 1641. in Comitiis *Ratisbonenſibus* ab Imperatore *Ferdinando III. Comes Palatinus* creatus fuit.

Conjugium ejus.

Ex liberis, quos ex Conjuge *Urſulâ Langeriâ* ſuſcepit, duæ adhuc ſuperſtites ſunt Filiæ honeſtiſſimis nobilitatæ matrimoniis, quarum altera *Anna Urſula*, Dn. *Johannis Chriſtiani Frommanni*, Medicinæ Doctoris, Archiatri ducalis, Medici Provincialis, & Profeſſ. Publ. *Coburgi* σύζυξ facta; alteram verò *Sabinam Barbaram*, Dn. *Johannes Georgius Heublinus*, J. U. Doctor, & Reipublicæ *Coburg.* Syndicus, duxit, nec tantùm liberi, ſed libri quoque ejus adhuc ſuperſunt, è quibus typis exſcripti extant:

Scripta.

1. *Tractatus de Jure & Origine Patriciorum.*
2. *De Origine & Jure armorum.*
3. *De patriâ poteſtate.*
4. *Quatuor decuriæ ex materiâ de Tutoribus & Curatoribus.*
5. *De Curâ & Curatoribus.*
6. *De hereditate.*
7. *De ſequeſtratione.*
8. *De fœminis ad officia publica recipiendis.*
9. *De ſumtibus ſtudiorum.*
10. *De fructibus.*

Obiit *Coburgi* d. 25. April. 1648.

Obiit A.C. 1648.

LUCAS FRIDERICUS BÖHEIM.

NOrimbergæ natus eſt 17. Julii A.C. 1587. Patre *Paulo Bohemo*, Reipublicæ Patriæ Duumviro & Senatore primario, Matre *Urſulâ Sitzingeriâ*, è S. fonte ſuſceptus à *Lucâ de Werden*, Mercatore primario.

Iter ejus in Galliam.

A. 1608. In *Galliæ* regnum à Patre miſſus, cum biennii ſpatio ſtatum Regiminis & Regni cum linguâ *Gallicâ* ſatis percepiſſet, An. 1610. ad Parentes feliciter rediit.

In Italiam.

Menſ. April. A.C. 1611. In *Italiam*, Dom. Patre volente, iter ſuſcipiens, *Florentiæ* per 4. menſes ſubſtitit, & linguæ *Italicæ* diſcendæ operam dedit.

Menſ. Septembri *Venetias* indè diſceſſit, ubi cum nobilem quendam *Miſnicum*, *Rudolphum à Pinau*, vidiſſet, itineri *Conſtantinopolim* versùs, unà cum Gubernatore ſuo *Tobiâ Adami*, Conſiliario poſteà *Saxo-Vinarienſi* accinctum, Domini Parentis ſui conſenſum, ut itineris hujus Comes eſſet, per literas expetiit & obtinuit.

Itaque 13. Aug. ſeq. Navim *Anglicam* ingreſſi *Raguſam*, & exindè *Zanthem*, *Candiam*, *Cyprum* & *Tripolim* vecti ſunt.

Iter Hieroſolymitanum.

Cumque deindè per DEI favorem Terram Sanctam ingreſſi *Hieroſolymam* Urbem, cum locis ſacris *Jeſu Chriſti*, miraculis, paſſione, reſurrectione & aſcenſione celebribus perluſtrâſſent, iterum *Italiam* versùs navi regreſſi, *Venetiis* feliciter appulerunt 3. Febr. An. 1612.

Hoc itinere feliciter, non ſine gravi tamen periculo, peracto, *Venetiis Romam* & *Neapolim* progreſſus, *Norimbergam* tandem ad Parentes reverſus eſt 11. Maji A. 1612.

Deſponſatur.

Menſ. Jun. ſeq. cum Legatis *Noribergenſibus Francofurtum* ad *Mœnum* profectus, Cæſarem *Matthiam* coronari vidit, & domum reverſus, 4. Octob. anni ſeq. 1613. deſponſatus eſt cum virgine *Annâ Mariâ*, *Pauli Pfintzingii*, Patricii filiâ. Ex hâc tres ſuſcepit filios, & duas filias. Filii fuêre *Georgius Fridericus*, Patriæ poſteà Senator & Scholarcha, *Paulus Rudolfus*, in pueritiâ demortuus, & *Johannes Jacobus*, qui militiæ addictus *Gallicæ*, & Locumtenentis munere functus, antè *Mardicum* obſeſſum tormenti bellici globo percuſſus, mortem oppetiit 26. Aug. A.C. 1646.

Filiæ *Anna Sabina*, *Johanni Chriſtophoro Harſtörfero*, Eleemoſynarum in Patriâ præfecto, & *Suſanna* poſt Dom. Parentis obitum *Gotliebio Volcamero*, Capitaneo & Præfecto *Lichtenavienſi*, deſponſatæ fuêre.

Senator Norimbergenſis.

A. 1622. Poſt obitum Domini Parentis in Senatum Patriæ adſcitus, A. 1633. Scholarcha, & A. 1643. Septemvir, & Eccleſiarum Præfectus fuit conſtitutus.

Moritur.

Variis tandem morbis 12. ultimis vitæ ſuæ annis, aſthmate præſertim, hæmoptyſi, & ictero nigro conſumtus exſpiravit 28. Junii A.C. 1648. ætatis 61.

* *Ex Concione funebri M. Martini Beeril, Profeſſoris Publici, & Paſtoris Noribergenſis.* Huic annexa legitur *accurata deſcriptio linguâ vernaculâ ab ipſo confecta Itineris Hieroſolymitani*, quod feliciter ſuſcepit & perfecit A.C. 1611.

CHRI-



LUCAS FRIDERIC' BEHAIM
Septemvir et Eccles. Schol. Curat. ...



IOH. MAX. ZUM IUNGE
Consil. Francofurt.



IACOB' MARQUAR' GLAUBU'
Consul. Francofurt.



CHRISTOPH PREIBISI
Iuris Doct. et Prof. Lipsiensis



LUDOVIC' CAMERARI'
Regis Sueciæ Consiliarius.



GEORG. RICHTERUS.
Consiliarius Norimbergensis.



LEONH. SCHWENDORFER'
Consiliarius Saxonicus.



IACOB' GOTHOFREDU'
Iuris Prof. Genev.

BIBLIOTECA NA
ROMA
VITTORIO EMANUEL



CLAUDI' SALMASI'
Iur. Consult. et var. Princ. Consil.



HIERONYM' RAUCHBAR.
Consiliarius Brandeburgic'.



GUILIELM' MAKDOWEL.
Iuriscons. et Prof. Gröning.



IOHANNES FROMHOLD.
Consiliarius Brandenburgicus.



IOH: STEINBERGIUS
Iuris Prof. Groningensis



CHRISTOPH. FURERUS.
Pastor Primarius Norib.



VLRIC' GRUNDHERR'
Duumvir et Scholar. Ephor. Norib.



IOH. ALBERT' HALLER'
Triumvir Noribergensis.

Google

Obiit A.C. 1649.

CHRISTOPHORUS WACKIUS.

JUris Conſulti hujus eruditi vitam brevibus exhibet Inſcriptio *Wittebergenſis* in Templo Parochiali.

Juris Profeſſor Wittenbergæ.

Conſiliarius Anhaltinus.

Christo Servatori Memoriæque perpetuæ CHRISTOPHORI WACKII J.C. qui ex Advocato Curiæ Electoral. et Facultatis Juridicæ Aſſeſſore Viduæ Anhaltinæ Principis Conſiliarius et demum Profeſſor Publ. Nullis non boni et Viri et Conſultoris et Profeſſoris partibus functus egregie ingenii, doctrinæ, prudentiæ, Judiciique, ac integritatis non exiguam laudem poſt ſe reliquit. Natus eſt Numburgi An. Chr. MDXCVI. Obiit Coſwigæ Anhaltinorum in ipſa Arce Principali porti Apoplexia paucis horis exſtinctus, cum munus Conſiliarii XIV. Profeſſoris VII. adminiſtraſſet, in univerſum autem LIII. annos egiſſet vivens. Heu mihi quam propero Turbine vitam hominum verſant fata rapacia! Quam cito quæ ſteterant præcipitata ruunt! Interim mors vita eſt Mortua Chriſto. MARTHA HELLERIA incomparabili Conjugi, nec oculis tantum, ſed ipſa vita dulciori non ſine ingentibus lacrimis et incredibili deſiderio quam celerrime ad eum perveniendi P. Victura cum eo ſed lacrimarum expers gaudia perpetua.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi à Gotfrido Suevo, J.C. editâ.*

Obiit A.C. 1649.

CLAUDIUS PLUMIUS.

IN lucem editus menſ. Jul. An. C. 1585. Patrem habuit inter Cives *Hafnienſes* ſpectabili integritate *Petrum Franciſcum Plumium*, qui cum Præturâ ſe abdicâſſet, Caduceatoris officio functus eſt: Matrem *Catharinam, Johannis Sybenii*, Civis *Hafnienſis* filiam.

Cum annum 12. ætatis ageret, M. *Johanni Kraftio*, Sacrorum in D. *Petri* Eccleſiâ Miniſtro morum ejus ſtudiorumque cenſura à Genitore eſt data.

Scholæ Herlovianæ diſcipulus.

Annos pubertatis egreſſus, ad *Herlovianam* Scholam mittitur, ubi tantum quinquennio profecit, ut An. 1604. ad Academiam *Hafnienſem* traduceretur: cujus legibus ut morem gereret, M. *Jonam Jacobum Venuſinum*, ſtudiorum cepit arbitrum.

Wittenbergæ Philoſophiæ ſtudioſus.

Cum Legato deindè Regio *Poloniam* perluſtravit, & poſt ſextum menſem in patriam reverſus, in *Germaniam* ivit, & *Wittenbergæ* triennium Philoſophicis exercitationibus impendit, ut hiſce ſtudiis imbutus faciliori negotio Jurisprudentiæ, cui ſe devoverat, operam daret.

Juris ſtudioſus.

Voti compos, omnia, quæ in Libris Legum tetrica & aſpera continentur, D. *Johannis Zengeri*, Profeſſoris & Conſiliarii Elect. ductu, aſſiduoque labore vicit.

Juris Candidatus Heidelbergæ.

Regiomontum hinc & *Heidelbergam* ſe contulit, ubi ſuadente D. *Dionyſio Gothofredo*, qui tunc in Jure principatum tenebat, annum vixit: à quo, ut & à *Philippo Hofmanno*, *Daniele Nebelio*, ac *Johanne Calvino*, Juſtitiæ Sacerdotibus, ea præſidia conſecutus eſt, quæ Juris Candidatum exornare poterant.

Vivebant ibi præter eos *Hippolytus à Collibus*, & *Joachimus à Grünthal*, Politici & Conſiliarii Principis, quibus familiaris fuit.

Spiræ praxin Juris didicit.

Sed ne uni loco omnem debuiſſe eruditionem videretur, *Gieſſam* abiit, & indè *Spiram*, ſupremam totius *Germaniæ* curiam Juridicam, ut litibus judicandis conſtitutos audiret Summos illos Controverſiarum Arbitros.

In Angliam profectus.

An. 1611. Domum à matre revocatus, ſuaſore Magnifico Dom. *Chriſtiano Friſio*, Cancellario, mari *Londinum* abiit, & indè *Oxonium*, ubi Academicis exercitiis aliquam iſtius anni partem impendit: iterumque *Londinum* adiit, ut ſolennes illos dies Electoris *Palatini* nuptiis dictos videret.

Scotiâ hinc perluſtratâ, iteratò in *Angliam* venit, ut & *Cantabrigiam*, celebre illud Palladis delubrum, videret.

In Galliam, & Italiam.

Biennio in *Angliâ* expleto, in *Galliam* profectus eſt, in cujus Academiis, *Aureliæ*, *Andegavi*, *Pictaviæ* nonnihil vixit.

Syndicus Nationis Germanicæ Patavii.

Totam *Italiam* deindè cum perluſtrâſſet, & *Patavii* A. 1617. Nationis *Germanicæ* Syndicus fuiſſet electus, luſtratis demùm præcipuis *Belgii* Urbibus, *Hafniam* ſuam repetiit.

Hafniæ Profeſſor Juris.

Vocatus tunc erat in Aulam Regiam D. *Leonhardus Metznerus*, in cujus locum *Plumius* ſubrogatur.

Conjugium ejus, & Liberi.

Eo munere dum fungitur, uxorem duxit virginem *Mariam*, D. *Petri Vinſtruppii*, *Sedlandiæ* Epiſcopi, filiam, ex quâ filios octo, ſexque filias ſuſcepit. E filiis *Elias* Magiſter Artium Eccleſiæ *Gandersloevienſis* Paſtor fuit, & *Johannes* Templorum in *Daniâ* Commiſſarius generalis. Filiarum una Dn. *Nicolao Vikmanno*, Med. D. altera M. *Bertramo*, Paſtori in *Lolandiâ*, tertia Dn. *Tuoni*, Paſtori *Toſtrupenſi*, quarta Paſtori *Scanienſi* nupſit.

Conjugium alterum.

Poſt 18. annorum curriculum optima Conjux fatis c cedit A. 1636. Sed jacturam eam Virgo *Chriſtina*, *Conradi Aslaci*, Theologiæ D. & Profeſſoris filia compenſavit, quam A. 1638. nuptiis ſibi conciliavit: & illa 4. tori conjugalis pignora enixa eſt.

Doctor Juris Hafniæ.

Academiæ *Hafnienſis* Rector quater, An. 1621. 1630. 1639. 1645. renuntiatus eſt. Doctoratus inſignia apud Exteros accipere noluit, ſed eum Patriæ reſervans honorem Juris utriusque Doctor in Templo Academico à D. *Leonhardo Metznero*, cui in Profeſſione ſucceſſerat, 26. Julii An. 1621. renuntiatus eſt. Procurator ejusdem Templi D. Virginis fuit ab A. 1623. ad 1638.

Valetudine plerumque uſus proſperâ, annis vitæ aliquot ultimis difficultate reſpirandi, cachexiâ, & ſcorbuto afflictus, mundi hujus curis & ærumnis tandem ſolutus, Creatori ſuo corpus animamque magnâ religione addixit 16. Martii A.C. 1649. æt. 64. *Moritur.*

Funus publico Programmate indictum eſt Civibus Academicis à Magnifico Rectore D. *Olao Wormio*, Medicinæ Profeſſore. Corpus conditum in Templo D. Virginis, in quo Monumentum illi poſitum, cum hâc Inſcriptione:

Epitaphium. VIRO CONSULTISSIMO CLARISSIMO CLAUDIO PLUMIO J.U.D. ET P.P. IN REGIA ACADEMIA HAFNIENSI PER XXXII. ANN. CELEBERRIMO, QUATER INTEREA RECTORI, ET BIS MARITO, AC EX UTROQUE CONJUGIO XVIII. LIBERORUM PATRI: RELICTA VIDUA KIRSTINA, CUNRADI F. CUM LIBERIS SUPERSTITIBUS HOC MONUMENTUM MOESTISSIME PONI CURAVIT

ANNO MDC.L.

Scripta:

Scripta. *Diſputationes II. de Uſucapionibus, & IV. de Jure Connubiorum.*

De Tutoribus & Tutelis.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

JOHANNES MAXIMILIANUS ZUM JUNGEN.

Obiit A.C. 1649.

MUndum hunc *Francofurti* ad *Mœnum* per nativitatem ingreſſus 11. Sept. A.C. 1596. Patrem habuit *Johannem Hectorem*, Senatorem, Matrem *Chriſtinam Kelneriam*.

Cum puer Gymnaſii Patriæ Claſſes frequentâſſet, accedente privatâ Præceptorum inſtitutione, A. 1614. Academiam *Juliam*, quæ *Helmſtadii* eſt, acceſſit, ſtudiis & artibus liberalibus dans operam usque ad A. 1618. quo à Domino Parente revocatus, & in Academiam *Jenenſem* miſſus. *Studioſus Helmſtadii, & Jenæ.*

Sed ſemianno tantùm ibi exacto, *Helmſtadium*, Patre volente, reverſus eſt.

A. 1619. Domum revocatus, ſtatim cum Legato *Gallico*, Dom. *Bogéo*, in *Galliam* iter ſuſcepit, & cum biennium in Academiâ *Bituricenſi* in linguâ *Gallicâ* diſcendâ ſtudiisq; Juridicis continuandis exegiſſet, in Patriam rediit. *in Academiâ Bituricenſi.*

An. 1620. Juſſu Domini Parentis, *Italiam* ingreſſus, *Florentiæ* maximam partem commoratus, A. 1624. cum maximo Eruditionis & Experientiæ Politicæ theſauro domum rediit.

Octiduo pòſt in *Hollandiam* diſcedens, eâ bimeſtri ſpatio perluſtratâ, domum reverſus A. 1625. nuptias celebravit cum virgine ex Patritiorum familiâ *Mariâ Salome Stalburgeriâ*, ex quâ filium cum duabus filiabus progenuit. *Conjugium ejus, & Liberi.*

Filius veſtigiis paternis inſiſtens, in Academiis diverſis ſtudia tractans, à Patriâ abſens Parentem amiſit. Uxor, eo Legati nomine ad Pacis Tractatus *Osnabruggæ* abſente, 4. Sept. A. 1646. vitam finiit. *Legatus ad Pacis Tract. Osnabruggæ.*

A. 1633. In Senatum *Francofurtenſem* allectus, A. 1637. Conſul junior per electionem evaſit. A. 1639. Dicaſterii aſſeſſor, & demum A. 1644. Conſul ſenior declaratus eſt. *Conſul. & Dicaſterii aſſeſſor.* Linguas diverſas callens, inſignem Bibliothecam magnis ſumptibus congeſſit, & auxit, ſtudiis tractandis ſubinde delectatus. *Bibliothecam inſignem habuit.*

Hâc de causâ plurimis Patriæ nomine Legationibus adhibitus eſt, & Legatos Regios Electorales, Principum Imperii *Francofurtum* venientes linguis *Hiſpanicâ, Gallicâ, Italicâ*, quas æquè ac maternam didicerat, excepit. *Linguas Hiſpanicam, Italicam & Gallicam perfectè calluit.*

Conciones in Patriâ *Gallicas* ſummâ cum delectatione frequentavit, & multa Volumina Scriptorum Theologicorum perlegit, eorumque non pauca deſcripſit. Symbolum frequenter in ore habens: *Æternitatem cogito:* ultimis vitæ annis lectione Tractatuum, de 4. noviſſimis, & de Præparatione ad mortem cumprimis delectatus eſt.

Calculi tandem doloribus exhauſtus, morte placidâ vitam finiit laborioſam 6. Junii A.C. 1649. æt. 53. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri Johannis Conradi Mohrii, Concionatoris Eccleſiæ Germanicæ & Gallicæ Francofurti ad Mœnum.*

JOHANNES GEORGIUS HALBRITTERUS.

Obiit A.C. 1649.

NAtus eſt *Tubingæ* 6. Jan. An. C. 1591. Patre *Johanne Halbrittero*, J.C. Conſiliario *Würtenbergico*, & Jurium in Academiâ *Tubingenſi* Profeſſore, novies Rectore, & duodecies Decano, Matre *Euphroſynâ, Georgii Kiltwangii*, Juris Doctoris, & Cameræ *Spirenſis* Advocati filiâ.

Studiis humanioribus in Academiâ patriâ deditus, ſub Dom. Parentis manuductione Jurium ſtudia aggreſſus A. 1615. ætat. 24. gradum Doctoris, & ſupremos in utroque Jure honores *Tubingæ* cum laude conſecutus eſt. *Juris Doctor Tubingæ.*

Mox *Wimpenæ* Syndici munus adeptus, praxin exercuit, & A. 1622. *Ratisbonam* domicilium transferens, Conſiliarii & Advocati nactus officium, in eo 27. annis ad finem usque vitæ perſeveravit. *Syndicus Wimpenæ. Conſiliarius Ratisbonenſis.*

An. 1614 Conjugii fœdus iniit *Tubingæ* cum virgine *Roſinâ Margarethâ*, Dom. *Valentini à Mühlen* filiâ, quæ duos ei filios cum filiâ peperit, omnes ante patrem vitâ defunctos. *Conjugium ejus duplex.*

Hâc conjuge A. 1622. demortuâ, biennio pòſt iterum deſponſatus eſt cum virgine *Sarâ Beatrice*, Dom. *Johannis Schiltelii*, Senatoris *Ratisbonenſis*, Hanſæ Comitis & militiæ Præfecti ſupremi filiâ, quam viduam reliquit, cum filio *Johanne Georgii*, & duabus filiabus, ex quarum natu majore duos nepotes vidit.

Commiſſiones & Legationes varias Reipublicæ patriæ nomine fideliter cum obiiſſet, tandem doloribus podagricis exhauſtus, accedente diarrhœâ contumaci, ſenſibus integris inter adſtantium preces placidâ *Legatus.*

Moritur. cidâ morte ſublatus obdormivit 9. Sept. A. C. 1649. ætatis 59. *Ratisbonæ* ſepultus in cœmiterio ad S. *Lazarum.*

* *Ex Concione funebri Chriſtophori Sigiſmundi Donaueri, Miniſterii Evangelici Ratisbon. ſenioris.*

SEBASTIANUS STRIPENIUS.

Obiit A.C. 1649.

NAtus eſt in Caſtello *Marchiæ Brandenburgicæ Glienicke*, 25. Martii A.C. 1582. Patre *Baltaſaro*, Præfecto *Brandenburgico*, in oppido *Arendſeâ*, qui An. C. 1609. ætatis 70. obiit: Matre *Urſulâ*, *Hoieji Gartzii*, Senatoris *Saltzwedelenſis* filiâ.

Wittenbergæ Juris ſtudioſus. Cum literarum fundamenta in patriâ poſuiſſet, A. 1599. *Wittenbergam* ad Juris ſtudium tractandum acceſſit, ubi in annum quintum commoratus, docentes audivit D. *Valentinum Wilhelmum Forſterum*, D. *Lucam Becmannum*, & D. *Andream Waſſeum*.

An. 1604. *Lugdunum* indè *Batavorum* ſe contulit, hoſpitio uſus D. *Dominici Baudii*. Exindè cum per *Angliam* & *Galliam* iter ſuſcepiſſet, An. 1607. *Berolinum* in aulam *Brandenburgicam* regreſſus, cum *Simoni Ulrico Piſtoris*, Conſiliario Electorali intimo innotuiſſet, ab hoc Electori *Joachimo Friderico* commendatus eſt, qui eum *Hieronymo* *Secretarius Brandeburgicus.* à *Diſcow* in *Belgium* ad Pacis Tractatûs diſceſſuro Secretarium adjunxit, cum quo plures abindè Legationes feliciter peregit.

An. 1610. Cum *Chriſtophoro* à *Dohnâ* in *Galliam* ad Reginam viduam ablegatus, ibidem Secretarii munus obivit.

A. 1611. *Berolinum* veniens, & *Adamo* Baroni à *Putlitz*, Conſiliario Electoris intimo, *Feudorum Secretarius.* inſervire ſatagens, ab eo ſtatim Feudorum Secretarius factus, & in hoc munere ab Electore *Johanne Sigiſmundo* confirmatus eſt, 26. Oct. An. 1615. Ab eodem Conſiliarius aulicus & Judicii Cameralis conſtitutus.

Conſiliarius ſecretus Brandeb. & Legatus. 15. Oct. A. 1625. Elector *Georgius Wilhelmus* inter Conſiliarios ſecretos ipſum adſcivit, & abindè variis Legationibus adhibuit. In his muneribus ab Electore *Friderico Wilhelmo* confirmatus, ejuſque abſentis Vicarius in ditionibus *Juliacis* declaratus eſt.

Nuptias celebrat. 25. Jan. An. C. 1613. *Coloniæ* ad *Spream* nuptias celebravit cum virgine *Evâ Mariâ*, *Friderici Pruckmanni*, Cancellarii *Brandenburgici* filiâ. Ex eâ 2. filios & 5. filias ſuſcepit: *Fridericum Balthaſarum*, 25. Dec. An. C. 1617. ætatis 3. defunctum: *Adamum Fridericum*, natum 20. Febr. A. 1625. Patris in Conſiliarii munere Succeſſorem: *Evam Mariam*, A. 1630. deſponſatam *Caſtrini* D. *Adamo Nöslero*, Conſil. Elect. eoque A. 1637. defuncto D. *Bernhardo Zieritio*, Conſil. *Brand.* *Annam Sibyllam*, & *Evam Urſulam*, in infantiâ denatas: *Evam Catharinam* nuptam A. 1640. *Johanni Tornavio*, Conſiliario aulico & Secretario Feudorum: & *Annam Eliſabetham* deſponſatam *Georgio Wilhelmo Schardio*, Juris Licentiato & Conſiliario *Brandenburgico*.

Cum tandem à 15. annis malo hypochondriaco graviter afflictus fuiſſet, ita, ut poſtremis vitæ annis propter dyſpnœam domo vix egredi potuiſſet, accedente tandem cum febri tumore aſcitico vitam beatâ *Moritur hydrope.* morte finivit *Coloniæ* ad *Spream* 29. Octob. A.C. 1649. ætatis 68.

* *Ex Concione funebri D. Johannis Bergii, Concionat. aul. Elect.*

JACOBUS MARQUARDUS à GLAUBURG.

Obiit A.C. 1650.

NAtus eſt *Francofurti*, ex familiâ Patritiâ 7. Julii A. 1602. Patre *Johanne Adolpho Glauburgio*, qui obiit A. 1611. Matre *Urſulâ*, *Marquardi Freberi*, J. C. filiâ, quæ obiit A. 1610.

In Scholâ patriâ literarum fundamenta poſuit ſub inſtitutione M. *Henrici Hirtzwigii*, Rectoris in Gymnaſio *Francofurtenſi*, poſteà Concionatoris Aulici *Butzbachii*.

Studioſus Juris Argentorat. A. 1620. *Argentoratum* miſſus, ſtudia Juris ibi tractare cœpit.

A. 1623. *Tubingam*, & anno ſeq. *Genevam* profectus eſt.

Ejus itinera. Exindè per *Galliam*, *Angliam*, & Provincias *Belgicas* iter faciens, linguas exoticas didicit.

Nuptiæ. An. 1627. 18. Junii *Francofurti* nuptias celebravit cum virgine ex eâdem familiâ, *Mariâ Veronicâ Glauburgiâ*.

Ex eâ tres filios in pueritiâ mortuos ſuſcepit, & duas filias patri ſuperſtites.

Senator Francofurt. An. 1632. In Senatum patrium aſcitus, Xenodochii quoque Præfectus & Scholarcha factus eſt.

Conſul. A. 1639. Conſul urbis junior, & A. 1647. Conſul ſenior declaratus.

Moritur. A biennio infirmus & atrophiâ conſumptus, ſubitò exſpiravit 27. Martii A. 1650. ætatis 47.

JOHANNES CASPAR UNRATH.

Obiit A.C. 1650.

SChönoviâ Principali in Comitatu *Hennebergico-Francus*: natus 15. Sept. A. C. 1608. Promotus *Altorfii*, Juris utriusq; Doctor 13. Febr. An. 1637. *Jenam* venit *Profeſſor Juris Jenæ, & Aſſeſſor Curialis.* A. 1646. receptus in numerum cum Profeſſorum Juridicorum, 2. Junii, tum Aſſeſſorum Curialium 19. Sept.

Moritur. Obiit *Jenæ* 4. Junii A.C. 1650. ætatis 42.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc appoſuit *Epigramma*:

Epigramma.

Johannes Caſpar Unrath cognomine dictus:
Omine ſed Themidos Conſiliator adeſt.
Juridicæ quondam Jenæ veteranus alumnus,
Nunc gemini Juris lemmata docta docet.

ANDREAS PETRUS WOLFRUMIUS.

Obiit A.C. 1650.

MUndi hujus theatrum ingreſſus eſt 22. Febr. An C. 1590. *Regiomonti* in *Franconiâ*, ortumque traxit è familiâ

pervetuſtâ, quæ 300. ultrà annos ibidem ſedem habuit.

Parentes ejus. Pater ipſi fuit M. *Johannes Wolfrum*, diſtrictûs *Regiomontani* quondam Præfectus, qui A. 1621. æt. 71. obiit: Mater *Barbara*, *Nicolai Martini*, Præfecti *Heliburgenſis* filia, quæ An. 1629. æt. 74. ad quietis portum morte fuit delata. E ſacro fonte ſuſceptus à Dn. *Andreâ Graſero*, tunc temporis *Regiomonti* Paſtore & Superintendente, nomen *Andreæ* cum auctario *Petri*, propter natalem, accepit.

Puer *Coburgum*, tanquàm literarum emporium, amandatus eſt, ſed cum Athenæum id nondum eſſet ad erudiendam juventutem apertum, maluit parentum ſuorum conſenſu brevi pôſt ſe conferre ad Scholam provincialem *Gothanam*, tunc famâ celebrem, in quâ gradatim omnes per Claſſes feliciter proceſſit, donec A. 1609. ſtudia ſua ad exoptatum ſcopum devoluturus, *Salanam* Academiam adiit, in quâ animum primùm ad Philoſophiæ ſtudium appulit, poſteà Juriſprudentiam cum eo conjunxit, cui ſe totum conſecravit. *Jenæ Juris ſtudioſus.*

Decennio ibi exacto, conditionem nactus apud Dom. *Georgium Schieferum*, Baronem *Auſtriacum*, ut ſtudiorum ejus moderator *Argentoratum* cum eo conceſſit, indè *Baſilæam* veniens, Doctoris ibi gradum & privilegia 16. Sept. An. 1619. unà cum 4. Competitoribus impetravit. *Doctor Juris Baſileæ.*

Deindè rectà in *Galliam* abiit, & *Genevam*, indèque *Lutetiam Pariſiorum* profectus, ibi linguam diſcendi gratiâ totius anni ſpatio commoratus eſt, quo effluxo *Italiam* ſalutavit, & *Romam*, *Neapolim*, *Carettam*, *Anconam*, *Venetias*, *Ravennam*, *Patavium*, *Mantuam*, *Florentiam*, aliaſque urbes celebres peragravit.

Eo itinere peracto, cum Barone ſuo per *Belgium* in *Auſtriam*, & indè in *Franconiam* ad parentes ſuos *Regiomontum* incolumis reverſus eſt.

Deſponſatur. A. 1623. *Coburgi* nuptias ſolenni ritu celebravit cum *Annâ Mariâ*, Dom. *Johannis Getringi*, J.C. & Advocati Equitum *Franconiæ* relictâ viduâ, ex celebri familiâ *Rödigerorum Suinfurti* prognatâ: quo in matrimonio vixit quidem ſterilis, ſed tamen pacificè.

Nuptiis ex voto peractis, exiguum ad tempus in cauſis forenſibus eouſque ſe exercuit advocando, donec vacante ſede in Scabinatu A. 1626. à Principe *Saxoniæ Johanne Caſimiro* in Aſſeſſorem illius, & Profeſſorem Gymnaſii vocaretur. *Profeſſor Juris Coburgi.*

Conſiliarius Saxonicus. Biennio vix elapſo, A. 1628. per legitimam vocationem in Dominorum Conſiliariorum Collegium cooptatus eſt, in quâ functione reſiduum vitæ ſuæ tempus conſumſit.

Cum tandem ab annis aliquot crebris infeſtatus fuiſſet obſtructionibus, quas comitata eſt icteritia, ejus violentiam Medici per medicamenta mitigârunt: facta verò recidiva febrem malignam ſecum adduxit, quæ vires exhauſit, donec beatam animam exhalavit *Coburgi* 9. Aug. A.C. 1650. æt. 61. *Moritur ictero.*

* *Ex Concione funebri D. Tobiæ Seiſarti, Superintendentis generalis.*

JONAS POMMERUS.

Obiit A.C. 1650.

D*ildenhoſii* natus eſt 25. Jan. A.C. 1579. Patre viro Reverendo M. *Johanne Pomerano*, illius loci tunc Eccleſiæ Paſtore, & antè *Philippi Landgravii Haſſiæ* Præceptore. Matrem habuit *Agnetem Haxiam*.

Cum Patrem A. 1599. amiſiſſet, *Marpurgi* ſtudiis operam dedit, & adeò profecit, ut A. 1603. prægreſſâ vocatione *Gleybergæ* Præceptoris Scholaſtici munus adierit.

Deindè in Judicio Scribam agens, *Spiram* concedens, Praxin aliquandiu exercuit: donec, poſt obitum *Bartholomæi Kolbii*, Quæſtor *Gleybergenſis* à Generoſo Domino *Ludovico*, Comite *Naſſovio Sarbruccenſi*, factus eſt. A. 1628. Ejuſdem Comitis Conſiliarius factus, Dn. D. *Johanni Hermanno Stammio Spiram* avocato in munere ſucceſſit. *Quæſtor Com. Naſſov. & Conſiliarius.*

A. 1631. Quatuor Comitibus *Naſſoviis* fratribus *Weilburgi* commorantibus, deſignatus ab iis Conſiliarius Cancellariæ functionem eam fideliter adminiſtravit usque ad A.C. 1634. quo turbis bellicis ingruentibus *Gieſſam* diſcedens, 12. annos exul tranſegit, nihilominus Comitum ſuorum pro viribus miniſter fidelis exiſtens. A. 1646. Comes in ditiones ſuas reverſus, eum non modò priſtino Conſiliarii munere donavit, ſed inſuper Præfectum *Weilburgenſem* clementer denominavit. *Conſiliarius Cancellariæ.* *Exul Gieſſæ.* *Præfectus Weilburgenſis.*

A. 1603. Conjugium *Gleybergæ* init cum viduâ Dom. *Philippi Schefferi*, Quæſtoris, *Judithâ*, Dom. *Johannis Clemmii*, Prætoris *Gleyberg.* filiâ, ex quâ 3. filios & 2. filias ſuſcepit, ſed filium tantùm cum filiâ poſt obitum reliquit. *Conjugium ejus duplex & Liberi.*

Hâc Conjuge A. 1632. vitâ defunctâ, 12. annos in viduitate tranſegit, & An. 1644. conjugium reiteravit cum *Catharinâ Neumannia*, Dom. *Petri Junckheimii*, Senatoris *Gieſſenſis* filiâ, quam nullis ex eâ procreatis liberis viduam reliquit. Ex podagricis tandem & calculi doloribus conſumptus, & lecto affixus, cum à liberis ſuis rogaretur, ut Medicum aliquem conſuleret, reſpondit: Senem ſe vitæ ſaturum ſummo Archiatro concredidiſſe, & ad mortem beatam anhelare, quam Deo votis clementer annuente conſecutus eſt 26. Sept. A.C. 1650. æt. 72. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri Johannis Caſpari Georgii, Weilburg. Eccleſiæ Paſtoris.*

JONAS POMMERUS, JURISCONSULTUS, CONSILIARIUS ET PRÆFECTUS NASSOVICUS, ÆTERNA MEMORIA DIGNISSIMUS.

Per Anagramma *Joh. Debus*, Poetæ, & Gymn. *Spir.* Conrect.

O nos! O miſeros ſanè! Si Tu Vir clariſſimè cum magnâ fide Parcas niſi evitare minus potes. O! riſus in luctus!

CHRI-

Obiit A.C. 1651.

CHRISTOPHORUS PREIBISIUS.

PRimos hujus viri vagitûs excepit *Sileſia*, & in illâ *Sprottavia*, Ducatûs *Glogovienſis* ad *Boberam* oppidum, ipſo purificationis S. *Mariæ* Feſto A.C. 1580.

Filius Conſulis Sprottavienſis. Parentem honoravit Dn. *Georgium Preibiſium*, Senatorem iſtius loci, & Xenodochii Præfectum, quem paucis à nativitate annis præmiſit: Matrem *Dorotheam*, Dn. *Johannis Seligeri*, S. Theologiæ Licentiati, & Superintendentis *Delitiani* filiam, quæ in viduo thoro ætatis annos ad 84. produxit.

Diſcipulus in Gymnaſio Breg. & Uratiſlav. Puer præclaræ indolis informationi Dn. *Valentini Tſcheuſchneri*, & M. *Melchioris Laubani*, Poëtæ & Philoſophi, Gymnaſii *Bregenſis* Rectoris, fuit commiſſus. Jactis ibi pietatis & bonarum artium fundamentis *Uratiſlaviam*, *Sileſiæ* metropolim ſe contulit, commendatus M. *Nicolao Steinbergero*, Gymnaſiarchæ, nec non M. *Martino Weinrichio* & M. *Seidelio*, Collegis, quorum inſtitutione fideli per triennium in linguis & artibus cos fecit progreſsûs, ut pelago ſtudiorum Academicorum ſe credere poſſet.

P. Jeſuitar. Olmutii Id antequàm hortatu Dnn. Præceptorum fieret, *Olomutii* Jeſuitarum Patrum ingreſſus Collegium, artium liberalium ſtudiis per annum incubuit, Patribus ob ingenii felicitatem charus, ſed cum ab iisdem ad fidem Pontificiam amplectendam ſollicitaretur, ſubitò diſcedens indè An. 1599. in

Lipſiæ Philoſ. ſtud. Academiam *Lipſienſem* conceſſit, auriumq; operam diligentem Profeſſoribus, D. *Matthæo Dreſſero*, M. *Joh. Neldelio*, D. *Joh. Curtio*, & M. *Joh. Friderico*, *Lipſ.* Academiæ luminibus, navavit. Privatâ verò informatione & converſatione M. *Auguſto Vogelio* magnæ expectationis Philoſopho, & *Hieronymo Kromayero*, S. Theol. Licentiato & Superintendenti poſtmodùm *Plavienſi* aliisque adhæſit.

Horum manuductione in ambulacris Peripateticis tanta emenſus fuit ſpatia, ut circa feſtum *Michaëlis* A. 1600. primos, & A. 1602. Decano M. *Erhardo Lauterbachio*, S. Theol. poſtmodùm Doctore & Præſula-

Philoſophiæ Magiſter Lipſiæ. tûs *Numburgo-Cizenſis* Superintendente, ſupremos in Philoſophiâ honores cum laude fuerit conſecutus.

In Collegium Facultatis Philoſophicæ receptus. Indè commota Facultas Philoſophica, A. 1607. præmiſſis præmittendis in conſortium ſuum eundem recepit, & ad futura commoda pluresque dignitates viam aperuit.

Ter Decanus Philoſophiæ, & bis Procancellarius. Decani quippè munere tribus, Procancellarii duabus vicibus tantâ dexteritate functus eſt, ut A. 1612. primâ vice Decanus factus, poſt obitum M. *Joh. Neldelii* Profeſſor Philoſophiæ Practicæ deſignatus fuerit.

Studio Medico deditus. Hâc de causâ ſtudium Medicum, cui anteà quoque deditus fuerat, cujusque gratiâ *Baſileam* proficiſci, Gradumque Doctoris petere decreverat, deſeruit.

Profeſſor Phyſicæ. A. 1617. Profeſſionem Phyſicæ quoque à Sereniſſimo *Saxoniæ* Electore, præviâ Facultatis inclytæ denominatione, aggreſſus eſt.

Hisce functionibus acceſſit A. 1613. auctarium Collegiaturæ in Collegio Principum minore, defuncto *Georgio Felgio*, Medicinæ Doctore, & An. 1617. in majore Principum Collegio, diſcedente *Lipſiâ* M. *Martino Wirthio*, Eccleſiæ *Freibergenſis* Paſtore, tandemque A. 1619. poſt obitum D. *Michaëlis Wirthi*, J.C. & Profeſſoris publici in Collegio B. Virginis, in quo ſenior ipſe 16. annos ad beatam analyſin usque vixit.

Ad ſtudium Juris progreſſus. Intereà ad ſtudium Juris, Medici loco, animum applicuit, in quo Profeſſores tum temporis celebres Dn. *Michaëlem Wirthium*, Ordinarium, D. *Franciſcum Romanum* itidem Ordinarium D. *Eliam Heidenreich*, & D. *Michaëlem Wirthium*, juniorem, Anteceſſores omnes, à quorum ore dependeret, Daduchos ſibi legit.

Juris Licentiatus & Doctor. Sacris iſtis initiatus apud facultatem Juridicam A. 1612. nomen profeſſus, A. 1615. Licentiæ gradum, & An. 1616. ſuprema Docturæ Inſignia cum laude impetravit, & poſtquàm Collegiis Juridicis privatis Studioſæ Juventutis commodis velificatus eſſet, ordine ferente in Collegium iſtud cooptatus A. 1631. ad ipſum Senioratum, poſt

Senior Facultatis Juridicæ. obitum D. *Sigismundi Finckelthuſii*, Conſulis & J.C. Ordinarii aſcendit.

A. 1618. Cum Generoſus Dom. *Georgius Erneſtus à Schonburg* Academiæ *Lipſienſis* Rector Magnificentiſſimus fuiſſet electus,

Prorector, & Rector Lipſ. eidem Prorectoris nomine adjunctus, & A. 1629. Rector ipſe magnificus renuntiatus, quod etiam tertiâ vice menſ. Oct. An. 1650. factum, muneribus hisce fideliter

Primus in Rectoratu obiit. functus eſt, & in ultimo ſuo Rectoratu vitam clauſit, quod in Academiâ *Lipſienſi* per 240. annos florente nunquàm anteà obtigit.

An. 1627. ab Imperatore *Ferdinando II.* ipſe cum fratribus ſuis, M. *Johanne*, Paſtore *Kotzendorfenſi*, & *Georgio*, Senatore, *Sprottavienſi*, eorumque poſteris omnibus Nobilium Ordini gratioſè fuit adſcriptus: hicque

Comes Palat. Cæſ. prætereà Comitibus S. Cæſarei Palatii annumeratus. Et cum utrumque Diploma Nobilitatis & Comitivæ Cæſareæ per *Suecorum* in *Sileſiâ* direptiones fuiſſet perditum, ab Imp. *Ferdinando III.* illud ipſum non

Exemtus S. Rom. Imperii. modò reſtitutum, ſed & novo Privilegio, Exemptione nimirum Sacri *Romani* Imperii, fuit auctum.

Cœlebs obiit. Cœlebs cum vixiſſet, cum omnibus tranquillus & bonus Chriſtianus, ex marcore ſenili, cui pleuritis ſpuria acceſſit, animam tandem Creatori per mortem placidam reddidit 1. Martii A. C. 1651. ætatis 72. in tertio Academiæ *Lipſienſis* Rectoratu.

* *Ex Programmate funebri Rectoris Lipſienſis, & ex Concione funebri D. Johannis Hülſemanni, Prof. Theol. publ. & Paſtor. ad S. Nicolaum.*

LUDO-

Obiit A.C. 1651.

LUDOVICUS CAMERARIUS.

NOrimbergæ natus eſt 22. Jan. A.C. 1573. Patre *Joachimo*, Medico celebri, Matre *Mariâ, Balthaſ. Rumelii*, Præfecti *Altorfini*, filiâ.

Puer à Parente in Scholam *Sultzbacenſem* miſſus, cum ibi literarum fundamenta jeciſſet, in Academiis *Lipſienſi, Juliâ*, & *Altorfinâ* ſtudia Jurium tractavit. Deindè *Italiam* ingreſſus, cum *Patavii* aliquandiu ſubſtitiſſet, regione illâ perluſtratâ, in *Germaniam* rediit, & *Baſileæ* Doctoris in Jure Gradum aſſumpſit 28. Julii A. 1597. *Doctor Juris Baſileæ.*

Poſteà cum *Spiræ* Praxeos addiſcendæ causâ brevi tempore commoratus eſſet, ab Electore *Palat. Friderico IV. Heidelbergam* vocatus, & in Judicium Conſilii aulici ſuſceptus eſt A. 1598. *Conſiliarius Palat.*

Deſponſatur. Tum matrimonio ſibi junxit virginem *Mariam Modeſtam*, filiam *Gerhardi Paſtoris*, Cancellarii *Palatini*, cum quâ 44. annos in felici concordiâ vixit, ſuſceptis ex eâ 7. liberis, è quibus tres reliquit ſuperſtites: *Joachimum*, Conſiliarium poſteà *Suecicum*, *Mariam Modeſtam*, *Friderico Dorvilio*, Conſil. *Palat.* & *Annam Catharinam*, *Paulo Straſburgio*, Conſiliario *Suecico* nuptas. *Liberi ejus.*

21. Junii A. 1611. Poſt obitum Electoris *Friderici IV.* in ſupremum Conſilium receptus, Legationibus abindè variis perfunctus, A. 1612. ad Imp. *Rudolphum II.* & an. ſeq. ad Imp. *Matthiam*, multis etiam Comitiis & Conventibus Imperii Electoris ſui nomine interfuit. *Legatus Palat.*

An. 1619. Cum Elect. *Palat. Friderico V.* facto Rege *Bohemiæ* infelici ſucceſſu *Pragam* venit, eundem rebus deindè malè ſuccedentibus in exilium ſecutus, in patriam rediit, & paulò pòſt ad Conventum *Heilbronnenſem* ſe contulit. *Exul Norimbergam redit.*

Eod. An. Cum *Joh. Alberto*, Com. *Solmenſi*, *Joh. Chriſtoph. Grünio*, *Volrado Pleſſio*, *Henr. Theodorico Schombergio*, *Andreâ Pauli*, *Joh. Frid. Schloero*, *Georg. Frid. Paſtorio*, *Joh. Joach. Rusdorfio*, *Joh. Eberhardo ab Eltz*, *Joh. Mendelio*, *Joh. Conrado Plarero*, *Abrah. Sculteto*, Thel. D. & Conſil. Eccleſiaſt. Legatis *Palat. Francofurtum* ad Comitia Imper. venit.

Hagam Comitum migrat. A. 1622. Perfunctus Legatione *Danicâ*, cum familiâ ſuâ in *Hollandiam Hagam Comitum* migravit. An. 1625. à Statibus *Hollandiæ* & variorum Principum Legatis *Hagæ Comitum* congregatis Legatus ad *Sueciæ* Regem *Guſtavum Adolphum* miſſus, ab eo inter Conſiliarios ſuos receptus an. 1626. & an. 1629. Regis ejusdem Legatus in *Belgio* ordinarius deſignatus eſt. *Regis Sueciæ Conſiliarius, & Legatus ord. in Belgio.*

Nec minus Reginæ *Chriſtinæ*, cum an. 1632. Patri ſucceſſiſſet, fuit acceptus, quæ an. 1648. ut ad ſeſe in *Sueciam* veniret, per literas rogavit, quod viribus corporis ſenio abſumptis facere non potuit.

Sub initium Regni *Chriſtinæ* cum dimiſſionem à munere Legati *Suecici* obtinuiſſet, eâ conditione id factum, ut ad dies vitæ Conſiliarii Secreti penſionem obtineret.

Tum *Lugdunum Batavorum* cum familiâ ſe contulit, & exindè an. 1642. *Gröningam Friſiorum*, ubi eodem anno 5. Julii Conjugem præmiſit. *Lugdunum Batavorum & Gröningam concedit.*

19. Junii an. 1651. *Heidelbergam* cum liberis, nepotibus, & genero reverſus, domum priſtinam inhabitavit, charus Civibus, de reditu felici in patriam ipſi gratulantibus. Ibi vitam beatâ morte finiit 4. Oct. A.C. 1651. ætatis 79. *Heidelbergam reverſus. Moritur.*

* *Ex Programmate funebri.*

LUDOVICUS CAMERARIUS.
Per Anagramma:
O cura laudum ſic vires? Et:
Cura cos laudum his vire!
Laus eſt virtutis Cos, quam parit ardua cura,
Hinc laudum curâ ſic vir amande vires.

* *Georg. Theodor. Hoſmannus Dec. 19. Centur. 3. Anagramm.*

Obiit A.C. 1651.

CHRISTIANUS TAUBMANNUS.

WIttenbergæ in lucem editus 27. Sept. A.C. 1597. Patrem habuit M. *Fridericum Taubmannum*, Poëſeos in Academiâ *Wittebergenſi* Profeſſorem publicum, ob eruditionem non modò viris eruditis, ſed etiam Principibus æſtimatum, Matrem *Eliſabetham*, *Johannis Matthæi*, Civis honeſti filiam. *Filius Friderici Taubmanni.*

Adoleſcens præclarâ indole præditus, ingenium ſuum in tenerâ ætate probavit amicis paternis, imprimis *Jano Grutero* & *Jano Meurſio*, de omni literarum elegantiâ & antiquitate præclarè meritis, cum in Patris ſui Commentariis, quos in *Virgilium* fecerat, colligendis & à morte ejus publicandis occuparetur. *Patris Comment. in Virgilium publicavit.*

A. 1621. *Altorfium Noricorum* profectus, Juri Civili navare cœpit operam. Sed exacto biennio *Wittenbergam* rediit. A. 1626. *Argentoratenſi* Academiæ Civem dedit. 10. Maji An. 1628. Doctor Jurium creatus *Baſileæ*, per *Helvetios* petiit *Galliam*, quâ peragratâ cum rediiſſet, *Argentoratum*, *Tubingam* paulò pòſt profectus, aliquandiu ibi ſubſtitit. *Juris Doctor Baſileæ.*

An. 1629. Reverſus domum, extrà ordinem Jus docere publicè Electorali autoritate aggreſſus eſt, quâ provinciâ cum 5. annis perfunctus eſſet, in Profeſſorum ordinariorum numerum allectus, ſimulque inter Aſſeſſores Facultatis & Scabinatûs, nec non Electoralis Curiæ adſcriptus eſt. Quibus muneribus cumuli loco acceſſit Aſſeſſura Provincialis Judicii inferioris *Luſatiæ*, quam ultimo vitæ anno ſibi delatam propter valetudinem infirmam adire non potuit. *Juris Profeſſor Witebergæ. Aſſeſſor Curiæ Electoralis.*

Decanatum Collegii Juridici aliquoties, Academiæ faſces, qui penès Rectorem ſunt, bis, ſummâ cum fide & integritate geſſit. Ultimum tamen Rectoratum admodùm jam infirmus ſuſcepit, & pro viribus ſuſtinuit.

Uxores

Conjugium ejus duplex.

Uxores duas habuit: primam *Mariam Magdalenam Hilgeriam*, D. *Wolffgangi Schalleri*, Medicinæ Profeſſoris in Academiâ *Wittebergenſi* publici viduam: alteram *Hedwigen, Mauritii Gravii*, rei villaticæ in aulâ *Lichtenburgicâ*, Præfecti filiam. Ex priore ſuſcepit duos filios, *Fridericum* & *Chriſtianum*, neutrum vivacem, aut matri ſaltem ſuperſtitem. Ex alterâ tulit filiolas, quarum ultima *Hedwige Catharina* 7? ante parentem annis ad tumulum elata eſt, altera *Chriſtina Eliſabetha* ſuperſtes in avi [illegible] ſinu adolevit. Cum primâ duos, cum alterâ undecim annis ſummâ cum utrâque concordiâ ex animi ſententiâ vixit.

Ab anni tandem fatalis initio cum peractis ſacris rediiſſet domum, iſchiaticis doloribus correptus, & per anni decurſum laborans, lætus tandem & optimi animi plenus inter medios hymnos placidè exſpiravit 28. Nov. A.C. 1651. æt. 55.

Moritur.

* *Ex Programm. fun. D. Mich. Sennerti, Med. Prof. & ex Concione fun. D. Abrah. Calovii, Theol. Prof.*

Epitaphium ejus *Wittebergæ* in Cœmiterio Parochiali:

Epitaphium.

CHRISTO SACRUM ET IMMORTALI MEMORIÆ CHRISTIANI TAUBMANNI J.C.ti PROFESSORIS ACADEMICI PUBLICI, FACULT. JURIDICÆ, SCABINATUS ELECTORALIS, QUÆ EST ET PROVINCIALIS CURIÆ LUSATIÆ INFERIORIS ADSESSORIS, QUEM VIRUM, QUOD CUM INTEGRITATE VITÆ CONSUMMATAM JURIS ET RERUM PULCHERRIMARUM OMNIUM SCIENTIAM CONJUNXERAT, DOCTIOR ORBIS QUA PATET MAXIME TAUBMANNI NOMINIS PATERNÆQUE GLORIÆ HÆREDEM LEGITIMUM VENERATUR, EOQUE QUOD CUM IN ILLO IN TANTUM FASTIGIUM EVECTA CUM EODEM TAUBMANNIA GENS OCCIDIT VERIS LACRIMIS LUGET MOESTA ET TENERÆ ÆTATIS FILIOLA UNICE SUPERSTES CHRISTINA ELISABETHA PATRI SEMPER OPTIMO HOC PIETATIS MONUMENTUM P.C. NATUS WITTEBERGÆ EST XXVII. SEPT. ANNO MDXCVII. SUPREMUM OBIIT INTEMPESTA NOCTE XXVIII. NOVEMB. MDCLI.

* *Ex Bibliothec. Academ. Witteb. Andr. Sennerti.*

Obiit A.C. 1651.

GEORGIUS RICHTERUS.

NOrimbergæ natus eſt 4. Maji An. 1592. Patre *Conrado Richtero*, Cive & Mercatore, qui obiit A. 1626. Mater ei fuit *Conſtantia, Conſtantini Bonecroi*, Germ. Gutt Kreutz/ Aurifabri *Antverpienſis* filia, quæ in infantiâ, durante *Hiſpanorum* in *Belgio* perſecutione, parentibus orbata, per matris ſuæ ſororem *Suſannam*, *Adriani Kälbiam*, *Norimbergam* deducta, & ibi filiæ loco educata, cumque adoleviſſet, præfato *Conrado Richtero* nupta, *Norimbergæ* obiit an. 1600.

A. 1607. In Academiam *Altorfinam* miſſus, Philoſophiæ & Juriſprudentiæ dedit operam. A. 1614. *Jenenſem* quoque, *Lipſienſem*, *Juliam* & *Roſtochienſem* inviſit Academias. Deindè per *Belgium*, *Galliam*, & *Angliam* iter ſuſcepit.

An. 1618. Cum *Baſileæ* Jurium Doctor creatus fuiſſet, Cameram *Spirenſem* inviſit, & eodem adhuc anno reverſus in patriam, mox inter Urbis Advocatos cooptatus eſt.

Fit Doctor Juris.

A. 1619. *Norimbergæ* nuptias celebravit 10. Maii cum *Suſannâ, Michaëlis Baurii* filiâ, & *Matthiæ Schyreri*, mercatoris, viduâ, 6. liberorum matre, cum quâ in conjugio felici 32. annos exegit, ſuſceptis ex eâ 5. liberis, filio unico & 4. filiabus, è quibus filium *Johannem Georgium*, J.C. & Reipublicæ Conſiliarium, cum filiâ natu minimâ reliquit ſuperſtites. Hunc filium vivus adhuc veſtigia ſua calcantem cum gaudio ſingulari vidit.

Deſponſatur.

A. 1620. Reſpublica Patria inter Conſiliarios ſuos adſcripſit eum, & abindè in variis Legationibus ad Cæſarem, Reges, Electores & Principes Imperii adhibuit.

Conſiliarius Norimbergenſis.

A. 1631. D. *Job. Chriſtoph. Oelhafio* in Procancellariatu Univerſ. *Altorfinæ* ſucceſſit, quod munus 20. annis fideliter adminiſtravit, in eoque ſucceſſit ei D. *Tob. Oelhaſius*.

Procancellar. Altorf.

Tandem ab annis aliquot doloribus podagricis & nephriticis exhauſtus, accedente orthopnœâ & hydrope, ſpiritum Creatori reddidit 9. Dec. A.C. 1651. æt. 60.

Moritur.

* *Ex Concione funebri Joh. Mich. Dilherri. Vitam ejus deſcripſit & Operi Epiſtolarum Patris præmiſit filius Johannes Georgius Richterus, Reip. Norib. & aliorum Imp. Ordinum Conſiliarius.*

Ingenii monumenta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Oratio fun. in obitum D. Erneſti Soneri. in 4to.

Memoria D. Georgii Nösleri in Oratione publicè habitâ. in 4to.

Digeſta Pietatis, ſive, de cultu Orationis Collectanea Theoretico-Practica. in 12mo.

Orationum Decades tres. in 8vo.

Epiſtolæ Selectiores. in 4to.

Obiit A.C. 1652.

LEONHARDUS SCHWENDENDORFERUS.

NOrimbergæ natus eſt 25. Febr. An. C. 1585. Patre cognomine Mercatore primario, Matre *Juſtina Neumariâ*.

Cum in Patriæ Scholis Arithmeticam & Linguæ Latinæ fundamenta didiciſſet, ad Mercaturam à Patre educatus, hujus gratiâ *Lipſiam* adoleſcens à Patre miſſus eſt ad Dom. *Thomam Lebzelderum*, Senatorem & Mercatorem, apud quem multos annos Miniſtrum fidelem egit, ejusq; demùm filiam in uxorem promeruit.

Lipſiæ Miniſter Mercatoris.

A. 1618. Senatûs *Lipſienſis* Aurifodinarum *Mansfeldicarum* adminiſtratorem eum conſtituit, & an. 1623. Collegam in Senatu ſuo adſcivit.

Senator Lipſienſis.

Variis abindè muneribus *Lipſiæ* præfectus an. 1630. Ædilis, an. 1635. Tutelarum pa-

 tronus,

properat; ita quoque Dn. *Draco* propter exquiſitam juris ac legum cognitionem, & expeditam in cauſis forenſibus exercitationem per inferiores officiorum & dignitatum gradus tandem ad ſummum celeriter eſt evectus.

Conſiliarius. E Scabinatu namque anno 1626. in Magnificum Dn. Conſiliariorum Senatum in Cancellariâ *Saxo-Coburgicâ* cooptatus, & biennio pòſt Scabinatûs Ordinarius, & Curiæ Provincialis Adſeſſor confirmatus fuit, quibus dignitatibus tandem ultima & ſuprema inſecuta eſt, ſcil. Cancellariatus, ut ab Illuſtriſſimo Principe Cancellarius & Conſiliarius intimus conſtitueretur. *Cancellarius.*

Quibus in officiis ſublimibus certè & ſplendidiſſimis, qualem ſe in adminiſtrando geſſerit, præſertim inſtantibus t. t. tumultibus bellicis, qui labores, curas & onera multiplicare ſolent, non opus eſt prolixâ commemoratione, cum rerum adſint teſtimonia, & adhuc tota loquatur provincia.

Ob hanc in expediendis officiorum laboribus fidelitatem & dexteritatem, ab Illuſtriſſimo Principe in Comitiis & Conventibus Imperii varias ad legationes fuit adhibitus, in quibus cum dona ejus paſſim innoteſcerent, non tantùm ab aliis Imperii Proceribus ſimiles ad functiones certatim fuit expetitus, ſed etiam multis privilegiis nobilitatus, & inter ea anno 1641. in Comitiis *Ratisbonenſibus* ab Imperatore *Ferdinando III. Comes Palatinus* creatus fuit.

Conjugium ejus. Ex liberis, quos ex Conjuge *Urſulâ Langeriâ* ſuſcepit, duæ adhuc ſuperſtites ſunt Filiæ honeſtiſſimis nobilitatæ matrimoniis, quarum altera *Anna Urſula*, Dn. *Johannis Chriſtiani Frommanni*, Medicinæ Doctoris, Archiatri ducalis, Medici Provincialis, & Profeſſ. Publ. *Coburgi* σύζυξ facta; alteram verò *Sabinam Barbaram*, Dn. *Johannes Georgius Heublinus*, J. U. Doctor, & Reipublicæ *Coburg.* Syndicus, duxit, nec tantùm liberi, ſed libri quoque ejus adhuc ſuperſunt, è quibus typis exſcripti extant:

Scripta.

1. *Tractatus de Jure & Origine Patriciorum.*
2. *De Origine & Jure armorum.*
3. *De patriâ poteſtate.*
4. *Quatuor decuriæ ex materiâ de Tutoribus & Curatoribus.*
5. *De Curâ & Curatoribus.*
6. *De hæreditate.*
7. *De ſequeſtratione.*
8. *De fœminis ad officia publica recipiendis.*
9. *De ſumtibus ſtudiorum.*
10. *De fructibus.*

Obiit *Coburgi* d. 25. April. 1648.

Obiit A.C. 1648.

LUCAS FRIDERICUS BÖHEIM.

NOrimbergæ natus eſt 17. Julii A.C. 1587. Patre *Paulo Bohemo*, Reipublicæ Patriæ Duumviro & Senatore primario, Matre *Urſulâ Sitzingeriâ*, è S. fonte ſuſceptus à *Lucâ de Werden*, Mercatore primario.

A. 1608. In *Galliæ* regnum à Patre miſſus, cum biennii ſpatio ſtatum Regiminis & Regni cum linguâ *Gallicâ* ſatis percepiſſet, An. 1610. ad Parentes feliciter rediit. *Iter ejus in Galliam.*

Menſ. April. A.C. 1611. In *Italiam*, Dom. Patre volente, iter ſuſcipiens, *Florentiæ* per 4. menſes ſubſtitit, & linguæ *Italicæ* diſcendæ operam dedit. *In Italiam.*

Menſ. Septembri *Venetias* indè diſceſſit, ubi cum nobilem quendam *Miſnicum*, *Rudolphum à Pinau*, vidiſſet, itineri *Conſtantinopolim* versùs, unà cum Gubernatore ſuo *Tobiâ Adami*, Conſiliario poſteà *Saxo-Vinarienſi* accinctum, Domini Parentis ſui conſenſum, ut itineris hujus Comes eſſet, per literas expetiit & obtinuit.

Itaque 13. Aug. ſeq. Navim *Anglicam* ingreſſi *Raguſam*, & exindè *Zanthem*, *Candiam*, *Cyprum* & *Tripolim* vecti ſunt.

Cumque deindè per DEI favorem Terram Sanctam ingreſſi *Hieroſolymam* Urbem, cum locis ſacris *JeſuChriſti*, miraculis, paſſione, reſurrectione & aſcenſione celebribus perluſtrâſſent, iterum *Italiam* versùs navi regreſſi, *Venetiis* feliciter appulerunt 3. Febr. An. 1612. *Iter Hieroſolymitanum.*

Hoc itinere feliciter, non ſine gravi tamen periculo, peracto, *Venetiis Romam* & *Neapolim* progreſſus, *Norimbergam* tandem ad Parentes reverſus eſt 11. Maji A. 1612.

Menſ. Jun. ſeq. cum Legatis *Noribergenſibus Francofurtum* ad *Mœnum* profectus, Cæſarem *Matthiam* coronari vidit, & domum reverſus, 4. Octob. anni ſeq. 1613. deſponſatus eſt cum virgine *Annâ Mariâ*, *Pauli Pfintzingii*, Patricii filiâ. Ex hâc tres ſuſcepit filios, & duas filias. Filii fuêre *Georgius Fridericus*, Patriæ poſteà Senator & Scholarcha, *Paulus Rudolfus*, in pueritiâ demortuus, & *Johannes Jacobus*, qui militiæ addictus *Gallicæ*, & Locumtenentis munere functus, antè *Mardicum* obſeſſum tormenti bellici globo percuſſus, mortem oppetiit 26. Aug. A.C. 1646. *Deſponſatur.*

Filiæ *Anna Sabina*, *Johanni Chriſtophoro Harſtörfero*, Eleemoſynarum in Patriâ præfecto, & *Suſanna* poſt Dom. Parentis obitum *Gotliebio Volcamero*, Capitaneo & Præfecto *Lichtenavienſi*, deſponſatæ fuêre.

A. 1622. Poſt obitum Domini Parentis in Senatum Patriæ adſcitus, A. 1633. Scholarcha, & A. 1643. Septemvir, & Eccleſiarum Præfectus fuit conſtitutus. *Senator Norimbergenſis.*

Variis tandem morbis 12. ultimis vitæ ſuæ annis, aſthmate præſertim, hæmoptyſi, & ictero nigro conſumtus exſpiravit 28. Junii A.C. 1648. ætatis 61. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Martini Beeril, Profeſſoris Publici, & Paſtoris Noribergenſis.* Huic annexa legitur *accurata deſcriptio linguâ vernaculâ ab ipſo confecta Itineris Hieroſolymitani*, quod feliciter ſuſcepit & perfecit A.C. 1611.

CHRI-



BIBLIOTECA NA
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Obiit A.C. 1649.

CHRISTOPHORUS WACKIUS.

JUris Conſulti hujus eruditi vitam brevibus exhibet Inſcriptio *Wittebergenſis* in Templo Parochiali.

Juris Profeſſor Wittenbergæ. *Conſiliarius Anhaltinus.*

CHRISTO SERVATORI MEMORIÆQUE PERPETUÆ CHRISTOPHORI WACKII J.C. QUI EX ADVOCATO CURIÆ ELECTORAL. ET FACULTATIS JURIDICÆ ASSESSORE VIDUÆ ANHALTINÆ PRINCIPIS CONSILIARIUS ET DEMUM PROFESSOR PUBL. NULLIS NON BONI ET VIRI ET CONSULTORIS ET PROFESSORIS PARTIBUS FUNCTUS EGREGIE INGENII, DOCTRINÆ, PRUDENTIÆ, JUDICIIQUE, AC INTEGRITATIS NON EXIGUAM LAUDEM POST SE RELIQUIT. NATUS EST NUMBURGI AN. CHR. MDXCVI. OBIIT COSWIGÆ ANHALTINORUM IN IPSA ARCE PRINCIPALI FORTI APOPLEXIA PAUCIS HORIS EXSTINCTUS, CUM MUNUS CONSILIARII XIV. PROFESSORIS VII. ADMINISTRASSET, IN UNIVERSUM AUTEM LIII. ANNOS EGISSET VIVENS. HEU MIHI QUAM PROPERO TURBINE VITAM HOMINUM VERSANT FATA RAPACIA! QUAM CITO QUÆ STETERANT PRÆCIPITATA RUUNT! INTERIM MORS VITA EST MORTUA CHRISTO. MARTHA HELLERIA INCOMPARABILI CONJUGI, NEC OCULIS TANTUM, SED IPSA VITA DULCIORI NON SINE INGENTIBUS LACRIMIS ET INCREDIBILI DESIDERIO QUAM CELERRIME AD EUM PERVENIENDI P. VICTURA CUM EO SED LACRIMARUM EXPERS GAUDIA PERPETUA.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi à Gotfrido Suevo, J.C. editâ.*

Obiit A.C. 1649.

CLAUDIUS PLUMIUS.

IN lucem editus menſ. Jul. An. C. 1585. Patrem habuit inter Cives *Hafnienſes* ſpectabili integritate *Petrum Franciſcum Plumium*, qui cum Præturâ ſe abdicâſſet, Caduceatoris officio functus eſt: Matrem *Catharinam, Johannis Sybenii*, Civis *Hafnienſis* filiam.

Cum annum 12. ætatis ageret, M. *Johanni Kraſtio*, Sacrorum in D. *Petri* Eccleſiâ Miniſtro morum ejus ſtudiorumque cenſura à Genitore eſt data.

Scholæ Herlovianæ diſcipulus. Annos pubertatis egreſſus, ad *Herlovianam* Scholam mittitur, ubi tantum quinquennio profecit, ut An. 1604. ad Academiam *Hafnienſem* traduceretur: cujus legibus ut morem gereret, M. *Jonam Jacobum Venuſinum*, ſtudiorum cepit arbitrum.

Wittenbergæ Philoſophiæ ſtudioſus. Cum Legato deindè Regio *Poloniam* perluſtravit, & poſt ſextum menſem in patriam reverſus, in *Germaniam* ivit, & *Wittenbergæ* triennium Philoſophicis exercitationibus impendit, ut hiſce ſtudiis imbutus faciliori negotio Juriſprudentiæ, cui ſe devoverat, operam daret.

Juris ſtudioſus. Voti compos, omnia, quæ in Libris Legum tetrica & aſpera continentur, D. *Johannis Zengeri*, Profeſſoris & Conſiliarii Elect. ductu, aſſiduoque labore vicit.

Regiomontum hinc & *Heidelbergam* ſe contulit, ubi ſuadente D. *Dionyſio Gothofredo*, qui tunc in Jure principatum tenebat, annum vixit: à quo, ut & à *Philippo Hofmanno*, *Daniele Nebelio*, ac *Johanne Calvino*, Juſtitiæ Sacerdotibus, ea præſidia conſecutus eſt, quæ Juris Candidatum exornare poterant. *Juris Candidatus Heidelbergæ.*

Vivebant ibi præter eos *Hippolytus à Collibus*, & *Joachimus à Grüntbal*, Politici & Conſiliarii Principis, quibus familiaris fuit.

Spiræ praxin Juris didicit. Sed ne uni loco omnem debuiſſe eruditionem videretur, *Gieſſam* abiit, & indè *Spiram*, ſupremam totius *Germaniæ* curiam Juridicam, ut litibus judicandis conſtitutos audiret Summos illos Controverſiarum Arbitros.

In Angliam profectus. An. 1611. Domum à matre revocatus, ſuaſore Magnifico Dom. *Chriſtiano Friſio*, Cancellario, mari *Londinum* abiit, & indè *Oxonium*, ubi Academicis exercitiis aliquam iſtius anni partem impendit: iterumque *Londinum* adiit, ut ſolennes illos dies Electoris *Palatini* nuptiis dictos videret.

Scotiâ hinc perluſtratâ, iteratò in *Angliam* venit, ut & *Cantabrigiam*, celebre illud Palladis delubrum, videret.

In Galliam, & Italiam. Biennio in *Angliâ* expleto, in *Galliam* profectus eſt, in cujus Academiis, *Aureliæ*, *Andegavi*, *Pictaviæ* nonnihil vixit.

Syndicus Nationis Germanicæ Patavii. Totam *Italiam* deindè cum perluſtrâſſet, & *Patavii* A. 1617. Nationis *Germanicæ* Syndicus fuiſſet electus, luſtratis demùm præcipuis *Belgii* Urbibus, *Hafniam* ſuam repetiit.

Hafniæ Profeſſor Juris. Vocatus tunc erat in Aulam Regiam D. *Leonbardus Metznerus*, in cujus locum *Plumius* ſubrogatur.

Conjugium ejus, & Liberi. Eo munere dum fungitur, uxorem duxit virginem *Mariam*, D. *Petri Vinſtruppii*, *Sedlandiæ* Epiſcopi, filiam, ex quâ filios octo, ſexque filias ſuſcepit. E filiis *Elias* Magiſter Artium Eccleſiæ *Ganderslovienſis* Paſtor fuit, & *Johannes* Templorum in *Daniâ* Commiſſarius generalis. Filiarum una Dn. *Nicolao Vikmanno*, Med. D. altera M. *Bertramo*, Paſtori in *Lolandiâ*, tertia Dn. *Tuoni*, Paſtori *Toſtrupenſi*, quarta Paſtori *Scanienſi* nupſit.

Conjugium alterum. Poſt 18. annorum curriculum optima Conjux fatis c[illegible]edit A. 1636. Sed jacturam eam Virgo *Chriſtina*, *Cunradi Aslaci*, Theologiæ D. & Profeſſoris filia compenſavit, quam A. 1638. nuptiis ſibi conciliavit: & illa 4. tori conjugalis pignora enixa eſt.

Doctor Juris Hafniæ. Academiæ *Hafnienſis* Rector quater, An. 1621. 1630. 1639. 1645. renuntiatus eſt. Doctoratus inſignia apud Exteros accipere noluit, ſed eum Patriæ reſervans honorem Juris utriusque Doctor in Templo Academico à D. *Leonbardo Metznero*, cui in Profeſſione ſucceſſerat, 26. Julii An. 1621. renuntiatus eſt. Procurator ejuſdem Templi D. Virginis fuit ab A. 1623. ad 1638.

Valetudine plerumque uſus proſperâ, annis vitæ aliquot ultimis difficultate reſpirandi, cachexiâ, & ſcorbuto afflictus, mundi hujus curis & ærumnis tandem ſolutus, *Moritur.* Creatori ſuo corpus animamque magnâ religione addixit 16. Martii A.C. 1649. æt. 64.

Funus publico Programmate indictum eſt Civibus Academicis à Magnifico Rectore D. *Olao Wormio*, Medicinæ Profeſſore. Corpus conditum in Templo D. Virginis, in quo Monumentum illi poſitum, cum hâc Inſcriptione:

Epitaphium. VIRO CONSULTISSIMO CLARISSIMO CLAUDIO PLUMIO J.U.D. ET P.P. IN REGIA ACADEMIA HAFNIENSI PER XXXII. ANN. CELEBERRIMO, QUATER INTEREA RECTORI, ET BIS MARITO, AC EX UTROQUE CONJUGIO XVIII. LIBERORUM PATRI: RELICTA VIDUA KIRSTINA, CUNRADI F. CUM LIBERIS SUPERSTITIBUS HOC MONUMENTUM MOESTISSIME PONI CURAVIT

ANNO MDCL.

Scripta:

Scripta. *Diſputationes II. de Uſucapionibus, & IV. de Jure Connubiorum.*

De Tutoribus & Tutelis.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

JOHANNES MAXIMILIANUS ZUM JUNGEN.

Obiit A.C. 1649.

Mundum hunc *Francofurti* ad *Mœnum* per nativitatem ingreſſus 11. Sept. A.C. 1596. Patrem habuit *Johannem Hectorem*, Senatorem, Matrem *Chriſtinam Kelneriam.*

Studioſus Helmſtadii, Cum puer Gymnaſii Patriæ Claſſes frequentâſſet, accedente privatâ Præceptorum inſtitutione, A. 1614. Academiam *Juliam*, quæ *Helmſtadii* eſt, acceſſit, ſtudiis & artibus liberalibus dans operam usque ad A. 1618. quo à Domino Parente revocatus, *& Jenæ.* & in Academiam *Jenenſem* miſſus.

Sed ſemianno tantum ibi exacto, *Helmſtadium*, Patre volente, reverſus eſt.

in Academiâ Bituricenſi. A. 1619. Domum revocatus, ſtatim cum Legato *Gallico*, Dom. *Bogéo*, in *Galliam* iter ſuſcepit, & cum biennium in Academiâ *Bituricenſi* in linguâ *Gallicâ* diſcendâ ſtudiisq; Juridicis continuandis exegiſſet, in Patriam rediit.

An. 1620. Juſſu Domini Parentis, *Italiam* ingreſſus, *Florentiæ* maximam partem commoratus, A. 1624. cum maximo Eruditionis & Experientiæ Politicæ theſauro domum rediit.

Conjugium ejus, & Liberi. Octiduo pòſt in *Hollandiam* diſcedens, eâ bimeſtri ſpatio perluſtratâ, domum reverſus A. 1625. nuptias celebravit cum virgine ex Patritiorum familiâ *Mariâ Salome Stalbergeriâ*, ex quâ filium cum duabus filiabus progenuit.

Legatus ad Pacis Tract. Osnabruggæ. Filius veſtigiis paternis inſiſtens, in Academiis diverſis ſtudia tractans, à Patriâ abſens Parentem amiſit. Uxor, eo Legati nomine ad Pacis Tractatus *Oſnabruggæ* abſente, 4. Sept. A. 1646. vitam finiit.

Conſul, & Dicaſterii aſſeſſor. A. 1633. In Senatum *Francofurtenſem* allectus, A. 1637. Conſul junior per electionem evaſit. A. 1639. Dicaſterii aſſeſſor, & demum A. 1644. Conſul ſenior declaratus eſt. *Bibliothecam inſignem habuit.* Linguas diverſas callens, inſignem Bibliothecam magnis ſumptibus congeſſit, & auxit, ſtudiis tractandis ſubindè delectatus.

Linguas Hiſpanicam, Italicam & Gallicam perfectè calluit. Hâc de causâ plurimis Patriæ nomine Legationibus adhibitus eſt, & Legatos Regios Electorales, Principum Imperii *Francofurtum* venientes linguis *Hiſpanicâ, Gallicâ, Italicâ*, quas æquè ac maternam didicerat, excepit.

Conciones in Patriâ *Gallicas* ſummâ cum delectatione frequentavit, & multa Volumina Scriptorum Theologicorum perlegit, eorumque non pauca deſcripſit. Symbolum frequenter in ore habens: *Æternitatem cogito:* ultimis vitæ annis lectione Tractatuum, de 4. noviſſimis, & de Præparatione ad mortem cumprimis delectatus eſt.

Moritur. Calculi tandem doloribus exhauſtus, morte placidâ vitam finiit laborioſam 6. Junii A.C. 1649. æt. 53.

* *Ex Concione funebri Johannis Conradi Mohrii, Concionatoris Eccleſiæ Germanicæ & Gallicæ Francofurti ad Mœnum.*

JOHANNES GEORGIUS HALBRITTERUS.

Obiit A.C. 1649.

Natus eſt *Tubingæ* 6. Jan. An. C. 1591. Patre *Johanne Halbrittero*, J.C. Conſiliario *Würtenbergico*, & Jurium in Academiâ *Tubingenſi* Profeſſore, novies Rectore, & duodecies Decano, Matre *Euphroſynâ, Georgii Kürwangii*, Juris Doctoris, & Cameræ *Spirenſis* Advocati filiâ.

Juris Doctor Tubingæ. Studiis humanioribus in Academiâ patriâ deditus, ſub Dom. Parentis manuductione Jurium ſtudia aggreſſus A. 1615. ætat. 24. gradum Doctoris, & ſupremos in utroque Jure honores *Tübingæ* cum laude conſecutus eſt.

Syndicus Wimpenæ. Conſiliarius Ratisbonenſis. Mox *Wimpenæ* Syndici munus adeptus, praxin exercuit, & A. 1622. *Ratisbonam* domicilium transferens, Conſiliarii & Advocati nactus officium, in eo 27. annis ad finem usque vitæ perſeveravit.

Conjugium ejus duplex. An. 1614 Conjugii fœdus iniit *Tubingæ* cum virgine *Roſinâ Margarethâ*, Dom. *Valentini à Mühlen* filiâ, quæ duos ei filios cum filiâ peperit, omnes ante patrem vitâ defunctos.

Hâc conjuge A. 1622. demortuâ, biennio pòſt iterum deſponſatus eſt cum virgine *Sarâ Beatrice*, Dom. *Johannis Schiltelii*, Senatoris *Ratisbonenſis*, Hanſæ Comitis & militiæ Præfecti ſupremi filiâ, quam viduam reliquit, cum filio *Johanne Georgii*, & duabus filiabus, ex quarum natu majore duos nepotes vidit.

Legatus. Commiſſiones & Legationes varias Reipublicæ patriæ nomine fideliter cum obiiſſet, tandem doloribus podagricis exhauſtus, accedente diarrhœâ contumaci, ſenſibus integris inter adſtantium preces placidâ

Moritur. cidâ morte ſublatus obdormivit 9. Sept. A. C. 1649. ætatis 59. *Ratiſbonæ* ſepultus in cœmiterio ad S. *Lazarum*.

* *Ex Concione funebri Chriſtophori Sigismundi Donaueri, Miniſterii Evangelici Ratisbon. ſenioris.*

Obiit A.C. 1649.

SEBASTIANUS STRIPENIUS.

Natus eſt in Caſtello *Marchiæ Brandenburgicæ Glienicke*, 25. Martii A.C. 1582. Patre *Baltaſaro*, Præfecto *Brandenburgico*, in oppido *Arendſeâ*, qui An. C. 1609. ætatis 70. obiit: Matre *Urſulâ*, *Holeji Gartzii*, Senatoris *Saltzwedelenſis* filiâ.

Wittenbergæ Juris ſtudioſus. Cum literarum fundamenta in patriâ poſuiſſet, A. 1599. *Wittenbergam* ad Juris ſtudium tractandum acceſſit, ubi in annum quintum commoratus, docentes audivit D. *Valentinum Wilhelmum Forſterum*, D. *Lucam Becmannum*, & D. *Andream Waſſæum*.

An. 1604. *Lugdunum* indè *Batavorum* ſe contulit, hoſpitio uſus D. *Dominici Baudii*. Exindè cum per *Angliam* & *Galliam* iter ſuſcepiſſet, An. 1607. *Berolinum* in aulam *Brandenburgicam* regreſſus, cum *Simoni Ulrico Piſtoris*, Conſiliario Electorali intimo innotuiſſet, ab hoc Electori *Joachimo Friderico* commendatus eſt, qui eum *Hieronymo, à Diſcow* in *Belgium* ad Pacis Tractatus diſceſſuro Secretarium adjunxit, cum quo plures abindè Legationes feliciter peregit. *Secretarius Brandeburgicus.*

An. 1610. Cum *Chriſtophoro à Dohnâ* in *Galliam* ad Reginam viduam ablegatus, ibidem Secretarii munus obivit.

A. 1611. *Berolinum* veniens, & *Adamo* Baroni à *Putlitz*, Conſiliario Electoris intimo, inſervire ſatagens, ab eo ſtatim Feudorum Secretarius factus, & in hoc munere ab Electore *Johanne Sigiſmundo* confirmatus eſt, 26. Oct. An. 1615. Ab eodem Conſiliarius aulicus & Judicii Cameralis conſtitutus. *Feudorum Secretarius.*

Conſiliarius ſecretus Brandeb. & Legatus. 15. Oct. A. 1625. Elector *Georgius Wilhelmus* inter Conſiliarios ſecretos ipſum adſcivit, & abindè variis Legationibus adhibuit. In his muneribus ab Electore *Friderico Wilhelmo* confirmatus, ejuſque abſentis Vicarius in ditionibus *Juliacis* declaratus eſt.

Nuptias celebrat. 25. Jan. An. C. 1613. *Coloniæ* ad *Spream* nuptias celebravit cum virgine *Evâ Mariâ*, *Friderici Pruckmanni*, Cancellarii *Brandenburgici* filiâ. Ex eâ 2. filios & 5. filias ſuſcepit: *Fridericum Balthaſarum*, 25. Dec. An. C. 1617. ætatis 3. defunctum: *Adamum Fridericum*, natum 20. Febr. A. 1625. Patris in Conſiliarii munere Succeſſorem: *Evam Mariam*, A. 1630. deſponſatam *Caſtrini* D. *Adamo Nôslero*, Conſil. Elect. eoque A. 1637. defuncto D. *Bernhardo Zienitio*, Conſil. *Brand. Annam Sibyllam*, & *Evam Urſulam*, in infantiâ denatas: *Evam Catharinam* nuptam A. 1640. *Johanni Tornavio*, Conſiliario aulico & Secretario Feudorum: & *Annam Eliſabetham* deſponſatam *Georgio Wilhelmo Schardio*, Juris Licentiato & Conſiliario *Brandenburgico*.

Cum tandem à 15. annis malo hypochondriaco graviter afflictus fuiſſet, ita, ut poſtremis vitæ annis propter dyſpnœam domo vix egredi potuiſſet, accedente tandem cum febri tumore aſcitico vitam beatâ morte finivit *Coloniæ ad Spream* 29. Octob. A.C. 1649. ætatis 68. *Moritur hydrope.*

* *Ex Concione funebri D. Johannis Bergii, Concionat. aul. Elect.*

Obiit A.C. 1650.

JACOBUS MARQUARDUS à GLAUBURG.

Natus eſt *Francofurti*, ex familiâ Patritiâ, 7. Julii A. 1602. Patre *Johanne Adolpho Glauburgio*, qui obiit A. 1611. Matre *Urſulâ*, *Marquardi Freheri*, J.C. filiâ, quæ obiit A. 1610.

In Scholâ patriâ literarum fundamenta poſuit ſub inſtitutione M. *Henrici Hirtzwigii*, Rectoris in Gymnaſio *Francofurtenſi*, poſteà Concionatoris Aulici *Butzbachii*.

A. 1620. *Argentoratum* miſſus, ſtudia Juris ibi tractare cœpit. *Studioſus Juris Argentorat.*

A. 1623. *Tubingam*, & anno ſeq. *Genevam* profectus eſt.

Exindè per *Galliam*, *Angliam*, & Provincias *Belgicas* iter faciens, linguas exoticas didicit. *Ejus itinera.*

An. 1627. 18. Junii *Francofurti* nuptias celebravit cum virgine ex eâdem familiâ, *Mariâ Veronicâ Glauburgiâ*. *Nuptiæ.*

Ex eâ tres filios in pueritiâ mortuos ſuſcepit, & duas filias patri ſuperſtites.

An. 1632. In Senatum patrium aſcitus, Xenodochii quoque Præfectus & Scholarcha factus eſt. *Senator Francofurt.*

A. 1639. Conſul urbis junior, & A. 1647. Conſul ſenior declaratus. *Conſul.*

A biennio infirmus & atrophiâ conſumptus, ſubitò exſpiravit 27. Martii A. 1650. ætatis 47. *Moritur.*

Obiit A.C. 1650.

JOHANNES CASPAR UNRATH.

Schönoviâ Principali in Comitatu *Hennebergico-Francus*: natus 15. Sept. A.C. 1608. Promotus *Altorfii*, Juris utriusq; Doctor 13. Febr. An. 1637. *Jenam* venit A. 1646. receptus in numerum cum Profeſſorum Juridicorum, 2. Junii, tum Aſſeſſorum Curialium 19. Sept. *Profeſſor Juris Jenæ, & Aſſeſſor Curialis.*

Obiit *Jenæ* 4. Junii A.C. 1650. ætatis 42. *Moritur.*

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc appoſuit Epigramma:

Epigramma.

Johannes Caſpar Unrath cognomine dictus:
Omine ſed Themidos Conſiliator adeſt.
Juridicæ quondam Jenæ veteranus alumnus,
Nunc gemini Juris lemmata docta docet.

Obiit A.C. 1650.

ANDREAS PETRUS WOLFRUMIUS.

Mundi hujus theatrum ingreſſus eſt 22. Febr. An C. 1590. *Regiomonti* in *Franconiâ*, ortumque traxit è familiâ

 perve-

pervetuſtâ, quæ 300. ultrà annos ibidem ſedem habuit.

Parentes ejus. Pater ipſi fuit M. *Johannes Wolfrum*, diſtrictûs *Regiomontani* quondam Præfectus, qui A. 1621. æt. 71. obiit: Mater *Barbara, Nicolai Martini*, Præfecti *Heliburgenſis* filia, quæ An. 1629. æt. 74. ad quietis portum morte fuit delata. E ſacro fonte ſuſceptus à Dn. *Andreâ Graſero*, tunc temporis *Regiomonti* Paſtore & Superintendente, nomen *Andreæ* cum auctario *Petri*, propter natalem, accepit.

Puer *Coburgum*, tanquàm literarum emporium, amandatus eſt, ſed cum Athenæum id nondum eſſet ad erudiendam juventutem apertum, maluit parentum ſuorum conſenſu brevi pòſt ſe conferre ad Scholam provincialem *Gothanam*, tunc famâ celebrem, in quâ gradatim omnes per Claſſes feliciter proceſſit, donec A. 1609. ſtudia ſua ad exoptatum ſcopum devoluturus, *Salanam* Academiam adiit, in quâ animum primùm ad Philoſophiæ ſtudium appulit, poſteà *Jenæ Juris ſtudioſus.* Juriſprudentiam cum eo conjunxit, cui ſe totum conſecravit.

Decennio ibi exacto, conditionem nactus apud Dom. *Georgium Schieferum*, Baronem *Auſtriacum*, ut ſtudiorum ejus moderator *Argentoratum* cum eo conceſſit, indè *Doctor Juris Baſileæ.* *Baſilĕam* veniens, Doctoris ibi gradum & privilegia 16. Sept. An. 1619. unà cum 4. Competitoribus impetravit.

Deindè rectà in *Galliam* abiit, & *Genevam*, indèque *Lutetiam Pariſiorum* profectus, ibi linguam diſcendi gratiâ totius anni ſpatio commoratus eſt, quo effluxo *Italiam* ſalutavit, & *Romam*, *Neapolim*, *Carettam*, *Anconam*, *Venetias*, *Ravennam*, *Patavium*, *Mantuam*, *Florentiam*, aliasque urbes celebres peragravit.

Eo itinere peracto, cum Barone ſuo per *Belgium* in *Auſtriam*, & indè in *Franconiam* ad parentes ſuos *Regiomontum* incolumis reverſus eſt.

Deſponſatur. A. 1623. *Coburgi* nuptias ſolenni ritu celebravit cum *Annâ Mariâ*, Dom. *Johannis Getringi*, J.C. & Advocati Equitum *Franconiæ* relictâ viduâ, ex celebri familiâ *Rödigerorum Suinfurti* prognatâ: quo in matrimonio vixit quidem ſterilis, ſed tamen pacificè.

Nuptiis ex voto peractis, exiguum ad tempus in cauſis forenſibus eouſque ſe exercuit advocando, donec vacante ſede in *Profeſſor Juris Coburgi.* Scabinatu A. 1626. à Principe *Saxoniæ Johanne Caſimiro* in Aſſeſſorem illius, & Profeſſorem Gymnaſii vocaretur.

Conſiliarius Saxonicus. Biennio vix elapſo, A. 1628. per legitimam vocationem in Dominorum Conſiliariorum Collegium cooptatus eſt, in quâ functione reſiduum vitæ ſuæ tempus conſumſit.

Cum tandem ab annis aliquot crebris infeſtatus fuiſſet obſtructionibus, quas comitata eſt icteritia, ejus violentiam Medici per medicamenta mitigârunt: facta verò recidiva febrem malignam ſecum adduxit, quæ vires exhauſit, donec beatam animam *Moritur ictero.* exhalavit *Coburgi* 9. Aug. A.C. 1650. æt. 61.

* *Ex Concione funebri D. Tobiæ Seifarti, Superintendentis generalis.*

JONAS POMMERUS.

Obiit A.C. 1650.

D*ildenhoſii* natus eſt 25. Jan. A.C. 1579. Patre viro Reverendo M. *Johanne Pomerano*, illius loci tunc Eccleſiæ Paſtore, & antè *Philippi Landgravii Haſſiæ* Præceptore. Matrem habuit *Agnetem Haxiam*.

Cum Patrem A. 1599. amiſiſſet, *Marpurgi* ſtudiis operam dedit, & adeò profecit, ut A. 1603. prægreſſâ vocatione *Gleybergæ* Præceptoris Scholaſtici munus adierit.

Deindè in Judicio Scribam agens, *Spiram* concedens, Praxin aliquandiu exercuit: donec, poſt obitum *Bartholomæi Kolbii*, Quæſtor *Gleybergenſis* à Generoſo Domino *Ludovico*, Comite *Naſſovio Sarbruccenſi*, *Quæſtor Com. Naſſov. & Conſiliarius.* factus eſt. A. 1628. Ejuſdem Comitis Conſiliarius factus, Dn. D. *Johanni Hermanno Stammio Spiram* avocato in munere ſucceſſit.

A. 1631. Quatuor Comitibus *Naſſoviis* fratribus *Weilburgi* commorantibus, deſignatus ab iis Conſiliarius Cancellariæ *Conſiliarius Cancellariæ.* functionem eam fideliter adminiſtravit usque ad A.C. 1634. quo turbis bellicis ingruentibus *Gieſſam* diſcedens, 12. annos exul tranſ*Exul Gieſſæ.*egit, nihilominùs Comitum ſuorum pro viribus miniſter fidelis exiſtens. A. 1646. Comes in ditiones ſuas reverſus, eum non modò priſtino Conſiliarii munere donavit, *Præfectus Weilburgenſis.* ſed inſuper Præfectum *Weilburgenſem* clementer denominavit.

A. 1603. Conjugium *Gleybergæ* iniit cum *Conjugium ejus duplex & Liberi.* viduâ Dom. *Philippi Schefferi*, Quæſtoris, *Judithâ*, Dom. *Johannis Clemmii*, Prætoris *Gleyberg.* filiâ, ex quâ 3. filios & 2. filias ſuſcepit, ſed filium tantùm cum filiâ poſt obitum reliquit.

Hâc Conjuge A. 1632. vitâ defunctâ, 12. annos in viduitate tranſegit, & An. 1644. conjugium reiteravit cum *Catharinâ Nelmannâ*, Dom. *Petri Junckheimii*, Senatoris *Gieſſenſis* filiâ, quam nullis ex eâ procreatis liberis viduam reliquit. Ex podagricis tandem & calculi doloribus conſumptus, & lecto affixus, cum à liberis ſuis rogaretur, ut Medicum aliquem conſuleret, reſpondit: Senem ſe vitæ ſaturum ſummo Archiatro concrediſſe, & ad mortem beatam anhelare, quam Deo votis clementer annuente *Moritur.* conſecutus eſt 26. Sept. A.C. 1650. æt. 72.

* *Ex Concione funebri Johannis Caſpari Georgii, Weilburg. Eccleſiæ Paſtoris.*

JONAS POMMERUS, JURISCONSULTUS, CONSILIARIUS ET PRÆFECTUS NASSOVICUS, ÆTERNA MEMORIA DIGNISSIMUS.

Per Anagramma *Job. Debus*, Poëtæ, & Gymn. *Spir.* Conrect.

O nos! O miſeros ſanè! Si Tu Vir clariſſimè cum magnâ fide Parcas niſi evitare minus potes. O! riſus in luctus!

CHRI-

Obiit A.C. 1651.

CHRISTOPHORUS PREIBISIUS.

PRimos hujus viri vagitûs excepit *Sileſia*, & in illâ *Sprottavia*, Ducatûs *Glogovienſis* ad *Boberam* oppidum, ipſo purificationis S. *Mariæ* Feſto A.C. 1580.

Filius Conſulis Sprottavienſis.

Parentem honoravit Dn. *Georgium Preibiſium*, Senatorem iſtius loci, & Xenodochii Præfectum, quem paucis à nativitate annis præmiſit: Matrem *Dorotheam*, Dn. *Johannis Seligeri*, S. Theologiæ Licentiati, & Superintendentis *Delitiani* filiam, quæ in viduo thoro ætatis annos ad 84. produxit.

Diſcipulus in Gymnaſio Breg. & Uratiſlav.

Puer præclaræ indolis informationi Dn. *Valentini Tſchenſchneri*, & M. *Melchioris Laubani*, Poëtæ & Philoſophi, Gymnaſii *Bregenſis* Rectoris, fuit commiſſus. Jactis ibi pietatis & bonarum artium fundamentis *Uratiſlaviam*, *Sileſiæ* metropolim ſe contulit, commendatus M. *Nicolao Steinbergero*, Gymnaſiarchæ, nec non M. *Martino Weinrichio* & M. *Seidelio*, Collegis, quorum inſtitutione fideli per triennium in linguis & artibus eos fecit progreſsûs, ut pelago ſtudiorum Academicorum ſe credere poſſet.

P. Jeſuitar. Olmutii

Id antequàm hortatu Dnn. Præceptorum fieret, *Olomutii* Jeſuitarum Patrum ingreſſus Collegium, artium liberalium ſtudiis per annum incubuit, Patribus ob ingenii felicitatem charus, ſed cum ab iisdem ad fidem Pontificiam amplectendam ſollicitaretur, ſubitò diſcedens indè An. 1599. in Academiam *Lipſienſem* conceſſit, auriumq; operam diligentem Profeſſoribus, D. *Matthæo Dreſſero*, M. *Joh. Neldelio*, D. *Joh. Curtio*, & M. *Joh. Friderico*, *Lipſ.* Academiæ luminibus, navavit. Privatâ verò informatione & converſatione M. *Auguſto Vogelio* magnæ expectationis Philoſopho, & *Hieronymo Kromayero*, S. Theol. Licentiato & Superintendenti poſtmodùm *Plavienſi* aliisque adhæſit.

Lipſiæ Philoſ. ſtud.

Horum manuductione in ambulacris Peripateticis tanta emenſus fuit ſpatia, ut circa feſtum *Michaëlis* A. 1600. primos, & A. 1602. Decano M. *Erhardo Lauterbachio*, S. Theol. poſtmodùm Doctore & Præſulatûs *Numburgo-Cizenſis* Superintendente, ſupremos in Philoſophiâ honores cum laude fuerit conſecutus.

Philoſophiæ Magiſter Lipſiæ.

In Collegium Facultatis Philoſophicæ receptus.

Indè commota Facultas Philoſophica, A. 1607. præmiſſis præmittendis in conſortium ſuum eundem recepit, & ad futura commoda pluresque dignitates viam aperuit. Decani quippè munere tribus, Procancellarii duabus vicibus tantâ dexteritate functus eſt, ut A. 1612. primâ vice Decanus factus, poſt obitum M. *Joh. Neldelii* Profeſſor Philoſophiæ Practicæ deſignatus fuerit.

Ter Decanus Philoſophiæ, & bis Procancellarius.

Studio Medico deditus.

Hâc de causâ ſtudium Medicum, cui anteà quoque deditus fuerat, cujusque gratiâ *Baſiléam* proficiſci, Gradumque Doctoris petere decreverat, deſeruit.

Profeſſor Phyſicæ.

A. 1617. Profeſſionem Phyſicæ quoque à Sereniſſimo *Saxoniæ* Electore, præviâ Facultatis inclytæ denominatione, aggreſſus eſt.

Hiſce functionibus acceſſit A. 1613. auctarium Collegiaturæ in Collegio Principum minore, defuncto *Georgio Pelgio*, Medicinæ Doctore, & An. 1617. in majore Principum Collegio, diſcedente *Lipſiâ* M. *Martino Wirthio*, Eccleſiæ *Freibergenſis* Paſtore, tandemque A. 1619. poſt obitum D. *Michaëlis Wirthi*, J.C. & Profeſſoris publici in Collegio B. Virginis, in quo ſenior ipſe 16. annos ad beatam analyſin usque vixit.

Ad ſtudium Juris progreſſus.

Intereà ad ſtudium Juris, Medici loco, animum applicuit, in quo Profeſſores tum temporis celebres Dn. *Michaëlem Wirthium*, Ordinarium, D. *Franciſcum Romanum* itidem Ordinarium D. *Eliam Heidenreich*, & D. *Michaëlem Wirthium*, juniorem, Anteceſſores omnes, à quorum ore dependeret, Daduchos ſibi legit.

Juris Licentiatus & Doctor.

Sacris iſtis initiatus apud facultatem Juridicam A. 1612. nomen profeſſus, A. 1615. Licentiæ gradum, & An. 1616. ſuprema Doctoræ Inſignia cum laude impetravit, & poſtquàm Collegiis Juridicis privatis Studioſæ Juventutis commodis velificatus eſſet, ordine ferente in Collegium iſtud cooptatus A. 1631. ad ipſum Senioratum, poſt obitum D. *Sigismundi Finckelthuſii*, Conſulis & J.C. Ordinarii aſcendit.

Senior Facultatis Juridicæ.

A. 1618. Cum Generoſus Dom. *Georgius Erneſtus à Schonburg* Academiæ *Lipſienſis* Rector Magnificentiſſimus fuiſſet electus, eidem Prorectoris nomine adjunctus, & A. 1629. Rector ipſe magnificus renuntiatus, quod etiam tertiâ vice menſ. Oct. An. 1650. factum, muneribus hiſce fideliter functus eſt, & in ultimo ſuo Rectoratu vitam clauſit, quod in Academiâ *Lipſienſi* per 240. annos florente nunquàm anteà obtigit.

Prorector, & Rector Lipſ.

Primus in Rectoratu obiit.

An. 1627. ab Imperatore *Ferdinando II.* ipſe cum fratribus ſuis, M. *Johanne*, Paſtore *Kotzendorfenſi*, & *Georgio*, Senatore, *Sprottavienſi*, eorumque poſteris omnibus Nobilium Ordini gratioſè fuit adſcriptus: hicque prætereà Comitibus S. Cæſarei Palatii annumeratus. Et cum utrumque Diploma Nobilitatis & Comitivæ Cæſareæ per *Suecorum* in *Sileſiâ* direptiones fuiſſet perditum, ab Imp. *Ferdinando III.* illud ipſum non modò reſtitutum, ſed & novo Privilegio, Exemptione nimirum Sacri *Romani* Imperii, fuit auctum.

Comes Palat. Cæſ.

Exemtus S. Rom. Imperii.

Cœlebs cum vixiſſet, cum omnibus tranquillus & bonus Chriſtianus, ex marcore ſenili, cui pleuritis ſpuria acceſſit, animam tandem Creatori per mortem placidam reddidit 1. Martii A. C. 1651. ætatis 72. in tertio Academiæ *Lipſienſis* Rectoratu.

Cœlebs obiit.

* *Ex Programmate funebri Rectoris Lipſienſis, & ex Concione funebri D. Johannis Hülſemanni, Prof. Theol. publ. & Paſtor. ad S. Nicolaum.*

LUDO-

Obiit A.C. 1651.

LUDOVICUS CAMERARIUS.

NOrimbergæ natus eſt 22. Jan. A.C. 1573. Patre *Joachimo*, Medico celebri, Matre *Mariâ*, *Balthaſ. Rumelii*, Præfecti *Altorfini*, filiâ.

Puer à Parente in Scholam *Sultzbacenſem* miſſus, cum ibi literarum fundamenta jeciſſet, in Academiis *Lipſienſi*, *Juliâ*, & *Altorfinâ* ſtudia Jurium tractavit. Deindè *Italiam* ingreſſus, cum *Patavii* aliquandiu ſubſtitiſſet, regione illâ perluſtratâ, in *Germaniam* rediit, & *Baſileæ* Doctoris in Jure Gradum aſſumpſit 28. Julii A. 1597. *Doctor Juris Baſileæ.*

Poſteà cum *Spiræ* Praxeos addiſcendæ causâ brevi tempore commoratus eſſet, ab Electore *Palat. Friderico IV. Heidelbergam* vocatus, & in Judicium Conſilii aulici ſuſceptus eſt A. 1598. *Conſiliarius Palat.*

Deſponſatur. Tum matrimonio ſibi junxit virginem *Mariam Modeſtam*, filiam *Gerhardi Paſtoris*, Cancellarii *Palatini*, cum quâ 44. annos in felici concordiâ vixit, ſuſceptis ex eâ 7. liberis, è quibus tres reliquit ſuperſtites: *Joachimum*, Conſiliarium poſteà *Suecicum*, *Mariam Modeſtam*, *Friderico Dorvilio*, Conſil. *Palat.* & *Annam Catharinam*, *Paulo Straſburgio*, Conſiliario *Suecico* nuptas. *Liberi ejus.*

21. Junii A. 1611. Poſt obitum Electoris *Friderici IV.* in ſupremum Conſilium receptus, Legationibus abindè variis perfunctus, A. 1612. ad Imp. *Rudolphum II.* & an. ſeq. ad Imp. *Matthiam*, multis etiam Comitiis & Conventibus Imperii Electoris ſui nomine interfuit. *Legatus Palat.*

An. 1619. Cum Elect. *Palat. Friderico V.* facto Rege *Bohemiæ* infelici ſucceſſu *Pragam* venit, eundem rebus deindè malè ſuccedentibus in exilium ſecutus, in patriam rediit, & paulò pòſt ad Conventum *Heilbronnenſem* ſe contulit. *Exul Norimbergam redit.*

Eod. An. Cum *Joh. Alberto*, Com. *Solmenſi*, *Joh. Chriſtoph. Grünio*, *Volrado Pleſſio*, *Henr. Theodorico Schombergio*, *Andreâ Pauli*, *Joh. Frid. Schloero*, *Georg. Frid. Paſtorio*, *Joh. Joach. Rusdorfio*, *Joh. Eberhardo ab Eltz*, *Joh. Mendelio*, *Joh. Conrado Plarero*, *Abrah. Sculteto*, Thel. D. & Conſil. Eccleſiaſt. Legatis *Palat. Francofurtum* ad Comitia Imper. venit.

A. 1622. Perfunctus Legatione *Danicâ*, cum familiâ ſuâ in *Hollandiam Hagam Comitum* migravit. An. 1625. à Statibus *Hollandiæ* & variorum Principum Legatis *Hagæ Comitum* congregatis Legatus ad *Sueciæ* Regem *Guſtavum Adolphum* miſſus, ab eo inter Conſiliarios ſuos receptus an. 1626. & an. 1629. Regis ejuſdem Legatus in *Belgio* ordinarius deſignatus eſt. *Hagam Comitum migrat. Regis Sueciæ Conſiliarius, & Legatus ord. in Belgio.*

Nec minus Reginæ *Chriſtinæ*, cum an. 1632. Patri ſucceſſiſſet, fuit acceptus, quæ an. 1648. ut ad ſeſe in *Sueciam* veniret, per literas rogavit, quod viribus corporis ſenio abſumptis facere non potuit.

Sub initium Regni *Chriſtinæ* cum dimiſſionem à munere Legati *Suecici* obtinuiſſet, eâ conditione id factum, ut ad dies vitæ Conſiliarii Secreti penſionem obtineret.

Tum *Lugdunum Batavorum* cum familiâ ſe contulit, & exindè an. 1642. *Gröningam Friſiorum*, ubi eodem anno 5. Julii Conjugem præmiſit. *Lugdunum Batavorum & Gröningam concedit.*

19. Junii an. 1651. *Heidelbergam* cum liberis, nepotibus, & genero reverſus, domum priſtinam inhabitavit, charus Civibus, de reditu felici in patriam ipſi gratulantibus. Ibi vitam beatâ morte finiit 4. Oct. A.C. 1651. ætatis 79. *Heidelbergam reverſus. Moritur.*

* *Ex Programmate funebri.*

LUDOVICUS CAMERARIUS.
Per Anagramma:
O cura laudum ſic vires? Et:
Cura cos laudum his vire!
Laus eſt virtutis Cos, quam parit ardua cura,
Hinc laudum curâ ſic vir amande vires.

* *Georg. Theodor. Hofmannus Dec. 19. Centur. 3. Anagramm.*

CHRISTIANUS TAUBMANNUS.

Obiit A.C. 1651.

WIttenbergæ in lucem editus 27. Sept. A.C. 1597. Patrem habuit M. *Fridericum Taubmannum*, Poëſeos in Academiâ *Wittebergenſi* Profeſſorem publicum, ob eruditionem non modò viris eruditis, ſed etiam Principibus æſtimatum, Matrem *Eliſabetham*, *Johannis Matthei*, Civis honeſti filiam. *Filius Friderici Taubmanni.*

Adoleſcens præclarâ indole præditus, ingenium ſuum in tenerâ ætate probavit amicis paternis, imprimis *Jano Grutero* & *Jano Meurſio*, de omni literarum elegantiâ & antiquitate præclarè meritis, cum in Patris ſui Commentariis, quos in *Virgilium* fecerat, colligendis & à morte ejus publicandis occuparetur. *Patris Comment. in Virgilium publicavit.*

A. 1621. *Altorfium Noricorum* profectus, Juri Civili navare cœpit operam. Sed exacto biennio *Wittenbergam* rediit. A. 1626. *Argentoratenſi* Academiæ Civem dedit. 10. Maji An. 1628. Doctor Jurium creatus *Baſileæ*, per *Helvetios* petiit *Galliam*, quâ peragratâ cum rediiſſet, *Argentoratum*, *Tubingam* paulò pòſt profectus, aliquandiu ibi ſubſtitit. *Juris Doctor Baſileæ.*

An. 1629. Reverſus domum, extrà ordinem Jus docere publicè Electorali autoritate aggreſſus eſt, quâ provinciâ cum 5. annis perfunctus eſſet, in Profeſſorum ordinariorum numerum allectus, ſimulque inter Aſſeſſores Facultatis & Scabinatûs, nec non Electoralis Curiæ adſcriptus eſt. Quibus muneribus cumuli loco acceſſit Aſſeſſura Provincialis Judicii inferioris *Luſatiæ*, quam ultimo vitæ anno ſibi delatam propter valetudinem infirmam adire non potuit. *Juris Profeſſor Wittebergæ. Aſſeſſor Curiæ Electoralis.*

Decanatum Collegii Juridici aliquoties, Academiæ faſces, qui penès Rectorem ſunt, bis, ſummâ cum fide & integritate geſſit. Ultimum tamen Rectoratum admodùm jam infirmus ſuſcepit, & pro viribus ſuſtinuit.

Uxores

Conjugium ejus duplex. Uxores duas habuit: primam *Mariam Magdalenam Hilgeriam*, D. *Wolffgangi Schalleri*, Medicinæ Profeſſoris in Academiâ *Wittebergenſi* publici viduam: alteram *Hedwigen*, *Mauritii Gravii*, rei villaticæ in aulâ *Lichtenburgicâ*, Præfecti filiam. Ex priore ſuſcepit duos filios, *Ludovicum* & *Chriſtianum*, neutrum vivacem, aut matri ſaltem ſuperſtitem. Ex alterâ tulit filiolas, quarum ultima *Hedwige Catharina* 7. ante parentem annis ad tumulum elata eſt; altera *Chriſtina Eliſabetha* ſuperſtes in ætatis ſinu adolevit. Cum primâ duos, cum alterâ undecim annis ſummâ cum utrâque concordiâ ex animi ſententiâ vixit.

Ab anni tandem fatalis initio cum peractis ſacris rediiſſet domum, iſchiaticis doloribus correptus, & per anni decurſum laborans, lætus tandem & optimi animi plenus inter medios hymnos placidè exſpiravit 28. Nov. A.C. 1651. æt. 55. Moritur.

* *Ex Programm. fun. D. Mich. Sennerti, Med. Prof. & ex Concione fun. D. Abrah. Calovii, Theol. Prof.*

Epitaphium ejus *Wittebergæ* in Cœmiterio Parochiali:

Epitaphium. CHRISTO SACRUM ET IMMORTALI MEMORIÆ CHRISTIANI TAUBMANNI J.C.TI PROFESSORIS ACADEMICI PUBLICI, FACULT. JURIDICÆ, SCABINATUS ELECTORALIS, QUÆ EST ET PROVINCIALIS CURIÆ LUSATIÆ INFERIORIS ADSESSORIS, QUEM VIRUM, QUOD CUM INTEGRITATE VITÆ CONSUMMATAM JURIS ET RERUM PULCHERRIMARUM OMNIUM SCIENTIAM CONJUNXERAT, DOCTIOR ORBIS QUA PATET MAXIME TAUBMANNI NOMINIS PATERNÆQUE GLORIÆ HÆREDEM LEGITIMUM VENERATUR, EOQUE QUOD CUM IN ILLO IN TANTUM FASTIGIUM EVECTA CUM EODEM TAUBMANNIA GENS OCCIDIT VERIS LACRIMIS LUGET MOESTA ET TENERÆ ÆTATIS FILIOLA UNICE SUPERSTES CHRISTINA ELISABETHA PATRI SEMPER OPTIMO HOC PIETATIS MONUMENTUM P.C. NATUS WITTEBERGÆ EST XXVII. SEPT. ANNO MDXCVII. SUPREMUM OBIIT INTEMPESTA NOCTE XXVIII. NOVEMB. MDCLI.

* *Ex Bibliothec. Academ. Witteb. Andr. Sennerti.*

Obiit A.C. 1651.

GEORGIUS RICHTERUS.

NOrimbergæ natus eſt 4. Maji An. 1592. Patre *Conrado Richtero*, Cive & Mercatore, qui obiit A. 1626. Mater ei fuit *Conſtantia*, *Conſtantini Bonecroi*, Germ. *Guts Creutz* / Aurifabri *Antverpienſis* filia, quæ in infantiâ, durante *Hiſpanorum* in *Belgio* perſecutione, parentibus orbata, per matris ſuæ ſororem *Suſannam*, *Adriani Kälbiam*, *Norimbergam* deducta, & ibi filiæ loco educata, cumque adoleviſſet, præfato *Conrado Richtero* nupta, *Norimbergæ* obiit an. 1600.

A. 1607. In Academiam *Altorfinam* miſſus, Philoſophiæ & Jurisprudentiæ dedit operam. A. 1614. *Jenenſem* quoque, *Lipſienſem*, *Juliam* & *Roſtochienſem* inviſit Academias. Deindè per *Belgium*, *Galliam*, & *Angliam* iter ſuſcepit.

An. 1618. Cum *Baſileæ* Jurium Doctor creatus fuiſſet, Cameram *Spirenſem* inviſit, & eodem adhuc anno reverſus in patriam, mox inter Urbis Advocatos cooptatus eſt. Fit Doctor Juris.

A. 1619. *Norimbergæ* nuptias celebravit 10. Maii cum *Suſannâ*, *Michaëlis Baurii* filiâ, & *Matthiæ Schyreri*, mercatoris, viduâ, 6. liberorum matre, cum quâ in conjugio felici 32. annos exegit, ſuſceptis ex eâ 5. liberis, filio unico & 4. filiabus, è quibus filium *Johannem Georgium*, J.C. & Reipublicæ Conſiliarium, cum filiâ natu minimâ reliquit ſuperſtites. Hunc filium vivus adhuc veſtigia ſua calcantem cum gaudio ſingulari vidit. Deſponſatur.

A. 1620. Reſpublica Patria inter Conſiliarios ſuos adſcripſit eum, & abinde in variis Legationibus ad Cæſarem, Reges, Electores & Principes Imperii adhibuit. Conſiliarius Norimbergenſis.

A. 1631. D. *Joh. Chriſtoph. Oelhafio* in Procancellariatu Univerſ. *Altorfinæ* ſucceſſit, quod munus 20. annis fideliter adminiſtravit, in eoque ſucceſſit ei D. *Tob. Oelhafius*. Procancellar. Altorf.

Tandem ab annis aliquot doloribus podagricis & nephriticis exhauſtus, accedente orthopnœâ & hydrope, ſpiritum Creatori reddidit 9. Dec. A.C. 1651. æt. 60. Moritur.

* *Ex Concione funebri Joh. Mich. Dilherri. Vitam ejus deſcripſit & Operi Epiſtolarum Patris præmiſit filius Johannes Georgius Richterus, Reip. Norib. & aliorum Imp. Ordinum Conſiliarius.*

Ingenii monumenta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Oratio fun. in obitum D. Erneſti Soneri. in 4to.

Memoria D. Georgii Nösleri in Oratione publicè habitâ. in 4to.

Digeſta Pietatis, ſive, de cultu Orationis Collectanea Theoretico-Practica. in 12mo.

Orationum Decades tres. in 8vo.

Epiſtolæ Selectiores. in 4to.

Obiit A.C. 1652.

LEONHARDUS SCHWENDENDORFERUS.

NOrimbergæ natus eſt 25. Febr. An. C. 1585. Patre cognomine Mercatore primario, Matre *Juſtina Neumariâ*.

Cum in Patriæ Scholis Arithmeticam & Linguæ Latinæ fundamenta didiciſſet, ad Mercaturam à Patre educatus, hujus gratiâ *Lipſiam* adoleſcens à Patre miſſus eſt ad Dom. *Thomam Lebzelderum*, Senatorem & Mercatorem, apud quem multos annos Miniſtrum fidelem egit, ejusq; demùm filiam in uxorem promeruit. Lipſiæ Miniſter Mercatoris.

A. 1618. Senatûs *Lipſienſis* Aurifodinarum *Mansfeldicarum* adminiſtratorem eum conſtituit, & an. 1623. Collegam in Senatu ſuo adſcivit. Senator Lipſienſis.

Variis abindè muneribus *Lipſiæ præfectus* an. 1630. Ædilis, an. 1631. Tutelarum patronus,

Præpoſitus ad S. Nicolaum. Conſul Lipſienſis.

tronus, an. 1636. Præpoſitus Eccleſiæ ad S. *Nicolaum* conſtitutus, an. 1637. ad Conſulatum evectus eſt, quem ſepties cum laude geſſit, & quidem an. 1640. ſecundâ vice unà cum fratre ſuo D. *Georgio Tobiâ Schwendendorfero*, Univerſitatis *Lipſienſis* Rectore Magnifico.

Conſiliarius Electoris Saxoniæ.

A. 1632. Conſiliarius Sereniſſimi Electoris *Saxoniæ Johannis Georgii* factus, varias ipſius nomine Legationes obivit.

Sponſalia celebravit.

19. Jan. An. 1608. Sponſalia *Lipſiæ* celebravit cum virgine *Roſinâ*, Dom. *Thomæ Lebzelderi*, Mercatoris & Heri ſui filiâ, quæ duos ei filios & tres filias peperit, omnes patrem morte prægreſſos. Filius enim natu major *Thomas Leonhardus*, adoleſcens optimæ ſpei, in peregrinatione per *Galliam Lugduni* an. 1635. vitam finiit. Alter *Johannes* mox poſt nativitatem obiit. Filia natu major *Roſina* D. *Danieli Döringio*, Conſiliario *Sax.* Electorali & Comiti *Palat.* an. 1637. nupta, relictis duabus filiabus *Roſinâ Dorotheâ*, & *Mariâ Juſtinâ*, anno 1639. mundo valedixit.

Filiorum obitus. *Filiarum obitus.*

Altera filia *Anna Maria* viro nobili Dom. *Henrico à Wolfframsdorf* in matrimonium promiſſa, an. 1637. Sponſa obiit, quam Soror *Gertrudis* virgo an. 1638. ſecuta eſt. Liberorum horum mater an. 1618. defuncta, viduum eum effecit.

Moritur.

Viribus tandem aſſiduis laboribus conſumptis, poſtquàm paucis diebus ægrotâſſet, ex catarrho ſuffocativo placidè in Chriſto obdormivit 27. Jan. A.C. 1652. æt. 67.

* *Ex Concione funebri D. Johannis Hülſemanni, Theologiæ Profeſſoris, & ad S. Nicol. Lipſiæ Paſtoris.*

Obiit A.C. 1652.

JOHANNES PHILIPPUS GREINERUS.

H*Agenoiæ*, oppido Imp. natus eſt 27. Julii A.C. 1610. Patre *Melchiore Greinero*, Poligrammateo, Matre *Catharinâ Rumbartiâ*.

Argentorati habet Diſputationem Juridicam.

Obortâ in patriâ religionis & regiminis mutatione, adoleſcens cum matre diſceſſit *Argentoratum*, ubi de conſilio agnati ſui D. *Caſp. Bitſchii*, J.C. celebris ſtudium Juris amplexus, tantos fecit progreſsûs, ut an. 1635. ſub ejuſdem D. *Bitſchii* præſidio Diſputationem de evictione Feudi cum laude habuerit.

Cum verò tunc temporis generoſus Dom. *Johannes Chriſtophorus à Gerâ* &c. Informationem filio ſuo *Argentorati* ſtudiis operam danti deſideraret, à Dnn. Profeſſoribus ipſi commendatus *Greinerus* functioni huic per biennium præfuit; cumque filium D. Parenti ſuo *Hamburgi* reſtituiſſet, D. *Laurentius Langermannus* filios ſuos in moribus & literis informandos ipſi concredidit, cum quibus per *Hollandiam* & *Galliam* iter ſuſcipiens, ibidem biennium inſumſit.

In patriam reverſus, an. 1640. à Sereniſſimo Principe *Georgio Wilhelmo*, Com. *Palat. Veldentiano*, ad munus Conſiliarii expetitus, modeſtè honores illos recuſavit.

Doctor Juris Argentorati creatur & deſponſatur.

Paulò pòſt *Argentinam* veniens, 15. Junii Doctor Juris ſolenniter renuntiatus, eâdemque die deſponſatus eſt cum virgine *Suſannâ*, D. *Juſti Mejeri*, facultatis Juridicæ Anteceſſoris, relictâ filiâ unicâ, abindè Advocatum egit usque ad A.C. 1642. quo Comitum *Hanoviæ* in opp. *Buſchweiler* Conſiliarius & Advocatus, ac deinceps Præfectus *Brumatenſis* conſtitutus eſt.

Conſiliarius Hanov. & Advocatus.

Iterum nubit.

Cum verò an. 1643. Conjugem partùs doloribus unà cum fœtu extinctam amiſiſſet, an. 1646. ad vota ſecunda tranſiit connubio junctus cum *Catharinâ*, *Claudii Guitſchardi*, civis & mercatoris *Argentoratenſis* filiâ, ex quâ duos filios in infantiâ demortuos & 3. filias ſuſcepit.

Moritur.

Catarrhis à biennio cum fuiſſet obnoxius, auditu ferè prorſus privatus, viribus ſenſim evaneſcentibus, in ſellâ ſedens placidè obdormivit 9. Febr. A.C. 1652. ætatis 42.

Vt nitIDo noVIæ LVX FebrVa proſtat OLyMpo,
GreInerVs terrIs eXIIt, aſtra petens.

* *Ex Concione funebri M. Georgii Wegelini, Superintend. Buſchwiler.*

Obiit A.C. 1652.

JOHANNES JACOBUS FÆSCHIUS.

B*Aſileæ* natus eſt 1. Oct. A.C. 1570. Patre Urbis Conſule *Remigio Fæſchio*, & Matre *Roſinâ Beckiâ*.

A. 1584. Ex Gymnaſio Patrio *Burgenſi* ad Lectiones publicas promotus, an. 1586. in *Italiam* profectus eſt cum filiis *Theodori Zwingeri*, Medicinæ D. & Profeſſoris, *Bonifacio*, qui *Patavii* an. 1587. obiit, & *Jacobo* poſteà Medicinæ D. & Prof. fratribusque *Jacobo* & *Emanuele Rudinis*.

Patavii ſtudioſus, & Genevæ.

Patavii biennium ſtudiis inſumpſit, & intereà totam *Italiam* peragravit. An. 1588. *Baſileam* reverſus, ibi permanſit ad an. usque 1591. quo menſ. Sept. *Genevam* ſtudiorum & Linguæ *Gallicæ* diſcendæ gratiâ profectus eſt.

A. 1594. *Spiram* ſe contulit Juris tunc ſtudioſus, ut Praxin addiſceret, ſed cum ibi febri ardente laboràſſet, Medicorum ſuaſu, ſub initium A. 1595. in Patriam rediit. Sed menſ. Aug. ſeq. cum *Melchiore Hornlochero*, Senatore & Conſule Patriæ nomine ad Regem *Galliæ Henricum IV.* Legato, *Lugdunum* profectus, ibi Regem triumphantis inſtar Urbem ingreſſum, & ſplendidè exceptum vidit.

Juris Doctor Baſileæ,

A. 1597. Licentiam à Facultate Juridicâ petens, menſ. Aprili Examen ſuſtinuit, & brevi pòſt Diſputationem Inauguralem de Fidejuſſoribus publicè defendit. Anno ſeq. ſuadente præter alios amicos D. *Samuele Gryneo*, Pandectarum Profeſſore, & Syndico *Baſileenſi*, Profeſſionem Pandectarum operâ vicariâ obivit, & an. 1599. 1. Martii, unà cum aliis Competitoribus, Promotore D. *Ludovico Iſelio*, in Juris Doctorem ſolenniter promotus eſt.

& Profeſſor 50. annis.

22. Dec. ſeq. Profeſſionem Inſtitutionum Imperialium adeptus. An. 1601. In Collegium

gium Juridicum receptus, & in primo Promotionis actu 5. Nov. 9. Doctores unumque, Licentiatum creavit.

Tempore verò 50. annorum, quibus *Baſileæ* Jura publicè profeſſus eſt, 80. Promotionibus, 230. Doctores, & 35. Licentiatos raro exemplo renuntiavit.

Deſponſatur. 14. Maji An. 1602. Sponſalia celebravit cum virgine *Annâ Mariâ*, D. *Caſp. Bauhini*, Med. Practicæ Anat. & Botan. Profeſſoris relictâ filiâ, ex quâ 2. filiorum & 4. filiarum parens factus, 3. filias vivas reliquit. A. 1613. Poſt obitum D. *Ludovici Iſelii*, qui menſ. Dec. an. 1612. obiit, *Syndicus Baſileenſis.* Syndicus Patriæ contrà voluntatem ſuam factus, & unà Profeſſionem Codicis ejuſdem D. *Iſelii* loco nactus, tandem mortuo D. *Johanne Gutio* ad Pandectarum Profeſſionem evectus eſt.

Rectoratum Academiæ intereà ſexies, annis nimirum 1604. 1612. 1615. 1626. 1630. & 1645. laudabiliter adminiſtravit.

Judicio præditus ad extremum usque vitæ acri, memoriâ viſu & auditu ſingularibus, cum 9. tantùm diebus aſthmate decubuiſſet, *Moritur ſenex.* morte beatâ vitam clauſit d. 20. Febr. A.C. 1652. ætatis 81.

* *Ex Concione funebri D. Theodori Zwingeri.*

JACOBUS GOTHOFREDUS.

Obiit A.C. 1652.

Suſceptorem habuit Jacobum Lectium, J.C.

NAtus eſt *Genevæ* in ſpem Orbis literati 13. Sept. A.C. 1587. & 21. Sept. ſeq. de Sacro Baptiſmatis fonte à *Jacobo Lectio*, J.C. & Senatore *Genevenſi* ſuſceptus: Avo *Leone Gothofredo*, Dom. à *Guignecourt*, Conſiliario Regio in Præfecturâ & ſede Præſidiali *Pariſienſi*: Parente *Dionyſio Gothofredo*, in Academiâ *Genevenſi*, & poſtmodùm aliis Prof. Juris celeberrimo. Matrem habuit *Dionyſiam Santioniam*, familiâ *Pariſienſi* nobili prognatam, fratrem *Theodorum Gothofredum*, Hiſtoriographum Regis *Galliarum*, & Bibliothecarium inſignem.

Juris Profeſſor Genevæ. A. 1619. In patriâ Juris Profeſſor creatus, Auditores frequentiſſimos nominis ſui celebritate allectos & adductos prælectionibus publicis privatiſque colloquiis in admirationem ſui rapuit, famamque ſuam per omnes terrarum angulos prolatavit.

Senator. A. 1629. Meliore dignus ſpartâ in Senatorium ordinem adlectus eſt, apud quem Legum peritiam incredibilem, libertatem animi ſingularem, promptitudinem in concipiendo, nitorem in dicendo, ſolertiam in judicando mirabiles intenſum in commoda patriæ in æqui Juriſque defenſionem ſtudium contulit, in ſalutem Reipublicæ Conſulatum quater geſſit, *Scholarcha.* Scholarchæ munus obiit maximâ fide & diligentiâ, Civibus Patrem, Patronum Advenis, Literatis Apollinem, Comem omnibus ſe præſtans. Crebris porrò Legationibus in *Galliâ*, in *Germaniâ*, in *Pedemontanâ* regione, in *Helvetiâ* inclareſcens, acceptus omnibus, felicem in rebus etiam difficillimis ſucceſſum conſecutus eſt.

Poſt exantlatos varios ſtudiorum ac negotiorum labores, vires corporis ſui ab aliquanto tempore morbis atteri & frangi ſenſit: Poſtremò febri continuâ lentâ, & catarrho in pectus ac pulmones delabente, cum hæmoptyſi, ſeu potiùs aliquot dierum ſanguinis pituitâ viſcidâ mixti expulſione ac tuſſi decubuit, dum mens ſana ac libera in ægro corpore tota fuit in diſceſſum intenta: Neceſſarios, Collegas ac Paſtores, qui ad conſolandum adibant, ipſe conſolabatur prior: donec tandem inter precandum, genibus flexis, & elatis ad cœlum manibus oculiſque, vitam cum morte commutavit, *Moritur.* inque ſinum *Abrahæ* evolavit An. C. 1652. ætatis 65. 24. Junii in Xyſto *Petrinis* ædibus annexo terræ commendatus.

* *Ex Programmate funebri Philippi Meſtrezatii, Rectoris Academiæ Genevenſis.*

EPITAPHIUM

Epitaphium.

JACOBI GOTHOFREDI J.C. V COS.

EXUVIÆ HIC JACENT, UNAQUE JACENT, QUÆ PATRIÆ, ECCLESIÆ, ORBI LITERATO PROXIME DESTINABAT COMPLURIA;
A VULGI ERRORIBUS, AB OFFICIIS NONNULLORUM, A PRÆPOSTERA DEMUM QUORUNDAM AMBITIONE VINDICATA:
DOLENDA JACTURA, SED NON IDEO DOLENDUS IPSE, QUI COELESTI PATRIÆ REDDITUS, COELITUM ALBO ADSCRIPTUS, DEI OPT. MAX. ADSPECTU PROPRIA NUNC FELICITATE FRUITUR, QUAM
TOT INTER ANIMI MOERORES, CORPORIS LANGUORES, STUDIORUM LABORES, NEGOTIORUM MOLEM,
SPEI PLENUS, FIDEI CERTUS, CHRISTI CHARITATE CIRCUMAMICTUS, ANIMO SEMPER PRÆCEPIT VIVUS, VIVUS ET IPSE SIBI H. T. P.

Scripta. Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Comment. in Philoſtorgi Hiſt. Eccleſiaſt.
— in Tertullianum ad Nationes.
Animadverſiones Juris Civilis.
Veteris Orbis Deſcriptio.
De Cenotaphio. *Manuale Juris.*
Orationes Politicæ.
Opuſcula Polit. Jurid. Hiſtor. Critica.
Fontes Juris Civilis.
De interdictâ Chriſtianorum cum gentilibus communione.
De Imperio Maris, & Jure maritimo.
De Electione Magiſtratûs.
De velandis Mulieribus.
Diſputatio de Tutelâ & Curâ.
— de Juſtitiâ & Jure, ſtatuq; hominum.
Florilegium Sententiarum Juris.
Hiſtoria Juris Civilis.
De mutatione Monetæ, & æqualitate in Mutuo.
De famoſis Latronibus.

PHILIPPUS MöRINGIUS.

Obiit A.C. 1652.

DUderſtadii natus eſt, 30. Jan. A.C. 1584. Patre *Johanne Möring*, Senatore, Matre *Annâ Morackid.*

A. 1594. Miſſus à Parentibus ex Scholâ patriâ ad Scholam trivialem *Francofurti* ad *Oderam* eximios fecit in bonis literis progreſsûs, & A. 1598. Scholam tunc celebrem *Hildelsheimii* acceſſit, A. 1599. in Gymnaſio *Brunsvicenſi*, & an. 1601. in Scholâ *Hanoveranâ* ſtudia humaniora abſolvit. A. 1603. Academiam *Juliam Helmſtadii* adiens, ſtudium Juridicum auſpicatus eſt. An. 1608. Collegia privata cum Facultatis Juridicæ conſenſu aperuit.

Helmſtadii Collegia Juridica habuit.

An. 1612. *Wolfenbüttelium* à Sereniſſimo Duce *Henrico Julio Brunsvicenſi* vocatus, hujus filio *Rudolpho* Præceptor datus eſt, in quâ functione perſeveravit usque ad an. 1615. *Bleicherodæ* Ducis *Friderici Ulrici* Conſiliarius & Cancellarius *Hohnſteinenſis* factus, 10. Aug. ejusdem anni *Helmſtadii* Gradum Doctoris Juridici cum laude accepit.

Præceptor Rudolphi, Ducis Brunsvicenſis. Cancellarius Hohnſteinenſis. Juris Doctor Helmſtadii.

14. April. A. 1616. Sponſalia celebravit cum virgine *Eliſabethâ Hedwige*, Dom. *Laurentii Berckelmanni*, Conſiliarii & Camerarii *Brunsvicenſis*, filiâ.

Conjugium init.

An. 1625. Tumultu bellico Comitatum *Hohnſteinenſem* vaſtante, *Duderſtadium*, & anno ſeq. *Langenſaltzam* in *Thuringiâ* familiam tranſtulit, ubi peſte graſſante conjugem à latere ſibi ſurreptam cum dolore vidit, anno conjugii ſterilis decimo.

Anno 1628. *Wolfenbüttelii* Conſiliarii *Brunsvicenſis* munus aggreſſus, an. 1629. ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Annâ Eliſabethâ*, Dn. *Gerhardi Reichii*, Conſulis *Hamelenſis* filiâ, quam ſterilem quoque viduam reliquit.

Conſiliarius Brunsvicenſis. Conjugium alterum.

An. 1637. Vocatus ab *Auguſto*, Duce *Brunsvicenſi* & *Luneburgenſi*, ad Cancellariatum in Principatu *Dannenbergico Luchoviæ* cum familiâ ſuâ conſedit.

Cancellarius Dannenbergicus.

A. 1639. *Brunsvigam*, juſſu Ducis *Auguſti*, concedens, Conſiliarius Cameræ & Conſiſtorialis Judicii aulici Aſſeſſor factus, anno demùm 1644. Decanus S. *Blaſii* deſignatus eſt.

Conſiliarius Cameræ Brunsvigæ. Decanus ad S. Blaſium.

Cum tandem à ſemianno ferè colicis doloribus decubuiſſet, viribus conſumtis, & accedente febre ardente, placidè in Chriſto obdormivit d. 29. Junii Apoſtolis *D. Petro* & *Paulo* ſacrato A. C. 1652. ætatis 69.

Moritur.

* *Ex Concione funebri Johannis Gleimii, Concionatoris Brunsvicenſis.*

SIMPLICIUS WIDMANNUS.

Obiit A. C. 1652.

RAtisbonæ natus eſt 24. Julii A. C. 1599. Patre *Abrahamo*, Mercatore, & Matre *Dorotheâ Eberinâ*, *Norimbergenſi*.

Cum in Scholâ patriæ poeticâ literarum humaniorum fundamenta jeciſſet, an. 1617. in Academiam *Altorfinam* à Parentibus miſſus, triennium ibi in ſtudiis Politicis & Juridicis exegit. Poſteà in Camerâ *Spirenſi* Advocato cuidam 4. annis inſerviit.

Juris ſtudioſus Altorfii.

An. 1623. *Wilhelmus* Comes *Solmenſis*, Camerarius Cæſareus, & generalis ædificiorum Commiſſarius, Secretarium cum ſibi delegit, & in variis itineribus per *Ungariam*, *Bohemiam* & *Auſtriam* ſocium eſſe voluit.

Secretarius Comitis Solmenſis.

An. 1625. Indè clementer dimiſſus, iterum Secretarii munere functus eſt apud *Fridericum Caſimirum*, Comitem *Ortenburgicum*, ab A.C. 1625. ad 1628. quo vocatus à Senatu *Ratisbonenſi*, Syndicus in patriâ factus eſt, & anno ſeq. 1629. deſponſatus eſt cum virgine *Suſannâ Dorotheâ*, *Johannis Schiltelii*, Senatoris filiâ, ex quâ 3. filios cum filiâ ſuſcepit, ſed filium tantùm *Johannem Abrahamum* cum filiâ *Annâ Mariâ* reliquit.

Secretarius Comitis Ortenburgenſis. Syndicus Ratisbonenſis. Deſponſatus.

A. 1632. Vocante Sereniſſimo Principe *Georgio*, Landgravio *Haſſiæ*, & Senatu patrio clementer dimittente, cum familiâ ſuâ *Darmſtadium* migrans, Secretarii aulici munus aggreſſus, eoq; fideliter functus eſt usq; ad an. 1643. quo revocatus à Senatu patrio Syndicus & Poligrammatêus *Ratisbonæ* conſtitutus eſt.

Secretar. Landgravii Haſſiæ. Poligrammatêus Ratisbonæ.

Cum verò morbis variis afflictus, munere ſuo pro voto fungi non poſſet, rude donatus, tandem exſpiravit 3. Aug. An. C. 1652. ætatis 53.

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Joh. Georgii Langii, Concionat. Ratisbon.*

CLAUDIUS SALMASIUS.

Obiit A.C. 1652.

EDitus eſt in hanc lucem, & quidem partu ſeptimeſtri, anno 1596. in ſuburbano Avi ſui, quod propè *Semurium* viſitur in *Alexio Ballivatu*. Undè & *Alexium* alibi ſe inſcribit. Pater ejus fuit *Benignus de Salmaſiâ*, Eques, & Conſiliarius Regius, *Taliaci* &c. Dominus, qui in ſupremâ *Burgundiæ* Curiâ, *Parliamentum* vocant, Senatoris, dum vixit, locum obtinuit. Mater ipſi erat *Eliſabetha Virota*, Nobiliſſimi, Ampliſſimiq; Viri *Guilielmi Viroti*, Domini de *Biry* &c. & in ſupremo quoque *Burgundiæ* Senatu Conſiliarii filia.

Prima literarum tyrocinia ſub Parentis ductu & auſpiciis peregit, nec poterat alibi melius. Eventus ſanè luculenter admodùm, quàm felici uſus eſſet Præceptore, comprobavit. *Pindarum* quippè anno ætatis X. exactè admodùm interpretatum fuiſſe, manifeſta fides eſt; tantosque in Græcis Latinisque literis jam tum feciſſe progreſsûs, ut verſûs utrâque linguâ pangeret non infeliciter. Et cum ſæpiùs animi causâ Græco carmine *Lojolitas* impeteret, infenſos etiam iſtâ ætate expertus eſt eorum animos, atque exindè magis ac magis exoſam habere cœpit univerſam illam gentem; donec & annis & ſcientiâ provectior, vindictam omnium injuriarum pleniſſimam cœpit; quando eorum Primates, *Petavium*, *Sirmondum* & alios, veritatis & ſolidæ eruditionis clypeo quovis loco aggreſſus eſt, donec profligâſſet, atque ex Theologiæ & literaturæ arce, quam falſò tutari poſſe ſeſe confidebant, ſummâ vi atque ingenii dexteritate exegiſſet.

Puer decennis literis Græcis & Latinis probè excultus.

Literis

Undecennis ſtudiis Philoſophicis operam dat.

Literis ergò Græcis & Latinis jam probè excultus *Salmaſius*, vix undecennis ad ſolidioris ſapientiæ ſtudia cœpit animum appellere. Atque à Parente *Jeſuitis Divionenſibus* (ut ferè in *Galliâ* aſſolent) ſcientiis Philoſophicis imbuendus deſtinabatur, cum ille ſtrenuè ſe opponeret, ac tandem impetraret, ut *Pariſios* mitteretur. Ita enim præviderat, quid pietatis & purioris Religionis ſtudio, cui cœperat ſe jam inſtinctu Matris addicere, magis conduceret: *Pariſiis* enim liberiorem aërem ſibi fore, & frequentiora cum Eruditis colloquia, præſertim qui Reformatæ Religioni eſſent addicti.

Caſaubonum antè alios, & Reverendos atque eruditiſſimos tunc temporis Eccleſiæ *Gallicanæ* ibidem Paſtores convenire, frequentare, de dubiis conſulere, & optimâ methodo, quâ ſeſe indagandis veteris & primitivæ Eccleſiæ antiquitatibus dedere poſſet, cogitabat. Nec ſpes fefellit, expertus enim admodùm faventes ſibi omnium animos, ob ſingularem candorem, ſed & incredibilem, jam eâ non dicam juvenili, ſed puerili admodùm ætate eruditionem, ut pauciſſimis poſtquàm eò appuliſſet menſibus, daturus aliquot progreſſus in verâ Religione ſpecimen Fidei ſuæ luculenter admodùm & publicè exhibuerit in Eccleſiâ Reformatâ; cœptusque inter noſtros numerari, inſcio licet & nolente Patre; qui cum ſuæ eum dignitatis ſucceſſorem deſtinaret, ſic ſpem omnem præcidi judicabat, quod nemo, niſi Pontificiæ Religioni addictior, ad Senatoriam Purpuram in *Burgundiâ* admittatur.

At *Salmaſius* jam tum Pietatis & veræ ſapientiæ ſtudiis, quæ ſola ſatiare animum poſſunt, divitias omnes & honores generosè admodùm poſtpoſuit; Deoque & Servatori ſuo, quàm Parenti parere maluit.

Sacris ergò veræ Religionis initiatus, *Germaniam* cogitare cœpit, ubi pacatius, quàm in *Galliâ*, & fidentius porrò iis operari ſe poſſe judicabat. Rogavit itaque Parentem, ut *Heidelbergam* abire ſibi liceret, tum aliorum Clariſſimorum Virorum, tum eruditiſſimi *Dionyſii Gothofredi*, atque inſtructiſſimæ Bibliothecæ fama excitato. Ille verò, quod Reformata eſſet Academia, multum filio ſuo metuens, ne ſcilicet à Pontificiis penitùs deficeret, & neſcius eorum, quæ *Pariſiis* geſta erant, diu multumque repugnare, de *Tholoſanâ* Academiâ mentionem injicere, & cum minùs iſthinc ſibi metuendum Filio videretur, ad eam omni conatu, iteratiſque literis hortari, impellere.

At *Salmaſio* ratum certumque jam manebat, extrema potiùs tentare, & offenſum licet ſuaviſſimi Parentis animum perferre & pati, quàm conceptam animo purioris Theologiæ ſententiam dimittere. Tandem ergò & Patris, ſed ægrè admodùm, conſenſu, ac Deo in conſilium atque auxilium advocato, vicit amor Religionis, & omninò maturandum iter in *Germaniam* judicavit. Præſertim cum & veniam à Parente nunc obtinuiſſet, & occaſio commoda ſe offerret, inſtantibus Nundinis *Francofurdienſibus*, cum Mercatoribus ſimùl iter capeſſendi.

Venit Heidelbergam.

Quod cum Parenti reſcripſiſſet, circa Nonas Septemb. anno 1606. iter ingreſſus eſt, annum ætatis agens XV. Intereà *Salmaſius*, dum *Heidelbergam* venit, ſtatuit nihil prorſus eorum negligere, quæ ſibi in poſterùm ad rem, quam inceptabat, aut utilia aut neceſſaria fore exiſtimaret.

Bibliothecam ibi diligenter frequentat.

Admiſſus igitur in interiorem *Jani Gruteri* amicitiam, ſimul & liberrimus ei ad locupletiſſimam Bibliothecam patuit aditus.

In eam itaque ſe condit, & ad evolvendos partim, partim conferendos cum editis, aut ſi editi non eſſent, & majoris momenti viderentur, transſcribendos Græcos Latinosque Codices MSS. ſeſe accinxit. Atque eâ quidem pertinaciâ, ut non diem tantùm, ſed & noctem huic curæ impenderet, & ex tribus unam ſemper inſomnem duceret. Toto mane ferè unà ſemper cum *Grutero* hanc operam navabat: à meridie per aliquot horas ambulationibus ſe invicem atque eruditis ſermonibus recreabant, ne quod otium etiam ſine negotio ſibi *Claudius* permitteret. Tum iterum *Salmaſius* ad penſum ſuum, *Gruterus* domum reverti ſolitus; quin etiam id Juris in Bibliothecam jam acquiſiverat, ut in Muſæum quoque, quos vellet, ſecum codices perlegendos aut deſcribendos adduceret.

Ab eruditis de dubiis rebus conſulitur.

Ita factum pauciſſimis menſibus, ut eruditionem acquireret planè incredibilem, & fama nominis ejus non *Germaniam* tantùm univerſam, ſed & *Belgium* & *Gallias* pervagaret, & pro *Grutero* jam *Salmaſius* undique de dubiis ac conclamatis apud omnes generis Auctores locis conſuleretur. Ille verò jam tum eruditionis variæ admodùm & diffuſæ copiis inſtructus, nunquàm non pleniſſimè iis ſatisfecit, & ſupra expectationem quoque lautiſſimis doctrinæ & Polymathiæ ſuæ epulis ſatiavit.

Superſunt tùm in ipſius Muſæo, tùm apud amicos, maximorum virorum literæ, quibus ſuper variis admodùm & difficillimis locis in *Stephani Dictionario, Floro, Callimacho, Theocrito, Athenæo, Heſichio*, aliiſque graviſſimis Authoribus ſententiam rogatus eſt. Quid iis repoſuerit, facilè colligere eſt ex illis, quæ de immensâ ejus eruditione in Epiſtolis ſuis Viri maximi *Scaliger* & *Caſaubonus* teſtantur. *Nilum* etiam tunc temporis & *Barlaamum* de *Primatu Papæ*, rogatu clariſſimi *Bongarſii*, accuratè admodùm recenſuit, & adjectis ad calcem emendationibus ac notis, quid ſingulari judicii atque ingenii ſui perſpicacitate in Critica tunc etiam poſſet, ſatis oſtendit.

At licet opuſculum fuerit paucarum horarum, & à puero admodum, vix quatuordecim annorum, curatum, ejus tamen ne ſe ſenem quidem poſteà pœnitere docuit, cum iteratò ad calcem Libri Primi de Primatu excudendum tradidit.

Mox *Florus* inſecutus eſt anno 1609. infinitis locis poſt *Cl. Gruteri* curas emendatus atque explicatus, quem ipſi etiam *Grutero*, tum gratitudinis ergò, tum etiam ut arbitrum eum ſibi cuperet, dedicavit.

Præter iſta, *Stephanum de Urbibus* etiam habuit paratum ad prælum ſexcentis amplius locis à ſe emendatum, ac maximâ parte ex antiquiſſimo Codice Bibl. *Palat.* auctum. Cui verſionem etiam adjecerat, potius temporis fallendi, & ſtyli exercendi gratiâ, quàm quod neceſſarium judicaret.

Cur iter Romam verſus non aggreſſus fuerit.

Reditum ad Parentes jam meditabatur *Salmaſius*, cum repentè cupido eum cœpit *Romam* videndi, & reliquias ac monumenta potentiſſimè ac latiſſimè olim dominantis populi. Et jam itineri ſeſe accinxerat, atque in comitatum Mercatorum quorundam ſe dederat, cum eâ ipsâ nocte, quæ præſtitutum profectioni diem præcederet, terribili inſomnio turbatus, & vocem audire viſus, quàm maximè eum dehortantis ab eo incœpto, atque interminantis quoque, ſi eam viam inſiſteret, nunquàm vivum reverſurum, conſilium illud penitùs abjecit.

Præſertim cum cogitaret, quàm cautè illic ſibi agendum foret, ne vitæ diſcrimen, aut aliud malum incurreret; dein ſi vel cautiſſimè ageret, malevolentium tamen hominum artibus, cum jam famâ undique notus eſſe cœpiſſet, facilè prodi & deferri poſſe. Tum & illud accedebat, *Nilum* & *Barlaamum*, Pontificiæ Monarchiæ hoſtes acerrimos, ipſius curâ non tantùm vulgatos, ſed & expolitos eſſe; undè & tantò certius periculum adiret; & ſi vel optimè res caderet, temeritatis tamen notam effugere poſſe deſperabat.

Patrios lares inviſit.

Patriam ergò cogitavit, & jam ſpoliis inſignis opimis, quaſi totidem armis inſtructus, quibus rem Literariam jam labantem inſtauraret, vel hoſtes veritatis, & hoc potiùs aggrederetur, paternas ſedes & natale ſolum elegit, undè primum impetum faceret. *Salmaſius* nunc in Parentum ædibus, aut Prædiis ſuburbanis, ſtudiis porrò operam navavit. Atque per illud tempus edidit miſitque ad *Salmaſium* ſpicilegium ſuum in *Harpocrationis Lexicon* Eruditiſſimus *Mauſſacus*, quo quæ à *Salmaſio* potiſſimùm, poſt Notas ſuas vulgatas, per literas didiciſſet, collegerat; præmiſſâ admodùm honorificâ ejusdem mentione, & elogiis non vulgaribus paſſim inſperſis.

Intereà *Lutetiam* aliquando excurrere, arctiorem cum Doctiſſimis & Ampliſſimis totius Regni Viris *Sillerio*, *Thuano*, *Puteanis*, *Memmio*, *Servino*, *Rigaltio*, aliisque, qui alicujus aut nominis aut dignitatis tunc erant, familiaritatem contrahere. *Rigaltio* imprimis utebatur, cum ei Regiæ Bibliothecæ cura incumberet, cujus quoque aditum ejus beneficio, quoties vellet, impetravit.

Et cum jam ad graviores curas ſe accingeret, omnemq; prorſus *Græcam Romanamq;* Hiſtoriam, ipſius quoque Naturæ arcana, denique res Ritusque Veteris Eccleſiæ penitius ſcrutandas & indagandas ſuſcepiſſet, præter ea, quæ ex *Palatinatu* ſecum advexerat, etiam pervolutanda illuſtris & verè Regia Bibliotheca ei videbatur. Verùm quo id commodiùs & majori curâ perficeret, impetraverat à *Rigaltio*, ut ſecum, quos luberet, Codices vel in *Burgundiam* quoque & in Muſéum ſuum deferret.

Jam ſingulis ergò menſibus iter *Lutetiam* inſtituebat, & Libros, quibus uſus erat, reportabat, alios de novo auferens.

Inter has curas, rogatu Cl. *Rigaltii*, duas difficillimas Græcas inſcriptiones *Herodis Attici* elucidavit, & luculentis Commentariis exornatas, adjectis ſimul etiam Notis ad *Doſiadæ* Aras & obſcuriſſima Poëmatia *Simmiæ Rhodii* Ovum, Alas, Securim, *Theocriti* Fiſtulam, Cl. *Rigaltii* porrò curæ commiſit. Qui, cum eruditionis non vulgaris plena omnia eſſe comperiſſet, & ſuſpiceret, *Pariſiis* excudenda exhibuit an. 1619. Succeſſit deinceps ingens & aureum opus Commentariorum in *Auguſtæ* Hiſtoriæ Scriptores, qui *Suetonium* ſequuntur, & Minores appellari ſolent. Nam poſt *Caſauboni* obitum, quo nemo melius hos Authores curaverat, in totâ *Galliâ* nullus repertus eſt, qui poſt ipſum aliquid hic tentare vel poſſet vel auderet.

Et cum alii nemini obtrudi poſſet hoc negotium, itum eſt in *Burgundiam* ad *Claudium*, qui licet in alio argumento tunc verſaretur, & nihil minus expectaret, cum dudum Notas & emendationes ſuas, & excerpta ex *MSS. Gall.* quæ habuerat ad illos Authores proprio uſui dicata, *Caſaubono* tradidiſſet, quia tamen & multorum amicorum atq; illuſtrium virorum perpetuis petitionibus, & Typographi precibus reſiſtere diutius non poterat, hoc quaſi πάρεργον, ad illud, quod tunc tractabat majoris operæ & moliminis, ſibi aſſumſerat. Ac repetitis, quas *Caſaubono* antè in eam rem dederat, ſchedis, paucis admodùm menſibus totum illud opus abſolvit.

Uxorem duxit.

Salmaſius jam ævi maturior, & quo commodius, quod reliquum erat vitæ conficeret, cœpit de conjugio cogitare, & Uxorem ſibi ſumſit Nobiliſſimam & Generoſiſſimam Matronam *Annam Merceriam*, Filiam Ampliſſimi ac Doctiſſimi Viri *Joſiæ Merceri de Bordes*, *Grymiaci* Domini.

Intereà temporis Commentarios ad *Tertulliani Pallium* ediderat *Salmaſius*, opus diffuſâ admodùm eruditione differtum; & quod omne penè antiquam Rem Veſtiariam tractaret. Argumentum ut difficile admodùm, ita utiliſſimum ac neceſſarium cognitu iis omnibus, qui cum utilitate Veterum quorumvis Scripta verſari ſtudent, Parenti verò ſuo *Benigno de Salmaſiâ* inſcripſerat; ut aliquod ergà eum publicè extaret gratitudinis ſuæ monumentum.

Perſonabat jam univerſum Orbem *Salmaſii* nomen. Nec à Doctis tantùm æſtimari, ſed & à Potentiſſimis Rebuspublicis, ipſisque

ipſiſque Regibus ultrò ambiri cœpit. Singuli eum ſibi vendicare, ſibi ſoli aſſerere optabant.

Multi eum ſuum eſſe deſiderant. Oblatis ergò lautiſſimis conditionibus primùm *Veneti* tentare; quod crederent immortalem ab eo ſidere *Batavio* ſuo ſplendorem acceſſurum. Et quia publicas Lectiones detrectabat, quod videret eas ſtudiis ſuis obfuturas, iterum oblatis aliquot Aureorum millibus ſolùm orârunt, ut ter in anno publicè prælegeret; modeſtè tamen recuſavit, & gratias egit tùm privatim, tùm publicè etiam, dicato iis ſtupendo admodùm & immenſæ eruditionis Opere Exercitationum *Plinianarum ad Solinum*. Tentavit idem *Britannia*, quo *Oxonienſi* ſuo Athenæo eum aſſereret. Aër & Regionis amœnitas, tum libertas veræ Religionis videbantur eum huc inclinare potuiſſe, & certè obtinuiſſent, niſi aliquid ab eo (quamvis lautiſſimâ conditione) petiiſſent, quod cum ad Nationis utilitatem ſpectaret, non erat tamen ad genium ipſius.

Intereà ipſe Pontifex eum deperire, favorem ejus ambire, miſſâ per Epiſcopum *Aurelianenſem* amicâ ſalutatione. Hæc inter, circa annum hujus ſeculi XXX. de vocando *Salmaſio* in *Bataviam* commodum cogitari cœptum eſt. Urgente imprimis Nobiliſſimo *Æſſenio*,glorioſæ atque inclytæ memoriæ Viro. Et ſolus dignus habitus, qui Magni *Scaligeri* locum tanto poſt tempore iterum impleret. Erant, qui contrà ambirent, atque id magno quidem molimine, verùm à prudentiſſimis hujus *Lugdunenſis* Lycæi Curatoribus cœteris omibus prælatus eſt, ut longè dignior, *Salmaſius*. Atque ultrò citroque miſſis ad eum literis, tandem etiam D. *Joh. Wallæo* id negotii dedêre, ut quas illi decreverant lautiſſimas & Heroicas conditiones, præſens præſenti offerret, & quantum poſſet, anniteretur, eum ad amplectendum id muneris compellere.

Placebat *Salmaſio* libera Reſpublica, ubi poſſet præſertim pacatè incumbere detexendis, quas inchoaverat, Obſervationibus in univerſam primitivæ Eccleſiæ antiquitatem, quas inter minas & pravas *Lojolitarum* machinationes ægrè admodùm abſolviſſet; & jam confectas prælo unquàm committere poſſe deſperabat. Cum præſentiam ſuam omninò ei rei neceſſariam judicaret, & in totâ *Galliâ* nuſquàm ſatis fidum aut tutum locum inveniret. Verùm nonnihil ab injuriâ aëris metuebat, qui corpuſculum nactus eſſet planè omnis frigoris impatiens, & incommoda, quæ indè obvenire ſibi poſſent, in *Germaniâ* abundè fuerat expertus.

Inprimis verò & hoc illi dolebat, ut ingenuus fuit & candidus, rem in eum ſtatum fuiſſe deductam, ut niſi multorum invidiam & odium incurreret, accipere hanc conditionem non poſſet. Quin maluiſſet in alterum proptereà deferri, ne inimicitiam ejus deinceps experiri cogeretur, quem placatum atque amicum habere ſemper mallet.

Poſt alia atque alia tamen, quia inſtarent perpetuò Curatores, & eas offerrent conditiones, quæ ſine faſtûs ſuſpicione recuſari non poſſe videbantur, aſſenſit eorùm petitioni, & circa exitum anni 1632. in hanc Urbem cum Familiâ appulit; nullo verò Profeſſoris, multò minùs Profeſſoris honorarii titulo, ut ridiculi homines finxêre, evocatus eſt, verùm eâ ſolùm lege, ut nominis ſui honorem Academiæ huic impertiret, ſcriptis eandem illuſtraret, præſentiâ condecoraret.

Amici ejus in Belgio. At quos quantoſque amicos è veſtigio ultrò conſecutus ſit in hoc *Belgio*, non poſſum accuratiùs & veriùs dicere, quàm omnes fuiſſe, qui probi eſſent, & eruditioni pretium ponere noviſſent. Multum quoque & familiariter eo uſa eſt Sereniſſima *Bohemiæ* Regina, & de graviſſimis ſæpè difficultatibus cum eo contulit. Expertus etiam eſt favorem Potentiſſimæ & Eruditionis omnis ſtudioſiſſimè Principiſſæ *Chriſtinæ*, *Suecorum, Gothorum* & *Vandalorum* Reginæ. *in Sueciâ.* Incredibili etiam amore & affectu Illuſtriſſimus atque Eminentiſſimus *Richelius* eum complexus eſt *Pariſiis*. Quin & Celſiſſimi & Præpotentes Heroes *Fridericus Henricus* & *Guilielmus II.* Glorioſæ memoriæ *Arauſionenſium* Principes, ſæpiùs in conſilium adhibuêre ſuper Rebus Politicis ac Militaribus.

Et cum aliquoties cum Auguſtiſſimo Principe *Friderico* de veteri *Romanorum* militiâ, ejusq; variâ mutatione, & diſcrimine, ſub Conſulibus & Cæſaribus (quod hactenus Eruditos omnes latuerat) ſermones miſcuiſſet, tàm impensè placere ſibi *Salmaſii* illas diſſertationes Magnus Heros & *Belgii* Mavors ſignificavit, ut Scripto eas conſignari protinus juſſerit. Et paruit ejus mandato quàm lubentiſſimè *Salmaſius*. Syntagma ergò aliquod de militiâ *Romanorum*, quod dudùm animo conceperat, & cujus guſtum ſæpè amicis id flagitantibus per literas dederat, tandem auſpiciis Auguſtiſſimi Herois ſeriò & accuratè tractare primò *Gallicè*, deindè & *Latinè* aggreſſus eſt, nec deſtitit, donec ad finem deduxiſſet.

Parentem amittit. Anno 1640. Parentem amiſit jam grandævum, & præter propter octuagenarium, qui & ductor infantiæ ejus & fidiſſimus Pædagogus, & jam provectâ ætate magnum illi & ſolatium & præſidium fuit. An. 1652. Sereniſſimum Comitem *Rhenum* ſalutavit, ab eoque amiciſſimè exceptus, commutatis ultrò citroq; aliquot, de Politicis præſertim rebus, ſermonibus; mox, quia uxor morbi causâ feſtinabat, quod reliquum erat itineris, abſolvit.

Spadæ cum eſſet, fallendi temporis causâ, protinus ſe accinxit confutando *Miltonio*, idque ſine libris, & ſolâ adjutrice memoriâ. Jamque aliquot capita abſolverat, cum commentationis filum abrumpere coëgit ſolenne ille malum, Arthritis, quam & febricula comitabatur. Subindè tamen melius habens, biduò aut triduò ad relictum penſum per intervalla reverſus eſt.

Aggra-

Morbus Salmaſii. Aggraveſcente jam morbo, Medicum *Spadanum* arceſſit, & venam ſibi ſecari voluit. Contrà ille obſtare, & de aliis medicamentis contendere, urgere. Invaleſcente morbo, alium quoque Medicum *Moſa-Trajecto* arceſſendum curavit. Hi purgationem alvi præſcripſerunt, quamvis ille perpetuò contenderet, venæ ſectionem ſibi iſthoc familiari morbo uſitatam plerumque benè ceſſiſſe.

Sumto medicamento, pulviuſculus erat, pejus habere cœpit *Salmaſius*, dein potio propinabatur, poſt eam magis magiſque in deterius cum ipſo abiit.

Et cum opportunè tunc Doctiſſimi Viri *D. Stuarti*, S. Theol. D. & II. D. Paſtoris, conſortio frueretur, crebros cœpit cum eo de Rebus Theologicis & Salutaribus ſermones ſerere, quibus piam animam in mediis doloribus ſolaretur & paſceret. Aderat illi quoque aliquoties Vir Ampliſſimus *D. à Caſtro*, Senator *Sylvæ-Ducenſis*; qui eò etiam valetudinis curandæ cauſâ ſe contulerat.

Rogatus à *D. Stuarto*, an non in omnibus aſſentiretur Fidei Reformatæ Eccleſiæ? prorſus aſſenſit; & paratum ſe manu ſuâ obſignandis ejus Articulis oſtendit. Nullam aliam illi unquàm prætuliſſe, quam ab ipsâ infantiâ amplexus, DEI beneficio ad id tempus conſtanter ſervâſſet, & certiſſimis atque invictiſſimis argumentis veram eſſe comperiſſet, ſcriptiſque editis aſſeruiſſet. Calumnias eſſe, quicquid de *Socinianiſmo*, quaſi ei aliquâ in parte faviſſet, aut de aliâ quacunque heterodoxiâ malevolentes homines commenti eſſent: ipſis verò hoc ex animo condonare, & Deum ſibi teſtem eſſe ſinceræ mentis. Tum ut officium veri Chriſtiani, quantum in ſe eſſet, omni ex parte impleret, injunxit Uxori, ut, quæ habebat domi ſcripta jam confecta, & ſepoſita in quâdam arcâ, adverſus Maximos Viros dudum prœlo parata, omnia ac ſingula flammis traderet, ne, ſi fortè in aliorum manus devenirent, in publicum erumperent, & magnorum virorum famam perderent: cum iis graviſſimos errores confutâſſet. His peractis unum Deum & cœlum cogitavit, fortiſſimus Chriſti miles, & qui de hoſtibus veritatis toties Dei auxilio triumphâſſet, nunc omnes cogitationes ei curæ impendere, quomodo ultimum hoſtem, mortem, debellaret.

& mors. Advocato ergò ſæpiùs Dei auxilio, & iteratis ad Servatorem ſuſpiriis ac precibus, tandem d. 3. Septemb. A. 1652. (ſecundùm alios 1654.) inter circumſiſtentium lacrymas & ſingultûs circa horam nonam piiſſimam animam Deo reddidit, præſentibus multis Pontificiis, qui cupiditate videndi ejus accurrerant, Deo ſic volente, ut quos totâ vitâ hoſtes infeſtiſſimos expertus eſſet, nunc in glorioſo hoc actu conſtantiæ ſuæ in verâ Religione teſtes haberet. Ita vixit, ita mortuus eſt Maximus Virorum, & verè Eruditorum Princeps. Cadaver poſtridiè *Trajectum* delatum, ac ſepultum ibidem eſt in majori Templo.

Joh. Rudolphus Stuckius, Theologiæ Profeſſor *Tigurinus*, hoc ei ſcripſit Anagramma, cum Epigrammate:

Salmaſius. — *Aſſimulas.*

Epigramma.
Aſſimulas mortem Salmaſi, mortuus haud es:
Nec moritur virtus, nec potes ipſe mori.
Nam meliore tui cum vivas parte, perenni
Cum famâ mortis vincula non metuis.

Scripta. Catalogus Librorum, à *Cl. Salmaſio*, dum viveret, editorum:

Nilus & Barlaamus de Primatu Papæ.

Florus cum Commentariis.

Explicatio duarum Inſcriptionum, Herodis Attici &c. Item *Notæ ad Doſiade Rhodii ovum, Alas, Securim. Theocriti Fiſtulam.*

Epiſtola de Regionibus & Eccleſiis ſuburbicariis.

Notæ in Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores.

Eucharisticon Jac. Sirmondo. Pro adventoria, de Regionibus & Eccleſiis ſuburbicariis.

Notæ in Tertullianum de Pallio.

Exercitationes Plinianæ in Solinum.

Lucius Ampelius.

De Uſuris.

Notæ in Pervigilium Veneris.

De Modo Uſurarum.

De Fœnore Trapezitico.

Diatriba de Mutui Alienatione, contrà Cyprianum.

Commentarius in Epictetum & Simplicium.

Tabula Cebetis cum Prolegomenis.

Notæ ad Achillem Tatium.

Interpretatio Hippocratei Aphoriſmi LXXIX. Sect. IV De Calculo. Cum Epiſtolis ad Beverovicium.

Reſponſio ad Epiſtolam Johan. Cloppenburgii.

Brevis Confutatio Notarum Larvati Theologi in excerptâ Diſſert. de Trapezitis.

Diſſertatio (ſub nomine Wallonis Meſſalini) de Epiſcopis & Presbyteris, contra D. Petavium.

De Linguâ Helleniſticâ, & Origine ac Dialectis Græcæ Linguæ.

Funus Linguæ Helleniſticæ, & ejuſdem Oſſilegium.

Epiſtola ad Menagium, de Herode Infanticidâ.

De Comâ, ſuper cap. XI. 1. ad Cor.

Dialogus de Comâ.

Arnobii Textus emendatus.

Obſervationes ad Jus Atticum & Romanum.

Disquiſitio de Mutuo, quâ probatur, non eſſe Alienationem.

Confutatio Diſputat. Jac. Wiſembachii de Mutuo.

De Mutuo adverſùs Job. Tabor.

Item contra Babroti Epiſtolam.

Epiſtola ad J. Pacium (ſub nomine Simplicii Verini) de Libro Poſthumo Hug. Grotii.

De Tranſſubſtantiatione (ſub nomine Simplicii Verini) contrà Hug. Grotium.

Epiſtolæ ad Thom. Bartholinum, de Cruce & Hyſſopo.

Tractatus de ſubſcribendis Teſtamentis, & Annulis Antiquorum. Sive *Specimen Confutationis Animadverſionum Deſ. Heraldi.*

De Annis Climactericis & Antiquâ Aſtrologiâ, Diatriba.

Defenſio

Defenſio Regia pro Carolo I. ad Carolum II. ſepties & amplius recuſa.

Adjuvit præterea, & multis de ſuo ſuppeditatis luculenter emendavit & illuſtravit:

Plautum, Ed. Boxhornii.
Phædrum, Ed. Rigaltii.
Suetonium, Ed. Schildii.
Virgilium & Servii Comment. ad eum, Ed. Schrevelii.
Juvenalem & Perſium, cum Scholiaſte, Ed. Schrevelii.
Sulp. Severum, Ed. Hornii. Et alios ſine numero.

Libri partim confecti, & parati jam olim ad editionem, partim affecti, & inchoati:

Exercitationes Plinianæ, quas inter & *Libri de Herbis & plantis.*
Diſſertatio de Sacchаro & Mannâ.
Tractatus Theologici Miſcellanei.
Notæ in Ammianum Marcellinum.
Commentarius in Concilium Eliberinum.
Epigrammatum Græcorum Anthologia.
Commentarii de Officiis domûs Auguſtæ.
Commentarius in Arnobium: cum præfixerat Diſſertationem de ratione Nominum, Cognominum, & Agnominum apud Veteres.
Libri de Ordine, Rebus ac Ritibus Eccleſiaſticis.
Annotationes in Novum Teſtamentum magnam partem abſolutæ.
Commentarius de Militiâ Romanorum.
Exercitationum de Philoſophiâ Stoicâ in Simplicium & Epictetum, pars altera. Cum Prolegomenis uberrimis, de manuductione ad eandem Philoſophiam.
Annotationes in Tertulliani Apologeticum, Librum de Coronâ Militis, de Spectaculis, de Habitu Muliebri, & de Cultu Fœminarum.
Emendationes in Heſichii Lexicon.
Commentarius & emendationes in Stephanum de Urbibus, cum interpretatione Latinâ.
Liber de Inſtrumentis Muſicis Veterum.
Obſervationes & Emendationes in Ovidium.
Diatribe de termino vitæ.
Commentarii de Re Veſtiariâ & Coloribus.
De Aciâ & Fibulis Antiquorum.
De Uſuris Juſtinianeis
Commentarius in A. Gellii Noctes Atticas.
in Diogenem Laërtium.
in Lucium Ampelium.
M. Antonium de ſeipſo & ad ſeipſum.
Hygini Gromatici Librum de Caſtrametatione.
Martialem.
Libri de Re Nummariâ.
Diatribe de Vitâ Joſiæ Merceri.
Commentarius in Rationale Imp. Romani.
Exercitatio de Scriptis Plinianis.
Commentarius de Sibyllis.
Animadverſiones in Annales Card. Baronii.
Liber de Aromatis.
Diſſertatio de variis Annorum Formis.
de Gemmis.
Dialogi aliquot de Comâ.
Notæ in Antiquas Græcas Inſcriptiones.
Etymologicum Latinum.
Apologia contrà Miltonium pro Defenſione Regiâ.

Et infinita alia, quæ nunc non occurrunt. Potuiſſe autem omnia hæc dare, ſi longiorem vitæ uſuram ei Deus conceſſiſſet, patet tum ex iis, quæ de Ingenii ejus dotibus pauca de multis ſuprà narravimus; tum quoque ex iis, quæ de his rebus paſſim in aliis operibus intermiſcuit.

* *Ex Claudii Salmaſii Laudum & Vitæ ejuſdem Prolegomenis Epiſtolis præfixis Antonii Clementii.*

JEREMIAS REUSNERUS.

Obiit A.C. 1652.

Lemberge in *Sileſiâ* natus eſt 4. Maji An. C. 1590. Patre *Franciſco*, Cive ibidem honeſto, Matre *Marthâ*, *Melchioris Hombergeri*, Civis *Lubenenſis* in *Sileſiâ* filiâ.

A. 1599. à patruo *Nicolao Reusnero*, Comite Palatino, & Juris Profeſſore *Jenenſi* filii inſtar educatus, ab eoque A. 1601. in Scholam Electoralem, quæ *Portæ* eſt, traductus, in eâ ſexennium ſtudiis exegit. *Educatus à patruo Nicolao Reusnero, J. C.*

An. 1607. In Univerſitatem *Jenenſem* reverſus, cum intereà *Nicolaus Reusnerus* obiiſſet, ad alterum agnatum *Eliam Reusnerum*, Medicinæ Licentiatum & Profeſſorem publicum ſe contulit, & ſtudiis Philoſophicis addictus, 30. Dec. anni ejusdem primam Philoſophiæ Lauream conſecutus, inter 14. Candidatos 6. locum obtinuit.

Abindè ſtudium Juris amplexus, D. *Virgilii Pingizeri*, aliorumque Profeſſorum Lectiones & Diſputationes diligenter acceſſit.

A. 1612. quo *Elias Reusnerus* peſte obiit, domum redire coactus, anno ſequenti *Jenam* reverſus eſt, & abindè alios in Jure informavit, ac ſtudioſis Collegia Lectoria & Diſputatoria aperuit. *Jenæ Collegia Juris privata habuit.*

9. Maji A. 1615. *Wittenbergam* veniens, 23. Junii Diſputationem publicam *De Recuſatione Judicis*, & ſtatim abindè Collegia privata habuit: 16. Sept. ſeq. ſub Decanatu D. *Wolffgangi Hirſchbachii*, prægreſſis Examinibus ſolitis & Diſputatione inaugurali de *Exemtione Clericorum*, Juris utriusque Doctor à D. *Valentino Guilielmo Forſtero* ſolenniter renuntiatus eſt. *Doctor Juris Wittebergæ.*

23. Nov. An. 1618. Nuptias celebravit cum virgine *Annâ Mariâ*, D. *Jacobi Schröteri*, Conſiliarii *Saxonici*, & Cancellarii Comitatûs *Hennebergici* filiâ, *Meynungæ*. Ex eâ 9. ſuſcepit liberos, duos filios & 7. filias. Ex filiis *Jeremias Jacobus* A. 1621. obiit, *Johannes Jeremias* verò patri ſuperſtes Juridicis ſtudiis operam dedit. Inter filias *Anna Maria*, *Chriſtophoro Breslero*, Juris Doctori, & Comitum *Barbyenſium* Conſiliario, Facultatis Juridicæ Aſſeſſori, ac Syndico *Wittenbergenſi*; *Magdalena*, *Andreæ Jahnio*, Juris Licentiato, Syndico *Gubenenſi*, & Judicii in *Luſatiâ* inferiori Aſſeſſori; *Catharina*, *Thomæ Wedigio*, Juris Licentiato, & Aſſeſſori Judicii *Hallenſis* deſponſatæ ſunt. *Nubit.*

Witteberga Facultatis Juridica Aſſeſſor. Advocatus Curia Elect. 21. Aug. A. 1617. *Wittenbergæ* Facultatis Juridicæ Aſſeſſor, 16. April. A. 1618. Advocatus Curiæ Electoralis conſtitutus: 20. Febr. A. 1619. Juſſu Electoris *Saxoniæ*, agnato ſuo Doctori *Bartholomæo Reusnero*, Anteceſſori Juris Vicarius in prælectionibus publicis adjunctus eſt.

Juris Profeſſor. 14. Martii A. 1621. Profeſſor Juris & Aſſeſſor Judicii aulici conſtitutus. A. 1629. In numerum Seniorum receptus, An. 1639. *Aſſeſſor Conſiſtorii Eccleſiaſtici.* Profeſſor Codicis & Aſſeſſor Conſiſtorii Eccleſiaſtici, & demùm A. 1640. Profeſſor Decretalium & Ordinarius declaratus eſt.

Intereà temporis Decanatum Facultatis aliquoties, ter verò Rectoratum Univerſitatis adminiſtravit.

Cum ab anno 1637. quo propter Commiſſiones bellicas plurimas calamitates pertulit, malè ſe habuiſſet, A. 1650. de Medicorum conſilio *Thermas Carolinas* cum fructu, non diuturno tamen, abhibuit, ſenſim enim viribus corporis abſumptis, inter *Moritur.* preces ad DEUM devotas animam exhalavit 29. Sept. A. C. 1652. ætatis 63.

* *Ex Concione funebri D. Abrahami Calovii, Theologiæ Profeſſoris.*

EPITAPHIUM ejus Witteberga in Templo Franciſcanorum D. M. Æ. S. & BB. MM.

Epitaphium. JEREMIÆ REUSNERI J. C.TI ET IN ACADEMIA WITT. ANTECESSORIS ORDINARII AC SENIORIS, CONSILIARII ELECT. SAX. CURIÆ PROVINC. SCABINATUS ET CONSISTORII ECCLESIASTICI ASSESSORIS, QUI LEORINI SILES. NATUS A. C. MDXC. AD IV. NONAS MAJAS IX. CAL. NOV. ANN. C. MDCXXVIII. CLARISS. VIRGINI ANNÆ MARIÆ SCHROTERIÆ NUPTUS, ATQUE EX EA PATER IX. LIBERORUM BINORUM MASCULINI COETERORUM SEQUIORIS SEXUS FACTUS, CUM IN HONORIBUS ET ONERIBUS PUBLICIS, DEO PIETATEM, PROXIMO ÆQUITATEM, SIBI SOBRIETATEM APPROBASSET, SATIS ANNORUM VITÆQUE SATUR, PLENUS FIDEI, PLENUS SPEI EXCESSIT A. C. MDCLII. PROPRIDIE CAL. OCTOBRIS, QUI D. MICHAELI SACER ERAT, EJUS QUOD CLAUDI POTUIT HEIC RECONDI, ET QUICQUID ILLUD MONUMENTI EST MARITO AC PARENTI INCOMPARABILI ET EXEMPTIS OMNIBUS NOBILISSIME DE SE MERITO VIDUA LIBERIQUE SUPERSTITES PERPETUO MOERORI DAMNATI P. C. HAVE LECOR ET ABI MORTALITATIS TUÆ ET ÆTERNITATIS MEMOR.

Obiit A. C. 1651.

PETRUS PUTEANUS.

Patrem habuit *Claudium Puteanum*. Mater erat *Claudia Sanguina*. Infantem in ſenatoriâ purpurâ genitum, ad Sacramenta baptiſmi Chriſtiani ſuſcepêre delegatorum præcipui, *Seguierus* Præſes & *Johannes Tumerius Boſſiſius*, ac de nomine Præſidis appellavêre *Petrum*.

Adhibuit *Claudius* filii ſui inſtitutioni *Paulum Renealmum Bleſenſem*, literaturæ Græcæ & Latinæ benè meritum. Publicas etiam exercitationes habuit *Theodori Marcilii*, & ipſius etiam *Caſauboni*. Satis erat ipſi domi pater, ſi non eum penatibus ſuis quotidianæ Senatorii muneris occupationes abſtraxiſſent.

Hunc igitur in modum inſtitutam filii curam *Claudius*, acerbâ morte, petroſo illo rerum cruciatu raptus, uxoris diligentiæ commiſit.

Petrus verò *Puteanus*, per adoleſcentiæ gradûs omni literarum ac ſcientiarum genere diligenter imbutus, primo juventutis adhuc flore forenſibus admotus negotiis, cauſam pro ſuo Præceptore *Paulo Renealmo*, jam Doctore Medico, adverſus *Bleſenſes* pharmacopolas, ſub *Achille Harlæo* primario Præſide doctè ac disertè peroravit, & vicit. *Præceptorem defendit adverſus adverſarios.*

Sed & ingenita juveni gravitas, & verecunda prudentia, mores ſuggerebat ab illâ grandium cauſidicorum ferociâ valdè alienos. Ita ad munia tranquilliora converſus, in illâ ſe potiſſimùm Juris parte exercuit, quæ ad Rempublicam ſpectat, cujus ope regna ſive imperia unius aut plurium legitimè tenentur & conſervantur.

Partes implere poterat optimi Senatoris digniſſimus hæres *Claudii*, ſed jam conſtabat ea dignitas pretio, numeroſæ familiæ difficili tunc atque damnoſo. Illa rerum notitia publicarum ab ipſo pendebat: Omnia domi tranquilla, honeſtatis & modeſtiæ plena: matris liberorum amantiſſimæ pia ſedulitas: fratrum conſenſûs in ſtudia fratris, otium illi beatum faciebant.

Sic in otio neutiquàm ignavo vires idoneæ ſuppetebant ſatagenti: ſic omnes omnium imperiorum hiſtorias evolvit, undè, quæ ad propoſita facerent, excerperet. *Ejus indoles clariſſima.* Erant ad manum libri, & præſtò veterum chartarum ſuppellex, undè arcana temporis anteacti paterent, ſagacitas ſumma indagandis, veſtigandiſque, ſumma diſcernendis peritia, examinandis penſitandiſque judicium circumſpectiſſimum.

Tàm claræ indolis juveni latere diu non licuit; illicò fama propinquos & affines, quos habuit è præcipuis *Lutetiæ* magiſtratibus complures, excivit.

Indè ad alios paſſim pervagata, conflavit amicorum copiam tanto paratu ſpectabilem, ut nemo jam in urbe virtutis aut eruditionis gloria cenſeretur, qui *Puteano* illâ jam ætate florentiſſimo non faveret. *Petrum Puteanum*, agens adhuc regiam procurationem *Moleus*, in eam muneris illius publici partem, quæ circa regni tabularia verſatur, adſcivit.

Ea verò tabularia, quæ viſa quidem prius & inſpecta *Johanni Tilio*, Senatûs *Pariſienſis* Actuario, nec certè perperam, fuerant, *Puteanus* adeò curioſè ac diligenter

poſt

poſt *Tilium* vidit, collegit, deſcripſit, annotavit, indicibus laborioſè confectis digeſſit, explicavit, ut jam in aperto ſint innumera, quæ merſa tenebris ignorabantur, haud minimo rerum noſtrarum atque etiam externarum detrimento.

Teſtis operæ ſive induſtriæ tanto proceſſu navatæ *Moleus*, amico benemerenti non defuit apud primarios regni miniſtros, quibus jam erat ipſe *Puteanus* per ſe notiſſimus, & facilè obtinuit, ut in conſilium Regis allectus honorariâ penſione ſub *Sillerio*, Cancellario, dein etiam ampliore ſub *Seguiero* frueretur.

Puteani vitæ genus.

Hoc vitæ ſuaviſſimæ honeſtiſſimæque inſtituto, *Puteanus* ſorte ſuâ contentus, ſtudia ſic dividebat, ut otii partem veterum ſcriptorum commentariis evolvendis, partem chartis negotiorum publicorum diſpiciendis; intereà verò amicorum officiis ultro citroque colendis, horas in dies ſingulos impenderet.

Hanc ſibi diſciplinam formaverat ad exemplum *Thuani*, quem imprimis obſervabat; & viciſſim *Thuanus* cognati ſui moribus & conſuetudine oblectabatur.

Exortis poſthac ſuper *Arverniæ* comitatu, ſuperque turris Baronatu quæſtionibus, ad regia jura pernoſcenda viſum eſt, negotia publica miniſtrantibus inſpici veteres tabulas, quas in arce *Mercurolinâ* ſervari ſciebant.

Eò miſſus à Rege *Puteanus*, quâ ſolebat induſtriâ diligentiâque cuncta pervidit, collegit, & in Regium tabularium retulit, explicatis, quæ pro Rege, Regnoque juſtiſſima & firmiſſima comperit, inſtrumentis, teſtimoniis, argumentis. Vix elapſo poſthæc triennio, majus obtinuit negotium, finitimis ad *Moſam* & *Moſellam* populis adversùs *Franciæ* Jura contrà veterum tabularum fidem, contràque longiſſimi temporis poſſeſſionem nova molientibus, multa etiam in dies circa conditiones agrorum, ſive communium ſive ambiguorum, inverecundè tentantibus. Ea res *Belgii* principatum, *Burgundiæ*, *Barri*, *Bullionii* Ducatus pertingebat, nec erat mediocriter examinanda. Itaque delegati à Rege tres viri, *Cardinus Lebrettus*, *Johannes Delonius Lormia*, *Petrus Puteanus*. Huic, etſi per delegationis ordinem poſtremo, primas tamen induſtriæ ſive laboris partes collegæ conceſſerant.

Adeò cuncta, quæ ad rem facere videbantur ſuis ipſe librata ponderibus expendit atque digeſſit, ut quid fundorum, quidvé agrorum; quid oppidorum, quidvé civitatum de *Lotaringiâ* regali, ætatibus anteactis vel ambitioſè extortum, vel callidè ſubtractum, vel negligenter omiſſum, ſive perfidè confuſum fuerat, id quo Jure, quibus indiciis aut argumentis recuperari, defendi, retineri quiret ac deberet, manifeſtiſſimum fecerit.

Quantula pars exercitationum, quæ vehemens animis incutiant *Puteani* deſiderium noſtris! jure optimo tanti viri laboribus *Gallia* gloriatur, vel maximas gratias habent exteri, quibus eſt humanæ vitæ ſapienter inſtituendæ cura.

Ejus virtutes.

Puteani prudentiam, æquitatem, conſtantiam declarant Conſiderationes, Commentarii, Conſilia varia, ſive Reſponſa magnis de rebus elaborata. Quantæque apud probos & graves eſſe debeant expectationis, oſtendunt edita de Libertatibus Eccleſiæ *Gallicanæ* volumina, quæ jam veritatis hoſtibus tantum attulêre faſtidii nauſeæque. Horum calumnias proprio volumine confutavit. Alvi autem profluvio, ſeptimeſtris languor, aſthma cum febre, corpus exanimum tradidêre ſepulchro, cum vixiſſet annos 69.

Moritur.

Tumulo frater titulum poſuit mœſtiſſimus.

Tituli autem verba ſunt hæc:

Epitaphium.

PETRUS PUTEANUS, CLAUDII PUTEANI SENATORIS AMPLISSIMI FILIUS EX CLAUDIA SANGUINA FILIA BARBARÆ THUANÆ, QUÆ FUIT CHRISTOPHORI THUANI SENATUS PRINCIPIS SOROR, CLEMENTIS PUTEANI JURIS ÆVO SUO PERITISSIMI NEPOS. OPTIMIS PARENTIBUS OPTIME RESPONDIT: DOCTRINA, PIETATE, PRUDENTIA, FIDE, GRAVITATE, CONSTANTIA PROBATISSIMUS. REGI A CONSILIIS ET BIBLIOTHECIS: IMPERII GALLICANI JURA, EXEMPLIS SUMMO LABORE PROVISIS, REMPUBLICAM MINISTRANTIBUS CONSULTISSIME SUGGESSIT: PROCERUM CLARISSIMORUM OFFICIIS, OBSERVANTIA, FREQUENTI CONVENTU CELEBRATISSIMUS. VIXIT ANNOS SEXAGINTA NOVEM, MENSEM UNUM. HIC SITUS XIX. CAL. JAN. AN. CHRISTI MDCLII. IMMORTALIS PER CHRISTUM VITÆ GRATIAM EXPECTAT. JACOBUS PUTEANUS FRATERNÆ GLORIÆ CONSORS, ORBITATIS SUÆ MOESTITIAM; NICOLAI RIGALTII VERBIS AMICITIÆ VETERI HONOREM TESTANTIBUS, QUANTO PER CHRISTIANÆ MODESTIÆ PRÆCEPTA FAS EST SOLATIO CONSOLATUR.

Ingenii monumenta, quæ reliquit, ſunt ſequentia:

Scripta.

Hiſtoria damnationis Templariorum.

Hiſtoria ſchiſmatis Eccleſiaſtici anno 1378. ad 1428.

Hiſtoria pragmaticæ ſanctionis Biturigibus conditæ, anno 1439. quemadmodum ſtabilita, obſervata: quibus à *Romano* Pontifice artibus oppugnata.

De Concordatis Bononiæ inter Leonem X. & Franciſcum I. quo pacto ſtabilita & uſitata.

Ordinationes Antiſtitum Eccleſiæ.

Controverſia inter Pontificem & Imperatorem ſuper inveſtituris.

Quas ob cauſas Concilium Tridentinum Gallia non receperit, & quare ſit repudianda Cleri Gallicani ſuper hac re ſententia promulgata? anno 1615.

Programma ſub nomine Epiſcopi Carnutenſis, in cauſa cenſuræ per eum propoſitæ ſub nomine Cleri Gallicani, anno 1626.

Hiſtoria perſonarum ſex & viginti, Regio ſive Principali favore potentium. Volum.4.

De Regis Franciæ jure ad regnum Navarræ adversùs Hiſpanos.

De Regis Franciæ jure ad regnum Arragoniæ.

De Regis Franciæ jure in Rempublicam Genuenſem.

Pro regno Franciæ & quibusdam provinciis adversùs Anglos.

De Lege Salicâ.

De Jure confiſcandi in crimine Majeſtatis.

De Regis Franciæ Jure ad regnum Angliæ.

De Jure Regis Franciæ ad regnum Caſtellæ.

De Regis Franciæ Jure adversùs Sabaudum, circa Foſſiniacum, Nicæam, & Coriacum.

De Regis Franciæ Jure in Comitatu Flandriæ, & de pactis Madriti, Cameraci & Crepiaci.

Regis Franciæ dominium alienari non poſſe.

De Regis Franciæ Jure in Comitatu Arteſiano.

De Regis Franciæ Jure ad Inſulam Flandr. Ducum & Orchias.

De Regis Franciæ Jure ad Tornacum, Santamandum & Mortaniam.

De Comitatu Sancti Pauli. Undè moveat.

De Regis Franciæ Jure ad Regnum Burgundiæ adversùs Imp. Germ. &, legitimo titulo poſſideri agrum Lugdunenſem, Delphinatum, Provinciam, Breſciam &c.

An ſit præſcriptioni locus inter ſupremæ poteſtatis Principes?

Pro Rege Franciæ, adversùs Lotharingiæ Ducem, ſuper Ducatu Andegavenſi.

De controverſiâ inter Franciæ Regem, & Lotharingiæ Ducem ſuper Comitatu Provinciæ Forcalqueri, & agris adjacentibus.

De Regis Franciæ Jure ſuper Avenione, & Comitatu Venaſcinenſi.

Undè moveat Principatus Auriagiæ?

Confutatio quarundam objectionum in cauſâ Ducatûs Britanniæ.

Pro Rege Franciæ adversùs Hiſpanum, in cauſâ Ducatûs Burgundiæ.

De Infantium Franciæ Apanagiis.

Jura Regis Franciæ ad Comitatum Altiſiodorenſem, Matiſconenſem, & Barrenſem ſeq.

Conſideratio pactorum Atrebati, ann. 1435. & Peronæ, an. 1468.

De Regis Franciæ Jure in Comitatu Auxonenſi, & San-Laurentii Dominio.

De Ducatu Guiſæ.

Inſtrumenta probationum in cauſâ Regis Franciæ pro regionibus Epiſcopatuum Mediomatricum, Tulli & Veroduni.

Beneficentiæ, ſive donationes Regum Franciæ Pontificibus Romanis.

Apologia pro libris hiſtoriarum Jacobi Auguſti Thuani.

De Regentibus Franciæ, & quando Reges Franciæ cenſeantur annis majores.

De quæſtione habendâ ſuper vitâ & moribus eorum, qui à Regibus proponuntur ad Epiſcopatûs & Abbat.

De contributionibus Eccleſiaſticis ad ſubſidia regia rebus urgentibus.

Pacis ineundæ rationes inter Franciæ Regem, & Principes vicinos in Conventu Colonienſi.

Argumenta, ſive rationes, purgandæ memoriæ Franciſci Aug. Thuani.

De Regis Franciæ Jure ad Principatum Mediolanenſem.

Commentaria in Petri Pithœi librum de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

De Interdictis Eccleſiaſticis.

De Parlamento Pariſienſi.

Obſervationes & exempla juriſdictionum regiorum magiſtratuum in Epiſcopos, & alios Clericos criminum poſtulatos.

Documenta varia pro Jure dominico Franciæ in varias Urbes & Provincias.

De Jure Advenatûs in Francos.

An locum habeat adversùs Principes extraneos, quibus eſt juriſdictio ſuprema. Et an Francigenis parentibus competat portio hereditatis adversùs parentes non Francigenas excluſo Rege?

Hiſtoria cognitionum criminalium adversùs Johannem, Alenconii Ducem, & Borbonium Coneſtabilem, & Mareſchallum Biezium.

Hiſtoria controverſiæ inter Bonifacium Pontif. VIII. & Regem Philippum Pulchrum ex ipſiſſimis Actis ab ann. 1296. ad ann. 1305. & ſub Pontificatu Clementis V. volum. II.

Conſultationes, Epiſtolæ, & hujusmodi alia ad Concilium Tridentinum ſpectantia, quorum pleraque hactenus non edita.

* Ex Vitâ Petri Puteani ſeorſim editâ.

JOHANNES GRYPHIANDER.

Obiit A.C. 1652.

Oldenburgo-Friſius, Eliæ Reusnero ſucceſſit in Poëſeos & Hiſtoriarum Profeſſione A. 1612. defuncto, & ſeq. anno 1613. celebravit nuptias cum Annâ, Johannis Neuhauſeri, apud Comites Oldenburgicos Theſaurarii filiâ. Profeſſor Poëſ. & Hiſtor. Jen.

A. 1614. Utriusque Juris Doctor in Salanâ renuntiatus, diſceſſit Jenâ A. 1618. vocatus ad Conſiliariatum & Judicatum in Aulâ Oldenburgicâ obeundum. Juris Doctor. Conſiliarius Oldenburgicus.

Obiit in patriâ menſ. Dec. A.C. 1652. ſuperſtites in Tractatu de Jure Saxonico, das Sächſiſche Weichbild, vulgò vocato, & Libro de Inſulis, quem D. Chriſtoph. Beſoldus in Theſauro Practico Tractatum vocat abſolutiſſimum. Moritur. Scripta.

* Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri, qui hoc Epigramma appoſuit:

Friſia, Doctorum nutricula grata virorum Epigramma.
In multis hodiè concelebrâre libris.
Inter non paucos Salanas miſit in oras
Te quoq;, Johannes qui Gryphiander ovas.

HIERONYMUS RAUCHBAR.

Obiit A.C. 1652.

Onolsbaci natus eſt 20. Oct. A.C. 1576. Patre Caſparo, Marchionis Brandenburgenſis, Secretario per 36. annos & feudorum Præpoſito, qui 26. Oct. A. 1584. obiit. Matre Cordulâ Kindleiniâ, Johannis Kind-

Kindleinii, Civis *Onolsbacenſis* honeſti filiâ, quæ mortua eſt 19. Julii A. 1604.

E ſacro baptiſmi fonte ſuſceptus eſt ab *Hieronymo Reinhardo*, Juris D. & Conſiliario *Brandenburgico*, Aſſeſſore Judicii Imp. *Spirenſis*.

Cum in Scholâ patriâ Claſſes frequentâſſet, eâſque egreſſus eſſet, A. 1598 Agnatorum & Præceptorum ſuaſu, *Jenam* ſe contulit, & 30. Sept. Matriculæ Studioſorum inſcriptus eſt.

Licèt verò tunc plerique Studioſi ob peſtem graſſantem aliò diſceſſiſſent, ipſe tamen ſubſiſtens, ſtudiis Philoſophicis & Juridicis diligentem dedit operam usque ad 27. Mart. An. 1603. quo cum aliis quibusdam

Studet Jura Marpurgi.

ſtudioſis *Marpurgum* diſceſſit, & Theologos clariſs. D. *Winckelmannum*, D. *Mentzerum*, *Leuchterum*, Jurisconſultos item celeberrimos D. *Lersnerum*, *Vultejum*, *Gœddæum*, *Philippum Matthæum*, *Antonium Gotofredum* in eorum Lectionibus & Diſputationibus frequenter audivit. Sed elapſo ſemianno, vocante D. *Chriſtiano Barthio*, Judicii Cæſ. aſſeſſore *Spiram* 22. Oct. profectus, huic in abſolvendis 5. Voluminibus Sententiarum Cameralium fidelem præſtitit operam, donec cum eodem D. *Barthio* 25. April. An. 1606. *Onolsbacum* reverſus eſt.

Fit Doctor Juris Baſileæ.

17. Mart. an. ſeq. 1607. *Baſileæ* Doctoris in utroq; Jure titulo ornatus, inter 8. Competitores ſecundum locum obtinuit.

Domum reverſus, poſtquàm per aliquot annos praxin exercuiſſet, 25. Nov. A. 1615.

Conſiliarius Brandenburgicus.

Principis ſui Conſiliarius aulicus & Advocatus conſtitutus, eo munere per 11. annos fideliter functus, 2. Julii A. 1626. D. *Martino Aigelmanno*, Conſil. *Brand.* & Judicii Provincialis Cæſ. in *Burggraviatu Norimbergenſi* Aſſeſſori, rerumque communium Directori ſucceſſit.

Deſponſatur.

30. Maji A. 1609. primâ vice deſponſatus eſt cum virgine *Barbarâ*, D. *Nicolai Stadmanni*, Cancellarii *Brand.* & Præſidis Conſiſtorialis filiâ, quâ ſine relictis liberis defunctâ 16. Dec. A. 1632. Anno ſeq. alteram duxit, *Andreæ Peiskeri*, olim Principum *Brand.* juniorum Informatoris viduam *Annam Mariam*, D. *Conradi Rittershuſii*, Juris Profeſſoris *Altorfini* filiam, nuptiis 25. Nov. A. 1633. celebratis, ex quâ 6. Nov. A. 1635. filium ſuſcepit *Matthiam Hieronymum*, eumque ſuperſtitem reliquit.

Poſt hujus ſecundæ Conjugis obitum 6. Julii An. C. 1647. tertia vice Conjugium iniit cum *Euphroſynâ*, duorum Medicorum *Onolsbacenſium*, D. *Tobiæ Knoblochii*, & poſteà D. *Jacobi Chriſtmanni* relictâ viduâ; cum quâ domi deſponſatus eſt.

Ægrotat & moritur.

Variis tandem morbis ultimis vitæ ſuæ annis confectus, mortem beatam avidè expectans, & ſubindè exclamans: *Aſcendam ad Dominum morte vehente meum!* voti ſui compos factus, in Chriſto exſpiravit.

Ex Concione funebri M. Chriſtophori Melſtreri.

GUILIELMUS MAKDOWELL.

Clar. A. C. 1653.

IN *Scotiâ* vitæ telam exorſus eſt menſ. Oct. A. C. 1590. Patrem habuit *Thomam Makdowell*, Toparcham in *Steidrich* & *Makarſton*, cujus mater *Beatrix Duglaſſia* filia erat *Guilielmi Duglaſſii*, Provinciæ *Teviotiæ* Præfecti, & *Satrapæ* hæreditarii. Matrem habuit *Johannam*, *Andreæ Can.* Equitis aurati filiam. Vix ſeptennis à Parentibus ablegatus eſt *Muſſelburgum* 4000. paſſibus *Edenburgo* diſtans oppidum, in Scholam ibi celebrem, ut vernaculæ & Latinæ Linguæ elementa addiſceret, ſub auſpiciis M. *Georgii Nisbeti*, non infelicis tunc juventutis Moderatoris.

Prima ejus ſtudia Muſſelburgi,

Exegit ibi ſexennium eo fructu, ut cum dimitteretur, ſimul etiam judicaretur dignus, qui ad Academiam mitteretur. Pater verò ipſum *Calſonam* miſit, oppidum 1000. paſſibus à ſuis ædibus diſſitum, & M. *Johanni Balfourio*, inſigni Hiſtorico, commendavit, ſub cujus diſciplinâ annum ſeq. abſolvit.

& Calſonæ.

Ita tandem *Andreapolin* venit, urbem propter Academiam celebrem: ubi decurſo ex lege & more quadriennii curriculo titulo laureâque Magiſtrali inter primos primus eſt ornatus, Promotore M. *Johanne Strangeo*, quem poſt Academia *Glasguana* Præfectum habuit, & Theologiæ Profeſſorem.

In Academiâ Scot. S. Andreæ fit Magiſter Philoſophiæ.

Priusquàm tamen Gradum Magiſterii ſuſciperet, ex communi Examinatorum ſententiâ Philoſophica in Collegio *Leonardino* apud *Santandreanos* Profeſſio ipſi oblata eſt, quam anceps animi ob immaturam adhuc ætatem *Petro Braſſio* ſuadente & urgente ſuſcepit, & ultrà triennium cum laude ſuſtinuit.

Profeſſor Philoſophiæ.

An. 1614. Vocatus ab Illuſtribus *Gröningæ* & *Omlandiæ* Ordinibus, ad Philoſophiam in novâ Academiâ *Gröningæ* docendam, eò profectus, munus ſuum auſpicatus eſt, in quo, quâ fide & commodo juventutis verſatus ſit, docent Collegia ipſius per omnes ferè Philoſophiæ partes habita, quæ hodièque multorum manibus teruntur. Academiæ etiam faſces brevi intervallo bis ſibi delatos cum laude geſſit.

Profeſſor Philoſophiæ Gröning.

Dum autem ita publicè Philoſophiam docuit, privatim Jurisprudentiæ ſedulam dedit operam; cujus adeptæ luculenta edidit ſpecimina, quando non modò in agro vicino Jurisdictioni ipſius per matrimonium ſubjecto ipſemet tribunal exercuit, ſed etiã in Conventibus Juridicis majoribus, qui bis quotannis in Urbe habentur, non ſemel in Judicem à toto Conventu electus fuit.

Publicum verò conſecutus eſt eruditionis ſuæ in Juris ſcientiâ teſtimonium, cum A. 1625. Jurium Doctor renuntiatus eſt ab *Antonio Matthæo*, Juridicæ facultatis anteceſſore, recens tum ex *Marpurgenſi* Academiâ *Gröningam* traducto.

Juris Doctor.

An. 1627. Cum vivis exceſſiſſet *Petrus Pappus à Tratzberg*, Prætor & Præſes Senatûs Militaris, ipſe, annitente *Erneſto Caſimiro*,

Præſes Senatûs militaris.

Com. *Naſſoviæ*, Provinciæ Gubernatore, concurrentibusque Procerum ſuffragiis, defuncto ſuffectus eſt.

Sic igitur Academiæ, cui jam tertium decimum annum inſerviverat, valedicere, & ad aliam ſpartam ornandam ſe accingere neceſſum habuit.

Legatus in Angliam. Intereà gemina ipſi demandata fuit Legatio, altera An. 1629. ad Regem magnæ *Britanniæ Carolum*, cum Provinciæ *Gröningenſi* & vicinæ *Friſiæ* ob non ſoluta ſtipendia graves eſſent duæ turmæ Equitum auſpiciis Regiis conſcriptæ, quarum *Guilielmus Balfour* & *Johannes Dulbis* ductores erant. Alterâ verò ob negotia gravioris momenti functus eſt A. 1635. & 1636. Nitebatur tunc *Britannus* pravorum conſiliis impulſus, liberum Mare ſibi proprium vindicare, aliis omnibus, & *Belgis* inprimis halecum piſcaturam exercentibus excluſis, ni ſibi vectigales fierent, ideòque validam claſſem inſtruxerat jam in anchoris ſtantem.

Hanc calamitatem ut à *Belgis* averteret, ſolidis argumentis apud Regem inſtitit, & à cœpto deſiſteret, perſuaſit: quâ de causâ *Henricus Fridericus*, Princeps *Auraicus*, ipſi reduci gratias egit.

At Rex *Carolus* ab eo tempore non multò pòſt, abſenti licèt & ſtationem priſtinam *Gröningæ* tuenti locum in ſupremâ *Scotiæ* curiâ aſſignavit, quod tamen Conſilium ob Civile bellum *Anglicum* non ſucceſſit.

Poſteà verò à *Carolo II.* Magnæ *Britanniæ* Rege cum legatis *Scotiæ* de rebus componendis agente, ex commendatione Principis *Auraici*, inter Conſiliarios adhibitus, pòſt etiam ab eodem *Scotiæ* Regno jam polito Ordinarii ad fœderatos *Belgas* Legati titulo auctus fuit.

Conjugium ejus duplex. Matrimonium iniit geminum: Prius An. 1617. cum virgine nobili *Bernardinâ*, *Menoniſà Fritimâ* filiâ, ex quâ filios duos præmaturè mortuos, filiamque unicam *Æmiliam* ſuſcepit, quæ nuptiis elocata eſt Nobili *Ulrico ab Ebſumten* poſt pluribus muneribus functo. Alterum cum nobili Matronâ *Eliſabethâ*, *Regneri Alberda van Zande* filiâ, viduâ autem *Sixti à Bodniâ* in *Feerwert* & *Niewelant* Toparchâ, quod ſterile fuit, & hujus morte A. 1652. alteram viduitatem *Makdowello* peperit.

Moritur. *Londini* tandem in *Angliâ* obiit.

* *Ex Vitis Profeſſorum Gröningenſium.*

JOHANNES STUCKIUS.

Obiit A.C. 1653.

L*Angenhagæ* natus eſt 24. Julii A.C. 1587. Patre *Jodoco Stuckio*, Templi Præfecto, matre *Eliſabethâ Engelken*. Cum in Scholis *Hanoveranâ* & *Göttingenſi* in ſtudiis humanioribus fundamenta poſuiſſet, in Academiam *Juliam* An. 1603. à parentibus miſſus, ſtudio Juridico operam dedit, & An. 1605. Diſputationem publicam de Jure accreſcendi defendit. *Juris ſtudioſus Helmſtadii.*

Ad Studioſorum deindè petitionem, conſentiente facultate Juridicâ, Collegium Inſtitutionum inſtituit, textum explicuit, & Diſputationes habuit typis poſteà emiſſas. *Collegium Inſtitutionum habuit.*

An. 1610. In Academiam *Marpurgenſem* diſceſſit, & Juridicæ facultatis Profeſſoribus innotuit. Sed cum aërem illius loci conſtitutioni ſuæ minus competere percepiſſet, mox *Heidelbergam*, exindèque *Spiram* conceſſit, & praxeos addiſcendæ gratiâ ſeſquianno ibi moratus eſt. *Spiræ praxin exercuit.*

Per *Galliam* exindè peregrinatus, in reditu *Aureliæ* Doctoris gradum accepit anno 1612. Anno ſequenti accerſitus à Sereniſſ. *Friderico Ulrico* Duce *Brunsvicenſium* & *Lunæburgenſium Wolfenbütelii* Aſſeſſoris in Judicio aulico munus aggreſſus eſt. *Aureliæ Juris Doctor. Judicii aulici aſſeſſor Brunsvic.*

Eodem adhuc anno deſponſatus eſt *Hanoveræ* cum virgine *Annâ Mariâ*, Dn. *Johannis Tedneri*, Jur. Conſulti & Conſiliarii Conſiſtorialis filiâ. Ex quo Conjugio 5. filios & 8. filias ſuſcepit. Paulò pòſt Inſtitutionum Profeſſor in Academiâ *Juliâ* deſignatus eſt. *Conjugium ejus & Liberi. Juris Profeſſor Helmſtadii.*

A. 1616. Vitâ defuncto Doctore *Andreâ Claudio*, Digeſtorum & Codicis Profeſſor factus ei ſucceſſit. An. 1617. Dux *Brunsvicenſis* Conſiliarium eum ſibi conſtituit. An. 1634. à Duce *Georgio Brunsvic.* & *Lunæburg. Calenbergæ* ViceCancellarius deſignatus, & mox in *Daniam* ad Regem ablegatus fuit. *Conſiliarius Brunsvicenſis. Vicecancellarius.*

A. 1638. Ab eodem Duce, D. *Engelbrechto* vitâ defuncto, in Cancellarii munere ſuffectus eſt. A. 1639. Uxor ejus per mortem beatam vivis erepta huic mundo valedixit. *Cancellarius Brunsvicenſis.*

A. 1640. *Hildelsheimii* ſecunda Sponſalia celebravit cum fœminâ nobili *Sophiâ Duſſelii*, Dn. *Thomæ Sobbii*, Juris Doctoris & Advocati celebris viduâ. A. 1649. à Sereniſſ. *Sueciæ* Reginâ *Chriſtinâ* Ducatuum *Bremenſis* & *Verdenſis* Cancellarius deſignatus, anno ſeq. cum familiâ ſuâ *Hanoverâ Stadam* Regiminis Regii ſedem migravit. Abindè cum variis Expeditionibus Reginæ nomine interfuiſſet, & A. 1652. ad Comitia *Ratisbonæ* celebrata Legatus fuiſſet deſignatus, malè ſe habere cœpit, & viribus ſenſim fatiſcentibus in Chriſto exſpiravit 7. Jan. A.C. 1653. ætatis 65. *Conjugium alterum. Cancellar. Reginæ Suec. in Duc. Brem. & Verd. Moritur.*

* *Ex Concione fun. Matthæi Kippii, Eccleſ. Paſtor. Stadæ.*

CHRISTOPHORUS FÜRERUS.

Obiit A.C. 1653.

NAtus eſt *Noribergæ* 8. Octob. A. 1578. Patre *Chriſtophoro*, Duumviro *Nor.* Equite *Hieroſolymitano*, & Circuli *Franconici* Conſil. bellico; Matre *Suſannâ Halleriâ*.

An. ætatis 9. in *Altdorfinam* miſſus Academiam, in convictu D. D. *Joh. Buſenreit*, tunc Jur. Prof. Publ. fuit, & ter publicè peroravit.

A.C. 1597. Unâ cum fratre *Johanne Sigiſmundo*, & Gubernatore *Erneſto Sonero*, poſteà Medicinæ Profeſſore, *Lugdunum Batavorum* diſceſſit.

A. 1598. In *Angliam* & *Galliam* profectus, celeberrimas Univerſitates *Pariſienſem*, *Aurelianen-* *Academias inviſit.*

relianenſem, *Burdegalenſem*, *Andegavenſem*, *Pictavienſem*, *Monſpelienſem*, *Avinionenſem* & *Genevenſem* inviſit.

Nuptias celebrat. An. 1601. Ad patrios lares reverſus, 25. Jan. anni ſeq. 1602. nuptias celebravit cum virgine *Magdalenâ*, *Antonii Genderi*, Septemviri & Scholarchæ filiâ; Ex eâ liberos 7. ſuſcepit: *Magdalenam*, nuptam A. C. 1627. *Chriſtoph. Löffelholzio*, Senatori *Nor.* & mortuam 1652. *Chriſtophorum*, Judicii Aſſeſſorem, qui obiit A. 1639. 23. Septemb. relictis filiis *Chriſtophoro* & *Carolo Gottliebio*. *Chriſtianum*, qui 10. tantùm dies vixit. *Mariam*, *Jacobo Pömero*, Judicii Aſſeſſori A. C. 1642. nuptam, & ſine liberis mortuam A. C. 1649. *Suſannam*, mortuam An. C. 1620. ætatis 6. *Urſulam*, natam An. C. 1617. 31. Oct. & die ſeq. mortuam. *Salomen*, quæ obiit An. C. 1625. ætatis 7.

Fit Senator, Conſul, Scholarcha, &c. Electus Senator An. 1603. Primâ vice Conſul junior an. 1605. Conſul ſenior an. 1618. Scholarcha 1620. Septemvir 1622. Ædilis an. 1628. Duumvir an. 1633. & Prætor primarius an. 1637.

A. 1612. Imp. *Matthiâ Norībergam* ſplendidè ingreſſo, ipſe cum aliis Senatoribus cœlum portavit.

An. 1616. Curiæ novæ lapidem fundamentalem ponere vidit.

An. C. 1620. Cum biennio antè, primam Conjugem amiſiſſet, alteram duxit *Barbaram Sophiam*, *Jacobi Pömeri*, Senatoris, filiam, ex quâ 5. filios & duas filias ſuſcepit, omnes in infantiâ demortuos, præter filiam natu minimam *Annam Sophiam*, quæ A. C. 1652. deſponſata fuit cum *Jodoco Chriſtophoro Kreſſio*, Senatoris cognominis filio.

An. C. 1623. unà cum D. *Georgio Heber*, Legatus *Viennam* miſſus, ab Imp. *Ferdinando II.* Privilegia Doctores Jur. & Med. creandi impetravit.

Moritur. Obiit *Norimbergæ* calculi doloribus 4. Maji A. 1653. ætatis 74.

Obiit A. C. 1653.

JOHANNES FROMHOLDUS.

CUſtrini in *Marchiâ Brandenburgicâ* natus 2. Nov. A. C. 1602. Patrem habuit *Matthiam Fromholdum*, Conſulem illius loci, Matrem *Catharinam*, *Waltheri Schreineri*, Conſulis *Cuſtrinenſis* per 40. annos filiam. Anno æt. 8. patre orbatus, in Scholam *Landsbergenſem* ad *Wartham* à matre miſſus, in eâ quadriennium commoratus, ſtudiorum fundamenta poſuit.

Studioſus Regiomonti. An. 1617. In Academiam *Boruſſiæ Regiomontanam* concedens, ſtudiis humanioribus operam dedit usque ad an. 1620. quo peſte ingruente domum vocatus eſt, & anno ſeq. 1621.

Wittebergæ. *Wittenbergam* venit, & Diſputationes aliquot habuit.

A. 1623. & 1624. *Berolini* ſtudiis & exercitiis privatis tempus inſumpſit.

Lipſiæ. An. 1625. In Academiam *Lipſienſem* ſtudiorum gratiâ concedens, ſexennium ibi diſputando, perorando, & diſcipulos informando tranſegit. An. 1631. Filiis nobiliſs. Viri Dom. *Georgii à Werthen*, Conſiliarii Electoris *Saxoniæ* *Chriſtophoro*, *Theodorico*, & *Wolffgango* morum & ſtudiorum informator datus, cum iis *Argentoratum* ſe contulit, & exindè anno ſeq.

Itinera ejus. in *Galliam* iter ſuſcepit, in qua tum *Rothomagi*, tum *Lutetiæ*, item *Salmurii*, maximam verò partem *Andegavi* per triennium commoratus eſt.

An. 1634. *Angliam* & *Belgii* provincias cum nobilibus ſibi concreditis perluſtravit, & cum iisdem an. 1635. feliciter *Dresdam* reverſus, ac biennium adhuc apud Nob. Dom. *Wertherum* commoratus eſt.

Conſiliarius Electoris Brandenburgici. An. 1636. à Sereniſs. Electore *Brandenburgico*, *Georgio Wilhelmo*, *Berolinum* vocatus, & inter Conſiliarios Electorales receptus,

Conjugium ejus. anno ſeq. deſponſatus eſt cum nobili fœminâ *Sophiâ Foppiâ*, *Johannis Stiglitzii*, Præfecti Elect. *Sax. Heſſenſis* relictâ viduâ, *Coloniæ* ad *Spream*. Ex eâ 9. ſuſcepit liberos, ſed filium tantùm unicum duasque filias reliquit ſuperſtites.

Legatus ad Imp. Rom. An. 1638. Cum paulò antè Dux ultimus *Pomeraniæ* mortuus eſſet, isque Ducatus domui *Brandenburgicæ* acceſſiſſet, Elector *Brand.* eum, unà cum Dom. à *Brunn*, *Viennam* Legatum miſit, ut feuda ditionum *Pomeranicarum* ab Imp. acciperet.

An. 1640. Legatus ad Comitia Cæſarea *Ratisbonæ* celebrata deſtinatus, ſed febre ardente correptus, munus id exequi non potuit.

Legatus plenipotent. ad Pacis Tractat. A. 1645. menſ. Oct. ſui nomine cum plenipotentiâ *Monaſterium* & *Osnabruggum* ad Pacis Tractatus univerſales venit, & quadriennii ſpatio munere ſuo fideliter functus eſt.

Cancellarius Halberſtattenſis. Intereà dum *Monaſterii* commoratus eſſet, Elector *Brandenburgicus* eum Conſiliarium ſuum ſecretum & Principatûs *Halberſtattenſis* Cancellarium conſtituit.

A. 1649. menſ. Aug. Monaſterio *Cliviam* ad Elect. ſuum accerſitus, omnia negotia ditionum *Clivenſium* pacem concernentia tranſegit.

Legatus Ratisbonæ. 8. Dec. A. 1652. Juſſu Electoris ſui *Ratisbonam* ad Conventum Imperii venit, & Legati fidelis munere functus eſt. Ibi colicis doloribus afflictus, cum tribus ſeptimanis lecto decubuiſſet affixus, inter preces ad Deum ardentes & ſuſpiria devota ſpiritum

Moritur. Creatori ſuo reddidit 11. Julii An. C. 1653. ætatis 51. Sepulturæ mandatus in Templo S. Trinitatis *Ratisbonæ*.

* *Ex Concione funebri Chriſtoph. Sigismundi Donaueri, Superintend. Ratisb.*

Obiit A. C. 1653.

JOHANNES STEINBERGIUS.

GOrlicii *Luſatiorum* natus eſt 13. Jan. A. C. 1592. Patre *Melchiore Steinbergio*, Conſule, Matre *Annâ*, ex patriciâ *Bergerorum* familiâ.

Studet Wittembergæ. Jactis in Gymnaſio patrio primis literarum fundamentis, à Parentibus in Academiam *Wittenbergenſem* miſſus eſt, ubi per

bien-

biennium cum dimidio ſedem fixit, & Parentis olim in ſtudiis commilitonem tunc Præceptorem ſuum habuit *Bartholomæum Reisnerum*, cum aliis.

Heidelbergæ.

Deinde etiam *Jenæ* ſubſtitit aliquandiu. Porrò ad *Heidelbergenſem* Univerſitatem migrans, per annos 1611. & 1612. ibi hæſit, ubi commendatione Clariſſimi *Taubmanni* intimè innotuit *Jano Grutero*. Ibidem *Abrah. Scultetus* cum patre contractam amicitiam in Scholâ patriâ in filium fusè derivavit.

Intereà dum ſub celebribus Jurium myſtis *Gotofredo*, *Hofmanno*, *Nebelio*, *Calvino* juri operatur, arctam contraxit familiaritatem cum celeberrimo *Bachovio*, tunc Profeſſore Ethices, & extraordinariè Jura docente. Sub quo etiam *Notas ad Trentleri Diſputationes manu propriâ exceptas*, cum aliis 8. Collegis ſuis commilitonibus annuo ſpatio diſputando abſolvit.

Fit Præfectus duorum Baronum Zerolinorum.

Ad Patrios reverſus lares, Parentis conſilio Præfectus datus eſt Illuſtribus Baronibus *Johanni* & *Bartholomæo*, filiis, *Ladislai Weleni*, Baronis *Zerolini*. Cum his perluſtraturus regionatim exteras gentes, primùm *Uratislaviæ* annuo, pòſt *Heidelbergæ* aliquantiſper, *Argentinæ* triennali ſpatio moras fixit: Indè *Baſiléam* contendens, ibidemque Laureâ ex Themide donatus, *Genevam* appulit: quâ etiam poſteà deſertâ *Celticam* omnem usque ad confinia *Hiſpaniarum* peragravit.

Poſt decennale peregrinationis curriculum iter promoturus erat in *Italiam* & *Belgium*, niſi nuntius cladis *Pragenſis* curſum ſufflaminâſſet. Cum enim Dom. Baronum ſibi concreditorum illuſtris Parens inter primas ſphæras infelicium illorum motuum extitiſſet, eosque ſuis Penatibus reſtituere non potuiſſet, in ipſum Martis campum, ſub auſpiciis Auguſtiſſimi Regis *Sueciæ* eos deduxit, ubi brevi ad dignitates Præfectorum Legioni, quos Colonellos vocamus, evecti generoſi Heroës generosè dimicantes pro Patriâ ſpiritum effuderunt. Ipſe interim turbato etiam patriæ ſuæ ſtatu receptum ſuum *Genevam* ſtatuit.

Varia in bello munia ei oblata fuerunt, ſpeciatim à Duce *Bernhardo Vinarienſi* officium ei Generalis Auditoris, ut vocant, delatum fuit, ſed ſpe meliorum noluit ſe Bellonæ negotiis implicare.

A. 1634. *Palatinatu* per victorias *Suecicas* recuperato, ad Conſilia aulica à Principe *Philippo Ludovico* Tutore & Adminiſtratore Electorali vocatur. Sed prœlium *Nordlingenſe* de novo intervertit Statum *Palatinum*.

Juris Profeſſor Genevæ.

Dum *Genevæ* diutius hæreret, Profeſſionem ibi Juris publicam acceptavit, cui cum debitâ diligentiâ præfuit: & quamvis à Scholâ *Daventrienſi* ad eandem Juris Profeſſionem an. 1636. lauto ſtipendio invitaretur, noluit tamen pedem *Genevâ* movere, donec tandem anno 1638. ab Illuſtribus Ordinibus *Gröningæ* & *Omlandiæ*, oblatâ ei primariâ in Jure Profeſſione, *Antonio* *Matthæo*, J.C. defuncto ſurrogatus eſt; in quâ provinciâ conſtans permanſit, quamvis poſteà in novam Academiam *Hardervici* ab Illuſtr. Ordinibus Ducatûs *Geldriæ* & Comitatûs *Zutphaniæ* erectam ad primariam Juris profeſſionem vocaretur.

Gröningæ.

Conjugem amittit.

An. C. 1640. Conjugem *Catharinam de Bary Genevenſem* exactis cum eâ tribus luſtris ad cœleſtia gaudia præmiſit, relictis duobus filiis, *Johanne Melchiore*, Paſtore & Profeſſ. *Genevenſ.* & *Carolo*, Juris Doctore.

Moritur.

Vitâ tandem defunctus eſt *Gröningæ* 23. Octob. An. C. 1653. ætatis 61. Sepultus in Templo Academico, & Oratione funebri laudatus à *Martino Schoockio*, Philoſophiæ Profeſſore.

Franciſcus Junius, Jurium Doctor, hoc ipſum honoravit *Epigrammate* in effigiem:

Epigramma.

Ecce Palatina quem cura vocaverat aulæ,
Quemq́, Geneva tibi, culta Groninga, dedit.
Quem Themis, & ſummo doctrina æquavit Olympo,
Docte, quid hunc ſolido ſculptor in ære refers?
Omnia dum docuit, Steinbergius, omnia vidit,
Omnibus æternum conſpiciendus erat.

Scripta.

Scripta ab eo edita ſunt:

Series Digeſtorum & Codicis, ſimulq́; de interpretatione & fictione Juris.

De Quartis Juridicis, & *de præſcriptis verbis.*

Diſſertationes Juſtinianeæ ad Inſtitut. Juris.

Diſputationes 30. ad 50. novas Deciſiones Juſtinianéas.

Uberior explicatio, exegeſis, & Examen ad Paratitla Weſenbecii.

Edidit quoque in juventute ſuâ varia *Epigrammata* & *Anagrammata Bethaniæ* in *Sileſiâ* excuſa.

* *Ex Vitis Profeſſorum Gröningenſium.*

PHILIPPUS ZORERUS.

Obiit A.C. 1653.


NEoburgi ad *Danubium* vitam per nativitatem auſpicatus eſt 14. Julii An. C. 1577. Patrem habuit *Tobiam Zorerum*, Juris Doctorem, & Conſiliarium Juſtitiæ *Palatino-Neoburgicum*, Matrem *Annam Mariam*, Dn. *Wendelini Pecgii*, Jur. Licentiati & Præfecti *Tannenbergici* filiam, quæ hunc inter 5. filios, totidemque filias primogenitum peperit.

Studioſus Lauingæ.

Sponſorem in S. Baptiſmo habuit Sereniſſimum Principem *Palatinum Philippum Ludovicum*. An. ætatis 12. miſſus à Parentibus in Gymnaſium *Lauinganum* ſeptennio non in Philoſophicis modò ſtudiis, ſed etiam in facultate Juridicâ eos fecit progreſſus, ut A. 1596. cum laude, ſubſidia ſtudio Juridico continuando Principe *Phil. Ludovico* clementer ſubminiſtrante, Univerſitatem *Tubingenſem*, & A. 1600. *Baſilienſem* acceſſerit. In hâc anno eodem, ætatis 24. Juris utriusque Doctor ſolenniter creatus, mox *Spiram*, Praxeos addiſcendæ gratiâ, in Camerâ Imperiali, conceſſit.


Tubingæ. *Doctor Juris Baſileæ.*

A. 1602.


ALBERTUS PŒMER. Senator et Scholarch. Norib.


IOH CHRISTO HERPFER Consiliari' Noriberg.


POLYCARP' WIRTHI' Iuris Profesſor Lips.


LEONHART' WURFFBAIN Consil. et Advoc. Noerib.



CASPAR KLOCKIUS Cancellari' Stolbergensis.


HECTOR PŒMERUS Consiliarius Aulic. et Iust. Alt.


GEOR: CHRISTO WALTER Consiliarius Rotenburgensis


IOH IAC WOLF TODEWART Reipub. Ratisbon Consiliar.


IUST' SINOLT SCHUTZ Cancellar Hasso-Darmstat.


SAMUEL GOECHHAUSEN Cancellari' Vinariensis


GEOR PHI HARSDORF. Senator Noribergensis.


GEORGI' FRANZKI' Cancellari' Vinariensis


ERASMUS UNGEBAUR Iuris Profes. Ienensis


GEORG' IM HOFF Duumvir Eccles. et Schol. Ephor'


SEBASTIAN' BEER Consiliari' Sax. Altenburg.


GEORG ADAM STRUVI Iuris Prof. Ienensis.

Conſiliarius Palat. A. 1602. In patriam revocatus, à Principe ſuo mox Conſiliarii munus cum honeſto ſalario accepit, ejusdemque nomine Commiſſiones & Legationes diverſas, ad *Legatus ad Comitia.* Comitia præſertim An. 1608. & 1613. fideliter obivit.

Conjugium ejus. A. 1604. Conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Urſulâ*, D. *Georgii Thaleri*, Conſiliarii *Palat. Neoburgici* relictâ filiâ, quæ duos ei filios & tres filias peperit, & anno 1629. defuncta eſt, relictis cum filio, filiabus duabus, quarum una M. *Jacobo Eberhardo*, Superintendenti & Concionatori aul. *Palat.* nupſerat.

Cancellar. Palat. An. 1614. Poſt obitum *Philippi Ludovici*, ab ejusdem filio Principe *Palat. Joh. Friderico* Conſiliarii & Cancellarii dignitatem ſibi delatam ſuſcepit, & per vitæ ſuæ tempus reſiduum fideliter obivit, maraſmo tandem *Moritur.* conſumptus, per beatam & placidam emigrationem mundo ſubtractus, menſ. Dec. A. C. 1653. æt. 76.

* *Ex Concione funebri M. Johannis Jacobi Beureri, Concionatoris Weiſenburgenſis.*

Obiit A. C. 1654.

JOHANNES CHRISTOPHORUS HERPFERUS.

Lietzbemii, *Palatinatûs Neoburgici* oppido, vitam auſpicatus 19. Nov. An. C. 1583. Avum habuit *Michaëlem Herpferum*, Camerarium & Theſaurarium *Palatino-Neoburgicum*, cujus *Joh. Sleidanus* in Hiſtoriâ ſuâ mentionem fecit honorificam, Patrem *Johannem Kraftium*, Sylvarum illius territorii Præfectum, Matrem *Annam Meidelinam, Auguſtanam*.

Gymnaſii Lauingenſis diſcipulus. A primâ ætate ſtudiis delectatus, poſtquam Gymnaſii *Lauingani* Claſſes pertranſiviſſet, A. 1604. ſumptibus Sereniſſimi Principis Dn. *Philippi Ludovici*, Comitis *Palat.* miſſus eſt in Academiam *Wittenbergenſem*. Sed propter aëris inclementiam ſanitati ſuæ adverſam A. 1605. *Tubingam* diſceſſit, & ibi *Philoſophiæ Magiſter Tubingæ.* Magiſterii Philoſophicos honores cum laude ſibi collatos accepit.

Deinde *Neoburgum* profectus, & apud agnatum ſuum D. *Johannem Zeſchlinum*, Conſil. *Palat.* aliquandiu commoratus, hujus ope cum generoſis aliquot diſcipulis per ſexennium peregrinatus in celebrioribus *Germaniæ*, *Galliæ*, *Italiæ* & *Hiſpaniæ* Academiis ſtudio Juris & Linguis exoticis operam dedit.

Juris Doctor Baſileæ. A. 1615. *Baſileæ* præſtitis præſtandis Doctoris in utroque Jure Gradum ſolenniter adeptus eſt. Exinde, Parentum & Curatorum juſſu, iter in *Angliam* & *Hollandiam* ſuſcepit, in quo cum aliquando per mare navigâſſet, obortâ tempeſtate periculosâ ſociis itineris dixit, indicatum ſibi à Deo ſuo, quod per plures in mundo procellas jactandus nondum moriturus eſſet, iisque his verbis animum addidit.

Soſpes in patriam reverſus, brevi poſt *Viennam* ad nobilem Dn. *Matthæum Wackerum* à *Wackenfels*, Conſiliarium aulicum Cæſ. veniens, triennio ibi commoratus eſt, & Juris publici privatique cognitionem ſingularem acquiſivit, variis intereà Proceribus & legatis innoteſcens.

Conſiliarius Norimbergenſis. A. 1619. *Viennâ* cum Legatis *Durlacenſibus* & *Würtenbergicis Norimbergam* profectus, mox ab inclyto hujus Urbis Senatu inter Conſiliarios cooptatus eſt, & cælebs adhuc per annos aliquot vivens, Bibliothecam à D. *Saliceto*, Prof. *Ingolſtad.* Proavo ſuo hæreditario jure ad ſe devolutam egregiè auxit.

Conjugium ejus, & Liberi. A. 1624. die 23. Febr. *Norimbergæ* Sponſalia celebravit cum *Suſannâ Schlegeliâ* viduâ, ex quâ 3. filios ac 2. filias ſuſcepit. Ex filiis *Chriſtophorus Hieronymus*, Secretarius *Palatino-Neoburgicus*, *Wilhelmus* mercaturæ addictus, & *Georgius*, Juris utriusque Doctor, in patriâ Advocatus fuit.

Ex filiabus natu major *Annâ Suſannâ*, Dom. D. *Hieronymo à Cöllen*, Advocato, & poſteà Conſiliario Reipublicæ *Noribergenſis* deſponſata fuit: altera *Anna* virgo vixit in ædibus paternis.

Conſiliarius Comitis à Pappenheim, & Comitis ab Oettingen. A. 1625. Conſiliarii munus accepit à Generoſo Dom. *Wolfgango Chriſtophoro Landgravio Stüllingenſi*, Comite *Pappenheimio*, & *Rom.* Imp. *Mareſcallo* hæreditario, annis ſeqq. ab aliis Imperii Statibus, & An. 1653. à Gener. Comite *Oettingenſi Joachimo Erneſto*: quibus omnibus pro viribus cum talento Divinitùs ſibi concredito ſatisfecit.

Cum tandem à multis annis hypochondriacus in latere ſiniſtro abdominis dolores vehementer perpeſſus eſſet, & 9. ſeptimanis æger decubuiſſet, viribus ſenſim conſumptis placidè in Chriſto exſpiravit 5. Febr. *Moritur.* A. C. 1654. æt. 72.

* *Ex Concione fun. Martini Beerii, Concionat. ad Spiritum Sanctum, & Profeſſoris Norimberg.*

M. *Joh. Conradus Dürrius*, tunc Alumnorum in Academiâ *Altorfinâ* Inſpector, hoc in ejus honorem fecit *Epitaphium*: *Epitaphium.*

CHRISTO SERVATORI SACRUM.
JOHANNEM CHRISTOPHORUM
HERPFERUM
HUC POSUIMUS,
QUOD UNUM PRO TOT TANTISQUE IN
REMPUBLICAM TUM CHRISTIANAM OMNEM
TUM IMPRIMIS NORIBERGENSEM
EXTANTIBUS MERITIS
POTUIMUS,
ILLUM VERE PIUM, VERE CANDIDUM,
VERE DOCTUM,
ILLUM
INTER THEOLOGOS RELIGIOSISSIMUM,
INTER JURECONSULTOS PRUDENTISSIMUM,
IN CUJUS CONSTITUENDA MAGNITUDINE
PIETAS, ET DOCTRINA OSTENDISSE ORBI
TERRARUM VIDENTUR QUANTARUM
OPUS CAPAX ESSET ANIMUS
HUMANUS.
HIC CUM PER ANNOS XXXIV. REMPUBL.
NORIB. ET ALIOS IMPERII ORDINES
DIFFICILLIMIS TEMPORIBUS
CONSILIIS JUVISSET,

Digitized by Google

GLORIA ITA ILLUSTRASSET,
UT BONORUM ASYLUM, REORUM SCOPULUS,
JUSTITIÆ SACERDOS INTEGERRIMUS
VIRITIM AUDIRET,
TANDEM AB HOC CORPUSCULO CURIS,
VIGILIIS, LABORIBUS CONFECTO DISSOLVI
ET CUM CHRISTO SUO ESSE VOLUIT,
ET FACILE IMPETRAVIT
AD D. IV. FEBRUARII ÆR. CHR.
clↄ Iↄ LIV.
CUJUS ANIMÆ ÆTERNUM BENE ESTO.
MONUM. HOC POS.
ACERBISSIMUM OFFICIUM PATRONO
MAXIMO EXSOLVENS POSTREMO NON
LUBENS MERITO TAMEN
JOHANNES CONRADUS DüRR.

Obiit A.C. 1654.

ALBERTUS POEMERUS.

NAtus An. C. 1597. 10. Martii, Patre *Jacobo Pömero*, Senatore & Scholarchâ. Matre *Barbarâ Löffelholtziâ*, *Matthiæ Löffelholtzii*, Senatoris filiâ, quæ obiit hydrope A. 1624.

Studiis incumbit Altdorffii. An. 1612. in Academiam *Altorffinam* miſſus, ibi ſeptennium ſtudiis humanioribus inſumpſit, Matheſi imprimis delectatus, operâ *Petri Saxonii*, Prof. Matheſeos.

Ejus itinera. An. 1619. Patriâ egreſſus *Heidelbergam*, *Lugdunum Batavorum*, *Londinum Angliæ*, *Lutetiam Pariſiorum* acceſſit: A. 1622. *Argentoratum*, *Baſiléam* & *Genevam Allobrogum*, indè *Lugdunum Gallorum*, Academiam *Senenſem*, *Romam* & *Neapolin* in *Italiâ*, tandem *Patavium* & *Venetias* adivit, donec A. 1624. reverſus eſt.

Conjugium. 23. Octob. An. 1626. Nuptias in patriâ celebravit cum virgine *Helenâ Sabinâ*, *Martini Seyfridi Pfinzingi, ab Henfenfeld* filiâ, ex quâ 7. filios cum tribus filiabus ſuſcepit. Ex filiis 6. iſnantes obierunt, unicus *Chriſtophorus Jacobus*, magnæ ſpei adoleſcens, A.C. 1643. ætatis 14. mortuus eſt. Ex filiabus *Maria Helena* deſponſata eſt an. 1648. æt. 16. cum *Wilhelmo im Hof*, Senatore de de patriâ benè meritò. Altera *Maria Magdalena* matri valetudinariæ domi inſerviit.

Senator fuit electus an. 1628. Factus Præfectus Provincialis, & Orphanotrophii an. 1633. Conſul ſenior an. 1642. & Scholarcha, Eleemoſynarius ac pupillorum Patronus an. 1643.

An. 1636. Unà cum *Sigismundo Gabriele Holtzſchuero* ornatum Cæſar. ad coronationem Imper. *Ferdinandi III. Ratisbonam* attulit.

Factus eſt An. C. 1647. Collegii Medici *Norib.* per ſeptennium præſes benè meritus in locum Dn. *Johannis Jacobi Tetzelii*.

Moritur. Obiit An. C. 1654. ætatis 57. d. 7. Febr. ex catarrho ſuffocativo.

Obiit A.C. 1654.

PAULUS STRASBURGIUS.

NOrimbergæ natus 3. April. A. C. 1595. Patrem habuit *Abelem Strasburgium*, ex *Saxoniâ* oriundum, Electoris *Saxoniæ Chriſtiani I.* miniſtrum, & poſt hujus obitum in Ducatu *Anhaltino*, tandemque *Norimbergæ* vitam ducentem, cujus Reipublicæ Conſiliarium egit. *Filius Conſiliarii Norimbergenſis.*

Mater ei fuit *Martha*, D. *Jacobi Thomingii*, J. C.ti ſcriptis clari filiam.

Puer in Scholâ primùm *Serveſtanâ*, ſub Rectore *Gregorio Bersmano*, deindè in Pædagogio *Ambergenſi*, Rectore *Wigando Spanhemio*, ſtudiorum fundamenta poſuit.

Miſſus poſtmodùm in Academiam *Altorfinam*, & D. *Scipioni Gentili*, J. C. famoſo commendatus in ſtudiis Juridicis, & artibus liberalibus eximios fecit profectûs. *Juris ſtudioſus Altdorffii.*

Poſt obitum Parentis A. C. 1613. æt. 18. Tutores *Petrus Weſenbecius* & *Andreas Knichius* in *Italiam* eum miſerunt, quâ perluſtratâ *Patavii*, *Bononiæ*, & *Senæ* ſtudium Hiſtoriarum & Jurisprudentiæ magis excoluit, Rerumpublicarum *Venetæ*, *Florentinæ*, *Romanæ*, & *Neapolitanæ* Statum & Leges exactè obſervavit, & linguam *Italicam* æquè ac maternam perfectè didicit. *in Italiâ.*

A. 1617. Reverſus in *Germaniam*, fratrem natu majorem *Pragæ* Sereniſſimi Dom. *Mauritii*, *Haſſiæ Landgravii*, nomine per decennium Reſidentem acceſſit, quo mediante multis Viris Illuſtribus innotuit.

Subortis deindè turbis in *Bohemiâ* bellicis, militiam ipſe quoque ſectatus ſub *Colonello Stubenvoll* turmæ equeſtris ductorem egit, & varias prætereà Commiſſiones ad belli ductores ſupremos ſibi tanquàm Politico delatus ſummâ cum dexteritate peregit. *In bello Bohemico miles,* *& Commiſſarius.*

Hâc occaſione poſtmodùm ad Principem *Transſylvaniæ Bethlen Gaborem* venit, cui ob eloquentiam acceptus, ab eodem Commiſſarii generalis munus accepit. *Commiſſ. general. in Transſylvan.*

Rege poſteà *Suecorum Guſtavo Adolpho* contrà Regem *Poloniæ* cum exercitu in *Boruſſiam* egreſſo, cum eum tum proprio motu tum Commiſſarii nomine acceſſiſſet, Rex ei ſtatim 14. Julii An. 1628. Conſiliarii munus cum ſalario honeſto detulit. *Conſiliarius Regis Sueciæ.*

Ab hoc Rege miſſus in aulam *Transſylvanicam*, Legatus ordinarius per *Poloniam* iter faciens ſub initium menſ. Sept. *Caſchaviam* venit. Sed cum anno ſeq. 1629. Princeps *Transſylvaniæ* obiiſſet, negotiis ſibi commiſſis expeditis, ad Regem *Sueciæ* reverſus eſt. *Legatus in Transſylvaniam.*

Hunc cum vidua *Transſylvani* per Legatum A. 1631. impl[illegible]ſſet, ut ſibi ſubcurrens Legationem ad R[illegible]ionis ſuæ bello turbatæ Statûs expediret, Rex *Suecorum Strasburgium* præ cœteris ad hoc negotium feliciter expediendum idoneum fore ratus, eum ad Principiſſam viduam, Statûs *Transſylvan.* Principem *Rapozium*, & ad Portam *Ottomannicam* cum Inſtructione 29. April. ablegavit, qui Reſidens aliquandiu in *Transſylvaniâ* Commiſſionibus ſuis fideliter expeditis per *Valachiam* demùm *Conſtantinopolim* progreſſus, exindè ad Regiam Majeſtatem reverſus eſt. *Legatus ad Portam Ottomannicam.*

Sed ſtatim in *Boruſſiam* ad Cancellarium Regni *Sueciæ Axelium Oxenſtirnium* miſſus, ab eo

ab eo Regis nomine cum ſplendido 60. virorum comitatu iterum Legatus Regius ad *Portam Ottomannicam* profectus, & ab Imp. *Turcarum* honorificè exceptus eſt.

Tunc temporis cum *Cyrillo*, Patriarchâ Eccleſiarum *Græcarum*, familiarem contraxit amicitiam, quem *Chriſtiani* & *Turcæ* tunc venerati ſunt, ſed adverſarii miſerè poſteà interfecerunt. Hujus Patriarchæ FideiConfeſſio cum noſtrâ conveniens poſteà, mediante hoc *Strasburgio* & *Cornelio Hagâ* Provinciarum *Belgii* ad PortamOratore, pervenit in regiones noſtras.

Terræ motus in Inſulâ Zante.

A. 1632. Cum intereà Rex *Suecorum* glorioſiſſ. obiiſſet, *Venetias* mari regreſſus, & in viâ difficultates & pericula varia, propter horrendos præſertim terræ motus in Inſulâ *Zante* emenſus, ſalvus & incolumis cum comitatu ſuo *Francofurtum* ad *Mœnum* pervenit ad Cancellarium *Quenſtirnium*, dum eo tempore Conventus 4. ſuperiorum & inferiorum *Saxoniæ* Circulorum celebraretur.

Conſiliarius ſecretus Reginæ Suecorum.

Exindè Cancellarium per *Galliam* & *Belgium* in *Sueciæ* regnum comitatus, in eoque aliquandiu commoratus, A. 1637. à Reginâ *Chriſtinâ* Conſiliarii ſecreti munus & ſtipendium accepit confirmatum.

Conjugium ejus & Liberi.

Peregrinationum tandem laborioſarum pertæſus, cum Reginæ cóſenſu, ex *Sueciâ Hagam Comitum* in *Hollandiâ* profectus, Uxorem ibi duxit virginem *Annam Catharinam*, Dom. *Ludovici Camerarii*, Regni *Sueciæ* Conſiliarii intimi & Legati Ordinarii filiam, cum quâ, ſocru intereà vitâ defunctâ, *Gröningæ* ſponſalia celebravit 24. Sept. A. 1642. Ex eâ duos filios & tres filias ſuſcepit, omnes præter filiam ſuperſtites.

Reginam Suecorum coronari vidit.

Poſt nuptias iterum in *Sueciam* iter fecit, & Comiti *Magno Gabrieli Gardio*, Reginæ *Suecorum* ad Regem *Galliæ* Legato, adjunctus Comes, eo itinere finito *Gröningam* ad Conjugem ſuam rediit, ſed brevi poſt in *Sueciam* regreſſus, Coronationis Reginæ mox ſubſecutæ ſpectator fuit.

A. 1650. Pace *Germaniæ* reſtitutâ, & Socero *Ludov. Camerario* cum familiâ ſuâ *Gröningâ Heidelbergam* reverſo, *Moguntiam* usque eum comitatus eſt. Deindè *Wormatiam* ſe contulit, ut præſidia ſua urbi vicina excoleret. Sed menſibus aliquot æger decumbens viribus deficientibus, placidâ morte vitam finiit 1. Martii An. C. 1654. ætatis 59.

Moritur.

* *Ex Concione fun. Samuel. Gmünderi, Paſtoris Eccleſ. Neohuſani.*

Obiit A.C. 1654.

BERNHARDUS SCHRADERUS.

BRunsvigæ natus eſt 16. Maji A.C. 1581. Patre D. *Laurentio Schradero*, Impp. *Ferdinandi I.* & *Maximiliani II.* Archiepiſcopi *Bremenſis*, Ducum *Holſatiæ*, aliorumq; Principum Conſiliario, Matre *Chriſtinâ*, Dom. *Johannis Hermelingii*, militiæ *Palat.* Ducis filiâ.

Cum in Scholis *Osnabruggæ* & *Brunsvigæ* literarum fundamenta poſuiſſet, in Academiis deinceps *Helmſtadii*, *Coloniæ*, *Marpurgi*, & *Heidelbergæ* ſtudium Juridicum excoluit, idque *Spiræ* in Camerâ Imperiali exercuit.

Doctor Juris Heidelbergæ.

A. 1612. *Heidelbergæ*, Promotore D. *Dionyſio Gotofredo*, Juris utriusque Doctor ſolenniter renuntiatus, praxin poſteà in *Weſtphaliâ* aliquandiu exercuit. Deindè à Sereniſſ. *Chriſtiano IV. Daniæ* Rege, inter Conſiliarios adſcitus, & in negotiis ſeriis adhibitus eſt.

Conſiliarius Regis Daniæ.

Conjugium ejus.

An. 1613. Conjugii fœdere ſibi ſociavit Virginem *Eliſabetham*, Dom. *Arnoldi Schadii*, Epiſcopatûs *Halberſtat.* Secretarii filiam: ex quâ 7. liberos ſuſcepit, ſed unicum duntaxat filium reliquit ſuperſtitem. An. 1625. ob turbas bellicas *Halberſtadio Brunſvigam* cum familiâ diſceſſit, ibique praxin Juridicam fideliter exercuit.

Decanus ad S. Cyriacum Brunsvigæ.

A. 1630. Decanus ad S. *Cyriacum Brunsvigæ* poſt obitum D. *Graviani* electus, abindè doloribus articulorum multis annis afflictus, viribus tandem ſenſim conſumptis placidè exſpiravit 14. Martii An. C. 1654. ætatis 74.

Moritur.

* *Ex Concione funebri Johannis Gleimii, Eccleſiæ Brunsvicenſis Miniſtri.*

Obiit A.C. 1654.

ZACHARIAS PRUESCHENCK.

A *Lindenhot*, nobilis *Palatinus* nativitate, *Auſtriacus* ortu, natus eſt *Sultzbachi* 19. Jan. A.C. 1610. In *Salanâ* U. J. D. an. 1635. promotus, & Profeſſor ſtatim poſt receptus, ſpartam ornavit Academicam, usque ad an. 1645. 23. Junii, quo *Jenâ Iſenacum* abiit, Proprinceps & locumtenens.

Juris Profeſſor Jenæ

A Sereniſſ. ſuo Principe *Wilhelmo IV.* Duce *Saxoniæ*, *Vinariâ Kothenam* ad D. *Ludovicum*, Principem *Anhaltinum*, an. 1644. ablegatus 10. Oct. in Societatem, ut vocant, frugiferam, die Fruchtbringende Geſellſchafft / inceptam an. 1617. ab eodem cooptatus, in ordine 418. accepit nomen *Promotoris*: fructum *Indiani Piperis*: verbum *comeſtionis*, ſeu *digeſtionis*.

Societatis frugiferæ membrum, nomine Promotoris.

Hujus Societatis Pictura eſt *Nux Indiana* ſeu *Palma*: Symbolum, Alles zu Nutzen. Primus inſcriptus fuit *Caſpar à Teutleben*, *Thuringus*, Eques auratus, gente & mente nobilis, ſecundus *Ludovicus*, Princeps *Anhaltinus*, tertius *Joh. Erneſtus IV.* Dux *Saxoniæ* &c.

Nomine ſui Principis & Abbatiæ *Quedlinburgenſis* interfuit Comitiis *Ratiſbonæ* A. 1652. indictis à *Ferdinando III.* Imp. Rom.

Legat. in Comitiis Ratisb.

Obiit menſ. Jul. A. C. 1654.

Moritur.

Symbolo uſus eſt, cum ex Pſalmo 25. Integritas & rectitudo cuſtodiant me: tum ex *Bonaventurâ*, Tota Religionis perfectio in voluntatis propriæ abdicatione conſiſtit.

Symbola ejus.

Ejus Contoralis fuit prima *Gertrudis*, *Wilhelmi Romani* à Muckershauſen / Electoris & Ducum *Saxoniæ* Medici filia, quæ ſterilis obiit an. 1635. Secunda *Anna Catharina*, *Fri-*

Uxores ejus.

derici Hortlederi, J.C. & Hiſtorici celebris *Jenæ* an. 1640. defuncti filia.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit *Epigramma:*

Epigramma.

Zacharias Prueſchenck tritavis qui profatus audit
Nobilibus, dignus nobiliore gradu.
Hoc ipſum ex merito dignata eſt Jena: triumphat
Hinc gemina Prueſchenck nobilitate potens.

Obiit A.C. 1654.

JOHANNES ALBERTUS HALLERUS.

Natus eſt *Norimbergæ*, ex veteri patritiâ familiâ 2. Jan. An.C. 1569. Patre *Joh. Jacobo Hallero ab Hallerſtein*, Sylvæ *Noricæ S. Laurentii* Præfecto. Matre *Polyxenâ Holtzſchucheriâ*.

Avus ei fuit *Johannes*, oppidi *Hilpoltſteinenſis* Præfectus, Proavus *Wilhelmus Hallerus à Wolckersdorff*, Impp. *Maximiliani I.* & *Caroli V.* Conſiliarius, Reique publicæ *Norimb.* Senator: Abavus *Wilhelmus, Caroli*, Ducis *Burgundiæ*, Conſiliarius, & Reipublicæ *Norimbergenſis* Senator.

Literis Jenæ incumbit. Cum puer in Scholis *Hilpoltſteinenſi* & *Sultzbacenſi* ſtudiorum primitias didiciſſet, abindè in Univerſitate *Jenenſi* literas humaniores percepit.

Iter ejus in Italiam. A. 1584. à parentibus in *Italiam* ablegatus, annos aliquot apud agnatum ſuum *Leonem Hallerum*, Caſtellarum *Placentiæ*, transegit, deindè totâ *Italiâ* perluſtratâ domum reverſus eſt ad parentes. Sed non multò *in Belgium,* pòſt an. 1589. in *Belgium* abiit, *Bruxellæ* & *Antverpiæ* Comiti ab *Arnberg* inſerviens, cum quo an. 1592. in expeditione bellicâ contrà *Gallos* ſuſceptâ militiæ nomen dedit, & Signiferi munere functus eſt.

in Hungariam. A. 1595. Expeditioni in *Hungariam* contrà *Turcas* interfuit, quâ feliciter peractâ domum reverſus eſt.

Ejus Conjugium. An. 1601. *Norimbergæ* primam uxorem duxit *Eleonoram, Chriſtophori Heroldi*, Nobilis à *Schönfeld* filiam, & *Andreæ Murrii*, Patritii, relictam viduam, quâ an. 1613. ſine liberis vitâ defunctâ, eodem anno alteram duxit *Felicitatem, Johannis Nützelii*, Duumviri filiam, ex quâ 7. filios cum filiâ unicâ ſuſcepit, *Johan. Jacobum, Joh. Albertum, Joh. Sigiſmundum, Joh. Albertum* alterum, & *Joh. Ulricum* in pueritiâ demortuos: ſuperſtites verò *Joh. Chriſtophorum, Joh. Jacobum*, & filiam *Felicitatem*, deſponſatam *Carolo Tetzelio*, Senatori *Nor.* 14. Oct. an. 1644.

An. 1629. Cum tertiâ uxore deſponſatus eſt *Urſulâ, Leonhardi Grundherri*, Duumviri *Nor.* filiâ, quæ filios ipſi ſuperſtites reliquit *Joh. Melchiorem* & *Joh. Georgium*.

An. 1618. In Senatorum numerum cooptatus, an. 1620. Militiæ Præfectus, an. 1633. Conſul Senior, an. 1637. Septemvir, & an. 1653. Militiæ Capitaneus ſupremus conſtitutus eſt.

In hiſce muneribus ita ſe geſſit, ut ob pietatem, vitæ candorem & humanitatem ab omnibus tanquàm pater patriæ coleretur.

Viribus tandem deficientibus, vitæ ſatur, animam puram Deo Creatori ſuo reddidit 18. Aug. A.C. 1654. ætatis 86. *Moritur.*

JOHANNES ZACHARIAS A ROCHAU.

Obiit A.C. 1654.

Natus eſt *Gruningæ* juxtà Urbem *Brandenburgum* 23. Oct. A.C. 1603. ex antiquiſſimâ *Rochaviorum* vel *Rochlitiorum* *Ortus ex familiâ antiquâ.* familiâ, quæ circà A. C. 767. relictâ *Alſatiâ* & *Briſgoviâ* in *Franconiam* migravit, ubi *Carolo Magno* Imp. in plurimis contrà *Saxones* & *Vandalos* expeditionibus ſtrenuam operam navavit.

Pater ejus *Wolffgangus Theodoricus à Rochau*, Electoris *Brand.* Conſiliarius & Sanctioris Senatûs Præſes fuit, Matrem habuit *Margaretham*, Nobiliſſ. Viri *Johannis Leinzovii*, & *Annæ à Winterfeld* filiam.

An. ætat. 14. In Gymnaſio *Vallis Joachimicæ* liberalibus ſe artibus conſecravit. Indè *Francofurti ad Viadr. ſtudiis Jurid. dedi tur.* in Academiam *Francofurtenſem* ad *Viadrum* ſe conferens, in ſtudiis Philoſophicis, Hiſtoricis, Mathematicis, & Legum tandem Juriſque cognitione ſummum eruditionis culmen conſcendit.

A. 1622. In *Hollandiam* Martis ſeminarium *Militiæ in Hollandiâ addictus.* conceſſit, ubi militiæ inter Prætorianos Principis *Auraici* rudimenta poſuit, & munia bellica gradatim obivit. Exindè à Patre domum revocatus venit, & paulò pòſt itinere in plagas Septentrionales ſuſcepto, *In Sueciâ ſupr. Vigiliar. Præfectus.* cum Potentiſſimo *Suecorum* Regi *Guſtavo Adolpho* innotuiſſet, ſtatim ſupremâ Vigiliarum Præfecturâ ab eo cohoneſtatus eſt.

Anno 1630. Condictis inter Reges *Poloniæ* & *Sueciæ* induciis, *Belgii* reviſendi *Uxorem ducit.* poteſtatem adeptus, Uxorem ſibi adſcivit Nobilem Virginem *Eliſabetham Lopes de Villâ novâ, Martini Lopes & Saræ Landas* filiam, cum quâ nuptias celebravit *Hagæ Comitum* 14. Nov.

Hâc in patrias ædes abductâ, dum ad Sereniſſimum *Suecorum* Regem remeâſſet, hic eum in Caſtra propè *Berlinum* accerſitum duabus Legionibus Chiliarcham eſſe juſſit, quem honorem modeſtè deprecatus Bellonæ valedixit, vitamque turbis vacuam in natali ſolo quæſivit.

Brevi pòſt à *Joh. Alberto*, Principe *Megapolitano*, ad ditiones ſuas poſt exilium redu*Conſiliarius & Legatus Principum Megapolitanorum.*ce *Guſtrovium* in ſecretius Conſilium evocatus, & toti Provinciæ Præfectus plurimas Legationes obivit, usque ad an. 1636. quo Princeps vivis exemptus eſt.

Indè *Wismariam* ſe recepit, & hyeme ibi transactâ *Altenacum* migravit, moxque ab *Conſiliarius Schaumburgicus. Præfectus Arcis Pinnenberga.* *Ottone Holſatiæ, Schaumburgi* & *Stembergæ* Comite Conſilii interioris faſtigio & *Holſatiæ* Comitatûs in arce *Pinnenbergâ* Præfecturæ admotus eſt, quæ dignitas cum Comitis vitâ ac ſtirpe poſt biennium exſpiravit. Tum iterum tranquillitatis deſiderio ad patrios Lares transvolavit.

A. 1651.

Cancellarius Heidelbergenſis.

A. 1651. Menſ. Nov. à *Carolo Ludovico*, Electore *Palatino*, ad Cancellarii munus evocatus, *Heidelbergam* properavit, ibique demandatam ſibi ſpartam indefeſſo labore exornavit. Sed ab eo tempore corporis languore tentatus eſt, qui licèt aliquoties Medicorum induſtriâ fuiſſet expulſus, in lectum tamen ipſum proſtravit, usque dum continuis ferè ſtomachi doloribus afflictus, accedente tandem viſcerum putredine & urinæ ſuppreſſione totali, ſpiritum Creatori reddidit 7. Sept. A.C. 1654. ætatis 51.

Moritur urinæ ſuppreſſione.

Ex uxore, quam paulò antè mortem è *Belgio* accerſiverat, 5. filios reliquit ſuperſtites: *Joh. Albertum*, *Mart. Ferdinandum*, *Ottonem*, *Samuelem Henricum*, & *Franciſcum Chriſtianum*: cum 2. filiabus, *Sophiâ Eliſabethâ*, & *Chriſtinâ Margarethâ*, ſub tutelâ materteræ in *Belgio* degentes.

* *Ex Oratione parentali.*

POLYCARPUS WIRTHIUS.

Obiit A.C. 1654.

LIpſiæ natus 7. April. A.C. 1609. Patrem habuit Dom. *Michaëlem Wirthium*, Philoſophiæ & J. U. Doctorem, Profeſſorem, & Conſiſtorii Electoralis Aſſeſſorem: Matrem *Eliſabetham*, Reverendi Viri Dom. *Polycarpi Lyſeri*, ſenioris, Concionatoris aul. Electoral. filiam.

In patriâ puer Præceptoribus privatis uſus M. *Johanne Simonis*, poſteà Paſtore Eccleſ. *Radeberg.* M. *Valentino Thunnigio*, Paſtore *Orthrandenſi*, M. *Gotfrido Cundiſio*, poſteà Theol. Doctore, & Superintendente ſucceſſivè *Matisburgenſi* ac *Jenenſi*, & M. *Wilhelmo Aviano*, P.P. *Lipſ.* Philoſ. Facult. Aſſeſſore, & Scholæ *Thomanæ* Rectore, eos in linguis Græcâ & *Latinâ*, necnon in Muſicâ, Poëſi, Matheſi, & humanioribus progreſſus fecit, ut 26. Martii A.C. 1625. Gradum Baccalaureatûs, & 25. Jan. A. 1627. Magiſterii Philoſophici cum honore acceperit.

Baccalaur. & Philoſ. Magiſter Lipſ.

Abindè ſtudio Juriſprudentiæ non minore cum diligentiâ deditus, Juriſconſultos tunc *Lipſiæ* publicè docentes D. *Wilhelm. Schmuckium* & D. *Johannem Bohemum* ſedulus audivit, ſub iiſdem Collegia ſuper Inſtitutiones Juris, Pandectas, & *Treutlerum* habuit, ſub eorumque Præſidio ſæpiùs non modò privatim, ſed etiam publicè Diſputando ſeſe exercuit. 11. Julii A. 1629. ætatis 20. prægreſſo Examine conſueto Gradum in Jure Baccalaureatûs, & brevi pòſt Diſpenſationem pro Licentiâ obtinuit.

Baccalaureus & Licentiatus Juris.

An. 1631. *Francofurtum* ad *Mœnum* ad Conventum profectus, aliquo tempore cum Legatis Elect. *Sax.* vixit, & omnia Imperii *Rom.* negotia ſedulus obſervavit.

Indè *Argentoratum* progreſſus, per hyemem ſtudia ſua continuavit, & Profeſſoribus Juris famâ celebribus D. *Joh. Ottoni Tabori*, D. *Locamero*, aliiſque per Diſputationem in jure publicè habitam ſeſe inſinuavit.

Argent. in Jure diſputavit.

A. 1632. In *Galliæ* regnum iter ſuſcipiens Academias *Pariſienſem*, *Aurelianam* & *Bituricenſem* inviſit. In *Angliam* deindè profectus, *Londinum* & Academiam *Oxonienſem* inviſit: tum in *Hollandiam* regreſſus, cum in Academiis *Lugdunenſi*, *Ultrajectenſi*, *Gröningenſi*, & *Franeckerâ* per ſeptimanas aliquot fuiſſet commoratus, ſub finem ejusdem anni 1632. in patriam rediit.

An. 1634. *Lipſiæ*, prægreſſâ Diſputatione Inaugurali, Jurium Licentiatus, & anno ſeq. 1635. Doctor ſolenniter renuntiatus eſt. Collegiis deindè privatis Lectoriis & Diſputatoriis tempus inſumpſit.

Juris Licentiatus & Doctor Lipſiæ.

A. 1644. Poſt obitum D. *Sigismundi Finckelthuſii* Collegii Principum minoris Collegiatus electus, an. 1648. Juris Profeſſor Extraordinarius, & an. 1649. Ordinarius confirmatus, brevi pòſt Canonicus *Numburgenſis* electus eſt. A. 1645. à Juridicâ Facultate *Lipſiæ*, an. 1648. in Marchionatu *Luſatiæ* inferioris, & an. 1652. in Judicio Aulico *Sax.* Electorali Aſſeſſoribus aſſociatus eſt.

Juris Profeſſor. *Aſſeſſor Judicii aul. Elect.*

Conjugii ſocietatem iniit an. 1634. cum virgine *Annâ*, Dn. *Chriſtophori Funccii*, Arcis Electoralis *Lipſiæ* Præfecti filiâ, ex quâ filiam *Juſtinam Eliſabetham* anno ſeq. 1635. & an. 1637. filiolum *Polycarpum* ſuſcepit. Hic verò brevi poſt partum tempore, unà cum Matre ſuâ mundo valedixit. An. 1647. ad ſecunda vota tranſiens, deſponſatus eſt cum viduâ Dom. *Chriſtiani Sandreiteri*, Mercatoris *Francofurtenſis*, quæ unicum ei filium vitæ breviſſimæ peperit. Apoplexiâ tandem correptus, inter adſtantium preces placidè exſpiravit 28. Sept. An. C. 1654. ætatis 45.

Conjugium ejus duplex & Liberi. *Moritur.*

POLYCARPUS WIRTHIUS, JURIS DOCTOR.
Per Anagramma:
His virtus ortu lucidior ac pyropus.

Epigramma.

Doctrina & probitas, Candor, prudentia Juris
Wirthiadæ Comitas usq; fuêre ſacræ:
Lucidior virtus his ortu ac ipſe pyropus
Splenduit: ô quantus ſplendor in axe poli eſt.

* *Ex Concione fun. Johannis Hülſemanni, Prof. Theol. Lipſ.*

LEONHARTUS WURFBEIN.

Obiit A.C. 1654.

NAtus eſt *Norimbergæ* 17. Aprilis An. C. 1581. Patre *Johanne*, Mercatore: Matre *Margarethâ*, natâ *Probiziâ*.

An. 1588. Ad S. *Laurentium* in Scholam miſſus, diſciplinæ M. *Andreæ Bohemi*, Rectoris, & *Johannis Kösleri*, Collaboratoris, traditus eſt.

An. 1594. *Altorfium* in Academiam patriam veniens, Præceptorem habuit privatum, M. *Johannem Burcardum*, *Weiſenburgicum*. Ibi cum ſtatim in ſecundam, nec multò pòſt primam Claſſem locatus fuiſſet, an. 1596. ad Lectiones publicas promotus eſt. Tunc in Logicis *Philippum Scherbium*, Med. Doctorem, in Rhetoricis *Georgium Glacianum*, & in Ethicis *Georgium Queccium* publicè docentes audivit.

Altorfii Juris ſtudium incipit.

A. 1597. Ibidem ſtudium Juris aggreſſus eſt, quod tunc publicè profeſſi ſunt *Hugo Donellus, Scipio Gentilis, & Conradus Rittershuſius*, & ſub hoc anno ſeq. 1598. de difficili pactorum materiâ publicè reſpondit.

A. 1600. *Marpurgum*, & indè *Coloniam* ſe contulit, ubi intrà 10. menſium ſpatium linguas *Gallicam, Italicam*, & *Hiſpanicam* perfectè didicit, teſte *Henrico Doërgangio* in Præfatione Inſtitutionum Linguæ *Gallicæ*.

A. 1602. *Spiram* migravit, ad praxin addiſcendam in Judicio Cameræ Imperialis.

Fit Doctor Juris Baſil.

A. 1603. *Argentoratum*, & indè *Baſiléam* venit, ubi menſe Junio anno ætatis 22. ſub Decano D. *Joh. Jacobo Fechſio*, prægreſsâ Diſputatione inaugurali *de Emphyteuſi & ejus Jure*, ſummâ cum laude & omnium admiratione honores Doctorales adeptus eſt. Indè reverſus in Patriam, ſtatim inter Urbis Advocatos adſcriptus eſt.

Advocatus Norimbergenſis.

Nubit.

A. 1604. 2. Julii *Norimbergæ* nuptias celebravit cum virgine *Johannâ Gilchiâ*, ex Ducatu *Limburgico* oriundâ, quæ obiit 5. April. an. 1640. Ex eâ 7. ſuſcepit liberos, ex quibus *Joh. Wolffgangus* filius natu major quarto ætatis menſe denatus, & filia *Maria Magdalena, Conrado Bütnero*, Poligrammatéo *Hersbruccenſi* nupta 10. Febr. An. 1639. poſt partum obiit, relicto filio *Joh. Conrado*. Superſtites verò reliquit, *Johannem Gabrielem*, Jur. Doctorem & Advocatum in patriâ, *Joh. Hieronymum*, J.C. & Advocatum *Brandenburgicum*, *Joh. Fridericum*, Pharmacopœum in patriâ, & *Joh. Sigismundum*, qui ab an. 1632. usque ad an. 1646. in *Indiâ Orientali* vitam traduxit, cum filiâ *Catharinâ, Johanni Rötenbeckio*, Med. D in patriâ deſponſatâ, quæ peſte an. 1634. *Norimbergæ* graſſante vidua evaſit, & ab an. 1640. Patris vidui familiam fideliter per 14. annos direxit. Ex his liberis vidit 28. nepotes, & 17. vivos poſt ſe reliquit. An. 30. Aſſeſſor Judicii & Conſiliarius à Senatu Patriæ factus, munere ſuo ad vitæ finem fideliter functus eſt.

Conſiliarius Norimb.

Hiſtoriarum & Genealogicis ſtudiis delectatus, Imperatoris *Rom.* variorumque Principum favorem ſibi conciliavit, adeò, ut Imp. *Ferdinandus II. Maximilianus*, Elector *Bavariæ*, & *Auguſtus*, Dux *Brunsvicenſis*, muneribus eum honorârint, ob Genealogias ipſis confectas, multique Principes manu propriâ literas ad eum ſcripſerint.

Genealogicus.

Superbiæ fuiſſe oſorem, indè patet, quod Nobilitatis & Comitis *Palatini* dignitates ab Imp. *Ferdinando II.* ſibi ſuiſque filiis per *Matthiam Werthemannum*, Conſil. Cæſ. oblatas modeſtè recuſavit.

Moritur.

Morbis parùm obnoxius ſub vitæ finem pedibus tumeſcens, & ſenſim corpore tabeſcens, viribus abſumptis in ſellâ ſedens, placidè exſpiravit, d. 1. Octob. An. C. 1654. æt. 74. advocat. 50. conſiliariat. 24. quo GLorIoſa TheMIs NorICa nos DeſerIt.

Symbolum ejus fuit è *cap.* 40. *Siracidis*:

Heu vitam miſeram terræ! quam Cura, Metusque,
Et Spes *affligunt*; *tandem* Mors *dira reſolvit*.

**Ex Concione funebri M. Tobiæ Ruperti.*

Scripta edita ab ipſo ſunt:

Scripta.

I. *Genealog.* Anzeig/ wie die Römiſche Käiſerl. Majeſt. *Ferdin. II.* und die Europäiſche Könige/ *Rudolph. I.* Röm. Käiſer zum Stamm-Vatter haben/ *in Regali 1631.*

II. *De Numero Septenario*, *Collectio Philologica in 12mo. A. 1633. apud Jerem.* Dümler.

III. Gegründete Summariſche Anzeig/ zu weß Zeit die im 1633. Jahr Regierende Burgermeiſter und Rath des Heil. Röm. Reichs Stadt Nürnberg gebohren/ wann ſie zum Regiment kommen/ was unter ihnen ein jeder inſonderheit von dero Vätterlichen Vor-Eltern hero in 7. *Gradibus* an Vorfahren in grader auffſteigender *Linea* gehabt/ und bis dato erhalten haben/ *in forma Regali A. 1633.* bey Jeremia Dümler.

IV. *Relationes IV. Hiſtoriæ* beyſammen *in folio* gedruckt/ bey Wolffgang Ender A. 1636.

V. *Tabula Genealogica Imperialis Habspurgico Auſtriaca*, in Kupfer geſtochen/ *ſumtibus Authoris. A. 1636.*

VI. Summariſcher Bericht von dem Herzogthum Mayland/ *in 4to A. 1636.* bey Wolffgang Ender.

VII. *Familiæ Curianæ*, oder der Herren Im Hof *Deſcriptio Genealogica*, in 3. unterſchiedlichen Berichten/ *A. 1637. apud eundem Enderum.*

VIII. *Tabula Genealogica*, wie neben *Ferd. III. Imp.* und denen Europäiſchen Königen auch die Churfürſten des Heil. Röm. Reichs/ von *Rudolpho I.* Röm. Käiſer herkommen. *An. 1639. in Regali apud dict. Wolffgang. Enderum.*

IX. *Genealogiſche* Anzeig/ wie von *Ludovico Bavaro* die Röm. Käiſerl. Majeſt. Europäiſche Könige und Churfürſten des Reichs *Paternis & Maternis Progenitoribus* zuſammen gebracht werden können. *in Regali A. 1639. apud Wolffg. Ender.*

X. *Tabula Genealogica Bavarico-Palatina XXIX. Imperial. Parentum. dict. An. 1639. apud Wolffg. Ender.*

XI. Hiſtoriſche Anzeig/ was auf die 843. zu *Verdun* an der Maas zwiſchen *Caroli M.* hinterlaſſenen *Poſterität* fürgegangenen Abtheilung Land und Leut/ bis auf das 1640ſte Jahr zwiſchen dem H. Röm. Reich Teutſcher Nation und der Cron Frankreich es für eine Meinung/ und was ſie untereinander für Stritt gehabt haben/ *in 8vo* bey Adam Brenner.

XII. *Tabula Brandenburgica Electoralis 29. Imperialium Parentum, A. 1641.* bey Wolffgang Ender.

XIII. *Hiſtorica Relatio Induciarum & Pacis &c. in 4to. A. 1644. apud eund. Ender.*

XIV. *Genealogiſche* Verzeichnis/ was *Ferdinand. III. Imperat. Reges Europæi, & Electores S.R.J. in 7. Gradibus* von denen

darinnen

darinnen begriffenen 254. *Generationibus*, an Käiſern / Königen / Churfürſten und andern hohen Potentaten zu Vor-Eltern gehabt und erhalten haben. *A. 1645.* in groß *folio. apud dict. Enderum.*

XV. *Tabula Genealogica Anglicana in Regal. fol. dict. A. apud eund.*

XVI. Herrn Joh. Jacob Tetzels *VII. Viri Norib. Tab. Genealog. 62. Progenitorum paternorum & maternorum. A. 1646. in Regal.*

XVII. Johann Sigmund Wurffbeins / *filii*, Oſt-Indianiſche Reis-Beſchreibung *A. 1646. in 4to.* bey Michael Ender.

XVIII *Tabula Palatino-Suecica, XXIX. Imperial. Parentum. A. 1645.*

XIX. *Deſignatio Electorum Eccleſiaſticorum, ultrà 600. annos usque ad annum 1650.*

XX. *Tabula Genealogica Bavarico-Colon.*

XXI. *Ferdin. Mariæ, Elector. Bavar.* und Seiner Gemahlin Adelheit / Hertzogin zu Savoyen Stamm-Tafeln.

XXII. *Inter varia porrò, nondum edita ipſius ſcripta, eſt quoque Hiſtoria Altorfina, in Bibliothecâ ibidem aſſervata.*

Obiit A.C. 1654.

ULRICUS GRUNDHERRUS.

NAtus eſt *Noribergæ* 13. Nov. A. 1570. E ſacro fonte ſuſceptus eſt ab *Ulrico Rotengattero*, Patre *Leonhardo*, Senatore & Conſiliario bellico, qui obiit A. 1578. Matre *Helenâ*, natâ *Ebneriâ*.

Puer in Scholâ *Sebaldinâ* literarum primitias hauſit, ubi cum Condiſcipulis in templo, in Choro Templi Choralem, & in ſuggeſtu Litaniam ſeſe cecinisse ſenex gloriatus eſt.

Gymnaſium Onoldsbacenſe inviſit. Poſt patris mortem in Gymnaſium *Onoltzbacenſe* ablegatus, ibi in convictu D. *Buttneri*, J.C. & Conſiliarii *Brandenburgici* vivens, ſtudia ſedulus continuavit.

Academias item Altdorffinam, Jenenſem & Leydenſem. Poſteà Academias inviſit *Altorffinam* an. 1592. *Jenenſem* an. 1594. & *Leydenſem* an. 1597. Ex hâc Comite *Chriſtophoro Fürero*, poſteà in Duumviratu patrio Collegâ ſuo, *Belgii* provincias, *Angliam, Galliam* & *Hiſpaniam*, tandemque *Italiam* cum perluſtrâſſet, & Linguas earum Regionum didiciſſet, an. 1599. in patriam feliciter reverſus eſt.

Conjugium. 5. Febr. A. 1607. *Noribergæ* nuptias celebravit cum virgine *Mariâ Magdalenâ, Nicolai Rottengatteri* (qui filius erat *Ulrici*, Suſceptoris ſui) filiâ, cum quâ tranſactis in conjugio beato 39. annis viduus factus eſt 16. Julii an. 1646.

Ex eâ filium unicum *Ulricum*, cum quatuor filiabus ſuſcepit, & poſt ſe reliquit. Filius *Ulricus* cum virgine *Annâ Catharinâ Ruswormiâ* an. 1637. deſponſatus, Oppidi *Veldenſis*, & poſteà *Herſpruccenſis* Præfectus conſtitutus eſt.

Ex filiabus *Maria Magdalena Johanni Eraſmo Dilberro* an. 1630. *Barbara* an. 1637. *Tobiæ Gabrieli Hallero*, *Clara* an. 1643. *Johanni Theodorico Löffelholtzio* nuptæ ſunt: ex quibus novendecim nepotes vidit, ac 13. vivos reliquit. Quarta filia virgo *Helena* patri viduo familiam adminiſtravit.

Factus Senator *Norimb.* an. 1607. ſtatim poſt nupias, Factus Conſul ſenior an. 1620. Scholarcha an. 1622. Septemvir an. 1624. Ædilis an. 1637. Duumvir an. 1642. Prætor Imperialis an. 1653.

Obiit *Noribergæ* 12. Octob. An. C. 1654. ætat. 84. cum paucis antè mortem diebus calculum ſatis magnum excreviſſet, quo morbo nunquàm anteà laboravit. *Moritur.*

In extremâ ſenectute ſæpiùs amicis aſſeveravit, *recordari ſe non poſſe, quod unquàm per vitam ſuam juramentum protulerit.*

CHRISTOPHORUS AGRICOLA.

Obiit A.C. 1654.

A*Mbergæ, Palatinatûs ſuper.* metropoli, natus eſt 11. April. An. C. 1589. Patre D. *Matthæo Agricolâ, Ludovici* Electoris *Palat.* Conſiliario & Vice-Cancellario *Ambergæ*, Matre *Urſulâ, Heimerani*, nobilis *Bavarici* à *Lerchenfeld* filiâ. *Fil. Vicecancellarii Palat.*

An. 1592. Reformatorum religione *Ambergæ* introductâ Pater ejus exindè *Sultzbacum* migravit, ubi filius hic ejus *Chriſtophorus* unà cum fratribus, *Andreâ, Caſparo,* & *Matthæo* Scholam frequentavit. *Schola Sultzbac. diſcipulus.*

A. 1606. Academiam *Altorfinam*, & An. 1607. Univerſitatem *Jenenſem* acceſſit, & in hâc usque ad A. C. 1612. ſtudiorum gratiâ commoratus eſt. *Studioſus Altorfii & Jenæ.*

Eo tempore cum D. *Friderico Hortledero*, Ducum *Sax. Vinarienſium Joh. Erneſti* & *Friderici* Præceptore colens amicitiam, eundem in elaboratione Operis Hiſtorici de *bello Germanico* ab A.C. 1607. fideliter adjuvit. A. 1612. Juſſu Dom. Parentis *Altorfium* reverſus, ſtudia ſua continuavit. A. 1616. In *Auſtriam* vocatus à generoſo Barone Dn. *Wilhelmo Seemanno à Mangem*, ut filium ipſius unicum *Georg. Wilhelmum* in literis & moribus informaret, biennium ibi tranſegit.

A. 1618. Cum hoc ſuo diſcipulo, cumque duobus Baronibus *Brenneris*, *Philippo Friderico* & *Gotfrido*, fratribus per *Danubium* navi vectus, *Ratisbonam* diſceſſit, & exindè *Ingolſtadium*, *Ulmam*, & *Argentinam* urbes acceſſit. *Trium Baronum Ephorus.*

A. 1620. *Seemanno* Barone ſibi concredito per mortem *Argentorati* abrepto, cum fratribus *Brenneris Baſileam*, & exindè *Genevam Allobrogum* profectus, ac decem circiter menſes ibi commoratus, per *Galliam* deinceps & *Lombardiam Venetorum* Academiam *Patavinam* adiit, in eâque annum exegit.

A. 1623. Cum Baronibus ſuis *Bononiam, Florentiam*, & *Romam* inviſens, ac *Neapolim* usque progreſſus, in reditu *Senis* per hyemem ſubſtitit.

Patavium demùm & *Venetias* reverſus, exindè *Viennam* cum Dominis Baronibus feliciter ad Parentes eorum rediit.

Eo tem-

Comes Palat. & Eques.

Eo tempore Promotorem nactus Dom. *Maximilianum*, Comitem à *Trautmansdorff*, ab Imp. *Ferdinando II.* Privilegia Comitis *Palatini* clementer ſibi cum equitis Cæſarei dignitate collata ſuſcepit.

Conjugium ejus, & Liberi.

A. 1625. *Norimbergæ* nuptias celebravit cum virgine *Annâ Sabinâ Buttliniâ*, ex quâ filium ſuſcepit *Johannem Chriſtophorum*, ætatis anno primo denatum, & filias *Annam Mariam*, ac *Veronicam Mariam Helenam* ſibi ſuperſtites.

Conſiliarius March. Brandeburg.

An. 1627. Sereniſſ. Princeps *Chriſtianus* Marchio *Brandeburgenſis* inter Conſiliarios ſuos ſuſcepit eum, & ad Imp. *Ferdinandum II.* Circuli *Franconici* nomine *Viennam* ablegavit, unà cum Dom. *Franciſco Hatzfeldio*, Canonico tunc *Herbipolenſi*, & poſtmodùm Epiſcopo *Bambergenſi*.

Legatus ad Regem Suec.

Abindè præter alias, quas fideliter obivit Principis ſui mandato Legationes, A. 1632. *Guſtavum Adolphum*, *Suecorum* Regem glorioſum, *Francofurti* ad *Mœnum* Legatus acceſſit. Comitiis aliquot etiam unà cum Cancellario *Brandeburg. Feilitſchio* interfuit.

Uxore *Noribergæ* A. 1632. vitâ defunctâ, an. 1637. ad ſecunda vota tranſiit, iterum *Culmbaci* deſponſatus cum virgine *Marthâ Apolloniâ*, nob. viri *Joh. Baptiſtæ à Baumsdorff*, J.C. Comitis *Palat.* Cæſ. Feudor. Præpoſiti, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Directoris filiâ, quam ſterilem reliquit ſuperſtitem.

Conſiliarius Cæſareus.

Cum An. 1645. *Maximilianus* Comes à *Trautmansdorff*, Legatus Cæſ. Plenipotentiarius, Monaſterium profectus eſſet, eodemque tempore Sereniſs. Princeps *Auſtriacus Leopoldus Wilhelmus*, Exercitus Cæſarei Generaliſſimus, *Noribergam* veniſſet, utriusque ſuaſu Cæſaris *Ferdinandi III.* miniſterio ſeſe addixit, ad quem anno ſeq. 1646. conſentiente *Chriſtiano*, March. *Brandeburgico*, profectus homagium fidelitatis præſtitit.

Viennæ crus fregit.

A. 1651. die Cinerum *Viennæ* juxtà templum S. *Stephani* glacie ruptâ graviter lapſus, crus ſiniſtrum fregit, & per ſemiannum ſub Chirurgorum manibus decumbens, diverſas Commiſſiones à Cæſare ſibi delatas exequi prohibitus eſt.

In lecto fatali filiam elocavit. *Moritur.*

A. 1651. *Byruthi* morbo gravi & diuturno correptus, Cæſari *Pragam* ſeſe vocanti obtemperare non potuit, & poſtquàm per triennium ferè decubuiſſet æger, & intereà filiam ſuam natu juniorem *Veronicam Mariam Helenam*, nobili viro Dom. *Caſp. Brunnwaſſero*, Juris Candidato & aulico *Brandeburgico* in conjugium elocâſſet, morte placidâ mundo valedixit *Biruthi* 1. Dec. A. C. 1654. ætat. 65.

* *Ex Concione fun. Joh. Laur. Frobenii, Diaconi Biruthini.*

Obiit A. C. 1655.

CASPAR. KLOCKIUS.

SOeſtæ in *Weſtphaliâ* natus eſt 28. Febr. A.C. 1583. Patre *Johanne Klockio*, Senatore, Matre *Dorotheâ Graſtiâ*.

An. 1593. In pædagogium *Marpurgenſe* miſſus, quadriennium, & poſteà *Dortmundæ* triennium ſtudiorum gratiâ exegit.

Stud. Juris Marpurg.

An. 1600. *Marpurgum* regreſſus, & ſtudium Juridicum aggreſſus, Diſputationes aliquot in Jure habuit.

& Coloniæ.

A. 1603. *Coloniam* veniens, exercitiis ibi tàm privatis quàm publicis ſtudia Juridica triennio continuavit.

Praxin Jur. in Camerâ Spir. exercuit.

A. 1604. *Spiram* concedens, in Cameræ judicio Cæſareo praxin, multa Conſilia, Relationes & Deciſiones expediens exercuit.

Juris Doctor. Cancellarius Stolbergenſis.

An. 1608. Doctorales honores adeptus, mox à generoſo Comite *Stolbergenſi Henrico* vocatus ad Cancellarii munus, fideliter illud per ſeptennium adminiſtravit.

A. 1611. Deſponſatus cum virgine *Eliſabethâ Raminiâ*, cum eâ in conjugio felici, ſed ſterili, 44. annos vixit.

Syndicus Brunsvicenſis. Comes Palatinus. Cancellarius Mindenſis. Cancellarius Hildesheimicus. Iterum Cancellar. Stolberg. & Conſiliar. Brunsvic. Moritur.

An. 1616. à Senatu *Brunsvicenſi* vocatus ad Syndicatum, & an. ſeq. 1617. *Pragam* ad Cæſarem ablegatus, ab eo Comes *Palatinus* creatus eſt, & à Cæſ. Majeſtate pro ſalute Urbis *Brunsvicenſis* Banni abolitionem, cum confirmatione pacis inter urbem illam & Duces *Guelferbici* factæ, unà cum Privilegiis Cæſareis obtinuit. A. 1626. Vocante *Chriſtiano*, Duce *Brunsvicenſi* & *Lunæburgenſi*, Cancellarius *Mindenſis* factus, in eo munere verſatus eſt, usque dum Liga Catholica, factâ irruptione hoſtili, per vim eum expulit, & *Bremam* recedere compulit. Ibi cum triennium exegiſſet, vocante Dom. *Georgio* Duce *Brunsvicenſi* & *Lunæburgenſi*, Cancellarius *Hildesheimicus* conſtitutus eſt, eoque munere perſunctus, usque dum regiones *Brunsvicenſes* lineæ *Cellenſis*, *Calenbergicæ*, & *Göttingenſis* inter Principes diviſæ fuerunt, quo facto dimiſſus, iterum à Comitibus *Stolbergenſibus* ad Cancellariatum vocatus, & A. 1649. denuò Conſiliarius ab Urbe *Brunsvicenſi* deſignatus, in his muneribus cum laude & honore vitæ tempus reſiduum conſumſit, mortuus 15. Jan. A.C. 1655. æt. 72.

Epitaphium.

EPITAPHIUM:

Ne quis Klokiadem ducat vidiſſe ſepultum,
Tanti quando viri fors monumenta videt.
Hîc Phœbum claudi, Suadam, doctasq́; Camœnas
Credat, & Euſebien Eunomienq́; ſimul.

* *Ex Concione funebri.*

Scripta.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Conſiliorum Tomi III.

Tractatus Nomico-Politicus de Contributionibus in Romano Germanico Imperio, & aliis Regnis uſitatis.

Tract. Juridico-Politico-Polemico-Hiſtoricus de Ærario.

Obiit A.C. 1655.

HECTOR POEMERUS.

NOrimbergæ ex familiâ Patritiorum antiquâ natus 14. Aug. An. C. 1612. Patrem habuit cognominem, Matrem *Magdalenam Holtzſchucheriam*. Avus ejus paternus *Bartholomæus Pœmerus*, in patriâ Senator, Triumvir & Scholarcha fuit. Proavi verò frater *Hector Pömerus*, Juris Doctor, & Ec-

& Eccleſiæ *Laurentianæ* Præpoſitus, patriæ Reformationem à *Mart. Luthero* cœptam, unà cum *Georgio Peſlero*, Præpoſito *Sebaldino*, plurimùm adjuvit.

Juris & Hiſtoriarum ſtud.

A. 1627. Academiam patriæ *Altorfinam* accedens, ſtudio Philoſophico primùm, deindè Juridico & Hiſtorico ſedulam operam dedit usque ad an. 1634. quo *Norimbergâ* diſcedens, per *Galliam*, *Angliam*, *Sueciam*, *Daniam*, *Hollandiam*, & *Belgii* Provincias iter ſuſcepit, in Univerſitatibus intereà *Pariſienſi*, *Oxonienſi*, *Lugdunenſi*, & *Soranâ* aliquantiſper commoratus, magnatibus & viris eruditis paſſim innotuit.

in variis Academiis.

Principum Holſatiæ Gubernator.

Finitis peregrinationibus, Sereniſſ. *Philippus*, Princeps *Holſatiæ*, filiis eum ſuis Gubernatorem tradidit. Eo tempore *Jacobus de la Gardie*, Regni *Sueciæ* Campi Mareſcallus, ejusdem Inſpectioni filios ſuos committere conſtituit, ut eos in *Galliam* aliasque Regiones exoticas deduceret. Id verò iter certis ex cauſis fuit impeditum.

Secretarius Princ. Dan. Chriſtiani V.

A. 1644. Celſiſſ. *Daniæ* Princeps *Chriſtianus V.* in aulam ſuam adſcivit eum, & eruditione ejus ſingulari perſpectâ an. 1646. Secretarium ſibi deſignavit, quo nomine negotia gravia quàmplurima in linguâ *Germanicâ*, *Latinâ*, *Gallicâ*, & *Danicâ* dextrè & fideliter expedivit. Hoc verò Principe per mortem ſubitam an. 1647. mundo ſubtracto, Reginæ *Danorum Sophiæ Amaliæ* Natæ Duciſſæ *Brunſvicenſi* miniſteria ſua addixit, quæ cum poſteà repeteret Principis *Daniæ* vidua *Magdalena Sibylla*, Duciſſa *Saxonica*, ad eum ex *Hafnia Nycopingam* rediit, cumq; illa an. 1653. Sereniſſ. Principi *Friderico Wilhelmo*, Duci *Saxo Altenburgico* nupſiſſet, hic eum Aulicum & Juſtitiæ Conſiliarium conſtituit, in quo munere, hypochondriacis ſymptomatibus conſumptus, cœlebs vitam morte beatâ finiit *Altenburgi* 4. Maji A.C. 1655. ætatis 43.

Conſiliar. aul. & Juſtitiæ Altenburg.

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Jac. Freislebii, Concionatoris Altenburgenſis.*

Obiit A.C. 1655.

JOHANNES LATERMANNUS

NAtus eſt *Themaræ* in Comitatu *Hennebergico* 3. Sept. A.C. 1575. Patre *Chriſtophoro*, *Schleuſingæ* in eodem comitatu Secretario, Matre *Catharinâ Hallenbergerianâ*. An. ætat. 15. in aulâ Electoris *Saxoniæ* apud Archimagirum Scribæ provinciam ſuſcepit. Indè *Caſſellam* ſe contulit, & apud Equiſonem equitandi peritiam ſibi per biennium comparavit.

Scriba Culinæ Sax.

Eo elapſo in illuſtr. Principis *Saxoniæ Joh. Erneſti* aulâ culinæ ad annuum ſpatium ſuâ in ſcribendo peritiâ præfuit, eâ quidem dexteritate, ut ab ejus aulæ Ærarii Præfecto, Dom. *Henrico Philippo Spielhauſen*, in Grammatéum Præfecturæ *Kraïnbergenſis*, pòſt *Iſenacenſis* conſtitueretur, & tandem ad factam commendationem in Cancellâ *Saxo-Coburgicâ* ſparta ei in ſcribendo ornanda concrederetur.

Præfectus Salvi Conductûs Erfordiæ.

A. 1609. à *Johanne Caſimiro*, Duce *Sax. Coburgico* ad Præfecturam *Eisfeldenſem* promotus, & exacto ibidem biennio Præfectus Salvi Conductûs *Erfordiam* vocatus eſt.

Ærarii Præfectus Coburgi.

A. 1611. ab eodem Duce *Coburgum* revocatus, & Ærarii Præfectus factus, licèt id officium propter viſûs debilitatem à ſe declinare conaretur, eo tamen laudabiliter functus eſt usque ad fata *Joh. Caſimiri*, poſt quæ, reſignatâ Præfecturâ, cooptatus in Collegium Conſiliariorum, in extremo demùm ſpiritu membrum illius eſſe deſiit.

Conſiliarius Sax. Coburg.

Deſponſatus bis.

An. 1604. *Iſenaci* primam uxorem duxit prædicti Ærarii Præfecti filiam *Cordulam*, cum quâ quadriennio vixit, factus ex eâ pater trium filiorum *Joh. Chriſtophori*, quondam in Cancellâ *Coburgenſi* Actuarii, quem cœlibem fata morte præmaturâ ſuſtulerunt, *Henrici Philippi*, qui in præteritis *Germaniæ* tumultibus coràm hoſte cecidit, & adhuc unius in tenerâ infantiâ præmortui.

An. 1609. ſecunda ſubivit Conjugii vota cum *Annâ*, *Friderici Ritteri*, Præfecti *Eisfeldenſis* relictâ viduâ, *Valentini Muldneri*, Archiatri *Saxonici* filiâ, ex quâ ſuſcepit filium *Georgium*, qui itidem in bello occubuit, & filiam *Suſannam Margaretham*, quæ nupſit *Joh. Georgio Scherero*, Syndico & Conſiliario *Ratisbon.* Calculi doloribus ſæpiùs afflictus, accedente tandem diarrhœâ, placidâ morte exſpiravit menſ. Jul. An. C. 1655. ætatis 80.

Moritur.

Coburgi in ſepulturâ Concione funebri honoratus ab *Abrahamo Biſchoff*, Eccleſiæ Diacono.

Obiit A.C. 1656.

FRIDERICUS RUNGIUS.

QUalis nam Vir fuerit, *Epitaphium* hoc exprimit:

Epitaphium.

FRIDERICUS RUNGIUS, QUA NATALIUM ANTIQUITATEM UTRIQUE POMERANIÆ, QUA MERITORUM EXCELLENTIAM TOTI FERE SEPTENTRIONI CONSPICUUS, POSTQUAM PATRIÆ EJUSDEMQUE DUCIBUS ET DYNASTIS FIDEM ET INDUSTRIAM RARA JUDICII DEXTERITATE, ET CIRCUMSPECTA EXPEDITIONUM PROMPTITUDINE DOMI FORISQUE, AD SUMNOS ETIAM REGES, ET MEMORABILE ILLUD OSNABRUGÆ CONFECTUM PACIS NEGOTIUM LEGATUS PRO VIRILI CONTESTATUS ESSET, NOVISSIME AUSPICIIS SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI DN. FRIDERICI GUILIELMI ETC. CUI AB INTIMIS CONSILIIS FUIT, ET CANCELLARIUS, OMNEM INSTAURANDÆ REIPUBLICÆ BELLI TRECENNALIS CALAMITATIBUS CONCUSSÆ IMPENDIT OPERAM. TANDEM URGENTIORIBUS CURIS ET LABORUM PERTINACIA PLUS QUAM MORBO VEL SENIO, QUOD VIRIDE ET LVII. TANTUM ANNORUM FUIT, LENTE FRACTUS, ANIMAM SERVATORI CHRISTO, IPSIS NATALITIORUM SOLENNIBUS INTER PRECES

Conſiliarius Ducis Pomeraniæ.

Legatus Osnabrug.

Cancellarius Brandeburgicus.

Gggggg ET

ET SUSPIRIA PIE REDDIDIT, CORPUS REQUIETORIO NOBILI CONJUX MOESTISSIMA MARIA CUNDENREICHIA DECENTI RITU CONDIDIT D. XII. FEBR. ANN. MDCLVI.

DIES PEREGRINATIONIS MEÆ PARVI ET MALI, ET NON PERVENERUNT AD DIES PATRUM MEORUM. GENES. XLVII.

* *Ex Caſibus Med. Balthaſſar. Timei à Guldenklee, Archiatri Brandenburg. Lib. I. Caſ. 13.*

Obiit A.C. 1656.

JOHANNES MEHLBOMIUS.

NAtus eſt *Hannoveræ*, primariâ provinciæ *Calenbergenſis* urbe, die 5. Julii A. C. 1611. Patre *Dirico Mehlbaum*, Reip. patriæ Camerario & Senatore, Matre *Margarethâ Bergmanniâ*.

Ab his parentibus in publicum patriæ literarium ludum maturè miſſus, non contemnendos fecit progreſsûs, cum ſedulus eſſet, & diſcendi cupidiſſimus.

Increbuerat tunc fama *Johannis Kirchmanni*, quam ſingulari antiquitatis peritiâ & dexteritate in formandâ juventute, editis etiam ejus generis ſcriptis, vir ille ſibi comparaverat.

Lubecæ diſcipulus Johannis Kirchmanni. Quò itaque cœptum ſtudiorum curſum magis perficeret, Imperialem *Lybecam* An. 1630. à parentibus miſſus, & biennium commoratus, auſpicio *Kirchmanni* ita profecit, ut dignus judicaretur, qui ad uberiorem animi culturam percipiendam ad regias Scholas amandaretur.

Legum ſtudioſus Helmſtadii. Hâc fini An. 1632. in Academiam *Juliam* pervenit, in quâ tum Philoſophicis diſciplinis, tùm præcipuè Legum ſtudio, in quod nativâ indole magis ferebatur, addiſcendis ſeſe addixit, tanto cum ardore, ut non ſatis ſibi eſſe putaret tàm publicè, quàm domi ſuæ Juris civilis Profeſſores ſummâ diligentiâ audire & ſectari, ſed etiam magnam partem noctis, imprimis horas antelucanas, ſtudiis tribueret: quem morem etiam poſteà ad finem usque vitæ ſuæ obſervavit.

Hæc omnia cum cœteris virtutibus, religioſâ præcipuè pietate, ita exornavit, ut non tantùm in Eccleſiâ, ſed etiam quotidiè in Muſæo ſtatâ horâ preces funderet.

Hoc modo triennio *Helmſtadii* exacto parentes inviſum, in patriam abiit, apud quos tamen non diu ſubſtitit, ſed A. 1636. *Marpurgi.* *Marpurgum* ſe contulit, perficiendi Juris ſtudio ergò: ubi ad annum usque 1639. vixit, uſus convictu & informatione eximii J.C. *Antonii Neſeni*, Academiæ iſtius Procancellarii, & Conſiliarii *Haſſo-Darmſtadienſis*.

Indè ſtudiorum curriculo confecto diſcedens, *Brunſvigam* divertit ad Dom. *Henricum Schmerheimium*, J.C. ejusque Profeſſorem olim *Helmſtadii*, tum verò Sereniſs. *Augusti* Ducis *Brunsvic.* & *Lyneburg.* Conſiliarium, quo hoſpite quondam fuerat uſus.

Hujus quotidiano uſu cum per 6. menſes fuiſſet gaviſus, anno ſeq. 1640. in *Juliam* rediit, honores & prœmia tanto labore & indeſeſsâ operâ hactenus exculti Juris ſtudii ab Ampliſs. Ordine petitum: cui cum per omnia examina ſe probâſſet, menſ. Octob. dignus judicatus eſt, qui ad adipiſcendos honores, quos ambiverat, admitteretur, quos etiam 26. Julii An. 1642. conſecutus fuit, Juris utriusque Doctor à D. *Joh. Thomâ Claudio*, Jur. Prof. Ordinis ſui ſeniore, & tum Decano ſolenni more publicè renuntiatus. *Doctor Juris Helmſtadii.*

Eodem die ſimul domum duxit virginem *Annam Sophiam Schmerheimiam*, Præceptoris & hoſpitis ſui, & *Eliſabethæ Rademanniæ* filiam: ex quâ 9. liberorum pater factus eſt, ultimo partu gemellis auctus: ex quibus præter filium & filiam primo loco natos, & dudum defunctos ſuperfuerûnt 4. filii & 3. filiæ. *Eodem die Maritus.*

Statim autem à ſolennitatibus peractis, extraordinarius Profeſſor Juris in Academiâ *Juliâ* conſtitutus eſt; donec An. 1646. per obitum D. *Balthaſ. Rinckii*, ordinario loco vacante, Succeſſor ipſi datus fuit. *Juris Profeſſor extraordinarius & ordinarius.*

Eodem inſuper anno in Judicii aulici *Guelpherbytani* Aſſeſſorum ordinem allectus eſt. *Aſſeſſor Judicii aulici.* Quod utrumque munus ad exitum usque vitæ ita obivit, ut non minus Collegis ſuis quàm ſtudioſè juventuti magnum ſui deſiderium reliquerit: intereà etiam magiſtratu Academico bis cum laude perfunctus.

Cum tandem ex Judicio Aulico redux, à colicis & iliacis doloribus graviter vexaretur, ſuperveniente febri & immani diarrhœâ, inter Presbyteri & aſtantium preces defecit, mortali hâc vitâ perfunctus 15. April. A. C. 1656. ætatis 45. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Prorectoris Academiæ Juliæ.*

Edidit: *Scripta.*

De Præſcriptionibus.
De Jure Primogenituræ.
De Transactionibus.
De Delictis, & imprimis de Feudis.
Poſitiones ex 50. Pandectar. libris excerptas.
De Injuriis & famoſis libellis.
De Contractu Emptionis, Vendit. & Actionibus empti, venditi.
De Teſtamentis in genere.
De Emphyteuſi.
De Muneribus, & Honoribus.

Obiit A.C. 1656.

GEORG. CHRISTOPH. WALTHERUS.

ROtenburgi natus eſt 1. Oct. A. C. 1601. Patre M. *Davide Walthero*, *Johannis*, Conſulis ſen. & Scholarchæ filio, qui 1. Mart. A. 1612. æt. 38. vitam finivit: Matre *Urſulâ*, *Georgii Rötſchii*, Senatoris & Scholarchæ filiâ: quæ poſt obitum mariti ad ſecunda vota tranſiit, deſponſata *Johanni Metzlero*, Regiſtratori *Rotenburgenſi*, qui privignum hunc ſingulari præditum ingenio, cum ſtudiorum curſum in ſcholâ triviali abſolviſſet, à teneris acta varia deſcribendo ad imbibendum rerum & cauſarum variarum uſum practicum aſſuefecit: & A.

1620.

Digitized by Google

Argentorati Matriculæ Studioſorum inſertus. 1620. in Academiam *Argentinenſem* ablegavit, ubi 3. Julii ſub Rectore R. *Laurentio Thomâ Walliſero*, Ethicæ Prof. Publ. Matriculæ ſtudioſorum inſertus, poſtquàm ſtudia humaniora abſolviſſet, eos in facultate Juridicâ fecit progreſsûs, ut Collegiis Juridicis ac Politicis diverſis interfuerit, & Diſputationem publ. in *Suetonii Cæſarem* ſub Præſidio M. *Matthiæ Berneggeri* ſummâ cum laude defenderit: Collegium Politicum etiam fratri ſuo *Joh. Georgio* aliisque conterraneis habens, cum eorum fructu Præſidis vices ſuſtinuit. *Collegium Politicum habet.*

A. 1624. Febri laborans, in patriam vocatus, poſtquàm vires collegiſſet, in Academiam *Altorfinam* miſſus eſt, in quâ 29. Junii An. 1628. poſt habitam Diſputationem inauguralem, *De Renuntiatione ſucceſſionum vel hæreditatis*, ſummâ cum laude Doctorales in utroque Jure honores, Decano D. *Andreâ Dinnero*, Codicis Profeſſore obtinuit, & ut verba formalia Diplomatis Doctoralis ſonant, in publicâ Diſputatione prœlians cum ipſis Univerſitatis *Altorfinæ* anteceſſoribus Juris peritiſſimis, ancipiti certamine contracto, nec Diis nec viribus (quod dicitur) imparem ſe tot ac tantis duellatoribus oſtendit. In patriam reverſus, aliquandiu praxin exercuit, & Senatûs mandato xenodochii Archiva in ordinem reduxit. *Doctor Juris Altorfii.* *Advocatus Rotenburgi.*

26. Jan. An. 1630. Sponſalia celebravit cum virgine *Margarethâ*, D. *Johannis Pfiſteri*, Senatoris filiâ, ex quâ 3. filios totidemq; filias ſuſcepit. Ex filiis *Johannes Chriſtophorus* quatriduo antè Patris obitum *Argentoratum* ſtudiorum gratiâ diſceſſit. *Nuptias celebrat.*

Ex filiabus *Urſula Sabina* Viro nobili *Caſp. Erhardo à Burgſtall*, Majori *Suecico*, deſponſata, Patrem 4. nepotibus exhilaravit, *Anna Magdalena* Dom. *Johannem Georgium Albrechtum*, Jur. Doct. & Syndicum *Rotenburg.* Maritum accepit.

A. 1631. Poſt obitum Doctoris *Johannis Schäferi*, Patriæ Senatus eum Advocatum, Conſiliarium, & Cancellariæ Directorem conſtituit, plurimis deindè deputationibus, commiſſionibus & Legationibus Reip. nomine adhibuit. Conſiliarius etiam fuit Generoſorum Dominorum Comitum in *Caſtell*, aliorumque Statuum Circuli *Franconici*. *Conſiliar. & Cancellariæ Director Rotenburgi.*

A ſesquianno demùm malo hypochondriaco cum variis ſymptomatibus afflictus, ſuccubuit, & placidè obdormivit 6. Junii A.C. 1656. æt. 55. *Mor. hypochondr. malo.*

* *Ex Concione fun. Georgii Zierlini, Superintend. Rotenburg.*

Scripta. Edidit: *Lib. de Statu, Juribus & Privilegiis Doctorum, & alia.*

ANDREAS RAMDOHR.

Obiit A.C. 1656.

A *Schersleblii* natus 2. April. A.C. 1613. Patrem habuit *Joachimum*, Senatorem & Ædilem ibidem, Matrem *Armgartim Eberts.*

Cum in Scholâ patriâ ſtudiorum fundamenta ſub diſciplinâ Rectoris *Jacobi Wittii* poſuiſſet, miſſus à Parentibus in Scholam *Quedlinburgenſem*, & triennio Rectoris M. *Johannis Pretorii* informatione uſus non modò Logicam, Rhetoricam, Ethicam, & Arithmeticam didicit, ſed etiam in linguis *Hebræâ, Græcâ*, & *Latinâ* eos fecit profectûs, ut aliquot Orationes in linguis diverſis cum laude habuerit. *Diſcipulus in Scholâ Quedlinburgenſi.*

An. 1633. Ad Univerſitatem *Jenenſem* progreſſus, cum Curſum Philoſophicum feliciter abſolviſſet, ſtudium Juridicum amplexus, Profeſſorum publicorum D. *Valentini Riemeri*, D. *Eraſmi Ungepaur*, D. *Andreæ Gerhardi*, D. *Gothofredi Fibigii*, & *Zachar. Priſchenckii* Lectiones & Diſputationes publicas ac privatas ſedulus audivit, ſub iisdemq; Diſputationes aliquot proprio Marte elaboratas publicè defendit. *Juris ſtudioſus Jenæ.*

A. 1635. Adoleſcentibus nobilibus *Chriſtiano Gunthero* & *Alberto Philippo Schlathemiis*, tunc *Jenæ* ſtudioſis, Informator datus, in commune 4. annos verſatus eſt. *Præceptor Nobilium.*

An. 1638. Facultatis Juridicæ conſenſu diverſa Collegia Diſputatoria privatim aperuit.

A. 1640. Doctor Juris utriusque cum laude creatus, & mox Profeſſor publicus, ac Aſſeſſor Judicii *Sax.* aulici conſtitutus eſt. *Doctor & Profeſſor Juris Jenæ.*

An. 1643. Senatus eum *Brunsvicenſis* ad Syndicatum accerſivit. *Syndicus Brunsvic.*

An. 1647. *Hamburgi* nuptias celebravit cum virgine *Dorotheâ*, Dom. *Alberti Schultenii* filiâ, ex quâ filium *Albertum Andream*, cum filiabus *Annâ Dorotheâ, Sophiâ Eliſabethâ*, & *Catharinâ Armgarti* reliquit ſuperſtites. *Conjugium ejus.*

A. 1649. Poſt obitum Dn. *Johannis Cammanni*, Juris Doctoris, Syndicus ſupremus *Brunsvigæ* declaratus, in eo munere vitam finiit. *Syndicus ſupremus.*

Intereà 26. Legationes ad Regem *Sueciæ* alioſque Magnates, Reipublicæ *Brunsvicenſis* nomine, fideliter obivit.

Catarrhis tandem frequentibus afflictus, viribus conſumptis vitam morte beatâ finiit 22. Julii A.C. 1656. æt. 43. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri D. Brandani Dætrii, Superintendentis Brunsvicenſis.*

JOH. JACOBUS WOLFIUS A TODENWART.

Obiit A.C. 1657.

Mundum ingreſſus eſt *Spiræ Nemetum* 28. Aug. A.C. 1585. Patre viro nobili *Leonharto Wolfio à Todenwart*, Ducum *Saxoniæ* & *Haſſiæ* multis annis Conſiliario, & Cameræ *Spirenſis* Aſſeſſore, cujus pater *Eberhardus Wolfius* ultrà 30. annos Principum *Henneberg.* & poſteà Electorum *Saxoniæ* Conſiliarius fuit, & Præfectus *Schleuſingenſis.* Matrem habuit *Annam, Georgii Bienii* filiam. *Majores ejus nobiles eruditi.*

Adoleſcens ſtudia Juris in Academiâ primùm *Gieſſenſi*, deindè *Jenenſi* & *Altorfinâ* tantâ cum induſtriâ tractavit, ut cum laude Gradu Doctoris exornari potuiſſet. Sed ille curſu ſtudiorum abſoluto per varias re-

gions exteras peregrinationem inſtituere maluit.

Deſponſatus. A. 1607. Matrimonium iniit cum virgine *Urſulâ*, *Henrici Ayreri*, Patritii *Norimbergenſis*, filiâ, ex quâ 3. filios totidemque filias ſuſcepit. Ex filiis primus infans obiit, cœteri duo juvenes militiam Cæſaris ſecuti, & ad honores militares evecti, vitam inter arma glorioſam reliquerunt. Ex filiarum unâ tres pronepotes vivos vidit.

Hâc conjuge vitâ defunctâ, A. 1615. duxit alteram virginem *Barbaram*, *Abrahami Witmanni*, & *Dorotheæ Ebneriæ*, Patritiæ *Norimbergenſis* filiam, cum quâ in conjugio felici, ſterili tamen, 28. annos exegit.

3. Jan. An. 1653. Ad tertia vota tranſiit, cum *Suſannâ Dorotheâ*, *Simplicii Widmanni*, Syndici quondam *Ratisbonenſis* viduâ, quam ſine prole ſuperſtitem reliquit.

Conſiliarius Ratisbonenſis. A. 1612. Reipublicæ *Ratisbonenſis* Conſiliarius factus, in eo munere 45. annos perſeveravit. Ab Impp. intereà *Rudolpho II.* & *Ferdinando II.* ad varias Commiſſiones ſerias adhibitus, *Comes Palatinus.* Comes *Palatinus* creatus, & Privilegiis diverſis donatus eſt. Ad hos Imperatores 51. Legationes laudabiliter geſſit.

Legatus Haſſ. & Ratisbon. in Tractat. Pacis. An. 1623. Ab *Haſſiæ* Landgravio *Darmſtatino* inter Conſiliarios receptus, Principis illius Reipublicæque *Ratisbonenſis* nomine Legatus, A. 1644. ad Pacis Tractatûs *Monaſterii* & *Oſnabrucci* celebratos præſens eruditionem ſuam manifeſtavit, & tandem Pacis concluſæ articulis ſubſcripſit.

Poſt diuturnum tandem decubitum, placidâ morte vitam Chriſtianè tranſactam *Moritur.* finiit *Ratisbonæ* 25. Martii A.C. 1657. æt. 72.

* *Ex Concione funebri Matthæi Schmollii.*

Obiit A.C. 1657.

JUSTUS SINOLT, Cognomento SCHüTZ.

Vitæ natalia dedit ei *Butisbacum*, *Wetteraviæ* oppidum 8. April. An. C. 1592. Patrem habuit *Helvicum Sinoldum*, cognomento *Schützium*, Sereniſſimorum *Ludovici*, & *Georgii Haſſiæ Landgraviorum* Cellarium, Matrem verò *Eliſabetham*, *Wolfgangi de Wenix* filiam.

Studioſus Gieſſæ, Marpurgi, & Coloniæ. Puer æſtuans amore literarum & diſcendi fervore ſtudia ſua exercuit in Academiis, *Gieſſenſi*, *Marpurgenſi*, & *Colonienſi*.

Deindè animum advertit Jurisprudentiæ, in quâ excolendâ ſub JureConſultorum celebrium auſpicio omni niſu ſuam collocavit operam. Cum verò eruditio non uno cupiatur in loco, ſed variis in terris mille *Juris ſtudioſus Muſſipontii.* modis quæratur, iter ſuſcepit in *Galliam*, indéque Academiâ *Pontemuſanâ* ſeu *Muſſipontanâ*, quæ circà A.C. 1580. in *Lotharingiâ* inclareſcere cœpit, ſtudiorum telam pertexuit.

Reverſus indè *Spiram* petiit, ſupremam illam *Romani* Imperii Curiam, ubi per tempus aliquod commoratus eſt.

Gieſſæ Juris Doctor. Ad Academiam deindè *Gieſſenam* pedem referens, Doctoreos honores A.C. 1619. obtinuit. Recens creatus Doctor, in diverſis Collegiis dexteritatem ſuam demonſtravit, ſeque rei Academicæ natum abundè docuit. Hinc & ſingularis eruditio vias ei paravit ad Profeſſionem extraordinariam Juris publici in Academiâ *Marpurgenſi* An. *Marpurgi Juris Profeſſor.* 1625. feliciter obtentam, & an. eod. inſecutam ordinariam.

Studii excellentia commendavit eum Aulæ, & pertraxit ad Arcana Sereniſſ. *Georgii II. Haſſiæ Landgravii*, qui A. 1629. à Conſiliis ſibi eſſe voluit. *Conſiliarius Haſſiæ & Legatus.* In eo munere ſuſtinuit Legationes diverſas ad Imperatorem, Reges & Principes, quibus formam ſibi contraxit perennem.

Diverſi Statûs Imperii ad officia ſplendida vocârunt eum, manſit is tamen in fide Principis ſui, qui merita ipſius citrà prœmia extare noluit. Hinc ad munus Conſiliarii intimi & Cancellarii fuit evectus. *Cancellarius Haſſiæ.*

Placidè tandem obiit 12. Dec. A.C. 1657. ætatis 65. *Moritur.*

EPITAPHIUM.

M. S.

Epitaphium. Resurrectionis spe corpus suum hic poni jussit JUSTUS SINOLT cognomento SCHüTZ Jurisconsultus, Politicus, Orator nulli suo ævo secundus. Qui cum in Georgii II. Hessorum Landgravii et Consilio secretiori Consiliarii, Dicasterio Provinciali et Academia Giessensi Cancellarii, pluriesque in rebus gravissimis ad Imperatorem, Reges, Electores, Principes Legati munere summa integritate, prudentia, industria fuisset perfunctus, pie placideque denatus reparatæ Salutis anno MDCLVII. Mens. Dec. ætatis suæ LXV. m. VII. d. IV.

Conjugi Parenti optime de se merito Pos. Vidua Liberique moestissimi MDCLVIII.

Scripta reliquit:

Scripta. *Diſſertationes de Vicariis Imperii Romano-Germanici, eorumq; jure & officiis.* in 4to.

Exercitationes Juris 25. Diſputationibus ad Inſtitutiones Juſtin. in 4to.

Collegium Feudale. in 4to.

Collegium Publicum Diſpp. 30. in 4to.

Collegium Pandectarum Diſp. 15. in 4to.

Diſputavit quoque publicè, *de Jure Pacis*, *de Inveſtiturâ*, *de cauſis Patriam poteſtatem conſtituentibus & diſſolventibus*, & *de Appellationibus.*

* *Ex Programm. funebri Prorectoris Gieſſenſis Johannis Nicolai Misleri, Theol. D. & Prof.*

Obiit A.C. 1657.

THOMAS LANSIUS.

Bergæ in *Auſtriâ* natus eſt 16. Febr. A.C. 1577. Patre *Leonharto*, Judice ibidem Cæſareo, Matre *Annâ Weigelinâ*. Cum adoleſcens in diverſis Academiis ſtudia ſedulus tractâſſet, *Tubingenſem* tandem Academiam acceſſit, in quâ 3. Sept. A. 1604. ſolenniter à D. *Joh. Harprechto* Doctor Juris *Doctor Juris Tubingæ.* renun-

Digitized by

Unâ deſponſatur. renuntiatus, eademque die deſponſatus eſt cum virgine *Suſannâ*, D. *Theodorici Schnepfii*, Theol. Profeſſoris celeberrimi filiâ.

Hæc cum ſterilis An. 1620. conjugii 17. deceſſiſſet, A. 1624. ſecunda ſponſalia celebravit cum virgine *Annâ Mariâ*, *Rudolphi Caſpari*, Conſulis *Tubingenſis* filiâ unicâ. Ex hâc unicam ſuſcepit filiam, *Mariam Suſannam*, quæ poſtmodum deſponſata *Wolffgango Adamo Lauterbachio*, Jur. D. & Profeſſori Publ. 7. nepotibus, 3. nempè filiis & 4. filiabus avum exhilaravit.

Conſiliarius Wirtenbergicus. Profeſſor Juris. 13. Martii A. 1606. Ab Illuſtriſſimo Principe *Wirtenbergico Friderico* inter Conſiliarios receptus, & Profeſſor Juris Ordinarius in Collegio Ducali conſtitutus, munere hoc ſummâ cum fidelitate functus eſt usque ad A.C. 1628. quo propter turbas bellicas Collegium id ad tempus aliquod ſuſpenſum fuit. Pari cum dexteritate deinceps Ducibus *Würtenbergicis*, *Johanni Friderico* & *Eberhardo*, inſerviit, ab iisque dilectus fuit.

Abſtemius. A teneris frugalitati ſtudioſus aquæ ferè potu ſitim reſtinguere ſolitus eſt, quâ ratione ad ſummam pervenit ſenectam, & cum vix bidui ſpatio decubuiſſet æger, placidâ *Moritur ſenex.* morte vitam clauſit *Tubingæ* 22. Dec. A. C. 1657. ætatis 81.

* *Ex Concione funebri Joſephi Demmeleri, Theol. D. & Prof. Tubing.*

Edidit:

Scripta. *Orationes, ſeu Conſultationum de Principatu inter Provincias Europæ.*

Orationum Mantiſſam.

Commentationem de Academiis.

Obiit A.C. 1658.

SAMUEL GÖCKHUSIUS.

AB *Erfurt*, hæreditarius in *Buttelſtatt*, *Altendeck*, & *Gotmanshauſen*, nobilis *Saxo*, *Wilhelmi* filius, *Johannis* nepos: natus *Stadæ* in Archiepiſcopatu *Bremenſi* An. C. 1578. promotus *Jenæ* A. 1603. inque *Juris Profeſſor extraordinarius Jenæ.* eâ Profeſſor Juris extraordinarius poſtmodùm dictus, Collegium Pandectarum publicum an. 1606. inſtituit & abſolvit.

Cancellarius Vinarienſis. *Salanâ* An. 1607. relictâ, *Vinariam* abiit, vocatus ad Conſiliariatum, & an. 1625. ad Cancellariatum, Conſiſtoriique Eccleſiaſtici Præſidentiam evectus.

Moritur. Vitâ tandem defunctus eſt *ærat Buttelſtadii* in prædio 4. Febr. A.C. 1658. æt. 80.

Symboli loco uſus eſt: *Neſcit vox miſſa reverti*: adjectis literis *T. A. N. D. E. M.*

Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri, qui hoc appoſuit Epigramma:

Epigramma.
Dum gaudes, Samuel Göckhuſi, Nobilis ortu
Alterius partes & grave obire decus:
Et dare Arumæi Pandectas pollice cœptas
Oenagoræ in gremium te capit Aula ſuum.

Obiit A.C. 1658.

GEORGIUS PHILIPPUS HARSDORFERUS.

NOrimbergæ, Patre *Philippo*, Patritio; Matre *Lucretiâ Scheurlinâ*, natus eſt 1. Nov. A.C. 1607.

Cum in Scholis Patriæ ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, A. 1623. miſſus à Patre in Academiam *Altorfinam*, præter alios Pro- *Altorfii ſedulus auditor Philippi Caroli.* feſſores *Philippi Caroli*, Philologi celeberrimi, Lectiones diligenter audivit, etiam tunc eruditionis in Philologicis, Hiſtoricis ac Poëſi ſingularis indicia præbuit.

An. 1626. *Argentoratum* profectus, cum ibi aliquandiu ſubſtitiſſet, iter in *Galliam*, *Angliam*, & *Belgium* ſuſcepit, *Italiâ* demùm perluſtratâ, An. 1631. in patriam ſoſpes reverſus, mox cum Domino *Joh. Jacobo Tetzelio*, Senatore & Conſiliario bellico Legati tunc Reipubl. patriæ nomine vices agente, *Francofurtum* ad *Mœnum* adivit.

Hoc ultimo itinere perfecto, reverſus in patriam A. 1634. Matris conſilio, cum Pater intereà A. 1630. obiiſſet, deſponſatus eſt *Deſponſatur.* cum virgine *Suſannâ*, Dom. *Joh. Sigismundi Füreri ab Haimendorff*, Senatoris filiâ, quæ diuturno morbo conſumpta vitam finiit 27. Dec. An. C. 1646. Ex eâ duos reliquit filios ſuperſtites, *Carolum Theophilum*, & *Joh. Sigismundum*, quorum ille A. 1637. hic An. 1639. mundum ingreſſi ſunt. Cœteri ejus liberi *Philippus Sigismundus*, *Georgius Sigismundus*, *Georg. Philippus*, *Suſanna*, *Suſanna Maria*, & *Suſanna Helena*, Dominum Parentem omnes morte præceſſerunt.

Philologus, Hiſtoricus & Poëta eximius *Societatis frugiferæ membrum.* cum Societati frugiferæ in *Germaniâ* nomen dediſſet, ab eâ cognomen honorificum adeptus eſt, vocatus der Spielende.

A. 1637. inter Aſſeſſores Dicaſterii *Norimbergenſis* receptus, cum in eâ functione *Senator Norimbergenſis.* 18. annis patriæ inſerviiſſet, 17. April. An. 1655. Senator electus eſt.

Cum 11. annos in viduitate exegiſſet, familiam ejus ſorore *Lucretiâ*, *Job Pauli Baumgartneri* viduâ gubernante, febri tandem *Moritur febri malignâ.* malignâ correptus, cum totum ſeſe Divinæ voluntati commiſiſſet, ſpiritum emiſit 22. Sept. A.C. 1658. æt. 51.

* *Ex Concione funebri Joh. Mich. Dilberri.*

Edita ab eo ſunt Scripta ſequentia:

Scripta. *Orationes funebres Andreæ im Hof, Chriſtophoro Fürero, & Joh. Friderico Löffelholtzio, Senatoribus Nor. habitæ.*

Periſtromata Turcica ex Gallico verſa, quibus annexa Germania deplorata.

Aulea Romana oppoſita Periſtromatibus Turcicis, cum annexâ Galliâ deploratâ. in 4to.

Porticus Auguſti Sereniſſ. Princ. Auguſto Brunsvic. & Lunæburgenſi Duci ſacra cum typis. in 4to.

Specimen Philologiæ Germanicæ. in 12mo.

Sophiſta: ſive Pſeudopolitica & Logica ſub ſchemate Comœdiæ repræſentata. in 12mo.

Der Geſpräch-Spiele erſter Theil/ mit einem Anhang und Schutz-Schrifft für die Teutſche Sprach-Arbeit. Anderer Theil/ mit angefügtem Schauſpiele der Teutſchen Sprichwörter. Dritter Theil/ ſamt einem Schauſpiel von Gleichnüſſen. Vierter Theil/ ſamt einer Rede von dem Wort Spiel. Fünfter Theil/ beſtehend in unterſchiedlichen neuen Erfin-

dungen / und Beſchreibung der Reit-Kunſt. Sechſter Theil / beſtehend in vielerley ſeltnen Fragen / Geſchichten / und Gedichten / ſamt angefügten Andachts-Gemählen. Siebender Theil / handlend unterſchiedliche Fragen von der Bildkunſt. Achter Theil / in welchem die ſpielartige Verſtand-Ubung vollſtändig behandelt wird / benebens 25. Fragen / aus der Naturkündigung / und Sittenlehre. in 8vo.

Herzbewegliche Sonntags-Andachten / nach den Sonntäglichen Evangelien / und Epiſtel-Texten ausgemahlet. Samt 14. Wochen-Andachten / als 7. Betrachtungen über die 7. Bitte in dem Vatter unſer / und ſo viel über die 7. Worte Chriſti am Creuz. in 8vo.

Des Poetiſchen Trichters erſter Theil / mit einem Anhang von der Teutſchen Rechtſchreibung. Zweyter Theil / mit einem Anhang von der Teutſchen Stam-Wörtern. Dritter Theil / beſtehend in 100. Betrachtungen über die Teutſche Sprach / etlich 100. Beſchreibungen und Ausbildungen / und X. Geiſtlichen Geſchicht-Reden. *Acceſsère Monoſticha Typica, & Emblemat. Sacrarum Decas unica.* in 8vo.

Deliciæ Mathematicæ & Philoſophicæ; oder: Der Philoſophiſchen und Mathematiſchen Erquickſtunden drey Theil. in 4to.

Der Königliche Catechiſmus aus dem Franzöſiſchen gedolmetſcht. in 4to.

Des groſſen Schauplatzes Luſt- und Lehr-reicher Geſchichte zwey Theil. in 8vo.

Der groſſe Schauplatz jämmerlicher Mordgeſchichte in 8. Theilen begriffen. in 8vo.

Hiſtoriſches Fünffeck Herrn von Belley aus dem Franzöſiſchen gedolmetſcht. in 12mo.

Die Offenbarung der verborgenen Wolthaten Gottes / aus *Aloyſio Novario* geteutſchet. in 12mo.

Nathan / Jotham / und Simſon / oder Geiſtliche und Weltliche Lehr-Gedichte / und Räthſel / erſter und zweyter Theil. in 8vo.

Heraclitus und *Democritus*, das iſt / hundert fröliche und traurige Geſchichte / benebens angefügten X. Geſchicht-Reden. in 12mo.

Der ander Theil / benebens X. dreyſtändigen Sinnbildern. in 12mo.

Die Fortpflanzung der Hochlöblichen Fruchtbringenden Geſellſchafft mit einer Rede von dem Geſchmack vermehret. in 4to.

Geſchicht-Spiegel.

Das Trincier-Buch zum zweytenmal vermehrt / und mit neuen Kupffern geziert. in 4to.

Der Mäſſigkeit Wolleben / und der Trunkenheit Selbſt-Mord / mit etlichen Beylagen und einer Lobrede der Mäſſigkeit vermehrt.

Teutſcher Secretarius.

3000. *Apophtegmata* Teutſch.

100. Andachts-Gemählde / in welchen die wahre Gottſeligkeit kunſtſinnig ausgebildet und erkläret wird.

GEORGIUS PHILIPPUS HAARSDOERFFERUS.

Per anagrammma M. *Lucæ Frid. Reinharti*, Theol.

Ah! Pergas! Siduspopuli! Frugifer Herus.

Epicedium *Adami Staden*:

HarsDörfferVs obIt LeIbo: hIC ô PatrIa Mœre!

MIrè DoCtVs *erat*, *f*Los *pIetatIs erat.*

Ergò terrâ abIens CæLo IaM *ga*VDet, *In orbe*

Mente pIa CæLo *ſeq*VIa *rItè* D*abat.*

Aliud *Georgii Ehringshauſen*, Notarii Cæſarei:

En IaCet gLorIa MVnDI!

DeLICIVM *NorIbergenſe*,

DeLICIVM *PatrIæ.*

MIrarIs? DesIne! *s*Vnt *fata à* CæLo.

PIa Mens, obIIt ILLe? non: abIIt. Ergò DoLor absIt, absIt!

IaM *eſt In æthere Senator, gLorIa, DeCVs.*

IaM CorDe IVbILat.

IaM *eſt In paCe æternâ, pLaVDIt.*

RIDet, trIVMphat In CæLo.

V*a*C*at* DoLore, Mœrore, *trIſtItIâ.*

Non ſentIt DaMna, LIber *eſt* CVrIs.

Ergo ne LVgeas rogo: In ChrIſto DorMIt!

PoſtreMo DIe nobILI Certè sVrget beatè.

FRIDERICUS LENTZIUS. Obiit A.C. 1659.

W*Ittenbergæ* natus eſt 1. Sept. An. C. 1591. Patre *Johanne Lentzio*, Advocato Judicii Electoralis, & Conſule *Wittenbergenſi*; Matre *Barbarâ*, *Johannis Summii*, Paſtoris Eccleſiæ *Bremenſis*, filiâ.

A. 1615. *Baſileæ* Jurium Doctor creatus, in eâdem facultate Præſidem aliquoties egit. Deinde *Spiram* Praxeos diſcendæ gratiâ ſe contulit. *Doctor Juris Baſileæ.*

A. 1617. *Quedlinburgum* à Duciſsâ *Saxoniæ*, *Dorothea Sophiâ*, Cœnobii ibidem ſecularis Abbatiſsâ vocatus, Cancellarii munus ſuſcepit, quod usque ad annum 1635. fideliter geſſit, deinde impetratâ dimiſſione Conſiliarius Abbatiſſæ manſit. *Conſiliarius Quedlinburg. & Anhalt.*

An. 1644. Duciſsâ hâc morte ſublatâ, Principis *Anhaltini Bernburgici* Conſiliarius, & unà Comitum *Stolbergenſium* Cancellarius factus eſt. A. 1648. Cancellarius Comitatûs *Schwartzenburgici* conſtitutus, in eo munere ad vitæ finem permanſit. *Cancellarius Schwartzenburgicus.*

Intereà conjugium iniit An. 1620. cum virgine *Mariâ*, *Benedicti Carpzovii*, ſenioris, Cancellarii Electoralis *Saxonici* filiâ, cum quâ 20. annos exegit, ex eâque ſuperſtitem reliquit filium *Joh. Fridericum Lentzium*, Jur. Licentiatum, & Conſiliarium aulicum *Schwartzenburgicum*. Alter ipſius filius, natu junior, *Chriſtianus Benedictus*, & filia *Dorothea Sophia D. Auguſtino Strauchio*, Juris Profeſ- *Conjugium iniit.*

Profeſſori *Wittenberg.* nupta. A. 1655. huic mundo valedixerunt.

Moritur. Malo hypochondriaco ab annis aliquot conſumptus, beatè tandem obdormivit 9. Jan. A.C. 1659. ætatis 68.

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1659.

GEORGIUS FRANTZKIUS.

Lubſchutzii, in *Sileſiâ* ſuper. natus 15. April. A.C. 1594. Patrem habuit *Georgium Frantzke*, Mercatorem, Matrem *Margaretham Reinmanniam*. 11. Mart. An. 1622. in Academiâ *Jenenſi* Jurium Doctor creatus, eâdem die deſponſatus eſt cum virgine *Annâ Mariâ*, D. *Johannis Wexii*, Cancellarii *Altenburgici* filiâ, ex quâ tamen nullos liberos ſuſcepit. *Juris Doctor Jenæ creatus, unà deſponſatus.*

Conſiliarius Schwartzenburgicus. A. 1629. Conſiliarius *Caroli Guntheri*, Comitis *Schwartzenburgici*, ejusque deinceps agnatorum Comitum *Guntheri* & *Antonii Henrici*, A. 1633. Ducum *Vinarienſium* Conſiliarius, & A. 1641. *Erneſti*, Ducis *Saxon. Vinarienſis* Cancellarius conſtitutus eſt. *Cancellarius Vinarienſis.*

Nobilis & Comes Palatinus. A. 1646. Ab incendio *Gothano* damnum grave, Bibliothecæ ſuæ præſertim, paſſus, paulò pòſt ab Imp. *Ferdinando III.* cui Comment. in Pandectas Juris Civilis dedicaverat, Nobilitate & Comitis *Palat.* dignitate donatus eſt.

Moritur hydrope. Hydrope tandem extinctus, exſpiravit 15. Januarii A.C. 1659. ætatis 65.

* *Ex Concione funebri Andr. Gnugii, Diaconi Gothani.*

Scripta. Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Comment. in Pandectas. in 4to.
Comment. in Legem Gallus.
Reſolutiones variæ. in 4to.
Exercitationes Juridicæ, in quibus 140. eruuntur & diſcutiuntur. in 8vo.
Controverſiæ ex Principiis Juris.
De Laudemiis. in 4to.
Super Inſtitutiones Comment. in 4to.
De Majeſtate in genere. in 4to.
Notæ in Wegneri Tractatum de verborum & rerum ſignificatione. in 8vo.
Reſolutio de Liberis & Poſthumis hæredibus inſtituendis. in 8vo.
De Evictione & duplæ Stipulatione. in 4to.

Obiit A.C. 1659.

HENRICUS VOLCKMARUS.

Natales debuit *Lipſiæ, Miſniæ* umbilico, ſtudiorum Matri, quæ gremio ſuo hunc alumnum 4. Nov. A.C. 1620. in lucem editum ſuſcepit & fovit. Parentem habuit D. *Henricum Volckmarum*, J.C. Conſiſtorii & Scabinatûs Electoralis *Lipſiæ* Aſſeſſorem reſpectivè Directorem, Dicaſterii Provincialis Advocatum, & Reipublicæ patriæ Proconſulem, de ſingulis Collegiis benemeritum. *Filius & Nepos J.C.*

Avus ejus paternus fuit Dom. *Gregorius Volcmarus*, Reipublicæ patriæ Senator & Mercator, Proavus Dom. *Nicolaus Volcmarus*, Reip. *Lipſ.* Conſul, & Scabinatûs Electoralis Aſſeſſor.

Matrem habuit *Annam Salomen*, Dom. *Ludov. Wilhelmi Moſeri*, in *Ganâ*, hæreditarii Elect. *Sax.* Conſiliarii & Secretarii intimi filiam: cujus *Moſeri* pater *Jacobus* Comitum *Oettingenſium* Conſiliarius & Cancellarius fuit.

Præceptores domeſtici. Puero felicis ingenii fundamentum in ſtudiis ſubſtravit *Chriſtianus Horlemannus*, Scholæ *Lipſienſis Thomanæ* Collega tertius, cui ſuperſtruxerunt alii, *Anton.* Kirchhoff/ S. Theol. Licent. Philoſ. Facult. Aſſeſſor, Scholæ *Thomanæ* Rector, & mor. Profeſſor publicus, *Gotfridus Slutterus*, S. Theol. Licent. Philoſ. Fac. Aſſeſſor, Organi *Ariſt.* Profeſſor, & in Collegiis privatis *Hieron. Cronmayer*, Theol. D. Prof. Canonicus *Cizenſis*, alumnorum Electoralium Ephorus, & Collegii Principum Collegiatus, ut & Dom. *Johannes Ittigius*, Med. D. Phyſ. Profeſſor publ. Facultatis Philoſophicæ Aſſeſſor, & Academiæ Decemvir.

Jurium ſtudioſus. Hâc inſtructus clave ad adyta Jurisprudentiæ aditum quæſivit, informatione rurſus uſus *D. Auguſti Carpzovii*, Jur. Prof. poſteà Conſil. & Cancell. *Coburgo-Sax. D. Davidis Lindneri*, Prof. Publ. & Acad. Syndici, quos ſuper Inſtitutiones Juris audivit, *D. Polycarpi Wirthii*, ſub cujus manuductione *Treutlerum* auſcultando à capite ad calcem percurrit, *D. Quirini Schacheri*, Prof. publ. judicii Appellationum, quod *Dresdæ* eſt, & Conſiſtorii Eccleſ. Aſſeſſoris, Fac. Juridicæ ſenioris, ſub cujus informatione Collegium de Actionibus habuit. Ad pedes etiam Dnn. Profeſſorum *D. Sigismundi Finckelthuſii*, Fac. Jur. Ordinarii, & Conſulis Urbici, *D. Samuelis Mosbachii*, Prof. publ. nec non prædicti *D. David. Lindneri*, cum publicè prælegerent, ſedit.

Publicè de Expenſis diſputavit. Sub præſidio inſuper *D. Johannis Borni*, affinis ſui, An. 1642. Diſputationem de Expenſis publicè cum laude habuit. Conſenſu deinceps Dom. Parentis circà nundinas vernas *Norimbergâ* & *Auguſtâ Vindelic. Baſileam* contendit, ubi ab ore J.C. *D. Remigii Feſchii* publicè privatimque pependit. *Baſileæ ſtud.*

& Argentinæ. Ex eo *Argentoratum* ſe contulit, ſuæque eruditioni *D. Joh. Chriſtop. Marci* Cancellarium, poſteà *Sax.* & Scabinatûs *Lipſ.* Aſſeſſorem, & *D. Tabor* Prof. publ. in Collegiis privatis incrementa quæſivit.

Peregrinationes ejus. Exindè flumine ſecundo *Coloniam Agrippinam* de conſilio Dom. Parentis ſe contulit, locis intermediis, *Spirâ, Wormatiâ, Francofurto, Moguntiâ, Confluentiâ* luſtratis.

Poſtquàm *Coloniæ* ſeptimanas aliquot dediſſet, *Veſaliam, Ultrajectum, Amſtelodamum, Lugdunum Bat. Roterodamum, Hagam Comitum* perrexit, & apud viros doctos alloquio & converſatione favoris vadum tentavit: indè per *Groningam, Hamburgum*, & *Wittenbergam*, ubi per aliquot ſeptimanas ſubſtitit, anno 1644. finiente ſalvus & incolumis patriam repetiit.

Brevi pòſt ſub præſidio *D. Benedicti Carpzovii*, Facultatis Juridicæ Ordinarii Diſputationem

tationem de non provocando à domo *Saxonicâ* cum laude habuit.

Huic etiam Præceptori ſuo adhæſit, donec nomen ſuum apud Facult. Juridicam profeſſus, lectione & examine pro primo gradu præmiſſo, Baccalaureatum in Jure, mox an. 1648. menſ. Majo Licentiam, & Oct. Doctoratum applauſu Præceptorum & Cognatorum fuit conſecutus.

Jur. Baccalaureus, Licentiatus & Doctor Juris.

Exiguâ temporis intercapedine interjectâ, Sereniſſ. Elector. *Sax. D. Bened. Carpzovii* ordinarii in Profeſſione Subſtitutum confirmavit: cumque *D. Polycarpus Wirthius* A. 1654. obiiſſet, locum in Facult. Juridicâ, & anno ſeq. Profeſſionem tituli de Verborum ſignificatione impetravit, quam ſpartam publicè privatimque ornavit.

Subſtitutus D. Bened. Carpzovii, Juris Profeſſor.

A. 1645. Sponſalia celebravit cum virgine *Margarethâ*, Dn. *Godofredi Groſſi*, Senatoris & Bibliopolæ *Lipſ.* filiâ, cum hâc ultrà duodecennium ſuaviter jugum traxit, unius filii *Henrici*, & trium filiarum *Annæ Salomes*, *Margarethæ* & *Sophiæ Eliſabethæ* parens factus.

Conjugium ejus & Liberi.

An. 1659. Ad ſecunda vota tranſiit fide conjugali datâ virgini *Eliſabethæ*, *Thomæ Lebzelteri*, Senatoris & Mercatoris *Lipſ.* filiæ, quam 11. tantùm diebus conjugem reliquit viduam. Multis enim ab annis cum fuiſſet cachecticus, arthritidi & calculo obnoxius, accedentibus tandem convulſionibus, aliisque ſymptomatibus animam Creatori reddidit 25. Febr. A. C. 1650. ætat. 39.

Obitus.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Lipſ. & ex Conc. fun. D. Mart. Geyeri.*

Obiit A. C. 1659.

GEORGIUS IM HOFF.

NOrimbergæ, ex antiquâ Patritiorum familiâ, natus, ex *Reginâ Reblingeriâ*, Patritiâ *Auguſtanâ* 27. April. A. C. 1601. Parentem habuit, Avum, & Proavum *Andreas im Hoff*, Reip. *Nor.* Senatores & Duumviros meritiſſimos.

Anno æt. 7. informationi privatæ M. *Georgii Kleinii*, Diaconi ad S. *Mariam*, & A. 1611. M. *Johannis Kreuſelmanni*, Diaconi Xenodochialis manuductioni ac diſciplinæ commiſſus, Latinitatis & humaniorum fundamenta poſuit.

A. 1617. Unà cum ſtudiorum morumque directore, *Johanne Geelfuſio*, *Tubingam*, Ducatûs *Würtenbergici* Univerſitatem, acceſſit, in quâ triennium commoratus, *Diſputationem* publicam de *Compendio Politices*, aliamque Juridicam, ſub celeberrimi J. C. *Beſoldi* præſidio publicè defendit: Cum biennium ſubſequens *Argentorati* & *Baſilëæ* exegiſſet, *Genevam* & *Lugdunum Gallorum* tandem acceſſit.

Studioſus Tubingæ.

Argentor. & Baſiliæ.

Eo verò tempore ſeditione gravi contrà Evangelii Confeſſores exortâ, Comite itineris agnato *Paulo im Hoff*, per *Lombardiam Venetias*, nec multò pòſt *Florentiam* profectus, apud *Matthæum Tornaquintum* aliquo tempore ſubſtitit.

A. C. 1623. In Academiâ *Senenſi* febre petechiali graviter laboravit. A. 1625. Jubilæi Pontificii gratiâ *Romam* conceſſit, in aulâ *Mauritii* Cardinalis *Sabaudiæ* aliquandiu commoratus.

Romæ Jubilæum vidit.

Indè *Neapolim* versùs excurrens, per *Loretum* & *Anconam Venetias* rediit, & *Norimbergam* tandem an. 1626. reverſus eſt.

In patriâ deſponſatus eſt an. 1630. cum virgine nobili *Sibyllâ Catharinâ*, Dom. *Caroli Pfintzingii* ab *Henfenfeld*, &c. filiâ, ex quâ filios ſuperſtites reliquit *Georgium*, & *Georgium Andream*; filiasque, *Reginam Claram*, *Joh. Hieron. im Hoff*, Judicii aſſeſſori, tandemque ſuburbii *Wördenſis* Præfecto nuptam, & *Annam Catharinam*, Dom. *Georg. Sigismundo Fürero*, Senatori & Scholarchæ primario deſponſatam.

Conjugium ejus, & Liberi.

A. 1631. Senator electus, an. 1640. Scholarcha, & an. 1648. Septemvir, & Templorum Præfectus factus eſt, & tandem Duumvir an. 1658. In Academiâ *Altorfinâ* memoriam ſui reliquit immortalem Theatri Anatomici erectione, Bibliothecæ augmentatione, & horti Medici in ſtatum meliorem reductione.

Senator. Scholarcha. Duumvir.

Variis tandem morbis ex ſtomachi debilitate, cum vomitibus ferè aſſiduis confectus, viribus corporis ſenſim deficientibus in Chriſto exſpiravit 15. Martii A. C. 1659. ætatis 58.

Moritur.

M. *Joh. Gundermann*, Senior ad S. *Ægid.* hoc ei fecit Epitaphium:

Hier Ligt Herr Görg IM Hoff begraben.
O! SChaD fVr ſeine hohe Gaben.

Obiit A. C. 1659.

GOTTFRIDUS SUEVUS.

QUalis vir fuerit, ſequens exhibet monumentum:

Epitaphium.

HIC SITUM EST, ET IN SPEM GLORIOSÆ RESURRECTIONIS DEPOSITUM, QUICQUID CADUCUM ET MORTALE HABUIT GOTTFRIDUS SUEVUS, LEORINUS SILESIUS J. C. ET COD. P. P. ELECTORALIS CURIÆ SCABINATUS ET FACULT. JURID. ITEM JUD. ECCLESIASTICI, QUOD HIC EST, NEC NON PROVINCIALIS IN INFERIORI LUSATIA ADSESSOR, VIR POLITIORI LITTERATURÂ ET SOLIDA ERUDITIONE PRÆDITUS, INGENIOSA JUDICII ALACRITATE INSTRUCTUS, SPECTABILIQUE RERUM AGENDARUM PERITIA CLARISSIMUS, HIC SUÆ FORTUNÆ FABER, IN PRINCIPEM LOCUM PROPRIA VIRTUTE ADSPIRAVIT, DIGNUS, QUI OMNIBUS ACADEMICIS HONORIBUS PERFUNGERETUR. IN SINGULIS OFFICIIS, MUNIISQUE INGENTI CUM LAUDE INDUSTRIÆ, FIDEI DEXTERITATIS VERSATUS, DEO PIETATEM, ÆQUITATEM PROXIMO, SIBI INTEGRITATEM CONSCIENTIÆ APPROBAVIT. INUSITATA VITÆ INNOCENTIA, MORUMQUE SUPRA CAPTUM SECULI PROBITAS ADMIRABILEM CANDOR, MODESTIA, PACIS STUDIUM OMNIBUS CARUM ET ÆSTIMATUM, PERTINAX LABOR

LABOR DE ACADEMIA ET STUDIIS SACRATISSIMARUM LEGUM MERITISSIMUM FECERUNT. QUID IGITUR MIRUM, SI CUM LUCTU ET DESIDERIO BONORUM OMNIUM MORTALITATI EREPTUS SIT. NATUS EST LEOBERGÆ SILESIORUM D. XIII. DEC. M.DC.XV. DIEM SUUM OBIIT WITTEBERGÆ D. XXIX. MART. M.DC.LIX. ÆTERNÆ MEMORIÆ PATRIS INCOMPARABILIS, PIISSIMI ET IN EXEMPLUM BENE MERENTISSIMI LIBERI EX INTIMO PIETATIS AFFECTU LUGENTES, ET PERPETUO MOERORE CONFUSI.

H. M. P. C.

* *Ex Inſcriptionibus Witteberg. Andreæ Sennerti.*

Obiit A.C. 1659.

ERASMUS UNGEPAUR.

Mundum ingreſſus eſt 2. Febr. An. C. 1582. nactus ſolum natale *Numburgum Miſniæ* urbem; Patrem verò *Matthæum Ungepaur*, civem ibidem & lanium, Matrem verò *Walburgim Zimmermanniam, Regiomonte*, novæ Marchiæ *Brandeburgenſis* Urbe, oriundam. *Ejus Parentes.*

Patre infantulus nec dum ſemeſtris orbatus, poſtquàm in Scholâ patriâ Linguarum Latinæ ac Græcæ artiumque humaniorum fundamenta poſuiſſet, an. æt. 16. in Academiam *Jenenſem*, & biennio pòſt *Wittenbergenſem*, indè triennio exacto rurſus *Jenam* commigravit.

Studia vero ſua ſolâ matre, absque ſtipendii alicujus auxilio, ſumtûs præbente, adeò urſit alacriter, ut ſummâ cum laude Honores Doctorales in utroque Jure 17. Febr. an. 1612. *D. Dominico Arumæo*, Decano & Promotore *D. Virgilio Pingizero* reportaverit. *Doctor Juris Jenæ.*

Menſ. Oct. A. 1614. Ipſi à 4. Scholarchis Reipublicæ *Norimbergenſis* vocato, cum Profeſſio Juris Feudalis in Academiâ *Altorfinâ* commendata fuiſſet, *Altorfium* cum ſuis menſ. Dec. cum priùs *Jenæ* Diſputationem valedictoriam habuiſſet, ſe movit, & Profeſſoris laborem alacriter aggreſſus eſt. *Juris Profeſſor Altorfii.*

Poſt biennium An. 1616. cum defuncto *D. Scipioni Gentili* Profeſſori Codicis *D. Andreas Dinnerus* ſucceſſor daretur, D. *Ungepaur* huic, etſi ultimus in J.C.torum ordine eſſet, præterito Inſtitutionum Profeſſore in Profeſſione Pandectarum ſubrogatus, & paulò pòſt in Conſiliariorum quoque Ordinem ab inclyto Senatu *Norico*, ſalario conſtituto, adſcitus eſt. *Conſiliarius Norimbergenſis.*

Utrique huic muneri cum laude ad annos 18. præfuit, quos inter A. 1621. Rectoratum Academicum per annum geſſit: Decanatûs etiam officio aliquoties functus eſt.

Poſteà *D. Andreâ Dinnero* 24. Nov. An. 1633. ex hâc vitâ erepto, 7. Maji anni ſeq. Codicis Profeſſio ipſi fuit commiſſa.

Cum verò nunc belli funeſti flamma in Imperio *Rom.* ferveret, & cumprimis *Noricum* diſtrictum annonæ caritas premeret, in *Salanâ* verò A. 1635. per *D. Valentini Riemeri* 21. April. die exceſſum in facultate Jur. locus vacaret, præviâ humili officiorum oblatione, à Sereniſſ. *Sax.* Ducibus utriusque lineæ iſtum tum quoad Profeſſionem Jur. tum quoad Aſſeſſuram in Curiâ Provinciali *Saxonicâ*, & in Scabinatu impetravit.

Indè à Senatu *Norimberg.* petitâ, & quamvis ægrè obtentâ dimiſſione, ab eodemque dono præclaro viaticatus, 23. Nov. A. 1635. in Academiam *Jenenſem* profectus, 26. ſeq. in Profeſſorum Jur. numerum receptus, 12. Dec. Diſputationem de Jure naturali pro loco habuit. *Juris Profeſſor Jenenſis.*

21. Dec. In Facult. Juridicam & Scabinatum, & 22. Martii an. ſeq. 1636. in Curiæ Provincialis Aſſeſſorum Ordinem, loco ipſi poſt facultatis Seniorem *D. Petrum Theodoricum* tributo, receptus eſt. *& Curiæ Provinc. Aſſeſſor.*

Succeſſu temporis, poſtquàm *D. Dominico Arumæo* an. 1637. extincto, in Ordinatu *D. Petrus Theodoricus* ſuccederet, ipſe huic in Senioratu, huicq; eidem poſt ejus an. 1640. obitum in Ordinariatu ſuffectus, 25. Junii an. 1641. ſolenniter, & unà Profeſſor atque Aſſeſſor primarius introductus eſt. Binâ vice intereà Rectoratûs Academici, annis nimirum 1640. & 1652. Decanatûs verò plurimâ functus eſt.

In Conjugio vixit gemino. Prior conjunx fuit *Gertrudis, Adami Liſtemanni*, J.C. Facult. Juridicæ & Scabinatûs *Jenenſis* Actuarii filia, quam virginem an. 1612. eo ipſo die, quo Doctoris honoribus ornabatur, copulandam ſibi curavit. Cum hâc in tranquillo & mutui amoris pleno conjugio ad annum usque 1640. quo 4. Dec. ab ejus latere mortis violentiâ fuit abrepta, vixit, parens ex ipsâ factus 4. liberorum, quatuor quidem filiorum, qui omnes ipſius obitum anticipârunt, 10. verò filiarum, quarum etiam 5. innuptæ, & una *Helena Blandina*, *D. Erneſto Friderico Schrötero*, Juris Prof. & Conſil. *Saxonico* locata, parentem ad beatæ vitæ tabernacula præiverunt; 4. verò Patri ſuperſtites vixerunt, quarum una *Clara* in *D. Johannis Strauchii*, Juris Profeſſoris & Conſil. *Sax.* una *Margaretha Catharina* in Dom. *Joh. Lucæ Gruberi*, Poligrammatei *Stolbergenſis*, & una in *Philippi Hirſchii*, Judicii Senatorii actuarii conjugio vixerunt. *Conjugium ejus duplex.*

Altera ipſius uxor fuit *Anna Sophia, Joh. Chriſtoph. Cumnerii*, Academiæ Secretarii, & Scabinatûs Facultatisque Juridicæ Actuarii 25. Julii an. 1641. defuncti vidua, M. *Georgii Mylii, Hertzbergenſis* Reip. Syndici filia, & magni illius Theologi *D. Georgi Mylii* ex filio Neptis, quam poſt viduatum ſexennem 2. Nov. an. 1646. ſibi nuptam domum duxit. Ex hâc itidem duos ſuſcepit filios, quorum poſterior *Chriſtianus* 7. tantùm ſeptimanarum infans 17. Nov. A. 1652. denatus, prior *Chriſtoph. Eraſmus* Patri ſuperſtes manſit.

Cum verò ſenex per virium imbecillitatem aliquot annis in publicum prodire prohiberetur, domi tamen Lectiones ſuas ordinarias aſſiduè continuavit, usque dum *Senex domi Lectiones habuit.*

Hhhhhh per

per menſem vitæ ultimum lecto cogeretur decumbere. Tunc domui ſuæ diſpoſuit, & curâ terrenarum rerum abjectâ cum Theologis eum ſæpius inviſentibus M. *Adriano Bejero*, Diacono, & *D. Chriſtiano Chemnitio*, Superattendente, non niſi de Chriſto ſuo Redemtore & vitâ æternâ, quam anhelabat, contulit. Tandem inter ſuorum preces placidè obdormiſcens, ſenex & ſatur dierum mortuus eſt die 23. April. A.C. 1659. ætatis 78. *Jenæ*.

Moritur ſatur dierum.

* *Ex Intimatione Caſp. Poſneri, Phyſ. Prof. & Rectoris, & ex Concione fun. D. Chriſtiani Chemnitii, Theol. Prof.*

Edidit:

Scripta. *Exercitia Juſtinianéa, ſive Diſputationes XVI. ad Libros IV. Inſtitutionum.*

M. *Adrian. Beyr*, Theol. *Jenenſis*, in Nomenclatore ſuo Profeſſorum *Jenenſium*, hoc ei appoſuit Epigramma:

Epigramma.

Eraſmus ſummos fert Ungepauer honores
Jenæ, aſt Altorfi munia prima capit.
Jam modò Juridici Collegi Antiſtes amatur,
Æquè diſtribuens unicuique ſuum.

JOHANNES GELCHSHEIMERUS.

Obiit A.C. 1659.

Kitzingæ natus eſt 12. Jan. An. C. 1604. Patre *Jacobo*, Mercatore, Matre *Marthâ Eckſteiniâ*.

Stud. Juris Altorfii.

Literis humanioribus in Scholâ patriâ imbutus, an. 1621. Academiam *Altorfinam* acceſſit, & ſtudio Juridico deditus, an. 1624. de querelâ inofficioſi Teſtamenti publicè diſputavit.

A. 1626. *Baſiléam* & *Genevam* concedens, exindè *Galliam*, ejusque Academias celebres, *Bituricenſem*, *Aurelianenſem*, *Pariſienſem*, & alias perluſtravit. A. 1627. Per *Campaniam* & *Lotharingiam Argentoratum*, & exindè *Kittingam* reverſus, menſ. Jul. an. 1628. *Baſiléam* reverſus, Facultati Juridicæ nomen dedit, & prægreſſo tentamine cum examine rigoroſo, de Succeſſionibus ab Inteſtato pro Doctoratu publicè diſputavit, 2. Octob. ſeq. in Auditorio conſueto Doctor Juris Civilis & Canonici publicè creatus & proclamatus eſt.

Doctor Juris Baſileæ.

Mox in patriam reverſus, parentum conſenſu 29. Junii an. 1629. nuptias celebravit cum virgine *Margarethâ*, *Nicolai Umbreri*, Quæſtoris in Kleinlangheimb filiâ.

Nubit.

Praxin deindè Juridicam exercuit, usque ad A.C. 1631. quo cum glorioſus *Suec.* Rex *Guſtav. Adolphus* Ducatum *Franciæ Orient.* jure belli occupâſſet, inter regiminis illius Conſiliarios receptus eſt, & A. 1633. *Herbipoli* gubernator factus.

Conſiliarius Francon. Suec.

A. 1634. Poſt pugnam *Nordlingenſem Suinfurtum* ſe recipere, relictâ Bibliothecâ cum aliis nobilibus, coactus, & pecuniâ ſe redimere, *Mœno-Bernhemium* Pathmum ſibi delegit, & Praxi operam dedit, usque ad an. 1642. quo vocante Senatu *Winsheimenſi* oppidi illius Advocatus, deinceps verò Comitum vicinorum *Löwenſteinenſium*, *Schwartzenberg.* & *Hoënloicorum*, multorumque *Franconiæ* Conſiliarius declaratus, intereà 18. Principum Conventibus Comitum ſuorum nomine interfuit.

Conſiliarius Winsheim. & Comitum aliquot.

Cum verò ab annis aliquot affectu lienterico & nephritico laborâſſet, & ultimo vitæ octiduo alvum habuiſſet obſtructam, accedente catarrho ſuffocativo, placidè extinctus eſt 3. Maji A.C. 1659. æt. 55.

Moritur.

* *Ex Concione funebri Joh. Modelii, Concionat. Winsheim.*

JOHANNES KREISELMANN.

Obiit A.C. 1659.

Norimbergæ natus eſt 12. Febr. An. C. 1611. Patre cognomine, Diacono Eccleſiæ ad S. *Sebaldum*, & Concionatore in Templo *Auguſtiniano*, Matre *Annâ Knopfiâ*.

A. C. 1625. ætatis 14. in Univerſitatem *Altorfinam* miſſus, literis & artibus humanioribus ſedulus operam dedit, usque ad an. 1636. quo *Helmſtadium* ſe conferens, ſtudio Juridico incubuit, ibique 4. Aug. An. 1638. ſub præſidio *D. Joh. Thomæ Cludii*, Profeſſ. ord. & Senioris in Facult. Juridicâ Diſputationem publicam de re judicatâ defendit.

Altorfii ſtud. *Helmſtadii Jur. Diſputat. habuit.*

Indè reverſus in patriam, poſtquàm *Altorfii* pro Gradu publicè diſputâſſet de Subſtitutionibus, prægreſſisque Tentamine & Examine rigoroſo, in Doctorem Juris Civilis & Canonici cum laude & honore promotus eſt 17. Maji A.C. 1641. *Norimbergæ* Advocatum deindè Advocatum egit usque ad an. 1651. quo *Oettingam* vocatus, & inter Comitum Conſiliarios & Advocatos cooptatus, variis expeditionibus gravibus operam ſuam impendit Comiti *Oetting. Joachimo Erneſto* chariſſimus.

Jur. Doctor Altorfii. *Advocatus Norimbergæ.* *Conſiliarius Comitis Oetting.*

A. 1657. à Senatu *Rotenburgenſi* vocatus, Advocatum & Conſiliarium ibi ad finem vitæ cum honore egit.

Conſiliarius Rotenburg.

A. 1646. *Norimbergæ* nuptias celebravit cum virgine *Reginâ Sophiâ*, *Lucæ Pfaudii*, Mercatoris primarii filiâ, ex quâ 3. filios & 2. filias ſuperſtites reliquit.

Deſponſat.

Tandem hypochondriacâ ab 11. ſeptimanis decumbens, accedente febre hecticâ placidè in Chriſto exſpiravit 12. Maji A.C. 1659. ætatis 48.

Moritur.

Joh. Georg. Hartmann, Poëta Laur. & Paſtor ad Spir. S. hoc ei ſcripſit *Epicedium:*

JOAN CREISELMAN.

Per anagramma:

En meliora canis!

Triſtis erat tua vox, ut mors te ſæva vocârat,
Certandum, dixti, mi DEUS, hoſtis adeſt!
En meliora canis, vici, ſumq; Accola Chriſti,
Incola ſumq; poli! nunc meliora canis.

* *Ex Concione funebri M. Georgii Nagelii.*

SEBASTIANUS BEER.

Obiit A.C. 1659.

Lauffæ, ditionis *Norimberg.* oppido, 19. Junii, An. C. 1609. natus eſt, Patre *Johanne*, oppidi illius Conſule, Matre *Annâ Engelhartiâ*. An. ætat. 9. in Scholam

Hers-

Herſprucc. vicinam à parentibus miſſus, ſexennium ibi ſub diſciplinâ *Joach. Boni*, Rectoris, exegit.

Sultzbaci in Gymnaſio ſtud.

A. 1624. Exindè Gymnaſium *Sulzbacenſe* paulò antè à Principe *Palatino Auguſto* fundatum acceſſit, *Johannis Brunonis*, Archidiaconi ibidem, informatione fideli uſus usque ad 8. Nov. an. 1627. quo fidei reformatione *Sulsbaci* à Pontificiis factâ, in Univerſitatem *Altorfinam* ſe contulit.

Altorfii Jura ſtudet.

Ibi cum per annum Philoſophiæ Morali dediſſet operam, mox ad ſtudium Juris animum applicuit, cumque per anni dimidii ſpatium Inſtitutiones Juris cum Comment. *Borcholti*, J.C. celebris memoriâ comprehendiſſet, brevi pòſt ſub Dom. *Wilhelmo Ludwellio*, Jur. tunc adhuc Candidato Diſputationibus easdem declarante, de Tutelis & Contractibus diſputans, Reſpondentis vices ſuſtinuit.

Cum verò 11. Maji A. 1629. Patrem morte ſublatum amiſiſſet, in ſtudio tamen Juridico ſedulus perrexit, & finito Collegio *Ludwelliano* Diſputationem de materiâ difficili Vulgaris Subſtitutionis proprio Marte elaboratam Valedictoriæ loco ſub præſidio *D. Ægidii Agricolæ*, Profeſſ. Publ. 19. Mart. an. 1630. publicè defendit.

Jenæ Collegio Jur. privato nomen dat.

Die ſeq. *Altorfio Jenam* diſceſſit, ubi cum per menſes aliquot privatim ſtudia ſua excoluiſſet, *D. Valentino Riemero* Collegium Diſputatorium privatum ſuper ſecundam partem Diſputationum *Treutleri* inſtituenti nomen dedit, ſub ejusque præſidio materias Pignorum, Legatorum, & beneficiorum Creditorum reſpondendo cum laude propugnavit.

Hoc Collegio ſub exitum April. an. 1631. finito, ſub eodem *D. Riemero* Paratitla *Weſenbecii* 32. Diſputationibus comprehendente, materias Conditionum & Succeſſuum ab inteſtato pro viribus defendit.

Cum Decades Quæſtionum illuſtrium *D. Riemeri* typis fuiſſent emiſſæ, ſub ejusdem præſidio Decadem nonam de Obligationibus iterum publicè defendit. Intereà Matre quoque ipſius mortuâ, domum revocatus à Curatoribus, in Academiam *Altorfinam* reverſus, ibidem 12. Martii an. 1633. Diſputationem de Arbitris, ſub præſidio *D. Eraſmi Ungepaur*, publicè cum laude habuit: *Jenam* deindè regreſſus, cum ibi à Decano Facult. Jur. *Ortolfo Fomanno* Licentiam Collegia habendi impetrâſſet, mox Juris Cultoribus animum ſuum Programmate publico aperuit, propoſitum eſſe ſibi nucleum inſigniorum Controverſiarum circà ſingulos Inſti-

Jenæ Collegium Jur. privatum aperuit.

tutionum Paragraphos incidentium 18. Diſputationibus privatim declarare, cumque mox magna ſtudioſorum frequentia conveniſſet, 17. Julii an. 1633. diſputandi fecit initium, idque Collegium 14. Januarii an. 1634. fideliter ad finem perduxit.

Tunc conditionem tres nobiles, *Davidem* à *Raſchau*, *Liebmannum*, & *Chriſtianum* à *Menbach*, in moribus & ſtudiis informandi, à *D. Joh. Himmelio*, Theol. & *Guernero* *Rolfinckio*, Med. ſibi oblatam ſuſcepit, & nihilominus Diſſertationes *Juſtinianéas Sutbolti* privatis Diſputationibus transcurrere ſuſcepit ob *Lipſienſe* verò iter cum ſibi concreditis Nobilibus injunctum abſolvere nequivit. Sed vitæ Academicæ pertæſus, an. 1636. dimiſſione impetratâ iterum ad Academiam *Altorfinam* converſus, ibi prægreſſo Tentamine, Examine rigoroſo & Diſputatione inaugurali ſine præſidio habitâ, 11. Octob. ſolenniter per *D. Ægid. Agricolam* Juris utriusque Doctor creatus eſt.

Juris Doctor Altdorfii.

7. Sept. an. 1637. In Acad. *Jenenſi*, poſt obitum *D. Arumæi*, vocantibus eum Ducibus *Sax. Altenburgicis* & *Vinarienſibus*, Advocatus ordinarius Judicii Aulici *Jenenſis* conſtitutus, nec multò pòſt ſub finem hujus anni Syndicatum Urbis *Magdeburgenſis* nihil minùs expectans ſibi oblatum ſuſcepit, eâ tamen conditione, ut Collegia *Jenæ* cœpta lectoria & Diſputatoria priùs ad finem perducere liceret ſibi: quo facto 20. Jan. anni 1638. cum familiâ *Magdeburgum* veniens, Syndicus Archiepiſcopalis ejus Urbis ſolenniter introductus, pro more juramentum præſtitit. Sed nec hìc diu ſubſiſtere potuit, vocatus enim *Altenburgum* à Duce *Saxoniæ*, *Johanne Philippo*, 23. Octob. inter Conſiliarios aulicos receptus, & 1. Nov. ſeq. ad Comitia *Lipſiæ* celebrata, unà cum *Joh.* à *Quingenberg* Conſiliario Cameræ ablegatus eſt. 24. Dec. *Iſenacum* unà cum *Georgio* à *Freywald* miſſus abivit, ut funeri *Joh. Erneſti*, Senioris Ducis *Sax.* 2. Jan. an. 1639. intereſſet.

Advocatus Judicii aulici Jenenſis.

Syndicus Magdeburg.

Conſiliarius aul. Altenburg.

Cum verò Dux *Sax. Altenburg. Joh. Philippus*, 1. April. an. 1639. obiiſſet, ſucceſſor ejus Dux *Fridericus Wilhelmus D. Beerium* cum aliis Conſiliariis, poſtquàm juramentum fidelitatis præſtitiſſent, omnes in officio retinuit, eumque variis itineribus eodem anno per ditiones ſuas ſuſceptis comitem ſibi voluit eſſe fidelem.

A. 1640. Expeditionibus & Commiſſionibus bellicis diverſis Principis ſui nomine adhibitus, dexteritatem ſuam in Conſiliis expediendis declaravit. 6. Junii An. 1653. Præſidis in Conſiſtorio *Altenburgico* munus ſibi à Principe ſuo delatum ſuſcipiens, mox unà cum Generali Superintend. Viſitationi generali regionis interfuit.

Præſes Conſiſtorii.

30. Sept. A. 1640. *Jenæ* nuptias celebravit cum virgine *Eliſabethâ Sophiâ*, *Joh. Gerſtenbergeri* à *Drackendorf*, *Leutenthal* & *Schwerdſtett* relictâ filiâ, ex quâ 3. filios & 5. filias ſuſcepit, ſed præter 3. filias unicum tantùm filiolum *Benjaminum Liebmannum* reliquit ſuperſtitem, qui tamen, cum 10. tantùm ſeptimanas in hoc mundo vixiſſet, mortuus Dom. Patrem ſecutus eſt.

Nuptias celebrat.

Cum à 15. annis podagricis & nephriticis doloribus ex hæreditate contractis ſæpiùs fuiſſet afflictus, acceſſit tandem gravis iſchuria, cum totali ſæpiùs ad 7. usque diem affligente urinæ ſuppreſſione, vomitibus gravibus, aliisque ſymptomatibus, undè viribus

Moritur urinæ ſuppreſ.

conſumtis placidè tandem exſpiravit 30. Oct. A. 1659. æt. 51.

* *Ex Concione fun. D. Joh. Chriſtfriedi Sagittarii, Gener. Superintend. Altenburg.*

Clar. A. C. 1660.

GEORGIUS ADAMUS STRUVIUS.

Filius Juriſconſulti.

M*Agdeburgo-Saxo* natus 17. Sept. A. C. 1619. Patre *Bertholdo Struvio*, U. Jur. Cand. & Judicio Archiepiſcopali, quod *Magdeburgi* eſt, Præfecto, 5 *Febr.* an. 1650. defuncto: Matre verò *Annâ Margarethâ*, ex *Brunnerorum* & *Fomannorum* familiâ, J. C.torum feraciſſimâ oriundâ.

Scabinus Halæ Sax.

Promotus J. U. Doctor *Helmſtadii* A. 1646. *Halâ Sax.* è Scabinatu, ad quem *Auguſtus*, Dux *Sax.* Archiepiſcopatus *Magdeburg.* Adminiſtrator A. 1645. ipſum evexerat, *Jenam* A. 1646. venit ad Profeſſionem Juridicam, in Facult. Juridicæ gremium receptus, Diſp. de Ædificiorum privatorum Juribus 12. Dec. pro loco habitâ.

Jur. Profeſſor Jenæ.

In ejus toro vixit *Anna Maria*, *D. Philippi Chriſtophori Richteri*, J. C. & in *Salanâ* Fac. Jurid. Senioris filia, & hæres unica.

Symbolo uſus eſt ſeq.

Utinam modò noſtra redirent
In mores tempora priſcos.

* *Ex Nomenclatore Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc *Epigramma* appoſuit:

Doctrinis, Jovâ ſic dante, Georgius Adam
Struvius Helmſtadi digna brabeja capit.
Sed deſignatus Profeſſor ſidere fauſto
Salanæ noſtræ docta Lycæa petit.

Clar. A. C. 1660.

FRANCISCUS JUNIUS.

NAtus eſt *Embdæ*, 24. Sept. A. 1624. Pater ei fuit *Joh. Caſimirus Junius*, *Franciſci* Theologi filius, qui primùm Theologiæ operam dedit, ut patet ex libro, quem *Belgico* idiomate ſcripſit ad defenſionem Orationis *D. Dudlei Carleton* ab *Angliæ* Rege *Jacobo* ad Synodum *Dordracenam* miſſi contrà *Remonſtrantis Taurini* ſcriptum *Belgicum*, quo is prædictam Orationem refutare ſatagebat: ſed mortuo patre *Franciſco* induxit eum avunculus *Johannes à Kompul*, cohortis militaris Capitaneus, & arci olim *Gröninganæ* Præfectus, ut militiam ſequeretur, ac lectus mox fuit in cohortis vicarium: ſed paulò poſtquàm vidiſſet hanc lucem hic ejus filiolus, denatus eſt *Gertrudisbergæ*, ac indè *Leidam*, delatus, & in paterno Sepulchro ad *D. Petrum* humatus eſt.

Mater *Anna*, *Johannis de Thomas*, Conſulis *Embdenſis* filia, poſt obitum mariti domicilium *Embdâ Gröningam* tranſtulit, & filium hunc, ubi ad ætatem venit, Præceptoribus tradidit, qui literas docerent.

Vixit deindè per annos aliquot in ædibus *D. Gerardi Johannis Voſſii*: Ubi tulit ætas, ut ad Facultatem aliquam ſe accingeret, ſtudium Juris elegit: ac dato hîc ei biennio ſub *D. Steinbergio*, Jur. Prof. *Ultrajectum* petiit, ubi *D. Anton. Matthæus*, Juris anteceſſor

Juris ſtudioſus.

primarius ei ſingulis ſeptimanis horas aliquot conceſſit, quibus hanc Legem explicandam dedit.

Indè *Leidam* petens, non diu illic ſubſtitit, à Matre & amicis revocatus, ut gradum in utroque Jure Doctoratûs ſumeret, quem contulit ei *D. Joh. Conradus Monens.*

Juris Doctor Leydæ.

Miſſus pòſt in *Gallias Pariſiis* favore *D. D. Sarravii, Puteanorum* fratrum, & *Valeſiorum*, *Genevæ* verò Syndici *D. Jacobi Gotofredi* gaviſus eſt.

Deindè inviſit *Helvetiam*, ac *Baſileæ* aliquandiu ſubſtitit. Salutatis poſtmodùm *Argentinenſibus*, in *Galliam* rediit, quam totam perluſtravit.

Facto tamen reduci Profeſſio Juris extraordinaria *Gröningæ* ab Illuſtriſs. Ordinibus delata eſt, & biennio pòſt Ordinaria, quâ cum honore defunctus eſt.

Jur. Profeſſor Ord. Gröningæ.

An. 1652. Uxorem duxit *Deboram*, *Matthiæ ab Heeck*, cohortis civicæ Centurionis, & in Camerâ rationum Provinciali Aſſeſſoris filiam, eo ipſo tempore, quo Patruus ejus *Henricus ab Heeck* Conſulatu Urbis defungebatur, & erat Curator Academiæ *Gröning.* In Senatum *Gröningenſem* cooptatus.

Senator Gröning.

* *Ex Vitis Profeſſorum Gröningenſium.*

PETRUS PORTNERUS.

Obiit A. C. 1662.

R*Atisbonæ* natus 7. Martii A. C. 1580. Patrem habuit *Joh. Albertum Portnerum*, in patriâ Senatorem, Conſiſtorii Directorem, & Hanſæ Comitem, Matrem *Magdalenam Ammaniam*, cujus Avus *Ambroſius Ammanus*, Camerarius & Conſiſtorii *Ratisbonæ* Præſes Cæſari *Carolo V.* charus fuit, & de Republ. patriâ optimè meritus eſt.

Cum in Gymnaſio patriæ poëtico ſub Præceptoribus M. *Andreâ Raſelio*, & M. *Ottone Gryphio* pietatis & bonarum artium fundamenta poſuiſſet, A. 1598. cum *Emerano Eiſenkeckio*, tunc Jurium Candidato, poſteà J. C.to celebri & Conſiliario *Ratisbonenſi* in Univerſitatem *Jenenſem* ablegatus, ſtudiis Juridicis operam dedit, docentes audiens *Nicol. Reusnerum*, *Virgilium Pingizerum*, & *Dominicum Arumæum.*

Ratisbonæ ſtudia inchoavit.

Jur. ſtud. Jenæ.

Ibidem ſub præſidio *D. Philippi Hanonii*, J. C. publicè diſputavit.

A. C. 1603. Poſt *Arumæi* in patriam *Weſtphaliam* diſceſſum, domum reverſus, anno ſeq. 1604. in Academiam *Argentinenſem* ſe contulit, ubi *D. Dionyſium Gotofredum* & *D. Georgium Obrechtum*, J. C. celeberrimos profitentes audivit, usque ad an. 1605. quo propter obitum Patris ſui domum reverti coactus eſt, ſed anno ſeq. 1608. *Argentoratum* regreſſus, exindè A. 1606. *Genevam* veniens, in *Galliam* iter ſuſcepit. A. 1609. poſt obitum novercæ ſuæ *Lutetiæ* diſcedens, per *Lotharingiam* & *Alſatiam* in patriam rediit.

Argentorati.

Ibi 25. Nov. A. 1611. Sponſalia celebravit cum *Catharinâ Praſchiâ*, natâ *Hendliniâ*, moxque inter Aſſeſſores Judicii patrii receptus, & 28. Junii An. 1613. in Senatum electus, variisque Legationibus ad comitia diverſa, & Ducem *Bavariæ* adhibitus eſt.

Conjugium ejus.

Senator Ratisbonenſis.

A. 1620.


FRANCISCUS IUNIUS
Iuris Prof. et Senat. Groning.
PETRUS PORTNERUS
Consul et Ratisponensis.
ESAIAS GUMPELZHALMER
Camerar. Ratispon.
IOHAÑES KOBIUS.
BARTHOLO MARCHTALER
Consul Ratisbonensis
FRIDERIC KÜHLEWEIN
Consiliar. Elect. Saxon
IODOC CHRIS KRESSI
Consul et Schol. Noriberg.
WILHELM LUDWELL
PAULUS MEMINGER
IOH WOLFFG VENEDIG
ADAMUS VOLKMANN
PAULUS HORNIGIUS
PHILIP ADOLPH WALTIER
GEORGI WOELKERUS
VALENTIN HEIDERUS
THEODOR REINKING
Cancellar. Regis Danus

An. 1620. Urbis Camerarius, an. 1623. Pupillorum Curator, Conſiſtorii Director, & Scholarcha, mox an. 1624. Judicii Hanſæ Director, quem Hanſæ Comitem vocant, electus eſt. *Scholarcha. Hanſa Comes.*

Poſt obitum primæ conjugis ad ſecunda vota tranſiit 5. Febr. an. 1628. cum viduâ *Suſannâ Gruberiâ*, natâ *Kerſcheriâ*, ex quâ filium *Joh. Albertum*, cum duabus filiabus reliquit. Harum natu major *Eſaiæ Gumpelzhaimero*, Senatori in patriâ, altera *Joh. Caſparo Lentzio*, Conſuli fuêre elocatæ. *Conjugium ſecundum.*

A. 1630. Cum *Ratiſpone* Templum novum ad S. Trinitatem ædificaretur, ſedulam operam adhibuit. Tres Imperatores *Ratiſbonam* ad Comitia ingreſſos, *Matthiam, Ferdinandum II. & III.* Reip. patriæ nomine excepit. *Tres Impp. excepit.*

Toto autem vitæ curſu vegetus, nec aliis morbis, præter dyſenteriam, an. 1608. in *Galliâ*, & ictericam paſſionem an. 1644. afflictus, ultimo vitæ anno variis ſymptomatibus ſenilibus laborans, placidè tandem exſpiravit 23. Febr. A.C. 1660. æt. 80. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri Eraſmi Gruberi, Concionat. Ratisbon.*

Obiit A.C. 1660.

ESAIAS GUMPELZHAIMERUS.

Ratisbonæ mundum ingreſſus eſt 31. Januarii A.C. 1604. Patre *Georgio Gumpelzhaimero*, ſeniore Eleemoſynarum in patriâ præfecto, Matre *Margarethâ Lehrbaumiâ*. Cum in patriâ literarum rudimenta didiciſſet, in Univerſitates *Argentinenſem* & *Tubingenſem* profectus, Lectionibus Juridicis ſedulam impendit operam, & aliquoties cum laude diſputavit. *Jur. ſtud. Argent. & Tubing.*

A. 1628. In *Italiam* iter ſuſcepit, & An. 1630. in patriam reverſus, biennio praxin forenſem exercuit.

An. 1633. à *Franciſco Alberto*, Duce *Sax. Lauenburgico*, inter Conſiliarios receptus, varias calamitates expertus eſt usque ad an. 1636. quo *Ratiſbonam* regreſſus, conjugium iniit cum virgine *Catharinâ*, *Petri Waiſii*, Conſulis *Lintzenſis* in *Auſtriâ* filiâ, cum quâ deſponſatus eſt 10. Jan. An. 1637. ex eâque filium cum tribus filiabus progenuit, ſed unicam duntaxat filiam *Suſannam Catharinam* in vivis reliquit ſuperſtitem, poſteà *Georg. Tobiæ Oelhaſio*, Reipubl. *Norimberg.* Conſiliario nuptam. *Conſiliarius Saxo-Lauenburg. Conjugium ejus.*

An. 1640. *Henricus Julius*, Dux *Saxoniæ Lauenburgicus*, ad tractatûs cum fratribus ſuis in *Saxoniâ* infer. ſuſceptos profectus, Comitem eum ſibi adſcivit, quâ occaſione 14. Principum diverſorum aulas acceſſit, & Magnatibus innotuit. *14. aulas Principum adiit.*

In æſtate anni ejusdem *Ratiſbonam* reverſo, Comes à *Pappenheim*, *Caſpar Gotfridus*, Imperii Mareſcallus hæreditarius in Comitiis tunc præſens Hoſpitiorum magiſtrum eum conſtituit.

Eodem tempore *Joach. Erneſtus*, Comes *Ottingenſis*, & *Fridericus Caſimirus*, Comes *Ortenburgicus*, Legatum ipſum ſibi durante Comitiorum tempore delegerunt. Hisce verò an. 1641. finitis, menſ. Octobri cum uxore *Ortenburgum* diſcedens, privatam aliquandiu vitam duxit.

Cum verò 18. Martii an. 1643. uxorem morte abreptam amiſiſſet, anno ſeq. reverſus in patriam, hoſpitioque affinis ſui *Georgii à Berg*, Senatoris, uſus, an. 1645. conjugium ſecundum iniit cum viduâ *Barbarâ Lotterinâ*, ex *Dimpfeliorum* ortâ familiâ, quæ 17. Junii an. 1647. ſine liberis obiit. *Conjugium alterum,*

13. Junii an. 1648. Tertiâ vice deſponſatus cum virgine *Suſannâ Magdalenâ*, *Petri Portneri*, Senatoris in patriâ primarii, & Hanſæ Comitis filiâ, ex eâ filium cum filiâ reliquit ſuperſtites. *& tertium.*

28. Junii ſeq. In Senatum patrium electus, & 28. Decemb. an. 1649. Camerarius Urbis factus eſt, & an. 1654. Quæſtoris munus ſuſcepit. *Senator Ratisbon. Camerarius & Quæſtor.*

Eodem anno Imp. *Ferdinandus III.* cum tunc *Ratiſbonæ* in Comitiis præſens Conſiliarium ſuum denominavit. *Conſiliarius Cæſareus.*

An. 1656. Diſpoſitione apoplecticâ cum loquelâ difficili ingruente, ſæpiùs abindè malum hypochondriacum graviter perpeſſus, tandem ſocrum Dom. *Petrum Portnerum* brevi tempore ſubſecutus, morte beatâ vitam finiit 1. Martii A.C. 1660. ætat. 56. *Moritur.*

* *Ex Concione fun. Matthæi Schmollii.*

Obiit A.C. 1660.

JOHANNES BORNIUS.

Lipſiæ natus 7. Julii A.C. 1600. Patrem habuit *Johannem Bornium*, Civem & Mercatorem primarium, Matrem *Annam*, *Bartol. Scheri*, Senatoris *Lipſ.* filiam.

Puer felicis ingenii, ſub Præceptore M. *Friderici*, Ling. Græcæ & Hiſtor. Profeſſore ac Rectore ad S. *Nicolaum*, non tantùm pietatis & linguarum fundamenta poſuit, ſed etiam Circulum Philoſophicum feliciter incepit, quem ope Theologi celebris *D. Henrici Höpfneri*, Logicæ tunc Profeſſoris abſolvit, poſteà primam Philoſ. Lauream A. 1617. & ſecundam an. 1619. adeptus. *Baccalaur. & Philoſ. Magiſter Lipſiæ.*

Abindè ſtudium Juridicum amplexus, in Collegiis lectoriis & diſputatoriis *D. Wilhelmi Schmuccii*, Pandectarum Profeſſoris, ſtrenuè ſeſe exercuit, & lectiones publicas Profeſſor. in Jure Publicor. *D. Romani* & *D. Finckelthauſii* ſedulus inviſit: eosque brevi temporis ſpatio fecit progreſſûs, ut ſub D. *Schmuccii* præſidio Diſputationem de Culpâ cum laude publicè habuerit. *Juris ſtudioſus.*

In Academiam *Altorfinam* deindè progreſſus ſtudium Juris Profeſſorum *D. Andreæ Dinneri*, *Eraſmi Ungepaur*, *Ludovici Schopperi* & *Joh. Limnæi* informatione uſus, feliciter continuavit. *Altorfii.*

Ibidem 4. diverſis habitis Diſputationibus, de publicis Judiciis, de origine Juris, de Jurejurando, & de Academiis publicè reſpondit. Cum ſesquiannum *Altorfii* exegiſſet, Patre jubente ſub finem an. 1621. *Lipſiam* reverſus, ibi A. 1622. primum in utroque *Baccalaur. in Facult.*

Jure Gradum à facultate Juridicâ petiit, & prægreſſo Examine cum honore obtinuit.

Cum verò promotio differretur, A. 1624. in Academicas *Gallicas* iter ſuſcepit, & ſub finem anni ſeq. per *Belgii* Provincias domum regreſſus eſt.

Jur. Licent. & Doctor Lipſiæ. A. 1626. *Lipſiæ* Licentiam Doctoralem, & A. 1627. Gradum Doctoris Juridici impetravit.

Deſponſatur. Eodem tempore ſponſalia celebravit cum virgine *Annâ Sophiâ, Ludov. Wilh. Moſeri*, J.C. Conſiliarii & Secretarii *Sax.* filiâ, ex quâ 4. filios, totidemque filias ſuſcepit, ſed duos tantùm filios *Jacobum* & *Henricum* reliquit ſuperſtites, cum duabus filiabus, *Annâ Dorotheâ, Wolfgangi Peilickonii*, Senatoris & Ædilis *Lipſ.* uxore, ac *Mariâ* virgine.

Advocatus Lipſ. Judicii aulici & Facultat. Jurid. Aſſeſſor. Gradu itaque Doctoris ornatus in Foro Advocatum egit, & an. 1637. in Judicio Aulico ſup. Advocati provinciam accepit. Anno ſeq. 1638. inter Aſſeſſores Facultatis Jurid. receptus, ſtudioſis exercitia Juridica Theoretica privata & publica habuit.

Juris Profeſſor. A. 1645. Profeſſionem Tituli de Verborum ſignificatione, & an. 1650. Profeſſionem Inſtitutionum ab Elect. *Sax.* clementer ſibi oblatam ſuſcepit.

Canonicus Naumburg. Decemvir Acad. Lipſ. A. 1654. à Concilio Nationali Canonicus Capituli *Naumburgenſis*, & an. 1658. Academiæ *Lipſ.* Decemvir electus eſt.

Variis intereà Commiſſionibus Electoralibus adhibitus, honores etiam Academicos ambulatorios, Rectoratum, Procancellariatum, aliosq; aliquoties adminiſtravit.

Moritur apoplect. Apoplexiâ tandem forti correptus cum 4. diebus decubuiſſet, hiſce verbis ultimis Miſerere! Fiat! placidè obdormivit 4. Aug. A. C. 1660. æt. 60.

* *Ex Concione funebri D. Mart. Geyeri, Theol. Prof.*

Obiit A.C. 1661.

DANIEL SCHLEICHERUS.

Natus eſt *Saltzingæ*, in confinio *Haſſiæ* & *Thuringiæ* oppido, 5. Octob. An. C. 1610. Patre *Wilhelmo*, Negotiatore primario, Matre *Eliſabethâ Zinckiâ*.

A. 1626. In Gymnaſium *Coburgenſe* miſſus, & Rectori in Scholâ commendatus, adeò diſcendo profecit, ut anno ſequenti in Illuſtris Gymnaſii Pædagogium fuerit translatus, & ſemeſtri exacto in Publicorum ordinem.

Juris ſtudia tractat Marpurgi & Altorfii. Deindè ad Jurisprudentiæ ſtudium animum applicans, hujus fundamenta jecit in *Marpurgenſium* Academiâ per biennium, tantumque temporis *Altorfii* inſumpſit.

Argentinæ Collegiis privatis Jura docet. In *Argentinenſi* tandem Academiâ alios, quæ didicerat, docens aperto Collegio Pandectarum & Juris Civilis ſeſe exercuit.

Elapſo ibidem biennio, ad lares patrios ſe recepit, & à Republicâ illâ, cum eruditionem ipſius ſatis exploràſſet, in variis commiſſionibus & negociis gravibus adhibitus eſt.

Conſiliarius Iſenacenſis. Doctor Juris Jenæ. Non multò pòſt Princeps *Albertus, Saxoniæ, Juliæ, & Cliviæ* Dux, an. 1642. Conſiliarium eum *Iſenacenſem* conſtituit, & ut in Academiâ *Jenenſi* ſummum Doctoris gradum ſuſciperet, voluit.

Deſponſatur bis. Deindè matrimonio ſibi junxit virginem *Annam Margaretham, Michaëlis Latermanni*, Præfecti olim *Eiſfeldenſis* filiam unicam, cum quâ nuptias celebravit *Eiſfeldiæ* 7. Aug. An. 1647. ex eâque filium reliquit *Johannem Erneſtum*.

Hâc defunctâ cum novennium in viduitate transegiſſet, iterum deſponſatus eſt cum virgine *Suſannâ Margarethâ, Johannis Schereri*, J.C. & Conſiliarii *Ratisbonenſis*, relictâ filiâ, cum quâ ultra quinquennium in felici conjugio vixit, factusque eſt ex eâ trium liberorum pater, duorum nempè filiorum, quos mors in flore ætatis abripuit, & filiæ unius, quam ſuperſtitem reliquit.

Moritur. Catarrho tandem ſuffocativo extinctus obiit 4. Jan. A. C. 1661. ætatis 51.

* *Ex Programmate funebri Athenæi Coburgenſis.*

JOHANNES KOBIUS.

Obiit A.C. 1661.

Parentes ejus. Vitam hanc ingreſſum excepit *Franconiæ* Urbs *Hilperhuſa*, Dominicâ Palmarum, 10. April. die A.C. 1590. Pater ejus erat *Stephanus Kob*, Senatus, ut ibi vocatur, exterioris & minoris Aſſeſſor, Mater *Catharina, Laurentii* Notnagels/ex interiori & majore ordine Senatoris filia.

Baptiſmi ipſius Teſtis & Sponſor erat *Johannes Bayer*, Dulciarius (Lebküchner) & Civis inter primarios ejus Urbis.

Norimbergæ Scholaſticus ad S. Laurentium. Primam Inſtitutionis officinam aperuit ipſi *Petrus Kliperus*, Scholæ *Hilperhuſanæ* Moderator, cujus Inſtitutione fideli in duodecimum usque ætatis annum uſus; A. 1602. *Norimbergam* ſe contulit, ubi Scholam *Laurentianam* ad annum usque 1609. cum laude frequentavit, & ſtudiorum patronos inprimis habuit Cives & Mercatores primarios, *Bartholomeum Viatis & Georgium Langium*, qui præter alia plurima beneficia in Academiam eum *Altorfinam* promoverunt, ubi & illorum ſubſidiis, & Nobilium aliquot juvenum ex immediatâ Nobilitate *Francicâ* inſpectione Profeſſorum omnium favorem concitavit.

Baccalaureus Altdorfii. Primam ibi Lauream Baccalaureatûs adeptus eſt Decano & Promotore *D. Erneſto Sonero*, Med. & Phyſ. tunc Profeſſore, cujus hoſpitio & bibliothecâ priùs uſus erat, Competitoribus Dn. *Matthæo Borlemanno*, & M. *Johanne Vogelio*, Scholæ *Sebaldinæ* Rectore.

Philoſophiæ Juris ſtudium conjunxit. Abindè Philoſophiæ Juris ſtudium conjunxit, & poſt obitum *D. Soneri* in hoſpitium receptus eſt à Dn. *Philippo Bernbeckio*, ex antiquâ *Franconiæ* proſapiâ orto, tunc oppidi *Altorfini* Poligrammatéo, qui & generum eum poſteà adſcivit, *Deſponſatur.* deſponſatâ ipſi 17. Febr. A.C. 1617. filiâ ſuâ virgine *Helenâ*, ex quâ filiam reliquit *Magdalenam*.

Intereà

Intereà Diſputationibus Philoſophicis & Juridicis applauſum ſibi concilians, dignus habitus eſt, qui A. 1620. *Michaëli Piccarto* in Profeſſione Logicâ & Metaphyſicâ ſuccederet.

Profeſſor Logices & Metaphyſices.

Philoſophiæ Magiſter.

Anno ſeq. 1621. Magiſterii honore mactatus, inter 19. Competitores primum adeptus eſt locum, Decano & Promotore M. *Georgio Queccio*, Ethicæ & Græcæ Linguæ Profeſſore.

Inſpector Stipendiariorum. *Juris Doctor.*

An. 1636. Inſpectio ipſi ſtipendiariorum à Dnn. Scholarchis concredita. Anno ſeq. 1637. 14. Dec. in Doctorem Juris promotus eſt Decano *D. Nicolao Rittershuſio*, Pandectarum Prof. & Profeſſione Metaphyſicâ liberato, ipſi Regularum Juris extrà ordinem Profeſſio cum Logicâ conjungenda conceſſa fuit, quâ usque in annum 1645. perſunctus eſt, quem vacuum fecerat obitus *D. Ægidii Agricolæ*, Codicis Profeſſoris.

Juris Profeſſor.

Tunc enim à Profeſſione Philoſophicâ ut & Juridicâ illâ extraordinariâ liberatus, in Juriſconſultorum Ordinem planè & plenè adſcitus, Inſtitutionum Imperialium Profeſſor factus eſt.

16. Oct. A. 1629. Uxorem partu unà cum fœtu octavo utero adhuc incluſo extinctam amiſit.

Alterum Conjugium.

An. 1638. ad ſecunda vota tranſiit cum *Mariâ, Joh. Henrici Mullegii*, Civis primarii, relictâ viduâ, à proſapiâ *Tramnelia*, nuptiis *Norибergæ* 12. Februarii celebratis, ſed ſterili conjugio: quam ſterilitatem tamen in hoc & difficultatem in priori conjugio egregiè compenſavit filiâ ex primo conjugio unica *Magdalena*, quæ ad pietatem aliasque virtutes educata, plurimùm decoris & honoris toti familiæ intulit, nupta primò Nobili Dom. *Hieronymo Antonio Welſero*, Patritio *Auguſtano*, qui tamen brevi pòſt 6. Martii A. 1648. vitam finiit, relicto poſthumo *Hieronymo Felice*.

Iterum deindè deſponſata *D. Erneſto Cregelio*, Juris publici & Inſtitutionum Imperial. Profeſſori publico, cum quo felix Conjugium, ſterile tamen, Patri ſuperſtes exegit.

Officium Rectoratûs Academici ter cum laude geſſit, Decanus Facultatis Juridicæ ſexies, & Philoſophicæ quater exſtitit.

Senex domi docuit.

Tandem cum ab annis 6. vertigine laboraſſet, poſt reditum ab Acidulis *Weiſenburgenſibus* macies corpus ejus ad oculum ferè conſumpſit, decreſcente paulatim flammâ vitali, non ceſſante interim diligentiâ in docendo, & quidem domi. Viribus itaque oneri ſuccumbentibus Domini Scholarchæ datis 5. Sept. A. 1660. literis Generum ipſi ſucceſſorem dederunt.

Moritur.

Abindè variis exagitatus ſymptomatibus, placidè tandem inter preces adſtantium extinctus eſt 3. Calend. Febr. An. C. 1661. æt. 71.

JOHANNES KOBIUS DOCTOR.

Per Anagramma:

Ito Kobi, coronandus es.

* *Ex Programm. funebri M. Joh. Conradi Dürrii, Theol. & Ethicæ Prof. & ex Concione fun. D. Johannis Weinmanni, Theol. Prof.*

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Heptas Diſputationum de Principiis Juris. in 4to.

De Jure Naturali, Gentium, & Communi. in 4to.

Diſputationes: de Ordine doctrinæ: de Prædicamento Subſtantiæ: de conſtitutione Dialecticæ: de Antepredicamentis.

Decas Problematum Philoſophic.

An & quomodo Affirmanti incumbat probatio?

An Subſtantia Subſtantiæ ſit contraria?

Diſputatio pro Gradu Doctorali de Conſtituto Poſſeſſorio.

JOHANNES JOACHIMUS AB OSTERHAUSEN.

Obiit A.C. 1661.

GEnere nobilis *Saxonicus*, *Gleinæ* arce avitâ in *Miſniâ*, natus eſt, Patre *Georgio Sebaſtiano ab Oſterhauſen*, de *Kernpitſch, Rudelsburg, Gleind*, & *Gatterſtatt*, Inſpectore Scholæ Electoralis *Portenſis* in *Miſniâ*; Matre *Mariâ Breitenbachiâ*, 10. Martii A. C. 1613.

Juris ſtudioſus Jenæ.

A. 1630. æt. 17. in Academiam *Jenenſem* à parentibus miſſus, & convictu *D. Johannis Gerhardi*, Theologi celeberrimi uſus, Jurisprudentiæ ſtudiis operam dedit.

& Groeningæ.

An. 1632. Exindè *Grüningam Friſiæ* occidentalis Academiam petiit.

A. 1634. *Friderico Wilhelmo*, Duci *Saxoniæ Altenburgico*, tunc tempore Generali Equitatûs *Saxonici*, miniſtrum in exercitu ſeſe exhibuit.

Deſponſatur.

A. 1637. à Parente domum revocatus, anno ſeq. uxorem duxit virginem *Dorotheam Sophiam* à *Timpling*, *Alberti* filiam unicam, quæ 7. ei filios & 8. filias peperit, quos liberos omnes, præter filiolam unicam, ſuperſtites reliquit.

Inſpector Scholæ Portenſis.

A. 1648. Ab Electore *Saxoniæ* in locum Dom. Parentis ſenio exhauſti, Scholæ *Portenſis* conſtitutus Inſpector, huic muneri fideliter præfuit usque ad finem vitæ, quam morte beatâ clauſit 30. Julii An. C. 1661. *Moritur.* ætatis 49.

* *Ex Concione funebri.*

HENRICUS RAHNIUS.

Obiit A.C. 1662.

Filius Conſiliarii Brunſvicenſis.

LUcem primam intueri cœpit *Brunſvici*, *Saxoniæ* metropoli, à conditore Duce *Saxoniæ Brunone* nomen obtinente, An. C. 1601. die 14. Febr. ortus, à Patre cognomine, Juris Doctore, primùm Ducatûs *Brunſvicenſis* Practico & Syndico Civitatis *Helmſtadienſis*, poſtmodùm verò Ducis *Luneburgicæ* viduæ *Winſenſis* Conſiliario: Matre *Catharinâ*, ex nobili *Reichiorum* familiâ oriundâ, cujus Pater *Bartholdus Reichius* primùm in Academiâ *Lipſienſi* Profeſſor, poſtmodùm verò redux ex *Italiâ*, ubi *Bononiæ* gradum Doctoris in Jure aſſumpſerat, Illuſtriſſimi Ducis *Brunſvicenſis Henrici* Conſiliarius

liarius intimus, bisque Legationes ad *Poloniæ* Regem ſuſtinens, nec non Canonicatus *S. Blaſii* in Ducatu *Brunsvic.* Decanus fuit.

Vix abſoluto ſecundo ætatis anno Domino Parente orbatus, jactis in Scholâ patriâ primis literarum fundamentis A. 1610. cum fratre *Conrado Wismariam* ad Materteræ maritum Dom. *Matthæum Gerdeſium*, tum Civitatis illius Syndicum, iter ſubiit, ibique principia in patriâ hauſta ulterius excoluit, donec tandem hæc fratrum biga An. 1616. in Cœnobium *Ileſeldenſe*, Ducatus *Brunsvic.* evocata, ibidemque in numerum Alumnorum recepta eſt.

Cum fratre alumnus in Cœnobio Ileſeldenſi.

A. 1617. poſt matris obitum de Conſilio Dnn. Præceptorum & Tutorum an. 1619. *Jenenſem* ſalutârunt Academiam, & ſtudia graviter continuârunt, usque ad an. 1623. quo *Lipſiam* ſe contulerunt.

Cum verò ob quædam emergentia illîc non diu ſubſiſtere poſſent, eodem anno *Helmſtadium* conceſſerunt.

An. 1625. *Helmſtadium* peſte, totumque Ducatum *Brunsvicenſem* Exercitu Cæſ. occupante, locum mutare cum Dnn. Profeſſoribus aliisque Studioſis alias Muſarum ſedes quærere coactus eſt.

Studioſus Juris Roſtochii.

Felici itaq; ſidere cum fratre ſuo almam Roſarum Academiam ingreſſus, nihil de priſtino erga ſtudia ardore remiſit.

Aliquoties ibi ſub præſidio J.C.rum clarorum de Materiis Juris graviſſimis reſpondit, donec an. 1629. à nobili Viro *Gebhardo ab Alversleben Erxlebiam* vocatus eſt, ut Advocando & Conſulendo ipſius præeſſet rebus. Cum verò in excidio Urbis *Magdeburgenſis* omnia acta Juridica nominati viri Nobilis incendio perirent, non potuit ulterius officio illo Advocati fungi, ſed impetratâ veniâ an. 1631. *Roſtochium* ſecundâ vice ſalutavit, & Profeſſor Juris nominatus eſt.

Advocatus Erxlebii.

Juris Profeſſor Roſtochii.

A. 1632. Ipſi *Suerini* deſponſatâ eſt virgo nobilis *Eliſabetha*, magnifici Dom. *Chriſtophori de Lippen*, primùm Conſiliarii *Mecklenburgici*, poſtmodùm Sereniſſ. Regis *Daniæ Chriſtiani IV.* Cancellarii filia.

Uxorem ducit.

His ita expeditis peregrinationum ſecum expendit utilitates, & ut illas quoque obtineret, per Ducatum *Bremenſem* & *Friſiam Orient. Belgii* Provincias adiit, & perluſtratis Academiis *Gröningenſi*, *Franeckeranâ*, *Lugdunenſi*, & *Ultrajectenſi* per *Seelandiam* in *Angliam* transfretavit, & poſtquàm *Londini* per aliquod tempus ſubſtitiſſet, Academias *Oxonienſem* & *Cantabrigienſem* inviſit, indèque in *Galliam* ſe contulit, & tàm *Lutetiæ* quàm *Aureliæ* aliquantiſper commoratus eſt.

Peregrinationes inſtituit.

Domum revocatus, in itinere à Latronibus cum comitibus nocturno tempore inter *Rormundam* & *Venloam* Urbes ſpoliatus, non exiguum vitæ diſcrimen incidit.

A Latronibus ſpoliatus.

Reverſo Dn. *Albertus Heicius* ſenior, J.C. celebris, more Academico publicè cum 6. competitoribus ſummos in Jure honores an. 1633. contulit.

Juris Doctor Roſtochii creatus.

Poſt aliquot ſeptimanas ad Profeſſionem introductus, in Facultatem Jurid. & in numerum Conſiſtorialium receptus eſt.

An. 1634. Cum deſponſatâ ante ſibi virgine in jucunda nuptiarum vincula ſe conjecit, ex quâ tres filios, *Henricum*, *Chriſtophorum*, & *Conradum*, duasque filias, *Margaretham* & *Catharinam* ſuſtulit.

Nuptias celebravit.

Poſtquàm verò uxor *Eliſabetha* an. 1642. in puerperio extincta eſſet, ipſeque ob labores publicos domui ſuæ ritè præeſſe non poſſet, ad ſecunda vota tanſiit, & an. 1643. *Eliſabetham*, viri Conſultiſſ. *Laurentii Stephani*, J.U.Doct. Conſiliarii *Mecklenburg.* & Profeſſoris *Roſtoch.* filiam, Dom. *Laurentii Marquardi*, Archiepiſcopi *Bremenſis* olim Conſiliarii viduam uxorem duxit. Ex eâ ſex progerminare vidit elegantes floſculos, *Laurentium*, *Chriſtophorum*, *Annam*, *Joachimum*, *Barbaram*, & *Eliſabetham*, omnes præter *Barbaram* cum Matre Parenti ſuperſtites.

Ad ſecunda vota tranſiit.

Divini cultûs amator indefeſſus, à quo tempore in Themidos cathedrâ veſtigium figere cœpit, nihil in ſe deſiderari paſſus eſt eorum, quæ ad Academiæ ſuæ dignitatem conſervandam facere viderentur.

Apoplexiâ tandem forti correptus, præter omnium expectationem ſubitò ex *Balthici* littoris Academiâ in Cœleſtis juſtitiæ Templum placidâ morte evocatus eſt A.C. 1662. ætatis 61. Profeſſ. 29. poſtquàm ſepties in Academiâ Rectoris Magnifici munus geſſiſſet, & per 28. annos Ducalis Conſiſtorii Aſſeſſor, & Cœnobii Virginalis S. Crucis fuiſſet Proviſor.

Apoplecticus obiit.

Concio funebris ei habita eſt ex 2. Timoth. 4. à *Caſp. Mauritio*, D. Prof. publ. & Superintend. *Roſtochienſi*.

EPITAPHIUM:

Epitaphium.

STA VIATOR. EFFERTUR ECCE INDICTIVUM FUNUS VIRI DUM VIVERET NOBILISS. ET AMPLISSIMI HENRICI RAHNII J.C.TI. ANTECESSORIS SENIORIS IN VARNIACA CELEBERRIMI, ET OB CONTINUATUM PROPE PER XXX. ANNOS MUNUS ILLUSTRISS. CONSISTORII DUCALIS ASSESSORIS GRAVISSIMI V. R. I. VERE VIRI, ID EST, QUOD MIRACULUM DICAS, BONI, ET VERE τετραγώνου, QUEM LACONES VOCABANT DIVINUM.

NON ILLI SINON IN FRONTE NEC ULYSSES IN PECTORE. IPSA ERAT PROBITATIS IDEA, CONSTANTIÆ IMAGO, EXACTUM PRUDENTIÆ EXEMPLAR. INTOLERABILIS NULLI, NISI QUI TOLERARI VEL NON POTERAT VEL NON DEBEBAT. MORES EJUS OMNIUM AMORES. VERBA NULLI DEDIT NEQUE VENDIDIT. IPSE VERÒ ÆTERNITATIS AMANTIOR QUAM SÆCULI VIVERE NUNC DESIIT, UT INCIPERET. TU VERO, VIATOR, LUGE NON MORTALITATI EREPTUM, SED MORTALIBUS.

EGO NUNC IN UNO MULTOS DEPLORO, PRÆCEPTOREM, COLLEGAM, IMO PARENTEM, ADDO ET HOSPITEM.

METRA, QUÆ IPSE DOLOR TRUNCAVIT, SCRIBO. ἐπέγραψα DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS U. J. D. ET ELOQUENT. PROF. P.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta. *Diſputationes Roſtochii diverſis annis habitæ: De legitimâ defenſione & moderamine inculpatæ Tutelæ: de Libellis: de Concurſu Actionum: de concurſu & prioritate Creditorum: de Jure belli & pacis: de Teſtamentis: de Tutelis: de Fidejuſſione: de Jure jurando: de Injuriis & famoſis Libellis: de Privilegiis Nobilium.*

* *Ex Programmate funebri Rectoris Roſtochienſis, Johannis Backmeiſteri, Medicinæ Profeſſoris.*

Obiit A.C. 1662.

BARTHOLOMÆUS MARCHTALERUS.

RAtisbonæ natus eſt 28. Nov. A.C. 1606. Patre *Matthæo*, Senatore, & militiæ præfecto, Matre *Mariâ Bergeriâ*.

Juris & Geometriæ ſtudioſus. Adoleſcens in tribus Academiis *Altorfinâ*, *Jenenſi*, & *Lugdunenſi Batavorum* ſtudiis Juridicis addictus per biennium, Geometriæ quoque & Fortificationis theoriam feliciter abſolvit, & poſteà *Belgii* loca munita perluſtravit, eaque delineavit.

A. 1632. Parentum conſenſu, in *Galliam* iter per mare inſtituens, procellâ exortâ, per biduum in naufragii vitæque periculo verſatus, per Dei gratiam portum Gratiæ (*Havre de grace*) ſoſpes ingreſſus eſt.

A. 1634. Ex itinere *Gallico* domum reverſus, cum ad ſtudium Juridicum abſolvendum ſumptûs deficerent, ab Arte ad Martem transgreſſus, ſub Colonello *Freytagio* Signiferi pedeſtris munus ſuſcepit. *Signifer.*

An. 1636. Sede belli averſâ & electione Regis *Romani Ratisbonæ* determinatâ, *Fridericus Caſimirus*, Comes *Ortenburgicus*, tunc ibi præſens, Conſiliarium eum ſibi conſtituit: in quo munere ad annum usque 1639. verſatus, diverſas intereà Legationes ad Cæſarem aliosque Magnates cum laude obivit. *Conſiliarius Ortenburgicus.*

Conjugium ejus. 28. Martii A. 1641. Paulò antè clementer à Comite ſuo dimiſſus, nuptias *Ratisbonæ* celebravit cum *Eliſabethâ*, viduâ *Joh. Leonharti Baueri*, Judicii Hanſæ aſſeſſoris, ex quâ 4. filios reliquit ſuperſtites.

Conſiliarius Comitis Lewenſteinenſis. A Comite *Lewenſteinenſi* & *Wertheimenſi Friderico Ludovico* vocatus, Conſiliarii & Gubernatoris Comitatûs *Virneburgenſis* provinciam ſuſcepit, ſed cum familiam ſuam ob locorum diſtantiam eò transferre nequiret, anno ſeq. dimiſſionem impetravit, mox verò à Sereniſſimo Principe *Eberhardo Wirtenbergico* Cœnobii *Maulbronnæ* præfecturam nactus, & an. 1652. inter Principis ejusdem Conſiliarios adſcriptus eſt. *Conſiliarius Würtenbergicus.*

Senator Ratisbonenſis. 28. Dec. A. 1654. Loco Domini patris ſui paulò antè vitâ defuncti *Ratisbonæ* Senator electus, anno ſeq. cum familiâ ſuâ regreſſus patriam, munus Senatorium alacriter aggreſſus eſt. Mox verò 28. Dec. An. 1655. Camerarius urbis, an. 1656. Ædilis, an. 1658. Militiæ Præfectus, & an. 1660. Hanſæ Comes deſignatus. *Ædilis, & Militiæ Præfectus, Hanſæ Comes.*

Catarrho tandem ſuffocativo præter ſpem, præſente Medico ordinario, correptus, placidè exſpiravit 11. Martii An. C. 1662. ætatis 56. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Chriſtophori Adami Rudii.*

Obiit A.C. 1662.

POLYCARPUS HEILANDUS.

LIpſiæ natus eſt 1. Nov. A.C. 1614. Patre *Enocho Heilando*, Juris D. & Profeſſore, Matre *Margarethâ*, Theologi celeberrimi, *Polycarpi Lyſeri*, filiâ.

Puer in patriâ Præceptorum informatione tantum in ſtudiis profecit, ut an. 1630. primam lauream in Facultate Philoſophicâ cum laude acceperit. *Lipſiæ Baccalaureus.*

An. 1631. Ob tumultûs bellicos cum Parentibus ſecuritatem quærentibus *Dresdam* diſceſſit, & Patris juſſu diſciplinis Mathematicis, Architecturæ, præſertim militari, operam dedit.

Anno ſequenti *Wittenbergam* veniens, biennio Juridicis ſtudiis, Collegia Dominorum Profeſſorum privata & Lectiones publicas frequentans, tempus impendit. *Juris ſtudioſus Wittebergæ.*

A. 1634. In *Holſatiam* & *Daniam* iter ſuſcipiens, propter bellum *Germaniam* affligens, ſexennio inibi Gubernatoris adoleſcentum nobilium nomine, commoratus, Juris præterea ſtudiis operam dare perrexit.

Poſt obitum Parentis à matre A. 1639. revocatus, *Lipſiam* rediit, & an. 1640. in Licentiatum Juris cum aliis competitoribus promotus, annoque ſeq. 1641. 8. April. Doctorales in utroque Jure honores ſolenniter & cum applauſu ſibi collatos accepit. *Juris Licentiatus, & Doctor.*

Cum praxin deindè aliquandiu exercuiſſet, an. 1644. ab *Auguſto*, Duce *Brunsvic.* inter Conſiliarios aulicos primùm, deindè ſecretos quoque cooptatus, variis expeditionibus ſeriis adhibitus eſt, & an. 1649. ad Conventum propter Pacis *Monaſterienſis* executionem inſtitutum *Noribergam* venit. *Conſiliarius Brunsvicenſis & Legatus.*

25. Oct. an. 1642. Conjugii ſocietatem iniit *Lipſiæ* cum virgine *Roſinâ Eliſabethâ*, Dn. *Philippi Schreineri*, Senatoris & Dicaſteri *Saxonici* Aſſeſſoris filiâ, ex quâ 4. ſuſcepit filios, *Polycarpum* & *Philippum Enochum*, in Acad. *Altorfinâ*, quo tempore Pater obiit, ſtudioſos, *Auguſtum Francofurti* ad Mœnum tunc degentem, & *Gotfridum* in primâ ætate *Norimbergæ* An. 1651. defunctum: cum 2. filiabus *Sophiâ Eliſabethâ*, & *Auguſtâ Chriſtinâ*. *Conjugium ejus.*

A decennio capitis dolore interpolato afflictus, accedente tandem vertigine & apoplexiâ placidè extinctus eſt 19. Martii A. C. 1662. ætatis 48. *Moritur.*

In Templo, ubi ſepultus jacet, hoc ei poſitum eſt *Epitaphium:*

Epitaphi-um.

ÆTERNITATI SACRUM.

QUICUNQUE VIRTUTEM ÆSTIMAS HEIC ADSTA.

CONDITUR ENIM SUB HOC SAXO
VIRTUTUM OMNIUM ATQUE CIVILIS GLORIÆ PROBATISSIMUM EXEMPLAR.
POLYCARPUS HEYLAND
LIPSIENSIS J. C.TUS
ILLUSTRISSIMI BRUNSVICENSIUM ATQUE LUNEBURGENSIUM PRINCIPIS
AUGUSTI
CONSILIARIUS INTIMUS ATQUE AULICUS,
PIUS, PRUDENS, CONSTANS,
VIR
DEI PRINCIPISQUE GLORIÆ TENACISSIMUS,
SALUTIS PUBLICÆ STUDIOSISSIMUS,
ADEOQUE
PRINCIPI FIDUS, CIVIBUS CHARUS
UNIVERSIS PROFICUUS,
QUI
POST TOT PACE BELLOQUE PRO REPUBL. EXANTLATOS LABORES,
POST OBITAS TOT IN ROM. IMP. MAXUMI MOMENTI LEGATIONES,
POST PACEM GERMANIÆ
NORIBERGÆ ATQUE FRANCOFURTI PRÆSENTE EO ATQUE CONSULTANTE STABILITAM,
ADVERSA DIU VALETUDINE ADFLICTUS
TANDEM
SATUR VITÆ, PLENUS GLORIÆ,
CONSTANTI IN DEUM FIDE
MORTALITATEM EXUIT.
GUELFERBYTI ANNO C. R. MCDLXII.
XIV. APRIL.
NAT. ANN. XLIIX.
CONJUNX
ROSINA ELISABETHA
SCHREINERIA
VI. EX LIBERORUM PARENS
MARITO BENEMER.
H. M. P.

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1662.

PAULUS HORNICKIUS.

CTenéæ, *Miſnenſi* oppido, natus eſt 26. Sept. An. C. 1584. Patre cognomine, Senatore ibi & Camerario, Matre *Mariâ, Abrahami Mugleri*, Civis ibidem honeſti filiâ.

Cum in Scholâ patriâ, ſub Rectoris M. *Petri Hornicæi*, cognati ſui, diſciplinâ literarum fundamenta jeciſſet, an. 1607. Academiam *Lipſienſem*, & brevi pòſt *Wittenbergenſem* acceſſit, ubi ſtudia Philoſophica, manuductore *Jacobo Martini*, aliorumque Philoſophiæ Profeſſorum ſedulus tractavit.

Wittenbergæ Philoſ. ſtud.

& Jur.

An. 1609. Studium Juridicum aggreſſus, Lectiones publicas, *D. Valent. Guil. Forſteri, Bartol. Reuſneri, Lucæ Becmanni*, & *Wolfgangi Hirsbachii*, Juris Profeſſorum frequentavit, inque collegiis privatis ſe exercuit *D. Tiburtii Ruchelii*, & *D. Alexandri Fabri*, ſub cujus etiam præſidio A. 1611. *Diſputationem* publicam habuit de *Fidejuſſoribus*.

Brevi pòſt cum peſtis graſſari inciperet, *Wittenbergâ Merſebitium* ad *Album* cum diſcipulo ſuo Nobili *Joh. Chriſtophoro Piſtoris* ad ejusdem Dom. parentem diſceſſit, & an. 1612. *Wittenbergam* ad priſtina ſtudia Juris regreſſus, duos inſuper adoleſcentes nobiles *Chriſtoph. à Grünberg.* & *Georgium à Vechte* inſpectioni ſuæ concreditos ſuſcepit, cum quibus in convictu & ædibus *D. Lucæ Becmanni* usque ad an. 1614. permanſit, & intereà Diſputationes *Treutleri* ſuper Digeſta apud *Helfricum Ulricum Hunnium* abſolvit, inque Collegio ejusdem Feudali Diſputationem de modis & cauſis amittendi Feudum publicè defendit.

An. 1615. *Wittenbergæ* valedicens, in *Haynam* majorem conceſſit, & in foro Juridico praxin ſummâ cum dexteritate exercuit.

Advocatus Haynenſis.

19. Octoris A. 1619. *Lipſiæ* nuptias celebravit cum virgine *Magdalenâ*, *Henrici à Ruſſel*, Mercatoris *Brabantiâ* ob fidem exulis filiâ.

Nuptias celebrat.

16. Octob. An. 1623. *Wittenbergæ* prægreſsâ Diſputatione inaugurali de Remediis & Auxiliis adversùs nullitatem Sententiarum, Promotore *D. Conrado Carpzovio*, unà cum tribus Theologis, & duobus aliis J. C. *D. Chriſtiano Lentzio*, poſteà Conſil. *Saxonico*, & *D. Nicolao Schafhuſio*, ſolenniter Doctor Juris renuntiatus eſt.

Doctor Juris.

Ex conjugio 10. liberos ſuſcepit, totidemque nepotes vidit; ex liberis 3. filii, tresque filiæ infantes obierunt.

Filia natu major *Maria Magdalena* deſponſata fuit an. 1641. *Davidi Auerbachio*, Theol. Doctori, & Superintendenti *Bornenſi*, qui cum an. 1647. obiiſſet, ad altera vota tranſiit, cum *Joh. Adamo Puchnero*, Mercatore *Plavienſi*. Filius verò *Paulus Hornick*, Parentis inſiſtens veſtigiis, An. 1649. Gradum Magiſterii, & an. 1656. Doctorales in Jure honores cum laude adeptus, An. 1661. deſponſatus eſt cum virgine *Suſannâ*, *Johannis Friderici Schröteri*, Mercatoris *Lipſienſis* filiâ.

Filius ejus Paulus Juris Doctor.

An. 1628. Ex *Haynâ* majore cum familiâ ſuâ *Lipſiam* migravit, ubi praxin æquè fideliter exercuit, quam tandem filio ſenex commiſit, & A. 1661. *Ramsdorfium* ad filiam ſuam natu juniorem conjugem *Joh. Chriſtoph. Braunii*, hæreditarii in *Ramsdorff*, quietis gratiâ conceſſit, ubi viribus ſenſim ex ætate magis quàm morbo deficientibus, præſente M. *Johanne Kögelio*, ejus loci Paſtore, vitam beatâ morte clauſit 1. Maji A. C. 1662. ætatis 78.

Advocatus Lipſienſis.

Moritur Ramsdorfi.

* *Ex Concione funebri D. Samuelis Langii, Profeſſoris publici, & Paſtoris ad S. Nicolaum.*

Obiit A.C. 1662.

JOH. CHRISTOPHORUS DRAXDORFIUS.

EX nobili ortus proſapiâ mundum ingreſſus eſt 1. April. A. C. 1594. Patre cognomine, Caſtelli *Wanzenavienſis* Præfecto,

Præfecto, & poſteà Gubernatore in Ober-Kirchen *Würtenbergico*, Matre *Urſulâ Jobmiâ, à Mundolsbeim.*

In triplici vixit conjugio. Cum adoleſcens *Galliam, Angliam, & Italiam* perluſtrâſſet, an. 1619. conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Evâ Suſannâ*, Dom. *Job. Henrici Volzii* ab *Altenau*, inter Senatores, quos Stättmeiſters vocant, *Argentorati* primarii filiâ.

Hâc ſine relictâ ſobole defunctâ, A. 1632. ad ſecunda vota tranſiit, deſponſatus cum virgine *Ameliâ*, nobilis viri *Jacobi Zornii* à *Plobsheim* filiâ, quæ duos ei filiolos cum filiolâ *Evâ Ameliâ* peperit, omnes in primâ infantiâ denatos. An. 1658. tertiâ vice deſponſatus eſt cum nobili fœminâ *Magdalenâ*, Dom. *Georgii Wilhelmi* ab *Hunoldſtein* viduâ, quam ſterilem reliquit.

Senator Argentoratenſis. In Senatum intereà *Argentinenſem* anno 1621. cooptatus, varia ſummi Magiſtratûs munera cum laude geſſit. A. 1635. Cancellarius & Scholarcha Univerſitatis *Argent.* factus eſt. *Cancellarius Academicus.*

Moritur. Doloribus tandem colicis & arthriticis conſumptus, vitam morte beatâ finiit 11. Sept. A. C. 1662. ætatis 68.

* *Ex Concione funebri M. Philippi Feigleri, Diaconi Argentoratenſis.*

Obiit A. C. 1663.

FRIDERICUS KüHLEWEIN.

L*ipſiæ* natus 21. Maji A. C 1606. Patrem habuit *Balthaſarem*, Scribam *Lipſienſem*, avum *Kilianum Kühlewein*, Senatorem & Ædilem, Matrem *Eliſabetham*, *Viti Sieberi*, Senatoris & Ædilis *Lipſienſis* filiam.

Patre A. 1616. defuncto, Mater ejus an. 1619. *Philippo Schreinero, Cuſtrinenſi*, judicii Elect. *Sax.* nupſit, cujus vitrici ſui conſilio an. 1620. *Buntzlaviam* in *Sileſiâ* concedens, diſciplinæ *Caſp. Kirchneri*, viri ob eruditionem celebris, concreditus eſt.

Philoſophiæ ſtudioſus Lipſiæ. A. 1622. Matre volente, reverſus in patriam, ſtudia Philoſophica & Philologica ſedulus continuavit, Præceptores inter alios habens M *Chriſtianum Gallum*, Facultatis Philoſophicæ Adjunctum, & *D. Ananiam Weberum*, Concionatorem poſteà *Uratislavienſem*.

An. 1623. Studium Juris aggreſſus, ſub *D. Johanne Bohemo* variis Collegiis lectoriis ac diſputatoriis interfuit.

A. 1625. Univerſitatem *Jenenſem* acceſſit, ſed peſte ibi graſſante, an. 1626. *Lipſiam* regredi coactus, ibi brevi pòſt ſub præſidio *D. Wilhelmi Schmuckii* de Teſtamentis publicè diſputavit.

Baccalaureus Juris. A. 1627. Cum examen pro Baccalaureatu in Facultate Juridicâ ſuſtinuiſſet, Academiam *Marpurgenſem* inviſit, ubi Juriſconſultos celebres *Hermannum Vultejum, Johannem Göddæum, Helfricum Ulricum Hunnium, Juſtum Synoldum*, & *Antonium Neſenium* publicè docentes audivit.

A. 1629. *Marpurgo-Lipſiam* reverſus, exteras adire regiones avidus, ſed ob belli tumultûs *Saxoniam* invadentes prohibitus, an. 1631. *Georgio Arnhemio*, Generali militiæ *Sax.* per biennium adhæſit, ab eoque variis commiſſionibus & expeditionibus adhibitus eſt.

Primum ejus Conjugium. An. 1634. 12. Aug. *Lipſiæ* ſponſalia celebravit cum virgine *Roſinâ, Johannis Vezeri*, Senatoris & Ædilis relictâ filiâ.

Cum hâc anno ſequenti *Torgaviam*, & an. 1636. in pagum à ſe coëmptum, *Wachaviam* conceſſit, & per biennium cum familiâ ruri vixit.

Senator Lipſienſis. A. 1638. reverſus *Lipſiam*, mox inter Senatores patriæ cooptatus, & an. 1641. Judex Urbis factus eſt, cum anno prægreſſo 10. Sept. an. 1640. unà cum ſuis competitoribus Licentiaturæ gradum, & anno 1641. Doctorales honores adeptus fuiſſet. *Licentiatus & Doctor Juris.*

Aſſeſſor Facultatis Juridicæ. An. 1646. Reſignato munere Senatorio, Adjuncti in Judicio Electorali, & Aſſeſſoris in Facultate Juridicâ munera, denominante Sereniſſ. Electore, ſuſcepit.

Sexies Conſul. Brevi pòſt Conſulatum, Senatu *Lipſienſe* jubente, aggreſſus, hunc ſexies abindè laudabiliter adminiſtravit.

Conſiliarius Appellationum. A. 1655. Poſt obitum *D. Friderici Tuntzelii, Dresdæ* Conſiliarius Appellationum Electoralis declaratus, Comitiis abindè *Lipſiæ* an. 1656. & 1658. habitis, Legati Elect. nomine interfuit.

An. 1659. Acidulas Spadanas in Ducatu *Leodicenſi* ſanitatis ſuæ causâ bibens, exindè per *Hollandiam, Brabantiam* & *Flandriam* iter ſuſcepit.

A. 1660. poſtquàm Conſulatum ſextum fuiſſet aggreſſus, ab Elect. *Sax.* ad Comitia *Dresdæ* inſtituta ablegatus, per ſemiannum Expeditionibus publicis interfuit.

5. Liberi ex primo Conjugio. Ex primâ conjuge *Roſinâ Vetzeriâ* 5. ſuſcepit filios, quorum primus *Joh. Fridericus* ante matrem, & ultimus *Joh. Henricus* mox poſt illius obitum mundo valedixit. Tres cœteros, *Carolum Chriſtianum, Georgium Wilhelmum* & *Fridericum* ſuperſtites reliquit. Ex his medius 2. April. an. 1663. Doctoris gradum in Facultate Juridicâ ſolenniter accepit.

Secundum & tertium ejus Conjugium. Uxore verò primâ 5. Sept. an. 1641. fato defunctâ, ſecundo conjugio deſponſatus eſt cum *Johannâ*, viduâ *D. Caſp. Mich. Welſchii*, Conſiliarii *Saxonici*, & Facultatis Juridicæ Aſſeſſoris, *Joh. Balthaſ. Falckneri*, Præfecti *Weiſenfelſenſis* filiâ. Quæ cum itidem relictis filiis *Balthaſare* & *Auguſto* an. 1651. obiiſſet, ad tertia vota tranſiit an. 1652. deſponſatus eſt in arce *Pleiſenburgo* cum virgine *Annâ Catharinâ, Johannis Troji*, Syndici *Camentzienſis* relictâ filiâ, ex quâ reliquit liberos *Chriſtianum Ludovicum, Johan. Fridericum, Johan. Philippum*, & *Catharinam Eliſabetham*.

Moritur. A tribus tandem menſibus doloribus hypochondriacis & ictero confectus, placidâ morte vitam finiit 19. Maji An. C. 1663. ætatis 57.

* *Ex Concione funebri D. Samuelis Langii, Profeſſoris publici.*

Obiit A.C. 1663.

JODOCUS CHRISTOPHORUS KRESSIUS.

NOrimbergæ natus eſt 8. Jan. A.C. 1597. Patre Jodoco *Kreſs*, Patritio, & Cœnobii poſteà in ditione *Norimbergenſi Engeltbalenſis* Præfecto: Matre *Mariâ Füreriâ*.

A. 1608. Studiorum gratiâ in Academiam patriæ *Altorfinam*, & exindè *Jenenſem* venit. Poſteà per *Belgium*, *Angliam*, *Galliam*, & *Italiam* iter ſuſcipiens, Linguas earum regionum perfectè didicit, *Lugduni Batavorum* & *Oxonii in Angliâ* aliquandiu commoratus.

Miniſter Friderici Electoris Palatini & Regis Bohemiæ.

A. 1619. Domum reverſus, Electori *Friderico Palatino*, paulò antè Regi electo *Bohemiæ Norimbergam* tunc ſplendidè ingreſſo, cœpit inſervire, ab eoque mox in *Angliam*, *Daniam*, & *Hollandiam*, ut ſibi auxilia bellica ſollicitaret, ablegatus eſt.

A. 1620. Exercitu Regis *Friderici* juxtà *Pragam* deſtructo, dimiſſionem impetravit, & *Norimbergam* reverſus eſt, ubi brevi pòſt matrem amiſit.

Conjugium ejus.

26. Aug. A. 1621. Nuptias celebravit cum virgine *Mariâ Sabinâ*, Dom. *Marci Rieteri*, Senatoris *Norimbergenſis*, & Conſiliarii bellici filiâ unicâ, ex quâ, præter filiam *Annam Mariam* in primâ infantiâ denatam, 6. filios ſuſcepit: *Jodocum Chriſtophorum*, ipſo adhuc vivente Senatorem electum, *Marcum Chriſtophorum*, Judicii aſſeſſorem, & poſteà Senatorem quoque deſignatum, *Johannem Jacobum*, brevis admodùm vitæ, *Johannem Fridericum*, *Georgium Adolphum*, & *Ferdinandum Sigiſmundum*.

Sex filii.

Præfectus Eleemoſynarum. Legatus ad Regem Sueciæ, & Conventum Herbipoli.

A. 1623. Judicii Imperialis in patriâ aſſeſſor, & an. 1626. Præfectus Eleemoſynarum factus, an. 1631. ad Regem *Sueciæ*, *Guſtavum Adolphum*, in gravibus negotiis à Senatu patrio miſſus eſt, & an. 1633. ab eodem ad Conventum Circuli *Franconici*, *Herbipoli* habitum, ablegatus eſt.

Indè verò poſt pugnam *Nordlingenſem Suecorum* exercitu profligato an. 1634. ſummo cum periculo, unà cum conjuge, quæ *Lichtenaviæ* filium *Johannem Fridericum* pepererat, in patriam reverſus eſt.

Senator Norimbergenſis. Senator Cæſareus.

An. 1641. In Senatum cooptatus, ſtatim patriæ nomine Legationes ad Imp. *Ferdinandum III.* & *Maximilianum*, *Bavariæ* Ducem, obivit.

Conſul, & Scholarcha. Legatus ad Pacis Tractatus.

A. 1643. Conſul Junior & Scholarcha, an. 1646. Conſul Senior deſignatus, & ad Pacis Tractatûs *Monaſterium* & *Osnabruggam* ablegatus, usque finirentur, ad an. usque 1649. permanſit.

An. 1653. & 1658. In Comitiis Imperii *Ratisbonæ* & *Francofurti* celebratis itidem Legatione Reip. patriæ nomine functus eſt.

A. 1657. Uxorem ſibi per mortem abreptam cum dolore vidit, & an. 1659. ſtranguriâ laborare cœpit, quâ in ulcus tandem veſicæ degenerante graviſſimos per intervalla dolores perpeſſus, accedente tandem febri hecticâ contabuit, & exſpiravit 7. Junii d. S. Pentecoſtes A. C. 1663. æt. 67.

Moritur.

CreſsIVs ætbereas LetVs tranſMigrat in æDes.

* *Ex Concione funebri Petri Limbergeri, Paſtoris in* Kraſſthoff/ *prædio ſuo, ubi ſepulturæ traditus eſt.*

WILHELMUS LUDWELL.

Obiit A.C. 1663.

LUcem hauſit 20. Nov. An. C. 1589. *Elbingæ* in *Pruſſiâ*, Patre *Johanne*, orto ex præcipuâ nobilitatis *Anglicæ* familiâ, Matre *Sophiâ*, è *Schonaviorum* gente nobili in *Pruſſiâ* natâ.

Parentes ejus nobiles.

Poſitis in Gymnaſio patrio literarum Latinarum & Græcarum fundamentis, Parentis conſilio *Regiomontum* conceſſit, ubi cum per ſesquiannum Jurisprudentiæ operam dediſſet, patrios lares repetiit.

Jura ſtudet Regiomontii.

Paulò pòſt profectus eſt *Zamoſcium*, *Poloniæ* civitatem, quam propriis ſumtibus à fundamentis exſtruxit, & ibidem Muſis domicilium erexit Heros illuſtris *Johannes Zamoſcius*, Cancellarius Regius.

& Zamoſcii.

Hîc per triennium commoratus, in interiora Jurisprudentiæ adyta penetravit, charus imprimis exiſtens *Adriano Romano*, Canonico *Herbipolenſi*, cujus ergà ſe ſingularem humanitatem cum gratâ recordatione poſteà ſæpiùs deprædicavit.

A. 1611. Cum *Warſaviæ* Comitia indicecerentur, in quibus fiduciariam ſucceſſionem in Ducatum *Pruſſiæ* ſibi à Republicâ concedi petiit Sereniſſ. *Joh. Sigismundus*, Marchio & Elector *Brandeburgicus*, poſt defunctum *Albertum Fridericum* Ducem, comitatui Deputatorum ſuorum junxerunt eum *Elbingenſes*, experimentum capturi magnæ indolis, quam ſuis commodis deſtinaverant.

Cum Legatis Elbingenſibus Warſaviam profectus.

Rerum feliciter geſtarum lætitiâ plenus, cum Deputatis ad ſuos reverſus, horum familiariori conſuetudine pavit animum, paulò etiam pòſt Præceptoribus & Amicis *Regiomontanis* nonnihil indulſit temporis.

Nobilium Ephorus Altorfi ſtudia Philoſophica & Juridica tractat.

28. Martii An. 1613. Cum nobilibus aliquot informationi ſuæ traditis in Academiam *Altorfinam* venit, ubi cum Juridico Philoſophica ſtudia junxit, *Georgium Queccium* in Ethicis, *Michaëlem Piccartum* in Politicis, & *Michaëlem Virdungum* in Hiſtoricis; in Jure verò *Scipionem Gentilem*, *Conradum Rittershuſium*, & *Andream Dinnerum* publicè privatimque docentes ſedulus audiens. Ibidem an. 1616. Conjugium iniit, 15. Octob. deſponſatus cum *Urſulâ*, *Johannis Prætorii*, Mathematum Profeſſoris publici filiâ. Ex hâc duas ſuſcepit filias, quarum natu majorem *Catharinam* an. 1639. *Matthiæ Uhlenio*, Juris Candidato, poſteà Juris Doctori & Syndico *Sultzbacenſi*, elocavit, altera virgo deceſſit.

Conjugium ejus.

An. 1619. Habitâ Diſputatione publicâ ſub præſidio D. *Eraſmi Ungepaueri* de Jure Dotium, privatæ informationis per Collegia domeſtica poteſtatem nactus eſt, quæ non niſi iis obtingit, qui rarioris eruditionis & altiorum conatuum ſpem de ſe polliceri poſſunt.

Jura docet Collegiis privatis.

Labores ejus. poſſunt. Tunc felicia laborum primordia cepit ab *Hieronymo Treutlero*, cujus Diſputationes plus vice ſimplici ſtudioſis ventilandas propoſuit.

Deindè proprio Marte XVIII. Diſputationes ſuper Inſtitutiones Juris elaboravit, quas præſidii tutamine defendit, & deinceps precibus Auditorum expugnatus, ut deſcribendi labore eos ſublevaret, typis eximendas dedit. Commentarium etiam luculentum in paratitla *Weſenbecii* dictavit Auditoribus ſuis, quem plurimi Juris Candidati poſteà ſibi deſcribi curârunt.

Juris Profeſſor, A. 1631. Cum anno prægreſſo *D. Job. Gerhardus Frauenburgius* obitu ſuo Juris Feudalis Profeſſionem deſeruiſſet, Inclytus Senatus *Norimbergenſis* ipſi ultrò nec flagitanti provinciam hanc obtulit.

& Doctor. Ipſe verò paulò poſt eodem adhuc anno Doctoratûs gradum in utroque Jure ſub Decanatu *D. Ægidii Agricolæ*, cum honore accepit, & per triennium abindè Profeſſionem Juris feudalis extraordinariam adminiſtravit.

An. 1634. Exemto vivorum numero *D. Andreâ Dinnero* Inſtitutionum Imperialium Profeſſione auctior eſt redditus: ſeq. verò 1635. poſt diſceſſum *D. Eraſmi Ungepaur* ex *Altorfinâ* in Academiam *Jenenſem* Pandectarum, demùm à morte *D. Ægidii Agricolæ* Codicis Profeſſionem primariam ſuſcepit.

Inter hæc munera Rectoratum Academicum bis adminiſtravit, & Decanatum novies: decimi felicitatem fatorum inclementia interrupit. Has functiones ſummâ cum fide & Facultatis Jur. incremento ad finem vitæ ſuſtinuit.

Famâ celebris. Nulla aula facilè fuit, quæ *Ludwelli* conſilia non requiſiverit. Multi ad viſendum eum tot hominum in ſe ora & ſermones convertentem *Altorfium* confluxerunt, humanitatis, quâ ipſe cluebat, quamque apud exteros celebrari audiſſent, fructum percepturi.

Extrahebant præterea Virum tanto cum ſplendore in Academicâ arenâ verſatum, in lucem publicam Reipublicæ *Romano-Germanicæ* negotia, jungebantque A. 1641. conſortio Virorum impensè de patriâ meritorum *Joh. Jacobi Tetzelii*, Senatoris, & *Tobiæ Oelhafii*, Reipublicæ *Noribergenſis* Conſiliarii, Univerſitatisque *Altorfinæ* Procancellarii. Poſcebant & alia eum negotia cum Principis *Palatini*, tum Senatus Patrii apud diverſos Imperii Principes pertractanda.

Conjugium ejus ſecundum. 31. Martii A. 1641. Conjuge priore anno prægreſſo defunctâ, ſubrogavit ei virginem *Catharinam*, *Johannis Uhlenii*, Mercatoris *Norimbergenſis* filiam, à quâ duobus beatus eſt filiis, quos mortis iniquitas in ipſis cunis extinxit. An. 1646. 1. Februarii afflictis per hujus etiam Conjugis obitum penatibus, ad tertia vota tranſiit, *& tertium.* domum ductâ 30. Julii A. 1647. ex antiquâ *Sitzingerorum* familiâ *Annâ Mariâ*, viduâ M. *Georgii Göringeri*, oppidi *Altorf.* quondam Syndici, quæ anteriorum Maritarum elogia partim æquavit, partim vel eâ re ſuperavit, quod Maritum in ſenium declinantem, & cum mœroribus, quibus ætas iſta ſolet eſſe obnoxia, colluctantem, jucundis alloquiis ſubindè in ſerenitatem & animi tranquillitatem erexerit, ſed & morbis impeditum ſine indignationis ſenſu, re, & opere, conſiliis & vigiliis juverit & recreârit.

Non tantùm de ſalute & dignitate Academiæ, ſed etiam oppidi *Altorfini* conſervandâ ſolicitus cum fuiſſet, belli tempore periculoſo etiam indè diſcedere noluit, ſed ſæpiùs conſiliis ſalutaribus & præſentiâ ſuâ, calamitates oppido imminentes avertit.

Moritur ictero & maraſmo. Ictero tandem à 4. ſeptimanis afflictus, febribus aliàs frequenter obnoxius, accedente maraſmo reddidit Servatori ſuo animam ærumnis vitæ feſſam, decedentem habitaculo per ſenectutis & morborum injurias minus commodo, 12. Sept. A.C. 1663. ætatis 74.

Libros edidit:

Scripta. *Diſputationes XVIII. ſuper Inſtitutiones Juris.*

Exercitationes Juſtinianeas.

Commentarium in Inſtitutiones Imperiales, & Regulas Juris antiqui. in 8vo.

Comment. ad lit. de Obligatione Actionum.

Tractatum de ultimis voluntatibus. in 4to.

Synopſin Juris Feudalis. in 8vo.

Synopſin Proceſſus judiciarii. in 4to.

Tractatus Feudales varios. in 8vo.

* *Ex Concione funebri D. Johannis Weinmanni, Theol. Prof. & ex Programmate funebri M. Joh. Pauli Felbingeri, Polit. Metaphyſ. & Log. Prof.*

PAULUS MEMMINGERUS.

Obiit A.C. 1663.

Majores ejus illuſtres. RAtisbonæ mundum ingreſſus eſt 29. Junii A.C. 1599. Patre *Chriſtophoro*, Senatore, & Curiæ Eleemoſynariæ Directore, Matre *Mariâ*, ex familiâ *Huemerianâ* oriundâ. Avum habuit paternum *Sigismundum Memmingerum*, Conſiliarium *Bavaricum*, & oppidi *Deckendorffenſis* Præfectum, Proavum *Paulum*, & abavum *Johannem*, itidem Ducum *Bavariæ* Conſiliarios, & Præfectos *Deckendorfenſes*.

Studia incipit in Gymnaſio Poët. Hic cum in pueritiâ parentes morte præmaturâ nimis amiſiſſet, Propinquorum & Tutorum conſilio pueritiam in patriæ Gymnaſio Poetico primis literis & humanioribus artibus exercuit.

Juris ſtudioſus Jenæ. Deindè ad altiora aſpirans, an. 1619. in Academiam *Salanam* conceſſit, ac animum Philoſophicis & Juridicis ſtudiis ad res gerandas per triennium præparavit.

Ex illo Athenæo iniquitate temporum belli longè lateque ſerpentis periculo abſtractus, in *Auſtria* & *Styriâ* triennium circiter vixit.

Secretarius Comitis Ortenburgici. Indè digreſſus, *Friderico Caſimiro*, Comiti *Ortenburgico*, cui à Secretis fuit, ſuam per triennium egregiè probavit operam. Deinceps an. 1628. impetratâ dimiſſione clementi,

menti, regreſſus ad patrios lares, menſ. Majo *Conjugium ejus duplex.* an. 1631. primum iniit matrimonium cum nobili matronâ *Helenâ Sitzingerianâ* ab *Holnſtein*, Viri nobilis *Erici à Fronhoffen in Waltbering* relictâ viduâ, quam ſine liberis ullis morte ſibi an. 1634. menſ. Aug. ereptam Reipublicæ nomine abſens luxit *Francofurti*.

Hinc an. 1636. menſ. Majo ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Iſabellâ Jacobe*, Dom. *Wolfgangi Schiltelii*, Reipublicæ *Ratisbonenſis* quondam Conſulis, rei militaris Præfecti ſupremi, Curiæ vectigalia & œconomiam ſpectantis Directoris filiâ. Hâc cum, in conjugio pio & concordi, dum ultrà annos 27. vixit, 4. filiorum parens factus eſt, è quibus primogenitus & ultimus ad regna cœleſtia morte beatâ præiverunt, *Wolffgangus Chriſtophorus* & *Eſaias Paulus* cum Matre ſuperſtites vixerunt.

Senator Ratisbonenſis. A. 1630. menſ. Dec. electus fuit communibus Reipublicæ ſuffragiis Dicaſterii Aſſeſſor, an. 1631. 28. Junii Senator, an. 1635. *Ærarii Director.* 28. Martii Conſul, Camerarius, & Curiæ tutelaris Director, deindè an. 1660 Ærarii *Scholarcha.* publici Director, Conſiſtorii Præſes, & Scholarcha ſupremus.

Hæc ille munia per totos annos 33. non domi ſaltem ritè implevit, ſed etiam multa ſibi commiſſa negotia foris dextrè & fideli- *Legatus ad Cæſarem & Principes.* ter confecit, Ablegatus aliquoties publico patriæ nomine ad Auguſtiſſimas Aulas Imperatoriam & Electorales, ad varios S. *Romani* Imperii Statuum & Circulorum conventûs, Patrem patriæ ſe probavit, inſuper virum juſti & æqui obſervantiſſimum, pietatis & virtutum amantiſſimum, bonitate, integritate, conſilio, facundiâ, prudentiâ, longo rerum uſu priſcis *Romanorum* Patribus conſcriptis non inferiorem, Patronum Eccleſiæ reique literariæ Amicum & Collegam Procerum fidelem, Fautorem Civium benignum, Benefactorem Clientum & Pauperum fidelem.

Undè meruit Procerum favorem, civium benevolentiam, bonorum omnium amorem, famam ſui nominis æternam, laudes etiam poſt fata perennes.

Morbus ejus & obitus. Catarrhis à primis usque annis obnoxius, graves morbos perpeſſus eſt, & præſertim annis ſuis climactericis, 1626. 1648. & 1654. cum periculo decubuit, ab anno verò 1642. ad finem usque vitæ podagræ atque chiragræ immedicabili malo afflictus fuit, ut tandem nec pedes nec manus etiam ſatis, nec ſtomachus officium ſuum facerent.

Noviſſimè toto ferè ſemeſtri diarrhœâ & ſtomachi cruditatibus indies ingraveſcentibus afflictus, pauſam vitæ fecit, & inter ardentes ad Deum preces placidè obdormivit 14. Nov. A.C. 1663. æt. 64.

* *Ex Concione funebri M. Johannis Genckeri, Concionatoris Ratisbonenſis.*

JOHANNES WOIFGANGUS VENEDIGER.

Obiit A.C. 1664.

Ratisbonæ natus eſt 11. Julii A.C. 1626. Patre *Adamo Græcio, Styrenſi*, Juris Licentiato, & *Lintzii* in judicio Cæſareo Advocato, Matre *Annâ Mariâ, Joh. Springeri*, Phil. & Med. Doctoris Phyſici *Auſtriaci* filiâ, A. 1624. *Lintzio Ratisbonam* in exilium emigrantibus.

A. 1637. Cum his Parentibus *Norimbergam* concedens, ibi ſtudiis humanioribus initiatus, eos fecit progreſsûs, ut an. 1643. in Univerſitatem *Altorfinam* ablegaretur.

Ibi ſtudium Juridicum aggreſſus, manu- *Altorfii ſtudia Juris tractat.* ductorem habuit egregium *D. Wilhelmum Ludwellum*, Jur. Profeſſorem celebrem.

An. 1647. In Academiam *Argentinenſem* miſſus, ibi ſtudia ſua Juridica ſub Præceptoribus *D. Joh. Ottone Tabore*, & *D. Gregorio Biccio*, Juris Profeſſoribus primariis, tantâ cum diligentiâ continuavit, ut 15. Sept. *Argentorati Doctor Juris.* an. 1653. prægreſſis Examinibus & Diſputatione Inaugurali, Doctorales honores cum applauſu publico ſolenniter obtinuerit.

Exindè praxeos addiſcendæ cauſâ *Spiram* ſe contulit, ibi cum viris eruditis innotuiſſet, an. 1656. *Budiſſinum* in *Luſatiâ* voca- *Syndicus Budiſſini.* tus, à Senatu profectus menſ. Nov. Syndicatum ejus urbis ſibi delatum ſuſcepit.

In hoc munere ſolidam eruditionem, nativam modeſtiam, & deſiderium bono publico inſerviendi ita declaravit tum in Legationibus tum Conſultationibus publicis privatisque, ut à Magiſtratu æquè ac Civibus in honore haberetur.

A triennio tandem variis doloribus æger decumbens, & ſenſim viribus decreſcentibus exhauſtus, ſpiritum Creatori reddidit *Moritur.* *Budiſſini Luſatiorum* 8. Mart. An. C. 1664. ætatis 38.

* *Ex Concione funebri M. Caſp. Schlenckrichten, Concionat. Budiſſ.*

ADAMUS VOLCMANNUS.

Obiit A.C. 1664.

Schönbachii, oppido in confiniis *Bohemiæ* ſito, natus eſt 2. Jan. A. 1616. Patre *Martino*, Conſule, Avo *Caſparo Volcmanno*, ibidem Conſule illius loci: Matre *Eſtherâ, Laurentii Siebenhunneri*, Conſulis ibidem filiâ. Puer à Patre miſſus in Scholam *Egra-* *Egræ ſtudia inchoat.* *nam*, tunc florentem, quadriennium ibi ſtudiis humanioribus inſumſit.

A. 1629. Ingruente reformatione, *Norimbergam* ad *Adamum Multzerum*, agnatum ſuum, miſſus, & *Johannis Gravii*, Scholæ *Ægidianæ* Rectoris, diſciplinæ traditus eſt, qui eum filii inſtar dilexit.

An. 1635. In Univerſitatem *Altorfinam* *Altorfii Jurisprud. ſtud.* concedens, in eâ Jurisprudentiæ ſtudium amplexus, menſæ communis beneficium habuit, & diverſis Patriciis, *Tucheris, Pömeris* ac *Löffelholtziis* Præceptor datus eſt.

23. Aug. A.C. 1644. ad patrios lares reverſus cum Parentibus, quos à 16. annis non viderat,

viderat, ultimum vale dixiſſet, in *Altorfinam* regreſſus 16. Maji an. 1645. Decano *D. Ludwello* nomen dedit, & prægreſſis tentamine ac examine 4. Sept. Diſputationem Inauguralem cum laude propugnavit, de virorum præ fœminis in Jure privilegiis. Deindè Advocati munus in Urbe *Norimbergâ* peragendi licentiam obtinuit.

Juris Licentiatus. *Advocatus Norimbergenſis.*

26. Nov. A. 1647. *Beurythi* à *Chriſtiano*, Marchione *Brandenburgico*, inter Conſiliarios & Advocatos receptus, patronum habuit ibi *D. Georgium Rittershauſen*, Conſiliarium Aulicum, & Feudorum Præpoſitum.

Conſiliarius Brandenburgicus.

13. Febr. An. 1649. Nuptias *Norimbergæ* celebravit cum virgine *Dorotheâ Roſinâ*, *Johannis Droſſendorfii*, Mercatoris primarii filiâ.

Nuptias celebrat.

An. ſeq. die feſto *Petri* & *Pauli*, *Altorfii* à Decano *D. Johanne Kobio*, ſolenniter in Juris Doctorem promotus eſt.

Juris Doctor Altorfii.

A. 1661. à Principe ſuo inter Conſiliarios aulicos & ſecretos receptus, munus etiam Præpoſiti feudorum accepit. Quinque filii, quos ex conjuge ſuſcepit, *Chriſtoph. Adam* & *Joh. Adam* gemelli, *Georg. Adam*, *Georg. Andreas*, & *Joh. Adam* omnes in pueritiâ mortui ſunt. Filiæ verò binæ *Anna Maria*, & *Dorothea Eſther*, Patri manſêre ſuperſtites.

Feudorum Præpoſitus Beureythi.

Cum à 10. annis arthritidi ſcorbuticâ vagâ in paralyſin degenerante decubuiſſet, accedente tandem appetitûs totali proſtratione cum vomitibus frequentibus, inter adſtantium preces placidâ morte extinctus eſt 23. Martii, A.C. 1664. ætatis 49.

Arthriticus. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Stephani Böneri, Superintendentis Byruthini.*

Obiit A.C. 1664.

PAULUS HORNIGIUS.

Lipſiæ 21. Jan. A.C. 1630. natus, Patrem habuit cognominem, Jurium Doctorem, & patriæ Conſiliarium, 1. Maji A.C. 1662. ætatis 78. vitâ defunctum: Matrem *Magdalenam*, *Henrici à Rüſſel*, nobilis *Brabanti* filiam, qui propter fidem Evangelii exul, relictis omnibus, cum conjuge *Gertrude Steckiâ*, *Lipſiæ* cum familiâ conſedit.

Nactus in patriâ puer Præceptorem privatum M. *Fridericum Rappoltum*, *Lipſiæ* poſteà Profeſſorem publicum, & S. Theol. Licentiatum, tantum in literis humanioribus & Philoſophicis profecit, ut an. 1646. Baccalaurei Gradum cum honore adeptus, brevi pôſt in Academiam *Wittenbergenſem* profectus fuerit.

Philoſophiæ Baccalaureus.

Ibi ſtudium Juris aggreſſus, & per triennium juridicis Inſtitutionum & Pandectarum Collegiis operam dans, habitâ tandem Diſputatione publicâ de Sepulturâ veterum ſub præſidio *D. Oſtermanni*, parentibus revocantibus *Lipſiam* rediit, & an. 1649. Gradum Magiſterii Philoſophici cum laude ſuſcepit, poſtquàm Diſputationem de Officiis ſuper *Gellium* habuiſſet.

Juris ſtudioſus Wittebergæ. *Philoſophiæ Magiſter.*

A. 1655. Præmiſſis pro more Lectionibus curſoriis, Diſputationibus, & Examinibus, Licentiam in utroque Jure, & an. ſeq. 1656. Doctoratûs Gradum, cum laude & Parentum gaudio ſingulari accepit.

Juris Licentiatus, & Doctor.

Collegia deindè varia Lectoria & Diſputatoria præſidendo celebrans, & fori praxin exercens, nominis ſibi famam conciliavit. Bis intereà *Pragam* in negotiis privatis iter ſuſcipiens, ab agnato ſuo *Juſto Gebbardo*, Barone & Conſiliario intimo dilectus, multa ſibi in praxi ſalutaria didicit.

A. 1662. Sereniſſimus *Mauritius*, *Saxoniæ* Dux, Adminiſtrator *Numburgenſis*, Comes *Hennenbergicus*, &c. inter Conſiliarios aulicos & Juſtitiæ recepit eum, moxque anno ſeq. ad Comitia *Ratisbonenſia* Legatum Principatûs *Hennenbergici* nomine miſit.

Conſiliarius Mauritii, Ducis Saxoniæ, & Legatus.

Ibidem *Fridericus*, Marchio *Badenſis* & *Durlacenſis*, Legatis ſuis domum revocatis, hunc *Hornigium* Succeſſorem in Comitiis ſubſtituit.

Legatus Marchionis Badenſis.

23. April. A. 1661. Nuptias *Lipſiæ* celebravit cum virgine *Suſannâ*, *Johannis Friderici Schröteri*, Mercatoris honeſti, relictâ filiâ, quam ſterilem reliquit viduam mœſtam.

Conjugium ejus.

A primâ verò ætate corporis conſtitutione ſanâ nec morbis obnoxiâ præditus, *Ratisbonæ* morbillis, quos in pueritiâ nondum habuit, correptus, cum permanente poſt eorum eruptionem æſtu febrili vires conſumente, aliiſque ſymptomatibus lethalibus accedentibus, inter adſtantium preces, ſpiritum Deo reddidit, ſextâ morbi die 12. Maji A.C. 1664. ætatis 35.

Obiit ex morbillis.

* *Ex Concione funebri Johannis Henrici Urſini, Superintendentis Ratisbonenſis.*

Obiit A.C. 1664.

PHILIPPUS ADOLPHUS WALTHERUS.

Dardeſſæ, in Epiſcopatu *Halberſtatenſi*, mundum ingreſſus 25. Dec. An. C. 1622. Patrem habuit *Martinum Waltherum*, Præfectum primò *Islebienſem*, deindè *Dardeſſenſem*, Matrem *Mariam*, *Valentini Reydenii*, Senatoris & Mercatoris *Islebienſis* filiam.

Optimæ indolis & felicis ingenii puer *Pegaviæ* M. *Johannis Gerhardi*, S. Theol. Baccalaurei, & poſteà M. *Johannis Richteri*, Diaconi, privatæ Inſtitutioni traditus, ſtudiorum fundamenta feliciter poſuit.

Parentibus vitâ defunctis, an. 1637. Amicorum hortatu Scholam *Altenburgenſem* accedens, Rectoris *Tobiæ Seiferti* informatione per aliquod tempus uſus, indè *Hallam*, Directore Gymnaſiarchâ, *Chriſtiano Gueintzio*, conceſſit, ibique multa ſpecimina eruditionis tàm Oratoria, quàm Diſputatoria edidit.

Diſcipulus Scholæ Altenburgenſis & Halenſis.

Abſoluto curſu Linguarum & Philoſophiæ, an. 1542. in Academiam *Lipſienſem* veniens, ad ſtudium Juris animum applicuit, & non tantùm publicas Profeſſorum Lectiones ſedulus frequentavit, ſed etiam Præceptores privatos ſibi delegit *D. Polycarpum Wirthium*, Profeſſorem publicum, *D. Johannem Philippi*, Comitem Palatinum, ac Pro-

Lipſiæ ſtudioſus Juris.

ac Proconſulem *Lipſienſem*, & D. *Johannem Strauchium*, Profeſſorem primùm *Jenenſem*, poſteà Syndicum *Brunvicenſem*, ſub quorum Directorio Collegia diverſa ac Diſputatoria excoluit.

Orationes ab eo habita.

Nec intereà ſtudium Eloquentiæ neglexit, ſed diverſas Orationes de autoritate & antiquitate Juris *Saxonici*, de præeminentiâ Jurisprudentiæ, de Judiciis, de Advocatis & cauſarum Patronis publicè & memoriter habuit. Sæpiùs intereà in Judiciis Notarii vel Actuarii vices egit.

Juris Baccalaur.

A. 1654. Facultati Juridicæ nomen dans, primum in utroque Jure gradum cum laude obtinuit. In foro tunc praxin exercere incipiens, mox ad altiora progreſſus, & 18. Oct. an. 1655. in Licentiatum, ac 20. Martii an. 1656. in Doctorem cum applauſu Juris-conſultorum ordinis ſolenniter promotus eſt. 1. Julii tandem an. 1663 inter Aſſeſſeſſores Facultatis Juridicæ receptus eſt.

Juris Licentiatus & Doctor.

Aſſeſſor Facultatis Juridicæ.

Ab ineunte ætate catarrhis & capitis doloribus frequentibus laborans, iis tandem ex lucubrationibus aſſiduis ingraveſcentibus, cum 5. ſeptimanis lecto fuiſſet affixus, & vix quadrantis horæ antè obitum ſpatio ſororem ſuam rogâſſet, ut Dominum Jeſum viſitantem ſe cum debitâ reverentiâ comitari velit, in eodem placidè exſpiravit 6. Aug. A.C. 1664. æt. 42.

Obitus beatus.

* *Ex Concione funebri D. Samuelis Langii, Profeſſoris Lipſienſis.*

ObiitA.C. 1664.

GEORGIUS WÖLCKERUS.

IN pago ditionis *Norimbergenſis* Regelſpach natus eſt 22. Martii A. 1598. Patre *Martino Wölckero*, ibi Eccleſiæ Paſtore, & poſteà in pago Eſchenbach: Matre *Eliſabethâ Brunnerià.*

Avum habuit *Johannem Wölckerum*, Eccleſ. Paſtorem in pago *Norimbergenſi* Herolßberg / ubi obiit 18. Maji A. 1579.

Ex nobili familiâ Dominorum à Wolckersdorff ortus.

Hic ex nobili familiâ & antiquâ Dnn. à *Wolckersdorff*, Patre *Friderico*, Præfecto *Höchſtattenſi* genitus, in pueritiâ Cœnobio *Heilsbronnenſi* incluſus Theologiæ ſtudium elegit, & ortâ luce Evangelii exindè egreſſus, Paſtor Eccleſiæ *Heroltzbergenſis* factus, nomen avorum cum inſigniis mutavit, & *Wölckeri* nomen aſſumpſit.

Nepos hic ejus *Georgius* A. 1609. in Academiam *Altorfinam* venit, ubi Claſſes frequentavit usque ad an. 1615. quo ad publicas Lectiones promotus eſt in Feſto Academico S. Petri & Pauli. An. 1618. ad ſtudia benè cœpta melius continuanda *Argentoratum* migravit. An. 1620. Exindè nobili adoleſcenti *Joach. à Bock* Gubernator adjunctus, cum eo *Genevam* diſceſſit, & poſteà per totam *Galliam* peregrinatus, in patriam reverſus eſt ult. Dec. A. 1621.

Fit Doctor Juris Altdorfii.

19. Dec. A. 1625. *Francofurto ad Oderam Altorfium* regreſſus, ibi cum laude, Decano *D. Ægidio Agricola*, Doctor Juris creatus eſt unà cum Doct. *Johanne Ludovico Langio*, quo tempore unà *Petrus Heigius* Med. Doctor creatus eſt à Decano *D. Caſparo Hofmanno.*

A. 1626. Cameram *Spirenſem* acceſſit, & paulò pòſt *Hamburgum* migravit, ubi Baronis *Auguſtani Marci à Rhelingen* Gubernator factus, cum eo per *Hollandiam, Angliam, Galliam, Italiam*, & *Hiſpaniam* iter fecit. A. 1628. *Venetias* cum Barone *Zachariâ Geitzenkoſtero* profectus, ibi lethali morbo decubuit.

Gubernator Baronis à Rhelingen.

A. 1629. *Norimbergam* reverſus, ab inclyto Senatu in numerum Advocatorum receptus, paulò pòſt 31. Aug. nuptias celebravit cum virgine *Mariâ Eliſabethâ*, *Chriſtophori Schlaudersbachii* filiâ.

Advocatus Norimbergenſis.

Nubit.

Ex hâc An. 1630. filiam ſuſcepit *Mariam Eliſabetham*, quæ an. 1645. *Matthiæ Stromio*, Conſiliario *Gallico Briſaci* nupta, anno ſeq. *Pariſiis* in puerperio obiit. Filiolus etiam *Martinus Carolus* an. 1631. natus, poſt 3. ſeptimanas mortuus eſt.

7. Sept. An. 1632. alter ipſi filius *Chriſtophorus Carolus* natus eſt, qui poſtmodùm Reip. *Noribergenſis* Conſiliarius factus eſt.

Eodem anno à togâ ad ſagum tranſiens, ſub Legione Reipublicæ *Norimbergenſis* pedeſtris *Schlammersdorfianâ* Auditor vel *Scultetus*, & paulò pòſt menſ. Aug. ab ipſo Rege *Suecorum Guſtavo Adolpho* vocatus, in exercitu ipſius Generalis Auditor factus eſt, quod munus etiam hoc Rege defuncto ſub *Bernardi*, Ducis *Saxo-Vinarienſis*, regimine adminiſtravit, cumque Dux hic an. 1633. Urbem Imperialem *Ratisbonam* occupâſſet, *Wölckerum* hunc ibi Juſtitiæ & Politiæ Directorem conſtituit.

Generalis Auditor Suec.

Juſtitiæ Director Ratisbonæ.

24. Julii an. 1634. Cum *Ratisbona* in poteſtatem *Ferdinandi III.* Regis *Hungariæ* & *Bohemiæ* per deditionem veniſſet, ipſe cum Præſidiariis emigravit, & paulò pòſt pugnæ *Nörlingenſi* interfuit, ubi ſpoliatus, & brevi pòſt *Heilbronnæ* febri ardente correptus, poſt menſem ſanitatem recuperavit *Francofurti* ad *Mœnum*.

Poſteà priſtinum Generalis Auditoris officium in exercitu *Vinarienſi*, unàque Commiſſarii Generalis munus ac Legati ad varios Principes ſuſcepit. A. 1638. *Briſaci* ſubſiſtens, ex Colicâ graviter decubuit.

Commiſſarius Generalis Vinarienſis.

An. 1639. Cum poſt mortem Ducis *Sax. Vinarienſis Bernhardi Briſacum* in Regis *Gallorum* veniſſet poteſtatem, ibi Directio Politiæ & Juſtitiæ per totam *Alſatiam* ipſi demandata fuit. Ibidem filiola ipſi nata eſt *Anna Barbara*, quæ anno ſeq. obiit.

Director Juſtitiæ per Alſatiam.

23. Octob. An. 1645. ab hoſtibus in viâ captus, & *Offenburgum* abductus, ibi usque ad 15. Febr. an. 1626. in carcere detentus eſt. Lytro tunc ingenti ſoluto cum *Briſacum* reverſus eſſet, 17. Febr. Filia ipſi nata fuit *Juliana*, quæ poſtmodùm adulta *Norimbergæ* deſponſata fuit *Jodoco Lazaro Hallero*, Patritio, & demùm Senatori *Noribergenſi*.

Cum poſt ſeditiones variæ *Briſaci* exortæ eſſent, dimiſſionem emigrandi petiit & obtinuit. Tunc menſ. Sept. an. 1655. *Noribergam* cum familiâ reverſus, ibi priſtinum Conſiliarii munus recepit. 12. Julii A. 1663. ibidem

Conſiliarius Reipublicæ Norimbergenſis.

ibidem Uxorem cum dolore ſibi vidit morte abreptam.

Uxorem mortuam ſubſequitur. Ipſe vero variis morbis exhauſtus, vivendi finem fecit *Norimbergæ* 1. Nov A.C. 1664. ætatis 66.

* *Ex Concione funebri Johannis Fabricii, Concionatoris Norimbergenſis ad S. Mariam.*

Obiit A.C. 1664.

VALENTINUS HEIDERUS.

Filius J.C. IN mortalem hanc auram natus *Lindaviæ* 25. Martii A.C. 1605. Patrem habuit *Danielem Heiderum*, U.J. Doctorem, Imp. *Ferdinandi II.* Conſiliarium, & per 45. annos Reipublicæ *Lindavienſis* à Conſiliis; Matre *Eliſabethâ*, ex antiquo & Patritio *Funcciorum à Senſtenau* genere oriundâ.

Campoduni ſtudia incipit. Vix novennis erat, cum à provido Parente ex patriâ Scholâ *Campodunum* ablegaretur, in diſciplinam & convictum M. *Jodoci Faltzii*, Scholæ ibidem *Arneanæ* Rectoris.

Argentinæ continuat. Ibi abſoluto luſtri ſpatio curſu Claſſico an. 1619. ſtudiorum moderatorem Patris curâ nactus *Ulricum Rietmannum*, Phyſicum poſteà *Lindavienſem*, *Argentinæ* Muſas tractare cœpit, Philoſophicas primò, deindè robuſtiores quoque, cum ad Juris & Legum cognitionem ſe conferret.

Hiſtoriarum ſtudio delectatur. Audivit ibi in Philoſophiâ *Marcum Florum*, in Jure *Caſparum Bitſchium*, in Hiſtoriis, quarum ſtudio cumprimis trahebatur, *Matthiam Berneggerum*, cujus Inſtitutis adeò ſe tradidit, ut vix unquàm Diſputationem poſteà conſcriberet, cui non Hiſtorica vel inſpergeret, vel ſubnecteret, uti nec Inauguralem quidem ſuam abſque his ornamentis prodire voluit.

An. 1622. Muſis *Argentinenſibus* valedicens, cum priùs ſub præſidio *Berneggeri* publicè diſputâſſet, *Tubingam*, Patre jubente, conceſſit, & mox indè *Altorfium* in *Noricis*.

Galliam, Italiam, Belgium, & Germaniam perluſtrat. Hinc A. 1626. *Galliæ* Regnum, inque eo Metropolin *Lutetiam* adivit, cumque Regni illius Urbes præcipuas perluſtrâſſet, in *Italiam* & ad *Belgas* abiit, plurimas denique *Germaniæ* ſalutavit Urbes, inprimis *Viennam*, ubi pluſculum commoratus temporis, diverſis Comitibus & Proceribus ſua comprobavit officia.

Syndicus Lindavienſis. An. 1635. A patriæ ſuæ Magiſtratu ad Syndicatum *Lindavienſem* vocatus, in Curarum & Conſiliorum Paternorum venit communionem: non multò pòſt *Eberhardus*, Dux *Würtenbergicus*, inter Conſiliarios ſuos eum adſcivit, quem ſecutæ ſunt multæ Civitates in viciniâ & è longinquo, quæ omnes benè ſecum agi putaverunt, ſi altioris Conſilii Negotiis *Heiderianum* adderent calculum. *Conſiliarius Würtenbergicus.*

Patriæ nomine Legatus. Antequàm verò ad Syndicatum *Lindavienſem* eſſet adſcitus, jam tum extraordinariæ ipſi Legationes à patriâ commiſſæ ſunt ad S. Cæſ. Majeſtatem & Archiducem *Auſtriæ* in gravibus negotiis.

Mox ſusceptâ Conſiliarii functione An. 1636. paucorum menſium ſpatio ſexies ad *Hungariæ* Regem *Ferdinandum III.* Legatus ivit per medios ſæpè exercitus & armatas acies. A. 1640. Subſecuta eſt Legatio *Norimbergenſis* ad Conventum Electoralem.

Legatus ad Pacis tractatus. A. 1645. Vix elato Conjugis acerbo funere, Legationem maximi momenti & emolumenti ſuſcepit Pacificatoriam, quâ *Monaſterii*, *Oſnabrugæ*, *Francofurti ad Mœnum*, *Ratisbonæ*, & *Norimbergæ* per integrum novennium non unius *Lindaviæ* cauſa ſatis alioquin intricata ipſi fuit agenda, ſed etiam *Eslingæ*, *Reutlingæ*, *Nordlingæ*, *Halæ Suevorum*, *Heilbronnæ*, *Campoduni*, & *Weiſenburgi* in *Noricis*, quæ omnes probatâ *Heideri* fide & Votis agi ſua in tanto Pacis Theatro voluêre.

Conjugium ejus duplex. Conjugii fœdus bis iniit: primùm An. 1632. cum virgine *Margarethâ*, *Ludovici Kreidenmanni*, Mercatoris primarii *Lindaviæ* filiâ, ex quâ 11. ſuſcepit liberos, ſed filium tantùm & filiam reliquit ſuperſtites. Filius *Johannes Andreas*, Juris Licentiatus, Parentis fuit in Syndicatu *Lindavienſi* Collega: filia verò *Eliſabetha*, patre vivente, conjugio juncta fuit Dom. *Georgio Friderico Wagnero*, Juris Doctori, Reipublicæ *Eslingenſis* Syndico, & *Suevicæ* Nobilit. Conſiliario.

Alteram ei conjugem Imperii Comitia an. 1647. *Oſnabrugæ* conciliârunt, virginem *Margaretham Eliſabetham*, Dom. *Davidis Gloxenii*, J.C. Conſiliarii Cæſarei, & Reipublicæ *Lubecenſis* Syndici filiam, quæ 8. eum liberis beavit, è quibus duos tantùm filios, *Davidem* & *Eberhardum*, ac filiam *Mariam Eliſabetham* reliquit ſuperſtites.

Præſes Conſiſtorii Eccleſiaſtici. A. 1647. ſtatim à Parentis beato exceſſu oblatum eſt ei à Patribus patriæ Præſidis in Conſiſtorio Eccleſiaſtico munus, quod eo tunc abſente prudenter adminiſtravit Dom. *Amadéus Eggolt*, Reip. patriæ Conſul: ſed poſt auſpicatum è Tractatibus Pacificatoriis reditum ſpartam hanc ipſe ad duodecimum annum dexterrimè exornavit. His omnibus dignitatibus Auctarii loco præſidium in Cauſis Matrimonialibus poſt obitum Conſulis *Calixti Hunlini* acceſſit. *Præſes Cauſarum Matrimonialium.*

Moritur. Familiare, & penè domeſticum malum ipſi erat *nodoſa podagra*, quæ fractum continuis Laboribus, Itineribus, & Curis Corpus per vices proſtravit ſubindè periculoſius. Inſuper hypochondriaco malo, & calculi doloribus ſæpiùs afflictus, Lumina tandem plurimis ſalutaria clauſit, placidè extinctus *Lindaviæ* 28. Nov. A.C. 1664. æt. 60.

* *Ex Oratione funebri Jacobi Enderlini, Lindavienſis, & ex Concione funebri M. Jacobi Fuſeneggeri, Concionatoris Lindavienſis.*

Obiit A.C. 1664.

THEODORUS REINKING.

Parentes ejus nobiles. IN *Curlandiâ* natus 10. Martii An. C. 1590. Patrem habuit *Ottonem Reinkingium*, qui in ætatis flore à nobili viro *Ottone Teufelio*, Principis *Gottardi* per *Curlandiam* & *Semigalliam* ſtabuli præfecto in *Curlandiam* vo-

 catus,

catus, ab eoque ob vinculum neceſſitatis honorificè tractatus, tandem hæredibus aliis deficientibus, omnem bonorum *Teufelianorum* hæres legitimus factus, in matrimonium aſſumſit virginem nobilem *Hedwigam*, Dom. *Dieterici* à *Lamsdorff*, hæreditarii in *Thalſchen Curlandorum* filiam.

Avus ejus Senator Osnabrugæ.

Hujus *Ottonis* pater, *Johannes Reinkingius* in *Emeslando*, ditione *Monaſterienſi*, Principis Theſaurarius, cum Pontificiorum fidem amplecti recuſaret, officio ſplendido relicto, *Osnabrugam* cum familiâ ſe contulit, ubi brevi pòſt ob ſummam prudentiam in Senatorum Ordinem receptus, eo officio usque ad An.C. 1570. quo diem ſuum obiit, ſummâ cum virtutis laude perſunctus eſt.

A. C. 1603. Peſte in *Curlandiâ* graſſante, miſſus eſt à Patre *Ottone Osnabrugam* in *Weſtphaliam*, ubi per biennium id conſecutus eſt, ut de conſilio Præceptorum à Patre ad Scholam *Lemgovienſem* tunc frequentiorem mitteretur.

Lemgoviæ ſtudioſus.

Lemgoviæ intrà quadriennium tàm egregia ſpecimina edidit, ut majori eruditione animum implere geſtiens, an. 1609. ad Gymnaſium *Stadhagenſe*, à Principe *Erneſto Schauenburgenſi* tum conditum, ſe contulerit.

In Gymnaſio Stadhagienſi Juridicum ſtudium amplexus.

Ibi Juridicum ſtudium amplexus, tantos in eo fecit progreſsûs, ut vix biennium ibi verſatum, Gymnaſium illud ampliùs cupere non poſſet. Hinc an. 1611. ad Academiam *Colonienſem* conceſſit, & in Jurisprudentiâ ita profecit egregiè, ut brevi utrumque Jus Cæſareum & Pontificium diſcendo aſſequeretur.

Coloniæ continuavit.

An. 1613. *Coloniâ* recto itinere *Lubecam* ſe contulit, indè navim conſcendens, incolumis patrios lares repetiit, cum in *Germaniâ* duo degiſſet luſtra.

Ad Patrem rediit.

Pater filium ob tàm diuturnam abſentiam non agnoſcens, deindè ſummum ſenectutis ſuæ & viduitatis ſolamen ex ejus felici reditu accepit. Sed breve fuit hoc gaudium, quippè ſequenti ſtatim anno A. 1614. *Marpurgum* regreſſus eſt, & anno 1615. ad Academiam *Gieſſenſem* pervenit. Ibi brevi pòſt ad docendos alios animum adjecit, & ſtudioſis Inſtitutiones Juris privatim explicuit, ita, ut ſtatim nominis aliquam celebritatem ſibi compararet.

Gieſſæ Jura privatim docuit.

Lectionibus itaque quotidianis & in Jure exercitiis privatis confirmatus, an. 1616. Licentiæ, ut vocant, in utroque Jure honorem petiit, ad quem conſequendum 7. Martii abſque Præſide Inauguralem ſuam defendit Diſputationem, conſcriptam *de brachio ſeculari & Eccleſiaſtico*, & in 290. Concluſiones diviſam.

Jurium Licentiatus.

Ut verò ſtudioſis Juris eruditionem ſuam magis probaret, Jura feudalia illis explicavit, & Collegia Diſputatoria aperuit, unum ſuper Inſtitutiones, alterum ſuper præcepta Politica.

Juris Profeſſor extraordinarius Gieſſæ.

Eodem anno 1616. à Principe *Ludovico*, *Haſſiæ Landgravio*, ad extraordinariam & publicam Juris Profeſſionem in Academiâ *Gieſſenâ* vocatus, functionis ibi ſuæ partes tàm publicè docendo, quàm privata exercitia tractando pro virili perfecit.

Tum à quibusdam amicè rogatus, ut in eorum gratiam Juris publici, hoc eſt, de Regimine ſeculari & Eccleſiaſtico ad ſtatum S. *Rom.* Imperii modernum, tractationem ſuſciperet, eorum petitioni annuens perſpicuè, & eâ, quâ fieri potuit, brevitate illis ſatisfecit.

Deſponſatus, & unà Doctor Juris creatus Marpurgi.

Eodem adhuc an. 1616. Conjugem ſibi adſcivit virginem *Catharinam*, *D. Conradi Piſtorii*, Syndici *Marpurgenſis*, & Conſiliarii *Haſſiaci* Lineæ *Darmſtatinæ* filiam, & eâdem die 3. Oct. in Collegio Juridico Doctor Juris ſolenniter renuntiatus eſt.

Cum hâc uxore annos 46. vixit, ex eâ 11. liberorum & 3. filiarum ſuperſtitum. Ex filiis *Otto Nicolaus*, hæredit. in *Wellingsbüttel*, *Erneſtus*, Regis *Daniæ* tribunus, ſeu Major pedeſtris, *Georgius*, ejusdem Regis Signifer equeſtris, & *Fridericus*, Jurium in Academiâ *Gieſſenâ* ſtudioſus mortem magni Patris nimis maturam deplorârunt.

Filiæ deſponſatæ fuerunt, *Sophia Eleonora*, *Balthaſ. Schuppio*, Theologiæ Profeſſori *Marpurgenſi*, & tandem Eccleſ. *Hamburgenſis* Paſtori: *Anna Catharina Nicolao Meinarthio*, Juris Licentiato, & *Glückſtadii* Procuratori in Judicio Regio, nec non Conſiliario *Chriſtiani*, Comitis *Rantzovii*: *Maria Catharina*, *D. Lucæ Kochio*, ejusdem Judicii Regii Advocato.

Conſiliarius Haſſiacus, & Legatus.

A. 1617. à Principe ſuo *Gieſſenſis* Dicaſterii Adjunctus factus, & anno ſequenti in ordinem Conſiliariorum cooptatus eſt. A. 1622. obivit Principis ſui *Ludovici* nomine Legationem ad Conventum Principum *Ratisbonenſem* in cauſâ ſucceſſionis *Marpurgenſi*, ubi propter impetratam victoriam ſingularem nactus eſt famam.

Conſiliarius Archiepiſcopi Bremenſis.

Anno ſequenti *Viennam* miſſus, toti patriæ ſalutarem habuit expeditionem. An. 1624. à Principe *Johanne Friderico*, Archiepiſcopo *Bremenſi*, cum Domini ſui conſenſu Conſiliarii dignitatem, ut & ipſi licet abſens à Conſiliis eſſet, accepit, quam functionem usque ad obitum Archiepiſcopi An. 1634. obtinuit.

Vice-Cancellarius Haſſiacus.

A. 1625. 7. Martii *Georgius*, *Haſſiæ Landgraſius*, qui vivo adhuc Patre *Reinkingii* prudentiam, eloquentiam, fidem & dexteritatem proſpexerat, Vice-Cancellariatûs officium ejus curæ mandavit.

Comes Palatinus.

An. 1627. Denuò Legatus miſſus ad Imperatorem *Ferdinandum II.* ut Principis *Georgii* nomine feuda Imperii ſuſciperet, ab hoc Imp. S. Palatii Comes creatus, poteſtatem creandi Notarios, aliaque Comitibus *Palatinis* conceſſa faciendi obtinuit.

Vix *Haſſiam* reſalutavit, cum an. 1628. munus ei Cancellarii à Principe *Auguſto*, Comite *Palatino*, ad *Rhenum* oblatum eſt, quod inſigni modeſtiâ recuſavit, cum Principum *Haſſorum* ad officia natum & educatum ſe diceret.

A. 1631.

Cancellarius Mecklenburgicus. A. 1631. Ab *Adolpho Friderico*, Principe *Mecklenburgico*, ad idem Cancellarii munus vocatus eſt, cujus viri dimiſſionem ipſe ille de rebus ſuis ſollicitus Princeps ad *Georgium*, *Haſſiæ Landgravium*, iter faciens, tandem difficulter impetravit. De quâ tamen dimiſſione poſteà pœnitentiâ ductus *Georgius Landgravius* ad *Megapolitanum* Ducem his verbis ſcripſit:

E. Lieb verſichern Wir / daß derſelben Wir nicht zu gar ſonderlich freund- vetterlichen gefallen / dieſen unſern Rath und *Vice*-Canzler überlaſſen hätten / daß bey itzigen Läufften / da dergleichen qualificirte und erfahrne Leut ſchwer zu überkommen / Wir lieber eines groſſen und etlicher 1000. Gulden werth wolten verluſtigt ſeyn worden; wie dann auf dieſe Stund Wir ſeine Perſon / obwoln an unterſchiedenen Orten / auch durch Abſchickung eigener Geſandten / Wir uns viel darum beworben / noch nicht wieder zu erſetzen wiſſen.

Mecklenburgicus ita Cancellarius non minori fidelitate ſuo munere functus eſt, quàm olim apud *Haſſiæ Landgravium*, quippè Legationes multas & laborioſas ad præcipuos Imperii Ordines, præſertim ad celebrem Conventum *Francofurti* A. 1634. habitum, Principis ſui nomine ſuſcepit.

A. 1636. Cum terra *Megapolitana* aſſiduis vexaretur bellis, ipſeque maximis in periculis & inſidiis verſaretur, domo à militibus importunè turbatus, cum totâ familiâ ſuâ *Lubecam* diſceſſit.

Cancellarius Archiepiſcopi Bremenſis. Cum verò *Fridericus*, tunc Archiepiſcopus *Bremenſis*, poſteà *Daniæ* Rex, Cancellarii munus ipſi in aulâ ſuâ obtuliſſet, dimiſſione honorificâ à Principe *Mecklenburgico* impetratâ, d. 25. April. an. 1636. illud in ſe ſuſcepit.

Conſiliarius Regis Daniæ, Non multò pòſt cum *Chriſtianus IV. Danorum* Rex, filium ſuum *Fridericum* tantum habere Cancellarium vidiſſet, ſuum quoque eſſe tantum Virum voluit: hinc in Conſiliariorum ſuorum numerum cooptatum, rebus maximi momenti deliberandis non rarò adhibuit.

A. 1638. Cum *Fridericus*, Archiepiſcopus *Bremenſis*, Evangelium *Auguſtanæ* Confeſſionis in Cathedrale Templum *Bremenſe* introduceret, *Reinkingius*, autoritate Regiâ munitus, opus illud graviſſimum ſummâ cum prudentiâ direxit, & *Bremenſium* argumenta tàm ſolidè publicis in Scriptis refutavit, ut quid tandem regererent, non invenirent.

& Cancellarius. A. 1648. *Friderici III. Daniæ* Regis, Cancellarius per Ducatus *Sleſvici* & *Holſatiæ* factus, mox in feſto Coronationis Regiæ Legatis Regi de novo honore gratulantibus, Regis nomine reſpondendo gratias egit.

22. Junii A. 1650. idem *Danorum* Rex ipſi Directorium ſupremæ Appellationis in Judicio *Pinnenbergenſi* demandavit.

11. Junii An. 1656. Imperator *Ferdinandus III.* publico diplomate Nobilitatem hæreditariam ad omnes poſteros tranſeuntem illi conceſſit, quem honorem illuſtriorem reddidit *Moguntini* clementia, certam pecuniæ ſummam pro impetratâ Nobilitate Imperio aliàs perſolvendam condonando. *Nobilitate donatur.*

Cum An. 1661. Conjugem cum duobus generis intrà paucas ſeptimanas morte ſublatos amiſiſſet, 25. Febr. an. 1633. ad ſecundas tranſit nuptias cum nobili matronâ *Dorotheâ*, *Johannis Viethen*, Ducis *Holſatiæ*, per *Dithmarſiam* Præfecti relictâ viduâ celebrans. *Conjugium ejus alterum.*

Decreſcentibus tandem corporis viribus, quas ſenectus quotidiè depaſcebat, langvorem gravem in pectore ſenſit, cum reſpirationis difficultate, vigiliis, & macie, quæ mala ſolertiſſimorum Medicorum artem & experientiam eludentia indies ingraveſcebant. Quare mortem inſtare ſibi præſagiens, cum 40. pauperibus, ergà quos totâ vitâ ſe præbuit liberalem, funus ipſius concomitantibus 100. imperiales legâſſet, & precibus ſubindè mentem muniviſſet, ultimumque Vale uxori, liberis, aliiſque adſtantibus dixiſſet, ſolo Chriſti merito nixus, in lecto erectus ſedens, vultu planè immutato, placidè mortuus eſt 15. Dec. A. C. 1664. ætatis 75. *Glückſtadii*. *Ergà pauperes beneficus.* *Moritur.*

Scripta edidit: *Scripta.*

Tractatum de Retractu Conſanguinitatis.

Regimine ſeculari & Eccleſiaſtico.

Tractatûs hujus Compendium & continuationem usque ad præſens tempus in gratiam Illuſtriſſimi cujusdam ipſius manu ſcriptum.

Die Bibliſche Policey / in gratiam *Friderici, Archiepiſcopi Bremenſis*, conſcriptam.

De animæ vitâ in morte.

Cypriani Tract. de Patientiâ Germanicè converſum.

Aphoriſmos Medico-Practicos in uſum proprium.

Orationem Parentalem in obitum Gotofredi Antonii, Cancell. & Jur. Prof. Gieſſ.

Diſputationem de Legibus & Armis.

Opuſculum poſthumum, quomodo in fide vivendum, patienter adverſum ferendum, & beatè denique moriendum ſit. **Oder: Betrachtung von der Bete- Leidens- und Sterbens-Kunſt.**

Reſponſum Juris, quod paulò antè mortem dedit in gravi causâ concernente Proceſſum contrà Sagam nulliter inſtitutum, & indè ortam diffamationem, ubi quædam de nocturnis Sagarum conventiculis, ſaltationibus, transmutationibus Perſonarum in alia animalia, confeſſionibus & aſſertionibus exactè examinavit, & requiſita totius Proceſsûs criminalis propoſuit.

* *Ex laudatione funebri Balthaſ. Arndt, Theol. ſtud.*

EPITAPHIUM: *Epitaphium.*

VIATOR QUISQUIS SISTE GRADUM ET QUOD SCRIPTUM EST LEGE.

QUID AGAM REQUIRIS? TABESCO. SCIRE QUIS SIM CUPIS? FUI, FUI THEODORUS REINKINGIUS, JURIUM PATER, PRO-

PROFESSOR, CONSILIARIUS, CANCELLARIUS. VITÆ QUÆ FUERINT CONDIMENTA ROGAS? LABOR, DOLOR, ÆGRITUDO, LUCTUS, JUGUM FERRE CAPTIVITATIS, QUOS CHAROS HABEAS, SEPELIRE, ET PATRIÆ VIDERE EXCIDIUM.

HOC VOLEBAM, VIATOR, NESCIUS NE ESSES.

QUÆ LEGISTI PENSITA. VALE.

Clar. A. C. 1665.

PETRUS JOHANNIS RESENIUS.

NAtus eſt *Hafniæ* 17. Junii An. C. 1625. Parentibus *Johanne Reſenio*, Epiſcopo quondam *Sielandiæ*, & *Thaliâ*, filiâ *Petri Johannis Vinſtrupii*, olim quoque dictæ provinciæ Præſulis.

Prima juventutis & literaturæ ſpatia decurrit *Hafniæ*, partim in Scholâ privatâ, docentibus *Chriſtiano Bie*, *Jano Karmachio*, & *Laurentio Martini*, felicibus ingeniorum formatoribus, partim in Scholâ publicâ, Rectore Magiſtro *Severino Petræo*, poſteà Regio Ethices Profeſſore.

Civis Academiæ Hafnienſis.

Hinc A. 1643. Civitate Academicâ *Hafnienſi* donatus, Rectore *D. Olao Wormio*, & Decano M. *Jacobo Finckio*, Philoſophiam & Theologiam triennii ſpatio didicit.

Baccalaureus. *Studioſus Lugduni Batavorum.*

An. 1646. Collega Scholæ *Hafnienſis* factus, in erudiendâ ad humanitatem juventute anno conſumpto, tituloque, qui à Baccâ nomen habet, accepto, Brabevte *Johanne Suaningio*, an. 1647. in *Belgium*, Socio itineris *Eraſmo Bartolino*, delatus eſt, ubi *Lugduni Batavorum Danielem Heinſium*, *Marcum Zuerium Boxhornium*, *Bernhardum Schotanum*, *Jacobum Meſtertium*, & *Arnoldum Vinnium*, quorum tunc celebris erat fama, per 4. annos Præceptores habuit, & *Claudium Salmaſium* aliquoties conſuluit.

Intereà ceſſantibus publicis exercitiis, civitates *Hollandiæ*, *Friſiæ*, *Brabantiæ* & *Flandriæ* inviſit.

Juris ſtudioſus Patavii. *Conſiliar. Nat. Germ. Juriſtar. & Vice-Syndicus.* *Juris utriusque Doctor.*

Luſtratis deindè A. 1651. & 1652. *Galliæ* & *Hiſpaniæ* Academiis & Urbibus celebribus, peregrinationis comitibus *Cornificio Trolle*, & *Johanne Heſſio*, ex *Galliâ* in *Italiam* trajecit, & *Patavii* integro anno vivens *Caimum*, *Galvanum*, & *Octavium Ferrarium* docentes audivit, Legalis ſtudii curſum ibidem abſolvit, Conſiliariatum Nationis *Germ.* Juriſtarum, & Vice-Syndicatum Univerſitatis geſſit, Anteceſſore Barone *Germanico*, cognomento *Gaas*, Succeſſore Nobili *Dano Georgio* Duce, ſupremoque in utroque Jure gradu decoratus eſt 11. Sept. A. 1653. Promotore *Marco Marchiano Vicentino*, Examinatoribus *Jacobo Caimo*, *Marco Aurelio Galvano*, *Jacobo Abbate de Salâ*, *Hieronymo Sacco*, *Antonio Aloyſio Antregbetto*, *Paulo de Caſtro*, & *Scipione Gonnemio*.

Hafniæ Profeſſor Ethica.

A. 1653. In Patriam redux, *Hafniæ* ſedem Laremq; fixit, atque A. 1657. Regiis auſpiciis Profeſſionis Ethicæ provinciam accepit, translato ad vitam meliorem M. *Severino Petræo*, & eod. anno Diſputationem inauguralem atque Orationem auſpicalem habuit.

Juriſconſult. ordinarius. *Conſul Hafnienſ.*

A. 1662. Secundus Academiæ Juriſconſultus ordinarius, & an. 1664. die 21. Aug. Conſul *Hafnienſis* conſtitutus eſt.

Scripta.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Diſputatio Inauguralis Ethico-Juridica de Juſtitiâ & Jure.

Edda Islandorum Snorronis Islandicè, Danicè, & Latinè, cum præfatione duplici: una de 4. rationibus docendi Ethicam, Scriptoribusque plurimis Ethicis, alterâ de Eddæ Samundi & Snorronis editione.

Philoſophia antiquiſſima Norvego-Danica, dicta Voluſpa Islandicè & Latinè.

Ethica Odini, vocata Haavamaal, unà cum ejusdem appendice, vocatâ Runa Capitulo, Islandicè & Latinè.

Oratio auſpicalis de uſu & neceſſitate Philoſophiæ in Juriſprudentiâ.

Oratio de excellentiâ Juris Danici, quoad cauſam efficientem, materiam, formam & finem, in ſolenni Rectoratûs mutandi actu habita An. 1658.

Orato de Fato Stoico, in gradu Baccalaureatûs habita A. 1661.

Oratio Jubilæa Ann. 1661. pridiè Cal. Nov. recitata, de mediis, quibus Religio repugnata & propagata; quâ occaſione inter Catechiſmum Lutheri & Scripta Ethicorum Ethnicorum, Philoſophorum & Poëtarum, tum quoad ipſius Dei verba, tum quoad Lutheri explicationem inſtituta eſt collatio.

Inſcriptiones Danicæ & Norwegicæ.

Lexicon Islandicum à Gudmundo Andreæ Islando ſcriptum, & à Reſenio auctum.

Tractatus de Origine & propagatione Ethices usque ad noſtra tempora, per Scriptores Hebræos, Arabicos, Græcos, Latinos, Italicos, Hiſpanicos, Gallicos, Germanicos, Anglicos, Danicos & Islandicos.

Chronologia Juris Civilis & Eccleſiaſtici, non ſolùm Danici & Norwegici, verùm etiam Islandici & Grönlandici, Danicè & Latinè conſcripta ad imitationem Chronologiæ Juris Civilis & Canonici Romani à Freymonio, Contio, Giphanio, & tandem Frebero editæ.

Fundamenta Juris Civilis & Canonici.

Juriſprudentia Romano-Danica.

* *Ex Academiâ Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Clar. A. C. 1665.

JOHANNES MüLLERUS.

Jur. ſtud. Gryphiswald. & Roſtoch.

ROſtochii natus, poſitis in Scholâ Triviali patriâ, Rectore Dn. M. *Henrico Vulpio*, tum in Gymnaſio *Hallenſi* bonarum literarum fundamentis, viciniſque Archiepiſcopatui *Magdeburgico* Academiis *Lipſienſi* & *Wittebergenſi* viſis, Juris ſtudio primùm in *Gryphiswaldenſi*, pòſt in patriâ *Roſtochienſi* operam navavit, & hîc Diſputationes publicè duas exhibuit.

Deindè peregrinationem iniit cum patriciis *Lubecenſibus* ſibi commiſſis *Paulo*, Juris pòſt Doctore, & *Henrico Vedenboſiis*.

In patriam ex peregrinatione redux, & luſtratis per hanc *Belgii*, *Angliæ* & *Galliæ* Academiis, acquiſitâq; Linguarum *Gallicæ*, *Italicæ*,

Italicæ, & quodammodo *Hiſpanicæ* notitiâ, Nobili *Pomerano*, D. *Johanni von Zaſtroven*, tunc Referendario in aulâ *Sedinenſi*, pòſt Conſiliario Electoris *Brandeburgici*, Juridicum ſtudium *Roſtochii* recolenti operam ſuam addixit: Cumque innotuiſſet Dom. *Chriſtophoro von der Lippen*, Cancellario & Conſiliario Regio, ejus ſuaſu agendis in *Holſatiâ* cauſis Advocatus præfuit.

Advocatus Regis Daniæ in Holſatiâ.

An. 1645. à Celſiſſimo Principe Dom. *Johanne Chriſtiano*, Duce *Sleſvigæ* & *Holſatiæ*, præviâ vocatione, ad Conſilia adhibitus, fidem & induſtriam Principi huic ultra 20. annos approbavit.

Conſiliarius Ducis Holſatiæ.

A. 1649. Juxtà cum nobili viro Dn. *Chriſtophoro ab Offenberg*, Præfecto Aulæ *Norburgenſis*, Ducum *Holſatiæ* nomine ad Sereniſſimum *Daniæ* Regem *Fridericum III.* miſſus, *Hafniæ* in ſolenni Procerum conventu à Rege & Regno *Daniæ* Inveſtituram Feudi *Sleſvicenſis* Legatus petiit & impetravit.

Legatus Ducum Holſatiæ ad Regem Daniæ.

Expeditâ hâc Legatione, vocatus eſt voluntate Sereniſſimi Regis in locum defuncti Dom. *D. Claudii Plumii* publicus in Academiâ *Hafnienſi* Juris Profeſſor. Diſputavit more majorum pro Cathedrâ an. 1650. & brevi pòſt Sacramentum Profeſſorium dixit in Conſiſtorio. Paulò pòſt initium Lectionum publicarum fecit, Oratione introductoriâ, ut mos eſt, prius habitâ.

Juris Profeſſor Hafniæ.

Cum autem jam antè *Roſtochii* 1. Nov. an. 1649. pro gradu Doctoratûs diſputâſſet, Titulum & Inſignia Doctoralia in eâdem Academiâ 27. Aug. A. 1650. primo loco inter 7. Candidatos accepit.

Juris Doctor Roſtochii.

Eoſdem honores ipſe an. 1657. *D. Petro Suavenio*, Juris Profeſſori in Academiâ *Hafnienſi* Regio contulit an. 1651. & an. 1661. Summum Academiæ Magiſtratum geſſit: ſed ſecundi hujus Rectoratus menſe ſecundo expetitus à Civitate *Flensburgenſi*, per Delegatos, Senatorii Ordinis duos, & Civium Seniorum unum, Conſul Urbis, impetratâ à Rege & Academiâ dimiſſione, Civitatis votis annuit, & 18. Octob. Conſulatum ſuſcepit.

Conſul Flensburgenſis.

Ex Uxore *Agnetâ*, Nob. Dom. *Chriſtophori von der Lippen* filiâ plures liberos ſuſtulit, è quibus primogenitus filius *Johannes* A. 1658. Civitatem Academicam *Hafniæ* conſecutus eſt.

Scripta.

Edita ab eo ſunt Scripta ſequentia:

Diſputatio Inauguralis.

Diſputationes de Injuriis.

De Emptione & Venditione.

Diſputationes de Actionibus rerum in Navem, vel Diverſorium receptarum nomine competentibus.

Diſputationes 6. feudales.

* *Ex Academiâ Hafnienſi, repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1665.

HENRICUS BINNIUS.

Editus eſt in hanc lucem 28. Nov. A.C. 1610. in *Barum*, pago præfecturæ *Lichtenbergenſis*, in Ducatu *Guelpherbytano*, Patre M. *Petro Binnio*, in *Barum*, *Kram*, & *Herd* Paſtore, vicinarumque Eccleſiarum Superintendente ſpeciali, matre *Eliſabethâ Fiedleriâ*, *Johannnis Fiedleri*, Civis *Guelpherbytani*, & ibidem in aulâ honorato officio functi filiâ.

Filius Theologi.

Cum ex privatæ Scholæ umbrâ in lucem publicæ inſtitutionis prodire geſtiret, ad celebrem Cœnobii *Walckenriedenſis* ludum an. 1622. ex voluntate Parentis ſe contulit, illius Cœnobii priori M. *Joachimo Hildebrando*, & Scholæ Rectori M. *Johanni Boltenio* diligenter commendatus.

Diſcipulus in Scholâ Walckenried.

Triennio exacto abire coactus eſt indè ob belli turbas, cum & ipſum Cœnobium indignis modis per improbum militem habitum, & totus ibi docentium pariter ac diſcentium cœtus diſſipatus eſſet.

Indè igitur ad parentes ſe recepit: cum verò illi itidem ob crebras militum excurſiones & rapinas *Guelpherbytum* conceſſiſſent, illeque locus multo præſidiario milite impletus eſſet, *Brunsvicum* ſtatim ivit, ubi tum juventutem dextrè docebat M. *Johannes Struvius*, cui ulterius perpoliendum ſe tradidit, & ab eodem haud perfunctoriam cum *Græcarum* tum *Latinarum* literarum cognitionem accepit.

& Brunsvici.

Et verò ejuſdem informationem tanti fecit, ut cum is A. 1627. ad Scholam *Hannoveranam* vocatus illuc ſe conferret, comitaretur eum uſque ad an. 1630. ab ejus ore & nutu totus pendens: eo quidem eventu & fructu, ut præter aliam elegantem doctrinam & Carminis tum *Græci* tum *Latini* pangendi expeditam ſibi comparâſſet facultatem.

& Hannoveræ.

Ex quo factum eſt, ut à *Struvio* dilectus & dignus judicatus fuerit, qui ob uberiorem ingenii culturam Academiam *Juliam* adiret. Hoc cum in animo haberet, atque adeò, habitâ priùs ipſo Senatu præſente oratione valedictoriâ, & honorifico Teſtimonio ornatus *Hannoverâ* diſcederet, fortunam conatibus ſuis adverſam expertus eſt.

Etenim ſumtûs ad vitam in Academiâ tolerandam neceſſarios à parentibus petiturus, eorum conditionem belli ac incendiorum incuriis ita afflictam deprehendit, ut tum quidem voti ſui compos fieri non potuerit.

Poſt duos demùm annos A.C. 1632. occaſione oblatâ, venit in Academiam *Juliam*, in quâ cum triennium Legum ſcientiæ addiſcendæ operam impendiſſet, iterum ſumtibus deſtitutus, telam cœptam abrumpere, & hinc diſcedere coactus eſt.

In Academiâ Juliâ Legum ſtudioſus.

A. 1637. *Conradi Horneji* literis commendatitiis inſtructus, à Magnifico Viro *Arnoldo Engelbrechto*, Cancellario *Brunsvicenſi*, & Oratore ſui temporis celebri, in familiam adſcitus eſt, & filiorum duorum informationi præfectus: cum quibus an. 1639. in Academiam *Juliam* miſſus, ordinis Profeſſorii ſibi benevolentiam conciliavit, & anno ſequenti Academiæ Secretarius conſtitutus eſt, eamque provinciam per 9. annos laudabiliter adminiſtravit.

Secretarius Academiæ Juliæ.

Conjugem duxit.

Ibidem an. 1649. die 6. Sept. domum duxit honeſtam matronam *Margaretham Strubin*, Dn. D. *Balthaſaris Rinckii*, Pandectarum quondam in Academiâ illâ Profeſſoris viduam: cum eodem die à Dn. *D. Johanne Lotichio*, Jur. Profeſſore Ord. ſui Seniore & Decano, unà cum aliis 5. Candidatis Juris utriusque Doctor ſolenni more publicè renuntiatus eſſet.

Juris Doctor renuntiatus.

Paulò pòſt à Sereniſſ. Principe *Dom. Auguſto*, Academiæ tunc Rectore, in Judicii ſui aulici Aſſeſſorum ordinem clementer allectus eſt & cooptatus. Cum anno ſeq. 1650. per Sereniſſ. Ducum *Brunsvicenſium* Legatos ſolennis Academiæ viſitatio inſtituta eſſet, omnium conſenſu Profeſſor Inſtitutionum & Criminalium ordinarius dictus, proximo anno confirmatus, & more conſueto in ordinem Profeſſorium reapſe adſcitus eſt: quod munus ita obivit, ut & Collegis & ſtudioſæ juventuti haud parvum ſui deſiderium reliquerit.

Aſſeſſor Judicii aulici Brunsv.

Profeſſor Inſtit. & Criminal.

Præterquàm enim quod adeò ſedulus & conſtans fuit in publicis prælectionibus habendis, ut nullam temerè omiſerit, facili etiam ac perſpicuâ docendi ratione effecit, ut Legum ſtudioſi juvenes frequentes eum ſtiparent, libenterque & conſtanter audirent.

Conjugium concors habuit, & amore mutuo jucundum, primum quoque geminâ prole, alterâ melioris, alterâ ſequioris ſexus fœcundum: quæ tamen felicitas per immaturum utriusque ſobolis obitum eſt interrupta.

Privignam adoptavit in filiam.

Cum verò damnum illud ſecuturis aliis tori jugalis pignoribus compenſatum iri ſperaret, privignam ſuam *Annam Suſannam Rinckiam*, ut quæ eum ceu alterum parentem ſemper coluiſſet, Magnifico Vice-Rectore aliisque Collegis præſentibus, ſolenni ritu filiam adoptavit, & egregriè dodatam Dom. *Enocho Gleſero*, Juris Doct. & Profeſſori tunc temporis Extraordinario in matrimonium petenti conceſſit.

Moritur.

Viribus tandem ex atrophiâ ſcorbuticâ cum ſudore nocturno, alvi fluxu colliquativo, & cutis exulceratione proſtratis, in Deo exſpiravit 2. Maji A.C. 1665. ætat. 55.

* *Ex Programm. funebri Prorectoris Academiæ Juliæ.*

Scripta.

Scripta:

De Juribus Majeſtatis circa profana conſtitutis.

De Succeſſionibus ab inteſtato.

De Furto.

De Jurisdictione.

De Teſtamentis.

De Locatione & Conductione.

De Legatis.

De Renuntiationibus ſucceſſionum, præcipuè inter illuſtres nobilesq́, famlias uſitatis.

De Mortis causâ Donatione.

De ſtatu regionum Germaniæ, & Regimine Principum ſummæ Imperii Reip. æmulo, nec non de uſu & autoritate Juris Civilis privati, quam in hâc parte Juris publici obtinet, Diſput. Inauguralis.

BENEDICTUS CARPZOVIUS Filius.

Obiit A.C. 1666.

Spiritum primum duxit *Wittenbergæ* An. C. 1595. d. 27. Maji Patre *Benedicto*, magni nominis J.C.to, Electoralis viduæ, ut & Comitum *Reinſteinenſium* & *Blanckenburgenſium* Cancellario, Elect. *Sax.* à Conſiliis intimis & appellationum, Avo Dom. *Simone Carpzovio*, Conſule *Brandenburgenſi*; Matrem habuit *Annam*, Dom. *Conradi Fluthi*, Senatoris *Wittenbergenſis* filiam.

Parentes ejus.

Chriſto & Eccleſiæ per Baptiſmum inſertum, Parentes optimi ſtatim à teneris, quod ajunt, unguiculis literis & virtutibus genere ſuo dignis imbui curârunt, ac proindè Præceptorum doctiſſ. ſummis poſtmodùm gradibus condecoratorum *D. Mich. Ledereri*, Senioris, *D. Henckelii*, M. *Chriſtophori Pflugii*, M. *Joach. Oeleri*, & Dom. *Thomæ Pflugii* fidei ac informationi crediderunt.

Præceptores ejus domeſtici.

Quanquàm enim Avus ejus paternus literis & armis filios ſuos excellere voluerit, prout *Joachimus Carpzovius*, *Brandenburgicus* cognominatus, virtutibus ſuis bellicis ita inclaruit, ut à *Johanne Cluverio Hiſt. univerſal. lib. 10.* & *Emanuele Metterano Laureæ Naſſov. lib. 40.* & illo quidem *Carpezani*, hoc verò *Carpenſonii* nomine ſummis laudibus efferatur, ad ſuum tamen exemplar Dom. Parens filios conformari, & togatis virtutibus inclareſcere maluit: nec operam luſit, cum omnes ejus filii ſummis honorum gradibus condecorati & ampliſſimis muneribus adhibiti fuerint.

Quatuor ejus fratres J.C.ti.

Natu quippè primus *Conradus Carpzovius*, J.C. & Comes *Palatinus* Cæſareus, poſtquàm per annos 17. Inſtitutionum & Codicis in Academiâ *Wittenbergenſi* Profeſſor Ord. tàm publicâ quàm privatâ informatione ſtudioſæ juventutis commodis velificatus fuiſſet, Judicii Appellationum in aulâ Electorali aſſeſſor de publico præclarè meruiſſet, aliisque tam Electoribus quàm Principibus Imperii conſiliis ſuis domo allatis adſtitiſſet, à Sereniſſ. Principe *Auguſto*, Archiepiſcopatûs *Magdeburgenſis* Adminiſtratore, Cancellarius & Conſiliarius intimus vocatus, per annos 20. ſpartam illam decenter ornavit.

Tertius in ordine natus *D. Chriſtianus Carpzovius* in Academiâ cis *Viadrum* Profeſſoris Pandectarum provinciam cum laude obivit.

Quartus vir Reverendus *D. Joh. Benedictus Carpzovius*, S. Theol. Profeſſor in Academiâ *Lipſienſi* publicus Conſiſtorii Elect. aſſeſſor, & ædis ad D. *Thomæ* Eccleſiaſtes ſcriptis & vivâ voce docens Eccleſiam Chriſti ſibi devinxit.

Quintus & natu minimus *D. Auguſtus Carpzovius* A. 1647. ad Tractatûs Pacis *Oſnabrugenſis* Celſiſſimi Ducis *Sax. Altenburg.* nomine Legatus, poſteà Cancellarii, Conſiliarii intimi, & Præſidis officio in Ducatu *Coburgenſi* ſummo cum ſubditorum emolumento functus eſt.

Sicut

Digitized by Google


ENEDICT' CARPZOVIUS
Saxon. Consiliari' intimus
TOBIAS ÖLHAFEN
QUIRINUS SCHACHER'
Senator Lysiensis
GEORG ACHATI' HEHER
Cancellarius Schwartzenburgic
WILHELM' SCHMIDIUS
General Secret.
IOH CASPAR LENZI'
Senator et Consil. Ratisbon
HIERONYMUS IM HOFF
Brunsvic
IOH. GEORG STYRM
Consularis Rotenburg
AMADE' ECKOLT
IOH MICH MOSCHEROS
IOH. IACOB' PŒMERUS
Senator Norimbergensis
NICOLAUS RITTERSH
IOH GEORG SCHUSTER
Heidelbergensis
IOH IODC' FELWINGERUS
GEORGI' FRIDRC WAGNER
IOH. BRUÑE MAÑU

Sicut itaque parens *Benedictus Carpzovius* in educatione filiorum voti compos evaſit, ita in hoc ſuo filio cognomine natu ſecundo eodem non excidit.

Cum fratre Conrado acceſſit Wittenbergam. Is cum fundamenta in literis, artibus imprimis inſtrumentalibus & linguis laudabilia ſub manuductione Præceptorum ſuorum jeciſſet, An. C. 1610. æt. 15. unà cum fratre *Conrado* in Academiam *Wittenbergenſem*, ut fundamentis iſtis ſuperſtrueret, *Colditio* ex arce viduæ Electoris miſſus, ſtudio *Juris ſtud.* Juris ſe totum addixit, & per quinquennium unà cum fratre prælectionibus publicis & privatis Dnn. Profeſſorum Juris nexu indivulſo adhæſit, in palæſtrâ diſputatoriâ ſeſe opponendo & reſpondendo exercuit.

Lipſiæ & Jenæ. A. 1615. Menſ. Nov. fratres ambo *Lipſiam* ſe contulerunt, ubi per annum ſubſtiterunt, & poſtmodùm in Academiâ *Salanâ* talento divinitùs conceſſo lucrari cœperunt, dum alternis quotidiè prælegendo, & in arenâ diſputatoriâ præſidendo ſtudia juventutis provexerunt.

Cum ita biennium & dodrantem ibidem ſubſtitiſſet, menſ. Majo A. 1618. *Wittenbergam* reverſi, habitâ circà Dec. initium Diſputatione de Regalibus ſub Præſidio D. *Wolffgangi Hirſchbachii*, cui fratres ambo reſponderunt, Licentiam Doctorales aſſu-*Wittenbergæ unà cum fratre Conrado Doctor Juris.* mendi honores nacti, an. ſeq. 1619. d. 16. Febr. Doctoralem in utroque Jure, Ordinario *D. Barthol. Reuſnero*, & Decano *D. Eraſmo Unruhio*, cum Dom. Parentis & bonorum omnium congratulatione fuêre conſecuti.

Mox *D. Conradus* ab Illuſtriſſ. *Pomeraniæ* Duce *Franciſco* Conſiliarius aul. expetitus *Itinera ejus.* eſt, à quo divulſus frater menſ. April. anni ejuſdem per *Germaniam* in *Italiam* iter inſtituit, & viſis *Venetiis*, *Româ*, locisque celebrioribus aliis, & linguæ cognitione non mediocri comparatâ, per *Galliam* in *Angliam* & *Belgium* perrexit.

Dum verò huic temporis nonnihil dare *Lipſiæ Scabinatûs Electoris aſſeſſor extraord.* cogitat, per literas à Dom. Parente domum revocatus eſt, eò quod locus extraordinarius in Scabinatu *Lipſienſi* ab Electore *Sax.* decretus ipſi fuerit, quem etiam redux factus An. 1620. 25. April. præſtito prius juramento ſolenni, adiit.

Poſt interjectum triennium *D. Theodoro Sitzmanno* demortuo, Scabinatûs Aſſeſſor *Dicaſterii Provincialis aſſeſſor.* Ordinarius factus, gradatim altius aſcendit, & A. 1636. Dicaſterii ſupremi Provincialis, & an. 1639. Conſiliarius, & Electoris in Judicio Appellationum, quod *Dreſdæ* eſt, Aſſeſſor præmiſſis juramentis ſolennibus factus eſt.

In his officiis cum fidem & dexteritatem ſuam per annos 24. abundè probâſſet, An. *Conſiliar. Elect. aulicus.* 1644. menſ. Aug. Conſiliarius Electoralis aulicus à Sereniſſ. Elect. *Sax. Joh. Georgio I.* vocatur, cujus adeundæ provinciæ gratiâ familiam ſuam *Dreſdam* menſ. Nov. transtulit, ſed præter ſpem poſt obitum *D. Sigismundi Finckelthuſii* magni nominis J.C. Or-*Lipſiæ Juris Profeſſor ordinarius.* dinariatûs *Lipſienſis* munus unà cum Profeſſione Decretalium, aſſeſſuræ Curiæ provincialis primariâ & Conſiſtorii Eccleſiaſtici directione devolvitur, & ita quidem, ne Senioratu in Scabinatu Electorali per annum integrum cedere cogeretur. Huic oneri ſuccollavit quidem, ſed tamen aſſeſſuram & directorium in Conſiſtorio Eccleſiaſtico, ne penitùs ſuccumberet, declinavit.

Reverſus itaque cum familiâ ſuâ *Lipſiam*, menſ. Majo an. 1645. à Dominis Commiſſariis Electoralibus delatum ad ſe munus Ordinariatûs, præſentibus Juridicæ Facult. Dnn. Aſſeſſoribus, & præſtitis præſtandis ſuſcepit.

Poſt biduum primam in Facult. ſeſſionem habuit, & eodem menſe Majo primum in Jure Baccalaureum tunc temporis Philoſ. Magiſtrum, & Jur. Candidatum Dn. *D. Enochum Heilandum* creavit. *D. Enoch. Heilandum creavit Juris Baccalaureum.*

Paulò pòſt, præmiſsâ Oratione inaugurali, Prælectionum ſuarum initium fecit, Diſputationem primam ac ſolennem habuit, & locum in Conſilio Profeſſorum obtinuit, 2. Junii ſedem primariam directorium obtinentem in directorio provinciali ſupremo adiit.

Menſ. Aug. Natio *Saxonica* Senioratum, & Concilium Nationale Decemviratum menſ. Dec. ad ipſum detulit: ſed Senioratum propter moleſtias varias cum ejusmodi cenſuum exactionibus conjunctus, anno ſeq. *D. Joh. Hülſemanno* ceſſit. Poſt intercapedinem anni Senioratus in Scabinatu, ne tamen in exemplum id traheretur, ei fuit prorogatus.

A. 1653. Ab Elect. *Sax. Joh. Georgio I.* inter Conſiliarios ſecretos vocatus, arduum *Conſiliarius ſecretus Sax.* hoc munus nolens volens ſuſcepit, & 17. April. juramento ſe adſtrinxit, locumque in Collegio iſto ſupremo menſ. Junio obtinuit. Factum exindè, ut omnibus ſuis officiis, præter aſſeſſuram in judicio appellationum renuntiârit.

An. 1656. Poſt obitum Sereniſſ. Electoris filius *Joh. Georgius II.* officium, quod in Conſilio ſanctiore ſuſtinuit, ipſi gratioſè prorogavit.

Ingraveſcente verò ætate, viribusque corporis decreſcentibus, ut à continuis laboribus reſpirare poſſet, locum in Scabinatu *Ad Scabinatum Lipſienſ. rediit.* *Lipſienſi* vacantem iterum cum Electoris gratiâ occupavit, & *Lipſiam* rediit an. 1661.

Tunc *Albis* ſtudioſorum hæc verba, *Extrà Lipſiam vivere eſt miſerrimè vivere*, priſtinæ conditionis memor, inſcribere ſolebat.

28. Aug. A. C. 1627. Virginem nobilem *Conjugium ejus duplex.* *Reginam*, Dom. *Henrici Clausburgii* in *Melſelwitz* & *Thierbach* hæreditarii filiam, per ſolennitates Eccleſiaſticas in præſentiâ Legatorum Electoralium & Ducalium ſibi junctam vitæ ſociam accepit. Conjugalis hic amor quinque pignoribus, tribus maſculis, *Benedicto*, *Henrico Julio*, & *Benedicto Henrico*, nec non duabus fœmellis, *Reginâ Eliſabethâ* & *Reginâ Chriſtinâ*, in infantili ætate denatis omnibus, fuit obſignatus.

A. 1637. & ipſa jugalis ſuaviſſima extincta ſupremum vale dixit. Cum verò viduitatem

tatem triennio exegiſſet, cum virgine *Catharinâ*, viri Reverendi Doct. *Mauritii Burcardi*, Theolog. Profeſſ. & ædis *Thomanæ* Eccleſiaſtæ filiâ fœdus conjugale, quod medio Novemb. An. C. 1640. per benedictionem Sacerdotalem conſummatum fuit, pepigit.

Quod matrimonium, ſterile licet, ſuaviſſimum tamen, extitit,& dulcius indies evaſiſſet, niſi mors invida par hoc amabile per Collateralis mortem immaturam, cum ultrà decennium commune jugum ſuaviter traxiſſent, 26. April. an. 1651. disjunxiſſet. Abindè verò res domeſticas per Sororem dilectam, & poſt ejus mortem per Conſanguineas & Affines adminiſtrari curavit.

Pietas ejus. In vitâ ſuâ veri Chriſtiani fuit amuſſis, hypocriſin omnem vitavit, à Concionibus ſacris & precibus publicis, niſi à cauſâ ſonticâ retraheretur, nunquàm abſuit, menſtruo ferè ſpatio Euchariſtiæ uſurpatione fidem ſuam nutrivit, Bibliorum exemplar, quod ad extremum volebat halitum, ter & quinquagies à capite ad calcem percurrit, nec lectione contentus, commentariis etiam evolvendis certas diei horas deſtinavit, ſuper Biblia ſacra meditationes proprias conſignavit, ut ſi Soli ſiſterentur manuſcripta ipſius omnia, Theologica Juridicis palmam facere poſſent ambiguam, Conciones quas audivit ſacras, in tabellas domi congeſſit, uno verbo: πολίτευμα ſuum in cœlis habuit.

A morbis gravioribus per totam vitam DEI gratiâ immunis fuit, niſi quod annis poſtremis cum calculi doloribus & articulari morbo colluctari cœperit. Diarrhœa tandem ab octiduo decumbere coactus, in precibus & ſacris meditationibus aſſiduus, integro rationis uſu pollens, ſine motu & metu inter preces adſtantium, in manum Salvatoris animam beatam emiſit 5. Cal. Sept. A.C. 1666. æt. 72. *Morbus & mors beata.*

BENEDICTUS CARPZOVIUS JURISCONSULTUS.

Per Anagr. Z in TS.

Abis nunc juſtus, ut parus ſit Cœlis decor.

Nunc Vir juſtus abis, injuſto hoc Orbe relicto,

Parus ut in Cœlis ſit Tibi abundè decor.

M. Job. Frentzel.

Libros ſcripſit & edidit: *Scripta.*

A. 1635. Practicam rerum criminalium.

A. 1639. Definitiones forenſes, vel Jurisprudentiam forenſem Romano-Saxonicam ad Conſtitutiones Electoris Auguſti.

A. 1640. Commentarium ad Legem Regiam Germanorum.

A. 1642. Reſponſa Juris Electoralia.

A. 1649. Opus definitionum Eccleſiaſticarum & Conſiſtorialium, cum Diſputationibus de uſu arboris conſanguinitatis & affinitatis annexis.

A. 1652. Tres Tomos Deciſionum Saxonicarum.

A. 1657. Proceſſum Juris Saxonici &c.

* *Ex Programmate funebri Rectoris Lipſienſis.*

TOBIAS OELHAFIUS. *Obiit A.C. 1666.*

NOrimbergæ natus eſt 23. Aug. An. C. 1601. Patre *Eliâ*, Eleemoſynarum Præfecto, *Johannis* filio Judicii Aſſeſſoris: Matre *Hedwige*, *Thomæ Löffelholtzii*, Senatoris filiâ. Cum in Scholâ triviali literarum primitias hauſiſſet, A. 1615. unà cum fratre natu majore *Eliâ* in Academiam *Altorfinam* miſſus, ſecundam Claſſem frequentavit, uſque ad feſtum Academiæ proximum *D. Petri & Pauli*, quo promotus ad primam Claſſem in diſtributione prœmiorum publicâ, primum locum extrà ordinem & morem obtinuit. Claſſes egreſſus, & Lectionibus publicis audiendis intentus, ſtudio Juris & Politico ſe dedit, unà Matheſi delectatus. *Altorfii Claſſes frequentat, & præmium accipit.*

Binas intereà Diſputationes publicas habuit, unam cum præſidio *Michaëlis Piccarti*, de formis & ſpeciebus Rerumpublicarum, alteram de donationibus ſub *D. Joh. Gerhardo Frauenburgico.* *Bis diſputat.*

A. 1620. *Altorfio* diſcedens, cum *Georgio Pfintzingio*, patriæ poſteà Senatore, *Tubingam* ſtudia transtulit, ubi in Linguis *Gallicâ & Italicâ* quoque fundamenta poſuit, iterumque binis Diſputationibus publicis, in Collegio Pandectarum, Præſide Dom. *Conrado Rumelino*, & de Magiſtratibus, ſub præſidio *Chriſtophori Beſoldi*, J. C. celeberrimi profectûs ſuos manifeſtavit. *Tubingæ bis diſputat.*

An. 1621. Cum eodem contubernali ſuo *Argentoratum*, & mox *Baſiléam* concedens, ibi biennio ferè ſtudia tractavit, & ante diſceſſum ſuum Diſſertationem de Principiis Juris, ſine Præſide, publicæ ventilationi ſubjecit, ut jam tunc an. æt. 22. Doctoralibus honoribus acquirendis, modò voluiſſet, idoneus fuerit. *Baſileæ ſine Præſide diſputat.*

Patris autem conſenſu *Baſileâ* in *Galliam* iter ſuſcipiens, per *Genevam* & *Lugdunum* in Academiam *Biturigum* venit, in quâ mox Nationis *Germanicæ* ac *Belgicæ* Orator electus eſt. *Iter ejus per Galliam & Angliam.*

An. 1624. *Aureliâ* & *Lutetiâ Pariſiorum* perluſtratis, per *Piccardiam Caletum* diſceſſit, exindè *Londinum* in *Angliam* transgreſſus, cum regnum illud ſatis perluſtrâſſet, unà cum itineris ſocio *Abrahamo Gölnizio* per *Belgium* in *Galliam* & Urbem *Pariſiorum* reverſus eſt.

Cum verò aliud iter in *Italiam* & *Hiſpaniam* ſuſcipere cogitaret, domum revocatus à patre, parere coactus eſt, & 16. Febr. An. 1629. *Norimbergam* feliciter reverſus, à Parentibus ſummo cum gaudio exceptus eſt. *In patriam reverſus.*

Mox in conjugium futurum ipſi promiſſa fuit virgo *Anna Sabina*, Nob. & Prudentiſſ. Dom. *Georgii Chriſtophori Volcameri*, Senatoris filia, *Georgii Volcameri*, Duumviri neptis, unaque Conſiliarii in patriâ locus reſervatus eſt.

Iter

In Italiam iter ſuſcipit. Iter itaque in *Italiam* ex voto ſuſcepit, & 26. Maji A. 1625. unà cum *Georgio Holtzſchuchero*, poſteà Senatore, diſcedens *Veronam, Patavium, Venetias, Romam, Neapolim*, & *Genuam* acceſſit, cumque linguam *Italicam* ſatis didiciſſet, menſ. Jun. A. 1626. *Noribergam* feliciter rediit.

Statim deindè concedens *Altorfium*, ibi prægreſſis Examinibus ſolitis cum Diſputatione inaugurali de Appellationibus, ſub Procancellariatu Patrui ſui D. D. *Joh. Chriſtophori Oelhafii*, ſolenniter in Doctorem Juris, ſub qualitate & titulo Conſiliarii *Norici*, promotus & proclamatus eſt menſ. Febr. An. 1627. *Doctor Juris Altorfii.*

Sponſalia celebrat. Paulò ante 26. April. A. 1626. *Noribergæ* cum promiſſâ ſibi virgine *Annâ Sabinâ Volcameriâ* ſponſalia ſolenniter celebravit, cum quâ totis 40. annis in conjugio felici vixit, ex eâque duos ſuſcepit filios, *Georgium Chriſtophorum* in infantiâ denatum, & *Georgium Tobiam*, qui 12. Junii A. 1632. natus, Patris veſtigia ſecutus, cum Dom. Parente Procancellario præſente in Academiâ *Altorfinâ* A. 1662. ſolenniter Doctor Juris renuntiatus eſſet, abindè Conſiliarii quoque munus in patriâ obivit. *Filius ejus Doctor Jur. creatus.*

Duas etiam ex conjuge filias ſuſcepit, quarum natu major *Maria Salome Georgio Jacobo Pömero*, Præfecto *Lauffenſi*, nupta fuit, ex quâ 5. nepotes vidit, altera *Helena Sabina*, Dom. *Tobiæ Tuchero*, Dicaſterii *Noric.* nunc Præſidi, conſors conjugii data fuit.

Legationes ejus. Varias Reipublicæ patriæ nomine legationes cum laude ex honore expedivit, An. C. 1634 ad Confœderationem *Francofurti*, & poſteà *Pragæ* inſtitutam, A. 1640. ad Comitia *Ratisbonenſia*, A. 1644. ad Generales Pacis Tractatus *Monaſterii* & *Oſnabruggæ* habitos, A. 1652. iterum ad Comitia *Ratisbonenſia*, A. 1655. ad Conventum Imperii *Francofurti* inſtitutum, & A. 1659. *Ratisbonam* translatum.

Procancellarius Altorf. A. 1652. Poſt obitum *D. Georgii Richteri*, Procancellarii in Academiâ *Altorfinâ*, munus ſuſcepit, idque ad finem vitæ ſuſtinuit. A. C. 1662. die *Georgii Altorfii* in promotione Doctorali filii ſui unici *Georgii Tobiæ Oelhafii*, J. C. Orationem dixit inauguralem ex Præceptis ſacris *Tobiæ* Patris ad *Tobiam* filium.

Vir multæ lectionis præcipuè delectatus eſt Librorum lectione, quâ de causâ ſibi dimidii tantùm anni ſpatium à laboribus vacuum ſæpè exoptavit, quo Bibliothecâ ſuâ ſummâ cum diligentiâ congeſtâ frui poſſet.

An. 1664. æt. 63. hemiplexiâ gravi correptus, abindè viribus ſenſim decreſcentibus calculi doloribus & aſthmate cum vigiliis afflictus, tandem in Chriſto exſpiravit 27. Oct. A. C. 1666. æt. 66. *Moritur.*

DoCtor *TobIas* ÖLhafen MortVVs Vernat.

FaMâ DoCtor *ÖLhafen sVâ VIVet.*

TOBIAS OELHAFEN JURISCONSULTUS ATQUE CONSILIARIUS NORICUS.

Per Anagramma *Danielis Wülferi:*

Is qui hic ore ſuo inclaruit, nunc abit è ſolo à ſuis, floret ſanus.

* *Ex Concione funebri Joh. Mich. Dilherri, & Epicediis.*

Edidit:

Templum Pacis in Rom. Germanico Imperio exſtructum, ſive *de Pace Germaniæ reſtauratâ, ejusq; conſervandæ & ſtabiliendæ mediis Orationes Panegyricas V. in totidem Inauguralibus in Academiâ Altorf. habitas.* *Scripta.*

Monetam Deam, ſive, *de Rei Monetariæ hodierno in Imperio Romano-Germanico Statu corruptiſſimo Orationes VIII. cum præcipuas cauſas, tum convenientia aliqua remedia exhibentes in diverſis inauguralibus Actibus in Academiâ Altorfinâ habitas. Subjunctâ in fine Oratione ſingulari, Speculum veri ac boni JureConſulti, Conſiliarii & Politici, inſcriptâ.*

Diſputationes diverſis locis temporibusq; habuit: *de formis & ſpeciebus Rerumpublicarum: de Donationibus: de Magiſtratibus: de Principiis Juris: de Appellationibus.*

REMIGIUS FÆSCHIUS.

Obiit A. C. 1667.

Natus eſt *Baſileæ* 26. Maji An. C. 1595. inter 13. filios primogenitus. Patrem habuit *Johannem Rudolphum Feſchium*, Conſulem *Baſileenſem*, *Remigii* itidem Conſulis filium: Matrem *Annam Gebweyleriam*.

An. 1611. Primæ Laureæ Gradum, & A. 1613. Magiſterii honores adeptus, abindè ſtudium Juridicum amplexus, & in Academiis *Galliæ Genevenſi* & *Bituricenſi*, tandemque *Marpurgenſi* in *Haſſiâ* literis operam dedit.

A. 1619. In patriâ, poſt habitam Diſputationem inauguralem de Fœderibus, Examen pro Doctoratûs Gradu ſuſtinuit, & in *Italiam* iter ſuſcepit. *Juris Licentiatus.*

2. Sept. A. 1628. à D. *Joh. Jacobo Fæſchio*, patruo ſuo, & patriæ Syndico, Doctor Jurium publicè renuntiatus, anno ſeq. 1629. Inſtitutionum Imperialium Profeſſor publicus conſtitutus eſt. Abindè ter Univerſitatis Rectoratum, & aliquoties Facult. Juridicæ Decanatum adminiſtravit. Monetis antiquis congerendis ſummè delectatus eſt. *Doctor Juris Baſileæ, & Profeſſor publicus.*

Cælebs tandem vitam beatâ morte finiit 1. Martii A. C. 1667. æt. 72. *Moritur cælebs.*

* *Ex Concione funebri.*

Epitaphium hoc vivus ſibi compoſuit: *Epitaphium.*

A. Ω.
REMIGIUS FESCHIUS
DOCTOR LEGUM ANNIS XXXVIII.
FIDUS ET SINCERUS,
CUJUS UNICÆ DELICIÆ LIBROS VERSARE, ABDITA RIMARI, VERA ERUERE, VETUSTA ORNARE, HORTULUM COLERE,
IN OMNIBUS DEI SAPIENTIAM MIRARI, VENERARI, ADORARE,
PRO VIRIUM MODULO ET GRATIA SIBI CONCESSA DEO, PROXIMO, SIBI VIVERE.

INCREDIBILI FLAGRANS DESIDERIO CONDITORIS, REDEMTORIS AC
CONSOLAOTRIS SUI,
HIC ATTRITI CORPUSCULI SUI SARCINAM IN SPE VIVA RESURRECTIONIS ET CONCILII SANCTORUM OMNIUM,
NEC INVITUS NEC INOPINUS DEPOSUIT.
⊖ A. S. ∞ IↃCLXVIII. ÆT. LXXII.
Απαξ καὶ Αγαμος

Obiit A. C. 1667.

QUIRINUS SCHACHERUS.

IN hanc lucem editus *Lipſiæ* 17. Octob. A. C. 1592. Patrem coluit *Hartmannum Schacherum*, Senatorii ordinis Seniorem, & Mercatorem: Matrem *Magdalenam*, D. *Mauritii Steinmetzii*, Facult. Medicæ Senioris, & Mathematum Profeſſoris publici filiam.

Schola ad S. Nicol. Lipſiæ diſcipulus. Sexennis in Scholam patriæ Senatoriam *Nicolaitanam* introductus, & fidei Præceptorum M. *Chriſtophori Heiligmeyeri*, Rectoris, M. *Zebrii*, Conrectoris, & M. *Andreæ Zindelii* commiſſus, poſtquàm ſub horum manuductione laudabiles in ſtudiis progreſſus feciſſet, & jam fundamenta in humanioribus non contemnenda jeciſſet, Logico & Philoſopho celebri M. *Brunoni Beckero* privatim adhæſit.

Animum tunc ad ſtudium Theologicum applicuit, ſed conſilio fratris uterini D. *Hieronymi Bruckneri*, Senatorii Collegii apud *Erfurtenſes* Præſidis è *Galliâ* tunc reducis

Juris ſtudioſus. animum mutavit, & ſtudium amplexus Juridicum M. *Chriſtophori Spitzmacheri* ductum per ſeſquiennium ſecutus eſt, inque Collegiis privatis opponendo & reſpondendo ſeſe frequenter exercuit.

Mercaturæ ſe addixit. Cum verò Dom. *Johannes Cocus*, Conſul *Memmingenſis*, eum in nundinis vernalibus *Lipſienſibus* mercaturæ ſuæ adjungi cuperet, huic generi vitæ, non abnuente Dom. Parente, ſe conſecravit, motus nonnihil petulantiâ quorundam ex literatorum ordine, cum tempore Bachanaliorum unus ex ipſis interficeretur.

Operam ſuam indefeſſam Dom. Conſuli probavit ita, ut ad nundinas *Francofurtenſes*, *Nordlingam*, & in Comitatum *Tyrolenſem* mitteretur, viſurus etiam *Italiam*, niſi malis moribus ibidem paſſim obviis abſterritus fuiſſet.

Poſtquàm verò A. 1615. Mater chariſſima, breviqué pòſt Frater natu maximus *Hartmannus* in fata conceſſiſſent, interventu literarum paternarum à Domino *Coco* dimiſſus, *Lipſiam* A. 1616. repetiit, & negotiationi paternæ per ſexennium operam ſedulam navavit, donec Dom. Parens ipſe A. C. 1622. ſeptuagenarius mortalitatem expleſſet.

Conjugium iniit. Monitis proin paternis locum relinquens, A. 1623. Virgini *Mariæ*, *Moyſis Polmanni*, Senioris in ordine Inſtitutorum filiæ, menſ. Febr. fidem conjugalem dedit, per benedictionem Eccleſiaſticam menſ. Junio conſummatam. Cum hâc commune jugum per novennium concorditer traxit, 4. liberorum, & quidem duorum maſculi ſexûs *Hartmanni* & *Quirini* ad æterna gaudia in pueritiâ præmiſſorum, duarumque filiarum *Magdalenæ* & *Mariæ* Parens factus. *4. liberorum Pater.*

Generi ejus. Ex filiabus natu majorem *Magdalenam Chriſtophoro Mœbio*, Mercatori An. 1642. & poſt hujus mortem *Joh. Schlewitzio*, Mercatori etiam A. 1650. elocavit. Minorem autem *Mariam* Dom. *Philippo Georgio Pückelio*, Senatori, & inter Civium Capitaneos Quatuorviro A. 1653. poſt hujus verò ex hâc vitâ diſceſſum Domino *Mich. Henrico Hornio*, Phil. & Med. Doctori, Archiatro Ducali *Saxonico*, & Archiepiſcopali *Magdeburgico* conjugem addidit. Ex his filiabus 11. nepotes in vivis vidit.

Conjugium alterum. A. 1631. Conjuge *Polmanniâ* terrenis Syrtibus ereptâ *Wittebergæ*, quorſum ſe propter impreſſiones hoſtiles contulerat, viduitatem per triennium coluit, donec rebus ſuis Oeconomicis non aliter poſcentibus ad ſecunda vota tranſierit, ſibique Virginem *Agatham*, *Davidis Wirſpſennigii*, Mercatoris primarii, & Vexilligeri urbici filiam adulto Nov. A. 1634. collateralem junxerit. Ubi honor hic habitus fuit novis Sponſis, ut campana Templi *Nicolaitani* maxima per integram horam ad intimandam feſtivitatem nuptialem primâ vice pulſaretur, & *Agathæ*, id eſt, Bonæ nomen indè conſequeretur. Conjugium hoc decem pignoribus, in quibus gemelli duabus vicibus extitêre, fuit obſignatum. Sed ſacer hic numerus denarius ad partem dimidiam, interventu præmaturæ mortis, fuit redactus, cum inter vivos tres tantùm filii, *David Uratislaviæ* mercaturæ deditus, *Quirinus* Chirurgiæ ſtudio *Elbingæ* addictus, & *Mauritius* Philoſ. ſtudioſus, ut & duæ filiæ *Catharina* & *Eliſabetha* Domino Parenti ſuperſtites manſiſſent. *Filii tres ex ſecundo conjugio.*

Generi. Natu major filia *Catharina* Dom. *Chriſtoph. Hartmanno Schachero*, Juris Doctori & Conſiſtorii Elect. Advocato Ordinario, natu minor *Eliſabetha Friderico Rackwitzio*, Mercatori *Lipſienſi* jugales ceſſerunt.

Prior quinque filiis, *Quirino Hartmanno*, *Caſp. Friderico*, *Gotofredo Benedicto*, *Chriſtiano Sigismundo*, & *Joh. Chriſtophoro*, poſterior filiolâ *Eliſabethâ Agathâ* Dom. Parentem avum fecerunt.

Senator Lipſienſis. Capitaneus. A. 1631. In ordinem patriæ Senatorium fuit cooptatus, ubi Capitanei munus obſidionis *Tillianæ* tempore, ac poſtmodùm per octennium non ſine detrimento negotiationis ſuæ fortiter ſuſtinuit.

Prætor & Ædilis. Eccleſiæ & Scholæ Thomanæ Antiſtes. A. 1639. unà cum Academiâ in Aulam Electoralem graves ob cauſas miſſus, abſens licèt ad Prætoriam, anno ſeq. ad Ædilitiam dignitatem fuit evectus, anno 1643. verò Eccleſiæ ac Scholæ *Thomanæ* Antiſtes evaſit.

Quanquàm autem pancreaticè valuerit anteà, ab anno tamen 1662. poſt mortem Conju-

Conjugis ſecundæ mœrore ſenſim confici cœpit. Sentiens itaque fatalem horam inſtare, ad beatam emigrationem ſe præparavit, & poſtquàm ſuis valedixiſſet, cum *Monicâ*, Matre *Auguſtini*, hæc in verba: *Evolemus, evolemus ad æterna gaudia!* erupit. Hujus voti compos inter preces adſtantium, ſine motu, ſine metu in manus Salvatoris animam emiſit die 8. Martii An. C. 1667. ætatis 75.

Moritur.

* *Ex Programmate funebri Rectoris Lipſienſis.*

QUIRINUS SCHACHER, JURIUM DOCTOR, PROFESSOR PUBLICUS, JUDICII APPELLATIONUM ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIUS, JURIDICÆ FACULTATIS, UT ET CONSISTORII ECCLESIASTICI LIPSIENSIS SENIOR.

Per Anagramma M. *Joh. Frentzelii*:

Hujus in illuſtri (ut Jovis aptis quercus in arvis)
Cord: Viri ex Senio Pietas ſtans cœlica firme,
Sub Chriſti ac ſcutis ſapiens Concordia pollet:
Jure ope conſilii reficit ſic mollia corda.

Obiit A.C. 1667.

GEORGIUS ACHATIUS HEHER.

NOrimbergæ natus 30. Dec. A. C. 1601. & ex S. Baptiſmi fonte ſuſceptus à *Georgio Pfintzingio*, Senatore: Patrem habuit *Georgium*, *Hermanni*, Civis *Norimbergenſis*, filium, J. C. Comitem *Palatinum*, Impp. *Rudolphi II.* & *Ferdinandi II.* Landgravii *Haſſiæ*, & Reipublicæ patriæ Conſiliarium, ac Ordinis Equeſtris *Franconici* Advocatum; qui *Norimbergæ* obiit 3. Novemb. An. 1627.

Filius Juris Conſultus.

Mater ei fuit *Amalia*, filia *Achatii Hülſii*, J. C. Comitis *Palatini*, Conſiliarii Cæſarei, & 7. ſucceſſivè Epiſcoporum *Bambergenſium*. Is cum A. 1604. primum hunc nepotem ſuum in domum ſuam educandum recepiſſet, A. C. 1614. æt. 80. vitam finiit.

An. 1616. In Academiam *Altorfinam* ſtudiorum gratiâ miſſus, ibi M. *Georgii Mauritii*, primæ tunc Claſſis Præceptoris, & Poëſeos Profeſſoris publici traditus informationi, privatum quoque Præceptorem habuit *Johannem Limneum*, Jurium tunc Candidatum, poſteà Hiſtorico-Politicum clariſſimum.

Altorfii diſcipulus Joh. Limnæi.

Eodem adhuc anno in S. *Petri* & *Pauli* Feſto promotus ad Lectiones publicas, Græcè, & An. 1618. Latinè de Privilegiis ſtudioſorum ſolenniter peroravit.

A. 1620. Sub præſidio *D. Ægidii Agricolæ* de ſucceſſionibus ab Inteſtato publicè diſputavit.

A. 1621. Cum Dom. Pater ejus Reipublicæ *Noribergenſis* nomine Legationem ad Cæſarem, & 14. Circuli *Suevici* Civitates Evangelicas obiiſſet, eum comitatus, in Academiam *Jenenſem* ſe tandem contulit, ibique Præceptoris priſtini *Johannis Limnæi* Informatione gaviſus eſt.

An. 1622. *Jenæ*, Præſide D. *Arumæo*, Diſputationem habuit de Fructibus in Jure: cumque Pater ejus unà cum *Chriſtophoro Fürero*, Septemviro, in aulâ Cæſ. verſati, ab Imperatore *Ferdinando II.* Privilegia Doctores in Jure & Medicinâ creandi pro Academiâ *Altorfinâ* Reipublicæ patriæ nomine impetrâſſent, hic Juris tum Candidatus *Jenâ* reverſus, *Altorfii* primus examini Doctorali ſe ſubmiſit, & habitâ Diſputatione inaugurali ſine Præſide de Defenſione neceſſariâ, unà cum Competitoribus *Georgio Rittersbuſio*, & *Johanne Derrero*, ſolenniter Jurium Doctor renuntiatus eſt 23. Nov. A. C. 1623. æt. 22.

Jenæ Diſputationem habet Juridicam.

Primus Juris Doctor Altorfii.

Poſteà cum Patris juſſu per *Galliam* iter feciſſet, *Spiram* Praxeos exercendæ gratiâ conceſſit, & Patrem *Deiningæ* fortuitò obviam nactus cum *Chriſtophoro Fürero* & *Georgio Chriſtophoro Volcamero*, Senatoribus *Viennam* ad Cæſarem tunc profecturis eodem eos comitatus 25. Aug. ipſe ab Imperatore *Ferdinando II.* primâ vice clementer auditus eſt. Indè domum reverſum, Pater *Venetias* miſit, ut exindè totam *Italiam* perluſtraret.

Spiræ praxin exercet.

Italiam perluſtrat.

Domum reverſus, 28. Maji An. 1627. nuptias celebravit, Cæſareis aliisque Legatis præſentibus, cum virgine *Annâ Mariâ*, *Johannis Gutthæteri*, Mercatoris primarii, filiâ, quæ anno ſequenti poſt partum filioli obiit.

Nuptias celebravit.

A. 1628. à Senatu patrio Judicii inferioris Aſſeſſor factus, & eodem tempore Ordinis Equeſtris in *Franconiâ* Altmül vocati Conſiliarius, abindè Legationes varias Reipublicæ patriæ nomine laudabiliter obivit.

A. 1630. Judicii ſuper. & Civilis aſſeſſor, unàque Conſiliarius Reipublicæ declaratus, paulò pòſt Sponſalia ſecunda celebravit cum virgine *Mariâ Marthâ*, *Lazari Halleri*, Senatoris & Conſiliarii bellici filiâ. Ex eâ filiam ſuſcepit *Amaliam Eleonoram*, poſteà D. *Chriſtophoro Carolo Wölckero*, Conſiliario *Norico* nuptam.

Judicii Civilis Aſſeſſor, & Conſiliarius Norimbergenſis.

A. 1632. à Rege *Sueciæ*, *Guſtavo Adolpho*, poſt prælium *Lipſienſe* Victore Epiſcopatûs *Herbipolenſis* ſubjugati Conſiliarius Regiminis conſtitutus, *Herbipolim* ſe contulit, & anno ſequenti Vicecancellarius ibidem à *Bernhardo*, Duce *Saxo-Vinarienſi*, factus, non multò pòſt Cancellariæ bellicæ Directionem ſuſcepit, eâque de causâ *Ratisbonam* migravit.

ViceCancellarius Herbipoli.

Cancellaria bellica Director Ratisbonæ.

A. 1634. Poſt pugnam *Suecis* adverſam propè *Nordlingam* commiſſam, juſſu Ducis *Bernhardi*, *Königshoſiam*, locum munitum, ſe contulit. Sed incluſis ibi ab hoſtibus obſidentibus, tandem unà cum aliis primariis, incolumis indè à Generalis *Speerreuteri* militibus eductus eſt, poſtquàm ibidem tres ipſi liberi dyſenteriâ obierunt.

An. 1636. In patriam ſoſpes reverſus, locum Conſiliarii priſtinum ſuſcepit, & variis

Iterum Conſiliarius Norimbergæ.

riis expeditionibus operam patriæ fidelem præſtitit.

Tertium ejus Conjugium. An. 1641. Cum anno prægreſſo ſecundam conjugem morte ſibi abreptam luxiſſet, 18. Jan. tertiam ſibi deſponſavit *Mariam Eliſabetham*, *Wilhelmi Heringi*, Colonelli Locumtenentis ſub exercitu *Vinarienſi* viduam, *Danielis Stephani*, ærarii *Auguſtani* Præfecti filiam, quam ſterilem reliquit ſuperſtitem.

An. 1644. Ex mandatò ſpeciali Cæſaris *Ferdinandi III.* ad Ordines Equeſtres Circuli *Franconici* ablegatus, negotiis fideliter expeditis, honorarium Comitis Palatini titulum adeptus eſt. *Comes Palatinus Cæſareus.*

Legatus Sax. ad Pacis Tract. An. 1645. Conſentiente Senatu *Norimbergenſi*, Legatus ad Pacis Tractatûs *Osnabruggam*, nomine Ducum *Saxoniæ Gothani* & *Vinarienſis*, nec non Principis *Anhaltini* diſceſſit.

Præfectus 4. oppidorum in Franconiâ. A. 1648. Pace concluſâ ab *Erneſto*, Duce *Saxo-Gothano*, Præfectus ſupremus 4. in *Franconiâ* oppidorum *Königsbergæ*, *Heltburgi*, *Eysfeldiæ* & *Veilsdorfii* conſtitutus, anno ſequenti Principis ejusdem nomine *Norimbergam* ad Pacis executionem ablegatus, & ibi 19. menſibus commoratus, *Heltburgum* ad Præfecturam ſuam reverſus eſt.

In Societatem frugiferam receptus. An. 1652. In Societatem frugiferam à *Wilhelmo*, Duce *Saxo-Vinarienſi*, clementer receptus, nomen accepit **des Mithelſenden**.

A. 1655. In itinere quodam fortuitò cum equo ſuo foſſam lupis capiendis factam illapſus, & indè extractus, non ſine vitæ periculo aliquandiu decubuit, & ſanitati reſtitutus, ſemper ferè ſtranguriâ cum teneſmo laboravit. Ideò dimiſſionem à Principe *Gothano* petens obtinuit.

Cancellarius Schwartzenburgicus. 19. Nov. A. 1659. *Rudelſtadii* in Comitatu *Schwartzenburgico* Cancellarii munus ſibi oblatum, invitus licet, ſuſcepit.

Tandem cum à ſemianno hypochondriacis & calculi doloribus fuiſſet exhauſtus, poſtquàm Collegis ſuis *D. Ahasvero Fritſchio*, & *Johanni Sultznero* valedixiſſet, *Moritur.* vitam morte beatâ finivit 22. Mart. An. C. 1667. ætatis 65. *Rudelſtadii.*

Edidit:

Scripta. *Opus Hiſtoricum Petri Matthei, Conſiliarii Gallici in Linguam Germ. tranſlatum.*

Lebens und Todes / auch der Welt Eitelkeit Erinnnerungs Täfelein / vom Herrn *Petro Matthæo* vorgeſtellet / Reimensweis / und auf gleiche Weis in die Teutſche Sprach gebracht.

* *Ex Concione funebri D. Juſti Söffingii, Superintendentis Rudelſtat.*

WILHELMUS SCHMIDIUS.

Obiit A.C. 1667.

K*Aufbayrâ Suevus* natus eſt 4. Novemb. A.C. 1609. Patre cognomine, in patriâ poligrammatéo, Matre *Barbarâ Majeſtätteriâ*, ibidem poligrammatei filiâ.

Cum puer in Scholâ patriâ literarum rudimenta didiciſſet, A. 1621. *Campidonium* miſſus, ibi M. *Chriſtophori Fabri*, tum Scholæ Rectoris & Eccleſiæ Paſtoris, inſpectioni ac informationi traditus, ſtudia feliciter continuavit, usque dum domum à Patre revocatus, in Cancellariâ Scribam egit.

A. 1628. cum Patre propter fidei Reformationem ab officio ſuo remoto *Ulmam* diſceſſit. Ibi promotore Dom. Doct. *Mattheo Clauſio*, Senatûs Advocato, Colonellum Locumtenentem *Trotzigium* Secretarii nomine bellici colens, cum eo decennium exegit. *Secretarius bellicus.*

Hoc verò An. 1632. in pugnâ *Lipſienſi* poſteriori interemto, domum ipſe redire cupidus, à Generali *Suecorum* bellico *Arfwedo Wittebergio*, qui probè *Schmidium* anteà cognoverat, ſuſceptus, & Generalis Secretarii munere decoratus eſt. Hic ipſum per 8. annos non velut miniſtrum fidelem dilexit, & amici inſtar ſinceri ac fratris coluit, eique facultates ſuas omnes concredidit: eumque bis in *Sueciam* ob graves & ſerias expeditiones ablegavit. *General Secretar. Suec.* *Legatus in Sueciam.*

An. C. 1649. à Dom. Colonello ſuo clementer dimiſſus, pace jam in *Germaniâ* concluſâ *Ulmam* ſeſe ad Matrem recepit, nec multò pòſt ſponſalia celebravit cum virgine *Annâ*, Dom. D. *Gregorii Horſtii*, olim Med. Prof. *Gieſſenſis*, poſteà verò Archiatri *Ulmenſis* relictâ filiâ, ex quâ 2. filios tresque filias viventes reliquit.

Podagricis tandem doloribus exhauſtus, morte beatâ vitam piè tranſactam finiit *Moritur.* *Kaufbayræ* 4. Octob. A.C. 1667. ætatis 58.

* *Ex Concione funebri M. Johannis Melchioris Bayeri, Eccleſiæ Kaufbayrenſis Paſtoris.*

JOHANNES CASPAR LENZIUS.

Obiit A.C. 1667.

PAter ejus *Salomo Lentzius*, Concionator ante in aulâ *Chriſtiani Gulielmi*, Marchionis *Brandenburgici*, & Adminiſtratoris tunc *Magdeburgici*, A. 1629. *Ratisbonam* ad Eccleſiæ illius ſupremam Inſpectionem migrans, Conjugem *Catharinam Schäferiam*, ex nobili in *Salinis Saxonicis* familiâ natam, ſecum advexit, quæ filium hunc ordine quartum utero geſtans, 5. Febr. anni ſeq. 1630. *Ratisbonæ* feliciter enixa eſt. *Filius Theologi.*

Ex S. Baptiſmi fonte Suſceptores habuit *Gallum*, Baronem *Räckenitium*, *Johannem Freitagium*, Philoſophiæ & Medicinæ Doctorem, *Suſannam Portneriam*, poſteà Socrum ipſius, & virginem *Annam Mariam*, *Hieronymi Pergeri*, Camerarii in patriâ filiam. *Suſceptores ejus.*

Puer à Parentibus optimè educatus, per omnes Gymnaſii Claſſes ad Lectiones publicas evectus, anno ætatis 15. à Dom. Parente cum individuo ſtudiorum comite *Johanne Alberto Portnero*, & *Mauritio*, Barone *Freyburgenſi*, *Argentoratum* ablegatus eſt, *Studioſus Argentorati.*

eſt, ubi convictum habuerunt apud D. *Johannem Schmidium*, Theologum celeberrimum. . Illic primo alteroque vitæ Academicæ Anno Ethices, Politices, & Hiſtoriarum præcepta ſublimioribus ſcientiis præmiſit, ſectatus imprimis *Johannem Henricum Böclerum*, eruditionis famâ florentem Profeſſorem, quo invitante *Reginâ Chriſtinâ* A. 1648. in *Sueciam* ad capeſſendam Profeſſoris Regii munus profecto, cum præſtò non eſſet, qui vacuam diſceſſu ejus Hiſtoriæ Eloquentiæque docendæ provinciam paribus humeris exciperet, *Lentzius* Legum Juriſque *Romani* Oceano ſe totum immerſit, doctores ſortitus *Johannem Ottonem Taborem*, Criminalium definitionum racemationes tunc pertractantem, & *Gregorium Biccium* Aurea ſua ſeu quotidiana tunc recenſentem, & è tripartito Collegii *Argentoratenſis* opere Nucleum conficientem.

Juris ſtudium aggreſſus.

Politicam Diſputationem habuit.

Antequàm tamen diſciplinæ eorum ſe totum mancipatet, habitâ publicè de *Piſiſtratiſmo* ac *Phalariſmo* diſputatione ſtudiis Politicis ad tempus valedixit.

Exindè integrum biennium Legum diſciplinæ tribuit, ſedulus privatarum Lectionum auditor, publicarum velitationum concertator, ſemel publicè Reſpondentis, ſæpiſſimè Opponentis munere functus eſt.

Juris Licentiatus, an. ætat. 21.

Quâ diligentiâ effectum eſt, ut menſ. Dec. An. 1650. nondum annum unum ſupra viceſimum ingreſſus, nomen ſuum pro conſequendis ſupremis Juriſperitorum honoribus apud Facultatis illius Decanum, examenque tum curſorium, quod vocant, tum alterum rigidius ſubiret, elaboratoque argumenti ſatis difficilis Commentario ad titulum Codicis, Si ſervus extero ſe emi mandaverit, ad Diſputationem de Epiſcopali audientiâ publicè & abſque Præſide habendam imberbis Candidatus, menſ. Martio A. 1651. raro & antea vix illic audito exemplo admitteretur.

Licet verò totus ſtudiis vacaret, non tamen à Palæſtricâ aut Saltatoriâ abhorruit, nec omnes familiarium amicorum congreſſus moroſè declinavit, id tantùm reſpiciens, ut exercitia corporis gravioribus curis non impedimento, ſed levamento eſſent, utque eorum duntaxat conſortio uteretur, qui vel generis claritudine, vel ſtudiorum præcellentiâ, vel morum honeſtate commendarentur.

Studioſus in Montebelicardi.

Ineunte Aprili A. 1651. vale Muſis *Argentinenſibus* dicto, *Montembelicardi* ſeſe contulit, ubi *Chriſtophorus Forſtnerus*, Politicorum hujus ævi Princeps, omni humanitatis genere exceptum, eum impensè deperire cœpit, donataſque ſibi à Principe magnificas ædes templo *Gallico* oppoſitas ei habitandas conceſſit, & propoſitis ſæpè ſpinoſis Juris quæſtionibus caſibuſque in Senatu tunc agitatis ingenium ejus ſæpiùs exploravit, & ubique tam paratum invenit, & promptitudinem in reſpondendo miratus *Lentzium* vel retinere *Mombelicardi*, vel eò, non ſine acceſſione dignitatis, revocare ſeriò ſtatuerit.

Genevam venit.

Menſ. Sept. An. 1651. Suaſore eodem *Forſtnero*, unà cum conterraneo ſuo *Johanne Alberto Portnero*, *Genevam* facto per *Helvetiam* itinere diſceſſit. Ibi prima cura fuit compellandi *Jacobi Gotofredi*, quem ſummum illic Magiſtratum Syndicatûs titulo gerentem in Curiâ offenderunt, domique deinceps frequenter convenerunt.

Lutetiæ viris doctis innotuit.

Scipioni Scaligero.

Sub finem Januarii A. 1652. diſcedentes *Divionem Burgundiæ Ducalis* caput, & mox *Lutetiam* pervenerunt. Ibi ſemeſtri exacto ambiendis doctrinâ illuſtrium virorum amicitiis tempus collocârunt. Primùm enim illùc profectos commendatitiis ad *Scipionem Scaligerum*, S. *Stephani* Ordinis à *Magno*, *Hetruriæ* Duce, inſtituti Equitem, inſtruxerat eos *Forſtnerus*, à quo tum ad Cardinalem *Radeſium*, Coadjutoris *Pariſienſis* appellatione motum, tùm ad Equitem *Schombergium*, regni Tribunum ortu *Germanum*, tum ad Comitem *Marcevillæ*, qui *Conſtantinopoli* Regium Legatum egerat, deducti fuerunt.

Gabrieli Naudæo.

Adeuntes deindè *Gabrielem Naudæum*, Cardinalis *Mazarini* Bibliothecarium, ab eo eminentium literis Virorum, quos *Lutetiæ* convenirent, indicem acceperunt.

Jacobo Puteano.

Eodem non ita multo pòſt, vocante ad ordinandam Bibliothecam Reginâ *Chriſtinâ*, in *Sueciam* profecto, *Jacobum Puteanum* coluerunt, digniſſimum in cuſtodiendâ publicâ Regis Bibliothecâ *Iſaaci Caſauboni*, *Nicolai Rigaltii*, ac *Petri* poſtmodùm Fratris natu majoris Succeſſorem, *Claudii Puteani*, Senatoris olim *Pariſienſis*, filium, & *Hugonis Grotii*, *Claudiiq; Sarravii* Epiſtolis frequenter cum honore inſertum.

Is non Regiæ modò, ſed propriæ quoque Bibliothecæ inſpiciendæ copiam illis fecit, conceſsâ inſuper libertate, quotidianis, qui ejus in ædibus agitabantur amicorum conſeſſibus interveniendi, & eruditis ingeniorum felicium fruendi alloquiis.

Iſmaeli Bullialdo.

Illic noſcere primùm cœperunt *Iſmaëlem Bullialdum*, non minùs exactâ ſcientiarum Mathematicarum peritiâ, quàm ſuſceptis per omnem ferè *Europam Conſtantinopolim* uſque peregrinationibus nobilem, ac editis profundæ eruditioni lucubrationibus clarum.

Henrico & Hadriano Valeſiis fratribus.

Acceſſerunt quoque fratres *Valeſios*, *Henricum & Hadrianum*, quorum ille *Ammianum Marcellinum* caſtigatâ editione recenſuit, hic autem veterum *Gallorum* ſub *Merovingicæ* ſtirpis Regibus geſta tribus Commentariorum Voluminibus deſcripſit.

Henricus autem eos ad Collegii *Claromontani* Bibliothecam deduxit, ubi *Phil. Labbeum*, Chronologum, & *Franciſcum Vavaſſorem*, Poëtam ſalutârunt, qui vicem affixi jam lecto *Dionyſii Petavii*, & eo adhuc anno extincti ſuppleverunt.

Ægidio Menagio.

Interfuerunt quoque *Mercurialibus* aliquot congreſſibus *Ægidii Menagii*, *Galliæ*

ſuæ, *Salmaſio* Judice, *Varronis*, indè nomen adeptis, quod ſingulis *Mercurii* diebus à ſtudioſis linguæ *Gallicæ* exornandæ ingeniis frequentarentur, è quorum numero *Peliſſonium* tunc admirati ſunt.

Ludovico & Abeli Sammarthanis fratribus. Nec omiſerunt domi ſuæ alloqui *Ludovicum* & *Abelem Sammarthanos* fratres, ut exiguæ admodùm ſtaturæ ita ſibi per omnia ſimillimos, *Gallicæ* Hiſtoriæ laboribus celebres.

Seguerianam Bibliothecam, ut magnificâ ædificii ſtructurâ, ſic librorum nitore reliquas ſuperantem oſtendit eis *Dionyſius Gothofredus*, *Theodori Ceremonialis Franciſci Compilatoris* Filius, *Dionyſii*, J.C. nepos, Vir multiplici cognitione inſtructus. *Dionyſio Gothofredo.*

Thuaneam monſtravit eis nivei pectoris ſenex *Ribierius*, in quâ numerum, ne librorum an pretium magis æſtimes, incertum eſt.

Die S. *Jacobi Lutetiâ* diſcedentes, & caſtra regia, quibus *Fertæ Seneterra* Tribunus præerat, pertranſeuntes, *Bruxellas* cum curſore publico per equos diſpoſitos pervenerunt. *Bruxellas venit.*

Salutato illic, ad quem literas à *Scaligero* attulerant, *Van Langereno*, famæ non obſcuræ Mathematico, ac perluſtrato Palatio vivarioque Archiducis, pinacothecam ejus opulentam cum ſtupore ſpectârunt.

Lovanium, & Antverpiam. *Lovanii* deindè *Antonium Perezium*, Academiæ Anteceſſorem, inviſerunt. *Antverpiæ* verò compellârunt *Caſparum Gevartium*, Regis *Hiſpan.* Hiſtoriographum & Urbis ſuæ Archigrammatéum, qui Bibliothecam illis ſuam, & numiſmata copioſa monſtravit.

Leidam. *Leidæ* diutius hæſerunt, humaniter excepti à *Claudio Salmaſio*, cui commendatitias, quas ab *Ægidio Menagio* & *Jacobo Puteano* attulerant, obtulerunt.

Marcus Zuerius Boxhornius eos, qui à *Salmaſio* venerant, faſtidioſè excipiebat, jam tum nimio tabaci uſu corruptâ valetudine, quæ altero pòſt anno eum cum vitâ deſtituit.

Jacobus Golius, Matheſeos linguarumque *Orientalium* cognitione celebris, jam ſenio gravis, nullius ad eum commendationis ſubſidio munitos ſerenâ fronte excepit.

Petrum Scriverium emeritum jam ſenem, & utroque lumine orbatum videre non potuerunt.

Idem malum *Davidem Blondellum*, ſtupendæ eruditionis virum affixerat, quo tamen non obſtante *Amſtelodami* eum ſalutantes non admiſit modò, ſed per 4. horas operis ſui, quod pro re *Gallicâ* contrà *Chiſletium Hiſpanicæ* cauſæ patrocinantem ſpiſſum moliebatur, ſummam eis expoſuit, qui ad prodigioſam tanti viri memoriam obſtupuerunt. *Amſtelodamum venit.*

Amſtelodamo digreſſi, per *Coloniam Agrippinam*, *Francofurtum* pervenerunt. Indè *Norimbergam* adeuntes, menſ. Sept. *Ratisbonam* ſoſpites reverſi ſunt. *Ratiſbonam rediit.*

Lentzius mox poſt reditum à Reipublicæ Patribus Paterni in eo nominis claritudinem, propriæque eruditionis laudem potiùs, quàm paucitatem annorum reſpicientibus, in Conſiliariorum Civitatis ordinem adlectus, eidemque peculiare munus demandatum eſt, ut ingruentibus jam tum poſt firmatam *Germaniæ* Pacem Comitiis in Senatu Civitatum Acta Reipublicæ hujus nomine conſignaret. *Conſiliarius Ratiſbonenſis.*

Menſ. Aprili An. 1653. *Eleonoram* Imperatricem, *Ferdinandi III.* novercam, eò venientem oratione excipere juſſus, partes ſuas tantâ executus eſt facundiâ, ut tam *Auguſtæ* Principi, quàm Senatui abindè ſatisfecerit. *Imperatricem Eleonoram videam excepit.*

Menſ. Sept. An. 1653. Nuptias in patriâ celebravit cum virgine *Mariâ Eliſabethâ*, Dom. *Petri Portneri*, Senatoris primarii, & Hanſæ Comitis filiâ natu minore, quæ ſex ei filios, totidemque filias alternatim peperit, *Johannem Albertum*, *Mariam Eliſabetham*, *Johannem Caſparum*, *Annam Mariam*, *Chriſtianum Albertum*, & *Mariam Magdalenam*, ex quibus filiæ omnes, ſed filius tantùm ultimus, Patri ſuperſtites vixerunt. *Conjugium ejus, & Liberi.*

Uxor verò poſt ultimum filiolæ partum laborioſum, viribus deficientibus, exſpiravit 31. Octob. An. 1667. ſeptem ante mariti mortem ſeptimanis Apoplexiâ ſuffocata. *Uxoris obitus.*

An. 1655. Ineunte ad Circuli *Bavarici* Conventum cum affine ſuo *Eſaiâ Gumpelzhaimero*, Reipublicæ Conſule & Quæſtore, *Landishutum* miſſus eſt, ubi de Legati Cæſarei 60. menſium *Romanæ* expeditionis cenſum flagitantis poſtulatis, aliiſque capitibus, quæ noviſſimo Comitiorum decreto relicta fuerant, diſcutiendis per ſeptimanas aliquot conſultatum eſt. *Legatus Landishutum.*

Menſ. Majo ejuſdem anni cum eodem Affine *Auguſtæ Vindelicorum* Monetario Conventui interfuit. *Auguſtam Vindelicorum & Spiram.*

Autumno proximo *Spiram Nemetum* Reipublicæ causâ profectus, *Argentorati* in tranſitu cum *Sebaſtiano Schmidio*, Theologo, fruſtrà egit, ut operam ſuam *Ratisbonæ* commodaret, vacuumque tum Paſtoris munus ſuſciperet. Sed alium *Spiræ* huic officio idoneum reperit, *Johannem Henricum Urſinum*, quem, confectis reliquis negotiis, *Ratisbonam* ſecum advexit.

Menſ. Majo A. 1656. Alteri de re Monetariâ Conventui *Noribergam* indicto ſolus adfuit, adductâ ſecum Urbis videndæ causâ Uxore dilectâ, cum quâ paulò pòſt reverſus, Sereniſſimo Archiduce *Leopoldo Guilielmo* à Gubernatione *Belgii Viennam* ad Imperatorem fratrem redeunte, Reipublicæ verbis ſalutato, alteram Legationem ad Curiam *Spirenſem* obiit. *Legatus Norimbergam.* *Iterum Spiram.*

Eâ occaſione celeberrimo illo Juris publici Scriptori *Johanni Limnæo*, ejuſque operâ Principi ejus Sereniſſ. *Alberto Brandeburgico* innotuit, qui *Lentzio* Conſiliarii honorem deinceps impertiit, clemen- *Conſiliarius Alberti, Marchionis Brandeburgenſis.*

tiam-

tiamque ſuam paulò pòſt pignoribus luculentis obſtrinxit.

An. 1657. Poſt obitum *Johannis Jacobi Wolffii*, & *Johannis Georgii Pfaffreuteri*, Reipublicæ patriæ Conſiliariorum, intra duarum hebdomadum ſpatium denatorum, horum munera & onera unius *Lentzii* humeris incumbebant, qui Conſiliariorum exindè primus, Conſiſtorii Aſſeſſor, & GymnaſiiScholarcha auctihonoris primordia à Legatione *Monacenſi* auſpicatus eſt, quam cum *Barthol. Marchthalero*, Conſule & Ædili, medio Aprili illius anni publico nomine ſuſcepit, tum ut Sereniſſ. *Bavariæ* Electori de Vicariatûs dignitate, durante Interregno ad eum & *Saxonem*, ex præſcripto Legis *Carolinæ* devolutâ gratularetur, tum ut de ſuburbano quodam prædio à vicino *Priveningæ* Cœnobio pecuniâ redimendo cum Conſiliariis ejus ageret.

Conſiſtorii Aſſeſſor & Scholarcha.

Bavariæ Elect. de Vicariatu gratulatur.

A. 1658. Menſ. Martio aliam obiit Legationem ad *Bavariæ* Ducem, Inveſtituram Feudorum ab ipſo accipiens.

Menſ. Julio ſeq. ad Conventum *Francofurti*, propter electionem *Leopoldi Auſtriaci* in Imperatorem inſtitutam, ablegatus eſt.

Legatus ad Conventum Francof.

A. 1659. Denuò *Auguſtam Vindelicorum*, ut Conventum Monetarium obiret, & *Monachium*, ut ab Electore *Bavar.* cœpti jam biennio ante negotii proſperum exitum impetraret, Collegâ *Marchtalero* miſſus eſt.

Menſ. Aug. An. 1662. Archiepiſcopum *Salisburgenſem Guidobaldum*, Comitiorum *Ratisbonæ* inchoatorum Præſidem Cæſareum eò ingreſſum, facundâ Oratione excepit.

Præſidem Cæſareum Oratione excepit.

Exindè nullus propè Principum fuit, quem non ſalutârit, nemo Procerum Legatorumque, cui non innotuit.

An. 1664. Cum Cæſar *Leopoldus* paulò antè *Ratisbonam* veniſſet, ut lenta Comitiorum conſilia præſentiâ ſuâ urgeret, & cum Electoribus ac Principibus de prohibendo à patriæ finibus communi hoſte conſuleret, Civitas ei Sacramentum dixit, cumque Senatus ad *Auguſtæ* manus oſculum fuiſſet admiſſus, *Lentzius* Imperatori Reipublicæ ſuæ nomine disertâ Oratione, magnâ Procerum aſtante coronâ, publicè gratias egit.

Hinc Cæſar torquem aureum pretio ac pondere inſignem collo ejus injecit, ipſumque Comitum, quos Palatinos vocant, Cenſui adſcripſit.

Comes Palatinus creatus.

Sub finem hujus anni in Senatum patriæ lectus, Conſulares quoque faſces ſeculo alterius anni Julio texuit, quos deinceps non niſi ſemel geſſit.

Senator & Conſul Ratisbonenſis.

Eodem tempore Conjugem non periculoſo minùs quàm inopinato oppreſſam morbo jam tum letho proximam per 24. continuas horas vidit, quam tamen Deus cœleſti prorſus beneficio è mortis faucibus ereptam, ad modicum triennii uſum Marito parvuliſque liberis redonavit.

Cum verò hanc 7. duntaxat ante mortem ſuam ſeptimanis amiſiſſet, vel potiùs præmiſiſſet, proſtratas jam ante corporis vires nunquàm recipere potuit. Indè ſecuta vertigo, palpitatio cordis frequens, cachexia, aliaque naturæ ſeneſcentis ſigna.

Morbi ejus.

Et licet pridiè adhuc illius diei, qui ei vitæ poſtremus fuit, Curiam ob negotia conſueta fuiſſet ingreſſus, domum tamen ſub veſperam reverſus, crebriùs ſternutavit, ſubſecuto ſequenti die dolore capitis & catarrho vehementi, quem ſopor excepit lethalis.

Cum itaque morbus præſidiis omnibus humanis eſſet ſuperior, inter filiarum natu maximæ amplexus, & adſtantium preces ad patriam cœleſtem emigravit 18. Dec. A. C. 1667. æt. 38.

Obitus.

Sepultus ad S. *Petrum Ratisbonæ.*

Scripſit:

De bello Turcico Judicium, A. 1663. prelo commiſſum.

Scripta.

Nondum typis edita reliquit:

Opus prolixum de liberarum Civitatum Origine, initiis, & progreſſu diverſâ à Knipſchildianâ methodo concinnatum.

De voto liberarum Civitatum deciſivo libellum ſingularem.

* *Ex Concione funebri Matthæi Schmollii, Senior. Concionat. & ex Oratione funebri Joh. Portneri, Senator. Ratisbon.*

HIERONYMUS IM HOFF.

Obiit A. C. 1668.

NOrimbergæ, ex antiquâ Patritiorum familiâ, natus 12. April. An. C. 1606. Patrem habuit *Wilhelmum im Hoff*, Senatorem, & Præfectum Provincialem *Andreæ im Hoff*, Senatoris, ac Duumviri filium, Matrem *Catharinam*, ex eâdem *im Hoffiorum* familiâ progenitam.

An. ætatis 1618. Cum jam ſtudiorum fundamenta poſuiſſet in diverſis *Germaniæ* Academiis, in *Galliam* ablegatus à Patre A. C. 1624. *Genevæ Allobrogum* ſtudia Juridica ſedulus continuavit, & 29. Aug. an. ſeq. 1625. ſub Præſidio *Jacobi Gothofredi*, J. C. & Profeſſoris in Academiâ *Genevenſi* publici de Teſtamentis ordinandis cum laude diſputavit.

Iter ejus in Galliam.

Brevi pòſt, ult. Aug. *Genevâ* relictâ *Lugdunum Gallorum* & *Lutetias Pariſiorum* adivit. An. 1626. Cum per *Angliam*, *Belgii* Provincias, *Hiſpan.* & *Hollandiam* iter ſuſcepiſſet, Urbem *Pariſiorum* regreſſus, ibi aliquandiu ſubſtitit, donec in patriam reverſus, *Norimbergæ* feliciter appulit, 24. Jan. An. 1627.

19. Octob. A. 1629. *Italiam* quoque perluſtrare cupidus, *Venetias*, & exindè præcipuas Urbes *Italicas* acceſſit, cumque biennium hoc itinere inſumpſiſſet, 19. Junii An. 1631. in patriam rediit: ſed cum Dom. Parentem ſuum intereà mundo valedixiſſe percepiſſet, mox annno ſequenti 1632. Sereniſſ. Principi *Auguſto*, Com. *Palatin. Sultzbacenſi* miniſteria ſua obtulit, & cum eo Legati munere *Dresdam* ad Electorem *Saxoniæ*

in Italiam.

Saxoniæ Potentiſſimi *Suecorum* Regis *Guſtavi Adolfi* nomine functo *Dresdam* migravit.

Hoc verò Principe brevi pòſt febri ardenti extincto, eodem anno 1632. ad Baronem *Axelium Oxenſtirnium*, Regni *Suecici* Cancellarium, & tum Exercitus per *Germaniam* plenâ cum poteſtate Legatum, Fœderisque Evangelici Directorem conceſſiſſet, eidemque nobilis aulici miniſtri loco adhærens, non ſolùm aulas *Germaniæ* præcipuas inviſit, ſed etiam *Galliam* tertiâ, *Hollandiamq;* ſecundâ vice ſalutavit.

Nobilis aul. Axelii Oxenſtirn Cancell. Suec.

Sed cum An. 1634. *Johannes*, Baro ab *Oxenſtirn*, *Axelii* filius, ex Legatione *Anglicâ* ad Dominum Patrem reverſus, in *Daniam*, & exindè in *Sueciam* reverſurus eſſet, cum eo, dimiſſione à Dom. ſuo impetratâ, regna hæc acceſſit.

Iter ejus in Daniam & Sueciam.

Anno ſequenti ad Dom. *Axelium* ex *Sueciâ* reverſus, officio priſtino functus eſt usque ad menſ. Octob. A. 1635. quo Legatis à *Friderico III.* Duce *Holſatiæ* in *Moſcoviam* & *Perſiam* miſſis aſſociatus *Gottorpio* diſceſſit, & cum ſub itineris hujus initium ortâ, mari tempeſtate gravi cum ſociis in ſummo vitæ periculo verſaretur, votum DEO fecit, ſi ſoſpes evaderet, quod abindè toto vitæ ſuæ tempore diebus Veneris cum jejunio DEO gratias agere vellet, quod fideliter præſtitit.

Legationes ex Holſatiâ in Moſcoviam & Perſiam Socius.

Votum in naufragii periculo factum præſtitit.

Hâc Legatione peractâ, cum à Legationis hujus authore cum Atteſtato ſcripto fuiſſet dimiſſus, 13. Oct. An. 1639. *Lubecâ Rigam* in *Livoniam* navi vectus, aliquandiu apud Generalem Gubernatorem *Benedictum Oxenſtirnium* ſubſtitit.

An. 1640. In *Moſcoviam* iterum ablegatus, cum literis Reginæ *Sueciæ* ad Magnum Ducem, ei literas in publico conſeſſu exhibuit, ab eoque ad manûs oſculum admiſſus eſt.

Legatus à Suecia Reginâ ad Magnum Ducem Moſcoviæ.

2. April. An. 1641. *Stockholmium* reverſus, brevi pòſt cum Legato *Portugallico* regnum illud adivit, ac perluſtravit.

Ejus iter in Portugalliam.

Deindè tertiâ vice *Hollandiam* adiens, in caſtris Principis *Auraici*, Fortificationes ut perfectiùs addiſceret, ultra annum commoratus eſt.

Menſ. Jul. An. 1644. ex *Belgio* ad caſtra *Suecorum* in *Holſatiam* regreſſus, apud Generalem *Torſtenſonium* aliquandiu commoratus, A. 1645. menſ. Majo iter ultimum in *Sueciam*, *Stockholmium* verſùs ſuſcepit, quo finito *Hamburgum* ſe contulit, & aliquot annis ſubſtitit.

A. 1648. Vocatus à Sereniſſimo *Auguſto*, Duce *Brunsvicenſi* & *Lunæburgenſi*, filiis ejus *Antonio Ulrico* & *Ferdinando Alberto* Gubernator præpoſitus eſt, quo munere fideliter functus, ab eodem Duce inter Conſiliarios aulicos 23. Julii An. 1656. receptus eſt.

Conſiliarius aulicus Brunsvic.

Intereà verò A. C. 1652. Conjugium iniit, 25. Junii deſponſatus cum virgine *Magarethâ*, Viri nobiliſſimi *Henrici Leozovii* filiâ, ſponſalibus *Wolferbyti* in multorum Principum præſentiâ celebratis, ex quâ tres filios cum filiâ reliquit ſuperſtites.

Conjugium ejus.

Cum tandem ab annis aliquot per intervalla calculi doloribus afflictus eſſet, iisdem in Templo correptus, & æger domum deportatus, variis medicamentis à *D. Kouerdingio*, Medico aulico, fruſtrà adhibitis, viribus ſenſim deficientibus, inter preces devotas, adſtante *Chriſtiano Schmidio*, Diacono *Wolferbytenſi*, exſpiravit 19. Jan. A. C. 1668. æt. 62. Sepultus in Templo Cœnobii *Riddagshuſani* 7. Febr. ſeq.

Calculi ld moritur.

* *Ex Concione funebri Brandani Dætrii, Theol. D. & Concionat. aul.*

HENRICUS HAHNIUS.

Obiit A. C. 1665.

Genitus quondam fuit *Hildesheimii* 28. Aug. An. C. 1107. Patre illius loci Senatore, Matre *Eliſabethâ Buſſiâ*.

Ab his parentibus in tenerâ ætate literis addiſcendis admotus, diligentiâ & probitate æqualibus prælucens, eos progreſsûs fecit, ut magnæ doctrinæ tandem comparandæ certam ſpem fecerit.

Accepit verò in patriâ inſtitutores publicos tum alios, tum M. *Johannem* Göttfleiſch/ poſt Urbicæ Eccleſiæ Superintendentem, & M. *Martinum* Gödecken / quorum fidelem informationem gratus diſcipulus etiam ſenex non deſiit commendare. Quoniam verò illâ tempeſtate magnum præ aliis erat juventutis probè educandæ nomen *Johannis Neudorfii*, Ludimoderatoris *Goslarienſis*, ad eum à parentibus miſſus, Græcæ Latinæque linguæ rudimenta didicit.

Diſcipulus Joh. Neudorfii Goslaria.

An. 1623. æt. 18. in Academiam *Juliam* conceſſit, cumque ſuetam adhiberet diligentiam publicè privatimque optimis Præceptoribus audiendis magnum indies fecit doctrinæ incrementum.

Florebat tunc Philoſophicus Ordo *Conrado Hornejo*, in *Cornelii Martini* locum Logices publico conſtituto Profeſſore, qui tamen ſimul privatâ operâ Ethica & Metaphyſica docebat; *Nicolao Granio*, Encyclopædiæ ſedulo Doctore, & *Chriſtophoro Heidmanno*, ut publicè Eloquentiam ita privatim Hiſtoriam veterem magno cum applauſu profitente.

Philoſophiæ & Juris ſtudioſus Helmſtadii.

Florebat Juridica facultas *Johanne Stuckio*, ordinario, *Henrico Andreâ Cranio*, viris, quos ſcripta monumenta non patiuntur ignorare, atque extrà ordinem tunc allecto *Henrico* Schmerhem / cui cum docendi polleret dexteritate, nec Collegii conſultationibus occuparetur, vacabat præ aliis docendo diſputandoque juventutem exercere.

His omnibus cum fructu, prout ætas capiebat, magiſtris indies eſt uſus. Sed feliciter currentem An. 1625. primùm peſtilens lues, mox bellica Erynnis rupto ſtudiorum filo in patrium oppidum ad ſuos confugere coëgit. Nihilo ſeciùs tamen, quod hîc negatum, alibi quærere diſcendi ardor compulit.

Iſthoc

Digitized by Google

Roſtochii Juris ſtudioſus. Iſthoc conſilio itaque *Roſtochium* petiit, ibique in convictum quidem ſe dedit Dom. Conſulis *Melchioris Klingii*, audivit verò publicè *Lindemannum* & *Cothmannum*, celebris famæ J.C.tos.

Cumprimis verò privatim uſus eſt manuductione *Chriſtophori Lorichii*, quem *Helmſtadii* etiam audiverat, viri doctiſſimi, & pòſt Illuſtris *Alvenslebiæ* gentis ſubditorum *Calbenſis* Judicis.

Comitatus enim *Henrico Rahnlo*, vetere in *Juliâ* Condiſcipulo, quem doctrina itidem pòſt in Ordinem Profeſſorium & Senatum Conſiſtorianum *Roſtochii* evexit, ductu *Lorichii* illius univerſum *Romanæ* Jurisprudentiæ ambitum reſpondendo opponendòque, uti mos fert Scholarum, eſt perſecutus.

In Academiam Juliam reverſus. An. 1631. Poſtquàm reſpirare nonnihil viſa eſt Academia *Julia*, & quaſi cum Muſis ac Themide redire in gratiam, eò reverſus, perrexit optimos Juris magiſtros conſulere, ac docentes audire, in id *Schmerhemio* præ aliis uſus: ipſemet etiam, Collegio Juridico approbante, docendo diſputandoque juvenes exercere cœpit: cauſis quoque agendis ſæpè plurimùm commodavit partium rebus.

An. 1639. Poſtquàm in aulam evocatus *Joachimus Weckius* Juris Profeſſor, vacuam ſedem ſuam feciſſet, Senatus quidem Academicus nihil prius habuit, quàm operam dare, quo *Hahnius* ſufficeretur, qui ſub initium demùm An. 1641. literis verè *Auguſti* Ducis confirmatus eſt Inſtitutionum Profeſſor. *Inſtitutionum Juris Profeſſor.* Cum jam tum menſ. Oct. A. 1639. Decano *Johanne Thomâ Cludio*, à Collegio Juridico ſolennibus examinibus probatus, & ſequentis anni menſ. Septembri eodem Decano Juris Doctor eſſet inauguratus. *Juris Doctor.*

Pandectarum & Codicis Profeſſor. Ex illo usque tempore per annos 27. Inſtitutionum primò *Juſtinianearum*, indè Pandectarum, denique Codicis egit Profeſſorem. *Judicii aulici Wolfenbütteleuſis Aſſeſſor.* Judicii etiam aulici *Wolffenbüttelenſis* per annos aliquàm multos Aſſeſſorem egit.

Fuit verò ſtudiis & laboribus Juridicis peragendis eò aptior, quo à domeſticis curis minùs impediretur, nactus utroque matrimonio matronas planè ad ingenium mariti benè compoſitas, & domeſticæ rei ſedulas curatrices, nec ſobole numeroſâ aut immorigerâ oneratus.

Conjugium ejus primum. Primum enim ipſi connubium fuit cum virgine *Annâ Mariâ*, Dom. *Danielis Pfeiferi*, J.U.D. & in Cancellariâ Aulicoque Judicio *Wolfenbütteli* quondam Advocati filiâ, quod initum *Helmſtadii* in mediis turbis bellicis 16. Junii An. 1633. prole felix fuit. Nam primo ſtatim partu gemellos enixa eſt conjunx maſculum & fœmellam. Vidit deinceps genitos ex eodem matrimonio filiolum unum & filiolas binas, omnes verò maturè ereptos, præter filiam unicam *Annam Sophiam*, quam An. 1656. J.C.to eximio D. *Johanni Eichelio*, Conſiliario *Brunsvico-Luneburgico Saxonicoque*, in Academiâ *Juliâ* Pandectarum Profeſſori publico, Judiciique Aulici Aſſeſſori elocatam florentem vidit, 7. ex illo matrimonio liberorum, quorum 3. tamen infantes obierunt, etiam avus redditus. Hujus primi matrimonii felicitatem turbavit mors conjugis dilectæ 27. Martii An. 1657. proximus tamen añus reſarcivit damnum, acceptâ in conjugium alterum *Hedwige Arents*, *Reinboldi à Vechelt*, *Brunsvicenſis* Patritii tum viduâ. *Conjugium alterum.* Id connubium etſi fuerit improle, fuit tamen illi jam in ſenium vergenti, adeòque valetudinario planè ex voto.

Valetudine fuit in ſenium usque ſatis firmâ, nec ei morbus fatalis ſtudiis multum decerpſit. *Morbus fatalis & obitus.* Eryſipelate enim dextri brachii 21. Febr. correptus, remediis tantum ſenſit levaminis, ut tertio die dolore liberatus in Muſæo deambulaverit. Proximâ verò nocte usque adeò recruduit malum, ut collabeſcentibus viribus ſequenti meridie placidâ morte inter lachrymas ſuorum exſpiravit die 5. April. An. C. 1668. ætatis ſuæ 63.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia: *Scripta.*

Obſervationum & Annotationum ad Paratitla Weſenbeciana Volumen.

14. *Selectæ diſſertationes Juridicæ.*

De Jure Rerum, & Juris in Re ſpeciebus.

Ad Codicem Diſputationes 7.

Exercitationes XVI. de Jure Forenſi varii generis.

Feudales controverſiæ illuſtres.

De diffamatione.

De Spolio.

De Jure Sexûs fœminini ſingulari.

De Jure Nobilium ſingulari.

De Jure Indigenatûs ſingulari.

De Jure Decimarum.

Delibata Juris Naturæ, Gentium, Ebræi, Romani, Romani, Canonici, feudalis, Receſſuum Imperii, Reformationis Noricæ.

De Alienationibus.

De modo agendi in Judiciis, in genere, & in ſpecie.

De altero tanto.

De Obligationibus in genere, & in ſpecie.

De Teſtamento perfecto.

Diſpoſitio Pandectarum 7. *Tabulis exhibita.*

De Appellationibus, & reliquis ſuſpenſivis remediis.

De læſione ultra dimidium & ejus correctione.

De amicabili Divortio.

De tutelâ Matris.

De Repreſſaliis.

De Jure Colonatio.

De Sequeſtro.

Decades V. Concluſorum.

De Injuriis, earumq; actionibus, civili, criminali, ad palinodiam.

De diſpoſitionibus Parentum inter liberos.

* *Ex Programmate funebri Prorectoris in Academiâ Juliâ.*

Mmmmmmm JULIUS

Obiit A.C. 1665.

JULIUS ERNESTUS SCHRÖDERUS.

Epitaphium ejus vide in Templo *Wittebergenſi* oppidano:

Epitaphium.

Siste gradum Viator.
Sub hoc Saxo requiescit
Julius Ernestus Schroderus, Magnifici JCtorum Ordinis Adsessor Clarissimus, Vir Amplissimus et Consultissimus, Celebris causarum Patronus, solida Juris notitia instructus, incomparabili amore recti et veri, studio, usu denique insignis. Qui cum in suo officio et diligentiam et fidem et dexteritatem satis probatas dederit, Divino Numini pietatem, æquitatem proximo, sibimet salvam conscientiam exhibuit, quælibet præstantissimarum virtutum proprium sibi poscebat terminum, et ex Juris Præscripto vindicabat de facili, universæ ampliorem præscribebant annorum numerum, et longiorem fidem pollicebantur, ætatem at superabat. Hanc agendi rationem immotus fatorum ordo, dum cum moerore ac desiderio bonorum mortalitati subtrahebatur. Natus est Dannenbergæ die XIII. Augusti An. MDCXXXIII. placide in suo Jesu d. XI. April. MDCLXVIII. noctu intra horam primam et secundam mortuus est, postquam XXXV. annos IX. Menses, die unico fuisset vivens.

Abi jam Viator et cogita, ut nunc cito extinctum, ita te quoque esse mortalem.

* *Ex Inſcriptionibus Wittebergenſibus Andreæ Sennerti.*

Obiit A.C. 1661.

JOHANNES GEORGIUS STYRZELIUS.

AUguſtæ Vindelicorum natus eſt 12. April. A.C. 1591. Patre *Johanne*, per 30. annos ibidem Syndico, Matre *Margarethâ Schenckiâ*, & è ſacro baptiſmi fonte ſuſceptus à D. *Wernero Seutero*, J.C. *Filius Syndici Auguſtani.*

Cum in Gymnaſio Patrio ad *S. Annam* literarum fundamenta jeciſſet, An. 1609. in Academiam *Jenenſem* veniens, cum fratre *Johanne Philippo*, & *Jeremia Erhardo*, Medico poſteà *Auguſtano*, ſtudiis ibi Philologicis & Hiſtoricis operam dedit. *Jenæ ſtudioſus Philologiæ & Hiſtoriarum.*

An. 1611. *Tubingam* progreſſus, & ſtudium Juridicum amplexus, *Altorfium* deinceps A. 1613. venit, & Lectiones audiendo ac diſputando ſeſe ſedulus exercuit. *Tubingæ & Altorfii Juris ſtudioſus.*

An. 1618. Praxeos exercendæ gratiâ ad fratrem *Matthæum Styrzelium*, Conſiliarium *Palatino-Neoburgicum*, ac Reipublicæ *Ulmenſis* conceſſit.

A. 1624. *Rotenburgam* veniens, ibi brevi poſt nuptias celebravit cum *Margarethâ*, *Martini Mylleggi*, Senatoris viduâ, quâ ſine prole defunctâ, 6. Dec. A. 1658. ad altera vota tranſiit, connubio junctus virgini *Barbaræ*, M. *Joh. Henrici Riſii*, Theologi *Hatzfeldici*, & PoëtæLaureati filiæ, ex quâ filium *Johannem Pilippum*, cum filiâ *Annâ Eliſabethâ* reliquit. *Connubium ejus duplex.*

5. Maji An. 1624. Senatûs exterioris Aſſeſſor electus, mox A. 1628. in Senatum interiorem receptus, & Judex Imperialis conſtitutus, tandem A. 1635. Conſul factus eſt, quam Conſulis functionem ambulatoriam quindecies, raro exemplo, prudenter adminiſtravit. *Judex Imp. & Conſul Rotenburg. quindecies.*

An. 1641. Poſt obitum Conſulis *Johannis Ludovici Winterbachii*, Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor, & Gymnaſii Scholarcha declaratus, tandem A. 1655. Præfecturam ad *S. Jacobum* obtinuit. *Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſor. Scholarcha Gymnaſii.*

Vir admodùm eruditus, & Poëſi imprimis delectatus, frequens commercium literarium cum variis viris doctrinâ claris excolere ſolitus eſt.

14. Febr. An. 1668. In Senatûs conſeſſu tremore manuum ac pedum vehementi ſubitò correptus, & domum ſuam deportatus, cum indies debilior evaſiſſet, accedente tandem ſtranguriâ, anteà quoque familiari, vitam 77. annorum morte beatâ clauſit 17. April. ſeq. *Obitus ejus.*

* *Ex Concione funebri.*

Epigramma cancrinum ipſi à Socero *Johanne Henrico Riſio*, Theologo, & Poëtâ ſingulari ſcriptum A.C. 1646.

Lino Sirenum ſerta! at res muneris o nil!
Te duce cudet homo: (id vah audi homo) te duce cudet
Artem: te duce cudet, te duce cudet metra:
Sed vale! re Muſat res ſeria ſumere laudes.

ENOCH GLÆSERUS.

Obiit A.C. 1668.

IN Imperiali *Sileſiæ* urbe *Landshuto* An. C. 1628. primùm lucem vidit. Patrem habuit *Caſparum Glæſerum*, Mercatorem ex primariis illius urbis: Matrem *Roſinam Kelnam.*

Hi parentes pro filiolo ſoliciti, quomodo fidei fundamenta rectè addiſceret, in Gymnaſium eum *Uratislavienſe* miſerunt, in quo progreſsûs in Græcis Latiniſque literis fecit admirandos. *In Gymnaſio Uratislavienſi ſtudia inchoavit.*

A. 1646. Suaſu Præceptorum *Wittebergam* adivit, ut ibi ſtudia ſua feliciter ſucceſcentia ad maturitatem deduceret. Vix eam intraverat cum modeſtiâ ſuâ & diligentiâ, optimos quoſque ſibi obnoxios reddidit, ſcriptiſque Carminibus quibuſdam famam invenit, & benevolentiam ſummorum virorum promeruit: erat enim pangendi Carminis egregius artifex, naturali quâdam propenſione eò inclinans. Obtrudebat autem Carmina ſua nemini invito, ſed occaſionibus utens, vel æternæ Principum Procerumque memoriæ, vel amico- *Wittebergæ ſtudiis incumbit. Poëta natus.*

by Google

amicorum conſecrabat neceſſitudini, eaque ſcribebat non Latinâ tantùm, ſed vernaculâ quoque linguâ, cum præſertim à *Mart. Opitii* tempore Germanica Poëſis non exculta tantùm magis eſſet, ſed plures quoque amatores cum alibi, tum in *Sileſiâ* inveniret.

Charus Auguſto Buchnero. Eo nomine charus imprimis fuit *Auguſto Buchnero*, cenſori ingeniorum maximo, politiorisque literaturæ laude per totam *Europam* celeberrimo, ut etiam à nonnullis præclaris Viris Amicus *Buchnerianus* nominaretur.

Non verò votorum ſuorum ſpem carminibus ſolis includebat, ſed in animo ipſi erat Jùrisprudentiæ ſeſe dare, Hiſtoriæ quoque veteris & Philoſophiæ Practicæ cognitionem futuro J.C.to maximè neceſſariam ſibi comparare allaborabat.

Helmſtadii convictor Henrici Julii Scheurl. Eam ob cauſam An. 1649. in Academiam *Juliam* venit, propoſitique ſui tenax, ad præſtantis Philoſophi & Oratoris *Henrici Julii Scheurlii*, Moralium Profeſſoris publici, amicitiam ſibi paravit viam, domo & convictu illius uſus. Mox etiam amorem meruit celeberrimorum virorum, *Calixti*, *Horneji*, *Habnii*, *Brenneccii*, aliorumque.

Poëta laureatus. Non multò pòſt Dominus *Georgius Frantzkius*, *Gothanæ* aulæ Cancellarius, & Sacri Palatii Comes, Inſignia Poëtæ Coronati Cæſarei ultrò ei obtulit, nec recuſanti contulit.

Jurium ſtudioſus. Severioribus deindè ſtudiis ſe dedens, Juriſconſultorum ejus loci nobilium *Habnii*, *Mehlbomii* & *Werneri* lectiones publicas privatasque audivit per 4. annos, nec interim exercitia Diſputatoria neglexit.

Abiit deindè *Altorfium*, *Tubingamque*, Clariſſimis Viris *Lanſio*, *Ludwello*, *Rittershuſio*, *Felwingero*, *Dürrio*, locorum illorum ornamentis acceptus.

Elapſo tempore non modico, cum *Ratisbonæ* Comitia Imperii celebrarentur, commodam ſibi natam occaſionem putavit, quâ & *Germanici* ſtatûs notitiam ſibi comparare, & Viris ampliſſimis ibi præſentibus ſeſe commendare poſſet.

Nec defuit bono conſilio eventus: cum enim aliis, tum maximo quondam ſtudiorum Patrono Cancellario *Schwartzkopfio* eruditionem ſuam probavit.

Peregrinationem deindè per *Germaniæ* partem maximam inſtituit, *Baſileæ* & *Spiræ* aliquandiu commoratus, cum inveniret illìc Juriſconſultos, quorum familiaritate inſigni cum fructu uſus eſt.

Academiam Juliam repetiit. An. 1656. Academiam *Juliam* repetiit, invenitque adhuc ibi Præceptores ſuos, quorum conſilio privatim docere juventutem cœpit, idque ut liceret, omnibusque profectûs ſuos oſtenderet, Præſide celebri J.C.to *Joh. Eichelio* ſumma Juris capita examini publico ſubmiſit, meruitque tantum juventutis applauſum, ut dein illo uti Præceptore tam in Philoſophiâ Practicâ, quàm Jure certatim ambirent. *Collegia Jur. privata habuit.* Biennio elapſo, An. 1658. Juris Profeſſionem publicam extraordinariam, atque Novellas interpretaretur, Sereniſſ. Principes ipſi demandârunt. *Juris Profeſſor extraordinarius.*

Anno ſequenti, pro obtinendis Privilegiis Doctoralibus de Præventione Jurisdictionis, Præſide D. *Henrico Habnio* diſputavit, ſummis mox in utroque Jure honoribus ornatus. *Doctor Juris creatus.*

Eo ipſo anno, ut res ſuas magis ordinaret, conjugium iniit cum virgine *Annâ Suſannâ*, *Balthaſaris Rinckii*, Pandectarum Profeſſoris publici filiâ, pòſt à celebri item J.Cto. & Profeſſore *Henrico Binnio* adoptatâ.

Bienniò pòſt ordinarium inter Profeſſores Juris locum ambivit & impetravit, nec diu pòſt Socero ſuo *D. Binnio* in Profeſſione ſucceſſit.

Ornavit autem ſpartam, quam nactus erat, pro virili & publicè & privatim, illoque decennio plus quàm ducentis vicibus publicas diſputationes Præſes habuit, diſcipulorum diligentiam ſuâ animans & accendens. *Juris Profeſſor ordinarius.*

Quamdiu etiam ultimis vitæ ſuæ diebus Magiſtratum Academicum geſſit, nihil in ſe deſiderari paſſus eſt eorum, quæ ad Academiæ dignitatem tuendam viderentur.

Subciſivis quoque horis in pietatis exercitium Muſas advocavit, plenosque ſpiritu Hymnos ſacros compoſuit. *Hymnos ſacros compoſuit.* Cum Collegis ita vixit, ut pluribus amiciſſimus, gratus omnibus, gravis eſſet nemini. Ex conjuge dilectâ tres filias reliquit ſuperſtites.

Ultimo vitæ biennio febri cum variis ſymptomatibus afflictus, poſtquàm paucis ante obitum ſeptimanis Prorectoris munus ſuſcepiſſet, gravia ſymptomata, pulmonum debilitas, tumor corporis hydropicus & cachexia supervenêre, undè viribus collapſis 12. Septemb. præſentibus uxore, ſocru, & amicis pluribus placidâ morte extinctus obiit An. C. 1668. ætatis 41. *Prorector Helmſtad.* *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Provicerectoris in Acad. Juliâ.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

De Præventione Juriſdictionis Diſcurſus inaugur. *Scripta.*

De Libero Arbitrio ſecundùm Jus Civile & Canonicum.

De verâ Philoſophiâ Juris Oratio 22. Jul. A. 1658. habita.

De Procuratore.

De Jure Statuario.

De Famâ ejusque imminutione.

De Homicidio.

Diſſertatio Apologetica de Jure in Re, oppoſita Jacobo Bornio, J. U. Licent. & Senatori Lipſ. Subjuncta eſt Diſſertatio ipſa Antagoniſtæ.

Programma cum Novellarum Interpretationem publ. ſuſcepturus eſſet.

Mmmmmmm 2 De Ju-

De Judice ejuſd. Officio in genere.
De Jure Naturæ.
De Vocatione in Jus, ſive Citatione.
De alendis à parentibus liberis.
Joach. Schnobelii, J.C. in Libros Pandectarum Diſputationes XXV. recognitæ.
Ejusdem in libros Feudorum Diſputationes XI. Mantiſſæ loco acceſſit Henrici Acidalli, J.C. Synopſis Juris Feudalis.
De Simulatione.
De Sortitione.
De Incendiis.
De Judiciis.
De Tutelâ & Curâ.
De Mutuo.

Obiit A.C. 1668.

AMADEUS ECKOLTUS.

W*Elſæ*, in *Auſtriâ* ſuperiori, natus eſt 25. Jan. An. C. 1623. Patre *Emanuele Eckolto*, Senatore, & Mercatore illius oppidi primario, Matre *Catharinâ*, *Matthæi Halleri*, Mercatoris *Styrenſis* filiâ.

Ratisbonæ in Gymnaſio ſtudia incepit. Puer felicis ingenii cum Parentibus, ob fidei *Lutheranæ* Confeſſionem, in exilium compulſis, *Ratisbonam* venit, & ibi in Gymnaſio ſtudiorum fundamenta poſuit.

An. 1634. Peſtis contagio ſe manifeſtante, & Patre ejus *Auguſtæ Vindelicorum* abſente, Mater eum in *Auſtriam* ſecum reduxit, &, ob Præceptorum aliorum defectum, Patrum Societatis Jeſu diſciplinæ ſubdidit, apud quos in artibus liberalibus & Linguis Latinâ Græcâque quadriennii ſpatio plurimum profecit. *Jeſuitarum Diſcipulus.*

Cum verò Pater ejus *Lipſiæ* conſidere ſtatuiſſet An. 1641. filium hunc eò translatum, informationi Licent. *Gotfridi Schlutteri* & *D. Danielis Mülleri* tradidit, quorum informatione ſedulâ tantos fecit progreſſus, ut An. 1643. primum in Philoſophiâ Gradum Baccalaurei, & anno ſeq. Magiſterii cum laude nactus fuerit. *Lipſiæ Philoſophiæ Baccalaureus & Magiſter.*

Jurium ſtudioſus. Poſteà ſtudium Juridicum amplexus, non modò Dnn. Profeſſorum Lectiones, Collegia, & Diſputationes ſedulus frequentavit, ſed etiam informatione privatâ *D. Johannis Strauchii*, J.C. & Profeſſoris publici *Jenenſis* uſus apud eundem Collegia varia tam Lectoria quàm Diſputatoria habuit, & *de Arbore Conſanguinitatis & Affinitatis* publicè ſub Præſidio *D. Benedicti Carpzovii*, J.C. incomparabilis diſputavit.

Tubingæ Collegia Juridica habuit. In Academiam deindè *Tubingenſem* Patris conſenſu concedens, apud *D. Wolffgangum Adamum Lauterbachium*, J.C. tum celebrem, & Ducis *Würtenbergici* Conſiliarium familiariter vixit, & bina Collegia, Examinatorium unum *Weſenbecianum*, alterum Diſputatorium ſuper D. *Ludwelli* Exercitationes habuit, bisque publicè diſputavit.

Antequàm verò *Tubingâ* domum rediiſſet, iter per *Germaniam* ſuperiorem & *Helvetiam* ſuſcipiens, Academias *Baſileenſem*, *Friburgenſem* in *Brisgoviâ*, *Argentinenſem*, *Ingolſtadienſem*, & *Altorfinam* acceſſit, viris que eruditis ubique innotuit.

Anno demùm 1652. *Lipſiam* reverſus, poſtquàm Examina conſueta ſuſtinuiſſet, & Diſputationem Inauguralem de Tutelâ Maternâ habuiſſet, Licentiati & Doctoris Juridici Gradum, unà cum duobus Competitoribus, ſolenniter obtinuit. *Juris Licentiatus & Doctor.*

23. Maji An. 1653. Nuptias *Lipſiæ* celebravit cum matronâ honeſtâ *Annâ Margarethâ Clemmiâ*, *Hieronymi à Ryſſel* relictâ viduâ, quæ tres ei filios duasque filias peperit, ſed ex filiis natu tantùm majorem *Emanuelem* reliquit ſuperſtitem, cum filiabus *Johannâ Margarethâ* & *Catharinâ Eliſabethâ*. *Conjugium ejus.*

Nuptiis peractis Collegia varia Studioſis Juris inſtituit, multasque Diſputationes publicas typis editas habuit. Ob quam diligentiam ejus permota Facultas Juridica *Lipſienſis* A. 1659. inter Collegas ſuos in locum *D. Henrici Volcmari*, Prof. publ. ſuſcepit, & A. 1660. Profeſſionem in Facultate Jurid. vacantem obtinuit. *Collegia Juridica inſtituit. Facultatis Juridicæ Collega & Profeſſor.*

An. 1664. Collegii Principum minoris Collegiatus, & paulò pòſt in locum *D. Johannis Schilteri*, Judicii aulici Aſſeſſor declaratus, anno demùm 1665. Rector Academiæ Magnificus electus eſt. Privignum *Hieronymum Jacobum à Ryſſel* in literis educatum, paucis ante mortem ſeptimanis in Academiam *Wittenbergenſem* deduxit. *Rector Academiæ Lipſienſis.*

Variis tandem ex ſtomachi cruditatibus affectus ſymptomatibus, Divinæ clementiæ totum ſe devovens, inter adſtantium preces placidè exſpiravit 20. Nov. An. C. 1668. ætatis ſuæ 46. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri Eliæ Sigismundi Reinharti, Superintendentis Lipſienſis.*

Obiit A.C. 1669.

HENRICUS TOEBINGIUS.

H*Allæ Saxonum* natus 13. Junii An. C. 1595. Patrem habuit *Danielem Tœbingium*, *Luneburgicum* Jurium Candidatum, Matrem *Barbaram*, filiam *Nicolai Hauptlebenii*, Eccleſiæ *Mersburgenſis* Paſtoris.

Cum Patrem in pueritiâ mortuum amiſiſſet, â Matre viduâ, & Curatore *D. Andreâ Sartorio*, J.C. & Judicii *Hallenſis* Aſſeſſore ſtudiis addictus, Præceptores aliquot privatos nactus eſt, quorum Informatione Linguæ Latinæ & Græcæ rudimenta didicit, deindè Rectorum Gymnaſii *Hallenſis* manuductione fundamenta poſuit in Logicâ, Rhethoricâ, Ethicâ, Politicâ, Phyſicâ & Theologiâ, ut An. 1615. dignus fuerit habitus, qui *Lipſienſem* Academiam accederet. *Studia incipit in Gymnaſio Hallenſi. Jura ſtudet Lipſiæ.*

Cum verò tunc ibi ſtudium Juridicum, & imprimis Inſtitutiones Juris negligentiùs tractarentur, ex Domini Curatoris Conſilio An. 1616. *Wittenbergam* ſe contulit, *Wittenbergæ.*

tulit, ubi cum per integrum ferè annum ægrotâſſet, A. 1617. in Academiam *Jenenſem* venit, ibique per 4. annos M. *Wolfgangi Heideri*, Philoſ. Practicæ Profeſſoris convictu uſus, ſtudiis Juridicis ſedulus incubuit, adeò, ut An. 1619. *D. Valentinus Riemerus*, Decanus tunc & Profeſſ. public. in Facultate Juridicâ ipſi in numerum Candidatorum recepto Facultatem conceſſerit, Collegia Juris lectoria & diſputatoria privatim habendi.

Jenæ. *Collegia Juris privata habet.*

Intereà An. 1620. Nobiles duo ex ipſius commenſalibus *Fridericus Ulricus à Bringkom*, *Halberſtadienſis*, & *Chriſtianus Guntherus à Bodentroſt*, *Lunæburgenſis*, poſtquàm eorum Præceptor M. *Laurentius Andreæ*, tunc Facultatis Philoſophicæ Adjunctus, & poſteà Theol. Doct. & Superintendens *Mörsburgenſis* Jenâ diſceſſerat, *Tœbingium* hunc ſibi contubernalem & Præceptorem privatum conſtituerunt, & ita Matrem ejus ſumptibus non exiguis hactenus in filium erogatis ſublevârunt. An. 1621. cum nobili ſuo *Bodentroſtio*, ejusque loco *Bringkomii* domum regreſſi, contubernali *Henrico Herzbergero Boruſſo Lipſiam*, & anno ſequenti in *Belgium* diſceſſit: exindè propriis ſumtibus iter in *Angliam* & *Galliam* ſuſcepit, ac A. 1624. *Hallam* reverſus eſt.

Præceptor privatus duorum Nobilium.

Licet verò tunc ſedem ibi ponendi, Matre hortante, ſibi propoſuiſſet, & Praxin exercere feliciter cœpiſſet, ad petitionem tamen Studioſi nobilis *Alberti à Schulenburg*, ut ſecum oblato ſalario honeſto ad triennium iter ſuſciperet, rogantis animum mutavit, cum eoque eodem adhuc anno *Tubingam* diſceſſit, indèque A. 1626. venit *Argentoratum*, ibi cum nobilis *Schulenburgius* variolis decumberet, ipſe præter ſpem diutius morari coactus à Facultate Juridicâ, Decano D. *Flachio*, in numerum Doctorandorum adſcriptus, paulò pòſt Tentamen cum Examine ſuſtinuit, habitâque Diſputatione ſine Præſide Licentiam Doctoris gradum aſſumendi obtinuit.

Tubingam venit. *Argentorati Jur. Licentiatus.*

Deindè cum nobili ſuo ſanitati reſtituto, per *Belgii* Provincias *Hiſpanicas*, *Galliam*, *Sabaudiam*, & *Helvetiam* feliciter iter ſuſcepit, & A. 1628. *Hallam* regreſſus eſt.

18. Jan. An. 1629. Recommendatione *Joachimi Ruchmanni*, Juris Doctoris *Hallenſis*, cujus hoſpitio tunc uſus erat, à Comitibus *Barbyenſibus Alberto Friderico* & *Jodoco Gunthero* fratribus *Müllingam* accerſitus, Conſiliarii aulici munus accepit, eique D. *Nicolaus Schultze* adjunctus eſt. 19. Febr. A. 1635. Cancellarii officium à Comitibus ſibi clementer oblatum aggreſſus, fideliter obivit non tantùm usque ad An. 1659. quo mortuo *Auguſto Ludovico*, Comite ultimo de *Barby* & *Müblingen*, Comitum *Barbyenſium* antiqua ſtirps prorſus defecit, ſed etiam deinceps ſub Imperio Ducis *Sax. Auguſti*, Adminiſtratoris *Magdeburgenſis*, usque ad An. C. 1664.

Conſiliarius aul. Comitum à Barby, & Cancellarius.

Intereà conjugium iniit An. 1630. 3. Maji deſponſatus cum *Eliſabethâ Joniâ*, viduâ *Pauli Grünewaldi*, J. C. & quondam Cancellarii *Barbyenſis*, ex quâ duos ſuſcepit liberos, filium *Johannem Henricum*, in oppido *Barby* natum, & *Jenæ* An. 1653. 4. Julii denatum, & filiam *Eliſabetham Barbaram*, quæ anno 1652. 14. Junii deſponſata Dn. Doct. *Chriſtophoro Langio*, Comiti Palatino, Conſiliario *Saxon.* & Cæſareo, Cancellarioque *Mansfeldico* 5. ei filias peperit, & duos filios *Rudolphum Auguſtum*, & *Johannem Henricum*, quorum poſterior brevi poſt partum tempore vixit.

Conjugium iniit.

Cum An. 1658. Conjugem chariſſimam morte abreptam amiſiſſet, ipſe eodem tempore paralyſi lateris dextri affectus, brevi tamen per DEI gratiam reſtitutus eſt. Sed cum An. 1663. catarrhus fortior latus ſiniſtrum occupâſſet, ut prorſus decumbere cogeretur, anno ſequenti 1664. 18. Febr. dimiſſionem à munere ſuo clementer obtinuit, ita tamen, ut honorem & Nomen Cancellarii cum ſalario retineret. A. 1666. DEI cumprimis & medicamentorum ſalutarium ope reſtitutus, aliquantùm Menſibus Majo & Junio *Islebiam* iter ſuſcipiens, ibi cum amicis ſe recreavit. Sed anno ſeq. prorſus lecto affixus, viribus ſenſim deficientibus & accedentibus tandem doloribus colicis exſpiravit in oppido *Barby* 23. Jan. A. C. 1669. ætatis 74.

Ob paralyſin rude donatus. *Ex colicâ moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Balthaſ. Hartranftii, Paſtoris Eccl. Barbienſ.*

JOHANNES MICHAEL MOSCHEROSCH.

Obiit A. C. 1669.

SOcietatis frugiferæ membrum, vocatus *Philander à Sittenwald.* Natus eſt *Wilſtätti*, in Comitatu *Hanovico*, 5. Martii A. C. 1600. Patre *Michaële Moſcheroſch*, Eccleſiæ *Wilſtättenſis* diſpoſitore, Matre *Veronicâ Beckiâ*, cujus avus *Quirinus Beck*, *Chriſtierno*, *Daniæ* Regi, cum aliis adoleſcentibus nobilibus inſerviit, poſteà Deo ſic volente, in *Germaniam* exceſſit.

Filius Eccleſiæ Paſtoris.

Puer egregiæ indolis domi in Templo & Scholâ juxtà *Confeſſionis Auguſtanæ* doctrinam inſtitutus cum adoleviſſet, à Patre in Academiam vicinam *Argentinenſem* miſſus, ibi An. 1624. cum curſum Philoſophicum abſolviſſet, Magiſterii Philoſophici Gradu inſignitus, & inter 24. Competitores cum totius Academiæ applauſu primum locum adeptus eſt. Eodem anno cum Parentum aſſenſu in *Galliam* iter ſuſcepit, & *Genevam* primùm, exindè *Aureliam* & *Luteitam* ſe contulit. Eo itinere non modò Linguam Gallicam perfectè didicit, ſed etiam variis Exercitiis Academicis adeò ſe ornavit, ut, domum reverſo ſtatim variæ conditiones honeſtæ offerrentur, ex quibus Ephoriam filiorum Illuſtriſſimi Comitis *Johannis Philippi à Leiningen & Dagſburg* accepit 1. Aug. A. 1626.

Argent. Philoſophiæ Magiſter primo loco factus. *Iter ejus in Galliam.* *Ephorus Comitum Leiningenſium.*

Indè clementer *Hartenburgo* dimiſſus, 9. Septemb. An. 1628. nuptias celebravit cum virgine *Eſtherâ*, *Johannis Ackermanni*,

Nuptias celebrat his.

Gemmarii *Francothalenſis*, & *Mariæ Liſfeldiæ* filiâ, ex quâ 4. liberos ſuſcepit, ex iiſque filium *Erneſtum Ludovicum* ſuperſtitem reliquit*.

Præfectus Grichingenſis.

Eo tempore factus à Comite *Grichingenſi* ditionis ſuæ Præfectus, munus id fideliter adminiſtravit, usque dum oppidum *Grichinga* cum arce à *Gallis* occupatum, & miſerè vaſtatum eſt: tunc cum alterâ conjuge *Mariâ Barbarâ Panieliâ*, quam A.1636. poſt primæ duxerat obitum, *Argentoratum* diſcedere coactus, eo in itinere *Lützelſtenii* 6. Nov. hanc etiam anno conjugii ſecundo, & æt. 20. morte ſibi abreptam amiſit.

Præfectus Vinſtingenſis.

A. 1636. *Argentorati* cum eſſet apud Pares, Illuſtriſſimus Princeps *Erneſtus Bogislaus*, Dux *Croyenſis* & *Arſchotanus*, Conſiliarium ſibi & ditionis *Vinſtingenſis* Præfectum conſtituit.

Paulò pòſt tertiam duxit uxorem virginem *Annam Mariam*, *Johannis Kiburgeri*, Secretarii Comitum *Rheni*, & *Franciſcæ Orthiæ* filiam, quam viduam reliquit. Eo in officio ter exſpoliatus, aliaſque calamitates perpeſſus, *Argentinam* ſe recepit, & exindè per Vicarium munus ſuum obire perrexit, donec à Generali majore *Moſero Benfeldiam* accerſitus, & Coronæ *Suecicæ* Conſiliarius Bellicus factus eſt.

Conſiliarius bellicus Suecicus.

Secretarius & Fiſcalis Argentoratenſis.

Sed liberis auctus, & vitæ quietæ cupidus, *Argentinam* revocatus, Secretarii & Fiſcalis ibi functionem ſatis tædioſam ſuſcepit*.

Conſiliarius Hanovicus, & Moguntinus, & Landgravii Haſſi.

A. 1656. Vocante Comite *Friderico Caſimiro Hanoviæ* Conſiliarius, & paulò pòſt Præſes Cancellariæ, Cameræ, & Conſilii Eccleſiaſtici conſtitutus, nec non Conſiliarius *Johannis Philippi*, Electoris *Moguntini*, & An. 1664. ab *Hedwige Sophiâ*, Landgraviâ *Haſſiæ Caſſelenſi* Conſiliarius domeſticus factus eſt.

Moritur Wormatiæ.

Francofurtum tandem ad filium ſuum iter ſuſcipiens, in viâ febri malignâ correptus, *Wormatiæ* ſubſiſtere coactus eſt, & die 7. pòſt vitam morte beatâ clauſit Dominicâ Palmarum, die 4. April. A.C. 1669. æt. 69.

VVorMatIæ ChrIſto TeVto PhILanDer *obIt.*

Filium præter alios reliquit *Erneſtum Bogislaum Moſchenſchium*, in Gymnaſio ad *Mœnum Francofurtano* Collegam, & fratrem *Quirinum Moſcheroſch*, Eccleſiæ *Hanoicæ* in *Bottersweyer* Paſtorem.

* *Ex Concione funebri Matthiæ Melgeneri, Concionatoris Wormatienſis.*

Scripta.

Typis ab eo edita ſunt ſequentia:

Gymnaſma de Academicis Exercitationibus.
Epigrammata.
De Politico diſſertatio.
Inſomnis Cura Parentum.
Technologia Germanica & Gallica.
Philander Sittenwald Geſichte.

CHRISTOPHORUS LANGIUS.

Obiit A.C. 1669

NAumburgi natus eſt 17. Aug. A.C. 6117. Patre cognomine, Juris Doctore, & Conſule *Naumburg.* Matre *Mariâ Brauniâ*, *Sixti Braunii*, J.C. & Conſulis *Naumburgenſis* filiâ, cujus Pater M. *Valentinus Braun*, Superintendens generalis *Wurtzenſis* & *Miſnenſis*, ultra 100. annos vixit, & D. *Luthero* familiaris fuit.

Cum anno ætat. 11. intra 5. ſeptimanas Patrem & Matrem amiſiſſet, ope & conſilio tutoris ſui M. *Gerſonis Gruneri*, Juris periti *Naumburg.* A. 1629. ut in literis humanioribus fundamentum poneret, in Scholam *Portenſem* profectus, Rectoris *Franciſci Keſſii*, & Conrectoris M. *Andreæ Cunadi*, poſteà Theol. Doct. & Profeſſoris *Wittenberg.* informatione per biennium uſus eſt.

Studioſus in Scholâ Portenſ.

& Stargardiæ.

Indè *Stargardiam* in *Pommeraniam* ſe conferens, ſtudia ſua ſub directione privatâ & convictu Conrectoris M. *Chriſtophori Biedermanni* ſedulus continuavit.

Ibidem diverſas Orationes in proſâ & ligatâ habuit, ob quas Rector illius Scholæ M. *Daniel Raderechtus* in Oratione Latinâ, coràm Senatoribus habitâ, ſummis eum celebravit encomiis.

Roſtochii ſtudiis Philoſophicis deditus.

Ad altiora progredi idoneus *Stargardiâ* Univerſitatem *Roſtochienſem* in Ducatu *Megapolitano* acceſſit, & ſtudiis Philoſophicis deditus, ibi ſub *Wilhelmo Witzendorfio*, Theologiæ Candidato, de Rerumpublicarum Formis, & ſub M. *Paulo Sagittario* de ſummo Bono publicè diſputavit.

& Juridicis.

Poſteà ſtudium Juridicum amplexus, præter Lectiones publicas duo quoque Collegia Juridica privatim à *D. Henrico Rahnio*, Profeſſore publico, excoluit.

Jenam accedit.

Ut verò patriæ & Agnatis vicinior viveret, An. 1635. *Jenenſem* acceſſit Academiam, ubi pariter, præprimis ſub *D. Conrado Schlüttero*, Judicii aulici *Saxo-Vinarienſis* Advocato, Collegia varia lectoria & diſputatoria coluit, in iiſque reſpondendo & opponendo eruditionem ſuam manifeſtavit.

Lipſiæ Juris ſtudioſus.

A. 1636. *Lipſiam* concedens, ibi ſimiliter in Collegiis publicis & privatis, ſub *D. Quirino Schachero*, Facultatis Juridicæ Aſſeſſore, *D. Gotfrido Fiebigio*, & *D. Davide Lindnero* tempus inſumſit, & ſub præſidio D. *Enochi Heilandi*, tunc Rectoris, de Mutuo diſputavit*.

Juris Doctor creatur Jenæ.

Cum ita ſtudium Juridicum ad finem optatum perduxiſſet, *Jenam* reverſus, prægreſſis pro more Tentamine, Examine, Lectione curſoriâ, & Diſputatione Inaugurali, Promotore D. *Ortolpho Fomanno*, ſolenniter Jurium Doctor renuntiatus eſt 30. Nov. A.C. 1637. æt. 21.

Abindè Praxin fideliter exercuit, & An. 1638. *Jenæ* Advocatus Judicii Aulici *Saxo-Vinarienſis* factus.

12. Julii

Conſul Zizenſis. 12. Julii A. 1640. Ordinante & denominante Senatu *Naumburgico Zizii* Conſul primarius in Templo *S. Wenceslai* publicè confirmatus, officium hoc tempore belli ſatis moleſtum in 23. annum, tunc ipſe 23. annos ætatis habens cum inciperet, feliciter & prudenter DEI auxilio adminiſtravit.

An. 1646. *Ferdinandus III. Romanorum* *Comes Palatinus.* Imperator, Comitis Palatini dignitatem ipſi contulit: & 10. Sept. A. 1657. *Johannes* *Conſiliarius Saxonicus.* *Georgius II.* Elector *Saxoniæ*, Conſiliarium ſuum & *Thuringiæ* Præfectum conſtituit.

Vice-Cancellarius Magdeburgenſis. A. 1663. die Michaëlis ab *Auguſto*, Duce *Saxoniæ*, & Adminiſtratore *Magdeburgico*, ViceCancellarius in ditionibus ſuis hæreditariis conſtitutus.

Sollicitante verò Comite *Mansfeldico*, *Chriſtiano Friderico*, poſtquàm *Halle* dimiſ- *Cancellarius Mansfeldicus.* ſionem impetrâſſet, 22. April. An. 1665. *Islebiæ* Cancellarii munus ſibi concreditum aggreſſus eſt.

17. Julii An. 1668. Comites *Mansfeldici*, propter fidelem, quam illis hactenus præſtitit, operam, commoti effecerunt, ut ab *Conſiliarius Cæſareus.* Imperatore *Leopoldo* inter Conſiliarios ſuos cooptatus fuerit.

Conjugium ejus triplex. Conjugium ter iniit, primum 6. Auguſti An. 1639. cum virgine *Dorotheâ*, *Hauboldi Römeri*, Conſulis, filiâ, ex quâ filios reliquit *Chriſtophorum* & *Chriſtianum*. Hâc 14. Aug. An. 1647. morte ſibi abreptâ, cum alterâ virgine *Johanna*, *Gotfridi Hanitſchenii*, Præfecti *Saxonici* ad S. *Georgium* filiâ deſponſatus eſt 12. Febr. An. 1649. quæ 2. Dec. ſeq. poſt partum filioli *Chriſtoph. Gotfridi* extincta eſt, eamque ſecutus eſt filiolus anno ſeq. 1650.

14. Junii An. 1652. Tertia ſponſalia celebravit cum virgine *Eliſabethâ Barbarâ*, Dom. *Henrici Töbingii*, Cancellarii *Barbyenſis* filiâ unicâ, *Naumburgi* ſibi deſponſatâ, ex quâ ſuperſtites reliquit 5. filias *Chriſtianam Eliſabetham*, *Antoniam Sibyllam*, *Eliſabetham Johannam*, *Mariam Eliſabetham*, & *Auguſtam Sophiam*, cum filio unico *Rudolpho Auguſto*.

Moritur apoplexiâ. Apoplexiâ tandem correptus, in Chriſto exſpiravit 12. April. A. C. 1669. æt. 56. *Islebiæ*, ſepultus *Naumburgi* in patriâ 14. Junii ſeq.

* *Ex Concione funebri Caſparis Betrami, Theologiæ Doctoris.*

Obiit A.C. 1669.

JOHANNES JACOBUS POEMERUS.

Norimbergæ natus 13. Maji An. C. 1614. Patrem habuit *Hectorem*, *Bartholomæi Pömeri*, Duumviri primarii filium, Matrem *Magdalenam*, *Viti Holtzſchucheri*, Senatoris, filiam, fratrem *Hectorem*, Conſiliarium *Saxo-Altenburgicum*.

A. 1629. In Academiâ *Altorfinâ* in ſtudiis *Politicus.* Politicis & Juridicis egregia fundamenta poſuit.

A. 1638. Per *Galliam*, *Hollandiam* & *Angliam* iter ſuſcepit.

An. 1643. *Ultrajecto* in *Holſatiam*, & An. 1645. unà cum Commiſſariis Comitis *Brandenſtenii*, *Antverpiam* & *Bruxellas* profectus eſt.

A. C. 1647. *Osnabruggæ* Pacis Tractatibus vigentibus *Alexander Erskein*, Regni *Sueciæ* Præſes bellicus, & ad Tractatûs Legatus extraordinarius Secretarium ſibi adſcivit hunc *Pömerum*, qui poſteà juſſu *Caroli Guſtavi*, Comitis Palatini *Suecorum* Generaliſſimi Comiti *Benedicto Oxenſtirnio* remanenti *Osnabruggæ* Plenipotentiario fuit adjunctus. *Secretarius Suecicus.*

An. 1651. Cum eo in negotiis publicis *Francofurtum* ad *Mœnum* profectus eſt, & An. ſeq. *Pragam* ad Conventum Imperatoris *Ferdinandi III.* ac Electorum. An. 1653. inter Aſſeſſores Judicii in patriâ, & A. 1656. inter Senatores cooptatus eſt.

17. Sept. 1649. Conjugii ſocietatem iniit cum *Mariâ*, *Martini Jabnii*, relictâ viduâ, *Senator Norimbergenſis.* natâ *Leſſiâ*, *Goslarienſi*, quæ ſine liberis obiit A. C. 1655.

9. Junii An. 1656. Sponſalia reiteravit *Nubit.* cum *Helenâ Roſinâ*, Dom. *Wolfgangi Jacobi Pömeri*, Præfecti *Engelthalenſis* filiâ, *Johannis Caroli im Hof*, Patritii *Norimbergenſis*, viduâ, quæ 3. ei liberos peperit, in primâ ætate iterum denatos. Hæc poſteà A. 1670. nupſit *Chriſtophoro Gotlibio Dilherro*, J. C. & Conſiliario *Norimbergenſi*.

Cum tandem vir corpulentus & hypochondriacus à 5. annis aſthmate graviter fuiſſet afflictus, & quadriduo ante obitum Dormitorium ſuum in Templo *S. Johannis* cœmiterio adjacente vidiſſet, apoplexiâ *Obiit apoplexiâ.* forti correptus, ſubitâ morte, quam lætus exſpectârat, obiit 25. Maji A. C. 1669. æt. 56. nullis ex duplici conjugio relictis liberis.

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1669.

JACOBUS SEBASTIANUS LAURENBERGIUS.

Hamburgi auſpicatum vitæ exordium duxit 24. Nov. A. C. 1619. Patre Excel- *Filius Medici & Poetæ ſingularis.* lentiſſimo Dom. *Petro Laurenbergio*, Med. Doctore, & in Univerſitate *Roſtochienſi* Poëſeos Profeſſore, Matre *Margarethâ Carmons*.

Avus paternus fuit *Guilielmus Laurenbergius*, Med. Doctor, & Mathematum apud *Roſtochienſes* Profeſſor. Parens ipſius vix 11. annorum puer integra Poëmata Græca, ut *Argonautica*, nunquàm anteà Latinè facta convertit, & aliquando 14. diſtincta genera Græca & Latina à ſe compoſita magnâ cum admiratione exhibuit.

Hic A. 1631. ætatis undecimo die 7. Jan. *Peroravit publicè an. ætat. 11.* ſplendidâ cinctus Profeſſorum & aliorum Virorum doctorum coronâ in Auditorio *Roſtochii* maximo eleganti Oratione Latinâ cum applauſu declaravit, quantos in humaniori literaturâ & Oratoriâ præprimis jam feciſſet progreſsûs.

Hiſce fundamentis literariis in patriâ jactis, poſtquàm ad ſuperiores Academiarum

rum operas dimittendus eſſet, deflectere aliquatenùs cœpit, conſentiente tamen Parente prudentiſſimo, à faſtigiis paternis, quando Juris pro Medico ſtudium arriperet, eidemque animum totus applicaret. Hujus ergò gratiâ An. 1637. ætatis 18. in Academiam *Gryphicam* miſſus, quam orſus erat ſub pari J.C.rum Dn. *Petro Stephani* & Dn. *Davide Mevio* ſtrenuè telam continuavit.

Juris ſtudioſus in Acad. Gryphicâ.

Quemadmodùm autem omnia mortalium in hâc mortalitate ſunt fluxa & caduca, ita quoque hujus ſtudioſi ſtamen non levem rupturam pati videbatur, quando depoſitis mortalitatis exuviis parens ejus An. 1639. ad beatorum ſedes remigraret, ipſeque filius matris totiusq; familiæ ſolatium domum revocaretur.

Patrem amiſit.

Sed quicquid hic luctu durante detrimenti pateretur, id omne poſtmodùm in Academiâ *Juliâ* ſub Viris clariſſimis Dom. D. *Habnio*, J.C. & M. *Schneidero*, Eloquentiæ Profeſſore, ita reſarcivit, ut virtus ejus apud exteros quoque indies inclareſceret, & A. 1642. à Reverendo Dom. M. *Simone Hennings Hafniam Danorum* vocatus, informationi præficeretur Dom. *Joh. Ulrici*, qui hodiè S. Theol. Doctor, ejusque in Academiâ *Scanicâ* Profeſſor audit.

Præceptor Joh. Ulrici Henningii in Daniâ.

Hâc ſpartâ quàm egregiè per annum functus, ob aſperiorem aëris, corporis autem proprii teneriorem conſtitutionem mutare locum coactus fuit.

Reverſus Facult. Juridicæ indultu docere privatim Jura cœpit, donec tandem An. 1646. Facultatis dictæ Decano Dom. *Nicolao Schützio*, J.D. & Codicis Profeſſore, nomen ſuum profiteretur promerita eruditionis prœmia acquiſiturus.

Cumque in Examine privato, quod rigoroſum vocant, ſupra exſpectationem omnibus ſe exhibuiſſet, omnium quoque ſuffragio obtinuit, ut ad Diſputationem Inauguralem admitteretur.

In quâ cum talem denuò ſe gereret, qualem facilè quisque ſuſpicari poterat, factum eſt, ut non diu poſt à Sereniſſ. Duce *Adolpho Friderico* ad Hiſtoriarum Profeſſionem vocaretur.

Hiſtoriarum Profeſſor Roſtochii.

Hanc eâ lege ſuſcepit, ut *Belgium* luſtrare ante ſibi liceret. Gratia fuit gratiæ ſuperaddita, ſecundisque velis appulit *Lugdunum Batavorum*, ubi ſtatim Nobiles aliquot juvenes manuductioni ipſius ſe ſubmiſerunt, quorum fidus etiam per præcipuas *Belgii* & *Germaniæ* ſuper. civitates & Academias Achates fuit.

Lugdunum Batavorum adivit.

A. 1650. ad ſuas denuò reverſus, Decano Facult. ſuæ Dom. *Henrico Schuckmanno*, Codicis Prof. non ſummos tantùm, quos ante ambiverat, in Jure honores conſecutus, ſed ipſam quoque demandatam ſibi Hiſtoriarum Profeſſionem eſt aggreſſus.

Juris Doctor creatus.

An. 1652. Virginem *Eliſabetham*, Dom. *Simonis Sprengmanni*, Senatoris quondam apud *Stralſundenſes* filiam ſolennibus ſibi nuptiis ſociavit. Cum hâc optatum 16. annorum conjugium exigens, 4. filios & 3. filias ex eâdem ſuſcepit.

Conjugium ejus, & Liberi.

An. 1659. conſtitutus eſt Profeſſor Pandectarum, & Conſiſtorii Ducalis Aſſeſſor: quo munere laudatiſſimè eſt defunctus, donec ante ſemeſtre fortè ſpatium ex latente jam per aliquot annos ſcorbuto Cachexiâ laborare videretur, cui tamen depellendæ adhibita variorum opera eò usque profuit, ut reſtitutus aliquantiſper in publicum etiam prodiret.

Profeſſor Pandectarum & Conſiſtorii Ducalis Aſſeſſor.

Verùm mox gravius malum ex inſidiis quaſi ingruens totius corporis colliquationem, veramque tabem introduxit, quæ tam feralem virium jacturam intulit, ut ſpes evadendi omnis decollaret.

Ex tabe ſcorbuticâ obiit.

Undè Divinæ ſe committens voluntati, inter pias preces & ſacra colloquia die 29. Dec. An. C. 1669. placidè in Domino obdormivit, poſtquàm 49. annos & 4. hebdomadas abſolviſſet.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Orbis Bacchans, ſive *Oratio*, *in quâ ſæculi noſtri mores repræſentantur*, *pronuntiata ipſis Saturnalibus in Auditorio magno Roſtochii* 1652. in 4to.

Panegyricus in funere Dom. Adolphi Friderici, Ducis Mecklenburgici. in fol.

Themis temerata. in 4to.

Diſſertatio de gravi & arduo Principum, Magiſtratuumve Regnandi munere. in fol.

* *Ex Programmate funebri D. Joh. Jacobi Dobelii, Med. Prof. & Facult. ſuæ Decani.*

JOHANNES PHILIPPUS ECKERUS.

Obiit A.C. 1670.

IN Cœnobio *Würtenbergico*, Herren Alb vocato, natus eſt 15. Sept. An. C. 1601. Patre *Philippo Eckero*, ejusdem tum Cœnobii Oeconomo, poſteà Cellario *Tubingenſi*; Matre *Margarethâ*, *Danielis Schaiblini*, Præfecti *Maulbronnenſis Oetesheimii*, filiâ.

Anno in hoc mundo exacto, cum patre *Tubingam* cellarii munus aggreſſo profectus, & ſtudiis innutritus, Jurisprudentiæ demum ſe mancipavit, in quâ ſummum Doctoris Gradum An. 1633. feliciter conſecutus eſt.

Juris Doctor Tubingæ.

An. 1625. Conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Sabinâ*, Dn. *Conradi Schloſbergeri*, Præfecti *Würtenbergici Eslingæ* filia, cum quâ 45. annos in conjugio felici & fœcundo exegit, 11. ex eâ liberorum pater factus, ex quibus duas tantùm filias honeſtè elocatas reliquit ſuperſtites, cum 12. nepotibus.

Conjugem duxit.

An. 1633. Mox poſt acceptos honores Doctorales Conſilii aulici *Tubingæ* Aſſeſſor declaratus, & An. 1642. Ordinis *Suevici* Equeſtris ad Sylvam nigram & *Ortenavlam* denominati Syndicus & Conſiliarius fieri promeruit, in utroque munere fideliter ad finem usque vitæ ſuæ verſatus.

Aſſeſſor Conſilii aul. Tubing. Syndicus Ord. Eq. Suev.

Aliquoties intereà ab Illuſtri Principe ſuo, Duce *Würtenbergico*, deſideratus, ut inter

inter Conſiliarios aulicos *Stutgardiæ* cooptaretur, honorem hunc modeſtè recuſavit.

10. annis podagricus.

Podagricis tandem doloribus confectus, & decem poſtremis annis vitæ ſuæ continuò ferè lecto affixus, viribus ſenſim deficientibus inter adſtantium preces & ſuſpiria lætus exſpiravit 1. Febr. An. C. 1670. ætatis 69.

Moritur.

* *Ex Concione funebri Theologiæ Doctoris & Profeſſoris Tubingenſis Balthaſaris Raithii.*

Obiit A.C. 1670.

ANDREAS BRUMMERUS.

Lipſiæ natus eſt 25. Nov. An. C. 1625. Patre *Michaële Brummero*, Senatûs Aſſeſſore, Xenodochii ad *S. Johannem* Præfecto, & Mercatore primario: Matre *Mariâ Löſchiâ.*

Philoſophiæ Baccalaureus Lipſienſis.

A primâ ætate ſtudiis delectatus, & à parentibus diſciplinæ M. *Sethi Calviſii*, & M. *Philippi Saltzmanni* ſubditus, tantos in artium liberalium & Linguarum ſtudiis fecit progreſsûs, ut 27. April. A. 1646. Baccalaureatus gradum adeptus fuerit.

6. Maji ſeq. Suaſu Parentum & Præceptorum, in Academiam *Witteubergenſem* diſceſſit, & Profeſſores Philoſophiam docentes ſedulus audivit, imprimis verò ſub M. *Michaële Wendlero*, Moralis Philoſophiæ Profeſſore Publico, poſteà Theologiæ Profeſſore, hoſpite tunc ſuo, aliquoties diſputavit.

Juris ſtudioſus Wittebergæ.

Juris deindè ſtudium amplexus, & informatione privatâ uſus D. *Coſelii de Pezlinovez*, Profeſſoris publici, non modò Juris Inſtitutiones ab eo explicatas cum fructu audivit, ſed etiam *Hönonii* Controverſias Juris diſputando percurrit.

29. April. An. 1648. *Lipſiam* reverſus, mox Diſputationem de induciis Bellicis ſub præſidio D. *Johannis Strauchii*, Juris Profeſſoris, publicè defendit.

Philoſophiæ Magiſter Lipſiæ.

25. Jan. A. 1649. Magiſterii gradum cum honore accepit, & in Diſputatione de Societate herili pro more Præſidem egit. Juris poſteà ſtudio totum ſe dedit, diligens auditor Dnn. Profeſſorum D. *Quirini Schacheri*, D. *Polycarpi Wirthii*, D. *Chriſtophori Marci*, D. *Johannis Strauchii*, & D. *Amadei Eckolti*, cumque bis ſub præſidio D. *Polycarpi Wirthii*, & D. *Johannis Philippi*, J. C. & Comitis Palatini publicè diſputâſſet, Facultatis Juridicæ indultu Lectiones publicas pro Candidaturâ, ut vocant, abſolvit, & ſecuto Examine Gradum Baccalaureatûs in Jure ſolenniter obtinuit.

Juris Baccalaureus.

Mox Reipublicæ patriæ nomine Legationem *Thorunium* in *Boruſſiam* obivit.

Aureliæ Conſiliarius Nationis Germanicæ.

An. 1653. Parentis conſenſu per *Germaniam*, *Belgium*, *Angliam*, & *Galliam* inſtituit peregrinationem, & *Aureliæ* Nationis *Germanicæ* Conſiliarius dato teſtimonio publ. factus eſt.

Regreſſus in patriam, A. 1655. prægreſſo examine rigoroſo cum Diſputatione inaugurali, Gradum Licentiati, & 20. Martii A. 1656. Dignitatem Doctoralem cum aliis Competitoribus ſolenniter accepit.

Juris Licentiatus & Doctor.

Conjugium ejus, & Liberi.

20. Nov. A. 1655. Sponſalia in patriâ celebravit cum virgine *Mariâ Reginâ*, Dom. *Andreæ* Fürſtenhaupt filiâ, quæ filios ei peperit *Michaëlem Andream*, *Gotfridum*, *Auguſtum*, *Chriſtianum*, & *Enochum*, quorum primus & tertius morte patrem præceſſerunt, & filias *Reginam Eliſabetham*, *Chriſtinam Eliſabetham*, & *Reginam Mariam.*

Advocatus Lipſ.

Mox poſt nuptias Collegiis Juridicis privatim habitis, & Civium diſſidentium cauſis patrocinatus ſe ſuſtentavit.

Collega Facultatis Juridicæ.

16. Nov. A. 1626. M. *Davidi Schwertnero* nationis *Miſnicæ* votis unanimibus Aſſeſſor adjunctus, & A. 1662. in Collegium Facultatis Juridicæ receptus eſt.

Moritur.

Diarrhœâ tandem correptus, viribus ſenſim evaneſcentibus, tertiâ pòſt die placidè in Chriſto exſpiravit 28. Martii An. C. 1670. ætatis 45.

* *Ex Concione funebri Johannis Ulrici Mayeri, Theol. Doct. & Paſt. Thomani Lipſ.*

Obiit A.C. 1670.

BURCHARDUS BERLICHIUS.

In mundi lucem editus in Frauen Prieſſnitz 23. April. A. C. 1605. Parentem habuit *Petrum Berlichium*, Nobilium *Schenckiorum* 18. annos primùm *Tautenburgi* Præfectum, poſteà Judicem *Saxo-Altenburgicum* & Quæſtorem *Bürgelii*: Matrem verò *Chriſtinam*, Viri Reverendi M. *Tilemanni Cilingii*, Superintendentis in Frauen Prieſſnitz / filiam.

Puer informationi fideli M. *Jeremiæ Hickmanni* traditus, poſt obitum præmaturum Matris ab aviâ paternâ *Mariâ*, Dn. *Nicolai Berlichii*, Conſulis *Schkolenſis* viduâ in ædes receptus, & ſucceſſivè M. *Brachvogelii* & *Volckmanni*, Muſici celebris, inſtitutioni ſubmiſſus eſt.

Disci… Numb…

A. 1613. *Numburgum* diſcedens, Rectoris M. *Schirmeri* informatione biennio uſus, A. 1615. Gymnaſium *Gothanum* adivit, ubi M. *Andreæ Wilckio* & M. *Johanni Weiſio* charus fuit.

Gothæ.

Erfurti.

A. 1617. In Gymnaſium *Erfurtenſe* translatus, ibi An. 1619. prægreſſo examine ad Lectiones Academiæ publicas promotus eſt.

A. 1620. à Dn. Patre ad fratrem *Georgium Berlichium*, Theologiæ Doctorem, & Canonicum *Merſburgenſem*, in Academiam *Jenenſem* ablegatus, ibi poſt abſolutum Curſum Philoſophicum An. 1621. Jurisprudentiæ ſtudium amplexus, tantos brevi tempore fecit progreſsûs, ut An. 1624. prægreſsâ Diſputatione publicâ de Furtis, Collegia diſputatoria habendi & lectoria poteſtatem, Senatu Academico concedente, acceperit.

Juris ſtudium inchoat.

Collegia privata aperuit.

Jenâ Lipſiam concedens, ad Patruum Dn. *Matthiam Berlichium*, J. C. tum *Saxonicum* celebrem, Juris ibi perfectam cognitionem adeptus, Collegia privata magno cum audito-

ditorum applauſu, aperuit, & Scripta aliquot Juridica ſingulari cum judicio edidit. An. 1632. præter exſpectationem Senatûs *Lipſienſis* membrum electus, mox anno ſeq. æt. ſuæ 27. fine exemplo Judicis oppidani munus accepit.

Senator Lipſienſis, & Judex opp.

An. 1634. In Tutorum Curiæ conclave translatus, penſione annuâ extraordinariâ instructus, biennio ſeq. ſecundâ ac tertiâ vice Judex electus eſt, & ad negotia gravia ſæpiùs adhibitus.

A. 1637. Unà cum Conſule *Chriſtiano Eilenauero* à Senatu *Lipſienſi* ad Sereniſſimum Electorem *Johannem Georgium* ablegatus cum fuiſſet, hic nihil minus cogitantem Conſiliarium ſibi & Cameræ Secretarium conſtituit, & abindè variis commiſſionibus ſeriis adhibuit. An. enim 1638. unà cum *Johanne Georgio ab Oppel* & *Caſp. à Ponikau* receptionem 4. munerum exemtorum *Magdeburgicorum*, & introductionem *Auguſti* Elect. ſui filii Adminiſtratoris Archiepiſcop. *Magdeburg.* A. 1643. Reſtitutionem Urbis *Lipſiæ*, A. 1646. Connubium Adminiſtratoris *Hallenſis*, & A. 1650. Militiæ *Sax.* dimiſſionem ad finem optatum deduxit.

Conſiliarius & Secretarius Cameræ Elect. Sax.

A. 1651. ab Electore ſuo Conſiliarius aulicus, & An. 1652. itineris *Pragenſis* Comes adſcitus eſt, ubi Imp. *Ferdinandus III.* Comitis Palatini tinctum ei clementer attribuit.

Comes Palatinus.

A. 1656. Poſt obitum Electoris *Johannis Georgii*, conſenſu filii cognominis & Succeſſoris, Secretarii Cameræ munus reſignavit.

Idem verò Elector ſimili ac Dom. Parens favore complexus, eum in Collegio Conſiliariorum aulicorum clementer retinuit, eique penſionem extraordinariam aſſignavit, quam, licet ob ſenium & corporis infirmitatem anno vitæ ſuæ ultimo reſignâſſet, nihilominùs retinuit.

Conjugium ejus triplex, & [illegible]i.

9. Febr. A.C. 1629. Prima ſponſalia *Lipſiæ* celebravit cum virgine *Mariâ*, Dn. *Johannis Anſelmi*, Civis & Mercatoris primarii filiâ, quæ tres ei filios peperit, *Gotfridum Ericum*, J.C. & Senatorem *Lipſ. Chriſtianum*, *Burchardum*, Elect. *Sax.* miniſtrum Cameræ, & *Frid. Theophilum*, omnes Dn. Patrem morte prægreſſos.

Hâc conjuge An. 1639. vitâ defunctâ, anno ſeq. ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Sophiâ*, Dn. *Severini Neblii*, miniſtri Electoris ſecreti p.m. filia, ex quâ duos filios progenuit, *Fridericum Severinum*, Jur. Candidatum, & M. *Paulum Theophilum*, S. Theol. Candidatum.

Cum verò & hæc altera conjunx An. 1444. obiiſſet, tertiam duxit A. 1645. *Barbaram*, D. *Oswaldi Hilligeri*, Conſil. *Vinar.* & Jur. Prof. *Jenenſis* filiam, viduam verò D. *Nicolai Helfrigii*, Conſiliarii aulici: ex quâ 11. liberos ſuſcepit, quorum tres obitu parentum præceſsêre, 8. ſuperſtites cum matre manſêre, *Adam Theophilus*, Phil. ſtudioſus, *Salome*, D. *Adamo Samueli Freiſtenio*, Conſiliario *Sax. Magdeburgico*, *Suſanna*, D. *Georg. Adamo Struvio*, Conſil. aul. *Vinarienſi*, *Chriſtina Barbara*, D. *Romano Tellero*, Conſiliario *Lipſ.* & *Anna Margaretha*, Dn. *Joh. Georgio Butſckio*, Electoriſſæ *Sax.* Secretario deſponſatæ, innuptas præterea virgines *Evam Mariam*, & *Magdalenam Sibyllam*.

Maraſmo tandem ſenili conſumptus, accedente Paralyſi, fruſtrà ferentibus opem Medicis Electoralibus D. *Laurentio Bapſt*, & *D. Buſſio*, in Chriſto exſpiravit 1. Aug. A. C. 1670. ætatis 66.

Moritur.

Epitaphium hoc ei *Dresdæ* factum eſt:

Epitaphium.

VIATOR SISTE GRADUM,
PAUCA SUNT QUÆ LEGAS, SI COMMODUM EST.
H. S. E.
VIR ADPROBUS, SUMMIS PRINCIPIBUS CHARUS, REIP. ET JUSTITIÆ STUDIOSISSIMUS
BURCHARDUS BERLICHIUS,
IN WEGEFART ET WALTERSDORF,
CÆSAR. PALAT. NEC NON SAX. ELECT.
CONSIST. AUL. COMES, QUI IX. CAL.
MAJI A. cIↄIↄCV. IN LUCEM
EDITUS,
IPS. KAL. AUG. A. cIↄIↄCLXX. CORPUS
MORTALE TERRÆ, ANIMAM PIAM COELO
REDDIDIT, FAMAM OPTIMAM,
DESIDERIUM SUI MAXIMUM CUNCTIS
BONIS RELINQUENS.
TU
SI QUID AB EO IN TE COLLOCATUM EST
BENEFICI, SIVE LABORES ATQUE VIGILIÆ,
QUIBUS PATRIAM ET EJUS PATREM ADJUVIT,
TIBI INTER COETEROS PROFUERUNT,
UNUM EST QUOD ROGARIS.
BENEDIC MORTUO.
PATRI OMNI BONO DE SE MERITO LACRUMIS LUCTUQUE REPLETI
SUPERSTITES III. FILII, VI. FILIÆ,
V. GENERI
H. M. P.
UTINAM UT ILLE DIGNUS FUIT ITA
PERENNE.

Edidit:

Tractat. de Jure Novercarum.

Scripta.

Conditione Furtivâ, & de Juſtitiâ.
æqualitate Collectarum.
Synopſin Juris.
Comment. über die peinliche Halsgerichts-Ordnung Käiſers *Caroli V.*

* *Ex Concione funebri D. Chriſtoph. Bulæi, Superintend. Dresd.*

NICOLAUS RITTERSHUSIUS.

Obiit A.C. 1670.

ALtorfii *Noricorum* oppido, Academiâ celebri, natus A.C. 1597. d. 17. Febr. Patrem habuit *Conradum*, Juris Doctorem & Profeſſorem, Hiſtoricum & Philologum eximium: Matrem *Helenam*, *Georgii Staudneri*, Eccleſiæ *Sultzbacenſis* Superintendentis filiam.

Avum habuit *Balthaſarum Rittershuſium*, *Brunsvigæ* quondam in Eccleſiâ *Blaſianâ* Canoni-

Canonicum & Seniorem, Juriſperitum clarum: Abavum *Henricum Rittershuſium*, Ducibus *Brunsvicenſibus* & *Luneburgenſibus*, in aulâ *Cellenſi* olim à Secretioribus.

Puerum optimæ indolis Pater Præceptoribus publicis in Scholâ patriâ tunc egregiè florente concredidit, quos Præceptores omnes à teneris usque ad ſtudiorum metam, ne eorum immemor fieret, nominibus ſuis conſignavit. Deductus itaque ad literas & virtutes à *Georgio Pulmaro* quartæ, M. *Johanne Lemmermanno* tertiæ, M. *Matthiâ Gellero* ſecundæ, & M. *Georgio Mauritio* primæ Claſſis Præceptoribus per gradus ivit, non per ſaltum, ad Publicas Lectiones, & viros celeberrimos M. *Georgium Queccium* in Græcis & Ethicis, *Michaëlem Virdungum* in Hiſtoricis, *Michaëlem Piccartum* in Logicis, *Johannem Prætorium* in Mathematicis ſtrenuè & ſedulò audivit.

Altorfi per 4. Claſſes ivit.

ad Lectiones publicas.

Undè factus eſt Hiſtoricus excellentiſſimus, in Græcâ Latinâque literaturâ verſatiſſimus, in Matheſi præſtantiſſimus, ut feliciſſimè Mappas conficeret Geographicas & Chorographicas, in Genealogiis autem Regum, Principum & Nobilium incomparabilis.

Accedit Academiam Juliam.

Poſt jacta in patrio Gymnaſio fundamenta, inſtinctu Dom. Parentis, *Juliam* Academiam acceſſit, ubi Philoſophica ſtudia Duce *Cornelio Martini*, Hiſtorica *Henrico Meibomio*, Genealogica *Rudolpho Diepholdo*, Ethica *Conrado Hornejo*, Juridica *Eberbardo Spechanio*, *Johanne Stuckio*, & *Job. Loticbio*, intimiùs perpolivit, & abſolvit.

His ſtudiis aluit adoleſcentiam, oblectavit ſenectutem, adverſis perfugium quæſivit, tantâ delectatus bonorum Authorum cupiditate, ut inter alios *Terentium* tantùm non memoriter teneret, ex quo in communibus colloquiis vel ſententiam, vel loquendi quandam formulam, tanquàm ex arculâ ingenii ſui, ſubindè expromſit.

Ejus peregrinationes.

Galliam deindè, *Angliam*, *Italiam*, *Poloniam*, *Daniam*, *Belgium*, aliaque loca non ſuperficietenùs perluſtravit, non ut rediret habitu peregrino cultior, & quantum Urbium ſplendorem, turrium altitudinem, ædium magnificentiam vidiſſet, extolleret; ſed ad ſcopum ſuum ſubindè reſpexit, & gloriatus eſt, quod *Genevæ Jacobum Gothofredum*, in *Biturigibus* verò urbe *Bourges Emundum Merillium*, *Pariſiis Petrum Bertium*, *Lugduni Danielem Heinſium*, *Eberbardum Broncborſtium*, & *Philippum Cluverium* Præceptores fuerit nactus.

Redux in patriam, 21. Aug. An. 1633. Candidatum ſe profeſſus, Rectore Magnifico D. *Ægidio Agricolâ*, aſſumtoque anno ſeq. 1634. Doctoris titulo, Decano D. *Wilh. Ludwellio*, Profeſſionem Feudorum ipſis Maji Calendis conſecutus eſt.

Doctor Juris Altorfi

Mox menſ. Nov. Inſtitutionum, tandemque Calendis Maji A. 1649. Pandectarum Profeſſionem à Dominis Scholarchis collatam ſuſcepit, & ſimul Rempublicam *Norimbergenſem* conſiliis ſuis prudentiſſimis adjuvit. Officio Rectoris in Acad. ter A. 1641. 1653. & 1665. functus eſt.

& Profeſſor.

Conſiliarius Norimbergenſis.

Conjugium ejus duplex.

4. Oct. A. 1630. primam conjugem domum duxit *Mariam Magdalenam*, D. *Laurentii Keſtelii*, J.C. Reiq; publicæ *Norimbergenſis* Advocati viduam, D. *Hieron. Besleri*, Medici *Norimbergenſis* primarii filiam, quam concordi amore tenuit 16. annos & 8. menſes, ſine tamen prole.

Hâc mortuâ, & ſanato mœroris vulnere ad ſecunda tranſiit vota, in vitæ ſociam & matrimonii ſumptâ *Reginâ Catharinâ*, natâ *Medereriâ*, Nobil. *Johannis Henrici Müleggi* viduâ, ex quâ unicam progenuit filiam *Annam Reginam*, maternarum virtutum æmulam virginem.

Sed & ipſam hanc conjugem 28. Octob. A.C. 1666. ad cœleſtia gaudia præmiſit. Ab eo tempore viduus permanſit. Vir totâ vitâ religioſus, amavit imprimis *Gerhardi* Meditationes ſacras, & *Molleri* Manuale de Præparatione ad Mortem: illis inter alia Orationem Dominicam diſticho hoc incluſam inſcripſit:

J.C. Religioſus.

Sanctificare, Pater, Rege, quod placet effice, Nutri,
Da veniam, Labi ne ſine, Tolle mala!

Senio tandem appropinquante podagrâ ſæpè excruciatus, in publicum raro prodire potuit, usque dum reſpirandi difficultas ſudorisque vehementia corpus exhauſtum planè proſterneret.

Viribus ita conſumptus, ingenio tamen & animo vegetus, inter adſtandium preces, & hæc verba: *Nunc dimittis, Domine, ſervum tuum in pace*, ipſo *Bartholomæi* feſto, die 24. Aug. A.C. 1670. ætatis 73. non tam mortuus eſt, quàm exſpiravit placidiſſimè.

Placidè moritur.

Edidit:

Scripta.

Genealogias Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum, præcipuorumq; aliorum Procerum Orbis Chriſtiani, deductas ab A.C. 1400. continuatas ad A.C. 1664. in fol.

* *Ex Programmate funebri D. Mauritii Hofmanni, Med. Prof. & Rect. Altorf.*

NICOLAUS RITTERSHUSIUS.
Per Anagramma:
Hic ſanus Juris ultor eſt.
Et: *Juri ſtas Heros inclutus.*
Unus ut Hiſtoriis noſtro tu tempore clares:
Juri ſtas Heros inclutus. Euge diu!
Job. Gabr. Meyer, Helvet.

DAVID MEVIUS.

Obiit A.C. 1670.

GRyphis in *Pommeraniâ* natus An. C. 1609. Patrem habuit Juris peritiâ & conſiliorum gravitate commendatum J.C. Dom. *Fridericum Mevium*, Academiæ *Gryphicæ* Anteceſſorem, & Conſiſtorii Ducalis Aſſeſſorem, Matrem *Eliſabetham*, *Balthaſ. Rhauen*, Theol. Doct. in Academiâ Profeſſoris & 4. *Pommeraniæ* Principum Ephori filiam.

Filius J.C.

Avus ejus paternus *Thomas Mevius*, J.C. & in Academiâ Anteceſſor, proavus *Joachim. Mevius*, *Stutgardiæ ad Inam* Conſul, fuerunt.

Juris Doctor, & Profeſſor extraordinarius, & ordinarius.

Parentum curâ ſub optimis Præceptoribus in literis educatus, A.C. 1634. ætatis 25. magno merito Laureâ Doctorali coronatus, & in numerum Juris Profeſſorum extraordinariorum receptus fuit, & anno ſeq. ordinariis adjunctus.

Syndicus Stralſundenſis. *Vice-Præſes Wismarienſis.* *Legatus ad Principes Sax. infer.* *Conſiliarius Regis Sueciæ.* *Homagium Imp. Rom. Leopoldo præſtitit.*

A. 1638. à vicinis *Straleſundenſibus* Syndici munus ipſi oblatum, & A. 1654. Summi Tribunalis, quod *Wismariæ* leges & Jura *Germanicis Sueciæ* provinciis diſpenſat, Vice-Præſes conſtitutus eſt. A. 1657. à Rege *Sueciæ* ad retundendos *Danorum* in Ducatum *Bremenſem* impetûs miſſus eſt ad Circuli *Sax.* inferioris Principes, Adminiſtratorem *Magdeburgenſem*, Duces *Brunsvicenſes*, *Wolferbytanum*, *Cellenſem* & *Hanoveranum*, & *Caſſellanum Haſſiæ Landgravium*, cœteroque *Danici* belli tempore ſæpiùs à Rege *Carolo Guſtavo* ad Conſilia, quæ in DEI honorem, Principis gloriam, & regni *Suecici* incrementum ſemper profutura ſuggeſſit, evocabatur. A. 1662. ad ipſum *Romanorum* Imperatorem *Auguſtum Leopoldum*, præſtandi homagii causâ ablegatus, ita ſe geſſit, ut fidei, prudentiæ & animi excelſi pulcherrima documenta dederit, Principisque, à quo miſſus erat, Majeſtatem gravitate ſuâ & reconditâ ſapientiâ egregiè expreſſerit.

Cum A. 1663. in *Pomeraniâ* Eccleſiaſticus Politicusque Status reformandus eſſet, Comes *Carolus Guſtavus Wrangel*, Regni *Suecici* Archiſtrategus, & Academiæ *Gryphicæ* Procancellarius, *Paulus Wurtzius*, *Pomeraniæ* Vice-Gubernator, & *Mevius* hic juſſu Regio collapſa reparârunt, & homagium à provinciâ hâc ejusque incolis ſuſceperunt.

Electorum Moguntini & Palatini diſſidia compoſuit.

A. 1667. *Heilbronnæ* gravia, quæ inter Electores *Mogunt.* & *Heidelberg.* erant diſſidia, jamque in apertum bellum erumpebant, feliciter Regiâ authoritate compoſuit.

Progenies ejus ex tribus Uxoribus.

Tres habuit uxores, quorum prima *Juditha*, Dom. Licentiati *Tanckii*, Paſtoris *Stralſundenſis* filia, trium ipſum liberorum fecit Parentem. Natu major filius, quam vix ingreſſus erat, reliquit vitam. Filia *Eliſabetha* elocata eſt Dom. *Georgio Engelberto*, J. C. & in Academiâ *Gryphicâ* Anteceſſori, poſteà Regii Tribunalis Aſſeſſori: altera *Barbara* nupſit Dom. *Friderico Klincovio*, Regii pariter Tribunalis Aſſeſſori.

Ex alterâ Conjuge *Mariâ*, Dom. *Theodori Meyeri*, Conſulis *Stralſundenſis*, & Conſiliarii Provincialis filiâ, unicum ſuſcepit filium, *Fridericum*, Juris in Academiâ *Tubing.* ſtudioſum.

Tertiam vitæ ſociam *Mariam*, Dom. Licentiati *Putſchii*, Conſiliarii *Oldenburgici* filiam, cum 5. filiis & duabus filiabus ſuperſtitem reliquit.

Libros multos ſcripſit.

Tot liberorum Patri mirum eſt, tantam etiam librorum fuiſſe curam, ut non tantùm ab aliis ſcriptos ſedulus evolveret, ſed ipſe quoque inter tot negotia fœcundo ingenio novos publicæ luci exponeret.

Obiit ex febre malignâ.

Cum tandem à 14. diebus febre malignâ decubuiſſet, cui fruſtrà Medicus pharmaca ſalutaria oppoſuit, ſine omni cruciatu, mortem vix ſentiens, mortuus eſt 17. Sept. A.C. 1670. æt. 61. *Wismariæ*, die ſepulturæ à M. *Joh. Erneſto Pfuelio*, Humaniorum Profeſſore publ. ligatâ oratione, & octiduo pòſt ſolutâ à D. *Johanne Pomereſchio*, J.C. & Anteceſſore in publicâ Panegyri laudatus eſt. Concionem verò lugubrem *Wismariæ* habuit M. *Samuel Reimarus*, ad D. *Georgii* ibidem Paſtor, Regiique Conſiliarii Aſſeſſor.

DAVID MEVIUS PRÆSES.

Per Anagramma:

Ivi ad Deum ſupra eſſe.

MORALE:

Quisquis præteris, Viator, reverere Manes ac tumulum piiſſimi & integerrimi Viri, qui dum vixit, fuit Sacroſanctæ Juſtitiæ Oraculum, optimis Divini Humaniq; Juris Sacerdos, ſacrarum Legum vindex acerrimus, æqui boniq; fideliſſimus Interpres ac diſpenſator feliciſſimus, bonarum artium & literarum Decus.

Nomen ſi quæris, ſcito, quieſcere hic Oſſa magni illius MEVII, Sacræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ Conſiliarii intimi, & in ſummo Tribunali Wismarienſi Vice-Præſidis meritiſſimi, ſummi olim Regis ad plures Germaniæ Electores & Principes, inferiorisque Circuli Saxoniæ Comitia, moderneq; Majeſtatis ad Cæſarem ad componendos compoſitosq; feliciſſimo laudo ſummâ cum laude magnos inter Electores aliosque Imperii ad Rhenum Statûs exortos, de Wildfangiatu motûs, ad Pomeraniæ noſtræ Ordines univerſos pro recipiendo obſequii fideique Sacramento Legati & Oratoris graviſſimi.

Vis plura de vitâ hujus Viri moribus & factis. Audi. Quicquid in Papiniano, Triboniano, Cajo Ulpiano, & reliquâ veterum J.C.torum cohorte antiquitas habuit, in hoc uno vidit ætas noſtra: in alio ventura vix videbit. Teſtes ſi deſideras, reſpice illius opera, quibus Orbem ſibi devinxit, gloriam immortalem reddidit. Paucis: omni ex parte fuit abſolutus, & in nullo penitùs erravit, niſi quod nimis citò mortuus, dignus per ſeculum Papienſem trahere ſenectam. Sed error hic fatalis mortalium ſorti à naturæ lege impoſitus: beatus qui benè ſic erravit. Hæc te volui, Viator. De cætero famam virtutesq; tanti Viri, quibus ſemper ſuperſtes erit, reverenter habe. Conſidera ſimul lubricum vitæ hujus, miſerandas rerum humanarum vices, & memento mori, quia mortalis es.

I. R. ab O.

Edita ab eo ſunt Scripta ſequentia: *Scripta.*

Tractatus Jurid. de Arreſtis. in 4to.

Diſpoſitio Juris per tabulas. in fol.

Diſcurſus Nomico Politicus de Metatis ſeu Hoſpitatione militari. in 4to.

Commentarii in Jus Lubecenſe. in fol.

Tacitus Politicè reſolutus. in 4to.

Diſcuſſio levaminum inopiæ debitorum, ſive Norma æquitatis. in 4to.

Deciſiones Juris*dictionis ſummi Tribunalis Regii, quod eſt Wismariæ, in 9. partes diſtributæ.* in fol.

Rechtliches Bedencken über die Fragen der *Penſionarien* und Grund-Herren. in fol.

Kurzes

Kurzes Bedenken und Abforderung der Baur-Leute. in 4to.

Theatri Concurſûs Creditorum Adumbratio. in 4to.

Diſcurſus de Amneſtiâ. in 4to.

Prodromus Jurisprudentiæ Gentium communis. in 8vo.

Reſponſum Juris de Reſignatione & Revocatione ſeu Mutatione, ut & exhibitione Teſtamenti. in 4to.

Commentarii **über des Herzogthums Bremen** *Conſtitution* **und wucherlichen Contracten.**

Diſputavit quoque publicè *de Ceſſione bonorum: de Metatis: de legitimo propriæ & privatæ authoritatis exercitio, pro gradu Doctoris obtinendo.*

* *Ex Orat. parent. Chriſtoph. Helwigii, Doct. & Prof. Medici Rectoris Gryphisw.*

Obiit A. C. 1671.

JOHANNES LUDOVICUS MIEGIUS.

LUcem primùm adſpexit *Heidelbergæ* die 17. Octob. A. C. 1609. Parentem habuit Dn. *Matthæum Miegium*, J. U. D. Sereniſſimi Electoris *Palatini* Conſiliarium, ex antiquâ & Patriciâ inter *Argentinenſes Miegiorum* familiâ, quæ à trecentis annis Conſules, Quindecimviros, aliosque Magiſtratûs iſti Civitati dedit: Matrem *Margaretham*, Dom. *Michaëlis Löfenii*, in *Haimhoff* & *Ebermansdorff*, J. C. & Conſiliarii *Palatini* intimi filiam: à quibus indè à primâ juventâ ad Pietatem Literarumque ſtudia educatus primùm *Heidelbergæ*, tum

Studioſus Argentinæ.

Argentinæ (quò duodecennis cum Parentibus, urgente nimirum belli flammâ, migrare cogebatur) eadem ſedulò ac feliciter excoluit: eamque ex variis deinceps per *Germaniam* & *Galliam* itineribus, in aulis cumprimis *Anhaltinâ* & *Haſſiacâ*, ubi aliquandiu Principum Juniorum Ephorus fuit, experientiam, inque rebus agendis dexteritatem acquiſivit, ut in patriam An. 1635. reverſo, motibus bellicis tum miſerè agitatam *Francothali* bellici Auditoris Generalis, ut vocant, munus demandaretur.

Principum junior. Anhalt. & Haſſ. Ephorus.

Generalis Auditor bellicus.

Hoc munere cum ad civitatis usque occupationem laudabiliter functus eſſet, ac poſt id temporis varias belli calamitates ſubiviſſet, altero abhinc anno 1636. à Nob. Equeſtris in *Alſatiâ* ordinis Proceribus ad Syndicatum vocatus atque aſſumptus, ac circa idem fermè tempus Doctoratûs in utroque Jure Gradus ab Univerſitate *Argentinenſi* eidem, tanquàm benè merenti, collatus eſt.

Syndicus Equeſtris Ord. Alſat.

Juris Doctor Argent.

Eum verò Syndicatum (ſimul intereà Sereniſſimorum *Neoburgi* & *Birckenfeldiæ* Princip. *Palatinorum* Conſiliarius) per totos 13. annos, atque adeò ad usque Pacis in Imperio ſancitæ tempora multâ cum laude geſſit, eoque omni tempore dexteritatem ac prudentiam, tum iis, quibus inſerviit, tum aliis, ad quos crebrò, nec ſine ſummo interdum diſcrimine vitæ, ablegatus fuit, Regibus, Principibus, Magnatibus ita probavit, ut omnium amorem & benevolentiam promereretur.

Conſiliarius Princip. Palat. Neoburg. & Birckenfeld.

A. 1649. Sereniſſ. Princeps Elector *Palatinus*, *Carolus Ludovicus*, ſuum eſſe voluit, & ad ſe revocavit lubenti animo patriam repetentem ſuam. Conſiliarii primùm intimi, tum ab an. 1656. Vicecancellarii, denique A. 1664. Cancellarii intimi dignitate ab eodem Principe cohoneſtatus eſt.

Conſil. Vicec intel. lar. & Cancellarius ſucceſſivè Elect. Palat.

Ac ſicut Clementiſſimam ejusdem æſtimationem Sereniſſimus luculenter teſtatam fecit, graviſſimis ſubindè negotiis expediendis eum adhibendo, quando A. 1650. Legatum ad Cæſaream Majeſtatem, A. 1652. ad Comitia *Ratisbonenſia*, A. 1657. ad *Francofurtenſia* miſit: quin & deliberationibus de eligendo *Romanorum* Rege *Auguſtæ Vindelicorum*, & de eligendo Imperatore *Francofurti* habitis intereſſe voluit: ita ejus viciſſim in omnibus negotiis iſtis obeundis prudentia, diligentia, & ante omnia fidelitas notior eſt, quàm ut multis exaggerari opus habeat.

Legationes varias obivit.

Non minor ejus in regendâ vitâ Oeconomicâ dexteritas fuit. Maritum fidelem expertæ binæ, quibuscum ſucceſſivè junctus fuit, uxores: prior *Maria Eliſabetha*, Dom. *Joh. Friderici Schlöeri*, Elect. *Palat.* Conſiliarii intimi filia, quâ cum ab A. 1636. totos 22. annos placido & fœcundo conjugio vixit: poſterior, quæque poſt duodecennale connubium mariti dilecti luxit obitum, nobil. matrona *Anna Catharina*, nobiliſſimi viri *Ludovici Camerarii*, J. C. & Regiæ Majeſt. *Suec.* Conſiliarii intimi & Legati filia, Nob. viro *Paulo Strasburgio*, itidem Reg. Majeſt *Suec.* Conſiliario intimo, anteriore conjugio juncta quæ fuerat.

Vixit in conjugio duplici.

Hoc conjugium ſterile fuit: ex priore conſecutus eſt 4. filios, quorum non niſi unus Patri ſuperſtes in Academiâ *Heidelbergenſi* Jur. Profeſſor factus eſt: filias autem progenuit ſeptem, quarum priores *Glocknerianis*, *Löfenianis*, *Weiſſellianis*, *Heileſianis*, & *Reichenbachianis* familiis per matrimonia inſerta fuêre.

Filium reliquit Juris Prof. Heid.

Hi liberi eum 14. quà nepotum, quà neptium avum affecêre.

Valetudinem ejus annis aliquot antè obitum infirmavit Catarrhus, qui deindè in Arthritidem vagam mutatus, ipſi Podagræ & Chiragræ paroxyſmos acerbos per vices cauſavit.

Sæpiùs quidem tum diætâ exactâ, tum medicamentis prudenter adhibitis, humor iſte vitæ inimicus à principalibus partibus repulſus fuit: ſed tandem languente naturâ pectus & ſtomachum pertinaciter occupavit, inhocque anorexiam effecit, quam totalis virium ruina ſecuta eſt.

Convulſionibus tandem lethalibus concuſſus, nullis remediis cedentibus, inconcuſſam animam ſummo, qui eam dederat, Parenti reddidit & commendavit die 8. April. A. C. 1671. æt. 61.

Moritur.

* *Ex Programmate funebri Johannis Carre, Prorectoris Heidelbergenſis.*

Nnnnnnn 3 EME-

Obiit A.C. 1671.

EMERANUS SYROTHIUS.

Ratisbonæ natus eſt 23. Dec. A.C. 1605. Patre Dom. *Georgio Syrothio*, Senatore, & Judicii Hanſeatici Aſſeſſore, Matre *Margarethâ Lerchenfelderiâ*.

Diſcipulus in Gymn. Poëtico. An. ætat. 12mo Parentibus orbatum, Domini Tutores Rectori Gymnaſii Poëtici M. *Chriſtoph. Schwantzhofero* literis informandum in convictum dederunt.

Juris ſtud. Altorfii, Jenæ, & Argent. Ab iisdem A. 1626. *Altorfium*, A. 1628. *Jenam*, & A. 1631. *Argentoratum* ablegatus, in his Academiis ſtudium Juridicum ſedulus excoluit, Dominis Profeſſoribus acceptus.

A. 1633. In patriam non multò pòſt à *Suecis* obſeſſam & occupatam rediit, & in brachio ex globo ſclopetico vulnus accepit.

Judicii Ratisbon. Aſſeſſor. A. 1634. Peſte *Ratisbonæ* graviter ſæviente, iter in *Belgii* provincias ſuſcepit, ſed mox an. ſeq. abſens inter Aſſeſſores Judicii patrii cooptatus, & eâ de causâ domum revocatus, in eo munere fideliter verſatus eſt usq; ad an. 1636. quo per electionem legitimam *Senator.* Senator factus, nec multò pòſt primâ vice *In triplici vixit Conjugio.* conjugii ſocietatem iniit cum virgine nobili *Annâ*, Dom. *Eraſmi Harteckii*, ab *Eperies Hungari*, filiâ, ex quâ duos filios ſuſcepit, *Job. Jacobum*, & *Georgium Chriſtophorum*, quorum ille 17. ætatis anno, hic 32. vitæ ſeptimanâ mundo valedixit.

Hâc conjuge vivis ereptâ, A. 1654. ad ſecunda vota tranſiit, deſponſatus cum virgine *Sabinâ Barbarâ*, Dom. *Georgii Beutelii*, Pharmacopæi, & Judicii Aſſeſſoris filiâ, ex quâ filiam *Margaretham Chriſtinam* ſuperſtitem reliquit.

A. 1664. Sponſalia tertia celebravit cum nobili matronâ *Iſabellâ Jacobe*, nobiliſſimi & prudentiſſimi Domini *Pauli Mæmmingeri*, Senatoris *Ratisbonæ* primarii, relictâ viduâ, quam ſterilem reliquit ſuperſtitem.

Eleemoſynarum Director. Ad munera publica intereà legitimè vocatus Eleemoſynarum Directoris A. 1657. Camerarii eodem anno, Hanſæ Comitis An. *Scholarcha.* 1662. Directoris Conſiſtorii & Scholarchæ primarii A. 1663. in iis ſummâ cum fidelitate vitæ tempus reſiduum exegit, morbis tandem diverſis, febribus, ictero, & podagricis *Moritur.* doloribus exhauſtus, exſpiravit 3. Maji An. C. 1671. ætatis 66.

* *Ex Concione funebri Matthæi Schmollii, Eccleſiaſtæ primarii Ratisbon.*

Obiit A.C. 1671.

GEORGIUS WERNERUS.

Natus eſt *Bopfingæ*, urbe in *Sueviâ* Imperiali, Patre *Johanne Wernero*, cive & Mercatore, Matre *Urſulâ Wielandiâ*.

In Scholâ Magdeburgi diſcipulus. A.C. 1608. Puer ad ſtudia propenſus, à Parentibus in urbem vicinam *Magdeburgum* miſſus eſt, ubi tunc celebris erat Schola, quam *Sigismundus Evenius* regebat. Hic in humanioribus literis & linguâ Græcâ plurimùm profecit.

Juris ſtudioſus Wittenbergæ. Hinc in Academiam *Wittenbergenſem* ſe transtulit, cumque præ aliis ei Juris Civilis ſtudium placeret, eas quoque Philoſophiæ partes, quæ ſcopo ſuo convenientiores, diligenter excoluit, & imprimis Juris Conſultos docentes diligenter audivit, eo eventu, ut jam aliis quoque viam monſtrare, & de lumine ſuo lumen poſſet accendere.

Proin generoſus Dominus *Matthias Schulenbergicus* liberis ſuis eum præfecit, quam curam in tertium usque annum habuit. *Ephorus puerorum nobilium.*

Factus eſt deindè Ephorus juvenum itidem generoſorum, *Marenholtzii* & *Hardenbergii*, cum quibus A. 1638. in Academiam *Juliam* venit.

Intereà diſcere dum doceret alios, celebresque hujus loci J.C.tos *Johannem Loticbium*, *Henricum Smerhemium*, & imprimis *Joh. Thomam Cludium* diligenter audire cœpit, exercitiorum quà publicorum quà privatorum pars ſemper non poſtrema.

A. 1640. ab ampliſſimo illo Collegio ad omnia ordinaria examina admiſſus eſt & probatus, cœpitque mox ipſe ad Juris quoque Civilis ſtudia alios manu ducere docendo diſputandoque. *Helmſtadii Collegia aperuit.*

Ut verò legem fori accuratiùs diſceret, cauſas graves ſæpè egit clientum oppreſſorum patronus induſtrius. *Advocatus.*

A. 1646. Profeſſorius ei locus extrà ordinem conceſſus, & biennio pòſt Judicii Aulici *Wolfenbüttelenſis* Aſſeſſor conſtitutus eſt. *Juris Profeſſor extraordinarius.*

A. 1650. Decano D. *Henrico Hahnio* ſummos in utroq; Jure honores, & ordinarium inter Profeſſores Juris locum nactus, mox à Sereniſſ. Dn. *Auguſto*, Duce *Brunsvic.* & *Luneburg. Emeriacum* miſſus eſt: quâ legatione cum laude perfunctus, quarto menſe domum rediit. *Juris Doctor & Profeſſor ordinarius. Legatus Ducis Brunsvic. Emeriacum.*

Tunc publicè quidem primò Inſtitutiones, deindè Jus Canonicum & Feudale, tandem etiam Codicem interpretatus eſt: domi verò operam ſuam quibusvis petentibus in vaſto Juris ſtudio addixit.

Domi quoque ſuæ pari prudentiâ rem familiarem adminiſtrabat. Cum enim A. 1642. Uxorem duxiſſet virginem *Annam Eliſabetham*, Dn. *Georgii Kreitzii*, Præfecti *Jernheimenſis* filiam, à D. *Joh. Thomâ Cludio* adoptatam ſuſcepit, ex eâ 11. liberos, ex quibus unus filiolus mox poſt baptiſmum obiit, 6. vero filii ſuperſtites manſère cum 4. filiabus: quarum una *Urſula*, Dn. *Johanni Denckero*, Advocato ordinario *Magdeburgi* in matrimonium data eſt. *Uxorem duxit. Undecim liberorum Pater.*

A. 1663. Uxorem amiſit, & ex eo tempore viduus vitam duxit. Ultimis vitæ annis crurum debilitate ſcorbuticâ graviter afflictus, cœpit tandem in ſomnum præter modum propendere, qui in ſoporem profundum degenerans, fratri ſuo morti tradidit eum 28. Sept. A.C. 1671. ætatis 64. *Moritur.*

* *Ex Programmate funebri Prorectoris Academiæ Juliæ.*

Scripta: *Scripta.*

De Amiſſione & devolutione Feudi.
De Reſtitutionibus in integrum.
De Sententiâ.
De Reconventione.
De Separationibus.

De In-

d by Google

De Injuriis.
De Scripturæ poteſtate ac uſu in negotiis civilibus.
De Solutionibus.
De Conditionibus.
De Dignitatibus.
De Collatione Bonorum.
De Auctionibus.
De Monopoliis.
De Jure Conſtituti Poſſeſſorii.
De Jure Emphyteutico, von dem Erbzins-Recht.
De Re Militari.
De Judiciis, de Contractibus, & de Juramentis in genere.
Poſitiones Juridicæ.
De Tutelâ & curâ.
De Jure confuſionis.
De Judice in genere conſiderato.
De Præferentiâ Credit. in concurſu eorundem Privil.
De Judicio Feudali.
De Notorio.
De Rationibus.
De Pœnitentiâ.
De Momento temporis.

THEODORUS WOLDERUS.

Obiit A.C. 1672.

ULtimus ſuæ familiæ nobilis, ingreſſus eſt hunc orbem A.C.1628.die 23.Dec. Progenitore Viro Reverendo D. M. *Martino Woldero*, Eccleſiæ *Palæopolitanæ* Paſtore. Matrem ſuſpexit *Annam*, Viri Reverendi Dn. Joh. *Vogleri*, filiam.

Dum puer Artium elementa imbibit, ſingulari literaturæ deſiderio exarſit, ut acerrimus genii æſtimator Parens, qualem habuimus, maturæ augurâretur.

Diſcipulus in Gymnaſio Keidanenſi. An. æt. 12. à Patre Scholæ *Palæopolitanæ* Præceptoribus erudiendus traditus, hinc datus inſpectioni M. *Caſp. Devitii*, ivit in *Keidanenſe* Gymnaſium, ubi ſubſiſtens biennium, & linguam *Polonicam* comprehendit, & in humaniore literaturâ multum profecit. Cum ibi triennium exegiſſet, venit in Academiam *Regiomontanam*.

Ethicæ ſtudioſus. Ne autem iret ſine duce in Muſarum penitiora, dux illi à Parente deſtinatus M. *Crellius*, & facem in Moralem Philoſophiam illi prætulit *Excell. Pichlerus*.

Juris ſtudium aggreſſus. Hinc rectâ viâ Themidis libavit ſacra, atque variis Diſputationum conflictibus probavit maturuiſſe profectûs, & eſſe tempus peregrè eosdem ſolidare. Hinc ivit per *Sedinum* & *Berolinum Wittenbergam*, ubi Juris ſcientiæ incubuit.

Doctor Juris Baſileæ. A.1652. *Baſiléam* illum adire juſſit Pater, quæ ſupremos in Jure honores illi detulit.

Regiomont. Profeſſor extraordinarius. Hinc viſis Academiis, *Argentinenſi*, *Marpurgenſi*, *Heidelbergenſi*, *Gieſſenſi*, *Jenenſi*, & *Lipſienſi*, revenit *Wittenbergam*, ubi docendo & diſputando dignum ſe probavit Profeſſione, quam extraordinariam A.1654, in Academiâ *Regiomontanâ* adeptus eſt.

An.1655. pronubis fatis Conjugii fidem dedit nobili Matronæ, Dom. *Friderici Poppingii* viduæ, cum quâ 17. annos in conjugio ſterili vixit, & promotus ad Ordinariam Profeſſionem Juris docendo abſolvit Jus Civile atque Canonicum, affuit Senatui Academico conſilio & fide, bis gemino functus eſt Magnifici Rectoris officio, datus eſt *Sambienſi* Conſiſtorio aſſeſſor, denique ſupremam in Patriâ dignitatem occupavit, quando Sereniſſimi Conſiliarius ſummi Tribunalis conſtitutus eſt. *Juris Profeſſor ordinarius. Quater Academiæ Rector datus eſt. Conſiliarius ſummi Tribunalis.*

Moritur. Morbus tandem hypochondriacus eum lecto affixit, & extinxit inter preces devotas 6. Jan. A. C. 1672. æt. 44.

Ingenii Monumenta reliquit:

Scripta. *Tyrocinii privati ad 4. Inſtitutionum Juſtinianearum Libros Exercitia VIII.* in 12mo.

De Verborum & rerum ſignificatione Diſputationes XV. in inclytâ Boruſſorum Academiâ habitas in 4to.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Regiomont.*

JOHANNES GEORGIUS SCHUSTERUS.

Obiit A.C. 1672.

AD *Pegneſi* amnem ſitum eſt oppidum, non amplum quidem, ſed neque inamœnum, neque ignobile, quod plures literis & armis præclaros Viros dederit, *Lauffa Noricorum*. Hic D. *Joh. Georg. Schuſterus* primam lucem aſpexit 13. Calend. Martii A. C. 1634.

Parentes ejus. Parentem habuit *Conradum Schuſterum*, *Lauffenſi* Senatui tunc ab epiſtolis, & poſteà inclytæ Reipublicæ *Norimbergenſis* Secretarium bellicum, cujus prudentiam ac dexteritatem magno ſuo commodo non ſemel experta eſt Patria: Matrem *Mariam Magdalenam Bernbeckiam*.

Cum jam in primâ pueritiâ excellens, & ad nobiliores diſciplinas natum ingenium multis ſpeciminibus proderet, viſum eſt Parentibus literis ipſum innutrire.

Juris Candidatus Altorfii. Elementa igitur ſcientiarum poſtquàm in Scholâ patriâ didiciſſet, A.C.1647. ætat. 13. Academiam *Altorfinam* inviſit, ubi cum per quinquennium celeberrimis Viris aſſiduam operam dediſſet, A.1652. *Jenam* abiit, inde anno ſeq. *Tubingam*, tandem An. 1655. *Altorfium* rediit, nomenque ſuum inter Juriſprudentiæ Candidatos A. 1656. profeſſus eſt.

At verò non ſufficiebat Viro ad Rempublicam olim adminiſtrandam deſtinato umbratilem aliquam & Scholaſticam ſcientiam conquiſiviſſe, prudentiâ quoque opus erat, & ampliori quâdam rerum cognitione.

& Doctor. *Gallias* proindè petiit, iisque luſtratis peragravit *Belgium*, atque indè rediit ad ſuos, quorum deſiderio ut ſatisfaceret, paſſus ſibi eſt A.1658. ab *Altorfinæ* Academiæ Patribus ſolenne eruditionis teſtimonium, Doctoris ſcilicet dignitatem, conferri.

Verùm inani hoc titulo non ſuperbivit, ſed & alios docendo, & dicendo cauſas, & ſuppeditando conſilia ſe Juriſperitum & Conſultum eſſe, re ipsâ comprobavit.

Conjugium ejus, & Liberi. His ita conſtitutis, felicibus auſpiciis uxorem duxit virginem *Claram*, Dom. *Johannis*

hannis Wittichii, turmæ equitum Præfecti, & *Annæ Reginæ*, ex familiâ *Auguſtanorum Pimelinâ* filiam, ex quâ liberos ſuſcepit ſeptem, quorum filios duos totidemque filias ſuperſtites reliquit.

Conſiliarius Com. à Pappenheim, & Princ. Palat. Sultzbac.

Cum autem jam nominis ipſius fama apud alios percrebuiſſet, A. C. 1666. ab illuſtri Comite *Pappenhemenſi Wolfgango Philippo*, & An. 1669. à Sereniſſimo Comite *Palatino Sultzbacenſi Chriſtiano Auguſto* conſiliis interioribus admotus, & tùm aliò, tum ad Comitia *Ratisbonenſia* ablegatus fuit.

Conſiliarius & Dicaſterii Aſſeſſor Heidelberg.

Rebus ibi feliciter geſtis, & exhibitis adeò clarioribus doctrinæ, facundiæ, prudentiæ & dexteritatis ipſius documentis permotus Sereniſſ. *Carolus Ludovicus*, Elector *Palatinus* dignum judicavit, cujus & ipſe conſiliis uteretur, & quem inter Aſſeſſores ſupremi ſui Dicaſterii adſciſceret.

Paruit ille Magni Principis vocationi, & 16. Oct. A. 1671. domicilium ſuum *Heidelbergæ* conſtituit. Etiam Sereniſſ. ſuo Domino præclara peritiæ ſuæ moliebatur ſpecimina, quando 26. Dec. *Fridericoburgi* ſubitò morbo correptus, & æger domum reportatus, cum funeſto mortis prænuntio conflictari cœpit. Tum calculi renum tum alia ſymptomata per tres hebdomadas cum doloribus gravibus perſenſit. Arte quidem & induſtriâ Medicâ remedium paratum erat pleriſque ſymptomatibus, & corporis anatome poſt obitum oſtendit, in rene dextro calculum comminutum fuiſſe, attamen cum renum ſiniſter in pinguedinem tranſiiſſet, omnemque adeò tranſitum denegâſſet, alter verò internè corruptus, & ipſe non mediocriter obſtructus eſſet, reſtagnans ſerum cum ſanguine circulatum hæmorrhagias varias, & inflammationem pulmonum, hepatis, & cerebri membranarum, nervorumque tandem convulſiones epilepticas produxit, quæ mortem ipſam accelerârunt, quam ille manè ſibi prædicens, & ardenter expectans, horâ tertiâ pomeridianâ inter ſuorum ſuſpiria ac preces piè obivit d. 17. Jan. A.C. 1672. ætat. 38.

Morbi ejus lethales.

Moritur.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Heidelberg.*

Epitaphium Zachariæ Crameri, Stetino Pomerani:

Epitaphium.

ÆTERNITATI.

HOC IN TUMULO REQUIESCUNT OSSA JOH. GEORGII SCHUSTERI, J.C.TI, CONSILIARII SERENISS. ELECT. PALATINI

NATI IN OPPIDO NORICO LAUFFEN. ANNO CIƆ IƆ CXXXIV. XV. CAL. MART.

HIC FINITIS ADOLESCENTIÆ STUDIIS AD MAXIMOS PUBLICOSQUE HONORES PRUDENTIÆ SUFFRAGIO ELATUS

NUNQUAM MEDIOCRITATEM EXCESSIT, SEMPER IN SE IPSO SAPIENTER CONSTITIT.

AUDIVIT ELOQUENTIAM IPSIUS NORIMBERGA, CONSILIA SIBI ADLEGIT PAPENHEIMIUS, NEC NON PRINCEPS SULTZBACENSIS AMPLEXUS EST, ET LATERE VOLENTEM EXTRAXIT IN LUCEM SERENISSIMUS ELECTOR PALATINUS.

ATQUE

NISI FATI INJURIA MORTE PRÆOCCUPASSET INDUSTRIAM BREVI EXPERTAM, AD EXTREMAM ÆTATEM PRINCIPI DEVOTAM AMABILIOREM INDIES REDDIDISSET.

IGNORAVIT QUID SIT FASTUS, QUID AMBITIO?

PUBLICO NATUS PRIVATUM NEGLEXIT BONUM.

CHRISTIANISS. RELIGIONEM SANCTISSIME COLUIT.

JURECONSULTUS THEOLOGUM FOVIT.

ROSTRA NUNQUAM PRÆOCCUPAVIT: CANCELLOS NON ADORAVIT: SUBSELLIA NON CONTUDIT: JURA MINIME CONTURBAVIT: NEC CAUSAS ELATRAVIT.

ID UNUM IN FORTUNA SUA AMAVIT, QUOD BENEFACERET GRATIS, AC ALIIS LABORARE PRODESSET.

QUOD SUADEBAT EVENTUS FIRMAVIT.

FINE NON PERSPECTO NIHIL AGGRESSUS EST: NIHIL PROSPEXIT, QUOD NON TENUERIT: NULLI PLACERE STUDENS NULLI DISPLICUIT: NULLI DISPLICERE VOLENS, OMNIBUS PLACUIT.

MORTUUS HEIDELBERGÆ ANNO CIƆ IƆ CLXXII. XVI. CAL. FEBR.

FAMAM ULTRA SECULUM PROPAGAVIT.

CUM MORTI PROXIMUS VOCEM EMISIT: NIHIL SE UNQUAM SUASISSE CONSILIO, CUJUS JAM JAM MORITURUM POENITERET.

TESTIMONIUM POSTERIS RELIQUIT VITÆ GLORIOSÆ & MORTIS HONESTÆ.

COMPOSITUS HOC TUMULO OCTAVO POST OBITUM DIE.

JOHANNES JODOCUS FELWINGERUS.

Obiit A.C. 1672.

Natus *Altorfii* 21. Januarii A.C. 1644. Patre Dn. M. *Johanne Paulo Felwingero*, Logices & Metaphyſices Profeſſore publico: Matre *Annâ Catharinâ*, D. *Chriſtophori Heldii*, Conſiliarii Reipublicæ *Noribergenſis* id temporis primarii filiâ 23. Jan. ſeq. à Nob. Dom. *Joh. Jodoco Schmidmajero* **von Schwartzenbruck** / Patritio *Noribergenſi*, Chriſto Jeſu per S. Baptiſma inſertus, & DEO oblatus eſt.

Puer in Scholâ publicâ Præceptorum curæ commiſſus, brevi tales fecit progreſsus, ut parentibus ſummæ eſſet lætitiæ.

Paulò majores progreſſus facientem, Parens altioribus eum ſtudiis mancipans, futuræ ſuæ felicitatis fundamenta jacere juſſit. Hâc de causâ domeſticum ipſi Præceptorem præfecit, ſub cujus ductu & auſpiciis brevi ad magnam literarum pervenit cognitionem.

Ratisbonæ in Gymnaſio Poët. diſcipulus.

Hinc motus pater *Ratisbonam* in celebre illud Gymnaſium Poëticum A. 1659. filium amandavit, ubi fermè per triennium Muſas coluit, donec A. 1662. *Lipſiam* petens, convictu Dn. D. *Schertzeri* integrum biennium uteretur.

Juris ſtudioſus Helmſtadii.

An. 1664. *Helmſtadium* contendens, Dnn. D.D. *Binnii*, *Werneri*, *Gleſeri*, & *Conringii* variis

variis occaſionibus oblatis convictu eſt uſus, ubi per biennium cum dimidio in Themidis adyta admiſſus, veteris ævi Jura perluſtravit, per Imperatores, Inſtituta, Digeſta, Codicem, Novellas cupidam Veri mentem circumduxit, ut jam de pileo cogitaret modeſta ſua ambitio.

& Altorfii. An. 1667. Patrios lares repetens, benè cœpto Juris ſtudio Colophonem addidit, ita, ut An. 1668. publicam Diſputationem ſub præſidio Dn. D. *Textoris de Auſtregis* habuerit.

A. 1669. Facultatis Juridicæ pro Licentiâ ſummos in utroque Jure honores & privilegia Doctoralia ritè conſequendi examini ſe ſubjecit, & Diſputationem Inauguralem de *Ceſſione Actionum* menſ. Nov. cum laude habuit. *Diſput. Inauguralem habuit.*

Præſidem egit Diſputationis Jurid. & Polit. A. 1670. Publicè in Jure de *Antichreſi Tacitâ* præſidendo diſputavit, reſpondente *Tobiâ Herdeſiano, Noribergenſi.*

In Politicis eodem anno, de *Dominio Supereminente*, Reſpondente *Paulo Jacobo Böhmero, Norimbergenſi.*

Collegium privatum aperuit. Hoc & ipſo anno Collegium privatum Inſtitutionum 14. Auditoribus aperuit, quod intra anni ſpatium feliciter abſolvit.

Hoc nomine Magnifici Dn. Scholarchæ, ad Commendationem nonnullorum Fautorum, in numerum eum Profeſſorum publicorum ordinariorum receperunt, & Profeſſionem Politicam, Patre illam haud gravatè cedente, & lampada illam filio tradente, clementer aſſignârunt, quam magnâ auditorum frequentiâ ſtipatus ornavit. *Profeſſor Politices.*

Menſ. Aprili comparentibus in ipſius pedibus maculis partim leviter ulceratis, quas Doctores Medici *Altorſini* Scorbuticas indigitabant, alii contra negabant, pii parentes per Medicos occurrerunt.

Acceſſit dolor capitis per intervalla graviſſimus, ad quem remedia nihil profecerunt. Tandem malo in dextræ manûs ſphacelum converſo parentes 11. Junii lecticâ *Norimbergam* vehi curârunt. Ibi 17. Junii paroxyſmus apoplecticus dextrum latus occupavit, undè ſenſu, motu, & rationis uſu privatus, ſine ullo, qui appareret, doloris ſenſu extinctus eſt 19. Junii die An. C. 1672. ætatis 28. *Ex ſphacelo manûs dextræ & hemiplegiâ extinctus.*

* *Ex Programm. fun. Rectoris Altorf. M. Chriſtoph Molitoris, Ling. Oriental. Prof.*

GEORGIUS FRIDERICUS WAGNERUS.

Obiit A.C. 1672.

E*Slingæ* natus 29. Octob. A.C. 1631. Patrem habuit *Georgium Wagnerum*, Conſulem, Matrem *Annam Urſulam*, Reverendi viri M. *Joh. Erhardi Cellii*, Superintendentis *Eslingenſis*, filiam.

Juris ſtudioſus Tubingæ. Publicè & privatim informatus, à parentibus A.C. 1646. in Academiam *Tubingenſem* ad ſtudia continuanda miſſus, cum ibi curſum Philoſophicum abſolviſſet, Jurium ſtudiis ſe mancipavit, & de Legitimatione per ſubſequens matrimonium publicè diſputavit, Orationem ibidem de allegationibus, multis Principibus & Comitibus audientibus memoriter recitavit.

An. 1652. Comite Dom. *Johanne Friſchmanno, Argentorati* poſteà Reſidente *Gallico*, per *Hollandiam* & *Belgium* iter ſuſcepit, & cum aliquandiu *Heidelbergæ* ſubſtitiſſet, An. 1655. in patriam reverſus, mox à Senatu Advocatus, & brevi pòſt Ordinis Equeſtris in *Sueviâ* ad *Cocharam* Conſiliarius fuit declaratus. *Conſiliarius Ord. Eq. Suev.*

A. 1656. *Tubingæ* poſt habitam Diſputationem inauguralem de Jure Antichreſtico, Juris utriusque Doctor ſummâ cum laude renuntiatus, & A. 1658. patriæ Syndicus creatus eſt. *Doctor Juris Tubingæ.* *Syndicus Eslingenſis.*

14. Julii A. 1656. Nuptias celebravit cum virgine *Eliſabethâ*, Dom. Doct. *Valentini Heyderi*, J.C. & Conſiliarii *Würtenbergenſis* filiâ, quam ſterilem viduam reliquit. Vir laborioſus & judicioſus in publicis expeditionibus dexterrimus, tribus vicibus, annis nempè 1662. 1665. & 1667. Comitiis *Ratiſponenſibus*, patriæ nomine Legatus interfuit. *Conjugium iniit.* *Ter Legatus ad Comitia Ratiſpon.*

A. 1669. *Ulmam* ad Conventum ſecuritatis publicæ gratiâ inſtitutum acceſſit.

Longo demùm tempore cum malo hypochondriaco conflictatus, & lecto affixus, poſtquàm Conjugi & amicis animosè valedixiſſet, lætus generoſam exſpiravit animam 26. Junii A.C. 1672. ætatis 41. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri M. Joh. Erhardi Cellii, Paſt. Esling.*

JOH. CHRISTOPHORUS MARCI.

Obiit A.C. 1672.

L*Ipſiæ* natus eſt 6. Aug. A.C. 1614. Patre *Chriſtophoro Marci, Neoſtadienſi*, Notario publico, & 5. pagorum Academiæ *Lipſ.* adminiſtratore, Matre *Annâ, Petri Crameri*, Aurifabri *Lipſ.* filiâ.

Cum quadriennis Patrem amiſiſſet, à Suſceptore ſuo Licentiato *Cramero*, aulæ *Saxonicæ* Concionatore, ſtudiis innutritus, hocque A. 1624. demortuo, *Lipſiam* à Matre receptus, Scholam ad S. *Nicolaum* ſub Conrectore M. *Thomâ Lebzeltero* frequentavit, deindè verò ſub diſciplinâ Rectoris M. *Johannis Friderici*, Hiſtor. Profeſſ. publ. tantos fecit profectûs, ut A. 1630. in Philoſ. Baccalaureum cum aliis promotus, primum locum obtinuerit. *Philoſ. Baccalaur. Lipſiæ.*

Deindè per quadriennium adhuc ſtudia Philoſophica ſedulus tractans, auditor M. *Johannis Raſpii*, Dialecticæ Prof. M. *Hieron. Reckleblii*, Organi *Ariſtotelici* explanatoris, & M. *Andreæ Cunradi*, *Wittebergæ* poſtmodùm S. Theologiæ D. & Prof. publ. Curſum Philoſophicum omnem abſolvit, ac ſtudium imprimis Eloquentiæ, docente M. *Mich. Calerto*, poſteà Superintendente *Weiſenfelſenſi* ſedulus excoluit, duasque Diſputationes Philoſophicas, unam de Accidente prædicabili, de Loco alteram cum laude publicè defendit.

An. 1634. Gradum & titulum Magiſtri Philoſophiæ à Facultate Philoſophicâ cum *Philoſophiæ Magiſter.*

Ooooooo hono-

honore adeptus, mox commendante D. *Timaeo* Dom. *Caſp.* à *Ponikau* acceſſit, quem Cameræ *Saxonicæ* Conſiliarium, unà cum Sereniſſ. Principe *Sax.* Electorali *Hafniam* in *Daniâ* ad Sponſam Regiam profectum comitatus, 4. menſes apud eundem commoratus eſt.

Iter ejus in Daniam.

Finitis *Hafniæ* Sponſalibus, per mare *Roſtochium* diſceſſit, Doctoris ibi *Schützii* aliorumque Profeſſorum informatione uſus.

A. 1636. Studio Politico & Juridico deditus, in *Hollandiam* iter ſuſcepit, exindè *Hamburgum* regreſſus, & adoleſcentum duorum nobilium à *Brockdorff* Ephorus conſtitutus, cum iis in Academiam *Argentinenſem* An. 1640. ſe contulit, ibique quadriennium exegit, præ cœteris J.C.tis D. *Tabori* adhærens, & An. 1644. prægreſſis Examinibus conſuetis ac Diſputatione Inaugurali de *Obligatione Inſtitorum*, Doctor Juris utriusque ſolenniter renuntiatus eſt d. 28. Mart.

Ephorus Nobilium à Brockdorff.

Doctor Juris Argentinæ.

Mox diſcedens, nobiles ſuos *Lubecam* ad parentes eorum deduxit. Deindè *Brockdorfiorum* uno inſtanter flagitante, filium ejus *Lovanium*, *Brabantiæ* Academiam celebrem, deduxit, & anno ſequenti Matre nobilis ſibi concrediti poſt obitum mariti jubente, per *Galliam* cum illo iter ſuſcepit, & *Genevæ Allobrogum* per ſpatium bimeſtre ſubſtitit.

Iter per Galliam ſuſcepit.

A. 1647. Nobilem ſuum ad Matrem *Angliâ* prius perluſtratâ, *Hamburgum* reduxit, & impetratâ mox dimiſſione, finitâ duodecennali peregrinatione, *Lipſiæ* feliciter appulit.

Ibi 2. Nov. An. 1647. Subſtitutus in Scabinatu denominatus Dom. *Küleweinio* ad Conſulatum evecto ſucceſſit. Sed vix biennium in eo munere exegit, cum poſt obitum D. *Lebzelteri* inter Ordinarios in Scabinatu 4. Sept. A. 1649. receptus eſt, quo tempore ſtudioſis privatim *Weſenbecium* interpretatus eſt.

Subſtitutus in Scabinatu Lipſiæ.

Scabinatus ordinar.

An. 1654. *Chriſtianus*, Dux *Altenburgicus*, inter Conſiliarios aulicos eum recepit.

Conſil. aul. Chriſtiani Duc. Sax.

Eodem adhuc anno Conſilii aulici ſuperioris aſſeſſor denominatus, D. *Wirthio* ſucceſſit, A. 1657. Executioni Teſtamenti Electoralis à Sereniſſ. *Joh. Georgio* anno præced. defuncto facti interfuit.

Conſilii aulici ſup. Aſſeſſor.

Hoc gravi negotio feliciter expedito, Dux *Chriſtianus* eum ſibi Cancellarium deſignavit, ad quem Scabinatu *Lipſ.* reſignato An. 1661. cum familiâ ſuâ *Merſeburgum* diſceſſit.

Cancellarius Chriſtiani Duc. Sax.

A. 1667. Clementer eum vocante Electore *Joh. Georgio*, *Lipſiam* ſe contulit, & in locum defuncti *D. Carpzovii* Conſiliarius Appellationum, & Senior in Scabinatu conſtitutus eſt.

Conſil. Appellationum, & Senior in Scabinatu Lipſiæ.

Nuptias *Lipſiæ* celebravit 19. Sept. An. 1648. cum virgine *Sabinâ Eliſabethâ*, *D. Polycarpi Leyſeri*, Theol. Prof. & Superintendentis relictâ filiâ, ex quâ 5. filios & 6. filias ſuſcepit, ſed ex his filii *Polycarpus* & *Chriſtianus Benedictus*, filiæque *Sabina Eliſabetha* ac *Johanna Regina* ante Dominum parentem vitâ exceſſerunt. Superſtites verò reliquit *Polycarpum*, *Joh. Chriſtianum*, *Joh. Chriſtophorum*, *Dorotheam*, *Chriſtianam Sophiam*, *Sabinam Eliſabetham*, & *Annam Mariam* An. 1671. Dom. *Joh. Caſp. Pflaumio*, J. U. Doct. & Practico Conſilii Provincialis in *Luſatiâ* Aſſeſſori deſponſatam, ex quâ nepotem *Joban. Chriſtophorum* morti proximus cum gaudio vidit.

Conjugium ejus, & Liberi.

Intereà *Merſeburgi* cum degeret, per incendium An. 1662. exortum, non modò Bibliothecæ ſuæ ex 1200. libris conſtantis, ſed etiam omnis ferè ſupellectilis jacturam fecit.

Bibliothecam 1200. librorum incendio amiſit.

Valetudinis tandem à multis annis infirmæ causâ Medicorum ſuaſu Thermas *Schwalbacenſes* acceſſit, iisque feliciter uſus in itinere domum verſus *Hirſchfeldiæ* lethaliter per octiduum decumbens, accedente epilepſiâ, præſente filio *Polycarpo*, Spiritum Creatori reddidit 6. Sept. An. C. 1672. ætat. 59.

Hirſchfeldiæ Obiit.

* *Ex Concione fun. D. Joh. Ulrici Mayeri, Paſtor. Thomani Lipſiæ.*

JOHANNES BRUNNEMANNUS.

Obiit A.C. 1672.

Coloniæ ad *Spream*, Electorum *Brandeburgenſium* ſede, die Inſtitutionis Cœnæ Dominicæ An. C. 1608. in hanc mundi ſcenam prodiit, Parentem ſortitus, virum Reverendum M *Hieronymum Brunnemannum*, Verbi Divini Præconem, & ejus loci Inſpectorem, cujus Pater *Sebaſtianus* ibidem fidelis Eccleſiæ Miniſtri munere functus eſt. Mater illius quondam *Andreâ Berlino Rupini* Conſule nata fuit.

Filius Theologi.

Puer ſolertis ingenii viro celebri M. *Adamo Romano*, eâ tempeſtate *Colonienſis* Gymnaſii Rectori, traditus eſt erudiendus, cui in annum ætatis ſuæ 14. adhæſit.

Ingenuarum indè facultatum rudimentis probè tinctus, A. 1627. *Wittebergenſem* petiit, ubi mox anno ſequenti 1628. menſ. Octobri inter 17. Philoſophiæ Candidatos tertio loco liberalium artium Laurum adeptus eſt.

Philoſophiæ Magiſter Wittebergæ.

Poſt collatam hanc Magiſterii dignitatem, XI. Diſputationibus publicè habitis ſe clarum fecit, & Collegia diverſa Studioſis aperuit. Sed Muſis ex improviſâ peſtis contagione, & intumeſcente iſtic loci ſæviore Martis procellâ diffugientibus, in patriam remigrare, A. 1630. durum neceſſitatis telum cogebat.

Ne tamen temporis videretur prodigus, ad bonarum literarum mercatum *Francofurti ad Viadrum*, cum tribus adoleſcentibus nobilibus, quibus ut Ephorus fortè adjunctus erat, A. 1632. confluxit.

Tum protinus inter Magiſtros, quos ſolenne eſt, noſtros appellare, receptus, varia Collegia inſtituit, & 7. ordine Diſputationes habuit.

Magiſter Noſter Francofurti ad Viadrum.

Sed

Sed belli flammis & hûc ſerpentibus in vicinum *Cuſtrinenſe* munimentum ſucceſſit: deferveſcente tamen hoc impetu, non dubitavit in priora caſtra regredi, & exercitia paulò antè intermiſſa non minùs publico quàm privato ſtudio iterare.

Profeſſor Logicæ. An. 1636. Profeſſor Logices ordinarius in illâ Academiâ conſtitutus, nihil intermiſit, quod ornandæ ſpartæ ſuæ inſerviret. *Theol. ſtudio deditus, & concionatus aliquoties.* Tunc curas omnes & cogitationes ſuas in Theologiæ ſtudium contulit, & progreſsûs in eo non contemnendos feciſſe Conciones ſacræ jam aliquoties ab eodem publicè habitæ teſtantur.

Sed animadverſâ vocis ſuæ nimiâ teneritudine, & corporis vi minus conſtanti mutavit mentem, & Jurisprudentiam amplexus, *Jur. Licentiat.* protinus An. 1637. ad Licentiam in utroque Jure ſumma capeſſendi privilegia conſequendam Diſputationem *De Ceſſione Bonorum* propoſuit, Præſide ex Statutorum tenore uſus Dom. *Matthæo Coldebacio*, Facultat. Juridic. per id temporis Seniore ac Ordinario. *Juris Doctor.* Cujus ipſius manu an. ſeq. 1638. 4. Id. Januar. Doctorali infulâ ſummo omnium plauſu exornatus fuit. Conſilio denique Sereniſſ. Electoris *Brandeburgici* An. 1664. fuit adhibitus, quam provinciam in commiſſis ſibi negotiis ſummâ cum laude tenuit.

Conjugium ejus, & Liberi. Conjugii fœdus An. 1637. 7. Cal. Quintil. iniit cum virgine *Evâ Sabinâ*, jam prædicati *Matthæi Coldebacii* filiâ, ex quâ 30. annorum vitæ ſociâ filios ſuſcepit, *Johannem*, *Sebaſtianum Matthæum*, *Georgium Andream*, *Hieronymum*, & *Paulum Chriſtianum*; tum filias, *Annam Sabinam*, & *Mariam Catharinam*.

Sed ex filiis natu minimus, Legum *Romanarum* ſedulus cultor, cœteris turbato mortalitatis ordine parentum fata prævertentibus, unus ſuperſtes manſit. Filiarum natu grandior Dom. *Samueli Stryckio*, Jur. Doct. Comiti Palat. ac Anteceſſori in Academiâ patriâ nupſit.

Ad reliquam vitam quod attinet, pius erat, à mundi ſtrepitu & fumorum venditione alienus, Jus non perſonis, ſed perſonas Juri accommodans, hinc apud Theologos multos nomen J.C.ti Religioſi meruit. *J.C.tus religioſus.*

Juris Profeſſor. An. 1640. In Anteceſſorum Academiæ profectus Ordinem Inſtitutionum Imperialium Profeſſionem, An. 1646. Codicis ſuſcepit. Ordinarii verò ſpartam A. 1653. nactus eſt. Sextùm Univerſitatis Rector, vigeſimum Collegii Decanus, Juriſconſultus abſolutus omni laude major officii ſui partibus inoffenſus ad ultimum usque vitæ ſuæ terminum vacavit, ſubitâ morte *Moritur.* extinctus 15. Decemb. An. C. 1672. ætatis 64.

* *Ex Programmate funebri Rect. Francof. Joh. Chriſtoph. Becmanni, Theol. Doct. Græcæ Linguæ & Hiſtor. Profeſſoris.*

Scripta:

Scripta.

Enchiridion benè diſſerendi Artis.

Tractatus Pacis 12. Diſputationibus exornatus.

Exercitationes Juſtinianeæ.

Tractat. de Ceſſione, de Alternativis.
de Contractibus.

Gregorianorum Decretalium Libri IV. expoſiti.

Juris Civilis & Inquiſitionis Proceſſus.

Epitome Juris Eccleſiaſtici.

Præcipuæ Pandectarum Leges Collegio Textuali reſolutæ.

Imperiales Conſtitutiones præcipuæ compendioſè traditæ.

ANTONIUS GUNTHERUS BÖSCHIUS

Obiit A.C. 1673.

IN lucem editus *Ovelgonnæ*, in *Friſiâ*, 13. Decemb. An. C. 1612. Parentem habuit Dn. *Erneſtum Böſchium*, J. C. per 31. annos Comitum *Oldenburgicorum* in *Friſiâ Orientali* Præfectum *Ovelgonnæ*, Mater ei fuit *Anna*, M. *Hermanni Veldenii*, Com. *Oldenburg.* Conſiliarii Eccleſiaſtici filia.

Puer felicis ingenii, & ad literas humaniores diſcendas inclinans, domi Præceptorum privatorum inſtitutione eos brevi tempore fecit profectûs, ut à parentibus, Præceptorum ſuaſu, in Gymnaſium *Bremenſe* miſſus fuerit adoleſcens, unà cum fratre *Johanne Böſchio*, poſteà Jur. Doct. Judicii Cameræ *Spirenſis* Cæſ. Advocato, & Urbis Syndico. *In Gymnaſio Brem. diſcipulus.*

An. 1633. Academiam *Wittenbergenſem*, & An. 1636. *Jenenſem*, parentum juſſu, acceſſit, in quibus non modò ſtudium Philoſophicum abſolvit, ſed etiam Juridicum, ad quod naturæ inſtinctu ferebatur, feliciter auſpicatus eſt, idque adeò excoluit, ut dignus fuerit habitus à Dnn. Profeſſoribus, qui Doctorales honores ambiret, quos tamen certas ob cauſas accipere noluit. *Juris ſtud. Witt. & Jen.* *Doctor creari noluit.*

Poſt obitum Parentis An. 1636. unà cum fratre *Johanne* domum reverſus eſt, ſub finem ejusdem anni *Jenam* reverti cogitans.

Ambo verò propter tumultûs bellicos ſententiam mutare coacti, Academiam *Juliam* acceſſerunt, in quâ ſexennium in convictu primùm D. *Calixti*, deindè D. *Cludii* exegerunt.

Hic verò tunc temporis Jurium Candidatus eximius non modò nobilibus aliisque ſtudioſis Collegia Juridica aperuit, ſed etiam praxin exercendo civibus acceptus fuit. Ideò Sereniſſ. Princeps *Johannes Anhaltinus* in aulam ſuam vocatum *Serveſtæ* Secretarium ſibi delegit eum; quod munus tantâ cum dexteritate & fide per annos aliquot adminiſtravit, ut & Principi ſuo, ejusque Conſiliariis dilectus fuerit, iique poſtmodùm conſilium ejus *Lipſiæ* degentis ſæpiùs in arduis negotiis requiſiverint. *Secretarius Anhaltin. Serveſtæ.*

Lipſiæ Poligrammateus. Senator. Syndicus. A. 1649. à Senatu *Lipſienſi* Poligrammatei munus ſibi ſponte oblatum ſuſcepit. An. 1658. inter Senatores ibidem cooptatus, & An. 1663. Syndicus *Lipſienſis* declaratus eſt.

An. 1665. Legatus à Senatu *Viennam* ad Cæſarem ob ſeria Reipublicæ negotia miſſus, & An. 1666. *Hamburgum* tum in his locis, tum in diverſis Comitiis *Dreſdæ* & alibi habitis res ſibi demandatas ad nutum mandantium feliciter expedivit.

Conſiliarius Elect. Sax. An. 1670. Elector *Saxon.* Conſiliarium ſibi conſtituit eum, ejuſque conſiliis ſæpiùs tum *Dreſdæ* præſentis tum per literas uſus eſt.

Conjugium ejus, & Liberi. An. 1639. Conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Annâ Catharinâ*, Dn. *Henrici Boſii*, Senatoris & Mercatoris *Helmſtadii* filiâ, quæ duos ei filios & 6. filias peperit, ex quibus filius *Johannes Erneſtus* adoleſcens obiit, alter *Erneſtus Guntherus* in ſtudio Juridico Candidati titulum promeruit.

Dreſdæ tandem in Comitiis unà cum aliis Legatis Electoralibus diebus aliquot ægrotans, & fruſtrà D. *Henrici Boëzo*, Archiatri Electoralis ope medicâ uſus, viribus ſenſim *Moritur.* deficientibus, placidâ morte extinctus obiit 2. Mart. A. C. 1673. ætatis 61.

* *Ex Concione fun. D. Joh. Ulrici Mayeri, Paſtoris ad S. Thomam Lipſ.*

Obiit A.C. 1673.

CHRISTOPHORUS PHILIPPUS RICHTERUS.

EIſfeldæ in *Franconiâ* natus 26. Aug. A. C. 1602. Patrem habuit M. *Balthaſarum Richterum*, ab *Styriano Auſtriæ* ſuperioris Paſtoratu vi *Ferdinandinæ* reformationis exulem, & à Celſiſſimo Duce *Saxo-Coburgico*, Dom *Joh. Caſimiro*, *Eiſfeldæ* conſtitutum Superintendentem, ubi cum uxore *Margarethâ*, M. *Chriſtoph. Hiemeri* filiâ *Coburgi* An. 1622. mortuâ honoratam ſenectutem An. 1607. tranquillè finiit.

Adoleſcens è rudimentis pietatis & ſtudiorum humaniorum enitebatur ad am- *Coburgi in Gymnaſio diſcipulus.* plam ingenii frugem, quam protenus fovit idem, qui Patri fuerat propitius Princeps, gratuito victu *Coburgi* præbito, ubi Gymnaſtica ſtudia urgebantur. Acceſſu verò & ſtipendii *Fletnacheriani Ratisbonâ*, undè aviæ ortum repetebat, tam feliciter adolevit, ut 24. Oct. A.C. 1620. vale, publicâ pro Salutæ Rutæ *Saxonicæ* oratione, dicto, authore D. *Joh. Schadæo*, J.C. & Conſiliario *Saxo-Coburgico* cognato ſuo, ſe *Jenæ* ac ſtudiis altioribus daret.

Philoſ. Baccalaur. Jenæ. Jur. ſtud. Ibi A. 1622. Philoſophiæ Baccalaureus renuntiatus, ad Juſtitiæ ſacra tranſitum fecit, habitâ Diſputatione publicâ Juridico-Politicâ, cui D. *Guttichius*, poſteà Conſiliarius *Schwartzburgicus* præſedit.

Lue interim peſtilente per urbem graſ- *Altorſii.* ſante, *Altorfium* A. 1626. adiit, eidem paribus artibus acceptus.

Sed An. 1629. reducem J.C.torum ordo magnificus auſpicio dignitatum ſecutarum mactavit, cum habitâ ſub Præſide *Arumæo* Diſputatione Inaugurali *De Contractibus in genere*, Doctorali diademate 20. Maji An. 1630. ornavit eò nobiliore & ominoſo, *Juris Doctor Jenæ.* quod primus inter ſeptenos competitores templo prodierit.

An. 1631. Conſiliarium ſuſcepit Domina *Erdmutha Juliana*, Comitiſſa *Eberſteinia*, tunc vidua *Schenckiana*, & An. 1632. Dominus *Chriſtianus Schenckius*, *Tautenburgi* Dynaſta, quicum bello ditionem populante *Erfurti* aliquandiu vitam perincommodam toleravit.

Jenæ A. 1632. Curiæ Supremæ Advoca- *Jenæ Curiæ ſupr. Advocatus. Juris Profeſſor.* tum, & A. 1637. Profeſſorem Juris coluit, prævià Diſputatione *de Interpretatione Contractuum.* Secuta mox Curiæ ſuprema Adſeſſura fuit, & auctario incomparabili Comitiva Palatina Imp. *Ferdinandi II.* indul- *Comes Palatinus.* tu A. 1647. tributa.

A. 1659. in Ordinarii munere D. *Eraſmo Ungepauero* defuncto ſucceſſit. Rectoratum Academiæ trinis, Decanatum 18. vicibus obivit.

An. 1627. primam duxit uxorem, vir- *Conjugium ejus duplex, & Liberi.* ginem *Catharinam*, nobilis viri Dom. *Henrici Heintzii*, *Erfurtenſis*, filiam: ex quâ filium *Johannem Chriſtophorum*, & filias aliquot ſuſcepit, omnes morte præmaturâ abreptas. Una *Anna Maria* clades iſtas penſare viſa, conjunx An. 1648. data Excell. Dom. *Georgio Adamo Struvio*, J.C. Conſiliario *Saxonico*, felix natis quatuor, quorum maximus natu ſpem ſui eximiam oſtentans, in flore adoleſcentiæ *Altorfii* defecit A. 1669.

Eodem anno conjugium reiteravit cum *Clarâ*, Dn. *Melch. Hofmanni*, Salinarum *Hallenſium* Prætoris filiâ, & Dn. *Davidis Bambergeri*, Camerarii *Jenenſis* relictâ viduâ, quam ſuperſtitem reliquit.

Ex cachexiâ tandem cum vertigine & maraſmo ſenili conſumptus, exſpiravit die 31. Decemb. A.C. 1673. ætatis 71.

Scripta:

Scripta. *Opera Deciſionum & Conſiliorum Centuria.*

Tractat. de Contractibus.

de Succeſſione ab Inteſtato.

Lexicon Ethicum.

* *Ex Programmate funebri D. Johannis Muſæi, Theol. Prof.*

EPITAPHIUM:

Epitaphium.

HEUS VIATOR,
JACET HEIC UMBRA RICHTERI,
QUI TUNC MAXIME COEPIT VIVERE
CUM DESIIT.
QUOT ENIM LIBROS TOT SUI IMAGINES
RELIQUIT,
QUÆ NUNQUAM MUNDUS NISI CUM SUI
ABOLITIONE ABOLEBIT.
FILIOS LICET NON RELIQUERIT,
POSTEROS TAMEN HABEBIT INGENII VELUT
HEREDES ET DOCTRINÆ AMPLISSIMÆ.

QUOD

Quod enim Natura negavit, dedit Induſtria, ut ingenio æternus eſſet, qui sanguine non potuit.
Hæret itaque in animis Richterus, licet non in oculis imago Richteri,
Et quem hodieque docentem videmus mortuum nunquam arbitramur.
Si plura noſſe cupis,
Judex fuit re non minus quam nomine Juſtiſſimus.
Et
Ne Juris naturæ regulas frangeret Naturæ conceſſit,
Depoſuitque heic corporis exuvias.
Vivit interim Richterus ſibi ſuiſque Libris ſuperſtes.
Vivit et fama fruitur quam meruit,
Felicitate æterna, quam quæſivit.
I licet.

Obiit A.C. 1674.

CHRISTIANUS WOLDENBERGIUS.

Filius & nepos Theologorum.

NAtus eſt *Crempæ* in *Holſatiâ* 14. Octob. An. C. 1621. Patre Reverendo Viro Dom. *Nicolao Woldenbergio*, per 9. annos Paſtore in Regiâ iſtâ civitate: Matre *Margarethâ Tolliâ*, Reverendi Dom. *Nicolai Tollii*, Paſtoris *Suderovenſis* filiâ.

Avum habuit *Chriſtianum Woldenbergium*, Paſtorem Eccleſiæ *Neokirchenſis* in *Holſatia*.

Patrem ipſi præcocia fata eripuerunt, eumque inter bellicos militum Cæſareanorum tumultûs cum Matre afflictâ reliquerunt.

In Scholâ Klonienſi diſcipulus. Prima literarum fundamenta in Scholâ patriâ poſuit, in *Klonienſi* poſteà, ſub auſpicio Rectoris *Zachariæ Moſeri*, tales fecit progreſsus, ut indè ad Academiam *Lipſienſem* ablegaretur, ubi cum totum ſe ſtudio Philoſophico manciparet, ſupremum in Philoſophiâ Gradum brevi tempore eſt adeptus. *Philoſophiæ Magiſter Lipſiæ.*

Jurisprudentiæ deindè totis viribus incumbens, non modicam ejus quoque ſibi acquiſivit notitiam. Auxit eandem in multis *Germaniæ*, *Hollandiæ*, *Daniæque* Academiis, quarum præcipuè *Colonienſem*, *Lovanienſem*, *Lugdunenſem*, *Hafnienſem*, *Gryphiswaldenſem*, & *Roſtochienſem* inviſit, Clariſſimis Viris innotuit. *Jurium ſtud. in pluribus Academiis.* An. 1649. Comitiſſa *Helena de Brandeſtein* eum Præceptorem ac Ephorum filio ſuo præfecit, cui ſpartæ per aliquod temporis ſpatium egregiè præfuit, magnorumque Virorum eâ occaſione captavit gratiam. *Ephorus Com. à Brandſtein.*

Indè *Roſtochium* redux, legendo pariter ac diſputando ſuam in Jure profeſſus eſt ſcientiam. Meruit itaque Honores ſummos, quos ipſi *Gryphica* poſt peractum laudabiliter privatum publicumque Examen An. C. 1652. contulit. *Jur. Doctor Gryphiswaldæ.* Cumque de eruditione ejus abundè conſtaret, Senatus *Roſtochienſis* ipſi Profeſſionem Juris extraordinariam decrevit, ſed nonnullæ indè exortæ difficultates effecerunt, ut An. 1656. poſt fata M. *Eliæ Taddelii*, Profeſſoris Græcæ Linguæ in hujus locum ſurrogaretur, poſtquàm anno præcedente cum Virgine *Chriſtinâ*, *Vincentii Mülleri*, Conſulis olim *Hamburgenſis* filiâ, matrimonium iniiſſet. *Juris Profeſſor extraordin. Roſtochii.* *Ling. Græcæ Profeſſor.* *Maritus.* In illo ſtudio utilem per triennium præſtitit operam, talemque ſe geſſit, ut Sereniſſ. *Guſtavus Adolphus*, Dux *Mecklenburgicus*, eum ad majus honoris faſtigium evehere, eique non ſolùm Decretalium Profeſſionem conferre, ſed & Conſiſtorii Ducalis Aſſeſſorem conſtituere ſuſtinuerit. *Profeſſor Decretalium.* An. 1666. Illuſtriſſ. Comes de *Rantzov* dignitatem Comitis Palatini Cæſarei cum annexis juribus ac beneficiis ei contulit. *Comes Palatinus.*

Lithiaſi cum doloribus colicis multis retrò annis afflictus, quos hoſtes ſæpiùs felici & fideli operâ Dom. D. *Sebaſt. Virdigii*, Med. & Profeſſoris in Academ. publici profligavit, ejusque catarrho felino decumbentis loco tandem D. D *Lubbertus* Practicus ibidem feliciſſimus vices obivit, accedentibus aliis ſymptomatibus lethalibus 3. Febr. An. C. 1674. ætatis 53. invocato nomine Jeſu, placidè exſpiravit. *Moritur.*

Ingenii monumenta ab eo relicta ſunt ſequentia: *Scripta.*

De Proceſſibus Executivis Matthiæ Coleri. in 4to.

Oratio Inauguralis de uſu Græcæ Linguæ in omnibus Facultatibus, Artibus & Scientiis. in 4to.

Collegium Theticum ſuper Inſtitutiones Juris. in 4to.

Subſidium Juris, ſeu Index Interpretum & Commentatorum antiquorum & recentium maximè celebratorum ſuper 4. Inſtitutionum Libros, in & extrà Germaniam exſtantium, ad hæc noſtra uſque tempora productus. in 4to.

Oratio Inauguralis de Origine, progreſſu, & uſu Corporis Canonici. in 4to.

Principia Juris Romani, id eſt, Leges Draconis & Solonis, Leges Romuli, & Leges XII. Tabularum, ſecundùm ordinem à Pandulpho Prateio & Juſto Lipſio obſervatum. in 4to.

De vitâ & honeſtate Clericorum. in 4to.

Axioma Juris univerſi tam Civilis quàm Canonici. in 12mo.

Diſputationes publicè habitæ, de Infamiâ, ſeu de his, qui notantur infamiâ: de Injuriis & famoſis libellis: de novo anno, ſeu oblatione votorum.

Micarum Juris manip. 3.

De numeris utriusque Juris.

* *Ex Programmate Rectoris Roſtoch. D. Georgii Radovli, Jur. Prof. publ.*

JOHANNES PHILIPPI.

Obiit A.C. 1674.

NAtus eſt *Lignitii* 9. Martii A.C. 1607. ex *Joſiâ Philippi*, Cive loci illius primario, & prædio *Waldavienſi*, quod ad Cameram Principalem ſpectat, ab Actis Eccleſiaſticis & Civilibus: Matre *Urſulâ*, ex vetuſto *Cloſſiorum* genere oriundâ.

In Scholâ Lignicenſi diſcipulus.

Cum Patrem in tenerâ ætate amiſiſſet, in Scholâ *Lignicenſi* dextros formatores nactus eſt *Bartholom. Kemium*, Rectorem, M. *Leonhardum Baudiſium*, Conrectorem, & *Henric. Bachmannum*, Collaboratorem, tamque feliciter in annum usque decimum tertium profecit, ut magna tum ſpes de futuris ejus ſtudiis conciperetur.

Condiſcipulus Nobilium à Zedlitz.

Etenim cum Ducis *Lignicenſis* Conſiliarius intimus, *Chriſtoph. à Zedlitz*, binos ex Pedevterio dicto adoleſcentes præoptaret, qui cum Filio ſuo cognomine in literis imbibendis concertarent, non alium ex conferto diſcipulorum grege quàm hunc *Philippi*, præter Nobilem alium in eodem ludo edoctum, conſortio *Zedlitiano* dignum habuerunt Præceptores. Condiſcipulatu hoc per triennium uſus, eos ſub *Barthol. Kirchneri* moderamine in linguis ac Philoſophiâ progreſsûs fecit, ut cum A. 1622. Gymnaſium *Eliſabethanum*, quod *Uratislaviæ* floret, ſubiret, Claſſi principi inſertaretur mox, ſtudiisque Academicis à M. *Pollione* & M. *Eliâ Majore* non longo temporis ſpatio præpararetur.

Diſcipulus in Gymnaſ. Eliſabeth. Uratislaviæ.

Lipſiæ ſtudioſus Philoſoph.

Biennio enim nec dum finito Academiam *Lipſienſem* petiit, cumque in ipſa Juris adyta penetrare animum induxiſſet, periorem Philoſophiæ cognitionem præſtruxit, celebratis tum L. *Schneideri*, L. *Corvini* & M. *Mülleri* Profeſſorum publ. Acroaſibus, tum M. *Aviani* Facultat. Philoſoph. Aſſeſſoris Collegiis Panſophicis, deindè ad pedes J.C.rum incomparabilium *Sigismundi Finckelthuſii*, *Wilhelmi Schmuccii*, *Johannis Bohemi*, *Bartholomæi Golnitzii*, & *Davidis Lindneri* conſidere cœpit, eamque ſibi Jurisprudentiæ ad annum usque 1631. ſupellectilem comparavit, ut aliis viam ad arcem Themidis oſtendere potuerit.

& Jurisprudent.

Ephorus Baronis à Reichenberg, & multorum nobilium.

Eodem anno vocatus in patriam, mox à Principe *Lignicenſi*, Baroni à *Reichenberg* tunc minorenni præfectus, nec exili ab eo Salario fuit cumulatus.

Hâc Ephoriâ cum ex voto Principis perfungeretur, 25. alii Nobiles generoſi ad annum usque 1635. commiſſi ſunt ipſi, tamque præclarè & laudabiliter ab eo informati, ut ſummis in *Sileſiâ* muneribus admoveri quiverint.

An. 1636. Inſpectionem nobilium juvenum *Caroli Sigismundi* & *Wenceslai à Stentſch*, nec non cognati eorundem *Georgii Abrah. à Dyren* ſuſcepit, cumque illis almæ *Lipſienſi* redditus ad praxin Juridicam pedem movere incepit, *Daducho* uſus *Quirino Schachero*, J. C. celebri.

An. 1637. Ad Parentem reductis, quibus præfuerat hactenus, Nobilibus in Academiam *Jenenſem* abiit, actuque tam tentaminis, quàm examinis rigoroſi exantlato, habitâque de *Curatore Bonorum* ſolenni Diſputatione 30. Nov. ſupremum Jurisprudentiæ apicem retulit.

uris Doctor creatus Jenæ.

Conjugium ejus, & Liberi.

Lipſiâ mox repetitâ, maritali fœdere ſibi devinxit virginem *Mariam, Davidis Bockii*, Mercatoris filiam 28. Febr. An. 1638. factus ex eâ pater 6. filiorum, *Chriſtiani*, March. *Durlachio Badenſis* Secretarii, *Joh. Davidis* caſtra *Gothorum* bellica ſectantis, *Joſiæ* & *Friderici*, J.U.C.ultorum, *Sigismudi* item ac *Theodori*, in Scholâ *Portenſi* literis operam navantium: & filiarum binarum *Mariæ Dorotheæ* in viridi ætate extinctæ, & *Johannæ Mariæ*, Dom. *Wilhelmo Romano*, Jur. Doct. Curiæ ſupremæ, & Conſiſtorii Advocato A. 1668. nuptæ, ex quâ tres nepotes & duas neptes vidit.

Socer Wilhelmi Romani, J. C.

Cum in foro aliquantiſper ſe *Roſcium* exhibuiſſet, An. 1644. Synedrii Eccleſiaſtici, & an. ſubſecuto Curiæ ſupremæ Advocatus Ord. conſtitutus fuit.

Curiæ ſupremæ Advocatus.

Sed ne ſtudioſæ juventuti deeſſet, non pigratus eſt deſideria illius quà publicis quà privatis Operis, quas Diſputationes non paucæ adhuc conteſtantur, explere. Quæ diligentia ſingulari extraordinario prœmio mactata eſt.

Etenim cum nemo ad Collegiaturam aſpirare in almâ *Lipſienſi* queat, niſi Magiſter noſter, isque publico Diſputationis præſidio Nationalibus beneficiis veluti initiatus, *Philippi* quamvis Magiſtrorum *Lipſ.* Ordini non adſcriptus, ſpeciali tamen Sereniſſ. Electoris mandato munitus, poſt Diſputationem cum laude habitam, Collegiatis annumeratus eſt in Collegio Beatæ Virginis *Sileſiacæ* Nationis proprio.

Collegiatus Collegii Beatæ Virginis Nationis Sileſ.

In hâc Collegiaturâ vices Præpoſiti non ſemel obivit.

An. 1648. Senatoris *Lipſienſis* & Conſiliarii axiomate ornatus, & An. 1654. Curiæ Provincialis in infer. *Luſatiâ* Aſſeſſoribus, & An. 1657. quo ex Facultate Juridicâ exeſſe cœpit, Scabinis *Lipſienſibus* ab Electore *Saxon.* accerſitus eſt.

Senator Lipſ.

An. 1651. Comitivam Palat. à Cæſareâ Majeſt. obtinuit.

Comes Palatinus.

An. 1652. Magiſtratus Academicus in humeros ejus unanimibus Nationum ſuffragiis conjectus.

Rector Acad.

A. 1642. Cum Rector Academiæ magnificus *Henricus*, *Ruthenorum* Juniorum in *Plauen* Decimus, fuiſſet electus, Prorectoratum feliciter adminiſtravit.

Prorector.

Tandem cum per anni ferè ſpatium lecto fuiſſet affixus, viribus ſenſim decreſcentibus, 21. April. die A.C. 1674. placido ſomno correptus, hoc veluti molli vehiculo in vitam alteram tranſivit, cum in hâc exegiſſet annos 67.

Moritur.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Uſus Practicus Inſtitutionum Juſtin. in 4to.

Tractatus de Subſtantiationibus. in 4to.

Obſervationes ex Deciſionibus Elect. Sax. in 4to.

Conſiderationes Juridicæ in Proceſſum judiciarium Saxonicum. in 4to.

Diſputationes de Obligationibus in genere: de Carceribus: de Curatione bonorum: de eo, quod intereſt.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Lipſ.*

ERNE-

Digitized by Google

Obiit A.C. 1674.

ERNESTUS CREGEL.

PRimam lucis uſuram A. C. 1628. vigiliis præeuntibus Feſtum Converſionis S. *Pauli* largita eſt patria *Ulza Luneburg.* Ducatûs oppidum. Patrem habuit Virum Reverendum M. *Heinonem Cregelium*, Sereniſſ. Principum Dnn. *Friderici* & *Chriſtiani Ludovici*, laudatæ jam Civitatis Hanſeaticæ Præpoſitum, nec non vicinarum 20. & amplius Eccleſiarum à multis annis Superintendentem, ſimul redituum eccleſiaſticorum ibidem ſupremum Inſpectorem: Matrem ex nobili *Wilhelmorum* familiâ natales habentem,

Filius Theologi Brunsvic.

Avus ejus paternus *Johannes Cregel*, Civitatis *Walsrad*, in Ducatu *Lunæburg.* Conſul fuit.

Adoleſcens à parentibus in Præceptorum cum privatorum tum publicorum Scholas dimiſſus eſt, earum literarum eruditione formandus, è quarum venis latentia reconditæ prudentiæ & virtutis metalla aliquando effodere poſſet: ad quod inſtitutum laudabile præ aliis operam attuliſſe, celebratur Philologus & Philoſophus inſignis M. *Daniel Papendorf*, Scholæ patriæ Rector.

Diſcipulus Gymnaſii Lubec.

E paternis autem laribus emitti deſiderans, *Lubecam* conceſſit, inter diſcipulos iſtius Gymnaſii nomen profeſſus, & honeſtâ ambitione æmulantium ſtudia ita accendens, ut intra biennium Linguæ Latinæ & Græcæ ligato pariter & ſoluto ſermone conſtantis peritiam ad ſpem tollere effingendæ eloquentiæ auderet.

Eo ſucceſſu induſtria iſta juvenilis mactata fuit, ut pòſt in luce publicæ Profeſſionis collocatus ſeveritatem laborum jam pangendo carmine, jam detexendâ Oratione temperaret, nec vulgarem eloquentiæ gloriam aſſequeretur.

Subacto ita animo ad recipiendam gravioris ſapientiæ ſementem aditus ad *Roſtochienſem* Academiam ipſi patefactus eſt operâ Excellentiſſ. Dom. *Auguſti Varenii*, Theol. Doctoris, & Prof. ibidem publici, ſimulque in Conſiſtorio Eccleſiaſtico *Mecklenburgenſi* Conſiliarii, qui *Cregelii* ſororem tum in matrimonio habebat.

Roſtochii ſtud. Theologia.

Attulerat eò animum Sacrarum literarum ſcientiâ flagrantem, ſed dum in linguis ac ſtudiis ſacris vigilaret, omneſque nervos intenderet, affertur domo triſtis nuntius, paternos penates juxtà cum omni ſupellectile domeſticâ & librariâ *Vulcani* furore vaſtatos eſſe, ſpemque adeò luculentam convertendi in uſum ſacrum bibliothecam locupletiſſimam in fumum abiiſſe.

Ipſe verò de pietate quidem nihil remiſit, ſimul tamen ex erepto tam nobili comparandæ eruditionis Theologicæ inſtrumento augurium cepit de ſanctâ DEI voluntate in juris & æqui Sacerdotem ſeſe commutare decernente.

Nec falſum augurio fuiſſe, eventus docuit. Poſtquàm enim artis ejus elementa primùm in *Roſtochienſi*, uſus potiſſimùm informatione Dn. *D. Schnobelii*, deindè *Lipſienſi* Academiâ fideliter hauſerat, demùm excitatus famâ Univerſitatis *Altorfinæ*, cum ſe eo recepiſſet An. 1651. tradidit ſe in diſciplinam cum aliorum Juriſconſultorum, tum ſuper æthera noti *Ludwelli*, eique non tantùm auſcultando ſedulam operam dedit, ſed etiam in frequentibus diſputationum quà privatarum quà publicarum exercitiis eam induſtriam non modò Commilitonibus, ſed etiam juſtis iſtius Facultatis Arbitris approbavit, ut dignum, præſertim poſt exantlata certamina in conſuetis examinibus, & habitam An. 1654. ipſis vigiliis feſti Academici *Petro Paulini* Diſputationem inauguralem, pronuntiarent, cui collatis ſolenniter Doctoris inſignibus poteſtas publicè in Academiis docendi, & foris de Jure cauſas agendi concederetur.

Altorfii Jur. ſtudet.

Negotium iſtud tam feliciter ceſſit, & eodem anno, interpoſitâ commendatione *D. Ludwelli*, à quo Filiali affectu ad ultimum vitæ terminum colebatur, à Nobiliſſ. Senatu *Noribergenſi* extrà Ordinem Juris Profeſſor publicus deſignaretur (cum ſeqq. annis in numerum profeſſorum Ordinariorum & Conſiliariorum Reipublicæ *Norimb.* cooptaretur) & demum 11. Decemb. ejusdem anni non Themidis tantùm, ſed etiam ſtatim ab acceptâ infulâ Doctorali Junoniis ſacris in fidelium cœtu initiaretur, ductâ in conjugium Matronâ ornatiſſimâ *Magdalenâ*, Dom. *Johannis Kobii*, Jur. Doct. & Profeſſoris publici filiâ unicâ, eo tempore Viduâ Nobilis Viri Dom. *Hieron. Ant. Welſeri*, Patritii *Auguſtani*.

Juris Doctor & Profeſſor extraordinarius & ordinarius.

Conſiliarius Reip. Norimberg.

Und die Doctor & Maritus.

Ita bonis ominibus vitam Profeſſionis Academicæ cum maritali ſociavit, ut dum in illo docendi officio bonâ fide ad annum quaſi vigeſimum fungeretur, in hâc nunquàm ſe ſatis, quod Poëta ait, didiciſſe putaret.

Intereà magiſtratûs Academici ſceptra communibus Collegarum ſuffragiis oblata binâ vice geſſit, acer diſciplinæ cuſtos, & protervæ barbariei cordatus hoſtis, cum comitate magnificus.

Bis Acad. Altorf. Rector.

Decanatum legum ordine ad ſe devolutum ſepties adminiſtravit, cumque haud exiguo Candidatorum numero circumfluentem, nullum tamen fœcundiorem, quàm quo gaudere ipſi An. 1671. licuit, quando 8. Candidatis Juris ſcientiâ conſpicuis Doctoralem tiaram impoſuit: quæ felicitas nulli unquàm ejus facultatis Decano à conditâ Univerſitate obtigit.

Decanus ſepties.

Octo Juris Doctores und vice creatus.

Cum tandem ab aliquot annis cachexiâ ſcorbuticâ laboràſſet, erumpente pòſt in tumorem crurum, ac abdominis, adeò, ut difficilem redderet inceſſum, donec prava humorum internorum diſpoſitio hydropem generàſſet, cum ſubindè familiariter uteretur lectione libellorum ad firmandam pietatem efficacium à J.C.tis *Joach. Beuſtio* & *Georg. Richtero* ſcriptorum, iter præcaciuncu-

Hydropicus.

Digitized by Google

Moritur. ciunculas, à privigno *Hieron. Felice Welſero* ſuggeſtas, ſpiritum Creatori reddidit 16. Julii A.C. 1674. æt. 46.

* *Ex Programm. fun. Jac. Pancratii Brunonis, M. Doct. & Rect. Altorf.*

Ingenii monumenta reliquit:

Scripta. *Diſputationes: de Diſpenſatione pœnarum: de Juſtitiâ & Jure: de Lege Regiâ Romanorum: de Juris Retorſione: de Juriſdictione foreſtali: de Differentiis Juris Civilis & Municipalis.*

Obiit A.C. 1674.

DANIEL VELINX.

FRancoburgi, in *Pommeraniâ* anteriori, Patre *Adriano*, Conſule, natus die 24. Januar. An. C. 1623. literarum fundamenta poſuit in Gymnaſio *Gryphiswaldenſi* & *Dantiſcano*.

In Academiâ poſtmodùm *Roſtochienſi* ſtudio Juris incubuit, *Bremam* tandem ſe contulit.

Exindè Comitibus *Hoënloicis* in Schillingsfürſt inſerviit, mox verò prægreſſâ vocatione in aulam *Haſſo-Caſſelenſem* migravit, ubi auditoris militaris & Præfecti *Ordingenſis* munere functus eſt, usque ad Pacem *Germaniæ* reſtitutam. *Auditor militaris.*

Tunc An. 1649. *Heidelbergæ* Secretarii munus ab Elect. *Carolo Ludovico* ſibi delatum per octennium, ac deinceps Protonotarii vices novennio fideliter obivit. *Secretarius & Protonotarius Elect. Palat.*

Demùm An. 1666. à Sereniſſimo Electore inter Conſiliarios Regiminis cooptatus eſt. *Conſiliarius Regiminis.*

Intereà 19. Octob. An. 1649. nuptias *Heidelbergæ* celebravit cum virgine *Brigittâ Mariâ*, Dn. *Johannis Melchioris Meyeri*, Eccleſiæ *Francothalenſis* Paſtoris, & anteà Inſpectoris *Boxbergenſis* filiâ: ex quâ 3. filios & 5. filias ſuſcepit, ſed duos modò filios totidemque filias reliquit ſuperſtites. *Conjugium iniit.*

Podagricis tandem doloribus & maraſmo conſumptus, in Chriſto exſpiravit 1. Dec. An. C. 1674. ætat. 51. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri Johannis Laurentii Salmuth.*

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

DE

Digitized by Google

DE VITIS
VIRORUM ERUDITIONE SINGULARI CONSPICUORUM
PARS TERTIA,
Continens
MEDICINÆ
DOCTORES ET PROFESSORES, ARCHIATROS, BOTANICOS, CHIRURGOS, CHYMICOS &c.

Obiit A.C. 1270.

THADÆUS FLORENTINUS.

BOnoniæ Medicinam docuit amplo honorario, tantâq; omnium opinione, ut ſecundus *Galenus* illo tempore prædicaretur. Obiit A. C. 1270. & *Bononiæ* in templo *Dominicanorum* ſepultus jacet. *Galenus Bononienſis. Moritur.*

Scripſit:

Scripta.
In Aphoriſmos Hippocratis.
In Prognoſtica ejusdem.
In Artem parvam Galeni.
De tuenda ſanitate Lib.
Conſilia contra varias ægritudines.
In Libr. Hipp. de ratione victûs in acutis.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

Obiit A.C. 1300.

DINUS DE GARBO.

FLorentinus, Patrem habuit *Brunonem*, Medicinæ, quæ manu medetur, peritiſſimum. *Thadæum Florentinum* audivit, à quo eruditus juvenis admodùm in III. & IV. *Fen Avicennæ de Chirurgiâ* ſcripſit. Docuit *Bononiæ* extra ordinem, deindè propter tumultûs belli *Senas* ſe recepit. Compoſito tandem bello rediit *Bononiam*, & obiit circa An. C. 1300. *Filius Chirurgi. Medicinæ Profeſſor Bononiæ. Moritur.*

Scripſit:

Scripta.
In Lib. Galeni de malitiâ complexionis variæ.
In Lib. Hipp. de naturâ fœtûs.
Diverſarum Quæſtionum Lib.
De Ponderibus & Menſuris Lib.
De Cœnâ & Prandio Epiſtolam.

Filium habuit *Thomam de Garbo*, qui paterni ingenii hæres in ejusdem quoque Profeſſionis decus vixit, & claruit A.C. 1346.

Scripſit hic *Summam Medicinæ*, & *reductionem Medicamentorum ad actum*. *Scripta filii.*

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

Obiit A.C. 1305.

BERNHARDUS GORDONIUS.

MEdicus fuit *Montiſpeſſulanæ* Academiæ ſuo tempore celeberrimus, qui poſtquàm docuiſſet annos 20. ſcribere eſt aggreſſus inſigne Volumen, cui titulum fecit *Lilium Medicinæ*, in quo univerſa medendi ratio explicatur. *Medicinæ Profeſſor Monſpel.*

Edidit prætereà:

Scripta.
Tractat. de X. ingeniis curandorum morborum.
de regimine acutorum ægritudinum.
de Prognoſticis.
de Urinis, & Pulſibus.
de conſervatione vitæ humanæ à die nativitatis usq; ad ultimam horam mortis.

Obiit circa An. C. 1305. *Moritur.*

* *Ex Vitis Medicorum illuſtrium Petri Caſtellani.*

* * *

In ſuo *Lilio Medicinæ* quædam Aſtrologica ad Medicum attinentia tractat de *Prognoſticis particulâ 5. cap. 6. & ſeqq. teſte Joh. Antonio Magino*, *in Præfat. Medicinæ ſuæ Aſtrologicæ.*

Obiit A.C. 1310.

GENTILIS FULGINAS.

SIve de *Fulgineo*, natione *Peruſinus*, magni nominis Medicus, & *Avicennæ* enarrator accuratiſſimus, Vitâ exceſſit fermè octogenarius circa An. C. 1310. *Bononiæ*, ibidemque apud Patres *Dominicanos* ſepultus jacet. *Medicus Peruſinus. Moritur.*

Digitized by Google

Scripſit:

Scripta.

Commentar. in Avicennæ Canones.
De diviſione librorum Galeni.
Conſilia varia.
Tractat. de proportionibus Medicinarum miſcendarum, & de ratione inveſtigandi temperamentum earum, & doſin.
Tract. de Peſte.
Tractatus II. de Balneis.
De Febribus Lib.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

Obiit A.C. 1315.

RAIMUNDUS LULLUS, vel LULLIUS.

Diſcipulus Arnoldi Villanovani.

IN Inſulâ *Hiſpaniæ Majoricâ* circa An. C. 1235. natus, *Arnoldi Villanovani*, Præceptoris ſui, Alchimiæ peritiam tumulatam ingenii ſui acumine & induſtriâ, velut ab inferis revocavit.

Conſtans apud *Hiſpanos* eſt fides, eum 30. ætatis anno, relictâ uxore cum liberis, ſe totum impendiſſe Chriſto Jeſu, cujus nocturnâ ſemel apparitione illectus fuerit. Hinc inter *Franciſci* Patres tertii Ordinis cucullatus eò cogitationes omnes & conatûs ſuos retulit, ut Chriſtianæ religionis dogmata remotiſſimis etiam diffunderet gentibus, quo nomine *Romam* octies ſe contulit, opem ſibi à Summo Pontifice ad præclari facinoris progreſſum imploraturus.

Monachus S. Franciſci.

Eodem pietatis ardore in *Africam* tranavit, & in nefariam *Mahometanorum* ſectam acriter invectus, multos ad Chriſti cultum pertraxit, ut à *Thracibus* idcircò Regibus pluries carceris, nonnunquàm verborum pœnâ mulctatus fuerit.

Africanos ad Chriſtum convertit.

A. C. 1311. Generali Concilio S. P. *Clementis V. Viennæ* agitato interfuit. Indè rurſus A. 1313. in *Africanos*, condito priùs Teſtamento, trajiciens, quo Verbi Divini lucem caliganti inferret mundo, Regis *Bogiæ* juſſu, inſtar Protomartyris *Stephani*, lapidum grandine obrutus obiit An. C. 1315. ætatis 80.

Martyr in Africâ lapidibus obrutus.

Hoc defunctum martyrio cum *Genuam* deferre vellent *Ligurum* mercatores, ventorum acti turbinibus, in *Baleares* inſulas exportârunt, ubi Corpus ejus in S. *Franciſci* Templo repoſitum quieſcit.

Referunt quidam, pilas aliquot æreas ejus operâ in auri ſubſtantiam verſas, in Regis *Britanni* atrio aſſervari.

Chryſopæus fuit.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

De Secretis naturæ.
De Chymiâ.
De Conſervatione vitæ.
Arbor Scientiæ.
Codicillus, ſeu Vade mecum.
Secreta Secretorum.
Faſciculus aureus, in quo continentur, *Compendium de animæ metallorum transmutatione, de compoſitione gemmarum, Medicina magna &c.*

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

* * *

Raimundus Lullus, natione *Cathalaunus*, Inſulæ *Majoricæ*, quæ inter *Baleares*, incola, ex nobili familiâ *Lullorum Barcinocenſium* ortus, primò liberis operam dedit: Præceptore uſus anteà, ut putatur, *Arnoldo Villanovano*.

Conjugatus.

Laborante graviter uxore, magnum dolorem accepit, ut vix apud ſe eſſet, & hominum commercia deteſtaretur: quo tempore ei Chriſtum crucifixum apparuiſſe ferunt: vocari igitur ſe credens eo ſpiritu & authore, qui ſolo tactu de Citharœdo Prophetam, de Piſcatore Prædicatorem, Doctorem de Perſecutore, & de Publicano Evangeliſtam fecit, de monaſticâ vitâ ſeriò cogitabat.

Anno itaque ætatis 30. relictâ uxore cum liberis, quæque illis neceſſaria videbantur, reliqua in pauperes erogavit, & tot infidelium vicem dolens, qui idololatriâ terrebantur, longam variamque peregrinationem diſcendæ linguæ *Arabicæ* ſuſcepit, & totos 45. annos peregrinatus, in infidelium converſione verſabatur; octies Summos Pontifices adiit, rogavitque, ut ſe in tam ſancto propoſito adjuvarent: tres Prædicatorum & totidem *Franciſcanorum* Generales Conventûs monuit de Fidei apud Barbaros propagatione, & Concordiâ inter Principes Chriſtianos componendâ. Lapidibus tandem obrutus in *Africâ* obiit A. C. 1315. ætatis 80.

Uxorem cum liberis propter Chriſtum deſeruit.

Fit Martyr.

Scripſit varia, quorum pleraque à Sectatoribus fuiſſe ſcripta, ſuſpicio eſt: non deſunt enim, qui ſuprà 500. *Raimundi* Volumina ſe legiſſe affirment, quibus alii mille addunt.

Habuit Sectatores plurimos, inter quos fuerunt *Pariſiis Jacobus Faber Stapulenſis*, & *Carolus Bovillius Samorobrinus*: in *Germaniâ Henric. Cornelius Agrippa*, J.U.D. & *Andreas, Petrus, Jacobus Canterii* Fratres *Friſones*.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum.*

* * *

In Inſulâ *Majorcâ*, *Hiſpanis* adjacente, ad Orientem inſignis civitas eſt, nomen totius Inſulæ præferens, quam *Palmam* veteres dixerunt. Hinc oriundus fuit *Raimundus Lullius*, propriæ ac ſingularis tum Philoſophiæ, tum Medicinæ, ac propemodùm Theologiæ auctor, vir ſuâ ætate celeberrimus, vocatus à nonnullis Doctor illuminatus. Ex ejus Scriptis fatetur *Jacobus Stapulenſis* plurimùm ſe profeciſſe.

Philoſophus, Medicus, & Theologus ſingularis.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum* Joh. *Andreæ Quenſtedii.*

* * *

Caſp. Cunradus, Med. D. in *Proſopographiâ Melicâ* hoc *Lullium* honoravit diſticho:

Lullius ingenio per ſumma per ima vagatur,
An Lapidem cenſes hunc reperiſſe Σοφῶν?

PETRUS

Obiit A.C. 1316.

PETRUS APONENSIS.

Natus eſt in vico *Abano*, Urbi *Patavinæ* vicino, Patre *Conſtantio* de *Abano*, Notario publico, A. C. 1250.

Medicus, Aſtrologus, & Philoſophus. Philoſophus, Medicus & Aſtrologus clariſſimus, herbarum & lapidum virtute, certo cœli aſpectu & ſtatis horis utens, faſcinare homines credebatur. Philoſophiam cum Medicinâ, & Aſtrologiam cum naturali Magiâ arcto vinculo copulans, *Conciliatoris* nomen ſortitus eſt. *Conciliator vocatus.*

Lac naturâ ſic abhorruit, ut nec illud comedentes ſine nauſeâ aſpicere poſſet, teſte *Marcello Donato*, & *Matth. de Gradibus*.

Ejus avaritia. Narratur de eo, quod nunquàm vocatus valetudinis curandæ gratiâ ad ægros extrà Urbem *Bononienſem* prodierit, niſi conſtituto ſtipendio dietim 50. Coronatorum: & cum ad Summum Pontificem *Honorium IV.* aliquando ægrotantem accerſeretur, pactum priùs & ſingulis diebus ſoſtri loco 400. Coronatos.

Moritur. Ad ſtudia ortus, inter ſtudia tandem obiit A.C. 1316. ætatit 66.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini, & aliis autoribus.*

* * *

Patavio, veteri & illuſtri *Italiæ* civitate, prodiit vir ſublimis & ingenii, & Philoſophiæ ac Medicinæ famâ clarus. Docuit *Bononiæ* non ſolùm eximiâ doctrinæ opinione, ſed tanto etiam artis uſu celebris, ut ex omnibus *Italiæ* locis ad ægros evocaretur, etſi non minoris quàm pacta 50. florenorum in ſingulos dies mercede ſuam operam locaret. Quin etiam ab *Honorio*, Pontifice Maximo 100. in dies ſtipulatus, ſanitate feliciter reſtitutâ mille accepit. *Medicinæ Profeſſor Bonon.*

Magiæ ſuſpectus. Tandem circa annum ætatis 80. magiæ ſuſpectus, à Quæſitoribus ſacrarum cognitionum in jus vocatus eſt, ſed pendente lite mortuus An. C. 1305. ut author eſt *Bernardus Scardeonus, lib. 2. Claſſe 9. Hiſtoriæ Patavinæ.*

In effigie poſt mortem combuſtus. Nec ſic tamen è manibus Judicum elapſus, in effigie ſupplicium tulit, quæ *Patavii* in foro, lectâ condemnationis ſententiâ, flammis tradita ſeveræ animadverſionis exemplum præbuit.

Scripſit:

Scripta.

In Problemata Ariſtotelis.
Libros differentiarum.
De Venenis.
Libr. de omnimodâ Medicinâ ad Pontif. Johannem XXII.
Librum Meſuæ in affectibus Cordis deſinentem ad calcem usque perduxit.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

* * *

In unâ portarum Prætorii *Patavini* ſtatuæ ejus lapideæ hæc leguntur ſubſcripta:

PETRUS APONUS PATAVINUS, PHILOSOPHIÆ MEDICINÆQUE SCIENTISSIMUS, OB IDQUE CONCILIATORIS COGNOMEN ADEPTUS: ASTROLOGIÆ VERO ADEO PERITUS, UT IN MAGIÆ SUSPICIONEM INCIDERIT, FALSOQUE DE HÆRESI POSTULATUS ABSOLUTUS FUIT.

JOHANNES ANGLICUS,

Clar. A. C. 1320.

A Patriâ ſic dictus, Medicus fuit Empiricus, autor operis, quod vocat *Roſam Anglicanam*. Eſt autem Medicinæ Practica à capite ad pedes, ab univerſalibus morbis ad particulares procedens, teſte *Geſnero in Bibliothecâ.* *Medicus Angl.*

Claruit circa An. C. 1320. *Moritur.*

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

ARNALDUS VILLANOVANUS.

Obiit A.C. 1363.

Portentoſi vir ingenii veterum novatorum maximus fuit, quem ſibi civem *Galli* certatim & *Hiſpani* vendicant, quod & *Hiſpaniæ* tractu, qui *Aragoniam* pertingit, & in *Narbonenſi Galliâ* oppidum, quod *Villanovam* vocant, inveniatur. Sed potior eſt *Gallis* gloria non unius ætatis curriculo confirmata. *Ex oppido Galliæ Villanovâ ortus.*

Is licet obſcuris ortus laribus, excellenti tamen mentis indagine naturæ operum ſcrutator acerrimus, *Europam* ſuo nomine complevit, Medicinam Aſtrologiæ & intimiori cuidam Philoſophiæ perpetuò jungens.

Culpandus tamen fuit, quod medicam officinam ſuperſtitioſis præſidiorum cumulis perfundere non eſt veritus, dum ſigillorum & characterum impreſſiones, utpote morbis profligandis idoneas, in opuſculo de ſigillis temerè approbavit. *Superſtitioſus characterum impreſſiones approbavit.*

Tantâ in flore juventæ ſciendi exarſit cupidine, ut auri conficiendi methodum, quam Alchimiam nuncupant, optimè aſſecutum *Johannes Andreas*, Juriſconſultus, in titulo de Crimine falſi teſtetur.

Hujus Artis exiſtimatione *Lutetiæ Pariſiorum* Medicinæ praxin celeberrimâ auditorum frequentiâ tradidit. *Petrus* tamen *Aponus*, metallorum transmutationem humanis ſubditam viribus inficians, acumine ſcientiæ ac diſputationum frequentiâ cœteris ejus ævi medicis eminebat. *Arnoldus* Medicinæ uſu magis enituit. Indè factum, ut cum artium Magicarum fortè reus habitus ſe ad *Siciliæ* Regem *Federicum* perfugii gratiâ transtuliſſet, à Summo Pontifice morbo tunc gravi laborante, inter omnes *Italiæ* Medicos ad ſui curationem delectus fuerit. At ex peregrinationis incommodis ſenio gravis occubuit *Genuæ* An. 1363. ubi adhuc marmoreum ipſius viſitur monumentum. *Ad Summum Pontificem curandum accerſitus.* *Mortuus eſt Genuæ.*

Quidam eum lubentem ultrò fatis defunctum aſſerunt, quod pravo quodam ſenſu Antichriſti horrebat adventum, quem

ex ſacris Bibliorum traditionibus tum Orbi celerrimum fore prænuntiabat.

Fertur etiam pro hæretico damnatus fuiſſe à Pontifice *Rom.* quod ſcripſiſſet, Dæmonem totum cœlum Chriſtianum aberrare feciſſe à fide Chriſti, omnes monachos eſſe extrà charitatem, Miſſam non eſſe celebrandam, nec pro mortuis ſacrificandum.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

Edidit:

Scripta. *Opera Medica & Chymica varia.*

De diverſis intentionibus Medicorum Lib. De humido radicali. Comment. & Quæſtiones in lib. Galeni de malâ temperie. De Somniis. De juventute conſervandâ & retardandâ ſenectute. De Aſtrologiâ. Tabulam Medicum informantem, quando ægritudinem ignorat. Canones ægritudinum omnium corporis humani. Antidotarium. Commentaria in Scholam Salernitanam.

De cautelis Medicorum.

Breviarium Practicæ in lib. IV. diviſum.

Parabolas Medicum erudientes.

Conſilia contrà febrem hecticam, & Podagram.

De ſignis Lepræ.

De ſterilitate tam ex parte viri quàm mulieris.

De ornatu mulierum.

De curatione calculi, catarrhi, tremoris Cordis, & Epilepſiæ.

De verà naturalis Philoſophiæ compoſitione, quem librum appellant Roſarium Philoſophorum.

Commentaria in aphor. 1. & aph. 33. ſect. 2. Hippocratis.

Tractat. de conſiderationibus operis Medicinæ.

Aphoriſmorum libros cum Commentis.

De regimine Sanitatis.

De regimine Caſtra ſequentium.

Regimen quartanæ febris.

Regulas generales de Febribus.

De Medicinarum & Ciborum naturâ.

De Vinis, & aquis medicinalibus.

De Venenis, & arte ea cognoſcendi.

De Melancholiâ ex amore.

De Theriacalibus doſibus.

De eſu carnium pro ſuſtentatione Ordinis Carthuſiani.

JACOBUS MONTECALVUS.

Obiit A.C. 1374.

EX illuſtri familiâ *Bononiæ* natus eſt, Patre *Thomâ de Flandro*, circa A.C. 1300. Juvenis Philoſophiæ ſtudiis & Medicinæ operatus tantum profecit, ut quamvis eo tempore in *Italiâ* diſcordiis preſsâ bonæ literæ exularent, ipſe ſolus & primus veræ Medicinæ viam fecerit, quam poſteà in aliis *Europæ* Gymnaſiis voce & calamo propagavit.

Primùs Medicinam docuit Bononiæ, & in aliis Gymnaſiis.

Decurionis etiam in patriâ munus eâ prudentiâ geſſit, ut poſteà Sapientis onus ex publico civium voto ſubierit, & tandem Urbis munitionibus fuerit præfectus. Ita ſenio confectus, vitâ exceſſit *Bononiæ* A. C. 1334. ætat. 74.

Decurio Bonon. *Moritur ſenex.*

Reliquit ex *Luciâ Porrettâ* filium *Thomam Montecalvum*, qui in patriâ XII. Viri & Libertatis Moderatoris dignitate perfunctus eſt.

Edidit *Commentar. in Avicennam à Jacobo Fabri plurimùm laudata.*

Scripta.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

* * *

Benedictus Morandus, eodem *Tomaſino* teſte, publicâ ad S. Pontif. *Sixtum IV.* Oratione non veritus eſt hæc de ipſo præfari: Habuit *Bononia* inter alia ſcientiarum ſidera ſtellam præfulgentiſſimam, *Jacobum Montecalvum*, Doctorem Collegiatum in Archigymnaſio *Bononienſi*, in aliiſque præſtantiſſimis *Europæ* ſtudiis publicum Philoſophiæ ac Medicinæ Profeſſorem: cui præclariſſimo Viro, ut in *Hiſpaniâ* cœteriſque *Europæ* ſtudiis accepi, præter excellentiſſima ejus Scripta, tantum fuit in Philoſophando acumen ingenii, ut alterum *Ariſtotelem*, tantaque medendi peritia, ut alterum diceres *Æſculapium*.

SIGISMUNDUS POLCASTRUS.

Flor. A.C. 1400.

MEdicus *Patavinus*, in ſenectute 4. filiis brevi tempore orbatus ſeptuagenarius, ad ſuſcitandam ſibi prolem uxorem ſecundam duxit, ex quâ 3. ei filii nati ſunt: quorum primogenitum *Antonium* doctrinæ inſulis utriusque Juris vidit de more ab ejus Præceptoribus decorari.

Medicus Patavinus. Senex admirandus.

Hieronymum verò ipſemet Laureâ Philoſophicâ cum ſummo gaudio tremulis præ ſenectute manibus exornavit, & obortis præ lætitiâ lachrymis tenerrimè oſculatus eſt. Poſt hæc autem non diu ſupervixit, annos natus 94. qui ſuprà 50. annos docuit.

* *Ex Hiſtor. Patav. lib. 2. Claſſe 9. Bernardini Scardeoni.*

Tempore Principum *Carrarienſium* floruiſſe eum in Gymnaſio *Patavino* circa An. C. 1400. refert *Antonius Riccobonus* in deſcript. Gymnaſii *Patavini*.

BONHOMUS BERNARDI.

Obiit A.C. 1401.

IN valle *Serianâ Italiæ* natus, à primâ ætate ſtudio Medico dedit operam, & tempore *Alberici Roſciati*, J. C. florere cœpit. Vir brevis ſtaturæ vulgò *Bonhominus* vocatus, vel *Benominus* virtutibus grandis apparuit, & divino præditus ingenio, in arte medicâ feliciſſimus huic Aſtrologiam conjunxit. Octuagenario tandem major, & per totam vitam ſanitate proſperâ gaviſus, *Bergami* exſpiravit 9. Maji A.C. 1401.

Bonhominus ob ſtaturæ brevitatem vocatus. Medicus & Aſtrologus. Moritur.

Petrus Paganus concivi hoc ſcripſit Elogium:

Elogium.

Bonhomi Bernardi nomen
Hominem indicat, cætera Deum:

Nec

Nec mentior quando quod Deorum eſt
Vel huic per ſuam artem licuerit,
Naturæ jura reſcindere & mortis.
Quæris cur ergò mortuus?
Æquitati, non naturæ, hoc debuit.
Ut quem Libitinæ cenſum multorum vita minuerat,
Ipſe reficeret ſuâ.
Porrò futurus immortalis,
Si quam cœteris vitam dedit
Addere vel ſuis annis potuiſſet.
At vivit adhuc,
Et cum ex cœlorum peritiâ noverit
Sydera quoq; tabeſcere, languere & mori,
Magnis illis corporibus etiam nunc medetur in cœlis.

* *Ex Scenâ literariâ Scriptorum Bergamat. Donati Calvi.*

Clar. A.C. 1410.

HELMOLDUS GLODENSTEDE.

Medicinæ Doctor. Collegii Majoris Collegiatus. *In Pragenſi Gymnaſio Philoſophiam docuit.*

NAtione *Saxo*, patria *Soltwerdelenſis*, diſciplinâ *Lipzenſis*, in Medicinâ Doctor, majoris Collegii Collegiatus, eâ tempeſtate ſua doctrina & Medicinæ peritia in pretio fuit. Qui cum eſſet in bonis artibus, & in Philoſophiâ conſummatiſſimè eruditus, nec paucis annis in *Pragenſi* Gymnaſio in Philoſophicis docuiſſet, ad Medicinæ inſignia non ſine ingenio anhelavit, perfecitque, ut *Æſculapius* apud priſcos, ita ipſe apud *Miſnæ* Marchiones in pretio eſſet. Vir ſupernumerariæ ætatis, ut ex ſenectâ, Scholaſticis laboribus effœtâ, ad puerilia rudimenta rediret.

Scripta. Scripſit in utrâque Medicinæ & artium Facultate non aſpernenda, quæ paſſim in librariâ *Lipzenſi* habentur, videlicet:

Practicæ Medicinalis lib. 1.
Regiminis ſanitatis lib. 1.
Lectura ſuper Avicennam. Et alia pleraq;.

Rector ſtudii claruit anno Domini 1410.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuriâ Joachimi Johannis Maderi.*

Obiit A.C. 1418.

VALESCUS DE TARANTA.

Medicus Monſpelienſis.

MOnſpelii circa An. C. 1382. Medicinam magnâ laude & multorum fructu inſigni facere cœpit: in quo genere ſtudii cum 36. annos continuâſſet, quæcunque & lectione & quotidianis experimentis didicerat, in unum volumen congeſſit, quod *Philonii* nomine circumfertur. Tradunt etiam, Archiatrum fuiſſe Regis *Gallorum*.

Author Philonii. Archiater Regius. Moritur.

Obiit circa A.C. 1418.

* *Ex Vitis Medicorum illuſtrium Petri Caſtellani.*

Scribit alicubi, ſe viro *Monviedri* oppido regni *Valentini* fuiſſe Abbatiſſam vetulam, cui ſubitò menſtrui fluores renovati, dentes renati, comæ denigratæ, rugæ cutis adæquatæ, mammæ pendulæ ad inſtar virgunculæ ſororiârint, ſic denique ſe toto corporis habitu juvenculam exhibuerit, ut rei novitate perculſa præ verecundiâ ſe cunctorum oculis ſubtrahere fuerit conata.

* *Ex Phyſicâ curioſâ Caſparis Schotti, Soc. Jeſu, lib. de mirabilibus hominum.*

JOHANNES MICHAEL SAVONAROLA.

Obiit A.C. 1431.

Medicus Ferrarienſis.

NAtione *Patavinus*, Eques Hieroſolymitanus, & Med. Doctor clariſſimus, *Antonii Cerniſchii* diſcipulus, *Ferrariam* ob nominis famam à Duce ad munus Archiatri vocatus, ab eoque magno ſtipendio detentus eſt, qui eò familiam ſuam tranſtulit, quæ *Patavina* cum anteà fuiſſet, abindè *Ferrarienſis* facta eſt.

Ex eâdem ortus eſt *Hieronymus Savonarola*, Monachus *Dominicanus*, ob vitæ puritatem & eruditionem ſingularis.

Moritur. *Ferrariæ* tandem vitâ exceſſit, ibique in Templo *S. Mariæ in Vado* ſepultus eſt An. C. 1431.

Scripta. Opera ab eo edita ſunt ſequentia:

Introductio Practicæ medendi, ſive de compoſitione Medicamentorum Liber. Opus ad componendas medicinas maximè idoneum.

Catalogus, continens tam ſimplicium quàm compoſitorum Medicamentorum Nomenclaturas, uſum, & ſummam.

Canonica de Febribus, de pulſibus, urinis, egeſtionibus, vermibus, & de omnibus balneis ac mineris eorum, videlicet alumine, ſale, nitro, cinere, calce, & gypſo.

De XXIV. Italiæ mineris, deq; uſu vitalis aquæ, & quomodo conficiatur.

De Balneis.

Phyſiognomiæ Speculum.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES CONCORREGIUS.

Obiit A.C. 1438.

Medicinæ Profeſſor.

MEdiolani natus, & Collegio Medicorum patriæ adſcriptus, publicam Medicinæ Cathedram *Bononiæ* primùm, deindè in aliis *Italiæ* Academiis, & tandem *Ticini* obtinuit, & magnâ cum auditorum frequentiâ Medicam artem profeſſus eſt.

Moritur. In hoc munere lectorio *Ticini* vitam finiit An. C. 1438.

Scripta. Ingenii monumenta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Tract. de Febribus.
Methodus Medendi.
Lucidarium, flos florum Medicinæ nuncupatum.
Summula de curis febrium ſecundùm hodiernum modum & uſum compilata.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES MARLIANUS.

Obiit A.C. 1438.

MEdiolani, ex nobili familiâ, natus eſt, eo tempore, quo bonæ literæ, & quo paulò antè in Arte Medicâ floruerunt *Jo-*

hannes Matthæus Ferrarienſis, & *Johannes Concorregius*.

Medicinæ Profeſſor Ticini. Philoſophiæ & Medicinæ ſtudiis addictus, & Mathematicus excellens, *Ticini* Medicinam publicè cum applauſu docuit.

In praxi felix Medici munere inſerviit *Galeatio* Vice-Comiti, ejuſque filio *Johanni Galeatio* primo Duci *Mediolanenſi*, à quo multa dona & privilegia accepit.

A *Venetis*, *Bononienſibus*, *Ferrarienſibus*, *Senenſibus*, & *Peruſinis* ad eorum Academias certatim expetitus, in patriâ tamen vitam traducere maluit, in quâ decrepitus, ſanâ corporis diſpoſitione per totam vitam præditus, mortem oppetiit circa A.C. 1438. *Moritur.*

Typis emiſit:

Scripta. *De Febribus omnibus cognoſcendis & curandis.*
De caliditate corporum.
De Antiperiſtaſi.
* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

HUGO SENENSIS.

Obiit A.C. 1438.

CApaci ingenio rerum Divinarum & medendi ſcieniam complexus, in utrâque ſic excelluit, ut in alterâ pauci. Floruit *Eugenio IV.* Pontificatum gerente, & *Ferrarienſi* Concilio interfuit.

Vir fuit promptiſſimæ doctrinæ, ut ad quasvis quæſtiones, ſive ex *Platonis*, ſive ex *Ariſtotelis* decretis peterentur, ex tempore ſe reſponſurum in nobili convivio gloriari non ſit veritus.

Philoſophiæ & Medicinæ Profeſſor Parmæ. Erectâ *Parmæ* à *Nicolao Eſtenſi* Marchione primùm Academiâ, ad docendum fuit evocatus, ut teſtatur ipſe in Procemio *Comment. in artem Galeni*.

Moritur. Obiit *Romæ* An. C. 1438.

Scripſit:

Scripta. *In primum Canonem Avicennæ.*
In Aphoriſmos Hippocratis.
In artem Galeni.
De Febribus Lib. I.
Volumen Conſiliorum.
* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

BARTOLOMÆUS MONTAGNANA.

Clar. A.C. 1440.

A Patriâ *Montanianâ*, oppido *Italiæ*, ſic dictus, excellens Philoſophus, & celeberrimus Medicus ac Chirurgus fuit, qui in Academiâ *Bononienſi* præ aliis enituit, quemque *Gerardus Bolderius*, Phyſicus olim *Veronenſis*, tantis extollit laudibus, ut immortalem ei adſcribere intelligentiam non vereatur. Alii eum alterum vel ſecundum *Hippocratem* vocant. Claruit A.C. 1440. Hunc præclarè imitatus eſt *Bartolomeus* junior, Medicinæ itidem explanator, qui obiit A.C. 1525. *Medicus Bononienſis.* *Moritur.*

Extant ejus

Scripta. *Opera ſelectiora.*
Tractatus tres: *De Balneis Patavinis.*
De compoſitione Medicinarum.
Antidotarium.
Conſilia Medica.
* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Eodem tempore floruit *Petrus Montagnana*, qui opus edidit, in quo picturis & imaginibus interiora hominis cum optimis expoſitionibus ſic effecta ſunt, ut notiora eſſe non poſſint, teſte *Paſchali Gallo* in Bibliothecâ Med.

* *Ex eodem Quenſtedtio.*

ANTONIUS GUAINERIUS.

Obiit A.C. 1440.

T*Icini*, urbe *Italicâ*, in Statu *Mediolanenſi*, Philoſophus & Medicus eximius, in patriâ Medicinæ Profeſſionem publicam obtinuit, & praxin exercuit. *Johannes Trithemius* in Catalogo ſuo Scriptorum Eccleſiaſticorum vocat eum *Gaynerum*, artis Med. Doctorem celeberrimum, in præceptis Philoſophorum nobiliter doctum, & peritiâ ſuâ Profeſſionis non mediocriter clarum. In patriâ tandem vitâ defunctus jacet in Templo S. *Michaëlis*, cum hoc Epitaphio, circa An. C. 1440. facto: *Medicinæ Profeſſor Ticini.* *Moritur.*

Epitaphium.

Hippocrates medicæ baſis Galienus, & Iſach,
Et quod Avicenna ſcivit humatur ubi.
Hâc eſt Antonius Gaynerius abditus arcâ
Philoſophus, medicæ maximus artis honos
Teſtantur plures libri, quos condidit ipſe,
Famaq́, quâ celebris par ſibi nullus erat.
Par ſibi ſola fuit veritate & nomine conjux
Antonia, ut thalami ſic tumulique comes.
Hos Deus ad cœlos exutos corpore traxit,
Ne ſuperis ſanctis tantus abeſſet honor.

Libros edidit:

Scripta. *De ægritudinibus in generali.*
De ægritudine ſtomachi.
De fluxibus.
De artheticâ in juncturis.
De ægritudinibus capitis, & matricis.
Antidotarium.
De febri.
De pleuriſi.
De paſſionibus calculi.
De Peſte, & Venenis.
D Balneis.
* *Ex Theatro Virorum doctorum Italico Hieronymi Ghilini.*

Hæc opera autoris manuſcripta D. *Melch. Sebizius*, Medicus & Profeſſor *Argentinenſis* aſſervat, teſte *Joh. Georg. Schenckio in Bibliothecâ ſuâ medicâ*.

PETRUS LEONIUS.

Obiit A.C. 1444.

ORtu *Spoletanus*, inter Medicos primus ferè prolato *Galeno*, Medicinæ limen aperuit, & in præcipuis *Italiæ* Gymnaſiis cum gloriâ Medicam Artem ex puris *Græcorum* fontibus profeſſus eſt ac exercuit. Aſtrologiæ quoque peritus, de eventu rerum graviſſimarum ſæpiùs prædicere conſuevit, & ad amicos ſæpè dixit, ſubitæ ſibi mortis periculum in aquis portendi. *Medicinæ Profeſſor, & Aſtrologus.*

Eâ de

Eâ de cauſâ mutatâ ſede è *Patavio Venetiis*que in *Umbriam* & *Spoletum* demigravit, ut navigationum occaſiones effugeret.

Cum verò exindè *Florentiam* evocatus eſſet ad *Laurentium*, Ducem *Mediceum*, extremè decumbentem, neglectis remediis, morbum facilè ſpontè ceſſurum fruſtrà pollicitus eſt. Sed non diu pòſt detectâ morbi malignitate ægrotoque ſenſim deficiente, ſupervenit *Lazarus Placentinus*, illuſtris Medicus, à *Ludovico Sfortiâ*, Duce *Mediol. Ticino* miſſus, qui non obſcurè *Leonium* perſtrinxit, quod neglectis morbi initiis, facilis curationis occaſio periiſſet.

Fati ſui vates. In puteo ſubmerſus obiit.

Ita exſpirante *Laurentio*, Duce, *Leonius* ex infamiæ dolore ad inſaniam redactus, in proximum *Caregiæ* villæ puteum proſiliit, & ſubmerſus eſt.

Alii à *Petro Mediceo* mortem Patris vindicante ſcelus id amiſſum ſcripſerunt, ut *Actius Sincerus Hetruſco* Carmine deploravit. Sed nullum præclarius patratæ necis argumentum indè ſuſpicionem fovet, quàm ipſius authoris par ſceleri ad juſtam pœnam interitus, cum ille à clade *Gallorum* ad *Lyrim* aufugiens, in oſtio fluctibus nave obrutâ fœdè perierit.

Fatali itaque merſus aquâ perire coactus eſt An. C. 1444.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1448.

HUGO BENCIUS.

Patriâ *Senenſis*, Philoſophus fuit & Medicus ſui temporis excellens, ut meritò alter *Ariſtoteles* & novus *Hippocrates* vocari potuiſſet. Theologus prætereà fuit ſublimis. Artem medicam in Univerſitate *Ferrarienſi* publicè profeſſus, in Concilio quoque ibidem celebrato *Græcorum* rationes cum *Latinis* de Religione diſputantium egregiè refutavit.

Medicinæ Profeſſor Ferrariæ.

Theologus.

Deindè in Academiâ *Parmenſi* Profeſſor Med. à Marchione *Nicolao Eſtenſi* conſtitutus, *Romæ* vitam finiit A.C. 1448. *Ferrariæ* in Templo S. *Dominici* hoc ei poſuerunt *Epitaphium* filii:

Moritur.

Epitaphium.

DEO IMMORTALI MAX.
HUGONI BENCIO SENENSI
PHILOSOPHORUM OMNIUM AC MEDICORUM
SUÆ ÆTATIS FACILE PRINCIPI,
PARENTI OPT.
OB EXCELLENTEM DOCTRINAM
DE UNIVERSO HOMINUM GENERE
B. M. FILII POSS.
XI. CALEND. DECEMB. ANNO
MCCCCXLVIII.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Expoſitio ſuper quatuor primi Avicennæ.
In primum Canonem Avicennæ.
Comment. in Aphoriſmos Hipp. In Artem Galeni.
Conſiliorum Volumen.
Interpretatio de Febribus.
Regole della ſanità, & della Natura de Cibi.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES ARCULANUS.

Clar. A.C. 1460.

Natione *Romanus*, vel, ut alii prodiderunt, *Veronenſis*, Medicus ſuâ ætate fuit celeberrimus, æqualis *Hugonis Senenſis*. *Bononiæ* & *Patavii* tempore longo docuit, tandemque *Ferrariæ*, ubi medio curſu ſtudiorum acerbâ morte ſublatus eſt.

Medicinæ Profeſſor Bonon. Patav. & Ferrar.

Sepulchro ejus hæc addita Inſcriptio:

Epitaphium.

Qui juſtæ vitæ meritis & Philoſophiæ
Summâ arte, ac ſtudio gloria ſumma fuit:
Ipſam qui verò Medicinam novit, & ægris,
Si quà fuit, ſolus ſpesq; ſalusq; fuit.
Reges & populos deſfendâ morte Joannes
Orbatos linquens conditur hoc tumulo.

Scripſit:

Scripta.

In nonum Almanzoris opus eruditum.
Lib. de Febribus.
Commentar. in IV. Fen Avicennæ.

* *Ex Vitis Medicorum illuſtrium Petri Caſtellani.*

JOHANNES MATTHÆUS FERRARIUS, vel DE GRADIBUS.

Obiit A.C. 1460.

Ex nobili familiâ *Ferrariorum* ortus, *De Gradibus* cognominatus eſt à patriâ *Grado* 10. milliaribus à *Mediolano* diſtante.

In Collegio patrio Medicus fuit excellentiſſimus ſublimis ingenii, qui eo ſeculo, quo litteræ Barbarorum tyrannide oppreſſæ reſurgere cœperunt, vixit, & Artem Medicam publicè in Gymnaſio *Ticinenſi* cum laude docuit.

Medicinæ Profeſſor Ticini.

Multis etiam annis Duciſſæ *Mediolanenſi Blancæ Mariæ* Archiatri nomine inſerviit. Senex tandem vitâ exceſſit A. C. 1460.

Archiater Mediolanenſis. Moritur.

Opera ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Commentar. textualis cum Ampliationibus & Additionibus materiarum in nonum Rhaſis ad Almanſorem, adjuncto etiam textu.
Conſilia varia Medicinalia.
Super 22. Fen tertii Canonis Avicennæ.
Practica, continens Methodum Curativam Morborum.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

WERNERUS WOLFFLINUS.

Clar. A.C. 1463.

Natus *Rotenburgi* ad *Neccarum*, *Sueviæ* oppido, quod antequàm terræ motu & inundatione aquarum perderetur, **Landskron** vel **Landsfurt** dictum volunt. Facta eſt illa dirutio A. 1212.

A. 1460. Cum Academia *Baſileenſis* à *Papâ Pio II.* erecta, inque eâ primus Rector *Georgius ab Andlo* Canonicus fuiſſet conſtitutus, hic *Wolfflinus* primus Medicæ facultatis Decanus deſignatus eſt.

Decanus Academiæ Baſileenſis.

Deindè primas Medici ordinis leges ac ſtatuta conſcripſit, & promulgavit.

Scripta.

A. 1463. In Feſto S. *Lucæ* Rector ibidem electus eſt.

Rector.

Commen-

Commendârunt ipſum in docendo felicitas, & in curando dexteritas.

Moritur. Tandem ætate & meritis gravis fatis ibidem conceſſit, poſteris ad noſtram uſque memoriam relictis.

Obiit A.C. 1465.

JACOBUS DE PARTIBUS.

Medendi ſcientiâ celeberrimus, valetudinem *Philippi*, Ducis *Burgundiæ*, nec non *Caroli VII. Gallorum* Regis diu rexit. *Archiater Gall.* Poſteà *Tornacenſis* Eccleſiæ Canonicus, *Canonicus.* & Sacro ærario præfectus, ibidem dotatâ leproſorum domo teſtatam apud poſteros pietatem reliquit: *Moritur.* & obiit circa An. C. 1465.

Scripſit:

Scripta. *Commentar. in omnes Canones Avicennæ:* opus ſine nitore quidem, ut ſæculi illius genius fuit, ſed latè diffuſum, quodque omnes Medicinæ partes ita pertractatas continet, ut exquiſitæ eruditionis & ſingularis diligentiæ laudem mereatur.

Lib. de Antidotis.
de quibusdam morbis particularibus.
Introductorium Medicinæ.

* *Ex Vitis Medicorum illuſtrium Petri Caſtellani.*

Obiit A.C. 1473.

MARQUARDUS FRöER, Pater.

Natus eſt circa An. C. 1425. ex familiâ de *Weiſach*, cujus nomen geſſit. *Ortu Würtenbergicus.* Eſt autem *Weiſach* pagus in Ducatu *Würtenbergico*, non procul ab oppido *Canſtadio* ſitus, ſub Cœnobii *Maulbrunnenſis* diœceſi.

Medicinæ Doctor, & Practicus in oppido Dünckelſpiel. Medicinæ Doctor creatus, praxin in oppido Dünckelſpiel exercuit, non tamen è numero civium ibi fuit. Collegas tunc habuit & coætaneos Med. Artis Doctores, *Michaëlem Schrickium*, *Henricum Mynſingerum*, & *Johannem à Braunau*, quorum in manuſcriptis ſuis meminit: inter quæ videre licuit de Leprâ Judicium, cui hisce verbis ſubſcripſit: Meyſter Marquart von Wyſſach / Meyſter der 7 freyen Künſten / und Lehrer der Artzney / beneben Meiſter Hannſen von Braunau.

Uxorem duxit. Circa An. C. 1453. *Dünckelſpülæ* duxit Uxorem virginem *Annam à Keſſingen*, cujus pater vir opulentus in tractu circa *Nordlingam Ries* vocato habitavit, & in ſenectute quietis amore ſedem *Dünckelſpielam* tranſtulit.

Ex hâc conjuge filium ſuſcepit & reliquit unicum ſibi cognominem, Medicinæ Doctorem, & Practicum *Auguſtæ Vindelicorum*: Filiam itidem unam *Gertrudim*, An. 1476. deſponſatam *Ambroſio Fuxbarto*, Conſuli *Dünckelſpielenſi*, & fœderis *Suevici* Conſiliario.

Moritur. *Dünckelſpielæ* tandem vivendi finem fecit 24. Auguſti An. C. 1473. ætatis circiter 48.

* *Ex Manuſcript. Marq. Freheri, J.C. Hieron. filii.*

THEODORICUS GRESEMUNDUS DE MESCHEDE. *Clar. A. C. 1450.*

In *Weſtphaliâ* primum hujus Cœli ſpiritum hauſit.

Jactis in patriâ primis ſtudiorum fundamentis *Erfordiam*, *Thuringiæ* metropolim, ſtudioſorum frequentiâ tunc florentem, augendæ eruditionis gratiâ ſe contulit, ibi philoſophicis & medicis deditus, in utriſq; teſtimonium ſummum ſeu Docturæ axioma eſt adeptus. *Erfordiæ literis operam dat, & fit Doct. Medicinæ.*

Moguntiam indè profectus, larem ibi fixit.

Filium habuit cognominem, tantâ indole, ut vix 15. æt. annum egreſſus, tum ad *Trithemium*, tum ad alios ejus ſæculi viros doctos epiſtolas plurimas *Ciceronianam* facundiam redolentes ſcripſerit.

Frater ipſius natu major, *Godeſchalkus Meſchede*, unà cum ipſo *Erphordiæ* ſtudiis deditus, Theologiæ Doctor ibi fuit creatus, & Sacræ Scientiæ Profeſſ. publ. deſignatus. Quo in officio multis annis magnâ cum autoritate vixit.

Floruerunt ambo ſub ann. Chriſti 1470. & 1480. *Friderico III.* rerum Imperii potiente.

Artium & Medicinæ Doct. vir undecunque doctiſſimus ſcripſit de regimine ſanitatis tempore peſtilentiali.

* *Ex vitis Medicorum Melch. Adami.*

ANTONIUS GALATÆUS. *Clar. A. C. 1480.*

A Patriâ *Galatinâ*, *Salentinorum* oppido, cognomen nactus, ſummus fuit Philoſophus, Medicus, Orator, Coſmographus & Poëta. *Medicus.* Quantus vir fuerit, ex Hendecaſyllabis illis, quibus eum *Jovianus Pontanus* celebrat, cognoſcere eſt. Præter Carmina *Hetruſca*, & *Quæſtiones Phyſicas* ſcripſit *Commentar. de ſitu Japygiæ*, opus judicio *Jovii* cum antiquis comparandum. *Scripſit laudem Podagræ.* Idem laudationem Podagræ, feſtivum opuſculum, jam podagricus, dolori leniendo conſcripſit.

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

ALEXANDER BENEDICTUS. *Clar. A. C. 1495.*

Medicorum *Italiæ* ſuâ ætate decus eximium, indefeſſo Artis Medicæ cognoſcendæ ſtudio gentes remotiſſimas luſtravit. *Medicinæ Profeſſor Patavii.* Docuit deindè *Patavii* magnâ frequentiâ auditorum. Medicinam operatricem *Venetiis* quoque diu profeſſus eſt.

Floruit Imperante *Maximiliano I.*

Scripſit:

De morbis medendis à vertice ad calcem Libros XXX. *Scripta.*
Aphoriſmorum Lib. I.
De Medici & ægri officio.
De Peſte, ejus cauſis, & materiâ auxiliorum Lib. I.

Anato-

Anatomes Libros V.
Diar. de bello Carolino opus perelegans.
* *Ex vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani, & Collegii Veronenſis Illuſtribus Medicis Andreæ Chiocii.*

Flor. A. C. 1498.

MARTINUS MELERSTAT.

NAtione *Franco*, patriâ *Melerſtatinus*, diſciplinâ *Lipzenſis*, vir diverſis naturæ dotibus ſingularis. Ingenio acutiſſimus, eloquio lepidiſſimus, diſputator acerrimus, in præcipiendo reſolutus, gratioſusque.

Philoſophiæ Magiſter. Hic cum poſt ſuſcepta Magiſterii inſignia in Philoſophiâ conſummatiſſimus eſſet, cœterisque diſciplinis abundè doctus, D. *Thomæ Aquinatis* & aliorum plerorumque dogmata viginti fermè annis cum maximo auditorum profectu & attentione in *Lipzenſi* Academiâ revolvit, propriis commen- *Doctor Medicinæ.* tariis multa dilucidans. At pòſt ad Medicinam applicans, cum in utroque non mediocriter peritus exiſteret, & hujus inſignia facultatis cepiſſet, famâ fragrante à *Friderico*, Duce *Saxoniæ*, & *Romani* Imperii Ele- *Scripta.* ctore Phyſicus acceſſitur, cujus usque caſtra proſecutus eſt. Scripſit & carmine & ſolutâ oratione, cum in utrâque doctiſſimus fuerit, non aſpernanda, quæ partim impreſſa feruntur, partim ab eo in ſtudio pronuntiata officinam non indignè expectant, quibus nomen ſuum memorandum reliquit:

In Tractatûs Petri Hiſpani lib. 1.
In parvulum Logicæ lib. 1.
In veterem artem curſum unum.
In novam Logicam curſum unum.
In Phyſicam curſum unum.
In Metaphyſicam libb. XII.
Regimen Peſtilentiæ lib. 1.
De verbo intelligibili librum acutiſſimum.
Ephemerides plures.
Quæſtiones diſputatas lib. 1.
Carmen Epidaurum lib. 1. Tercentum luſtris.
Carmen natale lib. 1.
Elegiam in mortem Erneſti.
Orationes varias in ſtudio memoriter dictas.
Item Epiſtolarum ad diverſos lib. 1.

Archiater Principis Saxoniæ. Claruit ſcribens plura clariſſima in lucem proditura, Archiater Illuſtriſſimi Principis *Saxoniæ Friderici* &c. An. D. 1498.
* *Ex Scriptorum inſignium Centuria Joachimi Johannis Maderi.*

Clar. A. C. 1500.

LAURENTIUS LAURENTIANUS.

Medicinæ Profeſſor. FLorentiæ aliquandiu & *Piſis* Philoſophiam Medicinamque profeſſus, ingenium elegantibus literis deditum ad *Hippocratis interpres.* traducendum *Hippocratem* convertit, quod *Theodorus Gaza*, diligens alioquin interpres, circumſcripti authoris Laconiſmis minimè reſpondere videretur.

& Galeni. Extant & ejus Lucubrationes eruditæ in *Galenum*, Medicinæ Principis arcana perobſcurè interpretantem. Sed in Commentationum curſu planè miſer atrâ bile correptus eſt. Empturus enim domum eâ pactione tertiam pretii partem numerârat, ut, niſi intra ſextum menſem totius ſummæ pecuniam repræſentaret, arrhabonis pecunia lucro venditoris amitteretur.

Adventante verò die, cum multa ei adverſa ſpem fefelliſſent, diffiſus amicorum liberalitati & jacturæ dolore perculſus, animum deſpondit, in profundumque puteum ſe conjecit, ſub id tempus, quo *Petrus Soderinus* erecto populari dominatu, tanquàm Dictator perpetuus, ſummâ cum moderatione *Florentinæ* Reipublicæ præſidebat. *Ex deſperatione in puteum ſe conjecit.*

Claruit An. C. 1500.
* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

ADOLPHUS OCCO FRISIUS.

Obiit A. C. 1503.

EX equeſtri familiâ natus *Oſterhuſæ*, vico *Friſiæ Orientalis*, An. C. 1447. Patre *Haingo Occone*. Medicus & Poëta fuit inſignis, *Rudolpho Agricolæ*, *Gröningenſi* admodùm familiaris, & aſſiduus ejus in Bibliothecâ communi ſtudiorum ſocius. *Sigismundo*, Archiduci *Auſtriæ*, A.C. 1469. defuncto, fuit à Medicinis. *Medicus Sigismundi Archiducis Auſtriæ.*

Nepotem habuit *Pompejum Occonem*, quem *Alardus Amſtelredamus Friſiæ* decus multis nominibus appellat. Hujus filio *Sibrando Pompejo Occoni Aphthonius* Progymnaſmata ſua dedicavit.

Collegit & edidit *Epitaphia, quæ Viri eruditi diverſi in obitum Rudolphi Agricolæ fecerunt.* *Scripta.*

Obiit tandem *Auguſtæ Vindelicorum* A.C. 1503. ætatis 56. *Moritur Auguſtæ Vindelicorum.*

Relicto filio cognomine Medico *Auguſtano*.

Naturæ cauſas, plantarum ſemina novi:
Quis Friſiæ lumen me columenq; neget?
* *Caſpar Cunradus, Med. Proſopograph. Melicæ Millen. III.*

HIERONYMUS TURRIANUS, vel TURRIUS.

Obiit A. C. 1506.

E Nobiliſſimâ familiâ ortus, cum ab ineunte ætate admirabile ingenii ſpecimen dediſſet, humaniorum literarum, Rhetoricæ ac Dialecticæ ſtudiis, in quibus mirificos progreſsûs fecerat, nominis ſui famam paſſim propagans, mox ſe Philoſophiæ doctrinâ imbuendum cenſuit, quam Moralem, Phyſicam, & Divinam cum planè deguſtâſſet, legendo, diſputando, & implicatos difficultatum nodos, & labyrinthos evolvendo, & excutiendo, maximum nomen *Patavii* eſt adeptus: quâ laude minimè contentus, ſe properè ad Medicinæ rationalis ſtudium convertit; multa dogmata, & præcepta illius artis experimentis, & accurata ægrotantium, & ægritudinum obſervatione veluti animans, & corroborans.

Qqqqqqq Hinc

Collegii Medici Patav. ſocius.

Hinc factum eſt, ut anno 1442. in Collegium percelebre Medicorum *Patavinorum* fuerit cooptatus, quamvis Collegii illius decreta apertè ipſi refragari viderentur; tantum eximiæ, & præcellentis eruditionis meritum valere apud nobiles, & ingenuos viros potuit. Lecturam mox praxeos Medicæ extraordinariæ adeptus, ſub auſpiciis Sereniſſimi Ducis *Venetiarum Nicolai Marcelli* maxima ingenii, doctrinæ, & indefeſſi laboris inter legendum, & medendum, documenta exhibuit, idque juvenis admodùm antequàm, doctoratus Medici inſignia nanciſceretur: quæ deinceps nactus Lectura publica ordinariæ praxeos medicæ, celeberrimo *Corradino* Collega ab ampliſſimo Senatu acerrimo illuſtrium meritorum Judice eſt cohoneſtatus.

Acceritus mox ad *Ferrarienſe* Gymnaſium, quod eo tempore mirabiliter florebat, conditionem optimam, & honorarii optimi, & primæ Cathedræ non recuſavit, idque *Auguſtini Barbatici* Principis Reipublicæ Sereniſſ. nutu; ſed ſtatim ſummo *Patavini* Gymnaſii ſtudio & deſiderio revocatus, & ampliſſimo ſtipendio inclytæ Reipublicæ beneficio auctus, 19. continuos annos publicè eſt profeſſus.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

Porrò legimus in domeſticis ejus familiæ Annalibus *Hieronymum* noſtrum non ſolùm legendo fuiſſe admirabilem, ſed in curandis ægris deſperatis, & depoſitis quantum arte Medicâ ſingulare ingenium, & penè divinum progredi valet, cumulatè præſtitiſſe, & ſæpiſſimè feliciſſimos curationum exitus inſpexiſſe: longè etiam diſſitos ægrotos curationum conſultationibus ad unguem elaboratis per univerſam *Europam* transmittendis juvaſſe: ut rerum notitia *Pythagoræ*, judicio *Democrito*, & *Hippocrati*, ordine *Herophilo*, experientiæ copia *Galeno* par eſſe omnibus videretur.

Ejus Eruditio & Judicium.

Hâc peritiæ famâ, & longinquos *Barbaros* permovit, ut ad ſe ipſos curandos ipſum nobiliſſimis prœmiis propoſitis invitarent, ut ab *Artaxerxe* etiam *Hippocrates* fuit accerſitus: quare & à *Schenderio*, *Serviæ* Præfecto, & Satrapâ invitatus, qui gravem morbum ex belli laboribus contraxerat, ire recuſavit; ſed & à Sereniſſimâ *Cypri* Reginâ bis accerſitus eſt, idque per Ducales literas Sereniſſimæ Reipublicæ, cui *Catharinæ Corneliæ Heroinæ* ſalus & incolumitas curæ erat. Reges etiam, & Dynaſtæ præcipui ſummi beneficii & bonæ fortunæ loco habebant, ſi is eorum curationi præeſſet.

A principibus viris magni æſtimatus.

Ejus virtutes.

Fides, humanitas, prudentia, dexteritas, præter eximiam artis notitiam, & peritiam, imprimis omnibus probata: Pietatis Chriſtianæ laude potiſſimùm floruit, quæ in operibus potiſſimùm charitatis elucet, ut nullum unquàm egenum, & pauperem à ſe non largiter, & munificè donatum dimiſerit.

Cœterùm dum multa medica opera à ſe pridem concepta limare, & in lucem edere cogitaret, & ſe in quietis portum recipere, Patriæ cognatorum, amicorum, & Collegii *Veronenſis* aſpectu frui jam ſecum conſtitueret, 62. ætatis annum agens, An. 1506. gravi febre decumbens, ſibique prognoſi factâ, extremum vitæ diem prædicens, animam DEO Optimo Maximo reddidit, *Julio*, Juriſconſulto, M. *Antonio*, Medico & Philoſopho graviſſimo, & *Johanni Baptiſta*, Philoſopho & Aſtronomo percelebri, & *Raymundo* liberis relictis, & paternæ virtutis æmulis.

Moritur.

In laudem ejus Orationes habuère duo Clariſſimi Oratores *Parthenius*, & *Johannes Pierius Valerianus*, præſentiâ Illuſtriſſimorum Urbis Rectorum *Andreæ Gritti*, Prætoris, & *Pauli Piſani*, Præfecti. Translatum mox *Veronam* cadaver, & in D. *Firmi* majoris Templo in *Turianorum Baſilica* conditum ab ejus filiis præclaro Mauſoleo extructo aëre cælato, & auricalcho tum pretioſis marmoribus elaborato.

Duobus etiam *Epitaphiis* exornatum Mauſoleum, quorum unum verſus partem Septentrionalem è regione altaris:

Epitaphium.

HIERONYMO TURRIANO PATRI OPTIMO
ET M. ANTONIO FRATRI
MAXIME UNANIMI.
JULIUS, JOH. BAPTISTA ET RAYMUNDUS
FRATRES P.
AMBORUM OSSA, QUÆ DIVERSIS PRIUS
IN LOCIS, UT QUEMQUE MORS OCCUPAVERAT, CONTEGEBANTUR,
IN PATRIAM TRANSLATA
EODEM IN TUMULO COLLOCAR.

Verſùs partem meridionalem è regione ſepulchri, quod commune eſt:

UNIVERSÆ FAMILIÆ TURRIANÆ
VIXIT PATER ANN. LXII.
NEQUE ULLI TAMEN
OB PRÆCLARAS INGENII ARTES
QUÆ TUM MAXIME IN ILLO FLOREBANT
NON IMMATURE ERIPI VISUS EST
FILIUS, CUM IS JAM PATRIÆ NON SOLUM
LAUDI ÆQUARETUR
SED ET IN MAJOREM, ET NESCIO QUAM
SUI EXPECTATIONEM HOMINES
EREXISSET.
XXX. ÆTATIS ANNO ACERBISS.
OMNIUM FATO PERIIT.

* *Ex Collegii Veronenſis Illuſtribus Medicis Andreæ Chioccii.*

BERNARDINUS PLUMATIUS.

Clar. A. C. 1506.

A*Lberti Magni* Dialecticæ opera omnia à ſe emendata, in lucem edidit A. 1506. acerrimus Dialecticus atque Philoſophus & Medicus Præſtantiſſimus ab ævi ſui eruditis appellatus.

Medicus Præſtantiſſimus.

Hippocratem, Evnuchos Podagra non laborare, dicentem, ita excuſavit: quod illius tempeſtate, non ſuâ, homines temperatiſſimè vivebant, atque ita exeſſi Podagram evitabant.

Hanc doctrinam *Bernardinus Paternus* & *Alexander Maſſaria*, duo maximi Medici in Acade-

Academiâ *Patavinâ*, interpretes latius ſunt perſecuti.

Quatuor Semel Plumatii. Nonnulli etiam quatuor illa ſemel, quæ incolumes & ſanos permultos annos *Romanos* veteres ſervârunt, *Plumatio* attribuunt:

Semel in die cibum capere.
Semel in hebdomade cum uxore Venere uti.
Semel in menſe vomere.
Semel in anno ſanguinem mittere.

* *Ex Collegii Veronenſis illuſtr. Medicis Andreæ Chiocci.*

Obiit A.C. 1509.

GABRIEL PREZATUS.

ARtem Medicam *Bononiæ* poſtquàm didiciſſet, & in urbibus *Italiæ* diverſis Praxin Medicam exercuiſſet, A. 1477. *Bononiam* ad Profeſſionem Medicam vocatus, eo munere cum laude functus eſt. *Medicinæ Profeſſor Bononiæ.*

Moritur. *Bergami* tandem in patriâ ſuâ exſpiravit An. C. 1509.

Scripta. Peſte *Bergami* A. 1503. graſſante ſcripſit Tractatum, intitulatum *Flagellum Dei.* Hic in duas *partes* fuit diviſus, in primâ tractavit de *Cauſis & remediis præſervativis peſtilentiæ:* in ſecundâ de *curâ infectorum.*

* *Ex Scenâ literariâ Scriptorum Bergomat. Donati Calvi.*

Obiit A.C. 1512.

UDALRICUS ERBARUS.

HUnc Medicinæ Doctorem & Profeſſorem in Academiâ *Wittenbergenſi* fuiſſe, demonſtrat Inſcriptio, quæ in Templo *Witteberg.* Parochiali legitur hujusmodi:

Quæ me cum multis genuit pia mater alumnis,
Hæc mihi nupta fuit, hæc mihi nata fuit.
Hæc peperit patri natam per vulnera mortem,
Qui tulerat moriens nocte mucrone foro.
Et hic Udalricus, ſi neſcius, Rector & idem
Philoſophus, Medicus condor in hoc tumulo.
Hic lapis Udalricon habet Medicumque Monarcham,
Conditur & duro vulnere diſcipuli.

Philoſophus & Medicus Wittenbergenſis.

UDALRICUS ERBARUS cum anno 1512. Rectoris Magnifici officio fungeretur, à nobili quodam occiſus eſt, quemadmodum ex faſtis Academicis *Balthaſar Mencius* annotavit. *à Nobili occiſus.*

* *Ex Academiâ Wittebergenſi, edita à Gotfrido Suevo, J. C.*

Obiit A.C. 1512.

MARCUS ANTONIUS TURRIANUS.

NAtus eſt *Veronæ*, ex eâ perilluſtri familiâ, quæ ante 300. annos *Inſubribus* imperârat, Patre *Hieronymo*, Medicinæ Profeſſore excellenti: ita ut non mirum ſit, ſi ab ineunte ætate in eâdem & Mathematicâ educatus diſciplinâ multò maturius quàm quisque alius ad primos ſuggeſtus honores *Patavii* & *Ticini* pervenerit. *Filius Medici. Medicinæ Profeſſor Patavii & Ticini.*

Præferebat os maxime venuſtum, ſerenâ quâdam comitate occurrentium animos alliciens: verùm docendo & diſputando mirus, prolatis *Græcis* authoribus, pudendos errores, & vitæ quidem exitiales oſtendebat, in quos Medici ex herbariæ facultatis ac Anatomes inſcitiâ ceciderant.

Elaborabat profitendo ſimul atque ſecando damnatorum cadavera Volumen Anatomes ex placitis *Galeni*, quo *Mundinum*, rudis ſeculi ſcriptorem, & *Zethum* in eodem negotia delirantem jugulârat. *Anatomicus.*

Hic *Zethus* ambitioſo avaroque ingenio cum accitus grandi pecuniâ penetrâſſet ad *Triballos*, ut *Schenderbaſſam* luctuosâ in *Euganeos* irruptione clarum intercute morbo liberaret, nec demùm quod inflatè promiſerat, morienti præſtaret, à Barbaris ſervis, ut Domini manibus, eâ ſcilicet victimâ parentarent, trucidatus interiit: ita ut lepidè *Turrianus* in eum jocaretur, cum libri ejus errata diſpungeret, quaſi jure conciſus eſſet, quod magnâ diſcentium injuriâ perperam ſecundo cadavera ipſe vivus meritam talionis pœnam ſubiiſſet.

Hoc *Turriano* Præceptore in Gymnaſio *Ticinenſi* artis Medicæ lauream & annulum, comprobatæ dignitatis ornamenta, *Paulus Jovius*, Epiſcopus poſteà *Nucerinus*, accepit. *Paulum Jovium Medicinæ Doctorem creavit.*

Non multos poſt menſes, cum ad ripam *Benaci* lacûs ſeceſſiſſet, peſtiferâ febre 33. annorum juvenis ereptus eſt, cum *Julius* Pontifex in Pſeudo-Cardinales faventesque ei *Gallos* victricia arma in luctuoſum utriusque *Ravennatis* pugnæ eventum expediret An. C. 1512. *Moritur.*

Ad meritos autem titulos *Veronæ* tumulo inſcriptos, *Nicol. Archius* hoc lepidum diſtichon adpoſuit:

Ante annos ſciviſſe nocet, nam maxima virtus
Perſuaſit morti, ut crederet eſſe ſenem.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1513.

MARTINUS POLLICHIUS.

PAtriam habuit *Mellerſtadium*, oppidum *Franconiæ*.

Lipſiæ Doctor artis Medicæ renunciatus, ibidem eam artem publicè docuit. *Lipſiæ fit Doct. Medicinæ.*

Eruditionis nomine *Lux mundi* tunc vulgò vocatus eſt. *Lux mundi vocatur.*

An. 1493. Cum *Fridericus Saxo* peregrinationem Religionis ergò in *Palæſtinam* cum avunculo ſuo *Chriſtophoro*, Duce *Bavariæ*, ſuſcepiſſet, Comitem ſibi *Pollichum* adjunxit. Hic cum in Inſulâ *Rhodo* Principes poſt hauſta liberiùs vina *Cretenſia* balneas eſſent ingreſſi, non vocatus ingreditur, & è balneis *Fridericum* ſuâ manu apprehenſum educit, *Chriſtophoro* paucis diebus pòſt febri ardente extincto. Hujus beneficii recordatione *Fridericus* illum toto vitæ ſuæ tempore veneratus eſt.

An. 1495. Ortâ *Lipſiæ* diſputatione de *morbo Gallico*, qui recens tunc ex *Africâ* in *Europam* propagatus erat, ſitne ἐνδήμιος an ἐπιδήμιος? in aulam *Friderici* Electoris evocatus, migravit. Eo tempore, cum

Elector de erigendâ in ſuo territorio Academiâ cogitaret, *Pollichius* cum *Staupicio* negocium hoc urſit, & ut *Wittenberga* ſedes Scholæ fieret, effecit.

Rector Academiæ Wittebergenſis.

18. Oct. A. 1502. die *Lucæ* ſacrâ, cum Academia ſolenniter introducta eſſet, ipſe primus in eâ Rector creatus, & primus matriculæ inſcriptus eſt. Sub ejus Rectoratu primo illo ſemeſtri 416. ſtudioſi fuerunt inſcripti.

Theologiæ Doctor.

Primus etiam in eâ Academiâ Theologiæ Doctor renuntiatus eſt, & eandem profeſſus. Scribunt quidam & in Jurisprudentiâ Doctorem fuiſſe creatum.

Primum Philoſ. Magiſtrum *Bernhardum Schillerum* in Medic. Doctorem promovit.

Profeſſor Medicinæ.

A Theologicâ deinde Profeſſione ita volente Electore ad artem medicam docendam acceſſit.

Ejus vaticinium de Luthero.

Cum *Mart. Lutherum* docentem & publicè diſputantem audiviſſet, ſæpè id, quod evenit, ominari, & ſupra menſam dicere ſolitus fertur: Der Münch wird alle *Doctores* irr machen / und ein neue Lehr aufbringen / und die ganze Römiſche Kirch reformiren: dann er legt ſich auf der Propheten und Apoſtel Schriffte / und ſihet auf JEſu Chriſti Worte: Das kan keiner mit der Philoſophi / Sophiſterey / Scotiſterey / Albertiſterey / Thomiſterey und dem ganzen Tartaret umſtoſſen.

Moritur.

Deceſſit 27. Dec. An. 1513.

Frater ipſius *Valentinus Pollichius*, ut grata *Martini* memoria retineretur, teſtamento facto mille aureos, quorum pars maxima à fratre hæreditario jure ei obvenerat, Academiæ legavit, de quorum fructibus annuis ſubſidia ferantur adoleſcentibus ſtudiorum causâ ibi verſantibus.

Effigies ejus ad vivum cum hâc inſcriptione habetur in Collegio *Auguſti*, in nominato ſupra loco, feſtivitatibus Academicis dicato ſupra Januam:

Epitaphium.

Martino Pollichio Mellerstad Franco, divinarum humanarumque scientiarum eruditiss. Electoris Friderici, sapientiss. optimar. liter. Mor.que domi Doctori, foris, terra, mari Ductori, ubique Consultori, fido, felici, constitutæ hic Academiæ Authori, Rectori Primo, et in Cathedra Medica Antecessori, Viro suo seculo Claro Caroque poni curavit Doctor Johannes Jessenius a Jessen, Rectore Friderico Taubmanno Fr.

Circa ejus Effigiem extat ſcriptum:

Aureus hocce loco ſtare diu meruit.

Aliam hujus vitæ deſcriptionem vide ſupra pag. 1215. ſub nomine *Mart. Melerſtat.*

Clar. A. C. 1514.

BURCKARDUS HORNECK.

Medicinæ Doctor.

NAtione *Oſtro-Francus*, patriâ *Heilbronnenſis*, clariſſimus Medicinæ Doctor, animo & genere ſpectabilis, nobilisque Philoſophus, Orator, Phyſicus & Poëta inſignis. Qui cum eſſet in bonis artibus & in Philoſophiâ eruditiſſimus, & in Medicinâ univerſaliter peritus & doctus, tam in *Italiâ*, quàm in *Germaniâ* apud Reges ac Principes, & quoscunque Optimates in ſummo pretio & honore habitus eſt.

Apud Reges, Principes & Optimates in ſummo honore habitus eſt.

Nam & *Friderici III.* Imp. Sereniſſimi multos per annos familiaris & amiciſſimus extitit Phyſicus. Denique *Herbipolenſis* ſuis meditationibus & conſiliis * * * * per annos ſalutifer & accommodatiſſimus fuit.

Imperat. Friderici III. familiaris extitit Phyſicus.

Et cum in liberalibus diſciplinis doctiſſimus fuerit, divinarum attamen ſcripturarum, i. e. ſacræ Theologiæ, non parvam ſcientiam poſſedit.

Sacræ Theologiæ peritiſſimus.

Scripſit in Medicinâ & in Theologiâ non parvæ utilitatis opuſcula, quorum quidem aliqua impreſſa ſunt; alia in lucem nondum prodierunt:

Scripta.

Super ſententias per figuras.
De Regimine ſanitatis, carmine lib. 1.
De Morbo Epidemiæ, & curâ ejusdem lib. 1.

Claruit *Herbipoli* A. C. 1514.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuriâ Joachimi Johannis Maderi.*

Clar. A. C. 1514.

PAULUS RICIUS.

NAtus in *Germaniâ*, ex parentibus *Judæis.*

Sed ubi adolevit, Judaiſmo relicto, Chriſtianam fidem ſuſcepit, & publicè baptizatus eſt.

Ex Judæo fit Chriſtianus.

Operam dedit diſciplinis humanioribus, inprimis ei, quæ naturæ myſteria inveſtigat.

Papiæ in *Italiâ* Philoſophiam publicè, non ſine nominis famâ, docuit.

Philoſophiæ Profeſſor Papiæ.

Itaque Cæſari *Maximiliano I.* commendatus, ab eodem in Medicorum ſuorum numerum fuit allectus.

Medicus Imp. Maximiliani I.

Floruit circa annum 1514.

Clar. A. C. 1517.

AMBROSIUS LEO.

NO*læ, Campaniæ* urbe, crebris circumdatâ in orbem turribus, celebri cladibus *Hannibalis* in lucem prodiit, Vir Latinè Græcèque doctiſſimus. Medicus idem ac Philoſophus inſignis, qui de patriâ ſuâ copioſè ſcripſit, & in re medicâ quædam edidit. Idem publicavit *Caſtigationes in Averroëm*, qui liber totius Philoſophiæ theſaurus eſt. Sunt enim quaſi *Commentarii in ſingulos Ariſtotelis libros.*

Medicus & Philoſophus.

Scripta.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Clar. A. C. 1518.

HENRICUS STROMERUS.

IN *Miſniâ Aurbachii*, honeſto loco, natus eſt.

Lipſiæ tum Philoſophiæ tum Medicinæ præclaram navavit operam, ut omnium calculo in ordinem Medicorum fuerit ſolenniter relatus.

Medicus Lipſienſis.

Poſteà

Poſteà cum Medicinam exercere cœpiſſet, etiam *Georgio*, Duci *Saxoniæ*, innotuit, eique multis nominibus fuit gratiſſimus.

Senator ibidem. Deindè *Lipſiæ* in Senatum eſt cooptatus.

Eraſmus ut amicum coluit, quod apparet ex multis ad eum ſcriptis Epiſtolis.

Floruit ſub annum 1518.

Fatis conceſſit *Lipſiæ*.

Scripta. Scripſit *Saluberrimas adversùs Peſtem obſervationes.*

Decreta aliquot medica de ebrietate diſputata Lipſiæ An. 1531. reſpondente *Joh. Pfeil.*

Extat ejusdem *Sermo Panegyricus Petro Moſellano*, quem ſingulariter amavit, dictus.

Ad amicos ſæpè dixit: *Ego 40. amplius annis medicinam feci, & comperi, plures homines mœſtitiâ & dolore animi mori, quàm morte violentâ.*

Caſp. Cunrad. Proſop. Mel. Mill. III.

Plurima Stromerus de peſtilitate notavit:
Quæ famam ſervant, cætera charta tenet.

GUILIELMUS COPUS.

Clar. A. C. 1520.

Medicinæ Doctor Pariſiis. **B***Aſileæ* natus. *Lutetiæ Pariſiorum* totum ſe Medicinæ ſtudiis addixit, in quâ etiam Doctor ibidem ſolenniter creatus eſt.

Archiater Regis Franciſci. Deindè famâ indies magis clareſcens, etiam Regi *Franciſco I.* innotuit, qui Archiatrum eum ſibi elegit, & honoribus multis affecit.

Cum magnas opes honeſtè acquiſiviſſet, *Moritur.* *Lutetiæ* diem ſuum obiit.

Floruit ſub annum 1520.

Scripta. Tranſtulit ex Græco libros aliquot *Galeni*, *Pauli Æginetæ Præcepta*, & *Hippocratis Prognoſtica.*

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

ERASMUS STELLA.

Clar. A. C. 1520.

M*Iſniam* habuit patriam.

Medicinæ Doctor & Hiſtoricus. Ad Philoſophiam & Medicinam animum appulit, cumque ſtudio medico, in quo Docturæ Honores adeptus eſt, Hiſtoriarum conjunxit cognitionem.

Conſul Cygneæ. Deindè etiam *Cygneæ* Conſul factus eſt.

Scripta. Edidit: *Antiquitates Boruſſiæ A.* 1518.

Libellum de gemmis Geſnero commendatum.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

MARCELLUS VIRGILIUS.

Clar. A. C. 1520.

F*Lorentinus*, vir inſigni vultûs & ſermonis ſuavitate prӕditus, omnium in ſe ora vertebat, ſive è ſuggeſtu juventutem doceret, ſive in coronâ loqueretur.

Secretarius Florentinus. Ex eo autem officii munere, quod anteà *Aretini Poggii*que fuerat, ab Epiſtolis Reipublicè operam præſtabat: cum otium ſuppeteret, tertio muneri vacare erat ſolitus.

Botanicus Dioſcoridem traduxit. Suſceperat enim *Dioſcoridem* omninò traducendum expetentibus Medicis: petebat autem ex eo labore non obſcuram laudem, quod in herbario negotio ab ineunte ætate deſudâſſet.

Sed edito opere ſtatim in publicum prodierunt duæ diverſæ editiones, vel interpretationes, altera *Hermolai Barbari*, quæ extincta putabatur, altera *Johannis Ruellii* à Latini ſtyli munditie maximè laudata, quæ hujus verſionem quidem elevavit, quamvis ob addita commentaria non minus frequentetur.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

MATTHIAS MECHOVIUS.

Obiit A.C. 1523.

IN oppido *Polonico* Religioſorum militum Sepulchri Domini *Miechow* honeſtis parentibus natus, puer liberaliter inſtitutus, & *Cracoviæ* publico in Gymnaſio Philoſophiâ Peripateticâ imbutus, Phyſicis potiſſimùm delectatus ſtudiis, An. 1476. Gradum in artibus primum, & tertio pòſt anno Magiſterii dignitatem promeruit. *Philoſophiæ Baccalaureus & Magiſter.*

Deindè naturæ genio obſecutus, ad Medicinæ ſe artem ſic applicuit, ut in omnibus penè *Italiæ* & *Germaniæ* Academiis publicè in Diſputationibus ingenii acumen exhiberet, domumque Medicinæ Doctor reverſus, parem ſibi in eâ profeſſione vix ullum in totâ *Poloniâ*, ſuperiorem certè neminem, repererit. *Medicinæ Doctor, & Profeſſor.*

Ob nominis igitur celebritatem, artisque præſtantiam à *Sigismundo I.* Rege *Poloniæ*, Medicus adſcitus, valetudinis ejus ſummâ diligentiâ curam geſſit. *Medicus Regis Poloniæ.*

Tandem aulicæ vitæ pertæſus, Sacris ſeſe devovit, & Canonicâ dignitate ab eodem Rege auctus eſt. *Canonicus.* Cumque & Aſtrologus inſignis eſſet, & Regiâ liberalitate rem ſatis lautam poſſideret, cenſum pro Aſtrologo & Medico in Academiâ fovendis perpetuum fundavit, erexitque Scholas pro erudiendâ juventute privatas, cum ad ædes S. *Annæ*, S. *Floriani*, S. *Stephani*, Sanctorum omnium in urbe, tum etiam in patriâ ſuâ, municipio *Miechovienſi*.

Hoſpitales etiam domûs aliquot & xenodochia refecit. Bibliothecam in *Rupellâ* apud Fratres *Pauli*, primi Eremitæ, ſumptu ingenti excitavit, & domui Profeſſorum in Academiâ majori, quos inter ipſe olim manſit, pro librariâ ac horologio reſtaurando plurima tabulis teſtamenti legavit.

Moritur. Obiit *Cracoviæ* An. C. 1523.

Edita ab eo ſunt ſcripta ſequentia:

De conſervandâ ſanitate libellus egregius.

Annales Polonici, & utriusq; Sarmatiæ Hiſtoria.

* *Ex Vitis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

In lib. 2. de *Sarmatiâ Europeâ* hæc habet cap. 5. *In his regionibus non arant, non ſeminant, panes non habent, nec pecunias, feris ſylvarum, quæ apud eos abundant, veſcuntur, & non niſi aquam bibunt: morantur in denſis ſylvis, in tuguriis ex virgultis factis. Sunt velut beſtiæ ratione non utentes, pellibus teguntur rude & groſſe, conſuentes pelles varias inſimul ex lupo, cervo, urſo, ſabellis, prout ſors obtulerit.*

ex ſacris Bibliorum traditionibus tum Orbi celerrimum fore prænuntiabat.

Fertur etiam pro hæretico damnatus fuiſſe à Pontifice *Rom.* quod ſcripſiſſet, Dæmonem totum cœlum Chriſtianum aberrare feciſſe à fide Chriſti, omnes monachos eſſe extrà charitatem, Miſſam non eſſe celebrandam, nec pro mortuis ſacrificandum.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

Edidit:

Scripta. *Opera Medica & Chymica varia.*

De diverſis intentionibus Medicorum Lib. De humido radicali. Comment. & Quæſtiones in lib. Galeni de malâ temperie. De Somniis. De juventute conſervandâ & retardandâ ſenectute. De Aſtrologiâ. Tabulam Medicum informantem, quando ægritudinem ignorat. Canones ægritudinum omnium corporis humani. Antidotarium. Commentaria in Scholam Salernitanam.

De cautelis Medicorum.

Breviarium Practicæ in lib. IV. diviſum.

Parabolas Medicum erudientes.

Conſilia contrà febrem hecticam, & Podagram.

De ſignis Lepræ.

De ſterilitate tam ex parte viri quàm mulieris.

De ornatu mulierum.

De curatione calculi, catarrhi, tremoris Cordis, & Epilepſiæ.

De verâ naturalis Philoſophiæ compoſitione, quem librum appellant Roſarium Philoſophorum.

Commentaria in aphor. 1. & aph. 33. ſect. 2. Hippocratis.

Tractat. de conſiderationibus operis Medicinæ.

Aphoriſmorum libros cum Commentis.

De regimine Sanitatis.

De regimine Caſtra ſequentium.

Regimen quartanæ febris.

Regulas generales de Febribus.

De Medicinarum & Ciborum naturâ.

De Vinis, & aquis medicinalibus.

De Venenis, & arte ea cognoſcendi.

De Melancholiâ ex amore.

De Theriacalibus doſibus.

De eſu carnium pro ſuſtentatione Ordinis Carthuſiani.

JACOBUS MONTECALVUS.

Obiit A.C. 1374.

EX illuſtri familiâ *Bononiæ* natus eſt, Patre *Thomâ de Flandro*, circa A.C. 1300. Juvenis Philoſophiæ ſtudiis & Medicinæ operatus tantum profecit, ut quamvis eo tempore in *Italiâ* diſcordiis preſsâ bonæ literæ exularent, ipſe ſolus & primus veræ Medicinæ viam fecerit, quam poſteà in aliis *Europæ* Gymnaſiis voce & calamo propagavit.

Primùs Medicinam docuit Bononiæ, & in aliis Gymnaſiis.

Decurionis etiam in patriâ munus eâ prudentiâ geſſit, ut poſteà Sapientis onus ex publico civium voto ſubierit, & tandem Urbis munitionibus fuerit præfectus. Ita ſenio confectus, vitâ exceſſit *Bononiæ* A. C. 1334. ætat. 74.

Decurio Bonon. *Moritur ſenex.*

Reliquit ex *Luciâ Porrettâ* filium *Thomam Montecalvum*, qui in patriâ XII. Viri & Libertatis Moderatoris dignitate perfunctus eſt.

Edidit *Commentar. in Avicennam à Jacobo Fabri plurimùm laudata.* *Scripta.*

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

* * *

Benedictus Morandus, eodem *Tomaſino* teſte, publicâ ad S. Pontif. *Sixtum IV.* Oratione non veritus eſt hæc de ipſo præfari: Habuit *Bononia* inter alia ſcientiarum ſidera ſtellam præfulgentiſſimam, *Jacobum Montecalvum*, Doctorem Collegiatum in Archigymnaſio *Bononienſi*, in aliiſque præſtantiſſimis *Europæ* ſtudiis publicum Philoſophiæ ac Medicinæ Profeſſorem: cui præclariſſimo Viro, ut in *Hiſpaniâ* cœteriſque *Europæ* ſtudiis accepi, præter excellentiſſima ejus Scripta, tantum fuit in Philoſophando acumen ingenii, ut alterum *Ariſtotelem*, tantaque medendi peritia, ut alterum diceres *Æſculapium*.

SIGISMUNDUS POLCASTRUS.

Flor. A.C. 1400.

MEdicus *Patavinus*, in ſenectute 4. filiis brevi tempore orbatus ſeptuagenarius, ad ſuſcitandam ſibi prolem uxorem ſecundam duxit, ex quâ 3. ei filii nati ſunt: quorum primogenitum *Antonium* doctrinæ inſulis utriusque Juris vidit de more ab ejus Præceptoribus decorari.

Medicus Patavinus, Senex admirandus.

Hieronymum verò ipſemet Laureâ Philoſophicâ cum ſummo gaudio tremulis præ ſenectute manibus exornavit, & obortis præ lætitiâ lachrymis tenerrimè oſculatus eſt. Poſt hæc autem non diu ſupervixit, annos natus 94. qui ſuprà 50. annos docuit.

* *Ex Hiſtor. Patav. lib. 2. Claſſe 9. Bernardini Scardeoni.*

Tempore Principum *Carrarienſium* floruiſſe eum in Gymnaſio *Patavino* circa An. C. 1400. refert *Antonius Riccobonus* in deſcript. Gymnaſii *Patavini*.

BONHOMUS BERNARDI.

Obiit A.C. 1401.

IN valle *Serianâ Italiæ* natus, à primâ ætate ſtudio Medico dedit operam, & tempore *Alberici Roſciati*, J. C. florere cœpit. Vir brevis ſtaturæ vulgò *Bonhominus* vocatus, vel *Benominus* virtutibus grandis apparuit, & divino præditus ingenio, in arte medicâ feliciſſimus huic Aſtrologiam conjunxit. Octuagenario tandem major, & per totam vitam ſanitate proſperâ gaviſus, *Bergami* exſpiravit 9. Maji A.C. 1401.

Bonhominus ob ſtaturæ brevitatem vocatus. *Medicus & Aſtrologus.* *Moritur.*

Petrus Paganus concivi hoc ſcripſit Elogium: *Elogium.*

Bonhomi Bernardi nomen
Hominem indicat, cætera Deum:

Nec

Nec mentior quando quod Deorum eſt
Vel huic per ſuam artem licuerit,
Naturæ jura reſcindere & mortis.
Quæris cur ergò mortuus?
Æquitati, non naturæ, hoc debuit.
Ut quem Libitinæ cenſum multorum vita minuerat,
Ipſe reficeret ſuâ.
Porrò futurus immortalis,
Si quam cæteris vitam dedit
Addere vel ſuis annis potuiſſet.
At vivit adhuc,
Et cum ex cœlorum peritiâ noverit
Sydera quoq; tabeſcere, languere & mori,
Magnis illis corporibus etiam nunc medetur in cœlis.

* *Ex Scenâ literariâ Scriptorum Bergamat. Donati Calvi.*

HELMOLDUS GLODENSTEDE.

Clar. A.C. 1410.

Medicinæ Doctor. Collegii Majoris Collegiatus.

NAtione *Saxo*, patria *Soltwerdelenſis*, diſciplinâ *Lipzenſis*, in Medicinâ Doctor, majoris Collegii Collegiatus, eâ tempeſtate ſua doctrina & Medicinæ peritia in pretio fuit. Qui cum eſſet in bonis artibus, & in Philoſophiâ conſummatiſſimè eruditus, nec paucis annis in *Pragenſi* Gymnaſio in Philoſophicis docuiſſet, ad Medicinæ inſignia non ſine ingenio anhelavit, perfecitque, ut *Æſculapius* apud priſcos, ita ipſe apud *Miſnæ* Marchiones in pretio eſſet. Vir ſupernumerariæ ætatis, ut ex ſenectâ, Scholaſticis laboribus effœtâ, ad puerilia rudimenta rediret.

In Pragenſi Gymnaſio Philoſophiam docuit.

Scripta.

Scripſit in utrâque Medicinæ & artium Facultate non aſpernenda, quæ paſſim in librariâ *Lipzenſi* habentur, videlicet:

Practica Medicinalis lib. 1.
Regiminis ſanitatis lib. 1.
Lectura ſuper Avicennam. Et alia pleraq;.

Rector ſtudii claruit anno Domini 1410.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuriâ Joachimi Johannis Maderi.*

VALESCUS DE TARANTA.

ObiitA.C. 1418.

Medicus Monſpelienſis.

MOnſpelii circa An. C. 1382. Medicinam magnâ laude & multorum fructu inſigni facere cœpit: in quo genere ſtudii cum 36. annos continuâſſet, quæcunque & lectione & quotidianis experimentis didicerat, in unum volumen congeſſit, quod *Philonii* nomine circumfertur. Tradunt etiam, Archiatrum fuiſſe Regis *Gallorum*.

Author Philonii. Archiater Regius. Moritur.

Obiit circa A.C. 1418.

* *Ex Vitis Medicorum illuſtrium Petri Caſtellani.*

Scribit alicubi, ſe viro *Monviedri* oppido regni *Valentini* fuiſſe Abbatiſſam vetulam, cui ſubitò menſtrui fluores renovati, dentes renati, comæ denigratæ, rugæ cutis adæquatæ, mammæ pendulæ ad inſtar virgunculæ ſororiârint, ſic denique ſe toto corporis habitu juvenculam exhibuerit, ut rei novitate perculſa præ verecundiâ ſe cunctorum oculis ſubtrahere fuerit conata.

* *Ex Phyſicâ curioſâ Caſparis Schotti, Soc. Jeſu, lib. de mirabilibus hominum.*

JOHANNES MICHAEL SAVONAROLA.

ObiitA.C. 1431.

NAtione *Patavinus*, Eques Hieroſolymitanus, & Med. Doctor clariſſimus, *Antonii Cerniſchii* diſcipulus, *Ferrariam* ob nominis famam à Duce ad munus Archiatri vocatus, ab eoque magno ſtipendio detentus eſt, qui eò familiam ſuam transtulit, quæ *Patavina* cum anteà fuiſſet, abindè *Ferrarienſis* facta eſt.

Medicus Ferrarienſis.

Ex eâdem ortus eſt *Hieronymus Savonarola*, Monachus *Dominicanus*, ob vitæ puritatem & eruditionem ſingularis.

Ferrariæ tandem vitâ exceſſit, ibique in Templo *S. Mariæ in Vado* ſepultus eſt An. C. 1431.

Moritur.

Opera ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Introductio Practicæ medendi, ſive de compoſitione Medicamentorum Liber. Opus ad componendas medicinas maximè idoneum.
Catalogus, continens tam ſimplicium quàm compoſitorum Medicamentorum Nomenclaturas, uſum, & ſummam.
Canonica de Febribus, de pulſibus, urinis, egeſtionibus, vermibus, & de omnibus balneis ac mineris eorum, videlicet alumine, ſale, nitro, cinere, calce, & gypſo.
De XXIV. Italiæ mineris, deq; uſu vitalis aquæ, & quomodo conficiatur.
De Balneis.
Phyſiognomiæ Speculum.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES CONCORREGIUS.

ObiitA.C. 1438.

MEdiolani natus, & Collegio Medicorum patriæ adſcriptus, publicam Medicinæ Cathedram *Bononiæ* primùm, deindè in aliis *Italiæ* Academiis, & tandem *Ticini* obtinuit, & magnâ cum auditorum frequentiâ Medicam artem profeſſus eſt.

Medicinæ Profeſſor.

In hoc munere lectorio *Ticini* vitam finiit An. C. 1438.

Moritur.

Ingenii monumenta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Tract. de Febribus.
Methodus Medendi.
Lucidarium, flos florum Medicinæ nuncupatum.
Summula de curis febrium ſecundùm hodiernum modum & uſum compilata.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES MARLIANUS.

ObiitA.C. 1438.

MEdiolani, ex nobili familiâ, natus eſt, eo tempore, quo bonæ literæ, & quo paulò antè in Arte Medicâ floruerunt *Johannes*

hannes Matthæus Ferrarienſis, & *Johannes Concorregius*.

Medicinæ Profeſſor Ticini. Philoſophiæ & Medicinæ ſtudiis addictus, & Mathematicus excellens, *Ticini* Medicinam publicè cum applauſu docuit.

In praxi felix Medici munere inſerviit *Galeatio* Vice-Comiti, ejuſque filio *Johanni Galeatio* primo Duci *Mediolanenſi*, à quo multa dona & privilegia accepit.

A *Venetis*, *Bononienſibus*, *Ferrarienſibus*, *Senenſibus*, & *Peruſinis* ad eorum Academias certatim expetitus, in patriâ tamen vitam traducere maluit, in quâ decrepitus, ſanâ corporis diſpoſitione per totam vitam præditus, mortem oppetiit circa A.C. 1438. Moritur.

Typis emiſit:

Scripta. *De Febribus omnibus cognoſcendis & curandis.*

De caliditate corporum.

De Antiperiſtaſi.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

HUGO SENENSIS.

Obiit A.C. 1438.

CApaci ingenio rerum Divinarum & medendi ſcieniam complexus, in utrâque ſic excelluit, ut in alterâ pauci. Floruit *Eugenio IV.* Pontificatum gerente, & *Ferrarienſi* Concilio interfuit.

Vir fuit promptiſſimæ doctrinæ, ut ad quasvis quæſtiones, ſive ex *Platonis*, ſive ex *Ariſtotelis* decretis peterentur, ex tempore ſe reſponſurum in nobili convivio gloriari non ſit veritus.

Philoſophiæ & Medicinæ Profeſſor Parmæ. Erectâ *Parmæ* à *Nicolao Eſtenſi* Marchione primùm Academiâ, ad docendum fuit evocatus, ut teſtatur ipſe in Proœmio *Comment. in artem Galeni*.

Moritur. Obiit *Romæ* An. C. 1438.

Scripſit:

Scripta. *In primum Canonem Avicennæ.*

In Aphoriſmos Hippocratis.

In artem Galeni.

De Febribus Lib. I.

Volumen Conſiliorum.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

BARTOLOMÆUS MONTAGNANA.

Clar. A.C. 1440.

A Patriâ *Montanianâ*, oppido *Italiæ*, ſic dictus, excellens Philoſophus, & celeberrimus Medicus ac Chirurgus fuit, qui in Academiâ *Bononienſi* præ aliis enituit, quemque *Gerardus Bolderius*, Phyſicus olim *Veronenſis*, tantis extollit laudibus, ut immortalem ei adſcribere intelligentiam non vereatur. Alii eum alterum vel ſecundum *Hippocratem* vocant. Claruit A.C. 1440. Hunc præclarè imitatus eſt *Bartolomæus* junior, Medicinæ itidem explanator, qui obiit A.C. 1525.

Medicus Bononienſis. Moritur.

Extant ejus

Scripta. *Opera ſelectiora.*

Tractatûs tres: *De Balneis Patavinis.*

De compoſitione Medicinarum.

Antidotarium.

Conſilia Medica.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Eodem tempore floruit *Petrus Montagnana*, qui opus edidit, in quo picturis & imaginibus interiora hominis cum optimis expoſitionibus ſic effecta ſunt, ut notiora eſſe non poſſint, teſte *Paſchali Gallo* in Bibliothecâ Med.

* *Ex eodem Quenſtedtio.*

ANTONIUS GUAINERIUS.

Obiit A.C. 1440.

TIcini, urbe *Italicâ*, in Statu *Mediolanenſi*, Philoſophus & Medicus eximius, in patriâ Medicinæ Profeſſionem publicam obtinuit, & praxin exercuit. *Johannes Trithemius* in Catalogo ſuo Scriptorum Eccleſiaſticorum vocat eum *Gaynerum*, artis Med. Doctorem celeberrimum, in præceptis Philoſophorum nobiliter doctum, & peritiâ ſuâ Profeſſionis non mediocriter clarum. In patriâ tandem vitâ defunctus jacet in Templo S. *Michaëlis*, cum hoc Epitaphio, circa An. C. 1440. facto:

Medicinæ Profeſſor Ticini. Moritur.

Epitaphium.

Hippocrates medicæ baſis Galienus, & Iſach,
Et quod Avicenna ſcivit humatur ubi.
Hîc eſt Antonius Gaynerius abditus arcâ
Philoſophus, medicæ maximus artis honos
Teſtantur plures libri, quos condidit ipſe,
Famaq; quâ celebris par ſibi nullus erat.
Par ſibi ſola fuit veritate & nomine conjux
Antonia, ut thalami ſic tumulique comes.
Hos Deus ad cœlos exutos corpore traxit,
Ne ſuperis ſanctis tantus abeſſet honor.

Libros edidit:

Scripta. *De ægritudinibus in generali.*

De ægritudine ſtomachi.

De fluxibus.

De artheticâ in juncturis.

De ægritudinibus capitis, & matricis.

Antidotarium.

De febri.

De pleuriſi.

De paſſionibus calculi.

De Peſte, & Venenis.

D Balneis.

* *Ex Theatro Virorum doctorum Italico Hieronymi Ghilini.*

Hæc opera autoris manuſcripta D. *Melch. Sebizius*, Medicus & Profeſſor *Argentinenſis* aſſervat, teſte *Job. Georg. Schenckio in Bibliothecâ ſuâ medicâ.*

PETRUS LEONIUS.

Obiit A.C. 1444.

ORtu *Spoletanus*, inter Medicos primus ferè prolato *Galeno*, Medicinæ limen aperuit, & in præcipuis *Italiæ* Gymnaſiis cum gloriâ Medicam Artem ex puris *Græcorum* fontibus profeſſus eſt ac exercuit. Aſtrologiæ quoque peritus, de eventu rerum graviſſimarum ſæpiùs prædicere conſuevit, & ad amicos ſæpè dixit, ſubitæ ſibi mortis periculum in aquis portendi.

Medicinæ Profeſſor, & Aſtrologus.

Eâ de

Digitized by Google

Eâ de cauſâ mutatâ ſede è *Patavio Venetiis*que in *Umbriam* & *Spoletum* demigravit, ut navigationum occaſiones effugeret.

Cum verò exindè *Florentiam* evocatus eſſet ad *Laurentium*, Ducem *Medicéum*, extremè decumbentem, neglectis remediis, morbum facilè ſponte ceſſurum fruſtrà pollicitus eſt. Sed non diu poſt detectâ morbi malignitate ægrotoque ſenſim deficiente, ſupervenit *Lazarus Placentinus*, illuſtris Medicus, à *Ludovico Sfortiâ*, Duce *Mediol. Ticino* miſſus, qui non obſcurè *Leonium* perſtrinxit, quod neglectis morbi initiis, facilis curationis occaſio periiſſet.

Fati ſui vates. In puteo ſubmerſus obiit.

Ita exſpirante *Laurentio*, Duce, *Leonius* ex infamiæ dolore ad inſaniam redactus, in proximum *Caregiæ* villæ puteum proſiliit, & ſubmerſus eſt.

Alii à *Petro Medicéo* mortem Patris vindicante ſcelus id amiſſum ſcripſerunt, ut *Actius Sincerus Hetruſco* Carmine deploravit. Sed nullum præclarius patratæ necis argumentum indè ſuſpicionem fovet, quàm ipſius authoris par ſceleri ad juſtam pœnam interitus, cum ille à clade *Gallorum* ad *Lyrim* aufugiens, in oſtio fluctibus nave obrutâ fœdè perierit.

Fatali itaque merſus aquâ perire coactus eſt An. C. 1444.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

HUGO BENCIUS.

Obiit A.C. 1448.

PAtriâ *Senenſis*, Philoſophus fuit & Medicus ſui temporis excellens, ut meritò alter *Ariſtoteles* & novus *Hippocrates* vocari potuiſſet. Theologus prætereà fuit ſublimis. Artem medicam in Univerſitate *Ferrarienſi* publicè profeſſus, in Concilio quoque ibidem celebrato *Græcorum* rationes cum *Latinis* de Religione diſputantium egregiè refutavit.

Medicinæ Profeſſor Ferrariæ. Theologus.

Deindè in Academiâ *Parmenſi* Profeſſor Med. à Marchione *Nicolao Eſtenſi* conſtitutus, *Romæ* vitam finiit A.C. 1448. *Ferrariæ* in Templo S. *Dominici* hoc ei poſuerunt *Epitaphium* filii:

Moritur. Epitaphium.

DEO IMMORTALI MAX.
HUGONI BENCIO SENENSI
PHILOSOPHORUM OMNIUM AC MEDICORUM
SUÆ ÆTATIS FACILE PRINCIPI,
PARENTI OPT.
OB EXCELLENTEM DOCTRINAM
DE UNIVERSO HOMINUM GENERE
B. M. FILII POSS.
XI. CALEND. DECEMB. ANNO
MCCCCXLVIII.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta.

Expoſitio ſuper quatuor primi Avicennæ.
In primum Canonem Avicennæ.
Comment. in Aphoriſmos Hipp. In Artem Galeni.
Conſiliorum Volumen.
Interpretatio de Febribus.
Regole della ſanità, & della Natura de Cibi.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

JOHANNES ARCULANUS.

Clar. A.C. 1460.

NAtione *Romanus*, vel, ut alii prodiderunt, *Veronenſis*, Medicus ſuâ ætate fuit celeberrimus, æqualis *Hugonis Senenſis*. *Bononiæ* & *Patavii* tempore longo docuit, tandemque *Ferrariæ*, ubi medio curſu ſtudiorum acerbâ morte ſublatus eſt.

Medicinæ Profeſſor Bonon. Patav. & Ferrar.

Sepulchro ejus hæc addita Inſcriptio:

Epitaphium.

Qui juſtæ vitæ meritis & Philoſophiæ
Summâ arte, ac ſtudio gloria ſumma fuit:
Ipſamqui verò Medicinam novit, & ægris,
Si quà fuit, ſolus ſpesq; ſalusq; fuit.
Reges & populos deſlendâ morte Joannes
Orbatos linquens conditur hoc tumulo.

Scripſit:

Scripta.

In nonum Almanzoris opus eruditum.
Lib. de Febribus.
Commentar. in IV. Fen Avicennæ.

* *Ex Vitis Medicorum illuſtrium Petri Caſtellani.*

JOHANNES MATTHÆUS FERRARIUS, vel DE GRADIBUS.

Obiit A.C. 1460.

EX nobili familiâ *Ferrariorum* ortus, *De Gradibus* cognominatus eſt à patriâ *Grado* 10. milliaribus à *Mediolano* diſtante.

In Collegio patrio Medicus fuit excellentiſſimus ſublimis ingenii, qui eo ſeculo, quo litteræ Barbarorum tyrannide oppreſſæ reſurgere cœperunt, vixit, & Artem Medicam publicè in Gymnaſio *Ticinenſi* cum laude docuit.

Medicinæ Profeſſor Ticini.

Multis etiam annis Duciſſæ *Mediolanenſi Blancæ Mariæ* Archiatri nomine inſerviit. Senex tandem vitâ exceſſit A.C. 1460.

Archiater Mediolanenſis. Moritur.

Opera ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Commentar. textualis cum Ampliationibus & Additionibus materiarum in nonum Rhaſis ad Almanſorem, adjuncto etiam textu.
Conſilia varia Medicinalia.
Super 22. Fen tertii Canonis Avicennæ.
Practica, continens Methodum Curativam Morborum.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

WERNERUS WOLFFLINUS.

Clar. A.C. 1463.

NAtus *Rotenburgi* ad *Neccarum*, *Sueviæ* oppido, quod antequàm terræ motu & inundatione aquarum perderetur, Landskron vel Landsfurt dictum volunt. Facta eſt illa dirutio A. 1212.

A. 1460. Cum Academia *Baſileenſis* à *Papâ Pio II.* erecta, inque eâ primus Rector *Georgius ab Andlo* Canonicus fuiſſet conſtitutus, hic *Wolfflinus* primus Medicæ facultatis Decanus deſignatus eſt.

Decanus Academiæ Baſileenſis.

Deindè primas Medici ordinis leges ac ſtatuta conſcripſit, & promulgavit.

Scripta.

A. 1463. In Feſto S. *Lucæ* Rector ibidem electus eſt.

Rector.

Commen-

Commendârunt ipſum in docendo felicitas, & in curando dexteritas.

Moritur. Tandem ætate & meritis gravis fatis ibidem conceſſit, poſteris ad noſtram uſque memoriam relictis.

Obiit A. C. 1465.

JACOBUS DE PARTIBUS.

MEdendi ſcientiâ celeberrimus, valetudinem *Philippi*, Ducis *Burgundiæ*,

Archiater Gall. nec non *Caroli VII. Gallorum* Regis diu rexit. Poſteà *Tornacenſis* Eccleſiæ Ca-

Canonicus. nonicus, & Sacro ærario præfectus, ibidem dotatâ leproſorum domo teſtatam apud

Moritur. poſteros pietatem reliquit: & obiit circa An. C. 1465.

Scripſit:

Scripta. *Commentar. in omnes Canones Avicennæ*: opus ſine nitore quidem, ut ſæculi illius genius fuit, ſed latè diffuſum, quodque omnes Medicinæ partes ita pertractatas continet, ut exquiſitæ eruditionis & ſingularis diligentiæ laudem mereatur.

Lib. de Antidotis.

de quibusdam morbis particularibus.

Introductorium Medicinæ.

* *Ex Vitis Medicorum illuſtrium Petri Caſtellani.*

Obiit A. C. 1473.

MARQUARDUS FRÖER, Pater.

NAtus eſt circa An. C. 1425. ex familiâ

Ortu Würtenbergicus. de *Weiſach*, cujus nomen geſſit. Eſt autem *Weiſach* pagus in Ducatu *Würtenbergico*, non procul ab oppido *Canſtadio* ſitus, ſub Cœnobii *Maulbrunnenſis* diœceſi.

Medicinæ Doctor, & Practicus in oppido Dünckelſpiel. Medicinæ Doctor creatus, praxin in oppido Dünckelſpiel exercuit, non tamen è numero civium ibi fuit. Collegas tunc habuit & coætaneos Med. Artis Doctores, *Michaëlem Schrickium*, *Henricum Mynſingerum*, & *Johannem à Braunau*, quorum in manuſcriptis ſuis meminit; inter quæ videre licuit de Leprâ Judicium, cui hiſce verbis ſubſcripſit: Meyſter Marquart von Wyſſach / Meyſter der 7 freyen Künſten / und Lehrer der Artzney / beneben Meiſter Hannſen von Braunau.

Uxorem duxit. Circa An. C. 1453. *Dünckelſpülæ* duxit Uxorem virginem *Annam à Keſſingen*, cujus pater vir opulentus in tractu circa *Nordlingam Ries* vocato habitavit, & in ſenectute quietis amore ſedem *Dünckelſpielam* tranſtulit.

Ex hâc conjuge filium ſuſcepit & reliquit unicum ſibi cognominem, Medicinæ Doctorem, & Practicum *Auguſtæ Vindelicorum*: Filiam itidem unam *Gertrudim*, An. 1476. deſponſatam *Ambroſio Fuxharto*, Conſuli *Dünckelſpielenſi*, & fœderis *Suevici* Conſiliario.

Moritur. *Dünckelſpielæ* tandem vivendi finem fecit 24. Auguſti An. C. 1473. ætatis circiter 48.

* *Ex Manuſcript. Marq. Freheri, J. C. Hieron. filii.*

THEODORICUS GRESEMUNDUS DE MESCHEDE. Clar. A. C. 1450.

IN *Weſtphaliâ* primum hujus Cœli ſpiritum hauſit.

Jactis in patriâ primis ſtudiorum fundamentis *Erfordiam*, *Thuringiæ* metropolim, *Erfordiæ literis operam dat, & fit Doct. Medicinæ.* ſtudioſorum frequentiâ tunc florentem, augendæ eruditionis gratiâ ſe contulit, ibi philoſophicis & medicis deditus, in utrisq; teſtimonium ſummum ſeu Docturæ axioma eſt adeptus.

Moguntiam indè profectus, larem ibi fixit.

Filium habuit cognominem, tantâ indole, ut vix 15. æt. annum egreſſus, tum ad *Tritbemium*, tum ad alios ejus ſæculi viros doctos epiſtolas plurimas *Ciceronianam* facundiam redolentes ſcripſerit.

Frater ipſius natu major, *Godeſchalkus Meſchede*, unà cum ipſo *Erphordiæ* ſtudiis deditus, Theologiæ Doctor ibi fuit creatus, & Sacræ Scientiæ Profeſſ. publ. deſignatus. Quo in officio multis annis magnâ cum autoritate vixit.

Floruerunt ambo ſub ann. Chriſti 1470. & 1480. *Friderico III.* rerum Imperii potiente.

Artium & Medicinæ Doct. vir undecunque doctiſſimus ſcripſit de regimine ſanitatis tempore peſtilentiali.

* *Ex vitis Medicorum Melch. Adami.*

ANTONIUS GALATÆUS. Clar. A. C. 1480.

A Patriâ *Galatini*, *Salentinorum* oppido, cognomen nactus, ſummus fuit Phi-

Medicus. loſophus, Medicus, Orator, Coſmographus & Poëta. Quantus vir fuerit, ex Hendecaſyllabis illis, quibus eum *Jovianus Pontanus* celebrat, cognoſcere eſt. Præter Carmina *Hetruſca*, & *Quæſtiones Phyſicas* ſcripſit *Commentar. de ſitu Japygiæ*, opus ju-

Scripſit laudem Podagræ. dicio *Jovii* cum antiquis comparandum. Idem laudationem Podagræ, feſtivum opuſculum, jam podagricus, dolori leniendo conſcripſit.

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

ALEXANDER BENEDICTUS. Clar. A. C. 1495.

MEdicorum *Italiæ* ſuâ ætate decus eximium, indefeſſo Artis Medicæ cogno-

Medicinæ Profeſſor Patavii. ſcendæ ſtudio gentes remotiſſimas luſtravit. Docuit deinde *Patavii* magnâ frequentiâ auditorum. Medicinam operatricem *Venetiis* quoque diu profeſſus eſt.

Floruit Imperante *Maximiliano I.*

Scripſit:

Scripta. *De morbis medendis à vertice ad calcem Libros XXX.*

Aphoriſmorum Lib. I.

De Medici & ægri officio.

De Peſte, ejus cauſis, & materiâ auxiliorum Lib. I.

Anato-

Anatomes Libros V.
Diar. de bello Carolino opus perelegans.
* *Ex vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani, & Collegii Veronenſis Illuſtribus Medicis Andreæ Chiocii.*

Flor. A. C. 1498.

MARTINUS MELERSTAT.

NAtione *Franco*, patriâ *Melerſtatinus*, diſciplinâ *Lipzenſis*, vir diverſis naturæ dotibus ſingularis. Ingenio acutiſſimus, eloquio lepidiſſimus, diſputator acerrimus, in præcipiendo reſolutus, gratioſusque.

Philoſophiæ Magiſter.

Hic cum poſt ſuſcepta Magiſterii inſignia in Philoſophiâ conſummatiſſimus eſſet, cœteriſque diſciplinis abundè doctus, D. *Thomæ Aquinatis* & aliorum plerorumque dogmata viginti fermè annis cum maximo auditorum profectu & attentione in *Lipzenſi* Academiâ revolvit, propriis commentariis multa dilucidans. At pòſt ad Medicinam applicans, cum in utrôque non mediocriter peritus exiſteret, & hujus inſignia facultatis cepiſſet, famâ fragrante à *Friderico*, Duce *Saxoniæ*, & *Romani* Imperii Electore Phyſicus accerſitur, cujus usque caſtra proſecutus eſt. Scripſit & carmine & ſolutâ oratione, cum in utrâque doctiſſimus fuerit, non aſpernanda, quæ partim impreſſa feruntur, partim ab eo in ſtudio pronuntiata officinam non indignè expectant, quibus nomen ſuum memorandum reliquit:

Doctor Medicinæ.

Scripta.

In Tractatûs Petri Hiſpani lib. 1.
In parvulum Logicæ lib. 1.
In veterem artem curſum unum.
In novam Logicam curſum unum.
In Phyſicam curſum unum.
In Metaphyſicam libb. XII.
Regimen Peſtilentiæ lib. 1.
De verbo intelligibili librum acutiſſimum.
Ephemerides plures.
Quæſtiones diſputatas lib. 1.
Carmen Epidaurum lib. 1. Tercentum luſtris.
Carmen natale lib. 1.
Elegiam in mortem Erneſti.
Orationes varias in ſtudio memoriter dictas.
Item Epiſtolarum ad diverſos lib. 1.

Claruit ſcribens plura clariſſima in lucem proditura, Archiater Illuſtriſſimi Principis *Saxoniæ Friderici* &c. An. D. 1498.

Archiater Principis Saxoniæ.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuria Joachimi Johannis Maderi.*

Clar. A. C. 1500.

LAURENTIUS LAURENTIANUS.

FLorentiæ aliquandiu & *Piſis* Philoſophiam Medicinamque profeſſus, ingenium elegantibus literis deditum ad traducendum *Hippocratem* convertit, quod *Theodorus Gaza*, diligens alioquin interpres, circumſcripti authoris Laconiſmis minimè reſpondere videretur.

Medicinæ Profeſſor.

Hippocratis interpres,

& Galeni.

Extant & ejus Lucubrationes eruditæ in *Galenum*, Medicinæ Principis arcana perobſcurè interpretantem. Sed in Commentationum curſu planè miſer atrâ bile correptus eſt. Empturus enim domum eâ pactione tertiam pretii partem numerârat, ut, niſi intra ſextum menſem totius ſummæ pecuniam repræſentaret, arrhabonis pecunia lucro venditoris amitteretur.

Adventante verò die, cum multa ei adverſa ſpem fefelliſſent, diffiſus amicorum liberalitati & jacturæ dolore perculſus, animum deſpondit, in profundumque puteum ſe conjecit, ſub id tempus, quo *Petrus Soderinus* erecto populari dominatu, tanquàm Dictator perpetuus, ſummâ cum moderatione *Florentinæ* Reipublicæ præſidebat.

Ex deſperatione in puteum ſe conjecit.

Claruit An. C. 1500.
* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

ADOLPHUS OCCO FRISIUS.

Obiit A. C. 1503.

EX equeſtri familiâ natus *Oſterbuſæ*, vico *Friſiæ Orientalis*, An. C. 1447. Patre *Haingo Occone*, Medicus & Poëta fuit inſignis, *Rudolpho Agricolæ*, *Gröningenſi* admodùm familiaris, & aſſiduus ejus in Bibliothecâ communi ſtudiorum ſocius. *Sigismundo*, Archiduci *Auſtriæ*, A.C. 1469. defuncto, fuit à Medicinis.

Medicus Sigismundi Archiducis Auſtriæ.

Nepotem habuit *Pompejum Occonem*, quem *Alardus Amſtelredamus Friſiæ* decus multis nominibus appellat. Hujus filio *Sibrando Pompejo Occoni Aphthonius* Progymnaſmata ſua dedicavit.

Collegit & edidit *Epitaphia, quæ Viri eruditi diverſi in obitum Rudolphi Agricolæ fecerunt.*

Scripta.

Obiit tandem *Auguſtæ Vindelicorum* A.C. 1503. ætatis 56.

Moritur Auguſtæ Vindelicorum.

Relicto filio cognomine Medico *Auguſtano.*

Naturæ cauſas, plantarum ſemina novi:
Quis Friſiæ lumen me columenq́; neget?

* *Caſpar Cunradus, Med. Proſopograph. Melicæ Millen. III.*

HIERONYMUS TURRIANUS, vel TURRIUS.

Obiit A. C. 1506.

E Nobiliſſimâ familiâ ortus, cum ab ineunte ætate admirabile ingenii ſpecimen dediſſet, humaniorum literarum, Rhetoricæ ac Dialecticæ ſtudiis, in quibus mirificos progreſsûs fecerat, nominis ſui famam paſſim propagans, mox ſe Philoſophiæ doctrinâ imbuendum cenſuit, quam Moralem, Phyſicam, & Divinam cum planè deguſtâſſet, legendo, diſputando, & implicatos difficultatum nodos, & labyrinthos evolvendo, & excutiendo, maximum nomen *Patavii* eſt adeptus: quâ laude minimè contentus, ſe properè ad Medicinæ rationalis ſtudium convertit; multa dogmata, & præcepta illius artis experimentis, & accurata ægrotantium, & ægritudinum obſervatione veluti animans, & corroborans.

Qqqqqqq Hinc

Collegii Medici Patav. ſocius.

Hinc factum eſt, ut anno 1442. in Collegium percelebre Medicorum *Patavinorum* fuerit cooptatus, quamvis Collegii illius decreta apertè ipſi refragari viderentur; tantum eximiæ, & præcellentis eruditionis meritum valere apud nobiles, & ingenuos viros potuit. Lecturam mox praxeos Medicæ extraordinariæ adeptus, ſub auſpiciis Sereniſſimi Ducis *Venetiarum Nicolai Marcelli* maxima ingenii, doctrinæ, & indefeſſi laboris inter legendum, & medendum, documenta exhibuit, idque juvenis admodùm antequàm, doctoratus Medici inſignia nanciſceretur: quæ deinceps nactus Lectura publica ordinariæ praxeos medicæ, celeberrimo *Corradino* Collega ab ampliſſimo Senatu acerrimo illuſtrium meritorum Judice eſt cohoneſtatus.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

Accerſitus mox ad *Ferrarienſe* Gymnaſium, quod eo tempore mirabiliter florebat, conditionem optimam, & honorarii optimi, & primæ Cathedræ non recuſavit, idque *Auguſtini Barbatici* Principis Reipublicæ Sereniſſ. nutu; ſed ſtatim ſummo *Patavini* Gymnaſii ſtudio & deſiderio revocatus, & ampliſſimo ſtipendio inclytæ Reipublicæ beneficio auctus, 19. continuos annos publicè eſt profeſſus.

Ejus Eruditio & Judicium.

Porrò legimus in domeſticis ejus familiæ Annalibus *Hieronymum* noſtrum non ſolùm legendo fuiſſe admirabilem, ſed in curandis ægris deſperatis, & depoſitis quantum arte Medicâ ſingulare ingenium, & penè divinum progredi valet, cumulatè præſtitiſſe, & ſæpiſſimè feliciſſimos curationum exitus inſpexiſſe: longè etiam diſſitos ægrotos curationum conſultationibus ad unguem elaboratis per univerſam *Europam* transmittendis juvaſſe: ut rerum notitia *Pythagoræ*, judicio *Democrito*, & *Hippocrati*, ordine *Herophilo*, experientiæ copia *Galeno* par eſſe omnibus videretur.

A principibus viris magni æſtimatur.

Hâc peritiæ famâ, & longinquos *Barbaros* permovit, ut ad ſe ipſos curandos ipſum nobiliſſimis præmiis propoſitis invitarent, ut ab *Artaxerxe* etiam *Hippocrates* fuit accerſitus: quare & à *Schenderio, Serviæ* Præfecto, & Satrapâ invitatus, qui gravem morbum ex belli laboribus contraxerat, ire recuſavit; ſed & à Sereniſſimâ *Cypri* Reginâ bis accerſitus eſt, idque per Ducales literas Sereniſſimæ Reipublicæ, cui *Catharinæ Corneliæ Heroinæ* ſalus & incolumitas curæ erat. Reges etiam, & Dynaſtæ præcipui ſummi beneficii & bonæ fortunæ loco habebant, ſi is eorum curationi præeſſet.

Ejus virtutes.

Fides, humanitas, prudentia, dexteritas, præter eximiam artis notitiam, & peritiam, imprimis omnibus probata: Pietatis Chriſtianæ laude potiſſimùm floruit, quæ in operibus potiſſimùm charitatis elucet, ut nullum unquàm egenum, & pauperem à ſe non largiter, & munificè donatum dimiſerit.

Moritur.

Cœterùm dum multa medica opera à ſe pridem concepta limare, & in lucem edere cogitaret, & ſe in quietis portum recipere, Patriæ cognatorum, amicorum, & Collegii *Veronenſis* aſpectu frui jam ſecum conſtitueret, 62. ætatis annum agens, An. 1506. gravi febre decumbens, ſibique prognoſi factâ, extremum vitæ diem prædicens, animam DEO Optimo Maximo reddidit, *Julio*, Juriſconſulto, M. *Antonio*, Medico & Philoſopho graviſſimo, & *Johanni Baptiſta*, Philoſopho & Aſtronomo percelebri, & *Raymundo* liberis relictis, & paternæ virtutis æmulis.

In laudem ejus Orationes habuêre duo Clariſſimi Oratores *Parthenius*, & *Johannes Pierius Valerianus*, præſentiâ Illuſtriſſimorum Urbis Rectorum *Andreæ Gritti*, Prætoris, & *Pauli Piſani*, Præfecti. Translatum mox *Veronam* cadaver, & in D. *Firmi* majoris Templo in *Turrianorum Baſilica* conditum ab ejus filiis præclaro Mauſoleo extructo aëre cælato, & auricalcho tum pretioſis marmoribus elaborato.

Duobus etiam *Epitaphiis* exornatum Mauſoleum, quorum unum verſus partem Septentrionalem è regione altaris:

Epitaphium.

HIERONYMO TURRIANO PATRI OPTIMO
ET M. ANTONIO FRATRI
MAXIME UNANIMI.
JULIUS, JOH. BAPTISTA ET RAYMUNDUS
FRATRES P.
AMBORUM OSSA, QUÆ DIVERSIS PRIUS
IN LOCIS, UT QUEMQUE MORS OCCUPAVERAT, CONTEGEBANTUR,
IN PATRIAM TRANSLATA
EODEM IN TUMULO COLLOCAR.

Verſùs partem meridionalem è regione ſepulchri, quod commune eſt:

UNIVERSÆ FAMILIÆ TURRIANÆ
VIXIT PATER ANN. LXII.
NEQUE ULLI TAMEN
OB PRÆCLARAS INGENII ARTES
QUÆ TUM MAXIME IN ILLO FLOREBANT
NON IMMATURE ERIPI VISUS EST
FILIUS, CUM IS JAM PATRIÆ NON SOLUM
LAUDI ÆQUARETUR
SED ET IN MAJOREM, ET NESCIO QUAM
SUI EXPECTATIONEM HOMINES
EREXISSET.
XXX. ÆTATIS ANNO ACERBISS.
OMNIUM FATO PERIIT.

* *Ex Collegii Veronenſis Illuſtribus Medicis Andreæ Chioccii.*

BERNARDINUS PLUMATIUS.

Clar. A.C. 1506.

ALberti Magni Dialecticæ opera omnia à ſe emendata, in lucem edidit A. 1506. acerrimus Dialecticus atque Philoſophus & Medicus Præſtantiſſimus ab ævi ſui eruditis appellatus.

Medicus Præſtantiſſimus.

Hippocratem, Evnuchos Podagra non laborare, dicentem, ita excuſavit: quod illius tempeſtate, non ſuâ, homines temperatiſſimè vivebant, atque ita execti Podagram evitabant.

Hanc doctrinam *Bernardinus Paternus* & *Alexander Maſſaria*, duo maximi Medici in Acade-

Academiâ *Patavinâ*, interpretes latius ſunt perſecuti.

Quatuor Semel Plumatii. Nonnulli etiam quatuor illa ſemel, quæ incolumes & ſanos permultos annos *Romanos* veteres ſervârunt, *Plumatio* attribuunt:

Semel in die cibum capere.
Semel in hebdomade cum uxore Venere uti.
Semel in menſe vomere.
Semel in anno ſanguinem mittere.

* *Ex Collegii Veronenſis illuſtr. Medicis Andreæ Chiocci.*

Obiit A.C. 1509.

GABRIEL PREZATUS.

Medicinæ Profeſſor Bononiæ. ARtem Medicam *Bononiæ* poſtquàm didiciſſet, & in urbibus *Italiæ* diverſis Praxin Medicam exercuiſſet, A. 1477. *Bononiam* ad Profeſſionem Medicam vocatus, eo munere cum laude functus eſt. *Moritur.* *Bergami* tandem in patriâ ſuâ exſpiravit An. C. 1509.

Scripta. Peſte *Bergami* A. 1503. graſſante ſcripſit Tractatum, intitulatum *Flagellum Dei*. Hic in duas *partes* fuit diviſus, in primâ tractavit de *Cauſis & remediis præſervativis peſtilentiæ*: in ſecundâ de *curâ infectorum*.

* *Ex Scenâ literariâ Scriptorum Bergomat. Donati Calvi.*

Obiit A.C. 1512.

UDALRICUS ERBARUS.

HUnc Medicinæ Doctorem & Profeſſorem in Academiâ *Wittebergenſi* fuiſſe, demonſtrat Inſcriptio, quæ in Templo *Witteberg.* Parochiali legitur hujuſmodi:

Quæ me cum multis genuit pia mater alumnis,
Hæc mihi nupta fuit, hæc mihi nata fuit.
Hæc peperit patri natam per vulnera mortem,
Qui tulerat moriens nocte mucrone foro.
Philoſophus & Medicus Wittebergenſis. *Et hic Udalricus, ſi neſcis, Rector & idem*
Philoſophus, Medicus condor in hoc tumulo.
Hic lapis Udalricon habet Medicumque Monarcham,
Conditur is duro vulnere diſcipuli.

UDALRICUS ERBARUS cum anno 1512. *à Nobili occiſus.* Rectoris Magnifici officio fungeretur, à nobili quodam occiſus eſt, quemadmodum ex faſtis Academicis *Balthaſar Mencius* annotavit.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi, edita à Gotfrido Suevo, J. C.*

Obiit A.C. 1512.

MARCUS ANTONIUS TURRIANUS.

Filius Medici. NAtus eſt *Veronæ*, ex eâ perilluſtri familiâ, quæ ante 300. annos *Inſubribus* imperârat, Patre *Hieronymo*, Medicinæ *Medicinæ Profeſſor Patavii & Ticini.* Profeſſore excellenti: ita ut non mirum ſit, ſi ab ineunte ætate in eâdem & Mathematicâ educatus diſciplinâ multò maturius quàm quiſque alius ad primos ſuggeſtus honores *Patavii* & *Ticini* pervenerit.

Præferebat os maximè venuſtum, ſerenâ quâdam comitate occurrentium animos alliciens: verùm docendo & diſputando mirus, prolatis *Græcis* authoribus, pudendos errores, & vitæ quidem exitiales oſtendebat, in quos Medici ex herbariæ facultatis ac Anatomes inſcitiâ cecidiſſent.

Elaborabat profitendo ſimul atque ſecando damnatorum cadavera Volumen *Anatomicum.* Anatomes ex placitis *Galeni*, quo *Mundinum*, rudis ſeculi ſcriptorem, & *Zethum* in eodem negotia delirantem jugulârat.

Hic *Zethus* ambitioſo avaroque ingenio cum accitus grandi pecuniâ penetrâſſet ad *Triballos*, ut *Schenderbaſſam* luctuoſâ in *Euganeos* irruptione clarum intercute morbo liberaret, nec demùm quod inflatè promiſerat, morienti præſtaret, à Barbaris ſervis, ut Domini manibus, eâ ſcilicet victimâ parentarent, trucidatus interiit: ita ut lepidè *Turrianus* in eum jocaretur, cum libri ejus errata diſpungeret, quaſi jure conciſus eſſet, quod magnâ diſſentium injuriâ perperam ſecundo cadavera ipſe vivus meritam talionis pœnam ſubiiſſet.

Hoc *Turriano* Præceptore in Gymnaſio *Ticinenſi* artis Medicæ lauream & annulum, *Paulum Jovium Medicinæ Doctorem creavit.* comprobatæ dignitatis ornamenta, *Paulus Jovius*, Epiſcopus poſteà *Nucerinus*, accepit.

Non multos poſt menſes, cum ad ripam *Benaci* lacûs ſeceſſiſſet, peſtiferâ febre 33. annorum juvenis ereptus eſt, *Moritur.* cum *Julius* Pontifex in Pſeudo-Cardinales faventesque ei *Gallos* victricia arma in luctuoſum utriusque *Ravennatis* pugnæ eventum expediret An. C. 1512.

Ad meritos autem titulos *Veronæ* tumulo inſcriptos, *Nicol. Archius* hoc lepidum diſtichon adpoſuit:

Ante annos ſciviſſe nocet, nam maxima virtus
Perſuaſit morti, ut crederet eſſe ſenem.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

MARTINUS POLLICHIUS.

Obiit A.C. 1513.

PAtriam habuit *Mellerſtadium*, oppidum *Franconiæ*.

Lipſiæ fit Doct. Medicinæ. *Lipſiæ* Doctor artis Medicæ renunciatus, ibidem eam artem publicè docuit.

Lux mundi vocatur. Eruditionis nomine *Lux mundi* tunc vulgò vocatus eſt.

An. 1493. Cum *Fridericus Saxo* peregrinationem Religionis ergò in *Palæſtinam* cum avunculo ſuo *Chriſtophoro*, Duce *Bavariæ*, ſuſcepiſſet, Comitem ſibi *Pollichum* adjunxit. Hic cum in Inſulâ *Rhodo* Principes poſt hauſta liberiùs vina *Cretenſia* balneas eſſent ingreſſi, non vocatus ingreditur, & è balneis *Fridericum* ſuâ manu apprehenſum educit, *Chriſtophoro* paucis diebus pòſt febri ardente extincto. Hujus beneficii recordatione *Fridericus* illum toto vitæ ſuæ tempore veneratus eſt.

An. 1495. Ortâ *Lipſiæ* diſputatione de *morbo Gallico*, qui recens tunc ex *Africâ* in *Europam* propagatus erat, ſitne ἐνδήμιος an ἐπιδήμιος? in aulam *Friderici* Electoris evocatus, migravit. Eo tempore, cum

Elector de erigendâ in ſuo territorio Academiâ cogitaret, *Pollichius* cum *Staupicio* negocium hoc urſit, & ut *Wittenberga* ſedes Scholæ fieret, effecit.

Rector Academiæ Wittebergenſis.

18. Oct. A. 1502. die *Lucæ* ſacrâ, cum Academia ſolenniter introducta eſſet, ipſe primus in eâ Rector creatus, & primus matriculæ inſcriptus eſt. Sub ejus Rectoratu primo illo ſemeſtri 416. ſtudioſi fuerunt inſcripti.

Theologiæ Doctor.

Primus etiam in eâ Academiâ Theologiæ Doctor renuntiatus eſt, & eandem profeſſus. Scribunt quidam & in Jurisprudentiâ Doctorem fuiſſe creatum.

Primum Philoſ. Magiſtrum *Bernhardum Schillerum* in Medic. Doctorem promovit.

Profeſſor Medicinæ.

A Theologicâ deindè Profeſſione ita volente Electore ad artem medicam docendam acceſſit.

Ejus vaticinium de Luthero.

Cum *Mart. Lutherum* docentem & publicè diſputantem audiviſſet, ſæpè id, quod evenit, ominari, & ſupra menſam dicere ſolitus fertur: Der Münch wird alle *Doctores* irr machen / und ein neue Lehr aufbringen / und die ganze Römiſche Kirch reformiren: dann er legt ſich auf der Propheten und Apoſtel Schrifft / und ſihet auf JEſu Chriſti Worte: Das kan keiner mit der Philoſophi / Sophiſterey / Scotiſterey / Albertiſterey / Thomiſterey und dem ganzen Tartaret umſtoſſen.

Moritur.

Deceſſit 27. Dec. An. 1513.

Frater ipſius *Valentinus Pollichius*, ut grata *Martini* memoria retineretur, teſtamento facto mille aureos, quorum pars maxima à fratre hæreditario jure ei obvenerat, Academiæ legavit, de quorum fructibus annuis ſubſidia ferantur adoleſcentibus ſtudiorum causâ ibi verſantibus.

Effigies ejus ad vivum cum hâc inſcriptione habetur in Collegio *Auguſti*, in nominato ſupra loco, feſtivitatibus Academicis dicato ſupra Januam:

Epitaphium.

MARTINO POLLICHIO MELLERSTAD FRANCO, DIVINARUM HUMANARUMQUE SCIENTIARUM ERUDITISS. ELECTORIS FRIDERICI, SAPIENTISS. OPTIMAR. LITER. MOR. QUE DOMI DOCTORI, FORIS, TERRA, MARI DUCTORI, UBIQUE CONSULTORI, FIDO, FELICI, CONSTITUTÆ HIC ACADEMIÆ AUTHORI, RECTORI PRIMO, ET IN CATHEDRA MEDICA ANTECESSORI, VIRO SUO SECULO CLARO CAROQUE PONI CURAVIT DOCTOR JOHANNES JESSENIUS A JESSEN, RECTORE FRIDERICO TAUBMANNO FR.

Circa ejus Effigiem extat ſcriptum:

Aureus hocce loco ſtare diu merui.

Aliam hujus vitæ deſcriptionem vide ſupra pag. 1215. ſub nomine *Mart. Melerſtat.*

Clar. A. C. 1514.

BURCKARDUS HORNECK.

Medicinæ Doctor.

NAtione *Oſtro-Francus*, patriâ *Heilbronnenſis*, clariſſimus Medicinæ Doctor, animo & genere ſpectabilis, nobilisque Philoſophus, Orator, Phyſicus & Poëta inſignis. Qui cum eſſet in bonis artibus & in Philoſophiâ eruditiſſimus, & in Medicinâ univerſaliter peritus & doctus, tam in *Italiâ*, quàm in *Germaniâ* apud Reges ac Principes, & quoscunque Optimates in ſummo pretio & honore habitus eſt.

Apud Reges, Principes, & Optimates in ſummo honore habitus eſt.

Nam & *Friderici III.* Imp. Sereniſſimi multos per annos familiaris & amiciſſimus extitit Phyſicus. Denique *Herbipolenſis* ſuis meditationibus & conſiliis * * * * per annos ſalutifer & accommodatiſſimus fuit.

Imperat. Friderici III. familiaris extitit Phyſicus.

Et cum in liberalibus diſciplinis doctiſſimus fuerit, divinarum attamen ſcripturarum, i. e. ſacræ Theologiæ, non parvam ſcientiam poſſedit.

Sacræ Theologiæ periſſimus.

Scripſit in Medicinâ & in Theologiâ non parvæ utilitatis opuſcula, quorum quidem aliqua impreſſa ſunt; alia in lucem nondum prodierunt:

Scripta.

Super ſententias per figuras.

De Regimine ſanitatis, carmine lib. 1.

De Morbo Epidemiæ, & curâ ejusdem lib. 1.

Claruit *Herbipoli* A. C. 1514.

* *Ex Scriptorum inſignium Centuriâ Joachimi Johannis Maderi.*

Clar. A. C. 1514.

PAULUS RICIUS.

NAtus in *Germaniâ*, ex parentibus *Judæis*.

Sed ubi adolevit, Judaiſmo relicto, Chriſtianam fidem ſuſcepit, & publicè baptizatus eſt.

Ex Judæo fit Chriſtianus.

Operam dedit diſciplinis humanioribus, inprimis ei, quæ naturæ myſteria inveſtigat.

Papiæ in *Italiâ* Philoſophiam publicè, non ſine nominis famâ, docuit.

Philoſophiæ Profeſſor Papiæ.

Itaque Cæſari *Maximiliano I.* commendatus, ab eodem in Medicorum ſuorum numerum fuit allectus.

Medicus Imp. Maximiliani I.

Floruit circa annum 1514.

Clar. A. C. 1517.

AMBROSIUS LEO.

NOle, *Campaniæ* urbe, crebris circumdatâ in orbem turribus, celebri cladibus *Hannibalis* in lucem prodiit, Vir Latinè Græcèque doctiſſimus. Medicus idem ac Philoſophus inſignis, qui de patriâ ſuâ copioſè ſcripſit, & in re medicâ quædam edidit. Idem publicavit *Caſtigationes in Averroëm*, qui liber totius Philoſophiæ theſaurus eſt. Sunt enim quaſi *Commentarii in ſingulos Ariſtotelis libros.*

Medicus & Philoſophus.

Scripta.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Clar. A. C. 1515.

HENRICUS STROMERUS.

IN *Miſniâ Aurbachii*, honeſto loco, natus eſt.

Lipſiæ tum Philoſophiæ tum Medicinæ præclaram navavit operam, ut omnium calculo in ordinem Medicorum fuerit ſolenniter relatus.

Medicus Lipſienſis.

Poſteà

Poſteà cum Medicinam exercere cœpiſſet, etiam *Georgio*, Duci *Saxoniæ*, innotuit, eique multis nominibus fuit gratiſſimus.

Senator ibidem. Deindè *Lipſiæ* in Senatum eſt cooptatus.

Eraſmus ut amicum coluit, quod apparet ex multis ad eum ſcriptis Epiſtolis.

Floruit ſub annum 1518.

Fatis conceſſit *Lipſiæ*.

Scripta. Scripſit *Saluberrimas adversùs Peſtem obſervationes.*

Decreta aliquot medica de ebrietate diſputata Lipſiæ An. 1531. reſpondente *Job. Pfeil.*

Extat ejusdem *Sermo Panegyricus Petro Moſellano*, quem ſingulariter amavit, dictus.

Ad amicos ſæpè dixit: *Ego 40. amplius annis medicinam feci, & comperi, plures homines mœſtitiâ & dolore animi mori, quàm morte violentâ.*

Caſp. Cunrad. Proſop. Mel. Mill. III.

Plurima Stromerus de peſtilitate notavit:
Quæ famam ſervant, cætera charta tenet.

GUILIELMUS COPUS.

Clar. A. C. 1520.

Medicinæ Doctor Pariſiis. B*Aſileæ* natus. *Lutetiæ Pariſiorum* totum ſe Medicinæ ſtudiis addixit, in quâ etiam Doctor ibidem ſolenniter creatus eſt.

Archiater Regis Franciſci. Deindè famâ indies magis clareſcens, etiam Regi *Franciſco I.* innotuit, qui Archiatrum eum ſibi elegit, & honoribus multis affecit.

Cum magnas opes honeſtè acquiſiviſſet, *Moritur.* *Lutetiæ* diem ſuum obiit.

Floruit ſub annum 1520.

Scripta. Tranſtulit ex Græco libros aliquot *Galeni*, *Pauli Æginetæ Præcepta*, & *Hippocratis Prognoſtica.*

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

ERASMUS STELLA.

Clar. A. C. 1520.

M*Iſniam* habuit patriam.

Medicinæ Doctor & Hiſtoricus. Ad Philoſophiam & Medicinam animum appulit, cumque ſtudio medico, in quo Docturæ Honores adeptus eſt, Hiſtoriarum conjunxit cognitionem.

Conſul Cygneæ. Deindè etiam *Cygneæ* Conſul factus eſt.

Scripta. Edidit: *Antiquitates Boruſſiæ A. 1518.*

Libellum de gemmis Geſnero commendatum.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

MARCELLUS VIRGILIUS.

Clar. A. C. 1520.

F*Lorentinus*, vir inſigni vultûs & ſermonis ſuavitate præditus, omnium in ſe ora vertebat, ſive è ſuggeſtu juventutem doceret, ſive in coronâ loqueretur.

Secretarius Florentinus. Ex eo autem officii munere, quod anteà *Aretini Poggiique* fuerat, ab Epiſtolis Reipublicè operam præſtabat: cum otium ſuppeteret, tertio muneri vacare erat ſolitus.

Botanicus Dioſcoridem traduxit. Suſceperat enim *Dioſcoridem* omninò traducendum expetentibus Medicis: petebat autem ex eo labore non obſcuram laudem, quod in herbario negotio ab ineunte ætate deſudâſſet.

Sed edito opere ſtatim in publicum prodierunt duæ diverſæ editiones, vel interpretationes, altera *Hermolai Barbari*, quæ extincta putabatur, altera *Johannis Ruellii* à Latini ſtyli munditie maximè laudata, quæ hujus verſionem quidem elevavit, quamvis ob addita commentaria non minus frequentetur.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

MATTHIAS MECHOVIUS.

Obiit A. C. 1523.

IN oppido *Polonico* Religioſorum militum Sepulchri Domini *Miechow* honeſtis parentibus natus, puer liberaliter inſtitutus, & *Cracoviæ* publico in Gymnaſio Philoſophiâ Peripateticâ imbutus, Phyſicis potiſſimùm delectatus ſtudiis, An. 1476. Gradum in artibus primum, & tertio poſt anno Magiſterii dignitatem promeruit. *Philoſophiæ Baccalaureus & Magiſter.*

Deindè naturæ genio obſecutus, ad Medicinæ ſe artem ſic applicuit, ut in omnibus penè *Italiæ* & *Germaniæ* Academiis publicè in Diſputationibus ingenii acumen exhiberet, domumque Medicinæ Doctor reverſus, parem ſibi in eâ profeſſione vix ullum in totâ *Poloniâ*, ſuperiorem certè neminem, repererit. *Medicinæ Doctor, & Profeſſor.*

Ob nominis igitur celebritatem, artisque præſtantiam à *Sigismundo I.* Rege *Poloniæ*, Medicus adſcitus, valetudinis ejus ſummâ diligentiâ curam geſſit. *Medicus Regis Poloniæ.*

Tandem aulicæ vitæ pertæſus, Sacris ſeſe devovit, & Canonicâ dignitate ab eodem Rege auctus eſt. *Canonicus.* Cumque & Aſtrologus inſignis eſſet, & Regiâ liberalitate rem ſatis lautam poſſideret, cenſum pro Aſtrologo & Medico in Academiâ fovendis perpetuum fundavit, erexitque Scholas pro erudiendâ juventute privatas, cum ad ædes S. *Annæ*, S. *Floriani*, S. *Stephani*, Sanctorum omnium in urbe, tum etiam in patriâ ſuâ, municipio *Miechovienſi*.

Hoſpitales etiam domûs aliquot & xenodochia refecit. Bibliothecam in *Rupellâ* apud Fratres *Pauli*, primi Eremitæ, ſumptu ingenti excitavit, & domui Profeſſorum in Academiâ majori, quos inter ipſe olim manſit, pro librariâ ac horologio reſtaurando plurima tabulis teſtamenti legavit.

Moritur. Obiit *Cracoviæ* An. C. 1523.

Edita ab eo ſunt ſcripta ſequentia:

De conſervandâ ſanitate libellus egregius.

Annales Polonici, & utriusq; Sarmatiæ Hiſtoria.

* *Ex Vitis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simonis Starovolſcii.*

In lib. 2. de *Sarmatiâ Europeâ* hæc habet cap. 5. *In his regionibus non arant, non ſeminant, panes non habent, nec pecunias, feris ſylvarum, quæ apud eos abundant, veſcuntur, & non niſi aquam bibunt: morantur in denſis ſylvis, in tuguriis ex virgultis factis. Sunt velut beſtiæ ratione non utentes, pellibus teguntur rude & groſſe, conſuentes pelles varias inſimul ex lupo, cervo, urſo, ſabellis, prout ſors obtulerit.*

Obiit A.C. 1524.

NICOLAUS LEONICENUS.

Medicinæ Profeſſor Ferrariæ.

PAtriâ *Vicentinus*, Orator & Philoſophus eximius, à primâ ætate literis excolendis, & imprimis Medicinæ illuſtrandæ deditus, hanc amplius 60. annis *Ferrariæ* docuit.

Primus Commentator Galeni.

Primus *Græca Galeni Volumina Latinè interpretatus eſt, & Commentariis illuſtravit.*

Sobrietatis cultor.

Molliores vitæ voluptates adeò abdicavit, ut pecunias nec agnitâ monetæ notâ contemneret, oblatum & nullâ delectum curâ cibum caperet, nec unquàm de fortunâ quereretur.

Cum *Paulus Jovius* aliquando ab eo peteret, ut ingenuè proferret, quonam arcano Artis medicæ uteretur, ut tanto cum corporis & animi vigore ſenectutis vitia eluderet? Vividum, inquit, ingenium perpetuâ vitæ innocentiâ, ſalubre verò corpus hilari frugalitatis præſidio facilè tuemur.

Moritur ſenex.

Tandem integris adhuc ſenſibus, memoriâ vegetâ, necdum incurvâ conſpiciendus cervice obiit *Ferrariæ* 8. Junii A.C. 1524. ætatis 96.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Tractatus, in quo omnibus ægris ſalutem & vitam reſtitui conciliarique poſſe docuit, teſte Joh. Tritbemio.

Opus de Serpentibus.

Romanus Medicus Antiſophiſta.

De ordine doctrinarum.

De Virtute formativâ.

Dionis Hiſtoria, & Lucani Dialogi in linguam Italicam ab eo translati Herculi Ferrar. Duci mirè placuerunt.

* *Ex Vitis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1524.

THOMAS LINACER.

IN *Angliâ* natus eſt A.C. 1461. Exindè ad perdiſcendas literas *Græcas* in *Italiam* profectus, *Florentiæ Demetrio Chalcondyle & Angelo Politiano* Præceptoribus uſus eſt. Ibidem Dux *Laurentius* eum ob morum ſuavitatem & modeſtiam liberis ſuis familiarem ſtudiorum ſocium, quanquàm ætate majorem, addidit.

Principum Florent. ſtudiorum ſocius.

Romam Florentiâ veniens, cum Bibliothecam *Vaticanam* ingreſſus eſſet, & *Græcos* codices evolveret, fortè ſupervenit *Hermolaus Barbarus*, ad pluteumque humaniter accedens; *Non tu hercle*, inquit, *ſtudioſe Hoſpes, ut ego planè ſum, Barbarus eſſe potes, quod Phædrum Platonis diligenter evolvas.*

Romæ Hermolao Barbaro familiaris.

Ad id *Linacer* læto ore reſpondit: *Nec tu, Sacrate Heros, alius jam eſſe potes, quàm ille famâ notus Patriarcha Italorum Latiniſſimus.* Ab hâc amicitiâ caſu conflatâ, doctâque Viri hujus conſuetudine multum in literis profecit, & egregiis demùm voluminibus ditatus, in *Britanniam* rediit.

Præceptor Arthuri, Principis in Angliâ Regii.

Tunc *Arthuro* Principi filio Regis *Henrici VII.* aliquandiu Præceptor datus eſt, cui *Procliſphæram* dedicavit. Indè ad Medicinæ ſcientiam, ſtudium omne convertens, in eâ ita ſe exercuit, ut ſibi *Henrici VIII.* Regis tutela ſanitatis committeretur.

Medicus Henrici VIII. Regis Anglor.

Tandem à medendi veluti quæſtuoſo potius quàm ad parandam perennem gloriam nobili refugit ad antiqua optimarum literarum ſtudia, revocatus ſocietate *Latomeri & Grocinii*, qui conſtituto Triumviratu ad immortalem laudem vertendum *Ariſtotelem* communicato labore ſuſceperunt.

Medicinâ relictâ Philoſophus.

Sed *Grocinius* ad oblatum ſibi Sacerdotium à decreto fideque diſceſſit, & *Latomerus* conſilio excuſſus eſt, ita, ut *Linacero* egregiæ voluntatis decus ſoli maneret apud Regem.

Domum ſuam Medicis dedicat, & moritur.

Diu verò cum fuiſſet valetudinarius, ad extremum ex herniæ diſruptæ dolore confectus, poſtquàm domum ſuam honeſtam Medicorum Collegio dedicâſſet, *Londini* vitam clauſit 20. Octob. A.C. 1524. æt. 63.

Edidit:

Scripta.

Librum de Linguâ Latinâ.

Galeni de ſanitate tuendâ opus, ex Græco in Latinum ſermonem eleganter traductum.

De emendatâ ſtructurâ Latini Sermonis.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii: & ex Heroologiâ Anglicâ.*

Obiit A.C. 1526.

CORNELIUS HENRICUS MATHISIUS.

Medicus Bruxell.

BRugenſis, Medicus & Chirurgus *Mariæ*, Reginæ *Hungariæ Belgii* Gubernatricis. *Bruxellis* eruditione & curandi dexteritate præſtitit.

Moritur.

Mortuus eſt *Piſis*, ex equi lapſu in itinere ægrorum ſuorum viſitationi incumbens circa A.C. 1526.

E *Græco* in *Latinum* tranſtulit:

Scripta.

Actuarii Joan. Zachariæ F. de methodo medendi Lib. VI. quibus omnia, quæ ad Medicinam factitandam pertinent, ferè complectitur.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Flor. A.C. 1530.

ANTONIUS CARTAGENA.

Medicus filiorum Regis Gall. Franciſci in Hiſpaniâ.

DOctor Medicus, in *Complutenſi* Academiâ Profeſſor: poſt Imp. *Caroli V.* juſſu, *Galliarum Delphini*, utriusque fratris Ducis *Aurelienſis*, *Franciſci Galliæ* Regis filiorum, qui pro patre obſides in *Hiſpaniâ* aſſervabantur, corporum curam geſſit, *Vecanitæ* oppido *Vaccæorum*. Elegantiâ morum inſignis, & vultûs hilaritate, quâ animos ægrotorum mirè recreabat, Principibus viris carus acceptusque fuit.

Scripſit:

Scripta.

De Peſte, ac de Signis febrium.

De diebus Criticis.

De Faſcinatione libell. quem amorum ſuavitate prædicat Alvarus Gometius lib. de vitâ Franciſci Ximenii, Card.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum.*

Clar. A. C. 1530.

AUGUSTINUS NIPHUS.

Medicus & Philoſophus.

SUeſſæ, oppido *Campaniæ*, cognomine *Arunca*, natus eſt, prænomine *Eutychus*, ſed ab urbe *Tropheâ* in *Bruliis* oriundus, Medicus & Philoſophus, cui inter *Ariſtotelicæ* Sectæ Profeſſores eximia laus contigit, quique in omnes *Ariſtotelis* libros perampla Commentaria, ſed rudi & inconditâ quâdam ubertate, ut tum mos erat, ſcripſit, teſte *Paulo Jovio in Elogiis Virorum doctorum.*

Scripta. Scripſit etiam *de Animæ immortalitate contra Pomponatium*, & varia alia.

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Scripſit & edidit:

Tractat. de diebus Criticis ſeu decretoriis, Venetiis A. 1519.

Obiit A.C. 1530.

FRANCISCUS CIGALINUS.

Medicus, Aſtrologus, & Philologus Comenſis.

PAtriâ *Comenſis*, Medicus fuit & Aſtrologus, non in patriâ tantùm ſuâ, ſed etiam extra eam celebris. Linguæ prætereà *Græcæ* peritus, eam æquè ac maternam ſibi familiarem fecit. Tempus à praxi medicâ reſiduum omne ſtudiis & librorum ſcriptioni impendit. In patriâ tandem naturæ debitum ſolvit A.C. 1630. Sepultus in Templo Cathedrali. (Moritur.)

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta. *Opera Hipp. & Galeni emendata.*

Dialogus contra Aſtrologos, quem dedicavit Franciſco II. Sfortiæ ultimo Duci Mediol.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Clar. A. C. 1531.

MARTINUS HUNNUS.

IN *Saxoniâ* natus. *Erfordiæ* ſub An. 1520. in ſodalitio *Eobanico* ſuaviter vixit, ibidemque Profeſſorem egit. Sed Collegio ſuo à Collegis, quibus maximè confidebat, dolo malo fuit dejectus.

Diſceſſit ergò per *Carinthiam* & *Styriam* in *Italiam*, & *Patavii* ſubſiſtens, aliquantiſper ſuaviſſimè vixit cum *Joh. Megobaccho*, Medico. Perluſtravit tunc totam ferè *Italiam.*

A. 1531. *Patavii* Doctoralibus in Medicinâ ornatus inſignibus, *Grætium*, exercendæ artis causâ, reverſus eſt, ubi & eam anteà fecerat.

* *Ex Melch. Adami Vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1531.

JOHANNES WEINMANNUS.

Bononiæ fit Doctor Medicinæ.

ANno 1461. natus *Francofurti*, ad *Mœnum* ne an *Viadrum*, incertum.

Bononiæ Doctor Medicinæ creatus.

A. 1486. Reverſus in *Germaniam*, à Marchione *Brandenburgenſi* acceerſitus, ejus Archiater in aulâ *Onoltzbachianâ* eſt deſignatus, inque *Noricâ* vicinâ ditione nomen ſibi eximium comparavit. (Archiater Onoldinus.)

Ita cum 45. annos eo in loco cum laude floruiſſet, tandem naturæ debitum perſolvit *Onoltzbachii* An. 1531. æt. 70. (Moritur.)

Ibidem in Eccleſiâ Collegiatâ ſepultus.

* *Ex Melch. Adami Vitis Medicorum.*

CHRISTOPHORUS BARZIZIUS.

Clar. A. C. 1532.

FIllius *Caſparini Barzizii*, Oratoris eximii *Veneti*, à primis annis ſtudio medico deditus, in Academiâ *Patavinâ* deinceps Profeſſoris primarii munere functus eſt, & claruit circa A. C. 1532. (Medicinæ Profeſſor Patavii.)

Scripta medica ab eo relicta ſunt ſequentia:

Scripta. *De Fine Oratoris.*

Commentaria in Prognoſtica.

Declarationes de Febribus humidis.

Interpretatio Antidotarii Johan. Meſuæ Arabis.

Introductorium cum Practicâ Commentariorum ad 9. Rhaſis.

De Febrium cognitione & curâ Liber.

Introductorium, ſive Janua ad omne Opus Practicum Medicinæ.

* *Ex Scenâ literariâ Scriptorum Bergomat. Italicè editâ Donati Calvi.*

HENRICUS CORNELIUS AGRIPPA.

Obiit A.C. 1534.

EX familiâ nobili à *Nettesheim* natus *Coloniæ Agripp.* 14. Sept. An. 1486.

Maximiliano I. Imp. à primâ ætate, avi, atavi, & tritavi ſui (qui *Auſtriacis* ſemper addicti) exemplo adhæſit, cui & aliquandiu à Secretis fuit. (Secretarius Imp. Maximiliani I.)

Deindè in bello *Veneto* ſeptenniùm ab An. 1508. ad 1515. illius ſtipendio militum Præfectus fuit. (Militum Præfectus.)

Mortuo *Maximiliano* per *Italiam*, *Hiſpaniam*, *Angliam*, & *Galliam* peregrinatus, multa egregia facinora deſignavit.

Tandem otii cupidus, ductâ uxore virgine nobili, in *Allobrogibus* ſedem fixit. (Syndicus & Advocatus Metenſis.)

Invitatus autem à Republicâ *Metenſi*, munus Syndici, Advocati, & Legati obivit.

Poſteà muneribus publicis ſe ſubducens, medicinam feliciter exercuit tum in urbe *Gebennarum*, tum *Friburgi Briſgoiæ*, & alibi. (Medicus Friburgenſis.)

Indè protractus in *Galliam Lugd.* Regiæ matris Phyſicum aliquot annis egit. Sed cum nec hîc diu propter calumnias aulicas commorari poſſet, in aulam *Burgundicam* ſe contulit. (Reginæ Galliarum.)

Hinc *Mechliniam* cum familiâ conceſſit, ſed cum nec hîc ab aulâ ſubſidium ullum haberet, in *Germaniam* ſe ſubduxit, cum eſſet Cæſaris *Caroli V.* Hiſtoriographus, & Conſil. à Principe *Margarethâ* Cæſaris nomine conſtitutus.

In lib. 1. Epiſtol. 10. haud obſcurè videtur innuere, *Chryſopœam* ſe exercuiſſe cum ſociis fœdere ſibi junctis, ob quam ſæpiùs apud Principes libertatis jacturam fecerit, & in carcerem quandoque conjectus fuerit.

Multæ ipſi & magnæ fuerunt contentiones cum Monachis.

Obiit *Gratianopoli* in *Galliâ*, in egeſtate extremâ A. 1534. ætat. 48. (Moritur.)

Paulus Jovius de ejus obitu ita ſcribit *in Elogiis Virorum doctorum*:

Exceſſit è vitâ nondum ſenex apud *Lugdunum*,

dunum, ignobili & tenebroſo in diverſorio, multis ipſum, tanquàm *Necromantiæ ſuſpicione infamem* execrantibus, quod cacodæmonem nigri canis ſpecie circumduceret, ita, ut cum propinquâ morte ad pœnitentiam urgeretur, cani collare magicis inſcriptum notis exſolverit, in hæc ſuprema verba iratè prorumpens: *Abi perdita beſtia, quæ me totum perdidiſti:* nec unquàm familiaris ille canis, ac aſſiduus itinerum omnium comes poſteà conſpectus eſt, cum præcipiti fugæ ſaltu in *Ararim* ſe immerſiſſe, nec enatâſſe ab his, qui vidiſſe aſſerebant, exiſtimetur.

Sed *Joh. Wierus*, Archiater *Clivenſis*, merum id eſſe figmentum, affirmat in *lib. 2. de Præſtigiis dæmonum Cap. 5.* hiſce verbis: Canem hunc *Agrippæ* nigrum, Monſieur nuncupatum, novi ego, ſi quis alius, familiariſſimè, quem non rarò, cum *Agrippam* ſectarer, loro alligatum duxi, ac verè naturalis erat canis maſculus. Cauſam autem huic falſæ opinioni dediſſe opinor, partim quod canem hunc pueriliter amaret, oſcularetur ſæpè, aliquando à latere ſibi admoveret in menſâ, & in eodem ſimul lecto noctu pateretur, ubi conjugem *Mechlinienſem Bonnæ* repudiâſſet An. 1535. velut & in Muſæo ac menſâ ſtudiis mihi & *Agrippæ* communi, inter utrumque ſemper jacebat hic canis: partim quod, licet herus meus vix ſemel octiduo prodiret, inter Muſas deliteſcens, quicquid tamen in diverſis regionibus ageretur, ferè norat: quod imprudentiores huic cani, ut dæmoni, acceptum ferebant; ſed reverâ à doctiſſimis quibusque viris ad illum undiquâque ſcribebatur quotidiè.

Amicitiam coluit, præter alios, cum *Job. Trithemio*, *Abb. Herbip.* & *Eraſmo Roterodamo*, nec indignus habitus, quem Pontifex, Cæſar, & Prælati multi Epiſtolis ſalutarent.

Scripta edidit *Agrippa* ſequentia:

Scripta.

De *occultâ Philoſophiâ libros tres*, quos adoleſcens nimis curioſus ſcripſit, ſed ætate provectiori correxit, ideòque Magiæ inſimulatus eſt. Quartus verò liber *de ceremoniis Magicis Agrippæ* falsò *Wieri* judicio, fuit attributus, qui anno 27. demùm poſt obitum illius prodiit.

Commentaria in Artem brevem Raymundi Lully.

Declamationem de Nobilitate & precellentiâ Sexûs fœminei.

Regimen, ſeu *Antidota adversùs peſtem.*

Epiſtolarum Libros VII.

Librum de triplici ratione cognoſcendi Deum.

De Vitâ Monaſticâ.

Declamationem Cynicam de incertitudine ac vanitate ſcientiarum & artium, quâ tum aliorum, tum ipſius Imperatoris *Caroli V.* offendit animum.

* *Ex vitis Medicorum Melch. Adami.*

OTHO BRUNFELSIUS.

Obiit A.C. 1534.

Patriam nactus eſt *Moguntiam.* Pater ei fuit *Johannes à Brunfels*, doliarius.

Brunfelſia autem arx eſt Comitum à *Solms*, non procul à *Moguntiâ*, in eâ politioribus literis à puero imbutus, Artium liberalium Magiſter renuntiatus eſt. Cum verò ad diſciplinas ſuperiores animum adjeciſſet, paterque tenacior in ſumptibus ſuppeditandis eſſet, Collegio *Carthuſianorum* extra pomeria Civitatis *Moguntinæ* ſeſe addixit, à quo propoſito nec precibus nec minis patris avelli potuit.

Magiſter liberalium artium. *Carthuſianus Monachus.*

Annis aliquot elapſis, radiis Evangelicæ veritatis illuſtratus, monaſterium valere dixit, & concionando Evangelium docere voluit, ſed cum vocem ſonoram morbo amiſiſſet, & dubitaret, cuinam vitæ generi ſeſe addiceret, *Argentorati* ludo literario præfectus eſt.

Evangelicam religionem amplectitur. *Fit Ludi-moderator Argentoratenſis.*

Novennio, quo Scholæ præfuit, medicinam diligenter excoluit, ita, ut *Baſileæ* Doctoris Medici inſignia adeptus ſit A. 1530.

Doctor Medicinæ Baſileæ.

Indè *Bernam* vocatus, ibi ſalario conſtituto honorifico medicinam feliciter exercuit, & fatis conceſſit 23. Nov. A. 1534. ex ardore & nigredine linguæ, morbo tunc ipſis medicis ignoto.

Medicus Bernenſis. *Moritur.*

Libros edidit:

Scripta.

Catecheſin puerorum.

Annotationes in 4. Evangelia & Acta Apoſtolorum.

Parænefin de diſciplinâ & puerorum inſtitutione.

Catalogum illuſtrium medicorum, ſive, de primis medicinæ ſcriptoribus.

Locos communes totius rei medicæ.

Jatrion Medicamentorum ſimplicium, omnium morborum remedia continens.

Onomaſticon medicinæ perfectiſſimum.

Herbarum vivaeicones.

De reformatione pharmacopoliorum.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

MARQUARDUS FRöER, Filius.

Obiit A.C. 1535.

Natus eſt in oppido Dünckelſpiel circa An. C. 1460. Patre *Marquardo à Wyſſach* cognominato, Medicinæ Doctore & Practico, Matre *Annâ à Keſſingen*, *Wolffgangi à Keſſingen*, Conſiliarii Cæſ. & *Bavarici* agnatâ.

Filius Medici cognom.

27. Oct. An. 1489. Cum jam antè fuiſſet Lib. Art. Magiſter, *Peruſiæ* in *Italiâ* Doctor Med. creatus eſt. Paulò poſt in patriam *Dünckelſpielam* reverſus, ibi conſtitutus Phyſicus ordinarius 7. Aug. A. 1491. & annuatim ſalarium nactus 36. florenos aureos *Rhenanos*, praxin in oppido & viciniâ feliciter exercuit, tunc temporis multos nobiles *Francos* fautores habens, à *Rechenberg*, *Ebenheim* &c. ad quos ægrotantes accitus fuerat.

Doctor Medicinæ creatus Peruſiæ. *Phyſicus ordinarius Dünckelſpielæ.*

A. 1502. *Auguſtam Vindelicorum* diſceſſit, ubi in *Eiſenberg* propè Curiam ad finem vitæ habitavit, & An. 1504. nuptias celebravit cum *Eliſabethâ*, *Johannis Manlichii*, Patritii *Auguſtani* filiâ, & *Simonis Pauli Bugenhofen*, nobilis ac Mercatoris viduâ 40. annorum, quam 15. April. A. 1523. mortuam amiſit.

Auguſtam Vindelicorum diſceſſit. *Uxorem ibi duxit.*

Hæc

Hæc duos ei peperit liberos, 5. Oct. An. 1505. filiam *Urſulam*, nuptam deinde An. 1525. *Auguſtino Ainkirn*, Mercatori *Nordlingenſi* honeſto.

4. Aug. An. 1510. Natus eſt ipſi filius unicus *Hieronymus*, qui poſteà A. 1548. ab Imperatore *Carolo V.* unà cum aliis Patritiis recens conſtitutus, inter Aſſeſſores Dicaſterii *Auguſtani* cooptatus eſt.

Ambo hi ejus liberi, quod rarum, diebus Dominicis in lucem prodierunt. Habuit etiam filiolam *Veronicam* nomine, quæ nata 9. Julii A. 1513. trimeſtri elapſo mortua eſt.

Vir fuit procerus, macilentus, barbâ detonsâ, naſo aquilino, facie rubicundâ, quà *Johanni Cochlæo*, Theologo ſimilem fuiſſe dixerunt, qui viderunt eum, calculo ſæpè obnoxius, ſolitudinis in ſenectâ ſtudioſus, & convivia abhorrens.

Evangelii doctrinam amplexus.

A. 1518. *Martini Lutheri* doctrinam paulò ante exortam, amplecti cœpit, & abinde libros Evangelicos varios typis excuſos coëmit, perlegit, & Indicibus auxit. Cum *Wilhelmo* etiam & *Hieronymo Remis* Patritiis, patre & filio, ſibi admodùm familiaribus, ſæpiùs de Pontificiis erroribus ſermones contulit. Bibliothecam ſuam Medicam Teſtamento legavit D. *Wolffgango Boſchio*, J.C. & Cancellario *Straubingenſi*.

Moritur ſenex.

Tandem viribus ſenio & morbis conſumptis, *Auguſtæ Vindelicorum* vitam clauſit 18. Febr. A. C. 1535. ætatis 71. Sepultus in Templo *Dominicanorum*, unà cum uxore ſub marmore rubro, cui amborum inſignia fuère inſculpta.

Monumentum ejus Dünckelſpielæ.

Dünckelſpielæ verò in Templo primario propè Cathedram in ipſius memoriam Tabula fuit columnæ appenſa, quæ ejus uxoriſque effigiem repræſentavit coràm S. Virgine *Mariâ*, filium brachio tenente, genubus flexis orantium: *Fili DEI miſerere mei!*

* *Ex Manuſcriptis Marquardi Freheri, J.C. Hieronymi filii.*

Obiit A.C. 1536.

CASPAR LINDEMANNUS.

VItam ejus breviter deſcriptam exhibet Inſcriptio, quæ *Wittebergæ* in templo Parochiali legitur:

Epitaphium.

ANNO MDXXXVI. MENS. SEPTEMB. DIE SEXTA EXEMPTUS EST REBUS HUMANIS
CASPAR LINDEMANNUS,
MEDICINÆ DOCTOR.

Hîc ſita Lindmanni ſunt frigida Caſparis oſſa.
Qui Medicâ clarus Doctor in arte fuit.
Et quoniam inſigni doctrinæ adjunxerat uſum,
Saxonici Medicum contigit eſſe Ducis.

Medicus Ducis Saxoniæ.

Tantum ipſi peperére decus moresq; fidesq;,
Egregiâ quantum laudis ab arte tulit.
Quare perpetuum tali ratione favorem
Judicio meruit Principis ille boni.
Pectore non ficto Numen cœleſte colebat,
Te fontem medicæ, Chriſte, profeſſus opis.
Ergò animæ ipſius concedas, maxime Chriſte,
In gremio ut vivat non moritura tuo.

* *Ex Academiâ Wittebergenſi à Gotfrido Suevo editâ.*

JOHANNES MANARDUS.

Obiit A.C. 1536.

NAtione *Ferrarienſis* ſpectatæ vir doctrinæ, rerumque naturalium Speculator induſtrius, *Uladislai*, *Hungariæ* Regis, Archiatrus, in eo Regno medicam artem feliciter aliquandiu exercuit, eandem deinde in Academiâ *Ferrarienſi* multis annis cum famæ gloriâ profeſſus eſt.

Archiater Regis Hungariæ.
Medicinæ Profeſſor Ferrariæ.

Tandem, cum prolis quàm vitæ ſuæ cupidior planè jam ſenex uxorem juvenculam duxiſſet, funus maturavit ſuum, & articulorum dolore diſtortus obiit *Ferrariæ* in patriâ 8. Martii A.C. 1536. ætatis 74.

Ductâ uxore juvencula, funus ſuum maturavit.

A *Johanne Latomo* hoc ei ſcriptum eſt
Epitaphium:

Epitaphium.

In foveâ qui te periturum dixit aruſpex,
Non eſt mentitus: Conjugis illa fuit.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Epiſtolarum Medicinalium Lib. XX.
Comment. in Lib. I. Artis parvæ Galeni.
Cenſuræ & Annotationes in Medicamenta Meſuæ Simplicia & Compoſita.

* *Ex Vitis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

* * *

Johannes Manardus, *Ferrarienſis*, ab ineunte ætate Medicinæ ſtudio addictus, ad intima *Hippocraticæ* diſciplinæ arcana penetravit, ſed neque *Arabum* Scripta contempſit, ita tamen, ut ſe acerrimum *Barbariæ* impugnatorem exhiberet, artemque medicam ſordibus obſitam nitori ſuo reſtituere ſedulò conaretur.

Ad quod præter egregias naturæ dotes magna quoque inſtitutionis ſubſidia habuit. Hæc enim à teneris illi felicitas obtigit, ut optimis Præceptoribus uſus per omnem honeſtarum artium cultum ierit. Medendi verò ſcientiam ex *Nicolai Leoniceri* diſciplinâ hauſit: quamvis inſtar *Ariſtotelis* adverſus Magiſtrum usque adeò recalcitrârit, ut *lib. 9. Epiſt. med. I.* quod aliqua *Galeni* verba non bonâ fide allegâſſet, fallarium appellare non vereatur.

Nicolai Leoniceri ingratus diſcipulus.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

JOHANNES RUELLIUS.

Obiit A.C. 1537.

SUeſſionum urbs *Belgii* quondam florentiſſima, *Francorum*que Principum Regia tantum virum in lucem A. C. 1474. edidit, qui cum puer bonæ à naturâ indolis ad exactam utriusque linguæ *Græcæ* & *Latinæ* notitiam admirabili celeritate, & quod magis mireris, nullo docente perveniſſet, Philoſophiam & Medicinam ex *Græcorum* fontibus abundè hauſtas, Latinæ linguæ munditiis primus apud *Gallos* illuſtravit.

Sine Præceptore eruditus.
Philoſophus & Medicus.

Dioſcoridem & *Actuarium* tantâ ſermonis elegantiâ tranſtulit, ut peculiari elogio *Aquila interpretum* à *Budæo* nominaretur.

Veterum Medicorum & Philoſophorum emendator. Sed & ſingulari ejus ope factum eſt, ut *Hippocrates, Galenus, Euclides, Celſus, Plinius* longè quàm anteà emendatiores à typographis excuderentur: cum in manuſcriptis exemplaribus undique conquirendis nulli ſumptui parceret, ut eorum collatione tot inſignium virorum lucubrationes à fœdis imperitorum mendis purgari poſſent.

Franciſci I. Reg. Gall. Medicus. Flagrabat enim indefeſſo rei literariæ ſtudio, cui quo liberiùs inſerviret, cum in aulæ comitatum à *Franciſco* Rege, & *Lodoicâ* ejus matre idenditem evocaretur, hanc rei augendæ occaſionem facilè neglexit: elatâque demùm uxore viduus inter D. Virginis flamines, quorum in Collegium à *Poncherio* antiſtite allectus fuerat, *In monaſterio literis deditus.* quod reliquum vitæ fuit, in bonis literis, deliciis ſuis, avidè conſumpſit.

Obiit. Apoplexiâ tandem repentè ſurreptus, & in ejusdem Virginis æde à Collegis humo conditus eſt A. C. 1537. ætatis 63.

Edidit:

Scripta. *De naturâ Stirpium opus accuratum, in tres partes diviſum.*

Dioſcoridem, Actuarium, & Conſtantini de Agriculturâ Libros in Latinum ſermonem translatos.

Hippocratis, Galeni, Euclidis, Celſi, & Plinii opera emendata.

Scribonii Largi de Compoſitione Medicamentorum Liber, ejus operâ à ſitu vindicatus.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * *

Medicus fuit doctiſſimus, qui eruditionis autoritate *Budæo* proximus, & Latini ſermonis nitidâ puritate ſuperior habitus eſt, ut ait *Paulus Jovius Elog. Virorum doctorum num. 93. Dioſcoridem in Latinum è Græco emendatè traduxit* de materiâ medicâ optimè meritus.

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

REINERUS SNOYUS.

Obiit A. C. 1537.

Batavus, honeſtâ *Goudæ* familiâ natus. Puer non præcocis, ſed rari ingenii & abſconditi fuit. *Puer ſtupidus.* Primùm ita prorſus hebes & alienus à libris, ut quantumvis otiam diligentis Præceptoris inſtitutio torpentis parvuli acumen potuerit excitare.

Septennis primas literarum notulas vix perceperat. Factus grandiuſculus, adeò in literis promovit, ut ſuæ ætatis omnes facilè anteiret. *Doctor Medicinæ Bononiæ.* *Bononiæ* Medicâ Laureâ donatus eſt. *Eraſmus Roterodamus* alterum literarum *Hollandicarum* decus vocavit.

In patriam reverſus, chariſſimus fuit *Adolpho à Burgundiâ, Verorum* in *Zeelandiâ* Toparchæ.

Legatus ad Reges Scotiæ & Daniæ. Legatione functus ad *Jacobum IV. Scotiæ* Regem, aliam quoque confecit ad *Chriſtiernum II. Daniæ* regno propter tyrannidem pulſum.

Moritur. Exceſſit vitâ Kal. Aug. A. C. 1537. annum agens plus minùs ſexageſimum. Conditus *Goudæ* in D. *Joannis.*

Lucubrationes ab ipſo literis mandatæ ſunt:

Scripta. *Anti-Lutherus, in quo Morologum & Orthodoxum Platonicorum more introducit loquentes de Fide & Operibus.*

Paraphraſis perſpicua in omnes Davidis Pſalmos.

De Fato.

De eſſentiâ, potentiis, & paſſionibus animæ.

De ſummo Bono.

De Arte Poëticâ.

De Arte Alchymiſticâ.

Volumina duo ſuæ praxis.

Acolaſtus Oratione ſolutâ.

De rebus Batavicis Lib. XIII. ante annos peculiariter collecti.

Scrutinium Hiſtoricæ veritatis per 6. ætates mundi, & 4. Monarchias.

Laus Deiparæ Virginis Carmine Sapphico.

Paræneticon ad Imp. Carolum V. Carmine Elegiaco.

Poëmata Sacra, quæ alicubi recenſet Alardus Amſtelodamus.

Præparatio ad ſumendam dignè Eucharistiam.

Concio Sacra de Publicano & Phariſæo in templo orantibus, cum lectulo æger decumberet.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

EURICIUS CORDUS.

Obiit A. C. 1535.

Aliàs *Henricus Urbanus.*

Natus in *Haſſiæ* vico, cui nomen *Simiuſa* vel *Simeſuſa*, undè *Simeſuſii* cognomen aliquando aſſumpſit.

Parentes habuit ruſticanos quidem, ſed honeſtos & mediocribus facultatibus præditos.

Ultimus fuit inter ſeptem fratres & quinque ſorores, quibus omnibus ſupervixit.

A. 1517. *Lipſiam* venit, eòque ſecum attulit *Bucolica* ſua, quæ ſtudioſis privatim explicuit. Ibi *Camerarius* adoleſcens, primùm eum vidit apud ſuum magiſtrum *Georgium Heltum*, & cum eo amicitiam contraxit.

Ludimoderator Erfordiæ. *Erfordiæ* deindè ludum literarium aperuit.

Doctor Medicinæ Ferrariæ. Poſteà ad medicam artem ſe contulit, & An. 1521. *Italiam* Comite *Sturciade* petiit, ac *Ferrariæ* inter alios audivit *Joh. Manardum* & *Nicol. Leonicenum* jam nonagenarium, à quo etiam Doctor Med. creatus eſt.

Vidit ibidem *Curium Lancilotum*, Grammaticum inſignem, ſed hominem ſordidum, deformem, abjectum, & pauperrimum.

Profeſſor Medicinæ Erfordiæ. Reverſus in patriam, *Erfordiæ* docuit ad annum usque 1527.

Profeſſor Marpurg. Indè *Marpurgum* vocatus, ut in Academiâ doceret, Reipublicæ interim Academicæ gubernacula anno 1530. quo *Marpurgi* de re ſacramentariâ habita fuit ſynodus, tractavit, Triennio etiam pòſt Rectoris egit itidem munus.

A. 1535.

A. 1535. *Marpurgo*, ubi invidiâ premebatur, *Bremam* invitatus abiit, ibi brevi pòſt mortuus eſt 24. Dec. A. 1538. *Bremæ moritur.*

Filium reliquit *Valerium Cordum.*

Fuit naturâ paulò aſperior & impatientior, qui nihil diſſimulare potuit, undè interdum aliquorum indignationem incurrit.

Eobanum Heſſum inprimis junxit ipſi patria, & ſtudii poëtici ſimilitudo: qui cum aliquando ex *Boruſſiâ* reverſus, *Cordum* hoc diſticho extemporaneo ſalutâſſet:

Salve Corde, mei ſalve pars altera cordis,
O mecum patriæ fama futura meæ!

Eurycius his verſibus ei reſpondit:

O non viſe mihi longis, Eobane! diebus,
Te tandem incolumi lætor adeſſe pede.

Scripta poſteritati reliquit: *Scripta.*

Opera Poëtica.
Botanologiam, ſive Colloquium de herbis.
Judicium de herbis & medicamentis ſimplicibus.
Libellos de ſudore Anglico, calculo & peſte.
Theriaca & Alexipharmaca, Nicandri Poëtæ verſibus heroicis reddidit elegantiſſimè.
De abuſu Uroſcopiæ concluſiones.
Bucolica & epigrammata ſiceta.

De Medicis & eorum tunc temporis forte luſit hoc *Epigrammate*, Lib. 7. *Ejus Epigramma de Medicis.*

Tres Medicus facies habet, unam quando rogatur
Angelicam: mox eſt, cum juvat, ipſe Deus.
Poſt ubi curato poſcit ſua præmia morbo,
Horridus apparet terribilisq; Satan.

In Orationem quandam de laude ſomni ſequens fecit diſtichon:

Tam bona laudati ſunt hæc encomia ſomni,
Ut dormituriat qui ſemel iſta legit.

EURICIUS CORDUS.
Per Anagramma:
Rudi ſuus Cicero.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

ANTONIUS MUSA BRASSAVOLUS.

Clar. A. C. 1540.

Medicus fuit *Ferrarienſis* nominatiſſimus, ſcriptis plurimis clarus, quæ recenſet *Paſchalis Gallus in Bibl. Med.* *Medicus Ferrarienſis.*

Nota hic obiter, fuiſſe adhuc alium *Antonium Muſam*, Medicum, hoc longè antiquiorem, qui ob curatum *Auguſtum Cæſarem* aureâ ſtatuâ à *Populo Romano* in foro honoratus eſt. *Diverſus ab Antonio Muſâ, Medico Romano.*

De eo ſic loquitur *Johannes Glandorpius in Onomaſt. Rom. Antonii Muſæ* ſcriptorum nihil hodiè ſupereſt, præter exiguum de *Herbâ Betonicâ* libellum, quæ enim ſub ejus nomine circumferuntur, Scriptoris ſunt longè recentioris & neoterici, quem ætas Patrum noſtrorum *Ferrarienſium* in *Italiâ* Medicum clariſſimum novit circa A. C. 1540.

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

BENEDICTUS VICTORIUS.

Clar. A. C. 1540.

Nepos fuit *Leonelli Victorii, Bononiæ* Medicorum Principis, à patriâ *Faventius* dictus, Philoſophus ac Medicus egregius, Theoricæ Medicinæ Profeſſor *Bononiæ*, qui in Practicâ tamen ita excelluit, ut ab eâ multò magis quàm à Theoriâ innotuerit. *Medicinæ Profeſſor Bononiæ.*

Majorum noſtrorum ævo nullus ferè Medicorum in praxi tantam, quantam hic, ſequelam habuit, teſte *Johanne Sambuco* in iconibus Medic. *Practicus excell.*

Claruit circa An. C. 1540.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

De curandis morbis ad Tyrones practica magna Tom. II. *Scripta.*
Medicationis Empiricæ Libri III.
De Lue Venereâ.
In Aphoriſmos & Prognoſtica Hipp.

FRANCISCUS CAVALLUS.

Obiit A. C. 1540.

Brixiæ natus, Medicus fuit ſui temporis primarius, literis Græcis, Latinis & Hebræis excultus. Aſtrologus etiam eminens ab adverſariis Necromanticus diffamatus eſt. In Gymnaſio *Patavino* medicam artem cum maximo ſtudioſorum accurſu publicè profeſſus eſt. In patriâ tandem ad vitam meliorem abiit An. C. 1540. Sepultus apud *Carmelitanos.* *Aſtrologus. Medicinæ Profeſſor Patavii. Moritur.*

Edidit ingenii monumenta:

Super Averroëm. *Scripta.*
De Serpente Theriacali tract. quo probat, hunc Serpentem eſſe Viperam.
In Phyſicam Ariſtotelis.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

THEOPHRASTUS PARACELSUS.

Obiit A. C. 1541.

Philippus Aurelius, vel *Aureolus Theophraſtus Paracelſus*, dictus *Bombaſtius* ab *Hohenhelm*, patriam habuit Einſiedeln/ vicum *Helvetiorum*, duobus *Tiguro* milliaribus diſtantem: natus ex familiâ nobili *Paracelſorum* A. 1493.

Pater ejus fuit *Wilhelmus*, Licentiatus Medicinæ, natus ex Principe quodam, ſed extra thorum, habitavit 32. annis *Villaci*, ubi & obiit A. 1534.

Germaniam, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, aliasque *Europæ* Regiones pervagatus, apud *Ægyptios* etiam & *Arabes* aliquot annis permanſit: quâ peregrinatione cum etiam naturâ eſſet ingenio feliciſſimo, abſtruſa multa in Philoſophiâ & Medicinâ didicit, & multos hinc indè leprâ, hydrope, podagrâ, aliisque morbis deſperatis liberavit. *Theophraſti peregrinatio.*

Famâ ergò de ipſo ſparsâ, *Baſilienſium* amplo ſtipendio invitatus, duabus quotidiè horis Phyſices & Chirurgiæ libros, quorum & ipſe author, Germanicâ linguâ mixtis interdum phraſibus Latinis, publicè interpretatus eſt. *Baſileæ Phyſicam docet.*

Cum autem in veterum Philoſophiâ & Medicinâ non pauca deſideraret, aliam viam

viam oſtendit ab experientiâ & naturâ rerum ſumptam, tria corporum omnium ſtatuens principia *Sulphur*, *Salem* & *Mercurium*: Medicinam verò docens, quatuor ſuffultam columnnis, quarum 1. ſit *Philoſophia* ſeu *Phyſica*, ſcientia terræ & aquæ, ac omnium, quæ indè gignuntur. 2. *Aſtronomia*, cognitio ignis & aëris, ac omnium cœleſtium. 3. *Alchymiâ*, quæ demonſtrat omnium corporum compoſitiones & diſſolutiones, laborando ſedulò ad naturæ imitationem. 4. *Virtus*, quæ ipſum Medicum requirit pium in Deum, in homines juſtum, omniſque boni amantiſſimum.

Tria ſtatuit corporum principia.

Tum temporis *Baſiléæ* Canonicum quendam nobilem *Cornelium à Liechtenfels* deploratæ valetudinis, pactus pretium 100. florenorum, exhibitis tribus pilulis Laudani ſui, feliciter reſtituit: cum verò is pactis ſtare nollet, *Theophraſtus* in jus illum vocavit, ubi cum ſolita & à Magiſtratu ordinata ſolutio decerneretur, tam civile pretium arti ſuæ ſtatui ægrè ferens, importunius in Prætorem eſt invectus. Ab amicis igitur, ut ſe ſubduceret, admonitus, in *Alſatiam* deſcendit, relictis *Johanni Oporino*, quo quaſi promocondo utebatur, vaſis Chymicis. Poſteà extra patriam verſatus, & ad varios adhibitus morbos, inter vivos eſſe deſiit A. 1541. 24. Septemb. æt. an. 48.

In Alſatiam deſcendit.

Moritur.

Salisburgi in Noſocomio ad S. *Sebaſtianum* ſepultus.

Chriſtophorus Manlius ſic de eo:

Aſtra qVater ſenâ SepteMbrIs LVCe sVbIVIt
Oſſa SaLIsbVrgæ nVnC CIneresqVe IaCent.

Contra illius novam Medicinam 4. Tomos edidit *Thomas Eraſtus*, cui oppoſuit Admonitionem *Gerardus Dornæus*, quâ hortatur illum ad Scripta *Paracelſi* diligentiùs examinanda.

Scripta.

Scripſit Latinè, Germanicè, & aliis linguis, ut *Valentinus de Rhetiis*, & *Adamus à Bodenſtein* diſcipuli ejus, tradunt, *libros 230. in Philoſophiâ, 46. in Medicinâ, 12. de Republicâ emendavit, 7. in Matheſi, tria opera ſimul uno libro*, qui *Theophraſtria* nuncupatur, *66. libros de occultioribus & abſtruſis*, *Opus* verò *Chirurgicum* ipſe edidit, & *Ferdinando* Imperatori dedicavit An. 1536. Paſſim etiam ſervantur clam multa ipſius *Scripta Theologica, & commentaria in complures Libros Sacros, tum etiam quædam dogmatica.*

Quidam putant, eſſe & fuiſſe non paucos, qui *Paracelſi* Scripta intellexerint, de quorum numero ſint *Adamus Bodenſtenius, Gerhardus Dornæus, Michaël Toxites, Oswaldus Crollius, Johannes Huſerus* &c. certum tamen eſt, illum ſcripta reliquiſſe tantâ obſcuritate involuta, ut quid velit aut dicat, vix ſit hâc noſtrâ ætate, qui verè intelligat.

Sæpè cum larvis pugnavit.

Operinus, qui fuit amanuenſis ejus, affirmavit, ſæpè eum vino madidum noctu ſtricto gladio per horæ ferè dimidium cum larvis depugnare, non abſque metu & periculo ejus, qui accubabat amanuenſis, ſolitum, indè hunc ad dictata excipienda excitâſſe, quæ tam expeditè recitârit, ut dœmonum inſtinctu ea ſuggeri dubium non fuerit.

Ejus ſtylus & memoria.

Oratio, quâ uſus eſt in docendo, Latinè barbara fuit, quali illo ſæculo docti etiam homines utebantur. Memoriâ autem fuit adeò felici, ut integra *Galeni* loca memoriter & expeditè recitârit. Itaque magnâ primùm cum admiratione, & numeroſâ frequentiâ auditorum, etiam eorum, qui eruditionis in arte medicâ laude celebres erant, profeſſus eſt, & inter dictandum ſolitus eſt quandoque exardeſcere & vociferari.

Induſtria.

Induſtriæ tantæ fuiſſe fertur, ut non modò celeriter ſanitatem amiſſam corporibus, ſed etiam metallis imperfectis ſuam perfectionem reddiderit, plumbumque & Mercurium in aurum converterit.

Ejus Laudanum.

Inter cœteras Medicinas celebratur ejus *Laudanum*, quam aliqui lapidem Philoſophorum, alii opium fuiſſe, falsò exiſtimant, fuit enim medicamentum ex rebus, quas orbis habet, præſtantiſſimis vitam conſervantibus confectum, & in omnibus morbis, præter lepram, efficax, ut verè *Panacéa* dici potuerit.

Ægrum jam moriturum reſtituit.

Cum *Albertus Baſa*, *Poloniæ* Regis Medicus, ex *Italiâ* redux, divertiſſet ad *Paracelſum*, qui tum temporis ad S. *Viti* urbem agebat, cum eo ad ægrotum acceſſit, quem ſupervicturum paucis horis omnes affirmabant, ipſeque *Theophraſtus* idem fore dicebat ſecundùm *Humoriſtarum* artem medicam, ſed facilè reſtitui poſſe ex verâ arte, quam Deus in naturâ occultaverit: atque ægrum illum ad prandium in craſtinum invitavit. Tum producto quodam deſtillato trium guttarum, id in vino ægro exhibuit, illicòq; illum ita reſtituit, ut eâ nocte prorſus convaluerit, & ſeq. die comparuerit in hoſpitio *Theophraſti* benè valens, cum omnium admiratione.

Hydropicum ſanat.

In *Bavariâ* nobilem quendam hydrope laborantem ſtatim medicamento ſuo liberavit, ut aquæ intercutis quaſi rivus in conclavi deflueret, & nobilis ille liberatus decem adhuc annis viveret.

Laudani ſui conficiendi rationem ne quidem moriturus ulli mortalium manifeſtare voluit.

Non fuit propriorum remediorum inventor.

Johannes Crato affirmat, *Paracelſum* non primum inveniſſe ſua remedia, ſed in libro quodam ante 200. tunc annos ſcripto à Monacho reperiſſe.

Ejus dictum adversùs Galeni ſectatores.

Galeni ſectatores acriter exagitavit, ita, ut in libro *Paragrano* dicto in hæc verba prorumpat: *Stultiſſimus pilus occipitii mei* (erat enim recalvaſter) *plus ſcit, quàm vos & omnes veſtri Scriptores, & calceorum meorum annuli ſunt doctiores, quàm veſter Galenus & Avicenna, & barba mea plus experta eſt, quàm omnes veſtræ Academiæ.* Alibi ſæpiùs *officinas pharmaceuticas* vocat *colluviem juſculorum.* Quin & dicere ſolitus fuit: *Mirari ſe Lutheri & Zwinglii ſcripta tanto applauſu*

Digitized by Google

plauſu excipi, ſo es doch eitel Bacchanten-werck ſeye / wann er anfienge zu ſchreiben / ſo wolte er ſie und den Papſt erſt recht in die Schul führen.

Ejus impietas. Cum *Baſileæ* doceret, de incantationibus quoque & exorciſmis morborum magicis agere cœpit, eam rem ægrè ferentibus viris doctis & piis, hæc in verba prorupit: Will GOtt nicht helffen / ſo helffe der Teufel! quæ quidem mitiùs interpretantur, ac ſi in vulgi perſonâ locutus eſſet. In ſcriptis equidem ſuis paſſim aſſerit: *Homini Chriſtiano, citra pietatis injuriam, dæmonis tanquàm latronis operâ & conſilio uti divinitùs permiſſum eſſe.*

Hoc eidem probro datur à multis: In *Alſatiâ* propè *Colmariam* aliquando vocatus ad ruſticum extremè laborantem veſperi, propter compoſitionem cum ruſticis cœptam in matutinum uſque venire diſtulit. Ingreſſus ædes, *Ecquid ſumſiſſet cibi aut potûs* interrogavit? Cumque adſtantes, *Corpore Domini excepto, nihil* reſpondiſſent, tum *Theophraſtus: Ergò*, inquit, *ſi alium Medicum quæſivit, meâ operâ opus non habet*, ſeque properè foràs proripuit. Quod quidam interpretantur: *Hem! ſi jam Sacerdotem ad ſe vocavit æger, ſentit utique, ſe non ſuperviſturum*, ac proindè Medicus fruſtrà accerſitur.

Helmontius de Theophraſto. *Joh. Baptiſta Helmontius de Tartaro pag. 147.*

Pater *Paracelſi* Equitum *Teutonicorum* Magiſtri nothus in medicum trivialem evaſit bibliothecâ inſigni divitem.

Hic filium *Aureolum Philippum Theophraſtum à Bombaſt Spanheimenſi Trithemio* commiſit. Undè arcanorum ſupellectile opulentus ad opera Spagirica ſub *Sigiſmundo Fuggero* ivit. Non enim ibi Veneri deditus (trimum nempè ſus caſtraverat) non etiam ignaviâ, aut aſſentatione vitam ſuam trivit ſcientiæ avidus.

Sub annum vigeſimum varias mineralium *Germaniæ* fodinas inquirens, in *Moſcoviam* tandem venit, in cujus finitimis à *Tartaris* captus, ad *Chamum* deducitur. Indè cum Principe *Chami* filio *Conſtantinopolim* ablegatur.

Tandem circa annum ætatis vigeſimum octavum lapide politus Chryſopœo ſibi donato, *Baſiléam* divertit, ubi cum multis morborum ſanationibus clarus eſſet, cathedram Medico-Philoſophicam obtinuit, ut laboribus Spagyricis ſe totum daret. Docuit *Baſileæ* toto triennio. Interim juſto nimis compotationibus indulgens cœpit ſpernere cathedram, imò Latinitatem, undè penè exciderat, ratusque eſt veritatem duntaxat *Germanicè* loqui debere.

Itaque quanquàm ingenio raro natus, tamen dono *Azothi* quàm indagatione Theoriæ felicior fuit.

Epitaphium Paracelſi, quod *Salisburgi* in Noſocomio apud S. *Sebaſtianum* ad templi numen erectum ſpectatur lapidi inſculptum:

Epitaphium.

CONDITUR HIC PHILIPPUS THEOPHRASTUS INSIGNIS MEDICINÆ DOCTOR, QUI DIRA ILLA VULNERA, LEPRAM, PODAGRAM, HYDROPISIM, ALIAQUE INSANABILIA CORPORIS CONTAGIA MIRIFICA ARTE SUSTULIT; AC BONA SUA IN PAUPERES DISTRIBUENDA COLLOCANDAQUE HONORAVIT.
ANNO MDXLI. DIE XXIV. SEPT. VITAM CUM MORTE MUTAVIT.

* * *

Petrus Monavius, Medicus *Uratislavienſis*, ita ſcribit *in Epiſtolâ quadam ad Andream Dudithium, Conſiliarium Cæſareum*: Non ſemel audivi, dum *Baſileæ* fui, à fide dignis, hominibus, qui publicè idem profiteri non erubeſcunt: Quotquot *Paracelſus* ille magnis morbis, remediis ſuis ſpagiricis liberavit, omnes fermè intra annum aut paulò pòſt interiiſſe, utut ſe egregriè ſanitati reſtitutos exiſtimaverunt.

* *Ex Melch. Adami Vitis Medic. & aliis.*

GEORGIUS PYLANDER.

Clar. A. C. 1542.

GErmanicè Thormann / natus *Cygnéæ* in *Miſniâ*.

Fit Doctor Medicinæ Neapoli. Non ſolùm in *Germaniâ* viros illo ſæculo doctos audivit, ſed etiam *Italiam* eâ de causâ peragravit, & *Neapoli* Medicis inſignibus decoratus eſt.

Moritur. Perluſtratâ deindè *Skiliâ* & *Româ*, *Mediolani* in medio gloriæ curſu morbo correptus, immaturâ morte abreptus eſt.

Scripta. Claruit ſub An. 1542. quo *Romæ Hippocratem* Latinè reddidit.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

GISBERTUS LONGOLIUS.

Obiit A. C. 1543.

U*Ltrajecti*, *Hollandiæ* oppido, natus eſt An. 1507.

Primis literarum rudimentis in patriâ perceptis, in *Italiam* ſe contulit, ibique linguarum ſtudio Philoſophiæ & Medicinæ cognitionem conjunxit.

Ab Italis honoribus Doctoralibus ornatus. Promerente ergò id ipſius eruditione, ſummis in arte medicâ honoribus ab *Italis* ornatus eſt.

In patriam reverſus, apud *Daventrienſes* ludum literarium aliquantiſper cum laude rexit.

Literas Græcas & Latinas Coloniæ Agripp. docet. Exindè *Coloniam Agrippinam*, ſive evocatus, ſive loci genio invitatus venit, ſuoque loco literas tum Græcas tum Latinas Collegâ *Jul. Cæſario* (qui ad ann. æt. 91. pervenit) cum applauſu docuit, ſimulquè medicinam exercendò fidem & induſtriam omnibus, qui operâ ejus uſi ſunt, probavit.

Moritur. Ibi cum paulò ante operam ſuam Academiæ *Roſtochienſi* addixiſſet, reverſus *Coloniam*, ut ſupellectilem librariam aveheret, morbo lethali correptus, Euchariſtiâ ſub utrâque, ut loquuntur, ſpecie uſus eſt. Eâ de causâ cum defuncto ſepulturæ locus *Coloniæ* in Cœmiteriis negaretur, exuviæ corporis ab amicis *Bonnam* devectæ, & ſepulchro conditæ ſunt 30. Maji A. 1543.

Uſus eſt amicitiâ virorum ſuâ ætate doctrinæ laude clarorum multorum, gratusq; fuit *Philippo Melanchthoni*, cum apud *Hermannum*, Archiep. *Colon.* rem Eccleſiaſticam in meliorem formam redigendi cupidum, ageret A. 1542.

Scripta.

Scripſit inter alia *Annotationes in Ovidii Metamorphoſin.*

Rhetoricam ad Herennium.

Schol. in Plautum, & Elegantias Laurentii Vallæ.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1544.

JOHANNES PFEIL.

PHilo ab eruditis dictus eſt.
Natus *Dreſdæ* in *Miſniâ.*

Lipſiæ arti medicæ operam dat.

A teneris unguiculis ad phyſicam & artem medicam animum adjungens, in Academiâ *Lipſienſi*, Præceptore inter alios *Henrico Stromero*, ſtudiorum fundamenta poſuit.

Medicus Florentinus.

Exindè in *Italiam* progreſſus, variis in Gymnaſiis per multos annos medicinæ operam dedit, & *Florentiæ* majoris Noſocomii curæ ſtipendio certo Medicus fuit præfectus.

Lipſiæ Medicinam docet.

Lipſiam reverſus, medicinam docuit & exercuit.

Archiater Electoris Saxoniæ. Moritur.

Non multò pòſt in aulam *Saxonicam* accitus, Electoris *Mauritii* Archiatrum egit ad annum 1544. quo calculi doloribus confectus è vitâ diſceſſit *Lipſiæ.*

Sepultus ibidem ad D. *Johannem.*

In Philoſophiâ, arte medicâ & Aſtrologorum ſcientiâ præclarè fuit inſtructus, *Anatomes* etiam egregriè peritus, Linguarumque Latinæ & Græcæ inſigniter doctus, nec poëſeos rudis.

Lipſiæ dum vixit, oblatus eſt ei civis intolerabili dolore capitis adeò vexatus, ut quietem capere nunquàm poſſet, cumque adhibitis etiam optimis quibuscunque remediis doloribus acerbiſſimis ſuperatus, vitam cum morte commutâſſet, *Pfeilius* cum defuncti amicorum veniâ caput diſſecuit, inque cerebro lapidem reperit magnitudine & formâ mori, (cujus eſu æger morbum ſe contraxiſſe dixerat) colore cinericio, quem deinceps multis pro ſingulari miraculo oſtendit.

Ejus diſcipuli.

Diſcipuli & auditores ejus inter cœteros fuerunt: D. *Udalricus Stendlerius*, Med. *Lubecenſis*, D. *Johannes Sprembergius*, Med. *Uratislavienſis*, D. *Matthias Cornax*, Med. Cæſ. *Viennæ*, D. *Wolffg. Meurerus*, Phil. & Med. Profeſſor *Lipſienſis*, & D. *Joh. Kentmannus*, Med. *Dreſdenſis.*

* *Ex vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1544.

MATTHÆUS CURTIUS.

TIcini natus, Medicinæ Doctor celeberrimus, à *Clemente VII.* S. Pontifice *Romam* ſæpiùs vocatus, cum eodem *Marſiliam* profectus eſt, cum matrimonium inter Neptim *Papæ Catharinam*, *Mediceam* & *Delfinum Franciæ*, Regem poſteà *Henricum II.* fundaretur.

Medicinæ Profeſſor. Moritur.

Medicam artem publicè *Ticini*, *Patavii*, *Bononiæ*, *Florentiæ*, & *Piſis* in Gymnaſiis ſummâ cum laude docuit, inque hâc Urbe vivorum numero ereptus eſt An. C. 1544. ætatis 70. Sepultus in *Campo Sancto* cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

MATTH. CURCIO TICINENSI,
QUI HIPPOCRATIS GALENIQUE VINDEX
SALUTIS AUGURIUM EGIT, MEDICINAMQUE
EXERCENDO ET DOCENDO IPSE VALENS
SEMPER EXCOLUIT, MONUMENTUM
HOC AMPLIUS QUAM
F. F. T. P. I.
COSMUS MED. FLORENTIÆ DUX II. ÆRE
SUO P. C. AN. MDLXIV. VIXIT
ANN. LXX.

Scripta.

Scripta ab eo relicta ſunt ſequentia:

De prandii ac Cœnæ modo libellus.

De veneſectione liber.

In Mundini Anatomen explicatio.

De aquæ bonitate.

De doſibus, ſeu de juſtâ quantitate ac proportione medicamentorum Opuſculum.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1544.

VALERIUS CORDUS.

NAtus *Simeſuſii* in *Haſſiâ* An. C. 1515. 18. Febr. Patre *Euricio Cordo*, Medico & Poetâ inſigni.

Wittenbergæ literis incumbit.

Abſolutis primæ adoleſcentiæ ſtudiis *Wittenbergæ* An. 1529. *Melanchthonem Nicandri* Alexipharmaca explicantem, inter alios *Johanne Cratone* commilitone audivit. Ibidem *Dioſcoridem* ter prælegit.

Laborioſas ſæpè peregrinationes unius ſimplicis medicamenti inveſtigandi causâ ſuſcepit: omnia loca metallica, præſertim *Miſniæ* & *Saxoniæ*, perſcrutatus, herbasque mirifico ſtudio inquiſivit.

In Italiâ commoratur.

A. 1542. Comite *Hieronymo Schreibero*, *Norico*, in *Italiam* profectus eſt: nec toto biennio *Patavii* commoratus, indè comitibus *Cornelio Sittardo*, *Colon.* Med. ſtud. & *Nicolao Fridewaldo*, *Boruſſ.* iter *Romam* verſus ingreſſus eſt, mox tamen rectà, ſed per loca ſimplicium feracia *Florentiam*, *Piſas*, *Lucam*, portum *Liburnum*, inque ſummis tum temporis caloribus montes & littora perreptans, herbas exoticas inquiſivit.

Moritur Romæ.

Eo in itinere *Senis* in diverſorio ab equo calce paulò infra femur percuſſus, dolorem ſenſit, ſed neglexit, cum nihil fractum nec vulnus propter ocreas factum eſſet. Cum verò eodem die per loca declivia pluviis madefacta, pedes ipſi cum ſociis iter faciendum eſſet, pedem ictu læſum accendit, & febre correptus eſt graviſſimâ, ut vix *Romam* bidui itinere diſtantem potuerit equo deportari, ubi octiduo pòſt placidè exſpiravit 25. Sept. A. 1544. ætat. 29.

Scripta.

Liber *Cordi de ratione componendorum Pharmacorum omnium*, quæ in uſu ſunt, Antidotarii nomine, poſt mortem auctoris editus eſt, & non ſolùm à Medicis approbatus, ac Pharmacopœis commendatus, ſed

ſed etiam crebrò in *Germaniâ* & extrà eam recuſus eſt.

* * * *

Vir nobilis *Joachimus à Beuſt*, Conſiliarius Electoris *Saxoniæ*, cum A. 1548. ſtudiorum gratiâ *Romæ* verſaretur, ipſi hoc ſcripſit *Epitaphium*:

Epitaphium.

Quis jacet hîc? Cordus: quis Cordum luget ademptum?
Triſtis cultorem flet Medicina ſuum.
Sed cur rumpentes fatalia ſtamina Parcæ
Condunt Romuleâ nobile pectus humo?
Qui toti fieri voluit notiſſimus orbi,
Non alio poterat notior eſſe loco.

Cum *Italiam* petiturus *Norimbergam* perveniſſet, & cum ejus Urbis Medicis amicitiam contraxiſſet, inter cœtera Diſpenſatorii, quod ipſe diligenter conſcripſerat, mentio incidit: cumque conſtaret, illud jam in aliquot *Saxoniæ* Urbibus, approbantibus Medicis, in uſum publicum fuiſſe receptum, Medici *Norimb.* rogârunt, ut & illud ſuis Pharmacopolis impertiret. *Cordus* verò librum ſuum Senatui palàm offerre decrevit, tum demùm in uſum publicum aſſumendum, cum eſſet illius judicii comprobatus. Senatus librum ſuum oblatum Collegio Medicorum, *Cordo* præſente, perlegendum & examinandum tradidit. Quod cum ſedulò factum eſſet, Senatusque ex Medicorum cenſurâ intellexiſſet, nihil hactenus emendatius in hoc deſcriptionum genere editum eſſe, librum hunc Pharmacopolis ſuis, ut eum veluti lumen ſequantur, obtulit.

Petrus Foreſtus in Schol. ad Obſerv. 13. Lib. 1.

An. 1544. cum eques *Romam* iret cum *Cornelio Sittardo* (quos ego paulò pòſt ſecutus ſum) & illi circa dies caniculares, tempore fervido, in montibus *Florentinis* plurimas herbas collegiſſent, *Valerius* deindè ſiti urgente gelidam ſubindè bibiſſet aquam, indè cruditate & obſtructione obortâ, *Romam* cum veniſſet, febre ardentiſſimâ correptus eſt, ex quâ nocte, cum illi aſſiſtens eram, vitam finivit.

* *Ex Melch. Adami Vitis Medic. & aliis.*

GEORGIUS STURCIUS, vel STURCIADES.

Obiit A. C. 1547.

Opercus *Eobano* in Carminibus dictus. *Annæbergæ* in *Miſniâ*, oppido aurifodinis noto, natus.

A. 1521. *Erfordiæ* cum *Joachimo Camerario*, quem per totam vitam amicitiâ ſingulari complexus eſt, & aliis competitoribus ab *Eobano Heſſo* artium optimarum Magiſter renuntiatus eſt.

Magiſter artium.

Poſteà in *Italiam* abiit, abducto ſecum *Euritio Cordo*, qui adjutus à *Sturciade* ibidem Medicinæ inſignibus fuit ornatus.

Fit Doctor Medicinæ in Italiâ.

Ex *Italiâ* reverſus, ſedem fixit *Erfordiæ*, ædibus, quas ſocer *Eobani* incoluerat, coëmtis, ibique & Medicinam faciendo, & alios docendo operam multis navavit utilem, Rectoratum etiam cum laude geſſit.

Medicus Erfordienſis.

A. 1525. Offenſus civilibus diſcordiis, & ſcholæ rebus in deterius vergentibus, cum familiâ abiit *Annæbergam*, indè in *Valles Joachimicas*, ubi magnis impenſis Myropolium inſtituit A. 1526. & Phyſicum egit.

Phyſicus in Valle Joachimicâ.

Indè *Erfordiam* rediit, ubi deceſſit morte quidem non præmaturâ, ſed Reipublicæ luctuoſâ A. 1547.

Moritur Erfordiæ.

Ad poſteritatem Scripti nihil reliquit, præter *Schemata febrium Erfordiæ* An. 1525. excuſa.

Scripta.

Fautor fuit & promotor literarum eximius: ipſe enim *Eobani* rem tenacem, cum 30. florenis aliquando cogeretur *Erfordiæ* anno integro ſe cum uxore, famulâ, & tribus liberis ſuſtentare, ſuâ copiâ liberaliter ſublevavit, & ad annum usque 1526. retinuit. Idem cum animadverteret, *Eobanum* ad fundendum carmen excitari bono vino, eo liberaliter communicato illum invitavit, ut *Pſalmos Carminicè Latinos verteret*: quoties enim *Pſalmum* attulit, vino & colloquio ſuavi à *Sturcio* exceptus eſt.

Literarum fautor eximius.

An. 1537. *Luthero* adfuit in periculoſo morbo, cum de ejus vitâ penè deſperaretur.

A. 1540. Cum *Melanchthon* in itinere ad conventum *Hagenoæ* indictum, *Vimariæ* in graviſſimum incidiſſet morbum; hujus amici ſui *Erfordiâ* evocati ſtudio, fide & induſtriâ ſecundum DEUM valetudinem priſtinam recuperavit.

* *Ex Melch. Adami Vitis Medicorum.*

AUGUSTINUS SCHURFFIUS.

Obiit A. C. 1548.

Ex antiquâ familiâ prodiit in oppido S. *Galli Helvetiorum*, Patre Medico natus A. 1495.

Doctor Medicinæ renuntiatus eſt *Wittebergæ* A. 1521. Decano *Petro de Burchardis.*

Doctor Medicinæ renunciatur Wittebergæ.

Ibidem ad medicæ artis Profeſſionem vocatus, ſingularem induſtriam ſuam demonſtravit, imprimis in Anatomicis promovendis. Ea enim artificioſa corporum humanorum diſſecandorum ratio medicinæ admodùm neceſſaria & utilis diu in omnibus ferè *Germaniæ* ſcholis neglecta jacuerat.

Profeſſor Medicinæ ibidem.

Menſ. Jul. A. 1526. Anatomen capitis humani publicam inſtituit, cum per temporis incommoditatem ulterius progredi non liceret, eumque cum ſpeculantium applauſu feliciter abſolvit.

Ex ejus Scholâ Medicâ prodierunt: *Georg. Sturciades*, *Joh. Magenbuchius*, cujus compoſitiones quædam medicæ uſu comprobatæ habentur in Officinis pharmacevticis, *Janus Cornarius*, *Henricus Stackmannus*, Prof. Med. *Wittenb.* *Conradus Pirckheymerus*, agnatus *Bilibaldi* &c.

Ejus diſcipuli.

Multis annis *Wittenbergæ* docuit, nec tamen multa edidit.

Extat *diſpoſitio* ejus de *peſte*, & libellus utilis omnibus ſtudioſis, continens *primas materias, quæ in doctrinâ medicâ traduntur.*

Scripta.

A. 1548. Cum *Mauritius*, Elector *Saxoniæ*, collapſa penè bello *Smalcaldico* literarum

rum ſtudia *Wittenbergæ* inſtauràſſet, & medicis ſtipendia majora decreviſſet, menſ. *Moritur.* Majo piè & placidè ex hâc vitâ diſceſſit An. æt. 54. In quo longè fuit inferior fratri *Hieronymo*, J. C. qui 73. æt. annum ſuperavit.

Inſcriptio hæc in cœmiterio Templi Parochial. legitur:

Epitaphium.

Hic Auguſtini conduntur frigida membra,
Cognomen Schurffi nobile cujus erat.
Qui Medicus multis aliis præſtantior unus,
Ingenio pollens, arte fideq; fuit.
Pectus erat ſapiens, & publica commoda curans,
Multum igitur toti profuit ipſe Scholæ.
Et quia cognovit cœleſtia munera Chriſti,
Juſtifica coluit te Deus alme fide.
Corpore at hic poſito, quod ſpe votiſque petebat,
In cœlo fruitur mens bonitate DEI.

DECESSIT ANNO M. D. XLVIII. DIE IX. MAJI.

* *Ex Inſcriptionibus Wittenberg. Andreæ Sennerti.*

Clar. A. C. 1550.

AMATUS LUSITANUS.

Medicus Ferrarienſis, & Raguſinus.

PRimùm *Ferrariæ* Medicinam profeſſus eſt. Hinc à *Rhacuſino* Senatu per *Sebaſtianum Menſeum*, illius Republicæ Legatum, magnis conditionibus evocatus. Rex eum *Poloniæ* ingenti prœmio invitavit, ſed ire recuſavit.

Scripſit *Curationes Medicas*, in quibus exemplo *Hipp.* morborum Hiſtorias à ſe obſervatas recenſuit. Verùm *Crato* plura conficta quàm facta illum ſcripſiſſe, & interdum opiniones ſuas iſto modò confirmare voluiſſe annotavit.

Edidit:

Scripta. *Curationum Medicinalium Centur. VII. quibus præmittitur Commentatio de introitu Medici ad ægrotantem, de Criſi & diebus decretoriis Lib.*

Enarrationes in Dioſcoridis Lib. V. cum Simplicium nomenclaturâ Græcâ, Latinâ, Hiſpanicâ, Gallicâ & Germanicâ.

* *Ex Vitis Medicorum illuſtrium Petri Caſtellani.*

* * *

Johannes Rodericus Caſtelli albi Philoſophus & Medicus fuit præſtantiſſimus, qui ſe poſteà *Amatum* nominavit, & *Curationum Medicinal. Centurias* ſcripſit, multiplici rerum cognitione refertas, quarum primæ præmittit, quomodo ſe Medicus in ingreſſu ad ægrotum habere debeat.

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Joh. Andreæ Quenſtedii.*

Clar. A. C. 1550.

MARCUS NEVIANUS.

GErardi mons, alterum Imperialis *Flandriæ* caput, edidit virum hunc eruditionis famâ nobilem. Nam qui res *Flandricas* hâc ætate ſcriptis illuſtrârunt, ut *Guicciardinus* & *Marchantius*, hunc à ſingulari doctrinâ celebrem velut in exemplum producunt.

Medicus. Nec verò civibus ſuis medendo ſolùm profuit, ſed etiam Rempublicam prudentiâ juvit, geſto ſæpiùs Conſulatu. *Conſul.* Tandem Sacerdotium nactus, & Sacerdos *Gandavum* ſeceſſit, ibiqùe reliquum vitæ in nobilis otii ſtudiis tranſegit. *Sacerdos.*

Scripſit Carmine,

Scripta. *De viribus Plantarum, & de morbis curandis.*

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

Clar. A. C. 1550.

FRANCISCUS VALESIUS.

Medicinæ Profeſſor Compluti.

HIſpanus, & Regis *Hiſpaniarum Philippi II.* Archiatrus, inque Academiâ *Complutenſi* Medicinæ Profeſſor, *libros X.* edidit, *in quibus difficiliores Medicinæ & Philoſophiæ Controverſias explicat.* Opus eruditi judicii, quamvis id juvenis admodùm ſcripſit, ut teſtatur *lib. V. cap. VI.* nec animo vulgandi. Et offendere licet nonnulla, quibus extremam manum non adhibuiſſe videtur. Scripſit præterea

Scripta. *Commentaria in Libros Hipp. de Morbis popularibus.*

in Aphoriſmos Hipp. & Librum de ratione victûs in acutis.

Idem teſtatur in Præfatione Libri de Philoſophiâ Sacrâ, ſe multos Commentar. in Hipp. & Galenum ſcripſiſſe.

Comment. in libros Hipp. Prognoſticos & Epidemicos.

In Galeni artem parvam.

Methodum medendi IV. libris comprehenſam.

Tractationes compendiar. de Urinis, de Pulſibus, & de Febribus.

Controverſiar. Medicarum & Philoſophicar. Lib. 12.

* *Ex Vitis Medicorum illuſtrium Petri Caſtellani.*

* * *

Franciſcus Valeſius à *Covarruviis* ſummam *Compluti* apud *Carpetanos* in Philoſophicis & Medicis quà docendo quà diſputando eſt laudem adeptus. Reliquit poſteris aureos Sacræ Philoſophiæ libros, ſive ad S. Scripturæ veteris ac novi inſtrumenti loca.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ variorum auctorum.*

* * *

Libro 7. Controverſiarum Medicar. & Philoſophicar. c. 18. cenſet, non eſſe aſpernandas Aſtrologicas Obſervationes in ſanguinis miſſione & expurgatione: atque *lib. 10.* comprobat *Galeni* opinionem de diebus Decretoriis, nempè illos à cœleſti curſu dependere.

* *Ex Præfat. in Lib. de Medicinâ Aſtrologicâ Joh. Antonii Magini.*

Flor. A. C. 1550.

PETRUS BEROLDUS.

Medicus & Philoſophus Veronenſis.

MAgnus fuit Philoſophus, Medicus & Mathematicus, quocirca cum Academia *Veronenſis Philarmonicorum* Philoſophiæ

Digitized by Google



IOACHIMUS VADIANUS. *Med. D. Theol. Poeta & Geograph.*

IOH. BAPTISTA MONTAN, *Medicus & Prof. Patavinus.*

IODOCUS WILLICHIUS *Medicinæ D. & Prof. Francof.*

HIERON. FRACASTORI, *Medicus Summi Pontificis*

HIERONYMUS TRAGUS *Medicus Hornbacenſis.*

IOHAN. MEGABACCHUS *Archiater Haſſiacus.*

IACOBUS SYLVIUS *Regius Lutetiæ Profeſſor*

GEORGIUS AGRICOLA *Medicus Chemnitienſis.*

GEMMA FRISIUS *Medicus Lovanienſis.*

ODDUS de ODDIS. *Medicinæ Prof. Patavij.*

IANUS CORNARIUS *Medicus Ienenſis.*

IOHANNES FERNELIUS *Regis Galliæ Archiater*

IUL. CÆSAR SCALIGER *Med. Philoſophus & Philologus*

FRANCISC. FRIGIMELICA *Medicinæ Prof. Patavij.*

IACOBUS MILICHIUS *Medicinæ Prof. Witteb.*

NICOLAUS MASSA *Medicus Venetus.*

loſophiæ publicum lectorem requireret, hunc elegit, quo tempore & *Petrus Pitatus*, Mathematicus percelebris, *Veronæ* Civis, Aſtronomiam ibidem publicè profitebatur.

Cum ad Clariſſimum *Matthiolum* exoticarum plantarum bulbos quoſdam & ſemina miſiſſet, ut erat illi valdè familiaris, & amicitiæ neceſſitudine devinctus, tum ineuntis anni Calendæ appeterent, ἀντιδώρῳ, ſtrenuæ egregiæ Confectioni, ſeu pro ſalute animarum *Beroldum* remuneratus eſt *Matthiolus*, quæ ex ipſomet autographo typis excuſo, ita ſeſe habet:

* Radicum { Rectæ fidei / Synceriſſimi cordis / Largiſſimæ pietatis }
Foliorum { Caſtiſſimæ Spei / Ampliſſimæ Miſericordiæ / Abundantiſſimæ Clementiæ }
Florum { Violarum Humilitatis / Roſarum Charitatis / Liliorum Puritatis }
Seminis { Caſtitatis / Jejuniorum / Eleemoſynarum / Orationum. }
Abſinthii Contritionis
Aloës Confeſſionis
Agarici Satisfactionis
Myrrhæ Pœnitentiæ
Thuris Contemptus mundi } ana libras innumerabiles.
Confectionis Matris Chriſti cum Margaritis
Specierum { Diapoſtolorum / Diamartyrum }
Trochiſcorum Diaſanctorum omnium.

Miſceantur hæc omnia in mortario Conſcientiæ; atterantur piſtillo doloris; agitentur baculo juſtitiæ; cribrentur memoriâ paſſionis Jeſu Chriſti; & cum ſaccharo divini amoris diſſoluto in aquâ lachrymarum ad ignem tribulationis, amaritudinis & patientiæ, fiat confectio Cordialis in Morſellis, pura, & ſyncera mente quotidiè maſticandis, guſtandis & deglutiendis.

P. Andr. Mattheolus Senenſis, Med. Goritiæ faciebat M D. L.

* *Ex Andreæ Chiocci Tractatu de Collegii Veronenſis Illuſtribus Medicis & Philoſophis.*

ALBANUS THORINUS.

Obiit A. C. 1550.

PRodiit ex *Vitoduro*, Germ. Winterthurn / *Helvetiæ oppido.*

Natus ſub annum 1489.

Baſileæ literis operam dat. Jactis literarum in patriâ fundamentis *Baſileam* venit, ibiq́ue Philoſophiæ & Græcis literis operam dedit.

Ludi moderator ibidem. Ibidem Magiſterii gradu ornatus, poſteà aliquantiſper Scholæ *Petrinæ* præfuit, & juventutem fideliter docuit.

Verùm ad altiora adſpirans, in *Galliam* profectus, ad Medicinæ ſtudium omnem induſtriam contulit tanto cum ſucceſſu, ut Doctoris axiomate meritò donatus, in patriam fuerit reverſus.

Medicinæ Profeſſor Baſileæ. Tum in numerum Profeſſorum Med. *Baſileæ* receptus, ſpartam ſuam pro virili ornavit tum *Galeni* & *Hippocratis* dogmata publicè explicando, tum medicinam feliciter faciendo.

Inter iſtos officii labores morbo longiori correptus, mortalitatem exuit An. 1550. die 23. Febr. *Baſileæ* ſepultus. *Moritur.*

Scripta. *Pauli Æginetæ libros primus è Græco Latinos fecit.*

C. Apitii de re culinariâ libros X. partim ſuo Marte, partim ad vetuſtum exemplar caſtigatos edidit.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

JACOBUS CARPENSIS.

Clar. A. C. 1550.

Chirurgus. CHirurgiam *Bononiæ* cum laude profeſſus eſt: ut *Fallopius* ejus artis peritiſſimus primum Anatomes inſtauratorem appellare non dubitaverit.

Idem primus in morbo *Gallico* inunctionem Hydrargyri adhibuit, quod etiam *Fallopius* ſcribit *lib. de morbo Gallico Cap. 76.* his verbis: *Verba Gabr. Fallopii.* *Prima ratio empirica, quâ ſanatus eſt morbus, in Italiâ fuit ab argento vivo ſumpta, quoniam cum cœpiſſet graſſari morbus, Chirurgici, qui nitebantur omnem lapidem movere, cum legiſſent, Hydrargyrum nimium valere ad ſcabiem rebellem, cumq́; primis temporibus lues hæc ulcera afferret, experti ſunt argentum vivum, & feliciter quidem, undè multi divites facti ſunt.* Inter hos *Jacobus Carpenſis*, cum ſolus calleret ſecretam hanc Medicinam, ita opulentus eſt redditus ſolo iſto quæſtu, ut teſtatus fuerit numeratam pecuniam 40000. ſcutatorum, præter argenteam materiam; quæ omnia Duci *Ferrariæ* reliquit: omnis enim aqua ad mare currit. *Dives ex curatione morbi Gall. cum Mercurio.* Ita infenſus erat *Hiſpanis*, ut cum eſſet *Bononiæ*, geminos ex iis laborantes morbo Gallico ceperit, & vivos Anatomicis adminiſtrationibus deſtinârit: *Duos Hiſpanos vivos ſecuit.* quamobrem profligatus *Ferrariæ* obiit. *Moritur.*

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

JOACHIMUS VADIANUS.

Obiit A. C. 1551.

NAtus *Sangalli, Helvetiorum* oppido, 29. Nov. A. 1484. Parente *Leonhardo*, Senatore; Matre *Magdalenâ Talmannâ.*

Viennæ in *Auſtriâ* literarum fundamenta jecit, ibiq́ue *Angelo Coſſo, Bononienſi*, in bonarum literarum publicâ profeſſione ſucceſſit, & per decennium commoratus eſt, ab an. 1508.

Laureâ donatur à Cæſ. Maximil. An. 1514. à Cæſare *Maximiliano* laureâ donatus *Lintzii*, præter alia carmina ſcripſit carmen de laudibus *Friderici* Patris, & filii *Maximiliani* Impp.

Geographiæ ſtudio deditus, omnes ferè *Europæ* partes peregrinando perluſtravit, variaque deindè Scripta Geographica edidit. In Legum etiam ſtudio non parùm verſatus eſt.

Digitized by Google

Fit Medicinæ Doctor. Menſ. Nov. A. 1518. Medicinæ Doctor *Viennæ Auſtriæ* creatus, & in patriam reverſus, Medicum egit.

A. 1519. cum Medicinâ Theologiæ ſtudium conjunxit, & à Pontificiis ad Evangelicos acceſſit: ſummâque diligentiâ in Senatu Senator ipſe Religionis cauſam ſuſcepit.

Uxorem duxit. A. 1519. Uxorem duxit *Martham Grebeliam, Tigurinam.*

Tum temporis Acta Apoſtolorum publicè miniſtris enarravit, & Epitomen trium terræ partium dictavit, ut lucem afferret locis, quorum D. *Lucas* in Actis Apoſtolorum meminit.

Scripta. Scripſit etiam *Aphoriſmorum libros ſex de conſideratione Eucharistiæ*, & *alia Theologica.*

Fit Conſul. An. 1526. Conſul in patriâ conſtitutus, octies conſulatum geſſit.

Cum Anabaptiſtis & *Caſp. Schwenkfeldio* certamen habuit, variaque ſcripta Theologica edidit.

28. Jan. A. 1551. cum corpus lento morbo conſumi, & mortem appropinquare ſenſiſſet, vocatis in ædes ſuas Eccleſiæ miniſtris, Conſulibus, & Senatoribus, rationem fidei ſuæ diſertâ confeſſione declaravit, & Eccleſiam Paſtorum vigilantiæ commendavit. Deindè Conſules ut Rempublicam ſibi haberent commendatam, hortatus eſt. Catalogum tandem librorum ſuorum omnium tradens conſuli, En, inquit, Optimi viri, theſaurum meum, libros in omni literarum genere præſtantiſſimos, quorum jam omnium Rempublicam hanc hæredem ſcribo, hâc lege tamen, ut Senatus eorundem in publicam civium utilitatem adſervandorum curam ſuſcipiat.

Cum viribus ſentiret ſe deſtitui, ad adſtantem Paſtorem *Joſuam Keslerum*: En tibi, inquit, Teſtamentum hoc, quo in orbe toto nihil mihi carius in perpetuam amicitiæ noſtræ memoriam. Paulò pòſt voce deficiente, cum nutu & manu ſuam in Jeſum fiduciam innuiſſet, obdormivit an. ætat. 66. *Moritur.*

In gratiam civium ſuorum, ut rerum domeſticarum haberent memoriam, à S. *Gallo* ad ſua usque tempora patriæ totiusque *Turgaviæ* contexuit hiſtoriam linguâ Germ.

Eteoſtichon *Joſuæ Kesleri, Sangallenſis:*

CLaVDItVr hàC *terrâ ſapIens* VaDIanVs & aLget,
QVI CeLebrIs *patrIæ* LVX *erat atq*Ve *pater.*

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1551.

JOHANNES BAPTISTA MONTANUS.

EX nobili familiâ *Veronæ* natus, eam à Genitore legem ſtudiis dictam habuit, ut totum ſe Jurisprudentiæ comparandæ traderet; at hic Genio trahente, paternam legem poſthabuit, nec omninò impunè: Pater enim re cognitâ, dum peregrè diſciplinarum causâ vagatus eſt, nullas ei nummorum ſuppetias unquàm tulit, & cum in patriam Medicus renunciatus rediiſſet, eum oculo retorto perdiu proſpexit; adeò, ut ipſâ nimiâ patris ſeveritate ſuboffenſus, hoc carmen offenderet:

Eſt Pater Euriſtheus, Juno, fortuna, ſuperſunt
Ærumnæ, Alcides, da mihi robur, ero.

Medicus autem excellentiſſimus, & Poëta *Pindaricus* elegans, in multis *Italiæ* urbibus artem medicam cum honore exercuit, & *Neapoli* cum *Johanne Joviano Pontano*, & *Actio Sannazario*, aliisque viris eruditis amicitiam coluit. Ibidem eum Academia in ſocietatem ſuam recepit. *Academicus Neapoli.*

Romæ Cardinali *Hippolyto Medicæo* charus, in ejus aulâ aliquandiu ſubſtitit.

Cum tandem *Patavii* praxin medicam per quadriennium feliciter exercuiſſet, ad publicam Med. Profeſſionem à Senatu *Veneto* vocatus, 20. annos in eo munere perſeveravit. Lectiones ejus tunc oratoria ſuavitate conditæ, à magno omnis generis Auditorum concurſu fuerunt exceptæ. *Medicinæ Profeſſor Patavii.*

Carolus V. Imper. *Franciſcus I. Gall. Rex, Coſmus*, magnus *Florentiæ* Dux, aliique Magnates eum ad ſeſe, promiſſis amplis ſalariis, traducere fruſtrà tentârunt, ut Conſiliis ejus ſalutaribus fruerentur. *Franciſcus Maria Feltrius, Urbini* Dux, difficulter à Senatu *Veneto* facultatem obtinuit, ut Duciſſæ Conjugi morbo gravi laboranti præſentiâ ſuâ ſalutaris eſſet. *A Magnatibus expetitus.*

Calculi doloribus obnoxius, & febri tandem catarrhali oppreſſus, cum mortem inſtare ſibi præſagiret, *Patavio* diſceſſit, & in quandam ditionis *Veronenſis* villam ſibi propriam ſe contulit, in quâ vitâ defunctus eſt 6. Maji A. C. 1551. ætatis 63. *Mortuus, & ſepultus Veronæ.*

Corpus ejus *Veronam* traductum, cum ſplendidâ pompâ viro tali dignâ tumulatum eſt in Templo S. *Mariæ ad Scalas*, & *Nicolaus Chioccus Calvus*, vir doctiſſimus, Oratione eleganti laudavit eum. Sed *Hieron. Fracaſtorius*, Medicus & Poëta excellens, hoc ei compoſuit *Epitaphium* ſepulchro appoſitum:

Epitaphium.

Dum medicâ, Montane, doces ope vincere fata,
Et Lachesi invitâ vivere poſſe diu.
Lethæo indignans preſſit te Parca ſopore,
Et ſecuit vitæ grandia fila tuæ.
Sic animas & tu Æsclepi dum ſubtrahis orco,
Te quoque ſævorum perdidit ira Deûm.

Opera ſcripſit & edidit, partim dum viveret publicata, partim à *Joh. Cratone*, diſcipulo grato, poſt ejus mortem edita, quæ ſunt:

Scripta.

Metaphraſis ſummaria eorum, quæ ad Medicamentorum doctrinam attinent.

Libellus de gradibus & facultatibus Medicamentorum.

Lectiones in 9. Librum Rhaſis ad Almanſorem Regem Arabum.

Lectiones in Aphoriſmos Hipp. & in primum Hipp. Epidemiorum.

In pri-

In primam Fen Avicennæ. In artem curandi ad Glauconem Galeni. In Artem parvam.
Idéa Hippocratis.
Liber de Fæcibus.
De Urinis.
De Simplicibus Medicamentis.
Quæſtio, quomodo Medicamentum æquale vel inæquale dicatur, videlicet calidum, frigidum, humidum, aut ſiccum?
Opuſcula varia.
Conſultationes Medicinales in duos Tomos diſtinctæ.
Examen Aureæ Alexandrinæ.
De Aquis deſtillatis.
De coctione & præparatione humorum.
De Alimentis, & victûs ratione.
Periocha Methodica in Galeni libros de Elementis, de atrâ bile, de naturâ humanâ, de temperamentis, & de generatione pituitæ.
Methodus de humore melancholico.
De componendis Medicamentis.
De lue Venereâ.
De uteri affectibus.
Aëtii Medici Græci Lib. X. Latinè traducti.
De characteriſmis Febrium.
Quæſtio de febre ſanguinis, hecticâ & peſtilenti.
De ordine in edendis legendisque Galeni Libris ſervando.
Bella, ſui temporis Carmine Heroico ſcripta.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini, & Collegii Veronenſis Illuſtribus Medicis Andreæ Chiocci.*

ANTONIUS LACUNA.

Clar. A. C. 1552.

Filius Medici Hiſp.

SEgobienſis Doctor Medicus, Pontificum aliquot valetudini præfuit, Doctoris & ipſe Medici filius *Jacobi Ferdinandi a Lacunâ*, quem benignum parentem & ſtudiorum Præceptorem maturè amiſit.

Natus eſt *Segobiæ*, quæ civitas cœli ſalubritate clarâ umbilicum ferè *Hiſpaniæ* tenere putatur, & præter alios egregios viros *Sotum* & *Villepandeum* Theologos ac *Fontidoneum* Oratorem dedit.

Lutetiæ ſtud.

Primum *Salmanticæ* Dialectica hauſit, hinc *Lutetiam* conceſſit, ubi in Græcis operam dedit *Petro Daneſio*, ac *Jacobo Tuſano*. *Joannem* verò *Gelidam Valentinum* Philoſophantem audivit, & in Medicis *Sylvium* ſectatus eſt.

Medicinæ Doctor Toleti.

In patriam his mercibus reverſus, Doctoris laureâ, communi omnium ſuffragio, *Toleti Carpetanorum* decoratus eſt.

Medicus Metenſis.

Cæſaris *Caroli V.* caſtra ſecutus, Medicinam factitavit, & *Coloniæ* diu in ſtudiis hæſit. *Metenſis* Reipublicæ, quæ eâ tempeſtate miris malis domi militiæque affictabatur, Medicus fuit ſtipendio annuo ornatus circa A. C. 1552.

Opera quæ ſcripſit.

Ejus Reipublicæ Collegio Canonicorum inſcripſit *Galeni* Philoſophicam hiſtoriam, ineptè anteà à vetere interprete & *Martino Rotâ* converſam, adjutus ope vetuſtiſſimi exemplaris calamo exarati.

Vertit & è Græco *Ariſtotelem de Mundo*, itemque de *Virtutibus Libellum*, qui potius *Platonici* cujusdam videtur. *Luciani* item *Tragopodagram* reddidit, & *Europæ querimoniam*. *De Agriculturâ Libros*, quos *Conſtantini Cæſaris* eſſe putant, & qui à nonnullis *Caſſio Dionyſio Uticenſi* tribuuntur, Latinitate donavit, & *Cornarii* interpretationem Scholiis additis reprehendit. *De Stirpibus* item *Libros duos*, quos *Theophraſto* alii, quidam etiam *Ariſtoteli* falsò adſcribunt.

In re medicâ etiam *Indicem Galeni* concinnavit, in eorum gratiam, qui anguſtiâ rei familiaris premuntur, nec otio abundant.

Compoſuit enim in *Dioſcoridem Scholia Latina*, quem *Hiſpanicè* quoque loquentem cum copioſo Commentario ac figuris civibus ſuis Medicinæ ſtudioſis donavit.

Scripſit & de *carnoſitate in veſicâ*, de *febre peſtilenti*, ac *de humani corporis ſectione Methodum*.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ diverſorum auctorum.*

THEODORICUS DORSTENIUS.

Obiit A. C. 1552.

PHilippi, Medicinæ Doctoris & Profeſſoris Pater, natione *Weſtphalus*, cum tyrocinii patriis in Gymnaſiis poſuiſſet rudimenta, in *Haſſiam* conceſſit, ubi cum ſubſtituiſſet diutius, & in cognoſcendis atque tractandis artibus ſtudium ſuum poſuiſſet omne, ſeſe tandem ad docendi munus traduci paſſus, juventutem primùm veluti trivialis ſcientiæ Magiſter erudiit.

In Haſſiam conceſſit.

At poſtmodùm difficillimi muneris pertæſus, relicto ſcholæ, in quâ hactenus deſudârat, pulvere, ad docendi munus publicum in Academiâ adhæſit, tandemque cum Medicinæ ſtudio ſe dediſſet, ita elaboravit, ut ſummam illius artis lauream conſequeretur, locumque ipſum, *Caſſellas* accerſitus, mutans, Medicinam deinceps eâ in urbe fecit, optimèque de civibus meritus, A. 1552. die 18. Maji extinctus demum eſt.

Medicinæ Doctor.

Moritur.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

JODOCUS WILLICHIUS.

Obiit A. C. 1552.

NAtus A. 1501. circa ferias Pentecoſtes *Reſellii* in *Boruſſiâ*, ſub Epiſcopatu *Varmienſi*.

A. 1514. Cum paulò ante parentes amiſiſſet, *Francofurtum* in Academiam *Marchicam* venit, ibi an. ſeq. primum in Philoſophiâ gradum adeptus, deindè & Magiſter renuntiatus, *Bucolica Virgilii* enarrare cœpit, & commentarios in ea edidit.

Fit Philoſophiæ Magiſter.

Erfordiæ etiam aliquandiu docuit.

An. 1524. *Francofurti* inter Profeſſores cooptatus Rector Academiæ, nec non Græc. literarum Profeſſor deſignatus eſt.

A. 1541. Uxorem duxit virginem *Reginam*, *Hieronymi Juſti*, Conſulis quondam *Francof.* filiam. In ipſis nuptiarum ſolennitatibus, de voluntate *Joachimi, Elect. Brand.* cui ipſe admodùm charus, Inſignia Doctoræ

Fit Medicinæ Doctor.

Digitized by Google

Medicæ, promotore *Chriſtiano Schirachio*, ſuſcepit.

A. 1542. In Collegium Medicum adſcitus, ac Profeſſor conductus, in eâ functione totum pene *Hipp.* interpretatus eſt, eundemque Scholiis illuſtravit.

12. Nov. An. 1552. æt. 51. In arce *Libuſiand*, quo ſe, ob contagium peſtiferæ luis vitandum, ſuaſu Epiſcopi *Libuſiani*, *Joh. ab Honenberg*, contulerat, correptus inter obambulandum apoplexiâ fortiſſimâ, accedente paralyſi linguæ & omnium membrorum exſpiravit. 14. Nov. ſeq. Corpus ejus indè *Francofurtum* revectum in ſummo templo D. Virg. *Mariæ* terræ illatum eſt.

Moritur.

Præter uxorem gravidam & duas filias, reliquit tres filios: *Jodocum*, *Theodorum*, & *Beatum*.

Scripta. Præter varia *Scripta Philoſophica* & quædam *Theologica*, *Medica* quoque monumenta reliquit: *Commentarium Anatomicum.*

Artem magiricam, ſive culinariam de cibis, ferculis, obſoniis, & potibus diverſis parandis, ac eorum facultatibus.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A. C. 1553.

HIERONYMUS FRACASTORIUS.

VEronæ natus An. C. 1483. eſt, Patre *Paulo Philippo*, cujus mater cum ipſum infantem tenellum adhuc lactâſſet, ingruente ſubitò tempeſtate, gravi ipſa à fulmine proſtrata fuit, puello nullo prorſus abindè illato damno.

Medicus Summi Pontif. Medicus fuit, Philoſophus, rerum naturalium indagator, Aſtrologus, & Poëta præclarus, qui à Summo Pontifice *Paulo III.* 60. aureos pro menſtruo ſtipendio accepit.

Cum olim Imp. *Carolus V.* per *Piſchertam* iter faceret, commonſtrato ſibi hoc inter inſpectantes homine à Cardinali *Madrutio*, greſſu nonnihil conſtitit, ut ipſum nominis tantùm celebritate agnitum curioſius aſpiceret. Hic enim Cardinalis & Princeps *Tridentinus Madrucius* arctis eum amoris vinculis ſibi conjunctum, vel animi vel valetudinis gratiâ ſæpiùs in proprium excipere conſuevit hoſpitium.

Cum *Andrea* quoque *Navagerio ex Venetâ* nobilitate Vate inſigni, & *Job. Baptiſta Rhamnuſio*, viro præclariſſimo, perpetua ipſi familiaritatis officia interceſſerunt.

Bartolomæus Livianus, *Veneti* exercitûs Imperator, ipſius convictu in caſtris diu ad *Abduanam* usque cladem potitus eſt.

Mathematicus. Aſtrorum & Coſmographiæ ſtudio fuiſſe ſummoperè delectatum ligneï teſtes ſunt Orbiculi ipſius manibus conſtructi, ad variasque locorum dimenſiones noſcendas accommodati. Ornavit Poëticam Laurum Curationum Medicarum induſtriâ domi & foris, atque eo ſibi nomine ſingularem apud omnes peperit benevolentiam, quod ægroti ſalutem præferebat inſigni charitate juſti laboris precio, quod aliàs Medici ſuo promerentur miniſterio.

De *Jacobo Sannazario* fertur, quod perlecto coràm *Hippolyto* Cardinali Mediceo *Fracaſtorii* Carmine, quo *Siphyllida* cecinit, ingenuè faſſus fuerit, Poëma Partûs Virginei à ſe 20. annorum ſtudio concinnatum & editum hujus omninò ſublimitate depreſſum, ac radiis obtenebratum fuiſſe. *Poëta præclarus.*

A. 1547. Cum contagii morbum ſub autumni tempus imminere prædixiſſet, in causâ fuit, ut Patres in Concilio *Tridentino* congregati majori ex parte *Bononiam* ſe contulerint. *Peſtem præſagit.*

Labrum ſibi ſuperius plerumque commordere, obtutu hærere, ſedatam ſe tetricam faciem gerere, eloqui non niſi laceſſitum vel potiùs rogatum inſpiciebant adſtantes: ſed nihilominùs admirandæ vel inter loquendum vel inter ſcribendum ſententiæ, urbanitatis etiam ſale interdùm conditæ latere in nobili pectore ſtupendum naturæ arcanum egregiis obviam ignavioribus abditum teſtabantur.

Patavii tandem inter prandendum apoplexiâ correptus, amiſſo penitùs ſermonis uſu, manu ſubindè in verticem porrectâ voluit innuere adſtantibus, ut celeriter cucurbitulâ ibi appoſitâ cerebro ſuccurrerent, quo remedio ſe quondam Veſtalem virginem reſtituiſſe meminerat. Id verò cum illi non intellexiſſent, ſub noctem exſpiravit 6. Aug. A. C. 1553. ætat. 70. *Auxilium fruſtrà poſtulans, moritur apoplexiâ.*

Cives *Veronenſes* ſtatuam ei marmoream in foro maximo poſteris ad imitandum propoſitam erexerunt, ſub hâc ſubſcriptione:

HIERONYMO FRACASTORIO
PAULI PHILIPPI F.
EX PUBLICA AUTORITATE
ANNO MDLIX.

Scripta. Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Opera Philoſophica, Medica, & Aſtronomica Libris II. contenta.

De Morbis contagioſis, eorumq; Curatione Libri III.

De Sympathiâ & Antipathiâ.

De Vini temperaturâ.

Alcon, ſive de curâ canum venaticorum.

Turrius, ſive, de Intellectu Dialogus.

Poëma Siphyllidis nomine inſcriptum, de morbo Gallico. Heroicis verſibus ad P. Bembum.

Homocentrica, ſeu de Stellis, & de cauſis Criticorum dierum per ea, quæ in nobis ſunt.

Joſeph Comœdia, ſive *Poëma*, *quod morte preventus abſolvere non potuit.*

Naugerius, ſive *de Poëticâ Dialogus.*

Fracaſtorius, ſive *de Animâ Dialogus.*

Carminum Liber unus.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Job. Imperialis Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

Sepultus jacet in Templo D. *Sophiæ*, cum Epitaphio ſepulchro inſcripto, quod ei amicus *Julius Cæſar Scaliger* compoſuit:

Epitaphium.

Hîc ſitus eſt Fracaſtorius Hieronymus urna:
Quem capitis cœpit pectore cuncta ſuo.
Sydera digeſſit, revocavit funera, rerum
Naturæ imperii conſcius atque Dei.

Aut

Aut Heliconiadum fontem ſibi ſuſtulit omnem,
Aut tumulus vertex hic Heliconis erit.
OBIIT MDLIII.

* * *

Veronæ loco nobili natus, ad exactam Philoſophiæ & Mathematicarum artium, ac præcipuè Aſtronomiæ cognitionem ſummum judicium attulit, quo multa ab antiquis aut ignorata aut ſecus accepta adinvenit, & explicavit. Medicinam ut honeſtè ac citra lucrum ita feliciter fecit. Poeticam verò ita excoluit, ut ad *Virgilianam* majeſtatem proximè acceſſiſſe eum faterentur æmuli, & in iis *Jacobus Sannazarius*, alioqui parcus & amarulentus alienæ induſtriæ laudator, qui viſâ ejus Siphilide, non ſolùm *Johannem Jovianum Pontanum* ſeſe quoque victum exclamavit. Obiit in *Capbiis* ſuis, villâ amœnâ ad *Baldi* montis radices ſitâ, quo ſæpiùs ab urbe ſecedebat ex apoplexiâ. Indè corpus ejus *Veronam* relatum, & ad B. *Euphemiæ* ſepultum eſt. *(Jacobi Sannazarii elogium.)*

Ænea illius & *Andreæ Naugerii*, patritii *Veneti*, viri doctiſſimi, effigies ſcitè expreſſæ *Patavii* in *Benedictino* fornice viſuntur à *Joh. Bapt. Ramuſio* utrique amiciſſimo poſitæ, additâ antiquæ aræ pervetuſtâ dedicatione, ex ruinis *Salonæ* Urbis erutæ, ut qui arctâ inter ſe neceſſitudine vixerant, & politiores literas excoluerant, eodem in loco ſpectarentur, & à juventute *Patavinâ* univerſoque Gymnaſio quotidiè ſalutarentur. *Thuan. lib. 12.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

HIERONYMUS TRAGUS.

Obiit A.C. 1554.

HIeronymus Tragus, vernaculè Bock/ *Heidespacchii*, pago *Brettæ*, *Philippi Melanchthonis* patriæ vicino natus An. 1498. A parentibus ad vitam Monachorum impulſus, abhorruit eam.

In Academiis Philoſophiæ naturali, inprimis Theologiæ, operam dedit, poſteà *Biponti* novennio Ludimagiſtrum egit, unâque operâ *Ludovici* Principis *Palatini* hortum variis generis plantis inſtruens Principi, qui A. 1531. filium ipſius è S. fonte ſuſcipere non recuſavit, & civibus charus fuit. *(Ludimagiſter Biponti.)*

An. 1533. Principe mortuo, in *Hornbacenſe* D. *Fabiani* Collegium liberali ſtipendio à nob. viro *Kundtheuſero* cooptatus, Miniſtri Dei & naturæ, id eſt, Concionatoris & Medici officio functus eſt, utroque modo civibus ſalutaris. *(Miniſter Eccleſiæ, & Medicus.)*

Indè ob veritatis Evangelicæ confeſſionem pulſus, à *Philippo* Comite *Naſſovienſi*, quem ante à morbo periculoſo liberaverat, *Saræpontum* invitatus, biennium ibi commoratus, ſylvam ſuam plantarum locupletavit.

Hornbacum ſingulari civium applauſu reverſus, ibi reliquum vitæ ſuæ tempus in tabem proclivis tranſegit, divitias ſpernens, & parvo, ſi quiſpiam alius, contentus.

Obiit *Hornbaci* phthiſi à 16. annis exhauſtus 21. Febr. A. 1554. æt. 56. *(Moritur.)*

Sepultus in Templo D. *Fabiani*, quod hodiè dirutum eſt.

25. Jan. A. 1523. Nuptias *Biponti* celebravit cum *Evâ*, *Henrici Victoris*, *Bipont.* filiâ; Ex eâ filios 5. & totidem filias ſuſcepit, qui liberi omnes, filio uno & filiâ exceptis, ſuo obitu parentum mortem præverterunt, ſuperſtite tandem etiam ipſi marito uxore. *(Conjugium ejus.)*

A puero fuit ingenio præditus acri, memoriam diligentiâ corroboravit, & temperantiâ cuſtodivit.

Scripta typis edita: *(Scripta.)*

Diſſertationes de herbarum nomenclaturis ferè quinquaginta ad Ottonem Brunfelſium Latinè ſcriptæ.

Ratio valetudinis tuendæ converſa è Diocle Caryſtio in Serm. Germ.

Cella penuaria Germ. ſcripta.

Herbarium, tribus libris Germ. idiomate omnes Germaniæ plantas explicans.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

JOHANNES MEGABACCHUS.

Obiit A.C. 1555.

SPangenbergæ *Heſſorum* non obſcurâ *Megobacchorum* proſapiâ natus anno 1495. menſe Februario, Scholâ in patriâ ea complexus eſt puer, quibus veluti futuræ doctrinæ præludiis pectus ipſum acuitur.

Varietatem & vim artium ipſarum *Wittebergæ* primùm, dein *Erfurdiæ*, aliiſque in Academiis, atque in *Italia* ſummo ſtudio attigit, & in Medicinâ præcipuè ita verſatus eſt, ut etiam honorum ampliſſimorum, qui laboribus, virtuti & ſcientiæ in Academiis decerni ſolent, emeritus fuerit inſignia. *(Artem medicam variis in Academiis acquiſivit. Honores Doctorales emeritus eſt.)*

Neque tamen hic, quod vulgò fieri aſſolet, ſubſtitit, verùm cum perſpiceret, ab iis tractari aliter artes, qui ad uſum transferunt, aliter ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in vitâ agere cupiunt aliud, in eam rationem ingreſſus eſt, ut præcepta uſu & exercitatione, ſcientiam induſtriâ firmaret.

Ideòque cum perſpecta jam eſſet & explorata hominis dexteritas, idque mirarentur imprimis omnes, quod & poſſet, quod deceret facere, & quid quandoque deberet noſſet æquè, quorum alterum artis, alterum prudentiæ, non ſolùm in aulam accerſitus à Principe, verùm etiam docendis hiſce in Academiâ *Marpurgenſi* artibus præfectus eſt. *(In Aulam Caſſellis accerſitus. In Academiâ Marpurg. docuit medicinam.)*

Sed enim, cum è ſummis occupationibus aulicis, cum perpetuis ferè peregrinationibus conjunctis tantum temporis eripere non poſſet, quod Academicis exercitationibus eſſet ſatis, anno 1535. ex *Auſtriâ* redux, ſeſe docendi in Academiâ abdicavit munere, aulicum vitæ genus deinceps unicè ſecuturus. *(Munere docendi ſeſe abdicavit.)*

Atque ita 20. annos valetudinis cum Principis ipſius, tùm verò Aulicorum omni-

omnium curam habuit, ſtudio, induſtriâ & fide nemini ſui temporis comparandus.

Moritur. Conceſſit autem fatis *Caſſellis*, in ſummo templo conditus, ubi etiam Epitaphium ejusdem æri inciſum, hunc in modum legitur:

Epitaphium. INCLYTI HESSORUM PRINCIPIS PHILIPPI EJUS NOMINIS PRIMI ARCHIATER JOHANNES MEGABACHUS A SPANGENBERG SIMPLICIA PATRI ET COMPOSITA MATRI RESTITUENS HIC SUB ASSIGNATO SIBI MARMORE SITUS EST, QUI VIXIT ANNIS LX. MENS. VI. OBIIT VERO ANNO DOMINI MDLV. DIE XXVII. JULII, cujus ANIMA IN SANCTA PACE ÆTERNUM QUIESCAT AMEN.

Scripta. Extant viri *Compoſitiones quædam medicæ & antidota uſu longo comprobata.*

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Clar. A. C. 1555.

JOHANNES ECHTIUS.

CLaruit ſub annum 1555.

Patriâ fuit *Belga*.

Studioſus Wittebergæ. *Wittenbergæ* inprimis ſtudiis operam dedit.

Medicinæ Doctor. Indè in *Italiam* profectus, celeberrimos in iis locis Philoſophos & Medicos audivit, tantumque profecit, ut Doctoralia inſignia conſecutus ſit.

In *Germaniam* reverſus, *Coloniæ Agripp.* Medicinam exercuit tantâ felicitate, ut latè virtus ejus emanârit.

Conſcripſit cum *Huberto Fabro*, *Bernhardo Cronenburgio*, & *Theodoro Burckmanno*, Medicis, juſſu Senatûs, *Diſpenſatorium Coloniense.*

Coloniæ Hortum ſpatioſum herbis exoticis repletum inſtruxit, quotannis magno labore & ære, ex *Italiâ*, *Galliâ*, *Angliâ*, & totâ *Germaniâ* ſemina peregrina conquirens, ut quod ignotum aut ambiguum anteà fuerat, vivâ ab omnibus facie cognoſceretur.

Statura. Corporis temperaturâ fuit æquabili, ſed qui ex leviſſimâ calidi odorati occaſione in gravem cerebri affectum venerit, &, quod mirandum, ex roſæ rubræ olfactu continuò ad ſternunationes fuerit irritatus.

* *Ex vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A. C. 1555.

JACOBUS SYLVIUS.

ORtu *Ambianus Picardus* Medicinam denſis *Arabum* tenebris circumfuſam nitori ſuo primus reſtituit, ejusque ſtudium ad *Hippocratis*, *Galeni*, cœterorumque Græcorum normam direxit. Nec diſſimili claritate Regius *Lutetiæ* Profeſſor

Anatomiæ Profeſſor Pariſ. Anatomiam, & ex *Galeni* doctrinâ profeſſus, quod à nemine anteà præſtitum fuerat, ſingulis humani corporis partibus ſuas appellationes ingenioſè repertas impoſuit.

Juvenis Præceptorem habuit in re medicâ Johannem Tagaultium. Sed in hoc illi ſua diligentia fraudi quodammodo fuit, quod cum magiſtro ſuo *Galeno* prorſus addictus nusquàm ab ejus ſententiâ vel minimum diſcederet, nactus eſt

Andr. Veſalii adverſar. æmulum in hoc negotio *Andream Veſalium*, qui liberiori ingenio exactam rei veritatem ſecutus, aliquantò ſplendidius hanc Medicinæ partem explicare viſus eſt.

Sed quantum conferebat ei Divinæ artis induſtria, tantum immodicæ demebant vigiliæ, dum ſibi non temperavit aſſiduo docendi labore perfunctus, non ſolùm publicè in ſuggeſtu Regio, ſed etiam privatim in ſuis ædibus, collatitiâ mercede paulò ſordidius exactâ: quæ res ei non levem inuſſit avaritiæ notam. *De avaritiâ ſuſpectus.*

Cœlebs ætatis annum 63. explevit, cum tamen à promiſſâ capillorum canitie venerabilis multò grandioris ævi ſpeciem præ ſe ferret. Obiit tandem *Lutetiæ* 13. Jan. A. C. 1555. *Cœlebs vixit.*

Inter funeris exequias non defuerunt ex auditorum numero, qui hosce *Buchanani* jocoſos in eum verſiculos templi valvis affigerent, frementibus & indignantibus aliis Præceptoris benè meriti quietos manes ab ingratis diſcipulis tam impiè turbari:

Sylvius hîc ſitus eſt, gratis qui nil dedit unquàm,
Mortuus & gratis quòd legis iſta dolet.

Sepultus eſt in Cœmiterio Scholaſticorum, ut teſtamento juſſerat.

Magna ei cum *Manardo*, ætatis ſuæ Medico doctiſſimo, interceſſit familiaritas. Multa collata in eum fuêre beneficia à *Stephano Poncherio*, Epiſcopo *Bajonenſi*, cui *Joh. Meſuæ* interpretationem dedicavit.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Scripta:

Scripta. *Iſagoge in Hipp. & Galeni Phyſiologiæ partem Anatomicam.*

Obſervationes quædam in variis corporibus ſecandis.

Veſani cujuſdam Calumniarum in Hipp. & Galeni rem Anatomicam depulſio.

De motu muſculorum Lib. II.

De Pulſuum uſu.

De menſibus mulierum, & de Generatione hominis Comment.

De ordinis ratione in legendis Hipp. & Galeni Libris Opuſculum.

De Temperamentis Lib. III.

De inæquali Intemperie libellus.

De naturalibus facultatibus Libri III.

De tuendâ valetudine ſenum.

De alimentorum facultatibus Lib. III.

De attenuante victûs ratione Libell.

De Febribus Comment.

De Febre peſtilenti, & Sudore Anglico.

Quæſtio de Vini exhibitione in Febribus.

Tract. de Oſſibus.

De Medicamentorum ſimplicium delectu, præparationibus, & mixtionis modo.

Methodus componendi Medicamenta ex ſimplicibus Libris IV. diſtributa.

De victûs ratione ſalubri Pauperum Scholaſticorum Libell.

De Signis Medicis Salubribus, Inſalubribus, & Neutris Comment.

Morborum internorum Curatio, ex Galeno & Marco Gattinariâ collecta.

Johannis

Johannis Meſuæ Lib. III. Latinitate donati, & annotationibus illuſtrati.

Commentarii in Opera quædam Galeni.

Conſilia varia medica Laurentii Scholtzii Conſiliorum Libro inſerta.

Iſagoge in Linguam Gallicam.

Obiit A.C. 1555.

ANTONIUS NIGER.

Erfordiæ liberales artes didicit.

HUjus *Vratislaviâ Sileſiorum* oriundi ingenium, cum *Erfordiæ* operam navaret, artium liberalium ſtudiis, non aliter atque *Phidiæ* ſignum ſimul aſpectum & probatum eſt clariſſimis viris *Cordo, Eobano, Megabaccho* & *Nordeco*.

Rerum naturalium Profeſſor Marpurgi.

Ideòque illis præcipuè Authoribus ſe contulit *Marpurgum*, ubi rerum naturalium cauſas ediſſeruit publicè primus, *Græcisque* ſimul eruditus doctrinis easdem docuit, porrò multæ induſtriæ magnique laboris homo, qui propterea elegans quoque carmen pangere didiciſſet, & majoris gloriæ cupiditate ad artem medicam abſtractus, in hâc præcipuè diſciplinâ ſeparatim elaborare cuperet.

Ad Medicinam ſe contulit.

Quamobrem ut rerum hanc ad artem ſpectantium uſum colligeret aliquem, anno 1536. *Patavium*, quod imprimis ob *Apollineas* hasce artes celebre ſemper fuit, concedere, illicque exercitatione acuere ingenium non eſt veritus, etſi provectioris jam eſſet ætatis, & docendi munus jam ante in *Marpurgenſi* Academiâ cum laude ſuſtinuiſſet.

Patavium conceſſit.

Nec eventus hisce conſiliis & ſtudiis defuit; Nam id, quod ſpectabat virorum iſthic doctiſſimorum & artis illius, ut illis in locis ferè ſunt, peritiſſimorum ſuffragatione & operâ conſecutus, ut Doctoris titulo & nomine ibidem ornaretur, *Brunovici* ſtudiorum fortunarumque ſedem uxore iſthic ductâ collocare, artemque, quam multis impenſis & labore didicerat, eâ ipsâ in urbe exercere voluit.

Doctoris titulo ornatus.

Moritur. Tandem anno 1555. die 5. Junii obiit.

Edidit Scripta ſequentia:

Scripta. *De ſanitate tuendâ libellum.*

Grammaticam Græcam.

De Erroribus & abuſibus, propter quos Medicina infamata, Tractatum.

Pſalmos Davidis aliquot Græcis verſibus redditos.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1555.

EDOARDUS VOTTONUS.

Medicinæ Profeſſor Oxonii.

Scripta.

OXonii in *Angliâ* natus, & apud ſuos Medicinam profeſſus, editoque *De differentiis animalium Commentario* clarum inter literatos adeptus nomen, anno climacterico ſuo, relictâ numerosâ prole, *Londini* 3. Non. Octob. deceſſit An. C. 1555. *Thuan. lib. 16.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1555.

ANDREAS GRUNDLERUS.

SUinfurti, *Franciæ orient.* oppido, loco honeſto natus eſt.

Cum in Lat. & Græcâ linguâ cognitionem non vulgarem ſibi comparâſſet, in Philoſophorum ſpatia progreſſus, Phyſicis potiſſimùm, quò naturâ ferebatur, & medendi arti ſeſe dedidit. Quo in ſtudio, ut ad finem optatum perveniret, in *Italiam* abiit, & *Ferrariæ* Doctor Med. renuntiatus eſt.

Medicinæ Doctor.

Ibi in familiarem notitiam venit virginis *Olympiæ Fulviæ Moratæ*, *Fulvii Peregrini Morati Mantuani*, Philoſophiæ Prof. *Ferrar.* filiæ, Latinè & Græcè ſupra ætatem ac ſexum eruditæ. Hanc in matrimonium duxit An. 1551. Deindè cum eâ & fratre ejus *Æmilio*, puero octenni, in patriam reverſus, in ipſas belli inteſtini flammas incidit. Occupavit enim tunc opp. *Suinfurtum Albertus*, Marchio *Brand.* qui poſteà illud eò, quod contra hoſtem ſervari non poſſet, diripuit, & noctu clàm diſceſſit, *Noribergenſes* verò ſuccedentes planè incenderunt A. 1554.

Conjugium.

Bonis igitur omnibus exutus, & cum ſuâ ſolum vertere coactus, bis in fugâ ab hoſte captus, & toties liberatus, tandem *Haidelbergam* pervenit, ibique de voluntate Electoris *Friderici II.* in numerum Med. Profeſſorum cooptatus eſt.

Exul.

Medicinæ Profeſſor Heidelberg.

Dum ſpartam eam pro virili ornare conatus eſt, Conjunx *Olympia* febri correpta, è vivis eximitur 26. Oct. A. 1555. æt. 29. *Moritur.*

Eam maritus cum fratre *Æmilio* brevi intervallo ſubſecutus eſt.

Tumulis conjuncti ſunt *Haidelbergæ* in Cœmiterio *Petrino*.

In Epiſtolâ quadam ad *Cœlium Secundum Curionem* de *Olympiâ* ſuâ ſic ſcripſit: Deceſſit illa magnâ cum alacritate moriendi: jam ferè moriens è ſomno exporrecta, viſa eſt mihi, neſcio quâ dulcedine læta clanculùm ſubridere. Cum propiùs accedens, quidnam tam ſuaviter rideret, interrogarem: Videbam, inquit illa, locum quendam pulcherrimâ clariſſimâque luce refertum, & paulò pòſt, tota, inquit, ſum læta. Cum jam oculorum acies hebeſceret, Vos quidem, inquit, vix amplius cognoſco, omnia autem cœtera mihi videntur plena eſſe pulcherrimis floribus. Non multò pòſt quaſi dulci ſummo oppreſſa efflavit animam, cum jam per dies aliquot ſæpiùs affirmâſſet, ſe nihil aliud cupere quàm diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, cujus in ſe maxima beneficia non ceſſabat prædicare, quod animum ejus ab omnibus mundi hujus voluptatibus alienâſſet, quod deſiderium vitæ æternæ in ipſâ accendiſſet, nec ſe dubitabat, ſermone in omni filiam DEI appellare.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1555.

GEORGIUS AGRICOLA.

NAtus *Clauchæ, Miſniæ* oppido 24. Martii An. 1494.

In

Digitized by Google

Medicus Chemnitienſis.

In valle *Joachimica* Medici munere functus eſt, indè *Chemnitium* migravit: Omne verò tempus à Curandis ægrotis vacuum conſumpſit partim in percunctandis hominibus rei metallicæ peritis, partim in legendis Scriptoribus Græcis & Latinis, qui de metallis aliquid prodiderunt: ſed cum videret extare perpauca, plura abolita ipſe in animum induxit, quæ vel ab aliis didiciſſet, vel ipſe vidiſſet, in lucem proferre.

Scripſit itaque

Scripta.

De re Metallica Libros XII. cum effigiebus inſertis.

De ortu & cauſis ſubterraneorum.

De natura eorum, quæ effluunt ex terrâ.

De naturâ foſſilium.

De fontibus medicatis.

De animantibus ſubterraneis.

De Peſte lib. III.

De menſuris & ponderibus, quâ de re litem ei movit Andreas Alciatus.

Scripſit aliquando ad Duces *Saxoniæ*, partem Regionis eorum ſubterraneam eſſe pretioſiorem omnibus iis, quæ ſupra terram poſſiderent.

Cum fundamenta bonarum literarum in *Germaniâ* feliciter poſuiſſet, & An. 1518. Cygneæ ludum Græcum aperuiſſet, ac poſt *Lipſiam* profectus, *Petri Moſellani* Lector fuiſſet, in *Italiam* abiit, ubi inter alios audivit *Nicolaum Anconem* & *Johannem Nævium*, quorum alter in Medicinâ *Arabum* fuit verſatus, alter in literis Græcis & veteri Medicinâ eruditus.

Ex *Italiâ* reverſo nihil fuit potius, quàm ut ſe ad *Sudetos* conferret, montes argenti fertiliſſimos, ad quos ut venit, ſtatim cœpit ardere ſtudio rei metallicæ, quod pleraque opinione multò majora inveniſſet.

Moritur.

In diſputatione quâdam Theologicâ ita excandeſcens, febri ardenti lethali correptus, mortuus eſt *Chemnitii Hermundurorum* 21. Nov. An. 1555. ætat. 61. Cadaver in oppidum Zeiz fuit translatum, ibique in templo Cathedrali ſepultum, cum dies 5. *Chemnitii* inhumatum jacuiſſet ſub Paſtore *Tettelbachio*.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

Clar. A. C. 1556.

REINERUS SOLENANDER.

*B*udericæ natus eſt circa annum 1521. *Lovanii* tyro triennium egit.

Mox in *Italiam* profectus, primùm *Bononiæ* & *Piſis*, tum *Romæ* & *Neapoli* ultra ſeptennium conſumpſit, & Philoſophiæ perindè ac Medicinæ operam navavit.

Deindè annis aliquot in celebribus *Galliarum* Academiis ſtudia ſua proſecutus eſt.

In *Germaniam* reverſus, cum Medicinam exercere cœpiſſet, felix adeò fuit in praxi, ut à ſummis æquè ac infimis expeteretur.

Medicus Ducis Cliv.

A *Guilielmo*, *Cliviæ* Duce, vocatus, illi à curâ corporis fideliter fuit.

Dum multos annos in *Italiâ* partim didicit, partim docuit & fecit medicinam, obſervavit penè innumeros medicinæ ſtudioſos, quibus ſatis fuit ſalutâſſe ſolùm *Italiam*, & receptas varias collegiſſe, ſtatimque ad ſuos pro Medicis rediiſſe: quod ipſe vehementer improbavit.

Scripta.

Scripſit *Conſilia Medicinalia*, & *Tractatum de cauſâ caloris fontium medicatorum.*

* *Ex Melch. Adami Vitis Medicorum.*

Obiit A. C. 1557.

PETRUS CAPITANEUS.

Medicinæ Doctor Valentiæ. Medicinæ Profeſſor Roſtochii & Hafniæ. Moritur.

*M*ittelburgenſis Zeelandus, poſtquàm in *Pariſienſi* & *Lovanienſi* Academiâ magnâ ſuæ eruditionis ſpecimina ediderat, creatus eſt in Academiâ *Valentianâ* Med. Doctor. Poſteà in Academiâ *Roſtochienſi*, & indè in *Hafnienſi* Medicinæ Profeſſor fuit, & ſimul Medicus Regius. An. 1553. Med. Baccalaureum creavit M. *Johannem Sceldcrupium*, Profeſſorem *Hafnienſem*. Rectoratum geſſit ann. 1547. & 1551. Obiit A. 1557.

Sepultus in Choro Templi D. *Virginis*, ubi lapis ſepulcralis cernitur: ſed præterea ei poſitum eſt Epitaphium, quod abjectum recepit An. 1664. *Eraſmus Vindingius*, tum Procurator Templi, & commodo loco figi curavit, quod tale eſt:

Epitaphium.

NATALIUM SPLENDORE, VIRTUTE ET DOCTRINA ORNATISSIMI VIRI, DOMINI PETRI CAPITANEI ZEELANDI MITTELBURGENSIS, MEDICINÆ DOCTORIS EXIMII ET ARCHIATRI IN DANIA, NUMERUS ANNI, MENSIS, DIEI, ET HORÆ OBITUS.

OCCVbVIt faTIs CapItaneVs, aLta MICaret
IanI seXta VbI LVX, horaqVe nona foret.

Non diſpar Medicâ CAPITANEUS arte Galeno
PETRUS in hoc tumulo poſt ſua fata cubat.
Qui quantus fuerit, ſcit Lovanienſe Lycéum,
Et Schola cui Paridis nomen ineſſe ferunt.
Extulit hunc plenis formoſa Valentia baccis,
Doctorisq; illum juſſit habere decus.
Urbs quoq; Vernovio ſtupuit vicina docentem,
Nec non æquoreis Hafnia cincta vadis.
Sæpiùs hic triſti morborum turbine Regem
Exanimem vitæ reddidit ille ſuæ.
Octo decemque ferè cum Conjuge vixit in annos,
Viderit ut ſimilem vix pietate ſibi.

Antonius Balderſleben ſang. C. F.

Scripta:

Scripta.

Prophylacticum Conſilium antipeſtilentiale ad Cives Hafnienſes ann. 1553. edit. à D. Th. Bartolino in Ciſtâ Medicâ.

De Potentiis animæ an. 1550.

* *Ex Academ. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

Obiit A. C. 1558.

JEREMIAS TRIVERUS BRACHELIUS.

*F*Loruit circa annum 1540.

Profeſſor Lovanii.

Profeſſor fuit primarius rei medicæ *Lovanii.*

Edidit

Scripta. Edidit *Commentarios doctiſſimos in Hippocratem, Galenum, & Cornel. Celſum.*

Diſſertationem de miſſione ſangvinis in pleuritide.

Frequenter dicere ſolitus eſt: *Nihil eſſe infelicius Medico ægrotante, eò quod omnibus ſtatim in promptu ſit illud: Medice cura te ipſum, quod tamen illi tunc judicio turbato non liceat.*

Moritur. Longâ tabe ex vigiliis contractâ ante diem extinctus eſt, peſte correptus A. 1558.

Filium reliquit *Dionyſium Triverum*, qui ab obitu patris alia evulgavit.

* *Ex Melch. Adami vitis Medicorum.*

EUCHARIUS HOLTZACHIUS.

Obiit A.C. 1558.

Medicus Baſil. Filius *Eucharii Holtzachii*, Prætoris & Senatoris *Baſil.* patriam arte medicâ multis annis ornavit, proleque haud degenere locupletavit: cui parentaliorum loco ſequens Inſcriptio poſita.

D. O. M. S.

Epitaphium. EUCHARIO HOLTZACH PATRI PIENTISS. NON TANTUM UT SUPREMUM AC DEBITUM PIETATIS MUNUS: VERUM ETIAM UT TESTIMONIUM EXHIBERENT EUNDEM VIRUM OPT. TOTOS QUOS HONESTE ET BENE VIXIT ANNOS LXXII. JUSTIS INGENII ET FORTUNÆ OPIBUS, NUMEROSA PROLE, MEDICINA CLARUM, CIVIBUS SUIS SEMPER PROFUISSE, OBFUISSE NULLI: HIERONYMUS HOLZACH F. CUM FRATRIB. AC SORORIBUS MOESTISS. B. MER. P. F. C. SPIRITUM DEO REDD. ANNO MDLVIII. EIDIB. IXBRIS.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſil. Chriſtiani Urſtiſii.*

GEMMA FRISIUS.

Obiit A.C. 1558.

Doccumii in *Friſiâ* natus An. 1508. *Gröningæ* educatus.

Medicinæ Doctor. *Lovanii* Matheſi & Medicinæ operam dedit, ibidem Medicinæ Doctor creatus, medicam artem publicè, privatim autem mathematicas artes docuit.

Conjugium. Uxorem duxit *Lovanii*, ex quâ filium ſuſcepit *Cornelium Gemmam*, ibidem Medicum & Mathematicum.

In ſummâ gratiâ fuit apud *Carolum V.* variosque Magnates ob Aſtronomiam & Geometriam. In his enim Imp. ille non mediocriter verſatus, *Gemmam* aliquando erroris admonuit in mappâ mundi, quam poſteà, errore ſublato, Imp. dedicavit.

Lovanii Collegio *Grunningano* ſeſe adjunxit, ob nuncii commoditatem. Nam ſingulæ nationes ibi Collegia cum Univerſitatis conſenſu conſtituerunt, quæ ſingula peculiarem nuntium ſuſtentant, ſtatis temporibus ex patriâ commeatum, pecuniam, & cœtera neceſſaria ſtudioſis apportantem. Undè à multis *Gruningenſis* habitus eſt.

Statura. Staturâ fuit parvâ, membris gracilibus, & facie pallidâ: quo factum, ut cum D. *Jeremiâ Triverio*, amico familiari, qui procerior multò, facie rubicundâ, & corpore obeſo erat, ſæpiùs in publico conſpectus, ſalſi cujusdam urbanitatem effugere non potuerit, qui *Triverium* & *Gemmam Lovanienſium* Medicorum par impar facetè appellabat.

Triverius iſte *Lovanii* docens dicere ſolitus eſt: nihil infelicius eſſe Medico ægrotante, ideòque *Gemmam* ſibi Medicum, ſiquando ægrotaret, præſtipulatus eſt, & *Gemma* viciſſim illum ſibi. Cum itaque eveniſſet, ut morbo peſtilenti correptus *Triverius Gemmam* accerſeret, hic illum hortatus eſt, ſtrenuè præcederet, nullâ aliâ re opus eſſe, quàm fideli comite, ſe brevi eâdem viâ ſubſecuturum. Uterque igitur brevi temporis ſpatio peſte abſumptus eſt, An. 1558. Moritur.

Neuter medicamentis uti voluit adverſùs fatalem neceſſitatem.

Scripta reliquit in medicinâ nulla, in mathematicis plura:

Scripta. *Methodum Arithmeticæ.*

Mappam totius orbis generalem.

De principiis Aſtonomiæ & Coſmographiæ.

De orbis diviſione & Inſulis nuper inventis.

De Aſtrolabio Catholico.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

JOHANNES HUMMELIUS.

Obiit A.C. 1558.

Vice-Procancellarius Jenæ. Medicus Salveldiæ. Aliàs *Hommelius*, ſecundus in ſecundâ Medicorum apud *Jenenſes* Panegyri Vice-Decanus, & Vice-Procancellarius, *Salveldiæ*, in quâ Poliatrum egit, 22. Aug. A.C. 1558. obiit.

Filium reliquit cognominem, Phil. & Med. Doctorem, & Illuſtr. in *Styriâ* Ordinum Phyſicum, cui filius *Ehrenricus Hommelius* Diſputationem Phyſicam de Elementis & Qualitatibus præſide M. *Thomâ Sagittario Jenæ* A. 1559. habitam inſcripſit, & dedicavit.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc appoſuit Epigramma:

Epigramma.

Te vice Johannes Hummell Jena Decani, & Procancellari nomine mactat ovans.
Poſteà Te Phyſico Salveldia ſana triumphat,
Atq; tuos cineres poſt tua fata legit.

HIERONYMUS WILDENBERGIUS.

Obiit A.C. 1558.

Goldbergæ, *Sileſ.* oppido, olim aurifodinis, hodiè Gymnaſio celebri, natus eſt A. 1465.

Phyſices & medicinæ ſtudiis operam dans, maximam vitæ partem extra patriam exegit.

Ludimoderator. An. 1503. E *Boruſſiâ* ad ſuos cives reverſus, iis autor & ſuaſor fuit Scholæ aperiundæ, eique per octennium ipſe cum laude & honore præfuit.

Medicus. Deinde in *Boruſſiam* rediit, & *Thorunii* ad finem vitæ ſuæ Medici munus cum laude obiit.

Moritur. Ibi piè deceſſit A. 1558. ætatis 93. ultimo Sept.

Scripſit:

Scripta. *Epitomen Philoſophiæ naturalis & moralis.*

Scholia in Ariſtotelis libros 8. Phyſicorum.

Item in libros de Cœlo, de Meteoris, & de animâ.

* *Ex vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1558.

ODDUS DE ODDIS.

Circa An.C. 1478. natus *Patavii*, medicinam barbarie ſepultam reſuſcitavit.

Medicinæ Profeſſor Patavii. Galeni anima vocatur. In *Galeni* lectione pleroſque annos inſumpſit, quem cum in Gymnaſio *Patavino* accuratè explicâſſet, omnes eum *Galeni* animam appellârunt. Gloriari etiam ſolebat, quicquid didicerat, id totum ſe ex ſtudio doctrinæ *Galeni* hauſiſſe.

Moritur ſenex. Lumina tandem clauſit *Patavii* octuagenarius A. C. 1558.

Scripta:

Scripta. *Expoſitio in primam & ſecundam Aphoriſmorum Hipp. Sectionem.*

Expoſitio in Artem parvam Galeni, edita ab ejus filio Marco Otto.

Apologia pro Galeno tum in Logicâ, tum in Philoſophiâ, tum in Medicinâ.

De Cœnæ & Prandii portione Lib. II.

Comment. in primam Fen Avicennæ.

De Peſtis cauſis, ſignis, præcautione, & curatione Libri IX.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Sepultus fuit in patriâ ad S. *Danielem*, cum hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

ODDUS DE ODDIS
PHYSICUS ET MEDICUS THEORICÆ ORDINARIÆ IN HAC URBE PUBLICUS PROFESSOR,
ET CUM EO
GUERINUS ET BENEDICTUS AC
JOHANNES DOMINICUS NEPOTES
LOCUM HUNC VETUSTATE CONSUMTUM SIBI
ET SUIS OMNIBUS INSTAURARUNT.

Caſp. Cunradus, *Med. D. Proſopograph. medicæ mill. II.* hoc ei fecit diſtichon:

Prævaleant cœnis num prandia largius hauſta
Conſilii ratio monſtrat acuta mei.

* * *

Medicus Venetus. *Patavii* publicè medicinam aliquandiu docuit, & *Venetiis* multos eam annos exercuit, denuòque à Senatu *Veneto Patavium* redire juſſus, medicinam docere penè compulſus eſt. In ſuis de Peſte libris ſingulares ſiderum aſpectûs narravit, quibus ea ſolet venerari, & ſcripſit, potuiſſe ex variis eventis à ſe & aliis diverſis temporibus ſæpè obſervatis, ſi non demonſtratione, ſaltem ratione non modicam fidem afferente *Galeni* & *Avicennæ* ſententiam comprobari, & à cavillis Pici *Mirandulani* tueri.

* *Ex Præfat. Medicinæ Aſtrologicæ Joh. Antonii Magini, Math. Prof. Patavini.*

JANUS CORNARIUS.

Obiit A.C. 1558.

Jano Cornario, qui eam altitudinem excellentiamque doctrinæ & cognitionis liberalis extruxit animo, ut ſi quæ aliæ in eo fuerint bonorum acceſſiones, eæ in hoc ſcientiæ virtutumque ſplendore non ſecus atque in ſolis jubare ſtellæ, deliteſcant, *Cygnæa*, quæ *Miſnenſium* urbs eſt, patria fuit, ubi ſeculo decimo quinto ab exhibito Meſſiâ primum hauſit aërem, primumque ſtudiorum fecit tyrocinium ſat negligenter, quo ad victum, educatus. Verùm à patre adoleſcens admodùm & corpore non adeò firmo, in exteras ſcholas miſſus eſt. *In exteras ſcholas miſſus eſt.*

Ideòque quod fortes ſolent milites, ab infimo ordine ad ſummum progreſſus, omnes ſuæ ætatis doctrinâ & omni literarum genere ſuperavit. Nam ſi linguas ſpectes Græcam atque Latinam, in iisdem ita excelluit, ut utramque adoleſcens viginti annos natus non doceret modò publicè, ſed & anno 21. *Wittebergæ* Magiſter renunciatus, & mox anno 23. Licentiatus Medicinæ, apud Germanos noſtros non mediocriter illuſtravit & excitavit id, quod vel imprimis ex operibus Græcis in Latinam linguam ſummo ſtudio atque induſtriâ converſis apparet. *Wittebergæ Magiſter renuntiatus, & mox Medicinæ Licentiatus.*

In majoribus autem, & uberioribus artibus ita verſatus eſt, ut earundem cognitionem non ſubtili obſcuritate, ſed utilitate præcipuè in Rempublicam derivanda metiretur. Ideòque huc cogitationes ſuas non veluti ad parvulam Cynoſuram, ſed ad Helicon & clariſſimos Septentriones dirigens, Philoſophiam ipſam & artem medicam tum apud *Livones*, *Rutenos* & in Principum *Megalopyrgicorum* ducatu & aulâ, tum verò in Academiis *Roſtochianâ*, *Marpurgenſi* & *Jenenſi* docuit publicè, atque *Northuſii*, *Francofurti ad Mœnum*, & denique in patriâ ſtudium induſtriamque ſuam ad hominum valetudinem conſilio & operâ juvandam contulit. *Philoſophiam & artem medicam variis in locis & Academiis docuit.*

Quin ad exteras nationes tranſiit per *Belgos*, videlicet ad *Anglos*, & ab his per *Gallos* peregrinatus, *Italiam* petiturus, niſi in tranſitu *Baſileæ*, in Græcos incidiſſet Medicos, *Hippocratem*, *Galenum*, *Paulum Æginatem*, & *Dioſcoridem* in *Aldinâ* officinâ *Venetiis* excuſos. *Per Belgiam, Angliam, & Galliam peregrinatus eſt.*

Ex quo porrò tempore, rejectis Medicis illis barbaris, quos novennium ſecutus, Græcis illis ſe totum addixit, illorum medicinam variis in locis exercuit poſtmodùm.

Cum itaque iis præcipuè artibus & ſtudiis jam eſſet notiſſimus, *Francofurto*, ubi tum Phyſicum agebat, à *Philippo Landgravio* anno 1542. Calend. Julii *Marpurgum* ad medicinam publicè docendam evocatus, in eam ſcholam tunc temporis *Grunbergam* translatam, 6. Cal. Novembris venit, cumque nihil præſtantius judicaret, quam optimum artis Doctorem, *Hippocratem* in lucem revocare, qui ſupra 2000. annorum deſideratus eſt, quod immenſæ difficultatis opus *Marpurgi docuit Medicinam.*

opus à nemine unquàm ante ipſum tentatum, atque in transferendo eo Authore perpetuis 15. annis laboravit, quem cum Senatui Aug. dedicâſſet, ab eoque 100. ſolaribus coronatis donatus, eundem in ſuâ linguâ, hoc eſt, Græcè, prælegere aggreſſus, artemque medicam poſtmodùm exquiſitis traditionibus perſecutus eſt & Academiæ clavum Rectoris dignitate Cal. Julii A. 1543. auctus tenuit. *Zwiccaviæ* ultra 500. ex militibus præſidiariis curavit, nemo tamen abeuntium & loculos onuſtos aſportantium ſeſe gratum erga Medicum fidelem oſtendit. Obiit tandem *Jenæ* apoplecticus 16. Martii An. 1558. Filios reliquit duos, *Achaten* & *Diomeden*, Medicinæ Doctores.

Rector Academiæ fuit.

Zwiccaviæ ultra 500. ex militibus præſidiariis curavit.

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

E *Theologis veteribus Baſilius, Epiphanius, Chryſoſtomus* & alii; è Medicis Græcis *Hippocrates, Galenus, Aëtius* donati Latinâ linguâ. Porrò

Marcelli Authoris antiqui de variis medicamentis opus.

Macri Poëma de plantis.

Incerti cujusdam Authoris de plantis, animalium partibus, ac terræ ſpeciebus.

Marbodei de Lapidibus.

Carmina emendata & notis illuſtrata ſunt.

In Latinum prætereà Sermonem traducta ſunt:

Paulus Ægineta adjectis ſeptem Dolabervarum libris.

XX. de Agriculturâ libri Conſtanſtino Cæſari inſcripti.

Phyſiognomica Adamantii Sophiſtæ.

Parthenii liber de Amatoriis affectionibus, cui ſubnexa eſt Oratio in laudem peregrinationis.

Epigrammata Græcorum non pauca.

Dioſcoridis de materiâ medicâ lib. V. Emblematibus additis, & unus de beſtiis venenum ejaculantibus, alterum de lethalibus medicamentis, quibus annexæ Syneſii Cyrenæi expoſitiones, latinè reddita.

Suo etiam marte confecit & edidit:

Catechiſmum pro Eccleſiâ Francofurdianâ ad Mœnum.

Conſilium de articulis religionis.

Diſſertationem de ciborum receptaculis.

De Conviviorum veterum Græcorum, & hoc tempore Germanorum ritibus, moribus & ſermonibus librum.

De Amoris præſtantiâ.

De Platonis & Xenophontis diſſenſione, & eorundem ſympoſia.

Univerſæ Medicinæ Epigraphen, enumerationem & brevem Iſagogen.

De Peſte libros duos.

Orationes duas à ſe conſcriptas, alteram, quæ inſcribitur Hippocrates ſeu Doctor verus, de rectis Medicinæ ſtudiis amplectendis, alteram Hippocratis libris à ſe converſis & emendatis, veluti auctuarii loco adjecit.

FRANCISCUS BONAFIDIUS.

Obiit A. C. 1558.

Botanicus.

MEdicus *Patavinus*, & *Botanicus* celeberr. qui primus herbarum & ſimplicium medicamentorum facultates publicè in Academiâ patriâ docuit. Hujus etiam rogatione commotus, Reipublicæ *Venetæ* Senatus Hortum Medicum *Patavii* pro ſtudioſis plantavit.

Hortum Medicum inſtituit Patavii.

In ætate decrepitâ lumine oculorum orbatus, poſtquàm multis jam annis medicinam practicam ordinariam & extra ordinem Theoricam publicè profeſſus eſſet, vivere deſiit in patriâ 15. Febr. An. C. 1558. ætat. 84. Sepultus in Templo S. *Franciſci*.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Tract. de pleuritide curandâ adverſùs Curtium Medicum.

Commentar. in lib. Ariſt. de Stirpibus & Plantis.

De Nominibus ad Hiſtoriam Plantarum pertinentibus.

De Sexu utriusq; Mundi.

De ſemeſtri partu.

De diſceptatione ortâ inter Antonium Fumanellum, & Bartolomæum Civanum, Medicos Veronenſes de vino decertantes, quorum Judex Fracaſtorius fuit.

De Ponderibus minoribus & grano.

Finis artis Medicinalis.

An Medicina ſit Scientia vel Ars.

De duplici ratione componendi ſimplices medicinas.

Expoſitio Canonum univerſalium, cum modo curandi Spaſmum.

Modus intelligendi gradûs medicinarum ſecundùm Dioſcoridem.

De ſex rebus non naturalibus.

De Practicâ Medicinæ.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Hoc *Franc. Bonafidio* ſuadente, Senatus *Venetus* Hortum Sphæricum amplum & iniquum inter duo Templa D. *Antonii* Confeſſoris, & D. *Juſtinæ* omni genere herbarum medicinalium refertum conſtituit. A. 1533. Referentibus de eo ad Senatum Gymnaſii Moderatoribus, *Sebaſt. Faſcareno* & *Nicolao Theupolo*, primus Simplicium explicator factus, id muneris dignè obivit usque ad annum 1549. cui poſteà ſucceſſit *Gabriel Fallopius, Mutinenſis*, conjunctâ tunc Chirurgiâ cum Simplicium explicatione.

Primus Simplicium explicator.

* *Ex Gymnaſio Patavino ab Anton. Riccobono deſcripto.*

JOHANNES FERNELIUS.

Obiit A. C. 1558.

A*Mbianus* ortu A. C. 1506. natus, grandior ætate parentibus invitis è *Claramontio* oppidulo, ubi genitus, *Lutetiam Pariſiorum* ſe contulit: ubi Grammatica & Rhetorica rudimenta in *Jacobi Strebêi*, viri tunc doctiſſimi, Gymnaſio celeriter hauſit.

Indè ad Phyſicas & Medicas, mox & Mathematicas ſpeculationes converſus, tam alacri mentis impulſu ſingulorum apices colluſtravit, ut qui primùm intempeſtivè

literas ab æqualibus ſectatus dicebatur, dein Præceptoris munere decorandus proponeretur.

Mathematicus. In Mathematicis præſertim excelluit ſupra quàm homini Medico ſit neceſſe, nam primæ juventæ annis tanto ſe illarum cultui devovit ardore, ut rei domeſticæ oblitus eſſet, donec illum tandem Senator *Pariſienſis* ejus Socer ab hoc inutilium alioquin ſtudiorum æſtu acri objurgatione diſtraxit.

Medicus. Cœpit abhinc Medica mereri ſtipendia, & felicitus in docendo ac profitendo civicis titillari plauſibus, etiamſi habitu ſevero, ſubtriſti ſquallentique obtutu & colore plumbeo à gloriæ popularis tentigine ſummoperè cenſeretur alienus.

Archiater Regius. Quandoquidem *Henricus II. Gallorum* Rex, ipſum in Regiam evocatum, propriæque ſaluti præfectum inter Archiatros ſuos primo loco tenuit, & in ſuſceptâ bellorum adverſùs *Anglos* peregrinatione perpetuum ſibi comitem eſſe voluit. Sed imprimis nominis famam adeptus eſt, cum Regina *Catharina Medicea* ſterilis exiſtimata, medicamentorum ejus ope fertilis fuiſſe reddita fuit exiſtimata.

Flexelius, *Pariſienſis* Medicus, qui contumaces ei lites indicere, eumque infauſtâ ingenii contentione ſubindè laceſſere geſtiebat, mox averſis ab ejus quæſtiunculis doctorum animis in frequentibus obſtrepentium conventibus expunctus eſt.

Vivus Scriptis claruit. Hujus viri admirabili ingenio id contigit, quod à multis ſeculis nulli quamlibet erudito contigit, ut ipſo vivo & vidente opera, quæ de Univerſâ Medicinâ ſcripſit, in Scholis publicè legerentur, ejuſque auctoritas, veterum authorum inſtar, apud Medicæ rei Magiſtros graviſſimi eſſet momenti.

Lucri nimis cupidus. At ſi egregiam virtutis opinionem licet ex inuſitatâ lucri medici æſtimatione metiri, ſanè hic, referente *Guilielmo Plantio*, ejus diſcipulo, congerere quotannis 12000. librarum *Gallicarum* conſueverat. In quo ejus ævi fortè nulli, præter unum *Jacobum Carpenſem*, eum anteceſſerunt, qui ex *Fallopii* teſtimonio 40000. aureorum, præter cælatam argenteam materiam, uſu inunctionis hydrargyri à ſe inventæ collecta *Alfolſo II. Ferrariæ* Duci, ex teſtamento reliquit.

Medicamenta ipſe compoſuit. Eodem *Plantio* teſte, medicamenta ſua manu propriâ componere ſolitus eſt, & Commentarium ſcripſit, in quo Obſervationes eorum, quæ in curandis morbis nova deprehendit, congerere ſolitus eſt. Hunc librum *Crato*, Archiater Cæſareus, cum aliis Medicis plurimis magnoperè deſideravit.

Sed in eo videtur iniquior tanto viro contigiſſe fortuna, quod imbecillâ ſanitate ex ſtudiorum vigiliis potitus, lienoſus & decolor perpetuò vixit, undè conceptum ex uxoris obitu dolorem diutius tolerare non potuit, ſed 30. ab eâ ſurreptâ

Moritur. die urgente febre examinatus interiit 26. April. A.C. 1558. ætat. 52. *Lutetiæ Pariſ.* Sepultus jacet in Templo S. *Jacobi*, cum hoc Epitaphio:

Epitaphium. JOHANNI FERNELIO AMBIANENSI HENRICI II. GALLIAR. REGIS CONSILIARIO, ET PRIMO MEDICO NOBILISSIMO ATQUE OPTIMO, RECONDITAR. ET PENITUS ABDITAR. RERUM SCRUTATORI ET EXPLICATORI SUBTILISSIMO, MULTORUM SALUTARIUM MEDICAMENTORUM INVENTORI, VERÆ GERMANÆQUE MEDICINÆ RESTITUTORI, SUMMO INGENIO EXQUISITAQUE DOCTRINA MATHEMATICA IN OMNI GENERE PHILOSOPHIÆ CLARO, OMNIBUSQUE INGENUIS ARTIBUS INSTRUCTO, TEMPERANTISSIMIS SANCTISSIMISQUE MORIBUS PRÆDITO, SOCERO SUO PIENTISSIMO PHILIBERTUS BARNOTIUS SUPPLICUM LIBELLORUM IN REGIA MAGISTER, MAGNIQUE REGIS CONSILII PRÆSES, AFFINITATE GENER, PIETATE FILIUS MOERENS POSUIT ANNO SALUTIS MDLVIII.

Studioſus quidam, Medicus & Poëta, obitum ejus his numeris notavit & expreſſit:

ConIVge FerneLIVs raptâ perCVLsVs
Vt aVLæ
Vt LVCIs fatVr, Vt noMInIs InterIIt.

Scripta:

Scripta. *Univerſa Medicina Scholiis illuſtrata.*
Therapeutices Medicinæ univerſalis, ſeu Medendi rationis Lib. VII.
De abditis rerum cauſis Libri II.
De vacuandi ratione.
De febrium curatione.
De Luis Venereæ Curatione.
Pharmacia.
Practica.
Conſilia medicinalia.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis, Philoſ. & Med. Vicent. & ex Elogiis Virorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

PETRUS BAIRUS.

Obiit A.C. 1558.

TAurini natus, magni nominis Medicus, erga pauperes imprimis beneficus, ob Praxeos felicitatem à Principibus & Magnatibus variis certatim requiſitus, & ab iis magni pretii prœmiis remuneratus eſt. Protophyſici nomen adeptus, in patrio Gymnaſio Medicinam Theoricam longo tempore maximo cum auditorum concurſu docuit; *Caroli II. Sabaudiæ* Ducis Archiater. Obiit tandem in patriâ nonagenarius 1. April. An. C. 1558. Sepultus in Templo Cathedrali cum hâc inſcriptâ memoriâ: *Medicinæ Profeſſor Taurini.* *Moritur.*

Epitaphium. PETRO BAIRO ET SUÆ ÆTATIS PROTOPHISICO, ET PATRIÆ HUJUS CIVI SPLENDIDISS. PAUPERUMQUE PATRI LIBERALISS. CUI OB FIDEM ILLIBATAM ET SINGULAREM MEDENDI PERITIAM SUMMI REIPUBLICÆ CHRISTIANÆ PRINCIPES CURAM SUI CORPORIS DEMANDAVERANT. PA. OPTIM. ET B. M.

Jo. Bar-

Jo. Bartolomæus Mont. Senisii Præp. ut sibi moestæque Patriæ satis desiderio faceret, id quos vides, honoris hospes F. C. Obiit nonagenarius An. MDLVIII. Cal. April.

Scripta:

Scripta. *Opuſculum de Peſtilentiâ, ejusq; curatione, per præſervativum regimen, & curativum.*

De medendi humani corporis malis Enchiridion, ſeu Practica, quod vulgò Veni mecum vocant.

Un Libro di Segreti.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1558.

JULIUS CÆSAR SCALIGER.

Benedicti Scaligeri, bellatoris fortiſſimi, ex antiquiſſimâ *Scaligerorum*, Principum quondam *Veronenſium*, familiâ oriundi filius auram vitalem primitùs hauſit in Caſtro *Ripà* ad lacum *Benacum* 23. April. A.C. 1484. Matrem habuit *Berenicen Ladroniam*, Fratrem *Titum Scaligerum*, militem ſtrenuum.

Natus periculum vitæ vix evaſit. Proditum eſt *Venetorum* cohortes per agrum *Veronenſem* bachantes, & germina *Scaligerorum* radicitùs evellere cupientes, forte edoctas de nupero infantis in Caſtro *Ripà* natali repentè converſis ad ejus necem animis Caſtrum illud acerrimè invaſiſſe, quod eis tamen ex voto non ceſſerit, cum mater tuente natum gremio prudenti fugâ ſibi conſuluiſſet. Cum annos juventutis in bello transegiſſet, & ſerò literis operam dare cœpiſſet, ſummam tamen in iis ſcientiam ob ingenii felicitatem adeptus eſt.

Adoleſcens monachus Franciſc. In adoleſcentiâ *Franciſcanorum* monachorum cœtui aggregatus, mox ab ipſorum abſtractus convictu, militiæ operam dare cœpit, & vir evaſit ſtaturâ procerâ præditus, facie ſubrigidâ, barbâ oblongâ, crinibus aureis, charopis oculis, habitu corporis gravi & vegeto.

Magiſter Equitum. Magiſter Equitum in prælio *Ravennali* penè confoſſus & obrutus, per diem totam ſub ingenti cadaverum tumulo delituit. Ex quo deinceps ab Imp. *Maximiliano* equeſtribus donatus inſignibus, plura quoque alia virtutis bellicæ retulit ornamenta.

Philoſophus, Philologus, & Medicus. Militiâ tandem relictâ, literis ſe totum addixit, Grammaticus, Criticus & Poëta excellens, Philoſophus eruditus, & alter in medicinâ Æſculapius; Linguas calluit octo, *Latinam, Germanicam, Sclavonicam, Hungaricam, Græcam, Italicam, Hiſpanicam,* & *Gallicam.*

Scholaſticæ quoque Theologiæ dogmata plurimùm calluit, quam tamen nullo exornavit opuſculo.

Ejus Uxor & filii. Filios ſuſcepit ex uxore nobili *Andiettâ Rupiâ Lobeiacâ Sylvium,* & *Joſephum Juſtum,* virum doctiſſimum natos. Cum ex *Italiâ* ſecedere cogeretur, *Burdigalam* ſe contulit, ubi tamen ut medicam artem exerceret,

Burdigalæ Medicum agere prohibitus. non licuit ei commorari, quod nollet ab illius Urbis Medicis examinari. Noluit autem, non quod Urbis inſtitutum improbaret, quale in totâ *Galliâ* obſervatur, ſed quod famam ſuam quodlibetariæ quæſtioni junioris forſan medici nollet exponere: quâ de re mutuas inter ipſum & *Marialdum* Medicum *Burdigalenſem* epiſtolas aſſervavit *Marialdus* filius, ejusdem poſteà Urbis Medicus ſenior.

Aginni Practicus felix. *Aginnum* itaque in Urbem *Aquitaniæ* ſecedens, ibi medicinam feliciter exercuit, & incolas cum vicinis ad veritatis Evangelicæ cognitionem duxit, cum domus ipſius fidelibus eſſet refugium, quos exules facultatibus ſuis ſuſtentavit. *Exulum Patronus.*

Labores ejus militares. In Epiſtolâ quâdam ad *Ferrium* ita de ſe ipſo ſcripſit: Pugnavi pedes, eques, adoleſcens, juvenis, miles, præfectus, certamine ſingulari, in obſidionibus, in campo civili, ad ludos equitum ordinarios, in excurſionibus, in exercitibus: Sæpiùs vici, aliquando victus ſum, corpore non animo, non virtute, ſed fato.

Et paulò pòſt: Omitto frigoris, æſtûs, inediæ patientiſſimum, dies integros laboribus fregiſſe, noctes etiam continuâſſe. Hoc multis fortaſſe commune, illud non fortaſſe multis, veſpere poſt expedita diuturna negotia, ad 60. verſûs commentum eſſe, deindè cœnâſſe, poſt cœnam dictâſſe, quæ ad ægrotorum poſtridianas præſcriptiones pertinerent, poſteà ſomnum cœpiſſe: ſummo manè experrectum fremitu nuntiorum, qui operam meam petunt quotidianam, interrogâſſe, reſpondiſſe, dictâſſe ſub prandium usque: meridie pranſum illos ipſos verſûs, quos veſperi concepiſſem, ad verbum ſine ullâ hæſitatione ſcribi juſſiſſe. Qui hoc non mirabitur fortaſſe ne illud quidem, *Æſchyli* verſûs 17. ſemel modò lectos, ſummâ fide memoriter illico reddidiſſe &c. *& Medici.* *Memoria felicitas ſingularis.*

Moritur arthriticus. Arthritide tandem morbo confectus, mundo valedixit *Aginni Nitiobrigum* 21. Octob. A.C. 1558. ætatis 74.

Scripta:

Scripta. *Comment. in Libr. Hipp. de Somniis.*
in Libros Theophraſt. de Plantis.
in Libros II. Ariſt. de Plantis.
in Ariſtot. Librum Hiſtoriarum, qui decimus vocatur, Latinè à ſe redditum.

Exercitationum Philoſophicarum Libr. XV. ad Hier. Cardani Libros de Subtilitate.

Doctrina vera Alchymiæ, & Artis metallicæ citra ænigmata.

De Sapientiâ & Beatitudine Lib. VIII. quos Carmine Epidorpidas inſcripſit.

De re Poëticâ Lib. VIII.

Hymni & Poëmata Sacra.

Epigrammata in clariores Urbes.

Libellus de Numeris Conicis.

Poëma, cujus inſcriptio Elyſium, quo Padi Inſulam, Italis Belvedere dictum, Ferrariæ Ducis, & omnium Eſtenſium Principum Genealogiam eleganti Carmine proſecutus eſt.

De cauſis Latinæ Linguæ Libri XIII.

Epiſtolæ, & Orationes variæ.

Oratio pro Cicerone contra Ciceronianum Eraſmi.

Oratio habita in partu filii.

Alia habita in luctu filii.

Compendiariam vitæ ipſius deſcriptionem legere licet in Epiſtolâ *Juſti Lipſii* Epiſtolis annexâ, quam ipſe poſtremam arthritide morbo præpeditus dictavit. Longè plura in Libello filii ipſius *Joſephi de Scaligeræ* Gentis nobilitate, de ipſius genere, moribus, indole, & utrâque fortunâ extant.

* *Ex Muſeo Hiſtorico Joh. Imperialis Phil. & Med. Vicentini, & ex Bibliothecâ Poëticâ Joh. Petri Lotichii.*

* * *

Acerbius contra *Eraſmum Roterodamum* invectus eſt, non ſolùm eâ Oratione, quæ per omnium manus volitat, ſed & alterâ, quæ rarius reperitur, quâ ſe prioris autorem profitetur, non minore acerbitate ſcriptâ. Sed virum generoſum poſteà præcipitis impetus prænituit, ſibiq; dolere ſcripto teſtatus eſt, quod non ante mortem cum eo reconciliatus eſſet, cujus exquiſitum in literis & de literis judicium adeòque par numinibus ingenium ſupra omnes admirabatur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1559.

FRANCISCUS FRIGIMELICA.

P*Atavinus* civis, Medicus, ac Philoſophus eximius, ſummâ patriæ gloriâ floruit. Humaniores literas & Naturalem Philoſophiam pubeſcente adhuc ætate præſtanter *Patavina* in Univerſitate profiteri cœpit.

Philoſophiæ naturalis Profeſſor Patavii.

Quo in munere cum Vigilantia pro ſomno, Labor pro otio, Induſtria pro deliciis, & Occupatio pro vacatione illi pretioſiores eſſent, adeò ſtrenuè ingenii ſui nervos intendit, ut brevi tempore ſe *Ariſtotelicæ & Galenicæ* doctrinæ culmen attigiſſe demonſtrârit. Hic Continentiâ & Modeſtiâ juxta venerabilis, cum ſe totum infirmorum curationi addixiſſet, & quoties inviſebat & dulci recreabat aſpectu, & ſapientiâ confirmabat.

Eò tandem harum Virtutum operâ & jugi lectione devenit, ut à Sereniſſimâ *Venetorum* Republicâ ei Theoricæ Ordinariæ interpretandæ provincia credita fuerit, quam multis inſigni cum nominis ſui laude annis glorioſè geſſit.

Med. Theoricæ Ord. Prof.

Non audax, ſed inceſſu modeſtus ſtudentium deſideriis occurrebat, oratione, & officiis beneficiisque tum in eos, tum in amicos ſemper effuſus. Hoc unum inſatiabiliter concupiſſe dictus eſt, Propagari memoriam ſui.

Ultimum diem clauſit A.C. 1559. æt. 68. Sepultus eſt in Eccleſiâ S. *Auguſtini*, hâc memoriâ inſignitus:

Epitaphium.

GEORGIUS FRIGIMELICA
JACOBO PARENTI OPTIMO
FRANCISCO MEDICO CLARISS.
ANT. ET PETRO MAR. FRATRIBUS SIBI
S. Q. OMNIBUS POS. A. MDLIX.
KAL. APRIL.

Varios Tractatus elaboravit ſpectantes ad medicam facultatem, quos ob aſſiduam ægrotantium curam typis conſignare nequiit. At eos frater ejus, vir eruditus, *Antonius Frigimelica* conſervavit.

Referente *Joh. Udalrico Rumello*, Med. *Auguſtano Obſerv. 87.* ſcripſit *Tractatum, Scripta. De utilitate Viperarum.*

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

JACOBUS MILICHIUS.

Obiit A.C. 1559.

F*Ribergi Briſgoiæ* natus eſt 24. Januarii An. 1501.

Pater præcipuum ejus urbis Magiſtratum geſſit, qui poſteà in filium *Jacobi* fratrem quaſi hæreditario Jure translatus eſt.

A Patre ſtudiis deſtinatus, eorum fundamenta in Academiâ patriâ poſuit, *Eraſmo Roterodamo* familiaris & charus.

A. 1519. in Academiam *Viennenſem* profectus, in eâ Mathematicas artes, ſub Præceptoribus *Georgio Purbachio & Joh. Regiomontano* diligenter excoluit, quas primus invexit *Wittenbergam* cum *Volmario* An. 1524. invitatus potiſſimùm famâ *Philippi Melanchthonis*, in cujus & *Simonis Grynæi* familiaritatem venit, & utrique ad extremum vitæ chariſſimus fuit.

Ibi cooptatus in numerum Profeſſorum librum 2. *Plinii* ſummâ cum perſpicuitate enarravit, & cum *Vito Amerbachio*, qui tum Phyſicam ibidem docebat, minus ei convenit, quod à ſpinoſarum diſputationum perplexitate abhorreret.

Medicinæ Prof. ſor Witteb.

Artem etiam medicam ibidem magno cum fructu multos annos docuit, & feliciter exercuit, ut etiam Principes *Anhaltini* eum coluerint, quibus in adverſâ valetudine medicando ſæpè profuit. Non ſolùm autem medicinam fideliter docuit, ſed inter primos eam ad fontes Græcorum, undè *Arabum* rivuli deducti ſunt, revocavit.

Cum *Joachimo Camerario* tam arctam coluit amicitiam, ut inter ipſos opinionum & voluntatis totalis ferè ſimilitudo eſſet.

In hiſtoriarum diligenti lectione plurimum temporis impendit, Juris etiam civilis ex parte peritus fuit, & prudentiâ excellens.

Sobolem, quam copioſam procreavit, non ſolùm per alios rectè inſtituendam curavit, ſed ipſe domi exercuit, quâ de causâ ſolitudinem domeſticam omni quæſtui prætulit. Nihil autem prius habuit lectione Sacrarum literarum.

Hoc monumentum è Saxo factum, in Templo Paroch. *Witteb.* apparet hisce verbis additis:

Epitaphium.

ANNO M.D.LIX. DIE X. NOVEMBR. DECESSIT VIR CL. JACOBUS MILICHIUS DOCTOR ARTIS MEDICÆ, ERUDITIONE ET VIRTUTE EXCELLENS, CUJUS LABORES STUDIIS DOCTRINA-

RUM


FRANCISC. RABELÆSUS
Medicus Pariſienſis.


IOHANNES DRYANDER
Medicus Marpurgenſis.


GVILIELM. GRATAROLO
Med. Profeſſor Baſil.


GABRIEL FALLOPIUS.
Anatom. Prof. Patavij


PETRUS BELLONIUS.
Medicus Gall.


BURCHARD. MITHOBIUS.
Archiater Landgr. Haſsia



ANDREAS VESALIUS.
Medicus & Anatomicus.


CONRADUS GESNERUS
Archiater Tigurinus.


WOLFGANGUS LAZIUS
Med. & Hiſtoricus Vienn.


LEONHARDUS FUCHSIUS
Medicinæ Prof. Tubing.


IOHANNES LANGIUS
Archiater Palatinus.


GVILIELM. RONDELETI
Medicinæ Prof. Monſpel.


GILBERT. PHILARETUS
Medicus Limburg.


VICTOR TRINCAVELLI,
Medicinæ Prof. Patav.


IOHANNES ARGENTERI,
Medicinæ Prof. Taurin.


HIPPOLYT. SALVIANI
Medicus Romanus.

Digitized by Google

RUM PROFUERUNT, UT ET SCRIPTA EJUS OSTENDUNT.

Scripta. Scripſit *de rectâ medicamentorum parandorum ratione.*

* *Ex Inſcriptionibus Witteberg. Andreæ Sennerti, & vit. Medicor. Melch. Adami.*

NICOLAUS MASSA.

Clar. A. C. 1560.

Medicus Venet. ORtu *Venetus*, inſignis fuit ibidem Medicus σύγχρον⊙- *Vict. Trincavellii*: qui ambo artem medendi præ aliis clariſſimâ in luce collocârunt, teſte D. *Hermanno Conringio Tractat. de Scriptorib. ſeculo 16. cap. 4.*

Moritur. Claruit circa An. C. 1560.

Scripta ab eo edita:

Scripta. *Anatomiæ liber introductorius.*

Examen de venæſectione in febribus, & aliis præter naturam affectibus.

Epiſtolæ Med. in quarum *Tomo II.* multas refert hiſtorias in capite vulneratorum, cum inciſione, & deperditione ſubſtantiæ cerebri, quos tamen ipſe feliciter curaverit.

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

LÆVINUS LEMNIUS.

Clar. A. C. 1560.

ZIrizææ, *Seelandiæ* oppido, in lucem editus eſt An. 1505.

Primis literarum fundamentis in patriâ poſitis, ad varias ſeſe Academias contulit, & philoſophiæ juxta ac medicinæ operam dedit.

Doctor Medicinæ. Doctoris inſignibus ornatus in patriam rediit, & medicinam apud ſuos feliciter exercuit.

Canonicus. Mortuâ Uxore, ſacris initiatus Canonicorum in patriâ collegio adſcriptus, ibidem

Moritur. ſenex vitâ defunctus eſt.

Floruit circa an. 1560. Medicus fuit excellenti ingenio, formâque egregiâ, ut vel adſpectu ſuo & eloquentiâ ægros recreârit.

Filius. Filium reliquit *Guilielmum*, paterni & æris & artis hæredem, qui *Erico XIV. Suecorum* Regi, à Conſiliis valetudinis fuit, hocque Rege A. 1568. à *Job Finlandiæ* Duce fratre ſuo regnum affectante, in vincula conjecto, fidus Domino ſuo Medicus unà fortunis vitâque exutus eſt.

Libros edidit:

Scripta. *Explanationem ſimilitudinum, quæ ex fructibus herbisque in S. Bibliis deſumuntur.*

De occultis naturæ miraculis Libros IV.

De habitu & conſtitutione corporis Lib. II.

De vitâ cum animi & corporis incolumitate rectè inſtituendâ Lib. I.

De Aſtrologiâ, de præfixo vitæ termino, & de honeſto animi & corporis oblectamento, ſimulque de frugalitate, & vitæ ruſticæ dignitate.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

JOHANNES STRAUBIUS.

Obiit A. C. 1560.

IN *Rhetiæ* infer. oppido *Iſenâ* natus fuit honeſtis parentibus A. 1489.

Vixit in terris *Saxonicis* annos amplius 50.

Senator Witteberg. Ob prudentiam Senatorum numero adſcriptus eſt *Wittebergæ.*

In arte medicâ non ſolùm cognitionem ſolidam adeptus eſt, ſed ſingularem etiam fidem in curandis ægris præſtitit, quam non tantùm Urbs & Schola *Wittenberg.* ſed tota vicinia novit. Medicus inſignis.

Senii maraſmo, cui defluxio alvi largior acceſſit, extinctus eſt *Wittenbergæ* 22. Julii A. 1560. ætat. 73. Moritur.

Filiis tam teſtamento quàm voce ante mortem commendavit cum animi quâdam commotione doctrinam Eccleſ. Evangelicarum, præcepitque timorem DEI, precum ſtudium, & erga miniſterium obſervantiam.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

FRANCISCUS RABELÆSUS.

Clar. A. C. 1560.

EX oppido *Turonum*, propè Liguris & Vigennæ confluentem, inter D. *Franciſci* cucullatos in *Pictonibus* primùm educatus. Monachus Franciſc.

Sed impulſu quorundam Procerum, qui urbanâ ejus dicacitate plurimùm oblectabantur, monaſterii clauſtra juvenis tranſiliit, demumque in ridendis hominum actionibus totus fuit. Cum enim pro eâ, quâ pollebat linguarum & medicinæ ſcientiâ, multa graviter & eruditè poſſet ſcribere, quod & *Hippocratis* Aphoriſmi ab illo caſtâ fide traducti, & aliquot Epiſtolæ nitido ſtilo conſcriptæ ſatis indicant, *Lucianum* tamen æmulari maluit, ad cujus exemplum ea ſermone patrio finxit, quæ meræ quidem nugæ ſunt, ſed ejusmodi tamen ſunt, ut lectorem quamlibet eruditum capiunt, & voluptate perfundant. Medicus. Luciani æmulus.

Nec ſolùm erat in ſcribendo facetiarum plenus, ſed & eandem jocandi libertatem in omni ſermone retinebat: adeò, ut *Romam* cum *Johanne Bellaio*, Cardinale, profectus, & in *Pauli III.* conſpectum venire juſſus, ne ipſi quidem Pontifici Max. pepercerit. Facetus. Romam ad Papam venit.

Hanc autem intemperantiæ ſuæ cauſam ingenioſè prætendebat, quod cum ſanitati conſervandæ nihil magis officiat quàm mœror, prudentis Medici partes ſint, non minus in mentibus hominum exhilarandis, quàm in corporibus curandis laborare.

Tenue tandem Sacerdotium Cardinalis *Bellaii* beneficio in vico *Medonio* agri *Pariſienſis* ad quartum ab urbe lapidem poſſidens, in eo mortuus eſt circa An. C. 1560. Sacerdos Medoni. Moritur.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Edidit linguâ patriâ *librum facetiis repletum, cui Pantagruelis nomen dedit.* Scripta.

Hippo-

Hippocratis Aphoriſmos Latinè tranſtulit, uſus, ut ipſe ſcripſit, Græco elegantiſſimo, & literis Jonicis exarato codice.

* * *

Cum *Jac. Aug. Thuanus* & *Soffredus Calignonius* An. C. 1598. *Chinone* & *Salmuriæ* in *Armonicâ, Henrici IV.* Regis juſſu de conditionibus & condendo Edicto cum Proteſtantibus agerent, *Chinone* hoſpitium habebant in domo oppidi amplâ, quæ quondam *Franciſci Rabeleſi* fuit.

Domus ejus Chinone in tabernam mutata.

Is Literis Græcis Latinisque inſtructus, & medicinæ, quam profitebatur, peritus poſtremò omni ſtudio ſerio omiſſo, ſe totus vitæ ſolutæ ac gulæ mancipavit, & ridendi artem hominis, ſicut ipſe ajebat, propriam amplexus, *Democritica* libertate & ſcurrili interdum dicacitate Scriptum ingenioſum fecit, quo vitæ Regnique cunctos Ordines quaſi in ſcenam ſub fictis nominibus produxit, & populo deridendos propinavit. Hominis ridiculi, qui totâ vitâ ac Scriptis ridendi aliis materiam præbuit, memoria à *Thuano* & *Calignono* tum renovata, cum bellè cum *Rabeleſi* manibus actum uterque diceret, quod domus ejus publico diverſorio, in quo perpetuæ commeſſationes erant; hortus adjacens ad ludum oppidanis per dies feſtos ſe exercentibus, muſeum in hortum deſpiciens (in quo cum literis operam dabat, libros habere & ſtudere ſolitus erat) vinariæ cellæ inſerviret: ex eâque occaſione *Thuanus* à *Calignono* invitatus, hoc Carmen extemporaneum fecit:

Scriptor Satyricus.

Jac. Thuan. Thuani in Franc. Rabeleſum Epigramma.

Ipſe *Rabelæſus* γελωτοποιὸς loquitur:
Sic vixi, ut vixiſſe mihi jocus, atq; legenti
Quos vivos ſcripſi, ſit jocus ipſe, jocos.
Per riſum atq; jocos homini data vita fruenda,
Inter amareſcit ſeria felle magis.
Et nunc ne placidos lædant quoq; ſeria manes,
Cavit Echionii provida cura dei.
Nam quæ à patre domus fuerat Chinone relicta
(Quâ vitreo Lemovix amne Vigenna fluit)
Poſtquam abii communis in uſum verſa tabernæ
Lætifico ſtrepitu noctē dieq; ſonat.
Ridet in hâc hoſpes pernox, ridetur in horto,
Cum populus feſto canit in urbe die.
Tibiaque inflato ſaltantes incitat utre,
Tibia Pictonicos docta ciére modos.
Et quæ Muſeum domino, quæ cella libellis,
Nectareo ſpumat nunc apotheca mero.
Sic mihi poſt minimum vitæ tam ſuaviter actum
Dent hodiè ad priſcos fata redire jocos.
Nec aliâ patrias ædes mercede locare,
Vendere non aliâ conditione velim.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JACOBUS GOPILUS.

Obiit A.C. 1560.

Comparatis utriusque linguæ divitiis cum aliquot annos partim in Pictonibus, undè ortus erat, partim in *Santonibus*, apud quosdam primæ nobilitatis equites in eorum liberis inſtituendis collocâſſet, *Lutetiam* petiit, ubi medicinam quoque profeſſus, extincto *Sylvio*, principem in illâ explicandâ locum adeptus eſt: cum & publicè magnâ frequentiâ doceret, & in veterum *Græcorum*, qui de illâ arte ſcripſerunt Codicibus recenſendis privatam operam impenderet, cujus laboris indices habemus fidiſſimos *Trallianum*, *Dioſcoridem*, *Actuarium*, & alios magnâ diligentiâ judicioque recognitos, & adnotatos.

Medicinæ Profeſſor Lutetiæ.

Medici Græci veteres ab eo recogniti.

Verùm gliſcentibus in *Galliâ* civilibus diſcordiis, cum A. 1560. turbulenti de plebe homines in Muſæum ejus pluribus tum voluminibus, tum impreſſis, tum manuſcriptis ornatum involâſſent, ſacramque illam ſupellectilem profanis manibus violâſſent ac diripuiſſent, tantum inde mœrorem collegit, ut extremum vitæ diem clauderet, & Ecphraſin, quam in omnes *Hippocratis* libros meditabatur, inchoatam relinqueret.

Præ mœrore obiit.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

SIMOM WILDIUS.

Obiit A.C. 1560.

Archiater *Joh. Friderici III.* Ducis *Saxoniæ*, & primus in Academiâ *Jenenſi* Med. Doctor 29. Mart. A. 1558. à primo ejusdem Rectore, primoque Profeſſore publico & Brabeutâ *D. Johanne Schrötero* creatus, indeque Facultatem Medicam inſtar Aſſeſſoris tantùm cooptatus.

Primus Medicinæ Doctor Jenæ creatus.

Aſſeſſor in Facultate Medicâ.

Vinariæ colloquio de peccato originali & libero arbitrio inter M. *Matthiam Flacium*, *Albonâ Illyricum* Theologum, & M. *Victorinum Strigelium*, Philoſophum, ambos in Univerſitate *Jen.* Prof. publ. A. 1560. menſ. Aug. inſtituto, & adhuc durante, debitum naturæ ſolvit.

Moritur Vinariæ.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc in ejus honorem adſcripſit *Epigramma:*

Epigramma.

Simon ſe Sophicis ſtudiis Medicisq; ſacravit
Wildius, & Jenæ præmia prima tulit.
Ægrotis aliis potuit bona pharmaca ferre
Non ſibi, in Oenagorâ morte peremtus obit.

JOHANNES DRYANDER.

Obiit A.C. 1560.

Vocatus aliâs Eichman / ex *Haſſiâ Wetteranus* oriundus. Is juvenis non in deſidioſâ oblectatione, quod iſthæc ſolet ætas, tempus poſuit, verùm acerrimo ſtudio, optimâ doctrinâ & maximo uſu cognovit atque percepit, quæ viro, qui curam cogitationemque in utilitatem publicam derivare cuperet, tenenda ſunt, ita quidem, ut ad honorum inſignia, quæ cœpit *Moguntiæ*, non obrepſerit clanculum, ſed verâ virtute conſecutus fuerit eadem.

Moguntiæ Medicinæ Doctor creatus.

Ideòque cum *Megabacchus* aulæ ſe addixiſſet totum, hic viro ſurrogatus Medicinam imprimis & Mathematicas diſciplinas non ſine bono publico 24. annos docuit, ut nec

Medicinam & Matheſin docuit Marpurgi.

nec majori gravitate, nec ſtudio, nec contentione potuerit quiſquam, eâque in ſtatione, cum octies magiſtratu perfunctus eſſet Academico, vir ſingulari præditus modeſtiâ, die 20. Decembris anno 1560. occubuit. Pinxit duos globos aſtriferos, figuris & circulis egregiè ornatos. *Moritur.*

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Scripſit & edidit:

Scripta.

Anatomen Capitis humani in Marpurgenſi Academiâ publicè ab ipſo exhibitam.

De Thermis Emſenſibus non procul à Conſtantiâ ſitis Libell. Germ.

Petri Appiani Apponenſis de Venenis Librum recognitum.

Abrahami Judæi Librum recognitum.

Morborum particularium omnium Praxin univerſalem Germanicè.

Euricii Cordi Libros II. Germ. de Calculo curando, & de Urinarum judiciis.

Libell. de Peſte.

De Chriſtiano uſu Medici & Medicinarum Libell. Germ.

De diverſis rotatis tàm automatis, quàm appenſo pondere ſemoventibus horariis ferreis ligneisvè.

Coſmographiæ introductionem, cum quibusdam Geometriæ & Aſtronomiæ principiis ad eam rem neceſſariis.

Cylindri in poculo efformandi rationem & uſum.

Aſtronomiæ & Coſmographiæ inſtrumentum, unà cum Canonibus.

De Horologiorum Solarium variâ compoſitione Lib.

Johannis Stöfleri deſcriptiones aliquot Coſmographicas, & de Sphærâ Coſmographicâ conficiendâ, cum quibusdam aliis in Ptolomæi Coſmographiam.

Canones Aſtrolabii, & Quadrantis explicationem.

Spheram materialem, ſive globi cœleſtis explicationem.

Sub manibus habuit Librum *de Abditis rerum miraculis*, partim ex ſuâ obſervatione, partim ex aliorum Scriptis jam publicatis, tum privatim ipſi communicatis.

Anatomen Matricis, ubi quædam nec veteribus nec recentibus obſervata excutiuntur. Hæc an edita fuerit, incertum eſt.

Quadrantis Appiani copioſam explicationem & uſum.

Aſtrolabium toti Europæ inſerviens, ubi nec opus eſt adhibere rete, lineam fiduciæ, nec quicquam aliud niſi prætenue filum cum nodulo mobili.

Tractat. de duplici terræ projectione in planum pro mappis.

De uſu Inſtrumenti nocturnalis pro captandis horis, ex Stellarum inſpectu Libell.

Quadrantem ſexagenarium inſtrumentum dictum.

Diſputationem quandam Medicam.

Structuram vulgaris horologii ſolaris (Compaſſum vocant) & de magnetis mirâ facultate.

* *Ex tertiâ parte Vitarum viror. doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

JUSTUS VELSIUS.

Clar. A. C. 1560.

Medicinæ Doctor inclytus, *Haganus* patriâ, cui cum eſſet ingenium & ſtudium acerrimum, quæ alii in re medicâ, & inprimis herbariâ, ne primoribus quidem labris attigerunt, ea is nullo negotio aſſecutus excelluit reliquis longo tantumque inter alios

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Sed enim cum viri ingenium & doctrina non aliundè poſſit perſpici rectiùs, quàm è *Nigidii* carmine, quod ejusdem conſecravit memoriæ, id ipſum lecturo ſubjicitur:

Velſius huc veniens paucos tantummodò menſes.
In noſtrâ cepit ritè docere ſcholâ.
Cur verò rurſus ſubitò diſceſſerit idem,
Neſcio, nec quorſum venerit, ipſe ſcio.
Eximius ſanè vir hic extitit atque Galeni,
Sicut & Hippocratis noverat ille libros,
Legit Ariſtotelem, monumentaque dia Platonis,
Excellens Medicus, vir polyhiſtor erat.
Quin etiam juſſit Græcis conſcripta libellis
Romano pariter more Latina loqui.
In Tabulam ſcripſit Thebani multa Cebetis
Magnificâ plenos utilitate libros.
Dignus ob egregias igitur, quas noverat, artes
Mathuſalamæos æquiparare dies.

Scripta viri habentur ſequentia:

Scripta.

Oratio: utrum in Medico variarum artium & ſcientiarum cognitio requiratur.

Hippocratis de ſomniis liber translatus.

Item Galeni, quæ ex inſomniis habetur affectionum dignotio.

Hippocratis Aphoriſmorum ſententiæ caſtigationis enarratio.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

JACOBUS BORDINGUS.

Obiit A. C. 1560.

Antverpiæ natus eſt 11. Julii A. 1511. Parentes habuit *Nicolaum Bordingum*, & *Adrianam Adrianæ*, cives illius loci honeſtos & locupletes, mercaturam exercentes.

A. 1520. In diſciplinam à Patre traditus eſt Scholæ patriæ moderatori, M. *Nicolao Buſcoducenſi*, viro docto, quique non ita multò poſt, ob puræ religionis confeſſionem, *Bruxellæ* in carcerem conjectus eſt, è quo tamen beneficio DEI liberatus dicitur.

Ab hoc, cum prima literarum rudimenta percepiſſet, *Lovanium* miſſus eſt, ubi cum in caſtrenſi pædagogio Logica & Phyſica deguſtâſſet, ad linguarum ſtudium applicuit animum, publicè prælegentes audiens *Conradum Goclenium* in ſtudiis eloquentiæ, *Nicol. Clenardum* in Græcis & Hebraicis, & *Rutgerum Reſcium* Græcas literas profitentem.

An. 1529. ætat. 18. Pater eum *Lutetiam* miſit, ut medicinæ fundamenta jaceret: Ibi diligenter audivit *Joh. Copum*, Philoſophiam *Ariſtotelicam*, & *Jacobum Sylvium* artem medicam fideliter docentes.

Digitized by Google

Cum autem ardentem amore Philoſophiæ ſtudiorum deſtituerent nervi, quod à parentibus ipſi miſſæ pecuniæ à latronibus eſſent interceptæ, hortante *Joh. Sturmio* & aliis, Græcas & Hebraicas literas cum laude publicè profeſſus eſt *Pariſiis* in Collegio *Lexovienſi*, cui *Joh. Tarteſius* præfuit. Exindè cum nomen ejus innotuiſſet, multi liberos ipſi ſuos erudiendos tradiderunt. *Græcas & Hebr. literas Lutetiæ profitetur.*

A. 1531. Patre jam mortuo, ne matrem ſumtibus gravaret, in clientelam Epiſcopi *Mimatenſis* de *Rochefault* ſe contulit, cum quo biennium ferè familiariter vivens, & ab eo dilectus, impenſis ejus in Academiam *Montiſpeſſulanam* miſſus, medendi artem ibi docentes diligenter audivit *Joh. Scironium, Dionyſium Fontatum*, & *Antonium Saportam.*

An. 1537. In *Italiam* proficiſci cogitans, cum itinere deflectens *Carpentoracti* aliquandiu ſubſiſteret, *Jacobus Sadoletus*, Card. & Epiſcopus *Carpentoractenſis*, famâ *Romæ*, ubi tunc agebat, ad ſe de *Bordingi* eruditione allatâ, Scholæ illius loci præficiendum ipſum liberali ſtipendio curavit.

Conjugium. An. ſeq. Ibi duxit uxorem virginem *Franciſcam Nigronam*, *Termi Nigroni*, Patritii *Genuenſis*, & *Johannæ de Roſchelle Avenionenſis filiam*, novem liberorum poſteà matrem.

Brevi poſt nuptias peractas, ſuos viſendi causâ, *Antverpiam* excurrit, & rebus pro voto confectis, ad uxorem reverſus, ſtatim *Bononiam* ſeſe contulit, ubi Doctor Med. inſignibus ornatus eſt An. æt. 29. *Fit Medicinæ Doctor.*

A. 1540. *Carpentoractum* reverſus, cum ob veræ religionis amorem diutius ibi vivere non poſſet, *Antverpiam* commigravit, ibique quinquennium traſigens, civibus ſuis medicinam fecit, & Chirurgiæ præcepta tradidit, Anatomiæ quoque uſum oſtendit.

Venit Hamburgum. An. 1545. *Antverpiâ* diſcedens, ſedem ſuam *Hamburgum* transtulit, à Senatu ſtipendium liberale conſecutus, & medici officio functus.

Profitetur Medicinam Roſtochii. A. 1550. Accerſitus ab *Henrico*, Principe *Megapolenſi*, in Academiam *Roſtochienſem*, vixit ibi ſeptennium, medicam artem publicè profeſſus, & Principi inſerviens.

Hafniæ. A. 1556. In Academiam *Hafnienſem* ſtipendio Regis *Danor. Chriſtiani* & Scholæ invitatus, ibi vitæ quod fuit reliquum, honorificè tranſegit, cum & apud Regem regnique Proceres in magnâ eſſet gratiâ, & in ſcholâ magna ejus in docendo dexteritas perſpecta eſſet.

Ibi morbo correptus teſtamentum condidit, & poſtquàm cordis quâdam compreſſione ſubſecutis lateris punctionibus triduo toto graviſſimè fuiſſet afflictus, nihil tamen de priſtinâ patientiâ remittens, ſeipſum ſententiis Biblicis conſolatus, mortem cum vitâ meliori commutavit 5. Sept. An. 1560. ætatis 50. *Moritur.*

Epitaphium ejus, hodiè licet non conſpicuum, recenſet *Vindingius* in Academiâ ſuâ *Hafnienſi*, ex *Nathane Chytræo* ſeq.

D. O. M. S. *Epitaphium.*

DOMINO JACOBO BORDINGO ANTVERPIANO, VIRO IN OMNI PHILOLOGIA ET PHILOSOPHIA BENE ET ELEGANTER VERSATO, ET PRÆTEREA SADOLETI QUOQUE ALIORUMQUE EXTERORUM DOCTISS. MONUMENTIS PUBLICE CELEBRATO, PRIMUM PATRIÆ, DEINDE DUCUM MEGAPOLITANORUM ET SERENISSIMORUM DANIÆ REGUM CHRISTIANI III. ET FREDERICI II. ARCHIATRO: ACADEMIARUM ROSTOCHIANÆ ET HAVNIENSIS ORNAMENTO: OB VERE PIETATIS, ERUDITIONIS, SAPIENTIÆ OMNIUM VIRTUTUM LAUDEM MEMORIAM PERENNEM JAM PRIDEM ADEPTO: GRATUM HOC ANIMI MEMORACULUM; PATRI OPTIMO SIBIQUE ET BONIS OMNIBUS DESIDERATISSIMO IN BEATÆ REPARATIONIS SPEM. JACOBUS BORDINGIUS F. J. U. D. PROFESSOR ET CANCELLARIUS MEGAPOL. P. C.

PIE OBIIT HAVNIÆ AN. CHR. MDLX. SEPT V. HORA IV. VESP. AN. ÆT. L.

Ab obitu ejus lucem viderunt: *Phyſiologia, Hygieine, & Pathologia*, prout eas in Academiis *Roſtochienſi* & *Hafnienſi* publicè enarravit. *Scripta.*

Enarrationes in 6. libros Galeni de ſanitate tuendâ, quibus acceſſerunt *Conſilia quædam Principibus ab eo præſcripta.*

Oratio in Obitum Chriſtiani III.

PHILIPPUS BECHIUS.

Obiit A. C. 1560.

Medicæ Facultatis *Baſileæ* cultor, & Apollineæ artis ſcientiâ inſignis, Dialecticæ profeſſionis fide diſcentium commodis ſtuduit. Mortalitati renuntiavit tertio Nonas Sept. A. 1560. eo loco clauſus, ubi ſequentes verſiculi leguntur: *Medicus & Log. Profeſſor Baſileæ.*

** Hæc mihi prætereat nemo monumenta Viator,*
Non benè qui cineri voce precetur huic.
Bechius hîc Medicâ celeber cubat arte Philippus,
Qui decus urbis erat totius atque Scholæ.
Si foret è ſuperis quem ducere ſedibus æquum,
Hic foret, ut miſeris ferre valeret opem.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſil. Chriſtiani Urſtiſii.*

CHRISTIANUS TORCHILLI MORSIANUS.

Obiit A. C. 1560.

Parentum curâ ac ſumtibus in patriis ſcholis puer educatus, indè ad exteros abivit, & in præcipuis *Germaniæ*, *Galliæ* ac *Italiæ* Academiis alienis ſumtibus ulta 24. annos vixit, quorum aliquot cum nobili *Petro Oxe*, qui poſteà Magnus Aulæ *Danicæ* Magiſter & Regni Senator fuit, tranſegit.

Ubi in patriam rediit, jam Magiſter Artium, Ecoleſiæ D. *Virginis* Vicarius, & utriusque cenſuræ (Juris) Baccalaureus, in ordinem Profeſſorium adſcitus, Rectoratum *Magiſter Artium, Baccalaur. Juris.*

in Aca-

Hafnienſ. Acad. Rect. in Academiâ geſſit A. 1523. eſtque illi An. 1630. Eccleſia *Seby* tributa, pro unâ lectione in Sacris & pro duabus in literis politioribus.

Hafnieſ Lectrar. & politiorum literar. Profeſſor.

Tum turbatis per motûs bellicos Academiæ quoque rebus *Antuerpiam* concedens, ibi aliquandiu latitavit.

Medicinæ Doctor & Profeſſor. An. 1532. Pace partâ, Academiæ jam reformatæ ac inſtauratæ Rector primus eligitur, cum jam Medicinæ Doctor ac Profeſſor eſſet. Rectoratum iterum geſſit an. 1546. & 1556. Decanus Facult. Medicæ decreto Senatûs Academici conſtitutus, Doctorem Med. creavit *Cornelium Hamsfort*, Regium Medicum A. 1544.

Cancellar. Academ. Hafn. Eodem anno factus eſt Academiæ Vice-Conſervator, & Cancellarius ſuffragiis omnium Profeſſorum: & cum D. *Palladio* & D. *Machabæo* literis Regiis vocatus, in *Fyoniam* ad Regem profectus eſt pro reformatione Fundationis, & augendis Profeſſorum ſtipendiis.

Procurator Templi D. Virg. Procurator etiam Templi D. Virginis aliquot annos fuit.

Bis uxorem duxit: filios habuit *Johannem* & *Fridericum*, filias *Eliſabetham* & *Chriſtinam*. *Johannes* omnibus infamis vitiis, etiam novercam ſuam *Eliſabetham*, poſt obitum patris, falſi ac adulterii crimine inſimulare non eſt veritus. *Moritur.* Obiit die 6. Cal. Aug. An. C. 1560. Sepultus in Templo D. Virginis, ubi monumentum ejus cernitur, cum hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

ANNO MDLX. VI. KAL. AUG.

Cum ter quinq; ſuæ complêrat luſtra ſenectæ
Doctor CHRISTIERNUS *triſtia fata tulit.*
Vir bonus, & Medicæ Doctor celeberrimus Artis,
Qui ſummo geſſit munia digna viro.
Profuit Hafniacæ Rectorque Paterque juventæ,
Profuit & patriæ gloria prima ſuæ.
Membra levi nunc hic defuncta teguntur ab urna,
Mens cum cœlicolis illius aſtra colit.

Scripta:

Scripta.

Fragmenta varia Medicinæ Theoricæ.
Faſciculus thematum publicè propoſitorum.
Scholia in Elementa Geometrica D. Johan. Vogelin Hafniæ prælecta A. 1550.
De cauſis & curâ Peſtilentiæ, cum Præfatione D. Johannis P. Reſenii, linguâ Danicâ, ſed Latinè translatâ à D. Thom. Bartolino.
Arithmetica Practica.
Querela privatæ infelicitatis.
Præfationi Henrici Smetii librum Med. linguâ vernaculâ, ſed Latinitate donata à D. Thomâ Bartholino in Ciſtâ Medicâ.
* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1560.

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS.

Natus eſt *Solitariæ*, *Hanovici* Comitatûs oppido, ad *Druſi* montem ſito, 2. Nov. An. 1528.

Parentes habuit honeſtos, &
Divitiæ, quorum meſſis & arbor erant.

Pater ejus vocatus eſt *Johannes Loticius*, cujus cognomen *Melanchthon* in *Lotichium*, euphoniæ gratiâ, mutavit.

Secundi nomen ſibi adſcivit diſcriminis causâ, cum Patruum haberet cognominem, Abbatem *Solitarienſem*, de Eccleſiâ Chriſti & re literariâ optimè meritum, qui puerum bonâ indole præditum alendum, & in literis enutriendum ſuſcepit.

Cum itaque in ſcholâ patriâ prima literarum elementa celeriter percepiſſet, eum in ſcholam vicinam *Francofurtenſem* ablegavit, & *Jacobi Mycilli* diſciplinæ commendavit. Uſus eſt etiam Præceptore *Joh. Pedioneo Rheto*, Poëtices & Oratoriæ poſteà *Ingolſtadii* Profeſſore.

A. 1544. *Francofurto* de patrui conſilio in Acad. *Marpurgenſem* vixit, & vixit apud *Johannem Hildebrandum*, J. C. contubernalem nactus *Joh. Hagium*, *Francum*, Med. poſteà Doctorem, & amicum per omnem vitam fidelem. *Studioſus Marpurgi.*

Hic cum animum Philoſophiæ, Oratoriæ & Poëtices cognitione expoliiſſet, patruo ſic volente in *Saxoniam*, *Wittenbergam* ad audiendum Principes ejus ævi viros *Melanchthonem* & *Camerarium* abiit. *Wittebergæ.*

Sed cum paulò pòſt A. 1546. bellum exortum eſſet in *Sax.* toti *Germaniæ* funeſtum, Scholis diſſipatis *Melanchthonem* ex Acad. *Witteb. Marpurgum* cum aliis comitatus eſt. Cum verò & ibi omnia turbata offendiſſet, tempori inſerviens, militiæ nomen dedit in caſtris Electoris *Sax. Joh. Friderici*, commilitones nactus *Melch. Zobelum*, *Joh. Altum*, *Acontium*, & *Varum*. *Militiæ nomen dat.*

Nec tamen inter armorum ſtrepitum Muſarum oblitum, ſed in excubiis militaribus carmina finxit.

A. 1547. Ab armis ad libros reverſus, aliquantiſper *Erfordiæ* vixit: indè *Wittenbergam* ad *Melanchthonem* rediit, & cum eo conjunctiſſimè vixit, ipſoque ſic volente Magiſterii titulo ornatus eſt.

Paulò pòſt à Patruo cum domum revocaretur, *Camerarius* eum *Danieli Stibaro* commendavit, qui propinquis ſuis ex fratre nepotibus *Henrico* & *Martino Stibaris* eum præfecit, & cum iis in *Galliam* ablegavit.

A. 1554. Cum *Lutetiæ*, in *Monteſpeſſulano*, & aliis *Galliæ* urbibus celebrioribus quadriennium transegiſſet, cum ſuis in patriam reverſus eſt.

Ut verò ſtudio Medico Colophonem imponeret, in *Italiam*, ſumptûs ſuppeditante eodem *Stibaro*, Comite *Joh. Hagio*, Medico, hujusque diſcipulo *Johanne Thungeno*, Nob. *Franco*, profectus *Patavii* primùm ſubſtitit. Ibi Medicus cum voluptate audiit & *Robortellum*, Hiſtorias interpretantem. Delectatus etiam eſt Horto Medicorum, & Bembi: ac indè *Venetias* crebrò excurrit. *Ad literas redit.*

Gliſcente autem ſub id tempus peſtis contagio, *Bononiam* ſe contulit. Ibi funeſtus ipſi caſus obtigit: nam cum ibi nobili

quodam *Bavaro* Canonico *Monacenſi* contubernali uteretur, qui domi, quod habebat foris, amare cœpit, hoſpita juvenis formoſi amore capta, id moleſtè tulit, & juvenis errorem philtro ſibi conciliare aggreſſa, juſculo id immiſcuit.

Cum ergò duobus illis juſcula de more gentis ſingula ſingulis appoſuiſſet, *Lotichius*, qui à pinguibus naturâ abhorreret, ſuum jus cum alterius, quod macrius erat, permutavit. Etſi verò pro more ſuo antequàm comederet, buccellam cani ſuo objecerit, qui ſtatim in rabiem actus eſt, tamen cum id non animadvertiſſet, ſorbere cœpit, & ſtatim vim veneni ſentiens, animi defectione concidit, mox furibundus arma rapit, & contubernalem, ab ipſo inſidias ſibi factas, gladio invadit.

Poſteà ad ſe reverſus, affatim hauſto oleo olivarum toxici partem revomuit, & alia, ut medicus, abigendo veneno adhibuit.

Indè in febrem malignam periculoſam incidit, à quâ cum convaluiſſet, capilli & ungues ipſi deciderunt, & corporis habitus nonnihil immutatus, etiam cum animi moribus, hæſeruntque mali reliquiæ dum vixit, quotannis enim ſub autumnum vis veneni recruduit, cum mentis quâdam alienatione & febri.

Medicinæ Doctor. A. 1557. Abſoluto ſtudiorum curriculo & Doctoris Medici titulo, de amicorum potiùs quàm ſuo conſilio, ornatus, in *Germaniam* rediit. Hic cum à *Friderico*, Epiſcopo *Wurceburgico*, & nobili *Sturmero* unicè expeteretur, *Ottoni Henrico*, Electori *Pal. Haidelbergam* ad medicinæ Profeſſionem honorificè vocanti maluit obtemperare, loci celebritate motus, eòque venit A. 1558.

Ibi docendi pariter & ægrotis conſulendi munere cum laude functus, cœlibem vitam egit, donec morbo illo redeunte febri ardente conſumptus, placidè ultimum vitæ *Moritur.* diem clauſit *Haidelbergæ* 7. Nov. A. 1560. ætat. 32.

Funus, procurante *Joh. Poſthio*, qui morienti adfuit, ab octo artium bonarum Magiſtris elatus, & ad D. *Petrum* ſepultus eſt ſine monumento, quo opus non habuit.

Poëmata, triennio poſt authoris mortem, à *Joach. Camerario* publicata ſunt.

In ejus nomen ita luſit *Joh. Petrus Lotichius*, ejus ex fratre pronepos:

Carmine PRIMUS eras, cognomine PETRE SECUNDUS,
Aut ſi non PRIMUS fortè, SECUNDUS eras.

Fratres habuit *Chriſtianum*, ibidem Poëtam & Theologum celebrem, ac *Georgium*, qui in flore juventutis extinctus eſt A. 1544. cujus jam tum in carminibus fingendis dexteritatem lugubri carmine deflet hic ejus frater *Lib. I. Carminum.* Hic *Petrus Lotichius* tantâ perhibetur polluiſſe morum ſuavitate, ut ubicunque ſibi ad viros graves aditum fecit, eos ceu philtro ineſcatos indies in ſui amorem magis attraxerit.

Puellas quaſdam nobiles & honeſtas caſtè amavit, eaſque carminibus ſuis celebravit, *Claudiam*, quæ *Leucoreâ* fuit, *Callirhoën Monteſpeſſulanam*, *Panariden Bononienſem*, & *Phyllirida Nicrigenam Heidelbergæ* degentem.

* *Ex Melch. Adami Vitis Medic. & aliis.*

JOHANNES SINAPIUS.

Obiit A. C. 1561.

S*Uuinfurti, Franconiæ* oppido, natus eſt.

Popularis *Andreæ Grundleri*, Medici, cui ſtudiorum communione cinctus fuit.

In *Italiâ*, ſtudiorum gratiâ, complures annos tranſegit.

Præceptor Ducissæ Ferrarienſ. *Ferrariæ* Ducis *Herculis Eſtenſis* filiam *Annam* bonis literis inſtituit, quæ condiſcipulam tum habuit *Olympiam Fulviam Moratam.*

An. 1536. A *Tubingenſibus* revocatus abnuit, de quâ re ita *Camerarius* ad *Anton. Nigrum* ſcribit: *Sinapius* fortaſſis *Italicam* opulentiam cum noſtrâ paupertate commutare non vult, & ſapit profectò!

Medicus Epiſcopi Wirceb. Tandem ab Epiſcopo *Würceburgico Melchiore Zobelio* invitatus, ei à curâ valetudinis eſſe cœpit. Hic Epiſcopus cum 15. April. A. 1558. ad pontem *Wirceburg.* ſicariâ manu appetitus globoque trajectus eſſet, *Sinapius* humi jacenti pallium ſubſtravit, commemoratione meriti Chriſti ſolatus eſt, utque interfectoribus ſuis ignoſceret hortatus. Annuit ſublatis ad cœlum oculis Princeps, & mox in nudo ſolo exſpiravit.

Eodem in officio Archiatri apud ſucceſſorem *Zobelii Fridericum* à *Wirſperg* permanſit *Sinapius.*

Fatis conceſſit *Wirceburgi* A. 1561. *Moritur.*

Filiam unicam habuit, quæ *Chriſtoph. Elphanto*, J. C. Cæſ. Conſilii Aſſeſſori nuptui data eſt.

Scripſit *Urbis Suinfurtenſis Hiſtoriam, Coſmographiæ Münſteri inſertam.* *Scripta.*

Orationem adverſùs eorum ignaviam, qui literas humaniores negligunt.

* *Ex Melch. Adami vitis Medicorum.*

LAURENTIUS GRYLLUS.

Obiit A. C. 1561.

L*Andshuti* in *Bavariâ* natus eſt.

Cum rerum naturalium amore flagraret, peregrinatione literariâ ſuſceptâ, totam ferè *Europam* peragravit, thermas, fodinas, varia aromatum emporia inviſit, & obſervatu digna annotavit.

Profeſſor Ingolſtadienſis. Demùm *Ingolſtadium* reverſus, in Academiâ publicè docentium numerum cooptatus eſt.

Ibi dum tam pro cathedrâ docendo, quàm privatim commentando rem literariam juvare conatur, rebus terrenis ereptus *Moritur.* eſt A. 1561. conſtituto ante ex facultatibus propriis ſtipendio liberali pro tenuioris fortunæ ſtudioſo.

Scripta edidit: *Scripta.*

De ſapore dulci & amaro.

De componendis medicamentis.

De Ther-

De Thermis.
Commentaria in Dioſcoridem inchoavit.
* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1562.

JOHANNES MOIBANUS.

Natus eſt *Uratislaviæ* 27. Febr. A. 1527.

Patrem habuit *Ambroſium Moibanum, Wittenbergæ* primò bonarum artium Profeſſorem, deindè ſtudio & autoritate *Joh. Heſſi*, Paſtoris *Uratislavienſis*, eò ad Verbi Divini miniſterium vocatum, qui obiit *Uratislaviæ* 16. Jan. A. 1554.

Matrem *Annam*, ex antiquâ & laudabili *Bonicorum* familiâ.

In primâ pueritiâ literas *Hebraicas* à Patre didicit: in ſcholâ autem Præceptores habuit *Andream Winglerum*, & M. *Balthaſ. Neandrum.*

Literis operam dat.

Domi quoque præclaros habuit Magiſtros, primùm *Anton. Carcheſium*, poſteà Conſiliarium Cæſareum, deindè *Jeremiam Venetum*, qui eum in Græcis, Poëſi, Muſicâ, & Arithmeticâ erudierunt.

Picturæ ſtudioſus.

Picturæ etiam ſtudioſus, licèt in eâ nullo unquàm magiſtro uſus ſit, multas effigies præclarorum Virorum pictas reliquit, quarum aliquot *Joh. Crato* aſſervavit.

Philoſophiæ Magiſter.

Ex ſcholâ patriâ *Wittenbergam* miſſus, cum ſupra quinquennium *Phil. Melanchthonem* audiviſſet, Magiſterii gradum accepit. Indè hortatore *Melanchthone Noribergam* abiit, ubi D. *Geideri* liberos privatim erudiit, ac multos verſus Græcè & Latinè ſcripſit. Ibidem cum in cognitionem Medici D. *Cornelii Sittardi, Colonienſis*, Botanici eximii, veniſſet, ejus ſtudio deſcriptiones herbarum ex *Dioſcoride* conquiſitas ita ſibi notas reddidit, ut memoriter recitare poſſet. Id cum *Crato* in *Germaniam* reverſus cognoviſſet, rationem ad artem medicam diſcendam fideliter ipſi præſcripſit, & ut *Italiam* adiret, autor fuit.

Iter in Italiam inſtituit.

Job. itaque *Baptiſtæ Heincelii*, literatorum fautoris, operâ, ſtudiis filiorum D. *Manlichii* præfectus, cum illis in *Italiam* ablegatus, *Patavii* & *Bononiæ* quadriennium vixit, ubi non ſolùm celeriter linguas *Italicam* & *Græcam* addidicit, ſed à Philoſophis & Medicis rarò diſceſſit.

A. 1555. Cum pater anno prægreſſo obiiſſet, ut ſollicitudini matris ſubveniret, in *Germaniam* rediit, & *Ambergam* ſe conferens, illi Reipublicæ operam ſuam dedit.

Cum verò amici *Auguſtam* eum pertrahere cuperent, oblatâ in uxorem puellâ honeſtâ, eam conjungi ſibi paſſus eſt, & ſecum *Ambergam* deduxit.

Medicus Auguſtanus.

An. 1558. Inſtantibus amicis ut *Auguſtam* rediret, ſtipendio publicâ autoritate decreto, eò reverſus eſt. Ibi cum initio nondum in hominum cognitione verſaretur, *Dioſcoridis Euporiſta* vertit.

Poſteà ſenſim inclareſcens, diligenti curâ munus ſuum obiit. Matheſi quoque deditus, operâ *Cypriani Leovicii*, ita brevi in eâ profecit, ut & conjugi ſuæ & ſibi ipſi diem fatalem prædixerit.

Nam exiguo tempore pòſt conjunx ejus *Eſthera*, cum partu difficili enixa eſſet filiolum grandem, quarto à partu die naturæ debitum perſolvit.

Moritur.

Ipſe exhauſtis præ mœrore cordis viribus quartanâ duplici correptus, vigeſimo octavo poſt obitum conjugis die piè in Chriſto vitam clauſit 9. Maji A. 1562. ætat. 35.

Moriens verſionem Εὐπορίστων *Diſcoridis* commendavit *Achilli Pirminio Gaſſaro*, & ut *Geſnero* librum perpoliendum mitteret, petivit, quod uterque fideliter præſtitit.

* *Ex vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1562.

JACOBUS HOLLERIUS.

Medicus Pariſienſis.

Urbanus.

Hujus doctiſſimi viri patria fuit ager *Stempenſis*, non longè à *Lutetiâ* diſſitus, quæ loci opportunitas illi aditum ad Academiam *Pariſienſem* præbuit, in quâ Medicus brevi tempore factus eſt omnibus numeris abſolutus, ſive perfectam Artis cognitionem ſpectes, ſive in morbis curandis uſum & ſolertiam, cum in ore ſubagreſti ſumma lateret urbanitas, ægrorumq; mentes non minus quàm corpora jucundâ ſermonis comitate & hilaritate recrearet.

Vir dives & quæſtui minus intentus, acerrimum judicium ad medicinam attulit, ut deploratos morbos ſummâ felicitate curaverit, teſte *I. A. Thuano.*

Fuit enim homo apertus, & nullius rei diſſimulator: quam ingenui animi libertatem carpentibus nonnullis, & monentibus oportere Medicum ad multa connivere, quod ſub aliis vitam paret, reſpondere ſolebat, alios vivere beneficio Medicorum, Medicos ſuo.

Scripta pauca & imperfecta edidit.

Sed hoc dolendum eſt, quod ex eruditis tanti viri Scriptis pauca tantùm & poſthuma, neq; dum ab auctore conſummata pervenerunt in hominum manus, cœtera aut à plagiariis ſurrepta ſunt, aut magno humani generis incommodo ſuppreſſa perierunt.

Filius ejus Senator Pariſienſis.

Nec minori diſpendio accidit, ut eruditus ejus filius in ſupremâ vectigalium Curiâ Senator, qui morienti ſuperſtes fuit, ante vivis eriperetur, quàm ulla doctrinæ argumenta literis conſignata relinqueret.

Juvenis enim dum vixit, peregrinandi correptus amore, quoties à publico munere vacabat, ceu compedibus ſolutus, continuò ſe quà in *Aſiam* quà in *Africam* ad exteras nationes inviſendas diſſimulatâ ſuis profectione proripiebat, minimè ſcilicet contentùs eâ, quæ ex librorum lectione comparari poteſt, rerum naturæ notitiâ, niſi varios hominum mores regionumque ſitûs & loca ipſis oculis videret ac pernoſceret.

Moritur.

Obiit autem *Hollerius* pater ſub ipſa belli civilis initia, paucis ante menſibus, quàm in *Druydum* campo captis utrinque ductoribus ancipiti diu Marte pugnaretur An. C. 1562. *Lutetiæ.*

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* *

Jacobus Hollerius Stempanus, Medicus & artis *Hippocraticæ* peritus, ſcripſit multa, maximè verò eſt interpretatus & commentatus *Hippocratis Coaca præſagia*, opus planè Divinum, & veræ Medicinæ tanquàm theſaurus. Multum temporis conſumſit in iſto immenſo labore, multaſque lucubrationes reliquit 20. plusquàm annis exactis: ſed mors immatura ejus vitæ ſimul & laboribus finem impoſuit. Undè opus fuit, ut *Deſiderius Jacotius Vandoperanus* (adjectis ſuo Marte libris XIII. ad idem opus Commentariis, tribus ſectionibus diſtinctis, ne nimis obſcurum prodiret) illud perficeret, cum multa eſſent perturbata, & lituris deformata, multa imperfecta. Florebat autem *Lutetiæ* A. 1550.

Scripſit Comment. in Coacas Hipp.

* *Ex Promptuarii Iconum inſigniorum Guil. Rovillii parte II.*

Scripta:

Scripta.

De materiâ Chirurgicâ Lib. II.

Comment. in Aphoriſmos Hipp.

De morbis internis Lib. II. Scholiis & Obſervationibus propriis illuſtrati, cum Lud. Dureti in eundem Adverſariis, & Ant. Valetii exercitationibus.

De Febribus, & Peſte.

Obiit A.C. 1562.

GUILIELMUS GRATAROLUS.

Medicus & Phyſiognomon.

Medicinæ Profeſſor Baſileæ.

B*ergamo, Galliæ Ciſalpinæ* oppido, natus, Medicus fuit & Philoſophus excellens, imprimis verò Phyſiognomon & ſpeculator naturæ ſolertiſſimus. Profeſſor prætereà Med. in Acad. *Marpurgenſi & Baſileenſi* nominis ſui celebrationem ſcriptis libris quàmpluribus evexit, & toti terrarum orbi celebratus innotuit.

Moritur.

Animam tandem exſpiravit *Baſileæ* 6. Maji A.C. 1562. æt. 52.

Vitam ejus *Petrus Nigidius* ſenior eleganter his verſibus expreſſit:

Doctrinam Papæ GRATAROLUS *corde peroſus*
Germanos cupidæ viſere cœpit agros.
Nobilis hunc miſit Cattis Baſiléa, ſed anno
Vix ſemel exacto rurſus eò rediit.
Sive quod Haſſiaco non poſſet vivere cœlo,
Sive quod in votis urbs Baſiléa foret.
Hæc vita functi gelido nunc clara ſepulchro
Inſignis claudit corpus & oſſa viri.

Scripta:

Scripta.

Lib. de memoriâ reparandâ, augendâ & ſervandâ.

de prædictione morum naturarumq́; hominum facili ex inſpectione corporis.

Prognoſtica naturalia de temporum mutatione perpetuâ ordine literarum: adjecta ſunt undecim ſigna terræmotûs ex Ant. Mizaldo.

De Thermis Rhaeticis ex Vallis Traſchurli Bergomatis Lib. cum diverſorum authorum Scriptis de Balneis.

Compendium de tuendâ valetudine literatorum, & eorum, qui magiſtratu funguntur, illorum præcipuè, qui ætate conſtanti, vel ab eâ parùm abſunt.

De Vini naturâ, artificio & uſu, ac de re omni potabili.

De Peſte.

Praxis Medica.

Correctiones & additiones in librum Italicum falsò attributum Gabrieli Fallopio, cui titulus eſt, Secreta Fallopii.

Cenſura in primum libr. Alexii Pedemontani, in quo modum tractat faciendi quintam eſſentiam ſimplicem.

Veræ Alchimiæ modus.

Equorum & domeſticorum aliquot animalium remedia, annis 25. collecta.

Chemicorum præcipuorum Volumen, cum præfationibus, & obſcurorum aliquot locorum declarationibus.

Chirurgicus libellus per juſta Capita diſtinctus, Gallicè ſcriptus ante annos 135.

Scriptores, qui Conſilia & Curationes de Sudore Anglico annotârunt.

Thaddæi Florentini & Guilielmi de Brixiâ Conſilia Medica.

Ejusdem Proficiſcentium Medicina.

De tuendâ valetudine in univerſum.

De viribus, uſu & mixtione Aquæ ardentis.

Petri Pomponatii Lib. de cauſis occultorum affectuum, ſeu *de Incantationibus cum Præfat. & Gloſſulis.*

Joh. de Rupeſciſſâ lib. de extractione quintæ eſſentiæ omnium rerum pro uſu medico, quem auxit.

Petri Aponenſis Libell. de Venenis ad manuſcriptum exemplar correctus: cui adjecit multa ejus argumenti utilia.

Theatrum Galenicum Mundellæ completum, & in meliorem ordinem redactum.

De notis Antechriſti.

* *Ex Parte IV. Virorum doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

BASSIANUS LANDUS.

Obiit A.C. 1562.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

P*Lacentinus* patriâ, Philoſophus & Medicus excellens, *Johannis Baptiſtæ Montani*, Med. Profeſſoris in Gymnaſio *Patavino* celeberrimi diſcipulus fuit, ejusque demortui in Cathedrâ Lecturæ ordinariæ Theoricæ Succeſſor. Tandem cum aliquando noctu domum rediiſſet, ante fores ædium ſuarum à ſicario quodam 7. vulneribus impetitus, die ſeptimâ pòſt cum totius Academiæ *Patavinæ* dolore exſpiravit 31. Octob. An. C. 1562. In templo *Eremitanorum* terræ mandatus.

A ſicario confoſſus obiit.

Scripta:

Scripta.

Iatrologia, Dialogi duo ad Herculem Eſtenſem ſecundum Ferrariæ Ducem, quibus continetur Methodus ad cognoſcendos & curandos morbos. Opus, ab eo in juventute compoſitum.

Præfatio in Aphoriſmos Hipp.

Libellus de Vacuatione.

Comment. in Artem parvam Galeni.

De Origine & Causâ Peſtis Patavinæ An. C. 1555.

Liber

Liber Epiphylidum.
Comment. de antiquis Imaginibus.
Ecphraſis de Motu, de Tempore, de Loco, de Incremento, de Naturâ cœleſti.
De Humanâ Hiſtoriâ, vel de ſingularum hominis partium cognitione Lib. II.
Paraphraſis in Libros Ariſtotelis de Animâ.
Annotationes in Terentium.
Orationes Demoſthenis contra Androtionem Latina converſio.

* *Ex Theatro Italico Virorum litteratorum Hieronymi Ghilini.*

Clar. A. C. 1563.

JOHANNES KENTMANNUS.

D*Reſde, Miſniæ* oppido, ſede Electorali Ducum *Sax.* in lucem editus eſt 21. April. A. 1528.

In ſcholis patriis cum doctrinæ fundamenta jeciſſet, naturæ imprimis conſiderationi ſe dedidit.

Patavii per biennium Præceptoribus uſus eſt *Joh. Baptiſtâ, Francazano, Bellocato, Lando,* & *Frizimelica.*

Medicus Torgenſis. Ad ſuos reverſum, Reſp. *Torgenſis* Phyſicum medicum elegit, & ſalario honeſto conduxit.

In metallicorum cognitione tempus non exiguum inſumpſit, & in eâ re mutuam cum *Geſnero* dedit operam, cui omnia ſua communia fecit.

Habuit domi Arcam foſſilium variis pluteis diſtinctam, in quâ fuerunt, Terræ, Succi nativi, lapides, gemmæ, ligna, metalla, &c.

Moritur. Floruit circa annum 1563.

Scripta. Edidit *Nomenclaturam rerum foſſilium.*

Calculorum humanorum genera 12. cum hiſtoriis.

Tractatum Germ. de peſte.

* *Ex Melch. Adami Vitis Medicorum.*

Obiit A. C. 1563.

MATTHÆUS HEUSLERUS.

A *Joachimo Camerario* fratris loco dilectus.

Cum medicinæ totius eſſet peritiſſimus, in unâ tamen illius parte, quam à ſecundis corporibus animantium ἀνατομικὴν appellârunt, perpaucos ſimiles, ſuperiores ſuo tempore in *Germaniâ* nullos habuiſſe videtur. *Anatomico excellens.*

Moritur. Deceſſit *Lipſiæ* An. 1563.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A. C. 1563.

GABRIEL FALLOPIUS.

M*Utinæ* honeſtis parentibus natus eſt An. C. 1490. Ingenii acumine penè Divino & temperamento corporis valido præditus, cùm ad medicam capeſſendam facultatem Simplicium, Anatomiæ, & Aſtrologiæ Artis cognitionem percepiſſet, totam ferè *Europam* peragravit, ut non tantùm abdita Naturæ cognoſceret arcana, & plantarum abſtruſas virtutes, ſed etiam ad cœleſtia penetranda pertingeret: quorum notitiam cum fuiſſet aſſecutus, eandem in morbis curandis fortunato eventu adhibuit. *Medicus & Aſtrologus.*

Ideò vocatus à Republicâ *Venetâ*, in Lyceo *Patavino* Anatomicam artem explicuit, nec multò pòſt, defuncto *Bonafide* A. 1540. Lecturam Simplicium adeptus eſt, Viridarioque à Republicâ *Venetâ* aperto ſummo cum honore præfuit. *Profeſſor Anat. Patavii. Horti Med. præfectus.*

Obiit tandem *Patavii* A. C. 1563. æt. 73. Sepultus in Eccleſiâ S. *Antonii de Padoâ*, cum hâc Inſcriptione: *Moritur.*

Fallopi, hîc tumulo ſolus non conderis, unà
Eſt pariter tecum noſtra ſepulta domus.

Scripta: *Scripta.*

Obſervationes Anatomicæ.
Inſtitutiones Anatomicæ.
De humani corporis Anatomiâ Compendium.
De partibus ſimilaribus.
De Vulneribus Tract. III.
De Ulceribus & Tumoribus præter naturam.
De Cauteriis Tabulæ.
De Morbo Gallico.
De Medicamentorum ſimplicium purgantium remediis.
De luxatis & fractis oſſibus.
De Decoratione.
De parte Medicinæ, quæ Chirurgia nuncupatur.
Methodus conſultandi.
Obſervationes de Venis.
Expoſitio in Librum Gal. de Oſſibus.
De Compoſitione Medicamentorum.
De Medicamentis ſimplicibus.
De Aſparagis.
Tract. de medicatis aquis, & foſſilibus, & Metallis.

* *Ex Elogiis virorum doctorum Philippi Jacobi Tomaſini.*

* * *

Gabriel Fallopius, nobiliſſ. poſt *Veſalium* Anatomicus, *Mutinæ* naſcitur A. C. 1523. Vir ſine controverſiâ magnâ, & major longè futurus, ſi vitam longiorem illi DEUS conceſſiſſet. Annos enim 39. non exceſſit, & plurima tamen ſcripſit. Præceptorem habuit *Montanum.* Docuit *Patavii* Anatomen An. 1551. Sed anteà *Piſis* docuerat An. 1548.

Obiit *Patavii* 7. Id. Oct. A. 1563.

Monumentum illi in æde D. *Antonii* majoris ad ingreſſum poſuerunt.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

* * *

Scribit in libro de Medicamentis ſimplicibus purgantibus, ſe vidiſſe *Ferrariæ* Germanum Scholaſticum, qui in Apothecâ *Apiâ* accipiebat ℥j Scammonii, & non ſolvebatur.

Clar. A. C. 1564.

PETRUS BELLOINUS.

C*Enomanus*, ſive ex *Lombardiâ Lugdunenſi, Galliæ Celticæ* Provinciâ oriundus fuit, Medicus non literis tantùm & præclarâ eruditione nobilis, ſed & peregrinationibus in remotas Orbis partes ſuceptis *Medicus Gall.*

Rerum exoticarum indagator. ptis rerum exoticarum indagator ſolertiſſimus.

Lucubrationes ejus doctorum manibus tritæ proſtant ſequentes:

Scripta. *De Aquatilibus Libri II. cum Iconibus.*

De admirabili operum antiquorum & rerum ſuſcipiendarum præſtantiâ Liber I.

De medicato funere, ſeu cadavere condito, & lugubri defunctorum ejulatione Lib. II.

De medicamentis nonnullis ſervandi cadaveris vim obtinentibus Lib. III.

De Arboribus coniferis, reſiniferis, & aliis nonnullis ſempiternâ fronte virentibus, cum iconibus earum.

De melle Cedrino, Cedriâ, Agarico, Reſinis, & iis, quæ ex coniferis proficiſcuntur.

Obſervationum ſingularium rerum viſarum in Græciâ, Aſiâ, Indiâ, Ægypto, & Arabiâ Libri III. Gallicè excuſi.

Liber Gallicus de Piſcibus marinis, deque Delphino.

* *Ex Vitis Virorum Doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

HUBERTUS FABER.

Clar. A. C. 1564.

IN *Germaniâ* infer. natus eſt honeſto loco An. 1515.

Medicinæ Doctor. In variis Academiis Philoſophiæ & Medicinæ ſtudia conjungens, tantos fecit progreſſus, ut Doctoris nomen adeptus fuerit.

Medicus Pariſienſis. Deindè in Medicorum *Pariſienſium* Collegium cooptatus, ibi literas bonas aliquandiu docuit.

Coloniæ Medicinæ Profeſſor. *Coloniam* reverſus, ibi & medicinam publice docuit, & apud ægros feliciter exercuit.

Collegas habuit *Bernardum Cronenbergium, Joh. Echtium, & Theodorum Birckmannum*, cum quibus juſſu Senatûs Diſpenſatorium uſuale pro Pharmacopœis *Colonienſibus* congeſſit A. 1564.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

JOHANNES MONASTERIENSIS.

Obiit A. C. 1564.

IN album Univerſitatis *Hafnienſis* inſcriptus A. 1542. Rectore M. *Chryſoſtomo*. *Magiſter artium.* Magiſter artium à Decano M. *Boëthio* creatus An. 1545. *Profeſſor Philoſ.* Indè eodem anno Profeſſor factus, dimidium ſtipendii Pædagogici accepit, & docere cœpit.

Sed cum anno 1549. invitis Profeſſoribus Sponſalia neque ſe neque Univerſitate digna celebrâſſet, decrevit Univerſitas communi conſenſu, ut penitùs à Profeſſorum Ordine eſſet ſecluſus.

Ling. Græc. Profeſſor Hafn. Poſteà tamen ad commendationem & mandatum Regiæ Majeſtatis receptus eſt ad Profeſſionem Græcæ Linguæ A. 1554.

Phyſicæ Profeſſor. A. 1557. ſucceſſit D. *Skelderupio* in Profeſſione Phyſices. Decanus fuit Facultatis Philoſophicæ An. 1556. quo 6. Magiſtros *Medicinæ Doctor.* creavit. Titulo tandem Doctoris Medicinæ ornatus, ad docendam eam artem in Academiâ, morbo quodam Epidemio ex*Moritur.* tinctus eſt A. C. 1564.

* *Ex Academ. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

ANDREAS VESALIUS.

Obiit A. C. 1564.

NAtus *Bruxellæ* nobili *Brabantiæ* Urbe, A. 1514. 1. Jan. Filius *Andreæ* Veſalii, Medici apud Imp. *Carolum V.*

Puer adhuc mures, talpas, canes & feles diſſecare, & viſcera rimari avebat, magno omine futuræ Anatomiæ peritiæ, quam ipſe jam intermortuam reſuſcitavit.

Anatomen *Baſileæ*, *Patavii*, & in omnibus penè *Italiæ* Academiis publicè exhibuit. *Anatomicus excellens.*

An. æt. 18. edidit opus admirandum de humani corporis fabricâ.

A *Carolo V.* Imp. & ejus filio *Philippo II. Hiſpan.* Rege Medicus adſcitus eſt. *Medicus Hiſpan.*

Antequam *Baſileâ* diſcederet, An. 1542. Corporis humani ſceletum artificioſè à ſe paratum Academiæ reliquit, quod etiamnum in Medicorum auditorio ibi viſitur.

Aulicæ tandem vitæ pertæſus, viſendæque *Paleſtinæ* religione ductus, unà cum *Jacobo Maloteſtâ*, *Ariminenſi*, terreſtrium copiarum Senetûs *Veneti* Duce, *Cyprum*, indèque *Hieroſolymam* adiit. *Iter ejus in Paleſtinam.* Pòſt *Gabriele Fallopio Patavii* è vivis erepto, à Senatu *Veneto* in denatui locum honorificis oblatis ſtipendiis evocatus, dum *Italiam* verſus adnavigat, tempeſtate in Inſulam *Zacynthium* ejectus, ibiquè morbo correptus, & ope omni deſtitutus, in miſero tuguriolo (vel, ut alii habent, ſub arbore) inter barbaros *Moritur.* è vitâ diſceſſit A. 1564. ætat. 50.

Ab aurifabro, qui fortè paulò pòſt illuc appulit, agnitus, ſepultusque eſt.

Libros edidit:

Anatomiam, vel humani corporis fabricam. *Scripta.* in fol.

Ejusdem Epitomen.

Chirurgiam Magnam, à Proſpero Borgarutio editam, unà cum inſtrumentis Chirurgicis. in 8vo.

Scripſit etiam *Opus Anatomicum*, quo non ſanorum tantùm, & ſecundùm naturam ſe habentium, ſed etiam ex occultis diuturnisque morbis demortuorum corporum diſſectionum Hiſtorias complexus eſt, labore regum theſauris præferendo. Hunc librum in *Hiſpaniâ* latere veriſimile eſt. *Joh. Schenck.* in præf. obſervationum.

5. Julii A. C. 1559. *Henrico II.* Rege *Galliæ* in haſtiludio per oculum vulnerato ad ejus rei famam ſummâ celeritate *Bruxellis Lutetiam* miſſus eſt à *Philippo* Rege *Hiſpan.* ut Socero ope Chirurgicâ ſuccurreret. Sed ſerò nimis venit: icto enim cerebro & abſceſſu inde contracto Rex 10. Julii deceſſit.

* *Ex Melch. Adam. Vitis Medicor. & aliis.*

MELCHIOR FENDIUS.

Obiit A. C. 1564.

NOrlingæ, antiquiſſimo *Rhætorum* oppido, natus eſt A. 1486.

An. 1504. ætat. 18. *Lipſiam* venit, ubi in familiam *Simonis Piſtorii*, Medici celeberrimi, receptus, ejus doctrinâ plurimùm ſe in Phyſicis & Medicis profeciſſe, grato animo ſæpiùs confirmavit.

A. 1513. *Wittenbergam* commigravit. Ibi

Fit Medicinæ Doctor.

Ibi 3. Julii An. 1543. Promotore *Jacobo Milichio*, inſignibus Doctorum Medicinæ ornatus eſt.

Deinde Scholas *Torgæ* & *Plaviæ Variſcorum* feliciter conſtituit.

Profeſſor Witteberg.

Wittenbergam reverſus, docuit ibi annos 40. & initio libros *Ariſtotelis* cum laude enarravit, poſt in Collegium Medicorum cooptatus, omnibus operam ſuam fideliter præſtitit.

Multis ante obitum annis interdiu oculorum uſum, & noctu ſomni beneficium amiſit, & omne illud tempus exegit domi lectionibus ſacris audiendis & precationibus.

Moritur.

Corpore paulatim maraſmo conſumpto, accedente aſthmate ſuffocatus eſt 8. Nov. An. 1564. æt. 78.

Uxor ipſius *Anna* in conjugio tranquillo annis 40. exactis maritum ſecuta eſt An. 1565. æt. 80. Viderunt octo natorum & unius filiæ *Agnetis* funera.

Generum reliquit *Johannem Hermannum*, *Vratislavienſem*, Med. Profeſſorem *Witteb.*

Epitaphium in Æde Parochiali *Witteberg.*

Epitaphium.

MELCHIORI FENDIO, VIRO CLARISS. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI AC PROFESSORI EXIMIO, QUI NATUS IN URBE IMPERIALI RHETIÆ INFERIORIS NORLINGA. VENIT IN HANC ACADEMIAM ANNO CHRISTI M.D.XIII. ATQUE IN EA DOCENDO ET MEDITANDO GLORIAM IMMORTALEM CONSECUTUS VITAM IN TERRIS FINIIT V. IDUS NOVEMBR. AN. SALUTIS NOSTRÆ M.D.LXIV. COMPLETIS ANNIS VITÆ OCTO ET SEPTUAGINTA, SOCERO CHARISS. JOHANN. HERMANNUS PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR ET PROFESSOR, GENER INGENTIUM BENEFICIORUM MEMOR, QUIBUS AB EO AFFECTUS EST, HOC MONUMENTUM OBSERVANTIÆ ERGA BENE MERITUM ET GRATITUD. SUÆ TESTIF. CAUSA P.

* Ex *Vit. Medic. Melch. Adam.* & *Inſcriptionibus Witteberg. Andreæ Sennerti.*

Obiit A.C. 1565.

BURCHARDUS MITHOBIUS.

Mathematum & Medicinæ ſtudiis deditus.

HAmburgum inferioris *Saxoniæ* ad *Albim* urbem inſignem patriam habuit, qui cum morum ſuavitate, affabilitate, & literarum eruditione præditus eſſet eximiâ, Mathematum imprimis & Medicinæ ſtudioſiſſimus, cum quo & ſummum in eâ conſecutus ἀξίωμα ſub ipſa Academiæ primordia inter reliquos ejusdem Proceres uſum, ſcientiam, ſtudium ad mathematicas diſciplinas explicandas contulit, Decanique imprimis munus anno 1533. ſuſtinuit.

Matheſin tractavit. *Decani munus ſuſtinuit.*

Medicinam docuit. *Medicinæ Doctor creatur.*

Poſteà ab his quidem ſtudiis ad medicam artem defluxit, eo ſanè progreſſu, ut anno 1535. hominis verus, juſtus atque honeſtus labor, quem iſthâc in re poſuerat, ſolitis honoribus, prœmiis atque ſplendore decoraretur.

De cœtero ſpecimen etiam induſtriæ in ſectione publicâ, quam anno 1536. obivit, iſthic primus edidit luculentiſſimum.

Archiater Landgravii Caſſellis factus.

Poſteà Archiater *Landgravii* factus *Caſſellis*, medicinam cum laude fecit aliquot annis.

Moritur.

Mündam indè, quod oppidum eſt *Brunoniæ* ad Confluentes *Fuldæ* ac *Werrbæ*, in aulam vocatus inibi, vitam cum morte commutavit die 16. Auguſti anno 1565. relicto filio *Hectore* ſtudiorum paternorum æmulo, & apud *Hannoveranos* Mathematico & Medico præſtantiſſimo.

Scripta:

Scripta.

Stereometria, ars, certas dimenſiones corporum ratione mathematicâ ac ſtereometricâ virgâ cum dimenſore, æquatorioq; deſuper affabrè confectis docens.

Annuli Aſtronomici compoſitio.

Libellus germanicus de maximæ virtutis fonte in Spielberg.

* Ex *Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1565.

CONRADUS GESNERUS.

TIguri, celebri *Helvetiæ* urbe, natus eſt An. 1516.

Pater ei fuit *Urſus Gesnerus*, pellio, Mater *Barbara Friccia*, ambo parvis opibus, ſed honeſtæ famæ.

In Scholâ patriâ Præceptores habuit *Thomam Platnerum*, *Theodorum Bibliandrum*, qui poſteà *Tiguri* Sacras literas docuit, *Oswaldum Myconium*, Theologum poſteà *Baſilienſem*, & *Petrum Daſypodium*, qui *Argentorati* deindè literas Græcas docuit.

Cum in puero *Gesnero* præclara indoles appareret, & pater, qui plures liberos habebat, eum ſtudiis dicare non poſſet, *Joh. Jacobus Ammianus*, Oratoriæ in Scholâ *Tig.* Profeſſor in domum ſuam recepit, & per triennium fovit atque inſtituit.

A. 1531. Pater ejus in prælio non procul à *Tugio* commiſſo cæſus eſt. Ipſe verò hydrope affectus, ſanitate vix recuperatâ, cum domi ſe Mecœnatem adipiſci poſſe deſperaret, *Argentoratum* deſcendit, & ibi aliquot menſibus *Wolffg. Fabritio Capitoni* inſervivit, apud quem in linguâ Hebræâ mediocriter profecit.

Argentorati literis incumbit.

Indè in patriam reverſus, publico ſtipendio auctus eſt, & in *Galliam* miſſus unà cum *Johanne Friſio*, quem poſteà ſemper fratris loco habuit. *Biturigas* ergò profectus, per annum Pædagogum illic egit. Mox *Lutetiam Pariſ.* ſe contulit, ubi tantos, quantos oportebat, ſtudiorum progreſſus non fecit adoleſcens, tunc ſtudiorum amœnitate captus, omnia autorum genera pervolitans, & ſcopi certi ignarus.

Uxorem duxit.

Ex *Galliâ Argentoratum* rediit, indè in patriam revocatus, uxorem duxit An. 1536. ætatis 20.

Pueros Grammaticam docet.

Tum in Scholâ pueros Grammaticam aliquamdiu docuit, domi verò per otium medi-

medicorum libris operam dedit. Avunculum autem habuit *Johannem Fricium*, Sacerdotem, qui tunc nepotem ſuum à pueris in herbarum cognitione inſtituit.

Paulò poſt *Baſileam* eodem, quod domi habebat, ſtipendio miſſus, ſtudium ibi rei medicæ feliciter continuavit, & ſimul in linguâ Græcâ ſe exercuit.

Lauſannæ literas Græcas profitetur. Anno ſeq. *Lauſannam* vocatus in ſcholam Reipublicæ *Bernenſis* tunc inſtitutam, in eâ triennium literas Græcas profeſſus eſt, & plus otii nactus, diligentius medicinæ operam dedit, edens Catalogum plantarum, Hiſtoriam plantarum enchiridii formâ, delectum ſimplicium medicaminum &c.

Triennio elapſo *Monspelium*, urbem ſtudio medicinæ totâ *Galliâ* celeberrimam, profectus eſt.

Sed cum ibi neminem ex Medicis reperiret, qui ſe domi hoſpitem recipere vellet, brevi pòſt *Baſileam* reverſus, ubi cum aliquo tempore Medicos audiviſſet *Albanum Torinum* & *Sebaſtianum Singlerum*, medicinæ Doctor creatus, paulò pòſt in patriam rediit. *Medicinæ Doctor.*

Tiguri medicinam docet. Ex illo deinceps tempore *Tiguri* medicinam fecit, & Philoſopiam publico ſtipendio docuit annis 24. Phyſicam imprimis & Ethicam explicans.

Tum primùm edidit *Hiſtoriam animalium*, cujus gratiâ 250. authores Græcos & Latinos, qui de animalibus aliquid ſcripſerunt, legit, *Venetiis* piſcium depingendorum gratiâ menſem unum manſit, à civibus, venatoribus, piſcatoribus, aucupibus, paſtoribus multa ſubindè interrogando collegit, & in diverſis *Europæ* regionibus multos ſibi comparavit amicos, qui animantium omnis generis effigies ad vivum repræſentatas liberaliter illi communicârunt.

Multum quoq; temporis & operæ plantarum cognitioni impendit, cujus causâ, *Lauſannæ* cum eſſet, *Sabaudiæ* montes pererravit, *Baſileæ Rheni* ripas, *Tiguri* autem quotannis *Alpes* perluſtravit.

Itaque cum diligentiâ propriâ, tum amicorum ſtudiis collegit plures quàm 500. plantas, quarum deſcriptiones apud nullum veterum extant: jamque ſe operi accinxerat, ut quæ 30. annis maximo labore collegerat, in lucem ederet, cum morte ereptus opus abſolvere non potuit. Extremo tamen decumbens morbo, figuras plantarum plurimas ligno inſculptas cum deſcriptoribus *Caſparo Wolffio* teſtamento legavit, eique operis editionem commiſit.

13. Dec. 1565. an. ætat. 49. Cum *Tiguri* peſte graſſante eâ correptus, carbunculo in latere ſiniſtro orto, in quintum diem decubuiſſet, & paulò ante in ſomnis ſe à ſerpente morderi viſus eſſet, in Muſæo ſuo inter manus & preces uxoris leniter exſpiravit. *Moritur.*

Sepultus in Templo ſuperiori juxta *Joh. Friſium*, amicum veterem, qui anno præcedente obiit.

In ejus locum Senatûs decreto ſubrogati ſunt Cl. Medici, *Georgius Cellarius* & *Caſp. Wolfius.*

Mortuum oratione funebri laudavit *Joſias Simlerus.*

Ipſe quidem ſine liberis obiit, ſed ex *Andreâ Geſnero*, patruo, Senatore, reliquit liberos, nepotes, & pronepotes 135.

Summa fuit in illo humanitas, integritas, & verecundia, qui obſcœnum aliquid ne legere quidem ſuſtineret, quod teſtatur *Martialis* ab ipſo caſtratus. *Ejus virtutes.*

Patebat domus ejus omnibus peregrinis, quorum plures ad illum quotidiè confluebant, ut vel noſcerent illum, vel aliquid rarum viderent, cum omnium ferè animalium peregrinorum cadavera, vel effigies ad vivum expreſſas haberet, gemmarum quoque, metallorum & foſſilium theſaurum ingentem.

Statuerat omnem *animalium Hiſtoriam 6. libris* complecti, quorum 4. ſunt editi, *de Animalibus quadrupedibus viviparis*, *de quadrupedibus oviparis*, *de avibus*, & *de piſcibus* ac *aquatilibus*: his additurus erat quintum *de ſerpentibus*, & ſextum de *inſectis*.

Edidit prætereà: *Libellum de lacte, & operibus lactariis.* *Scripta.*

Ambroſii Calepini Dictionarium.

Lexicon Græco-Latinum.

Bibliothecam Univerſalem, ſeu *Catalogum omnium ſcriptorum in linguis Latinâ, Græcâ, & Hebræâ usq; ad annum 1565.*

Epiſtolarum medicinalium libros III.

Medicamentorum purgantium enumerationem, ordine alphabetico.

Theſaurum Evonymi Philiatri, de remediis ſecretis.

Catalogum Plantarum, Latinè, Græcè, Germanicè & Italicè.

De thermis & fontibus medicatis Helvetiæ & Germaniæ.

Deſcriptionem montis fracti, ſive Pilati vulgò dicti, juxta Lucernam.

Libellos tres medicinales, de ſanitate tuendâ, contra luxum conviviorum, & contra notas Aſtrologicas Ephemeridum in venis ſecandis.

Novum diſpenſatorium, hoc eſt, *examen omnium Catapotiorum.*

De herbis Lunariis commentariolum.

De foſſilibus, gemmis, lapidibus, metallis, &c.

Cum *Hiſtoriam Aquatilium* Imp. *Ferdinando* inſcripſiſſet, id tam gratum ipſi fuit, ut *Geſnerum* in Comitiis *Auguſtanis* alloquio ſuo dignatus, & inſignibus remuneratus ſit, in quibus Leo, Aquila, Baſiliſcus, & Delphinus cum coronâ in capite exprimuntur, principes nimirum in omni animalium genere.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

WOLFFGANGUS LAZIUS.

Obiit A. C. 1565.

Natus *Viennæ Auſtriæ*, 21. Oct. A. 1514. Patre *Simone*, Med. Doctore, Medicus, Philoſophus, Hiſtoricus, & Antiquitatis Indagator, à *Ferdinando I.* Imp. in Conſilium & Ordinem equeſtrem allectus.

Profeſſor fuit in Academiâ patriâ, primùm artium liberalium, deindè medicinæ per 19. annos continuos. *Profeſſor Medicinæ Viennæ.*

Uno

Uno aliquando itinere ultra 200. milliaria emenſus, omnes hiſtoricos vetuſtos in Cœnobiis *Auſtriæ*, vicinisque provinciis inveſtigavit & excuſſit.

Moritur. Obiit in patriâ A. 1565. ætat. 51.

Libri ab eo editi ſunt ſequentes:

Scripta. *Commentarii Reipublicæ Romanæ in exteris provinciis conſtitutæ.*

Chronographia Pannoniæ.

Genealogia Auſtriaca.

De rebus fortiter geſtis à Ferdinando Rom. Rege.

Alvearium antiquitatis, ſeu Imagines & numiſmata antiqua.

Commentarius rerum Græcarum.

Deſcriptio Hungariæ.

Conjuratio Smalkaldenſis.

Liber Solennitatum trium Coronationum Imp. Maximiliani II.

De aliquot gentium migrationibus, ſedibus fixis, & linguarum dialectis lib. XII.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

LEONHARDUS FUCHSIUS.

Obiit A. C. 1565.

NAtus *Wembdingæ*, *Rhetiæ* oppido, An. 1501. 17. Jan. Patre *Johanne*, mortuo An. 1506. Matre *Annâ*, è *Dentenorum* familiâ.

An. 1513. cum in ſcholâ *Hailbrunnenſi* annum verſatus eſſet, *Erfordiam* miſſus, ibi in ludo ad D. *Mariam* virginem multum profecit, ut poſt ſesquiannum Baccalaureus creatus ſit.

Docet in patriâ. In patriam reverſus, ludum aperuit, in quo ſesquianno docuit.

A. 1519. *Ingolſtadium* profectus eſt, & Philoſophiæ ſtudiis ſe totum addixit, præ cæteris docentes audiens *Joh. Capnionem* & *Jacob. Coporinum.* Cum *Lutheri* libros legiſſet, pontificum præſtigias animadvertere, & veritatem Evangelii cœpit agnoſcere. Deindè medicinæ dedit operam.

Fit M. Philoſophiæ & D. Medicinæ Ingolſt. A. 1521. Magiſter Philoſoph. & D. Medicinæ *Ingolſtadii* creatus, quam ibidem publicè profeſſus eſt biennii ſpatio.

Monaci artem medicam exercet. A. 1524. *Monacum, Bavariæ* Urbem, commigravit, ubi feliciter artem medicam exercuit, & primam uxorem duxit *Annam Fridpergeram*, ex quâ 4. filios & 6. filias ſuſcepit. Hæc ipſi jam ſeni erepta eſt A. 1563. Seq. anno alteram uxorem duxit viduam Paſtoris in *Salinis Suevicis.*

An. 1526. *Ingolſtadium* rediit.

Medicus Brandeburg. A. 1528. *Onolsbachii* medicam artem exercens, *Marchionum Brandeburgenſium* Archiater factus.

Tubingæ Medicinæ Profeſſor. An. 1535. Tandem *Tubingam* vocatus, medicinam publicè docuit, Anatomiam exercuit ad finem vitæ.

Moritur. A. 1565. 10. Maji obiit, ætatis 65.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

HENRICUS MüNZINGERUS.

Clar. A. C. 1565.

B*Aſileæ* natus eſt An. 1522.

Prima literarum fundamenta ſub *Xyſto Betuleio* Præceptore poſuit. Cum religio *Baſileæ* mutaretur, de magiſtratûs conſilio cum aliis civium quibusdam liberis in Cœnobium *Dominicanorum* receptus, decennium ibi tranſegit, inſtitutione felici uſus *Simonis Sultzeri*, & poſt eum *Sebaſtiani Lepuſculi.*

Poſteà animum ad medicinæ ſtudium adjecit.

Philoſophiæ Magiſter. A. 1544. Philoſophiæ in patriâ Magiſter eſt ſalutatus, & ad tempus in ſcholâ *Petrinâ* juventuti erudiendæ præfectus.

Iter inſtituit in Galliam, Tum D.D. *Fuggeris* ſtudiorum Mecœnatibus commendatus, eorum ſumtibus in *Galliam* miſſus, tres ibi annos diſcendo conſumpſit.

& Italiam. Doctor Medicinæ. Indè in *Italiam* progreſſus, *Piſis* Medicinæ Doctor renuntiatus eſt, & poſteà ſesquiannum *Florentiæ* medicinam factitavit.

Medicus Auguſtanus. An. 1551. *Auguſtam* ad *Fuggeros* Mecœnates reverſus, ibi aliquot annis civibus in re medicâ profuit, & A. 1555. ab Imp. *Carolo V.* inter Curiæ ſuæ nobiles fuit cooptatus.

Eyſtettenſis. A. 1559. Ab Epiſcopo *Eyſtettenſi* evocatus, ut in ditione ſuâ Medicum ageret, quamdiu vixerit, ibi non conſtat.

Vixiſſe eum adhuc A. 1565. *Henricus Pantaleon* autor eſt.

Fuit etiam alius Medicus *Henricus Mynſinger*, *Eberharti*, Ducis *Würtenbergici* Medicus, *Marquarti Fröeri à Weiſſach*, Medici *Dünckelſpülenſis* coætaneus, qui cum Principe ſuo in Terram Sanctam iter fecit An. C. 1468.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

JOHANNES LANGIUS.

Obiit A. C. 1565.

NAtus *Leobergæ*, *Sileſiæ* civitate, ex familiâ Medicorum plurium ferace.

Philoſophiæ Magiſter. Magiſter Philoſophiæ creatus *Lipſiæ* à Conſobrino ſuo *Petro Wirtho*, Collegii Philoſophici Decano A. 1514.

Profeſſor. Ibi *Procli Sphæram*, & *Plinium*, quem delicias ſuas appellavit, in frequenti auditorum conſeſſu publicè interpretatus eſt, inter alios auditores *Joachimum Camerarium* habens.

A. 1518. Ibidem Rectoratum laudabiliter ſuſtinuit.

Bononiæ medicinæ operam dans, Præceptorem habuit *Ludovicum de Leonibus.* In linguâ verò Græcâ Præceptore uſus eſt *Petro Æginetâ.*

Fit Doctor Medicinæ. *Piſis Hetruriæ* ſummum Doctoræ gradum conſecutus eſt A. 1522.

Audivit etiam in *Italiâ* docentem *Nicol. Leonicenum*, *Dioſcoridis* illuſtratorem, qui annum ætatis attigit 96. cum amplius 60. annos *Ferrariæ* docuiſſet. Hic edidit librum, in quo omnibus ægris vitam reſtitui poſſe docuit.

Archiater Princip. Heidelb. In patriam reverſus, *Heidelbergæ* medicinam cum laude fecit, poſtquam factus eſſet Electorum *Palatinorum IV.* Archiatrus, *Ludovici*, *Friderici II.* *Ottonis*, *Henrici*, & *Friderici III.*

Fridericum II. 37. amplius annis comitatus *Hiſpaniam, Italiam, Galliam*, & majorem *Europæ* partem peragravit. An. 1526. cum eo *Granatam* in *Hiſpaniam* migravit.

Otto Henricus huic A. 1556. defuncto ſuccedens, *Langium* in Conſiliarium legit, & propter ætatem emeritum rude donavit.

Moritur. Obiit *Heidelbergæ* A. 1565. 21 Jun. æt. 80.

Edidit *Epiſtolarum medicinalium opus Miſcellaneum.*

Compendiarium curandæ peſtis methodum.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A. C. 1566.

GUILIELMUS RONDELETIUS.

Patrem habuit *Johannem Rondeletium*, civem *Monſpelienſem*, & Mercatorem Aromatarium, Matrem *Renaldam de Moncello.* Natus eſt *Monſpelii* 27. Sept. An. C. 1507. Ex iisdem parentibus fratres habuit quinque, *Albertum, Johannem, Claudium, Johannem* alterum & *Gaſparem*: ſorores duas, *Johannam* & *Margaretam.* *Filius Aromatarii.*

Pater eo adhuc puero è vivis diſceſſit, hujus & juniorum curâ relictâ *Alberto*, majori natu & Hæredi, mercaturæ paternæ addicto.

Patrem *Guilielmum* religioni Canonicorum, quos Regulares vocant, *Magnelonæ* deſtinârat. Sed Patris vota fefellit: nam à fratre *Alberto* liberaliter educatus, animum ad medicinam appulit, ita favente ſtudiis fratre, ut ſumptus ad gradum Doctoris adipiſcendum ſponte ſuppeditaret.

Lutetiam diſcendi causâ petiit An. 1525. ætatis 18. ubi cum aliquantum in medicinâ profeciſſet, in *Provinciam* ſe contulit, & praxeos exercendæ gratiâ *Pertuſium, Cataloniæ* urbem, inhabitavit, ibique propter victûs inopiam Pædagogiam exercuit. *Pædagogus Pertuſii.*

Aliquanto pòſt tempore *Lutetiam* reverſus, ut Græcas literas perdiſceret, & quia pecuniis deſtituebatur erudiendum ſuſcepit filium Vice-Comitis *Turonenſis.*

Habitavit tunc cum *Johanne Guinterio Andernaco*, quo cum Anatomiæ ſtudioſis operam dare cœpit. Indè ad *Arvernos* profectus, *Claremontii* majore quæſtu medicinam factitavit, & reverſus *Monſpelium*, An. 1537. Doctorali laureâ inſignitus eſt. *Joh. Guint. Andernaci in Anat. diſcipulus. Medicinæ Doctor Monſpel.*

Tunc defuncto jam fratre, uxorem duxit *Johannam Sandram*, raræ formæ puellam. *Maritus.*

Quadriennium cum eâ moratus, apud ſororem ejus *Catharinam Sandram*, cum dos malè ſolveretur, *Venetias* abire conſtituit ad *Guilielmum Pelicerium*, Epiſcopum *Monſpelienſem*, qui tunc Regiam Legationem illic obtinebat.

Sed *Catharina* jam vidua diſceſſum læviri ægrè ferens, dimidiam partem bonorum ei donavit, cum ſpe reliquorum, ut eum apud ſe ſororemque retineret.

Atque in hunc modum locupletatus in patriâ manſit, & eruditionem ſuam publicè teſtatam facere conatus eſt. Itaque crebrò ad ſcholas ventilando, ſectionesque adminiſtrando ſibi tantum nominis acquiſivit, ut *Petro Laurentio* in Profeſſionem Regiam ſucceſſerit A. 1545. *Profeſſor Reg.*

Cum *Franciſco Turnonio*, Cardinali, profectus *Antverpiam*, occaſionem cœpit inveſtigandi naturas piſcium, cujus rei gratiâ *Burdigalam* quoque & *Baionam* acceſſit. *Indagator naturæ piſcium.*

An. 1549. cum eodem Cardinali *Romam* profectus, dum creandus eſſet Papa *Julius III.* viris celeb. *Johanni Argenterio, Lucæ Chino, Cæſari Odo, Antonio Muſæ Braſſavolo,* & *Joh. Baptiſtæ Montano* innotuit.

Cardinalis is jam ſæpius etiam in ancipiti morbo felicem ejus operam expertus, ei quandiu viveret, & domi manenti ſtipendium 200. librarum conſtituit. *Monſpelii* hortatu potiſſimùm ipſius *Theatrum Anatomicum* Rex ædificari curavit, in cujus frontiſpicio hæc exſculpta viſuntur, unà cum eorum Inſigniis affabrè factis: *Medicus ord. Cardinalis Franc. Turnonii. Theatri Anat. Monſpel. fundator.*

CURANTIBUS JOANNE SCHYRONIO, ANTONIO SAPORTA, GUILIELMO RONDELETIO, I. BOCATIO, ANNO CIↃ IↃ LVI.

Eodem anno 1556. cum deceſſiſſet *Johannes Schyronius*, Academiæ *Monſpelienſis* Cancellarius, in ejus locum ſuffectus eſt, quod munus obivit usque ad A. C. 1566. Eo enim anno, 29. die Julii, apud Regalem montem Helviorum (Albigeos vocant hodiè) cum *Tholoſa* rediret, diem ſuum obiit, an. ætatis 59. *Cancellarius Acad. Monſpel. Moritur.*

Vitam ejus copiosè deſcripſit *Laurent. Jobertus*, à quo ſeqq. Scripta ejusdem celebrantur: *Scripta.*

Medicina Practica.
De impedimentis generationis.
De affectibus, gravidæ, Parturientis, & Puerperæ.
De affectibus infantium & puerorum.
De morbis Hæreditariis.
De Febribus.
De Lue Venereâ.
De Fucis.
Anatome.
Chirurgia.
Agriculturâ.
Dialecticâ.
De paratu facilibus.
Pharmacopolarum Officina.
De compoſitione medicamentorum.
De ponderibus medicamentorum.
Tract. quos, quando, quibus purgare conveniat.
Comment. in aliquot Hipp. Aphoriſmos.
in Ariſtotelis lib. de miſtione, & miſcibilibus.
in aliquot capita Lib. I. Dioſcoridis.
in Galeni Artem parvam.
in Lib. de conſtitutione medicinæ.
in introductorium medicinæ.
in Lib. de temperamentis, & de locis affectis.
Apologia ad Gorrhæum, & ad Cardanum.
Comment. in aliquot Davidis Pſalmos.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani, & ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

LAU-

Obiit A.C. 1566.

LAURENTIUS HIELIUS.

VEſaliæ in Belgio natus.

In medicâ facultate obtinuit Lauream primam *Roſtochii* An. 1555. Alteram *Jenæ* A. 1560. Diſputatione inaugurali de *Morbo Gallico* prius habitâ. Ibidem Profeſſorum Medicorum adſcriptus eſt Ordini A. 1559.

Medicinæ Prof. ſſor Jenenſis.

Moritur peſte cum familiâ.

Peſte tandem correptus, vitam finiit *Jenæ* 16. Sept. A.C. 1566. Unà cum Uxore *Gertrude, Petri Schröteri,* Conſulis *Vinarienſis* filiâ, filioloque, & domeſticis nonnullis. Ejus memoriam commendat *Epitome Hiſtoriæ Animalium quadrupedum*, publici juris & uſus ab ipſo facta.

* Ex Nomenclatore Profeſſ. *Jenenſ. Adriani Bayeri*, qui hoc ei diſtichon adſcripſit:

Dum Medicina Sacram Laurenti, lauream Hieli:
Heu! Cypariſſum offert mox Libitina tibi.
Utraq; perpetuò viridantia germina geſtat:
Sic tua poſt cineres gloria lauſq; viret.

Clar. A.C. 1567.

MAURITIUS THAURERUS.

COmitum valle oriundus *Thuringus*, in *Salanâ* Doctor Med. creatus 25. Febr. An. 1561. inque eâ inter Medicos Aſſeſſores A. 1562. cooptatus, *Jena* in aulam *Caſſellanam* vocatus, Principis *Philippi, Haſſiæ Landgravii* A. C. 1567. die ſecundo Paſchatos defuncti curam geſſit fideliſſimam.

Aſſeſſor Facult. Med. Jen.

Archiater Haſ.

* Ex Nomenclatore Profeſſ. *Jen. M. Adriani Beyeri*, qui hoc Epigramma appoſuit:

Epigramma.

In Gräfenthalâ ſatus eſt Mauritius urbe
Thaurerus, Medici ſtella coruſca poli.
Ornatus Jenæ titulo Doctoris, honore
Caſſellis Phyſici functus & officio.

Obiit A.C. 1567.

VIDUS VIDIUS.

Archiater Reg.

Medicinæ Profeſſor Pariſ.

HUnc *Florentinum Franciſcus I.* Rex *Gallorum*, ille felicium ingeniorum æſtimator æquiſſimus valetudini ſuæ præfecit, & *Lutetiæ Pariſiorum* primo loco docere medicinam voluit, cum neminem magis idoneum judicaret, qui cum ſummis viris, quos undique exciverat, Academiam ſenio effœtam doctrinæ ſuæ famâ reſtauraret.

Verùm A. 1547. cum maximus ille omnis eruditionis Patronus fato conceſſiſſet, à Magnanimo Duce *Medicéo* revocatus in patriam rediit, ſed opulentis admodùm & opimis ſacerdotiis auctus, quæ effuſâ Regis *Franciſci* liberalitate poſſidebat.

Medicinæ Profeſſor Piſis.

Moritur.

Ergò redux ampliſſimo honorario *Piſis* medicinam docuit, & per 20. annos illius Gymnaſii decus ſuſtinuit, vitâ defunctus A. C. 1567.

Edidit:

Scripta.

Chirurgiam è Græco in Latinum à ſe converſam, cum Galeni & ſuis Commentariis, in quibus continentur *Commentarii in libros Hipp. de Ulceribus, de Fiſtulis, de Vulneribus capitis, de Fracturis, de Articulis: Galeni liber de Faſciis, Oribaſius de laqueis & machinamentis.*

Vidus Vidius autem ejus ex fratre nepos, collegit *primam & ſecundam partem Methodi generalis.*

* *Ex Vitis Medicorum illuſtrium Petri Caſtellani.*

Obiit A.C. 1567.

GILBERTUS PHILARETUS.

Medicus & Canonicus.

LImburgenſis, Medicus celeberrimus, Canonicus *Leodici* in D. *Pauli*, gratus *Georgio ab Auſtriâ, Roberto Bergano*, & *Gerardo Grosbeckio Leodicenſium* Epiſcopis.

Moritur.

Fratrem habuit *Remaclum*, Medicum quoque illuſtrem. Natalem complevit diem 6. Id. Febr. A.C. 1567. Sepultus in S. *Annæ* Monialium *Haſſelenſium* Cœnobio, quod eſt *Leodici* intra *Paulini* Canonicorum Collegii ſepta.

Scripta:

Scripta.

Commentar. de Fontibus Ardennæ, & potiſſimùm Spadanis.

Conciliatio Avicennæ cum Hippocrate & Galeno.

Controverſiæ medicæ.

Gerocomice, hoc eſt, Modus & ratio ſenes rectè educandi.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1568.

OSWALDUS BERUS.

NAtus A. 1482.

An. 1529. *Argentorati* Scholæ *Carmelitanæ* gubernacula ipſi commendata ſunt.

Argentorati in ſcholâ docet.

Ibi, dum ſpartam ſuam ornare conatus eſt, contraxit in Volumen, quicquid præcipuum offendit in autoribus de juventute inſtituendâ.

Argentorato Baſiléam venit, & in medicinâ faciendâ nomen præclarum ſibi acquiſivit.

Baſileæ medicinam exercet.

Ibidem rebus humanis exemptus eſt An. 1568. ætatis 80.

Moritur.

* *Ex vitis Medicorum Melch. Adami.*

Clar. A.C. 1568.

JOBUS FINCELIUS.

VInariâ Thuringus, Doctoratum impetravit, cum Philoſophicum in *Albanâ* An. C. 1549. tum Medicum in *Salanâ* An. 1562.

Jenæ Med. Doctor, & Facultat. Med. Aſſeſſor.

Medicus Vinariæ.

Poliater Cygneæ.

Scripta.

Intereà in hâc cooptatus, inter Facultatis Philoſophicæ Profeſſores An. 1559. jam medicæ Aſſeſſores A. 1562. Brevi ad Phyſicatum in patriâ obeundum evocatus, *Salanis* valedixit Muſis, & tandem A. 1568. *Zwiccaviam*, olim *Cygnæam* dictam abiit, & Poliatri munere aliquandiu functus, piè placidèque obiit. *Mirabilium ſuo tempore fuit Corrector & Epitomator curioſus.*

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſ. M. Adriani*, qui hoc adſcripſit Epigramma:

In Sophicis Albana tibi, Medicisq; Salana
O Job Fincelî, contribuere gradum.
Jena Profeſſorem Sophiæ, mox patria dixit
Oenagore Phyſicum, Zwicca deindè ſuum.

Obiit A.C. 1568.

VICTOR TRINCAVELLIUS.

Nobilis Venetus.

EX familiâ inter *Venetos* cives clarâ Parentibus nobilibus ortus domui ſuæ, urbi, orbique univerſo plurimùm profuit: ſiquidem is unus Philoſophiam ac Medicinam barbarie deturpatas, è Græcis fontibus eruere ſemper ſtuduit: quod præſtare facilè potuit, cum humanioribus ſtudiis in Latinâ Græcâque plurimùm inſudaverit Linguâ, Paterque nulli pepercerit ſumptui, ut cupido bonarum literarum filio obſequeretur.

Medicinæ reſtaurator.

Patavii Philoſ. ſtudioſus.

Juvenis *Patavium* ſe conferens, Dialecticam primò adiit facultatem, & brevi diſputationibus theorematibusque diſcutiendis publicè ac privatim agens, omnibus admirationi fuit.

Bononiæ ſeptennio ſtud.

Majoris verò nominis occaſione *Bononiam* ſe contulit, ubi ſeptennio commoratus, plus olei quàm vini conſumpſit. Undè brevi Præceptoribus ſuis chariſſimus evaſit, qui minimè erubeſcebant, ſæpiùs ipſum in rerum difficultatibus conſulere, petentes, ut locis Scriptorum tenebroſis lucidioribus interpretationibus ſuis opem ferret: quapropter nominis excellentiâ Græcus ſæpè appellatus fuit.

Græcus appellatus.

Philoſophiam autem medicinæ ita ſemper conjunxit, ut expulsâ veteri barbarie, recentis *Græciæ* odor fragrans ſuis undique vigiliis redoleret.

Venetiis Medicinæ Doctor.

Sic relictâ *Bononiæ* nominis famâ, tandem in patriâ ob doctoratûs inſignia petenda reverſus, iis meritò ab eâ civitate receptis, in quâ natus & educatus erat, patriis voluit felicius ornamentis quieſcere, quàm externis glorioſius decorari.

& Philoſ. Profeſſor.

Non multò pòſt loco Clariſſimi *Sebaſtiani Foſcareni Venetiis* publicè Philoſophiam profiteri à Senatoribus coactus fuit: in quo munere non ſolùm communem ſuperavit expectationem, ſed Philoſophorum ſui temporis gloriam non parùm obſcuravit.

Medicus Pract. Murani.

Famâ tunc illius vagante, dum artem quoque medicam fauſtè exerceret, non parvo ſtipendio accerſitus fuit à Ducatûs *Veneti* Civitate *Murani*, ex inſulis *Venetiarum* templis, ædibus, viridariis, piſcandi arte vitrique opificio celebri, in quam, veluti in locum apprimè ſtudiis ſuis opportunum, libenter ſe contulit: tantaque illius crevit in immenſum fama ex operibus & conſiliis ibi elaborantis, ut illum tota *Venetiarum* urbs cœperit admirari & expetere.

Venetias revocatus.

Quare commota Civitas, non permanſit amplius extra urbem Medicum doctiſſimum tantâ cum jacturâ manere, ſed in utilitatem publicam cum precibus ad proprios lares revocavit.

Porrò cum magnâ ſui nominis dignitate extra urbem ſe geſſiſſet, artem medicam exercendo, cœpit poſteà *Venetiis* conſilio & opere adeò ſe ipſum extollere, ut brevi magnos inter Medicos Urbis viſus ſit.

Fuit etiam omnibus *Veneti* Medicorum Collegii dignitatibus exornatus, cujus etiam Orator ſæpius ad Senatores fuit, ſtatutorumque ejuſdem Collegii ac immunitatum acerrimus defenſor: ideò licuit illi tandem cum Senatoribus, Principe ſic jubente, inter publicas ſedere ſedes. Præterea vigiliis & laboribus ſuis ad eam nominis celebritatem pervenit, ut in totâ *Italiâ* maximus Philoſophus & Medicus haberetur, ad quem omnes tanquàm ad *Apollinem* undique confluebant.

Inter Senatores ſedere juſſus.

Medicus totâ Italiâ ſummus.

Mortuo verò *Joh. Baptiſtâ Montano* An. 1551. cum vacâſſet per plures annos primarius ille locus Practicæ in Academiâ *Patavinâ*, propterèaque illi Cathedræ Medicinæ Profeſſor idoneus deſideraretur, *Venetiarum* civitas, quæ inter alias bonum publicum ſemper excoluit, & cœteris rebus omnibus antepoſuit, ut ſatisfaceret utilitati ſtudentium, ſuo voluit *Hippocrate* denudari.

Patavii Med. Practicæ ſupremo loco Profeſſor.

Annum ſic agens 59. arduam alioquin provinciam ſuſcipere coactus eſt *Patavinæ* Lectionis in ſupremo loco Practicæ, quo functus eſt munere tertium ſupra decimum annum, relictis magnis Civitatis lucris, quæ 3000. aureorum excedebant. Hoc tempore legendo, conſulendo, & ſcribendo multa nomine ſuo digna reliquit.

Ad culmen igitur gloriæ cum aſcendiſſet, ob varios Magnates multas perpeſſus eſt peregrinationes, multasque excurſiones in patriam pro Senatoribus ſuis, curandis eorum ægritudinibus ſuſtinuit.

Juſſu poſtremò Principis ac Senatorum decreto extra Civitatem miſſus eſt in *Forum Julii*, ut opem ferret Dom. *Andreæ Pegel*, Cæſareæ Majeſtatis Commiſſario, qui *Utini* magnâ ægritudine detinebatur, de quâ parùm aut nihil ſperabant Medici.

Sic ſenio confectus civis fideliſſimus, magis alienæ quàm propriæ ſaluti in ſervitium patriæ conſulens, libenter omne periculum ſubiit, brevique reſtituto priſtinæ valetudini ægro, febre ipſe poſteà ex incommodo correptus, & diem ultimum prævidens, *Venetias* rediit, ibique ſenectute ac laboribus publicis defatigatus, feliciter obiit circa An. C. 1568. ætatis 72. Defunctum Concione funebri publicè apud *Crucigeros* laudavit *Dominicus Caſtellus*.

Utini febre correptus.

Obiit Venetiis.

Præter fratrem *Vincentium*, duos reliquit filios, *Franciſcum*, J.C. fultum celeberrimum, & *Bernhardum*, literis etiam excultum.

Ingenii monumenta reliquit:

Murani:

Scripta.

Themiſtium Hermolai Barbari Scholiis illuſtratum.

Simplicium, & Joh. Grammaticum Græcè.

Quæſtiones III. quorum I. De Reactione juxta Decreta Ariſtot. & Averrhois. II. Utrum in morborum initiis, ſolùm cum materia turget, purgantibus medicamentis uti liceat? III. De vena in pleuritide, cœterisq. partium internarum inflammationibus ſecandâ?

Venetiis:

Multos Galeni Libros in Latinum Sermonem translatos.

Pata-

Patavii:

De ratione & uſu componendorum Medicamentorum Lib. III.

Practicæ medicinæ Lib. II. de morbis particularibus, & de Febribus.

Enchiridion de cognoſcendis tam externis quàm internis humani corporis morbis.

Epiſtolas Med. tum ſuas tum aliorum Medicorum . . . ſcriptas.

Comment. in quartam Primi Avicennæ; in Libr. II. Prognoſticor. Hipp. in libros Galeni de Compoſitione Medicamentorum per loca.

Ultra 200. Conſilia.

Opuſcula de Febre hecticâ, de affectibus ventriculi, hepatis, & lienis.

De vulneribus capitis.

De Febre peſtilenti.

De Morbo Gallico.

* *Ex vitâ Vict. Trincavell. à Laurentio Marucino, Medico, deſcriptâ, & ejuſdem Conſiliis Medicis præmiſſâ.*

Caſp. Conradus Med. D. in *Proſographiâ medicâ* hoc ei ſcripſit diſtichon:

Morborum chaos invicto medicamine vinco,
Et non Victoris nomine lætus ovem?

Obiit A. C. 1563.

Medicus Polon.

JOSEPHUS STRUTHIUS.

EXcellenti Medicus ingenio, *Cypriani Lovicenſis*, qui practicam medicam ſcripſit, diſcipulus, in tantum eâ in ſcientiâ brevi profecit, ut nemo illum ætate ſuâ vicerit, pauciſſimi æquârint: non enim Theoricâ ſolùm valuit, ſed in praxi quoque felix arte ſuâ vitam multis produxit.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

Edito *Sphigmicorum libro*, cum *Patavii* medicinam docuiſſet, ita ibi ab illis clariſſimis Profeſſoribus laudatus eſt, ut ejus libri uno die 800. exemplaria diſtracta ſint.

Moritur.

Tandem reverſus in *Poloniam*, & uſus familiaritate *Alberti Ocskonis*, qui Libros de affectionibus corporis humani egregios reliquit, mortuus eſt *Poſnaniæ*, & conditus in Templo majori, tale habens Epitaphium:

Epitaphium.

JOSEPHUS STRUTHIUS POSNAN. PHILOS. ET MED. DOCTOR, LIBRORUM GRÆCORUM LATINUS INTERPRES, PUBLICUS OLIM STIPENDIO SENATUS VENETI ARTIS MEDICÆ PATAVII PROFESSOR, ARTIS SPHYGMICÆ PER TOT SÆCULA ABOLITÆ NOVUS RESTAURATOR, POSTEA SERENISS. PRINCIPIS SIGISMUNDI AUGUSTI REGIS POLONIÆ MEDICUS. OBIIT ANNO DOMINI MDLXVIII. ÆTATIS SUÆ LXVIII.

Scripta.

Edidit præter *Sphigmicorum librum*,
Lib. de Phlebotomiâ.
de Sale

* *Ex Vitis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simon. Starovolſcii.*

Obiit A. C. 1568.

Philologus.

ANDREAS GENNEPIUS.

B*Alenus Brabantus*, *Lovanienſis* Academiæ decus, (quod illi elogium *Guilielmus Lindanus* tribuit) in Collegio Trilingui Profeſſionem auſpicatus eſt an. 1532. in eâque annos 36. conſtanter perſeveravit.

Medicus.

Vir fuit ingenio, ut facili, ita ſimplici & benigno, ſine fuco & fallaciis: Medicinæ ſtudiis & ſingulari herbarum rerumq́; ſimplicium cognitione excellens. Linguæ Hebraicæ, ac potiſſimùm rei Grammaticæ myſteria Rabbinis propè ipſis callebat accuratius. Vixit ad ſummam ſenectutem vegetus & hilaris, qui *Brabantæ* gentis genius eſt. Obiit 4. Id. Febr. An. C. 1568. æt. 84. & in D. *Petri* Baſilicâ ſepultus.

Moritur.

Cornelius Valerius Collegæ ſuo hoc ex tempore Carmen fudit:

Migravit octogeſimo quarto ſenex
Ætatis anno functus integerrimè:
Sex atque triginta per annos publicè,
Sacras Hebræorum profeſſus literas,
Linguamq́; callens optimè ſanctiſſimam:
Buslidiano gloriam Collegio
Sibiq́; favorem comparavit omnium:
Dum conſulens benignè ægrotantibus
Ope medicâ multis ſalutem contulit.
Nunc liberatus omnibus moleſtiis
Fruitur beato cœlitum conſortio,
Nomine relicto poſteris laudabili.

Scripta.

Ex Lucubrationibus ejus nihil lucem vidit, tametſi conſtet, Tractatum fuiſſe molitum *De Accentibus Hebraicis*: item, *De Conſenſu editionis vulgatæ, cum Hebraicâ veritate.*

Teſte *Valerio Andreæ* in deſcriptione Collegii Trilinguis.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Clar. A. C. 1569.

GREGORIUS PICTORIUS,

V*Illingæ*, ad ſylvam *Hercyniam* oppido, natus eſt An. 1500.

Cum *Friburgi* Philoſophiæ dediſſet operam, ludo literario operam ſuam addixit, & unà quicquid ſubciſivi ſuffurari potuit temporis, Medicis evolvendis impertivit, tantumque profecit, ut inſignibus in arte medicâ Doctoralibus *Friburgi* fuerit decoratus, inque Medicorum ordinem ſolenniter adſcriptus.

Fit Doctor Medicinæ Friburgi.

A. 1540. A regiâ curiâ *Enſisheimii* ſuperioris *Alſatiæ* ad medicinam factitandam invitatus, eam vocationem ſuſcepit, & ad finem vitæ in eâ perſeveravit.

Floruit circa annum 1569.

Scripta edidit:

Scripta.

De herbarum naturis.
De variis morborum remediis.
De Thermarum virtutibus.
De rebus, ut vocant, non naturalibus.
Opus, in quo mirifica, jocos, poëtica, hiſtorica, & medica libris V. complexus eſt.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A. C. 1569.

HONORATUS CASTELLANUS.

MAgni nominis Medicus, & Senatoris honore inſignis, ex *Monſpelienſi* Academiâ ad regendam valetudinem Regis accitus, authoritatem, quâ pollebat, ad promovenda medicinæ ſtudia contulit.

Medicus Regis Gall.

Nam quodcunque ex famâ clarorum virorum decus Academia *Monſpelienſis* habet,

Academiæ Monſpelienſis decus.

bet, illi debet imprimis, qui amplitudine prœmiorum ingenia excitavit. Quippè cum modica primùm eſſent ſtipendia Profeſſorum A. C. 1564. Regis magnificâ liberalitate, *Caſtellani* verò gratiâ ad 400. libras aucta ſunt. Idque adeò omnium animos erexit, ut copiâ doctiſſimorum hominum Schola ſemper abundârit. Obiit A.C. 1569. *Moritur.*

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

* * *

Collega Med. Joh. Capella. *Honoratus Caſtellanus*, & *Johannes Capella*, *Caroli IX. Gall.* Regis & Reginæ Archiatri, in obſidione *Fani Johannis* perierunt, viri inſignes, nec magis profeſſione quàm voluntatum & ſtudiorum conſenſione conjuncti, eodemque ferè diu in aulâ & in exercitibus contubernio uſi: utrique partis liberalitate Principum opibus extra quæſtum poſiti. Ambo, ut conjuncti vixerant, ita in eâdem domo & eâdem peſtilenti lue, quæ multos ab ipſis curatos abſumpſit, eodem tempore vivis exceſſerunt. *Thuan. lib. 46.* *Und die peſte oblati ſunt.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

LUDOVICUS CARINUS.

Obiit A.C. 1569.

Medicus Baſil.

MEdicus fuit ſingulari candore humanitateq; præditus, *Fuggerorum* quondam Præceptor, multis magnatibus familiaris, ac virtutum causâ acceptus. Hic ut ſe *Baſilienſibus* gratum declararet, tribus bonæ indolis adoleſcentibus liberlaia ſtipendia conſtituit: quo nomine poſteritati meritò commendatus eſt. Obiit tandem *Baſileæ* A.C. 1569. die 17. Januarii. *Moritur.*

Conditorium ejus hiſce metris conſignatum eſt: *Epitaphium.*

Marmore contegitur Ludovicus in hocce Carinus,
Fama replet terras, ſpiritus aſtra colit.
Heroum generoſorum generoſa propago,
Cui natale ſolum clara Lucerna dedit.
Nec virtus, nec honor, nec opes, nec docta Minerva
Deerat ei, Medicus deniq; ſummus erat.
Mille notabantur, quingenti, terq; viginti,
Tresq; ter hâc quando poſitus in æde fuit.
Tum cum menſe ſuo Janus, qui primus in anno eſt,
Conficeret ſeptem fortè dieſque decem.
Hæc igitur, quicunq; legis venerabilis hoſpes,
Dic celebris recubent molliter oſſa Viri.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſil. Chriſtiani Urſtiſii.*

LUDOVICUS STURMIUS.

Clar. A. C. 1569.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

Medicinæ Profeſſor Jenæ.

VInariâ Thuringus: in *Salana* inſignia Magiſtri reportavit 3. Jan. An. 1559. *Patavii* Med. Doctoratu inſignitus, redux in *Salanam*, inter Profeſſores publicos Medicos cooptatus 24. Maji An. 1567. abiit, & *Martisburgi* poſteà obiit.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc addidit Epigramma: *Epigramma.*

Te Ludovice jurat Patavinas viſere ſedes,
Sturmi, & Doctoris ritè referre decus.
Te Profeſſorem vocat inclita Jena cupreſſa:
Mersburgum ſignat teq; tuasq; fores.

JOHANNES PHILIPPUS INGRASSIAS.

Clar. A.C. 1570.

Medicinæ Profeſſor Neapoli.

SIculus Rachalburenſis, ingenii ſubtilitate & doctrinæ firmitate nemini ſecundus in *Neapolitano* Gymnaſio publicè medicinam docuit, tanto auditorum ſtudio, ut ejus memoriam hâc Inſcriptione honorificâ poſteritati transmiſerint:

PHILIPPO INGRASSIÆ SICULO, QUI VERAM MEDICINÆ ARTEM ATQUE ANATOMEN PUBLICE ENARRANDO NEAPOLI INSTITUIT, DISCIPULI MEMORIÆ CAUSA P. P. M. D.

Auditûs inſtrumentum, quod ſtapedem aut à formâ ἀναβολεύς appellant, primus invenit, & ſcriptis celebravit, teſte *Gabr. Fallopio.* *Inventor ſtapedis oſſiculi auditûs.*

Patriæ poſteà ductus amore *Neapolim* deſeruit, ſummâ totius populi triſtitiâ & maximè Procerum, à quibus mirificè colebatur. Peſtem in *Sicilia* longè lateque graſſantem extinxit, undè *Siculus Hippocrates* vulgò appellabatur. Et, quod de *Livio* legimus, illi etiam accidit, ut ex ultimis terræ finibus ad eum viſendum homines cujuscunque ordinis venirent, & quos ad contemplationem ſui Regio non traxiſſet, unius hominis fama perduceret. *Peſtis domitor in Siciliâ.*

Hâc viri celebritate motus *Philippus II. Hiſpaniarum* Rex, Archiatri illi inſignia & jura contulit. In eo munere ſe adeò ſeverum geſſit, ut neminem ad officia artis medicæ admitteret, niſi qui diligenter examinatus iis rectè fungi poſſe judicaretur. *Archiater Reg. Hiſp.*

Quin etiam quosdam Doctorali titulo inſignitos non prius ad exercitia artis admiſit, quàm poſitiones medicas publicè ſuſtinuiſſent, ad quod impetrato Regis decreto eos compellebat. Cœterùm Doctorum virorum cujuscunque Diſciplinæ adeò ſtudioſus fuit, ut ejus domus eruditionis emporium vocaretur.

Celebrantur ejus Scripta: *Scripta.*

De Tumoribus præter naturam Tomus I.
Commentar. in Galeni Lib. de Oſſibus.
Jatrologia.
Synopſis Commentariorum de Peſte.
Enarratio & curatio Caſûs illuſtriſſ. Ducis Terræ novæ.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

* * *

De ſe ipſo ita refert *libro de frigidæ poſt medicamentum potu:*

Ægrotabat Siciliæ Pro-Rex, Johannes de Vega, ſumpto pharmaco ſegniter purgabatur. Medicus juſculi pulli cyathum ſine ſale Proregi offerebat. Accedens Phil. *Ingreſſias* aquæ frigidæ libram cum pauco ſaccharo dedit: ceſſârunt ſtatim nauſea, morſusque ventriculi, & purgationem feliciter perfecit. Tunc gratias magnas egit *Ingraſſiæ*, & vas argenteum, in quo frigidam bibit, pretii co. aureorum ipſi dedit.

JOHAN-

Clar. A. C. 1570.

JOHANNES WIERUS.

IN oppido *Graviâ*, circa *Moſam*, ad *Brabantiæ* limites ſito natus eſt A. 1515.

Latino cognomento *Piſcinarius* apud exteros notior fuit.

Patrem habuit *Theodorum*, civem honeſtum, Matrem *Agnetem*.

Adoleſcens pervenit in notitiam *Henrici Cornelii Agrippæ*, quem & Præceptorem, & herum ſuum venerandum vocat, & apud quem ſe legiſſe ſcribit partem librorum *Steganographiæ Trithemii*, eamque inſcio illo exſcripſiſſe.

Lutetiæ Medicinæ operam dat. *Lutetiæ Pariſ.* medicinæ aliquandiu operam dedit.

Indè A. 1534. *Aureliam* acceſſit, ubi *Natalis Ramardi* Medici Regii filios duos, *Natalem* & *Johannem* inſtituendos ſuſcepit, & in ſtudio medico celeriter ad metam, inſignibus Doctoralibus obtentis, pervenit.

In *Africam* deindè trajecit, & in Inſulam *Cretam* pervenit, ubi hoc ſe vidiſſe narrat, quod myſtico in quodam tumultu ſagittâ circa dorſum impactâ, ſagittâ evulsâ, & ferro in thorace relicto Chirurgus vulnus ſanârit, poſt biennium verò cuſpis anteà fruſtrà quæſita, juxta alvum exciderit ſemiexeſa.

Archiater Cliviensis. Domum reverſum *Gulielmus*, *Cliviæ* Dux, ad ſe eum invitavit, ut à curâ valetudinis ſibi eſſet. Id officium cum 20. vel 30. quaſi annis fideliter obiiſſet, tandem fatis conceſſit A. 1570. Moritur.

Cum in aulâ *Clivenſi* ageret, *Ulmæ* in Comitatu *Marchiæ* puella quædam 12. annorum *Barbara* à lethali decubitu nihil cibi aut potûs adſumpſiſſe credita eſt. Eam cum vidiſſet *Wierus*, toto corpore benè habitam & agilem ſed ventre collapſo, meram impoſturam eſſe ſuſpicatus, impetravit, ut examini ſuo *Cliviæ* in ædibus ſuis Principis decreto committeretur. Hîc puellæ clam obſervatæ detecta fuit verſutia, dum ubi ubi potuit, clanculum eſculenta & potulenta ſurripuit. Tametſi verò pœnam & parentes & puella cum ſorore anteà ciborum ſubminiſtratrice meriti eſſent, tamen *Wiero* deprecante Princeps ipſis ignovit.

Cum etiam tum temporis multos Chriſtiani vulgi, præſertim vetulas, vidiſſet, ob veneficii ſuſpicionem in carceres compingi, quæſtionibus ſubjici, & flammis exuri; id ei anſam præbuit, ut *Opus de Veneficis & Sagis* ſcripſerit, quo licèt multi è magiſtratibus prudentiores facti ipſi gratias egerint, non defuerat tamen, qui in certamen vocarent, inter quos fuerunt *Paulus Scalichius*, *Johannes Campanus*, *Leo Suavius* & *Joh. Brentius*.

Corpore fuit ſatis compacto, viribusque integris adeò, ut de ſe commemoret, dies aliquando quatuor abſque omni cibo & potu vixiſſe ſanum.

Fratres habuit *Arnoldum* & *Matthiam*.

Scripſit:

Scripta. *Medicas Obſervationes raras.*

Epiſtolas medicinales.

De Scorbuto.

De ira morbo philoſophicè, medicè & theologicè curando.

De quibusdam incognitis, & à nemine hactenus deſcriptis morbis.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

JACOBUS GREVINUS.

Obiit A.C. 1570.

CLarimontanus, *Bellovacus*, Medicus *Pariſienſis*, Ingenio & rarâ eruditione præſtans, cum à pueritiâ induſtriam in poëticâ feliciter exercuiſſet, ad medicinæ ſtudium animum appulit, in quâ pari felicitate ingenium exercuit. Diſcipulus fuit *Johannis Gorræi*. Præter Scripta in lucem edita multa inſuper commentatus eſt, quæ morte præcipitata ultimam manum non receperunt. Obiit An. C. 1570. ætat. 30. Non. Novemb. *Auguſtæ Taurinorum*. Medicus & Poëta.

Edidit:

Scripta. *Nicandrum à Joh. Gorrhæo Latinum factum, verſibus Gallicis redditum.*

Commentar. de Venenis Gall. ab Hieremiâ Martio, Med. Aug. Latinè converſ.

Gelodacrys variis illius ævi Poëmatibus comparanda.

Partium corporis humani cum ſimplicium tum compoſitarum brevem Elucidationem.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C. B.*

* * *

Virum hunc amœnitate ingenii cunctos in amorem ſui rapientem *Margaretha*, Regis *Gall. Franciſ. I.* filia (quæ *Philiberto Emmanueli*, *Sabaudiæ* Duci nupſit) inter familiares adſcitum, in *Italiam* ſecum duxerat, eoque poſteà non ſolùm Medico, ſed & Conſiliario in gravibus negotiis ſemper uſa eſt, adeò, ut *Grevino* extincto ſe & valetudinis ſuæ curatore eximio, & in animi anxietatibus amico ſolatore orbatum doleret. Itaque & mortuo honorificum funus fecit, & viduam ac filiam ejus unicam *Margaretham Emanuelida*, quam de Sacro lavacro ſuſceperat, quàm diu vixit, penes ſe retinuit, ac omni humanitatis genere proſecuta eſt. Medicus & Conſiliarius Sabaud.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

JOHANNES PLANERUS.

Obiit A.C. 1570.

QUinzani, in territorio *Brixienſi Venetorum* natus, Medicus fuit excellentiſſimus, cujus dexteritas in medendo admirabilis plurimis *Germaniæ* Principibus, ut etiam Imp. *Maximiliano II.* & *Ferdinando* Regi *Romanorum* innotuerit. Medicus celeberr.

Cum itaque Medicis *Germanis* exoſus fuiſſet redditus eorum furori cedens, in patriam rediit, & Medicinæ valedicens, in vitâ privatâ & otio ſtudiorum delectabili vitæ reſiduum traduxit, mortuus An. C. 1570. ætatis 90. Moritur.

Scripta:

Scripta. *Febrium omnium ſimplicium diviſio & compoſitio ex Galeno & Avicennâ excerpta, & in Arbores, ut faciliùs intelligatur, redacta.*

Dubitationum & Solutionum in tertium Galeni de diebus Criticis Liber, in quo veterum & recentium Opiniones de Criſium cauſis explicantur.

Scholia in eundem Librum.

Conſilium Viennæ factum in Curatione Morbi Gallici.

Conſilium Brixiæ factum in Curatione difficultatis urinandi.

Collegia nonnulla ad varios morbos Viennæ habita.

L' Immortalità dell' Anima.

L' Andata del Re Henrigo à Vinezia.

La Deſcrizione di Quinzana.

* *Ex Theatro Virorum doctorum Italico Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1570.

VITUS ORTELIUS.

FRancus à patriâ, more tunc inveterato, *Winshemius* vulgò cognominatus, natus eſt 1. Aug. A.C. 1501.

Ling. Græcæ Profeſſor Jenæ.

A. 1547. Electore *Joh. Friderico* captivo, unà cum aliis huic faventibus, *Jenam Wittenbergâ* profectus, Græcas ibi literas profeſſus eſt.

Sed literis *Philippi Melanchthonis* inescatus, *Salanâ* relictâ *Leucoream* remeavit.

Medicinæ Doctor Witt.

4. Febr. An. 1550. Med. Doctor creatus *Wittenbergæ*.

Moritur.

Ibidem obiit 13. Jan. A.C. 1570. æt. 69.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſium M. Adriani Beyeri*, qui hoc *Epigramma* addidit:

Primùm Leucoreo, Salano deindè Lycéo
Suadelæ Græcæ verba polita facit
Vitus Winshemius, qui vulgò dicitur Ortel,
Quiq; redux medicâ ſumit in arte gradum.

Epitaphium in Templo oppidano *Witteb.* appoſitum eſt hiſce verbis:

Epitaphium.

DNS VITUS ORTEL. WINSHEMIUS PATER, MEDICÆ ARTIS DOCTOR ET GRÆCÆ LINGUÆ PROFESS. P. DE HAC ACADEMIA OPT. MERITUS, PIE IN CHRISTO OBIIT ANNO DOMINI M.D.LXX. III. NON. JANUARII.

Exprimit hæc Vitum patrem natumq; tabella,
Et Patre Pontano, ſtymphelioque ſatum.
Quarum quæ prior eſt lecto conjuncta pudico,
Ante diem ſine ſpe prolis adempta fuit.
Quæ fato in vacuum ſucceſſerat Anna cubile,
Auxit Vite tuum ſorte ferace genus.
Sex nati ſuperant Chriſtoq; tegente ſuperſint,
Et patrias artes officiumque colant.
Parca tuas natas & natum ſuſtulit unum
Fila quibus vitæ non diuturna dedit.
Extinctæ matris curam levat Anna parenti,
Nam patrem in natæ moribus eſſe videt.
Nomen Winshemiis patrum virtute paratum
Et partu matris, neſcit in orbe mori.

* *Ex Bibliothecâ Academ. Witteb. Andreæ Sennerti.*

Obiit A.C. 1571.

JOHANNES HUBERUS.

BAſiléæ natus eſt An. 1507.

Patrem habuit *Martinum*, qui bello *Helvetico Baſiléam* venit, & Jus Civitatis impetravit.

Puer *Seleſtadium* à ſuis miſſus, *Joh. Sapido* in diſciplinam traditus eſt. *Baſiléam* reverſus, *Henricum Glareanum* audivit.

Philoſophiæ Magiſter.

A. 1525. *Lutetiam* profectus, & ibi Magiſter renuntiatus eſt.

Academiæ Tholoſ. Rector.

Deindè & alias *Galliæ* Academias acceſſit, *Montempeſſulanam & Toloſas*, ubi etiam Academiæ Rector deſignatus eſt.

Medicinæ Doctor.

Exactis in *Galliâ* undecim annis, in patriam Inſignibus Doctoralibus ornatus rediit, & medicinam cum laude factitare cœpit.

Profeſſor Phyſices Baſiléæ.

An. 1544. *Hieronymo Gemuſæo* rebus humanis exemto, ipſi fuit ſubrogatus Profeſſor Phyſices ordinarius.

Medicinæ Profeſſor ibid.

Paulò pòſt & Medicinæ Profeſſor declaratus eſt.

Moritur.

A. 1571. ætatis 65. Dum nobilis viri licèt ingrati valetudinem majoris quàm propriam fecit, & ex critico ſudore exurgens, gelidiſſimo aëri ſeſe expoſuiſſet, Chordapſo correptus, ſeptimâ die exſpiravit.

* *Ex Melch. Adami vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1572.

JACOBUS CURIO.

H*Oſemii* natus eſt A. 1497.

Medicinæ Doctor Ingolſtadii creatur.

Ingolſtadii ſolenniter Med. Doctor renuntiatus eſt.

Mathemata & Medicinam docet Heidelbergæ.

A. 1553. *Haidelbergam* venit, ubi ſuperiorum juſſu primò Mathemata, deindè Medicinam cum laude pro cathedrâ publicè docuit.

Ibi obiit 1. Julii A. 1572. æt. 75.

Sepultus in Sacello Academiæ ad D. *Petrum*.

Gener ei fuit *Bertholdus Redlich*, J.C. & Prof. *Heidelb.*

Scripta.

Edidit *Hermotini nomine inſcriptum Dialogum, in quo de umbratico medicinæ genere agit, quod in ſcholis ad diſputandum, non ad medendum comparatum eſſe videtur.* Deindè *de altero genere recens ex furnis Chymicis nato.*

Eſt etiam ejus *Chronicon à condito orbe ad A.C. 1558.*

* *Ex Melch. Adami vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1572.

JOHANNES ARGENTERIUS.

NAtione *Pedemontanus*, in *Caſtello novo* natus obſcuro loco, ideò dignandus eſt encomio, quod plurium artis medicæ thematum innovator poſterioribus anſam dedit diſputandi, ſingulaque ad ſeveriorem trutinam redigendi, quibus mox *Hippocratis* & *Galeni* doctrina ſolidior firmiorque ad humani ſalutem generis redderetur.

Fuit enim ingenio ad inveniendum acuto, ad examinandum ſolerti ad exarandum prompto, neque illi vel meditationis labor, vel inſaturabilis abdita quæque capeſſendi ſpiritus defuit.

Profeſſor Medicinæ Neapoli, Piſis, & Taurini.

Quò factum ut in ſingulis *Italiæ* Academiis, *Neapolitanâ*, *Piſanâ*, demùmque *Taurinenſi* magnâ nominis in docendo autoritate polleret.

Controverſiarum de re medicâ ſelectiorum, vel è remotiſſimis *Galliæ Hiſpaniæque* regionibus ab ipſo judicia petebantur: ſum-

mo

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google


IOH. GOROPIUS BECANUS
Medicus Antverpienſis.
NICOLAUS BIESIUS
Medic. Prof. Lovanienſis.
IOHANNES CAIUS
Archiater Regius Angl:
IOHANNES NÆVIUS
Medicus Saxon.
PAULUS CRASSUS
Medicinæ Prof. Patavii
IOH: GUINTERIUS.
Medicus Argentoratenſis.
HADRIANUS IUNIUS.
Medic, Philos. Hist. & Poeta.
ALOYSI, BELLACAT,
Medicus Patavinus.
HIERON CARDANUS
Medicus, Arithmet. & Astrolog,
PETR, ANDR MATTHIOL,
Archiater Cæsareus.
ACHILLES PIRMINI,
Medicus Augustanus.
IOHAN: GORRHÆUS
Prof. Reg. Pariſienſis.
MELCHIOR AYRERUS
Medicinæ Doctor Noriberg.
IOHAN: SAMBUCUS
Medicus Poëta & Antiquarius
WOLFGANG, MEURER
Medicus Lipſienſis
REMBERT, DODONÆ,
Medicinæ Prof. Lugd. Batav.

mo doctorum nedum juniorum ardore ſcripta ipſius edita volvebantur, edenda exſpectabantur: ſolus ille artem medicam feliciori methodo, quàm ipſe præſtiterit *Galenus* perſtrinxiſſe, planiusque tradidiſſe dicebatur.

Galeni adverſarius.

Scripſit multa Theoricis *Galeni* placitis adverſaria, plus æquo interdum audax, ideoque celeberrimorum jure laceſſivit ingenia. Sed rejectus non obrutus videri queat, ſi *Leonharti Fuchſii* in eum inſultantis irrita ſæpius ſpectetur induſtria: longè acrius & gravius Comes *Montanus* vulgato de morbis volumine *Galenum* ab hujus, & *Fernelii*, & aliorum conviciis vindicavit.

At verò quis tantæ præſtantiam indolis credat ſubindè in praxi medicâ corpora particularia tractando, memoriæ ac phantaſiæ viribus, cui ex Phyſicorum aſſertione id incumbit oneris, defeciſſe? *Johannes* ſiquidem *Huarthes in opuſculo de Ingeniorum acumine* hunc virum, licet in ſpeculando ſcribendoq; inclytum, in medendo tamen ſupra quàm credi poſſit, infelicem extitiſſe teſtatur: adeò ut *Auguſtæ Taurinorum*, ubi civitate ac primâ docendi cathedrâ, prænobili *Margarethæ Broſſiæ* connubio, *Caroli* ejus Urbis Archiepiſcopi ſororis, ornatus eſt, plurimi ægrorum ejus acceſſum conſallaci experimento inauſpicatum reformidarent.

Practicus infelix.

Moritur Taurini.

Unico relicto filio *Hercule*, paternæ virtutis æmulæ, vitam finiit *Taurini* Idib. Maji A.C. 1572. ætatis 59.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis Phil. & Med. Vicent.*

Sepulchro ejus hoc *Epitaphium* legitur inſcriptum:

Epitaphium.

JOHANNI ARGENTERIO

PARENTIBUS SUIS ET NATALI SOLO TANTUM NOTO, INGENIO VERO ARISTOTELICO ET IN RE MEDICA DOCTISS. MONUMENTIS LUSTRANDA ORBI NOTISSIMO, CUJUS PERENNEM FAMAM ET GLORIAM NEUTIQUAM CONSUMPTURA EST VETUSTATIS INJURIA.

HERCULES FILIUS MOERENS POSUIT. OBIIT ANNO DOMINI MDLXXII. TERTIO IDUS ÆTATIS SUÆ LIX.

Scripta:

Scripta.

De erroribus veterum Medicorum Lib.
Comment. III. in artem medicam Galeni.
De ſomno, & putrefactione.
Conſultationes medicæ, ſive de Collegiandi ratione Lib.
De Morbis Libri XIV. in quibus tractantur, morborum genera, differentiæ, cauſæ, ſymptomata, & tempora.
De officiis Medici.
De re medicâ.
De urinis.
De ſpiritibus.
De calido innato.
De Febribus.
Gloſſæ in Aphoriſmos Hipp.
De nutriendi ratione.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

HIPPOLYTUS SALVIANUS.

Obiit A.C. 1572.

MEdicus *Romanus*, familiâ nobili natus *Typhemas*, vir multijugæ doctrinæ, & Opere iconibus ſeu figuris centum æri eleganter inſculptis exornato, de *Piſcibus* inter alia Scripta clarus: 22. annos in Scholâ *Romanâ* magno auditorum concurſu prælegit, & medicinam feliciter fecit.

Medicus Rom.

Obiit *Romæ* Idib. April. A.C. 1572. æt. 58. *Moritur.*

* *Ex Elogiis Thuaneis viror. doctor. C. B.*

Joh. Sambucus in Lib. Iconum Medicorum hoc ei ſubſcripſit *Elogium:*

Elogium.

Oceanum ac Tiberin penetras, farragine luces
Squamigeræ pecudis, Cærula regna domas.
Cardinei proceres te Romanique verentur:
Nomen, dum piſces unda fovebit, erit.

* *Ex Melch. Adami Vitis Medicorum.*

JOHANNES GOROPIUS BECANUS.

Obiit A.C. 1572.

H*ilvaribecæ*, *Campaniæ Brabantinæ* municipio, natus eſt A. 1511. in vigiliâ S. *Johannis*, cujus ideò nomen accepit, *Becani* autem cognomen à patriâ ei adhæſit.

Inter Philoſophos enutritus, exactam Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ Linguæ ſcientiam eſt conſecutus, Medicinam etiam excoluit.

Philoſophus & Philologus fuit excellens, ſeculi ſui *Varro* meritò vocatus. *Italiam, Hiſpaniam* & *Galliam* peragravit.

Philoſophus & Philologus celeberrimus.

Fuit à curâ valetudinis duabus *Caroli V.* ſororibus, *Leonoræ Galliæ*, & *Mariæ Hungariæ* Reginis.

Medicus excellens.

Poſteà in patriam redux, multis annis *Antverpiæ* medicinam fecit.

Fato functus eſt 28. Junii A. 1572. æt. 53. *Moritur.*

Caſpar Cunradus, Med. D. in millenario III. *Proſopograph. medicæ* hoc ei ſcripſit diſtichon:

Cimbrica lingva mihi prima eſt, quid Hebræe reclamas?
Panſophiam decorant hæc paradoxa meam.

Edidit: *Origines Antverpianas, quas ludens Beceſellana vocavit.* *Scripta.*

Poſt obitum ejus prodierunt:

Hermathena, Hieroglyphica, Vertumnus, Gallica, Francica, Hiſpanica.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

JOHANNES PONTANUS.

Obiit A.C. 1572.

IN Academiâ *Regiomontanâ*, unà cum *Johanne Placotomo*, Medicinæ Profeſſor publicus A.C. 1549. & Rector A. 1553. ſimulque *Alberti*, Ducis *Boruſſiæ* Conſiliarius Medicus fuit: poſtmodùm Archiatri officio functus, in Aulis cum *Gothanâ* ſeu Arce Grimmenſtein/hodiè Friedenſtein/apud Ducem *Sax. Joh. Fridericum*, tum *Vinarienſi* ſeu Arce Hornſtein/apud hujus fratrem *Joh. Wilhelmum*, Ducem *Sax.* cum quo *Viennam Auſtriæ* abiit, & inibi obiit, non ſine veneni ſuſpicione, 9. Julii A. C. 1572.

Medicinæ Profeſſor Regiomontii.

Moritur.

Intereà *Jenæ* primi in primâ Panegyri Medicâ Vice-Decani & Vice-Cancellarii ho-

Primus Vice-Cancellar. Jenæ.

nores geſſit, primoque Brabevtæ D. *Johanni Schrötero*, Med. Profeſſori publico, poteſtatem dedit conferendi M. *Simoni Wildio* inſignia Doctoratûs 29. Martii A. C. 1558.

Viduam reliquit *Reginam*, ex *Baumgartnerorum Norimberg.* familiâ oriundam, nuptam deindè *Gunthero Schneideweinio*, J. C. *Johannis* filio, in Aula *Saxo-Vinarienſi* Conſiliario.

* *Ex Nomenclat. Profeſſ. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit Epigramma:

Epigramma.

Audit Johannem Pontanum docta Juventus,
Quæ tibi, Mons Regis, quæ tibi, Jena, venit.
Archiatri officio multis defunctus in Aulis:
Defuncti cineres clara Vienna tegit.

Obiit A. C. 1573.

NICOLAUS BIESIUS.

Medicinæ Professor & Legatus.

GAndavi, Urbe *Belgii* maximâ, natus menſ. April. An. 1516.

In turbis *Belgii* periculoſiſſimis dum *Lovanii* Profeſſorem ageret, Oratoris Academici munus ad Ducem *Albanum* fideliter obivit.

Valentiæ in *Hiſpaniâ* antequàm *Lovanium* veniſſet, Ducibus *Calabriæ* adhæſit, & familiariter uſus eſt *Job. Baptiſtâ Agneſio*, Theologo & Poëtâ, & verſibus cum eo certavit.

Scripta.

Edidit *Medicinæ Theoricæ libros VI. quibus omnia artis Medendi præcepta explicantur.*

De Republicâ libros IV.

De Naturâ lib. V.

Moritur.

Obiit in aulâ Cæſaris apoplexiâ percuſſus An. 1573. ætatis 57.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A. C. 1573.

HERMANNUS CRUSERIUS.

CAmpis in *Belgio* natus.

Græcis potiſſimùm literis delectatus, in iis non poſtremas tulit.

Deindè ad Philoſophiam & medicam artem ſe contulit, & *Galeni* quædam, *Plutarchi* verò omnia, fidelius, ut Critici exiſtimant, quam *Guilielmus Xylander* Latinè reddidit.

Medicus & Conſiliarius Clivorum Principis.

Hippocratem etiam aggreſſus, præclaros *in eum Commentarios* edidit.

Guilielmo, *Clivorum* Principi, gratus & à Conſiliis fuit.

Hujus filiam dum *Alberto Friderico*, *Boruſſiæ* Principi, ſponſam adduxit, in reditu ad ſuos immaturâ morte extinctus eſt A. 1573.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A. C. 1573.

JOACHIMUS CURÆUS.

FReiſtadii, *Sileſiæ* oppido, natus eſt 23. Octob. An. 1532.

Patrem habuit *Gregorium Curæum*, qui *Cracoviæ* & *Lipſiæ* aliquandiu literis operam dedit, poſteà ſcholam deſerens, pannificio ſeſe dedidit, & tandem *Freiſtadii* Judicis urbani functus eſt officio.

Mater ei fuit *Margaretha*, *Caſp. Jungii*, Conſulis *Glogov.* filia.

A. æt. ſeptimo ductus in ſcholam patriæ, quam tum gubernavit M. *Job. Hoppius Budiſſinus*, qui poſteà publicè docuit *Regiomontii*, celeriter literarum elementa didicit.

A. 1548. Poſt mortem patris miſſus eſt in ſcholam *Goldbergenſem*, quam *Cingularius* ibi conſtituit etiam ante *Lutherum*. Ibi fidelem nactus Præceptorem *Valentinum Trocedorffium*, brevi Dialecticam & Græcas literas didicit.

Studioſus Wittenb.

A. 1550. *Wittenbergam* venit, & *Melanchthone*, cujus auditor aſſiduus fuit, Præceptore uſus eſt.

Philoſophiæ Magiſter.

31. Julii A. 1554. Ibi renuntiatus eſt Philoſ. Magiſter, Decano *Caſp. Peucero*, Med. Doct. Sept. ſeq. In ſcholâ *Freiſtadienſi* Collega factus eſt M. *Eraſmi Benedicti*.

Deindè artem medicam amplexus, aliquantò pòſt incepit ſuis hominibus medicinam facere, & exteris etiam in re medicâ conſilio profuit.

Ejus Præceptores.

Sept. An. 1557. In *Italiam* iter ſuſcepit, & *Patavii* docentes audivit *Victorem Trincavellum Venetum*, *Anton. Francanzanum Vicentinum*, *Odum ab Odis Peruſinum*, & *Baſſianum Landum Placentinum*, qui *Montano* ſucceſſit, & poſteà miſerabiliter à ſicario quodam jugulatus eſt. Audivit etiam ibi *Aloiſium Bellocatum Brixienſem*, *Hieron. Capivaccium* tum adhuc juvenem ad locum ſuperiorem aſpirantem, & *Gabriel. Fallopium Mutinenſem*, Chirurgiæ Profeſſorem, & Anatomiam eodem anno adminiſtrantem. In Philoſophicis audivit tunc M. *Antonium Paſſerum*, *Genuenſem*, quem velut numen tota *Italia* venerata eſt, & quem docentem Epiſcopi ac Comites magno numero audiverunt.

A. 1558. *Bononiam* inviſit, ibique docentes audivit *Benedictum Victorium Faventinum*, *Helidæum Feroltnenſem*, & *Ulyſſem Aldrovandum*, tunc temporis Decanum Collegii Medici, & ſtudioſum ſimplicium medicamentorum inquiſitorem.

Fit Medicinæ Doctor.

Ibidem 10. Sept. Inſignia Doctorum Med. collata ſunt ipſi in Sacrario ædis Cathedralis S. *Petri*, cum Vice-Cancellarius eſſet *Ludov. ab Armis* J. C.

A. 1559. *Patavium* rediit, & indè ad ſuos reverſus, menſe Octobri Reip. *Glogovienſi* operam ſuam addixit honeſto ſtipendio conductus, ſuccedens *Johanni Draconitæ*.

Et licet à Republicâ *Vratislavienſi*, *Stetinenſi* & aliis petitus eſſet, maluit tamen patriæ ſuæ inſervire. Menſ. Aug. 1572. Evocatus *Bregam* à *Georgio*, Principe *Lignicenſi*, brevi pòſt eodem menſe in ardentem febrem incidit, & abindè tabe paulatim conſumptus, tandem inter preces & ſuſpiria ex hâc vitâ ad meliorem migravit 21. Januar. A. 1573. ætatis 40. Moritur.

Filios reliquit *Adamum* J. C. & *Irenæum*, Med. Doctorem.

Edidit *Annales gentis Sileſiæ*. Scripta.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Clar. A. C. 1573.

MICHAEL TOXITES.

IN *Rhætiâ* natus, oppido *Störtzingâ*.

Dillingæ pueritiam in literis apud nobilem virum *Johannem à Stadion*, Urbis Præfectum, egit.

Pòſt adoleſcentiam ingreſſus cum publicas

cas accedere ſcholas ſtatuiſſet, *Chriſtoph. à Stadion*, Epiſcopus *Auguſtinus*, eum liberaliter adjuvit.

In *Italiam* profectus, à *Card. Othone*, qui operâ ejus aliquando uſus eſt, acceptus, metam ſtudiorum optatam attigit.

Poliater Haganoenſis.

Reverſus ad ſuos, à Republ. *Haganoenſi* Poliater eſt conſtitutus.

An. 1529. Cum in Comitiis *Spirenſibus* Panegyricum in electionem *Othonis* Cardinalis ſcripſiſſet, perfecit ille, ut à *Carolo V.* Imp. Laureâ Poëticâ coronaretur, & Comitis Palatini dignitate ornaretur.

Poëta Laureatus, & Comes Palatinus.

Floruit circa annum 1573.

In medicâ arte *Paracelſum* ſecutus, adeò felix fuit, ut multos epilepſiâ, calculo, aliisque morbis, qui vulgò pro incurabilibus habentur, liberârit.

Scripta.

Publicavit *Onomaſtica duo, Philoſophicum medicum, & Theophraſti Paracelſi*, hoc eſt, *earum vocum, quibus in ſcriptis ſuis uſus eſt, explicationem.*

Item *Spongiam Stibii, adverſus Lucæ Stenglini, Medici Auguſtani, aſpergines.*

Paracelſi dogmatibus ita adhæſit, ut tamen *Galeni* doctrinam & methodum non duceret contemnendam, ſed inter utrumq; potius reconciliationem & concordiam optaret.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1573.

JOHANNES CAIUS.

PAtriâ *Nordvicenſis Anglus* natus eſt An. C. 1510.

Medicinæ Doctor Cantabrig.

Patavii & Cantabrigiæ Muſis operam dedit, & in hâc Medicinæ Doctoratu inſignitus eſt. Rerum naturalium ſcrutator fuit diligentiſſimus.

Archiater Regius Angl. Cajus, Julius, Cæſar, tres Archiatri Angl. Fundator Collegii Gonnevilli Cantabrigiæ.

Ob eruditionem Regis *Edoardi VI.* Reginæ *Mariæ*, & tandem Reginæ *Eliſabethæ* Medicus ſucceſſivè factus eſt: & quod memorabile habuit hæc Regina etiam duos alios Medicos, Julium unum, alterum Cæſarem nomine. *Cantabrigiæ* Collegium *Gonnevilli*, in quo literis imbutus eſt, maximâ ex parte propriis impenſis de novo exſtruxit, idq; amplis reditibus in perpetuum ditavit.

Obiit *Cantabrigiæ* A. C. 1573. ætat. 63.

Scripta:

Scripta.

De Methodo medendi Lib. II.
De Ephemerâ Britannicâ Lib. II.
De Thermis Britannicis.
De Canibus Britannicis.
De rariorum animalium & ſtirpium hiſtoriâ.
De Symphoniâ vocum Britannicarum.
De antiquis Britanniæ Urbibus.
Hiſtoria Academiæ Cantabrig.
De Annalibus Collegii Medicor. Londini.
De Annalibus Collegii Gonnevilli & Caji.
Galeni Libri aliquot Græci, partim hactenus non viſi, partim à mendis innumeris repurgati, & annotationibus illuſtrati.
Comment. in Com. Celſi Lib. I.
in Lib. Scribonii Largi de compoſit. Medicament.
in Marcellum.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ.*

Obiit A.C. 1573.

JOHANNES BAPTISTA GIRALDUS.

FErrariæ natus A.C. 1504. Patre *Chriſtophoro*, viro literis humanioribus exculto, Matre *Luciâ*, Civis honeſti *Ferrarienſis* filiâ, adoleſcens Philoſophiæ dedit operam ſub *Cœlio Calcagnino*, literatorum ſui temporis primario, deindè Medicinæ ſtudiis ſub *Johannne Manardo*, Medico *Ferrar.* addictus, poſtquàm Philoſ. & Med. Lauream Doctoralem fuiſſet aſſecutus, utramque per 35. annos continuos in patriâ publicè docuit.

Philoſ. & Medicinæ Doctor & Profeſſor.

Simul etiam Principi ſuo *Herculi Eſtenſi*, Duci *Ferrariæ*, 16. annis Secretarii munere fideliter inſerviit, ejusque deindè ſucceſſori Alfonſo per biennium.

Secretarius Duc. Ferrar.

Sed invidiâ quorundam æmulorum Secretariatum appetentium commotus, dimiſſione honeſtâ impetratâ cum familiâ ſuâ *Mondovium Pedemontii* civitatem diſceſſit, ubi per triennium publicè literas humaniores docuit, & indè *Taurinum* ejusdem Profeſſionis gratiâ concedens, biennium tantùm ibi propter aëris inclementiam ſanitati ſuæ adverſam commoratus, vocante Senatu *Mediolanenſi Ticinum* ſedem tranſtulit, Rhetoricam ibi publicè profeſſus, & Græcæ linguæ præcipuè diſcendæ deditus, cum Lectione Authorum antiquorum.

Oratoriæ Profeſſor Taurini, & Ticini.

Ibidem ſocius Academiæ Affidatorum *Cinthii* nomen aſſumpſit, idq; nomen libris à ſe editis præmittere ſolitus eſt.

Cinthius vocatus eſt in Academiâ Affidator.

Tandem podagricis doloribus debilitatus, *Ferrariam* in patriam rediit, ubi brevi pòſt morbo lethali per bimeſtre decumbens, vitam cum morte mutavit 30. Dec. An. C. 1573. æt. 70. Sepultus in Templo S. *Dominici*.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Commenti della Caſa & de' Prencipi d' Eſte.
Hecatommiti, o vero Cento novell.
Diſcorſi intorno al comporre de i Romanzi, delle Comedie, & delle Tragedie, & di altre maniere di poëſie.
Hercole in ottava rima.
Tragedie, ciòe, Orbeccie [?], Cleopatra, Didone, Antivolumini [?], Selene, Epitria, Euſimia, Arenoppia, Altile, Egla, Satira.
Delle fiamme amoroſe parte prima, ciò e Sonnetti & Canzoni.
Diſcorſo intorno à quello che ſi conviene à giovane nobile, e ben creato nel ſervire un gran Prencipe.

Sequentia Manuſcripta non edita hæredibus ſuis reliquit:

Lezioni ſopra le Meteore d' Ariſtote fatte in Pavia, nell' Academia de gli Affidati.
Diverſi Epigrammi.
Verſi Latini ſopra la gran Vittoria Navale contra i Turchi.
Delle fiamme amoroſe parte ſeconda.
Epiſtole famigliari.
Li fatti di Andrea Doria Prencipe di Melfi in Iſtorie Latine ſpiegati.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1574.

BERNHARDUS DESSENIUS CRONENBURGIUS.

AMſtelrodamum patriam habuit, natus An. 1510.

Lovanii primùm Medicinæ operam dedit.

A. 1538. Indè in *Italiam* profectus, eò usque in ſtudio medico proceſſit, ut titulis & honoribus Doctoris fuerit ornatus. *Medicinæ Doctor.*

Bononiæ Præceptorem præter alios Medicos habuit *Helidæum Paduanum.*

Eodem in itinere *Italico Gisbertum Horſtium, Amſtelrodamum* offendit *Romæ* inter primarios Medicos habitum. Hunc, refert, tumbam amplam ſaxeam ad viperas aſſervandas in horto ſuo juxta ædes habuiſſe, ipſasque viperas citra læſionem manibus contrectâſſe.

Medicus Gröningenſis. In *Hollandiam* reverſus, *Gröningæ Friſiorum* urbe novennio artem medicam ære publico profeſſus eſt.

Colonienſis. Indè *Coloniam Agrippinam, Joh. Echtio* inſtitutum adjuvante, digreſſus, ibidem medicinam cum ſalute multorum factitavit. Quod ubi magiſtratus reſcivit, ſtipendio liberali operam ejus conduxit.

Moritur. Ibi diem ſuum obiit Medicus & Botanicus eximius A. 1574. ætatis 64.

Scripta. Poſteritati reliquit *Libros de Compoſitione medicamentorum.*

De peſte Commentarium.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1574.

JOHANNES NÆVIUS.

NAtus *Chemnitii* 29. Aug. An. 1499.

Medicinæ Doctor Ferrariæ. Medicinæ Doctor creatus *Ferrariæ* à *Johanne Menardo* 6. Maji A. 1525.

Medicinam profitetur Annabergæ & in valle Joachimicâ. In patriam reverſus, *Annæbergæ* primò, deindè in valle *Joachimicâ* Poliatri munere functus eſt.

Singularis amicus *Joachimi Camerarii, Babebergenſis*, quo cum adoleſcens ſtudiis incubuit, ut & *Petri Andreæ Matthioli*, Med. Cæſarei, quem inter alios in comportando herbario ſuo egregiè juvit, eique de ſuâ pecuniâ aliquot obſignati argenti pondo ad opus id conflandum contribuit.

12. Sept. A. 1519. primâ philoſophiæ laureâ ornatus eſt *Lipſiæ.*

Eodem anno *Wittenbergam* venit, ibique quadriennium docentibus operam dedit. Indè in *Italiam* profectus, *Bononiam* venit.

A. 1554. & 1564. *Viennam* ad Imp. *Ferdinandum* morbo periculoſo decumbentem evocatus, & in aulâ numinis inſtar habitus eſt.

Archiater Electorum Saxoniæ. Unà cum fratre ſuo *Caſparo Nævio* duobus Electoribus *Saxon. Mauritio* & *Auguſto* fratribus Archiatri munere functus eſt.

Moritur. Obiit A. 1574. die 7. Julii.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1574.

PAULUS CRASSUS.

Medicinæ Profeſſor Patavii. P*Atavinus* ortu, in patrio Gymnaſio cœpit A.C. 1559. cum *Baſſiano Lando Placentino* ad ſtudioſorum utilitatem concurrere in declarandâ Medicinâ Theoricâ ordinariâ: & poſt mortem *Baſtiani* fuit Collega *Bernardini Paterni* in ſecundâ Cathedrâ; vir non ſolùm ſcientiæ medicæ, ſed etiam eloquentiæ laude clarus, optimisque literis tum Græcis tum Latinis ornatus.

Ex hâc vitâ exceſſit A. C. 1574. *Moritur.*

Edidit: *Scripta.*

Anatomen, ſeu *de humani corporis fabricâ Theophili Protoſpatharii, quam de Græco in Latinum ſermonem convertit.*

Aretæi, Rufi Epheſii & Galeni libros complures convertit.

De Balneis agri Patavini.

Annotationes in Theophraſti Libros de Plantis.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

Joh. Sambucus in Lib. Iconum Medicorum hoc ei ſubſcripſit Elogium: *Elogium.*

Nil commune tenet nomen cum pectore ſacro,
Subtili Ingenio tot monimenta fluunt.
Plurima convertit, ſcripſit ſua, cujus Aretæus
Quàm proprio mavult tegmine ubiq; loqui.

Obiit A.C. 1574.

PHILIPPUS DORSTENIUS.

MArpurgenſis natus, patre Medico & Philoſopho, ad ſtudia appulit & ipſe animum. Ideòque cum percepiſſet ea, quæ iſthæc ætas ferebat, & illi imprimis neceſſaria ſunt, qui, quæ in naturâ retruſa ſunt & abdita, noſſe cupit, ad peregrinationes adjecit animum, idque eo conſilio, ut quæ didiciſſet artium & medicinæ præcepta & inſtituta, eadem uſu rerum confirmaret & experientia. *Peregrinationes inſtituit.*

Atque ſic quidem, cum non minus induſtriâ quàm ſcientiâ auctus ex *Italiâ* rediiſſet, Procerum Academicorum conſenſu doctrinæ & virtutis inſignia non ſine virtute indeptus, in Medicorum numerum cooptatus eſt, oratione prius 27. Maji A. 1571. de artis medicæ difficultate & præſtantiâ habitâ. Sed enim cum operam patriæ, à quâ ſumma quoque acceperat, reddere pararet, in quo quaſi aditu & limine morte præmaturâ oppreſſus animam, quam in eâdem hauſerat, iſtic quoque poſuit 6. Martii anno 1574. vix triennium Profeſſoris perfunctus munere. *Medicinæ Doctor creatus, inſimulque in numerum Medicorum cooptatus eſt. Moritur.*

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1574.

HIERONYMUS AMALTHÆUS.

Medicus & Poëta. I*Talus* ortu, Philoſophus & Medicus præſtantiſſimus fuit, ea morum ſuavitate, ut vel ſolo aſpectu omnium in ſe benevolentiam alliceret. In verſibus pangendis prætereà ita excelluit, ut M. *Ant. Muretus*, acerrimus harum rerum Judex, ei inter *Italos* palmam detulerit.

Obiit 13. Kal. Octob. A.C. 1574. ætatis 67. *Opitergii* in patriâ. *Moritur.*

* *Ex Elogiis Thuaneis Virorum doctorum C. B.*

JOHAN-

Obiit A.C. 1574.

JOHANNES GUINTERIUS.

NAtus eſt parentibus tenuis fortunæ, ſed honeſtis *Andernaci Ubiorum* oppido ad *Rhenum* ſito, quod A. 1120. ab Epiſcopo *Colon.* muris cinctum, & in urbis formam ex pago redactum eſt A. 1487.

An. ætat. quarto in ſcholam *Andernaci* ab Epiſcopo *Colon. Saladino* apertam miſſus, literarum Elementa velociter arripuit. Ex quâ *Ultrajectum* progreſſus, *Lamberto Hortenſio* condiſcipulo uſus eſt.

Indè *Daventriam* venit, ubi mendicato vivere coactus eſt.

Tum *Marpurgum* adiens, brevi ibi tantum profecit, ut *Goslariam* ad juventutem erudiendam invitatus ſit. Sed nec diu ibi ſubſiſtens, *Lovanium* venit, ibique linguam *Græcam* publicè docuit, inter alios auditores habens *Joh. Sturmium* & *Andream Veſalium*. *Linguæ Græcæ Profeſſor Lovanii.*

Cum autem ad Medicinam animo propenderet, *Lutetiam Pariſ.* conceſſit, ubi *Hippocratem* & *Galenum* Latinè traduxit. Paulò pòſt *Lutetiæ*, Regis *Franciſci I.* liberalitate, commendante eum *Joh. Bellaio*, Card. *Germanorum* fautore, Medicinæ lauream adeptus, & Medicus Regius ſalutatus eſt. Tum non ſolùm Medicinam feliciter exercuit, ſed & Anatomiam hactenus neglectam in uſum revocavit, quam diſcipulus ejus *Andreas Veſalius Bononiæ* poſteà edidit. *Medicus Regius Galliæ.*

Cum itaque fama ipſius emanâſſet, à *Daniæ* Rege invitatus, modeſtè abnuit.

An. 1535. cum jam 12. annos in *Galliis* exegiſſet, ortis belli tempeſtatibus *Metim* commigravit, ubi cum aliquandiu Medicinam feciſſet, *Argentoratum* tandem conceſſit, ibique tum in ſcholâ *Ariſtotelem* & *Demoſthenem* interpretatus eſt, tum civibus medendo operam dedit. *Medicus Argentoratenſis.*

Sed cum petulantia quorundam lites ei moviſſet, profitendi munus depoſuit, ac artem duntaxat medicam exercere perrexit.

Uxores habuit tres: primam familiâ nobili in *Galliâ* natam, quam *Pariſiis* duxit, & *Meti* amiſit, alteram è *Scherorum* genere, quæ *Argentorati* obiit, tertiam ex *Hædlinorum* familiâ, quam viduam reliquit.

Doctrinæ & virtutis nomine ab Imp. *Ferdinando I.* nobilitatis inſignibus & privilegiis fuit donatus, diploma perferente *Michaële Toxite*, quondam *Guinterii* diſcipulo.

Argentorato ad *Lazarum Schwendium*, Baronem virtute bellicâ celebrem, valetudinis cauſâ evocatus, in febrim ipſe ardentem incidit, ex quâ domum reportatus, ad vitam meliorem tranſiit 4. Octob. A. 1574. ætatis 87. *Moritur.*

Argentorati ad S. *Gallum* cum alterâ uxore ſepultus.

Edidit: *Scripta.*

Commentarios duos de medicinâ veteri & novâ tum cognoſcendâ tum faciendâ.

Pauli Æginetæ libros VI. Commentariis illuſtratos.

De balneis & aquis medicatis.

De compoſitione & uſu medicamentorum.

De peſte libellum, cum A. 1564. per Rheni tractum illa graſſaretur.

* *Ex Melch. Adam. Vitis Medicor. & aliis.*

Obiit A.C. 1575.

LUDOVICUS AGNELLUS.

P*Atavinus*, magnam ſpem ſui concitaverat, præclaris quæ dederat monumentis ingenii & doctrinæ ſuæ. Itaque factus fuerat Collega *Bernardini Triviſani* in tertio loco ad Medicinam Theoricam extraordinariam explicandam, ſucceſſor *Sebaſtiani Marcellani Patavini* A. 1564. Succeſſit poſteà *Hieronymo Nigro* ad Medicinam Practicam extraordinariam declarandam An. 1574. *Medicinæ Profeſſor Patavii.*

Obiit anno ſeq. 1575. *Moritur.*

* *Ex Gymnaſio Patavino Antonii Riccoboni.*

Obiit A.C. 1575.

ALEXANDER SERATICUS.

A*Lexander Seraticus*, Phyſicus & Chirurgiæ deditiſſimus, cujus notitiâ, & proſpero curationum eventu magnum ſibi decus comparavit, cum ad profitendum publica publicè Chirurgiam à primariis *Italiæ* Gymnaſiis invitaretur, privatis commodis & dignitati maluit patriæ charitatem anteferre: nam ingruente peſtilentiæ tempore ſtrenuam operam navavit in viſendis, & curandis intrepidè ægrotis, qui in publico Lazareto, & Noſocomio ab aliis ſecreti decumbebant, & ſicuti publico Civitatis decreto electus, ita perhonorifico honorario fuit cohoneſtatus; cujus rei memoria publicis hiſce tabulis eſt conſignata: *Medicus Peſtilentiarius Veronenſis.*

Die Mercurii 17. Aug. A. 1575.

Pro recognitione ſervitutis, & mercedis Excell. Artium, & Medicinæ Doctoris Domini Alexandri Seratici, qui diligenter ſervivit officio ſanitatis in curando morbo contagioſo, & eundo etiam ad Lazaretum terminatum fuit, ut eidem dono dentur duo pocula argentea valoris ducatorum triginta de bonis Hoſpitalis, in quibus cælentur inſignia Magnificæ Communitatis Veronæ, pro majori erga eum grati animi, & memoriæ ſignificatione.

Die Jovis 22. Sept. A. 1575.

Pro Excell. Phyſico D. Alexandro Seratico prædicto, cui in poculis argenteis confectis Venetiis pro dono, juxta terminationem diei 17. Aug. proximè præteriti fuit deliberatum, ut dentur ducati viginti pro recognitione ſervitutis ſuæ.

Die Saturni 20. Jan. A. 1576.

Pro heredibus q. Excell. Artium, & Medic. Doct. D. Alexandri Seratici.

Habitâ conſideratione ſuper ſervitute præſtita per ipſum quoque Excell. Phyſicum D. Alexandrum Seraticum, qui afflictionis ægritudinis contagioſæ tempore, quæ anno proximo præterito in hâc Civitate circiter quatuor menſes ſævivit, ſervitio Civitatis & officio ſanitatis paſſus multis laboribus, & periculis præſertim inviſendis infirmis in loco Lazareti ex hâc vitâ migra-

Moritur. *migravit, non ſine magno civitatis dolore, & damno ſuæ familiæ: undè ejus memoria ſilentio minimè prætereunda eſt, immò aliquo munere decoranda, & aliquo gratitudinis ſigno in ipſius heredes utendum eſt; ut cuique notum ſit, quam magnifica hæc Civitas quorumcunque ſervitutem, quæ ab omnibus civibus undequaque Civitati præſtatur, terminatum fuit, quod dentur ipſis heredibus de bonis Hoſpitalis, ducati 50. auri in auro, pro conſtruendâ ſepulturâ dicto D. Alexandro, nec non dentur ducati 25. Domino Hieronymo ejus Nepoti ſingulo anno per ſeptennium in medicinâ ſtudere volenti, & procuretur omni ſtudio & diligentiâ, ut habeat ipſe nepos unum ex legatis relictis olim pro ſtudendo, & ſi ipſum legatum non habuerit, dentur ducati 50. eidem per ſeptennium, ut ſupra, dummodo ſtudeat, & non aliter.*

In tumulo lapideo exiſtenti in Eccleſiâ ſubterraneâ S. *Firmi* majoris *Veronæ* per oppoſitum altaris ſanctæ *Catharinæ* extat arca lapidea eminens, & in muro fixa, cum alio lapide ſub ea, in quo inſculpta ſunt hujuſmodi verba:

Epitaphium. ALEXANDRO SERATICO MEDICO, ET PHILOSOPHO PRÆSTANTISSIMO, QUI SÆVITER GRASSANTE PESTE DUM PATRIÆ CHARITATE DUCTUS CIVIUM SALUTI CONSULIT, SUMMIS PERFUNCTUS LABORIBUS DIEM OBIIT. MEM. VER. HONORIS ERGO MUNUS SUPREMUM P. M.D.LXXV.

* *Ex Collegii Veronenſis Medicis illuſtribus Andreæ Chiocci.*

HADRIANUS JUNIUS.

Obiit A.C. 1575.

HOrnæ, civitate *Batavica*, natus, Patre Conſulari 1. Julii An. 1513. Philoſophus, Medicus, Hiſtoricus & Poeta, per *Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Germaniam*, & *Angliam* peregrinatus, medicinam exercuit.

Medicus In patriam reverſus, *Harlemi* uxore ductâ, medicinam ibi cum laude exercuit, & ludum literarium quibusdam aperuit. In *Italiâ* Medicinæ Doctor creatus. *Harlemo* furore militari depulſus, ad *Armuidam* juxta *Middelburgum* ſe contulit, ubi præ mœrore præter alia Bibliothecæ ſuæ *Harlemi* direptæ, in lethalem morbum incidit, & animam Deo reddidit 16. Jun. A. 1575. æt. 63. *Moritur.* *Middelburgi* ſepultus. Academiæ naſcentis tum Profeſſor deſtinatus, morte abreptus inchoare munus non potuit.

Scripta. Edidit: *Commentarium de anno & menſibus.*
Animadverſionum libros ſex.
Calendarium.
Hiſtoriam Batavię.
Nomenclaturam, Emblemata, Ænigmata, Carmina & Epiſtolas.
Stromatum opus eximium.

A. 1554. *Philippeida* ſcripſit, cum *Philippo II. Hiſp.* Regi *Maria, Henrici VIII.* Regis filia nuberet.

Linguas, præter vernaculam, ſeptem tenuit, *Græcam, Latinam, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, Germanicam & Anglicam.*

ANDRAS PETRI.

Obiit A.C. 1575.

MEdicus *Italus*, cum in curandis varii generis morbis ſingulari dexteritate experientiſſimi etiam Medicis ſuſcipiendâ prædirus fuiſſet; ut ei arti promovendæ (cujus favore religionis causâ exul *Baſileæ* degerat) aliquid conferret, undè ſuas opes conſecutus erat, Auditorium Medicum Academiæ *Baſil.* amplo ſtipendio auxit, volens ut qui diſcipulus eo frueretur, Doctor tandem egenis ope & conſilio ſublevandis devinctus eſſet. Obiit poſtridie Natalis Domini, anno 1575. *Medicus Baſil.* *Moritur.*

Inſcriptio ſepulchri ejus talis eſt:

Epitaphium.

D. I. S.
QUI ROMA ALTRICE, ITALIA GENITRICE, SPONTE EXCEDERE QUAM CHRISTUM NEGARE MALUIT:
CUI BLANDISS. PURGATIONUM ASSIDUITATE FEBRES, CATARRHI, PODAGRÆ, ISCHIADES, CHIRONIA GALLICAQUE CED. ULCERA:
QUEM ANNIS FESSUM SED MENTE AC SENSUB. INTEGRUM
SI FORTE INEXPECTATA, SALTIM MORS EXOPTANDA INTER COMPLEXUS AMICISS. PLACIDE INTERCEPIT,
ANDREAS PETRI HEIC PERUSINUS ERGA PAUPERES VIVENS SIMUL ATQUE MORIENS LIBERALISS.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſil. Chriſtiani Urſtiſii.*

CONSTANTIUS VAROLIUS.

Obiit A.C. 1575.

NAtus *Bononiæ*, Patre *Sebaſtiano*, cum in ſtudio Medico & Anatomico multum profeciſſet, publicam in patriâ Chirurgiæ Profeſſionem per ſeptennium exercuit. *Chirurgiæ Profeſſor Bononiæ.*

Accerſitus deindè *Romam*, à Papâ *Gregorio XIII.* hujus Archiater, & in Academiâ Anatomiæ Profeſſor publicus factus, brevi celebris evaſit, præſertim ob ſingularem calculos è veſicâ hominum extrahendi peritiam. *Anatomiæ Profeſſor Romæ. Lithotomus inſignis.*

Primus etiam nervorum opticorum originem ex ſpinalis medullæ principio, contrà communem priorum Medicorum opinionem, invenit, & ideò ab *Hieron. Mercuriali* ac *Dominico Leone*, Medicis claris, in Scriptis eorum ſummè laudatus eſt.

Morte præmaturâ abreptus obiit *Romæ* A.C. 1575. ætatis tantum 32. Sepultus in Templo S. *Marcelli*, cum hoc Epitaphio: *Moritur.*

Epitaphium.

DEO OPT. MAX.
SEBASTIANUS VAROLIO PATRI, ET CONSTANTIO FILIO, VIX TRIUM ET VIGINTI DIERUM SPATIO EI SUPERSTITI, QUI MEDICINAM ET CHIRURGIAM PERCALLENS, ERUENDI CALCULI PERITISSIMUS, CUM IN ROMANO GYMNASIO ANATOMICAM LECTIONEM SECTIONEMQUE PROFITERETUR, GREGORIO XIII. PONT. MAX. ADMODUM GRATUS ANNO ÆTATIS SUÆ XXXII. IGNOTO MORBO OPPRESSUS DECESSIT.

FRAN-

Franciſca de Angelis marito, et filio, Portia de Violis Socero et marito Bonon. de se opt. merit. moestiss. P. P. Obiit Anno Sal. Hum. MDLXXV.

Scripta:

Scripta. *De Origine Nervorum Opticorum.*
Epiſtolæ medicinales.
Anatomia Lib. IV.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

ALOYSIUS BELLACATUS.

Obiit A.C. 1575.

Natus eſt *Patavii* An. C. 1501.

Philoſ. & Med. excellens. A primis annis literis ſtudiis deditus, Philoſophiæ primùm, deindè Medicinæ ſcientiam adeptus, ſic in utrâque excelluit, ut omne ævum in his conſumpſiſſe videretur.

Propter aſſiduam in ægris curandis operam poſteritati nullum monumentum literarium relinquere potuit: ſed patriam propriâ virtutis gloriâ, & filios divitiis auxit.

Moritur Patavii. Ultimum diem clauſit *Patavii* 12. Cal. Dec. A. C. 1575. æt. 74.

Sepultus in Eccleſiâ *Patrum Eremitarum D. Auguſtini.*

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Scripſit:

Scripta. *Conſultationes aliquot pro variis affectibus, quæ extant in Conſiliis Joh. Bapt. Montani, & Victoris Trincavellii.*

NICOLAUS MOEGLINUS vel MOEGLINGUS.

Obiit A.C. 1576.

Tubingæ lucem hanc aſpexit ſub annum 1535.

A. 1554. In Academiâ patriâ Philoſophiæ Magiſter renuntiatus pridiè S. *Jacobi*, *Doctor Medicinæ.* poſteà ad artem medicam animum appulit, in quâ & Doctor creatus eſt.

Medicus Reutlingenſis. Indè *Reutlingæ*, *Sueviæ* oppido, ſedem fixit, & medicinam ad vitæ usque exitum factitavit per annos ſeptem.

Abiit ad vitam meliorem 15. Januarii An. 1576. æt. 41.

Fratres habuit *Wilhelmum* & *Danielem*, utrumque Medicum, è quibus *Daniel Johanni Fiſchero*, Medico *Tubingæ*, in Profeſſione ſucceſſit, ac Principi *Wirtenbergico* à curâ corporis, ut & anteà *Ludovico*, Electori *Palatino*, fuit.

Itaque non immeritò vir quidam doctus de trigâ hâc fratrum ſcripſit:

Permagnum & rarum eſt, tres magno nomine fratres
Doctores medicos unum aluiſſe patrem.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

NICOLAUS CURTIUS.

Obiit A.C. 1576.

Medicinæ Profeſſor Patavii. *Brixianus*, cum in Gymnaſio *Patavino* explicâſſet librum tertium *Avicennæ*, A. 1554. & Sophiſticen A. 1555. & poſitus fuiſſet in ſecundo loco Medicinæ Practicæ extraordinariæ, Succeſſor *Andreæ Appellati* itidem *Brixiani* An. 1559. Collega erat *Mariani Stephanelli* in æqualitate primi loci A. 1571. ſucceſſitque *Paulo Craſſo*, Philoſopho & Medico celebri, ad Medicinam Theoricam ordinariam explicandam, Collega *Bernardini Paterni* A. 1574. cumque in patriam ſuam iviſſet, ut *Patavii* peſtilentiam fugeret, *Brixiæ* peſtem incurrit, eamq; vitare non potuit A. C. 1576. *Peſte obiit.*

Corpore parvo præditus, *Nicolinus* vulgò vocabatur.

* *Ex Gymnaſio Patavino ab Antonio Riccobono edito.*

JOHANNES PHILIPPUS PRATENSIS.

Obiit A.C. 1576.

Eruditione multiplici rerum philoſophicarum & medicarum ornatus, poſt longinquas in *Italiâ*, *Galliâ*, & *Germaniâ* peregrinationes in Academiâ *Hafnienſi* quinquennio medicam artem publicè docuit. *Medicinæ Profeſſor Hafn.*

Fuit autem præclara ejus in faciendâ medicinâ utrâque *Galenicâ* & *Paracelſicâ* dexteritas, ſolertiâ, fœlicitas, & induſtria, quo nomine apud ſummos quosque viros erat imprimis gratioſus.

Accelerat ille firmo, ut ſibi videbatur, corpore, horâ poſt meridiem tertiâ, conſuetum docendi locum, & auditoribus jam quædam proponere cœperat, cum tuſſis vehementior, quæ aliàs ſemper domi foriſque ei erat infeſta, eum corriperet.

Admonitus autem fuerat ab amico quodam ſuo, ut eâ horâ ſe domi potius contineret, quod facies ſolito pallidior valetudinem promitteret minus firmam.

Sed ut erat infracto ad omnes eventûs paratoque etiam ad moriendum animo, cumque nihil haberet priùs, quàm ſi ſuo ſemper loco & tempore, cum res pateretur, in ſcholâ doceret, alacriter in propoſito perſtitit.

Cum verò tuſſi eâ per vehementiorem exſpirationem expedire ſe conaretur, ruptâ fortaſſis venâ aliquâ, magnam ſanguinis copiam exſcreatione profudit. Quo animadverſo faciem ab auditoribus avertit, moxque obvelato togâ capite in medio ſubſellio ad pedes majore copiâ cruentam exſpuitionem rejecit.

Ita igitur cum dolore urgeretur, auditorum opem imploravit: Juvate, ferte opem! inquiens; atque denuò in maximâ copiâ ſanguinem evomuit. Intereà allatum aquam juſſu & petitione ejus excurrit quiſpiam, quam allatam cum ambabus manibus ori admoveret, nec ſanginis tamen fluxus ceſſaret, ſed majore etiam copiâ efflueret, bis in hæc verba erupit: *Domine JESU, eſto mihi propitius! Domine JESU, ſuſcipe ſpiritum meum!* Mox ſublatis manibus & facie cœlum verſus converſâ, inter auditorum manûs, tribus vel quatuor editis ſingultibus, animam DEO commendavit, & exſpiravit 1. Junii A. C. 1576. ætatis 32. *In cathedrâ ex hæmoptyſi obiit.*

Epitaphium Joh. Pratenſis in Sacello Medicorum *S. Rochii* in Templo B. *Virginis*, in pariete fixum:

Epitaphium. ADVENÆ HIC ESTIS, PATRIAM QUÆRITE, Ô FALLACES HOMINUM SPES! NE FESTINA, VIATOR, VITÆ ET VIÆ MEÆ MODUM ACCIPE, SIC ABI.

JOHANNES EGO PRATENSIS PHILIPPO PATRE GALLO, REGIBUS OLIM AB OFFIICIS CARO, ARHUSIÆ CIMBRORUM NATUS FUI. INGENII DOTES ET MORUM, QUÆ MULTOS MIHI PEPERIT AMICOS, FORMAM COMMENDENT, SI VELINT, POSTERI: MIHI VITÆ FONTEM COGNOVISSE ET AMASSE LUCRUM FUIT.

QUINQUENNIUM IN HAC SCHOLA MEDICA ET PHILOSOPHICA PROPOSUI, AT VERO DUM PUBLICO FUNGOR DOCENDI MUNERE NON IMPROVISO SED SUBITO MORTE OCCUPOR. SIC DEBUI, SIC DECUIT.

NEXUS CORPOREOS CELERI SOLUTIONE LINQUENS QUANTUM POTUI LANGUIDA LINGUA DIXI CHRISTO DEO, SPIRITUM UT SUSCIPERET: RELIQUA COR PEREGIT, ET INDISSOLUBILI FOEDERE ÆTERNUM PERAGET.

SI LACHRYMIS, SI MOERORE ACERBUM FLECTI POTUISSET FATUM, TRISTE HOC JAM CARÆ MEMORIÆ OBSEQUIUM INCOMPARABILI AMICO NON DETULISSET PETRUS SEVERINUS MED. DOCT.

VIXIT ANNOS XXXII. MENS. VI. DIES III. OBIIT ANN. SAL. MDLXXVI. VAL. JUL. HOR. III.

Scripſit:

Scripta. *De ortu, progreſſu, ſubjectis & partibus artis medicæ.*

Poëma ad P. Severinum, in calce Ideæ Philoſophicæ.

Carmen Gratulatorium, & Eclogam Daphnis, quæ extant in Bibliothecâ Hafnienſi.

Prognoſticon Aſtrologicum ſuper Revolutiones Planetarum Syzygias ad ann. 1566.

* *Ex Ciſtâ Medicâ Thomæ Bartholini.*

* * *

Natus eſt *Arhuſiæ Cimbrorum* An. C. 1543. Patre *Philippo Gallo*. Inſcriptus in album Univerſitatis, Rectore D. *Bordingo* A. 1560. Baccalaureus Philoſophiæ à Decano M. *Johanne Saſceride* An. 1563. & eodem anno à Vice-Decano M. *Nicolao Scavenio* Magiſter creatus eſt, unà cum *Petro Severini*, cujus fidelis Achates & *Italici* itineris comes mox fuit. *Philoſophiæ Baccalaur. & Magiſter.*

Medicinæ Doctor. Medicinæ Doctor creatus, ad artis illius profeſſionem in Acad. *Hafnienſi* receptus eſt An. 1571. cum Profeſſoribus teſtimonium ſuæ Promotionis oſtendiſſet, & ex receptâ Academiæ conſuetudine juramentum præſtitiſſet.

Laborabat catarrho ſatis periculoſo annos aliquot, undè ipſe aliquoties paulò ante obitum periculum ſibi fore præſenſerat. Cum amicis adeòq; cum omnibus vivebat tam benevolè, ſuaviter, jucundè & amicè, ut nihil eo ne fingi quidem poſſet humanius & jucundius.

Funus ejus Programmate publico à Rectore Academiæ *Hafnienſis* Civibus Academiæ indictum eſt.

LapidiSepulcrali hæc inſcripta leguntur:

JOHANNIS PHILIPPI PRATENSIS MEDICI ET PHILOSOPHI CLARISSIMI OSSA HIC QUIESCUNT. MENS COELO FRUITUR. AD TUBÆ ANGELICÆ CLAMOREM TUMULUS HIC DEPOSITUM BONA FIDE REDDET. MORITUR ANNO MDLXXVI. DIE I. JUNII HORA III. P. S. A. S. P.

* *Ex Academ. Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

HIERONYMUS CARDANUS.

Obiit A. C. 1576.

Patritius *Mediolanenſis*, qui in Academiâ *Patavinâ* prima virtutis ſuæ rudimenta hauſit, Mathematum inſignis cultor & explicator ſupra cœteros propter edita ingenii monumenta toti terrarum orbi probata præconiis efferendus.

Natus eſt 24. Sept. A. C. 1501. ex Matre *Clarâ Micheriâ*, & Patre ſene *Facio Cardano*, illuſtri Jurisconſulto.

Per vim ex utero extractus (ut ipſemet teſtatum reliquit) revixit lavacro vini, capillatus antequàm natus, alter enim capillus, prælongus, & craſſior ei naſcenti fuit. *Capillatus utero extractus.*

Infans frigidis humoribus obnoxius, procedente ætate, totoque reliquæ vitæ curſu utramque Fortunæ aleam expertus eſt.

Modò enim calamitatibus vexato bonorum Ilias occurrebat, modò bonis ingentibus affluentem calamitatum Miriades adoriebantur.

Propter Aſtrologiæ, Metopoſcopiæ & Chiromantiæ cognitionem ſingularem multis Magnatibus gratiſſimus extitit. Sæpè per ſomnum admonitus, non levia pericula evaſit, & quod adjutus à Numine non obſcurè multa conſcripſerit, perſuadere poſteris conatus eſt. *Aſtrologus & Chiromant.*

Prolis deſiderio uxorem duxit perſpicacem, quæ tres maſculos abortivit, duos edidit, & puellam unam, obiitque poſtquàm annis 15. ſecum vixiſſet, agente tum *Cardano* annum 46. *Conjugium ejus, & Liberi.*

Ex filiis *Baptiſta* ob venenum uxori propinatum *Mediolani* capite plexus eſt, teſte *Andreâ Colagio in Natalibus Virorum illuſtrium*, qui & alterum ejus filium *Cavalerotum* A. 1536. ſclopeto periiſſe ſcripſit.

Scriptioni deditus, multa publicis tabulis conſignando mandavit, cumque podagræ doloribus fuiſſet obnoxius, eos non aliâ ratione lenire ſolitus eſt, referente *D. Scipione Gentili*, quàm ſi in ſtudia ſe abdens, quaſi extra ſe raptus, ſenſum omnem corporis amiſiſſet. *Podagram ſtudiis curavit.*

Novarum rerum inventione felix plura ſcripſit, quàm legerit, plura docuit, quàm didicerit: laudis enim maximè appetens, immodicâ ſciendi cupiditate flagravit.

Statuiſſe fertur milleſimo quoque anno vix unum perfectum Medicum in mundo exi-

Digitized by Google

exiſtere, & ſuperbiuſculè Septimum ſe eorum feciſſe.

Moritur. Senex tandem naturæ legibus ſatisfecit *Romæ* 9. Cal. Octob. A. C. 1576. ætatis 75. quo die & anno ſe moriturum prædixerat. Sepultus eſt *Mediolani* in Eccleſiâ *D. Marci* eo in tumulo, quem *Facio Cardano* Patri ipſe poſuerat, hisce verbis:

Epitaphium.

FACIO CARDANO J. C.
MORS FUIT ID QUOD VIXI, VITAM MORS DEDIT IPSA:
MENS ÆTERNA MANET, GLORIA, TUTA QUIES.
OBIIT ANNO MDXXIV. IIII. KAL. SEPT. ANNO LXXX.
HIERONYMUS CARDANUS MEDICUS PARENTI POSTERISQUE V. P.

Scripta. Scripſit & edidit:

De Secretis Lib. I.
De Libris propriis Lib. I.
Conſilia medica varia.
De Experimentis Lib. I.
De Rerum varietate Lib. XVII.
D Subtilitate Lib. XXI.
Contradicentium Medicorum Lib. cont. Contradictiones 1081.
De malo recentium Medicorum medendi uſu Libell.
De Sanitate tuendâ & vitâ producendâ Lib. IV.
Commentar. in Libros Hipp. & in Mundinum.
in artem parvam medendi.
De Urinis Lib. IV.
Problematum Lib. X.
De Salſa parilla & Chinâ radice.
De Indico morbo Lib. VIII.
Encomia Medicinæ, Geometriæ, Neronis, & Podagræ.
De Somniis Libros IV.
De Metopoſcopia Lib. I.
De judiciis geniturarum.
De Gemmis & Coloribus.
Elementorum Geometricorum Lib. XV.
De Naturâ Lib. V.
De Fato Lib. V.
De Ludis Lib. I.
De Arithmeticâ Lib. V.
De Muſicâ Lib. V.
De Supernaturalibus Lib. II.
De Conſolatione Lib. III.
De Sapientiâ Lib. V.
De Summo bono Lib. I.
De utilitate capiendâ in rebus adverſis Lib. III.
De Animæ immortalitate Lib. I.
Moralium Lib. III.
De Arcanis Æternitatis Lib. VII.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

BRUNO SEIDELIUS.

Clar. A.C. 1577.

Floruit circa annum 1577.

Natus eſt *Querfurti*, loco honeſto, die *Michaëli* ſacro.

Patrem habuit *Jacobum*, Matrem *Dorotheam Bergfridam*, quam 13. April. A. 1550. mortuam ipſe & frater *Joſias Seidelius* Epitaphiis carminicè defleverunt.

Wittenbergæ potiſſimùm & *Erfordiæ* ſtudiis operam dedit.

Wittenbergâ relictâ, *Germaniam* peragravit. Poſteà *Norimbergæ* diutiùs, quàm optaſſet, ob belli tumultus ſubſtitit.

Noribergâ Auguſtam venit, tandemque *Arnſtadii*, Comitum *Schwartzenburgicorum* ſede, ubi ſchola publica fuit aperienda, medicinam factitavit. *Medicus Arnſtadienſis,*

Exindè *Erfordiæ* & Philoſophiam publicè docuit, & artem medicam exercuit, ſcriptisque promovit, *Hipp.* & *Galeni* ſectator ſtudioſiſſimus. *& Erfordienſis.*

Inter diſcipulos ipſius quaſi lumen enituit *Rodolphus Goclenius*, Philoſ. Prof. *Marpurg.* qui Magiſtri ſui memoriam, editis & locupletatis Commentariis olim ex ore dictantis exceptis, conſervavit.

Amicitiam ſingularem coluit cum *Joach. Camerario*, & *Joh. Poſthio*, Medico.

Monumenta literis mandata reliquit:

Scripta. *Poëmatum Libros VII.* in quibus *Elegiæ, Ode, Idyllia, & Epigrammata.*

De uſitato Urinarum apud Medicos judicio tractatum.

Librum, quo morborum incurabilium cauſæ mira brevitate explicantur.

De ebrietate libros tres.

Phyſicam ab obitu ejus editam.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

ADAMUS BODENSTEIN.

Obiit A.C. 1577.

Patrem habuit *Andream Bodenſteinium, Caroloſtadium* à patriâ dictum, Theologum ſat notum.

Natus eſt circa annum 1528.

Admodùm adoleſcens Patrem cum amiſiſſet, ad medicinam animum appulit. *Theophraſti* autem *Paracelſi* ſectam amplexus, *Baſileæ* ferè primus ac princeps ejus artem ore & opere propagavit, non ſolùm morborum inſanabilium plenam ſanationem, ſed etiam vitæ producendæ rationem profeſſus. *Medicus Baſileenſis.*

Vitam intemperanter, ut ferunt, hùc illùc vagando actam finiit peſte extinctus An. 1577. ætatis 49.

Baſileæ de ſuâ voluntate tali *Epitaphio* honoratus:

Epitaphium.

HYGIÆ ÆT.
ADAMUS A BODENSTEIN THEOPHRASTI PARACELSI UT PRIMUS SIC FIDUS SCITUSQUE OPERE ET ORE INTERPRES, PALMAM VICTORIÆ SUÆ REGI TRIUMPHANTI OBLATURUS, MORTALITATIS EXUVIAS NEC METUENS, NEC OPTANS, SOLO HOC COELOQUE LIBERO HOMO LIBER FIDE DEPOSUIT BONA: QUAS SPE BONA OLIM REPETAT. AN. SAL. MDLXXVII. ÆTATIS HEBDOMADE SEPTIMA.

Nec omnia, nec omnes mihi
Placuêre, quî nam ego omnibus?
Non omnibus Cous ſenex
Nec eremita Spagirus:
Num tu, Viator, omnibus?
DEO placere cura. Abi.

Vertit *Theoph. Paracelſi libros Germanicè ac Latinè*, eosque edidit.

Scripta. Scripſit *Tractatum de præſerv. Podagræ.*

De herbis 12. Zodiaci ſignis dicatis.

A. C. 1576. Peſte *Baſileæ* graſſante, Theriacam peculiarem Chymicè compoſuit, de eâque libellum edidit, in quo promiſit, ſe cum hâc Theriacâ omnes à peſte præſervaturum, eâque infectos curaturum. Sed ipſe artifex anno ſeq. peſte abreptus obiit, licet nullus tunc temporis in illâ plateâ, quâ habitavit, ægrotus decumberet.

* *Ex Melch. Adami Vitis Medic. & aliis.*

Obiit A. C. 1577.

PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS.

Archiater Cæſareus. Medicus *Senenſis* præſtantiſſimus, Archiater deindè Cæſareus ſtudioſis inſervire cupiens, multa eruditè ſcripſit & edidit. Obiit tandem An. C. 1577. ætatis 77. Sepultus jacet *Tridenti* in Templo Cathedrali, cum hoc Epitaphio:

Saxa quidem abſumit tempus, ſed tempore nunquàm
Interitura tua eſt gloria, Matthiole.

Edidit:

Scripta. *De morbi Gallici curatione lib. per dialogum digeſtum inter ſe & Franciſcum Aligerum.*

Diſputationem adverſùs XX. Problemata Melch. Girlandini.

Epiſtolarum Medicinalium Lib. V.

De ſimplicium medicamentorum facultatibus, ſecundùm locos & genera Opuſculum.

Compendium de Plantis omnibus, unà cum earum iconibus, de quibus ſcripſit in ſuis Commentariis in Dioſcoridem.

Commentar. in Libros VI. Dioſcoridis de materiâ medicâ, qui ſæpiùs *Italicè* editi, poſtremò ab ipſo authore in linguam Latinam translati ſunt. Adjectæ ſunt *innumeræ plantarum & animalium imagines ad vivum expreſſæ.* Et quia in tanto opere nihil quicquam deeſt, quod ad delectationem & maximam Medicorum & Pharmacopæorum utilitatem faciat, *Guilielmus Rovillius* curavit, ut opus hoc in Linguam *Gallicam* converteretur, eorum gratiâ, qui Latinam ignorant.

* *Ex Promptuar. Iconum inſignior, Guil. Rovillii, Part. II.*

* * *

Scripſit quàm plurima, quæ doctorum manibus volvuntur. Inter hæc eſt *Dialogus inter ſe & Franciſcum Aligerum*, qui pro libro uno eſſe poteſt, *de ratione curandi morbum Gallicum. Comment. in Lib. VI. Dioſcoridis* in *Gallicam* quoque linguam ſunt translati, per *Joh. Molins*, Med. D. In Bibliothecâ Imp. *Viennæ* Simplicia omnia juſtis coloribus illuſtrata videntur.

Extat ejusdem *Apologia*, quâ ſe ab erroribus & calumniis vindicat, quibus notatur ab *Amato Luſitano*, Medico, in enarrationibus, quas in *Dioſcoridem* edidit. Item Objectiones, quibus errata *Amati* patefacit.

* *Ex Vitis Virorum doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

* * *

Senis, nobili *Hetruriæ* Civitate, *Fr. Matthiolo*, & *Lucretiâ Bonniuſegniâ* natus, annos cum ſæculo numerabat, magni nominis Medicus, & imprimis famoſo illo Botanico Opere toties recuſo clarus, cum in aulâ Cæſareâ diu magnâ cum laude vixiſſet, ex duabus uxoribus (nam plures alias poſt alias duxit) altera quidem *Hieronymâ*, ex Comitum *Varniæ in Sonti* à familiâ, *Ferdinandum* & *Maximilianum*; ex alterâ *Suſannâ Cherubinâ Tridentinâ Petrum Andream* ſibi cognominem, *Lucretiam* & *Euphemiam* ſuſcepit, qui paternam gloriam ſive doctrinâ, ſive moribus intermori minimè paſſi ſunt. *Tridenti* tandem, ubi ſedem fixerat, mortuus eſt A. C. 1577. æt. 77. Filii ejus.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A. C. 1577.

PETRUS NONIUS.

Medicus. Mathemat. Rtu *Luſitanus*, Profeſſione Medicus, & Mathematicarum artium peritus, quas etiam doctis de Arithmethicâ abſtruſione, Opticâ & Aſtronomiâ Libris editis plurimùm illuſtravit. Obiit An. C. 1577. ætatis 80.

* *Ex Elogiis Thuaneis Virorum doctor. C. B.*

* * *

Præceptor Henrici, Regis Portugall. *Alcacarii*, vico haud longè à *Serubalco* ſive *Cetobrigâ* in *Luſitaniâ*, natus, olim *Henrici* Cardinalis (qui poſt *Sebaſtiani* mortem Regnum tenuit) Præceptor, & *Conimbricæ* poſteà Mathematicarum artium Profeſſor A. C. 1577. morte maturâ, quippè octogenarius placidè ad Deum migravit, relictâ bonorum & nominis hærede unicâ filiâ.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A. C. 1577.

BARTOLOMÆUS ARNIGIUS.

Faber ferrar. *Breſciæ*, Patre fabro ferrario, natus, idem opificium ad annum usque ætatis 18. domi exercuit. Abindè verò ſtudiis medicis operam dare deſiderio flagrans, in Academiam *Patavinam* conceſſit, ubi amicorum ſubſidiis adjutus, brevi tempore tantos fecit progreſſus, ut lauream ibi Doctoralem cum laude acceperit. Doctor Medicinæ Patavii.

Hoc ornatus honore reverſus in patriam, & praxin medicam exercens, mox famæ & lucri loco civium ſuorum iram & indignationem ob infelices curationes, in ſe convertit, à quibus lapidibus aliquoties petitus, vix vitæ periculum evaſit. Ideò praxi medicâ relictâ publicum Profeſſionis in Academiâ patriâ munus ſuſcepit cum ſtipendio honeſto. Practicus infelix. Medicinæ Profeſſor Breſciæ.

Poëſi etiam *Italicæ* per horas ſucciſivas operam dedit, & aliquando pro carmine, quod in laudem *Octaviæ Baiardæ Beccariæ* compoſuerat, ultra 200. Coronatos à *Joh. Bapti-* Poëta eximius.

Baptiſtâ Gavardo, nobili *Breſciano*, literatorum Mecœnate dono accepit. Ibidem à Comite *Breſciano Alfonſo Cariolo* receptus, in ædes vitæ ſubſidia accepit.

Moritur. Peſte tandem tunc per totam *Europam* graſſante ſublatus, vitam finiit A.C. 1577.

Linguâ vernaculâ ſcripſit & edidit:

Scripta. *Meteoria, ciò è, un Diſcorſo intorno alle impreſſione imperfette, humide, ſecche, & miſte, così in alto come nelle viſcere della terra generale, al qual libro ſono uniti i Pronoſtici perpetui con l' Effemeridi, & altre belle materie alla Filoſofia naturale ſpettanti.*

Re Rime.

Le Veglie.

Medicina d' Amore.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1577.

ACHILLES PIRMINIUS.

Lindavii ad lacum *Bodamicum* natus 3. Nov. A. 1505. Patre *Ulrico Gaſſaro* vel *Gaſſero*, Chirurgo, Imp. *Maximiliani I. Pirminii* nomen additum ipſi fuit An. 1512. in Confirmatione à *Job. Fabro*, Vicario tunc Parochiæ *Lindav.* Matrem habuit *Urſulam Randecciam*, *Caſpari* Nobilis à *Randeck* filiam.

Literas initio apud Patrinum ſuum *Leonhardum Bayerum Lindaviæ* didicit.

Menſ. Majo A. 1520. *Seleſtadium* ad *Job. Sapidum* miſſus eſt.

An. 1522. evocatus in patriam, ſtudiis Phyſicis per tres menſes *Argovæ* ſub *Urbano Regio* privatim operam dedit.

A. 1525. *Wittenbergæ* ſtudiis Mathematicis & Medicinæ incubuit, quam *Viennæ Auſtriæ* ſub *Simone Lazio* abſolvit. Indè in *Galliam* profectus, *Avenione* Medicinæ Doctor creatus eſt A. 1528. In *Germaniam* reverſus, in Republicâ *Auguſtanâ* ad finem vitæ ſuæ Archiatri munere functus eſt.

Medicinæ Doctor. Medicus Auguſtanus.

Moritur. Fatis conceſſit *Auguſtæ Vindel.* An. 1577. æt. 72. die 4. Decemb. febri ardenti & melancholiâ laborans.

Typis evulgavit:

Scripta. *Epitomen Chronicorum totius mundi.*

Catalogum Regum Chriſtianorum & Hieroſolymitanorum.

Lindavienſis & Auguſtanæ Urbium deſcriptiones.

Librum de Peſte, linguâ Germ.

Aphoriſmorum Hippocratis methodum novam.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1577.

JOHANNES GORRÆUS.

Lutetiæ natus eſt A.C. 1505. Patre *Bituricenſe*, non obſcuri nominis Medico, quem tamen ipſe longo intervallo ſuperavit: nam & Græcæ linguæ, & abſoluta naturæ cognitio in eo jam indè ab adoleſcentiâ enituerunt, ut mirum non ſit, ſi vir factus ad ſummum in arte medicâ principatum *Lutetiæ* ſuo tempore pervenerit, & Medicinæ Profeſſor Regius evaſerit. Ad ſæculi ſui ornamentum & commune Reipublicæ beneficium natus, ab omni fœdo quæſtu alienus fuit, teſte *J. A. Thuano.*

Medicinæ Profeſſor Regius Pariſ.

Nec interim illi defuit Latinæ orationis facultas & Poëticus lepos minus vulgaris, cujus in *Nicandro* & Græcorum aliquot Epigrammatis transferendis argumentum edidit.

Sanè in ipſius *Nicandri* interpretatione id eximium fuit, quod res jejunas & à Poëticâ ubertate abhorrentes, ſervatâ ubique carminis lenitate, fideliter expreſſit, additis etiam Commentariis, & non injucundâ de lepore marino ad *Guil. Rondeletium* apologiâ.

A. 1561. *Lutetiâ Melodunum* ad ejus loci Epiſcopum *Guilielmum Violam* accerſitus, ut illum morbo laborantem ſanitati reſtitueret, ne bello tum flagrante damnum in viâ pateretur, in ipſius Epiſcopi lecticâ domum reportatus eſt. Id cum quidam Epiſcopi creditores percepiſſent, lecticam in viâ per lictores detinuerunt, ſpe prædæ opimæ debiti loco adipiſcendæ. *Gorræum* verò milites eos eſſe exiſtimans, qui vitæ ſuæ ſtruerent inſidias, repentino terrore exanimatus, quàm longa exindè vita fuit, à ſe ipſo deficere quodammodò viſus eſt, in eâque ægritudine tandem vitæ deceſſit *Lutetiæ* An. C. 1577. ætatis 72.

Exterrore ægrotus.

Scripta:

Scripta. *In Libr. Hipp. de Medico Annotationes & Scholia.*

Definitionum medicarum Lib. XXIV. literis Græcis diſtincti, in quibus omnium, quæ ad medicinam pertinent, naturæ, differentiæ, proprietates explicantur.

Nicandri Theriaca, & Alexipharmaca, verſibus Latinis expreſſa, cum Interpretatione & Scholiis.

Ex Græco Hippocratis Jusjurandum, de Arte, de antiquâ Medicinâ, de Medico, Latinâ civitate donavit.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

* * *

Quantæ doctrinæ fuerit, teſtantur nonnulli verſus *Jacobi Grevini*, ejus diſcipuli in limine Poëmatum de Theriacâ & Alexipharmacis *Nicandri*, Poëtæ Græci, ab eodem *Grevino* è Græco verſibus *Gallicis* expreſſorum, & eidem *Gorræo* dedicatorum.

* *Ex Promptuar. Iconum inſignior. Part. II. Guill. Rovillii.*

Obiit A.C. 1577.

BENEDICTUS PATINA.

Breſciæ, *Venetæ* ditionis urbe, natus, Medicus fuit eximius, quem Imp. *Maximilianus II.* famâ nominis ejus invitatus, ut in palpitatione cordis auxilium ſibi ferret, *Viennam* accerſivit.

Medicus Patavinus. Ab Imp. Maximil. II. Viennam evocatur.

Patavii deindè tempore contagii ſummâ cum laude praxin exercuit.

Poëta Satyricus. Poëta Satyricus etiam neminem agnovit parem, ſed paulò ante obitum Poëmata ſuo Satyrico ſtylo maculata ex zelo Chriſtiano *Vulcano* conſecravit. Immaturâ tandem morte ſublatus, exſpiravit 2. Julii A.C. 1577. ætatis 43.

Edidit *Italico* idiomate:

Scripta. *Un libro ſopra il palpitare del cuore.*

Un libro delle febri che vengono accompagnati de certi ſegni, chiamati Petecchie.

Tre libri che trattano de' veneni interni.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A. C. 1578.

GERVASIUS MARSTALLERUS, Senior.

F*Riburgo-Briſgoius Alemannicus.*

Adoleſcens in Academiis *Heidelbergenſi* & *Wittenbergenſi* ſtudiis operam dedit, & in hâc D. *Luthero* charus, impetravit Lauream in Philoſophiâ tum primam A.C. 1539. tum ſupremam A.C. 1554.

Ibidem cum *Davide Chytræo* amicitiam coluit ſingularem.

Medicinæ Doctor. Exindè per *Hiſpaniam, Galliam, Angliam,* & *Italiam* peregrinatus, & *Piſis* Doctoratu Medico inſignitus A.C. 1553. *Wittenbergam* rediit.

Profeſſor Jenenſis. Exindè *Brunopolim* abiit, & decennio inibi in medicinâ faciendâ laudabiliter conſumpto, Academiam *Jenenſem* adiit, ibique inter Profeſſores Medic. publicos cooptatus eſt 28. Julii A. C. 1570.

Medicus Ducis Brunſvic. Tandem *Cellæ Lunæburgicæ Wilhelmi*, Ducis *Brunſvic.* Medicus aulicus in cœleſtem aulam evocatus obiit 3. Jun A.C. 1578. Moritur.

Filios reliquit *Gervaſium*, Med. Doct. & Archiatrum Dnn. *Bugislai, Philippi II.* & *Franciſci Pommeraniæ* Ducum: *Protaſium*, J. U. D. & Conſiliarium *Pomeranum* primò, deindè *Megapolitanum Guſtravii: Martinum*, J.C. Com. Pal. Cæſ. *Philippi Pomer.* Ducis Conſiliarium: & *Wilhelmum*, U. J. D. Conſiliarium *Udalrici*, Ducis *Pommeraniæ*.

Scripta. Non Medicus ſolùm, ſed & Mathematicus, Philoſophus & Poëta eximius Libellum edidit, cui titulus *Artis Divinatricis Encomia.*

Obiit A.C. 1578.

ANTONIUS MIZALDUS.

Medicus & Mathematicus. IN *Galliâ* natus *eſt*, *Montluconii*, Ducatûs *Borbonici* oppido, medicæ arti imprimis operam dedit, in quâ adeò excelluit, ut meritò regni *Gallici Æſculapius* vocari potuiſſet. Fuit etiam Philoſophus & Mathematicus eximius. Obiit *Lutetiæ* A.C. 1578.

Ejus Scripta ſunt ſequentia:

Scripta. *Methodus nova comparandorum fructuum, olerum, radicum, plantarum, uvarum, & aliorum, quæ corpus clementer purgent.*

Diverſa artificia componendorum vinorum, quæ variis morbis benignè auxilientur.

Centuriæ IX. rerum memorabilium, utilium, & jucundarum.

Coſmologia, ſeu Hiſtoria ſuperioris & inferioris mundi.

Opuſculum de Senâ herbâ.

Methodica peſtis deſcriptio, ejus præcautio & ſalutaris curatio.

Mirabilium naturæ operum Commentarioli VIII.

Jatromathematicæ, ſeu Medicinæ & Aſtrologiæ harmonia, à tribus ſummis viris Mercurio Triſmegiſto, Hippocrate, & Galeno indicibili ſymphoniâ modulata.

Conciliatio Medicorum & Aſtrologorum in controverſiâ Lunæ, & calculi dierum decretoriorum in morbis.

Methodicæ tabulæ in 6. libros Claudii Galeni de differentiis & cauſis morborum & ſymptomatum.

Aſtrologica Problemata rerum cœli, ſtudioſis apprimè utilia.

Lunæ & Oceani concordia Philoſophicè & Aſtronomicè demonſtrata.

Cometographia, crinitarum ſtellarum, naturam & portenta libris II. proponens.

Æſculapii & Uraniæ medicum & aſtronomicum, ex congreſſu colloquium.

Planetologia aſtronomicè & medicè demonſtrata.

Mundi Sphæra, ſeu Coſmographia tribus libellis propoſita.

Catalogi ſympathiæ & antipathiæ rerum aliquot memorabilium.

Ephemerides aëris perpetuæ, & ruſtica tempeſtatum Aſtrologia.

Ephemeris cœleſtis A. MDLV. præter modum vulgarem, novâ methodo ſcripta & ſupputata.

Ephemeris cœleſtis A. MDLVI. & MDLVII.

Arcanorum naturæ ſylvula.

Hortorum ſecreta, cura, & auxilia, cum Horto Medico.

De hortenſium arborum inſitione.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieron. Ghilini.*

* * *

Jac. Aug. Thuanus ſic de eo ſcripſit: *Antonius Mizaldus*, Medicus, Philoſophiæ & Artis ſuæ ſtudiis clarus: quam alioquin *Lutetiæ* ſummæ lucroſam, naturæ arcanis ſcrutandis homo totâ vitâ intentus, ferè neglexit, editis compluribus raræ doctrinæ & judicii ſcriptis, quæ à rerum peritis nunquam negligentur, in eâ urbe conſenuit, & deniq; naturæ debitum perſolvit A. C. 1578.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C.B.*

JOHANNES BAPTISTA RASARIUS, vel ROSARIUS.

Obiit A.C. 1578.

IN villâ *Seſiâ*, territorii *Novarienſis*, natus ex familiâ patritiâ, cum in primâ ætate *Mediolani* literis Græcis & Latinis operam impendiſſet, Philoſophus evaſit & Medicus clariſſimus, quem famâ de eo ſparſâ commoti multi Principes in Aulis ſuis Archiatrum habere deſiderârunt. Philoſ. & Medicus.

Venetiis literas Græcas publicè annos 22. docuit. *Romam* deindè profectum, Pontifex *Pius IV.* multis promiſſis detinere contendit: ſed cum in eâ urbe manere diſpliciuiſſet ipſi, *Ticinum* indè diſceſſit, ibique à Senatu *Mediolan.* invitatus, literas humaniores in Academiâ publicè profeſſus eſt. Ibidem vitam finiit A. C. 1578. Ling. Græcæ Prof. Venetiis. Liter. human. Prof. Ticini. Moritur.

Edidit:

Scripta.

Edidit:

Orationem de Victoriâ Chriſtianorum ad Echinadas de Turcis partâ.

Oribaſii Sardiani, Medici, Opera omnia in 3. Tomos digeſta, ex linguâ Græcâ traducta.

Ammonii Explanationem in 5. voces Porphyrii.

Georgii Pachimerii Epitomen in univerſam diſſerendi Artem.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieron. Ghilini.*

* * *

P. filius, oppido, quod in vallo *Uziæ*, in *Novarienſi* diœceſi ſito, nomen retinet, familiâ nobili natus, *Mediolani* prima literarum tyrocinia fecit, & Philoſophiæ ac Medicinæ ſtudiis diligenter incubuit, jamque tum *Philippo II.* cum ex *Hiſpaniâ* veniens, ſuperſtite *Carolo V.* patre per *Italiam* in *Germaniam* tenderet, ob eximias ingenii dotes innotuit. Indè *Venetias* vocatus, artem dicendi, in quâ excelluit, 22. annos profeſſus eſt, arctamque cum *C. Sigonio, P. Manutio M. A. Mureto*, & *Octaviano Ferrario* (quem & *Ticini* Logices Præceptorem habuerat) amicitiam coluit, totoq; illo tempore vertendo *Galeno* & *Ariſtotelis* aliquot interpretibus *Græcis* egregiam operam navavit, Sereniſſ. illi Reipublicæ acceptiſſimus, cujus & memorabilem ad *Echinadas* partam de *Turcis* victoriam luculentâ oratione laudavit.

Orator. Prof. Venetiis.

Opera Galeni & Ariſtot. Latinè tranſtulit.

Tantum decus *Venetiis Philippus* poſtremò invidit, & in *Luſitaniam*, ut in *Conimbricenſi* Scholâ doceret, opimis conditionibus invitatus, cum ſe ob ætatem excuſâſſet, tandem ad *Ticinum* iret ab eodem, qui jubere poterat, rogatus, Principi ſuo (cujus beneficio *Hieronymi* fratris in vincula conjecti, libertatem & bonorum fiſco jam addictorum reſtitutionem debebat) non potuit non obtemperare: in eâque urbe, poſtquàm eâdem, quâ *Venetiis* celebritate artem dicendi quadriennium docuit, febri malignâ correptus, A. C. 1578. paulò major ſexagenario obiit, nullâ intemperantiæ ſuſpicione toto vitæ, quam cœlibem egit, curriculo notatus, vir ingenuus, qui erga pauperes benignus, ægrotos nullâ mercede curavit, egenos etiam ut Pater ſuſtentavit.

Encomium ejus.

Funus cuncti civitatis ordines ad *B. Auguſtinum*, cujus medio in ſacello conditus eſt, inſigni ac luctuoſâ pompâ proſecuti ſunt. Multa ejus opera, quæ lucem non viderunt, in Illuſtriſſ. Cardinalis *C. Borromæi* bibliothecâ *Mediolani* extare dicuntur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Obiit A.C. 1579.

MELCHIOR AYRERUS.

N*Orimbergæ* natus eſt die 10. April. An. C. 1520. Patre *Henrico Ayrero*, Matre *Seybitteriâ*.

Erfurti Baccalaur.

Wittenb Philoſophiæ Magiſter.

Adoleſcens ſtudiis primùm operam dedit liberalibus *Erfurti*, ubi A. 1536. Baccalaureus creatus eſt. Hinc *Wittenbergam* migravit, & totidem annis ibidem perſiſtens, à *Philippo Melanchthone* Philoſophiæ Magiſter renuntiatus eſt.

Exindè *Lipſiam* profectus, ſtudio medico per annum & dimidium operam impendit. Tandem in *Italiam* iter ſuſcepit, in quâ per triennium ſubſtitit, *Romam, Neapolim, Patavium* inviſit, & *Bononiæ* A. C. 1546. Doctoris Medici Lauream conſecutus eſt. *Medicinæ Doctor Bononiæ.*

Ad Parentes in patriam reverſus, mox inter Practicos ordinarios à Senatu *Noribergenſi* receptus, biennio pôſt A. 1548. in uxorem duxit virginem *Cæciliam*, *Auguſtini Fürnbergeri* filiam, ex quâ ſuſcepit filium *Julium*, & filiam *Cæciliam*, quæ poſtmodùm nupſit D. *Simoni Cluverio*, J.C. & Conſiliario *Norico*. *Practicus ordinar. Norib.* *Conjugium ejus, & Liberi.*

Hâc uxore An. 1558. defunctâ, *Ayrerus* ſecundam duxit virginem *Mariam*, *Hieronymi Hopferi* filiam, ex quâ nullos vidit liberos.

Intereà An. 1549. Medicus Noſodochialis à Senatu patrio conſtitutus cum ſalario annuo, Principis etiam *Palatini* Perſonæ Medicus, non tantùm domi praxin exercendo, & in Chymicis laborando, ſed etiam apud exteros celeberrimus fuit. *Medicus Noſodochialis.* *Chymicus.*

Singulariter autem in Matheſi claruit, cujus rei teſtimonium exhibent multa & varia Inſtrumenta mathematica ſingulari cum induſtriâ ab eo elaborata. Globi item duo, cæleſtis & terreſtris ex orichalco facti & auro obducti, qui in Bibliothecâ Reip. *Norib.* aſſervantur & monſtrantur. *Mathematicus.*

Obiit tandem in patriâ die 17. Martii A. C. 1579. ætatis 59. *Moritur.*

NICOLAUS SASCHERUS.

Obiit A.C. 1579.

G*Runingenſis Friſo*, cum Illuſtriſſimis Principibus ob doctrinæ, quâ pollebat, varietatem & copiam non famâ populari, ſed verâ bonorum laude atque commendatione innotuiſſet, & non unum innocentiæ, prudentiæ, virtutis atque doctrinæ ſpecimen dediſſet, extra ordinem Medicinam docere juſſus, id munus anno 1574. aggreſſus eſt. *Profeſſor extraordinarius.*

Sed cum anno proximè ſequenti D. *Petrus Nigidius* ſenior ætatis munerisque vacationem impetrâſſet, hic quidem 20. Julii illius vicibus ſuſceptis univerſæ naturæ vim, varietatem & copiam, quo ad id mentis humanæ, quæ rerum naturalium cauſas quaſi per caliginem cernit, permittit imbecillitas, explicare cepit publicè ſolertiſſimè. *Profeſſor ordinarius.*

At verò cum anno 1579. 1. Julii Decani præeſſe cepiſſet muneri, paulò pôſt fidenti & placidiſſimo animo in mediis vitæ laboribus obdormivit non ſine gravi Academiæ luctu, quod ejusmodi amiſiſſet intempeſtivè prorſus virum, qui florentibus annis nec voluptates requirens, nec laborem fugiens omnem curam atque induſtriam, aut ad admirationem earum rerum, quæ ab antiquis repertæ ſunt, aut novarum inveſtigationem contuliſſet, ut propterea ejus opera multis præfutura viderteur. *Decanus electus.* *Moritur.*

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

VOL-

Digitized by Google

VOLQUINUS VIGELIUS.

Obiit A.C. 1579.

W*Etteræ* natus, cum non minimam ætatis partem in literis humanioribus & medicâ diſciplinâ hauriendâ collocâſſet, non umbris & deliciis inſecit poſteà animum, ſed ab exteris non ſecus atque ab *Ægyptiis Plato*, quæ utilitati ſervirent publicæ, petenda putavit.

Ideòque & *Lovanii* & *Lutetiæ Pariſiorum* traductum à Theoricis ſtudiis animum ad eorum, quæ in uſu potiſſimùm ſunt Medico, inveſtigationem contulit, idque eâ ſedulitate atque operâ, ut in patriam redux anno 1549. laureâ Doctorali, tanquàm illuſtri gloriæ, quæ rectè factorum comes eſſe conſuevit, imagine à *Cornario* ornaretur.

Laureâ Doctorali ornatus.

Sed enim quandoquidem omnia benefacta ſe in luce collocari volunt, ſolo in nomine conquieſcere noluit, ſed omnem curam cogitationemq; in utilitatem publicam derivandam exiſtimavit.

Ideòque operam ſuam Academiæ non ſolùm in Mathematicis diſciplinis, ſed etiam arte medicâ methodo & ordine tradendis addixit, Decani honore die 1. Julii an. 1545. & Rectoris dignitate an. 1550. ornatus & auctus eſt.

Mathemata & Medica tractavit.

Decanus & Rector fuit Academiæ.

Sed pòſt *Caſſellas*, ut Medicinam in aulâ & urbe faceret, iſthuc conceſſit, tandemque cum ibidem conſenuiſſet, nemini non propter merita gratus, Aprili 25. anno 1579. vitæ, quam ab eâ acceperat, uſuram naturæ reddidit.

Archiater aulicus.

Moritur.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

JACOBUS DALECHAMPIUS.

Clar. A. C. 1580.

P*Atriâ Cadomenſis*, Medicus clariſſimus, multis annis *Lugduni Gallorum* artem medicam exercuit, tantâ cum nominis famâ, & Reipublicæ *Lugdunenſis* utilitate, ut omnes æquales ſuos doctrinæ præſtantiâ & artis experientiâ longè ſuperâſſet. In pluribus Academiis antequàm *Lugdunum* ſe reciperet, cum laude docuit.

Medicus Lugdun. Gall.

Edidit:

Scripta.

Commentationes in Athenæum, & in Plinii Hiſtoriam naturalem.

De Plantarum Hiſtoriâ Tomos II.

Lib. Galeni de uſu partium, Gallicè tranſlatum.

De peſte & Chirurgiâ Lib. aliquot. Corn. Celſum, & Cæl. Aurelianum reſtituit.

* *Ex Promptuario Iconum inſignior. Part. II. Guil. Rovillii.*

VICTOR GISELINUS.

Clar. A.C. 1580.

S*Andforti* in *Flandriâ* natus eſt 23. Martii An. 1549.

Fuit *Juſto Lipſio* perfamiliaris, ſociusque peregrinationum, ut & *Dolæ Sequanorum* laureâ medicâ inſignitum panegyricâ Oratione publicè laudârit.

Doctor Medicinæ.

Ductâ *Brugis* uxore, Medicinam *Bergis S. Winnoci* honorario publico dotatus factitavit. Ibi floruit A. 1580.

Medicus Winoxbergenſis.

Mortis horam ex artis medicæ prognoſticis prænuntians, nullâ prole relictâ, in flore ætatis ibidem abreptus eſt.

Præter *Poëmata varia* ſcripſit *eruditas ad Prudentium Poëtam Chriſtianum notationes.*

Scripta.

Adagia.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

PETRUS JACOBUS STEVE.

Clar. A.C. 1580.

E*Tſi* in *Valentinâ, Hiſpaniæ* urbe, poſſeſſionem ejus laudis, quod egregiè rem tractent medicam, plurimi retineant, tamen *Jacobo Steve* hoc nomine plurimùm poſteri debebant, quod induſtriam ſuam ad hanc artem propagandam illuſtrandamque contulerit, utpotè qui non in Scholis modò docendo publicè multorum excitaverit ingenia, doctus ipſe trium linguarum, & Anatomicæ peritus & Mathematicæ, ſed monumentis etiam in lucem emiſſis, illorum conſuluerit utilitati.

Anatomicus & Mathematicus.

Igitur *Nicandri Colophonii* therica heroico carmine reddita, ſcholiis etiam illuſtravit, cum nondum *Johannes Gorræus Lutetiæ* manum, aut *Euricius* in *Germaniâ* admoviſſet. Doctor verò jam rem de ſuperiori loco medicam explanans in *Hipp. librum II. Epidemior. Commentarium Valentiæ* evulgavit, *Bernardi Cimonis* patricii auſpiciis, usque eò eruditum doctisque hominibus gratum, ut vel æmuli, invidiâ judice, *Galeni* compilâſſe ſcrinia, cujus in hos libros labor temporum injuriâ intercidiſſet, jactitârint.

Medicinæ Profeſſor Valentiæ in Hiſp.

Filium reliquit doctrinâ parentis ſpe ſuperiorem, Theologiam enim Societati jam recens in *Hiſpaniâ* ortæ adſcriptus, in *Indiam*que Superiorum voluntate profectus, Sacras literas Goæ annos plurimos profeſſus eſt.

* *Ex Bibliothecâ Hiſpaniæ diverſorum auctorum.*

FRANCISCUS VALERIOLA.

Obiit A.C. 1580.

M*Edicus* præſtantiſſimus, magnam nominis adeptus eſt exiſtimationem ex artis medicæ peritiâ, & Philoſophiæ cognitione, ut teſtantur erudita ejus Scripta *Lugduni* apud *Gryphium* excuſa. Vir parvâ ſtaturâ, ſed magno ingenio. Docuit *Auguſtæ Taurinorum*, evocatus ab *Emanuele Philiberto*, *Sabaudiæ* Duce, ubi tandem, poſtquàm ſtipendiis ſatis magnis per multos annos cum nominis celebritate docuiſſet, fatis ceſſit circa A. C. 1580.

Profeſſor Taurini.

Scripta ab eo extant:

In Libr. Galeni de conſtitutione artis med. Comment.

Enarrationes Medicinales.

Loci communes Medicinæ, in tres libros digeſti.

Obſervationum Medicinal. Lib. VI.

Lib. de Peſte.

* *Ex Promptuario Icon. inſignior. Part. II. Guil. Rovillii.*

Job.

* *Joh. Stephanus Strobelbergerus* in deſcriptione *Galliæ Politico Medica ſect.* 2. Nil dicam, inquit, de laude digniſſimis Viris, qui artem medicam in Academiâ *Valentinâ* ſcriptis ſuis illuſtrârunt, adſit inſtar omnium ſolus *Valleriola*, qui artis noſtræ Divina myſteria tractando æternum nomen huic Academiæ concinnavit. Medicum doctiſſimum eum vocat *Paſchalis Gallus in Bibl.*

Profeſſor Valentiæ.

* *Ex Dialogo de Patriis virorum doctorum Johannis Andreæ Quenſtedt.*

MICHAEL NEANDER.

Obiit A. C. 1581.

JOachimi valle *Bohemus*, natus 3. April. A. C. 1529. promotus *Wittebergæ* Philoſophiæ Baccalaureus 27. Sept. A. 1549. & Magiſter 10. Aug. A. 1550. inter 50. Candidatos octavum obtinuit locum. Doctoratûs autem Medici inſignia accepit *Jenæ*, diſputatione de Thermis pro gradu prius habitâ, Præſide & Decano D. *Johanne Schrötero*, 20. Aug. An. 1558.

Jenæ Profeſſor Mathem. Græc. Ling. & Med.

In hâc Profeſſionem nactus publ. jam Mathematum & Græcæ linguæ 1551. jam Medicinæ A. 1560. Exſpiravit tandem *Jenæ* 23. Oct. A. C. 1581. æt. 52. Contoralis ei fuit *Catharina*, *Pauli Mülpforti*, Præfecti in Ichtershauſen filia, nupta A. 1555. & denata A. 1613.

Scripta.

Superſtes vivit in Scriptis, quæ ſunt:

Methodorum in omni genere Artium brevis & ſuccincta ὑφήγησις.

Synopſis de Menſurarum & Ponderum ratione.

Shpærica Elementa cum Computo Eccleſiaſtico.

* *Ex Nomenclat. Profeſſorum Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc honoris ergò appoſuit Epigramma:

Epigramma.

Te, Michaël Neumann, Joachimi vallis in auras
Productum placido fovit amica ſinu.
Ornavit titulo Sophici Witeberga Magiſtri,
Et Proceres inter noſtra Salana locat.

ANDREAS ELLINGERUS.

Obiit A. C. 1582.

IN *Thuringiâ* natus eſt *Orlamundæ.*

Philoſophiæ Magiſter.

Philoſophus, Poëta, & Medicus excellens. *Wittenbergæ* Philoſ. Magiſter creatus A. C. 1549.

Medicinæ Doctor & Profeſſor Lipſiæ.

In Academiâ *Lipſicâ* in Profeſſorum publicorum numerum cooptatus eſt A. 1554. & Medicinæ Doctor renuntiatus 28. April. A. 1557. An. 1569. à Duce *Sax. Joh. Wilhelmo* vocatus in Academiam *Jenenſem* venit, ab Elect. *Sax. Joh. Friderico* An. 1548. inſtitutam. Ibi medicam artem docuit, & Rectoratum aliquoties geſſit.

Moritur.

Ad meliorem vitam abiit An. 1582. 12. Martii. In Rectoratu ſuo tertio.

Scripta.

Edidit: *Hippocratis Aphoriſmorum paraphraſin poëticam.*

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

JACOBUS PELLETARIUS.

Obiit A. C. 1582.

NOn vulgare *Cenomanorum* decus, ingenium habuit varium & verſatile, quod nullis incluſum ſpatiis per omnes omnium generum diſciplinas liberius evagaretur, eandemque in omni vitâ libertatem ſervare viſus eſt, cum nullibi unquàm ſtabile rerum domicilium elegerit: non minus intereà ſolebat ea meditari, quæ non niſi ab homine planè quieto, & in ſtudiorum laboribus aſſiduo proficiſci videretur. Nam licet Medicinæ nomen dederit, Matheſeos tamen & Poëſeos ſtudia, quibus juvenis flagraverat, neque vir neque ſenex unquàm remiſit.

Medicus, Mathemat. & Poëta.

Lutetiæ obiit eo tempore *Galliæ* luctuoſo, quo à *Philippo Strozio* Duce adverſùs navales *Hiſpanorum* copias ad Inſulam D. *Michaëlis* infeliciter pugnatum eſt A. C. 1582.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Dialogi Gallicè conſcripti, quibus præter uſu receptam apud Gallos ſcribendi rationem & formulam perindè ſcribendum ac loquendum ſtatuit.

Epiſtolæ.

De Peſte compendium.

Poëmata.

Sectiones II. Conciliationum Galeni Locorum.

Præceptiones Artium Mathematicarum.

De Dimenſione Circuli.

Commentar. in Euclidem.

Sabaudiæ deſcriptio, A. 1572. edita.

Scholia & Caſtigationes in Ciceronem, Virgilium, & Horatium.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

LAURENTIUS JOBERTUS.

Obiit A. C. 1582.

VAlentiæ *Cavarum* ſplendidâ natus familiâ, poſtquàm & apud *Pariſios* ex *Sylvii* auditorio, & indè trans *Alpes* ex *Argenterii* conſuetudine Medicinæ arcana percepiſſet, in Gymnaſio *Monſpelienſi* profeſſus primùm inclaruit, collectamque his artibus famam frequenti lucubrationum proventu latius propagavit, non vanâ eruditi ingenii oſtentatione, dum præter varias quæſtiones ex veterum placitis agitatas Paradoxa quoque plurima, reſque à vulgari Philoſophorum ſententiâ remotas argutè aſſeruit.

Sylvii & Argenterii diſcipulus. Medicinæ Profeſſor Monſpel.

In aulam tandem Regis *Henrici III.* evocatus eſt, cum Princeps ille prolis ſuſcipiendæ cupidus, magnam voti ſui ſpem in ejus induſtriâ nequicquam collocâſſet, non ſuo, ſed fatorum vitio, quæ *Galliæ* tranquillitatem avertebant.

In aulam Regis Henrici III. vocatur.

Sed paucis menſibus interjectis eodem ferè fato, quo *Rondeletus*, cui mortuo in Academiæ Præfecturam ſucceſſerat, nec minori ſtudioſorum deſiderio, *Tholoſâ* quoque *Monſpeſſulam* rediens, interceptus eſt A. C. 1582. ætatis 53.

Academiæ Monſpel. Præfectus. Moritur.

Paſchalis Gallus in Bibliothecâ Medicâ ſummum eum *Galliæ* decus appellat.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Jac. Aug. Thuanus hæc de eo ſcripſit: *Laurentius Jobertus*, Profeſſione Medicus, *Rondeletii* quondam diſcipulus, cum in Academiâ *Monpeſſulanâ* Cancellarii dignitate præfuiſſet, in aulam evocatus fuit à *Margaretâ*, Regis *Navarræi* uxore, ubi edito *De Erroribus popularibus* inſigni opere, magnum nomen adeptus eſt.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C.B.*

Edidit:

Scripta. *Iſagogen Therapeuticæ methodi.*
Medicinæ Practicæ Lib. III.
Regimen Sanitatis Part. II.
Errores vulgi in Medicinâ Lib. 30.
De Peſte.
Queſtion des Huiles.
Queſtion des Arquebuſades.
Paradoxorum Decad. II.
Annotationes in Libros duos priores Galeni de facultatibus natural.
in Lib. Gal. de differentiis morborum.
de differentiis ſymptomatum.
De Syrupos conficiendi modo, & utendi ratione Quæſtiones med.
Tractat. de Qartanâ, & de Paralyſi.
de pilor. & cutis præſertim capitis affectibus, & de Caphalalgiâ.
de thoracis partium affectibus.
Lib. de Urinarum differentiis, cauſis, & judiciis.
de Variolâ magnâ.
de Gymnaſtis & generibus exercitationum apud antiquos celebrium.
de Balneis antiquorum tum Græcorum tum Romanorum.
Pharmacopœa à Joh. Paulo Zangmiſtero edita.
Guidonis de Cauliaco Chirurgia integritati reſtituta, & annotationibus illuſtrata.
De riſu, ejusq; eſſentiâ, cauſis, & admirandis affectibus.
Guilielmi Rondeletii vita, mors, & epitaphia, cum Catalogo Scriptorum ab eo relictorum.

GABRIEL FRASCATA.

Obiit A.C. 1582.

Ortus ex nobili & antiquâ familiâ *Brixienſi*, Philologus & Medicus fuit excellens, Aſtrologus prætereà celebris in ægris curandis Planetarum aſpectûs obſervans. Membrum Academicum *Affidatorum Ticini Rapito* vocari voluit. (*Medicus & Aſtrologus.*)

A Rege Catholico *Philippo II.* cui tractatum ſuum de *Balneis Returbii* dedicârat, in aulam accerſitus, ut ipſius eſſet Archiater, itineri jam accinctus, ſuperveniente morbo lethali, vitâ privatus & extinctus eſt 20. Jan. A. C. 1582. *Ticini* ſepultus. (*Archiater futurus Philippi II. Reg. Hiſp.* Obiit.)

Scripta:

Scripta. *De Aquis Returbii Ticinenſibus Commentarii Mineras, facultates, & uſum earum explicantes.*
Poëſie Toſcane.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

THOMAS ERASTUS.

Obiit A.C. 1583.

Badenæ Helvetiorum natus eſt A. 1523. Parentes habuit tenuis fortunæ.

A. 1540. *Baſiléam* conceſſit, & literis operam dedit, & licet manûs dextræ uſum minus haberet expeditum ad literas formandas, ſiniſtram tamen ita adſuevit, ut eâ velocius cœteris commilitonibus à Præceptoribus públicè dictata exceperit.

A. 1542. ibidem peſte correptus, ope Medicorum valetudini reſtitutus eſt.

Indè *Italiam* ingreſſus, *Bononiam* venit, ubi ſtudiorum ſocium habuit *Camillum Franchinum*, poſteà Medicum *Bonon.* celeberrimum, & inter alios Præceptorem habuit D. *Lucam Ghynum*, quem paſſim in ſcriptis ſuis laudat.

In *Italiâ* cum novennium exegiſſet, Philoſophiæ acutiori deindè & Medicinæ deditus, in quâ etiam Doctor creatus eſt; in patriam reverſus, aliquandiu in aulâ Principum *Hennebergenſium* vixit. Indè eum *Fridericus III.* Elector *Pal.* honorificè *Haidelbergam* ad medicinam ibi publicè docendam evocavit, & Archiatrum ſuum conſtituit. (*Fit Doctor Medicinæ.* *Archiater Elect. Palatin.*)

Cum etiam Theologus eſſet eximius, A. 1564. ad Colloquium inter Theologos *Palatinos* & *Wirtenbergicos* ſuper præſentiâ Corporis Chriſti in Cœnâ in Monaſterio *Maulbrunnenſi* inſtitutum, ab Electore cum Theologis ſuis miſſus eſt.

Haidelbergâ deindè *Baſiléam* abiit An. C. 1581. eamque Academiam poſtremo vitæ ſuæ tempore docendo diſputandoque illuſtravit. Diſputationes enim Academicas mirificè extollebat. (*Profeſſor Baſileenſis.*)

Tandem debitum naturæ perſolvit *Baſiléæ* 1. Januarii A. 1583. ætatis 60. (*Moritur.*)

Ad D. *Martinum* ſepultus. Nullos reliquit liberos.

In praxi felix fuit, multisque hydrope, epilepſiâ, podagrâ laborantibus DEI gratiâ ſanitatem reſtituit.

Aſtrologiam, quæ de fortunis hominum decernit, multis argumentis refutavit, ſicut & Medicinam *Paracelſicam* acerrimè inſectatus eſt tum libris, tum theſibus & epiſtolis editis. Chemiam tamen magnis laudibus extulit, ſi utilia, & quæ fieri poſſunt, conetur facere.

Edidit: *de Putredine librum, quem impugnavit Archangelus Mercenarius, cui Eraſtus reſpondit.* Scripta.

De Cœnâ Domini libellum ſine nomine.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

BERNARDINUS TRIVISANUS.

Obiit A.C. 1583.

Patavii natus eſt, Patre *Marco Triviſano*, Medico celebri, A. C. 1506. Anno ætatis 18. cum nondum Lauream aſſecutus

Log. Profeſſor Salerni. cutus eſſet, cum laude Logicam in urbe *Salernitanâ* publicè profeſſus eſt.

Medicinæ Profeſſor Patavii. Poſteà *Patavii* Philoſophiæ & Medicinæ Doctor declaratus, Logicæ primùm, deindè Simplicium interpretandorum provinciam ſuſcepit. Hinc Medicinæ Theoricæ extraordinariæ explicator electus eam ſpartam 12. annos adornavit.

Tandem Medicinæ Theoricæ ordinariæ Cathedram adeptus, Collega *Bernardini Paterni* gloriam ejus æquavit.

Rerum familiarium oneribus preſſus, nullum aliud ingenii ſui monumentum poſteritati relinquere potuit, præter Lectiones ipſas, quas publicè habitas diſcipuli deſcripſerunt.

Moritur. Senio tandem confectus, vitâ functus eſt A.C. 1583. æt. 77. & in Eccleſiâ S. *Stephani*, à *Riccobono* inibi publicè celebratus, humatus eſt Epitaphio nullo.

* *Ex Elogiis virorum doctorum Philippi Jacobi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1583.

GUILIELMUS PANTINUS.

Medicinæ Profeſſor Lovanii. TIletanus Flander, Medicus *Brugenſis*, *Lovanii Cornelium Celſum* publicè explanandum ſuſcepit, in quem etiam Commentarios elegantes protulit. Familiaris fuit *Veſalio*, *Barſdropio* & *Hieronymo Trivero*, Medicis clariſſimis. Patruus hic major fuit *Petri Pantini*, utriusque Linguæ benè periti, & *Bruxellis* ad D. *Gudulæ* Decani.

Moritur. Vitam exuit *Brugis* nullâ relictâ prole 6. Non. Oct. An. C. 1583. ad D. *Walburgis* conditus.

Extat ejus *elegans Carmen præfixum Marci Laurini libro, cui titulus, Julius Cæſar.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1584.

JOHANNES FRANCISCUS.

NAtus eſt *Ripis Cimbrorum* A. 1532. optimis Parentibus, quod vel ex hoc liquet, quod filium ſuum, ad honeſtas artes ab ineunte ætate perdiſcendas adhibitum, creſcere voluerint pietate & ſapientiâ, ad gloriam DEI & humanæ ſocietatis ſalutem & commodum.

Jactis in patriâ primis artium fundamentis in *Germaniam* miſſus eſt, ut quod hîc accepiſſet, illîc perpoliret quotidianâ acceſſione & augmento, neque ut hoc ſolùm ageret, varias nationes perluſtravit, ſed ut varios hominum mores cognoſceret, quæ res prudentiam imprimis conciliat, ut fuit Vir non egregiè modò literatus, ſed pari prudentiâ & candido animo, idem ſemper & *Medicus Pract. Hafn.* facilis ad communicandum conſilium, tum operam ſuam maximis, minimis, mediocribus medicinam alicujus morbi petentibus.

Dum autem in *Germaniâ* fuit, ingenii elegantia & morum ſuavitate doctos & claros viros ſibi conciliavit, *Wittebergæ Melanchthonem*, *Paulum Eberum*, *Caſparum Peucerum*: *Francofurti ad Oderam Vilichium*: *Heidelbergæ Petrum Lotichium ſecundum*, à quo Poëtarum in *Germaniâ* Principe Poëtices lauream accepit: *Tubingæ Leonhardum Fuchſium* & *Schegkium* atque *Seccervitium*: Tum in *Galliâ*, *Lutetiæ Gupillum*, *Duretum Equitem*, *Rondeletium*: *Lugduni Jacobum Dalechampium*. Medicinæ Doctor creatus eſt, ad integram medicam profeſſionem in *Havnienſi* Academiâ anno 1561. receptus eſt. *Poëta laureatus.* *Medicinæ Doctor & Profeſſor Hafnienſis.*

A. 1562. die 15. Decembr. Scholæ trivialis inſpector cum D. *Hemmingio* conſtitutus eſt. Rectoratum geſſit A. 1565. 1573. 1574.

Uxorem habuit *Marinam*, *Laurentii* filiam, *Antonii* Secretarii Regii viduam. *Uxor.*

Duo Electuaria contra peſtem in Pharmacopoliis ordinavit, unum pro ditioribus, quod Electuar. pretioſum vocatur, alterum pro pauperibus Electuarium pro familiâ dictum. Anno tandem non multo minus uno adverſâ valetudine fortiter conflictatus, ex vitæ hujus miſeriis placidè emigravit 4. Julii A.C. 1584. ætatis 52. *Autor duor. Electuariorum contrà peſtem.* *Moritur.*

Epitaphium ejusdem in Templo D. *Virgilii*, in Columnâ Septentrionali choro proxima eſt ſequens: *Epitaphium.*

ORNATISSIMO VIRO, DOCTRINA, PIETATE, VIRTUTE ATQUE PRUDENTIA EXCELLENTI DOM. JOHANNI FRANCISCO RIPENSI FACULT. MED. DOCTORI EXIMIO, POETÆ ATQUE MUSICO SUMMO, DULCISS. MARITO, QUI ÆTATIS LII. ANNO CHRISTI VERO MDLXXXIV. DIE IV. JULII EX VITA HAC MIGRAVIT, UXOR MOESTISSIMA MARINA LAURENTII FILIA POSTQUAM CUM EO IN SANCTO AC PLACIDO CONJUGIO XXIII. ANNOS VIXISSET, ET IPSE IN ACADEMIA HAC ANNIS XXIV. FIDELITER ET CUM AUDITORUM FRUCTU DOCUISSET, AD POSTERITATIS MEMORIAM MONUMENTUM FIERI CURAVIT.

Habet & monumentum aliud in oppoſita *Auſtrali* columna fixum, hujus inſcriptionis: *Aliud Epitaphium.*

DOCTISSIMO ET HUMANISSIMO VIRO DOMINO JOHANNI FRANCISCO, RIPENSI, MEDICINÆ GALENICÆ DOCTORI, POETÆ ET MUSICO EXIMIO, OMNIBUSQUE BONIS CHARO.

Si mortale nihil deceat perferre Camœnas,
Siq; Poëtarum vita peremis erit,
Arte Machaonia docuit qui primus Apollo,
Si Libitina tuum jus inhibere licet,
Muſica lætitiæ genitus conviſtus amicus,
Si cita Parcarum ſiſtere fila queat:
Quæris in hoc tumulo, cur condidit oſſa Johannos
Franciſcus? curq; is condidit ante diem?
Quem Muſæ & Charites adeò coluêre, quod inter
Præcipuos vates nomen habere darent.
Et cui contribuit facundi cura Galeni,
Conſpicuum Medica Doctor ut arte foret.
Muſica mentem hilarem, facilis conviſtus amicos,
Egregium mores attribuêre decus.
Ille ſevera tamen poterat nec flectere fata,
Et multo luſtris plus ſuper eſſe decem.

Aaa aaa aa 2 Scili-

Digitized by Google

Scilicet eſt certi præfixus terminus ævi,
Quem ſuperare nequit: ſtat ſua cuiq; dies.
Nec mors ſæva ulli parcet, licet ipſe Machaon
Arte ſiet medica, carminibusq; Maro.
Orphea ſeu cantu ſuperet, ſeu Teſea amore:
Eſt adeò claris mors inimica viris.
Ergò nihil mirum eſt, quod fatis ceſſet iniquis
Vir qui perpetuò vivere dignus erat.
Forſitan & mores hominum, terrasq; peroſus
Optabat ſuperis Civis adeſſe Diis.
Nec fruſtratus in hoc, Chriſto duce, gaudet Olympo:
Hîc ſine fine quies, vita, ſalusq; datur.

OBIIT A. C. MDLXXXIV. AMICO, POST FATA, QUOD VIVO ADDIXIT. TYCHO BRAHE F. HAUN. IN PATRUI VERO MEMORIAM COLLAPSUM RESTITUI CURAVI C. P. D. AN. MDCXXIV.

Edidit:

Scripta. *Librum Galeni de Oſſibus converſum Hafniæ. De quo tamen judicat C. Hofmannus Præfat. in Phyſiolog. M. S. eſſe Jacobi Sylvii, qui eam verſionem dederat A. 1561.*

Propoſitiones medicas de Temperamentis.

Hippocratis lib. de naturâ humanâ Hafniæ 1571.

Galeni de conſtitutione artis medicæ, Hafniæ 1573.

Galeni de curatione medendi ad Glauconem lib. I. 1572.

De oculorum fabricâ Carmen Wittenbergæ 1556.

Carminum Lib. ad Fridericum II. Regem Dan. 1561.

Typum veri & ſinceri Amoris Hafn. 1579.

Obiit A.C. 1584. JOHANNES SAMBUCUS.

Bono publico luci datus eſt *Tirnaviæ, Hungariæ* oppido, menſ. Jun. A.C. 1531. Adoleſcens cum in plerisque *Germaniæ, Italiæ, Galliæ*que Academiis cum laude verſatus fuiſſet, Medicæ facultatis ſtudiis humanitatem & Poëticam, Poëſi Hiſtoriam, Hiſtoriæ ſtudium antiquitatis eâ induſtriâ ſuperinduxit, ut ſuccedentibus annis in Medicum elegantem, Poëtam eruditum, Hiſtoricum inſignem, & Antiquarium penè incomparabilem evaſerit. *Medicus, Poëta & Antiquar.*

Quâ eruditionis laude cum ubivis inclaruiſſet, accidit, ut magno ſuo merito à *Maximiliano II.* & poſteà *Rudolpho II.* Impp. ad Conſiliarii & Hiſtorici Cæſarei munus eveheretur. *Conſil. & Hiſtoricus Cæſar.*

Vir admodùm liberalis, omnem ferè ſubſtantiam ſuam conquirendis Libris, monetis, & ſtatuis antiquis impendit.

Tandem terreſtris eruditionis ſatur, cum immortalibus diſcumbere deſiderans, in terris eſſe deſiit *Viennæ Auſtriæ* apoplexiâ extinctus 7. Junii A. C. 1584. ætat. 51. *Moritur apoplect.*

Scripta:

Scripta. *Poëmata.*

Emblemata Poëtica 250.

Impp. Rom. vitæ.

De Ciceronis imitatione Dialogi IV.

Orationes VI.

Epitheta Græca.

In Luciani Dialogos Tetraſticha mythologica.

Carmina Ethica.

Paraphraſis & Commentarii in artem poëticam Horatii.

Sententiæ & Regulæ vitæ, ex Greg. Nazianzeni Scriptis collectæ.

Tabula de LXX. Diſcipulis Chriſti, & cujusq; loco, dignitate, morte, nomine edita & Latine facta, ex B. Dorothei Codice vetuſtiſſimo.

Chorographia nova Hungariæ.

Narratio obſidionis Agriæ & Zigethi, in Hungariâ factæ per Turcam.

Chronicon Petri Ranzani de rebus Hungariæ, cum ſuo appendice.

Appendix Rerum Hungaricarum à Rege Matthiâ usque ad Imp. Ferdinandum I.

Orationis Dominicæ Expoſitio ſimplex.

Oratio funebris in obitu Imper. Ferdinandi.

Thucydidis & Xenophontis Conciones artificio explicatæ.

Platonis Phædrus, Alcibiades, Axichus, Heſiodi Opera & Dies, cum Batrochomyomachiâ ex Græco Latine traducta.

Epiſtolæ 800. ſacræ nondum editæ Nazianzeni, Chryſoſtomi, Theophylacti, Baſilii, Cyrilli, Beſſarionis, & Chryſoloræ.

Bonfinii de conjugali pudicitiâ Dialogi.

Continuatio ad Bonfinium Rerum Hungaricarum usq; ad Imperatorem Maximilianum II.

Arcûs Triumphales aliquot & monumenta victoriæ claſſicæ in honorem Jani Auſtriæ victoris non quieturi A. 1572.

Philo de virtutibus.

Bornii Salæ de Patientiâ, & ad mortem præparatione.

Lilii Tifernalis Epitome in Herodotum.

Hephæſtion Grammaticus.

Veterum aliquot Medicorum Philoſophorumq; Icones, cum elogiis.

Johannes Poſthius, Archiater *Palat.* hoc tetraſticho ornavit:

Præſtantes Medicos, præſtantes carmine Vates *Elogium.*
Maxmilianus habet Cæſar & Hiſtoricos.
Hæc tria ſed ſolus qui præſtet munia nullum,
Sambuco excepto Cæſaris aula videt.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini, & ex Iconibus Job. Jacobi Boiſſardi*, undè deſumpſit *Job. Petrus Lotichius. Med. & Poëta in partem* 4. *Bibliothecæ Poëticæ*, qui hoc ei fecit *Epigramma*:

Hiſtoricus, Medicus, ſimul antiquarius audit *Epigramma.*
Sambucus Clarii pars quoq; magna chori.
Ergò, unâ poterat qui nomen ab arte referre,
Quadruplici quadruplex nomen ab arte refert.

Viennæ Sepulchro ipſius hoc *Epitaphium* legitur inſcriptum:

Sambucus linguas coluit qui doctus & artes, *Epitaphium.*
Cui natale fuit Pannonis ora ſolum:
Cæſaris Hiſtoricus præmiſſi temporis acta
Et dignos ſcripſit cognitione libros.
Aonios inter meruit quoque nomen olores,
Carmine jucundum qui cecinére melos.
Ante diem quamvis Muſis plorantibus ipſum
E medio tulerit mortis avara manus:

Ipſe

Ipſe tamen ſupereſt meliori parte ſuperſtes,
In cœlis animâ nomine clarus humo.
Nil in ſolertes Muſarum juris alumnos
Mors habet: à Muſis doctus obire nequit.
Obiit Idib. Junii MDXXXIV.

Obiit A. C. 1585.

WOLFFGANGUS MEURERUS.

NAtus *Aldenbergæ*, *Miſniæ* oppido, *Bohemiæ* vicino, 23. Maji A. 1513.

Patrem habuit *Wolffgangum*, qui *Berreuto* ex ſup. *Palatinatu* An. 1488. venarum metallicarum ſtudio permotus, *Aldenbergam* venerat.

Matrem *Eliſabetham Reuteram*.

Fratres habuit, *Jacobum*, in *valle Joachimicâ* rerum metallicarum præfectum: *Georgium* & *Johannem*, Theologos apud *Schneebergenſes* & *Nepravicenſes*.

An. ætat. 11. à Patre *Pirnam* miſſus, ubi tum bonas literas docuit *Johannes Schadius*. Indè *Dresdam* migravit, impulſus famâ *Johannis Scheffelii*, qui eo tempore & loco ludum regebat literarium, & poſteà *Lipſiæ* Juris Doctor factus, præter Conſulatum, etiam Academicis honoribus perfunctus eſt.

Lipſ. Scholæ Thomianæ Collega. Paulò pòſt *Lipſiam* ſe contulit, ubi primos ſtudiorum fructus percepit: nam Scholæ *Thomianæ* Rector *Caſpar Bornerus*, ei ob eruditionem ſupremum poſt ſe locum inter Collegas aſſignavit.

An. æt. 18. Decano *Henrico Godeſchalco* primam Philoſophiæ lauream reportavit. *Philoſophiæ Magiſter.* Triennio pòſt ſummum etiam in Philoſophiâ gradum conſecutus, abindè per 6. annos Scholam Senatoriam ad D. *Nicolaum* apertam rexit.

Tandem *Caſparo Bornero*, in Collegio Principum majori Rector factus ſucceſſit.

Intereà cum Phyſicè cumprimis & Mathematicis diſciplinis incubuiſſet, ad artem medicam animum appulit, in quâ addiſcendâ Præceptoribus uſus eſt *Henrico Stromero*, *Georgio Schiltelio*, *Joh. Pfeilio* & *Sebaſt. Rothâ*, ſub cujus ultimi præſidio poſt primum in Medicinâ gradum de Animâ ejuſque facultatibus publicè diſputavit.

In hoc artis medicæ curſu *Italiam* viſendi cupidus, propriis ſumtibus *Patavium* profectus eſt, ibique ſe totum tradidit arti medicæ, cujus Profeſſores tunc erant *Andreas Veſalius*, Anatomicus, *Joh. Bapt. Montanus*, M. *Montagnana*, *Lazarus Bonamicus*, & M. *Antonius Janua*, quorum omnium amicitiam ſibi conciliavit.

Patavio diſcedens, cum *Wolffg. Wertbero* & *Georg. Fabritio* totam penè *Italiam* peragravit, inque viâ ſibi *Valerium Cordum* adjunxit, cum quo montes rei herbariæ ſtudio perreptavit.

Romæ aliquantiſper ſubſiſtens, ſibi *Alphonſi Ferrarii*, Profeſſoris Chirurgiæ *Joſephi Cinthii*, Botanici, & *Lucæ Gauricii*, Aſtronomi benevolentiam conciliavit, *Neapoli Simonem Portium* Philoſophum, *Brancaleontem*, Medicum, *Bononiæ Ludovicum Buccaferreum*, Philoſophum, *Ferrariæ Antonium Muſam* & *Hieron. Fracaſtorium*, Medicos, *Florentiæ Matthæum Curtium*, Medicum, & *Petrum Victorium*, Philologum domi ſalutavit.

A. 1542. Ab Elect. *Sax. Mauritio* in Acad. *Lipſienſem* ex *Italiâ* vocatus, ad Philoſophiæ Profeſſionem, paruit, & annos 27. doctrinam *Ariſtotelicam* profeſſus eſt, nec ab illo munere diſceſſiſſet, niſi autoritate Collegii Medici in demortui Decani profeſſionem ſucceſſiſſet, quam etiam annos 14. adminiſtravit. *Philoſophiæ & Medicinæ Prof. Lipſiæ.*

A. 1549. æt. 36. Cum *Blaſio Thammüllero*, & *Baltaſare Cleinio*, Medicinæ Doctor publicè renuntiatus eſt. *Medicinæ Doctor creatus.*

Eodem anno pronubis *Philippo Melanchthone* & *Joachimo Camerario*, in matrimonium duxit virginem *Margaretham*, filiam *Chriſtophori Blasbalgii*. Ex eâ liberos 9. procreavit, filios 6. & 3. filias, ex quibus ſuperſtites reliquit 3. filios, *Philippum*, Juris Doctorem, *Chriſtophorum*, Mathem. Prof. & Med. Candidatum, & *Johannem*, Theologiæ ſtudioſum: prætereà duas filias, *Margaretham*, *Bartolomæo Suſmilch*, Senatori *Lipſ.* & *Claram*, *Georgio Bolmanno*, *Fribergenſi* nuptas. *Conjugium.*

An. 1575. Cum Conjugem peſte extinctam amiſiſſet, in ſolitudine reliquum vitæ tempus terere maluit, quàm ſibi moleſtiam, liberis novercam, & rei familiari calamitatem accerſere.

Tandem deficientibus corporis & animi viribus ex hâc vitâ miſerâ vocatus, in verâ DEI invocatione placidè obdormivit 6. Febr. A. 1585. æt. 72. *Mortuus.*

Corpus honorificè ſepultum eſt in templo *Paulino*, concionem funebrem habente *Wolffgango Hardero*, Theol. D. & Paſtore ad D. *Nicolaum*.

Scripta: *Scripta.*

Commentarii Meteorologici.

Meteorologia quæſtionibus & explicationibus illuſtrata a Chriſtophoro filio.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

REMBERTUS DODONÆUS.

Obiit A. C. 1585.

NAtus *Mechliniæ*, *Belgii* Urbe A. 1517.

Proavus ejus fuit *Staurienſis*, nomine *Jarichus* à *Jænckema*, hic filium habuit *Rembertum*, qui vir magni Conſilii, & *Leovardianæ* Civitatis Senior diu fuit. Moriens autem filium reliquit unicum, *Dodo* nomine, qui extrà patriam *Dionyſius* & *Dodonæus* dictus eſt, & *Mechliniæ* Mercaturam exercuit. Ex eo natus eſt hic *Rembertus Dodonæus*.

Ob Medicinæ peritiam Impp. *Maximiliano II.* & *Rudolpho II.* commendatus, ab utroque in aulam adſcriptus, & curandæ valetudini præpoſitus fuit. *Archiater Imperatorum Maximiliani II. & Rudolphi II.*

Machliniam amicorum literis, ut bonis ſuis proſpiceret, evocatus, impetratâ ab Imperatore dimiſſione, *Coloniam* diſceſſit, ubi aliquandiu ſubſtitit ob tumultûs bellicos in *Belgio*.

Digitized by Google

Lugduni Batavor. Med. Prof.

A. 1582. *Lugduni Batavorum* Medicinæ profeſſionem publicam ſuſcepit.

Moritur.

Mortuus A. 1585. ætatis 68. die 10. Martii *Lugduni Batavorum.*

Scripta.

In lucem edidit: *Stirpium hiſtoriam Belgico* primùm idiomate, poſteà *latino 30. libris comprehenſam.*

Medicinalium obſervationum exempla rara.

De Aſtronomiæ & Geographiæ principiis Coſmographicam Iſagogen.

Hiſtoriam florum & herbarum coronariarum.

Frumentorum hiſtoriam.

Praxin medicam.

Hiſtoriam herbarum purgantium.

Hiſtoriam vitis & vini.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A. C. 1585.

SAMUEL EISENMENGER.

IN lucem editus eſt *Brettæ*, *Palat. inf.* oppido, 28. Sept. A. 1534.

Witteberg. Philoſophiæ Magiſter.

An. ætat 19. *Wittenbergæ* Magiſter à *Phil. Melanchthone* renuntiatus eſt.

An. 1556. *Wittenbergâ Tubingam* evocatus, Mathematum Profeſſionem ſuſcepit, & ibi medicis operam dedit adeò graviter, ut ult. Oct. A. 1564. Med. Doctor creatus ſit, in panegyri frequenti, quâ 14. viris eruditis, Theologis, Juriſconſultis & Medicis ſupremi honores publicè collati ſunt.

Medicinæ Doctor.

Indè famâ de ipſo increbeſcente, à variis fuit expetitus, ac primùm *March. Badenſi Carolo* A. 1567. pòſt Electori *Colon.* & Epiſcopis *Argentinenſi* ac *Spirenſi* à curâ valetudinis fuit.

Moritur.

Tandem obiit *Bruſſellæ* 28. Febr. A. 1585. ætatis 51.

Dum vixit, gloriam mundi non cupivit, ſed mundo mortuus in humilitate vitam finiit.

Scripta.

Extat ejus *Oratio de Methodo ἰατρομαθηματικῶν, in quâ eam ſemper Medicis veteribus ac recentioribus uſui fuiſſe, multis rationibus confirmatur.*

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A. C. 1585.

JOHANNES CRATO.

NAtus *Vratislaviæ* in *Sileſiâ* An. 1519. 20 Nov. Patre *Chriſtophoro Krafſto*, Senatore, Matre *Annâ Bidermannâ.*

Præceptore uſus in *Germaniâ Philippo Melanchthone*, in *Italiâ Job. Baptiſta Montano*, Medico.

Theologiæ ſtudioſus.

Witteberge ſtudiorum gratiâ profectus, totum ſe Theologiæ ſtudio dedit, & toto ſexennio in D. *Martini Lutheri* convictu vixit. Memoriæ etiam cauſâ non pauca hoſpitis ſui dicta retulit in commentarium manu ſuâ, ex quibus poſteà *Volumen Sermonum convivalium* maximâ ex parte compilatum eſt.

Wittenb. Philoſophiam docet.

Cum verò ad Theologiæ profeſſionem minus ſe aptum deprehenderet, ad Medicinæ ſtudium, *Luthero* quoque ſuadente ſe convertit, & privatim aliquandiu *Wittebergæ* Philoſophiam docuit.

Indè *Lipſiam* conceſſit, ubi *Joachimo Camerario* familiari amore conjunctus, ad extremum vitæ manſit.

Ex *Italiâ* in patriam reverſus, uxorem duxit *Mariam*, *Job. Scharffii*, Senatûs Scribæ primarii filiam An. 1550. 9. Dec. cum quâ 36. annos vixit, & duas filias, *Annam* & *Annam Mariam*, in ætatis flore mortuas, & filium *Johannem Baptiſtam* ex eâ ſuſcepit.

Medicus Cæſareus.

In patriâ dum Medicum fidelem egit, promotoribus D. *Sigismundo Seldio*, & D. *Georg. Mehl*, Conſiliariis Cæſ. in aulam Imp. *Ferdinandi* venit, factus *Ferdinandi I. Maximiliani II.* & *Rudolphi II.* Conſil. & Archiatrus per annos 26.

Moritur.

Obiit *Vratislaviæ* A. C. 1585. ætatis 66. 9. Novemb.

Symbolum.

Symbolum uſurpavit: *Iræ moderceris & Ori: quod picturâ gigantis nudi expreſſit, qui manu ſuâ os Leonis comprimit.*

Uſurpavit crebris Sermonibus vocem Præceptoris ſui *Montani*:

Sapiamus ut pauci, loquamur ut multi.

Scripta.

Edidit *Conſilia & epiſtolas medicinales*, à *Laur. Scholzio editas in fol.*

Libellum Germanicum de peſte in 4to.

Librum de Sacrâ Philoſophiâ in 8vo.

Facie ſimilis fuit Imperatori *Maximiliano II.* undè *Joh. Poſthius* ita luſit:

Cæſaris effigiem Magni effigiemque Cratonis
Qui confert, ſimiles protinus eſſe videt.
Quod ſi animum poſſet divinum effingere pictor,
Idem, credibile eſt, planè utrumq; foret.

Idem:

Si quibus eſt ſimilis facies, ſimilis quoq; mens eſt,
Cæſaris haud differt & tua, docte Crato.

Epitaphium.

Epitaphium, quod ſibi ipſe ſcripſit:

Saucius invidiæ morſu, ſed vulnere ſanus
Chriſte, tuo jacet hic inrequiete Crato.
Conſcia mens recti, Chriſto confidere docta
Omnia fert, ferat ut ſcire Deum. Satis eſt.

Obiit A. C. 1585.

ANDREAS MIRICA.

L*Emmarienſis Friſius* fuit.

Poſt ſtudiorum ſuorum curriculum decurſum, quorum cauſâ *Germaniam*, *Galliam* & *Italiam* peragravit, in patriam reverſus, *Leovardiæ* uxorem duxit, ibidemque Medicinæ praxin per multos annos feliciter exercuit.

Medicus Leovardiæ.

Quatuor linguarum, *Latinæ*, *Græcæ*, *Hebraicæ*, & *Chaldaicæ* fuit peritiſſimus.

Calculi cruciatibus ſublatus eſt 6. Dec. An. 1585.

Scripta ipſe flammis tradit morti proximus.

Scripſit non modò in medicinâ, ſed & in Sacris plurima, quæ tamen omnia, cum ſibi mortem imminere ſenſiſſet, flammis abſumi voluit.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A. C. 1585.

HENRICUS MILICHIUS.

W*Ittebergâ Saxo*, *Jacobi Milichii*, *Friburgo-Briſgoii*, Med. Doct. & Prof. publ. in *Albanâ* filius.

Medicinæ Doctor Senis.

Perluſtratis *Germaniæ*, *Galliæ*, & *Italiæ* Provinciis, *Senis* mitram purpuream legitimè obtinuit.

Redu-



IOH. CRATO À CRAFTHEIM
Archiater Cæſareus.



ADAMUS LONICERUS.
Medicus Francofurt.



IOHAN: VISCHERUS.
Medic. Prof. Tubingæ



IACOBUS SCHEGKIUS
Medic. Prof. Tubingæ.



THEODOR, ZWINGERUS.
Medicinæ Prof. Baſileæ.



HIERO: CAPIVACCIUS.
Medicinæ Prof. Patavii.



ALOYSIUS TRISSINUS
Medicus Vicentinus.



IACOB. THEODOR. TABERNÆMONTANUS.
Archiater Palatin.



IULIUS ALEXANDRINUS
Medicus Cæſareus & Triden.



VICTORIN. SCHONFELDI9
Medicinæ Prof. Marpurg.



NICOL. ABRAHAM. FRAMBESARIUS
Medicus Regius Pariſ.



ALBERTINUS BOTTON9
Medicinæ Prof. Patavij.



ANUTIUS FOESIUS
Medicus Pariſienſis



GEORGI. HAMBERGERUS.
Medicinæ Prof. Tubing.



DANIEL MÖGLINGIUS.
Medicinæ Prof. Tubing.



HIERO VISCHERUS
Medicus Noribergenſis

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

by Google

Digitized by Google

Medicinæ Profeſſor Jenæ.

Reducem *Salanâ Profeſſorum* in arte Med. publicor. Catalogo adſcripſit ipſum A. 1573. Hâc ſpartâ A. 1581. relictâ, *Slaizium* oppidum Dnn. *Ruthenis L. Baronib. à Plauen* ſubjectum profectus Poliatri & Archiatri aulici munus ſuſcepit, ibidemque peccati ſtipendium accepit circa A. C. 1585.

Archiater Plavienſ.

Viduam reliquit *Annam*, *Johannis Schneidewini*, J. C. & Prof. publ. in *Albanâ* filiam, quæ A. 1587. iterum nupſit *Hieronymo Mevio*, U. J. D. & Curiæ Provinc. in *Jenâ* Advocato.

* *Ex Nomenclat. Profeſſ. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc appoſuit Epigramma:

Epigramma.

Tu benè patriſſas, Heinrice Miliche, ſecutus
In Sophicis ſtudiis in Medicisq; patrem.
Dant Witeberga lares ſtudiorum præmia Senæ:
Jena Profeſſoris munia, Slaiza rogum.

Obiit A. C. 1586.

ADAMUS LONICERUS.

IN urbe *Marpurgenſi* natus anno 1528. Octobris die 10. Patre *Johanne Lonicero*, trium linguarum, & imprimis Græcæ, inter eos ferè, qui hâc in Academiâ docuerunt unquàm, peritiſſimo, admirabili quodam ad Philoſophiam ſtudio concitatus, & attentius in eâdem commoratus, quod rerum ipſarum magnitudo & varietas ſummâ delectatione eundem retineret, etiam ætate majores in ſtudiis fecit progreſſus, ita 13. ætatis anno primam, triennio verò pòſt, anno videlicet 1545. ſecundam Philoſophiæ & artium lauream, Philoſophicæ facultatis antiſtitum judicio promeruit.

Primam lauream Philoſophicam 13. ætatis anno, ac triennio pòſt ſecundam promeruit.

Cum itaque apprimè videretur dignus, qui ſe ad docendum daret, ſequenti anno *Francofurtum*, quod ad *Mœnum* eſt, à patre miſſus eſt, ut ſub *Jacobo Mycillo*, qui tum temporis Rectoris iſthic ſubibat munus, operam in inſtituendâ juventute ponat.

At verò cum motus bellici paſſim increbeſcerent, poſt annum *Marpurgum* reverſus, cum *Caſparo Rodolphi Fridbergam Wetteravorum* ad conſtituendam iſthic ſcholam invitatus eſt.

Marpurgi ſtipendiariis præfectus.

Hinc *Marpurgum* rediit denuò, ſtipendiariis iſtius loci anno 1550. præfectus, ſed anno elapſo patris præcipuè eâ in re obſecutus conſilio *Moguntiam* ad D. *Oſterodam* conceſſit, ut quibus Medicinæ præceptis & inſtitutis abundabat, eadem rerum porrò uſu & experientiâ hujus tanquàm veterani cujusdam & exercitatiſſimi Ducis ductu & auſpiciis confirmaret.

Marpurgi Mathemata publicè docere juſſus eſt.

Cum itaque huic Doctori ejusque artibus variis atque multis biennium deditus fuiſſet, indè revocatus *Marpurgum*, in Mathematicis ſtudiis publicè tradendis curam ponere juſſus eſt, quam provinciam ita ſuſcepit, ut tamen medicæ artis exercitationem nunquàm deponeret.

Neque certè fruſtrà ſeſe tantis in laboribus exercuit ille, cum laudis & gloriæ mercedem, præter quam aliam nullam virtus ipſa deſiderat, conſecutus eſt uberrimam.

Uno eodemque die & nuptias celebravit, & Doctoris feſtos peregit dies.

Nam ſesquianno vix dum elapſo, ductâ *Chriſtiani Egenolphi*, qui typographiam *Francofurtum* invexerat primus, filiâ *Magdalenâ* uno eodemque tempore & nuptias celebravit & Doctoris feſtos peregit dies, cujusmodi in publicis iſtiusmodi renuntiationibus agitari de more conſueverunt: nec multò pòſt per literas *Moguntiam* evocatus, ut illic aëre publico doceret artem medicam, eò perrecturus ad Socerum divertit *Francofurti*.

Francofurti ad Mœnum Medicus conſtitutus.

Sed enim cum eâ fortè nocte iſtius loci Medicus *Ludovicus Graphius* obiiſſet, ejus operam Senatus honeſto ſtipendio 4. Octob. anno 1554. conduxit. In hoc igitur vitæ curriculo, cum 32. annos ita exegiſſet, ut omnia ſua ſtudia, operam & induſtriam non ſolùm civibus ſuis, ſed etiam quibuscunque exteris ſummâ anniteretur fide, & propterea in amore eſſet omnibus, an. 1586. die Maji 19. finem vitæ atque laboris fecit vir præſtanti eruditione atque doctrinâ, & rei imprimis medicæ peritiſſimus.

Moritur.

Scripta.

Lucubrationes editæ ſunt ejusmodi:

Introductio Arithmeticæ latina.

Aphoriſmi Hippocratis à Poreſio explicati.

Botanicon & hiſtoria plantarum, animantium, plantarum, metallorum, ſuccorumque concretorum.

Herbar. vernaculâ linguâ.

Poſt obitum autem filii operâ in lucem prodiit:

Methodica explicatio omnium corporis humani affectuum.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A. C. 1586.

LUDOVICUS DURETUS.

IN ultimâ *Burgundiâ* natus eſt A. C. 1527. Primis ætatis temporibus *Pariſios* venit pauper & inops, ſed mox ingenii vi ſe manifeſtante commilitones omnes antevertit. In Ordinem Doctorum Medicinæ promotus, & conjugio ditiſſimo beatus, mox Regiâ *Pariſiis* profeſſione & praxi illuſtris, vitam docendo, ſcribendo, & praxi aulicâ tranſegit.

Medicinæ Profeſſor Pariſ.

Artem *Hippocraticam* barbarie ſopitam inter primos reſuſcitavit, & locos *Hippocratis* ferè omnes memoriâ tenuit.

Majorem laudem promeritus eſſet, ſi quod ſumma ejus eruditio poſtulabat, parvam ex arte medendi exiſtimationem pari ſcribendi ſtudio cumulâſſet: hâc enim in parte gloriæ ſuæ quodammodo defuiſſe judicatur.

Medicus Regius.

Caroli IX. & *Henrici III.* Regum *Galliæ* Medicus cubicularis perpetuus fuit, à quibus adeò dilectus eſt, ut cum filiam elocaret, Rex à dextris, ipſeque à ſiniſtris filiam in Templum ad ſolennia Sponſaliorum deduxerint: ipſeq; Rex præſentiâ ſuâ nuptias cohoneſtans omnem auream & argenteam ſupellectilem, quâ miniſtrabatur, cujus pretium 40000. florenorum excedebat, ſpontè pro honorario donavit.

Tantus enim Regis *Henrici* ergà *Duretum* fuit affectus, ut niſi ipſo adſtante cibum

non

non ſumeret, & ſæpè exclamaret: *Durete, ſi filium haberem, tuæ cura ejus educatio & inſtitutio eſſet.*

Moritur. Obiit tandem *Lutetiæ Pariſ.* An.C.1586. ætatis 59.

Unus ex ejus filiis paterni muneris ſucceſſor, à primâ adoleſcentiâ eruditi ingenii præbuit argumentum, dum patris in Coacas *Hipp.* Prænotiones inchoatas abſolvit, & in lucem emiſit.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Scripta:

Scripta. *Hippocratis Magni Coacæ Prænotiones. Opus admirabile in tres Libros diſtributum, Interprete & enarratore Lud. Dureto.*

Commentarii in lib. Hipp. de Humoribus purgandis, & in libros tres de Dietâ Acutorum.

Adverſaria in Jacobi Holleriì Libros de morbis internis.

Liebautius diarias ejus in tractandis ægrotis animadverſiones publicè communicandas commemorat, ſive Practicam medicinalem.

Ludovicus Duretus, Regius Profeſſor *Pariſiis*, non ſuæ tantùm ætatis, ſed omnis ævi medicâ arte eminentiſſimus, dicendo agendoque juxtà optimus, primus extitit, qui barbariei mandragorâ ſopitum *Hippocraticæ* artis genium acri & incitato ſuo ingenio reſuſcitavit, & ex tenebricoſo tricarum ergaſtulo in illuſtre theatrum Orbis terrarum protraxit. Undè *Hippocratis Genius* nonnullis dicitur. Scripta ejus enumerat *Paſchalis Gallus in Bibl. Medicâ.*

* *Ex Dialogo de Patriis Virorum doctorum Joh. Andreæ Quenſtedii.*

Obiit A.C. 1567.

JOHANNES VISCHERUS.

W*Embdingæ. Bavar.* oppido, natus eſt 16. Decemb. An. 1524.

Patrem habuit *Georg. Viſcherum*, Conſulem *Wembding.* qui olim à parentibus ſuis mercaturæ deditis ſtudiis addictus, in Mathematicis excelluit, & An. 1529. quo *Viennam Turcæ* obſidebant, *Monaci* cum eſſet in Comitiis à *Duce Wilhelmo* coactis, apoplexiâ publico in conventu correptus, paulò pòſt *Auguſtæ Vindelic.* apud ſororem animam DEO reddidit.

Matrem habuit *Sibyllam Fuchſiam*, amitam *Leonhardi Fuchſii*, Medici celeberrimi, quæ inter 6. filias & 12. filios hunc *Johannem* natu minimum peperit, corpore naturâ imbecillo & valetudinario præditum.

Hunc Mater poſt obitum Patris pietatis quodam zelo ſtudiis conſecratum, ad religioſam vitam inſtitutum voluit, cujus rei monumentum pannum è lino ſubtiliſſimum ad ſacerdotale pallium à matre acceptum, ſuis reliquit.

In patriâ Grammaticam à *Wolfgango Kalani, Camundenſi*, didicit.

An. 1535. Gum peſtis patriam invaſiſſet, *Noribergam* in ludum tunc florentem miſſus, biennium ibi Præceptore uſus *Sebaldo Haidino*, Græca feliciter arripuit.

A. 1537. 16. Dec. à matre, cohortantibus propinquis, in Acad. *Tubingenſem* ablegatus eſt, ob id maximè, quod cognatum ſui haberet ibi *Leonhard. Fuchſium*: quò ubi venit, à *Sebaldo Havenreutero*, Ethices Prof. in ædes & convictum receptus, eidem charus fuit. *Studioſus Tubingenſis.*

A. 1539. Matrem quoque amiſit, & brevi pòſt menſ. Decembri primam lauream philoſophiæ adeptus eſt.

A. 1541. menſ. Nov. diſſipatâ propter peſtem Academiâ indè diſcedens, hyemem ſeq. in patriâ privatim ſtudiis transmiſit.

An. 1542. Poſt Dominicam Palmarum *Wittenbergam* venit, ubi autumno ſeq. diu ægrotavit. Sed poſtquàm, DEI favore, convaluit, totum ſe Philoſophiæ ſtudiis & Theologiæ dedidit.

An. 1546. Menſ. Nov. cum metueretur oppidi obſeſſio à Duce *Sax. Mauritio*, unà cum aliis Scholaſticis *Magdeburgum* ſe contulit, ſed octiduo amplius ibi non ſubſtitit. Indè diſcedens *Noribergam*, ibi hybernâ fixit.

Adventante vere A. 1547. Unà cum *Hieronymo Wolffio Argentoratum* conceſſit, ubi conſumptis duobus menſibus, *Henrico Wolffio, Hieronymi* fratre *Lutetiam* abiit, ſed cum aërem illum ferre non poſſet, menſ. Octobri *Argentoratum* reverſus, menſes 8. in ædibus & convictu *Sebaldi Havenreutteri* vixit, totus Græcæ & Heb. linguæ ſtudio deditus.

A. 1548. menſ. Sept. Secundùm *Wittenbergam* adiit, ubi anno ſeq. 19. Febr. Magiſterii gradu ornatus, & inter 73. Competitores ſecundum locum obtinuit. *Philoſophiæ Magiſter.*

Abindè, cum corporis ſui naturam debiliorem haberet exploratam, artis medicæ cœpit operam impendere, & ſequentem à magiſterio æſtatem in ſtudio plantarum cognitionis perveſtigandæ tranſegit, ad quod felicem habuit ductorem *Caſp. Peucerum, Dioſcoridem* privatim enarrantem.

Menſ. Octob. A. 1549. *Tubingam* iterum ſe contulit, ibique biennium commoratus, magnos in re medicâ ſub Præceptoribus *Leonhardo Fuchſio & Jacobo Scheckio* fecit progreſſus. *Medicinæ operam dat.*

A. 1551. *Patavium* profectus, *Triucavel. Fallopium, Baſſianum Landum & Bellocatum* diligenter audivit docentes.

A. 1552. Cachexiâ cum vertigine laborans, *Goritiam ad Petrum Andr. Matthiolum* excurrit, & apud eum tres menſes familiariter commoratus, ſanitatem recuperavit, & in ſimplicium cognitione plurimum profecit.

An. 1553. menſ. Febr. Cum quibuſdam *Germanis* aliis *Venetias* adiit, ut anatomias privatas à quodam Chirurgo *Veneto* inſtitutas ſpectaret. Menſ. Majo *Bononiam* commigravit, & per æſtatem illam *Victorium* ac *Helideum* Practicos illuſtres ſectatus eſt.

Ibidem die *Margarethæ* inſignibus Doctoralibus ſolenniter ornatus eſt.

Menſ. Sept. Rediit in patriam, & per hyemem *Norimbergæ* apud *Henricum Wolfium* Medi-

Medicum Practicum degit. Sub id tempus à *Georgio*, Com. *Wirtenbergico*, in aulam vocatus, cum vitam aulicam ſtudiis & valetudini ſuæ minus commodam arbitraretur, gratias egit.

Medicina Profeſſor Ingolſtadii. Menſ. April. A. 1554. In Academiam *Ingolſtadienſem* ad Profeſſionem invitatus, liberâ illi in religione conceſſâ voluntate, venit, & cum applauſu publicè medicinam docuit.

Conjugium. 2. Octob. ſeq. *Nordlingæ* nuptias celebravit cum virgine *Sibyllâ*, *Laurentii Hentzii*, civis *Nordl.* filiâ. Ex eâ filium reliquit *Hieronymum*, & filiam *Sibyllam*. Peperit etiam *Joh. Georgium & Urſulam*, in infantiâ extinctos. Ipſa autem longis uteri cruciatibus exhauſta obiit 30. Maji A. 1565.

Medicus Nordlingenſis, An. 1555. Menſ. Nov. *Norlingam* invitatus cum familiâ venit, & 6. ibi annos ac 4. menſes Medicum ordinarium egit.

& Onoldsbacenſis. An. 1562. Menſ. Mart. à *March. Georgio Friderico Onoltzbachii* in aulam evocatus, ei ſexennium laudabiliter inſervivit.

Conjugium alterum. A. 1566. Ad ſecunda vota tranſiit, ductâ menſe Julio uxore viduâ *Wilhelmi Mandlingi Noribergenſis*.

& Tubingenſis. An. 1568. 28. Febr. Cum in profeſſione medicâ *Leonhardo Fuchſio* defuncto ſurrogatus eſſet, *Tubingam* cum familiâ venit.

An. 1571. 23. Aug. Metu peſtis *Eslingam* conceſſit, & ult. April. anni ſeq. *Tubingam* reverſus eſt. A. 1573. 1. Maji Academiæ Rector ſolenniter electus eſt, & abindè bis idem munus obivit.

Interjectis deindè annis aliquot & filiam *Sibyllam Antonio Varenbülero*, J.C.ti *Nicolai* filio elocavit, & filio *Hieronymo* ex *Italiâ* reduci, ac *Tubingæ* ſummis in medicinâ honoribus ornato, deſponſavit *Henrici Wolffii*, Poliatri *Norib.* filiam, in cujus *Wolffii* locum idem *Hieron. Fiſcherus* ſurrogatus eſt.

Conjugium tertium. A. 1585. à filii nuptiis domum reverſus, & uxore ſecundâ orbatus, tertiam duxit, cum quâ unum tantùm annum æger vixit, nam verno ante nuptias tempore An. 1586. cachexiâ laborare cœpit, quam autumno ſeq. febris excepit tertiana, cui hyeme tuſſis ex catarrho & tandem ſputum ſanguinis acceſſit: nec tamen ab officio ſuo domi ſuæ privatim docendi deſtituit.

22. April. an. 1587 Advenienti *Erhardo Cellio*, Prof. manum porrigens, *O*, inquit, *hora redemptionis meæ jam jam appropinquat!* Cumque poſtremùm ediſſet, bibiſſet, & *Cellio* verbis præeunte ſublatis manibus oràſſet, ac DEO ſpiritum ſuum commendâſſet,

Moritur. ſubitò & intento in cœlos intuitu nullâ corporis commotione placidè exſpiravit anno ætatis 63. cum annos 19. *Tubingæ* docuiſſet. Succeſſorem habuit *Danielem Mœglinum*, Medicinæ Doctorem.

Scripta. Edidit *Diſputationes in plurimas medicinæ partes, quas Italos etiam mirari conſtat.*

Aphoriſmorum Hippocr. Enarrationem brevem, quam filius Hieronymus edidit.

* *Ex Melch. Adami Vitis Medic. & aliis.*

REMACLUS FUSCHIUS.

Obiit A.C. 1587.

L*imburgenſis*, Canonicus ad S. *Paulum Leodici* & Medicus, frater *Gilberti* *Medicus.* *Philareti*, *Limburgi* cognomento apud exteros maximè notus: Vir ſtirpium, eorumque, quæ terra ex ſe fundit, ſcientiâ præſtans. *Botanicus*

Moritur. Vitæ finem fecit 12. Kal. Jan. A.C. 1587. Sepultus cum fratre *Gilberto* in S. *Annæ Monialium Haſſelenſium Cœnobio*, quod eſt *Leodici*, *Paulini* Canonicorum Collegii ſepta.

Scripſit:

Scripta. *Methodum curandi morbi Hiſpanici ſive Gallici, per Ligni Guaiaci decoctum.*

Dialogum de Herbarum notitiâ.

De Aquis, Stirpibus, & Aromatibus.

De ſimplicium medicamentorum delectu Tabellam.

Pharmacorum omnium, quæ in communi ſunt, Practicantium uſu, Tabulas X.

Vitas illuſtrium Medicorum, cum Symphoriani Campeſii Catalogo Neotericorum Medicorum.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

JACOBUS SCHECKIUS.

Obiit A.C. 1587.

S*chorndorffi*, oppido *Wirtenbergico*, natus eſt A. 1511.

Patrem habuit *Bernhardum Degen*, à vulgo Schecken vocatum, virum plebejum & honeſtum.

Philoſophiæ Magiſter. Magiſter Philoſophiæ *Tubingæ* creatus eſt An. 1529.

Philoſophiæ Profeſſor. Ibidem Profeſſor factus *Bucolica Virgilii* & *Theognidem* publicè docere cœpit A. 1531. Theologiæ quoque tunc operam dedit.

Rector ibidem *Contubernii* deſignatus eſt An. 1534.

Medicinæ Doctor. Abindè Medicinæ ſtudia amplexus, cum paulò antè duxiſſet uxorem, Doctor Med. renuntiatus eſt *Tubingæ* A. 1539. Et *Ariſtotelis* explicationem continuavit uſque ad annum 1553.

Medicinæ Profeſſor Tubing. Poſteà medicinam docens, multos *Galeni* Libros diligenter explicavit. Logicam etiam docuit A. 1564.

Cæcus. A. 1577. Viſu penitùs privatus, integro decennio ſtudia majori alacritate proſecutus eſt, & varios tractatus medicos edidit; cumque quidam Ophthalmicus ſeſe ei viſum reſtituere velle pollicitus eſſet, reſpondit: Se multa in vitâ vidiſſe, quæ maluiſſet non videre, optare ſe, ad nonnulla etiam ſurdum fuiſſe.

Moritur. An. 1586. Apoplexiâ percuſſus, toto tamen adhuc anno ſtudia ſolita tractavit, donec exſpiravit 9. Maji an. 1587.

Cum uxore *Catona*, *Kiliani Vogleri*, Archigrammatéi *Conſtadienſis*, filiâ 47. annos in ſuavi conjugio tranſegit, & ex eâ tres liberos ſuſcepit: *Davidem*, qui J.C. titulos conſecutus obiit 14. Octob. an. 1576. *Jacobum Bernhardum*, Philoſ. & Med. ſtudioſum, an. 1580. defunctum, & *Magdalenam*, nuptam Doct. *Hieronymo Bauſchlo*, Medico.

 Scripta:

Scripta:

Scripta. *In Galeni libros de arte parvâ prælectiones in 8vo.*

De plaſticâ Seminis facultate libri III.

De calido & humido.

De primo ſignificationis inſtrumento.

* * *

Vita Jacobi Schegkii, autore M. Erhardo Cellio, Poët. & Hiſtor. Prof. Tubingenſ:

Schegkius hoc vivo fuit ore Jacobus, ut ævi
Luſtra erat emenſus quinque decemque ſui.
Schorndorffi natus benè linguæ elementa Latinæ,
Argolicæ didicit, ſicut & Hebraicæ.
Omnibus hunc auxit titulis & honore Tubinga:
In Sophiæ currens tramite primus erat.
Lectio Virgilii mandata, Theognidis illi:
Et Contubernî tradita cura fuit.
Proh quantus Logicus? quantus Metaphyſicus? idem
Hiſtoricus, Vates Græcus & Auſonius?
Quàm bonus Orator, quantusque Geometra? quantus
Schegkius Aſtronomus? quantus Arithmeticus?
Omnia ceu veteres dixerunt, Schegkius octo:
Omne opus evolvit, Philoſophia, tuum.
In Sacris luſtrum trivit: Doctorq; futurus:
Jamq; illi urbs Conſtans unxerat ante caput:
Et diſſertando jam ſe ſtudiumque probârat:
Sed rerum impediit diſcolor omne ſtatus.
Ergò fit Medicus, medicam docet inclytus artem:
Quicquid & abſtruſus tradit Ariſtoteles.
Ejus mirata & omnis Germania libros,
Tota Europa viri nomine plena fuit.
Vir gravis & ſapiens: Rectoris ſæpiùs illud
Magnifici clarum reddidit officium.
Se quoq; Theologum ſcriptis monſtravit & uſu:
Eximiæ ſiquidem vir pietatis erat.
Tandem oculis captus: verâ pietate fideque
Emoriens animam dat tibi, Chriſte, ſuam.
O decus amiſſum Sophiæ irreparabile: talem
Secula multa prius non habuêre virum.

PETRUS MONAVIUS.

Obiit A.C. 1588.

Vratislaviæ Sileſiorum natus eſt, familiâ patritiâ A. 1551.

Philoſophus, Philologus, & Medicus inſignis.

Medicinæ Doctor Baſileæ. A. 1578. *Baſileæ* Medicinæ Doctor ſolenniter renuntiatus eſt.

Medicus Imp. Rudolphi II. In patriam reverſus, artem medicam exercuit tanto cum ſucceſſu, ut in aulam evocato *Rudolphi II.* Cæſaris valetudo & cura corporis ei fuerit concredita.

Moritur. In ipſo autem ætatis flore mortalibus ereptus, & paulò pòſt nuptialem facem funebrem nactus eſt *Pragæ* 12. Maji An. 1588. ætatis 37.

Fratrem habuit *Jacobum Monavium*, J.C. Patritium *Uratislavienſ.* & Principum *Ligio-Bregenſium* Conſiliarium.

LEONHARDUS RAUWOLFFIUS.

Clar. A.C. 1588.

Occoni alicubi *Daſylycus* dictus eſt.

Patriam habuit *Auguſtam Vindelicorum.*

Maturè in *Italiam* & *Galliam* miſſus, medicinæ operam dedit, inprimis herbariæ rei ſtudio incenſus, cum *Jeremiâ Martio*, pòſt Medico *Auguſtano*, circa *Montem Peſſulanum* ſæpiùs montes perreptando, ſimplicium genera collegit.

Reverſus in patriam, artem medicam publico ſtipendio exercuit.

Sed cum ſtudio rei plantariæ ſummo teneretur, A. 1573. Senatûs permiſſu, in *Orientales* regiones iter inſtituit, & *Maſſiliæ* navim ingreſſus, in *Orientem* non ſine periculo venit, ibi *Syriam*, *Judæam*, *Arabiam*, *Meſopotamiam*, *Babyloniam*, *Aſſyriam*, & *Armeniam* peragravit, & non ſolùm mores ac religiones incolarum obſervavit, ſed herbas & alia ad rem medicam facientia collegit, & exportavit. *Iter ejus.*

A. 1576. Ad ſuos reverſus, menſe Februario loco priſtino medicinam factitavit.

A. 1588. Cum *Auguſtæ* Senatus ſtipendia renuntiâſſet omnibus ad Cathol. *Romanam* Eccleſiam tranſire nolentibus, etiam hic reformatam amplexus religionem dimiſſus, *Lincium* commigravit, ibi Poliatri officio functurus, & Archiducum *Auſtriæ* Medicus futurus. *Archiducum Auſtriæ Medicus.*

Scripta. Edidit *Hodæporicon*, ſive *Itinerarium Orientis*, in quo præter alia multa notatu digna refert, certò ſe ex *Perſâ* quodam cognoviſſe, Regem *Perſ. Sarcamande*, urbe celebri, Unicornua alere.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

JOHANNES AICHOLTZ.

Obiit A.C. 1588.

Viennæ in *Auſtriâ* natus eſt A. 1520.

Cum puer parentes amiſiſſet, à Dn. D. *Johanne Pilhammero*, Medico, & Regis *Ferdinandi* Conſiliario, ejusq; viduâ educatus, & ad ſtudia literarum adhibitus, Lectiones *Viennæ* publicas audivit usque ad an. 1543. quo *Wittembergam* diſceſſit, & ibi An. 1547. Philoſ. Magiſter ex *Philippi Melanchthonis* commendatione creatus eſt. *Philoſophiæ Magiſter Wittenbergæ.*

Poſteà in patriam reverſus, nobiles quosdam pueros & Barones privatim inſtituit.

An. tandem 1550. cum aliquot diſcipulis in *Galliam* primùm, deindè in *Italiam* profectus, & *Patavii* Doctoris titulum in medicinâ adeptus, totam deinceps *Italiam* perluſtravit. *Medicinæ Profeſſor Patavii.*

An. 1557. *Viennam* reverſus, 17. Sept. habitâ de more veteri Academiarum Diſputatione, locum in facultate medicâ adeptus, & anno ſeq. 1558. *Magiſter*, ut *Viennæ* loquuntur *Sanitatis* factus, Curationi ex peſte laborantium præfuit, ſtipendio 200. florenorum ex ærario publico multis annis perſoluto. *Magiſter Sanitatis*

A. 1560. In Profeſſorum numerum adſcitus, medicinam profiteri cœpit, & cum ab eo tempore Decanum Med. facultatis aliquoties egiſſet, an. 1574. in Rectorem ejusdem Archigymnaſii electus eſt, quo etiam tempore filiam adhuc unicam *Catharinam* ex ſecundo conjugio prognatam 12. annorum puellam, ex phthiſi mortuam amiſit. *Medicinæ Profeſſor.*

Præter

Præter Profeſſionem ex praxi medicâ non ſolùm apud *Viennenſes*, ſed etiam apud exteros tam *Moravos* quàm *Ungaros*, ad quos vocatus ſæpiùs acceſſit, celebris fuit.

Med. Cæſ. Rudolphi II. Ab Imp. etiam *Rudolpho II. Pragam* ad ulcus in latere curandum accerſitus fuit, Anatomias fermè quotannis adminiſtravit.

Studii Botanici amator. Botanicen excoluit, atque cum *Carolo Cluſio* horti Cæſ. tunc temporis Præfecto, & ſuo Convictore domeſtico, & aliis cum Doctoribus ac Studioſis ad vicinas in *Styriâ Alpes*, itemque ad fines *Hungariæ* ſæpiùs exſpatiatus, æſtivo tempore rariores indè plantas in hortum ſuum detulit, quarum pleræque in *Pannonicis Cluſii* Obſervationibus deſcriptæ & exſculptæ videntur.

Tandem tot tantiſque laboribus exhauſtus, aliorum mortalium ſortem ſecutus, *Moritur.* animam ſuam DEO placidè reddidit 6. Maji A.C. 1588. ætatis 68. In novo cœmiterio, quod *Viennæ* ante *Scoticam* portam eſt, in Sepulchro proprio, quod ſibi teſtamento fieri juſſit, depoſitus quieſcit, cui *Carolus Cluſius* hoc Epitaphium impoſuit:

IanVs InhaC fragILI IaCet Vrnâ AlChoL-
CIVs, Is qVI
ArtIs ApoLLIneæ gLorIa Magna fVIt.

Teſtamento ſtipendium pro duobus ſtudioſis Med. conſtituit. A.C. 1586. Senatui *Norimbergenſi* 10000. florenos elocavit, eâ conditione, ut cenſus annuus hujus pecuniæ, nempè 400. floreni viduæ ipſius, quoad viveret, quotannis darentur, poſt mortem verò ipſius duobus Med. Artis ſtudioſis per ſexennium ad ſtudia peregrinationibus abſolvenda præberentur.

Cum verò hæc D. *Aicholtzii* vidua, ſoror Dom. D. *Wolffgangi* Unverzagt / Conſiliarii Cæſarei A. 1591. Dom. *Zachariæ Starzero*, J. U. D. iterum nupſiſſet, hic *Teſtamentum ejus impugnatur.* Teſtamentum *Aicholtzianum* impugnavit, & totam ſibi pecuniæ ſummam reſtitui poſtulavit. Sed poſt longam actionem A. 1597. ita cum Senatu Reip. *Norimbergenſis* tranſegit, ut poſt obitum uxoris ſuæ, qui eodem adhuc anno obtigit, Senatus mediam ſummę partem ſibi *Starzero* reſtitueret, alteram verò medietatem tanquàm *Aicholtzii* legatum ſibi reſervaret, & cenſum de illâ 200. nempè florenos quotannis Medicinæ ſtudioſo ad mentem Teſtatoris attribueret: quod ab eo tempore factum eſt, & quia ſtipendium hoc ex 100. florenis aureis conſtitit, ſtipendii *Aicholtziani* aurei nomen obtinuit.

* *Ex manuſcriptis Collegii Med. Norimb.*

Obiit A.C. 1588.

AUGERIUS FERRERIUS.

PRimæ notæ Medicus *Tholoſæ* natus eſt, Patre quidem profeſſione Chirurgo, ſed more veterum utramque medicinæ partem exercente: cujus ductu & ſtudio maturè inſtitutus, patriæ civibusque ſuis ab adoleſcentiâ totum ſe dedit.

Vigebat in eo flagrans doctrinæ ſtudi- *Medicus & Mathematicus.* um, nec modò Medicinam, ſed etiam adjutrices Aſtrologicas & Mathematicas diſciplinas perfectè tenebat: quodque ad levandos ægros non mediocriter conducit, hilaritatem quandam & feſtivitatem in vultu, in ſermonibus & omni actione præferebat.

His facultatibus eminens, commendante *Johanne Bertrando*, Juris Præfecto, qui ſacram poſteà purpuram adeptus eſt, *Catharinæ*, Regum Matri, medicas operas aliquandiu præbuit. *Archiater Reginæ Galliæ.*

Tanti à *Julio Cæſare Scaligero* æſtimatus eſt, ut nihil ferè aliquâ meditatione dignum, ſive in ægrotorum perplexis curationibus, quæ moram patiebantur, ſive in privatis ſtudiis inconſulto illo moliretur. *Amicus Jul. Cæſ. Scaligeri.*

Romam deindè in Cardinalis *Bertrandi* comitatu profectus, quam in *Galliâ* famam & libris editis & aſſiduo medicinæ faciendæ labore quæſiverat, latiſſimè in *Italiâ* propagavit: ac indè *Tholoſæ* ſuæ redditus eſt.

Ibi poſtquàm ad 75. annos integrâ valetudine vixiſſet, atrocibus demùm ac diuturnis inteſtinorum doloribus è vitâ ſublatus eſt, tertio ante menſe quàm Regina *Catharina* decederet A. C. 1588. dum ſeveriore *Bodini* cenſurâ notatus, provocatuſque ſuſceptam adverſùs eum de Republicâ diſputationem adornaret. *Moritur.*

* *Ex Elogiis Virorum in Galliâ doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani, & ex Elogiis Thuaneis Virorum doctorum C. B.*

Edidit: *Scripta.*

Methodum medendi Lib. II.

De Pudendagrâ Lib. II.

De diebus decretoriis ſecundùm Pythagoricam doctrinam, & Aſtronomicam obſervationem.

De Inſomniis Lib.

Præfationem ad Inſtitut. Medicinæ Fuchſii.

Obiit A.C. 1588.

THEODORUS ZWINGERUS.

BAſilêæ natus eſt 2. Aug. A. 1533. Patre *Leonhardo*, Cive *Baſil.* anguſtæ fortunæ: Matre *Chriſtina*, *Johannis Oporini* ſorore.

Statim in pueritiâ quid patriæ de ſe exſpectandum eſſet, fecit indicium: cum enim in dramate quodam ſcenico, à *Thomâ Platero*, *Felicis* Patre, publicè exhibito, Cupidinis perſonam ſuſtineret, omnium in ſe convertit oculos ob actionis venuſtatem.

Adoleſcens autore & deductore *Petro Pernâ*, *Lucenſi*, religionis causâ tum in exilio *Baſilêæ* vivente, in *Italiam* profectus, *Patavii* ſexennium auditor fuit *Baſſiani Landi Placentini*, qui *Job. Baptiſtæ Montano* ſucceſſit, & miſerè trucidatus eſt.

Uſus eſt etiam Præceptoribus *Victore Trincavellâ*, *Veneto*, *Antonio Fracanzano Vicentino*, *Hieronymo Capivaccio Patavino*, *Aloyſio Bellocato Brixienſi*, & *Gabriele Fallopio Mutinenſi*, Chirurgiæ & Anatomiæ Profeſſore.

Agnovit etiam Præceptorem *Petrum Ramum*.

In *Germaniam* reverſus, *Baſilêæ* primùm linguam Græcam, defuncto *Sebaſtiano Caſtalione Allobroge*, deindè Ethicam & Politicam docuit. Ad medicinam deindè publicè *Profeſſor Philoſophiæ Baſilêæ.* *Profeſſor Medicinæ.*

docendam ibidem vocatus eſt, in quâ cum bono publico & in ſcholâ docuit, & extrà ſcholam ægrotantibus opem tulit, ita quidem, ut praxis medica plus ei obfuiſſe quàm profuiſſe judicata ſit à quibusdam, cum pauperibus gratis medicinam facere ſolitus ſit.

Moritur. 10. Martii A. 1588. æt. 54. Cum ex febri epidemiâ diebus undecim decubuiſſet, ad vitam meliorem abiit. Elatus eſt funere honorifico, concionem habente *Joh. Jacobo Grynæo*.

Filium reliquit *Jacobum*, paternæ virtutis & famæ hæredem, & privignum *Joh. Lucam*.

Scripta. Inter Scripta ab ipſo edita familiam ducit *Theatrum vitæ humanæ*, cujus primus Architectus fuit vitricus ipſius *Conradus Lycoſthenes*, Theol. *Baſil.* qui 15. annis in eo colligendo cum laboràſſet, opus imperfectum reliquit, quod *Zwingerus* in volumina, libros, & titulos digeſſit. Ad laborem hunc ſuſcipiendum excitârunt ipſum munificentiâ ſuâ *Joh. Chriſtoph.* & *Elias Weitmoſeri* Domini in *Vinckel* & *Falkenſtein*. In exſcribendis exemplis uſus eſt per triennium ſolius *Baſilii Lucii*, conſobrini ſui manu.

Edidit prætereà:

Phyſiologiam medicam. in 8vo.

Epitaphium ejus ſic ſe habet:

Epitaphium. THEODORUS ZWINGERUS BASILIENSIS, CUM EX PHILOSOPHIA TENEBRAS, EX ARTE MEDICA HUMANAS MISERIAS DEPREHENDISSET, SUMMI BONI COGNOSCENDI PETUNDIQUE DESIDERIO ACCENSUS, CHRISTIANO PHILOSOPHO DIGNAM MORTIS COMMUTATIONEM INSTITUIT, VIVENSQUE MORTUUS EST, UT MORTUUS VIVERET: V. A. LIV. M. VI. D. IIX. ⊕ AN. C. CIↃ IↃ XIIC. ID. MART.

Alma fides abiit, ſpes indubitata receſſit,
Perfruor, intueor. Solus amor remanet.

Obiit A.C. 1588.

ARCHILEUS CARCANUS.

Mediolani ex nobili familiâ natus, medico imprimis ſtudio ſe dedit, in quo Lauream Doctoralem adeptus, & Collegio Medicorum *Mediol.* adſcitus, praxin ſummâ cum felicitate exercuit.

Medicinæ Profeſſor Ticini. A Senatu deindè patrio publicè medicam artem profiteri juſſus, in Univerſitate *Ticinenſi* triennium in eo munere traduxit. Poëta etiam eximius Poëmata *Italica* varia juvenis edidit. Debitum naturæ ſolvit *Mediolani* in patriâ die 22. Julii A. C. 1588. *Moritur.*

Scripta:

Scripta. *Tract. de Peſte.*
Comment. in Aphoriſmos Hipp.
De modo curandi, & collegiandi.
Orationes variæ.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1589.

SEBALDUS HAVENREUTERUS.

Norimbergæ natus eſt A. 1508. Patrem habuit *Georgium*, Saccharatorum operum confectorem, quo puer orbatus eſt.

A. 1527. In familiam *Sebaſt. à Rotenhan* nobilis adſcitus, & patrocinio *Hieron. Ebneri* & *Hieron. Baumgartneri* adjutus, *Wittenbergam* venit, ubi *Lutherum* & *Melanchthonem* docentes audivit, & privatim ſæpè adiit, *Melch.* etiam *Fendio* & *Joh. Velcurioni* operam dedit.

A. 1534. Ibidem Decano *Alexandro Alexio Scoto* Philoſ. Magiſter creatus eſt. *Philoſophiæ Magiſter.*

Wittenbergâ Tubingam ſe contulit, ubi patrono *Joach. Camerario* primo Rector, ut vocant, Contubernii factus eſt, poſteà Ethicæ illi & Dialecticæ profeſſiones demandatæ fuerunt. *Philoſophiæ Profeſſor.*

Tunc totum ſeſe medendi ſcientiæ dedit, ut 16. Cal. Oct. A. 1539. à D. *Jacobo Schegkio* Doctoræ titulo ornatus fuerit. *Doctor Medicinæ.*

Paulò pòſt cum *Joachim. Camerarius* ad Thermas plumbarias profectus, *Argentorati* convivio à naſcente tum ſcholâ exceptus, nullum medicinæ ei Profeſſorem eſſe percepiſſet, hunc *Havenreuterum* adeò commendavit, ut à Reip. illius Senatu accerſitus, non medicinæ ſolùm Profeſſor, ſed etiam urbis Phyſicus deſignatus fuerit. *Medicinæ Profeſſor.*

10. Nov. An. 1540. *Argentoratum* venit, quâ in urbe ſcholæ octennium, Civitati verò 49. annos inſerviit.

Ægris medendo tam ſedulus fuit, ut cum urgere neceſſitas ac vitæ periculum imminere videretur, etiam jam ſenex, non vocatus bis terve interdiu, non raró etiam nocte ægros inviſerit, nec ob id vel popularem auram venatus, vel aurum ſectatus eſt.

In eo longè diverſus fuit à *Melampo* quodam Medico, qui, teſte *Herodoto lib. 9.* pro Argivarum mulierum curando furore dimidiam regni partem poſcere non dubitavit.

Quinque uxores habuit *Annam Königin*, *Johannis*, J. C. filiam, *Margaretham Bechereriam*, *Annam ab Odrazheim*, *Johannis*, Senatoris *Argent.* filiam, *Apolloniam Ruelinam*, quam ſenex jam viduam duxit, & *Annam à Druckheim*. *Uxores.*

Senectute tandem tardâ conſumptus, cum corpore ſano, mente firmâ, & ſenſibus integris uſus eſſet, morte placida extinctus eſt A. 1589. ætatis 81. *Moritur.*

Filium reliquit *Joh. Ludovicum*, Philoſ. & Med. Doctorem, & Phyſices in Academiâ *Argent.* Profeſſorem, ſcriptis clarum.

Præter diſputationes Pater pauca edidit.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1589.

MELCHIOR GUILANDINUS.

In *Boruſſiâ* natus eſt.

Non ſolùm *Europam* peragravit, ſed etiam auſpiciis *Marini Caballi Veneti Aſiæ* & *Africæ* magnam partem perluſtravit, & in *Indiam* usque penetravit.

A piratis captus, catenis ferreis ad triremium tranſtra alligatus, aliquandiu magno animo exantlavit.

Eâ in

Eâ in peregrinatione tantam medicamentorum ſimplicium cognitionem ſibi comparavit, ut *Patavii* horto celeberrimo fuerit præfectus, & medicinam cum applauſu profeſſus ſit.

Medicus Patavinus.

Fatis conceſſit *Patavii* A. 1589

Teſtamento libros ſuos Reip. *Venetæ* & mille ſcutatos reliquit.

Adverſarius Matthioli. Contentio fuit ipſi perpetua cum *Petro Andreâ Matthiolo*, qui paſſim in ſuis Epiſtolis ipſi impingit arrogantiam, temeritatem, inſcitiam, calumniandi libidinem, invidentiam, imò eò progreditur, ut alicubi nebulonum omnium Principem pronuntiârit.

Scripta:

Scripta. Scripſit *Apologiam adverſus Matthioli librum, qui inſcribitur Theon.*

De ſtirpibus aliquot Epiſtolas V.

Manuco Diace, vel Manucodiatæ avis Indicæ, quæ in perpetuo volatu eſt, deſcriptionem.

Commentarium de Papyro,

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1589.

HIERONYMUS CAPIVACCIUS.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

Ex nobili familiâ *Patavii* natus.

An. 1552. In Lycéo patrio practicæ Medicinæ Cathedram, poſteà ſecundum in ordine locum, Theoricam tandem obtinuit: & *Anton. Fracantianum* in Practicâ Collegam ſortitus eſt, eoque defuncto *Mercurialem*.

In lib. de lue Vencreâ cap. 12. citra jactantiam dicere ſe ſcripſit, quod è luis hujus curatione ultra 18000. Coronatorum fuerit conſecutus.

Cum aliquando *Polonus* ſtudioſus, eum ut ſecreta ſibi communicaret, impensè rogâſſet, reſpondit: *Lege meam Methodum, & habebis mea ſecreta.* Senio confecto quidam Aſtrorum peritus ſuaſiſſe fertur, ne illâ ætate iter aliò ſuſciperet. At ille prædictionem negligens, *Mantuam* ad Ducem ibi ægrotantem profectus, cum patriam repeteret, correptus diaphragmatis inflammatione, cauſatâ ab hæmorrhoidum fluxu anteà conſueto ab aliquot annis ſuppreſſo, ut ſectio cadaveris oſtendit, animam efflavit A.C. 1589. cum annis 37. continuis *Patavii* Medicinam docuiſſet.

Aſtrologiam negligens. *Moritur inflammatione diaphragmatis.*

Hæredem habuit *Hannibalem Pimpiolum* ex ſorore Nepotem.

Scripta:

Scripta. *Medendi Methodus univerſalis tabulis comprehenſa.*

Methodus, ſeu Ars Curativa.

Methodus Anatomica, ſive Ars conſecandi.

Acroaſes de Virulentiâ Gallicâ, ſeu Lue Venereâ.

Morborum particularium partes duæ.

Libellus de ratione componendi medicamenta.

Tractatus de Urinis.

de Febribus.

de Venenis.

Opuſculum de Doctrinarum differentiis, ſive de Methodis, Philoſophis, Theologis, Juriconſultis & Medicis pernecesſarium.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Caſp. Cunradus Med. D. Proſopographiæ ſuæ Melicæ Millenar. I. hoc ei ſcripſit Diſtichon honorarium:

Bucephalus Cous eſt Antenoris alter in urbe,
Quâ tollas methodo morbida quæq; docens.

Sepultus eſt *Patavii* in Eccleſiâ Patrum *Jeſuitarum* ad dexterum Altaris majoris latus, donec in novâ eorundem Patrum Eccleſiâ novus ejusdem meritis tumulus erigeretur, his verbis:

Epitaphium. JACENT HIC CAPIVACCEI OSSA QUOUSQUE NOVUM FUERIT CONSTRUCTUM TEMPLUM.

Obiit A.C. 1589.

JULIUS CÆSAR ARANTIUS.

Chirurgiæ & Anatom. Profeſſor Bononiæ.

Bononienſis Philoſophus, Medicus, Chirurgus, & Anatomicus excellens, poſtquam Doctoris gradum in Academiâ patriâ conſecutus eſſet, in eâdem publicam Medicinæ, Chirurgiæ, & Anatomiæ profeſſionem 32. annis cum magno auditorum concurſu & nominis ſui famâ obivit. *Scipio Mercurius* eum ſcriptis ſuis Philoſophum ac Medicum eloquentiſſimum, & Principem Anatomicorum ſui temporis vocavit. Vivere deſiit *Bononiæ* 6. April. An. C. 1589. Sepultus in Templo Corporis Domini.

Moritur.

Inter octo encomia, quæ Diſcipuli grati ei in Gymnaſio *Bonon.* poſuerunt, hoc eſt breviſſimum:

Encomium.

D. O. M.

Naturæ in parvo ſpectacula mira Theatro
Clarius haud ullo viſa fuêre loco.
Divinas oſtendit opes Arantius ille,
Quem ſibi dignatur Phœbus habere parem.
Fœminei ſexûs partes partesque virilis
Eloquio explicuit, diſſecuitque manu.
Obſtupuit tantum artificem natura ſecantem,
Ac ſecum, hic meus eſt verus alumnus, ait.
Obſtupuit ſtudioſa cohors, mirata docentem
Dum videt, atque audit, quæ latuêre prius.

ELECTORES ATQUE SYNDICI ANAT. DOCTORI OPTIMO M. P. P. AN. MDLXXXIX. IX. CAL. MAJI.

Scripta reliquit typis edita;

Scripta.

De Obſervationibus Anatomicis.

De humano Fœtu.

De Vulneribus capitis in Hipp.

De Tumoribus præter naturam.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Clar. A.C. 1590.

ALOYSIUS TRISSINUS.

Philoſophiæ Profeſſor Vicent. *Medicus.*

Vincentiæ, Patre *Morando*, natus, *Ferrariæ Cynthii Job. Bapt. Gyraldi* receptus, laribus & mitioribus imbutus literis ejus Academiæ ſibi plauſum celerrimè conciliavit, & anno æt. 20. Philoſophiam ibi magnâ auditorum frequentiâ publicè profiteri cœpit. Medicinæ quoque ſtudiis operam dedit.

Salacior cum eſſet, frequentibus muliercularum thalamis ſe commiſcens, amore tandem captus *Caſſandræ* cujusdam *Minotæ* fortunâ ſibi ac genere multò imparis, ſed

quæ virginali formâ & honeſtate præſtabat, ſancto ſibi eam conjugii fœdere copulavit: quod excuſabilis aliàs intemperantiæ facinus cum *Morandus* Pater, duræ cervicis vir, perpeti detrectâſſet, filius ſerâ ductus pœnitentiâ, conſilii expers juſtoque dolore præpeditus præproperâ morte ſublatus mundo valedixit anno ætatis 25.

Elogium. Elogium ipſi factum eſt ſeq. à *Gyraldo:*

ALOYSIO TRISSINO VICENTINO SPECTATÆ PROBITATIS JUVENI, CUM BONARUM OMNIUM DISCIPLINARUM ET PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ PERITISS. QUI FERRARIENSIS GYMNASII SUMMAM SIBI PENE ADULTO BIENNIO COMMISSAM MAGNA CUM LAUDE SUSTINUIT. FERRARIÆ PHILOSOPHIAM MAGNA AUDITORUM FREQUENTIA PUBLICE PROFESSUS EST. QUEM ANN. VIX NATUM XXV. P. M. (PRO RERUM HUMANARUM INCONSTANTEM VICISSITUDINEM) MORS IMPIA NOBIS ERIPUIT.

CYNTHIUS JOH. BAPT. GYRALDUS AMICUS AMICO OMNIUM OPTIMO AC BENE MERENTI MOESTISS. POS.

Scripta. Edidit: *Problemata medicinalia.*

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

Clar A.C. 1590.

JACOBUS ANTONIUS CORTUSUS.

P*Atavinus*, præter generis nobilitatem, de quâ plura ſcripſit *Bernardinus Scardeonius*, ſibi decus & ornamentum ſuis ipſius ſtudiis & virtutibus comparavit.

Botanicus ſingularis. Tametſi verò Medicinam nunquàm profeſſus eſſet, tantoperè tamen ſimplicium medicamentorum cognitione delectatus eſt, & herbarum omnium, fruticum, arborum vires tam exactè cognovit, ut qui hujus rei peritior noſtro tempore fuerit, nominari poſſe nemo videatur. Ei quarundam rerum inventio aliis incognitarum accepta refertur, interque cœteras ejus herbæ, quæ ab ipſius cognomine Cortuſa vocatur. Herbæ Cortuſæ inventor.

Proviſor Sanitatis. A. 1575. Factus eſt in patriâ ſuâ Proviſor Sanitatis, cum *Joh. Baptiſtâ Zabarellâ*, quo tempore Peſtis *Tridentum* urbem afflixit. Præfectus Horti Med. Patav. A. 1589. in horto Medicinali *Patavino Melchiori Guiliandino* Succeſſor datus eſt.

* *Ex Gymnaſio Patavino Antonii Riccoboni.*

Obiit A.C. 1590.

JACOBUS THEODORUS TABERNÆMONTANUS.

A patriâ nomen accepit, *Tabernis Montanis* enim ditionis *Bipontinæ* oppido, Bergzabern natus eſt.

Adoleſcens uſus eſt Præceptore *Hieronymo Trago*.

Pharmacopœus. Initio Pharmacopœum egit in oppido Cronweiſſenburg.

Medicinæ Doctor. Pòſt in *Galliam* profectus, titulo Doctoris ornatus eſt.

Reverſus adſuos, medicinam fecit.

Archiater Elect. Palatini. Fuit à curâ corporis Electori *Palatino*.

Item *Marquardo*, Epiſcopo *Spirenſi*, cui annis 18. operam fidemque ſuam probavit, ut etiam *Adolpho*, Comiti *Naſſovio*, *Sarepontano*. Egit etiam Phyſicum ordinarium *Wormatiæ*, &, quod ei adſcitum eſt, Gymnaſii *Neuhuſani*. & aliorum Principum.

Moritur. *Wormatiâ Haidelbergam* migravit, ubi è vivis exceſſit A. 1590.

Parens fuit 18. liberorum, inter quos *Joh. Jacobus*, filius natu maximus, Med. Doct. primùm *Lutetiæ* Poliatrum egit, poſteà *Haidelbergæ* Noſocomio præfuit, & miſerè periit, præceps delapſus ab altâ trabe. Alter filius *Philippus Jacobus* M. D. *Eberhardo*, Epiſcopo *Spirenſi*, à Conſiliis medicis fuit, ubi & diem ſuum obiit.

In medicinâ faciendâ, extrà Theriacam & Michridaticam pauciſſimis uſus eſt exoticis, ſtatuit enim, DEUM herbis noſtratibus & aliis terrâ noſtrâ naſcentibus vires indidiſſe corporibus noſtris familiares.

In obſidione *Metenſi* A. 1552. cum in caſtris Medicum ageret, multos globis ſclopetorum trajectos artemiſiæ ſaltem pulvere curavit.

Scripta. Poſteritati elucubravit: *Herbarium 36. annorum ſpatio congeſtum, in quo ultrà 3000. ſimplicium continentur.*

Theſaurum thermarum & acidularum, Waſſerſchatz *inſcriptum*, cujus conſcribendi cauſam ipſi præbuit infirmitas propria. *Baccaræ* enim in *Lotharingiâ* venenato potu infectus, cum reliquiæ ejus ſtatis annorum ſingulorum periodis recurrerent, Acidularum *Schwalbacenſium* uſu liberatus eſt.

Conſilium curandæ febris peſtil. & Practicam de cavendâ peſte.

In herbario ſuo, titulo Dens Leonis, exemplum hoc curationis magicæ recenſet: *Rotvillæ* opp. vetula diu ophthalmiâ laborans, amuletum membranæ inſcriptum diu collo ſuſpenſum cum geſtâſſet, liberata fuit. Hoc audito, alia ſimili morbo affecta, copiam illius amuleti petivit. Cum verò hæc non niſi deſcriptum concedere vellet, accepit iſta & pauperi ſcholaſtico, promiſſis aliquot nummis, deſcribendum dedit. Qui cum aperuiſſet, & tantùm verba quædam barbara ſcripta vidiſſet, ità vernaculè ſcripſit: Der Teuffel ſtech dieſer Alten die Augen aus/und (ſ.v.) ſcheiß ihr in die Lucken. Nihilominùs tamen eâ de collo ſuſpenſâ convaluit.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1590.

JULIUS ALEXANDRINUS.

M Edicinam feliciter ſub Cæſaribus aliquot fecit, & multa ſcripſit: *Maximiliano* autem ejus nominis *Imp. II.* Principi valetudinario chariſſimus fuit, ab eo amplis honoribus donatus, quos in filios, licèt naturales, tanti Imperatoris indulgentia transſcripſit. *Tridenti* tandem extinctus eſt octogenario 4. annis major A.C. 1590. Archiater Imp. Maximil. II. Moritur.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

Caſp. Cunrad. Med. D. Proſopographiæ ſuæ Melicæ Millenar. III. hoc in ejus honorem diſtichon ſcripſit:

Antar-

Antargentericis vindex feror eſſe Galeni:
Nil moror hunc Momum: jam mihi fama viret.

Scripta. Edidit: *Annotationes in præcipua Scripta Galeni.*

Obiit A.C. 1591.

LEVINUS BATTUS.

NAtus Menſ. Decemb. A. 1545.
Pater ei fuit *Bartolomæus Battus.*
Mater *Martina Biſſota*, quæ *Catharinæ Biſſotæ* ſoror fuit, matris *Henrici Smetii.*

In pueritiâ uſus eſt inſtitutione *Jani Othonis*, à quo Latinæ & Græcæ linguæ primordia accepit.

Indè *Antverpiam* deductus, cum *Joh. Stadio* vixit, eoque monſtrante Mathematices elementa percepit.

Hic cum biennium exegiſſet, *Roſtochium* adiit, totidemque annis completis in Academiam *Witteberg. Melanchthonis* viſendi cauſâ ſe contulit, & ibi An. 1559. publicè Magiſter renuntiatus eſt. *Philoſophiæ Magiſter.*

Ad ſuos reverſus, privatim Matheſin docuit, & deindè Senatûs juſſu publicè A. 1565. *Matheſeos Profeſſor.* bello & peſte expulſus, in *Italiam* profectus, cum *Patavii* aliquantiſper commoratus eſſet, *Venetiis* Doctor Medicinæ ſalutatus eſt. *Medicinæ Doctor.*

In patriam ubi rediit, Profeſſor Medicinæ publicus deſignatus eſt in Academiâ illâ *Roſtochienſi*, quo munere feliciter annis 25. functus eſt. *Profeſſor Medicinæ Roſtoch.*

Moritur. Naturæ tandem ſatisfecit catarrho & aſthmate ſuperatus April. A. 1591. æt. 46. *Roſtochii.*

Vixit in gemino conjugio cum *Annâ Peeliana* & *Magdalenâ Tancariana.* Ex priore filium reliquit *Conradum Battum* ὁμότεχνον.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1591.

VICTORINUS SCHONFELDIUS.

SIleſius *Budiſſinus*, artium Magiſter & Mathematicarum rerum peritiſſimus, non pulvere & radio ſcientiam terminavit, ſed ulterius diſcendi aviditate progreſſus, ad Medicinam pertractandam ſe dedit. Cum itaque non mediocrem in eo ſtudio operam curamque conſumpſiſſet, eruditionis ac doctrinæ, anno Chriſti 1556. Maji ultimo conferente *Mario* conſecutus eſt inſignia. *Doctor Medicinæ creatus.*

Biennio etiam poſt Academiæ, quæ magni intereſſe ad decus & laudem ſuam putavit ſemper, tam graves, tamque præclaras diſciplinas doceri publicè, ſtipendio & arte Mathematicas primùm ſcientias & medicam etiam poſtmodùm artem explicavit gnaviter. Decani munere quinquies & Rectoris provincia ſemel anno Chriſti 1572. adminiſtratâ. *Mathematum primùm, dein Medicinæ Profeſſor. Decani munere quinquies, Rectoris verò ſemel adminiſtravit.*

Cœteroquin cum Brabevtæ partes ſubiiſſet ſæpiùs, & perquàm multos & Baccalaureos & Magiſtros & artis medicæ Doctores creâſſet, fidelemque prorſus Academiæ 35. annorum curriculo navâſſet operam, tandem annorum & ſeculi hujus ſatur ex hâc vitâ, veluti è tenebris & carcere, in *Moritur.* lucem illam immenſam exceſſit 13. Junii anno 1591. in æde D. *Eliſabethæ* conditus.

* *Ex manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1591.

MARCUS ODDUS.

NAtus An. C. 1526.
Patrem *Oddum de Oddis* imitatus, Philoſophiam cum Medicinâ excoluit, & cum à Præceptore Patre medicæ artis arcana didiciſſet, totum ſeſe curandis ægrotis addixit, adeò feliciter, ut nominis ejus fama totam *Italiam* compleverit.

A. 1583. In patrio Lyceo Medicinæ Theoricæ Cathedram, *Bernardino Triviſano* ſuccedens, aſſecutus eſt. Indè ad Practicæ ordinariæ faſtigium evectus, in eâ vitam clauſit ſenio potiùs, quàm incommodâ valetudine ſublatus A. 1591. ætatis 65. *Medicinæ Profeſſor Patavii.*

Scripta:

Methodus componendorum medicamentorum. *Scripta.*

Apologia de putredine adverſus Argenterium.

Libellus de urinis.

* *Ex Elogiis virorum doctorum Philippi Jacobi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1592.

BERNARDINUS PATERNUS.

ORigine *Salodienſis*, Vir inæqualibus humeris & invenuſtâ facie iniquâ naturâ factus, morum ſuavitate tamen eruditis perchatus exſtitit.

Cum ad artem medicam ſpontè tenderet, allectus exemplo Patris, florente adhuc ætate anno æt. 19. Theoremata Medica & Philoſophica *Venetiis*, *Veronæ*, & *Patavii* publicæ diſcuſſioni propoſita propugnavit. An. æt. 27. Philoſ. & Med. Doctor creatus. Poſthæc in Gymnaſium *Piſanum* acceſſitus, medicam artem publicè docuit. Theoricam adhæc ordinariam in Montis Regalis Academiâ, & in *Ticinenſi* Univerſitate cum laude profeſſus eſt. Poſteà *Romam* profectus, apud *Marinum Grimanum* Cardinalem aliquo tempore gratus hoſpes vixit. *Medicinæ Profeſſor Piſis, in Monte Regali, & Ticini.*

A *Franciſco Venerio*, Philoſopho & Prætore *Veronæ*, ita dilectus eſt, ut ejus operâ abſens in *Veronenſium* Civium numerum fuerit cooptatus. Ideò *Româ* diſceſſit, ut *Veronenſibus* gratias ageret, & in itinere ſibi delatum Reipubl. *Venetæ* decreto Medicinæ Theoricæ locum *Baſſiano Lando* ſuccedens, in Gymnaſio *Patavino* hilariter accepit. In eo munere, licèt à *Stephano Bathoreo*, *Poloniæ* Rege, expeteretur, obiit *Patavii* ſenio gravis A. C. 1592. *Civis Veronenſis. Medicinæ Profeſſor Patavii.*

Edidit:

Explicationes in primam partem primi Canonis Avicennæ. *Scripta.*

Tract. de humorum purgatione in morborum initiis tentandâ.

Tract. quo probatur, Cœnam uberiorem eſſe debere prandio, etiam in catarrho.

Conſilia medica varia, in Opere Conſiliorum Laur. Scholzii.

Conſi-

Conſilium de Balneis Aquenſibus, quod *Ferdinando Gonzagæ* dedit.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

* * *

Medicinæ ſtudioſus, oblatâ occaſione *Jacobino Bragio*, Præceptori ſuo, qui Metaphyſica explicabat, propter negotia quædam *Franciſcanæ* religionis *Romam* proficiſcenti, ab eo delectus eſt (quod per Gymnaſii Leges licebat) qui ejus ipſius munus in Academiâ *Patavinâ* obiret, 19. annorum adoleſcens, eaque documenta dedit ingenii ac eruditionis, ut omnes eum colerent. *An. æt. 19. Metaphyſicæ Prof.*

In *Veneto* Philoſophorum & Medicorum Collegio an. ætat. 27. Philoſophiæ & Medicinæ Doctor declaratus eſt. *In Veneto Collegio Medicinæ Doctor.* Cum in Gymnaſio *Patavino* ſecundum Medicinæ Theoricæ extraordinarium locum A. 1536. obtinuiſſet, proximo ſeq. anno ab eo munere ceſſavit. Sed poſteà *Baſſiano Lando Placentino* A. 1563. ſucceſſit ad Medicinam Theoricam ordinariam explicandam, in tali Profeſſione ex *Galeni* doctrinâ ita excellens, ut *Galeni* anima nuncuparetur. *In Med. Profeſſione Succeſſor Baſſiani Landi. Galeni anima vocatur.*

* *Ex Gymnaſii Patavini deſcriptione ab Anton. Riccobono editâ.*

HENRICUS BRUCÆUS.

Obiit A.C. 1593.

A*Loſti, Flandriæ* urbe, natus eſt A. 1531. Patrem habuit *Gerardum Brucæum*, Senatorem, & Phœbi ſerta nactum, Matrem *Annam Biſſotiam*.

Puer *Gandavum* miſſus eſt in diſciplinam Ludimagiſtri ibi celebris *Simonis*.

Indè in *Galliam* abiens, *Pariſiis* ſtudia perſecutus eſt.

Exacto inibi triennio *Brugis* adoleſcens adhuc in ſcholâ docuit.

Mox in *Italiam* profectus, *Bononiæ* ſeptennium, licet interruptum, Medicos celeberrimos audivit, à quibus Doctor renunciatus eſt. *Fit Medicinæ Doctor.*

Aloſtum ad ſuos reverſus, tum Medicus Urbis, tum Reip. Senator electus eſt. *Senator.*

Ibi cum A. 1565. *Alexandro Farneſio*, Duci *Parmæ*, ſponſa *Maria* cum gynæcêo adduceretur, *Brucæus* claſſi fuit additus, ut à curâ valetudinis ſponſæ eſſet.

An. 1568. Cum *Aloſti* ſexennium onus medendi ſuſtinuiſſet, à Principe *Megapolitano* in Academiam *Roſtochienſem* evocatus, in eâ 25. annos Mathemata docuit, & Medicinam cum laude factitavit, donec ex apoplexiâ febrim continuam ſecutâ, placidè ſpiritum DEO reddidit 4. Januarii, A. 1593. ætatis 62. *Medicus Roſtochienſis. Moritur.*

Scripſit *de motu primo libros tres.*

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

PAULUS LUTHERUS.

Obiit A.C. 1593.

IN lucem editus eſt *Wittenbergæ* 28. Jan. An. 1533.

Parentibus *Martino Luthero*, heroë illo Theologorum, & *Catharinâ à Bord*, fœminâ nobili.

In Scholâ patriâ literas Latinas & Græcas didicit, Præceptoribus imprimis *Phil. Melanchthone*, & *Vito Winshemio*. Ad doctrinam phyſicam verò & medicinam animi quodam impetu ferebatur.

A. 1546. ætatis 13. Cum Patre *Iſlebiam* ad Comites *Mansfeldiæ* profectus, tantâ ei curâ adfuit in morbo, ut in complexu ipſius publicè exſpirârit, die 18. Febr.

29. Julii An. 1557. *Wittenbergæ* Decano *Jacobo Milichio* Med. Doctor renunciatus eſt, unà cum *Severo Gobelio*, *Regiomontano*. *Medicinæ Doctor.*

Tum in Academiâ *Jenenſi* Medicinam docere cœpit. *Profeſſor Medicinæ Jen.*

Deinde in aulam *Vinarienſem* vocatus, ut Principi *Joh. Friderico II.* à curâ corporis eſſet, ibi manſit usque ad deditionem urbis *Gothæ* in *Thuringiâ* factam 13. April. A. 1567.

Poſteà in aulam *Joachimi II.* Electoris *Brandenburgici* tranſiit, factus illius Archiater, quem tum anno ætatis 64. morbo graviſſimo laborantem DEI ope reſtituit. *Archiater Brandenb.*

3. Jan. A. 1571. æt. 66. Vocato ad vitæ exitum *Joachimo II.* in aulam *Auguſti* Electoris *Sax.* cui operam ſuam addixit, migravit. Cumque tunc Ars Chymica emergeret, eidem operam enixè dedit, & in officinas pharmacevticas ejusmodi medicamenta complura, veluti unguentum ex nitro, magiſterium perlarum, corallorum aurum potabile &c. introduxit.

Ab Electore *Auguſto* prædio amplo donatus eſt cum inſigni aureo, quod nomen & faciem *Auguſti* geſſit. Cum autem 11. Febr. A. 1568. *Auguſtus* obiiſſet, Electori *Chriſtiano I.* operâ ſuâ cœpit inſervire.

A. 1589. Multam ſalutem aulæ ob religionis ſuſpicionem dicens, *Lipſiam* commigravit, & inter cives aliquandiu vixit.

A. 1592 Ab Adminiſtratore Electoratûs *Saxon. Guilielmo Friderico* ad curam tam ipſius quàm Principum pupillorum ſtipendio liberali revocatus eſt.

Tandem in morbum incidens, in verâ fide & invocatione DEI ſpiritum emiſit 8. Martii A. 1593. ætat. 60. *Moritur.*

Tranſegit multos annos in viduitate cum 6. liberis, quos ſuſcepit ex *Annâ Warbeciâ*, nobili *Suevicâ*, A. 1553. ductâ.

Reliquit filios tres, quorum natu maximus *Erneſtus* in Collegium Evangelicum Canonicorum, quod eſt in diœceſi *Cicenſi* cooptatus eſt: filias autem duas honeſtè elocavit, *Margaretham* quidem *Simoni Gottſteig*, Adminiſtro Archiepiſcopatûs *Magdeburg. Annam* verò Nobili *Nicolao Marſchalck in Oberſchar.*

* *Ex Melch. Adam. Vitis Medicor. & aliis.*

JOHANNES SCHRÖTERUS.

Obiit A.C. 1593.

V*Inariæ Saxonum* natus eſt A. 1513. Patre *Petro*, Conſule, matre è *Dietziorum* familiâ oriundâ.

Puer in ſcholâ primùm patriâ, deindè *Naumburgenſi* literas didicit, tum *Wittenbergam* venit, & præfuit aliquandiu Scholæ *Stambſenſ.* in *Rhætiâ*.

Menſ.

Menſ. Jan. A. 1543. Denuò *Wittenbergam* ſe contulit, breviq; tantum in Philoſophicis profecit, ut Magiſterii gradum cum honore conſecutus ſit. *Philoſophiæ Magiſter.*

An. 1545. *Viennam Auſtriæ* abiit, & in addiſcendâ medicinâ uſus eſt inſtitutione *Matthiæ Cornacis*, *Franciſci Emerici* ac *Wolffgangi Lazii*, Medicorum Cæſareorum.

Aliquandiu etiam ludo provinciali operam ſuam addixit, inque eo officio uxorem duxit viduam *Urſulam è Capitonum*, vernaculè Großhaupt / familiâ, ex quâ liberos utriusque ſexûs ſuſcepit. *Maritus.*

A. 1549. In *Italiam* iter ſuſcepit, & *Patavii* ſub *Joh. Montano* medicinam perdidicit.

A. 1551. Reverſus *Viennam*, libellum de prædictionibus eruditum edidit.

2. Jan. An. 1552. Inſignia Doctoratûs in æde D. *Stephani* adeptus eſt, & poſteà in numerum Profeſſorum publicè docentium adſcitus, nec multo pòſt à *Maximiliano* tunc *Bohemorum* Rege in aulam, medicinæ faciendæ causâ, accerſitus eſt. *Archiater Maximiliani, Bohemorum Regis.*

A. 1554. in patriam, revocante Electore *Joh. Friderico*, ſe recepit, & quamvis Elector intereà 3. Martii obiiſſet, tamen ſtatim ac venit, Profeſſor in Academiâ *Jenenſi*, & Ducum *Sax.* Archiater deſignatus eſt. *Profeſſor Jenenſis.*

Ibi cum aliquando Princeps *Joh. Fridericus II.* morbo decumberet, longo & difficili itinere bis in *Italiam* profectus eſt, partim ut Medicorum *Patavinorum* ſententias cognoſceret, partim ut Principi ſuo ad thermas *Aponenſes* abituro à *Laurentio Priolo*, *Venetorum* Duce, ſalvum conductum impetraret.

Academiam *Jehenſem* non parùm illuſtravit, dum ut ſceptra Academiæ eſſent argentea & deaurata impetravit, ædes in oppido multas ad habitandum commodas exſtruxit, & alios, ut idem facerent, invitavit, & ut Collegium Muſarum hoſpitium liberalitate Principum exædificaretur, elaboravit.

An. C. 1558. Rectoratum ejusdem Academiæ primus geſſit, & novies poſt eundem cum laude obivit.

A Ducibus *Sax.* ad *Ferdinandum* Imp. miſſus, Academiæ privilegia, ope inprimis *Jacobi Jonæ* Procancellar. & *Philippi Gundelini* Conſiliarii integra impetravit, eo tempore, quo id optarent potius omnes, quàm ſperarent.

In praxi medicâ de eo ferè potuit affirmari, quod ipſe de *Franciſco Emerico*, Medico *Viennenſi*, Præcept. ſuo retulit: *ipſum ſimul atque ingreſſus ad ægrum aliquem & faciem ejus contemplatus eſſet, incredibili mentis ſagacitate perſpexiſſe, qualis morbus & quid agendum eſſet?*

An. 1557. *Ferdinandi* Cæſaris autoritate Equeſtris ei dignitas diplomate ſolenni collata eſt.

An. 1579. *Patavii* ipſe cum filiis Comes Palatinus creatus eſt. *Comes Palatinus.*

Ætate tandem & laboribus fractus, cum *Jenæ* ultra annos 30. docuiſſet, aſthmate primùm tentatus, accedente eryſipelate in pede familiari, eique ſuccedente gangræna inter preces ardentes animam efflavit ultimo Martii A. 1599. ætatis 80. *Moritur.*

Biduo pòſt in æde ſacrâ honorificè ſepultus eſt, concionem funebrem habente D. *Georgio Mylio.*

In Conjugio vixit gemino, primùm cum *Urſulâ*, viduâ *Viennæ* ductâ, deindè cum *Catharinâ*, *Baſilii Monneri*, J.C. & Prof. *Jenenſis* viduâ.

Filios ſuſcepit ſibi ſimiles tres, quorum natu maximus *Wolffgangus* Jur. Licentiatus fuit primùm Comitum *Mansfeldiorum* Cancellarius, deindè *Joachimi Friderici*, Adminiſtratoris *Magdeburg.* Conſiliarius, immaturâ morte anno ætatis 35. ſublatus.

Alter *Philippus Jacobus* Med. Doctor & Profeſſor Acad. *Jenenſis.*

Tertius *Joh. Fridericus*, *Baſileæ* Med. Doctor an. ætatis 21. renuntiatus, cum *Jenæ* Philoſophiam & Medicinam cum laude docuiſſet, & anatomen edidiſſet, ac Commentariis *Hippocratem* illuſtrâſſet, tandem *Budiſſinam Luſatiorum* evocatus abiit, ubi cum quinquennium egiſſet, in patriam regreſſus eſt.

An. 1566. Peſtis tempore ſcholâ *Jenenſi* diſſipata, ipſe in oppido ſubſtitit, & quos potuit, operâ ſuâ ſublevavit.

Edidit: *Librum de naturâ contagii & peſtis.* *Scripta.*

Theſes varias de difficillimis materiis.

Scholam medicam, ab auditoribus exceptam.

Varios Tractatus Anatomicos, quos juvenis Viennæ ſcripſit.

An. 1586. Cum curru de monte quodam præcipitatus, rotis ſuper corpus propè concurrentibus & ferro pectori incidente, ejusque os ac coſtas majores contundente, graviter decubuit, ut ipſe ſcripſit in Conſilio à *Joh. Wittichii.*

FRANCISCUS FABER,

Qualisnam fuerit Medicus, Epitaphium hoc *Wittebergæ* in Cœnobio Templi *Franciſcanorum* ipſi poſitum indicat: *Obiit A. C. 1593.*

FRANCISCUS FABER FREIBERGENSIS, TRIUM MEDICORUM D. ANTONII FABRI, D. FRANCISCI WORMANNI, ET JOHANNIS RENTMANNI FILIUS, NEPOS ET GENER, IPSEQUE FACULTATIS MEDICÆ D. ET PROFESSOR IN HAC INCLUTA ACADEMIA ANNOS XIII. NEC NON BIS UNIVERSITATIS SCHOLASTICÆ RECTOR, SUB HOC LAPIDE IN SPE LÆTÆ RESURRECTIONIS QUIESCIT MORTUUS. *Epitaphium.*

ANNO DOMINI MDXCIII. VII. APRIL.

ÆTATIS LI. D. F. D. F. F.

Nobilis ingenio, ſtudiis, pietate, labore,
Vir gravis & præſtans Arte Machaonia:
Mitibus in mites aliis qui flexerat herbis
Parcas ipſe ſibi flectere non potuit.
Omnia Mors rapit, virtus eſt ſola ſuperſtes,
Parcarum in mites deſpiciens calathos.
Magdalena uxor viro deſid. poni curavit.
Ex Academiâ Wittebergenſi à Gotfrido Suevo, J. C. edit.

Digitized by Google

Obiit A.C. 1593.

FABRITIUS BOIDUS.

Medicus Medio.

ALexandriæ natus eſt nobilibus parentibus, & adoleſcens Medicæ artis ſtudiis addictus, cum Doctoris in hâc arte gradum adeptus eſſet, excellentis Medici & Practici felicis nomen promeruit.

A. 1576. cum peſtis *Italiam* graviter infeſtâſſet, *Mediolani* præclara artis ſuæ ſpecimina edidit. Studiis etiam humanioribus per horas ſucceſſivas operam dedit, & tandem in patriâ vivendi finem fecit 13. Oct. A.C. 1593. Sepultus in Templo S. *Martini*. Moritur.

Edidit:

Scripta.

Tractatum de modo cognoſcendi, curandi, & præſervandi febres peſtilentes Lib. II.

Un Libro del Dolore & del Piacere.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Claruit A.C. 1596.

NICOLAUS ABRAHAM FRAMBESARIUS.

NAtus eſt Patre *Hectore Abrahamo Frambeſario*, apud *Guiſiantum*, oppidum in *Veromanduis* Jatro Chirurgo celebri, qui filium, cum literis Latinis imbui curâſſet, à primâ adoleſcentiâ graviſſimorum vulnerum, ulcerum, & fracturarum curationi adhibuit: quæ res adeò ipſi feliciter ceſſit, ut cum poſteà Medicinæ animum applicuiſſet, non in hâc duntaxat parte, ſed & in Chirurgiâ expertiſſimus evaſerit.

Filius Chirurgi. Medicus & Chirurgus celebris.

Felicitas ejus in faciendâ Medicinâ & dexteritas cum publicè innotuiſſet, non ſolùm Profeſſoris publici in Academiâ *Pariſienſi* ei munus, ſed deinceps quoque Conſiliarii Medicique Regii dignitatem conciliavit: in quo faſtigio ita verſatus eſt, ut non ſolùm *Galliarum* Monarchæ induſtriam ſuam mirificè probaret, interque primos deligeretur, qui Regis bellum *Italicum* capeſſentis tueretur ſanitatem, ſed & poſteritatis adeòque boni publici haberet rationem, editis Libris de re Medicâ, his ferè:

Medicinæ Profeſſor Pariſienſis. Conſiliarius & Medicus Reg.

Scripta.

Canones & Conſultationes medicinales.

Canones Chirurgici, Curationem Methodicam exteriorum corporis affectuum proponentes.

Cura & præſervatio peſtis.

Ratio diſpenſatoria Medicamentorum.

Apologia pro medicamentis Chymicis.

Laurea Academica.

* *Ex Vit. Viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A.C. 1596.

ALBERTINUS BOTTONUS.

EX familiâ *Parmæ* illuſtri, & Oppidorum duorum Dominâ originem ducens, natus eſt *Patavii*.

Fratres habuit *Bernardum*, qui à *Venetorum* Senatu Equeſtribus Reipubl. ſuæ copiis præfectus, mox ad ejusdem fines *Auſtriaco* proximos cognoſcendos miſſus, annis hinc indè poſitis motus omnes prudentiâ ſuâ ſedavit: & *Nicolaum*, Juris utriusq; cognitione clarum.

Patavii Profeſſor Logicæ & Medicinæ.

Patavii Medicâ & Philoſophicâ Laureâ inſignitus, Logicam primùm per ſexennium interpretatus eſt. A. 1555. *Joh. Antonio Experti Patavino* ſucceſſit, Collegas nactus *Bernardinum Tomitanum*, & *Petrum Mariam Arquanum*. Hinc Cathedram Medicam Practicæ extraordinariæ Principem conſecutus eam cum aliquot annorum ſpatio ſedulus tenuiſſet, ad alteram ordinariæ Theoricæ in paritate primæ conſcendit.

Senex tandem obiit *Patavii* A.C. 1596. & ingentes opes nec non ædes magnificas Nepotibus reliquit. Sepultus cum ſuis in in Eccleſiâ Patrum *Eremitarum*. Moritur.

Scripta:

Scripta.

Methodus medicinalis, in quâ legitima medendi ratio traditur, propoſita in Academiâ Patavinâ.

De ratione conſultandi in re medicâ Lib. I. à Lazaro Suſenbeto edit.

De morbis Mulierum Lib. III.

De modo diſcurrendi circa morbos, eoſq; curandi Tractatus.

De vitâ conſervandâ Lib. I.

Conſilia quædam medica.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

ANUTIUS FOESIUS.

Obiit A.C. 1596.

D*Ivioduni Mediomatricum* natus.

Lutetiæ Pariſiorum poſt utriusque Linguæ exactam peritiam, & Philoſophiæ decurſum curriculum, Medicæ Laureæ ſumſit inſignia, & 40. annos Medicinam apud *Mediomatricos* ſummæ peritiæ ac felicitatis laude fecit. *Hippocratem* opus multarum vigiliarum aggreſſus, Græca ad Manuſcripta exemplaria, & pleraſque editiones contulit, & exacto ſtudio elaboratam verſionem ac Commentarios addidit.

Medicus Paris. Hippocratis illuſtrator.

Vivendi finem fecit A.C. 1596. ætat. 68. in urbe patriâ. Moritur.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctorum C.N.*

Edidit:

Scripta.

Pharmacopœam, medicamentorum omnium, quæ hodiè ad publica medentium munia exſtant, tractationem & uſum ex antiquorum Medicorum præſcripto continentem.

Oeconomiam Hippocratis alphabeti ſerie diſtinctam, in quâ dictionum apud Hipp. omnium præſertim obſcurarum uſus explicatur, & velut ex amplo penu depromitur, ita ut Lexicon Hippocrateum meritò dici poſſit.

* * *

A Lotharingiæ Principibus ſæpè per occaſionem evocatus, illis tamen operam ſuam libertatis ingenuæ vir, & in ſtudiis aſſiduus nunquàm addicere voluit. Principium Lucubrationum à *Lib. 2. Hippocratis* de morbis vulgaribus fecit, quem Latinè verſum copioſo Commentario explicavit an. æt 30.

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

JOHANNES OPSOPOEUS.

Obiit A.C. 15..

B*Rettæ, Palat.* inf. oppido natus eſt 25. Julii An. 1556.

Jactis in patriâ primis literarum fun-

damentis *Neubuſium* in Gymnaſium illuſtre A. 1565. apertum venit in diſciplinam *Fortunati Crellii.*

Deinde *Haidelbergæ* in Collegium Sapientiæ receptus, præter alios Profeſſores *Zachariam Urſinum*, Theol. & Philoſ. qui tunc Collegio illi præerat, ſedulò audivit.

A. 1576. Rebus humanis Elect. *Friderico III.* exemto, cum Alumni Sapientiæ plæriq; ob religionem dimitterentur, ipſe *Francofurtum ad Mœnum* venit, & in typographeio *Wecheliano*, cum & Lat. & Græcæ linguæ eſſet peritiſſimus, operam ſuam corrigendis erratis duos annos locavit.

Corrector Francof.

A. 1578. In *Galliam Wechelios* ſecutus eſt, & *Lutetiæ Pariſ.* ubi bis propter religionem in carcerem compactus, bisq; liberatus eſt, ſexennium commoratus, Medicinæ ſe totum dedit, in quâ tantum profecit, ut ad ſuos per *Britanniam, Bataviam*, & *Selandiam* reverſo, Medicinæ Phyſiologicæ & Botanices Profeſſio ei fuerit *Haidelbergæ* demandata, quo in munere ſeptennium tranſegit.

Medicinæ Profeſſor Heidelb.

Cum *Fridericus IV.* Elector *Ambergam*, Pal. ſup. metropolim, abiret, & *Joh. Poſthius* Archiater cum ob valetudinem infirmam ſequi non poſſet, *Opſopœus* in illius locum electus eſt. *Ambergâ* cum primum domum reverſus eſſet, ægrotare cœpit, eoque morbo exſpiravit *Haidelbergæ* 23. Sept. A. 1596. ætatis 40.

Moritur.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

GEORGIUS HAMBERGERUS.

Clar. A. C. 1596.

Vita *Georgii Hambergeri*, autore M. *Erhardo Cellio*, Poët. & Hiſtor. Prof. *Tubing.*

Hæc Hambergeri facies nativa Georgi;
Luſtra peracta ferè cum duodena videt.
Dinkelsbül genuit, Neroberga, Oeringia, Feichtwang,
Onspacum hunc ſtudiis erudiêre bonis:
IndèTubingaGradus huic inclyta contulit omnes,
Maturèque gravi fecit honore frui.
Nam Contuberni dedit illi lora regendi,
Atque Profeſſorem, Lingua Latina, tuum.
Doctor it adTubarisRoteburgi mœnia; magna
Hicque Ægris medicas applicat arte manus
Inde Profeſſorem Medicum, revocante Tubinga,
Sex modò continuè luſtra potenter agit.
Quicquid Arabs, Hellas, Latiumq; habet, omne profunda
Ubertate ſui pandit ab ingenii.
Quæ doctrina viri; quàm diſputet ore diſerto;
Publica vox teſtis; ſcripta, theſesq; probant.
Philoſophum ſiquidem, Medicum quoque præſtat acutum,
Qui ſtudii rarâ cognitione fuit.
Quique ſuæ jungit praxin feliciter arti;
Cumque Deo, eximiè vir pius, omne facit.
Docta per omnigenos qui pellit pharmaca morbos,
Omnia mirandâ ſedulitate notans.
Rector magnificus ſextùm: perſæpè Decanus:
Quæſtorisque ſcholæ grande ſubivit onus.
Grande Senatoris, nunquam ceſſante Labore,
Suſtinet, & celebri nomine munus obit.
Opto, habeat multos tales ſchola noſtra, laborant
Qui ſic communi conſuluiſſe bono.
Vive diu felix profitendo, medendo, regendo,
Magne vir, & noſtræ gloria magna ſcholæ.

Caſp. Bauhinus lib. 1. de Hermaphrod. cap. 12. ſcribit: *Hambergerum* hunc ſibi retuliſſe, quod uxor ejus aliquando gravida cum fuiſſet ex foro rediens, & ova ferens, ipſius Muſæum ingreſſa ſuſpirârit: deque cauſâ ſuſpiriorum quæſita reſponderit, ſe deſiderio teneri omnia illa ova, ſed ordine, in ipſius faciem projiciendi. Id amore victum linteo prætenſo ſe admiſiſſe, ſed ne amplius tali deſiderio teneretur admonuiſſe.

DANIEL MÖGLING.

Clar. A. C. 1596.

Vita *Danielis Möglingi*, autore M. *Erhardo Cellio*, Poët. & Hiſtor. Prof. *Tubing.*

Hâc Daniel Mögling vivebat imagine felix,
Ætatis numerans luſtra peracta decem.
Edidit hunc luci, gemino cum fratre, Tubinga:
Perque omnes ſtudii nutriit hosce gradus.
Hic Sophiæ Lauros; medicæ hic meruêre palæſtræ,
Wilhelm, Nicoleos, cum Daniele, gradum.
Permagnum & rarum eſt, tres magno nomine fratres
Doctores medicos unum aluiſſe patrem.
Mortem obiêre illi; Daniel ſed vivit; honorè
Maximus à ſtudii ſedulitate ſui.
Sebuſium primò petit: arte ibi claret, & uſu
Göppingæque dein claret ab arte ſuâ.
Claret Edelbergæ profitendo, medendo; vocatus,
Elector Princeps Dux Ludovice, tuo.
Electorali medicus quoque claret in aulâ:
Eſtque illis magno gratus honore locis.
Hinc, Calvinis equis dominantibus, ire coactus,
In patriæ rediit vir pius arva ſuæ.
Würtembergiacus Medicum Dux ſuſcipit illum;
Corporis & curam mandat habere ſui.
Tecciaci Ducis hâc fruitur bonitate; Profeſſor
Poſteà Viſcheri juſſus habere locum.
Sic Hippocraticam feliciter explicat artem,
Humanique artus corporis arte ſecat.
Sed felix etiam medicamina porrigit ægris
Tuta; ſuâ multis charus ab arte locis.
Clarus & officiis: quia maxima munia Rector
Magnificus patriæ geſſit & ille ſcholæ.
Vive, medere, doce, longos, Möglinge, per annos,
Laus patriæ, & generis non obitura tui.

NICOLAUS VIGNERIUS.

Obiit A. C. 1596.

Hic vir natione *Barenſis*, profeſſione Medicus, omnes omnium ætatum & gentium res pace belloque geſtas ingenti & operoſo volumine *Gallicè* complexus, rem fecit *Gallicæ* nobilitati *Græcorum* & *Latinorum* ferè ignaræ utilem ſimul & jucundam totâ ferè *Galliâ* celebratam: ſed plus adhuc celebritatis habituram, ſi *Latino* ſermone vir *Romanâ* facundiâ præſtans, tam egregium opus moliri in animum induxiſſet.

Hiſtoricus Gall.

Ortus erat familiâ nec tenui nec obſcurâ, Patre fiſci Patrono, ſed bellorum injuriâ rebus attritis contulit ſe in *Germaniam*, Principumque liberalitate, apud quos ibi Medicinam exercebat, exilii moleſtias & patriæ deſiderium tantiſper leniit, dum pacatâ *Galliâ* receptus ad ſuos, & à Rege *Gall. Henrico III.* Medici & Hiſtorici Regii titulis inſignitus habuit, undè honorificam & placidam exigeret ſolo in patrio ſenectutem. Ejus tamen cineres patria ipſa non habuit. *Lutetiæ* enim, dum plurima raræ doctrinæ volumina typis committere meditaretur, feriis Paſchalibus de vitâ ſublatus eſt A.C. 1596. ætatis 66.

Medicus in Germ. — *Medicus & Hiſtoricus Regius.* — *Moritur.*

* *Ex Elogiis Virorum in Galliâ doctorum Scævolæ Sammarthani.*

Edidit:

Scripta.

Tract. de Venetorum Excommunicatione.

Comment. de Faſtis linguâ vernaculâ.

Opus Chronologicum, quo à primis mundi incunabulis Imperiorum Regnorumque initia ac converſiones, veras populorum & familiarum origines admirabili curâ ac judicio excuſſit, digeſſit, & explicavit.

Eccleſiaſticam Hiſtoriam poſthumam, à filiis Nicolao & Johanne publicatam.

* * *

Cum jam ante *Onuphrii Panvinii* & *Caroli Sigonii Faſtos* editos illuſtrandæ antiquitati *Romanæ* eandem curam impendiſſet, ab iis interdum diverſa ſentiens, & tamen cum illi prævertiſſent, ne actum agere videretur, ab iis edendis, quâ erat modeſtiâ, abſtinuit, & *de Faſtis Commentarium* vernaculâ ſcriptum (quo tantùm quosdam eorum annos in antiquitate controverſos diſcutit) publicare ſatis habuit. *Thuan. lib. 117.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken.*

HIERONYMUS VISCHERUS.

Obiit A.C. 1596.

Johannis Viſcheri, Med. Prof. *Tubingenſis* filius, natus eſt *Wembdingæ*, in Ducatu *Würtenbergico* 9. Febr. A.C. 1556.

10. Jan. An. 1582. *Tubingæ* Med. Doctor renunciatus.

Medicus Norimbergenſis.

8. Oct. an. eodem *Norimbergæ* inter Medicos ordinarios receptus.

Ibi vitam finiit 18. Aug. A.C. 1596. æt. 41.

Filium reliquit cognominem, ibidem Medicinæ Doctorem, & aliquo tempore Practicum *Norimbergenſem*, in Collegium ibi receptum 1. Sept. A. 1619.

* *Ex Actis manuſcriptis Collegii Med. Norimberg.*

JOHANNES POSTHIUS.

Obiit A.C. 1597.

Germershemii, Palatinatûs infer. oppido, natus eſt A. 1537. 15. Oct. Patrem habuit *Johannem*, oppidi civem, Matrem *Annam Vilmannam à Zeisbonin.*

A. 1555. *Heidelbergæ* primus inter primos alumnos in Collegium Sapientiæ receptus eſt, ubi *Philippum Melanchthonem* hoſpitem A. 1557. Carminicè excepit, quod officium optimo ſeni gratiſſimum fuit.

An. 1558. Philoſophiæ Magiſter creatus menſ. Jan. *Fit Philoſ. Magiſter.*

An. 1563. Medicinæ ſtudium amplexus, *Italicas* Academias perluſtravit.

A. 1565. *Montem Peſſulanum*, *Galliæ* Academiam adivit, ubi auditor fuit *Guil. Rondeletii*, *Ant. Saportæ* & *Laurentii Jouberti*, indè *Pariſios* ſe contulit, & tandem *Valentiæ*, *Galliæ Narbonienſis* Academiâ Doctoratûs inſignibus cum *Elia Bottigero*, promotore *Jacobo Fabro*, ornatus eſt an. 1567. ætatis 30. Paulò pòſt in *Belgium* diſceſſit, & *Antverpiæ* ſesquennium praxin med. cum laude exercuit, cumque eo tempore *Belgium* ſub Duce *Albano* motibus bellicis quateretur, *Caſtrenſem* etiam Medicum egit. *Doctor Medicinæ.* *Medicus Antverpienſis.*

A. 1568. *Herbipolim* ad Epiſcopum evocatus, Archiatri munere 17. annis functus eſt. *Archiater Herbipolenſis.*

A. 1569. *Herbipoli* uxorem duxit, ex quâ filium ſuſcepit *Eraſmum*, Med. Doct. natum A. 1582. & *Haidelb.* mortuum A. 1618.

An. 1585. *Haidelbergam* accerſitus, apud *Joh. Caſimirum* Adminiſtratorem, & Electorem *Fridericum IV.* annos 12. Archiatrum egit. *Archiater Palatinus.*

A. 1597. 24. Junii *Mosbacum* cum Electoris Conſiliariis peſtis *Haidelbergæ* graſſantis causâ profectus, ibi mortuus eſt, ſepultus *Haidelbergæ* anno æt. 60.

An. 1577. Ab Imp. *Rudolpho II.* Laureâ Poëticâ donatus, Poëmata varia elegantiſſima edidit, quæ *Parerga Poëtica* inſcripſit, & *Eraſmo Neuſtettero* Canonico dedicavit, qui ob id aureâ catenâ 100. Coronatorum remuneravit eum.

Scripta:

Scripta.

Latinitate donavit *Theſaurum Sanitatis, de victûs ſalubris & alimentorum ratione, facultatibus, varietate & delectu, ab Iſaaco Judæo, Salomonis Arabiæ Regis filio adoptivo, Arabicè conſcriptum.*

Senis cum eſſet in *Italiâ*, Poëſios amore *Camillum Falconetum Senenſ.* Poëtam eximium, naturâ cœcum convenit, cumque eo de metrorum varietate multa ſeriò contulit: id quod hoc Epigrammate teſtatur:

Mæonides fuerit captus quod lumine nullam
Hiſtoriis fateor me tribuiſſe fidem.
Id verò ut credam nunc, imò ut credere cogar,
Efficiunt numeri, docte Camille, tui.
Nam licet æterna tua lumina nocte premantur,
Tu tamen æterno lumine digna canis.

Uxorem ſuam *Roſinam*, *Chiliani Bræſameri*, civis *Herbipolenſis* filiam, quod eſſet claris nata parentibus & ſingularibus corporis animique dotibus exculta, ad imitationem Poëtarum veterum, Carminibus lepidiſſimis ſub nomine *Blandinæ* celebravit in ſuis Poëmatibus.

Edidit etiam *Hymnos Germanicos ſuper Evangelia Dominicalia.*

Et *Poëmata, quæ Parerga vocavit.*

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

MICHA-

Digitized by Google


IOHAN: POSTHIUS
Archiater Palatinus.


MICHAEL ZIGLERUS
Medicinæ Prof. Tubing.


PETRUS FORESTUS.
Medicinæ Prof. Lugd. Batav.


GEORGIUS LAUBIUS
Medicus Auguſtanus.


IOACHIM, CAMERARI,
fil: Medicus Noriberg:


ALEXANDER MASSARIA
Medicinæ Prof: Patavij.


PETR, HOGERBETIUS
Medicus & Poëta eximius


CHRISTOPH: GUARINONIU
Medicus. Cæſareus.


VOLCHER, COITERUS
Medicus Noribergenſis.


IOHANNES PINCIER.
Medicus Marpurgenſis.


IOHAN: HEURNIUS
Medic. Prof. Lugd. Batav.


PAULUS WELLER
Medicus. Noribergenſi


CASPAR PEUCERUS
Medicus Wittebergenſis.


HORATI, AUGENIUS
Medicus Ticinenſis.


ÆMILI, CAMPOLONG.
Medicinæ Prof: Patavii.


ULYSSES ALDROVAND
Medicus Bononienſis.

Digitized by Google

Clar. A.C. 1597.

MICHAEL ZIEGLER.

Vita *Michaëlis Ziegleri*, autore M. *Erhardo Cellio*, Poët. & Hiſtor. Prof. *Tubing.*

Hâc Michaël vivit Zieglerus imagine, vitæ
Æſtates numerans jam quater octo ſuæ.
Huic Gröninga Parens lucis, ſtudiisq; Stucartum
Auxit id, abſolvit dando Tubinga Gradûs.
Hinc mox Pæoniæ ſe tradidit impiger Arti,
Pectus & medico perluit amne ſuum.
Indè ſed Auſtriacas ubi perluſtraverat oras
Argenti medicos audit in urbe viros.
Sed redit ad patriam non parvâ laude Tubingam,
Et ſtudii ſolidas quærit & haurit opes.
Nec Cyclopædiam tantummodò conficit ipſe,
Hunc alios etiam ſed docet ipſe cyclon.
Teſtis Enengkelius Baro dictus & inclytus, â quo
Thucydides Latiâ veſte politus ovat.
Sunt Hohefelderi pari quoq; nomine teſtes,
Qui decus æternum quatuor Auſtriadûm.
Sic ubi ſe dignum Michaël oſtendit & aptum
In celſis Sophiæ Scripta docere ſcholis:
Celſo Academiacus fit Doctor honore, Senator,
Sexvir Collegii, Philoſophia, tui,
Emeritique locum Liebleri ſuſtinet, acri
Ingenio Phyſicen judicioque docens.
Sed quoq; Graiorum docet è Demoſthene Linguam,
Et diſſertantis dirigit ora gregis:
In Logicis, Phyſicis, in Moribus, inq; Matheſi,
In quâvis ſtudii parte, Sophia, tui.
Non minus in medicâ ſpecimen dedit acre palæſtrâ,
Nuper & hâc factus Doctor in Arte fuit.
Doctor ave, multos Doctor vale Ziegler in annos,
Atque diu noſtram condecorato Scholam.

Clar. A.C. 1597.

JOHANNES THOMAS MINADOUS.

R*Hodiginus*, ex eâ familiâ ortus, quæ originem trahens à *Syracuſis*, indè *Neapolim* & *Manfredoniam* tranſlata eſt, atque earum civitatum utrâque plurimùm claruit: Patre natus eſt *Johanne Baptiſtâ*, Philoſopho & Medico præſtantiſſimo, Avum habuit *Annibalem*, Juris utriusq; Doctorem.

Filius Medici.

Duobus *Syriæ* Conſulibus *Venetis*, *Theodoro Balbo* & *Johanni Michaëli* operam medicam navavit. Deindè aliquot annos apud *Guilielmum* Ducem *Mantuæ*, Medici officio functus eſt. *Utini*, *Montaniani*, *Rhodigii* publicis, & quidem inſolitis medendi præmiis eſt honoratus. Denique A. 1596. ad profitendam primo loco Medicinam *Patavii* conſtitutus eſt.

Medicus Venet. *Archiater Mantuan.*

Scripſit:

Scripta.

De humani corporis turpitudinibus cognoſcendis & curandis Lib. III.

Tractat. de Variolis & Morbillis.

Diſputationes Medicinales.

De morbo Cirrorum in Polonos graſſante, quem Plicam vocant.

Philodicam, ſive de Dietâ in morbis acutis.

Hiſtoriam de Bello Perſico, Italicè conſcriptam.

Apologiam Latinam pro ſuâ Hiſtoriâ adverſus objectiones Leunclavii.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

PETRUS FORESTUS.

Obiit A.C. 1597.

A*Lemariæ*, ex nobili & antiquâ familiâ natus eſt A. 1522. Patre *Jordano*. Cum *Lovanii* quadriennium Medicinæ Thoreticæ ſtudiis inſudâſſet, in *Italicis* Academiis Praxeos addiſcendæ gratiâ plures annos tranſegit, & *Bononiæ* Doctoratûs inſignia conſecutus eſt. Indè *Gallicas* etiam Academias adivit.

Medicinæ Doctor Bononiæ.

Præceptores habuit *Lovanii Jeremiam Brachelium*, Philoſophum & Medicum inſignem. *Romæ Gisbertum Horſtium*, *Amſtelrodamenſem* (cujus ſæpius in obſervationibus ſuis meminit) in noſocomio *Mariæ* conſolationis Medicum agentem. *Bononiæ Benedictum F.ventinum*, *Jacobum Erigium*, & *Helidæum*, quorum ille noſocomio mortis, hic vitæ præfuit. *Patavii* tandem *Andream Veſalium*, Anatomicum celeberrimum, quorum omnium animis propter diligentiam acceptus fuit.

Italiâ relictâ, in *Galliam* profectus, *Lutetiæ* ad aliquot menſes primò omnium praxin inter notos exercere cœpit: gratus *Vido Vidio*, *Florentino*, Regis *Gall.* Phyſico, & *Jacobo Sylvio*, Profeſſori Regio, cui tunc *Galenum* de facultatibus Medicam. ſimpl. prælegenti herbas aliquot ſubminiſtravit, quas ipſe cum *Valerio Cordo* An. 1544. *Romæ* defuncto, magno labore diverſis *Italiæ* locis collegerat.

Poſteà *Sylvio* ſuadente *Pythireas* venit, quâ in urbe per annum medicinam cum honore fecit.

A. 1545. in patriam reverſus, civibus ſuis curandis per 12. annos operam dedit. Indè *Delphos* evocatus, ibidem annos 40. publici Medici munus geſſit.

8. Febr. A. 1575. in Academiâ *Lugduni Batavorum* tunc introductâ à *Guilielmo* Principe *Auriaco* inter primos Medicinam profiteri cœpit: primam in Medicinâ Lectionem & Orationem pro laude ejus habuit.

Medicinæ Profeſſor Lugduni Batav.

Mercatorem quendam diarrhœâ diuturnâ laborantem curâſſe fertur ſolis meſpilis, pro quo medicamento Mercator ipſi 300. aureos numeraverit.

In extremâ ſenectâ *Alcmariam* urbem patriam repetens, in eâ animam Creatori reddidit A. 1597. æt. 75.

Moritur.

Scripta edidit:

Scripta.

De incerto urinarum judicio.

Obſervationum & Curationum Medicinalium lib. 32.

De Chirurgiâ lib. 5.

De venenis, fucis & lue venereâ.

De Tumoribus præter naturam.

* *Ex Vitis Medicorum Melch. Adami.*

Obiit A.C. 1597.

GEORGIUS LAUBIUS.

NAtus *Auguſtæ Vindelicorum* A. 1554. In ſcholâ patriâ ſub Præceptore *Hieronymo Wolffio* literarum fundamento poſito, *Tubingam* ivit, ibique an. ætatis 18. Magiſter Philoſophiæ renunciatus eſt. *Philoſophiæ Magiſter.*

Indè *Gallicis* & *Italicis* Academiis perluſtratis, *Piſis* Doctor Medicinæ creatus eſt A. 1576. æt. 22. *Medicinæ Doctor.*

Eodem anno uxorem duxit virginem *Veronicam Waiblingerianam*, cum quâ tranquillè annos 12. vixit, ſex ex ipſâ liberorum pater factus. Hâc mortuâ ad nuptias ſecundas tranſiit A. 1589. ductâ *Johannâ Rhemiâ*, quâ cum octennium exegit, 4. liberis ex eâ ſuſceptis. *Conjugium.*

In patriam reverſus, Medicinam fideliter exercuit, & in lucem edidit librum, cui titulus, *Roſa Anglica*. *Scriptum.*

A. 1597. cum epulo nuptiali intereſſet, derepentè doloribus graviſſimis obortis domum deportatus, inter preces exſpiravit An. æt. 43. die 1. Nov. *Moritur.*

Obiit A.C. 1598.

JOACHIMUS CAMERARIUS.

NAtus eſt *Norimbergæ* 6. Nov. A. 1534. ex antiquâ familiâ, quæ tempore *Henrici Sancti* originem duxit, & non tantùm *Babæbergæ* clara, ſed poſteà etiam *Norimbergæ* in Patritiorum ordinem cooptata fuit. Patrem habuit *Joachimum Camerarium*, Prof. *Lipſ.* Matrem *Annam Truchſäſſiam* à *Grunsperg*, ex nobili in *Franconiâ* familiâ natam, cujus avus *Ludovicus*, *Othonis*, Comitis *Palat.* Cancellarius fuit.

Pater *Joachimus* ſcientiæ illius, quâ ex nativitate fortuna prædicitur, quantum Chriſtiana pietas patitur peritus, figuræ, ut vocant, quam huic recens nato filio erexit, hunc titulum præfixit φιλόπονος καὶ πολύπονος, cujus veritatem res ipſa declaravit.

Puer à Præceptoribus domeſticis M. *Leonhardo Wolffio* & *Erneſto Viglino* inſtitutus, aliquot deindè pueritiæ annos cum fratre *Philippo*, *Portæ* in ſcholâ *Miſnicâ* ſub Præceptore *Erromo Rudingero*, & apud *Phil. Melanchthonem* conſumpſit, qui filii loco adeò illum dilexit, ut cubitum ſe conferens à nemine niſi hoc *Joachimo* veſtes ſibi exui paſſus fuerit. *Studioſus Medicinæ.*

Adoleſcens ad artem medicam animum appulit, & primùm *Wittenbergæ*, poſteà *Lipſiæ* Medicos Profeſſores diligenter audivit. Paulò pòſt *Uratislaviam* ad *Joh. Cratonem*, Med. Cæſ. amicum paternum ſe conferens, ejus domeſticus per biennium fuit, quem deinceps Præceptorem ſuum nominare ſolitus eſt.

In *Italiam* deindè *Patavii* per annum docentes audivit *Fallopium*, *Capivaccium*, *Trincavellum* & *Aquapendentem*. Pòſt *Bononiam* profectus, amplius anno tum aliis tum *Ulyſſi Aldrovando* operam dedit: ibidemque Med. Doctor renuntiatus eſt 27. Julii A. 1562. *Medicinæ Doctor.*

Reverſus in *Germaniam*, *Norimbergæ* in patriâ, de patris voluntate, ſedem fixit, & artem medicam feliciter exercere cœpit A. 1564. inque ſtatione illâ ad mortem usque permanſit. *Medicus Noribergenſis.*

Ipſius ſtudio & autoritate *Norimbergæ Medicorum Collegium* primùm inſtitutum, & Senatus autoritate confirmatum eſt, cui ipſe ſæpè præfuit. Stipendium autem annuum quamvis ſæpiùs oblatum non niſi paucis ante obitum annis à Republ. *Nor.* accepit.

Chriſtiano, *Sax.* Elect. lethali morbo, quo etiam extinctus eſt, decumbente, tempeſtate turbidâ & viâ difficili evocatur, celeriter *Dresdam* venit, nec tamen vivum Electorem reperit.

In medicamentorum præparatione adeò fuit ſollicitus, ut plerumque illa priùs deguſtaret, quàm ægroto propinarentur: undè in ſenectute magnam virium imbecillitatem ſibi attraxiſſe animadvertit. Cum autem eſſet naturâ humaniſſimus, adeò fuit acceptus ægrotis pleriſque, ut illo advenientе certiſſimam valetudinis recuperandæ ſpem conceperint.

Chymica etiam excoluit, in quibus non exiguos ſumtus fecit, quamvis illis cautè & raro uteretur. *Chymicus.*

Hortum plantis exoticis refertum, extrà urbem magnis impenſis coluit, quem etiam ſub titulo *Hortus medicus* & *philoſophicus* typis emiſit. Hanc ob cauſam amicitiam coluit cum *Carolo Cluſio*, *Proſpero Alpino*, *Joſepho de Caſabonâ*, Ducis *Florentiæ Simpliciſtâ*, *Jacobo Dalechampio*, Med. *Lugd. Bernhardo Paludano*, *Thomâ Pennero Londinenſi*, *Nicol. Raſſio*, Chirurgo Reg. *Gall.* & *Jano Antonio Saraceno*, Med. *Lugd.* *Amici.*

Ob ſtudium hocce charus fuit *Wilhelmo*, *Haſſiæ* Landgravio, qui *Caſſellis* ad hortum ſuum adornandum *Camerarii* operâ uſus eſt, & plures ad ipſum Epiſtolas manu propriâ ſcripſit.

Inprimis dilexit ſororis ſuæ filium *Joachimum Jungermannum*, *Lipſienſem*, juvenem prorſus ad rem herbariam natum, qui cum imitatione *Cluſii*, *Alpini* & *Rauwolffii* in regiones Orientales iter ſuſcepiſſet, in mari *Peloponneſiaco* navigans, ex morbo contagioſo periit.

Menſ. Nov. A. 1588. Cum *Erneſto* à *Mengersdorff*, Epiſcopo *Bambergenſi*, in *Carinthiam* profectus, è *Villaco Venetias*, & indè *Patavium* animi causâ excurrit, ubi tunc ſtudiorum causâ vixerunt *Joachimus*, ipſius filius & *Joach. Jungermannus*, qui inopinato hujus adventu ſtupefacti ſunt. Hoſpes ibidem fuit gratiſſimus *Jacobo Contareno*, Senatori *Veneto*, & *Johanni Vincentio Pinello*. Sparſus tunc *Noribergæ* vanus rumor eſt, ac ſi *Camerarius* ob Religionem captivus *Romam* abductus fuiſſet, natus procul dubio exindè, quod frater ejus *Philippus*, cum juvenis *Italiam* peragrâſſet, *Romæ* in inqiſitionis carceres compactus fuerit, ad cujus liberationem *Joachimus* hic omnem movit lapidem.

Secundâ

Summâ etiam cum voluptate *Patavii* hortum medicum inſpexit, cujus Præfectus tunc fuit *Melchior Guilandinus Boruſſus*, & *Jacob. Anton. Cortuſius*, Nob. *Patavinus*.

Ex *Miſniâ* ab *Auguſto* Electore *Sax.* aliquando domum rediens, in morbum difficilem incidit: Catarrhis, dentium doloribus & cruditatibus admodùm obnoxius fuit. Toto ante obitum triennio cum alvus eſſet laxa, viribus indè admodùm defecit, cui malo cum inſomnia ferè continua accederent, tandem ingraveſcente vi morbi animam placidè Redemtori ſuo reddidit 11. Oct. A. 1598. ætatis 64.

Moritur.

Conjugium.

Uxores tres habuit: ex primâ duobus ante medicis nuptâ viduâ *Juſtinâ Bernbeckiâ* filium unicum *Joachimum*, extinctâ matre in puerperio, ſuſtulit, qui patri in ſtatione ſucceſſit medicus *Nor.* eximius. Altera *Maria Rummelin à Lonerſtat* 4. illi filios & unicam filiolam peperit, quorum natu maxim. *Philippus* & filiola in infantiâ obierunt, matre quoque ipſâ in puerperio occumbente: ex filiis ſuperſtitibus *Baltaſar*, præfectus *Cubinus* in *Palatinatu* inf. factus eſt, *Ludovicus* J.C. Elect. *Palatini* Conſiliarius fuit, & *Chriſtophorus* cum ſub ordinibus *Hollandiæ* ſtipendia meruiſſet, *Rheinbergæ* in præſidio obiit. Tertia conjunx *Urſula* ſuperſtes relicta, ex antiquâ *Tiliorum* familiâ nata, filiam unicam illi enixa eſt, poſtmodùm *Deckero*, mercatori cuidam *Noribergenſi*, nuptam.

Uno anno 4. filios, *Joachimum* in *Angliam*, *Ludovicum* in *Italiam*, *Baltaſarum* in *Hungariam* militatum, & *Chriſtophorum* in Academiam *Marpurgenſem* ablegavit.

Rerum naturalium, foſſilium, lapidum, metallorum &c. diligentiſſimus fuit indagator.

Conradi Geſneri, Medici *Tigurini*, Bibliothecam herbariam & opera Botanologica imperfecta, quæ ille *Caſparo Wolffio*, Medico *Tig.* teſtamento legaverat, ab eodem non exiguis ſumtibus ſibi coëmit. *Johanni Poſthio* aliisque ſecretiora ſua remedia liberaliter impertiit, quæ quosdam ſibi poſteà adſcripſiſſe compertum eſt. inter ea fuit remedium quoddam contra cancrum *Fuchſii*, quo ille ferè ſolo emeruit, & rem fecit, cui ſi centum aureos obtuliſſet (verba ſunt *Camerarii* ad *Poſthium*) vix ab eo impetrâſſet, fuit autem fortuitò nactus.

Scripta.

Edidit: *Petri Andreæ Matthioli Herbarium, novis figuris & obſervationibus auctum.*

Centurias tres Emblematum ex re herbariâ, quadrupedibus, & volatilibus deſumtorum: quartam de Aquatilibus & reptilibus inchoavit, quam filius Ludovicus ad finem perduxit, & in lucem produxit.

Opuſcula de re ruſticâ.

Hortum medicum in 4to.

Synopſin Commentariorum de peſte in 8vo.

Obiit A.C. 1596.

ALEXANDER MASSARIA.

Patriâ *Vicentinus*.

Cum ad Philoſophiam & Medicinam perdiſcendam vires omnes intendiſſet, in patriâ primùm Medicinam exercuit, & in *Olympicâ* Academiâ omnium *Italiæ* florentiſſimâ Anatomen & *Ariſtotelis Meteora* profeſſus eſt.

Indè *Venetias* accerſitus à Senatoribus adiit, ubi Principem in Medicorum Collegio locum facilè comparavit.

A. 1587. D. *Mercuriali Bononienſibus* conceſſo, huic Reipubl. decreto Medicinæ Practicæ cathedra demandata eſt. *Patavii* domum ſuam amplam Viris doctis, amicis præſertim & advenis, ſecum eſſe communem & patentem perpetuò voluit.

Patavii Medicinæ Practicæ Profeſſor.

De Peſte lib. 1. ſcripſit, ſibi jam dudum conſtitutum eſſe, *Galenum* perpetuò imitari, & ab illo ne latum quidem unguem diſcedere, ac malle ſe cum *Galeno* errare, quàm cum recentioribus vera ſentire.

A. 1596. Cum Scholarem ſibi docenti identidem obſtrepentem ſemel iterum & tertiò fruſtrà objurgâſſet, domum rediens, irâ juſtâ percitus baculo è lignorum ſtrue, in quem caſu inciderat, ſtatim arrepto impetum in illum ſui aſſeclam fecit, & ſtupentibus cunctis eundem mirabili animadverſione contudit, ut aliis exemplo eſſet.

Senio tandem fractus, ad plures abiit A. C. 1598. In Templo S. *Antonii* ſine ullâ memoriâ ſepultus.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Lib. Reſponſorum & Conſultationum Medicarum.

Practica medica, *edita à D. Joh. Baumano.*

De morbis Mulierum.

De Pulſibus & Urinis.

Tract. de peſte Lib. IV.

de affectibus renum & veſicæ.

Diſputationes tres: De ſcopis mittendi ſanguinem, De purgatione in principio morborum, & De abuſu veſicantium ac Theriacæ in febribus peſtilentibus.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

* * *

Literas Græcas & Latinas primùm *Vicentiæ* didicit à *Jacobo Ginſolo Luciniaenſi*, qui multis annis ibi publicè docuit, deindè *Patavii* à *Lazaro Bonamico Baſſianenſi* literarum Græcarum & Latinarum explicatore. Præter hos ſectatus eſt in Logicâ *Tomitanum*, in Philoſophiâ ordinariâ *Genuam*, extraordinariâ *Albertum*, in Metaphyſicis *Bargium*, in Medicinâ Theoricâ *Oddum* ſeniorem, in Practicâ *Fracantianum*, in Chirurgiâ & Anatome *Fallopium*. Philoſophiæ & Medicinæ inſignia conſecutus, unum de principibus locis inter Philoſophos & Medicos tenuit, tum *Vicentiæ* an. 25. Medicinam exercuit, & in *Olympicorum* Academiâ modò *Ariſtotelis* meteora explanavit. A. 1578. *Venetias* progreſſus, 9. annos praxin ibi exercuit. Non minus liberalis in pauperes quàm ſplendidus in illuſtres extitit, nam præter alias eleemoſynas ſingulis diebus Veneris ultra 100. pauperibus panem dedit, & in die Veneris, qui ſanctus vocatur, inque Vigiliâ

Nata-

Natalis Domini quotannis 12. egenis prandium lautum cum certâ pecuniæ ſummâ largitus eſt.

* *Ex Gymnaſio Patavino ab Antonio Riccobono deſcripto.*

Obiit A.C. 1598.

PAULUS CIGALINUS.

Medicinæ Profeſſor Ticini.

COmenſis Medicinæ Doctor, & Lector in Univerſitate *Ticinenſi* primarius fuit, cujus Lectiones eruditæ nunquam à ſtudioſis interruptæ vel ſibilo exceptæ fuerant, ſicut aliis Profeſſoribus in *Italiâ* fieri conſuevit. Ibidem Affidatorum Academiæ membrum obiit A.C. 1598. ætatis circiter 70. Corpus ejus *Comum* exindè deportatum, in Templo primario majorum ejus ſepulchro fuit illatum, in quo hoc Epitaphium legitur inſcriptum:

Mors ejus.

Epitaphium.

ZANINO CIGALINO FRANCISCI F.
MEDICO SCIENTIA, USU, FELICITATEQUE, AC DISCIPLINARUM OMNIUM COGNITIONE SINGULARI
MARCUS JURISCONSULTUS ET PAULUS MEDICUS FR. OPTIMO P.
MDLXI.
VIXIT ANN. XXXIX. MENS. VIII. DIES IV.

Scripta.

Edidit: *De verâ Patriâ C. Plinii Secundi nat. Hiſt. Script. ejuſdemque fide & auctoritate Prælectiones.*

* *Ex Theatro Virorum doctorum Italico Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1598.

JOHANNES SCHENKIUS.

NAtus A. 1530. dictus à *Grafenberg*. *Tubingæ* ſub Medicis clariſſimis *Leonhardo Fuchſio, Jacob. Scheckio, & Michaële Ruckero* tantum profecit, ut A. 1554. Competitore *Sebaſt. Mario*, Medico *Monacenſi*, Medicinæ Doctor renuntiatus ſit.

Medicinæ Doctor.

A. 1555. *Argentorati* praxeos in arte medicâ tyrocinia poſuit.

Medicus Friburg.

Poſteà *Friburgum* in *Briſgaviâ* ſe conferens, Medicum ibi phyſicum ad fatalem usque diem magno cum ſucceſſu egit.

Fuit inſuper à medicinis multis magnatibus, inter quos *Georgius* ex antiquâ & nobili familiâ ab *Hohenheim*, qui *Bombaſt* cognominantur.

Moritur.

Diſceſſit ex hâc vitâ *Friburgi* 12. Nov. A. 1598. æt. 68.

Conjugium.

Uxorem habuit *Apolloniam*, ex Patritiâ *Wernhartorum* apud *Haganoenſes* familiâ natam, quam amiſit gravidam ex incendio in viciniâ noctu ſuborto perterritam An. 1564. 22. Julii. Ab hâc tranſiit ad ſecundas nuptias cum *Cordulâ Veleriâ*.

Scripta.

Edidit *Obſervationum medicarum rararum, novarum, admirabilium & monſtroſarum volumen tomis VII. diſtinctum.*

Filius ipſius *Joh. Georg. Schenckius*, Medicus *Haganoenſis* edidit *Bibliothecam medicam*.

Obiit A.C. 1598.

JOHANNES ANTONIUS TURCUS.

AB ineunte ætate optimarum literarum ſtudiis inſtitutus, Muſicam vocalem & organicam perhoneſtum mentis laxamentum adhibuit: Orationem numeris adſtrictam & ſolutam Dialecticen, Rhetoricen mollioris ætatis exercitamenta, veluti ſolidas baſes & fundamenta graviorum ſtudiorum Philoſophiæ peripateticæ, Medicinæ & Theologiæ, præſtructas ædificio ſuo literario eſſe voluit, ut poſt navatam *Bononiæ* his iiſdem diſciplinis præſtantiſſimis egregiam operam, eum non ſolùm medicæ praxi addictum *Veronæ* experiretur, ſed & juniorem Theoremata peripatetica publicè tuentem, tum ſæpenumerò in eruditis Theologorum circulis ſubtiliter diſſerentem, & de principiis naturæ elimatam lucubrationem edentem, veneraretur.

Literis operam dat Bononiæ.

Medicus Veronenſis.

In praxi medicâ valdè excelluit, dicereq; ſolitus, immenſa novatorum Commentaria præ unâ *Hippocratis* & *Galeni* paginâ ſe facilè contemnere. Piam Sancti *Thomæ* Philoſophiam & reliqua pietatis Chriſtianæ exercitia cum medicinâ jungenda putabat.

Scripta.

Scripſit *opus de naturæ* principiis, atque in lucem editum Collegio *Veronenſi* dedicavit, quod à præſtantiſſimis Philoſophis plurimùm ſemper fuit æſtimatum.

Theſes etiam, quas junior defendit, ſunt editæ.

Problematum Volumina, & lib. *de Conſultandi Methodo*, & *quæſtiones Theologicæ* multæ, *Academicæ lectiones* aliaque non contemnenda, nondum in publicam lucem ſunt emiſſa. Sectiones quippè ſunt XXX. problematum, quibus ſummâ brevitate enucleantur ea, quæ ab *Ariſtotele* in libris naturalibus & divinis conſiderantur: nec non graviores ſententiæ propoſitæ ab *Hippocrate* & *Galeno*.

Complura *Problemata Theologica pertinentia ad naturam Angelorum. Variæ quæſtiones tam philoſophicæ, quam Theologicæ diſputatæ, una cum ſuis deciſionibus.*

* *Ex Andreæ Chiocci tractatu de Collegii Veronenſis Illuſtribus Medicis & Philoſophis.*

Obiit A.C. 1599.

MICHAEL MEUERUS.

OSterodæ, Ducatûs *Boruſſiæ* oppido, natus eſt 6. Aug. A. 1566.

Pater ei fuit cognominis, qui Prætoris munere ſub Marchione *Brandenburg.* 36. annos functus eſt. Mater *Ottilia Scipkii*.

Jactis in ſcholâ patriâ literarum fundamentis A. 1582. in Academiam *Regiomontanam* miſſus, ibi triennium in Philoſophicis inprimis ſtudiis exegit.

An. 1585. *Lipſiam* veniens, ad medendi artem animum adjecit.

An. 1587. *Patavium* profectus, *Herculem de Saxoniâ, Hieronymum Capivaccium, Aquapendentem*, & *Sabavellam* docentes audivit. Eorundem conſilio ægrotos in Xenodochio *Patavino* curandi onus in ſe ſuſcepit, eoſque feliciter curavit; herbis ſimplicibus maximè deditus.

Fit Medicinæ Doctor.

A. 1589. Cum *Patavii* Doctoris titulo ſolenniter ornatus eſſet, in *Germaniam* reverſus, *Regiomonti Boruſſiæ* trienaſtro ſubſedit.

Poſteà

Digitized by Google

Medicus Elbingenſis. Poſteà *Dantiſco* tranſiens, *Elbingam* civitatem maritimam petiit. Eò ut primum appulit, ad Conſulis primarii *Sprengelii* filium unicum febri malignâ correptum vocatus, eum intra paucos dies priſtinæ reſtituit valetudini.

Cum autem, ut *Elbingæ* ſedem figeret, artemque, quam didicit, exerceret, rogaretur; haud difficulter annuit, herbisq; duntaxat communibus plerumque adhibitis multos magnos graveſque morbos curavit, ut ipſis etiam artificibus medicis admirationi eſſet.

Elbingâ, quorundam hortatu, *Marieburgum* ſe contulit, cœlebs etiam tum, & praxin medicam aliquot annis eo loco feliciter obivit.

Cumque *Poloniæ* Regi *Sigismundo* innotuiſſet, ipſi operam ſuam ſubmiſsè offerendi conſilium cepit. Ad iter itaque accinctus in patriam venit, ubi in phthiſin incidit, quam ipſe ſibi fore lethalem illicò deprehendit: intra menſem enim ſe moriturum prædixit, diem & horam diei emortualem nominans. *Moritur.* Dictum factum, placidè enim eâ die & horâ exſpiravit *Oſterodæ* in patriâ An. 1599. ætat. 33.

Fratrem reliquit *Adamum Meuerum*, Med. Doct. Equitem Aurat. & Archiatrum Regis *Poloniæ*.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

LAURENTIUS SCHOLTZIUS.

Obiit A.C. 1599.

URatiſlaviæ honeſto inter cives ſuos loco natus eſt 20. Sept. A. 1552.

Cum in ſcholis publicis ſtudiorum Philoſophicorum curſum feliciter confeciſſet, ad artem medicam animum applicans, in *Italiam* ſe contulit, in quâ Viris doctiſſimis operam dedit, & Lauream doctoralem adeptus eſt. *Medicinæ Doctor.*

Medicus Vratislavienſis. A. 1579. Ad ſuos reverſus, medicinam primùm *Freiſtadii* Ducatûs *Glogovienſis* in *Sileſia* oppido, deindè *Uratislaviæ* feliciter factitavit.

Singulare verò in ipſo rei *Botanicæ* ſtudium loquitur Hortus ille, quem intra patriæ ſuæ mœnia magnis laboribus & impendiis, quamdiu vixit, excoluit, & omni plantarum genere exornavit.

Moritur. Febri demùm lentâ tabeque pulmonariâ conſumptus, in vivis eſſe deſiit *Uratislaviæ* 22. April. A. 1599. æt. 47.

Uxorem habuit *Saram, Johannis Aurifabri*, Theologi Clariſſimi filiam.

Scripta. Edidit *Sectiones VIII. Aphoriſmorum medicorum tum Theoricorum tum Practicorum.*

Conſilia medica Johan. Crationis & aliorum.

Epiſtolas medicinales Medicorum variorum.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

PETRUS HOGERBETIUS.

Obiit A.C. 1599.

Doctor Medicinæ. HOrnanus, *Batavus*, Medicinæ Doctor, *Petrum Foreſtum* habuit Præceptorem, cui & Epitaphium ſcripſit. Obiit A. 1599. ætatis 57.

Compoſuit *Poëmata varia, quæ poſt mortem in lucem prodierunt.* *Scripta.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

PETRUS LÆTUS.

Obiit A.C. 1599.

JUliodani Medico Patre natus, medicam artem quoque profeſſus eſt, ad quam non ea tantùm, quæ vulgò à Philoſophiæ cognitione peti ſolent, ſubſidia conferebat, ſed & omni liberali diſciplinâ excultus, magnâ cum dignitate divinam & ſalutarem illam artem apud ſuos exercebat, non dubium ſibi locum inter nobiliores *Galliæ* Medicos allaturus, niſi vir pius, qui ſe patriæ natum crederet, intrà tenuis oppidi ſepta procul ab omni ambitione latuiſſet. *Medicus Juliodanus.*

Emerſit tamen tandem aliquando, poſtquàm ab illuſtri *Dumbarum* Principe *Henrico Borbonio* ad repetenda *Mercurii* Ducis & *Hiſpanorum* arma ſe accingente in comitatum & familiam accitus eſt. *Medicus Caſtrenſis Ducis Henrici Borbonii.*

In illâ expeditione *Jobi* conſtantiam aliaque ſacrorum vatum carmina patrio lepore decantavit, cum & aliquot ante annis *Fracaſtorii* de morbo *Gallico* Poëma tranſtuliſſet his numeris, qui auctoris majeſtatem *Maroniani* proximam referrent. *Poëta Gall.*

Latinè certè ſi quid meditaretur (multa autem & proſâ & carmine meditatus eſt) nihil terſius & perfectius poterat expectari: quo magis dolendum fuerit, ſi vel temporum malignitate vel hæredum incuriâ tot elegantes egregii viri lucubrationes ingratâ nocte ſepeliantur. Ipſe enim vix quinquagenario major intempeſtivâ morte *Lutetiæ* procul à ſuis interceptus eſt, obortâ repentè febri, cui lethalis icterus altero die ſupervenit A. C. 1599. *Moritur.*

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

CASPAR TAGLIACOTIUS.

Obiit A.C. 1599.

BOnonienſis, *Joh. Andreæ* filius, cum in Philoſophiâ & Medicinâ Lauream Doctoralem conſecutus eſſet, ſtudiis majori cum ſolicitudine inſudavit, Medicus evadens admirabilis. Publicam deindè Profeſſionem in patriâ Medicinæ & Chirurgiæ ſortitus, in eâ magnâ cum nominis ſui famâ vitam traduxit. Ingenii ſui ſubtilitate modum invenit, naſum, labia, & aures abſciſſas reſtituendi, idèoque Librum edidit egregium: *Doctor Philoſophiæ & Med.* *Chirurgus ſingularis.*

De Curtorum Chirurgiâ per inſitionem. *Scripta.*

In patriâ tandem obiit vitâ longiore dignus 7. Nov. A. C. 1599. ætatis 53.

Sepultus in Templo *Monialium S. Johannis Baptiſtæ.*

In Gymnaſio *Bononienſi* duplex encomium in honorem ejus marmori inciſum legitur: D. O. M.

Encomium. *Gaſpari Tagliacotio Civi Bononien. Philoſopho & Medico ætatis noſtræ celeberrimo, cum univerſam humani corporis Anatomen in doctiſſimor. viror. frequentiſſ. conventu publicè adminiſtratam facundiâ, methodo ac doctrinâ*

admirabili explicàrit, ejusq; incompertas adhuc partes in lucem prodiderit; animi grati & perpetuæ memoriæ ergò Lec. Mediciq́ue P. P. ordinariæ Anatomes ab illo adminiſtratæ monumentum.

EXCELL. ET CLARISS. GASPARI TAGLIACOTIO:

Ingenium, moresq́ue tuos celebramus & artem,
Gaſpare, tum doctâ corpora ſecta manu.
At magis invisis quod nos cumulaveris author
Muneribus, ſummos quæ latuêre viros.
Ergò pro meritis æternum hoc marmore vives,
Clare vir ingenio, moribus, arte, manu.

ANIMI GRATI ET PERPETUÆ MEMORIÆ ERGO ANAT. ELECT. ET SYNDICI P.P. MDLXXXII. XVI. CAL. JAN.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

Obiit A.C. 1599.

GERARDUS BONTIUS.

R*Yswici, Geldriæ* vico, natus eſt A. 1538. Patre vitæ militari dedito.

Puer in ſcholam à Patre *Schonhoviam* miſſus eſt, ubi *Adrianum Agrippam* habuit Præceptorem. Hunc deindè *Delphos* ſecutus, ubi in eodem ludo & *Geldorpius* docuit. His ad annum 1565. adhæſit.

Deindè Philoſophiæ totum ſe dedidit, à quâ ad Medicinam pertractus, in eâ *Bitſium* docentem audivit, qui non multò pòſt *Lovanio Viennam* ab Imp. *Maximil. II.* vocatus eſt.

Fit Medicinæ Doctor.

Tùm *Italiam* petens, *Ferrariam* ſtudiorum ſedem ſibi delegit, & *Patavii* ſupremos in arte medicâ honores conſecutus eſt.

Profeſſor Medicinæ Lugd. Batavorum.

In *Belgium* reverſus, paulò pòſt *Lugdunum Batavorum* vitæ ſedem elegit, & è cathedrâ docere cœpit A. 1575.

Græcè ità doctus fuit, ut *Galenum* & *Hippocratem* eo ſermone ſemper legerit.

In praxi medicâ paucos ætate ſuâ pares habuit, quam non tam ad quæſtum quàm ad benignitatem exercuit, omnes à fortunâ deſtitutos gratis accedens.

Moritur.

In ipſo Academiæ Rectoratu extinctus eſt 15. Sept. A. 1599. ætat. 63.

Morti proximus cum nonnihil cibi ſumpſiſſet, repugnante ſtomacho, cujus imbecillitate laborabat, ad *Reinerum* filium converſus, animo compoſito, *Ecce*, inquit, *iſte victus eſt, neq; adhuc deditionem parat.*

Liberos reliquit octo, inq; his *Johannem*, *Roterodamenſis* Reip. Medicum ac Quæſtorem, & *Reinerum* artis Med. Profeſſorem ſummisq́ue Principibus *Henrico* & *Mauritio Naſſoviis* à Medicinâ.

Scripta.

Scripſit plurima in *Hippocratem* præſertim, quæ tamen edi noluit: potius enim eruditionem deeſſe ſæculo huic exiſtimavit quàm Scriptores.

Caſp. Conradus Med. D. in *Proſopographiæ Melicæ Millenar. III.* hoc in ejus honorem fecit diſtichon:

Arte fugare potens morbos, mortemq́ue morari,
Bontius, in mediâ nunc quoq; morte viret.

Clar. A.C. 1600.

CHRISTOPHORUS GUARINONIUS.

V*Eronæ* in patriâ literis Græcis & Latinis excultus, Medicinæ ſtudiis operam navavit. Ibidem juvenis Philoſophiam prælegit, & tanto cum applauſu medicam artem exercuit, ut à variis Principibus expeteretur. Primùm itaque *Franciſco Mariæ Feltrio*, Duci *Urbinati* ſexto, cum ſtipendio honorato Archiater inſerviit.

Archiater Ducis Urbini.

Reverſus deindè in patriam, ab Imp. *Rudolpho II. Pragam* vocatus, Conſiliarii & Medici aulici munus fideliter obivit, ab eoq́ue, præter ſalarium ingens, multos ſcyphos aureos aliaq́ue dona obtinuit.

& Rudolphi II. Imp.

Romam exindè profectus, cum Cardinale *Auguſtino Valerio* conterraneo ſuo Cardinalium & Procerum ibi favorem ſibi conciliavit, ut Papa *Clemens VIII.* ſæpiùs ad Card. *Valerium* dixerit, ſe libenter *Guarinonium Pragâ* evocatum Medicum ſibi conſtituere voluiſſe, ſi Cæſaris id conſenſu fieri potuiſſet.

à Papâ Clemente VIII. expetitus.

Pragæ in domo ſuâ Academiam medicam erexit, quam Unionem virorum eruditorum vocavit, quâ certis in ſeptimanâ diebus Diſquiſitiones Philoſophicæ Medicæq; ab Academiæ illius membris fiebant.

Academiam Med. Pragæ erexit.

Pragæ tandem cum Cæſaris *Rudolphi* aulæq́ue dolore ſenex vitam finiit.

Scripta:

Scripta.

De naturâ humanâ Sermones IV.

De intellectu agente.

Explicatio Locorum apud Ariſtotelem de Animorum immortalitate.

De generatione viventium, etiam naſcentium ex putredine.

De methodo Diſciplinarum.

De principio venarum.

Comment. in primum lib. Ariſtot. de Hiſtoriâ Animalium.

Diſputatio de methodo doctrinarum ad mentem Ariſtot.

Rerum naturalium memorabilium Lib. IV.

An liceat civilem hominem ignoſcere ei, à quo injuriam acceperit?

Conſilia medicinalia.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini, & Andreæ Chiocci tractatu de Collegii Veronenſis illuſtribus Medicis & Philoſophis.*

Scripſit etiam *de cauſâ morborum concentrice libellum*, quem manuſcriptum Collegio *Veronenſi*, teſte *Andreâ Chiocco*, dicavit.

Clar. A.C. 1600.

HENRICUS A BRA.

F*Riſius Doccomii* natus eſt A.C. 1555. 20. Sept. *Coloniæ* primùm Medicinæ ſtuduit, indè *Baſileæ*, ubi tunc Medicinam profitebantur *Theod. Zwingerus*, *Pantaleon* & *Platerus*, omnes celebres viri.

Med. ſtud. Baſileæ.

Indè in *Italiam* excurrit, & *Romæ* magnum illum Medicum *Alexandr. Trajanum Petronium* ad praxin medicam ſecutus eſt. Omnibus *Italiæ* & *Galliæ* Academiis perluſtratis, *Baſileæ* doctoralem lauream adeptus eſt A. 1580. ætatis 25.

Fit Doctor Medicinæ.

In pa-

Practicus Leovardiæ. In patriam reverſus, *Leovardiæ* primò biennium Medicinam fecit, indè *Campos*, celebre *Tranſiſulanæ* Provinciæ oppidum evocatus eſt. Octennio elapſo cum patriæ amore duceretur, operam ſuam ei addixit.

Scripſit & edidit:

Scripta. *De Medicinis ſimplicibus & facilè parabilibus.*

Medicamentorum ſimplicium adverſus Icterum, Hydropem, & Calculum Catalogum.

Medicamenta adverſùs Epilepſiam.

Medicamentorum facilè parabilium adverſùs Peſtilentiam Catalogum.

De curandis venenis Lib. II.

Quæſtiones medicas & earum reſolutiones in Febribus.

Deſcriptionem ſtragis Doccomianæ A. 1572.

Deſcriptionem febris popularis, quæ in Friſiâ annis 1581. & 1582. aliquot hominum millia abſumpſit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

LUDOVICUS MERCATUS.

Clar. A.C. 1600.

Medicinæ Profeſſor Vallisoleti. Archiater Regis Hiſp.

NAtione *Pintianus*. Primùm in Academiâ *Vallisoletanâ*, Medicinæ Profeſſor, & mox Archiatros electus *Philippi II.* Regis *Hiſpaniarum* valetudinem 20. per annos feliciter rexit. Ob id omnium ordinum hominibus æquè charus extitit, quibus etiam artis ſuæ fidem exemplo comprobavit, cum ſenſus integros, & perpetuam mentis conſtantiam in ſupremâ ſenectute conſervârit.

Senex obiit calc. veſicæ. Porrò annum agens ætatis 86. impeditis calculo veſicæ meatibus, ſuppreſſâque 18. dies urinâ, miſerandum in modum jacuit, mortemque per acerbiſſimos tandem cruciatus obivit.

Edidit:

Scripta. *De communi & peculiari præſidiorum artis medicæ indicatione.* Acceſſit proœmii loco *Methodus univerſalis in 3. Claſſes diſſecta*, ut 1. *Partes affectas*, 2. *Affectûs ipſos*, 3. *Medendi rationem* commonſtret.

Gynæciorum, ſive de mulierum, virginum, viduarum, ſterilium, prægnantium, puerperarum, & nutricum morbis communibus Lib. IV.

De Pulſibus Lib. II.

Libellum de eſſentiâ, cauſis, ſignis, & curatione Febris malignæ, in quâ maculæ rubentes ſimiles morſibus pulicum per cutem erumpunt.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani.*

HIERONYMUS NIGER.

Obiit A.C. 1600.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

PAtavii natus eſt circa A.C. 1520. Patre cognomine, Matre *Iſabellâ Soncinâ*. A. 1562. Electus Collega *Mariani Stephanelli* Medicinam Practicam extraordinariam loco tertio in Academiâ patriâ explicare cœpit.

Indè gradum fecit ad Theoricam, quam multiplici Curationum onere defeſſus, An. 1574. docere demùm deſiit. Ita enim conſenuerat, ut nec Medicinæ Cathedram conſcendere, nec equo, ut infimis operam ſuam navaret, inſidere poſſet, ſed in ſellâ geſtatoriâ deportari ad ægros curandos opus haberet.

Deceſſit tandem octogenarius A.C. 1600. *Moritur decrepitus.*

Abſque pompâ conditus in Eccleſiâ D. *Peregrini.*

Pater fuit filiorum trium, *Bernardini*, Oeconomiæ dediti, *Antonii*, Medici eruditi, & *Victorii Abbatis S. Benedicti Novi.* Ex quinque filiabus *Caſſandræ* ſolius nuptias celebravit, quam in uxorem tradidit *Antonio Zanoto Patavino*, J.C. reliquas intra Sacra ſepta Divino Numini conſecravit.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

VOLCHERUS COITERUS.

Obiit A.C. 1600.

NAtus eſt *Gröningæ, Friſiorum* metropoli, Medicinæ Doctor, Chirurgus, & Anatomicus celeberrimus.

In ſtudio Medicinæ & Anatomiæ exercitio feliciter adeò verſatus eſt, ut operam ejus Reſpublica *Norimbergenſis* conduxerit honeſto ſtipendio. *Medicus Norimbergenſis.*

Ibi floruit circa annum 1575.

Tandem Expeditionem *Gallicam* ſecutus, Caſtrenſis Medicus factus eſt, ut Corporum diſſecandorum occaſione morborum abſtruſorum intima penetralia cognoſceret. Ibi dum egit, vitam cum artis medicæ & anatomiæ jacturâ poſuit A.C. 1600. æt. 66.

Scripta. Edidit *Obſervationum anatomicarum, medicarum, & Chirurgicarum Miſcellanea varia.*

Fallopii lectiones de partibus ſimilaribus, quibus icones ſceletorum brutorum in æs inciſas adjecit.

JOHANNES PINCIER.

Clar. A.C. 1600.

JOhannes Pincier natus eſt *Wetteris* A. 1556. Patre *Theophilo*, ex antiquâ apud *Wetteranos*, antiquiore apud *Bidecapenſes Pintrigerorum* familiâ oriundo: Matre *Suſannâ à Saxen*, proſapiæ *Marpurgenſis* haud plebejæ nec minus antiquæ. Literarum rudimenta in patriâ poſuit, in quâ pueritiæ annos vix egreſſus, utrumque parentem amiſit, & orphanus *Marpurgum* miſſus eſt, ubi ſub *Juſti Vulteji* Patrui tum temporis Pædagogiarchæ, ejusque collegarum diſciplinâ ſtudiorum continuavit curſum, donec ad auditoria admitteretur publica. *Literarum rudimenta in patriâ poſuit.* *Marpurgi ſtudiorum continuavit curſum.*

Hiſce per unum atque alterum frequentatis annum ſuaſu patrui ſui *Johannis Pinceri*, J.U.D. Præfecti *Epſteinenſis*, *Heidelbergam* ſe contulit, Medicinæque animum applicuit. *Heidelbergæ Medicinæ animum applicuit.*

Jactis in eâ fundamentis mediocribus, ad celeberrimum ejus ætatis Chymicum *Adamum Keckium*, Pharmacopœum *Francofurtenſem*, chymicorum undique ad ipſum ex longinquis regionibus confluentium, inter quos *Petrus Severinus* & *Johannes Pratenſis*, *Dani* fuêre, & *Thomas Muffettus*, *Anglus*, hoſpitaliſſimum receptorem divertit, annoq; in utrâque ejus officinâ exacto *Heidelbergam* revertit.

Non longè poſt, diſſipatâ Illuſtriſſimi Electoris *Palatini Friderici III.* obitu Academiâ, generoſum Dominum *Paulum Gieraltowium* per *Bohemiam* in *Poloniam* comitatus eſt, apud quem in Ducatu *Zatoviensi* quadriennium eximiâ viri humanitate detentus transegit, linguamque gentis eatenùs addidicit, ut & verſus *Polonicos* pangeret haud infeliciter, praxeos interim Medicæ tyrociniis non intermiſſis, ſimulque quaſi *παρέργως Italicæ* linguæ initiis aſſiduâ lectione perceptis.

In Poloniam venit,

E *Poloniâ* redux priſtinum *Adami Keckii* hoſpitium repetiit, ejuſque commendatione in familiam familiaritatemque D. *Joachimi Camerarii*, Medici *Noribergenſis*, inſinuavit ſeſe.

Ad D. Joachimum Camerarium Noribergam profectus eſt.

Per hunc *Eraſmo Neuſtettero*, Decano *Combergenſi*, canonico *Bambergenſi* & *Herbipolenſi* innotuit, in cujus aulâ *Comberge* propè *Halam Suevorum* aliquandiu degit. Is ultrò ſumptus ei ad peregrinationem in *Italiam*, *Galliam*, *Hiſpaniam*que uberiorum in arte medicâ progreſſuum ergò ſuſcipiendos obtulit, eoſque gratuitos, quod beneficium etſi *Pincierus* haud aſpernaretur, accipere tamen certis de cauſis dubitavit, immemor illius *Terentiani*: abs quovis homine cum opus eſt, beneficium accipere gaudeas. Cujus imprudentiæ eum paulò poſt ſeriò, ſed ſerò pœnituit.

Eraſmo Neuſtettero innotuit.

Suopte igitur ſumptu in *Italiam* profectus eſt, ejuſque bonâ parte peragratâ linguæ cognitione inſtructior *Mediolano Genevam* excurrere, *Galliæ*que partem perluſtrare cogitavit, ſed prohibitus obſidione, quæ tunc civitati à *Sabaudo* imminebat, propoſito mutato per *Rhætiam*, *Helvetiam*que *Baſileam* venit, ubi cum Doctoris Medici titulo ſub *Felicis Plateri* Rectoratu, *Thomæ Eraſti* Decanatu à *Theodoro Zwingero* ſolenni more decoratus eſſet, *Marpurgum* ſe recepit, ibique per biennium factitatâ Medicinâ uxorem *Ameliam Gompeliam* duxit, & ſub ipſa Gymnaſii *Herbornenſis* incunabula in Comitatu *Naſſovico* primùm quidem aulici Medici *Dillenbergæ* & *Braunfelſii*, deindè etiam Profeſſoris Phyſici partes *Herbornæ* ſuſcepit, Rectoratumq; ibidem ter geſſit primus è Profeſſorum ordine electus Rector. Nam ante ipſum duo illuſtres Comites alter ab *Hanau*, alter à *Benthem* electi fuêre. Paulatim deindè, ut fieri ſolet, plurium aularum notitia acceſſit, quibus *Pincieri* opera per annos 23. uſui fuit.

In Italiam profectus eſt.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

Uxorem duxit.

Aulici Medici Dillenbergæ & Braunfelſii, deindè Profeſſoris Phyſici partes Herbornæ ſuſcepit, Rectoratumque ibidem geſſit.

Hiſce elapſis, cum *Johannes Naſſoviæ* Comes ex hâc mortali vitâ in cœleſtem migrâſſet, peſtiſque inſuper *Herbornæ* ingruens Gymnaſium *Sigenam* compuliſſet, *Pincierus* ætatis in ſenium vergentis mortalitatiſque memor uxorem & liberos *Marpurgum* tranſtulit.

Quo cum veniſſet, à *Mauritio* Principe ad Profeſſionem Medicam fuit vocatus, ſed quoniam illi annexa erat *ἐγχείρησις* anatomica, acceſſorio modeſtè recuſato præter opinionem principali excidit quoque.

Ad Profeſſionem medicam Marpurgi vocatus eſt.

Ne verò immunis & in otio vivens otioſus eſſet, fabricam corporis humani hexametro deſcripſit carmine, idque in eum potiſſimùm finem, ne rerum Anatomicarum ignoratione oblatam provinciam ſubterfugiſſe videretur. Aliquot annis pòſt Phyſicam ſpartam Principis dignatione nactus eſt.

Phyſicam ſpartam nactus eſt.

Herbornæ autem degens, *ſphæram à Georgio Buchanano heroico carmine contexto captam, nec dum abſolutam, ſimili ſermonis ſtilo pertexuit. Catecheſeos etiam, quam Heidelbergenſem vocant, paraphraſin poëticam Herbornæ concinnavit, publicique juris fecit, cui ſucceſſerunt IV. Ænigmatum libri cum ſolutionibus partim proſâ, partim ligatâ oratione ſcripta.* Otio *Marpurgenſi* evulgato ſtatim *parerga Philologica* otii ejuſdem adjecit & *Poëma de animæ rationalis origine, & aliud de humoribus corporis humani: aliud item de ſpiritibus, univerſa heroico comprehenſa carmine.*

Scripta.

* *Ex manuſcriptis Marpurgenſibus.*

ANDREAS KRAGIUS.

Obiit A. C. 1600.

NAtus eſt *Ripis Cimbrorum* An. C. 1558. Patre *Petro Kragio*, Matre *Catharinâ Cliniâ*, Civibus honeſtis; à quibus puer literis humanioribus deſtinatus, & doctis in ſcholâ patriâ Viris in diſciplinam traditus eſt, altus & educatus primò apud *Caſp. Mulenium*, *Ripenſis* Capituli tum Præpoſitum, poſteà etiam apud *Paulum Matthiæ*, ejuſdem Diœceſeos Superintendentem, qui orphanum & è paternis bonis ferè rejectum in ſuam familiam recepit, & quaſi pro filio educavit. Undè & factum, ut cum iſto ad munus Epiſcopi ſimul & Profeſſoris *Hafniam* vocato ſimul hanc Academiam acceſſerit: ubi continuò ejuſdem Dn. Epiſcopi domeſticus vixit, donec ad inſtituendam juventutem in ſcholâ *Hafniæ* triviali, eodem procurante, adhibitus ſit.

Hafniæ Pædagogus.

Quo labore functus per biennium, ad Academiam *Wittenberg.* ſe contulit, ibique Præceptoribus ita ingenium & in bonis literis profectum probavit, ut Veneranda illic Facultas Philoſophica ipſi unà cum aliis Magiſterii gradum tribuerit.

Philoſophiæ Magiſter Wittenbergæ.

Sic in patriam denuò commeans cum nobilibus diſcipulis quibuſdam, qui procurante Epiſcopo ipſius fidei commiſſi erant, hinc ad ſtudia rediit, ac doctiſſimos quoque viros audire docentes inſtituit, poſtquam idem Epiſcopus ipſe per Regios Conſiliarios honeſtos in ſtudiis ſumptûs à Majeſtate Regiâ conferret. Philoſophicis & Medicis ſtudiis ſe totum dedidit.

Atque ita pleriſque, quos tum habuit Academia *Wittebergenſis*, *Tubingenſis*, *Argentinenſis*, *Baſileenſis*, *Genevenſis*, & *Monſpeſſulana* doctos viros, innotuit, apud cunctos inſignis eruditionis laudem reportans. Ac potiſſimùm in Academiâ *Monſpeſſulana* honos ejus eruditioni habitus, ubi Philoſ. & Med. Doctor ſolenniter declaratus eſt Cal. Aug. A. C. 1585.

Medicinæ Doctor Monſpeſſuli.

Tandem

Tandem abſoluto ſtudiorum curriculo, conſentientibus Profeſſorum ſuffragiis, auctoritate magni illius Cancellarii Dom. *Nic. Kaaſii*, cujus patrocinio Academia *Hafnienſis* fulciebatur, ad docendum in hâc Academiâ vocatus eſt A. 1585.

Hafniæ Math. & Phyſ. Prof.

Profeſſionem ita Pædagogicam adiit anno 1587. Mathematicam anno 1589. & demùm Phyſicam A. 1590. In omnibus in annum 13. legendo, diſputando, Studioſis publicè privatimque conſulendo, aliaque boni Doctoris munera obeundo fidem & induſtriam præſtitit.

Intereà Decanus facult. Philoſoph. fuit A. 1592. quo 5. Magiſtros creavit. Iterum A. 1598. Rectoratum, A. 1595. Ædilitatem & curam Templi D. Virginis annos 5. ab an. 1595. ad 1600. cum laude geſſit.

Aulam fugit.

Aulicum jugum, quibus poterat modis & mediis fugit & evitavit, quamvis ſæpiùs in Aulam invitus vocaretur, & Amici in aulâ, præter ſtipendium Profeſſorium 300. thalerorum, ipſi à Rege *Friderico II.* 120. thaleros impetrâſſent.

Chymicus.

Magnam autem temporis partem ſuis ſtudiis tribuebat: unam tamen partem Chymicis præparationibus Medicamentorum *Septentrionalibus* hominibus inſervientium dabat.

Conjugium ejus, & Liberi.

Uxorem habuit *Helenam*, *Martini F.* quæ viro binos liberos, ſed morte ante Patrem præreptos, peperit, & viro ſuperſtes poſteà M. *Johanni Alano* Profeſſori nupſit.

Morbi.

Cæterùm cœperat ab aliquo tempore obnoxius eſſe deſtillationibus periculoſis, quæ ubi per initia anni 1600. gravius in pectus incubuêre, usque adeò corpus ejus invaletudine afflictum reddidêre, ut hæc ſontica cauſa ipſum amplius ſupereſſe negotiis officii non ſiverit. Cum morbo itaque gravi tam diu conflictatus die 8. Junii A. 1600.

Moritur.

implevit fato noviſſimum hujus lucis momentum, poſtquàm producta ei fuiſſet vitæ fabula in annum ætatis 47.

Funus publico Programmate ab Academiæ Rectore D. *Andreâ Chriſtiani* indictum, & ſepultus eſt in Templo D. Virginis.

Scripta:

Scripta.

Rameæ Scholæ & P. Rami Defenſio contrà G. Liebleri calumnias, in Epitomen 8. Librorum Acroamaticôn aſperſas.

Laurea Apollinea Monſpelienſis, Quæſtionibus difficillimis 13. Problematibus, Paradoxis variis 66. Conſultatione & Curatione morborum 2. Orationibus 4. Prælectionibus 2. contexta & conſerta.

Ariſtotelica & Ramea de inſidioſis Sophiſtarum Simulationibus Inſtitutiones breves: quibus additur Diſceptatio, in quâ utramque inſtitutionem ad Catholicas materiâ & formâ artium leges referri poſſe demonſtratur.

Analyſis Epiſtolæ Horatii ad Piſones.

De Elenchis Sophiſticis Ariſtotelis.

Epiſtola ad D. Sigismundum Schnitzerum, de Chymicis quibusdam remediis edita à D. Thomâ Bartolino in Ciſtâ medicâ.

Theſes de Artium principiis & legitimâ conformatione.

Theſes Phyſicæ de Angelis & Animâ humanâ.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ ab Eraſmo Pauli f. Vindingio.*

BERNARDINUS BALDINUS.

Obiit A.C. 1600.

Philoſophus & Medicus excellens, in Gymnaſio *Papienſi* Medicinam publicè docuit, Mathematicus etiam inſignis cum eſſet, Matheſin *Mediolani* publicè magno cum applauſu & auditorum concurſu profeſſus eſt. *Mediolani* tandem vitæ curſum abſolvit 12. Jan. A.C. 1600. æt. 85. Sepultus in templo Cathedrali S. *Bartolomæi.*

Medicinæ Profeſſor Ticini.

Mathem. Profeſſor Mediol.

Cæſar Milleſantes, J.C. & Canonicus *Mediol.* hoc ei amico ſcripſit Epitaphium:

Epitaphium.

Parvulus in parvâ Baldinus conditur urnâ,
Parva velut vivo resque domusque fuit.
Utque viri ſpatio mens æqua capacior omni,
Sic in Cœleſti ſede patente viget.

Scripta:

Scripta.

De multitudine rerum Dialogus.

De materiâ & diverſitate diſciplinarum Dialogus.

De præſtantiâ & dignitate Juris Civilis, & artis medicæ Dialogus.

De bello à Chriſtianis & Othomannicis geſto Libellus.

Carmina & Luſûs.

In Peſtilentiam Libellus.

Epiſtolæ, in quibus cum aliarum artium Præcepta, tum Philoſophiæ potiſſimùm illuſtrare contendit.

De Deis fabuloſis antiquarum Gentium Liber.

De arte poëticâ Ariſtotelis verſibus expreſſus Liber.

Oeconomica Ariſtotelis verſibus expoſita.

Octo libri Phyſicorum Ariſtotelis verſibus expreſſi.

Breve Diſcorſo intorno all' utilità delle ſcienze & arti.

Stanze nelle quali e diſcritto l' aspro inferno de ſu Anno 1571.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieron. Ghilini.*

JOHANNES HEURNIUS.

Obiit A.C. 1601.

Natus eſt *Ultrajecti ad Rhenum*, An. 1543. 25. Januarii. Patrem habuit *Otthonem Heurnium*, antiquâ & non obſcurâ *Belgarum* familiâ orto: Mater erat *Geertruyda Okkers.* Prima linguarum fundamenta poſuit ſub G. *Macropedio Ultrajectinæ* Scholæ Rectore.

In pueritiâ tardiſſimi fuit ingenii, adeò, ut ante annum ætatis undecimum ne alphabeta quidem exactè tenuerit, & ante decimum quintum Grammaticam vix perceperit. Poſteà non deſiderio, ſed rabie quâdam ſtudia apprehendit, diebus noctes cumulans.

Cum jam primas adoleſcentiæ metas ingrederetur, anno ætatis decimo octavo à Patre ducitur *Lovanium*, & apud *Gemmæ Friſii* filium victum redimit. Ibi per triennium Medicinæ, Philoſophiæ & Matheſi operam dedit, eoque progreſſum fecit, ut An. 1577.

 librum

librum de naturâ & præſagio horrendi Cometæ, qui eo anno orbem terrarum terruit, ediderit. Indè anno ætatis vigeſimo primo Pariſios profectus, ibi familiariter uſus eſt Galliarum Regis Medico & Profeſſore L. *Dureto*. Hunc per triennium docentem eâ diligentiâ audivit, nullam ut lectionem negligeret: auditaque fuit ex ſuggeſtu *Dureti* vox, cum ſeriùs ipſum interdum accedere conſpiceret; *Mi adoleſcens! doleo jam quædam dicta eſſe, quorum particeps non es*. Magnum *Dureti* affectûs erga *Heurnium* indicium: à viro enim gravi nec verborum prodigo, quem etiâ ipſe Rex reverebatur, nunquàm ea vox niſi ergà *Heurnium* publicè audita.

Medicinæ ſtudioſus.

Cum hoc praxin medicam vidit, & plures à calculo ſectione liberari, aſtante *Dureto*, à peritiſſimo ejus ævi lithotomo *Laurentio Collodeo*, quo majorem in eâ arte neminem fuiſſe, ſubindè *Duretus* dicere ſolebat. Eodem tempore ibi audivit in Philoſophiâ *Carpentarium* & *Petrum Ramum*, cui familiariſſimus erat: nam cum Regio edicto chartæ & libris aliquid tributi eſſet impoſitum, id tollere ſtudioſi per *Ramum* conati ſunt. *Ramus* aſſumto *Heurnio* & uno aut altero *Gallo* ſtudioſorum cauſam multis verbis apud Principem *Condæum* egit. In literis audivit *Turnebum* & *Auratum*.

Pariſiis anno ætatis vigeſimo quarto in *Italiam* profectus eſt, quâ peragratâ *Patavii* ſubſtitit, ubi tunc eodem tempore eorundem cum ipſo ſtudiorum fuêre conſectanei *Petrus Foreſtus*, Reipublicæ *Delphenſis* poſteà celeberrimus Medicus, *Johannes Duvius*, Medicus excellentiſſimus, D. *Buſenius*, Principis *Mauritii Naſſovici* poſteà Medicus, & D. *Tellinghus*, *Alcmarianæ* Reipublicæ clariſſimus Medicus.

Audivit hîc *Hieronymum Capivaccium*, *Hieronymum Mercurialem*, *B. Paternum*, cum quibus etiam praxin medicam vidit: in Anatomicis etiam Præceptorem habuit *Aquapendentem*; in *Botanicis M. Guillandinum*, *Botanicorum* eo ævo Principem.

Proceſſerat *Heurnius* cum *D. Buſenio* ad vicinas *Patavio* urbes perluſtrandas: fortè contigit, ut ipſis in pago eſſet pernoctandum. Cubitum ituri ea deprehendunt indicia, quæ recentia deſignarent homicidia. Conſternantur, ſed tempori ſe aptare debebant. Candelam igitur extingvunt, januam obvallant, menſæ aſſident, & inſomnem noctem agunt. Vix noctis erat concubium, cum ſeræ clavis inditur, & januæ reſeratio tentatur, ad id impedimenta objecta impediebant. Inclamat igitur Caupo januam aperirent, uxorem ſuam parturire, ibiq; eſſe linteamina, quibus indigeat. Reſpondent illi, jure hoſpitii eâ nocte ſuum eſſe cubiculum, ſi quid requirat, in auroram uſque expectet: ringitur ille, & cum ſervo vi annixus januam in humum provolvit. Ibi tunc ab utroque januæ latere ſtrictis gladiis ſe *Heurnius* & *Buſenius* opponunt homicidis, & neminem niſi illicò gladio tranſverberandum, eâ nocte cubiculum ingreſſurum inclamant. Tum præſenti audaciâ territus caupo minitabundus abit. Manè vaſtum in ædibus ſilentium, caupo & ſervus in latebris erant: tandem vix multum inclamata procedit ejus uxor, triſti vultu & querulâ voce viri ſui ebrietatem deplorans, qui totam familiam eâ nocte conturbâſſet. Illi paucis reſpondent, ſe ejuſmodi ebrietatis gnaros eſſe, artem fugandi optimè noviſſe, quam ubi cauponem deprehenderent, illum docerent, ſimulque pro hoſpitio ipſi ſatisfacerent. Ita vitæ diſcrimen evaſêre.

In ſummo vitæ periculo verſatur.

Contigit, ut dum ante Academiam *Patavii* obambularet æſtivo tempore, ei *Venetorum* ad *Turcarum* Imperatorem Legatus occurreret: quærit ex *Heurnio*, quis eâ horâ lecturus? negat *Heurnius* quemquam lecturum propter ordinarias feſtivales continuas ferias. Longo deindè ſermone variis de rebus habito, ita Legato placere cœpit, ut ſecum ad ædes ipſum abduceret, ſtipendiumque amplum offerret, ſi ſecum *Conſtantinopolin* ire vellet, Medicum ſuum ipſum futurum, proximumque locum à ſe habiturum.

Negat *Heurnius* ſuâ in poteſtate id eſſe, parentes ſuper eâ re literis conſulturum. Reſpondet Legatus, ſibi non eſſe integrum ut expectet, nam Senatum *Venetum* iter ut maturet imperare. Atque ita irrita in *Turciam* peregrinatio facta eſt.

Patavio Papiam profectus eſt anno ætatis vigeſimo octavo, ibique gradu Doctoratûs eſt decoratus. Hîc deindè hærens innotuit Illuſtriſſimo Domino *Nicolao Renaldo Perrenoto*, Domino à *Granvellâ* & *Chantenay*, Comite à *Cantecroy*, qui deindè ipſum per biennium pro Medico honorificè aluit.

Fit Doctor Medicinæ.

Cum autem celeberrimus ejus Academiæ Profeſſor ei filiam unicam ſimul cum Profeſſione & totâ hæreditate tradere decreviſſet, & jam publicè doceret, *Itali* plures corrivales in ejus perniciem conſpiravêre; itaque ſatis perſpecta ac cognita cum in hujuſmodi rebus ipſi fidelis eſſet *Italorum* pertinax indoles, clam repentè in patriam eſt reverſus eâ feſtinatione, ut exili tempore totum iter conficeret, nullum ſibi locum tutum, niſi patriam, exiſtimans.

Ultrajectum ex *Italiâ* poſt diuturnam peregrinationem ita reverſus, anno ætatis trigeſimo, in ipſo civilis belli æſtu, medicinam ibi exercuit, & domeſticus fuit Medicus Generoſiſſimorum Comitum de *Egmont*, & *Ultrajectinæ* Provinciæ eo tempore Gubernatoris Domini de *Noortcarmes*, cujus etiam favore paternas ædes immunes ſervavit à tyrannide militum *Hiſpanorum*, quibus eo tempore ſinguli cives ſuis in ædibus victum dare compellebantur, cum ſummo rei familiaris diſpendio, eorum faſtum devorare cogebantur, ita, ut quot in univerſo *Belgio* ædes, tot & privatæ tyrannides eſſent.

Erat hic Dominus de *Noortcarmes* ab *Hiſpanis* quibuſdam veneno potionatus, unde in [illegible] incidens

morbo

icterum. Ipſe & cauſam morbi ſui noverat, & immedicabile malum eſſe ſentiebat, ut tamen mali tædium leniretur, jubet totius regionis Medicos convocari. Ubi in domo ipſius conveniſſent, imperat, ut non omnes ſimul, nec etiam duo vel tres junctim, ſed ſinguli ſeorſim conclave ſuum ingrederentur, addens, ſe liberum cujusque velle audire judicium, nec ſub tyrannide contradictionis & diſputationis ſuam ſalutem exponere, ſibi decretum eſſe: ſe Medicorum ambitionem & invidiam noviſſe, & quàm crebrò bona conſilia faſtu contradicendi evergantur, utque ex ambitione & invidiâ ipſorum diſputationes naſcantur, ita ut plurimùm in merâ audaciâ & faſtuoſo ſupercilio fundamentum tantum habere, undè & cum ægrorum ſalutis diſpendio eos tantum, quibus cerebrum omne in lingvâ, & qui adulationis quàm medendi peritiores ſunt, apud imperitos ſemper triumphare, veritatem ſuperbiæ & audaciæ fulmine offuſcari: rationes firmas & ſolidas morbi ſui curandique modum audire velle à ſingulis, & non confuſam à toto cœtu promiſcuè prolatam de morbi ſui indole orationem, qualem olim fingant *Cyclopum* fuiſſe ad *Ulyſſem*, quare ſe rogare, ut boni conſulant, ſi ſingulos de morbo ſuo ſeorſim conſulat, nam plurium Medicorum præſentiam tantùm ad veritatis ſilentium utilem eſſe ſe arbitrari.

Medicus Excellens.

Singuli igitur ſeorſum Gubernatoris conclave ingrediuntur, priores ſeniores, juniores poſteriores; ultimus autem omnium *Johannes Heurnius*, utpotè omnibus ætate minor. Reliqui multa egregiè de ictero dixerant, & præclaros curandi modos propoſuerant, ſed Gubernatori nullus ſatisfecerat. Ultimum igitur cum videret ingredi *Heurnium*, ſiluit, nec de morbi hiſtoriâ percontanti quicquam reſpondit, exiſtimans, ſe fruſtrà ſubindè interrogantibus laſſari, cum nullus omnium cauſam ipſi etiamnum enarrâſſet.

Mirabatur *Heurnius* interrogatum ægrum integræ mentis nihil reſpondere. Ad adſtantes igitur ſe convertit: Video, inquit, Dominum Gubernatorem defatigatum, ita ut mihi nihil reſpondere queat, nec ullas anſas dare, quibus latentem morbi ſui indolem apprehendere poſſim: vos autem, qui jam ſæpè ipſum audiviſtis ea commemorantem, mihi ad pauca reſpondete. Cœpit igitur ſymptomata omnia examinare actionis læſæ, qualitatis mutatæ, & excrementorum, cauſasque internas & externas omnes explorare, certisque indiciis deprehendit ictero ipſum laborare virulento, à veneno hauſto.

Hactenus Gubernator ſiluerat, at ita morbi ſui intimam indolem detectam cernens, exclamabat mirabundus, unicum juvenem ſibi ſatisfeciſſe, à reliquis nihil niſi defatigationem conſecutum. Reliquos igitur Medicos omnes dimiſit, ſolum *Heurnium* ſanitatem ſuam curare juſſit: qui tamen in diuturno & tædioſo morbo alios interdum Medicos advocari curavit, ut calumniam vitaret. Quærit ex *Heurnio* Gubernator, quâ viâ & ratione morbum fugare poſſe exiſtimet? reſpondit *Heurnius*, malum jam radices egiſſe, nec ullâ humanæ opis vi debellari poſſe.

Annuit ad illa Gubernator: nam ſe id ex mali violentiâ viriumque debilitate facilè colligere. Rogat igitur, ut cum medelâ morbi deſperata ſit, tædia mali lenire velit. Id ſe fideliter facturum promiſit *Heurnius*. Lentâ autem inextricabilis adamantini morbi carnificinâ miſer ægrotus attritus tandem exſpiravit.

Conjugium.

Duxit *Ultrajecti* in uxorem *Chriſtinam Bejers*, virginem indigenam, antiquâ patriciâ familiâ oriundam.

Senator Ultrajectinus.

Jam rebus *Belgii* Illuſtriſſimi Principis *Auraici* adventu nonnihil recreatis & immutatis, eligitur & *Johannes Heurnius* ejusdem Principis ſuffragio in Senatorem, ſeu Scabinum Reipublicæ *Ultrajectinæ*: nihil homini Muſis & tranquillitati dedito gravius accidere potuit turbulentiſſimo hoc temporum ſtatu: vix tandem multis precibus magnoque molimine ejus officii vacationem impetravit.

Profeſſor Medicinæ Lugd. Batavor.

Anno ætatis trigeſimo octavo, Chriſti 1581. evocatus eſt ex patriâ ſuâ *Ultrajecto*, à Nobiliſſimis Curatoribus Academiæ & Ampliſſimis Conſulibus urbis *Leidenſis* ad Profeſſionem Medicam. Deſeruit igitur patriam, venit *Leidam* anno ætatis 38. Chriſti 1581. Octobris 31. Novembris autem die ſeptimo, matutinâ horâ octavâ præfatus eſt *in Inſtitutiones Medicinæ*, quas vivâ voce publicè dictavit, & poſteà edidit. Sexies Magnifici Rectoris dignitatem ſuſtinuit ibidem.

A. 1588. vocatus eſt ab Illuſtriſſimis Ordinibus *Friſiæ* & Generoſiſſimo Comite *Ludovico Naſſovio* ad munus Profeſſionis medicæ in ipſorum Academiâ *Franekeranâ* ſuſtinendum, oblato ſtipendio honeſtiſſimo; ſed tum benignitate Nobiliſſimorum Academiæ *Leidenſis* Curatorum, Ampliſſimorumq; Conſulum *Leidenſium*, tum loci amœnitate detentus, ſortem mutare noluit.

Integrâ ſanitate toto vitæ tempore uſus eſt ad quinquageſimum ſextum usque ætatis annum: ſemel tantùm in *Italiâ* pauciſſimis diebus febri conflictatus, quam illicò larga venæſectio abſtulit. Colico dolore ſtatim affligebatur, ſi calida ſiccaque copioſiùs aſſumeret, quare ſibi à pipere, cæpis, raphano, & id genus eduliis ſtudioſiſſimè cavebat.

An. ætat. 56. Chriſti 1598. Februarii 8. die, cum celebri convivio à Nobiliſſimis Academiæ Curatoribus, & ampliſſimis Conſulibus urbis *Leidenſis* inſtructo intereſſet, ibique *Rhenanum* muſtum biberet, repentè percepit, ſibi urinæ reddendæ facultatem inhibitam: domum igitur rediens, ne urinæ quidem guttam excernere potuit, niſi poſt longa medicamentorum molimina,

donec

donec paulatinâ hâc carnificinâ attritus, anno ætatis 58. Chriſti 1601. de nocte diei 29. Maji, qui erat Martis, incidit in lethalem febrem, quæ cum ſubindè violentiam remitteret, mox & acriùs inſurgeret, fomite mali perpetuò ſuperſtite, tandem lentâ hâc dolorum carnificinâ prorſus emaciatus, placidè & tranquillè in Chriſto obiit Auguſti die undecimo, qui erat Saturni, manè, paulò ante ſextæ mediam, eodem ferè, quo natus, momento.

Moritur.

Poſt mortem ejus in veſicâ ſeptem reperti ſunt calculi, formâ & magnitudine nucis juglandis majoris, omnes æqualis magnitudinis & ponderis, nam quilibet ponderis duarum erat drachmarum, ita ut ſeptem quatuordecim drachmas explerent.

Heurnii tumulus:

Epitaphium.

HIC SITUS EST VIR CELEBERR. D. D. JOHANNES HEURNIUS, IN ACADEMIA LEIDENSI PRIMAR. MEDICINÆ PROFESS. PER ANNOS XX. ET IN EADEM VI. RECTOR MAGNIFIC. MAGNÆ PRUDENTIÆ: SUMMÆ IN DOCENDO ET SCRIBENDO VENUSTATIS AC CELEBRITATIS. VITA LAUDAB. TRANSACTA OBIIT XI. AUG. AN. MDCI. VIXIT AN. LVIII.

Scripta:

Scripta.

Inſtitutiones medicæ.
Praxis Medicinæ Generalis.
Praxis Medicinæ Particularis, in quâ ſunt
De morbis capitis Liber.
De morbis oculorum, aurium, naſi, dentium & oris Liber.
De morbis pectoris Liber.
De febribus Liber.
De peſte Liber.
De morbis ventriculi Liber.
De morbis Mulierum Liber.
Reſponſum ad Supremam Curiam Hollandiæ, Nullum eſſe aquæ innatationem lamiarum indicium.
Oratio de Medicinæ origine, Æſculapiadum ac Hippocratis ſtirpe & ſcriptis.
De humanâ felicitate Liber.
De morbis novis & mirandis Epiſtola.
Commentaria in Hippocratis Libros II. De hominis Naturâ.
Jusjurandum.
Lib. de Medico.
Legem.
Librum de arte.
Librum de veteri Medicinâ.
Librum de Elegantiâ.
Commentaria in Hippocratis Præceptiones.
Librum de carnibus ſeu principiis.
Librum de purgatoriis remediis.
Libros III. Prognoſtic.
Libros IV. de victûs ratione in morbis acutis.
Aphoriſmos.

HIERONYMUS MERCURIUS.

Obiit A.C. 1602.

NAtione fuit *Romanus Scipio* vocatus, & adoleſcens Ordini Religioſo *Dominicano* nomen dans, præter Philoſophiam & Theologiam, Medicinæ quoque ſummo cum fervore operam impendit. Hanc artem cum Summi Pontificis licentiâ paſſim feliciter exercuit. *Venetiis* tandem obiit, & ſepultus eſt in Cœnobio Dominicano circa A. C. 1602.

Monachus Dominicanus.
Medicus.

Patrio idiomate edidit:

Scripta.

La Commare, ò Ricoglitrice diviſa in tre libri, Opera che inſegna il modo d' aiutare le Donne partorienti.
Il Cortigiano Catolio.
Il Commenti ſoprà ſe 7. giornate della Creatione del Mondo di Torquato Taſſo.
L' Horologio della Sanità.
Del mal Franceſe.
Alcuni ſcritti ſopra la prima parte de gli Aphoriſmi d' Hippocrate.
De gli errori Popolari d' Italia libri 7. diviſi in due parti.
* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

PETRUS SEVERINUS.

Obiit A.C. 1602.

NAtus eſt *Ripis Cimbrorum* An. C. 1542. Patre *Severino Jeſſeo*, civitatis illius Senatore; Matre *Botildâ Severini*, qui filium hunc ſuum à teneris ad virtutem ſollicitè in patriâ ſcholâ inſtitui curârunt.

Succreſcente ætate & judicio in Academiam *Hafnienſem* ab iisdem tranſmiſſus, brevi temporis ſpatio tantum in liberalibus diſciplinis profecit, ut ante annum æt. 20. dignus judicatus ſit, cui publicè in eâ Academiâ docendi munus concrederetur. Docuit ſiquidem tunc temporis aliquandiu Poëticam. An. C. 1563. à Vice-Decano M. *Nicolao Scavenio* Magiſter artium declaratus eſt.

Poeſ. Profeſſor Hafniæ an. ætatis 20.
Magiſter Artium creatus.

Hinc in *Galliam* profectus eſt an. eodem, quâ peragratâ *Hafniam* rediit A. 1565. ubi de Meteoris doctrinam magnâ cum admiratione & auditorum commodo profeſſus eſt.

Sed cum ad rei Naturalis & Medicinæ ſtudium ſingulari quodam naturæ impetu propenderet, hinc in *Italiam*, adjuncto ſibi fideli Achate Dom. D. *Johanne Pratenſe*, conceſſit. Ubi cum ſingularem in arte medicâ progreſſum feciſſet, in patriam rediit, operam ſuam eidem elocaturus.

Cui intentioni aliquandiu cum levi induſtriâ deditus, cum adhuc penitiori rerum naturalium experientiâ acquirendâ teneretur, *Italiam* rurſus repetiit, Praxeos Medicæ illic exercendæ gratiâ, quam non illic tantùm & potiſſimùm *Venetiis*, ſed etiam in celeberrimis *Germaniæ* urbibus poſteà ita feliciter exercuit, ut magnam ſibi admirationem & amorem in omnium animis excitârit.

Medicus Practicus Venetiis.

Hæc excellentis ingenii fama cum Sereniſſ. Regi *Friderico II.* innotuiſſet, ejus mandato

dato A. 1570. in patriam revocatus, hanc omnibus aliis locis, cui operam ſuam locaret, præferendam cenſuit.

Medicinæ Doctor in Galliâ. Archiater Reg. Dan.

In itinere domum verſus, dum *Galliam* tranſiret, Doctoratûs gradu A. 1571. ornatus eſt. Mox in patriam reverſus, Regiæ Majeſtati ſe addixit, cujus ab eo tempore Archiater fuit, atque ob ſummam induſtriam & fidelitatem in tam arduo munere ipſius Majeſtatis gratioſo favore & clementiâ ſemper uſus eſt.

Conjugium ejus, & Liberi.

Cœterùm An. 1583. nuptias celebravit cum honeſtiſſimâ fœminâ *Drudâ Thor Smeden*, cum quâ in fœcundo matrimonio filios 4. & totidem filias progenuit. Academiæ *Hafnienſi* magno ſemper adjumento fuit in rebus graviſſimis, Ordini Medicorum re & conſilio ſemper fuit conjunctus. Obiit tandem peſte die 8. Julii A.C. 1602. ætat 62.

Moritur.

Sepultus in Templo D. Virginis *Hafniæ* in Sacello D. *Rochæ*, ubi Monumentum interius ſpectans hanc exhibet inſcriptionem:

Clariſſimo & Præſtantiſſimo Viro Petro Severino Ripenſi, Phil. & Med. Doct. Sereniſſ. Reg. Dan. Divi Frederici II. & Chriſtiani IV. Archiatro clementiſſimè caro. Canonico Roeskildenſi, Univerſitatis Havnienſis in juventute Profeſſori, & in ſenectute deſtinato, & honorato Matronæ Drudæ Thor Smede Conjugi & V. liberis Sepulturæ commiſſis, quiete hic una fruentibus.

G. P. P. G. E. F.

Condita ſub placido ſenſerunt funera tecto
Heu nimium immitis tetrica jura necis:
Pepetua dignum vitali ſuſtulit aura,
Artis Apollineæ, gloria ſumma, Virum
Pieridumq; jubar nulli hic ætate ſecundum,
Ut monumenta dabunt, atque dedere fidem.
Fœmineæ virtutis honos, pietatis ocellus
Conjux, fata ſequi dura coacta fuit.
Æmula pars ſtirpis quoq; proles prima, Parentum
Spes magna occubuit, ſorte ſubacta pari.
Quid meritos luctus ſolabitur? inclyta cœli
Gaudia, quæ meritis ſunt data, Chriſte tuis!
Exuvias etenim quas hoſpita continet urna
Sacratas, vitæ reddet aperta novæ.

Piiſſ. obiit

D. Petrus Severini 1602. Jul. 29. An. 62.

Druda Thor Smede 1610. Sept. 21. An. 43. menſ. 5. d. 2.

Liberi defuncti

Sophia An. Dom. 1594. Sept. 8. An. 8. M. 3. D. 5.

Bothilda A. D. 1597. Oct. 21. Ætat. M. 9. D. 13.

Severinus An. Dom. 1602. Sept. 11. Æt. 3. M. 3.

Johannes An. Dom. 1605. Jan. 3. Æt. 3. M. 2. D. 5.

Filia Gieſa nupta M. J. in Æde S. Sp. ſepulturæ data, in puerp. ob. An. Dom. 1603. Jul. 2. ann. ęt. 81. M. 8. D. 2.

Monumentum exterius ſpectans hanc habet inſcriptionem:

D. O. M. A.

CELEBRITATIS SPLENDORE ET IMMORTALI MEMORIA VIRO LONGE DIGNISSIMO DN. PETRO SEVERINI RIP. PHIL. AC MEDICO MIRA EXCELL. ALIARUMQUE SCIENTIARUM ET VIRTUTUM PRÆSTANTIA OMNIB. ORDINIB. SUMME CHARO, DUOR. POT. REGUM DANIÆ PATRIS ET FILII ARCHIATRO, CANONICO ROSCHILDENSI, QUI IN SACELLO POSTICO SEPULCHRO ET EPITAPHIO HONORATUR, TABELLAM HANC PERPETUI SUI DESIDERII TESTEM

GR. P. GEN. I. CH.

Edidit:

Scripta.

Idéam Medicinæ Philoſophicæ, medullam ſeu ſanguinem & ſpiritum totius doctrinæ Hippocraticæ, Galenicæ, & Paracelſicæ continentem, A.C. 1571.

Epiſtolam ſcriptam Theophraſto Paracelſo, in quâ ratio ordinis & nominum totiusque Philoſophiæ adeptæ methodus oſtenditur.

Ex Ciſtâ Medicâ Thomæ Bartolini, & Academiâ Hafnienſi ab Eraſmo Vindingio.

PAULUS WELLERUS.

Obiit A.C. 1602.

NObilis à *Molsdorff*, Medicinæ Doctor ac Practicus *Norimbergenſis*, tandemq; Collegii in eâ urbe Senior, poſtquàm ab A.C. 1563. artem medicam cum ſummâ laude non modò *Norimbergæ*, ſed etiam apud exteros Nobiles, Barones, Comites & Principes exercuiſſet, A. 1599. poſt obitum D. *Joach. Camerarii*, Decani in Collegio Medico, munus primò ſibi delatum accipere recuſavit, & ætate feſſus, vitæ tranquillæ deſiderio 18. Octob. A. 1601. ex Urbe *Norimbergâ* cum Senatus gratiâ dimiſſus, *Auracum* in agro *Wirtenbergico* ſitum oppidum diſceſſit.

Collegii Norimb. Senior. Decanatum recuſavit. Auracum diſceſſit.

Ibi cum non multo pòſt à Calculo veſicæ magnos pateretur cruciatûs, accerſitis quibusdam Lithotomis ſibi illum extrahi voluit 28. Dec. ſed factâ inciſione nullus inveniri potuit.

Elapſis 17. diebus iterum Lithotomorum arbitrio ſe commiſit, qui ampliato foramine Lapidem extraxerunt oblongum pollicis craſſitie, & 7. drachmarum pondere. Æger autem fractis ex dolore viribus, decimo exindè die in feſto Converſionis *Pauli* vitam finiit 24. Jan. An. C. 1602. ætatis 66.

Calculi veſicæ ſectionem perpeſſus. Obiit.

Sepultus jacet in Templo *Auracenſi*.

* *Ex Actis manuſcriptis Collegii Med. Norimberg.*

CASPAR PEUCERUS.

Obiit A.C. 1602.

BUdiſſinæ, primario *Luſatiæ* ſup. oppido, natus eſt 6. Jan. A. 1525.

Patrem habuit civem ejus oppidi honeſtum *Gregorium Beuckerum*, natum A. 1497. & mortuum A. 1560. Matrem *Ottiliam Simonis*, defunctam A. 1540.

Cum magnâ corporis infirmitate natus eſſet, omnium animos opinio tenuit futurum, ut brevi in ipsâ infantiâ moreretur: ſed DEO aliter viſum.

Puer *Goldbergam* in ludum celebrem *Valentini Trocendorffii* miſſus eſt.

Indè *Wittenbergam* ſe contulit in convictum *Philippi Melanchthonis* A. 1540.

Philoſophiæ Magiſter. Ibi A. 1545. Magiſter renuntiatus eſt, & in Matheſi docentes audivit *Joach. Rheticum, Jacob. Milichium*, & *Eraſmum Reinholdum*.

Conjugium. A. 1550. Nuptias celebravit cum *Magdalenâ, Phil. Melanchthonis* filiâ, in quas facetè à ſtudioſis fuit luſum, futurum, ut intra duodecimam lunam macilentus & valetudinarius maritus juvenculam viduam aliis relinqueret. Ex eâ filios tres & filias ſeptem ſuſcepit, viditque ex iis nepotes & neptes 41. ſeptem verò pronepotes ac proneptes. Obiit illa præ mœrore, dum *Lipſiæ* carceri incluſus eſſet A. 1576.

Menſ. Dec. A. 1559. Cum anteà Mathemata publicè docuiſſet, mortuo paulò ante 10. Nov. *Jacobo Milichio*, ſubrogatus in Profeſſione medicâ, 30. Jan. A. 1560. Medici Doctoris gradu ornatus Decano D. *Melch. Fendio*, prælectiones medicas operis bipartitis, ſeriemque hiſtoriarum in Chronicis *Melanchthonis* morte eodem anno interruptam pertexuit. *Medicinæ Profeſſor, & Doctor.*

Sæpè etiam in aulam Electoris evocatus, inter Medicos adſcitus, & ad deliberationes graves adhibitus eſt. Apparuit autem Electoris in ipſum propenſio vel indè, quod eo deprecante Academiæ proventum annuum 150. aureorum nummorum acceſſione auxerit, totius Academiæ inſpectionem *Peucero* Senatûs Academici conſenſu oblatam confirmârit, eumque filiolo ſuo *Adolpho* in arce *Stolpenſi* nato, cum baptizaretur, ſuſceptorem eſſe voluerit: qui tamen diu non ſupervixit, quam pœnam eſſe calumniati quidam ſunt, quod *Calviniſta* baptiſmo adſtitiſſet.

1. April. 1574. Cum ob libros aliquot Theologicos editos de Religione ſuſpectus, accedentibus in malevolorum calumniis Principis ſui indignationem incurriſſet, Præfectus Arci *Wittenberg. Erneſtus Wettin*, Electoris mandato, arreſto eum obligavit, & quod quamprimùm *Dresdæ* ſe ſiſtere velit, promittere juſſit, ſimul omnes literas, quas in conclavibus & ciſtis ipſius reperit, aſportavit. *In odium Principis incurrit.*

Carceri mancipatur. *Peucerus*, etſi valetudine eſſet valdè afflictâ, ſtatim *Dresdam* venit, ubi arcem ingredi juſſus, conclavi ſatis commodo incluſus eſt, & altero die impetravit, ut quia infirmior erat, Medicus ad ſe admitteretur *Johannes Nevius*, ex quo intellexit, accuſari ſe ob conſcriptam & evulgatam *Exegeſin*.

Diebus aliquot pòſt à Satellitibus deductus eſt ad Synedrium Conſiliariorum, ex quibus *Laurentius Lindemannus* accuſavit eum de clandeſtinis conſpirationibus, quibus conatus fuerit nova dogmata Sacramentaria in terras *Saxonicas* introducere. Licèt autem nullius ſe conſpirationis conſcium eſſe dixiſſet, & formulæ dimiſſionis nolens volens ſubſcripſiſſet, nihil tamen aliud obtinuit, quàm ut ad carcerem damnato in ſqualore & mœrore vitam ducere liceret in arce *Rochlicianâ*.

31. Julii A. 1576. Hinc cum nullis flecti poſſet, nec promiſſis nec minis, etiam capitis ſupplicio propoſito in *Lipſianum* carcerem *Pleiſſenburgum* deductus eſt. In eo tempus omne à ſomno liberum, precibus, lectione Bibliorum & verſibus ſcribendis conſumpſit: chartam autem ipſi ſuppeditârunt libri Concordiæ margines & folia vacua, Atramentum cruſtæ panis crematæ & cereviſiâ dilutæ, calamos anſerum ala, quam ad pulverem & aranearum telas colligendas impetrârat.

8. Febr. A. 1586. Cum Elector *Auguſtus* anni initio nuptias celebrâſſet cum *Agnete Hedwige*, filiâ *Joachimi Erneſti*, Principis *Anhaltini*, hujus precibus commotus Elector, *Peucerum* ſub certâ obligationis formulâ liberum dimiſit. *Liberatur.*

Abindè *Serveſtæ* apud Principes *Anhaltinos* 16. annos valetudine multò quàm anteà firmiore vixit. Acceſſit & *Palatinæ* & *Haſſiacæ* domûs erga ipſum humanitas, quam grato animo ſemper agnovit. A. 1587. Alteram duxit *Chriſtinam Schildinam, Hieronymi Bergmanni*, Conſulis *Budiſſini*, viduam.

Paulò ante liberationem in ſomno vidit funus Principis duci, ſibi autem campanam pulſanti funem disrumpi, cujus partem his verbis additis, Strick iſt entzwey und wir ſind frey / abjecit, eodemque tempore per ſomnium hæc verba audivit: *Adjiciam tibi adhuc annos quindecim.*

Deſſaviæ tandem nullo morbo, ſed maraſmo ſenili extinctus, placidè obiit 25. Sept. A. 1602. ætatis 78. quem ipſe in morbo hoc diſticho expreſſit: *Moritur.*

SpretVs & abieCtVs CVnCtIs nVnc ſerVIo ſoLI
IntentVs preCIbVs ſpeqVe fIdeqVe Deo.

Horâ undecimâ, quâ obiit, Horologium, quod toto biennio ἄφωνον uxor triduo ante in ciſtâ cuſtodierat, ſonitum ære edidit, & cum ictu malleoli undecimo animam ille exhalavit.

Libros edidit: *Scripta.*

Elementa doctrinæ de Circulis cœleſtibus.

Commentarium de præcipuis Divinationum generibus.

Practicam ſeu Methodum curandi morbos internos.

Vitas Illuſtrium Medicorum.

Chronicon Carionis lib. IV. & V. auctum.

Tractatum hiſtoricum de Phil. Melanchthonis ſententiâ.

De Cœnâ Domini.

Doctrinam fidei juſtificantis in Eccleſiâ verâ omnium temporum.

HORA-

Obiit A.C. 1603.

HORATIUS AUGENIUS.

Filius Medici celebris.

THeologus, Philoſophus & Medicus fuit eximius, cujus Pater *Ludovicus Augerius* per annos 70. in præcipuis *Flaminiæ*, *Piceni*, & *Hetruriæ* Civitatibus Medicinam exercuit *Clementi VII.* Pontifici Max. percharus. Fratres habuit *Simonem*, *Fabritium*, & *Lelium*, quorum duo J.C.ti celebres fuerunt, tertius verò Eques auratus S. *Mariæ Lauretanæ*.

Profeſſor Logicæ Macerati, Med. Romæ & Ticini.

Primâ ætate Logicam in *Maceratenſi* Univerſitate duobus annis explicuit. Mox in Scholis *Romanis* quinquennio Medicinam Theoricam profeſſus eſt. Adhæc in *Ticinenſi* palæſtrâ medicâ Practicam 16. annis interpretatus. Demùm in Lycæum *Patavinum*, propoſito 900. florenorum honorario, accitus, Theoricam ordinariam in primâ ſede docuit *Capivaccii* ſucceſſor.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

Senex tandem obiit A. C. 1603.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Edidit:

Scripta.

Tract. de Febribus.
de ratione curandi per ſanguinis miſſionem.
De modo præſervandi à peſte Lib. IIII.
Epiſtol. Medicinalium Tom. III.
Obſervationes ſingulares.
De partu hominis Lib.
De calculoſis & exulceratis renibus.
Diſputationes de ſanguinis miſſione.
De morbo Gallico.

Medicus fuit intimus & familiariſſimus *Alberti Pii* & *Leonelli* fratrum Comitum *Carpenſium*, ſummèque dilectus à *Rudolpho Pio*, Cardinali, *Leonelli* filio, tantoque in honore habitus apud Ducem *Guiſium*, & fratres, aliosque Principes *Gallos*, cum in *Italiam* exercitum duxerunt, Summo Pontifici *Paulo Caraffæ* gratificaturi, ut præter magnam vim nummorum honoris causâ ei datorum, etiam ejus patriam *Montem Sanctum*, ab omnibus oneribus, quæcunque alia loco ob ipſius exercitus tranſitum ſuſtinebant, immunem fecerit.

Ludovicus Pater quatuor reliquit filios, omnes inſigniter honoratos, duos Juris-conſultos, *Simonem* & *Fabritium*, quorum prior auditor fuit Rotæ *Perusinæ*: alter jus Pontificium in gymnaſio *Romano* & *Maceratenſi* cum magnâ laude interpretatus eſt; *Lelium*, equitem *D. Mariæ Lauretanæ*, & hunc *Horatium*, Philoſophum, Medicum, & Theologum præcellentem.

* *Ex Vitis illuſtr. Medicor. Petri Caſtellani.*

Obiit A.C. 1603.

ANDREAS CÆSALPINUS.

Medicinæ Profeſſor.

A*Retinus*, Archiater S. P. *Clementis VIII.* & peripateticus præſtantiſſimus, diu in Academiâ *Piſana* Medicinam docuit, & Scriptis famam nominis propugnavit. Obiit *Romæ* A.C. 1603.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C.B.*

Edidit:

Scripta.

De Plantis Lib. XVI.
Quæſtionum medicarum lib. ij.
De medicamentorum facultatibus lib. ij.
Praxin univerſæ Medicinæ.

Obiit A. C. 1603.

JOHANNES COSTÆUS.

MEdicus & Philoſophus celeberrimus, patriam habuit Civitatem in *Galliâ Laudenſem*. Cum multis annis in Academiâ *Taurinenſi* artem medicam publicè primâ cathedrâ profeſſus eſſet, *Bononiam* à S. Pontifice vocatus, ibidem ſummâ cum laude & honore Profeſſionis munere functus eſt.

Medicinæ Profeſſor Taurini, & Bononiæ.

Filium reliquit virtutum & eruditionis hæredem *Joh. Franciſcum Coſtæum*, qui Medicus & Philoſophus inſignis, poſtquàm multis annis in Gymnaſio *Patavino* publicè cum auditorum frequentiâ docuiſſet, animum ſtudiis Juridicis applicans, Doctor in iisdem legitimè creatus eſt, & publicam Profeſſionem *Bononiæ* obtinuit, ediditque Tractatum eruditum *De voluntariis, involuntariis, & non voluntariis actibus.*

Filius ejus Med. & Jur. Doct. ac Prof.

Pater *Joh. Coſtæus Bononiæ* vitâ defunctus, in Templo *S. Agnetis Monialium* Sepulcrum habuit cum hoc Epitaphio, ſumptibus Civitatis *Laudenſis* marmori inſculpto:

Epitaphium.

JOHANNI COSTEO LAUDENSI
MEDICO ÆTATIS SUÆ FACILE PRINCIPI,
VIRO MORIBUS CANDIDISSIMIS PRÆDITO,
INGENIO, ELOQUENTIA, MULTIPLICIQUE
ERUDITIONE PRÆSTANTI,
QUI VITAS HOMINUM, STUDIA, SCHOLAS,
MEDENDO, EDENDO, LEGENDO JUVIT,
AUXIT, EXORNAVIT.
DUM IN GYMNASIO BONON. MEDICINAM
DE SUMMO LOCO PROFITERETUR,
ADEMPTO.
LAUDENSIS CIVITAS, UT QUO VIVENTE GLORIATA EST, DEFUNCTI MEMORIAM HONORIFICENTIUS RECOLAT PUBLICO DECRETO
P. A. DOM. MDCIII.

Scripta:

Scripta.

Commentaria magna in univerſum opus Medicum Avicennæ & Meſuæ.
Tractatum de univerſali Stirpium naturâ.
Phyſiologicarum Diſquiſitionum Liber.
Tract. de Venarum Meſeraicarum uſu.
de igneis Medicinæ præſidiis.
de Lacte & Sero.
de humano conceptu.
de potu in morbis, in quo de aquis, vino, omniq. factitio potu in univerſum, ac de privato in ſingulis morbis eorum uſu diſſeritur.
Liber de morbis Puerorum, & Mulierum.
Miſcellanearum & medicarum animadverſionum.
Conſilia medicinalia.

Obiit A.C. 1603.

ANDREAS LYMVICUS.

NAtus eſt A.C. 1538. die 18. Octob. *Lymvici*, oppido ad extremum maris *Danici* ſitum, Patre M. *Jano Andreæ* F. miniſtro Evangelii in illis locis, matre *Helle Sim.*

Filius Theologi Lutherani, anteà Monachi.

De Patre ipſius hoc eſt memorabile, quod cum Juvenis Monachus eſſet *Arbuſii*, & emiſſus à nigris fratribus, in *Germaniam* & *Italiam*, ac *Romam* usque, dato ipſi 200. *Florenorum* ſtipendio, ut corfirmatior rediens ſe alacri ingenio, quo erat præditus præ cœteris, *Luthero* & *Lutheranis*, ſi opus eſſet, opponeret; audito in reditu ipſo *Luthero* & *Philippo Melanchthone Wittenbergæ*, monaſterium reviſere noluerit, ſed ſe dictis fratribus poſtmodùm vehementi cum zelo oppoſuerit.

Diſcipulus in Scholâ Alburgenſi & Ripenſi.

Hic igitur filium unicum *Andream* in veritate Evangelii, ab ipſâ pueritiâ curabat accuratè informari, cumque miſit in Scholam *Alburgenſem*, & deinde cum natus eſſet annos 12. in celebriorem *Ripenſem*, ne quid intermitteret, quod ad inſtitutionem illius ætatis faceret.

Cum autem jam eſſet adultior paulò, & à bonis literis inſtructior, patre mortuo, A. 1554. patriæ ſcholæ præficitur, in quâ aliquandiu fideliter laboravit.

Indè venit in Academiam Regiam *Hafnienſem* A. 1561. in quâ talem ſe probavit Præceptoribus, & tantum profecit tum in Poëſi, tum artibus Liberalibus, ut biennio pòſt Baccalaurei honore ornaretur: ac ita magis innoteſceret Proceribus & Regi ipſi magno ſuo commodo. Cum etiam hìc aliquantiſper Pædagogus fuiſſet puerorum Symphoniacorum apud Muſicum Regium; regio ſtipendio inſtructus, in *Germaniam* miſſus eſt A. 1565.

Philoſophiæ Magiſter Wittebergæ.

Vixit igitur *Wittenbergæ* magnâ cum laude modeſtiæ & diligentiæ, ibidemque Philoſophiæ Magiſter A. 1568. publicè promotus eſt. Excurrit indè cum aliis aliquot *Danis* ſtudioſis in *Italiam*, ac pedibus emenſus eſt iter illud magnum per *Alpes*, ut *Romam* etiam videret, impulſus cogitatione eorum, quæ Pater prius ſe ibidem vidiſſe commemoraverat.

Studio Medico ſe tradidit.

His peractis, tradidit ſe penitùs ſtudio medico, in quo annos complures verſabatur in *Germaniâ*, & A. 1574. in *Galliam* quoque profectus eſt.

Medicinæ Profeſſor Hafniæ.

Tandem A. 1576. receptus eſt in numerum Profeſſorum Academiæ *Hafnienſis*, & 6. Maji anni ſeq. labores officii in eâ auſpicatus eſt.

Uxorem duxit.

A. 1578. Nuptias celebravit cum virgine *Dorotheâ*, filiâ *Petri Nicolai*, Senatoris *Arbuſienſis*, cum quâ placidè vitam traduxit: ſicut in converſatione cum cœteris omnibus ſemper fuit moderatus.

Ter Acad. Rector.

Ter geſſit in Academiâ ſummum Magiſtratum, & ita quidem, ut utrâque vice priore officium ipſi propter certas cauſas ad biennium prorogatum ſit.

Præfuit Communitati Reg.

Fecit intereà omnia magnâ cum ſedulitate tum in prælectionibus, tum curatione infirmiorum, ac præfuit etiam Communitati Regiæ 100. ſtudioſorum annos 5. non ſine magnâ moleſtiâ: & delectus, qui curam & exſtructionem novi Auditorii ſuam omnibus probavit fidelitatem & induſtriam.

Bibliothecam ſuam Academ. Hafn. teſtamento legavit.

Quod autem ἄπαις eſſet, & propter varias infirmitates mortem non longè abeſſe præſagiret animus, ita egit cum hæredibus, ut bona non pauca ad gloriam DEI aliò conferre poſſet. Dedit igitur Academiæ totam Bibliothecam ſuam inſigni copiâ librorum Theologicorum Medicorum & Philoſophicorum inſtructam.

Moritur.

Legavit templo, Academiæ & pauperibus tum Scholaſticis tum aliis ſummam pecuniæ non exiguam, quam ipſis voluit eſſe perpetuam. Cumque jam tandem inter morbos varios ſe præparâſſet ad promovendos alios, quos poſt ſe relinqueret Reipublicæ in facult. medicâ ipſe in Academiam Cœleſtem promotus eſt: cum enim jam aliquot diebus continuis fermè ſingultibus cum febriculâ & Catarrho graviter conflictatus eſſet, exſpiravit piè & placidè die 3. Maji A.C. 1603. ætatis 67.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Acad. Hafn. D. Joh. Pauli Reſenii.*

Epitaphium.

Epitaphium ejus in Templo B. Virginis extrà chorum eſt ſequens:

D. O. M.

REVERENDIS ET CLARISSIMIS VIRIS AMOR. CANDOR. INTEGRITATE, PIETATIS STUDIO, DOCTRINA, PRUDENTIA, MODESTIA, ET MULTO RERUM USU PRÆSTANTIBUS JACOBO MATTHIÆ ARHUSIENSI ET ANDREÆ LYMVICO CIMBRO VIAM UNIVERSÆ CARNIS INGRESSIS, QUORUM ILLE LATINAM, GRÆCAM, ET HEBRÆAM LINGUAM, ET S.S. THEOLOGIAM PUBLICE IN ACADEMIA HUJUS OPPIDO FIDELITER ET FELICITER DOCUIT: HIC ARTEM MEDICINÆ IN HOC REGNO EXERCUIT, TANDEMQUE IN REGIS GYMNASIO ANNIS FERE XXVI. PROFESSUS, UTERQUE DOCTORE LAUREA ORNATUS, SANCTISSIMIS MORIBUS PRÆDITUS, DE RE LITERARIA ET STUDIIS ADOLESCENTIÆ BENE MERITUS MUNUS SUUM MAGNA CUM NOMINIS ET FAMÆ GLORIA SUSTINUIT, DOROTHEA UXOR VIRI AMANTISSIMA ET SOROR FRATRIS CARISS. MONUMENTUM HOC PRO TEMPORE MULTIS JAM LACRYMIS POSUIT.

Scripta.

Scripta:

Carmen de exitio Navis ſine pari Magnus. Havniæ 1564.

* *Ex Academiâ Hafnienſ. repræſentatâ ab Eraſmo Pauli J. Vindingio.*

ANDREAS SCHATO.

Obiit A.C. 1603.

NAtus eſt Patre *Gallo*, cive in Republ. *Torgenſium* honeſto die 19. Aug. A.C. 1539. In ſtudio & profectu bonarum literarum quantus fuit *ſeus*, & præcipuè *Wittenbergæ* effecit: in his enim Academiis & primam juventutem & ſenectutem extremam coluit. Artium liberalium & Philoſophiæ Magiſter *Wittebergæ* renuntiatus 25. Aug. A. 1562. & anno ſeq. in Societatem Collegii Philoſophici adſcriptus eſt.

Philoſophiæ Magiſter Wittemb.

A. 1564.

Corrector Stetini. A. 1564. Ludo literario *Stargardenſium* in *Pomeraniâ* operam ſuam addixit. Decurſo hoc anno *Stetinum* acceſſitus eſt, Partes Correctoris in illuſtri illo Pædagogio tractaturus. *Wittenbergæ privatim docuit.* Cum verò animus generoſior ad altiora eum exſtimularet, A. 1570. *Wittenbergam* reverſus, ibi per aliquod tempus privatim docendo ſingularis doctrinæ ſpecimen exhibuit, publicèque docentium labores ad fidem & leges Collegii ſui de induſtriâ adjutum ivit.

Uxorem duxit. An. 1571. Vitæ fortunarumque ſociam meditatus duxit in matrimonium *Rebeccam*, Reverendi viri M. *Fabiani Thymæi*, Sereniſſ. *Barnimi*, Ducis *Pomeran.* in aulâ *Stetinenſi* Concionatoris primarii filiam, cum quâ liberos 8. genuit, quorum 5. Parentes morte prævenerunt, filio uno & binis filiabus ſuperſtitibus: quarum natu maxima *Socer Dan. Sennerti.* *Margaretha* 25. Febr. A. 1603. uxor data eſt D. *Danieli Sennerto*, Profeſſori itidem Medico in exemplum Soceri ſtrenuè contendenti.

Matheſ. & Phyſicæ Profeſſor. 26. Sept. A. 1574. In ordinem Profeſſorum Senatumque Academicum, Sereniſſ. Electore *Saxon.* D. *Auguſto* ita jubente, cooptatus, Matheſeos primùm diſciplinam, deindè Phyſicam profeſſus, in utraque tantâ cum fide, dexteritate, & juventutis emolumento verſatus eſt, ut paucos in hoc ſtudiorum genere pares habuerit.

Medicinæ Doctor Wittenbergæ. A. 1578. die 6. Kal. Junii titulo Doctoris Medici, poſt experimenta ſolennia, donatus, à nobili illo Medico D. *Salomone Alberti*: poſtmodùm Collegii Medicorum pars *Medicinæ Profeſſor.* factus, per omnes gradûs paulatim ad ſupremum faſtigium adſcendit, qui locus Facult. Medicæ Seniori debetur. Quâ autem ſedulitate olim junior in Philoſophicis, eâdem Senior factus in Medicinâ verſabatur.

Munus & dignitatem Philoſophici Decanatûs tertiâ vice ſuſtinuit: toties etiam faſces Scholaſtici Magiſtratûs Rectorisque emeruit.

Medicus Auguſti Ducis Sax. Nobilitate donatus. A. 1601. Illuſtr. Principi *Auguſto*, Academiæ *Witt.* tunc Rectori Magnifico Medicus conſtitutus, eodem tempore Nobilitatis Inſignia à Cæſareâ Majeſtate præter votum & opinionem accepit.

Moritur. Poſt brevem tandem à morbo decubitum, animam placidè exſpiratam Servatori ſuo Jeſu Chriſto, quem unicè in vitâ coluit, viciſſim tanquàm depoſitum tradidit d. 16. Martii A. C. 1603. ætatis 64.

* *Ex Programm. fun. D. David. Rungii, Acad. Witt. Rectoris, Theol. Prof.*

EPITAPHIUM.

Epitaphium. HIC SITUS EST ANDREAS SCHATO TORGENSIS MEDICINÆ D. ET FACULTATIS SENIOR IN ACADEMIA WITTEBERGENSI PER ANNOS XXIX. RARO EXEMPLO VARIARUM DISCIPLINARUM, MATHEMATUM, PHYSICES ET MEDICINÆ PROFESSOR: OMNIBUS SCHOLASTICIS HONORIBUS PERFUNCTUS, MAGNA CUM LAUDE VIRTUTIS, DOCTRINÆ, SAPIENTIÆ, ET INDUSTRIÆ, QUIBUS ETIAM INSIGNIA NOBILITATIS AB IMPERATORE MERUIT, EXEMPLUM BONI VIRI, BONI PROFESSORIS, BONI CHRISTIANI. OBIIT XVII. D. MARTII ANNO CHRISTI MDCIII. ÆTATIS LXIV.

BALTHASAR BRUNNERUS.

Obiit A. C. 1604.

IN *Salinis Saxonicis* natus eſt A. 1533. Patrem habuit *Laurentium*, Senatorem *Hallenſem*.

Primis in ſcholâ patriâ literarum elementis informatus, in Academiam *Erfordienſem* miſſus eſt, ubi cum Magiſterii gradu *Philoſophiæ Magiſter.* ornatus eſſet, paulò pòſt in Academiâ *Jenenſi* ſub *D. Joh. Schrötero* ſtudium medicum alacriter aggreſſus, & in *Lipſienſi* ſtrenuè proſecutus eſt.

Profeſſor Medicinæ. Itaque à Senatu ibi Academico Profeſſoris extraordinarii provincia ipſi eſt concredita, quam cum laude obivit, ſucceſſor M. *Pauli Didymi* A. 1574. Deinde in *Italiam* profectus, in eâ triennium exegit, tum *Hiſpaniâ, Galliâ, Angliâ,* & *Belgio* perluſtratis, *Medicinæ Doctor.* *Baſileæ Rauracorum* inſignia Doctoralia conſecutus eſt.

Indè ad ſuos redux, *Johanni Cratoni* Medicorum principi adhærens, ab eo filii loco habitus, & inter domeſticos adſcitus eſt. De hujus etiam conſilio gener eſt factus *Georgii Laureæ*, Elect. *Brandeburgici* Archiatri, qui deindè *Brunnero* fores ad praxin medicam aperuit.

Chymicus excellens. Et quanquam ob praxin medicam & peregrinationes ferè quotidianas fuit tunc occupatiſſimus, in Chymicis tamen quotidiè laboravit, in cujus myſteriis indagandis ardore tanto flagravit, ut 20. annorum decurſu amplius 16000. florenorum in Chymicis operationibus & lapidem Philoſ. quæritando cum animi delectatione conſumpſerit.

Charus fuit Electoribus *Chriſtiano I. Sax. Joh. Georgio Brandenburgico*, & *Friderico Wilhelmo*, Adminiſtratori *Sax.* Apud Principes *Anhaltinos Joach. Erneſtum, Chriſtianum,* *Archiater diverſorum Principum.* & *Auguſtum* Archiatri munere per annos multos eſt functus.

Oblatum etiam ipſi eſt Profeſſoris publici munus *Haidelbergæ* & *Baſileæ*, ſed amore patriæ vocationem utramq; modeſtè abnuit.

Moritur. A. 1597. Apoplexiâ levi correptus, per ſeptennium enervatus mortalitatem exuit A. 1604. ætat. 71.

Conjugium. In Conjugio gemino cum numeroſâ ſobole vixit.

Privignum habuit & Generum *Laurentium Hofmannum, Halo-Saxon.* Philoſ. Med. & Chirurgiæ Doctorem, qui *Conſilia Brunneri medica multis annis collecta edidit.*

Edidit:

Conſilia Medica, collecta à Laurentio Hofmanno. *Lipſiæ*

Obiit A.C. 1604.

JOHANNES MONTANUS.

Medicus Strigenſis. Terræ ſigill. inventor.

Striga in Sileſia Medicus & Practicus celebris, primus in eâ regione Terram ſigillatam reperit, quâ ſibi ſoli ſervatâ multos morbos graves feliciter curavit, donec petente Senatu Tractatum de illâ Latinum edidit.

Obiit 3. Julii A.C. 1604. ætatis 73.

Obiit A.C. 1604.

ÆMILIUS CAMPOLONGUS.

Nobilis *Patavinus*, natus eſt A.C. 1550. *Ariſtotelis* & *Galeni* cultor fuit inter Medicos ſui temporis facilè princeps.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

A. 1578. Medicinam Theoricam in Academiâ patriâ ſecundus ordine cœpit docere A. 1591. cum deceſſiſſet *Marcus de Oddis*, ad Medicæ Praxis cathedram evolavit. Cum ita annos 27. in tradendâ & exercendâ publicè medicâ facultate ſtrenuè deſudâſſet, migravit è vitâ 15. Cal. Nov. A.C. 1604. ætatis 54.

Moritur.

Vir fuit ſpecie venerabilis, & in colloquiis adeò jucundus, ut ægri non minus ejus humanitate quàm adhibitis remediis ſe refectos faterentur.

Filium reliquit *Hannibalem*, J.C.

Edidit:

Scripta.

Theoremata de humanâ perfectione veritatis indagatoribus Patavii diſcutienda relicta.

Methodum conſultandi, in quâ legitima medendi ratio traditur, à Lazaro Suſenbeto editam.

Tractatum de Variolis.

Novum cognoſcendi morbos methodum ad analyſeos Capivaccianæ normam expreſſam.

De Arthritide, cum Ant. Schnebergeri medicamentorum facilè parabilium, adverſus omnis generis articulorum dolorem enumeratione.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

In Eccleſiâ Servorum *Hannibal* filius ſtatuâ & hâc memoriâ ſuam erga Patrem pietatem teſtatus eſt:

Monumentum.

D. O. M.

Æmilio Campolongo nobili Patavino,

Summæ integritatis & innocentiæ Viro, Philoſopho atq; Medico clariſſimo

Qui agendo, ſcribendo, & publicè in Patriâ tum Practicam tum Theoricam inter Primarios profitendo

Summorum Principum gratiam conſecutus

Nomen ſibi ad extremas etiam Regiones nunquam periturum comparavit.

Obiit Anno Salutis MDCIIII. XV. Kal. Nov. ætatis ſuæ LIIII. Menſe II.

Annibal J. C.

Patri benemerenti & incomparabili

P. C.

Obiit A.C. 1605.

ULRICUS GEYGERUS.

Natus fuit 4. Julii A.C. 1536. parentibus honeſtis, D.D. *Ulrico Geygero*, non ſolùm Medico excellenti, ſed etiam ob prudentiam & in rebus agendis induſtriam Senatui *Argentinenſi*, *Galliæ* Regibus, aliisq; Magnatibus charo, & *Urſulâ Munchin*, ex antiquâ familiâ oriundâ.

Cum ſtatim præclara in ipſo indoles appareret, in paulò ante inſtituto ibi Gymnaſio literis imbuendum curârunt: ubi in ſtudiis tantos progreſſus fecit, ut dignus videretur, qui ſuperiori facultati percipiendæ deſtinaretur. Idcircò in celebrem *Galliæ* Academiam, quæ eſt *Monspeſuli*, miſſus eſt, ubi cum præſtantiſſimis Medicis, *Rondeletio*, *Valeriola*, *Saporta*, aliisque ob ardens diſcendi ſtudium & induſtriam, tum condiſcipulis ſuis, inter quos D. *Felix Platerus*, Archiater *Baſileenſis*, charus fuit.

Medicinæ ſtudioſus Monspel.

Medicinæ Doctor.

Ex *Galliâ* inſignibus Doctoratûs in arte medicâ ſuo merito ornatus, in patriam reverſus eſt, ubi matrimonium contraxit cum virgine *Eliſabethâ*, Dn. *Petri Buæii*, Archigrammatæi filiâ, cum quâ nuptias celebravit 26. Jul. A. 1557. Poſteà primariis hujus urbis Medicis, & imprimis celebri D.D. *Joh. Guinterio Andernaco* adjunxit, & Praxin Medicam feliciter exercuit.

Practicus Argent.

Ideò An. 1569. 7. Maji ab ampliſſ. Reip. *Argentinenſis* Magiſtratu D. *Sebaldo Hauenreitero* Collega datus fuit, & Phyſicus ordinarius in locum demortui D. *Luberti Eſthii*, generi D. *Caſp. Hedionis*, Theologi & Hiſtorici præſtantiſſimi.

Phyſicus ordin. Argent.

In toto autem vitæ ſuæ curſu enituit in eo ſingularis pietas, probitas, vitæ ſanctimonia, ſtudium concordiæ, inſignis medendi ſcientia, eâque ægris ſubveniendi promta voluntas.

Undè non plebeji modò opem conſiliumque ejus implorarunt, verùm etiam Principes, Comites, Barones, Nobiles operâ ejus uſi ſunt. Hâc de cauſâ cum Acidularum uſum plurimis prodeſſe animadverteret, ut conſilium præſens haberent, & habitarent commodè magnis ſumptibus præclarum in valle *Griesbacenſi* ædificium extruxit, & eorùm rum verum uſurpandi modum demonſtravit, tum iis, quibus præter acidarum potum aliis remediis opus fuit conſulendo, & medicamentis ſubminiſtrandis fideliter adfuit. Cum autem ſummâ vitæ ſuæ ipſum decurſo ex hac paleſtrâ medicâ evocare DEO placuit, piè placidèque ſine ullo mortis metu exſpiravit die 7. Febr. A.C. 1605. ætatis 69.

Practicus felix.

In acidulis Griesbacenſibus domum exſtruxit.

Moritur.

* *Ex Programm. fun. Acad. Argent. D. Joh. Ludov. Hawenreuteri, Med. & Phil. Prof.*

Obiit A.C. 1605.

ULYSSES ALDROVANDUS.

Patriâ *Bononienſis*, incomparabilis naturæ operum perſcrutator, varietate doctrinæ, ubertate ſcriptorum, reconditis eruditionis ingenii viribus cunctos ferè cum præſentis tum elapſi ſeculi homines ſuperavit.

In patriâ pluribus annis docens in ſuggeſtu auditoria ad ejus Oracula undecunque converſos, nec tam herbariam profitebatur oſtentabatur, quàm Logicam, Philoſophiam, Medi-

Bononiæ Profeſſor Philoſ. Med. & rei herbariæ.

Medicinæ ac liberalium quarumque artium elegantiam voce colebat.

Quod ſi antiquitas *Theophraſtum* 300. librorum Volumina edidiſſe gloriatur, *Chryſippum* 700. *Atteium Capitonem*, Conſulem, 60. *Servium Sulpitium* 180. &, quod humanum ſuperet captum, *Origenem* 6000. ſanè *Aldrovandus* vel hoc nomine præconio ſuo fraudandus non eſt, quod non impari felicitate veterum æquavit gloriam, recentiorum verò amplificavit.

Muſæum habuit rebus naturalibus variis refertum. Selectiora olim in domeſtico ejus Muſæo ſtudioſis ad intuendum expoſita, gummi, lachrymæ, radices, herbæ, lapides, animalia, & gemmæ, quæ totius mundi referre videntur mercatum, ejus nutu aſſervantur in Curiâ *Bononienſi*, magnifico apparatu ab exteris quotidianâ propè inviſione & admiratione probata.

Dignus itaque fuit *Ulyſſis* nomine, qui ſicut è Græciâ ſecedens totius propè Orbis ambitum peragrâſſe fertur, ita hic generoſo mentis impulſu naturæ infra cœlum ubique luxuriantis delitias colluſtravit.

Moritur. Vitâ exceſſit *Bononiæ* 4. Maji A.C. 1605.

Retulerunt quidam, quod propter copioſas Liberorum editiones in ſummâ ſenectute ære alieno oneratus, & ad extremam pauperiem redactus, in Xenodochio *Bononienſi della vita* vitam finierit.

Opera varia ab eo ſcripta cum Iconibus:

Scripta. *Specimen generale omnium rerum animatarum & inanimatarum*, quæ in noſtro Muſæo ad vivum ob oculos ponuntur, pro majori parte à nullo deſcriptæ nec in lucem editæ.

De Meteoris, ſeu *impreſſionibus in aëre genitis, de foſſilibus, & aliis inanimatis omnis generis, tam naturalibus quàm artificialibus, & quæ habent figuram determinatam vel luxu naturæ, vel caſu volumen unum.*

De animalibus ſanguineis volumina V. quorum I. eſt de quadrupedibus viviparis, II. de quadrupedibus oviparis, III. de ſerpentibus, IV. de aquatilibus ſanguineis, nempè piſcibus, V. de hominis naturâ, & de monſtris.

Ornithologiæ, ſive de hiſtoriâ avium Tomi III.

De animalibus exanguibus hiſtoria, in varios libros digeſta: & I. de inſectis apodibus & pedatis, II. de cruſtaceis, III. de malachiis ſeu mollibus, ut polypoſopiâ &c. IV. de Zoophytis, ſeu plantanimalibus.

De plantis Volumen unum in VI. Libros diſtinctum, quorum I. eſt de arborum generibus, II. de fruticibus, III. de ſubfruticibus, IV. de herbis communi nomine dictis. V. de frugibus, nempè de leguminibus & triticeis, VI. de herbis imperfectis.

Opera varia ſine Iconibus:

De admirandis Volumen in plures Libros diſtinctum.

Obſervationes omnium rerum naturalium, nempè foſſilium, plantarum, & animalium, prout in diverſis locis naſcuntur, opus Principibus doctisque, iis præſertim, qui Muſæa ſua amplificare ſtudent, utiliſſimum, diſtinctum in IV. Libros, quorum I. agit de iis, quæ in Aſiâ, II. quæ in Europâ, III. quæ in Africâ, IV. quæ in novo orbe naſcuntur.

Dictionarium omnium rerum naturalium, quarum mentio fit in Hippocratis Coi libris, nempè plantarum, animalium & foſſilium.

Antidotarium omnium medicamentorum, quæ ſunt in quotidiano uſu.

Lectiones in epitomen redactæ in libros V. Dioſcoridis publicè 4. annis in Gymnaſio Bononienſi prælectæ, & in multos libros diſtributæ.

Index Plantarum omnium, quas in XVI. Voluminibus exſiccatas agglutinavit.

De differentiis & figuris partium præcipuarum plantarum, nempe foliorum, florum, cum eorundem coloribus, ſeminum, fructuum, & radicum, opus utile plantar. ſtudioſis.

Stephanologia, ſive de Coronis libri II.

Moſchologia, ſive de Moſcho Hiſtoria.

De Vinorum varietate & naturâ.

De Acetariis, quæ veniunt in uſum ciborum.

De fermento.

De unicornu liber.

De cancris.

Dracologia, ſive de Draconibus hiſtoria.

De Sturione liber.

Echidnologia, ſive hiſtoria de viperis ſeminis, quæ ſunt baſis Theriacæ.

De Abrotano, & Rutâ caprariâ, quæ maximis viribus pollet adverſus peſtem.

De Cruce, ejusque miraculis, & in quibus foſſilibus, plantis & earum partibus ac animalibus naturaliter inſculpta reperiatur, Libri II. Italicè ſcripti.

De hortorum origine, diverſitate, & utilitate.

De papyro, & linguarum Academiarumq; diverſitate Libri II.

De ſulphuris locis, ubi naſcitur, hiſtoria.

De gemmis novem libellus.

Elucidarium Theologicum, de foſſilibus, plantis, & animalibus, quorum fit mentio in Sacris Bibliis.

Synonimia foſſilium, plantarum, & animalium in variis linguis.

Methodus breviſſima de materiâ medicâ, quam perfectè callere debent Medici & Pharmacopœi.

De cauſâ finali plantarum libellus.

De plantis odoratis & viroſi odoris hiſtoria.

De Lamiâ Cetaceâ.

De Lucentibus noctu tractatus.

Pectinum volantium hiſtoria.

De Lacertâ Chalcidicâ.

De ſepâ ſerpente.

De Farre, Nicotianâ, & Sandice.

De Lolio, & ejus remediis.

De Sycomoro.

De Urſi naturâ & facultate.

De Magnete albo.

De Ceruſſâ, & Tabulis ceratis.

De Taurobolio & Criobolio.

Proconeſſi lapidis hiſtoriâ.

De lapide Bezoar.

Obſervationes in Theriacam Andromachi.

Theophraſti ſententiæ hinc indè ſparſæ, in ord. alphabeticum redactæ.

De menſarum differentiis, & Triclinils.

De ce-

De eculeo ſeu equuleo antiquorum, quod erat tormenti genus, quo torquebantur carceribus incluſi.

Adagiorum vulgarium Liber explicatus.

Bibliothecarum ſelectar. Theſaurus penes titulos in XXII. Tomos diſtinctus, ordine alphabetico, opus utiliſs. varia opera componere cupientibus.

Miſcellanea varia, & Epiſtolæ de rebus diverſis ad diverſos conſcriptæ.

Scholia varia in Ariſtotelem, Theophraſtum, Vitruvium & Plinium.

De Regulis Mathematicis, literâ Dominicali, aureo circulo, & in quo ſigno ſit Luna, & quod horis luceat, de Epactâ & Indictione.

Elogia Virorum, qui viſitârunt Muſæum, & ſcripſerunt in Libro ejus.

De aëre corrigendo tempore peſtis.

De Exanthematibus ſeu Petechiis Libellus.

Anemologia, ſive hiſtoria de ventis.

De Vertigine Libellus.

De coloribus tractatus cum ſuis propriis picturis à plantarum floribus ad vivum deſumptis.

De Scientiarum & Artium origine.

Quæſtiones Logicæ & Phyſicæ variæ.

De Numiſmatibus.

De Talentorum differentiis.

De ſtatuis marmoreis & æreis, quæ diverſis in locis Romæ conſpiciuntur, cum earundem deſcriptione & hiſtoriâ, Italicè edita Romæ An. 1556.

Prælectiones in prædicabilia Porphyrii, in Ariſtotelis primum libr. Phyſicorum, in Prædicamenta Ariſtotelis, in librum de ſenſu & ſenſato, in libr. I. Meteororum, in X. libros Ethicorum, in I. librum de Cœlo.

Paraphraſis in Logicam Ariſtotelis.

Epiſtolæ variæ, partim ipſius, partim aliorum de variis rebus naturalibus.

Orationum variarum Volumen in laudem eorum, qui in Collegio noſtro Philoſophorum & Medicorum, dum ipſe fungerer munere Archidiaconi, promoti ſunt.

Catalogus omnium Virorum, qui variis temporibus miſerunt varias res naturales, nempe foſſilia, plantas, & animalia, noſtrumque Muſæum ditârunt.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

Caſp. Cunradus Med. D. in Proſopograph. Melicæ Millenar. III. hoc in ejus honorem diſtichon ſcripſit:

In magno mundo mundum me fama minorem
Dixit: ovant gaudio cuncta animata meo.

ADOLPHUS OCCO.

Obiit A.C. 1605.

NAtus *Auguſtæ Vindelicorum*, An. 1524. Patre & Avo cognomine.

Medicus & Inſpector Auguſtanus.

Inſpectoris in Pharmacopoliis *Auguſtanis* Medicamentorum parandorum provinciam publico ſtipendio multis annis feliciter obivit.

Fatis conceſſit *Auguſtæ Vindel.* An. 1605. ætatis 81.

Edidit:

Scripta.

Pharmacopœam Auguſtanam.

Imperatorum Romanorum Numiſmata à Pompejo Magno ad Heraclium usque.

Caſpar Cunradus Proſopogr. Melic. Miß. 3.

Hiſtoricos Occo Phœbo conjunxit utrique,
Hiſtorici, Medici, & Vatis honore cluens.

Aluit familiam & ſobolem numeroſam, undè An. 1587. in Epiſtolâ quâdam ad *Job. Poſthium* ſcribit:

Exigo nunc hilares natis cum dulcibus horas,
Et mihi fœcundum glorior eſſe thorum.

Fecit etiam in obitum ſuum hoc Epigramma:

Epigramma.

Vixi, & quem dederas curſum, Pater alme, peregi:
Atque lucrum poſthâc arbitror eſſe mori.
Ultimus ad mortem poſt omnia fata recurſus,
Vita mihi Chriſtus, mors erit ipſa lucrum.
Crede mihi, cum vita perit, tunc ſumma bonorum
Naſcitur, & funus nil niſi fœnus erit.

CONRADUS BATTUS.

Obiit A.C. 1605.

NAtus eſt 13. Martii A. 1573.

Pater ei fuit *Levinus Battus*, Med. Profeſſor in Acad. *Roſtoch.* celebris, Mater *Anna*, ex nobili *Pegeliorum* familiâ orta: cujus avus maternus *Conradus Pegelius* Academiæ *Roſtoch.* 60. annos præfuit.

Cum in ſcholâ patriæ doctrinæ fundamenta poſuiſſet, *Regiomontii* ſtudia cœpta per triennium feliciter continuavit.

Indè *Helmſtadium* profectus, *Joh. Caſelium, Duncanum, Liddelium*, & *Cornelium Martinum* ſtudioſè audivit, & *Regiomontium* reverſus, medicinam feliciter exercuit.

Medicus Boruſſ.

A. 1602. Cum civitas illa peſte infeſtaretur, à Ducatûs *Boruſſiæ* gubernatoribus ſalario liberali conductus, Medici intrepidi officio functus eſt.

Deindè *Italiam* & *Galliam* ingreſſus, in Academiis celebrioribus aliquandiu ſubſtitit.

Fit Medicinæ Doctor Baſil.

An. 1604. *Baſileam* venit, ubi inſignibus Doctoralibus ſolenniter ornatus eſt.

Conjugium.

In patriam reverſus, brevi famam ſibi conciliavit ob medendi felicitatem, & *Oswaldi Sledani*, Theologi celebris, filiam unicam ſibi deſpondit, *Joh. Pauli*, Medici *Wismarienſis* relictam viduam.

Moritur.

Hîc cum in fratris ſponſæ ædibus pranſuri adventus ab affinibus & ſponſâ exſpectaretur, ex improviſo nuntiatum, eum fratri ſuo *Levino Batto*, Doctori Juris, infirmius valenti medicinam adhibere volentem, per gradus quosdam ita infeliciter decidiſſe, ut cultellus, quem manu tenebat, in abdomen infixus fuerit. Undè inter manus accurrentium ſe amplectentium piè & ſubitò exſpiravit 30. Nov. A. 1605. ætatis 32.

GEORGIUS MARIUS, alias MEJERUS.

Obiit A.C. 1606.

HErbipoli, Orientalis *Franciæ* urbe primariâ, natus anno 1533. cum ſeſe in Philoſophiæ & Medicæ artis ſinum à primis ætatis temporibus voluntate, ſtudioque contuliſſet, ab hoc fonte ad hominum


ADOPHVS OCCO.
Medicus Augustan.
GEORGIVS MARIVS.
Archiater Palatinus.
HIERONYMVS MERCVRI
ALIS. Medicinæ Prof. Patavij
ANDREAS PLANERVS.
Medicinæ Prof. Tübing.
HERCVLES SAXONIA
Medicinæ Prof. Patavij
ANDREAS LAVRENTIVS
Medicinæ Prof. Monspel.
CAROLVS CLVSIVS.
Medicinæ Prof. Lugd. Batav.
NICOLAVS BRVNO.
Medicinæ Prof. Marpurg.
IOHANNES CVNO.
Medicus Noribergensis.
MARTINVS RVLANDVS
Medicus Cæsareus.
ERNESTVS SONERVS.
Medicinæ Prof. Altorf.
THOMAS MERMANNVS.
Medic. Bavar.
ENRICVS SMETIVS
Medicinæ Prof. Heidelb.
FELIX PLATERVS
Archiater Basileensis
FABIVS PACIVS.
Medicus Vicentinus.
ERNESTVS HETTENBACH.
Medicus Wittenberg
Arch. Sc.

num famam perfluxit ita, ut eruditione & rerum uſu notiſſimus *Noribergâ* accerſeretur. Stipendium itaque pactus honeſtum, operam ſuam 15. Nov. A. 1565. Academiæ in docendâ arte medicâ collocare cœpit, Rectoris etiam dignitate triennio pòſt Cal. Jul. auctus.

Medicinæ Profeſſor Marpurgi. Academiæ Rector denominatus.

Hinc in aulam *Wilhelmi Haſſorum* Principis evocatus, Archiatrum egit.

Wilhelmi Haſſorum Principis Archiater.

Tandem cœli etiam hujus pertæſus, ac ſoli *Noribergam* rediit, Medicinam, cujus erat peritiſſimus, iſthuc facturus, idque non ſine laude. Qua permotus Septemvir Palatinus *Ludovicus*, *Heidelbergam* revocavit illum, ubi demùm annum agens 73. die 5. Martii, tum ſenectâ, quæ & ipſa morbus, tum phthiſi, diarrhæâ accedente, confectus vitâ defunctus eſt.

Moritur.

Scripta, quæ extant, ſunt ſequentia:

Scripta.

Paralipomena & marginalia hortulanica.

In Judæorum medicaſtrorum calumnias & homicidia, pro Chriſtianis pia exhortatio: cui adjuncta Satyra in calumnias Judæi Moſchos.

De terrâ ſigillatâ, & fonte item ſalſo in Offenau, non procul à Wimpinâ, & aliis adſitis Tractatûs Germanici.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A. C. 1606.

HIERONYMUS MERCURIALIS.

FOrolivii natus eſt, Parentibus honeſtis, *Johanne Mercuriali*, & *Camillâ Pungeſtâ*, die 30. Sept. D. *Hieronymo* ſacro, An. C. 1530. à tutelari patriæ numine, hoc eſt, à *Mercuriali* quondam Urbis Epiſcopo cognominatus.

Patavii Philoſ. & Med. Laureâ decoratus, & in patriam reverſus, artem *Forolivii* tantâ cum famâ exercuit, ut Mercurii filius ſalutaretur.

Fit Doctor Medicinæ Patavii. Practicus Forolivii.

Non verò tantùm contentus iis, quæ veteres & recentiores Medici tradiderunt, Philoſophiam ſtudioſè proſecutus eſt, antiquitatem comprehendit, & literarum Græcarum ac Latinarum rationem percepit.

Philoſophus & Antiquarius.

A. 1562. Legatus *Romam* miſſus ad Pont. Max. *Pium IV.* ab *Alexandro Farneſio* Card. in aulam receptus, in eâ ſeptennium tranſegit. A. 1569. à Senatu *Veneto Patavium* in locum *Antonii Francantiani* A. 1567. defuncti vocatus, Principem Med. Practicæ interpretandæ locum obtinuit.

Medicinæ Profeſſor primar. Patavii.

An. 1583. Ab Imperat. *Maximiliano II.* Nuntiis per literas ad *Nicol. Pontium*, Ducem *Venet.* ſcriptus rogatus, conſentiente Republ. *Venetâ*, *Viennam* profectus, Imperatorem ægrum ſanitati reſtituit, & ab eo magnis prœmiis, 300. nempè ducatis, torque aureo totidem ducatorum pretii, duobus equis generoſis, inprimis verò Comitis & Equitis aurati dignitate honoratus, cum perſoluto itineris ſumptu, *Patavium* rediit.

Imp. Maximilianum II. curavit.

Comites itineris hujus, *Hercules Saxonia Patavinus*, & *Anton. Tertius Vicentinus* donati & ipſi aureo numiſmate, ac mirificè honorati ſunt.

A. 1587. *Bononiam* accerſitus, ibi aliquot annos Profeſſorem egit honorario annuo 1200. ducatorum.

Medicinæ Profeſſor Bononiæ.

A. 1599. *Florentiæ* Duci negare non potuit, quin *Piſas* accerſitus, doctrinæ ſuæ gemmas hactenus per annos 30. elaboratas publicè explicaret, accepturus initio annuam mercedem 1700. aureos, & annis conſequentibus 2000. exornandus.

Piſis.

Piſis reverſus, in patriam *Forolivium*, ut ejus dulci aſpectu animum recrearet, calculi dolore per 30. dies afflictus & victus, mundo per mortem beatam ereptus, triſte ſui deſiderium reliquit die 13. Nov. An. C. 1606. ætatis 76. Sepultus in Sacello D. *Mercurialis* à ſe magnificè exſtructo, quò & paulò antè Divi *Mercurialis* reliquias transferri curaverat.

Obiit Forolivii.

Scripta:

Scripta.

Galeni opera omnia Latinè reddita & emendata.

Prælectiones Patavinæ in omnes Hippocratis Aphoriſmos, à filio Maximiliano publici juris facta.

Prælectiones Bononienſes in 2. Epidemiar. Hipp.

Prælectiones Piſanæ in Epidemicas Hipp. Hiſtorias in fol.

Medicinæ Practicæ Libri V. in 4to.

Reſponſorum & Conſultationum Medicinal. Tomi II. à Mich. Columbo collecti. in fol.

De peſtilentiâ Lectiones, in quibus de peſte in univerſum, & in ſpecie de peſte Venetâ ac Patavinâ tractatur, ab Hieron. Zacco exceptæ, in 4to.

De morbis Mulierum Lib. IV.

De morbis Puerorum Lib. II.

Tract. de morbis oculorum, & aurium, ipſo explicante excepti, & à Mich. Columbo editi. in 8vo.

Tract. de morbis cutaneis, & omnibus corporis humani excrementis, ex ore Mercurialis exceptus, & in Libros V. digeſtus, operâ Pauli Aicardi, in 4to.

De Compoſitione Medicamentorum Lib. III.

Tractatûs de Generatione hominis, de Balneis Piſanis, de Vino & Aquâ, de Varicibus & Naſo reficiendo, de Decoratione, in 8vo.

Tract. de venenis & morbis venenoſis excepti ex ore Mercurialis operâ Alberti Schelgii Uhaſchavienſis. in 4to.

Variarum Lectionum Libri VIII. In quibus complurimorum Medicorum infinita propè loca vel corrupta reſtituuntur, vel obſcura declarantur. in 8vo.

De arte Gymnaſticâ Libri VI. In quibus omnium vetuſtarum exercitationum genera, loca, modi, facultates, & quicquid eò pertinet, explicantur.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini; Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani; & ex Gymnaſio Patavino Antonii Riccoboni.*

Caſp. Cunradus Med. D. in Proſopographiâ Melicâ hoc diſticho eum honoravit:

Eruit Hippocratis, magniq; reperta Galeni,
O Homines ſupra Mercurialé caput!

Obiit A.C. 1606.

NICOLAUS TAUREL-LUS.

MOmpelgarti, ditionis *Wirtenberg.* oppido, natus eſt 26. Nov. A. 1547.

Philoſophia Magiſter. Philoſophiæ & artis medendi ſtudio imprimis deditus, tantum profecit, ut Magiſter Philoſophiæ renuntiatus ſit *Tubingæ* A. 1565.

Medicina Profeſſor Altdorfii. Indè à Reip. *Nor.* Senatu honeſto ſtipendio invitatus eſt, ut in ſuâ, quam *Altorffii* Imp. *Rudolphi II.* indultu aperuit An. 1581. Academiâ publicè doceret.

Fatis conceſſit *Altorffii* 28. Sept. A. 1606. ætatis 59.

Edidit:

Scripta. *Methodum prædictionis medicæ.* in 4to.

Annotationes in opera Arnoldi Villanovani.

Metaphyſicam philoſophandi methodum.

Alpes cæſas, h.e. Andreæ Cæſalpini monſtroſa dogmata diſcuſſa. in 8vo.

Diſcuſſiones phyſicas & metaphyſicas.

Emblemata Phyſico-Ethica. in 8vo.

De rerum æternitate. in 8vo.

Menſ. Sept. Peſtis contagio graſſante, cum ex ejus ancillis una fuiſſet infecta, *Taurellus* metu perculſus, noctu indè fugit, ſed reverſus paulò pòſt 21. Sept. horâ tertiâ matutinâ obiit, & eâdem die horâ ſecundâ veſpertinâ in cœmiterio extrà muros ſepultus eſt.

Obiit A.C. 1606.

LUBERTUS ESTHIUS.

POſthumus natus eſt *Argentorati* A. 1569. ex *Agnete*, *Caſp. Hedionis*, Theologi eximii filiâ.

Pater ejus *Lubertus* vom Eſth / ex familiâ nobili & ſplendidâ in *Geldria* ortus, pòſt Comiti cuidam *Iſenburgico* præfectus, poſtquàm cum eo per *Galliam* & *Italiam* peregrinatus eſſet, & ſtudia medica feliciter tractâſſet, tandem, cum domi propter *Hiſpanorum* tyrannidem tutò vivere non liceret, *Argentorati* ſedem fixit, & Medicum egit.

In ſcholâ patriâ artibus liberalibus præclarè inſtitutus, *Baſiléam* conceſſit, & Medicis excellentibus *Platero, Bauhino*, & *Stupano* operam dedit.

Deindè *Germanicis* aliquot Academiis perluſtratis *Galliam* adiit.

Medicina Doctor Baſileæ. *Baſiléam* reverſus, honores Doctorales petiit, quos cum tali Collegii medici nactus eſt elogio: *Intra annos plures juvenem nec doctiorem, nec expeditiorem ad animi ſui ſenſa proferenda oblatum ſibi eſſe.*

Medicus Crucenacenſis. Deindè *Crucenaci*, *Palatin.* oppido ſedem fixit, operamque ſuam civibus addixit.

Poſt quadriennium *Haidelbergam* commigravit, ubi in numerum Profeſſorum Medicorum adſcitus, *Galenum* diligenter explicuit. Sæpè etiam cum Medicinæ ſtudioſis agros, campos, & ſylvas perluſtrans, herbarum vires docuit; ac corporum ſectionibus operam dedit.

Medicina Profeſſor Heidelbergæ. Ob has dotes Academia *Heidelb.* non ſolùm Fiſco publico præfecit eum, ſed etiam Rectoratum ſolenniter demandavit.

Cum ita octennium exegiſſet, catarrhis tenuibus infeſtatus, accedente tuſſi levi & pulmonum ſanie, placidè exſpiravit *Haidelbergæ* 20. April. A. 1606. ætatis 37. Moritur.

Dexteritas ipſius in medendo vel iis annis ſpectata fuit, cum dyſenteriâ lethali graſſante, multos jam deploratos, nec infimæ ſortis homines, Archiatri ſummi beneficio, ſervavit.

Acceptus inprimis fuit Electori *Palatino Friderico IV.* & *Erneſto Friderico*, Marchioni *Badenſi*.

Lis ei fuit cum quodam *de ſitu cordis*.

Obiit A.C. 1606.

JOHANNES MüNSTE-RUS.

NAtus eſt *Hailbrunnæ* A. 1571. Patre M. *Ludovico*, Theologo, verbi Divini ibidem 40. annis Præcone.

Philoſophia Magiſter. A. 1584. *Tubingam* ſtudiorum gratiâ miſſus, ibi Philoſophiæ lauream utramque cum laude conſecutus eſt.

A. 1591. *Linciam Styriæ* abiit, ibique cum *Italis* ita verſatus eſt, ut ab iis literas commendatitias ad Medicos in *Italiâ* celeberrimos acceperit.

Poëta laureatus. Medicina Doctor Baſileæ. Poſteà cum *Viennenſium* quorundam liberis in *Italiam* profectus, præterquam quod Laureâ poëticâ fuit ornatus, in arte medicâ tantum profecit, ut in reditu *Baſileæ* Medicinæ Doctor ſolenniter renuntiatus ſit 16. Febr. A. 1599.

Conjugium. Paulò pòſt *Eringe* in Comitatu *Hoenloënſi* matrimonium contraxit cum virgine *Helenâ Zobelinâ*, *Johannis Zobelii*, Conſulis ibidem filiâ.

Medicus. A. 1605. Cum anteà *Hailbrunnæ* in patriâ Medicum egiſſet, à Republ. *Wimpinenſi* Phyſici Medici munus oblatum ſuſcepit.

An. ſeq. avocatus à *Ludovico, Haſſiæ* Landgravio, in ordinem Profeſſorum Scholæ *Gieſſenæ* adſcitus eſt, ibi morte prematurâ fuit ereptus 25. Sept. An. 1606. ætatis 35. Moritur. Cum biduo ante uxorem præmiſiſſet, relictis duobus filiolis ſuperſtitibus.

Scripta. Scripſit & edidit *Libros V. de pædophlebotomiâ, quibus Galeni decretum, de non mittendo pueris ſanguine ante 14.tum ætatis annum defenditur pro Alex. Maſſariâ adverſùs Horat. Augenium.*

Obiit A.C. 1606.

ANDREAS CHRISTIA-NUS.

NAtus eſt *Ripis Cimbrorum*, Patre *Chriſtiano Severino*, Matre *Catharinâ Andreæ f.* Conſumtis in ſcholâ patriâ, magno cum fructu annis 16. ſtudia ſua ad Academiam *Hafnienſem* tranſtulit, in quâ annos 8. transegit, clariſſimis viris D. *Knoppero*, D. *Hemmingio*, D. *Pratenſi*, D. *Johanni Franciſco*, aliisque notus & dilectus. Philoſ. ſtudioſus Hafniæ.

Philoſophiæ Baccalaur. Intereà Philoſophiæ Baccalaureum meruit, & Communitatis Regiæ Præpoſitus conſtitutus eſt.

Philoſophiæ Magiſter Wittebergæ. Exindè Regio ſtipendio impetrato exteras regiones inviſit. *Wittebergæ* primùm per biennium ſubſtitit, & titulo Magiſterii exor-

Med. ſtudi-ofus Jena. exornatus eſt. Studii verò Medici gratiâ *Jenam* adiit, operâ D. *Schröteri* per biennium uſus.

Anatomiam exercuit. Iterum illum *Wittebergâ* revocavit propter Anatomica exercitia, quæ ibidem per biennium quoque fervidè urſit, aliosque publicè docuit magnâ nominis celebritate.

Italiam deindè petiturus, *Francofurti* ad *Mœnum* pleuriſi detentus, operâ D. *Mouſeti Angli* convaluit. Poſt moram in *Patavino* Gymnaſio *Baſiléæ* Doctoris Medici titulum obtinuit. *Doctor Medicinæ Baſil.*

Editis ibidem variis de re medicâ opuſculis poſt decennale iter in patriam revocatus, Succeſſor deſtinatus eſt D. *Johannis Franciſci* in Cathedrâ medicâ *Hafnienſi*, quam magnâ cum laude 17. annis ornavit. Nec prætereundum hic eſt, quod Sereniſſ. Rex *Scotiæ*, *Jacobus VI.* Collegium *Havnienſe* ingreſſus, ipſum docentem audivit A. 1590. *Medicinæ Profeſſor Hafniæ.*

Uxorem duxit. Oeconomus Communitatis. Præfectus Sorenſis. Intereà uxorem duxit *Abigaëlem Johannis Suaningiam*, & Communitatis Oeconomiam magnâ prudentiâ adminiſtravit, donec ad Præfecturam *Sorenſem* Ser. Reg. Maj. clementer jubente vocaretur.

Moritur. *Soræ* vixit magno Scholæ commodo per 5. annos, donec dolore lateris placidè exſpiraret 27. Nov. A.C. 1606. ætatis 55.

Vir experientiâ inclytus, doctrinâ celebris, & in artis medicæ uſu felix: quodque illo ævo rarum, Anatomicis exercitiis deditiſſimus, quæ cum aliquando in Academiâ *Havnienſi* in corporis virilis diſſectione, in uſum juventutis & Academiæ ſplendorem repetere vellet, eò ferè rem perduxiſſet, niſi manum retraxiſſet, ut à conviviis honeſtiorum hiſce minus aſſvetorum abſtinere oportuerit: adeò nauſeabant tum hominum mores ab utiliſſimâ hâc Medicinæ parte.

Monumentum ipſi in templo *Sorenſi* poſitum eſt ſequens: *Monumentum.*

MORS MIHI VITA FUIT.

P. MEMORIÆ ERGO BEATO IN DOMINO D. DOCTORI ANDREÆ CHRISTIANI F. RIPENSI, PHILOSOPHO QUONDAM ET MEDICO HAFNIÆ EXCELLENTI, AC DEMUM PRÆFECTURÆ SORENSIS PER QUINQUENNIUM ADMINISTRATORI INTEGERRIMO MARITO SUO LONGE DESIDERATISSIMO ABIGAEL SUANINGIA MONUMENTUM HOC M. P. OBIIT PLEURISI XXVI. NOV. A.D. MCVI. ÆTATIS LV. CONJUG. XXI.

Scripta:

Scripta. *Enchiridion Medicum* de cognoſcendis curandisque humani corporis morbis, ex *Triacavellii* lectionibus concinnatum. *Baſil.* 1607. in 8vo.

Diſputationes duæ: 1. de *ſomno & vigiliâ.* 2. de *Comate & Cataphorâ*, & an *peſtis ſit morbus contagioſus?*

Theſes de Medicinâ & Sanitate.

* *Ex Ciſtâ Medicâ Thomæ Bartholini.*

ANDREAS PLANERIUS.

Obiit A.C. 1607.

Natus eſt *Bozæ*, in Comitatu *Tyrolenſi* An. 1546.

Lindaviæ literarum elementis excultus.

1. Octob. A. 1563. *Tubingam* venit, & in album Academiæ relatus eſt *Johanne Hochmanno* Rectore.

20. Febr. A. 1566. ibidem Magiſter renunciatus eſt. *Philoſophiæ Magiſter.*

Poſteà ad artem medendi animum applicavit, in quâ cum aliis decem ſummum ἀξίωμα Doctoris titulum ſolenniter conſecutus eſt 19. Dec. A. 1569. *Medicinæ Doctor.*

Indè *Argentoratum* honorificè evocatus medicis in Academiâ prælectionibus tantiſper præfuit, donec *Jac. Schegkius* profeſſionem *Tubingæ* reſignâſſet.

An. itaque 1578. *Argentorato Tubingam* revocatus menſ. Majo, eò migravit, & Profeſſionem Philoſophicam cum medicâ ſuſcepit. *Medicinæ Profeſſor Tubing.*

Geſſit ibi aliquoties Decani Medici & Rectoris Academici munus.

Tandem rebus humanis exemtus eſt *Tubingæ* A. 1607. ætatis 61. *Moritur.*

Scripſit *varias Diſputationes philoſophicas & medicas.* *Scripta.*

Methodum inveſtigandi locos affectos.

Vita *Andreæ Planeri*, autore M. *Erhardo Cellio*, Paſt. & Hiſt. Prof. *Tubing.*

Hoc erat Andreas Planer ſpectabilis ore
Luſtra decem vitæ cum videt ipſe ſuæ.
Boza Tyrolenſis vitæ illi præbuit ortum,
Et primas ſtudii fecit inire vias.
Lindavi colitur melioribus artibus indè,
Donec adit Muſas, Urbs Tubiana, tuas.
Hic utrâque videt cingi ſua tempora Lauro:
Hic factus Medicâ Doctor in arte fuit.
Inclyta honorificè pòſt Argentina vocavit;
Et juſſit Medicis voce præeſſe ſcholis.
Indè Tubinga tamen ſummo revocavit honore,
Atque tuum, Schecci, munus utrumq; dedit.
Philoſophos inter Schecceæ ſede locavit,
Et Medicos inter juſſit habere locum.
Hic igitur vivit Logicâ celeberrimus arte:
Et Medicâ famâ vivit in arte pari.
Explicat interpres, ſcriptisque illuſtrat acutis,
Ingenii mirâ fertilitate ſui,
Quæ vel Ariſtoteles, vel quæ Plato ſcripta reliquit,
Galenusque ſagax, magnus & Hippocrates.
Sex Chriſti inprimis, nulli pietate ſecundus,
Verba tenet; vitæ clarus honore ſuæ.
Clarus & officiis: Medici jam ſæpè Decanus
Collegi, medicas res vigilanter agit.
Magnificus magno jam ter quoq; Rector honore,
Eximiis tantum laudibus egit opus.
Vir bonus, humanus, ſtudiumq; paratus ad omne,
Quo potis eſt aliis utilis eſſe viris.
Vive ſcholæ noſtræ, planiſſima gloria, felix,
Vive diu; hos verſus qui legit, optat idem.

HERCULES SAXONIA.

Obiit A.C. 1607.

Patavii A. 1551. natus, Patris *Victoris*, & Patruorum *Hieronymi* ac *Franciſci* ſemitis inſiſtens, vix medicæ artis inſignibus decoratus, Tertium *Avicennæ* Librum interpretari cœpit, cum audientium, *Germanorum* imprimis, concurſu.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

Cum *Patavii* Medicinam Theoricam per annum profeſſus eſſet, à Reip. Patribus *Venetiis* evocatus, eò cum familiâ migravit, ibique cum laude vixit, & opes magnas acquiſivit usque ad an. 1589. quo ſuffectus *Hieronymo Capivaccio* defuncto rediit in patriam, in eâque Principem Academiæ medicæ Cathedram ad finem vitæ ſuæ decoravit.

Imp. Maximilianum II. curavit.

Intereà adImp. *Maximilianum* gravi morbo laborantem in *Germaniam* accerſitus, ipſi ſalutis autor fuit, ab eoque Eques renunciatus, & donis cumulatus in patriam reverſus eſt.

Cum peſte *Piſauri* ſæviente Dux *Urbini* omnes Medicos *Patavinos* ut morbo invaleſcenti occurrerent, conſuluiſſet, iis quoad uſum Theriacæ & Medicamentorum Veſicantium diſſentientibus, ipſe Tractatum de his integrum contrà *Alex. Maſſariam* ſcripſit.

De ſe ipſo retulit in Scriptis ſuis, quod cum adhuc in utero matris eſſet, eamque Molâ laborare Medici putâſſent, ipſi medicamenta exhibuerint ad molamejiciendam fortiſſima, ſed irrito conatu, cum infans incolumis manſerit.

Moritur.

Obiit tandem *Patavii* 6. Cal. Sept. An. C. 1607. ætat. 56. nullis relictis liberis ex uxore *Cæciliâ*, D. *Bernhardi Trivisani* filiâ.

Edidit:

Scripta.

Pantheum Medicinæ ſelectum, ſive Medicinæ Practicæ Templum, in libros XI. diſtinctum à Petro Uffenbachio editum.

Prognoſeon Practicarum Lib. II.

De Febrium putridarum ſignis & ſymptomatibus Lib. III.

Tract. de pulſibus & urinis.

De morbo Gallico.

De melancholiâ.

De Phænigmis Lib. III.

De Plicâ Polonicâ.

Libellum de vero & legitimo Aquæ Cordialis concinnandi modo & utendi ratione, cum aliis ſcitu dignis propoſitum à D. Claudio Deodato.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Epitaphium.

EPITAPHIUM:

HERCULIS OSSA
HIC JACENT,
QUI NOMEN AB ARTE MEDENDI ANTE ALIOS
CLARUM SPARSIT IN ORBEM SUUM.
ET QUIS EST QUI NON DOLEAT, MORSQUE
IMPROBA DICAT
DURIOR HEU SAXO SAXONIAM ABRIPUIT?
ÆTATIS SUÆ LVI. M. VI. D. VI.
VI. KAL. SEP.
VICTOR FRATRI CLARISS. P. L.
ET SANSONO FRATRE PROCURANTE.

Obiit A. C. 1607.

JACOBUS HASENBART.

Filius Chirurgi.

Natus eſt Patre *Jacobo Haſenbart*, Chirurgicæ artis perito, *Abigaele* matre, *Bonifacii* f. *Lubecæ* A. C. 1552. quorſum Parentes ipſius relicto *Hamburgo* conceſſerant.

Illinc in regnum *Daniæ* Parens vocatus eſt à Potentiſſ. Rege *Chriſtiano III.* comitante filio ferè anniculo, ubi educatus eſt in bonarum artium cognitione & fundamentis pietatis.

Vitricum naſtus Pharmacopæum Duc. Holſat.

Mortuo autem Parente A. 1556. Mater ipſius nuptiis ſecundis adjunxit ſibi *Antonium Battum*, præcipuum eorum, qui materiam medicam & rem herbariam tractârunt in Officinâ *Hafniæ* primariâ.

Hic poſteà vocatus ab Illuſtr. Dom. *Johanne*, Principe *Holſatiæ* Seniore *Hadersleviam* Apothecarius, ſimul Privignum ſecum eò deduxit, & bonis moribus ibidem informari curavit, donec ætate provectiorem Sereniſſ. Regina *Dorothea* ſuis tectis inferret, illumq; juberet inter ſuos numerari A. 1563. cum Præceptore, quem peculiarem illi ſelegerat.

Scholæ Phorcenſis alumnus.

Eo tempore cum Regina *Dorothea* molitetur profectionem in *Miſniam* ad inviſendum Illuſtr. Principem Dom. *Auguſtum*, Electorem *Saxoniæ*, Generum ſuum, illum ſecum tranſtulit, & effecit, ut Scholæ *Phorcenſis* in *Miſniâ* alumnus fieret, ubi etiam vixit ſexennium.

Studioſus Philoſ. Hafniæ.

Cum verò intellexiſſet, unam ſororem nupſiſſe Reverendo viro Dn. *Paulo Matthiæ*, Epiſcopo tunc temporis *Ripenſi*, in *Daniam* ſe contulit: poſt prædictum Dominum Epiſcopum ad adminiſtrationem Diœceſis *Selandiæ Hafniam* vocatum comitatus, ita factus eſt ſtudioſus Academiæ *Hafnienſis* An. 1569.

Studioſus Med. in Italiâ.

Indè cum uberiorem feciſſet profectum in ſtudiis, rurſus ſe contulit *Roſtochium*, indè *Wittenbergam* A. 1580. *Hafniam* reverſus, ſtipendium Regiæ Majeſtatis eſt nactus, quo adjutus in *Italiam* eſt profectus, ubi manſit triennium Facultatis Med. ſtudioſus.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

Completo autem curriculo ejus ſtudii *Baſileam* profectus, & lauream Doctoralem nactus eſt.

Practicus in Angliâ.

A. 1583. Reverſus eſt *Hafniam*, atque demum conſilio amicorum & majoris experientiæ gratiâ profectus eſt in *Angliam*, ubi accipiendo & dando Conſilia mirum in modum profecit.

Conjugem duxit.

Poſt A. 1590. rediit *Hafniam*, & ſequenti duxit uxorem virginem *Chriſtinam*, filiam *Nicolai Paaſckes*, Scribæ primarii in Arce *Hafnienſi*, quam 7. liberorum matrem reliquit viduam.

Archiater Regis Daniæ.

A. 1593. In minore ætate Regiæ Majeſtatis vocatus eſt in Aulam, ut Archiatri Regii munere fungeretur, in eo munere vitæ ſuæ tempore reſiduo permanſit, multis exantlatis laboribus & periculoſis profectionibus cum Regiâ Majeſtate.

Moritur.

An. 1606. cum Regia Majeſtas hybernaret in Arce *Anderſchow*, ipſe verò officii ratione commoraretur *Slagloſiæ*, cum aliis aulæ miniſtris in gravem morbum incidit, qui poſteà ipſum non deſeruit penitùs, tandem continuè lecto affixum detinuit, usq; dum vitam cum morte commutare coëgit 9. Sept. A. C. 1607. æt. 55.

In lu-

In lucem emiſit:

Scripta. *Carmen nuptiis Aurifabri & Helenæ, Hafniæ 1577.*

Epitaphium Illuſtriſſimæ Reginæ Scotiæ Sereniſſ. Jacobi IV. matris ab Eliſabethâ Angliâ ſecuri percuſſæ.

* *Ex Programm. fun. M. Joh. Stephani, Rectoris Academiæ Hafnienſis.*

Obiit A.C. 1608.

THEODORUS PLATEANUS.

CYgneæ, Germ. Zwickaw / *Miſniæ* urbe, natus eſt A. 1530.

Patrem habuit *Plateanum*, ſcholæ illius Rectorem.

An. 1548. *Wittenbergam* venit, ubi deinceps Medicinæ operam dedit, in quâ brevi tantum profecit, ut opera ipſius in faciendâ medicinâ certatim expeteretur.

Cum deindè Vir nobilis *Henricus Gleſſealer* copias equeſtres adverſùs *Turcas* in *Hungariam* duceret, in caſtris illius mercede publicâ medicinam exercuit.

Ex *Hungariâ* reverſus, operam ſuam condixit ductori equitum *Paulo Woboſero Pomerano*, qui tunc auſpiciis *Alberti Boruſſiæ* Ducis militavit.

Confecto illo bello *Wittenbergam* ad Muſas regreſſus eſt.

Medicus Saxonicus. A. 1567. Bello *Gothano* exorto in caſtris Electoris *Sax. Auguſti* publico Imperii ſtipendio medicinam tractavit.

Denique in *Galliam* profectus, cum turmis *Germanicis* in annum tertium ſtipendio *Henrici III. Gall.* Regis officium ſuum fecit.

Senator. Ætate ingraveſcente *Wittenbergam* iterum ſe recepit, ubi A. 1593. in ordinem Senatorium cooptatus eſt.

Moritur. Exemtus eſt rebus humanis 24. Junii An. 1608. æt. 78.

Obiit A.C. 1609.

ANDREAS LAURENTIUS.

PAtria ei fuit *Mons Peſſulanus*, nobile in *Nitiobrigibus* oppidum, cui ad veterem gloriam Academia ſtudiis Medicis exculta non leve attulit augmentum.

In Aulâ Reg. Gall. enutritur. Natalium ſplendorem vel hinc colligere poſſumus, quod adoleſcens admodùm ad Aulam Regis admiſſus, in eâque enutritus, ingenii præſtantiam magnorum virorum conſuetudine mirificè auxit.

Cumque ad Medicinæ ſtudium animum applicuiſſet, inque eâ majores, quàm quisquam æqualium feciſſet progreſſus, ſecutus eſt Magnum illum ævi noſtri Heroa, *Henricum IV. Galliæ* & *Navarræ* Regem, victricia arma per Regnum ſuum circumferentem. Archiater Henrici IV. Reg. Gall.

Ubi accidit, quod jure mireris: inter ipſos armorum & furentis Bellonæ ſtrepitus quod adeò increverit literata illius gloria, ut ſerpente per tempora Regis triumphali lauru ipſe non minus laureatum ex felici Jatro Chirurgices praxi retulerit nomen.

Undè adeò in Regis ſui irrepſit animum, ut non auctus duntaxat opibus, illuſtribusque ornatus titulis, Archiatri Regii, & Academiæ *Montiſpeſſulanæ* Cancellarii, ſed & inter Conſiliarios Regios admiſſus fuerit. Cancellar. Academiæ Monspel. & Med. Profeſſor.

Cum autem Regio diplomate *Monspelii* Medicinam publicè docendi munus obtinuiſſet, admitti tamen non potuit, donec iterum factus fuiſſet primò Med. Baccalaureus, deindè Licentiatus, tandemque Doctor, & toties iterum de Medicinâ reſpondiſſet, quoties in Academiâ ex illius inſtituto opus fuit. Horti quin etiam Medici extrà Urbem ante portam *de Pera* dictam ſiti fundator, hujus portæ inſcribi curavit: Horti Med. dicti fundator. *Argus eſto, non Briareus.*

Moritur. Mortuus eſt A. C. 1609.

Lucubrationes ejus, quas noſtra miratur ætas, hæ ferè ſunt:

Scripta. *Anatomiæ Corporis humani Libri XII. in quibus non tantùm univerſam illius fabricam hiſtoriam, additis figuris elegantibus æri inciſis abſolvit, ſed & Controverſias Medicas accuratè pertractavit.*

De Criſibus Lib. III.

De Strumis Lib. II.

De nobilitate viſûs.

De Melancholiâ, & Catarrho.

De Senectute.

De Podagrâ.

De Leprâ.

De Lue Venereâ.

Commentar. in artem parvam Galeni, & Conſilia Medica.

* *Ex Parte II. Vitarum virorum doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A.C. 1609.

CAROLUS CLUSIUS.

EX familiâ nobili natus eſt *Atrebati* in *Belgio* 19. Febr. A. 1526. *Gandavi* ſtudiorum gratiâ biennio vixit, & A. 1546. *Lovanium* profectus, Græcis operam dedit. Triennio pòſt in *Germaniam, Marpurgum*, & *Wittebergam* profectus eſt.

An. 1550. In *Galliam Narbonenſem* iter ſuſcepit. A. 1564. in *Hiſpaniam*, quam anni ſpatio perluſtravit. A. 1571. in *Angliam*, An. 1573. à Cæſare *Maximiliano II.* vocatus, *Viennam Auſtriæ* conceſſit, ubi in aulæ familiarium numerum receptus, & horto Cæſareo Præfectus eſt. Præfectus horti Cæſarei.

An. 1588. aulæ tædio *Francofurtum ad Mœnum* ſe contulit, ubi ſexennio privatim Muſis vixit.

Italicam profectionem ter tentavit, irrito tamen ſemper conatu.

A. ætatis 24. hydrope laboravit ex intemperante aquæ frigidæ potu, à quo *Gulielmi Rondeletii*, Prof. *Monſpelienſis* curâ liberatus fuit.

An. ætat. 39. in *Hiſpanicâ* peregrinatione ruente in curru per acclive equo cum ipſo Seſſore brachium dextrum ſuprà cubitum fregit, & anno ſequenti crus dextrum.

Annum ætatis 55. agenti *Viennæ Auſtriæ* pes ſiniſter luxatus, & malleolus fractus eſt.

An. ætatis 65. *Francofurti ad Mœnum* ex caſu dextrum ei femur luxatum, & luxatione nec à Chirurgis, nec à Medicis agnitâ,

ſed neglectâ, ad contuſionem duntaxat medicamenta applicantibus, prorſus claudus effectus eſt, ut ne pedem quidem promovere poſſet, niſi gemino *Scipione* ſub alis ſubnixus. Eam ob cauſam cum corpus exercere non poſſet, acceſſêre calculus, colicus dolor & hernia.

A. 1593. *Francofurto Lugdunum Batavorum* à Curatoribus Acad. evocatus, ibi cœlebs vivere deſiit 4. Apr. A. 1609. ætat. 84. *Moritur.*

Scripta ab eo edita ſunt ſequentia: *Scripta.*

Antidotarium Florentinum.

Hiſtoriæ ſtirpium Hiſpanic.

Obſervationes Plantar. Pannonicar.

Petri Bellonii Obſervationes.

Chriſtoph. à Coſtâ Hiſtoria Aromatum.

Nicolai Monardis de medic. ſimpl.

Garciæ ab Ortâ Dialogi de Aromatibus apud Indos naſcentibus.

Hiſtoria Americana.

Galliæ Belgicæ Chorographica deſcriptio poſthuma.

Exoticorum libri X. ubi animalium, plantarum, aromatum, & fructuum peregrinorum hiſtoriæ deſcribuntur.

SEBASTIANUS PETRICIUS.

Clar. A. C. 1610.

Pilsnæ honeſtis parentibus natus, & in Academiâ *Cracovienſi* à *Martino Pilsnenſi*, celebri tunc Phyſico ſuo populari eruditus, primum in artibus honorem ſub *Valentino Vidavio*, tunc Artiſtarum Decano, promeruit An. 1574. Magiſterii verò gradum an. 1583. Eos deindè in Philoſophicis ac Medicis ſtudiis progreſſus fecit, ut facilè in *Belgium* primò, atque in *Italiam* deindè profectus, Doctoris Laureâ à *Patavinorum* Medicorum Collegio fuerit donatus. *Philoſophiæ Baccalaur. & Magiſter.* *Medicinæ Doctor.*

Indè reverſus, *Macieiovii* Cardinalis primùm Archiater fuit, poſteà *Demetrii Moſcovitici* Principis. Quo à perfidis ſubditis occiſo, iterum in patriam variâ fortunâ delatus, & quieti deditus varia opuſcula ſcripſit. Notavit & res geſtas ſui temporis, ſed quas *Job. Innocentio* filio itidem Medico, & omni ferè liberali doctrinâ imbuto proſequendas commiſit, addito Hiſtoriographi titulo, & ſtipendio aſſignato, ut perpetuo ex tunc ſuum Academia Hiſtoriographum habeat. Sibi verò ipſe hoc Cenotaphium poſuit: *Archiater.* *Hiſtoricus.*

D. O. M. S.

Epitaphium.

SEBASTIANUS PETRICIUS ILL. CARDINALIS MACIEIOVII A CONSILIIS MEDICIS, ET ITINERUM COMES, PROFESSOR IN LYCEO, PHILOSOPHUS IN VITA, MEDICUS IN MORBIS ARCENDIS, REGNO, URBI, OMNIBUS. SCRIPTO, EXEMPLO, PRÆCEPTO PRODESSE STUDUI. ARISTOTELEM, HORATIUM NOSTRATEM LINGUAM DOCUI, TYBERIM, RHENUM, RHODANUM ADII, BORYSTHENEM ET HOSTILEM MOSUAM SENEX INVITUS IBI. NESCIO AN PROFUI, HOC VERE DIXERIM, FUI. VADISTI ME HOSPES, PERSPICE RURSUM TE. VIVIS SI LABORE ET VIRTUTE COMMUNI BONO VIVIS. SI VITAM INVITAM, MUNDUM IMMUNDUM PUTAS. SI HOC UT MINIMUM INQUINERIS CURAS. MOR. ANNO DOM. ÆTAT.

Scripta:

Politica & Oeconomica Ariſtot. in nativum ſermonem verſa. *Scripta.*

Horatius notationibus illuſtratus.

Remedium contrà peſtilentiæ vim.

Epigrammata varia.

Pſalterium Carmine Polonico, quo Cochanovium æmulatus eſt, quod tamen non evulgavit.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Simon. Starovolſcii.*

NICOLAUS BRUNO.

Clar. A. C. 1610.

Cum *Hermannus Wolffius* Principis accitu in aulam *Caſſellanam* ſe contuliſſet, alterius quoque fratris *Johannis Wolffii* operâ in aulâ *Marpurgenſi* occupata, ne ſtudia medica elangueſcerent prorſus, hic an. 1597. ut medicam artem extrà ordinem doceret, Principis curâ & juſſu *Marpurgum* evocatus eſt. *Medicinæ extraordinarius Profeſſor.*

Sed poſtmodùm defuncto *Muldnero*, anno 1599. inter Profeſſores ordinarios docere juſſus Phyſicam, quæ in naturâ deliteſcunt, non quotidianis ſolùm commendationibus, verùm etiam diſputationibus accuratè elaboratis, enotuit & explicavit non minùs ſedulò, quàm acutè, triennio etiam pòſt in Philoſophicâ Facultate Decani munus ſuſtinuit. *Profeſſor Phyſices.* *Philoſophiæ Facultatis Decanus.*

Atque veterani inſtar militis de ordine in ordinem tranſiens, inter Medicorum ordinariorum ſubſellia ſubſtitit, demum & utilem prorſus Academiæ 22. annos non ſine juventutis ſtudioſæ fructu & commodo locavit operam. Decani inſuper tertiâ & ſummi in Academiæ Magiſtratus dignitate ſecundâ vice auctus. *Ordinarius Medicinæ Profeſſor.* *Decanus ter, Rector verò bis fuit.*

Scripta ejus ſunt:

Icones ſtirpium atque plantarum tàm inquilinarum quàm exoticarum ſecundæ & tertiæ partis D. Jacobi Theodori Tabernæmontani Commentarii. *Scripta.*

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

NICOLAUS BRUNO.

Per Anagramma:

Bonus vir Lacon.

JACOBUS ZWINGERUS.

Obiit A. C. 1610.

Baſileæ natus eſt 15. Aug. A. 1569. Patre *Theodoro*, Medico, Matre *Valeriâ*, *Jacobi Ridini* filiâ.

E ſacro fonte ſuſceptus à *Petro Ramo*, qui tunc temporis ſolum *Pariſienſe*, propter perſecutiones Evangelicorum vertere coactus, *Baſileam* venerat.

Puer Ephorum privatum habuit *Petrum Rothium*, *Freiſtadienſem Sileſium*: præter quem pater ipſe præceptis ſuis filii tenerum animum expolivit.

A. 1585. In *Italiam* iter ſuſcipiens, *Patavii* ſedem ſtudiorum fixit. Ibi Præceptore uſus eſt domeſtico, & planè amico *Jacobo Zaba-*

ſeſſà in Logicis & Phyſicis, nec in Ethicis *Franciſcum Piccolominium* neglexit. In arte medicâ cumprimis audivit & imitandos ſibi propoſuit *Herculem Saxoniam*, è *Saxonibus* oriundum, qui adeò *Zwingerum* dilexit, ut niſi diverſitas in Religione obſtitiſſet, adoptare illum, & ampliſſimi patrimonii ſui hæredem ſcribere cogitârit: item *Horatium Augerium*.

Fit Doctor Medicinæ. A. 1593. *Baſiléam* reverſus, & in Medicorum numerum adſcriptus an. ſeq. poſtquàm ſeptennium, quod requirunt leges, ſtudiis exegiſſet, per *Felicem Platerum* Med. Doctor ſolenniter renuntiatus eſt.

Non multo pòſt *Judithum*, *Bernhardi Brandii*, Senatoris filiam, ſibi vitæ ſociam delegit.

Profeſſor Baſileenſis. Eodem tempore cum *Baſiléæ* Profeſſio linguæ *Græcæ* vacaret, ad eam publicè docendam vocatus, *Homerum* interpretari cœpit.

Præterea domi medicinæ præcepta ſtudioſis frequentibus tradidit: nec tantùm priſcorum medicamentis, ſed etiam Chymicorum myſteriis deditus citò, tutò jucundèque curavit, quâ in re plurimum debuit *Guilielmo Arragoſio Tholoſati* in *Platonis* Philoſophiâ & medicinâ *Spagiricâ* verſatiſſimo, qui cum trium *Galliæ* Regum, & Imp. *Maximiliani* fuiſſet Medicus, *Zwingerum* & artis ſuæ & omnium facultatum hæredem ſcripſit, antequàm ſenex & cœlebs anno ætatis 97. deceſſiſſet.

Noſodochio *Baſileenſi* per annos multos gratis præfuit, valdè diſſimilis *Jacobo Cottirio*, qui menſtruum ſtipendium à Rege *Galliæ* 10000. aureorum habuit. In illud lubens ſecum medicinæ ſtudioſos deduxit, ut praxin addiſcerent.

Baſiléæ peſte graſſante dum aliis fideliter inſerviit, eâdem correptus cum anthrace duplici, ſeptimo die in piâ DEI invocatione *Moritur.* extinctus eſt 11. Sept. An. 1610. ætatis 41. cum uxor eodem contagio decumbens, 6. horis in *Baſiléam* cœleſtem illum præceſſiſſet.

Scripta. Edidit: *Examen principiorum Chymicorum ad Hipp. Galeni, cæterorumque Græcorum & Arabum conſenſum.*

Phyſiologiam.

Ethymologicum Græcum magnum.

Commentarium in librum Galeni de definitionibus medicis.

Analyſes in Epiſtolas Pauli.

Formulas precum.

Catechiſmum religionis Chriſtianæ.

Theatrum patris expolitum & auctum produxit.

Caſp. Cunrad. Proſopograph. Mel. Mill. 3.

Hippocrates Hermesque mihi ſunt prima laboris Numina: Ariſtoteles dux mihi, Ramus iter.

JOHANNES CUNO.

Obiit A.C. 1610.

N*Orimbergæ* natus A.C. 1557.

Prid. Id. Dec. A. 1584. *Heidelbergæ* Medicinæ Doctor creatus, poſtquàm de Phrenitide pro Gradu diſputâſſet.

A. 1585. *Norimbergæ* inter Medicos Ordinarios receptus. *Medicus Norimbergenſis.*

Ibi obiit 19. Dec. A.C. 1610. ætatis 53. 25. Dec. ſeq. unà cum Conjuge ad ſepulturam elatus eſt.

* *Ex Actis manuſcriptis Collegii Med. Norimberg.*

Filius ejus *Joh. Clemens Cuno Baſiléæ* Med. Doctor A. 1614. creatus, & anno ſeq. in Collegium Medicorum patriæ receptus, in eâ vitam finiit 21. Nov. A.C. 1632.

MARTINUS RULANDUS

Obiit A.C. 1611.

Filius.

FIlius *Martini Rulandi*, Chymiatri celeberrimi Principis *Palat. Philippi Ludovici* Archiatri, & Profeſſoris in Gymnaſio *Lauingano*, natus eſt *Lauingæ* die *Martini*, A.C. 1569. Frater fuit 4. Medicorum, D. *Andreæ* Phyſici *Ratisbonenſis*, D. *Johannis*, Reip. *Poſonienſis* in *Hung.* inferiori Archiatri, D. *Valentini*, qui Patri *Lauingæ* ſucceſſit, & *Ottonis Henrici*, Med. Candidati *Tubingæ* degentis. *Filius Medici cognom.* *4. frater Medicor.*

Naturâ præditus ingenio præclaro, cum in diverſis Academiis ſtudiorum gratiâ verſatus eſſet, tantos fecit brevi tempore progreſſûs, ut A.C. 1587. ætatis ſuæ 18. *Baſiléæ* cum laude Doctorales honores adeptus fuerit. *Medicinæ Doctor 18. annorum.*

A. 1594. *Ratisbonæ* Phyſicus ordinarius conſtitutus, paulò pòſt conjugio junctus eſt cum virgine *Benignâ* D. *Johannis Diemeri*, J. C. & Conſiliarii *Colonienſis* filiâ, quæ durante matrimonio concordi 17. annorum ſpatio 13. ipſi liberos peperit, ex quibus 8. vivos reliquit ſuperſtites. *Phyſicus Ratisbon.* *Deſponſatur.*

16. Martii A. 1607. ab Imp. *Rudolpho II.* ob nominis famam *Pragæ* inter Medicos Cæſareos receptus, ibi febri petechiali correptus, ſubitò exſpiravit, 23. April. An. C. 1611. æt. 41. *Pragæ* ſepultus eſt in Templo S. *Nicolai*. *Medicus Cæſareus.* *Moritur.*

* *Ex Concione funebri Tobiæ Winteri, Eccleſ. Evang. Paſtor.*

Anagrammata:

MARTINUS.

Mars unit. Et *Ars murit.*

MARTINUS RULANDUS.

Munus artis Ruland.

MARTINUS RULANDUS MEDICUS CÆSAREUS.

Lumen, decus, ac mirandus eras uſu artis.

Libri ab eo ſcripti: *Scripta.*

Hydriatice, ſeu *aquarum medicarum lectiones* in 4to.

Hiſtoria de aureo dente, deque eo judicium, in 4to.

Balneariam reſtauratum, in quo curantur morbi per baln. natural. artificial. inſeſſus, lixivia, ſudationes. in 8vo.

Problemata Chymica, cum tractatu de lapid. Philoſoph. in 8vo.

Curationum Hiſtoricarum Centuria, in 12mo.

Problemata Medico-Phyſica.

De Phlebotomia, morbisque per eam curandis libellus. in 12mo.

JACO-

Obiit A.C. 1611.

JACOBUS FLACHIUS.

J*Ena-Thuringus*, natus eſt 4. Nov. A.C. 1537. *Wittembergæ* promotus Philoſ. Magiſter An. 1560.

Matheſ. & Med. Profeſſor Jenæ. Med. Doctor creatus ult. Jan. An. 1570. *Jenæ*, ibidem Profeſſionem nactus eſt tum Mathematicam An. 1572. tum Medicam A. 1582.

Moritur. Obiit tandem in patriâ 22. Julii An. C. 1611. ætatis 74. Anno ſeq. die 8. Maji parentavit ei D. *Zachar. Brendelius*.

* *Ex Nomenclat. Profeſſ. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc eum Epigrammate honoravit:

Inter Jenenſes Jacobus Flachius audit
Primus, cui titulos patria Jena parat.
Namque Profeſſorem Sophicum, Medicumque ſalutat
Ipſum, & Doctoris mactat honore prius.

Obiit A.C. 1611.

LEONHARDUS DOLDIUS.

H*Agenoæ* in *Alſatiâ* natus 23. Februarii A. C. 1565.

Baſileæ Med. Doctor creatus eſt, poſtquàm de omni Sanguinis Profluvio Diſputationem Inauguralem habuiſſet 12. Julii An. 1594.

Medicus Noribergenſis. *Norimbergæ* in Collegium Medicum An. 1595. receptus, praxin feliciter exercuit.

Podagræ obnoxius ex hæreditate maternâ, cum ſtrictiorem vivendi rationem obſervâſſet, & ſubindè potiones decoctas ex guaiaco, ſarſaparillâ & ſimilibus, unà cum Acidulis bibere ſolitus eſſet, in hydropis ſpeciem, quam Aſciten Medici vocant, incidit, & fruſtrà medicamentis variis adhibitis, à Collegis, quos in Conſilium vocabat ordinatis, tandem viribus diſſolutis vitam cum *Obiit hydrope.* morte feliciter commutavit 22. Aug. A. C. 1611. æt. 47. Aperto poſt mortem corpore 21. menſuræ aquæ ſeroſæ exhauſtæ, hepar durum & in ſcirrhum redactum, ſplen magnum & latum, formâ ſem. phaſeoli, reliqua viſcera ſatis benè conſtituta comparuerunt.

* *Ex Actis Collegii Med. Norimberg. manuſcriptis.*

Obiit A.C. 1611.

MELCHOR FISCHETUS.

C*Oloniæ Agrippinæ*, Patre cognomine per 40. annos Cæſaribus, Regibus & Principibus variis familiariter noto natus eſt A.C. 1581. Cum domi ſtudiorum fundamenta jeciſſet, an. æt. 14. ſtudio medico deditus, Academias *Heidelbergenſem, Baſileenſem, Tubingenſem, & Argentinenſem* *Medicinæ Doctor an. ætat. 21.* acceſſit, in quibus adeò fecit felices in arte medicâ progreſſus, ut anno ætatis 21. ſolenniter Med. Doctor renuntiatus fuerit.

Chymicus. Abindè famâ clarus propter artis Chymicæ præſertim peritiam non vulgarem, *Archiater Imp. Rudolphi II.* ab Imp. *Rudolpho II.* A. 1609. inter Archiatros cooptatus, & an. ſeq. à *Maximiliano*, Archiduce *Auſtriaco*, propter ſecreta ſua Medicinalia Medicus aulicus conſtitutus eſt. Sed in flore ætatis & honorum febre *Hungaricâ* malignâ correptus, placidè in Chriſto exſpiravit 20. Novemb. A.C. 1611. ætat. 30. *Obiit febre malignâ.*

* *Ex Concione fun. à Matthiâ Hoë, Theol. Doctore, Pragæ in Templo S. Johannis Huſſi habitâ.*

FRANCISCUS ULMUS.

Obiit A.C. 1612.

B*Rixiæ* natus, ex familiâ *Bergamenſi*, Philoſophus & Medicus fuit excellens, qui *Medicus Brixienſis.* varia Conſilia ſalutaria Principibus ſcripſit. Poëſi etiam delectatus per horas *Poëta.* ſubciſivas Poëmata elegantia ſcripſit. Senex tandem in patriâ cum triduo tantùm decubuiſſet, exſpiravit A. C. 1612.

Linguâ *Italicâ* edidit:

Scripta.

Il libro delle occulte proprietà.

I Significati del Vello d' oro.

Un grand' Volume di Conſigli fatti ad iſtanza di diverſi Principi Italiani & Oltramontani.

Le Ode nelle quali ha imitato Pindaro & Horatio.

Un' invettiva molto ſpiritoſa contra i funeſti convitti de gli Oltramontani.

De occultis in re medicâ proprietatibus Lib. IV.

De certâ ratione judicandi ex Urinis Lib. IV.

* *Ex Theatro Virorum doctorum Italiæ Hieronymi Ghilini.*

HENRICUS FABRICIUS.

Obiit A.C. 1612.

T*Abernis montanis*, Bergzabern/ dit. *Bipontinæ* oppido natus eſt A. 1547.

Prima literarum tyrocinia fecit *Hornbaci*, in patriæ ſcholâ inter alumnos ejus cooptatus, Rectore *Immanuele Tremellio*, Theologo A. 1559.

A. 1565. *Wittenbergam* adiit, & biennio pòſt *Argentoratum*.

Reverſus aliquantiſper *Biponti* apud *Cunmanum Flinſchbachium* Superintend. ſubſtitit, & Hypodidaſcalum egit.

Mox *Lutreæ* pædagogus aliquot nobilium *Friderici à* Scharffenſtein/ Elect. Palatinatûs Præfecti filiorum factus, *Haidelbergam* ſe uberioris doctrinæ causâ contulit.

A. 1572. In Comitiis *Spirenſibus* ordinum *Belgii* ad Imp. *Maximilianum* interpres, ab *Poëta Laureatus.* eodem Lauru poëticâ eſt coronatus.

Eodem anno in *Italiam* abiit, & *Patavii* Medicorum frequens fuit auditor.

An. 1574. In reditu *Baſileæ* Philoſophiæ *Philoſ. & Medicinæ Doctor.* & Medicinæ Doctor ſalutatus eſt.

Hornbacum reverſo, Profeſſio Philoſophica in Gymnaſio demandata eſt.

A. 1577. Ibidem Rectori demortuo *Chriſtoph. Hilſpachio* ſucceſſit.

Medicinam etiam fideliter exercuit.

An. 1600. Emeritus rude donatus eſt à Principe *Johanne, Pal. Bipontino.*

Tandem catarrhò ſuffocatus, è vitâ exivit *Hornbaci* 28. Martii A. 1612. æt. 65. *Moritur.*

Scripſit *Vitam Hieron. Tragi.* *Scripta.*

Epigrammata.

ERNE-

Obiit A.C. 1612.

ERNESTUS SONERUS.

ANno C. 1573. *Norimbergæ* natus eſt, Patre *Marco Sonero*, Cive honeſto, quem Imperator *Maximilianus II.* unà cum 3. fratribus *Johanne*, *Matthæo* & *Georgio Soneris*, omnibus, quibus Nobiles nati gaudere ſolent, privilegiis donavit.

Poſtquàm prima literarum fundamenta *Norimbergæ* jecerat, anno æt. 15. *Altorffium* à parentibus miſſus, tantâ animi alacritate in literarum curriculo perrexit, ut brevi ab inferiorum Claſſium ordine ad publicarum lectionum ſubſellia promotus, omnes ſuos æquales diligentiâ ſuperârit.

Altorfii Claſſes percurrit.

Id cum Academiæ Dominis Scholarchis innotuiſſet, ſine morâ receptus eſt in numerum 12. alumnorum, ubi cum per quadriennium ferè ita ſe geſſiſſet, ut paucos in morum & literarum profectu haberet æquales, ſuperiorem neminem, aureo, quod vocant, ſtipendio à Senatu patrio donatus eſt. Imprimis autem ad Philoſophiam & Medicinam tunc animum appulit, in illâ Ducem ſecutus *Ariſtotelem*, quem diurnâ nocturnâque verſavit manu: ad utriusq; verò cognitionem Magiſtrum nactus optimum D. *Philippum Scherbium*, Philoſ. & Med. Profeſſorem, qui & eum vivus ſibi Succeſſorem delegit.

Receptus inter 12. alumnos.

Philoſ. & Medicinæ ſtudioſus.

Diſcipulus D. Phil. Scherbii.

Sub hujus præſidio cum juvenis de Sanguinis miſſione diſputaret, & in eo certamine pulchrè ſtaret, converſus ad eum *Scherbius*: Nunc quidem, ait, *Sonere*, reſpondentis munere perfunctus es, ego autem Præſidis, impoſterum Præſide amplius non indigebis, ſed ipſe cathedram hanc ſuperiorem aliorum Præſes conſcendes.

An. ætatis 23. in Philoſophiâ ſummum honoris gradum cum laude conſecutus, & à M *Georgio Glaciano* Magiſtri titulo condecoratus fuit. Abindè ſingulis ſeptimanis ſingulas Diſputationes Phyſicas, in quibus ipſe Præſidis vice functus eſt, privatim habuit, id quod & in Medicinâ poſteà tentavit, parique cum laude perfecit.

Philoſophiæ Magiſter.

Diſputat. Phyſicar. Præſes.

Non multò pòſt adoleſcentes duo patritiâ familiâ nati, *Chriſtophorus Fürrerus* ab *Haimendorff*, *Chriſtophori* Duumviri & Equitis aurati filius, & *Chriſtoph. Schlaudersbachius* conſilio parentum hunc humanioris Philoſophiæ Præceptorem ſibi præfecerunt, eumque itineris *Belgici*, *Anglici*, & *Gallici* comitem adſciverunt.

Iter in Belgium ſuſcepit.

Cum his itaque patriâ relictâ primùm *Hamburgum* pervenit, & paulò pòſt *Amſtelrodamum* maritimo itinere contendentes vix naves conſcenderunt, cum ſubitò exorta tempeſtas eos in ſummum vitæ periculum conjecit: tandem in portum quendam incolumes quidem deducti ſunt, quem totum lue peſtiferâ fuiſſe infectum poſteà cognoverunt, quare per *Friſiam Amſtelrodamum* proficiſci coacti ſunt.

Naufragium patitur.

Indè cum *Lugdunum Batavorum* Academiam nobilem acceſſiſſent, non diu latere potuit *Sonerus*, quin rerum, quas *Altorfii* ſibi comparâverat, pretioſarum theſaurum explicans, clarus per ora virorum volitaret.

Quare cum certatim ad ipſum omnes confluerent, & vel docentis vel diſputantis ab ore penderent, ſingulari quoque prærogativâ in publico dignus fuit judicatus, ut cum Opponentes in Diſputationibus alii horæ dimidio lapſo pro more Lycæi illius ſilere, & aliis locum dare præconis voce juberentur, ipſe ſolus nemine interpellante ſummo cum ſilentio usque ad finem Diſputationis audiretur. Ideò multi, cum verum nomen ejus ignorarent, doctum eum *Germanum* per excellentiam appellabant. Ibidem Profeſſores in Philoſophiâ & Medicinâ docentes ſedulus audivit.

Lugduni Batav. Doctus Germanus vocatur.

Ex *Hollandiâ* cum ſociis in *Britanniam* venit, ubi Reginam *Eliſabetham* vidit, *Oxonienſem* Academiam & metropolim *Angliæ* urbem *Londinum* per aliquod tempus frequentavit. Retrò indè in *Galliam* trajecit, & perluſtratis regni illius urbibus primariis tandem in *Italiam* penetravit, & *Ferrariam* primùm, deindè *Bononiam* profectus, hinc *Florentiam* & *Senas* acceſſit, donec *Romam* caput Urbium & Orbis ingreſſus, non tam ea, quæ vulgus peregrinantium ſolet, admiratus eſt, quàm nimis pauca veteris *Romæ* veſtigia ſupereſſe deploravit.

Iter ejus in Angliam, Galliam, & Italiam.

Indè *Neapolim* petiit, & montem *Veſuvium*, aliaque loca adjacentia perluſtravit.

Cum igitur ad 200. ferè milliariorum *Germanicorum* iter in *Italiâ* emenſus eſſet, *Patavium* reverſus eſt, ubi quantâ alacritate urſerit jam olim cœptum ſtudium medicum, ſummorum in eâ ſcientiâ luminum favore provectus, nemo facilè expreſſerit.

Ex *Italiâ Baſiléam Rauracorum* veniens, Doctoris in Medicinâ titulum cum laude adeptus, paulò pòſt in patriam *Norimbergam* delatus eſt annos 28. natus, & ſtatim in Collegium Medicorum receptus, artem medicam feliciter factitare cœpit, & in principio Praxeos quendam ex cognatis cum 4. atrociſſimis planèque contrariis morbis conflictantem, ſummo cum omnium ſtupore intra unius menſis ſpatium ſanitati reſtituit: quæcunque enim Medico ineſſe decet, in hoc abundè erant, Scientia nimirum artis medicæ, fides, autoritas, & felicitas.

Fit Medicinæ Doctor Baſil. Practicus Norimb. feliciſſimus.

An. 1605. cum *Philippus Scherbius* vitam hanc miſeram reliquiſſet, quem vivus deſignavit, habuit ſucceſſorem *Sonerum*, qui ſtatim *Norimbergâ* relictâ *Altorfium* cum uxore profectus eſt, & omnium de ſe judicia adventu ſuo rata habuit.

Philoſ. & Medicinæ Profeſſor Altorfii.

In hâc Academiâ bis Logicam privatim ſtudioſis interpretatus eſt, & Metaphyſicam, rogantibus quibusdam ex nobilitate *Polonicâ* juvenibus ad finem perduxit. Integrum quoque ferè ſeptennium Philoſophiam & Medicinam in hâc Academiâ publicè docuit. Rectoratum an. 1606. graviter & prudenter adminiſtravit. Eo tempore cum *Nicolaus Taurellus* morbo peſtifero decumberet, ſingulis diebus eum ſine ullo con-

Metaphyſicæ Prof.

contagii metu acceſſit, impium fore exiſtimans, ſi Præceptorem hunc olim, nunc Collegam, in tantâ neceſſitate deſtituiſſet.

Anthrace tandem, non tamen peſtilenti, ſubitò percuſſus, cum vires ſenſim labefactari, & brevi ex hâc vitâ ſibi migrandum fore vidiſſet, cumque *Soteri* unico animam ſuam commendâſſet, eam ſine ullo horrore placidè depoſuit, & ſic vitam per annos 39. laudabiliter actam laudabili fine concluſit die 28. Sept. A.C. 1612. Præſente Theologo D. *Jacobo Schoppero*. *Ex anthrace mor.*

* *Ex Oratione funebri Georgii Richteri, Leg. ſtud.*

Edidit: *Scripta.*

Diſputationem de Melancholiâ, quæ extat Decade 3. Diſputationum collect. & editar. Baſileæ à Joh. Jac. Genathio.

Diſputationes duas de Materiâ primâ, de Motu, de Iride cœleſti, editas in Philoſophiâ Altorphinâ per Joh. Paulum Felwingerum.

Epiſtolas quaſdam Medicas, quæ exſtant in Ciſta Medicâ Johannis Hornungi, Noribergæ 1627. in 4to.

Orationem de Inſomniis, Altorphii 1610. in 4to.

Orationes de vitâ contemplativâ, & de Theophraſto Paracelſo, ejuſque pernitioſâ Medicinâ, Noribergæ 1610. in 4to.

Commentar. in Metaphyſicam Ariſtot. Jenæ. in 4to.

GELLIUS SASCERIDES.

Obiit A.C. 1612.

Natus olim fuit *Hafniæ* die 3. Martii A.C. 1562. Patre quidem M. *Jano Sasceride*, illatebratæ eruditionis Viro, & Mathematum Profeſſore publico, Matre verò *Eliſabethâ*, fœminâ lectiſſimâ.

Annum ætatis vix egreſſus 13. nomen ſuum in patriæ Republicâ literariâ profeſſus, pro tali cive ſe geſſit, ut paucos habuerit, qui palmam doctrinæ pariter & virtutis ambiguam ipſi fecerint, pauciores qui præripuerint. Solido verò triennio in Academiâ patriâ exacto *Wittebergam* conceſſit, ubi altero triennio commoratus, Viris Academicis induſtriam in re literariâ, omnibus autem amuſſitatam vitæ integritatem adprobavit. *Witteberge ſtud. Math. & Med.*

In Scholis non tantùm Medicorum & Philoſophorum, ſed etiam Mathematicorum aſſiduus fuit. Quæ & cauſa fuit, ut poſtquàm è *Germaniâ* redux annum apud ſuos ſubſtitiſſet, magnum illum Atlantem *Tychonem Brahe* adiret, & ſexennium apud eum hæreret. Nec vel tum ſcholam *Tychonianam* deſeruiſſet, niſi opimum Regiæ Majeſtatis ſtipendium juvenem in *Germaniam* retraxiſſet, quo anno 1588. benignè auctus optimos quoque ſuæ ſectæ in *Germaniâ* Magiſtros, imprimis *Baſil.* Academiæ *Æſculapios* adiit, audivit. *Tychoni Brahe 6. annis adhæſit.* *Stipendiar. Regius.*

In *Italiam*, *Germaniâ* relictâ, A. 1591. cum nobili *Alberto Skeel*, arcis *Ripenſis* Præſide Regio profectus antiquitate præſignem *Romam*, cultam & amœnam *Neapolin*, amicam Muſis *Bononiam*, & eâdem laude inſigne *Patavium*, maris dominam *Venetias*, aliaque loca *Italiæ* viſu digna vidit, & trivit, quædam etiam diutiuſculè inhabitavit. *Urbes Italiæ adivit.*

Baſiléam tandem reverſus, tanquàm myſteriorum *Hippocraticorum* callentiſſimus ſummos in Medicinâ honores inibi An. C. 1593. ſolenniter eſt indeptus: quo ipſo quoque anno in patriam rediit, Canonicus Capituli *Lundenſis*, & Medicus *Scaniæ* Ordinarius A. 1598. deſignatus. *Medicinæ Doctor Baſileæ. Canonicus Lundenſis, & Med. ord. Scaniæ.*

Ætate autem & annis jam acceſcentibus, animam ad vitæ ſociam adjecit, compoſitorum morum virgine *Annâ*, ſpectatiſſ. Dom. *Johannis Schyttonis*, Viri Senatorii filiâ, in uxorem A.C. 1599. ductâ, quæ maritum, Deo fœcundante, ſex quidem filiabus & filio uno annis non ita multis beavit. An. 1603. in Ordinem Profeſſorum cooptatus, publica munera ſpartamque concreditam ita adminiſtrabat, ut vaſtum illud & prodigioſum Viri ingenium, admirandam illam & ſtupendam induſtriam, accuratum illud & divinum judicium docentes pariter & diſcentes profundum ſint admirati. *Uxorem duxit.* *Medicinæ Profeſſor Hafniæ.*

An. 1609. Magnificus Academiæ Regiæ Rector (qui honor non niſi egregiè cordatis viris contribui ſolet) deſignatus, publicum bonum eâ curâ & ſucceſſu accuravit, ut dignus fuiſſet, qui æternum accurâſſet. Talem tandem 9. Nov. A.C. 1612. ætat. 50. ſub inclinationem mediæ noctis vitæ pauſa ſecuta eſt. *Rector Acad.* *Moritur.*

Edidit: *Scripta.*

De ſpiritibus & calido innato Diſputat.

De Corpore humano.

De Rebus non Naturalibus, aëre, alimentis, excoctis &c.

De Elementis.

De Humoribus Corporis.

De Partibus ſimilaribus.

Ex Programm. fun. D. Leonh. Metzneri, Rect. Acad. Hafnienſis, & Th. Barthol. Ciſtâ Medicâ p. 640.

THOMAS MERMANNUS.

Obiit A.C. 1612.

Coloniæ Ubiorum honeſtis Parentibus natus, prima elementa ſtudiorum ad *Rhenum*, dein *Oeniponti*, ac tandem ad *Lyceum Auguſtæ Vindelicorum* poſuit.

Piſis Hetruſcorum Philoſophiæ ac Medicinæ operam dedit, & ita profecit, ut Philoſophiam publicè nobilibus adoleſcentibus cum honore eodem in loco prælegeret. *Piſis Philoſophiæ Profeſſor.*

Cujus fama ac laudes cum ad *Coſmi*, Magni Ducis *Hetruriæ* aures perveniſſent, ad ſe accitum amavit familiariter.

Tandem laureâ in medicâ arte acceptâ in *Germaniam* rediit, & Antiſtiti *Eyſtadiano Martino Schaumburg* ſtudia ſua & ſeſe addixit. Mox cum fama illius latius creſceret, ab *Alberto* Duce *Bavariæ* vocatus fuit pro Medico cubiculari *Monachium*, ubi quoque dein *Wilhelmo Alberti*, ac *Maximiliano Wilhelmi* filio Principibus in regimine ſibi ſuccedentibus gratiſſimus vixit. *Medicinæ Doctor. Medicus Epiſcopi Eyſtett. & Ducum Bavariæ.*

Inter

Torquem aureum à Pontifice dono accepit.

Inter hæc *Romam* profectus cum Sereniſſimis *Bojis* dum pro more baſiaret, pedem S. P. *Clementis VIII.* torquem is aureum *Mermanni* collo injecit, omnibus teſtem Pontificii honoris & amoris inſpectantibus.

Archiater Cæſ. eſſe noluit.

Fuit inſuper Vir admodùm pius, amabilis, in omnes benevolus, & Principibus ſuis addictus, ut licet ab *Auguſto* Imp. *Rudolpho* magnis præmiis vocaretur pro Medico, conditionem tamen tam honorificam pari animi conſtantiâ recuſaret, amabili Principum ſuorum indole retentus.

Cautus curavit morbos.

Ajunt, nunquàm illum mali incertum malum curare aggreſſum eſſe, ſed exploràſſe ſemper originem morbi, ut ſemel inveniret finem: & apparet ex Conſiliis ab ipſo ſcriptis in morbos cauto pede iviſſe, & lentâ potius prudentique morâ quàm ſubito ancipitique impetu illos expugnâſſe. Nec defuit tantæ induſtriæ ſua felicitas, quæ adeò paſſim increbuit, ut multis pars ſanitatis fuerit, *Mermannum* Medicum obtinuiſſe.

Morbus ejus ultimus, & obitus.

Appetente ſenio, anno ſcilicet ætatis 63. à Chriſti vero Nativitate 1612. circa autumnum hemiplegiâ dextri lateris prehenſus, non diu pòſt, dum malo huic medetur, 25. Decemb. apoplexiâ forti oppreſſus cum omnium ordinum luctu mortuus eſt, Medicus celeberrimus, & *Bavariæ Galenus* non immeritò dictus.

Præter alios liberos nobiliter educatos reliquit filium Dom. *Petrum Franciſcum Mermann à Schönberg*, Elect. *Bavariæ* Conſiliarium, ac Præfectum in Hohen Schwangen/ paternæ prudentiæ hæredem, & filiam poſthumam *Mechtildem*, uxorem quondam nobilis Viri Dom. *Joh. Frider. Iminger*, Electoralis Cameræ Conſiliarii ſenioris.

* *Ex Vitæ deſcriptione præmiſſâ Conſiliis Medicis Thomæ Mermanni à Franc. Ignatio Thiermairio, Medico Elect. Bav. An. 1675. editis.*

In Conſult. 28. lib. 4. ita ſcripſit ad *Henricum Boterum*, Med. Vetere morbo meo conflictor miſerè, ptyaliſmus, reſpirationis difficultas, flatus hypochondriaci calculus, ſitis moleſta, ipſiusque vitæ tædium me afficiunt, cum ſedeo ſuffocari videor, pectore prægravato & compreſſo, atque ſic toto die inambulare cogor, ſupinus cubare nequeo, neque in latus, ſed pronus in faciem, capite demiſſo, thoraceque altiore, hinc Influxiones ad oculos perpetuæ. Vide, quàm me exerceat malorum ilias, ſed ferenda hæc ſunt, quàm diu viſum fuerit DEO. *Monachii* Anno 1600.

JOHANNES URSINUS.

Obiit A.C. 1613.

ACademiæ *Zamoſcianæ* à magno regni *Polon.* Cancellario *Johanne Zamoſcio*, excitatæ Med. Profeſſor, Procancellarius, & Eccleſiæ ibidem Collegiatæ S. *Thomæ* Canonicus. Lauream in artibus primam decurſo ſtudiorum ſtudio in Academiâ *Cracov.* promeruit, quin imò & ſecundam ibidem obtinuit, priusquàm ad regimen Gymnaſii *Leopolienſis* (ubi illi patria) fuiſſet, evocatus.

Philoſ. Baccalaur. & Magiſter.

Rector Gymnaſii Leopol.

Huic cum annos aliquot præfuiſſet, indè *Patavium* profectus, in medendi ſeſe arte quiennio exercuit, & publicè Doctor ſalutatus, ob eximiam Phyſices reique medicæ peritiam magnam gratiam obtinuit apud Ducem *Zamoſcium*, à quo ſtipendiis honeſtis invitatus, multos annos publicum profitendi munus cum laude ſuſtinuit. Græcæ etiam Linguæ & Aſtronomiæ peritiſſimus fuit.

Medicinæ Doctor & Profeſſor.

Tandem Sacris Ordinibus initiatus, ſeverus imprimis Eccleſiaſticæ Servator Diſciplinæ, obdormivit in Domino quinquagenario major. A. 1613. Ei tale Elogium *Simon Birkowski*, Philoſ. & Med. Doctor ſcripſit:

Moritur.

Elogium.

Johannes Urſinus Canon. & Profeſſ. Zamoſc. Doctor Med. Vir ſummæ eruditionis & vitæ integerrimæ, in omni literaturâ accuratiſſimus, juventutis inſtitutor fideliſſimus & diligentiſſimus, moribus comiſſimis, pietatis obſervantiſſimus, erga pauperes, Scholaſticos, Sacerdotes liberaliſſimus, omnibus carus, nemini moleſtus.

Scripta: *Præcepta Grammatices & Dialectices pro Scholaribus ſuis.*

Scripta.

De Oſſibus humani corporis Tractatus tres.

* *Ex Elogiis centum illuſtrium Poloniæ Scriptor. Simon. Starovolſcii.*

JOHANNES JODOCUS LUCIUS.

Obiit A.C. 1614.

HAidelbergæ natus eſt 18. Nov. A. 1576. Pædagogicis exemtus claſſibus, in numerum alumnorum Collegii *Caſimiriani* cooptatus eſt A. 1594. Uſus privatim Præceptoribus *Clemente Timplero* & *Bartolomæo Keckermanno*.

26. Octob. A. 1595. Primam in Philoſophiâ lauream adeptus eſt.

Anno ſeq. peſte in patriâ graſſante *Marpurgum* abiit, ubi inter alios *Rudolphum Goclenium* in Philoſophicis diligenter audivit, & ſub ejusdem præſidio publicè diſputavit.

Anno ibi exacto domum rediit, ubi ſolenniter magiſterii gradu decoratus eſt à *Joh. Calvino*, Decano *Simone Stenio*.

Philoſophiæ Magiſter.

Paulò pòſt eidem gubernatio Collegii *Caſimiriani* ab Acad. Senatu fuit commiſſa.

An. 1600. iter in *Galliam* ſuſcepit, & in Acad. *Monſpelienſem* conceſſit.

Ibi cum 14. April. A. 1601. à *Blezino Schironio* Univerſitatis Decano Medicinæ Baccalaureus renunciatus eſſet; mox 19. Dec. anni ſeq. à *Petro Durles*, vicario generali, Epiſcopique *Mompelienſis* officiali Licentiæ gradum obtinuit.

Medicinæ Baccalaureus.

Licentiatus Medicinæ.

Tandem 9. Febr. A. 1603. triduanâ diſputatione pro more laudabiliter depugnatâ, in Scholâ Regiâ Doctoratus laureâ fuit inſignitus, præſide *Jacobo Pradilleo*, Conſiliario ac Profeſſore Regio.

Doctor Medicinæ.

A. 1603. In patriam redux, praxin feliciter aggreſſus eſt.

Menſ. April. An. 1606. *Luberto Eſtbio* è vivis ſublato, ei in profeſſione ſubrogatus eſt, Profeſſor Anatomiæ, Botanices, & Phyſiologiæ factus.

Anatomiæ Profeſſor.

In docendo veterum plerumque opiniones defendit.

Nihil antiquius habuit, quàm hortum Medicum Academiæ, quem conquiſitis undiquàque plantis raris exornavit.

Habuit in manibus Deſcriptionem horti Medici, ſed mors præmatura inſtitutum abrupit. Epidemico enim capitis morbo correptus, quem ſibi lethalem ferè ſtatim prædixit, piè exſpiravit 2. Maji A. 1613. æt. 37. cum in morbo ſæpius illud ingeminâſſet: Homo bulla!

Moritur.

BARTOLOMÆUS KRUGERUS.

Obiit A.C. 1613.

IN pago *Danniko*, non procul à *Magdeburgo* diſtante, parentibus piis & honeſtis natus, in lucem prodiit 30. April. A. 1579.

Undecim annorum puer in Scholâ *Loeburgenſi* ſtudiorum curriculum ingreſſus ita profecit, ut decurſo triennii ſpatio *Magdeburgum* ſe ad altiora contendens tranſtulerit. Ibi quadriennium ita collocavit, ut An. 1597. menſ. Aprili in Acad. *Wittenbergenſi* in ordinem civium Academicorum receptus, mox auditorem ſimul & doctorem agere cœperit. Nam præter Latinæ & Græcæ Linguæ peritiam Hebræam quoque perfectè didicit, Mathematum quoque cognitionem adeptus eſt.

Magdeburgi ſtudia incipit.

Wittenbergæ Matheſ. & Med. operam dat.

Sed præ cœteris ſtudium medicum amplexus, 3. Maji An. 1603. Doctoris honore *Baſileæ* ornatus, *Wittenbergam* regreſſus, artem medicam ſummâ cum laude factitavit, nec ſolùm curandis ægrotis operam feliciter navavit, ſed etiam prælegendo ac diſputando ſtudioſæ juventuti prodeſſe contendit.

Doctor Medicinæ Baſileæ. Practicus Witteb.

Sed dum operam ſuam nulli nec civi nec peregrino negavit, ſeipſum minus curare potuit. Nam octiduo ante obitum ex eſu piſcium nauſeâ correptus, febri ardenti decumbere cœpit.

Ut autem erat in colligendo curationis ſuæ eventu ſagaciſſimus, ita in proprio morbo idem declaravit, & viatico Cœnæ Dominicæ inſtructus, ultra biduum ſe non victurum dixit, cumque medicamentorum, quibus anteà fuerat uſus feliciter, nullam ſentiret efficaciam, totum ſe à curâ rerum terrenarum abduxit, & meditationibus precibusque piis biduum ultimum peregit, tandemque ipſo die Pentecoſtes 23. Maji placidè exſpiravit A.C. 1613. ætatis 34.

Mortem ſuam præſagiit.

* *Ex Programm. Witt. Joh. Wanckelii.*

MELCHIOR UTENHOVIUS.

Obiit A.C. 1613.

NAtus eſt *Norimbergæ*, Urbe Germaniæ celebri A.C. 1553. feriâ tertiâ Pentecoſtes. Etſi autem Parentes ejus neque authoritate, neque dignitate, neque opibus floruerunt, honeſti tamen fuerunt, & virtutis amantes. Et Pater quidem *Georgius* originem duxit ex nobili & antiquâ *Utenhoviorum* familiâ, qui *Gandavi* in *Flandriâ* ſedem habuerunt, & non ſolùm magnis muneribus & amplis honoribus perfuncti ſunt, ſed etiam doctrinâ excelluerunt: inter quos 4. imprimis celebres effulſerunt.

Ortus ex familiâ Utenhovior. erudit.

Primus fuit *Nicolaus Utenhovius*, qui non ſolùm ob Juris ſcientiam eximiam in numerum Conſiliariorum Imp. *Caroli V.* cooptatus, ſed etiam *Flandriæ* Præſes conſtitutus fuit.

Alter fuit illius filius *Carolus Utenhovius*, Vir Conſularis & Patritius *Gandavenſis*, linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ peritus. Hic præter alia *Nonni* Poëtæ *Panopolitani* 48. libros *Dionyſiacorum* è Græco in Latinum tranſtulit ſermonem.

Tertius eſt hujus *Caroli* filius *Carolus*, par patri eruditione, qui cognomen ſuum Græcum οὐδὲν ἐκ βίου ſymboli loco uſurpavit, & inter alia Scripta erudita libellum edidit, Xenia nomine, ſeu ad illuſtrium aliquot *Europæ* hominum nomina alluſiones.

Quartus fuit *Johannes Utenhovius*, *Caroli* hujus junioris frater, quem itidem fuiſſe literatum & in Poëſi verſatum, argumento ſunt Epigrammata, quæ ſcripſit in *Callimachum Romanum*, fratris ſui *Caroli* & *Pauli Meliſſi* Iſagogen in Linguam *Germanicam*.

Melchior hic anno ætatis 14. *Ambergam* in *Palat.* ſup. urbem diſcedens, Artis Pharmacevticæ diſcendæ gratiâ, cum eam probè didiciſſet, ad exteros & loca longè diſſita, ejuſdem augendæ, & quaſi exædificandæ gratiâ profectus eſt, multorumque *Ulyſſis* exemplo populorum mores vidit & urbes: quâ in peregrinatione multa ſæpè gravia & periculoſa perpeſſus eſt.

Pharmacevticæ Miniſter.

A. 1588. *Norimbergam* in patriam reverſus, Officinæ xenodochiali ad Spiritum Sanctum quinquennio Proviſoris nomine præfuit. Cum autem jam annum æt. 40. ageret, & de certâ ſede cogitationem ſuſciperet, in matrimonium duxit virginem honeſtam *Agnetem Heuriam, Herſpruccenſem*, quam nullis ex eâ ſuſceptis liberis viduam reliquit.

Proviſor Officinæ ad Spir. S.

Uxorem ducit.

Cum hâc paulò poſt nuptiam *Lauingam Palat.* ſup. oppidum venit, in quo vitæ ſuæ collocaturus tabernaculum Officinam Pharmacevticam ſatis inſtructam coëmit, & ultra 20. annos Pharmacopœum diligentem, fidelem, & induſtrium egit.

Pharmacopœus Lauingæ.

Morbo tandem gravi cum morbis doloribus per 14. ſeptimanas decumbens, præſentibus & preces ſuas fundentibus cum aliis verbi Divini miniſtro, agnato ſuo *Caſp. Utenhovio*, ad vitam cœleſtem unicè aſpirans animam efflavit 21. Julii A. Sal. *ConfItebor noMInI tVo DeVs.* 1613.

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Henrici Heilbronneri, Diaconi Lauing.*

HENRICUS LUDOVICUS.

Obiit A.C. 1613.

EX parentibus honeſtis progenitus A.C. 1539. menſ. Jan. *Coswedæ*, juxtà *Neoſtadium* ad *Orlam*, puer in Scholâ *Neoſtadienſi* literarum primitias hauſit.

Ætate grandior in Univerſitatem *Jenenſem* miſſus, in eâ Magiſterii Gradum ſuſcepit,

Philoſophiæ Magiſter Jenæ.

Digitized by Google

pit, & artis medicæ ſtudiis operam dedit. *Jenæ Viennenſem* & alias Academias acceſſit, donec tandem *Bononiæ* in *Italiâ* Doctoris Medici Gradum aſſecutus eſt 25. Februarii An. 1564.

Medicinæ Doctor Bononiæ.

Eodem adhuc anno 6. Nov. ſeq. *Jenæ* nuptias celebravit cum virgine *Eliſabethâ*, *Joh. Steckenbergii* filiâ.

Deſponſatus Jenæ.

A. 1565. In oppido *Sax. Göttingenſi*, & an. ſeq. 1566. ab urbe Imperiali *Suinfurto* vocatus eſt ad Phyſici ordinarii munus. Non multo poſt, cum in patriâ vitam tranſigere nollet, *Neoſtadii* ad *Orlam* Medicus ordinarius factus, ob praxis felicitatem variis in locis aliis innotuit, & *Schlaccawaldæ* quoq; Medici munus obivit.

Phyſicus ord. Göttingæ Suinfurti. & Neoſtadii ad Orlam.

Sed cum ibi propter religionem non tutus eſſet A. 1567. *Vinariam*, prægreſſâ vocatione legitimâ, ſe contulit, & Medicus illius urbis ordinarius cum ſalario annuo convenienti conſtitutus eſt. Ibidem A. 1600. Conſul urbis electus, Magiſtratûs Summi officium fideliter ad finem vitæ obivit.

Med. ord. Vinariæ.

Conſul Vinar.

Ex Conjuge 43. annor. tempore 2. filios & 3. filias progenuit, ex iisque multos nepotes ac pronepotes vidit. Ex filiis unus in flore ætatis ſtudioſus, alter *Tobias Ludovicus* Med. Doctor *Naumburgi*, paucis ante patrem annis vitâ defuncti ſunt.

Filium habuit Tobiam Med. D.

Apoplexiâ tandem correptus, 10. die poſt inter preces ad ardentes ſpiritum DEO reddidit 14. Aug. A.C. 1613. æt. 75.

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Eliæ Schönfeldii, Diaconi Vinar.*

Obiit A.C. 1613.

GEORGIUS WIRTH.

L*aubæ*, in *Luſatiâ* ſup. natus A. C. 1524. Patrem habuit *Martinum Wirth*, Sutorem *Laubenſem*, Matrem *Annam Kirchofiam.*

Cum in ſcholâ *Laubenſi* Grammaticam & Catechiſmum didiciſſet, mox à parentibus in Scholam *Goldbergenſem* miſſus, & diſciplinæ Rectoris *Valentini Trotzendorfii* commiſſus eſt. Hujus deinceps conſilio literis commendatitiis ad D. *Mart. Lutherum* & *Philippum Melanchthonem* inſtructus, Academiam *Wittenbergenſem* adivit, & per aliquod tempus convictum habuit apud D. *Lutherum*, auditor intereà ſedulus in diſciplinis Philoſophicis *Melanchthonis*, à quo etiam Philoſophiæ Magiſter poſteà renunciatus eſt.

In Schola Goldberg. diſcipulus Valent. Trotzendorfii.

Convictor Witt. D. M. Lutheri.

Philoſophiæ Magiſter à Phil. Melanchthone creatus.

Studium abindè Medicum, majorum ſuorum ſecutus veſtigia, amplexus *Wittenbergæ*, Doctores *Auguſtinum Scharfium* & *Jacobum Milichium* publicè docentes ſedulus audivit.

Med. ſtudioſ. Witt.

Lipſiam exindè concedens, triennium ibi inſumpſit D. *Sebaſtiani Rothii* & D. *Pauli Vezeri*, Med. Profeſſorum auditor.

Lipſiæ.

Subortâ deindè obſidione *Lipſienſi*, & ſtudiis ibi turbatis *Francofurtum* ad *Oderam* diſceſſit, ubi Medico celebri *Jodoco Willichio* familiariter innotuit.

Francofurti ad Oderam.

Sed cum in aulâ *Palat. Heidelbergæ* cognatum haberet, & patronum D. *Johannem Langium* 4. Electorum *Palatinorum* Archiatrum eundem acceſſit, praxin medicam exercere cepit, ejusq; ſuaſu iter in *Italiam* ſuſcipiens, in Academiâ *Patavinâ Joh. Baptiſtæ Montano*, & *Franciſco Frigimelicæ*, in *Bononienſi* Chirurgis, famoſis *Benedicto Victorio* & *Chriſtophoro Magio*, *Piſis Johanni Argenterio*, *Romæque Franciſco Norzæ* familiariter innotuit.

Heidelbergæ.

In Italiâ.

Florentiæ verò ægros in xenodochio primario curando gloriam non mediocrem adeptus eſt.

Bononiæ demùm 9. April. A.C. 1552. Gradum Doctoris in facult. medicâ ſolenniter accepit, & *Venetias* indè regreſſus, ibi aliquandiu ſubſtitit, & Medico celebri D. *Victori Trincavello* ſeſe inſinuavit.

Medicinæ Doctor Bononiæ.

Domum exindè reverti cupidus, & *Viennam* tranſiens, cum Cæſaris *Caroli V.* tum ibi degentis archiatris *Joh. Baptiſtâ Montano Veronenſi* & *Andreâ Veſalio* Chirurgo ac Anatomico celeberrimo contraxit amicitiam, ab iisque perſuaſus, ut inter Medicos Cæſareos cooptaretur, aſſenſit. Tunc propter praxeos felicitatem non modò à Cæſareâ Majeſtate, ſed etiam multis Magnatibus Cæſaris tunc caſtra ſecutis, *Alberto* March. *Brand. Adolfo* Duce *Holſatiæ*, *Guilielmo*, Principe *Auraico*, *Jodoco*, Comite *Hohenzollerciano*, *Maximiliano*, Duce *Bavariæ*, *Gunthero*, Com. *Schwartzenburgico*, *Lazaro Schwendio*, aliisque in honore habitus eſt.

Medicus Cæſareus Caroli V.

Cum verò poſteà *Carolus* Imp. in *Hiſpaniam* iter ſuſciperet, apud filium ejus *Philippum II. Hiſp.* Regem *Bruxellis* ſubſtitit, ejusque Medicus fuit, usque dum & ipſe in *Hiſpaniam* iter diſcederet.

Med. Philippi II. Regis Hiſp.

Tum verò metuens Inquiſitionem *Hiſpanicam*, dimiſſionem à Rege petens & obtinens, cum jam per octennium *Rom.* Imperii Capitibus primariis miniſteria medica exhibuiſſet, *Viennam* ad Imperatorem *Ferdinandum* migravit, cum cujus deindè filio *Maximiliano* ad ejusdem Coronationem in *Hungariam* diſceſſit.

Med. Ferdinandi Cæſ.

Viennæ degentem *Henricus*, Burgravius *Miſniæ*, & Princeps *Voitlandiæ* ultimus Medicum ſibi ordinarium conſtituit, in quo munere ad Principis obitum perſeveravit.

& Henrici Burgravii Miſn.

A. 1563. Vitæ aulicæ pertæſus, & quietis cupidus, *Lipſiæ* conſedit, ibique nuptias celebravit cum virgine *Annâ*, *Martini Luſſelii*, facult. Juridicæ ſenioris, & Conſiliarii *Sax.* filiâ.

Conjugium ejus duplex.

Hâc ſine prole defunctâ ad ſecunda vota tranſivit, deſponſatus cum virgine *Roſinâ*, *Joh. Preyſeri*, Senatoris & ædilis *Lipſ.* filiâ, cum quâ 31. annos in conjugio quoque ſterili exegit.

Cum tandem ex maraſmo ſenili conſumptus, 14. modò diebus æger decubuiſſet, de nullo dolore, ſed viribus tantùm proſtratis conqueſtus, placidâ morte vitam finiit die 9. Sept. A. C. 1613. ætatis 90.

Moritur.

* *Ex Concione fun. D. Georgii Weinrichii, Prof. & Superatt. Lipſ.*

Google

Obiit A.C. 1614.

CHRISTOPHORUS MYLIUS.

NAtus eſt *Ilſeldæ*, quæ eſt porta *Hercyniæ Sylvæ*, An. C. 1580. Patre *Valentino Mylio*, Paſtore & Superintendente ibidem, Matre *Dorotheâ Vorbauerianâ*.

Poſt jacta pietatis & liberalium artium fundamenta in patriâ ſcholâ ad celebres aliquot *Germaniæ* Academias ſe contulit, imprimis verò in Academiâ *Juliâ*, quæ eſt *Helmſtadii*, artem medicam excoluit, tanto ardore & ſtudio, ut illuſtris Dom. *Joh. Zamoſcius*, Regni *Poloniæ* Cancellarius & ſupremus exercituum Dux nominis ipſius celebritate motus, cum 24. ætatis annum agentem, ad medicinam in aulâ ſuâ faciendam vocârit.

Studioſus Medicinæ Helmſtad. — *Med. aulicus Joh. Zamoſcii, Cancellarii Polon.*

Cui vocationi paruit, eidemque non minore fidelitate quàm felicitate ſatisfecit, donec inter ea, dum Legatione ad *Turcicum* Imperatorem fungeretur, dictus Dom. *Zamoſcius* A. 1650. fato conceſſit.

Poſt hujus obitum illuſtri item Dom. *Nicolao*, Com. ab *Oſtrorog*, fidelem in medicinâ faciendâ operam aliquandiu navavit. Porrò cum doctrina & dexteritas ipſius Dom. *Johanni Gniewoſcio*, Capitaneo Regis *Latowiſcienſi*, fuiſſet cognita filii ſui unicè unicè dilecti *Nicolai Gniewoſcii* educationem & informationem illi commiſit, in quo munere toto quinquennio commoratus, & tandem A. 1612. poſtliminiò in Academiam *Juliam* reverſus, ad ſummum in medicinâ gradum aſpirare cœpit, quem etiam cum applauſu impetravit, & inter alios competitores primarium honoris locum obtinuit.

& Nic. Com. ab Oſtrorog. — *Medicinæ Doctor Helmſtadii.*

8. Junii An. 1613. In Academiam *Regiomontanam* veniens, multos ibi in morbis periculoſis auxilio & conſilio juvit, affabilis omnibus fuit, moleſtus nemini: cumque in *Boruſſiâ* vitam conſumere decreviſſet, animum ad conjugium appulit, celebratis ſponſaliis cum honeſtâ fœminâ *Annâ*, Dom. *Davidis Euchleri*, Med. Doct. relictâ viduâ.

Practicus Regiomonti.

Sed febri hecticâ conſumptus, antequàm id, quod in animo habebat, perficere liceret, de ſtatione ſuâ decedere, & ſpiritum DEO reddere coactus eſt *Regiomontii* 17. Febr. A.C. 1614. ætatis 34.

Sponſus obiit.

* *Ex Programm. fun. Rect. Acad. Regiomont.*

Obiit A.C. 1614.

HENRICUS SMETIUS.

NAtus *Aloſti*, *Flandriæ* Urbe, 29. Junii An. 1537.

Proavus. Proavus ejus fuit *Jodocus*, Toparcha *Ledanus*, & primùm *Teneramundæ*, deindè etiam prætor *Aloſtanus*, qui floruit circa annum 1420.

Avus. Avus ipſius *Henricus*, cum *Maximilianus I.* Imp. A. 1582. mortuâ uxore *Mariâ*, *Caroli Burgundi* filiâ, tutelam liberorum agere vellet, ordines verò *Flandriæ* id permittere nollent, à *Gandavenſibus*, contrà quos ille pro Cæſare ſtabat, captus; cum lytron ingens poſtularetur, jura Dominii *Ledenſis* vendare fuit coactus *Jano Grutero*, *Gandavenſi*, cujus in familiâ poſteà hæſerunt.

Parentes. Pater ipſius *Robertus* natus eſt A. 1475. mortuus 5. Januarii A. 1540. Mater *Catharina*, ex familiâ nob. *Piſotiorum*.

Puer in patriâ Præceptorem habuit *Hubertum Parmentarium*.

Studioſus Medicinæ Heidelbergæ. *Heidelbergæ* medicinæ operam dedit, Præceptoribus *Th. Eraſto*, *Jac. Curione*, & *Petro Lotichio*.

Medicinæ Doctor Bononiæ. Indè in *Italiam* profectus, *Bononiæ*, promotore *Fabritio Garzonio* Medicinæ Doctor creatus eſt 23. Jan. A. 1561.

Matrimonium. Ad ſuos reverſus, vixit in Conjugio gemino, primò cum *Johannâ*, *Joh. Corpatii*, Conſulis *Antverpienſis* filiâ, ex quâ filios 4. totidemque filias ſuſcepit, ſed unicam duntaxat filiam *Ameliam* ſuperſtitem reliquit; nepotes verò tres ex *Catharinâ* nuptâ *Winando Zonſio* Inſpectori *Brettano*, neptem verò unicam ex *Johannâ* nuptâ *Jano Grutero*.

Poſteà ad ſecundas nuptias tranſiit cum *Johannâ Belieriâ*, quam, cum eâ 22. annis exactis viduam reliquit.

Medicus Comit. Lippienſium. *Antverpiæ* motûs bellicos prævidens, familiâ in *Weſtphaliam* translatâ, *Longovii* Comitibus *Lippiæ* 7. annis à medicinâ fuit.

Archiater Palatinus. Deindè *Heidelbergam* à *Friderico III.* Elect. vocatus, biennio ipſius Architer fuit. *Medicinæ Profeſſor Neoſtadii.* Eo è vivis ſublato *Frankenthalium* migravit, & à *Joh. Caſimiro*, Duce *Palat. Neoſtadium* ad ſcholæ novæ Profeſſionem vocatus, ſeptem ibi annos tranſegit, & A. 1582. Rectoratum ibi geſſit.

Profeſſor Heidelb. An. 1585. *Heidelbergam* ab Univerſitate revocatus, medicinam docuit & exercuit, donec 15. Martii A. 1614. paulò ante in glacie graviter lapſus, accedente febre obdormivit, ætat. 77. *Moritur.*

In more habuit, ut tenuioribus ſimplicia præſcriberet medicamenta, quæ ipſimet ſine ullo ſumtu ſibi parare poſſent.

Ejus virtutes. Temperantiæ & ſobrietatis adeò fuit obſervans, ut ex quo ſemel in primâ adoleſcentiâ capitis dolore & inſomniâ unius noctis laboraverat, *Lovanii* ex nimio potu ortâ, nunquàm deinceps per omnem vitam adſtrui potuerit, ad minimam crapulæ ſpeciem, crebrò teſtatus, ita ſe bibere, ut quocunque temporis articulo accerſeretur, ad ægrotos idoneus ſit ad faciendum prudenter officium. Indè & factum, ut *Lovanii*, cum lucubraretur, perpetuò etiam brumâ mediâ ad XI. noctis, dormiturus funem incenderet, & lapis ei annexus in pelvim æneam ſtato tempore delapſus, ſonitu ipſum excitaret, *Ariſtotelem* imitatus.

Poſtremis 24. vitæ annis praxin medicam non exercuit, & in ſenectâ Proſodiam novam concinnavit, opus ante à nemine tentatum.

Scripſit. Scripſit *Elegiarum lib. II. & Odarum lib. I. anno ætatis 17.*

Batrachomyomachiam Homeri, & Suſannæ Hiſtoriam an. æt. 18. verſu Heroico reddidit Lovanii.

Medicinæ encomium annos 20. natus meditatus eſt, cum ipſi prima medicinæ laurea in Academiâ *Roſtochianâ* eſſet decernenda à *Jaco-*

à *Jacobo Bordingo*, Regis deinde *Daniæ* Archiatro.

Obſervationes Medicinales.

Miſcellanea medica cum præſtantiſſ. aliquot Medicis communicata.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

FELIX PLATERUS.

Obiit A.C. 1614.

B*Aſiléæ Rauracorum* natus eſt, circa feſtum *Sim. Judæ* A. 1536.

Pater ei fuit *Thomas Platerus*, *Valeſianus*, Gymnaſiarcha *Baſileenſis*, qui *Calvini* inſtitutiones *Baſiléæ* primus typis exſcripſit, qui poſtquàm defunctâ primâ uxore, *Felicis* matre, ſecundam an. ætatis 73. duxiſſet, 6. adhuc ex eâ liberos procreavit, ex quibus ultima filia an. ætatis illius 81. mo nata fuit, ipſe verò obiit A. 1582. ætatis 83.

Puer etiamdum miro deſiderio porcos inſpiciendi, dum mactarentur, tenebatur.

Doctor Medicinæ. An. 1557. æt. 21. Poſt multas peregrinationes *Baſiléæ* Doctor Med. renuntiatus eſt.

Medicus Baſileenſis. Indè praxin medicam aggreſſus, ſtatim ob felicitatem in medeno ſingularem à Magiſtratu *Baſileenſi* poliater factus eſt.

An. 1560. à Senatu Academico ad Profeſſionem medicam evectus eſt, quam cum magno auditorum concurſu obivit.

Praxeos autem nomine à variis Magnatibus ſæpè accerſitus fuit, Principibus *Wirtenbergicis*, March. *Badenſibus*, Duc. *Lotharingiæ* &c. Inprimis fidem ſuam civibus probavit, cum peſtilens lues aliquoties *Baſiléæ* graſſaretur. Quicquid ab occupationibus medicis temporis reſiduum habuit in congerendis & contemplandis corporibus naturalibus & artificioſis inſumpſit, & plantatione horti ſui plantis exoticis inſtructi. Tornandi etiam artis maximè peritus, eâ ſucciſivis horis ſeſe delectavit.

Conjugium. Cum *Magdalenâ Jeckelmaniâ*, Senatoris filiâ, in matrimonio annis 56. ſed ſine liberis tranſactis, tandem phthiſi cum hydropiſi conjunctâ confectus, in ſellâ ſedens,

Moritur. poſtquàm 14. diebus ægrotâſſet, obdormivit 28. Julii A. 1614. ætatis 78. Profeſſionis Med. 43. Praxeos 56.

Medicum egit annis 57. pluresque morbos curavit, quàm alii legerunt.

Academiæ magiſtratum ſummum ſexies geſſit, & toto Profeſſionis ſuæ tempore Medicinæ Doctores 160. renuntiâſſe perhibetur.

Fratrem habuit *Thomam Platerum*, itidem Medicum *Baſil.* natum A. 1574. adeòq; 38. annis juniorem, quem tamen A. 1614. capillos pluribus canis conſperſos habuiſſe, in Obſerv. meminit p. 256.

In nomen ejus ita luſit *Joh. Poſthius*:

Cum felix animo, felix ſis divite cenſu;
Felicis nomen convenienter habes.

Memoriâ excellens eorum ſe recordari, quæ anno ætatis ſuæ tertio & quarto geſta fuerint, ſcribit in initio ſuarum Obſervationum paulò ante mortem editarum.

Ibidem pag. 11. ita ſcribit: Aliquoties mihi accidit teſtudinem pulſanti, à cœnâ ut obdormiſcens in luſu aliquantulùm nihilominùs pergerem, quod & aſtantes fieri aſſeverabant, egoque obſervare potui, præſertim cum mihi aliquando ſomno correpto teſtudo è manibus laberetur.

Ibidem pag. 217. ſcribit: Avus meus maternus *Johannes Summermatterus* ex honeſtâ in *Valeſiâ* ortus familiâ, poſt centeſimum ætatis annum adhuc vegetus, uxore virgine 30. annorum ductâ, filium ex illâ genuit, cujus nuptiis 20. annis poſt centeſimum adhuc ſuperſtes interfuit, & ita 126. annos ætatis complevit, de nullis aliis gravioribus accedentibus, niſi quod flatûs retinere non poſſet, conqueſtus. Ex eo pater meus ſexennio ante illius obitum: In diœceſi *Veſpienſi* eſſe viros decem, qui ætate eum excederent, intellexit.

Ibidem pag. 256. ita ſcribit: Matrem meam p. m. *Annam Dietſchiam Tigurinam* ſæpè de ſe prædicantem audivi, ſe tribus ex parente meo ſuſceptis filiabus me poſtremò, cum annos 50. circiter attigiſſet, enixam eſſe.

Scripta. Edidit: *Librum de Corporis humani fabricâ methodo analyticâ, cum multis figuris.* in fol.

Praxeos medicæ libros tres, & totidem Obſervationum medic. in 8vo.

Centuriam poſthumam quæſtionum medicarum ex parte paradoxarum. in 8vo.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

FABIUS PACIUS.

Obiit A.C. 1614.

V*Incentiæ* natus eſt ſeptimo à conceptu menſe An. 1547. Patre *Paulo*, Matre *Lucretiâ Angiolettâ*.

Cum in patriâ prima literarum fundamenta ſub *Gripholo Philenio* & *Violâ* Magiſtris poſuiſſet, ætate progreſſâ cum fratre *Julio* in Gymnaſium *Patavinum* miſſus eſt.

Ibi cum Philoſophiam ſatis didiciſſet, ad Medicinæ ſtudium ſe contulit, *Hieron. Mercurialem* & *Bernardinum Paternum* publicè docentes audiens, privatim verò *Hippocratem* & *Galenum* non modò legit, ſed trivit. Patavii Phil. & Medicinæ ſtudioſus.

Linguis etiam Græcâ & Hebræâ cum Poëſi unicè delectatus eſt.

Patavii cum ſeptennium literarum ſtudiis impendiſſet, Philoſophicam & Medicam Lauream promeruit 9. Junii A. 1575. Philoſ. & Medicinæ Doctor.

Patriæ deindè redditus, artem medicam feliciter exercuit, & conjugem ſibi delegit *Helenam Zugianam*, quæ 4. ipſi filios protulit, *Fauſtum*, *Fabritium*, *Flavium*, & *Ferdinandum*. Practicus Vicent.

Etſi verò tunc in ægris medendis totus ferè occuparetur, in gratiam tamen amicorum domi ſuæ Philoſophiam & Medicinam docuit, imò & Anatomiam publicè peregit.

Poſteà *Venetias* cum familiâ ſe contulit, ubi Viris Nobilibus tam gratam præſtitit operam, ut intrà annum 3000. ducatorum confecerit. Practicus Venetus.

An. 1590. Cum *Venetiis* annum egiſſet, à patriis Decurionibus revocatus eam fortunam ſplendidam, ſeu patriæ amore, ſeu otio literario accenſus, reliquit. Tum ejus in medicinâ autoritas ita increbuit, ut non ſolùm *Venetias* ad Procerum valetudinem

crebrò

Digitized by Google

terat Profeſſorum, ut vitæ conſuleret & ſaluti, diffugiebat.

Anno poſtmodùm 1602. cùm quartâ vice Rectoris ſuſtineret munus, *Landgravius Otto* 15. Julii in album ſtudioſorum relatus eſt. Viceſimo quoque ſeptimo ejuſdem menſis in Juriſconſultorum auditorio, quod ad Lanum eſt, oratione primùm, deindè in Conſiſtorii aulâ cœnâ hoſpitali excepti ſunt *Philippus Julius, Pomeraniæ* Dux, & *Joachimus*, Abbas *Herſfeldenſis*.

Moritur. Tandem cum 38. annos non Academiæ ſolùm, verùm etiam Principibus ipſis & univerſæ patriæ operam commodâſſet, ipſis Kalend. Juniis anno 1616. æquiſſimo animo oppetiit mortem, quia id vitâ actâ perfecerat, ut ſatis ſuperque vixiſſe videretur.

* *Ex manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A. C. 1616.

CHRISTOPHORUS MEURERUS.

Lipſiæ natus eſt 9. Oct. A. C. 1558. Patre *Wolffgango Meurero*, Medicinæ Doct. & Prof. Matre *Margarethâ, Chriſtophori Blaſebalgii* filiâ.

Puer in ſtudiis tam celeres fecit progreſſus, ut mox tradendus eſſet gravioribus Magiſtris, *Röslero, Oedwino, & Hiltenio*, quorum inſtitutione tam publicâ quàm privatâ primò in Philoſophiæ Baccalaureum, anno ſcilicet 1579. & triennio pòſt A. 1582. Decano *Friderico Didicæo* in Philoſ. Magiſtrum evaſit. *Philoſophiæ Magiſter.*

Vix ſeſquianno elapſo, Præceptori ſuo *Mauritio Steinmetzio*, Med. Licentiato ſucceſſit in Profeſſione Mathematum, eâque occaſione adſcitus in Communitatem Philoſophicam, mox Decani in eâdem partes obivit. *Profeſſor Mathemat. Lipſ.*

Chriſtophorus Radzivillius, Princeps *Lithuaniæ*, quo tempore *Lipſiæ* morabatur, ex ipſo Matheſin diſcere dignatus eſt, & hanc ſui Præceptoris privati in docendo induſtriam teſtimonio honorifico manibus ſuis conſignato remuneravit. *Præceptor Chriſtoph. Radzivilii, Principis Lithuaniæ.*

A. 1584. Conjugium inivit cum virgine *Catharinâ, Friderici Löſeri*, Conſulis & Theſaurarii *Fribergenſis* filiâ, cum quâ progenuit 9. filios & duas filias, quarum alteram *Margaretham* A. 1606. in matrimonium collocavit D. *Andreæ Emmenio*, Reip. *Zittavienſis* Medico & Phyſico, alteram in cœleſtem patriam maturè præmiſit. *Conjugium inivit.*

A. 1591. Declaratus eſt Med. Licentiatus, & anno proximo 1592. ejuſdem Facultatis Doctor, & Collegii particeps, ſociusq; honorum & laborum iſti Collegio propriorum, exceptâ Profeſſione, ad quam tamen ipſi aliquoties aditus patuit. Cœterum ſecutus Senatus *Lipſienſis* Doctoræ teſtimonium, & ſuam & Xenodochiorum curam A. 1594. ad eum conjunctim detulit. *Medicinæ Licent. & Doctor.* *Medicus Senator. & Xenodoch. Lipſ.*

Academicos faſces bis tenuit, primò A. 1591. deindè A. 1609. quo Jubilæum Academiæ celebratum eſt. A. 1592. Decemvir factus, & A. 1594. Collegis Collegii Principum minoris adſcriptus, ac Præpoſituram annuam veterum pagor. nactus eſt. Morti tandem proximus Procancellarii munus ſibi delatum accepit. *Rector Acad. bis.* *Decemvir.* *Procancellarius.*

A. 1613. die *Bartolomæi* Apoſtoli ictero correptus, officio tamen ſuo pro viribus functus eſt, donec lecto affixus, viribus ſenſim deficientibus placidè exſpiravit 21. Aug. A. C. 1616. ætatis 58. *Moritur ictero.*

Edidit:

Pſelli Arithmeticam, & Geometriam, quam temporum iniquitate latitantem in publicum aſpectum produxit, & commentariis exornavit. *Scripta.*

* *Ex Programm. fun. Rectoris Lipſ. & ex Concione funebri M. Andreæ Schneideri, Diaconi ad S. Thomam.*

Obiit A. C. 1616.

ERNESTUS HETTENBACHIUS.

Naſcebatur *Mergentheimiæ, Franciæ Orient.* oppido An. C. 1552. 7. Non. Febr. Patre Dom. *Baltaſ. Hettenbachio*, Generoſ. Comitum ab *Hoenloë* Secretario, Matre *Annâ Blöchingerâ*.

Tertio ætatis anno Patre orbatus, *Wittebergam* à matre viduâ deportabatur, ubi creſcente ætate literis tam ſtrenuam navabat operam, ut anno ætatis 24. Philoſ. Magiſtri titulo ac inſignibus jure ſuo merito ornaretur. *Philoſophiæ Magiſter Witteb.*

Seq. anno ludo ibidem literario operam ſuam addixit, Supremi, ut vocant, & Conrectoris partes tractaturus. *Conrector.*

Circa hoc tempus Medicorum arti gentique intimius ſeſe tradidit ſucceſſu felici. Anno enim 1591. die 1. Maji poſt legitima privatim publiceq; facta experimenta Med. Doctor pronuntiatus eſt. *Medicinæ Doctor.*

Sed & anno pòſt ad Profeſſionem Doctrinæ Phyſicæ vocatus, & decurſo hoc in Collegium Medicum adoptatus eſt. Quâ quidem in facultate Profeſſorem egit per annos 24. Primum verò locum ac venerandam Senioris dignitatem 13. annis laudabiliter tenuit. Decanatum Collegii Philoſophici ſemel, Magiſtratum verò Academicum, quem Rectoratum appellant, raro & memorabili exemplo, geſſit quinquies. *Phyſicæ Profeſſor.* *Facult. Med. Senior.* *Quinquies Acad. Rector.*

Matrimonium inierat An. C. 1578. cum virgine *Mariâ, Materni Bennewitzii*, Quæſtoris *Wurzenæ* filiâ. Cum hâc in Conjugio ſuavi vixit annos 38. genitis ex eâ liberis duodenis, quorum Seni ſuperſtites non honeſtatis tantùm ſuæ educatorem omnes, ſed quidam etiam honorum Spectatorem Dom. Parentem habuerunt. *Conjugium, & Liberi.*

Febre tandem ardente extinctus exſpiravit *Wittenbergæ* 20. Oct. A. C. 1616. æt. 64. *Moritur.*

* *Ex Programm. funebri Ambroſii Rhodii, Med. D. & Math. Prof. Witt.*

ERNESTUS HETTENBACHIUS, PHILOSOPHUS, MEDICINÆ DOCTOR SUMMUS, COLLEGII MEDICORUM SENIOR, IN ACADEMIA WITTENBERGENSIUM PROFESSOR.

Per Anagramma. *Georgii Theodorici Hoſmanni.*

Hîc inopem dego ſed cum ſpe divite vitam.
Nobile mors lucrum, Jeſus ſitat unica vita eſt:
Sicce ego non mortis fraudes nil tete morabor.

EPITA-

[illegible]



PROSPER ALPINUS
Med. Prof. Patavij.



PETRUS PAVIUS.
Med. Prof. Lugd. Batav



LAZAR, MAYENSCHEIN
Medicus Norib. et Coburg.



IOH LVDOVIC. HAWENREUTER
Medicinæ Prof. Argentorat.



IERONYM, FABRICIUS
Medicinæ Prof. Patavij.



ROBERTUS FLVDD.
Medicinæ D. Oxonij.



HENRIC, PETREJUS
Medicinæ Prof. Marpurg.



PAULUS CELLARIUS.
Medicus Marpurg.



ENRIC, MIRELLÆUS
Pharmacopœus Frankenthal



IOHAN: MOLTHERUS.
Medicinæ Prof. Marpurg



PETRUS DE SPINA.
Medicinæ Prof. Heidelb.



IOH. BAPT. IMPERIALIS.
Medicus Vicentinus



MICHAEL RÖTENBECCIUS
Medicus Noribergenſis.



EVERHARD, VORSTIUS.
Med. Prof. Lugduni Batav



IOHAN: HARTMANNI.
Archiater Caſſellanus



IULIUS CASSERTUS
Chirurg. et Anatom. Prof. Pat

Digitized by Go

Epitaphium.

EPITAPHIUM:

CHRISTO REDEMPTORI SACRUM.

ERNESTUS HETTENBACH MERGENTHUMENIÆ FRANCORUM MDLII. VI. NON. FEBRUARII NATUS, MEDICINÆ DOCTOR PER ANNOS XXVII. ET PROFESSOR PUBLICUS, FACULTATIS ET ACADEMIÆ SENIOR, QUI NON. OCTOBRIS HORA VESP. II. PIE IN DOMINO OBDORMIVIT AN. DOMINI MDCXVI. SUÆ ÆTATIS LXIV. MENS. VIII. MARITO AC PATRI BENE MERITO CONJUX ET LIBERI SUPERSTITES MONUMENTUM HOC P. C.

Obiit A.C. 1616.

PROSPER ALPINUS.

Auram vitalem hauſit *Maroſticæ*, oppido ad Montium *Vicentinorum* radices amœno, 23. Nov. A.C. 1553. Patre *Franciſco*, Medico ſui temporis inſigni.

Licèt ab initio ineunte ætate armis addictior quàm literis videretur, ſimili cum *Paulo* fratre propenſione, qui in ditione *Mediolanenſi* Tribuni militum & Commiſſarii munere functus, *Stazani* & *Carezani* Prætor obiit; ſaniori tamen conſilio bonis literis operam dare decrevit.

Patavii Rectoris Vicarius & Syndicus.

Patavium itaque veniens, ab Univerſitate Philoſophorum & Medicorum primò Rectoris Vicarius, mox Syndicus electus eſt: quo tempore nocturnis ſtudiis deperditas ob negotia publica dierum horas compenſavit tantâ contentione, ut quadriennio nondum exacto Lauream Doctoralem reportârit 28. Aug. A. 1578.

Medicinæ Doctor.

Practicus in oppido Campi S. Petri.

His honoribus vix auctus, in oppidum *Campi S. Petri* publico ſtipendio invitatus eſt. Sed non diu ibi hæſit: cum enim flagraret deſiderio indagandi ſimplicia exotica, longinquas regiones peragrare conſtituit, electoque per ea tempora *Ægypti* Conſule *Georgio Hemo*, qui inter plurimos id muneris ambientes Proſperum ſibi Medicum delegerat, cum ipſo 12. Sept. A. 1580. *Venetiis* ſolvens, difficili & periculoſâ navigatione initio Julii an. ſeq. 1581. *Cayrum*, *Ægypti* metropolin, ingreſſus eſt, ibique per triennium commoratus, ea vidit & cognovit, quæ edita ab ipſo opera teſtantur.

Venetiis in Ægyptum profectus.

Cayri triennio commoratur.

A. 1584. Ex *Ægypto* reverſus, & *Venetiis* aliquandiu moratus, *Genuam* ab *Andreâ Doriâ*, *Melphorum* Principe, ad propriæ valetudinis cuſtodiam accerſitus, medicam artem in eâ urbe feliciter exercuit.

Genuæ praxin exercet.

Increbreſcente itaque ejus famâ, cum jam annis aliquot *Patavii* ſimplicium medicamentorum Cathedra vacâſſet, eò vocatus à Senatu *Veneto*, ægrè licèt à Principe *Doriâ* dimiſſus, venit. Ibi publicè in Scholis & Horto, privatimq; in ædibus ſuis docendo tantam ſibi famam comparavit, ut Botanici doctiſſimi in dubiis & controverſis ſimplicibus ejus, tanquam ex tripode, ſententiam certatim expeterint.

Patavii Botanices Profeſſor, & Horti Med. Præfectus.

Sed infimâ & inconſtanti valetudine *Patavii* uſus eſt, arthritide præſertim ſæviſſimâ ſæpiùs excruciatus. Acceſſit poſtremò ſurditas adeò gravis, ut ne maximos quidē ſonos perciperet. Ideò meditari tunc cœpit *Tractatum de Surditate*, quo probare conatus eſt, Medicorum neminem veram affectionis illius naturam hactenus aſſecutum eſſe. Sed fata extremam Operi manum negârunt: nam febri lentâ ſuperveniente vivere deſiit 23. Nov. eâdem, quâ natus erat, die, An. C. 1616. ætatis 63.

Surdus evadit.

Moritur.

Ex conjuge *Bartholomæâ Tharſiâ*, cive *Patavinâ*, 4. reliquit filios, ex quibus M. *Antonius Alpinus*, J. C. & magnæ ſpei adoleſcens peſte ſublatus eſt An. 1631. *Alpinus Alpinus* jam annis aliquot medendi peritiâ clarus, poſtquàm Patri in Simplicium Profeſſione poſt *Johannem Prevotium* ſucceſſiſſet, diſruptâ pulmonum vomicâ *Patavii* extinctus eſt 12. Dec. A. C. 1637. *Mauritius Alpinus*, Monachus *Caſſinenſis* S. Theologiæ Doctor maraſmo contabuit A. 1644. *Paulus Alpinus* militiæ deditus fuit.

4 Filios reliquit.

Scripta:

Scripta in lucem edita.

Medicinalium Obſervationum Hiſtorico-Criticarum Libri VII.

De præſagienda vitâ & morte ægrotantium Libri VII.

De Medicinâ Methodicâ Libri XIII.

De Medicinâ Ægyptiorum Lib. IV.

De Plantis Ægypti.

De Balſamo dialogus.

De Plantis exoticis Lib. II.

De Rhapontico Thracico.

Manuſcripta:

Manuſcripta.

Prælectiones in Gymnaſio Patavino publicè habitæ.

De Medicinâ Ægyptiorum Lib. V.

De naturali rerum in Ægypto obſervatarum Hiſtoriâ Libri V. variis Plantarum, Lapidum, & Animalium iconibus exornati.

De ſurditate tractatus imperfectus.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

PHILIPPUS JACOBUS SCHRÖTERUS.

Obiit A.C. 1617.

Viennâ-Auſtriacus, D. *Johannis* filius, & D. *Joh. Friderici* frater, Comes Palat. Cæſ. natus 8 Julii A. 1553. in *Salanâ* & *Philureâ* Medicinæ operam dedit.

E peregrinatione ad exteras nationes, imprimis *Italiam*, ac in eâ *Patavium* ſuſceptâ redux, *Salanis Athenis* Inſignia Doctoratûs Medici adeptus eſt A. 1581. Decan. Dom. Parente, & Brabeutâ D. *Andrea Ellingero*, ac Diſputatione de febri ardente priùs habitâ. An. ſeq. 1582.

Medicinæ Doctor Jenæ.

Inter Profeſſores publicos Medicos cooptatus, & Patris ac brevi Fratris ſimùl Collega, raro felicitatis exemplo factus, obiit *Jenæ* 1. Junii A. C. 1617. ætatis 64. Sepultus in Templo *Michaëlitano*, & parentatione decoratus à *Johanne Oberndorfio*, *Græcâ Styro*.

Medicinæ Profeſſor, Patris & Fratris Collega.

Symboli loco in Philothetis ſeu Albis hoc uſus eſt pentametro:

Fidentem neſcit deſtruiſſe DEUS.

* *Ex Nomenclat. Profeſſ. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit Epigramma:

Par Patriq; tuo, Fratriq; Philippe Jacobe
Schrötere, es titulis, officiisque manes.
Dicere Tu Medicus Doctor, Medicusq; Profeſſor
Audis, & talis cum Patre Frater ovat.

Obiit A.C. 1617.

PETRUS PAVIUS.

A*Mſtelrodami* natus eſt A. 1564. Patre cognomine, qui ob Religionem ſolum vertere coactus eſt.

Matre *Gertrude*, ex patriciâ *Spigeliorum* familiâ, ſorore *Johannis*, & *Henrici Laurentii Spigelii*, quorum uterque Poëta inſignis in linguâ *Batavâ* fuit.

Puer à Patre primùm *Amersfordiam* in ſcholam *Geſſelii* miſſus eſt. Paulò pòſt domum revocatus, ſub diſciplinâ *Alardi Friſii* multum profecit.

A. 1580. *Lugdunum Batavorum* conceſſit, ubi medicinæ operam dare cœpit.

A. 1584. *Lutetiam Pariſiorum* petiit, ubi utrumque *Duretum*, Patrem & filium, audivit, & in Anatomiâ ſub *Johanne Fabro* ſe exercuit.

Ex *Galliâ* ob tumultûs bellicos in *Daniam* navigavit. Indè *Roſtochium* ſe contulit, ubi Medicinæ Doctor creatus eſt an. ætatis 23. & Anatomica publicâ docere cœpit. *Medicinæ Doctor.*

Relicto *Roſtochio*, *Italiam* inviſit, & *Patavii Aquapendentem* cadavera ſecantem vidit.

Ex *Italiâ* poſt trimeſtrem moram in patriam revocatus, cum domi aliquandiu ſubſtitiſſet, in Academiam *Lugdunenſem* rediit, & medicinæ publicam Profeſſionem nactus eſt An. 1589. *Medicinæ Profeſſor publicus Lugduni.*

Uxorem paulò pòſt duxit *Mariam*, filiam *Jani Hauteni*, Secretarii *Lugd.*

Docuit autem in Academiâ, & adminiſtravit Anatomen, & Botanica profeſſus, horti publici præfecturam cum laude per annos 28. geſſit.

Ipſius induſtriæ debetur Amphitheatrum Anatomicum, quod undique ſceletis humanis & brutorum variis, atque inſtrumentis anatomicis adornavit.

Eidem debetur hortus Academicus, ſtirpium varietate inſtructus.

Tandem cum ultrà annum melancholiâ hypochondriacâ laboràſſet, accedentibus dejectionibus ac vomitibus nigris, inſtar picis liquidæ, DEO animam reddidit 1. Aug. A. 1617. ætatis 54. *Moritur.*

Scripta. Edidit *Horti Academici Lugd. Batavi deſcriptionem.*

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1617.

TOBIAS TANDLERUS.

Filius Architecti celebris.

D*Reſdæ* natus eſt 24. Julii An. C. 1571. Patremq; habuit *Chriſtophorum Tandlerum*, Architectum, non patriis Principibus tantùm *Auguſto, Chriſtiano*, & *Friderico Wilhelmo*, ſed & aliis, cumprimis verò *Henrico Julio, Brunsvicenſium* Duci, charum & æſtimatum, cujus artem ingeniumque monumenta publica quamplura, præcipuè verò *Gröningenſis* Arcis Regia ſtructura loquuntur. Mater ipſi fuit *Barbara*, Civis *Dresdenſis* primarii *Lucæ Richteri* filia.

Ab his parentibus *Torgam* poſteà, ubi colebant illi, delatus primis ibi literis & pietate imbutus eſt, ideòque *Torgenſem* ſe quàm *Dresdenſem* nominare maluit. *Torgæ in literis educatur.*

Menſ. Sept. A. 1590. *Wittenbergam* venit, ibique Linguarum Philoſophiæque ſtudiis diligenter invigilavit, & A. 1599. 25. Sept. Magiſterii gradum inter Candidatos cœteros primum conſecutus eſt. *Philoſophiæ Magiſter Wittenb.*

Attigit & Poëticen naturâ ad illum pronus. Poſt Philoſopiam Medicinæ maximè operam dedit, inque eâ brevi ita promovit, ut An. 1600. 14. Octob. Laureâ Doctorali publicè fuerit decoratus. *Doctor Medicinæ creatur, & deſponſatur.*

Eodem die nuptias celebravit cum *Sibyllâ*, D. *Hieron. Nymanni*, Med. Prof viduâ, ex honeſta *Strauchiorum* familiâ natâ. Factus ex eâ 6. liberorum pater, trium utriusque ſexûs duas tantùm filiolas *Barbaram* & *Sibyllam* reliquit ſuperſtites, cum duobus privignis M. *Hieronymo* & M. *Gregorio Nymannis*, illo Facul. Philoſoph. adjuncto, itemque Theologiæ, hoc Medicinæ Candidato, quos vivens ſingulari amore & in modum germani Patris complexus.

A. 1605. Menſ. Maji In Collegium Philoſoph. adoptatus, 10. Octob. ſeq. in Profeſſionem Mathematum inferiorum ſucceſſit, quam, cum tres ferè annos profeſſus eſſet, An. tandem 1608. 4. Martii in Collegium Medicum allectus, & Botanicæ Anatomicæque Profeſſioni præfectus eſt. Rectoratum intereà Academiæ bis adminiſtravit. *Profeſſor Mathem.* *Profeſſor Botan. & Anatom. Wittenb.*

Menſ. Aug. An. 1616. ex Epidemiâ febri laborare cœpit, quæ brevi in quartanam mutata eſt, hanc verò circa Paſcha ſeq. anni aquoſus ventris tumor ſecutus eſt, qui etſi detumuerat, tamen viribus omnibus exhauſtum mundo ſuſtulit, obiitque adeò placidè, ut vix animadverterent adſtantes, *Wittenbergæ*, 3. Aug. A.C. 1617. ætat. 46. *Moritur hydrope.*

* *Ex Concione fun. D. Baltaſ. Meiſneri.*

Clar. A.C. 1617.

LAZARUS MAYENSCHEIN.

N*Orimbergæ* partûs funeſtiſſimi prodigium vitam auſpicatus eſt, Patre *Johanne*, Mercatore & Cive honeſto, qui An. 1572. obiit: Matre *Marthâ Lingeriâ*, quæ 12. liberorum mater filium hunc undecimum mirabiliter peperit die S. *Margarethæ*, 13. Julii A. 1560.

Illa enim partui proxima ex uteri ſuffocatione vires ſubitò perdidit, ut ab aſtantibus de ſepulturâ ejus jàm ſollicitis pro mortuâ haberetur.

Ad eam Medicus, cujus anteà conſilio fuerat uſa, vocatus, cum nec ex pulſu, nec ex plumis ſpeculoque polito ori, ſuccini verò fumo naribus admotis, nec pilorum evulſione, nec pedum plantarum cum aciculis punctione vitæ aliquod indicium in matre fœtuque ejus percipere potuiſſet, & ipſe vitâ prorſus privatam eſſe judicavit,

Digitized

marito tam enſuaſit, ne uxorem demortuam ante triduum elapſum ſepulturæ mandari curaret, cum experientiâ ſæpiùs edoctus fuerit, quod mulieres ex utero ſuffocatæ vires recuperârint.

Maritus cum morem geſſiſſet, puerpera morti adjudicata tertio demùm die præterlapſo paululùm reſpirare cœpit, ut tamen vix plumâ ori admotâ ſpiritus emiſſus perciperetur.

Tunc clamore exorto inter mulieres aſtantes, & aquis pretioſis ori infuſis puerperam reficere ſtudentes, oculos illa aperuit, & loqui cœpit cum omnium ſtupore: mox partus etiam doloribus reverſis, filiolum ſanum enixa eſt, qui die ſeq. S. baptiſmi fonte initiatus, Patre jubente, *Lazarus* (quod nomen Germ. Gottesbülff ſonat) nominatus eſt, Suſceptore M. *Conrado Klingenbeck*, ad S. *Ægydium* Eccleſiaſte, non ſine omine dicente: Quia puer hic, auxiliante DEO, modo non admirando ex utero materno prodiit, ejusdem auxilio vir evadet plurimis hominibus auxilio profuturus.

Partu prodigioſo editus.

Cum in ſcholâ *Norimbergenſi* literarum fundamenta feliciter poſuiſſet, an. 1576. in Academiam *Wittenbergenſem* miſſus, & ibi Philoſ. Magiſter renuntiatus eſt An. 1580. Indè paulò pòſt *Baſiléam* profectus, operam ſtudio medico impendit.

Philoſophiæ Magiſter Wittenb.

Ibi An. 1583. 14. Sept. ſub præſidio D. *Theodori Zwingeri* de Pleuritide publicè diſputavit. Ab eodem tunc facult. medicæ Decano 22. Oct. Doctorales honores expetiit, cumque pro more ſine Præſide de Cholerâ morbo diſputâſſet, ſolenniter Doctor Med. creatus eſt, unà cum *Franciſco Didicæo Dantiſcano*, & *Emanuele Didymo Ulmenſi*, poſteà Medico *Campodunenſi*, 5. Dec. An. 1583.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

A. 1584. *Norimbergam* in patriam reverſus, ſtatim in Medicorum ibi Collegium receptus eſt. Sed cum ſub finem hujus anni peſtis initia ſe proderent in Urbe, ſuaſu fratris ſui *Jacobi* familiæ ſuæ metuentis, *Islebiam* ad ſororem ſuam migrare inſtituit, & *Culmbacum*, Marchionatus ſuperioris oppidum pertranſiens, in quo paulò ante D. *Johannes Moninger*, Med. ord. obierat, & peſtis graſſari cœperat, à Marchione *Brandenburg.* cui per D. *Joach. Camerarium*, Med. *Norimb.* primarium de meliori notâ commendatus erat, Medicus in opp. *Culmbaco* ord. deſignatus eſt.

In Collegium Med. Noribergæ receptus.

Med. ord. Culmbaci,

A. 1588. Menſ. Aprili cum ſalarium promiſſum non obtinuiſſet, *Schlackenwaldam* diſceſſit; ibique per ſesquiannum praxin med. exercuit, ſed cum & ibi praxis eſſet exigua, *Curiam* urbem in *Voitlandiâ* primariam migravit, ubi an. 1589. Senatûs Decreto in D. *Hieronymi Remneri* aliò profecti, Medicus ord. factus, per 28. annos Medici fidelis munere functus eſt.

& Schlackenwaldæ.

Med. ord. Curienſis.

Tandem variis ex catarrhis affectus moleſtiis, viſum quoque perdidit, cumque aliquando fortuitò ex aquâ juniperi aliquid in oculos inciđiſſet, & hos parùm clarificari ſenſiſſet, in ejusdem aquæ uſu frequenti pergens viſum recepit, catarrhi tamen ſubindè vehementius reverſi ſunt.

Viſum deperditum uſu aquæ junip. recepit.

1. Octob. An. 1617. *Coburgum*, ſpe melioris ſanitatis, invitis licet *Curienſibus*, diſceſſit, à Principe *Johanne Caſimiro* Medicus ord. ejus loci deſtinatus, ibique paulò pòſt lecto affixus, fruſtrà D. *Schön*, Medico urbis ordinario ſuppetias ferente, ex impetu catarrhi ſuffocativi extinctus eſt 25. Octob. A. 1617. æt. 57.

Deſtinatur Medicus Coburg.

Moritur.

* *Ex Concione funebri M. Chriſtoph. Jordani, Superintend. Curia.*

JEREMIAS SENGIUS.

Obiit A.C. 1618.

Nördlingæ in *Sueviâ*, oppido Imperiali, natus A. C. 1552. Patrem habuit *Petrum Sengium*, Conſulem ibidem.

A primâ ætate in ſtudiis educatus, cum in diverſis *Germaniæ* & *Italiæ* Academiis ſtudiis philoſophicis & medicis operam dediſſet, 10. Febr. A. 1582. *Tubingæ* in Med. Doctorem ſolenniter promotus, die ſeq. nuptias celebravit cum filiâ *Wilhelmi Möglingi*, Med. Doct. & Profeſſoris ibidem, ac anteà per annos aliquot Phyſici *Rotenburg.* quam ſterilem exactis in conjugio 37. annis poſt ſata reliquit.

Tubingæ Medicinæ Doctor, & deſponſatus.

Mox poſt nuptias Reip. *Rottenburgo-Tuberanæ* Medicus ord. declaratus, praxin feliciter exercuit, & licet à diverſis Magnatibus Archiater fuiſſet expetitus, in patriâ tamen vitam traducere maluit, donec ex catarrho ſuffocativo per duos menſes decumbens, in Chriſto exſpiravit *Rotenburgi* 20. Nov. A. C. 1618. ætatis 65.

Medicus ord. Rotenburg.

Moritur.

JEREMIAS SENG M. D.
Per Anagramma:
In ſedem emigras.
JEREMIAS SENGIUS DOCTOR.
Jeſum in corde gero, ſatis.
M. Joh. Hartmannus, Poëta Laur. Cæſ.

* *Ex Concione funebri M. Joh. Neſeri, Superintend. Rotenb.*

FLAMINIUS GASTO.

Obiit A.C. 1618.

Slibuſii, in Ducatu *Glogovienſi*, *Sileſiæ* oppido, natus eſt 9. Sept. A. 1571.

Patre *Gabriele*, ibidem Senatore, Avo *Wolffgango*, qui ibidem Judicis & Conſulis officio annos 40. functus, annum ætatis 90. mum attigit, viditque liberos ac nepotes 115. Mater ei fuit *Dorothea*, *Martini Martinii*, Senatoris ibidem filia.

Puer in ludo primùm patrio, deindè *Gorlicii*, ſub *Laurentio Ludovico*, Gymnaſii Rectore, felices in ſtudiis fecit progreſſus.

Indè *Wittenbergam* profectus, Philoſophiæ ac Medicinæ totum ſe dedidit, interque Profeſſores Medicos *Salomonem Albertum* & *Schatonem* audivit.

Wittenbergâ Lipſiam venit, & indè *Altorffium Noricorum*, ubi Præceptores habuit *Philipp. Scherbium* & *Nicol Taurellum*: ſocium verò ſtudiorum *Joach. Oelhaſium*, poſteà Medicum *Dantiſcanum*. Horum doctrinâ inſtructus, *Uratislaviam* ad *Laur. Scholtzium*,

Practicum, & ab hoc *Pragam* ad *Simonem Simonium*, Philoſophum & Medicum Cæſareum profectus eſt.

E patriâ in *Italiam* progreſſus, *Bononiæ* aliquantiſper ſubſtitit, ubi tunc in arte medicâ Profeſſores floruerunt *Ulyſſes Aldrovandus*, *Flaminius Rota*, *Caſpar Tagliacotius*, *Joh. Coſteus*, *Jul. Cæſar Claudinus.* *Romæ* *Franciſcum Patritium* in Philoſ. in medicâ verò arte *Andr. Cæſalpinum*, & *Marſilium Cagnatum* audivit.

Doctor Medicinæ. *Baſileæ* deindè ſolenni ritu Doctor Med. renuntiatus eſt ult. Aug. A. 1597.

Medicus Gurenſis. Ad ſuos reverſus, cum in patriâ locus non eſſet, *Guram Sileſiæ* in Duc. *Glogov.* oppidum ſe contulit, illiuſque Reip. Medicus ordinarius deſignatus eſt.

Hîc ob praxeos felicitatem in *Sileſiâ* & *Polonia* ab omnium ordinum ægrotis expetitus eſt.

Archiater Lignicenſis. Deindè *Georg. Rudolphus*, Dux *Lignicenſis* & *Bregenſis*, eum Conſiliarium & Archiatrum ſibi adſcivit.

Moritur. Febri tandem correptus, accedentibus doloribus colicis & nephriticis, ad vitam meliorem abiit 5. Febr. An. 1618. ætat. 47. Conjugii 18.

A. 1608. Peſte graſſante cunctis fidelem operam præſtitit. Undè libellum edidit cum hoc titulo: Diſcurs vom rechten Nutz etlicher gebräuchlicher Arzneyen bey währenden Sterbensläufften.

Ab ægris imprimis deſideratus fuit ob ſingularem medicamentorum præparationem, quæ nôrat in minori doſi, & ſine nauſeâ propinare, ut tamen egregiè prodeſſent.

Obiit A. C. 1618.

JOHANN. LUDOVICUS HAWENREUTERUS.

Argentorati natus A. 1548. 1. Aug. Patre *Sebaldo*, Reip. illius annis 50. Medico.

An. 1574. *Argentorati*, cum primis *Melchiore Junio* & *Andreâ Walthero*, Magiſter creatus, Philoſophiam etiam biennio ante publicè profeſſus eſt.

Medicinæ Doctor. A. 1585. Medicinæ Profeſſor deſignatus, an. ſeq. *Tubingæ* Doctor creatus eſt.

Medicinæ, Metaphyſicæ & Phyſicæ Profeſſor. A. 1589. Relictâ profeſſione medicâ, Metaphyſicam & Phyſicam, hancque tandem ſolam ad finem uſque vitæ docuit. Medici verò munere feliciter unà functus eſt.

A. 1577. Canonicus in Capitulo D. *Thomæ*, 1611. Decanus, & 1613. Præpoſitus ejuſdem electus eſt.

Moritur. Obiit *Argentorati* An. 1618. 1. Octob. æt. 70. Prof. Acad. 35.

Scripta. Edidit: *Theſes ex præcipuis Philoſophiæ partibus privatim diſputatas.*

Compendium Phyſicæ.

Adagia Claſſica.

Obiit A.C. 1618.

ERASMUS POSTHIUS.

Filius *Johannis Poſthii*, Archiatri *Palatini*, natus eſt *Herbipoli* 3. Aug. An. C. 1582. *Haidelbergæ* primâ & ſecundâ Laureâ Philoſophicâ decoratus, An. 1613. *Baſileæ* Doctor Med. ſolenniter renuntiatus eſt, cum anteà in *Italiâ Patavii* biennium ferè commoratus, reliquas *Italiæ* urbes nobiliores adiiſſet, inque reditu *Galliam*, *Angliam*, & *Belgium* perluſtrâſſet. *Medicinæ Doctor Baſileæ.*

Deſponſatus. Domum reverſus, uxorem duxit virginem *Agnetem Breidenbachiam*, è quâ triennii non integri decurſu filium & filiam ſuſcepit: ipſe tamen toto eo tempore, licèt temperantiſſimus eſſet, valetudine uſus infirmâ, & nullâ arte curabili vitâ defunctus eſt 27. Decemb. A. C. 1618. æt. 36. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1619.

JOHANNES INGOLSTETTERUS.

Norimbergæ, Urbe Imperiali, natus eſt An. 1563.

Altorfii, Academiâ *Noricâ*, Magiſterii gradum adeptus. *Philoſophiæ Magiſter.*

Poſteà theologicum & medicum ſtudium conjunxit.

A. 1588. *Ambergæ* in Pædagogeo Electorali Prorectoris officium adeptus, ei annis 14. præfuit, cum ſingulari quâdam ingeniorum prudenter tractandorum dexteritate.

Cum autem ad medicinam animum adjeciſſet, nactus eſt ibidem exoptatam illius plenius addiſcendæ occaſionem *Hieronymo Primſio*, Medico erudito, in praxi ipſi viam monſtrante.

A. 1601. Ab obitu *Primſii* Medicus *Ambergæ* ordinarius ab Electore *Pal.* conſtitutus, paulò pòſt *Baſileæ* Docturæ medicæ honorem cum applauſu impetravit. *Medicus Ambergæ ordinarius.*

Obiit *Ambergæ* 15. Febr. A. 1619. æt. 56. *Moritur.*

In Conjugio annis 28. vixit, liberoſq; ex conjuge 6. ſuſcepit, quorum duo patrem præceſſerunt, reliquis, inter quos unicus filius *Johannes Chriſtophorus*, ſuperſtitibus.

Scripta edidit: *Iſagogen in Rhetoricam Ariſtotelis.*

Reſponſionem de aureo dente pueri Sileſii, quâ demonſtratur, neque dentem neq; ejus generationem eſſe naturalem. Contrà *Jacobum Horſtium*, Med. Prof. *Helmſtadienſem*, qui, cum A. 1594. puerum coram & dentem inſpexiſſet, partim naturalem, partim miraculoſum pronuntiavit. *Scripta.*

Fuit autem puer ille nomine *Chriſtoph. Müllerus*, in pago *Sileſiæ* Weigelsdorff ad primum à *Reichenbachio* oppido lapidem, An. 1586. patre *Johanne*, fabro lignario, & molitore paupere natus. Hic cum patre jam extincto pagi illius ludum A. 1593. frequentâſſet, viſus eſt à puellâ quadam habere dentem aureum maxillarem ultimum in ſiniſtrâ parte enatum, de quo poſteà fama latè ſparſa brevi iterum evanuit.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1619.

HIERONYMUS FABRICIUS AB AQUAPENDENTE.

A Patriâ cognomen obtinens, ex parentibus pauperibus circà A. C. 1537. natus, *Patavii* patrocinio nobilium *Venetorum*

ectorum ex familiâ *Lauretanâ* vitæ ſubſidia nactus, Philoſophiæ & Medicinæ ſtudiis operam dedit.

Diſcipulus Gabr. Fallopii. Anatomiâ deindè delectatus, *Gabrielem Fallopium* in vulneribus curandis & corporibus humanis ſecandis adjuvit: in cujus locum *Chirurg. Profeſſor.* factus Chirurgiæ Profeſſor A. 1565. ſucceſſit, & donatus fuit jure *Patavinæ* Civitatis.

A. 1584. Aliud præterea munus à Senatu *Primus Anatomiæ Profeſſor.* *Veneto* conſecutus eſt cum mille Coronatorum ſtipendio, Anatomiæ quotannis pertractandæ, in hunc ſcilicet modum, ut per omnes hyemis menſes Anatomen doceret, membra humani corporis incideret, diſſectionem oſtenderet, resque omnes pertractaret ad negotium Anatomicum pertinentes.

Poſt menſes verò hyemis Chirurgiam doceret: quas explicationes Senatus voluit & juſſit eſſe ordinarias medicinæ, omnibus iis dignitatibus & utilitatibus ornavit, quæcunque primis locis ordinariis medicinæ theoricæ & practicæ in Gymnaſio conceduntur: ut ob id neceſſe fuerit, eum in Collegium Medicorum recipere, & A. 1597. in paginâ Profeſſorum Gymnaſii ante Philoſophos ordinarios pervulgatus fuerit.

Theatri Anat. Pat. fundator. Primus in Athenis *Patavinis* Theatri Anatomici ornamentum impetravit, in eoque primus Anatomias exercuit & declaravit. Chirurgus etiam fuit feliciſſimus, & à Republ. *Venetâ* Eques D. *Marci* creatus, *Eques D. Marci.* catenam ex auro pretioſam dono accepit.

Avaritiæ oſor. Cum mercedem à viris illuſtribus oblatam ſibi conſtanter recuſare ſolitus eſſet, ab iisdem variis muneribus aureis & argenteis donatus eſt, quibus omnibus ordine in cubiculo peculiari diſpoſitis talem præ foribus Inſcriptionem appoſuit:

Lucri neglecti lucrum.

Patavii vulgatum hoc Epigramma:

Martia Fabricio jactat ſe nomine Roma,
Pendula Fabricios tu quoque pignis Aqua.
Nobile Fabricio genus incilita Roma dediſti:
Pendentem hic contra nobilitavit Aquam.

Moritur. Senex obiit *Patavii* An. C. 1619. æt. 82. Cum morti proximus bilem viridem copioſam vomuiſſet, venenum ſibi clam ab agnatis mortem ejus deſiderantibus fuiſſe propinatum, aſtantibus dixit. Longâ verò cum & ſanâ vitâ functum fuiſſe, creditum eſt propter continuum aloës roſaceæ ab ipſo inventæ uſum. Oratione fun. laudatus eſt à *Joh. Thuilio*, Orator. Prof.

Epitaphium:

Epitaphium. *Hoſpes tolle gradum, namq; oſſa ſenilia calcas,*
Quæ pede nullius promeruere premi.

Scripta:

Scripta. *Novum opus Anatomicum multis obſervationibus raris refertum, cum figuris æri inciſis.* *Patavii* 1625. in fol.

Pentateuchos Chirurgicum à Joh. Hartmanno Beyero editum. Francofurti 1604. in 8vo.

De muſculi artificio, & oſſium dearticulationibus. Venetiis 1614. in 4to.

De Oculo, Aure, & Larynge. in fol.

De ovi & pulli formatione. in fol.

De formato fœtu, de locutione & ejus inſtrumentis, de loquelâ brutor, de venar. oſtiolis. in fol.

De gulâ, ventriculo, & inteſtinis Tractat. Venet. 1618. in 4to.

Tract. de motu locali animalium ſecundum totum. Venet 1618. in 4to.

De reſpiratione & ejus inſtrumentis libri II. Venetiis 1620. in 4to.

De integumentis animalium opuſculum. Patavii 1642. in 4to.

Medicina practica, edita à Petro Bourdelotio. Pariſ. 1634. in 4to.

Opera Chirurgica, in duas partes diviſa. Acceſſerunt Inſtrumentorum, quæ partim Autor partim alii invenerunt, enumeratio; item de abuſu cucurbitarum in febribus putridis diſſertatio. Patavii 1647. in fol. *Germanicè Norib.* 1672.

* *Ex Elogiis Viror. doct. Jac. Phil. Tomaſini: Ex vitis Medicorum illuſtr. Petri Caſtellani: & ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

SIMON OPSOPOEUS. *Ob. A. C. 1619.*

ANno 1576. die 6. Jan. natus eſt poſthumus, Patre menſibus duobus ante jam extincto.

Puer à fratre *Johanne Haidelbergam* vocatus, in pædagogio Electorali artium jecit fundamenta.

Deindè fratris exemplo *Haidelbergæ* & *Marpurgi* medicinæ operam dedit, quam ut melius diſceret, in *Italiam* diſcedens, *Patavii* biennio amplius Medicos clariſſimos audivit docentes *Hieron. Fabritium ab Aquapendente, Joh. Thomam Minadoum, Herculem Saxoniam, Æmilium Campilongum, Franciſcum Campanam, & Julium Caſſerium.*

Tum Noſocomia, viridaria, pharmacopolia præcipuarum *Italiæ* urbium perluſtravit, & Chirurgiæ imprimis corporumque diſſectionibus diligentem operam navavit. *Haidelbergam* reverſus, tum in aulâ tum in urbe & extra illam praxin cum laude exercuit.

A. 1614. In Profeſſorum Med. *Haidelbergæ* numerum cooptatus, & A. 1617. Rector *Medicinæ Profeſſor.* Academiæ creatus eſt.

Tandem D. *Wolffgango Loſſio* in Medic. Profeſſione ſubrogatus, cum menſes 5. cachexiâ cum variis ſymptomatibus decubuiſſet, placidè exſpiravit 4. Junii An. 1619. *Moritur.* ætatis 43.

OTTO HEURNIUS. *Ob. A. C. 1652.*

FIlius *Johannis Heurnii*, Med. Prof. & *Chriſtinæ Beyers*, natus eſt *Ultrajecti*.

An. 1581. Cum Parentibus *Leydam* advectus, ſtudiorum fundamenta poſuit ſub *Nicolao Stochio*.

24. Aug. An. 1599. Magiſter artium in *Philoſophiæ Magiſter & Profeſſ.* Academiâ *Leydenſi* promotus, an. ſeq. ad Philoſ. Profeſſionem evectus eſt.

7. Jul.

Obiit A. C. 1614.

CHRISTOPHORUS MYLIUS.

NAtus eſt *Ilſeldæ*, quæ eſt porta *Harcyniæ Sylvæ*, An. C. 1580. Patre *Valentino Mylio*, Paſtore & Superintendente ibidem, Matre *Dorotheâ Vorbauerianâ*.

Studioſus Medicinæ Helmſtad.

Poſt jacta pietatis & liberalium artium fundamenta in patriâ ſcholâ ad celebres aliquot *Germaniæ* Academias ſe contulit, imprimis verò in Academiâ *Juliâ*, quæ eſt *Helmſtadii*, artem medicam excoluit, tanto ardore & ſtudio, ut illuſtris Dom. *Joh. Zamoſcius*, Regni *Poloniæ* Cancellarius & ſupremus exercituum Dux nominis ipſius celebritate motus, cum 24. ætatis annum agentem, ad medicinam in aulâ ſuâ faciendam vocârit.

Med. aulicus Joh. Zamoſcii, Cancellarii Polon.

Cui vocationi paruit, eidemque non minore fidelitate quàm felicitate ſatisfecit, donec inter ea, dum Legatione ad *Turcicum* Imperatorem fungeretur, dictus Dom. *Zamoſcius* A. 1650. fato conceſſit.

& Nic. Com. ab Oſtrorog.

Poſt hujus obitum illuſtri item Dom. *Nicolao*, Com. ab *Oſtrorog*, fidelem in medicinâ faciendâ operam aliquandiu navavit. Porrò cum doctrina & dexteritas ipſius Dom. *Johanni Gniewoſcio*, Capitaneo Regis *Latowiſcienſi*, fuiſſet cognita filii ſui unicè unicè dilecti *Nicolai Gniewoſcii* educationem & informationem illi commiſit, in quo munere toto quinquennio commoratus, & tandem A. 1612. poſtliminiò in Academiam *Juliam* reverſus, ad ſummum in medicinâ gradum aſpirare cœpit, quem etiam cum applauſu impetravit, & inter alios competitores primarium honoris locum obtinuit.

Medicinæ Doctor Helmſtadii.

Practicus Regiomonti.

8. Junii An. 1613. In Academiam *Regiomontanam* veniens, multos ibi in morbis periculoſis auxilio & conſilio juvit, affabilis omnibus fuit, moleſtus nemini: cumque in *Boruſſiâ* vitam conſumere decreviſſet, animum ad conjugium appulit, celebratis ſponſaliis cum honeſtâ fœminâ *Annâ*, Dom. *Davidis Eucbleri*, Med. Doct. relictâ viduâ.

Sponſus obiit.

Sed febri hecticâ conſumptus, antequàm id, quod in animo habebat, perficere liceret, de ſtatione ſuâ decedere, & ſpiritum DEO reddere coactus eſt *Regiomontii* 17. Febr. A. C. 1614. ætatis 34.

* *Ex Programm. fun. Rect. Acad. Regiomont.*

Obiit A. C. 1614.

HENRICUS SMETIUS.

NAtus *Aloſti*, *Flandriæ* Urbe, 29. Junii An. 1537.

Proavus.

Proavus ejus fuit *Jodocus*, Toparcha *Ledanus*, & primùm *Teneramundæ*, deindè etiam prætor *Aloſtanus*, qui floruit circa annum 1420.

Avus.

Avus ipſius *Henricus*, cum *Maximilianus I.* Imp. A. 1582. mortuâ uxore *Mariâ*, *Caroli Burgundi* filiâ, tutelam liberorum agere vellet, ordines verò *Flandriæ* id permittere nollent, à *Gandavenſibus*, contrà quos ille pro Cæſare ſtabat, captus; cum lytron ingens poſtularetur, jura Dominii *Ledenſis* venundare fuit coactus *Jano Grutero*, *Gandavenſi*, cujus in familiâ poſteà hæſerunt.

Parentes.

Pater ipſius *Robertus* natus eſt A. 1475. mortuus 5. Januarii A. 1540. Mater *Catharina*, ex familiâ nob. *Piſotiorum*.

Puer in patriâ Præceptorem habuit *Hubertum Parmentarium*.

Studioſus Medicinæ Heidelbergæ.

Heidelbergæ medicinæ operam dedit, Præceptoribus *Th. Eraſto*, *Jac. Curione*, & *Petro Loticbio*.

Medicinæ Doctor Bononiæ.

Indè in *Italiam* profectus, *Bononiæ*, promotore *Fabritio Garzonio* Medicinæ Doctor creatus eſt 23. Jan. A. 1561.

Matrimonium.

Ad ſuos reverſus, vixit in Conjugio gemino, primò cum *Johannâ*, *Joh. Corpatii*, Conſulis *Antverpienſis* filiâ, ex quâ filios 4. totidemque filias ſuſcepit, ſed unicam duntaxat filiam *Ameliam* ſuperſtitem reliquit; nepotes verò tres ex *Catharinâ* nuptâ *Winando Zenſio* Inſpectori *Brettano*, neptem verò unicam ex *Johannâ* nuptâ *Jano Grutero*.

Poſteà ad ſecundas nuptias tranſiit cum *Johannâ Belieriâ*, quam, cum eâ 22. annis exactis viduam reliquit.

Medicus Comit. Lippienſium.

Antverpiæ motus bellicos prævidens, familiâ in *Weſtphaliam* translatâ, *Longovii* Comitibus *Lippiæ* 7. annis à medicinâ fuit.

Archiater Palatinus.

Deindè *Heidelbergam* à *Friderico III.* Elect. vocatus, biennio ipſius Architer fuit.

Medicinæ Profeſſor Neoſtadii.

Eo è vivis ſublato *Frankenthalium* migravit, & à *Joh. Caſimiro*, Duce *Palat.* *Neoſtadium* ad ſcholæ novæ Profeſſionem vocatus, ſeptem ibi annos tranſegit, & A. 1582. Rectoratum ibi geſſit.

Profeſſor Heidelb.

An. 1585. *Heidelbergam* ab Univerſitate revocatus, medicinam docuit & exercuit, donec 15. Martii A. 1614. paulò ante in glacie graviter lapſus, accedente febre obdormivit, ætat. 77.

Moritur.

In more habuit, ut tenuioribus ſimplicia præſcriberet medicamenta, quæ ipſimet ſine ullo ſumtu ſibi parare poſſent.

Ejus virtutes.

Temperantiæ & ſobrietatis adeò fuit obſervans, ut ex quo ſemel in primâ adoleſcentiâ capitis dolore & inſomniâ unius noctis laboraverat, *Lovanii* ex nimio potu ortâ, nunquàm deinceps per omnem vitam adſtrui potuerit, ad minimam crapulæ ſpeciem, crebrò teſtatus, ita ſe bibere, ut quocunque temporis articulo accerſeretur, ad ægrotos idoneus ſit ad faciendum prudenter officium. Indè & factum, ut *Lovanii*, cum lucubraretur, perpetuò etiam brumâ mediâ ad XI. noctis, dormiturus funem incenderet, & lapis ei annexus in pelvim æneam ſtato tempore delapſus, ſonitu ipſum excitaret, *Ariſtotelem* imitatus.

Poſtremis 24. vitæ annis praxin medicam non exercuit, & in ſenectâ Proſodiam novam concinnavit, opus ante à nemine tentatum.

Scripſit.

Scripſit *Elegiarum lib. II. & Odarum lib. I. anno ætatis 17.*

Batrachomyomachiam Homeri, & Suſannæ Hiſtoriam an. æt. 18. verſu Heroico reddidit Lovanii.

Medicinæ encomium annos 20. natus meditatus eſt, cum ipſi prima medicinæ laurea in Academiâ *Roſtochianâ* eſſet decernenda.

à *Jano*

à *Jacobo Bordingo*, Regis deindè *Daniæ* Archiatro.

Obſervationes Medicinales.

Miſcellanea medica cum præſtantiſſ. aliquot Medicis communicata.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

FELIX PLATERUS.

Obiit A.C. 1614.

B*Aſiléæ Rauracorum* natus eſt, circa feſtum *Sim. Judæ* A. 1536.

Pater ei fuit *Thomas Platerus*, *Valeſianus*, Gymnaſiarcha *Baſileenſis*, qui *Calvini* inſtitutiones *Baſiléæ* primus typis exſcripſit, qui poſtquàm defunctâ primâ uxore, *Felicis* matre, ſecundam an. ætatis 73. duxiſſet, 6. adhuc ex eâ liberos procreavit, ex quibus ultima filia an. ætatis illius 81.mo nata fuit, ipſe verò obiit A. 1582. ætatis 83.

Puer etiamdum miro deſiderio porcos inſpiciendi, dum mactarentur, tenebatur.

Doctor Medicinæ. An. 1557. æt. 21. Poſt multas peregrinationes *Baſiléæ* Doctor Med. renuntiatus eſt.

Medicus Baſileenſis. Indè praxin medicam aggreſſus, ſtatim ob felicitatem in medeno ſingularem à Magiſtratu *Baſileenſi* poliater factus eſt.

An. 1560. à Senatu Academico ad Profeſſionem medicam evectus eſt, quam cum magno auditorum concurſu obivit.

Praxeos autem nomine à variis Magnatibus ſæpè accerſitus fuit, Principibus *Wirtenbergicis*, March. *Badenſibus*, Duc. *Lotharingiæ* &c. Inprimis fidem ſuam civibus probavit, cum peſtilens lues aliquoties *Baſiléæ* graſſaretur. Quicquid ab occupationibus medicis temporis reſiduum habuit in congerendis & contemplandis corporibus naturalibus & artificioſis inſumpſit, & plantatione horti ſui plantis exoticis inſtructi. Tornandi etiam artis maximè peritus, eâ ſuccíſivis horis ſeſe delectavit.

Conjugium. Cum *Magdalenâ Jeckelmaniâ*, Senatoris filiâ, in matrimonio annis 56. ſed ſine liberis tranſactis, tandem phthiſi cum hydropiſi conjunctâ confectus, in ſellâ ſedens,

Moritur. poſtquàm 14. diebus ægrotâſſet, obdormivit 28. Julii A. 1614. ætatis 78. Profeſſionis Med. 43. Praxeos 56.

Medicum egit annis 57. pluresque morbos curavit, quàm alii legerunt.

Academiæ magiſtratum ſummum ſexies geſſit, & toto Profeſſionis ſuæ tempore Medicinæ Doctores 160. renuntiâſſe perhibetur.

Fratrem habuit *Thomam Platerum*, itidem Medicum *Baſil.* natum A. 1574. adeòq; 38. annis juniorem, quem tamen A. 1614. capillos pluribus canis conſperſos habuiſſe, in Obſerv. meminit p. 256.

In nomen ejus ita luſit *Joh. Poſthius*:

Cum felix animo, felix ſis divite cenſu;
Felicis nomen convenienter habes.

Memoriâ excellens eorum ſe recordari, quæ anno ætatis ſuæ tertio & quarto geſta fuerint, ſcribit in initio ſuarum Obſervationum paulò ante mortem editarum.

Ibidem pag. 11. ita ſcribit: Aliquoties mihi accidit teſtudinem pulſanti, à cœnâ ut obdormiſcens in luſu aliquantulùm nihilominùs pergerem, quod & aſtantes fieri aſſeverabant, egoque obſervare potui, præſertim cum mihi aliquando ſomno correpto teſtudo è manibus laberetur.

Ibidem pag. 217. ſcribit: Avus meus maternus *Johannes Summermatterus* ex honeſtâ in *Valeſiâ* ortus familiâ, poſt centeſimum ætatis annum adhuc vegetus, uxore virgine 30. annorum ductâ, filium ex illâ genuit, cujus nuptiis 20. annis poſt centeſimum adhuc ſuperſtes interfuit, & ita 126. annos ætatis complevit, de nullis aliis gravioribus accedentibus, niſi quod flatus retinere non poſſet, conqueſtus. Ex eo pater meus ſexennio ante illius obitum: In diœceſi *Veſpienſi* eſſe viros decem, qui ætate eum excederent, intellexit.

Ibidem pag. 256. ita ſcribit: Matrem meam p. m. *Annam Dietſchiam Tigurinam* ſæpè de ſe prædicantem audivi, ſe tribus ex parente meo ſuſceptis filiabus me poſtremò, cum annos 50. circiter attigiſſet, enixam eſſe.

Edidit: *Librum de Corporis humani fabricâ methodo analyticâ, cum multis figuris.* in fol. Scripta.

Praxeos medicæ libros tres, & totidem Obſervationum medic. in 8vo.

Centuriam poſthumam quæſtionum medicarum ex parte paradoxarum. in 8vo.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

FABIUS PACIUS.

Obiit A. 1614.

V*Incentiæ* natus eſt ſeptimo à conceptu menſe An. 1547. Patre *Paulo*, Matre *Lucretiâ Angiolettâ*.

Cum in patriâ prima literarum fundamenta ſub *Griphola Philenio* & *Violâ* Magiſtris poſuiſſet, ætate progreſſâ cum fratre *Julio* in Gymnaſium *Patavinum* miſſus eſt.

Patavii Phil. & Medicinæ ſtudioſus. Ibi cum Philoſophiam ſatis didiciſſet, ad Medicinæ ſtudium ſe contulit, *Hieron. Mercurialem* & *Bernardinum Paternum* publicè docentes audiens, privatim verò *Hippocratem* & *Galenum* non modò legit, ſed trivit.

Linguis etiam Græcâ & Hebræâ cum Poëſi unicè delectatus eſt.

Philoſ. & Medicinæ Doctor. *Patavii* cum ſeptennium literarum ſtudiis impendiſſet, Philoſophicam & Medicam Lauream promeruit 9. Junii A. 1575.

Practicus Vicent. Patriæ deindè redditus, artem medicam feliciter exercuit, & conjugem ſibi delegit *Helenam Zugianam*, quæ 4. ipſi filios protulit, *Fauſtum*, *Fabritium*, *Flavium*, & *Ferdinandum*.

Etſi verò tunc in ægris medendis totus ferè occuparetur, in gratiam tamen amicorum domi ſuæ Philoſophiam & Medicinam docuit, imò & Anatomiam publicè peregit.

Practicus Venetus. Poſteà *Venetias* cum familiâ ſe contulit, ubi Viris Nobilibus tam gratam præſtitit operam, ut intrà annum 3000. ducatorum confecerit.

An. 1590. Cum *Venetiis* annum egiſſet, à patriis Decurionibus revocatus eam fortunam ſplendidam, ſeu patriæ amore, ſeu otio literario accenſus, reliquit. Tum ejus in medicinâ autoritas ita increbuit, ut non ſolùm *Venetias* ad Procerum valetudinem

crebrò

crebrò evocaretur, ſed domus ejus quotidiano hominum concurſu frequentaretur.

Varias conditiones recuſavit. Hâc famæ celebritate ad Gymnaſium *Ticinenſe*, magno honorario invitatus, cum conditionem recuſâſſet, mille aureorum ſtipendio, præter viaticum, *Meſſanam* vocatus eſt, dumque moram necteret, literis *Æneæ Vizani* Profeſſ. Med. & *Pendaſii* Philoſophi primarii *Bononiam* ad primam Practicæ Medicinæ ſedem ſtipendio 900. Coronatorum expetitus fuit. Quæ cuncta commoda patriæ & familiæ ſtudio præteriit. Munus etiam Archiatri à *Poloniæ* Rege oblatum modeſtè renuit, ſuâ ſorte contentus. Defunctâ uxore alteram duxit, quæ familiam ipſi tribus filiis auxit.

4. Filii ejus eruditi. Ex filiis primi Conjugii natu major *Fauſtus* cum Philoſ. & Med. Laureæ eſſet vicinus, juvenis febri malignâ obiit: *Fabritius* in patriâ Medicinam cum laude fecit, in quâ familiâ ſatis auctâ ætate profectâ deceſſit: *Fabritius* in Templo Patriæ Cathedrali Archidiaconus fuit: *Ferdinandus* ob Juris ſcientiam Judicum Collegio annumeratus eſt.

Imprimis in Conſiliis adeò fuit felix, ut ad ipſum, veluti ad oraculum, tam Collegæ quàm ægrotantes accurrerent.

Deſignatus Medicinæ Profeſſor in Acad. Patavinâ moritur. Extremos annos Sanctor. Patrum lectioni dedit, quibus Hiſtoriam Eccleſiaſticam junxit. Tandem cum Reip. *Venetæ* in ſuſcipiendâ ſupremæ Med. Practicæ Cathedrâ apud *Patavinos* morem gerere vellet, morbo correptus, exſpiravit 12. Octob. A. C. 1614. ætatis 67.

Scripta. Edidit: *Commentaria in 7. de Methodo Galeni Libros, Quæſtionibus Phyſicis & Medicis referta.*

Carminum Volumen Latino & Hetruſco idiomate.

Pſalmos VII. Pœnitentiales, Hetruſco carmine.

De morbo Gallico, per methodum curando.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

ADRIANUS ROMANUS.

Obiit A. C. 1615.

Medicus & Mathematicus. Lovanii natus 29. Sept. A. C. 1561. Medicus fuit, & Mathematicorum ſui temporis, teſte *Michaële Coigneto*, *Antverpienſi*, facilè princeps. Hic mores hominum multorum vidit & urbes.

Medicinæ Profeſſor Herbipoli. *Lovanio Herbipolim* ad loci illius Epiſcopum evocatus, Medicinam ibidem publicè primus docuit, & uxore defunctâ Sacerdos ac Canonicus renuntiatus eſt à *Julio*, *Herbipolenſium* Epiſcopo.

In *Poloniam* migrans, univerſam vidit, *Johannis Zamoſcii*, Cancellarii biennio ferè domeſticus, Cæſareus Regiusque Mathematicus atque Eques auratus.

Moritur Moguntiæ. Dum tandem in *Belgium* cogitaret curando morbo inſtitutâ profectione ad aquas *Spadanas*, *Moguntiæ* vitam cum morte commutavit in ſinu *Jacobi Filii*, Med. ſtudioſi 4. Non. Majas A. C. 1615. æt. 54.

Scripta:

Scripta. *Theatrum Urbium cum Iconibus, in quo brevis & dilucida Urbium præcipuarum per orbem univerſum deſcriptio.*

Uranographia, ſive Cœli deſcriptio.

Methodus Polygonorum, deq; Circuli quadraturâ.

Speculum Mathematicum, ſive Organum formâ mappæ expreſſum, ex Aſtrolabio Gemmæ Friſii, & Speculo Coſmographico Appiani.

Idéa Matheſeos univerſæ.

Matheſis Polemica.

Exercitationes Cyclicæ contrà Scaligerum, Orontium Finæum Gallos, & Raymarum Urſinum in X. Dialogos tributæ.

Supputatio Eccleſiaſtica juxtà novam veteremque Calendarii rationem.

Theoria Calendariorum.

Expoſitio & analyſis in Archimedis Circuli dimenſionem.

Apologia pro Archimede contrà Joſephum Scaligerum.

Canon Triangulorum Sphæricorum, & Triangulorum rectangulorum.

Pyrotechnion, ſive de Ignibus feſtivis.

Arithmeticæ IV. Inſtrumenta, novâ methobodo ac formâ patente exhibita.

Mathematicæ Analyſeos Triumphus.

Methodus exprimendi numeros quantumvis maximos Ciſris vulgaribus notatos, juxta gentium ferè omnium conſuetudinem.

Reſolutio Chordarum arcubus Circuli primarii ſubtenſarum.

In Mahumedis Arabis Algebram.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

LUDOVICUS GRAVIUS.

Obiit A. C. 1615.

Haidelbergæ natus eſt A. 1547. Patre cognomine, Medico, Matre *Suſannâ* Stuchſin / ex *Melanchthonis* familiâ oriundâ.

Fit Doctor Medicinæ. A. 1571. Doctor in arte medicâ renuntiatus.

Biennio poſt in ordinem Academiæ Profeſſorum cooptatus.

Archiater Palatinus. Tandem etiam Elect. *Pal. Friderici IV.* Archiater conſtitutus eſt.

Ætate ad ſenium vergente, valetudinis cauſâ crebrius in diebus canicularibus ad thermas profectus, iisque non ſine ſucceſſu uſus eſt.

Moritur. Ultimâ vice reverſus, ex iis aliquando decubuit, donec morbo invaleſcente è vivis exceſſit 28. Dec. A. 1615. ætatis 68.

Uxorem duxit viduam *Catharinam* Heuringin / anteà *Sigiſmundo Melanchthoni*, Med. Doctori ac Profeſſori nuptam, cum quâ 41. annos ſine liberis tranſegit.

Scriptum. Edidit de *Peſte lib. Germ.*

ANDREAS LIBAVIUS.

Obiit A. C. 1616.

Jenæ Hiſtor. & Poëſ. Profeſſor. Gymnaſiarcha Rotenburg. & Coburg. Medicus & Chymicus. Halâ-*Saxo*: in *Salanâ* Hiſtoricos & Poëtas interpretatus ab An. C. 1588. indè abiit A. 1591. *Rotenburgi* ad *Tuberanos* Gymnaſiarchæ & Poliatri ſpartam nactus; quam usque ad an. 1605. ornavit, quo Gymnaſii *Caſimiriani*, quod *Coburgi* eſt, Director primus audiit. Medicus & Chymicus

micus clariſſimus *Coburgi* vitam beatâ morte finiit A.C. 1616.

* *Ex Nomenclat. Prof. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc Epigramma addidit:

Epigramma.

Andreas Jenæ Spartam Libavius ornat
Vatis & Hiſtorici non ſine laude ſui.
Pòſt Rotenburgi Panaceam porrigit ægris:
Coburgi tandem Gymnaſiarcha fuit.

Scripta:

Scripta.

Syntagma arcanorum Chymicorum.
Praxis Alchymiæ.
De Medicinâ veteri adverſus Michel. de Alchymiâ.
Comment. in Lullium, & Arnoldum.
De Impoſturâ Unguenti Armarii.
Poëmata Epica, Lyrica, & Elegiaca.
Contra Gretſerum Jeſuitam, de Colloquio Ratisbonenſi.

Obiit A.C. 1616.

MATTHIAS LOBELIUS.

Archiater Princip. Auraici, & Regis Angl. Botanicus.

JOhannis, J.C. filius *Inſulenſis Flander*. Natus eſt A. 1538. *Montis Peſſulani* Medicinæ operam dedit ſub Clariſſ. Viro *Guilielmo Rondeletio*. *Antverpiæ & Delphis Batavorum* aliquando *Guilielmi Auraici* Principis Medicus, eo mortuo Ordinum *Hollandiæ*, poſteà *Jacobi* Regis *Magnæ Britanniæ* Medicus & Botanographus.

Filium reliquit *Paulum Lobelium*, inſignem Pharmacopœum, & 4. filias, quarum unam *Ludovicam* in uxorem duxit *Jacobus Colius Ortelianus*.

Scripſit:

Scripta.

Plantarum & Stirpium Hiſtoriam.
Nova Stirpium Adverſaria.

Obiit *Londini* 3. Maji A.C. 1616. ætat. 78. in D. *Dionyſii* templo ſepultus.

Matthias Boucheus amoris & officii ergò Ogdoaſtichon hoc Avo ſuo chariſſimo poſuit:

Chare ſenex arcto dum conſummare ſepulchro,
Quid precer ut ſit humus non onerosa tibi?
Antiquæ tantum eſt tellus tua reddita matri,
Aſt levis Elyſiis ambulat umbra locis.
Molliter oſſa cubent tumulo, ſat ſit tibi ſcriptis
Impleviſſe tuis ſolis utramque domum.
Æternum ſalvere nepos te exoptat in ævum,
Mœſtitiâ voces impediente ſuas.

Chronographicum:

TertIa LVX MaI VerNVsqVe InſtabaT ApoLLo,
Vt noVVs In CæLIs InCoLa faCtVs aVVs.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1616.

HIERONYMUS HORNSCHUCH.

NAtus eſt circa An. C. 1573. *Henſtadii*, pago Comitatûs *Hennenbergici*, in quo Pater ejus *Valentinus Hornſchuch* egit Pædagogum.

Gratuitus in ſcholâ Schleuſingenſ.

Cum in ſcholâ *Schleuſingenſi* gratuitus octennium transegiſſet, ſub diſciplinâ Rectoris M. *Wolffgangi Mülleri*, inde ſe *Jenam* contulit, & biennio pòſt *Lipſiam*. Ibi famulando, pueros informando, & in Officinis Typographicis Correctorem agendo vitam

Lipſiæ famulus &

ſuſtentavit, & unà ſtudio medico dedit operam, ad quod ipſi plurimùm contulit receptio in ædes & miniſterium D. *Caſpar Jungermanni*, Jur. Prof. cum cujus filiis in ſtudio Botanico ſeſe exercuit.

Medicinæ ſtudioſus.

Fit Doctor Medicinæ Baſileæ. Practicus Lipſiæ.

A. 1608. Indè *Baſiléam* profectus, ibi Doctoris Med. gradum cum honore impetravit. Tunc *Lipſiam* reverſus, praxin ibi medicam cum laude exercuit.

Gener D. Caſp. Jungermanni, J.C.

A. 1610. Nuptias ibidem celebravit cum virgine *Magdalenâ*, D. *Caſp. Jungermanni*, Facultatis Juridicæ Senioris, & Conſiliarii *Sax*. filiâ, ex quâ nullos reliquit liberos.

Moritur.

Febre tandem ardente correptus, obiit *Lipſiæ* 22. Maji A.C. 1616. æt. 43.

* *Ex Concione funebri Vincentii Schmuckii, Theol. D. & Prof.*

Obiit A.C. 1616.

JOHANNES WOLFFIUS.

ANno 1537. die 10. Auguſti in oppido Ducatûs *Bipontini*, quod *Tabernas montanas*, Bergzabern vocant, natus, Patre illius oppidi Prætore.

Ad philoſophica & medica ſtudia ſe contulit.

Cùm utilitate publica metiretur omnia, ſeſe à puerilibus diſciplinis ad philoſophica & medica ſtudia contulit, & in erudito hoc pulvere ita verſatus eſt, ut omnis ſcientiæ numeros obtinere videretur. Ideòque vir ſummo ingenio & ſcientiæ copiâ 16. Febr. A. 1578. in Profeſſorum numerum cooptatus, in ſtudiis medicis illuſtrandis & excitandis ſummè allaboravit, idque operam dedit præcipuè, ut artem ipſam ad uſum revocaret & exercitationem, quod eam non tam præcipiendi ſubtilitate, quàm agendi dexteritate & ſolertiâ æſtimandam duceret.

Profeſſor Medicinæ.

Apud Principes Haſſorum ſummam ſibi collegit favorem.

Quibus ſtudiis id effecit, ut medicandi peritia vix ulli comparandus, in aulâ *Marpurgenſi* apud *Ludovicum* Principem ſummam gratiam & favorem colligeret, præſertim cum ſingularis quædam comitas & εὐτραπελία, à quâ omnis faſtus aut faſtidioſus aliorum abeſſet contemptus, reſpondere intelligeretur.

Nec minus poſt *Ludovici Landgrafii* obitum *Mauritio* Principi gratus & acceptus authoritate, gloriâ & exiſtimatione effloruit, ſi quisquam alius, inter ſui ordinis homines.

Quartò vice Rector fuit.

In Academiâ etiam honoribus perfunctus eſt ampliſſimis vel quartùm Rector. Et primus quidem *Wolfii* Rectoratus incidit in annum ſalutis 1585. quo tempore Muſæ propter peſtilentis contagii metum, Helicone hoc ſuo relicto, migrare coacti ſunt aliò, Academia quidem *Francobergam*, Pædagogéum verò *Wetteras*.

Eodem etiam fato anno 1597. tertiùm Rectoris Academiæ gubernacula tenuit, ſed tantò graviori, quantò malum ipſum ſerpebat latius. Nam tum quidem temporis nullus in *Haſſiâ* locus à gravi & peſtilenti aſpiratione erat immunis, qui Academiam excipere potuiſſet & fovere. Ideòque grege ipſo Academico diſperſo, quò quisque po-

 terat

terat Profeſſorum, ut vitæ conſuleret & ſaloti, diffugiebat.

Anno poſtmodùm 1602. cum quartâ vice Rectoris ſuſtineret munus, *Landgravius Otthο* 15. Julii in album ſtudioſorum relatus eſt. Viceſimo quoque ſeptimo ejusdem menſis in Juriſconſultorum auditorio, quod ad Lanum eſt, oratione primùm, deindè in Conſiſtorii aulâ cœnâ hoſpitali excepti ſunt *Philippus Julius*, *Pomeraniæ* Dux, & *Joachimus*, Abbas *Hersfeldenſis*.

Moritur.

Tandem cum 38. annos non Academiæ ſolùm, verùm etiam Principibus ipſis & univerſæ patriæ operam commodâſſet, ipſis Kalend. Juniis anno 1616. æquiſſimo animo oppetiit mortem, quia id vitâ actâ perfecerat, ut ſatis ſuperque vixiſſe videretur.

* *Ex manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1616.

CHRISTOPHORUS MEURERUS.

Lipſiæ natus eſt 9. Oct. A.C. 1558. Patre *Wolffgango Meurero*, Medicinæ Doct. & Prof. Matre *Margarethâ*, *Chriſtophori Blaſebalgii* filiâ.

Puer in ſtudiis tam celeres fecit progreſſus, ut mox tradendus eſſet gravioribus Magiſtris, *Röslero*, *Oedwino*, & *Hiltenio*, quorum inſtitutione tam publicâ quàm privatâ primò in Philoſophiæ Baccalaureum, anno ſcilicet 1579. & triennio pòſt A. 1582. Decano *Friderico Didicœo* in Philoſ. Magiſtrum evaſit.

Philoſophiæ Magiſter.

Profeſſor Mathemat. Lipſ.

Vix ſeſquianno elapſo, Præceptori ſuo *Mauritio Stelmetzio*, Med. Licentiato ſucceſſit in Profeſſione Mathematum, eâque occaſione adſcitus in Communitatem Philoſophicam, mox Decani in eâdem partes obivit.

Præceptor Chriſtoph. Radzivilii, Principis Lithuaniæ.

Chriſtophorus Radzivilius, Princeps *Lithuaniæ*, quo tempore *Lipſiæ* morabatur, ex ipſo Matheſin diſcere dignatus eſt, & hanc ſui Præceptoris privati in docendo induſtriam teſtimonio honorifico manibus ſuis conſignato remuneravit.

Conjugium inivit.

A. 1584. Conjugium inivit cum virgine *Catharinâ*, *Friderici Löſeri*, Conſulis & Theſaurarii *Fribergenſis* filiâ, cum quâ progenuit 9. filios & duas filias, quarum alteram *Margaretham* A. 1606. in matrimonium collocavit D. *Andreæ Emmenio*, Reip. *Zittavienſis* Medico & Phyſico, alteram in cœleſtem patriam maturè præmiſit.

Medicinæ Licent. & Doctor.

A. 1591. Declaratus eſt Med. Licentiatus, & anno proximo 1592. ejuſdem Facultatis Doctor, & Collegii particeps, ſociusq; honorum & laborum iſti Collegio propriorum, exceptâ Profeſſione, ad quam tamen ipſi aliquoties aditus patuit. Cœterùm ſecutus Senatus *Lipſienſis* Doctoræ teſtimonium, & ſuam & Xenodochiorum curam A. 1594. ad eum conjunctim detulit.

Medicus Senator. & Xenodoch. Lipſ.

Rector Acad. bis.

Decemvir.

Academicos faſces bis tenuit, primò A. 1591. deindè A. 1609. quo Jubilæum Academiæ celebratum eſt. A. 1592. Decemvir factus, & A. 1594. Collegis Collegii Principum minoris adſcriptus, ac Præpoſituram annuam veterum pagor. nactus eſt. Morti tandem proximus Procancellarii munus ſibi delatum accepit.

Procancellarius.

Moritur ictero.

A. 1613. die *Bartolomæi* Apoſtoli ictero correptus, officio tamen ſuo pro viribus functus eſt, donec lecto affixus, viribus ſenſim deficientibus placidè exſpiravit 21. Aug. A. C. 1616. ætatis 58.

Edidit:

Scripta.

Pſelli Arithmeticam, & Geometriam, quam temporum iniquitate latitantem in publicum aſpectum produxit, & commentariis exornavit.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Lipſ. & ex Concione funebri M. Andreæ Schneideri, Diaconi ad S. Thomam.*

Obiit A.C. 1616.

ERNESTUS HETTENBACHIUS.

Naſcebatur *Mergentheimiæ*, *Franciæ Orient.* oppido An. C. 1552. 7. Non. Febr. Patre Dom. *Baltaſ. Hettenbachio*, Generoſ. Comitum ab *Hoenloë* Secretario, Matre *Annâ Blöchingerâ*.

Philoſophiæ Magiſter Wittenb.

Tertio ætatis anno Patre orbatus, *Wittebergam* à matre viduâ deportabatur, ubi creſcente ætate literis tam ſtrenuam navabat operam, ut anno ætatis 24. Philoſ. Magiſtri titulo ac inſignibus jure ſuo meritò ornaretur.

Conrector.

Seq. anno ludo ibidem literario operam ſuam addixit, Supremi, ut vocant, & Conrectoris partes tractaturus.

Medicinæ Doctor.

Circa hoc tempus Medicorum arti gentique intimius ſeſe tradidit ſucceſſu felici. Anno enim 1591. die 1. Maji poſt legitima privatim publiceq; facta experimenta Med. Doctor pronuntiatus eſt.

Phyſicæ Profeſſor.

Facult. Med. Senior.

Quinquies Acad. Rector.

Sed & anno pòſt ad Profeſſionem Doctrinæ Phyſicæ vocatus, & decurſo hoc in Collegium Medicum adoptatus eſt. Quâ quidem in facultate Profeſſorem egit per annos 24. Primum verò locum ac venerandam Senioris dignitatem 13. annis laudabiliter tenuit. Decanatum Collegii Philoſophici ſemel, Magiſtratum verò Academicum, quem Rectoratum appellant, rarò & memorabili exemplo, geſſit quinquies.

Conjugium ejus, & Liberi.

Matrimonium inierat An. C. 1578. cum virgine *Mariâ*, *Materni Bennewitzii*, Quæſtoris *Wurzenæ* filiâ. Cum hâc in Conjugio ſuavi vixit annos 38. genitis ex eâ liberis duodenis, quorum Seni ſuperſtites non honeſtatis tantum ſuæ educatorem omnes, ſed quidam etiam honorum Spectatorem Dom. Parentem habuerunt.

Moritur.

Febre tandem ardente extinctus exſpiravit *Wittenbergæ* 20. Oct. A.C. 1616. æt. 64.

* *Ex Programm. funebri Ambroſii Rhodii, Med. D. & Math. Prof. Witt.*

ERNESTUS HETTENBACHIUS, PHILOSOPHUS, MEDICINÆ DOCTOR SUMMUS, COLLEGII MEDICORUM SENIOR, IN ACADEMIA WITTENBERGENSIUM PROFESSOR.

Per Anagramma. *Georgii Theodorici Hofmanni:*

Hic inopem dego ſed cum ſpe divite vitam,
Nobile mors lucrum, Jeſus ſpes unica vita eſt:
Sicce ego non mortis fraudes nil rete morabor.

EPITA-



Digitized by Google

Epitaphium.

EPITAPHIUM:

CHRISTO REDEMPTORI SACRUM.

ERNESTUS HETTENBACH MERGENTHUMENIÆ FRANCORUM MDLII. VI. NON. FEBRUARII NATUS, MEDICINÆ DOCTOR PER ANNOS XXVII. ET PROFESSOR PUBLICUS, FACULTATIS ET ACADEMIÆ SENIOR, QUI NON. OCTOBRIS HORA VESP. II. PIE IN DOMINO OBDORMIVIT AN. DOMINI MDCXVI. SUÆ ÆTATIS LXIV. MENS. VIII. MARITO AC PATRI BENE MERITO CONJUX ET LIBERI SUPERSTITES MONUMENTUM HOC P. C.

Obiit A.C. 1616.

PROSPER ALPINUS.

Auram vitalem hauſit *Maroſticæ*, oppido ad Montium *Vicentinorum* radices amœno, 23. Nov. A. C. 1553. Patre *Franciſco*, Medico ſui temporis inſigni.

Licet ab initio ineunte ætate armis addictior quàm literis videretur, ſimili cum *Paulo* fratre propenſione, qui in ditione *Mediolanenſi* Tribuni militum & Commiſſarii munere functus, *Stazani* & *Carezani* Prætor obiit; ſaniori tamen conſilio bonis literis operam dare decrevit.

Patavii Rectoris Vicarius & Syndicus. *Patavium* itaque veniens, ab Univerſitate Philoſophorum & Medicorum primò Rectoris Vicarius, mox Syndicus electus eſt: quo tempore nocturnis ſtudiis deperditas ob negotia publica dierum horas compenſavit tantâ contentione, ut quadriennio nondum exacto Lauream Doctoralem reportârit 28. Aug. A. 1578. *Medicinæ Doctor.*

Practicus in oppido Campi S. Petri. His honoribus vix auctus, in oppidum *Campi S. Petri* publico ſtipendio invitatus eſt. Sed non diu ibi hæſit: cum enim flagraret deſiderio indagandi ſimplicia exotica, longinquas regiones peragrare conſtituit, electoque per ea tempora *Ægypti* Conſule *Georgio Hemo*, qui inter plurimos id muneris ambientes Proſperum ſibi Medicum delegerat, cum ipſo 12. Sept. A. 1580. *Venetiis* ſolvens, difficili & periculoſâ navigatione initio Julii an. ſeq. 1581. *Cayrum*, *Ægypti* metropolin, ingreſſus eſt, ibique per triennium commoratus, ea vidit & cognovit, quæ edita ab ipſo opera teſtantur. *Venetiis in Ægyptum profectus.* *Cayri triennio commoratur.*

A. 1584. Ex *Ægypto* reverſus, & *Venetiis* aliquandiu moratus, *Genuam* ab *Andreâ Doriâ*, *Melphorum* Principe, ad propriæ valetudinis cuſtodiam accerſitus, medicam artem in eâ urbe feliciter exercuit. *Genuæ praxin exercet.*

Increbreſcente itaque ejus famâ, cum jam annis aliquot *Patavii* ſimplicium medicamentorum Cathedra vacâſſet, eò vocatus à Senatu *Veneto*, ægrè licèt à Principe *Doriâ* dimiſſus, venit. Ibi publicè in Scholis & Horto, privatimq; in ædibus ſuis docendo tantam ſibi famam comparavit, ut Botanici doctiſſimi in dubiis & controverſis ſimplicibus ejus, tanquàm ex tripode, ſententiam certatim expetierint. *Patavii Botanices Profeſſor, & Horti Med. Præfectus.*

Surdus evadit. Sed infimâ & inconſtanti valetudine *Patavii* uſus eſt, arthritide præſertim ſæviſſimâ ſæpiùs excruciatus. Acceſſit poſtremò ſurditas adeò gravis, ut ne maximos quidè ſonos perciperet. Ideò meditari tunc cœpit *Tractatum de Surditate*, quo probare conatus eſt, Medicorum neminem veram affectionis illius naturam hactenus aſſecutum eſſe. Sed fata extremam Operi manum negârunt: nam febri lentâ ſuperveniente vivere deſiit 23. Nov. eâdem, quâ natus erat, die, An. C. 1616. ætatis 63. *Moritur.*

Ex conjuge *Bartholomæâ Tharſiâ*, cive *Patavinâ*, 4. reliquit filios, ex quibus M. *Antonius Alpinus*, J. C. & magnæ ſpei adoleſcens peſte ſublatus eſt An. 1631. *Alpinus Alpinus* jam annis aliquot medendi peritiâ clarus, poſtquàm Patri in Simplicium Profeſſione poſt *Johannem Prevotium* ſucceſſiſſet, diſruptâ pulmonum vomicâ *Patavii* extinctus eſt 12. Dec. A. C. 1637. *Mauritius Alpinus*, Monachus *Caſſinenſis* S. Theologiæ Doctor maraſmo contabuit A. 1644. *Paulus Alpinus* militiæ deditus fuit. *4 Filios reliquit.*

Scripta:

Scripta in lucem edita.

Medicinalium Obſervationum Hiſtorico-Criticarum Libri VII.

De præſagiendâ vitâ & morte ægrotantium Libri VII.

De Medicinâ Methodicâ Libri XIII.

De Medicinâ Ægyptiorum Lib. IV.

De Plantis Ægypti.

De Balſamo dialogus.

De Plantis exoticis Lib. II.

De Rhapontico Thracico.

Manuſcripta:

Manuſcripta.

Prælectiones in Gymnaſio Patavino publicè habitæ.

De Medicinâ Ægyptiorum Lib. V.

De naturali rerum in Ægypto obſervatarum Hiſtoriâ Libri V. variis Plantarum, Lapidum, & Animalium iconibus exornati.

De ſurditate tractatus imperfectus.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1617.

PHILIPPUS JACOBUS SCHRÖTERUS.

Viennâ-Auſtriacus, D. *Johannis* filius, & D. *Joh. Friderici* frater, Comes Palat. Cæſ. natus 8. Julii A. 1553. in *Salanâ* & *Philureâ* Medicinæ operam dedit.

E peregrinatione ad exteras nationes, imprimis *Italiam*, ac in eâ *Patavium* ſuſceptâ redux, *Salanis Athenis* Inſignia Doctoratûs Medici adeptus eſt A. 1581. Decan. Dom. Parente, & Brabeutâ D. *Andreâ Ellingero*, ac Diſputatione de febri ardente priùs habitâ. An. ſeq. 1582. *Medicinæ Doctor Jenæ.*

Inter Profeſſores publicos Medicos cooptatus, & Patris ac brevi Fratris ſimùl Collegâ, raro felicitatis exemplo factus, obiit *Jenæ* 1. Junii A. C. 1617. ætatis 64. Sepultus in Templo *Michaëlitano*, & parentatione decoratus à *Johanne Oberndorfio*, *Græcl. Styro*. *Medicinæ Profeſſor, Patris & Fratris Collega.*

Symboli loco in Philothecis ſeu Albis hoc uſus eſt pentametro:

Fidentem neſcit deſeruiſſe DEUS.

* *Ex Nomenclat. Profeſſ. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc adſcripſit Epigramma:

Par Patriq; tuo, Fratriq; Philippe Jacobe
Schrötere, es titulis, officiisque manes.
Dicere Tu Medicus Doctor, Medicusq; Profeſſor
Audis, & talis cum Patre Frater ovat.

Obiit A.C. 1617.

PETRUS PAVIUS.

Amſtelrodami natus eſt A. 1564. A Patre cognomine, qui ob Religionem ſolum vertere coactus eſt.

Matre *Gertrude*, ex patritiâ *Spigeliorum* familiâ, ſorore *Johannis*, & *Henrici Laurentii Spigelii*, quorum uterque Poëta inſignis in linguâ *Batavâ* fuit.

Puer à Patre primùm *Amersfordiam* in ſcholam *Geſſelii* miſſus eſt. Paulò pòſt domum revocatus, ſub diſciplinâ *Alardi Friſii* multum profecit.

A. 1580. *Lugdunum Batavorum* conceſſit, ubi medicinæ operam dare cœpit.

A. 1584. *Lutetiam Pariſiorum* petiit, ubi utrumque *Duretum*, Patrem & filium, audivit, & in Anatomiâ ſub *Johanne Fabro* ſe exercuit.

Medicina Doctor. Ex *Galliâ* ob tumultûs bellicos in *Daniam* navigavit. Indè *Roſtochium* ſe contulit, ubi Medicinæ Doctor creatus eſt an. ætatis 23. & Anatomica publicâ docere cœpit.

Relicto *Roſtochio*, *Italiam* inviſit, & *Patavii Aquapendentem* cadavera ſecantem vidit.

Medicina Profeſſor publicus Lugduni. Ex *Italiâ* poſt trimeſtrem moram in patriam revocatus, cum domi aliquandiu ſubſtitiſſet, in Academiam *Lugdunenſem* rediit, & medicinæ publicam Profeſſionem nactus eſt An. 1589.

Uxorem paulò pòſt duxit *Mariam*, filiam *Jani Hauteni*, Secretarii *Lugd.*

Docuit autem in Academiâ, & adminiſtravit Anatomen, & Botanica profeſſus, horti publici præfecturam cum laude per annos 28. geſſit.

Ipſius induſtriæ debetur Amphitheatrum Anatomicum, quod undique ſceletis humanis & brutorum variis, atque inſtrumentis anatomicis adornavit.

Eidem debetur hortus Academicus, ſtirpium varietate inſtructus.

Moritur. Tandem cum ultrà annum melancholiâ hypochondriacâ laboràſſet, accedentibus dejectionibus ac vomitibus nigris, inſtar picis liquidæ, DEO animam reddidit 1. Aug. A. 1617. ætatis 54.

Scripta. Edidit *Horti Academici Lugd. Batavi deſcriptionem.*

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1617.

TOBIAS TANDLERUS.

Filius Architecti celebris. *Dreſdæ* natus eſt 24. Julii An. C. 1571. Patremq; habuit *Chriſtophorum Tandlerum*, Architectum, non patriis Principibus tantùm *Auguſto*, *Chriſtiano*, & *Friderico Wilhelmo*, ſed & aliis, cumprimis verò *Henrico Julio*, *Brunsvicenſium* Duci, charum & æſtimatum, cujus artem ingeniumque monumenta publica quamplura, præcipuè verò *Gröningenſis*-Arcis Regia ſtructura loquuntur. Mater ipſi fuit *Barbara*, Civis *Dreſdenſis* primarii *Lucæ Richteri* filia.

Torgæ in literis educatus. Ab his parentibus *Torgam* poſteà, ubi colebant illi, delatus primis ibi literis & pietate imbutus eſt, ideòque *Torgenſem* ſe quàm *Dreſdenſem* nominare maluit.

Philoſophiæ Magiſter Wittenb. Menſ. Sept. A. 1590. *Wittenbergam* venit, ibique Linguarum Philoſophiæque ſtudiis diligenter invigilavit, & A. 1599. 25. Sept. Magiſterii gradum inter Candidatos cœteros primum conſecutus eſt.

Attigit & Poëticen naturâ ad illum pronus. Poſt Philoſopiam Medicinæ maximè operam dedit, inque eâ brevi ita promovit, ut An. 1600. 14. Octob. Laureâ Doctorali publicè fuerit decoratus.

Doctor Medicinæ creatur, & deſponſatur. Eodem die nuptias celebravit cum *Sibyllâ*, D. *Hieron. Nymanni*, Med. Prof viduâ, ex honeſta *Strauchiorum* familiâ natâ. Factus ex eâ 6. liberorum pater, trium utriusque ſexûs duas tantùm filiolas *Barbaram* & *Sibyllam* reliquit ſuperſtites, cum duobus privignis M. *Hieronymo* & M. *Gregorio Nymannis*, illo Facul. Philoſoph. adjuncto, itemque Theologiæ, hoc Medicinæ Candidato, quos vivens ſingulari amore & in modum germani Patris complexus.

Profeſſor Mathem. A. 1605. Menſ. Maji In Collegium Philoſoph. adoptatus, 10. Octob. ſeq. in Profeſſionem Mathematum inferiorum ſucceſſit, quam, cum tres ferè annos profeſſus eſſet, An. tandem 1608. 4. Martii in Collegium Medicum allectus, & Botanicæ Anatomicæque Profeſſioni præfectus eſt. Rectoratum intereà Academiæ bis adminiſtravit. *Profeſſor Botan. & Anatom. Wittenb.*

Menſ. Aug. An. 1616. ex Epidemiâ febri laborare cœpit, quæ brevi in quartanam mutata eſt, hanc verò circa Paſcha ſeq. anni aquoſus ventris tumor ſecutus eſt, qui etſi detumuerat, tamen viribus omnibus exhauſtum mundo ſuſtulit, obiitque adeò placidè, ut vix animadverterent adſtantes, *Wittenbergæ*, 3. Aug. A.C. 1617. ætat. 46. *Moritur hydrope.*

* *Ex Concione fun. D. Baltaſ. Meiſneri.*

Clar. A.C. 1617.

LAZARUS MAYENSCHEIN.

Norimbergæ partûs funeſtiſſimi prodigium vitam auſpicatus eſt, Patre *Johanne*, Mercatore & Cive honeſto, qui An. 1572. obiit: Matre *Marthâ Lingeriâ*, quæ 12. liberorum mater filium hunc undecimum mirabiliter peperit die S. *Margarethæ*, 13. Julii A. 1560.

Illa enim partui proxima ex uteri ſuffocatione vires ſubitò perdidit, ut ab aſtantibus de ſepulturâ ejus jam ſolicitis pro mortuâ haberetur.

Ad eam Medicus, cujus anteà conſilio fuerat uſa, vocatus, cum nec ex pulſu, nec ex plumis ſpeculoque polito ori, ſuccini verò fumo naribus admotis, nec pilorum evulſione, nec pedum plantarum cum aciculis punctione vitæ aliquod indicium in matre fœtuque ejus percipere potuiſſet, & ipſe vitâ prorſus privatam eſſe judicavit, marito

marito tam ſuaſit, ne uxorem demortuam ante triduum elapſum ſepulturæ mandari curaret, cum experientiâ ſæpius edoctus fuerit, quod mulieres ex utero ſuffocatæ vires recuperârint.

Maritus cum morem geſſiſſet, puerpera morti adjudicata tertio demùm die præterlapſo paululùm reſpirare cœpit, ut tamen vix plumâ ori admotâ ſpiritus emiſſus perciperetur.

Tunc clamore exorto inter mulieres aſtantes, & aquis pretioſis ori infuſis puerperam reficere ſtudentes, oculos illa aperuit, & loqui cœpit cum omnium ſtupore: mox partus etiam doloribus reverſis, filiolum ſanum enixa eſt, qui die ſeq. S. baptiſmi fonte initiatus, Patre jubente, *Lazarus* (quod nomen Germ. **Gottehilff** ſonat) nominatus eſt, Suſceptore M. *Conrado Klingenbeck*, ad S. *Ægydium* Eccleſiaſte, non ſine omine dicente: Quia puer hic, auxiliante DEO, modo non admirando ex utero materno prodiit, ejuſdem auxilio vir evadet plurimis hominibus auxilio profuturus.

Partu prodigioſo editum.

Cum in ſcholâ *Norimbergenſi* literarum fundamenta feliciter poſuiſſet, an. 1576. in Academiam *Wittenbergenſem* miſſus, & ibi Philoſ. Magiſter renuntiatus eſt An. 1580. indè paulò pòſt *Baſileam* profectus, operam ſtudio medico impendit.

Philoſophiæ Magiſter Wittenb.

Ibi An. 1583. 14. Sept. ſub præſidio D. *Theodori Zwingeri* de Pleuritide publicè diſputavit. Ab eodem tunc facult. medicæ Decano 22. Oct. Doctorales honores expetiit, cumque pro more ſine Præſide de Cholerâ morbo diſputâſſet, ſolenniter Doctor Med. creatus eſt, unà cum *Franciſco Didicæo Dantiſcano*, & *Emanuele Didymo Ulmenſi*, poſteà Medico *Campodunenſi*, 5. Dec. An. 1583.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

A. 1584. *Norimbergam* in patriam reverſus, ſtatim in Medicorum ibi Collegium receptus eſt. Sed cum ſub finem hujus anni peſtis initia ſe proderent in Urbe, ſuaſu fratris ſui *Jacobi* familiæ ſuæ metuentis, *Iſlebiam* ad ſororem ſuam migrare inſtituit, & *Culmbacum*, Marchionatûs ſuperioris oppidum pertranſiens, in quo paulò ante D. *Johannes Moninger*, Med. ord. obierat, & peſtis graſſari cœperat, à Marchione *Brandenburg.* cui per D. *Joach. Camerarium*, Med. *Norimb.* primarium de meliori notâ commendatus erat, Medicus in opp. *Culmbaco* ord. deſignatus eſt.

In Collegium Med. Noribergæ receptus.

Med. ord. Culmbaci,

A. 1588. Menſ. Aprili cum ſalarium promiſſum non obtinuiſſet, *Schlackenwaldam* diſceſſit, ibique per ſeſquiannum praxin med. exercuit, ſed cum & ibi praxis eſſet exigua, *Curiam* urbem in *Voitlandiâ* primariam migravit, ubi an. 1589. Senatûs Decreto in D. *Hieronymi Remneri* aliò profecti, Medicus ord. factus, per [illegible] annos Medici fidelis munere functus eſt.

& Schlackenwaldæ.

Med. ord. Curienſis.

Tandem variis ex catarrhis affectus moleſtiis, viſum quoque perdidit, cumque aliquando fortuitò ex aquâ juniperi aliquid in oculos incidiſſet, & hos parum clarificari ſenſiſſet, in ejuſdem aquæ uſu frequenti pergens viſum recepit, catarrhi tamen ſubindè vehementius reverſi ſunt.

Viſum deperditum uſu aquæ junip. recepit.

1. Octob. An. 1617. *Coburgum*, ſpe melioris ſanitatis, invitis licet *Curienſibus*, diſceſſit, à Principe *Johanne Caſimiro* Medicus ord. ejus loci deſtinatus, ibique paulò pòſt lecto affixus, fruſtrà D. *Schön*, Medico urbis ordinario ſuppetias ferente, ex impetu catarrhi ſuffocativi extinctus eſt 25. Octob. A. 1617. æt. 57.

Deſtinatur Medicus Coburg.

Moritur.

* *Ex Concione funebri M. Chriſtoph. Jordani, Superintend. Curiæ.*

JEREMIAS SENGIUS.

Obiit A.C. 1618.

Nördlingæ in *Suevia*, oppido Imperiali, natus A. C. 1552. Patrem habuit *Petrum Sengium*, Conſulem ibidem.

A primâ ætate in ſtudiis educatus, cum in diverſis *Germaniæ* & *Italiæ* Academiis ſtudiis philoſophicis & medicis operam dediſſet, 10. Febr. A. 1582. *Tubingæ* in Med. Doctorem ſolenniter promotus, die ſeq. nuptias celebravit cum filiâ *Wilhelmi Möglingi*, Med. Doct. & Profeſſoris ibidem, ac anteà per annos aliquot Phyſici *Rotenburg.* quam ſterilem exactis in conjugio 37. annis poſt fata reliquit.

Tubingæ Medicinæ Doctor, & deſponſatus.

Mox poſt nuptias Reip. *Rotenburgo-Tuberanæ* Medicus ord. declaratus, praxin feliciter exercuit, & licet à diverſis Magnatibus Archiater fuiſſet expetitus, in patriâ tamen vitam traducere maluit, donec ex catarrho ſuffocativo per duos menſes decumbens, in Chriſto exſpiravit *Rotenburgi* 20. Nov. A. C. 1618. ætatis 65.

Medicus ord. Rotenburg.

Moritur.

JEREMIAS SENG M. D.
Per Anagramma:
In ſedem emigras.
JEREMIAS SENGIUS DOCTOR.
Jeſum in corde gero, ſatis.
M. Joh. Hartmannus, Poëta Laur. Cæſ.

* *Ex Concione funebri M. Joh. Neſeri, Superintend. Rotenb.*

FLAMINIUS GASTO.

Obiit A.C. 1618.

S*Uibuſii*, in Ducatu *Glogovienſi*, *Sileſiæ* oppido, natus eſt 9. Sept. A. 1571.

Patre *Gabriele*, ibidem Senatore, Avo *Wolffgango*, qui ibidem Judicis & Conſulis officio annos 40. functus, annum ætatis 90. mum attigit, viditque liberos ac nepotes 115. Mater ei fuit *Dorothea*, *Martini Martinii*, Senatoris ibidem filia.

Puer in ludo primùm patrio, deindè *Gorlicii*, ſub *Laurentio Ludovico*, Gymnaſii Rectore, felices in ſtudiis fecit progreſſus.

Indè *Wittenbergam* profectus, Philoſophiæ ac Medicinæ totum ſe dedidit, interq; Profeſſores Medicos *Salomonem Albertum* & *Schatonem* audivit.

Wittenbergâ Lipſiam venit, & indè *Altorfium Noricorum*, ubi Præceptores habuit *Philipp. Scherbium* & *Nicol. Taurellum*: ſocium verò ſtudiorum *Joach. Oelhafium*, poſteà Medicum *Dantiſcanum*. Horum doctrinâ inſtructus, *Uratiſlaviam* ad *Laur. Scholtzium*,

Hhh hhh hh 3 Practi-

Digitized by Google

Practicum, & ab hoc *Pragam* ad *Simonem Simonium*, Philoſophum & Medicum Cæſareum profectus eſt.

E patriâ in *Italiam* progreſſus, *Bononiæ* aliquantiſper ſubſtitit, ubi tunc in arte medicâ Profeſſores floruerunt *Ulyſſes Aldrovandus*, *Flaminius Rota*, *Caſpar Tagliacotius*, *Joh. Coſtæus*, *Jul. Cæſar Claudinus.* *Romæ* *Franciſcum Patritium* in Philoſ. in medicâ verò arte *Andr. Ceſalpinum*, & *Marſilium Cagnatum* audivit.

Doctor Medicinæ. *Baſileæ* deindè ſolenni ritu Doctor Med. renuntiatus eſt ult. Aug. A. 1597.

Medicus Gurenſis. Ad ſuos reverſus, cum in patriâ locus non eſſet, *Guram Sileſiæ* in Duc. *Glogov.* oppidum ſe contulit, illiuſque Reip. Medicus ordinarius deſignatus eſt.

Hîc ob praxeos felicitatem in *Sileſiâ* & *Polonia* ab omnium ordinum ægrotis expetitus eſt.

Archiater Lignicenſis. Deindè *Georg. Rudolphus*, Dux *Lignicenſis* & *Bregenſis*, eum Conſiliarium & Archiatrum ſibi adſcivit.

Moritur. Febri tandem correptus, accedentibus doloribus colicis & nephriticis, ad vitam meliorem abiit 5. Febr. An. 1618. ætat. 47. Conjugii 18.

A. 1608. Peſte graſſante cunctis fidelem operam præſtitit. Unde libellum edidit cum hoc titulo: Diſcurs vom rechten Nutz etlicher gebräuchlicher Arzneyen bey währenden Sterbensläufften.

Ab ægris imprimis deſideratus fuit ob ſingularem medicamentorum præparationem, quæ nôrat in minori doſi, & ſine nauſeâ propinare, ut tamen egregiè prodeſſent.

Obiit A. C. 1618.

JOHANN. LUDOVICUS HAWENREUTERUS.

Argentorati natus A. 1548. 1. Aug. Patre *Sebaldo*, Reip. illius annis 50. Medico.

An. 1574. *Argentorati*, cum primis *Melchiore Junio* & *Andreâ Waltbero*, Magiſter creatus, Philoſophiam etiam biennio ante publicè profeſſus eſt.

Medicinæ Doctor. A. 1585. Medicinæ Profeſſor deſignatus, an. ſeq. *Tubingæ* Doctor creatus eſt.

Medicinæ, Metaphyſicæ & Phyſicæ Profeſſor. A. 1589. Relictâ profeſſione medicâ, Metaphyſicam & Phyſicam, hancque tandem ſolam ad finem uſque vitæ docuit. Medici verò munere feliciter unà functus eſt.

A. 1577. Canonicus in Capitulo D. *Thomæ*, 1611. Decanus, & 1613. Præpoſitus ejuſdem electus eſt.

Moritur. Obiit *Argentorati* An. 1618. 1. Octob. æt. 70. Prof. Acad. 35.

Scripta. Edidit: *Theſes ex præcipuis Philoſophiæ partibus privatim diſputatas.*

Compendium Phyſicæ.

Adagia Claſſica.

Obiit A.C. 1618.

ERASMUS POSTHIUS.

Filius *Johannis Poſthii*, Archiatri *Palatini*, natus eſt *Herbipoli* 3. Aug. An. C. 1582. *Haidelbergæ* primâ & ſecundâ Laureâ Philoſophicâ decoratus, An. 1613. *Baſileæ* Doctor Med. ſolenniter renuntiatus eſt, cum anteà in *Italiâ Patavii* biennium ferè commoratus, reliquas *Italiæ* urbes nobiliores adiiſſet, inque reditu *Galliam*, *Angliam*, & *Belgium* perluſtrâſſet. *Medicinæ Doctor Baſileæ.*

Deſponſatus. Domum reverſus, uxorem duxit virginem *Agnetem Breidenbachiam*, è quâ triennii non integri decurſu filium & filiam ſuſcepit: ipſe tamen toto eo tempore, licèt temperantiſſimus eſſet, valetudine uſus infirmâ, & nullâ arte curabili vitâ defunctus eſt 27. Decemb. A. C. 1618. æt. 36. *Moritur.*

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1619.

JOHANNES INGOLSTETTERUS.

Norimbergæ, Urbe Imperiali, natus eſt An. 1563.

Altorfii, Academiâ *Noricâ*, Magiſterii gradum adeptus. *Philoſophiæ Magiſter.*

Poſteà theologicum & medicum ſtudium conjunxit.

A. 1588. *Ambergæ* in Pædagogeo Electorali Prorectoris officium adeptus, ei annis 14. præfuit, cum ſingulari quâdam ingeniorum prudenter tractandorum dexteritate.

Cum autem ad medicinam animum adjeciſſet, nactus eſt ibidem exoptatam illius plenius addiſcendæ occaſionem *Hieronymo Primſio*, Medico erudito, in praxi ipſi viam monſtrante.

A. 1601. Ab obitu *Primſii* Medicus *Ambergæ* ordinarius ab Electore *Pal.* conſtitutus, paulò poſt *Baſileæ* Docturæ medicæ honorem cum applauſu impetravit. *Medicus Ambergæ ordinarius.*

Obiit *Ambergæ* 15. Febr. A. 1619. æt. 56. *Moritur.*

In Conjugio annis 28. vixit, liberosq; ex conjuge 6. ſuſcepit, quorum duo patrem præceſſerunt, reliquis, inter quos unicus filius *Johannes Chriſtophorus*, ſuperſtitibus.

Scripta edidit: *Iſagogen in Rhetoricam Ariſtotelis.*

Reſponſionem de aureo dente pueri Sileſii, quâ demonſtratur, neque dentem neq; ejus generationem eſſe naturalem. Contrà *Jacobum Horſtium*, Med. Prof. *Helmſtadienſem*, qui cum A. 1594. puerum coram & dentem inſpexiſſet, partim naturalem, partim miraculoſum pronuntiavit. *Scripta.*

Fuit autem puer ille nomine *Chriſtoph. Müllerus*, in pago *Sileſiæ* Weigelsdorff ad primum à *Reichenbachio* oppido lapidem, An. 1586. patre *Johanne*, fabro lignario, & molitore paupere natus. Hic cum patre jam extincto pagi illius ludum A. 1593. frequentâſſet, viſus eſt â puellâ quadam habere dentem aureum maxillarem ultimum in ſiniſtrâ parte enatum, de quo poſteà fama latè ſparſa brevi iterum evanuit.

* *Ex Melch. Adam. vitis Medicorum.*

Obiit A.C. 1619.

HIERONYMUS FABRICIUS AB AQUAPENDENTE.

A Patriâ cognomen obtinens, ex parentibus pauperibus circà A. C. 1537. natus, *Patavii* patrocinio nobilium *Ve-*

netorum

ſectorum ex familiâ *Lauretanâ* vitæ ſubſidia nactus, Philoſophiæ & Medicinæ ſtudiis operam dedit.

Diſcipulus Gabr. Fallopii. Anatomiâ deindè delectatus, *Gabrielem Fallopium* in vulneribus curandis & corporibus humanis ſecandis adjuvit: in cujus *Chirurg. Profeſſor.* locum factus Chirurgiæ Profeſſor A. 1565. ſucceſſit, & donatus fuit jure *Patavinæ* Civitatis.

A. 1584. Aliud præterea munus à Senatu *Primus Anatomiæ Profeſſor.* *Veneto* conſecutus eſt cum mille Coronatorum ſtipendio, Anatomiæ quotannis pertractandæ, in hunc ſcilicet modum, ut per omnes hyemis menſes Anatomen doceret, membra humani corporis incideret, diſſectionem oſtenderet, resque omnes pertractaret ad negotium Anatomicum pertinentes.

Poſt menſes verò hyemis Chirurgiam doceret: quas explicationes Senatus voluit & juſſit eſſe ordinarias medicinæ, omnibus iis dignitatibus & utilitatibus ornavit, quæcunque primis locis ordinariis medicinæ theoricæ & practicæ in Gymnaſio conceduntur: ut ob id neceſſe fuerit, eum in Collegium Medicorum recipere, & A. 1597. in paginâ ProfeſſorumGymnaſii antePhiloſophos ordinarios pervulgatus fuerit.

Theatri Anat. Pat. fundator. Primus in Athenis *Patavinis* Theatri Anatomici ornamentum impetravit, in eoque primus Anatomias exercuit & declaravit. *Eques D. Marci.* Chirurgus etiam fuit feliciſſimus, & à Republ. *Venetâ* Eques D. *Marci* creatus, catenam ex auro pretioſam dono accepit.

Avaritiæ oſor. Cum mercedem à viris illuſtribus oblatam ſibi conſtanter recuſare ſolitus eſſet, ab iisdem variis muneribus aureis & argenteis donatus eſt, quibus omnibus ordine in cubiculo peculiari diſpoſitis talem præ foribus Inſcriptionem appoſuit:

Lucri neglecti lucrum.

Patavii vulgatum hoc Epigramma:

Martia Fabricio jactat ſe nomine Roma,
Pendula Fabricios tu quoque gignis Aqua.
Nobile Fabricio genus inclita Roma dediſti:
Pendentem hic contra nobilitavit Aquam.

Moritur. Senex obiit *Patavii* An. C. 1619. æt. 82. Cum morti proximus bilem viridem copioſam vomuiſſet, venenum ſibi clam ab agnatis mortem ejus deſiderantibus fuiſſe propinatum, aſtantibus dixit. Longâ verò eum & ſanâ vitâ functum fuiſſe, creditum eſt propter continuum aloës roſaceæ ab ipſo inventæ uſum. Oratione fun. laudatus eſt à *Joh. Thuilio*, Orator. Prof.

Epitaphium:

Epitaphium.
Hoſpes tolle gradum, namq; oſſa ſenilia calcas,
Quæ pede nullius promeruere premi.

Scripta:

Scripta. *Novum opus Anatomicum multis obſervationibus variis refertum, cum figuris æri inciſis.* Patavii 1625. in fol.

Pentateuchos Chirurgicum, à Joh. Hartmanno Beyero editum. Francofurti 1604. in 8vo.

De muſculi artificio, & oſſium dearticulationibus. Venetiis 1614. in 4to.

De Oculo, Aure, & Larynge. in fol.

De ovi & pulli formatione. in fol.

De formato fœtu, de locutione & ejus inſtrumentis, de loquelâ brutor, de venar. oſtiolis. in fol.

De gulâ, ventriculo, & inteſtinis Tractat. Venet. 1618. in 4to.

Tract. de motu locali animalium ſecundum totum. Venet 1618. in 4to.

De reſpiratione & ejus inſtrumentis libri II. Venetiis 1620. in 4to.

De integumentis animalium opuſculum. Patavii 1642. in 4to.

Medicina practica, edita à Petro Bourdelotio. Pariſ. 1634. in 4to.

Opera Chirurgica, in duas partes diviſa.

Acceſſerunt Inſtrumentorum, quæ partim Autor partim alii invenerunt, enumeratio; item de abuſu cucurbitarum in febribus putridis diſſertatio. Patavii 1647. in fol. Germanicè Norib. 1672.

* *Ex Elogiis Viror. doct. Jac. Phil. Tomaſini: Ex vitis Medicorum illuſtr. Petri Caſtellani: & ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieronymi Ghilini.*

SIMON OPSOPOEUS. *Ob. A. C. 1619.*

ANno 1576. die 6. Jan. natus eſt poſthumus, Patre menſibus duobus ante poſte extincto.

Puer à fratre *Johanne Haidelbergam* vocatus, in pædagogio Electorali artium jecit fundamenta.

Deindè fratris exemplo *Haidelbergæ* & *Marpurgi* medicinæ operam dedit, quam ut melius diſceret, in *Italiam* diſcedens, *Patavii* biennio amplius Medicos clariſſimos audivit docentes *Hieron. Fabritium ab Aquapendente, Joh. Thomam Minadoum, Herculem Saxoniam, Æmilium Campilongum, Franciſcum Campanam, & Julium Caſſerium.*

Tum Noſocomia, viridaria, pharmacopolia præcipuarum *Italiæ* urbium perluſtravit, & Chirurgiæ imprimis corporumque diſſectionibus diligentem operam navavit. *Haidelbergam* reverſus, tum in aulâ tum in urbe & extra illam praxin cum laude exercuit.

A. 1614. In Profeſſorum Med. *Haidelbergæ* numerum cooptatus, & A. 1617. Rector Academiæ creatus eſt. *Medicinæ Profeſſor.*

Tandem D. *Wolffgango Loſſio* in Medic. Profeſſione ſubrogatus, cum menſes 5. cachexiâ cum variis ſymptomatibus decubuiſſet, placidè exſpiravit 4. Junii An. 1619. *Moritur.* ætatis 43.

OTTO HEURNIUS. *Clar. A. C. 1620.*

FIlius *Johannis Heurnii*, Med. Prof. & *Chriſtinæ Beyers*, natus eſt *Ultrajecti.*

An. 1581. Cum Parentibus *Leydam* advectus, ſtudiorum fundamenta poſuit ſub *Nicolao Stochio.*

24. Aug. An. 1599. Magiſter artium in Academiâ *Leydenſi* promotus, an. ſeq. ad Philoſ. Profeſſionem evectus eſt. *Philoſophiæ Magiſter, & Profeſſ.*

7. Jul.

Medicinæ Doctor, & Profeſſor. 7. Jul. A. 1601. Ibidem Med. Doctor renuntiatus, 8. Nov. ſeq. in locum Patris ſui paulò ante mortui ad medicinæ profeſſionem promotus eſt.

Scripta. Edidit *de Barbaricâ Philoſophiâ libr. II. quarum I. Chaldaicus, alter Indicus.*

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

FRANCISCUS PONA.

Clar. A. C. 1620.

Patriâ *Veronenſis*, ex antiquâ familiâ Patriciâ natus, à primis annis philoſophiæ & medicinæ ſtudiis addictus, in hâc anno ætat. 20. *Patavii* cum applauſu Lauream Doctoralem obtinuit, poſteà in patriâ ſuâ Collegio Medicorum adſcriptus, artem medicam feliciter exercuit.

Medicinæ Doctor Patavii.

Profeſſor Veronæ.

Nec minus per otium literas Latinas & Toſcanas tam in proſâ quàm poëſi ſedulus excoluit. Idcirco præcipuæ in *Italiâ* Academiæ in ſocietatem eum ſuam recipere ſtuduerunt, quarum prima fuit Philarmonicorum *Veronæ*, quæ ſæpè cum admiratione perorantem audivit.

Scripta:

Scripta.

Antidotus Bezoartica, ſeu de Venenis.

Medicina animæ, ſeu ſelectiorum remediorum centuria.

Conſultationum medicarum centuriæ III.

Diſputatio de Lycanthropis.

L' Iſtoria Anatomica delle Piante, & l' Ormondo Latino.

Oratio Panegyrica ad Andream Cornelium, Veronæ Prætorem.

Elogia utroque Latii ſtylo conſcripta.

Apotheoſis viventium Amicorum Heroum.

La Lucerna Dialogo.

Il Sileno Dialogo.

La Traſformazione del primo libro della Metamorfoſi d' Ovidio.

Tre Volumetti di Rime.

La Meſſalina, la Cleopatra Tragedie.

Il Partenio Comedia Morale.

Il Chriſto paſſo Tragedia ſacra.

Il Paradiſo de Fiori, o vero l' Archetipo de' Giardini.

La Remora, o vero del modo di fermare & curare la Peſtilenza.

Il grand Contaggio di Verona.

* *Ex Theatro Italico Virorum eruditorum Hieronymi Ghilini.*

ROBERTUS FLUDD, vel DE FLUCTIBUS.

Clar. A. C. 1620.

Ex antiquâ & nobili Proſapiâ in *Britanniâ* genus ducens, & Armigeri ornatus dignitate, ad veram, ac perennantem, quæ ex literis immortalitatem pollicetur, aſpiravit gloriam, & ipſius naturæ, magnæ matris, peritiſſima rimari ſtatuit arcana, ut arti medicæ, in quâ ſummos dignitatis gradus cum gloriâ adeptus fuerat, Academiæ *Oxonienſis* Doctor, locuples adderet Choragium.

Naturæ Secretor. indagator.

Medicinæ Doctor Oxonii.

Lucubrationes ejus hæ ſunt:

Scripta.

1. *Rob. Fluddi, aliàs de Fluctibus Armigeri in Medicinâ Doctoris Oxonienſis utriusque Coſmi, majoris ſcilicet & minoris Metaphyſ. Phyſ. atq. Technica Hiſtor. Tomus I.*

2. *Tomi I. Tractatus II. De naturæ Simiâ, ſive Technicâ Macrocoſmi Hiſtoriâ.*

3. *Tomus II. De Supernaturali, Naturali, Præternaturali, & Contranaturali Microcoſmi Hiſtoriâ.*

4. *Tomi II. Tractatus II. De Præternaturali utriusque Mundi Hiſtoriâ.*

5. *Anatomiæ Amphitheatrum effigie triplici more & conditione variâ deſignatum.*

6. *Philoſophia Sacra, & vera Chriſtiana Meteorologica & Coſmica.*

7. *Monochordum Mundi Symphoniacum.*

8. *Medicina Catholica, & reſponſio ad Marinum Murſennum.*

* *Ex Vit. Viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi.*

HERMANNUS WOLFFIUS.

Obiit A. C. 1620.

Domeſtico *Johannis* fratris exemplo, velut *Miltiadis* trophæo *Themiſtocles* excitatus, artem medicam tam operoſam quàm fructuoſam aliis non minus *Baſileæ* & in *Italiâ*, quàm *Marpurgi* in patriâ Academiâ ſummâ animi contentione perſecutus eſt, cum omnes labores exantlaviſſet, quos iſthoc in ſtadio decurrentes ſuſtinere neceſſe eſt, die 11. Martii anno 1585. Promotore *Schönfeldio*, honoris ſupremi cepit inſignia, & in abditis atque reconditis rerum naturalium cauſis explicandis ad id munus ab Academiâ accitus, operam deinceps poſuit & ſtudium ſolertiſſimè, id quod vel imprimis è *Cornelii Valerii* Phyſicâ commentariis ab eodem illuſtratâ perſpicere eſt.

Artem medicam variis in locis ſibi acquiſivit.

Doctor Medicinæ.

Profeſſor Phyſices.

Poſtmodùm cum *Schönfeldius* exceſſiſſet è vivis, diſcipulus anno 1591. in ſtatione medicâ excepit Præceptorem, ſimulque biennio pòſt, anno videlicet 1593. ſuſceptum Rectoratus munus explevit.

Medicinæ Profeſſor.

At verò cum ipſius operâ propter artis peritiam & rerum uſum magni omninò fieret, anno 1596. ab Illuſtriſſimo *Haſſiæ Landgravio Mauritio Caſſellas* in aulam avocatus eſt, ut non ſolùm valetudinis Principis curam gereret, verùm etiam operis Architectonicis præeſſet, quod arte iſthac imprimis hominem delectari animadvertiſſet Princeps, ubi tandem cum mortem ſibi propter vitæ brevitatem, quâ hominum circumſcripta eſt ætas, imminere cerneret, ſatur ævi & gloriæ à corpore ita disjunxit animum, ut quotidiè emori diſceret, cumque in modum anno 1620 Chriſti innixus meritis, è terrenæ hujus vitæ vinculis emigravit placidiſſimè.

In aulam Caſſellanam avocatus eſt.

Operis Architectonicis præfuit.

Moritur.

* *Ex manuſcriptis Marpurgenſibus.*

HERMANNUS GVOLFIUS.

Per anagramma:

Uſu firmo Galenus.

HENRICUS PETREJUS SMALCALDIANUS.

Obiit A. C. 1620.

Hic cum acri imprimis eſſet ingenio, Principis ipſius impenſis ad ſtudia incubuit.

cubuit. Ideóque cum otio & facultate diſcendi majore & maturiore, atque alius quisquam frueretur, & labore etiam atque induſtriâ ad eruditionis culmen eniteretur ſuperiore ex *Angliâ*, *Galliâ*, *Italiâ*, *Belgio*, ſecundâ vice reduxit jam doctrinam conſecutus eſt, ut nullius rei, quæ quidem vel ad linguas *Latinam*, *Græcam*, *Italicam*, *Gallicam*, *Belgicam* ſpectaret, vel etiam in artibus ipſis medicis & philoſophicis ineſſet, iis, qui de ejusmodi ſtudiorum genere exiſtimare poſſent, ignarus & rudis videretur.

Atque ſic quidem per rerum copiam & ſcientiæ varietatem digniſſimus habitus eſt, qui inſtitutis & præceptis ad medicam artem attinentibus erudiret etiam alios.

Anatom. Botan. & Chirurg.

Anno igitur 1610. 3. Januarii Medicorum adſcriptus claſſi Anatomicis, Botanicis & Chirurgicis ſtudiis formandis præeſſe juſſus, docendi munus ab oratione panegyricâ de Anatomiæ præſtantiâ & laudibus, publicè poſtmodùm editâ, ac Illuſtriſſimo Principi *Guilielmo V. Haſſiæ Landgravio*, & Academiæ *Marpurgenſis* Rectori tum magnificentiſſimo inſcriptâ, auſpicatus eſt.

Doctor Medicinæ creatus.

Anno deindè proximo *Hartmanni*, à quo propter ingenii dexteritatem, ejusdem diſciplinâ uſus adamatus eſt omninò plurimùm, filiâ ductâ, à *Brunone* Doctoris titulo & honore inſignitus, quem ita deinceps ſuſtinuit, ut nihil omninò faceret reliqui, quod ad ſtudia iſthæc medica propaganda & illuſtranda quoquo modo facere videretur, eâque in ſtatione perrexit usque ad annum 1620. omninò ſtrenuè, quo demum die 19. Maji, fatis ita ferentibus melancholiâ, quâ conflictabatur ſubindè ſæpiùs, correptus è domûs feneſtrâ proſiliit, & infelici caſu crure fracto, cum malum medicinam ipſam ſuperarit, Auguſto die 11. non ſine

Moritur.

omnium luctu & deſiderio periit, cum annum primum ætatis ageret 30. Vir ſi eruditionem ſpectes, longiori vitâ & meliori fortunâ digniſſimus.

Scripta.

Edidit præter alia Philologica & Poëtica, *Noſologiam integram duobus tomis & appendice eleganti methodo CX. diſputationibus comprehenſam.*

Quin & *inſtitutiones Chirurgicas*, juſſu Principis, linguâ vernaculâ ad captum operantium affabrè conſtructas, & alia iſtius generis plura editurus, ſi ſupervixiſſet amplius, ne quos magno ſtudio conceſſerat labores, ab aliis furtivâ manu ſub ipſum jam morientis articulum ſubtracti fuiſſent.

* *Ex manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A.C. 1620.

JOHANNES SIGLITIUS.

Filius Theologi.

NAtus fuit *Hallæ Saxonum*, die 16. Dec. A. C. 1576. Patre viro Reverendo M. *Johanne Siglitio Fribergenſi*, Miniſterii Eccleſiaſtici *Hallenſis* Collegâ Seniore, ac poſt exantlatos annis 52. in Scholis & Eccleſiâ docendi labores ſoluto functione publicâ emerito, mortuoq; A.C. 1617. æt. 80. & matre *Catharinâ*, filiâ *Nicolai Scheubelii*, S. Theolog. Licentiati, & olim Profeſſoris *Lipſienſis*.

Ab his parentibus puer in diſciplinam traditus eſt *M. Chriſtoph. Cæſari*, Scholæ *Hall.* tum Rectori, à quo primis artibus & linguæ utriusq; ſcientiâ mediocri inſtructus, *Lipſiam* conceſſit A. 1592. ubi ſtudia doctrinæ ſecundùm Academiæ leges inſtituit, & ordine Profeſſores docentes audivit.

Lipſiæ Baccalaureus.

A. 1596. Sub æquinoctium vernum Baccalaureus Philoſophiæ factus, triennio pòſt omnium Collegii Philoſophici Aſſeſſorum conſenſu dignus judicatus fuit, cui magiſtralis laurea ſolennibus ceremoniis imponeretur.

Philoſophiæ Magiſter.

Medicinæ Baccalaur.

A. 1602. Medicinæ, cui præcipuam tunc curam dedicabat, creatus eſt Baccalaureus. Poſteà ad exteras abiit Academias, & primò quidem *Patavii* ſubſtitit, operamque dedit Medicis celeberrimis, *Hieron. Fabritio ab Aquapendente*, *Æmilio Campolongo*, *Herculi Saxoniæ*, *Euſtachio Rudio*, *Joh. Thomæ Minadoo*, *Proſpero Alpino*, & *Julio Caſſerio Placentino.*

Studioſus Patavii.

Bononiæ.

Deindè *Bononiæ* præter cœteros *Julio Cæſari Claudino*, med. practicæ Profeſſori primario, & *Flaminio Rotæ*, Chirurgo & Anatomico excellenti à latere cum in excolendâ Theoriâ, tum in cognoſcendâ praxi aſſiduè fuit.

Perluſtratâ *Italiâ Baſiléam* acceſſit, in quâ die 11. Sept. A. 1604. Decano Collegii med. *Felice Platero*, & Promotore *Caſp. Bauhino*, Anatomico & Botanico in *Apollineam* cathedram evocatus, ornamentis medicis, pileo, annulo, libro donatus, Doctor Medicinæ creatus, oſculoque pacis in medicam civitatem receptus, docendæ exercendæ medicinæ poteſtatem accepit.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

Cœterùm confecto peregrinationis curſu, obitisq; Academiis, *Friburgenſi Briſgojæ*, *Argentinenſi*, *Tubingenſi*, *Heidelbergenſi*, *Marpurgenſi*, *Ingolſtadienſi*, *Herbipolenſi*, & *Altorfinâ*, ad æſtatem An. 1605. *Lipſiam* reverſus eſt, ibique eodem anno 10. Sept. nuptias celebravit cum virgine *Mariâ*, filiâ Viri Reverendi Dn. *Zachariæ Schilteri* in Academiâ *Lipſ.* Profeſſoris Theol. primarii, quâ cum ultra 15. annos in conjugio vixit ſuaviſſimo, binis ex eâdem ſuſceptis liberis, quibus verò lucem mortalem aſpicere haud contigit. A. 1606. 28. die Aug. pro conſequendo loco in facultate medicâ de Epilepſiâ ante & poſt meridiem ex ſtatutorum præſcripto publicè diſputavit, totoque ſequenti biennio *Librum V. Galeni de Simplicium Medicamentorum facultatibus*, & omnem medicinam pharmacevticam Lectionibus ordinariis medicinæ ſtudioſis expoſuit.

Nuptias celebravit Lipſiæ.

Pro loco in facult. medicâ diſputavit.

Profeſſor Medicinæ.

20. Novemb. An. 1609. Collega Conſilii medicæ facultatis in Collegium Principum majus cooptatus fuit, ſuffectus in locum Præceptoris ſui D. *Joachimi Tanckii*, 9. April. anno 1613. Judicio facult. medicæ Sereniſſ. Electoris confirmatione approbato conſtitutus fuit Profeſſor Medicinæ Chirurgicæ & Anatomicæ. An. 1616. demandata ipſi fuit cura medica alumnorum Electoralium.

Chirurg. & Anatom. Profeſſor.

Medicus alumnorum Elector.

Tandem A. 1619. Prorector Academiæ electus & publicè renuntiatus eſt. In hiſce functionibus honoratis id feciſſe eum ſemper deprehenſum eſt, quod per ſe pium, bonum, juſtum, æquum, & rebus communibus proficuum eſt. Quod verò illius judicium fuerit, ex ſequenti videre eſt diſticho, quo piè de ſe gloriari ſolitus eſt:

Feci quod potui, quantum mihi gratia Chriſti
Largita eſt: Tibi ſit gloria, ſumme Deus.

Sex tandem poſtremis vitæ diebus febri jactatus acutâ periculi haut experte in verâ fide & invocatione nominis Divini conſopitus obiit 2. Dec. An. C. 1620. ætatis 44. nondum exacto.

Moritur.

Epitaphium hoc ipſe ſibi compoſuit, & vivens adhuc ad ſepulchrum ſuum in æs incidi curavit.

Epitaphium.

Siglitii corpus Medici hâc requieſcit arenâ:
At tibi, Chriſte, animam tradidit ille ſuam.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Academiæ Lipſienſis.*

Obiit A. C. 1621.

PAULUS CELLARIUS.

Caſſellanus, Medicinæ Candidatus è *Tubingenſi ſcholâ* progreſſus, cum doctrinâ excultus putaretur ſatis, in Medicorum numerum cooptatus eſt, & 17. Julii anni 1585. ſolitis ritibus à *Johanne Wolffio* Medico proclamatus eſt.

Doctor Medicinæ creatus.

Ex eo tempore Academiæ primùm, & deindè etiam Noſodochiis quatuor, ut appellantur, in *Haſſiâ* majoribus fidelem prorſus navavit operam, ſuarum rerum & muneris ſatagens vel imprimis, donec in morbum incidit diuturnum & gravem, cum quo acerbè fatis conflictatus, longè antè mori didicit, quàm moreretur. Tandem corporis hujus compedibus ſolutus abiit ad plures anno 1621. die 14. Januarii.

Academiæ & Noſodochiis operam navavit.

Moritur.

* *Ex manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A. C. 1621.

JOHANNES NICOLAUS STUPANUS.

Pontraſini, *Valeſiæ* pago, in *Engadino infer.* ſito, natus eſt 11. Dec. A. 1542.

Cum in patriâ ſub diſciplinâ *Bartholomei Sylvii* ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, an. æt. 15. *Baſiléam* venit, & ſub diſciplinâ *Thomæ Plateri*, Ludimoderatoris, eò pervenit, ut an. æt. 23. à *Johanne Hoſpiniano* Magiſterii, & an. æt. 27. à D. *Theodoro Zwingero* Doctorales in arte medicâ honores adeptus fuerit.

Magiſter Philoſ. & Medicinæ Doctor Baſiléæ.

His Promotoribus ſuis poſteà in Profeſſione publicâ ſucceſſit, *Hoſpiniano* quidem in Profeſſione *Organi Ariſtotelici* An. 1575. *Zwingero* verò in Medicinæ Profeſſione A. 1589. Obiit tandem *Baſiléæ* A. C. 1621. ætatis 79.

Medicinæ Profeſſor publicus.

Senex moritur.

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A. C. 1621.

HENRICUS MIRULÆUS.

Pharmacopœus *Francothalenſis* peritus, & Poëta eruditus, natus eſt *Antverpiæ*, *Brabantiorum* Metropoli, 5. Id. Sept. A. C. 1551. Parens ipſi fuit *Jacobus Mirulæus*, vitæ genere Gemmarius, natione verò ex Inſulis *Flandrorum* oriundus: Matri *Mariæ ab Aggere*, vulgò *van den Dycke* nomen erat.

Puer ad Gymnaſium, quod *Lyræ* eſt, non procul *Antverpiâ* ad percipienda pietatis & artium rudimenta amandatus, cum ibi bonis literis indolem efformâſſet, eruditione & annis provectior ad alia literarum Emporia tranſitum fecit, inter quæ *Bononiam* quoque *Italiæ* Academiam, ſtudiorum matrem nuncupatam, non ſine fructu ſalutavit.

In Gymnaſio Lyrenſi ſtudia inchoat.

Cum verò tyrannis bellica ſæviret in *Belgio*, amore veræ Religionis exulare maluit, quàm domi laqueum conſcientiæ ſuæ injicere. Igitur cum exercitu Imp. *Caroli V.* expeditioni adverſùs infideles in *Africam* ſuſceptæ intereſſe potius elegit.

Militiam ſequitur.

Reverſus è militiâ, matrimonium pepigit cum *Mechthilde*, *Antonii Hoſii*, Pharmacopœi *Bredani*, & *Alithea Sonnemannæ* filiâ 9. Kal. Febr. A. C. 1576. quæ poſteà deceſſit Non. Aug. A. 1590. Ex eâ filios ſuſcepit *Jacobum*, *Antonium*, *Henricum*, *Abrahamum*, & *Ægydium*, filias autem *Saram*, *Mariam*, & *Johannam*.

Matrimonio jungitur.

Cum verò juxta ſtudia bonarum artium haud obiter artis Pharmaceuticæ cognitionem ſibi comparâſſet, laribus ex *Belgio Francothallam* in *Palatinatum* tranſlatis, cœpit eam artem extructo inibi eleganti Myropolio, exercere: in quo vitæ genere, impetrato etiam ſpeciali Electorali privilegio & indultu ſuper ſolitario inibi artis ſuæ exercitio, ad vitæ uſque exodium, conſenuit.

Pharmacopœus Francothalæ.

Viduus interim factus, ad nuptias ſecundas progreſſus eſt cum *Catharinâ*, *Henrici Philippici*, mercatoris quondam *Antverpienſis*, tunc civis *Francothalenſis* filiâ 13. Kal. Febr. A. C. 1591. Ex eo Conjugio prodierunt *Jacobus*, *Ægydius*, *Cornelius*, *Johannes*, & *Henricus* filii: & *Anna*, *Catharina*, *Clara* filiolæ.

Iterum deſponſatur.

Cœterùm vir fuit *Mirulæus*, qui non tam ad vitæ honeſtatem, quàm muſas & carmen facetiaſque amabiles natus eſſe videri poſſet. Sæpiùs enim ad amicos carmina vel inter luſum nata emiſit tam feſtiva quàm elegantia. Illorum Carminum reliquiæ non paucæ ſuperſunt à funere reliquorum, quæ ipſe autor (cum fors in aliquibus luſiſſet liberiusculè) *Vulcano* conſecravit.

Poëta ſingularis.

Eorundem ſuperſtitum faſciculum ſtudioſè collegit *Job. Lucas à Franckenthal*, Poëticæ perſtudioſus, ad quem is, dum viveret, non pauca emiſit leporis plena.

Illius quoq; ingenii promptitudini multùm detulerunt, præter alios viros eruditos, *Paulus Meliſſus* & *Æmilius Portus*, qui eum, præter alia amicæ voluntatis teſtimonia, carminis honore & alloquio honeſtare non dubitârunt.

Senex tandem vitæ hujus procelloſæ & exilii ſatur, mundo lubens valedixit, animis veriora bona adeptus 19. Kal. Septemb. A. C. 1621. æt. 70.

Moritur ſenex.

Sub ejus effigie, quam A. 1612. publicavit, de facie candorem probitatemque affabrè

bre repræſentante, ſequentes verſiculi, vitæ totius veluti indices ſummarii, leguntur:

Ecce Mirulei ſine carne & ſanguine vultus,
Belgica quem primùm tellus, quemque Africa vidit,
Pæoniâ nunc arte tenet Germania, clarum
Ille decus Phœbi, & Francorum gloria Vallis.

* *Ex monumentis & carminibus Henrici Mirulei, nondum editis.*

ANDREAS DöRERUS.

Obiit A.C. 1622.

NAtus eſt 24. Martii An.C.1557. Patre *Johanne Dörero, Popponis* Principis *Hennebergici* Miniſtro domeſtico, Matre *Margaretha Nadermanniâ à Bettenhauſen.*

Anno ætatis ſexto in ſcholam *Schleuſingenſem*, ditionis *Hennenberg.* miſſus, ſtudiorum fundamenta poſuit.

Philoſophiæ Magiſter Lipſiæ. Exindè *Lipſienſem* Univerſitatem ingreſſus, ibi A.1587. in Baccalaureum, & biennio pòſt in Philoſ. Magiſtrum cum laude & honore promotus eſt.

Abindè ſtudio medico deditus, hinc in diverſis Academiis *Germanicis* & *Italicis, Patavii, Bononiæ, Ferrariæ, Senis*, & *Romæ* ſedulam dedit operam, donec Doctorales honores adeptus eſt *Baſileæ* A.1590. *Medicinæ Doctor Baſil.*

& Profeſſor. Profeſſor poſteà *Lipſiæ* declaratus, publicè medicam artem docuit, & praxin feliciter exercuit, Rectoratum quoque ſemel cum honore adminiſtravit.

Archiater Elect. Sax. A. 1601. Ab Electore *Chriſtiano II. Dresdam* vocatus, ejus Archiater ad finem vitæ fuit. In aulâ *Saxonicâ* fuit omnibus acceptus, pauperes gratis curare ſolitus, iisdem interdum quoque nummos ad vitæ ſubſidium erogavit.

A nullo unquam Theologo ſoſtrum accepit, idque DEO ſub initium praxeos ſuæ ſe voviſſe dixit.

Deſponſatur Lipſiæ. A. 1604. 21. Aug. *Lipſiæ* nuptias celebravit cum virgine *Gertrude, Henrici Rothaupti Zebmenſis* filiâ, ex quâ unicam filiam ſuperſtitem reliquit. HâcA.1609. partûs doloribus extinctâ, viduitatem ad finem vitæ coluit.

Moritur. In victu temperans & abſtemius, variis morbis conflictatus, cum tandem 9. ſeptimanis æger decubuiſſet, placidâ morte vitam finiit 26. April. A.C. 1622. ætatis 66.

* *Ex Concione fun. D. Matthiæ Hoë.*

JOHANNES MOLTHERUS Junior.

Clar. A. C. 1622.

NAtus *Granbergæ Haſſorum*, anno æræ Chriſtianæ 1591. die 28. Martii, ſub horam ſecundam matutinam, Patre *Johanne Multhero*, tum temporis ibidem Eccleſiaſte, & poſteà in *Marpurgenſi* Academiâ Profeſſore Theologo *Hebræo.*

Atque hic quidem cum, quod optimi ſolent patres, eò curam cogitationemque dirigendam exiſtimaret, ut liberos non tam fortunæ quàm animi bonis locupletes cerneret, etiam hunc filium ſuum, inter quatuor ſuperſtites natu tertium, ſingulari diligentiâ philoſophiæ primùm, & deindè medicinæ emancipavit, in quibus artibus ita verſatus eſt, ut illarum penè infinitam vim & materiam ſcientiâ & cognitione complexus, anno 1608. die 7. Januarii à celeberrimo Philoſophiæ Anteceſſore *Rodolpho Goclenio* Seniore, cui viri docti per univerſam *Germaniam* quicquid ferè habent eruditionis, tanquàm Præceptori debent, Philoſophiæ, & anno poſtmodùm 1613. die 9. Februarii à *Johanne Hartmanno*, Chymiatriæ Profeſſore, Medicinæ Doctor, non ſine eruditionis & induſtriæ teſtimonio in Academiâ *Marpurgenſi* publicè renuntiaretur. *Philoſophiæ Magiſter. Medicinæ Doctor. Philoſ. & Medicinæ emancipatus.*

Cœterùm cum ingenio eſſet ad mathematicas artes, non minus apto nato, quàm in medicinam proclivi, illarumq; notitiam non perfunctoriam aut vulgarem multo ſibi oleo & operâ comparâſſet, utrumque ſtudiorum genus pari contentione ſibi videbatur uſurus, & apprimè in iis, quæ ad Mathematum illuſtrationem facerent, allaboraturus: imperavit tamen animo ſuo, ut ſuaviſſimis & pelluciſſimis Mathematum ſtudiis ſepoſitis, medicinæ docendæ factitandæque magis vacaret.

Medicinæ Profeſſor. Poſteà cum Clariſſimi Medicinæ Profeſſores *Henricus Petræus*, & *Paulus Cellarius* ad plures abiiſſent, anno 1621. in eorundem ſtationes ſurrogatus, tum curam inſpectionemvé medicam majorum in *Haſſiâ* Noſocomiorum, tum munus in Academiâ ordinariè profitendi medicinam ſuſcepit. Anno inſequenti vigeſimo ſecundo Decurionatus in facultate medicâ ad ipſum eſt devolutus. Edidit è nonnullis, quæ conſcripſit opuſculis Mathematicis de *duplicatione cubi.* *Decanus Facultatis medicæ denominatus. Scripta.*

* *Ex manuſcriptis Marpurgenſibus.*

PETRUS DE SPINA.

Obiit A.C. 1622.

NAtalem ſuum nactus in antiquâ urbe *Aquisgrano*, 26. Martii A.C.1563. Patrem habuit cognominem, Medicum, qui in Civitate illâ magnam famæ gratiam acquiſivit, cum ob ſingularem morbos curandi felicitatem, tum ob exiſtimationem non vulgarem apud Magiſtratum illius Urbis, quippè cum A.1558. omnes Reformatæ Religionis cultum profeſſi Urbe expellerentur, huic ſoli poteſtas data fuit, ut & ſartam tectam conſcientiam & urbem retineret. *Filius Medici cognominis.*

Obiit autem D. *Spina* Pater A.1569. ejusque uxor *Anna Burgeſia* decimo anno poſt viduitatis ſolitudinem exactam, vitam cum morte beatâ commutavit.

Studia inchoavit Aquisgrani & Bremæ. Filius hic eorum à teneris unguiculis ad perdiſcendas literas incredibili cupidinis œſtro percitus, *Aquisgrani* & *Bremæ* fundamenta jecit usque ad annum æt. 15. quo in ætatis flore Græca cum Latinis ſatis commodè conjunxit, diſertus in utriusque Orationis facultate, felix æſtimandus, quod præter alios commilitonem invenerit *Dominicum Baudium, Lugduni* poſtmodùm *Batav.* illuſtre decus & ornamentum. *Commilito Dominici Baudii.*

Poſtquàm tali doctrinæ ſubſidio adoleſcentiam ſatis inſtruxiſſet, ad altiores diſciplinas animum applicuit. Cum verò de ele-

electione facultatis alicujus ageretur, non defuerunt amici & propinqui, qui hortarentur, ut Juriſprudentiam, poſthabitâ medicinâ appetendam ſtatuit. Sed ille promittebat, ſibi non minus feliciter Patris artem ceſſuram, quàm ceſſiſſet dos paterni ingenii.

Med. ſtudioſus Baſil.

Matris itaque viduæ conſenſu *Baſiléam* A. 1578. ſe contulit, ubi tunc Medicinam docebant *Nicol. Stupanus*, *Felix Platerus*, & *Theodorus Zwingerus*, ex quorum doctrinæ fontibus artis ſuæ rivulos egregiè hauſit.

Biennio ibi transacto ſequentem annum perluſtrandis Academiis *Saxonicis*, *Jenenſi* & *Lipſienſi*, totum deindè quadriennium

Lutetiæ.

Lutetiæ Pariſiorum, ad majorem ſcientiæ medicæ cultum capiendum, impertiit: quo tempore ſummis viris, *Hieron. Dandino*, *Ludov. Dureto*, *Joh. Riolano*, & *Martino Akakiæ* fuit familiaris.

Hinc in *Italiam* A. 1581. profectus, hoc primum ad felicitatis ſuæ fructum retulit, quod famoſi Medici *Capivaccius*, *Mercurialis*, & *Aquapendens* oculis ſuis & auribus contigiſſent.

Patavii Conſiliar. nationis Germaniæ.

Patavii Conſiliarii nat. *Germaniæ* munus ei attributum, quo tempore in Diſputatione contra *Polonum Benedictum Jaguerum* adeò præclarè rem geſſit, ut Illuſtris Comes & Philoſophus *Zabarella* Nationi *Germanicæ* de tam præſtabili Philoſophiæ juxta ac Medicinæ Candidato ex animo gratulatus fuerit.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

Sub finem A. 1586. *Baſiléam* rediit, & à Collegio Medicorum munus Promotoris exequente *Felice Platero*, Doctoris titulum aſſumpſit.

Hoc facto, authores ei fuerunt *Theod. Zwingerus*, *Felix Platerus*, & *Joh. Grynæus*, ut in animum induceret, per primos aliquot annos Profeſſoris publici munus tractando famam ſibi parare & authoritatem. Quocirca etiam Scriptis ad Illuſtriſſ. Principem *Joh. Caſimirum*, *Palatinatûs* eo tempore Adminiſtratorem literis eruditionem *Spinæ* utrique & Principi, & ejusdem Cancellario commendârunt.

Verùm cum illi animus ad ſuos, à quibus amplius ſeptennium abſuerat, unicè feſtinaret, hanc curam cœteris antepoſuit, ut quamprimùm *Aquisgranum* ad ſuos ſe referret.

Practicus Aquisgran.

Hâc in Civitate mox medicinæ praxin exorſus, adeò civibus induſtriam ſuam probavit, ut nondum elapſo eo anno præter ſtipendium majus, quàm cuiquam priorum ſolveretur, ex *Palantiorum* familiâ conju-

Maritus.

gem haberet *Gattam*, ſive *Agatham* raræ virtutis & modeſtiæ fœminam: cum quâ in conjugio vixit ſine querelâ annos 34. Liberi ex hoc matrimonio 13. ſuſcepti, filiæ 8. & filii quinque, inter quos duo ad ſummum Doctoratus gradum aſcenderunt non inferiores virtutibus Patris *Petrus* & *Conradus de Spinâ*, quorum ſic ille medicinam fecit, ac ſi ei cum Patre certamen de præſtantiâ eſſet; hic tantâ fori ſcientiâ enituit, ut juvenis adhuc Conſiliarium Electoris *Palatini* egerit.

Duos filios Doctores vidit, Petrum Med. & Conradum, J.C.

Senator Aquisgran.

Statim deindè à Senatu *Aquisgranenſi* *Spina* Pater in Ordinem Senatorium, & aliquantò pòſt in Collegium Seniorum Eccleſiaſticorum cooptatus, labores medicos invito animo cum dignitatibus iis permutavit.

Senior Eccleſiaſt.

Quartus annus Senatori, tertius Seniori tranſierat, cum à fautore ſuo eximio *Don Guaſtonio Spinola*, Comite *Neapolitano*, & Comitatûs *Limbergenſis* tum Præfecto de Proſcriptione *Rudolphi* Cæſaris adverſùs *Aquisgranenſes* edocebatur.

Med. intimus Elect. Frider. IV.

Hos igitur patriæ fluctûs ex alto proſpiciens, à Senatu petiit, per illum ut liceret fortunas familiares in ſecuriorem portum transferre. Eâ re impetratâ in *Palatinatum* advenit, & An. 1599. à Sereniſſ. Electore *Friderico IV.* Medici intimi honorem adeptus, per obſequia & officia indefeſſa eò exiſtimationis & gratiæ evaſit, ut cum à reliquis plurimùm, à nemine tamen magis quàm à Principe ſuo diligeretur.

Defuncto *Friderico IV.* tota res *Palatina* in filium *Fridericum V.* & *Spina* in ejusdem gratiam ceſſit, perindè dilectus Illuſtriſſ. Duci *Johanni Bipontino*, per illud tempus *Palatinatûs* Adminiſtratori. Interjecto deindè tempore appetere ſenectus, faſtidiri aula, probari in Academiâ locus, qui tunc fortè expectabat ſupplementum.

Nam Senatus Academicus jam in eum oculos & ſuffragia contulerat, quod deindè Electoris auctoritas eo pacto ratum fecit, ut curandi opus in aulâ, ſi acciretur *Spina*, non deponeret, eidemque Salarium immotum eſſet.

Medicinæ Profeſſor primar. Heidelb. Rector Acad.

Anno igitur 1617. Primariæ Medicorum Profeſſioni *Heidelbergæ* præpoſitus, tertio anno poſt Magnificum Rectoris Academici honorem inter armorum ſtrepitûs & tubæ clangores geſſit.

Quæ utraque Provincia in tot laborum & negotiorum varietate rectè eum Virum demonſtravit. Acceſſit funeſta illa veſpera

Miſeria Heidelbergæ captæ.

captæ, direptæ, & incenſæ à *Bavaricis* militibus Urbis *Heidelbergæ* 6. Sept. An. 1622. Armati tunc per urbem victores implacabili odio victos conſectabantur, plenæ cædibus viæ, ſtupris domûs pollutæ, cruenta fora templaque, trucidatis paſſim, ut quemque fors obvium obtulerat. Ubique fragor januarum, conclamationes infantium & mulierum.

In vitæ periculo verſatur.

Mox inter ferocientes victores rapax quidam Martis pullus torvus oculis, ore [illegible] conſpicitur, qui enſem, quem dextrâ ferebat, jam jam capiti *Spinæ* innocentis inflicturus erat, niſi ſinceræ fidei uxor præproperè inter maritum *Spinam*, & percuſſorem media occurrens, periculo ictum avertiſſet. Nec robuſtus ille & furibundus *Spinam* ullo pacto porrò violare potuit, cum eum & authoritas vultûs & ætas moveret.

Per biduum integrum direptores ſanguine & rapinis civium animum exſatiabant. Tertio die *Bavarici* exercitûs Dux *Tillius* licentiam militarem per edictum abrupit.

Sed

Sed nec nunc animus *Spinæ* curarum fuit vacuus. Amaritudo enim illa, quam ex *Palatinatûs* excidio contraxerat, contagionem in corpus tranſmiſit. Undè virium depaſtio, & die 7. Octob. A.C. 1622. pius & placidus vitæ finis *Heidelbergæ* ſecutus eſt, cum annum ætatis ageret 59.

Præ mœrore obiit.

Viri memoriam hoc *Epitaphio* ſempiternam reddere voluit *Daniel Pareus*, *Philippi* fil. *Davidis* Nepos:

Epitaphium.

Natus Aquisgrani Petrus cognomine Spina,
Haidelbergiaco conditur in tumulo.
Per caſûs varios & multa pericula rerum
Contrivit veræ Relligionis iter.
Ex ſpinisque roſas collegerat ille ſalubres
Pæonia in turbâ candida Luna micans:
Hippocratemq; ſuum novit, doctumq; Galenum,
Et quod Phyllirides, quodq; Machaon habet.
Non tantùm hunc Medicum vulgus ſuſpexit: at Aulæ
Sæpè Palatinæ nota medela fuit.
Quanquam nunc ſpinis obducat terra ſepulchrum,
Fama tamen Spinæ ceu roſa pulchra floret.

* *Ex Vitis virorum doctorum Parte II. Jani Jacobi Boiſſardi.*

JOHANNES BAPTISTA IMPERIALIS.

Obiit A.C. 1623.

NAtus eſt *Vincentiæ* A.C. 1569. præclaris parentibus fortunâque ſatis uberi auctis, qui cum ejus adhuc ephebi probatam indolem, peracre ingenium, elatosque ſpiritûs non deſtituendos arbitrarentur, *Veronam* optimis moribus & literis imbuendum traduxerunt in contubernio Præceptoris ſummâ tunc doctrinæ ac virtutis opinione florentis. Indè præpropero fermè ex humanioribus evadens progreſſu, & *Bononiam* ſecedens, primùm *Hieron. Mercuriali* & *Federico Pendaſio*, ejus ævi luminibus in Medicinâ & Philoſophiâ ſedulam impendit operam: mox *Patavium* commigravit, ubi *Bernardini Paterni* Medici ſemper uſus operâ, & *Franciſci Piccolominei* præceptis inſtitutus, fatali quaſi lecto muſarum enutritus eſt.

Veronæ ſtudiis traditur.

Bononiæ ſtudia medica ordiiur.

Patavii continuat.

Poſtliminiò autem in patriam reverſus, civium in ſe omnium convertit oculos. Tunc an. æt. 22. *Alexandrum Maſſariam*, Civem & Præceptorem ſuum, in Academiâ *Patavinâ* anteceſſorem à multis *Horatii Augenii*, Medici emunctiſſimi, objectis egregiè vindicavit, libello tunc etiam bis impreſſo.

Vincentiæ praxin med. exercet.

Quin etiam in publicis ſive privatis ſtudioſorum conventibus eo colebatur nomine ſubtilitatis, ut æquales aſſeruerint, primam tunc ei perſpicacis ingenii palmam fuiſſe delatam. Utrâque linguâ peritus, ſive ſolutâ ſive numeris adſtrictâ oratione, rem quamlibet ex tempore perſtringere ſolitus, ſe ad omnium Poëtarum ſtylum, *Catulli* præſertim & *Naſonis* effingere potuit, quod ipſius teſtantur Schemata, ſæpiùs in lucem doctorum emiſſa.

Poëta.

Cum juvenis in Academiâ patriâ docentis onere profiteretur, præmonitum referunt, futurum, ut *Johannes Delfinus* Cardinalis cum nobilium cœtu poſtero die ad ipſum audiendum accederet, quò licet brevi noctis ſpatio concinnatum, ejus proceris Panegyricum eâ verborum fœcunditate ac ornatu profudit, ut ſingularem ejus induſtriam admirati ſint omnes, & Cardinalis inſignibus deinceps amoris & humanitatis officiis perpetuò ſit complexus.

Orator.

Promtiſſimo fuit ad omnia genio & ardore animi concitatus, impranſus, incœnatus, inſomnis noctu operam Libris impendere: interdiu in ægrorum curis ſive in rerum civilium tractatione verſari ſolitus.

Porrò ſeges verborum ac rerum ejus mentis divitias & luxuriantes in eo monſtrabat ſpiritus, de quâque re inopinatò, *Galeni* locos propè innumerabiles, ut etiam *Ariſtotelis* ex tempore explicare ſibi reputabat in ludicris: idcircò omnia *Galeni* opera ſingularibus elucubrationib9 exornavit, quod vaſti laboris op9 ferreum planè mentis robur & inuſitatos vigiliarum niſûs oſtendit.

Memoriâ excellens.

Galeni commentator.

Imò quod anteà nemo molitus eſt, ipſe non temnendis auſpiciis videtur aggreſſus, opus nempè luculentiſſimum, quo medicam officinam ſtupendâ dogmatum ſylvâ & peregrinâ methodi novitate ditavit: cum enim animadverteret, Philoſophiæ ſtudioſos nec opinantes ferè ad Medicinam tranſire, veluti ad alterius Scientiæ principia capeſſenda, nequaquàm verò deliteſcentem in eâ dignoſcere Philoſophiam, hoc ſibi adſcivit onus, ſuis haud impar viribus, pulcherrimam utriusque Scientiæ ſpeciem tanquàm in tabulâ referendi, eâ dictionis ubertate, ſententiarum pondere ac diſpoſitorum elegantiâ, ut in id volumen intenti non magis ornatiſſimi Philoſophi, quàm expertiſſimi Medici evadere poſſe videantur.

Tale opus longo temporis ſpatio elucubravit familiaribus curis implicitus, quod tamen legenti fructûs profert uberrimos, nec inani doctas aures jucunditate perfundit. Hinc Sereniſſ. *Venetorum* Senatus cum ex obitu *Roderici à Fonſeca*, *Luſitani*, practicam in ſcholâ *Patavinâ* primo loco docentis, præclara hæc ejus ſtudia percepiſſet, tam propenſo animo ejus nomen excepit, ut ei ferè libera ſuppeteret id oneris eligendi facultas.

Medicinæ Profeſſ. Patavii recuſat.

At interim maturato conſilio, ac excitis civium ſuorum animis ægrèque ferentibus tanto ſe orbari viro, adeò perfecerunt, ut ipſe lubens in eorum ſenſum deflectens, patrium ſibi domicilium nullo pacto deſerendum exiſtimârit: quapropter *Venetorum* mentibus aliò converſis *Johannem à Colle*, *Urbinatium* Ducis Archiatrum, in ejus locum ſuffecerunt. Sic etiam Academiæ *Meſſanenſis*, quò fuerat ante vocatus, ampliſſimas rejecerat conditiones.

Inerat in eo venerabilis frontis dignitas, prælonga barba & cana, ſubhilares oculi ac fulgentes, ſtatura mediocris, ut actionum ſic pedum celeritas, membrorumq; robur. Annorum 30. ſpatio, quo patriæ medicam impendit operam, ea pietatis officia coluit,

in omnes vel infimos, ut ejus obitum civitas *Vicentina* acerbiſſimo ſit proſecuta luctu, poſtquàm *Vincentiæ* vivendi finem feciſſet 7. Cal. Junii A.C. 1623. ætatis 54.

Moritur Vincentiæ.

Monumentum ejus ſequens eſt:

Epitaphium.

D. O. M.

JOHANNI BAPTISTÆ IMPERIALI PHILOSOPHO ET MEDICO PRÆSTANTISSIMO.

BONARUM ARTIUM ANTISTITI, SUMMO VIRO INTEGERRIMOQUE SINGULARIBUS NATURÆ BONIS IN RERUM SCIENTIA ET AGENDORUM USU CONSPICUO.

CUJUS NOMEN SUIS INCLYTUM, PATRIÆ FAUSTUM, EXTERIS PERNOBILE UBIQUE LIBRIS EDITIS ET EDENDIS PRÆFULGET

CUJUS OPERA BIS COMMUNI ACADEMIÆ PATAVINÆ PLAUSU AD PRIMAM MEDICINÆ CATHEDRAM EXOPTATA.

CUM OLIM ETIAM MESSANENSE GYMNASIUM AMPLISSIMIS IPSUM CONDITIONIBUS INVITARIT

MARINA LANTIA UXOR, ET JOHANNES CAROLUSQUE FILII.

CONJUGI ET PARENTI INCOMPARABILI H. M.

MOESTISS. P. P.

VIXIT ANN. LIII. MENSES IX. DIES XV.

OBIIT VII. KAL. JUNII. AN. MDCXXIII.

* *Ex Muſeo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicentini, Johannis Baptiſtæ filii.*

MICHAEL RöTENBECCIUS.

Obiit A.C. 1623.

NAtus eſt *Norimbergæ*, 19. April. An. C. 1568. Patre *Joh. Wolffgango Ingolſtadienſi*, Notario Cæſ. publico, Matre *Maria*, *Mich. Rotingi*, Rectoris ad S. *Ægid.* filiâ.

Philoſophiæ Magiſter Altorf.

A primâ ætate literis imbutus, A. 1585. in Academiam *Altorfinam* veniens, in eâ A. 1590. Magiſter renuntiatus, mox *Tubingam* ſtudii medici gratiâ diſceſſit. An. 1592. *Argentinenſem* & *Marpurgenſem* Academias adiit.

Med. ſtud. Tubing.

Menſ. Aprili An. 1593. In *Italiam* comite *Vito Gertnero* profectus, *Patavii* publicè docentes audivit D. *Horatium Augenium*, D. *Albertinum Bottonum*, D. *Alexandrum Maſſariam*, D. *Herculem Saxoniam*, D. *Æmilium Campolongum*, D. *Hieronymum Fabritium ab Aquapendente*, & D. *Proſperum Alpinum.*

Patavii.

An. 1595. *Baſiléam* regreſſus, prægreſſâ Diſputat. inaugurali, de imbecillitate ventriculi, unà cum *Georgio Rumbaum*, M. *Hieron. Fabritio*, *Vito Gertnero*, & M. *Joh. Conrado Zinnio*, Promotore D. *Thomâ Coccio*, Med. Doctor ſolenniter creatus eſt.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

In patriam deindè reverſus, A. 1596. in Collegium medicum receptus eſt, & nuptias celebravit cum *Annâ Ammoniâ.*

A. 1602. Medicus in patriâ xenodochialis factus, & A. 1612. Noſocomio *Gallico* præfectus, A. 1600. 1601. & 1610. Viſitator officinarum Pharmacevticarum, A. verò 1616. & 1621. Decanus Collegii medici per electionem conſuetam ordinatus eſt.

Medicus

Cum tandem longo tempore vigiliis moleſtis, & ulcere pulmonum laboraſſet, phthiſi conſumptus, in verâ pietate Creatori ſuo ſpiritum reddidit *Norimbergæ* 27. Martii A.C. 1623. ætatis 55.

Obiit ex phthiſi.

Sepultus jacet in cœmiterio S. *Johannis*, cum Epitaphio ſeq. quod vivus ſibi ipſe compoſuit:

Epitaphium.

MICHAEL RöTENBECK

MED. DOCT.

NATUS A. C. MDLXVIII. XIX. APRIL.

ÆTERNUM VICTURUS MORI DIDICIT CONJUGI ANNÆ AMMONIN, QUÆ PIE PRÆCESSIT XVII. XBR. MCDXXI.

SIBI IPSI PIE SECUTO XXVII MART. MDCXXIII.

POSTERISQUE SUIS M. H. F. F.

Præter alios liberos filium reliquit *Johannem*, qui *Altorfii* 23. Junii An. C. 1630. unà cum 5. aliis Candidatis Med. Doctor ſolenniter creatus, & in Collegium receptus, peſte graſſante extinctus obiit in patriâ 2. Oct. A.C. 1634. ætatis 28.

* *Ex ipſius D. Mich. Rötenbeccii lib. manuſcripto, & ex Actis manuſcriptis Collegii Med. Nor.*

ÆLIUS EVERHARDUS VORSTIUS.

Obiit A.C. 1624.

EX familiâ clarâ natus eſt *Ruremundæ* in *Menapiis*, 26. Julii A.C. 1565. Parentibus *Henrico Vorſtio*, & *Maria Schariâ.*

An. 1575. *Dordracum* cum parentibus ob tumultûs bellicos migrans, ibi literis humanioribus primùm informari cœpit. A. 1580. *Lugdunum Bat.* à patre miſſus, biennio docentes audivit *Juſtum Lipſium*, *Bonaventuram Vulcanium*, & *Petreium Tiaram.*

Studiis initiatur Dordraci, & Lugduni Batav.

An. 1582. In *Germaniam* ablegatus, quadriennium vixit *Heidelbergæ* & *Coloniæ*, Philoſophiæ & Medicinæ ſtudiis addictus.

An. 1586. Ex parentum voluntate ad artem medendi perfectius hauriendam, in *Italiam* profectus, in eâ 9. annos tranſegit. *Patavii* in medicinâ docentes tres audivit *Hieronymos*, *Mercurialem*, *Capivaccium*, & *Aquapendentem*: in Philoſophiâ *Jacobum Zabarellam*: *Bononiæ* iterum *Mercurialem*, qui tunc eò vocatus venerat, *Joh. Coſtæum*, *Caſp. Taliacotium*, & *Ulyſſem Aldrovandum*: *Ferrariæ Hieron. Braſſavolam*, & *Alphonſum Cataneum*, Archiatrum.

Medicinæ operam dat Patavii. Bononiæ. Ferrariæ.

Hujus commendatione à D. *Nicolao Grano*, Epiſcopo *Anglonenſi*, in magnâ *Græciâ* ad *Sinum Tarentinum* in Medicum domeſticum adſcitus eſt, apud quem ultrà triennium vixit, multaque obſervavit, quæ ad regionum illarum antiquitates, mores, rerumque naturalium cognitionem ſpectant.

Medicus in Græciâ.

Epiſcopo mortuo, in clientelam D. *Fabritii Pignatelli* Marchionis *Querceti* ſe dedit, quocum in agro *Sibaritico* hybernavit, & anno ſequenti *Neapolim* profectus, in aulâ ejusdem annum commoratus eſt: Quo tempore non ſolùm medicinam cum laude fecit, ſed etiam *Campaniam* vicinam perluſtravit.

Tandem

Tandem poſt 14. annorum peregrinationem domum reverſus eſt An. 1596. Tum *Delphos* à Comitiſſâ *Meurſenſi* honeſto ſtipendio invitatus, per biennium ibi praxin med. exercuit, & uxorem duxit. *Practicus Delphenſis.*

An. 1598. *Lugdunum Batavorum* ad Profeſſionem Medicinæ publicam evocatus, in eo munere annos 26. verſatus, & quater Summo in Academiâ Magiſtratu functus eſt. *Medicinæ Profeſſor Leyd.*

Ibidem obiit A. C. 1624. ætat. 59. *Moritur.*

Defunctum funebri laudatione proſecutus eſt *Petrus Cunæus*, Profeſſor, Juris & Academiæ Rector.

Scripſit & edidit:

Scripta. *Commentariolum de Annulorum Origine, in gratiam Abrahami Gorlei, qui Dactyliothecæ ejus præfixum eſt. Orationes funebres in obitum Caroli Cluſii, & Petri Pavii Lugduni habitæ A. C. 1617. Obſervationum rerumq; memorabilium per magnam Græciam, Japygiam, Lucaniam, Brutios adjacentesq; regiones Commentar. Hodæporicum. De Bataviæ piſcibus. Notas ad Cornelium Celſum de Re Medicâ.*

* *Ex Vitis Profeſſorum Leyd. & ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

JOHANNES HARTMANN.

Clar. A. C. 1625.

Cum literas primùm *Ambergæ* in patriâ *Michaëlis Sonleutneri*, imprimis inſtituendæ juventutis apprimè gnari, eâq; præcipuè operâ non usquequaque inglorii & ignobilis viri ductu attigiſſet, ea, quæ in mediâ Philoſophiâ retruſa & abdita magis ſunt *Jenæ* primùm & *Lipſiæ*, pòſt *Wittebergæ* & *Marpurgi* indefeſſo planè ſtudio & labore proſecutus eſt & didicit.

Ideoque cum eam, quam exitârat apud omnes, ingenii expectationem ſuſtinuiſſet egregiè, lauream, quâ philoſophica hæc ſtudia decorari conſueverunt, anno 1591. conſecutus, non tantùm meruit Principis *Mauritii* ſtudiis Aſtrologicis præfici, ſed inſuper acerrimo ſapientiſſimi Principis *Wilhelmi* judicio dignus habitus fuit præ cœteris, qui in *Victorini Schönfeldii* locum ſuffectus, reconditas ſanè & ab imperitorum intelligentiâ ſenſuque longiſſimè disjunctas, Mathematicas diſciplinas traderet publicè, id quod etiam ſtudio acerrimo & labore atque induſtriâ ſummâ præſtitit fideliſſimè. *Philoſophiæ Magiſter.* *Aſtrologicis ſtudiis præfectus.* *Mathematicas diſciplinas tradidit.*

Nam & *Marpurgi* & *Caſſellis* in *Mauritiano* Collegio, iſthuc aliquandiu à Principe circa annum 1598. evocatus, iſtiusmodi artes non coarctavit modò, & referſit præceptis, quod eum facere neceſſe eſt, qui πολυλογίᾳ evitatâ omni cujusque diſciplinæ partes ita diſponere cupiat & coagmentare, ut optimâ & facillimâ ratione comprehendi poſſint, ſed etiam dilatavit, & explicavit easdem porrò, ut obſcuritatem detegeret omnem, ſimulque & brevitate & perſpicuitate diſcentium conſuleret ſtudiis.

Cœteroquin cum utilitate publicâ metiretur omnia, ad Medicinam quoque appulit animum & chymiam maturè, ut eò inſervire poſſet pluribus, curriculumque hoc iſtiusmodi tranſmiſit curſu, ut ſuperatis laboribus omnibus & difficultatibus, uberes quoque & diuturnos vigiliarum fructus demeteret tandem.

Nam anno 1606. ampliſſimis Doctoris Medici honoribus decoratus, & tertio pòſt anno in Medicorum ordinem tranſcriptus, Chymiatriam vix nominatenus antehac notam iſthic locorum magno ex omnibus nationibus facto ſtudioſorum accurſu, novo exemplo docere cepit primus, ut tanto major etiam apud poſteros viri futura ſit gloria, quantò œconomia medica feſtiviori & elegantiori medicamentorum cultu ab ipſo & diſcipulis ejus inſtructa eſt, apparata & locupletata magis. Cœterùm cum non minus propter egregiam, quâ non ſolùm in gravioribus illis diſciplinis, Mathematicâ, Medicâ & Chymicâ, ſed etiam in humanioribus literis, imprimis verò oratione ſolutâ & ligatâ excelluit maximè, doctrinam, quam commodos mores & facilitatem atq; comitatem, tum bonis omnibus, tum verò præcipuè Principi ipſi eſſet commendatiſſimus, ab eodem in *Hermanni Wolffii* non ita pridem vitâ defuncti locum aſcitus, & Archiatri in aulâ *Caſſellanâ* partes ſuſcipere & ſuſtinere juſſus eſt. *Doctor Medicinæ creatur.* *Chymiæ Profeſſor.* *Archiater in Aulâ Caſſellanâ fuit.*

In Academiâ verò publicè & privatim 28. annos docuit, tertiùm Rectoris officio defunctus. Præter Philoſophum ſeu naturæ conſultum Medicum, inaugurali oratione initio ſuæ profeſſionis Chymiatricæ publicè propoſitum, & Diſputationes Medico-Chymicas publicè habitas, easque ſecundâ editione auctiores redditas, aliorum Scriptorum edidit nihil. *Tertiùm Rectoris officio defunctus eſt.*

* *Ex manuſcriptis Marpurgenſibus.*

JULIUS CASSERIUS.

Clar. A. C. 1625.

Placentiæ civitate primariâ *Lombardiæ*, parentibus humilibus & pauperibus ortus, adoleſcens ſumtibus ad ſtudia neceſſaria deſtitutus, *Patavium* adivit, ibiq; miniſterio *Hieronymi Fabritii ab Aquapendente* ſeſe tradens, artem ab eo medicam & chirurgicam adeò feliciter didicit, unà cum Antomiâ, ut artes has cum omnium ſtupore multorum ægrorum ab aliis Chirurgis derelictorum ſalute dexterrimè exercuerit. *Miniſter Hieron. Fabritii ab Aquapend.* *Anatom. & Chirurg.*

Præceptori tandem ſuo *Aquapendenti* demortuo ſuccedens, magno ſtudioſorum applauſu Chirurgiam *Patavii* publicè docuit per vitæ ſuæ tempus reſiduum, vitâ defunctus anno ætatis 60. *Profeſſor Chirurgiæ.*

Sepultus in Templo Fratrum *Eremitanorum*, ſine ullo Epitaphio.

Edidit: *Hiſtoriam Anatomicam de vocis & auditûs organis, variis iconibus ære inciſis illuſtratam. Tabulas Anatomicas 78. quibus Daniel Bucretius 20. addidit. De quinque Senſibus Librum Pentæſtheſeion vocatum.* *Scripta.*

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

* * *

Placentinus humili loco natus, patriis laribus *Patavium* adiit, ubi cum *Aquapendente* famula-

famulatui ſe dediſſet, ex famulo auditor effectus, & ex auditore diſcipulus, felicibus ejusdem auſpiciis Phyſicæ & Chirurgiæ laureâ decoratus, demortui demùm in locum ſuffectus eſt. Exigui vir corporis ſtructura fuit, ingenio vaſto prompto ſpiritu, & ad literarum ſtudia mirè propenſo. Facies coloris rubri murico tingebatur. In Anatome corporum ſe cum acriter exercuiſſet, talis in vulneribus & inſperatæ ſalutis plagis curandis evaſit, ut prætergreſſus Præceptoris gradum ad ſummum nominis & fortunæ apicem evolârit.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Clar. A.C. 1625.

JACOBUS SAMMARTHANUS.

SCævolæ Patris veſtigia ſecutus, Medicinam coluit, & poſtquàm Philoſophiam ac artes ingenuas à primâ ætate non perſunctoriè ſuiſſet amplexus, *Lodoicæ* poſteà & *Leonoræ Borboniis* cænobii *Fontebraldæi* Principibus ad extremam usque ſenectutem non modò in arte medicâ, ſed etiam in conſiliis & magni momenti rebus omnibus fidelem navavit operam.

Medicus aulicus.

Cum autem homo eſſet inanis gloriæ nusquàm appetens, omne ſcribendi ſtudium neglexit, eruditionis ſuæ multiplices opes eodem, quo ſe ipſum tumulo conditurus, niſi hæredes earum reliquiſſet filios, elegantiora ſtudia cum exercitatione Forenſi adæquantes.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Obiit A.C. 1625.

ADRIANUS SPIGELIUS.

NAt. *Bruxellenſis:* Eques *Venetus.* Medicus & Anatomicus celeberr. in Acad. *Venetor. Patavinâ.*

Ex digiti vitro læſi vulnere ægrotans.

Cum in nuptiis filiæ unicæ fractum colligeret vitrum, vulneravit unum ex digitis ſiniſtræ manûs. Huic vulneri ſupervenit inflammatio, quæ non tantùm occupavit totum brachium, ſed etiam tumorem ſub axillâ inſignem excitavit: quo vix ad ſuppurationem perducto, quamdiu effluxit ſanies ſubcruenta & fœtida, meliuſculè quidem habuit, ceſſante verò illâ & diarrhœâ ſuperveniente, omnia in pejus ſublapſa ſunt, usque dum tandem 7. April. A.C. 1625. moreretur Empyematicus, annor. 47.

Moritur.

* Ex *Caſp. Hofmanni*, Med. *Altorfini* epiſt. ad *Fabritium Hildanum*, Chirurg. *Bernenſem*, Cent. 5. obſerv. 1.

Scripta:

Scripta.

De humani Corporis fabricâ libri X. tabulis 98. æri inciſis exornati. Opus poſthumum à Davide Bucretio Uratiſlav. juſſu authoris editum. De formato fœtu liber æreis figuris exornatus. Tractatus de Arthritide. De Semitertianâ Libri IV. Cataſtrophe Anatomiæ publicæ in Lycæo Patavino feliciter abſolutæ, fauſtâ acclamatione Nationis Germanicæ excepta Patavii. Iſagoges in rem Herbariam Libri II. in 16.to. De Lumbrico lato, cum ejus icone & notis.

Hic vir clariſſimus ex indicis digiti punctûrâ dolorem & tumorem inſignem in brachio ſiniſtro paſſus eſt, cui ſucceſſit abſceſſus ſeu bubo ſub axillâ, cum dolore adeò gravi, ut totum corpus immobile factum ſit. Die morbi vigeſimâ ſponte erupit abſceſſus, & multam ſaniem per triduum effudit fœtidam, à quâ remiſit dolor, adeò, ut in latus affectum decumbere potuerit, quod anteà fieri non poterat. Accedente diarrhæâ ſanioſâ die 63. extinctus eſt. Diſſecto cadavere occurrit abſceſſus in concavâ jecoris parte.

* *Ex Conſil. 18. Centur. 3. Benedicti Sylvatici, Med. Patavini.*

Epitaphium ejus, quod extat *Patavii* in templo *Eremitarum* ſequens eſt:

Epitaphium.

D. O. M.
ADRIANUS SPIGELIUS
BRUXELLENSIS
EQUES D. MARCI.
MEDICUS, ANATOMICUS ET CHIRURGUS
INSIGNIS, QUI
CUM POST VARIAS PEREGRINATIONES IN
GYMNASIO PATAVINO IX. ANNIS ANATOMIAM ET CHIRURGIAM IN PRIMO LOCO
INDEFESSA INDUSTRIA ADMINISTRASSET,
SUMMAMQUE DOCTRINAM VARIIS EDITIS
SCRIPTIS ORBI TESTATAM FECISSET
REQUIEM HIC REPERIT,
QUAM VIVUS NON INVENIT.
P.
MOESTA CONJUNX PRUDENTIA
OBIIT VII. ID. APRIL. ANNO SECULARI
MDCXXV. ÆTATIS XLVII.

Prodidit, adjuvit, ſecuit, cum laude perennis
Abdita, languentes, corpora Spigelius.
Cingitur hoc ſaxo corpus, ſed ſpiritus aſtris
Hæc ſunt virtutum præmia; lector abi.

MELCHIOR SEBIZIUS Pater.

Obiit A.C. 1625.

NAtale ſolum habuit *Falckenbergam*, in *Sileſiorum* Ducatu *Oppolienſi* oppidum A.C. 1539. ortum ducens ex nobili & antiquo *Sebiſchiorum* ſtemmate. Pater ipſi fuit *Georgius Sebiſch*, qui *Falckenbergæ* 22. Martii A. 1571. æt. 80. in Chriſto obdormivit, poſtquàm 16. annis antè abjuratâ fide Pontificiâ in Eccleſiæ Evangelicæ ſinum conceſſiſſet: Mater *Catharina*, ex nobili *Ocicorum* Proſapiâ fuit oriunda.

Literarum fundamenta jecit primùm in Ludo patrio, deindè in Gymnaſio *Bregenſi*, tum *Niſſero*, ultimo *Uratislavienſi* ad *Mariam Magdalenam*, & *Eliſabetham* Præceptore inter alios uſus Chronographo inſigni M. *Martino Helvigio*, *Niſſeno*.

Tinctus ſtudiorum primordiis A. 1561. *Lipſiam* ſe contulit, ibique ritum Depoſitionis ſuſtinuit, & illud *Germaniæ* decus *Joachimum Camerarium* profitentem audivit.

Studioſus Lipſiæ.

Eodem anno *Lipſiâ* valere juſſâ, *Argentoratum* conceſſit, ubi hoſpitio uſus eſt D. *Franciſci Hotomanni*, Juris Anteceſſoris, & Præ-

Argentorati.

ceptores



MELCHIOR SEBIZIUS.
Medic. Prof. Argentorat.



ANTONIUS NIGER
Medicinæ Prof. Patavini



THOMAS PLATERUS
Medicinæ Prof. Baſil.



REINERUS BONTIUS
Medicinæ Prof. Leid.



IOH. HIERON. BRONZERI.
Medicus Bellunenſis.



NICOLAUS MULERIUS.
Medicinæ Prof. Gröning.



GVILIELMUS REHE
Medicus Noribergenſis.



IOHANNES PREVOTI,
Medicinæ Prof. Patavij.



POMPEIUS CAIMUS.
Medic. Prof. Patavii.



HIERONYM. FABRITI,
Archiater Brandenburg.



GREGORIUS QUECCI,
Medicus Noribergenſis.



HIERONYM. BESLER,
Medicus Noribergenſis



LUDOVIC. SEPTALIUS
Medicus Mediolanenſis



GVILIEL. FABRICI. HILDAN.
Chirurgus Bernenſis.



TOBIAS TAUFRERUS.
Medicus Noribergenſis



GREGORI. HORSTIUS
Medicus Ulmenſis.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ceptores habuit *Johannem Sturmium*, *Hieron. Maſſarium*, *Vicent. Italum*, Med. Doct. *Valetium Erythræum*, *Conradum Daſypodium*, & *Chriſtianum Herlinum*.

Juris ſtudia tractat. Philoſophicis diſciplinis non mediocriter imbuto autor & ſuaſor extitit D. *Hotomannus*, ut ad Juridicum ſtudium animum applicaret, quod & fecit, & aliquandiu Inſtitutiones Juris interpretantem audivit D. *Laurentium Tuppium*.

Interim in *Galliam* revocato *Hotomanno* in convictum D. *Hieron. Maſſarii*, Medici eximii, ſe recepit. Verùm cum A. 1563. veniſſet *Lutetiam*, & nobili Viro D. *Huberto Burgundo*, Electoris *Sax.* apud Regem *Gall.* legato innotuiſſet, ejus hortatu Medicinam tractare cœpit. *Lutetiæ Juris ſtudiis relictis Medica tractare cœpit.* Docentes *Lutetiæ* audivit Philoſophos ac Philologos celeberrimos *Hadrianum Turnebum*, *Petrum Ramum*, *Dionyſium Lambinum*, *Johannem Auratum*, & *Jacobum Carpentarium*.

In Medicinâ auditor fuit D. *Ludovici Dureti*, *Hippocratis* Commentatoris. Junctus eſt etiam familiaritate *Ambroſio Paræo*, Chirurgo Regio. *Lugduni Gallorum Botanicum egit.* A. 1565. Vocatus eſt *Lugdunum* à celebri Botanico D. *Johanne Bauhino*, D. *Caſpari*, Profeſſoris olim *Baſileenſis* fratre, ut in contexendâ herbarum hiſtoriâ ſuam ei operam navaret. *Monſpelii Med. operam dat.* Quo operæ penſo abſoluto A. 1566. *Monſpelium* abiit, docentesq; audivit D. *Laurent. Joubertum*, *Anton. Saportam*, & *Jacobum Salomonem*, generum D. *Gulielmi Rondeletii*, qui à Comite *Peralatenſi* vocatus eodem anno, cum jam eſſet in reditu, propè Montem Regalem exſpirârat.

Chirurgiæ & Anatomiæ deditus. Chirurgicis inſuper operationibus D. *Antonii Chalmetæi* frequenter adſtitit, & adminiſtrationibus Anatomicis D. *Bartolomei Cabrolii*, Academiæ diſſectoris ordinarii.

Audivit etiam privatim docentem *Lugduni Plinii* Scholiaſten D. *Jacobum Dalechampium*, Medicum, Chirurgum, & Botanicum peritiſſimum.

Exortis verò novis per totam ferè *Galliam* tumultibus, *Monſpelio* à Pontificibus occupato, iterumq; ab iis, qui Papatui renunciârunt recuperato, militem ibidem Præſidiarium egit, & qui anteà Artis, poſteà aliquandiu Martis caſtra ſecutus eſt. *Militiæ deditur.* Bellis inteſtinis gliſcentibus A. 1567. *Argentoratum* denuò venit cum *Ludovico*, Magni *Cancellarii* filio.

Ibi cum aliquandiu ſubſtitiſſet, cum Barone *Hauſſevilio*, *Lotharingiæ* Ducis ſupremo Cubiculario, in *Lotharingiam* profectus eſt.

Heidelbergam venit. Verùm aulicæ vitæ *Nancei* ſatur, A. 1568. *Heidelbergam* diſceſſit, ut profitentem audiret *Thomam Eraſtum*, Philoſophum & Medicum celebrem.

Exindè vice tertiâ *Argentinam* rediit, tandemq; in Patriam ſe A. 1569. contulit, ut Patrem & fratres ſalutaret. Anno eodem cum Patrueli *Matthæo Sebizio*, *Lignicenſis & Bregenſis* Ducis olim Archiatro, *Italiam* adiit, *Italiam adiit.* Præceptoribus uſus *Hieron. Mercuriali*, *Hier. Fabritio ab Aquapendente*, *Bernhardino Paterno*, *Nicolao Nicolino*, & *Stephanello*.

Ex *Italiâ* quartâ vice *Argentinam* repetiit, cumq; A. 1570. *Spiræ* haberentur Comitia, eò ad Nobilem *Jeremiam Boide*, Agnatum ſuum, & Imp. *Maximiliani II.* Hoſpitiorum Procuratorem ivit, cujus promotione honeſtam conditionem apud filiam Imperatoris *Eliſabetham*, Regi *Gall. Carolo IX.* deſponſatam, & in *Galliam* ducendam nactus eſt. Sed cum ab aulicâ vitâ eſſet alienior, paulò pôſt veniam à Reginâ petiit, & amplo cum honorario impetravit.

A. 1570. *Monſpelium* repetiit, ut & ſupellectilem literariam ante ibi relictam colligeret, & gradum in Medicinâ ſupremum conſequeretur.

Sed ſeditionibus bellicis nondum ſopitis relicto *Monſpelio*, *Valentiam* contendit, ibiq; 25. Aug. A. 1571. ſolenniter in Doctorem Medicum promotus eſt, Cancellario *Johanne Monlucio Valentiniano* Epiſcopo. *Medicinæ Doctor Valentiæ.*

A. 1572. *Argentinam* repetiit, ibique An. 1574. connubio ſibi junxit *Eſtheram*, Civis primarii *Joh. Hertzogii* viduam, filiamque D. *Johannis Hugii*. *Uxorem duxit.*

Eodem anno 1574. Urbs *Hagenoa* ipſum Poliatrum ſuum conſtituit. *Poliater Hagenoæ.* A. 1576. *Argentinam* remeavit, & artem medicam tantâ cum laude exercuit, ut hinc motus Magiſtratus 23. Jul. An. 1586. Officium Phyſici Ordinarii ipſi demandârit, & aliquot ſaltem interjecto dierum intervallo dignum judicârit, cui in Academiâ Profeſſio quoque publica committeretur. *Phyſicus ord. & Med. Profeſſor Argentorati.*

Hujus Profeſſionis tempore ſemel in Viſitatorem Collegiorum, & bis An. 1588. & 1605. in Viſitatorem & Syndicum fuit electus. Decanatûs officium ter A. 1621. 1622. & 1624. geſſit. Muneri Rectoratûs ter A. 1602. A. 1608. & tandem in exactâ ætate A. 1624. præfuit.

A. 1589. Defuncto Dn. *Sturmio* in numerum Capitularium Collegii *Thomani* cooptatus, & A. 1613. Scholaſticus ejuſdem Capituli creatus eſt.

A. 1612. Domini Scholarchæ rude donatum ob ſenium ab ordinario docendi munere liberârunt, qui ſponte ſuâ extraordinariè usque ad finem vitæ publicè profeſſus eſt. *Rude donatur ob ſenium.* Subrogatus autem ei in ordinariâ Profeſſione filius *Melchior Sebizius* fuit. *Subrogatur ei filius Melchior.* Vixit cum uxore ſuprà nominatâ annos 32. & menſes 8. ex eâque 9. ſuſcepit filios, & duas filias: in viduitate annos 19. & menſes 8. traduxit.

Tandem cum 9. diebus ex febri lentâ decubuiſſet, quæ ſenile corpuſculum, jam ante ætatis grandævæ cauſâ enervatum conſumpſit, placidè & ſine ullo doloris ſenſu obdormivit *Argentinæ* 19. Junii A. C. 1625. ætatis 86.* *Moritur ex febre lentâ.*

MELCHIOR SEBITIUS DOCTOR.

Per Anagramma:

Hic Sol Orbis medetur citò.

* *Ex Programm. fun. D. Iſaaci Fröreiſenii, Theol Prof. & Rect. Argent.*

Obiit A.C. 1625.

JOHANNES FRIDERICUS SCHRÖTERUS.

JEnâ-Thuringus, *Johannis*, Med. Profeſſoris filius, Comes *Palatinus* Cæſ. Natus eſt 2. Junii A. 1559.

Doctor Med. & Jur.

Legitimè promotus Doctor tum *Jenæ* Philoſophus 15. Jan. A. 1577. tum *Baſilëæ*, jam Medicus A. 1581. jam Jurisprudentiæ A. 1593. Propterea Doctor geminatus, vulgò der Doppel *Doctor* in patriâ cognominatus eſt. Intereà A. 1583. 11. Nov. inter publicos Medicinæ Profeſſores relatus, *Jenâ* diſceſſit 8. Jan. A. 1588. *Budiſſinum* ad Phyſicatum, & in patriam indè rediit 31. Mart. An. 1593.

Doppel Doctor. Medicinæ Profeſſor Jenæ. Phyſicus Budiſſinæ.

Jenæ vitâ defunctus eſt 11. Nov. A. 1625. ætatis 66.

Moritur cum filio.

Iisdem exequiis elatus eſt cum filio *Petro Erneſto Schrötero*, U.J.D. nato A.C. 1590. denato 30. Octob. A. 1625. æt. 35.

* *Ex Nomenclat. Profeſſ. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc ei Epigramma adſcripſit:

Tu Patris Fratrisque tui veſtigia torques,
Dum Doctor Sophicus dum Medicusq; clues.
Ambos ſed ſuperas Johann Friderice, micas dum
Legitimis Doctor Jure in utroque modis.

Obiit A.C. 1626.

ANTONIUS NIGER.

PAtavii natus eſt Patre *Hieronymo Nigro*, Med. Profeſſore A.C. 1560. *Romam* profectus à *Clemente VIII.* Summo Pontifice, Equeſtris Ordinis Inſignibus decoratus eſt. In patrio Gymnaſio per annos 26. *Avicennam* declaravit.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

Matrimoniis multis implicitus, ſed in iis parùm fortunatus duabus jam uxoribus parentârat, cum de tertiâ abigendâ cogitans, ob altercationes dotis, divortium cum vitâ, morte propinante, concluſit A.C. 1626. ætatis 66.

Divortium cum vitâ clauſit.

Filium reliquit *Hieronymum*, Medicinæ Doctorem.

* *Ex Elogiis virorum doctorum Philippi Jacobi Tomaſini.*

Sepultus eſt in Eccleſiâ D. *Mariæ Magdalenæ*, Fratrum D. *Hieronymi à Piſis*, hisce verbis lapidi monumenti inciſis, procurante filio *Hieronymo*, Med. Doct.

Epitaphium.

ANTONIO NIGRO
EQUITI, ET
CATHARINÆ MARCELLÆ
HIERONYMUS NIGER.

Obiit A.C. 1626.

MAURITIUS BLUMIUS.

NAtus eſt *Wittenbergæ* 26. Aug. A. 1596. Patre *Michaële*, Senatore, & oppidi Camerario: Matre *Margarethâ*, *Mauritii Steinmetzli*, Med. Licentiati, & in Acad. *Lipſienſi* Profeſſoris publ. filiâ.

Philoſophiæ Magiſter A.

Literis maturè traditus, eam doctrinam ſibi comparavit, ut cum A. 1616. Magiſterii Philoſophici gradu publicè ornaretur, inter 46. Competitores octavo loco numeratus fuerit. Indè ad Medicinæ ſtudium, quam avus maternus feliciter profeſſus erat, ſeſe applicuit, & eam ob cauſam A. 1620. *Italiam* petiit, & luſtratis tantùm cæteris urbibus Academiam *Patavinam*, quam *Athenis Jaſon*, J.C. comparandam cenſuit, aliquo tempore inſedit, id genus honoris ibi conſecutus, ut Procuratori Nationis *Germanicæ* vices ipſi demandarentur. Indè per *Helvetios* reverſus, *Baſilëæ* Doctoris Medici titulum cum laude conſecutus eſt.

Procurator Nat. Germ. Patavii. Fit Doctor Medicinæ Baſilëæ.

Hinc in patriam reverſus, partim privatis Collegiis, partim ægrorum curationibus doctrinam ſuam & peritiam adeò probatam reddidit, ut cum poſteà An. 1626. poſt exceſſum *Wolffgangi Schalleri* locus vacaret, ipſe dignus fuerit judicatus, qui in illum ſubmitteretur.

Sed cum 22. Maji hujus anni Electorali Reſcripto Profeſſor Med. publ. deſignatus eſſet, altero ſtatim die febri malignâ & ardenti correptus, nono pòſt die prorſus ſuccubuit. Tunc cum unus ex aſſiſtentibus Chriſti verba, quibus cœleſti Patri animam commendavit, inſtillâſſet jacenti, ſubitò acclamavit: *Gaudete, gaudete, peracta mea fortuna, confectum iter meum eſt.* Indè ad preces, quas ipſi Miniſter præibat, ſeſe accinxit, & in iis ipſis placidè exſpiravit 2. Junii A.C. 1626. ætatis 30.

Deſignatus Prof. Med. Witteb.

Mor. febri malignâ.

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri.*

Obiit A.C. 1626.

ZACHARIAS BRENDELIUS Pater.

BUrgelâ-*Thuringus* natus eſt 20. Octob. A. 1553. 3. Julii An. 1576. In *Salana* promotus Philoſ. Magiſter.

A. 1582. In *Patavinâ* creatus Med. Doctor. Redux pro loco *Diſputationem de Spiritibus* habuit absque Reſpondente.

Medicinæ Doctor Patavii.

3. Julii A. 1583. Cooptatus *Jenæ* in Ordinem Philoſophorum. 5. Martii A. 1612. Ibidem factus Med. Profeſſor publicus.

Philoſophiæ & Med. Profeſſor Jenæ.

Arteræ tandem oppido & Arce ad *Unſtrum* Comitibus *Mansfeldenſibus*, quos vocatus inviſerat, ſubjectâ obiit 25. Aug. A.C. 1626. æt. 73. Filium reliquit paterni nominis, eruditionis & Profeſſionis hæredem.

Moritur Arteræ.

* *Ex Nomenclat. Profeſſor. Jenenſ. Adriani Bayeri*, qui hoc ei adſcripſit Epigramma:

Zacharias Brendel Salanâ Doctor in æde
Fit Sophicus, Sophiæ dulceq; dogma docet.
Pòſt Doctor Medicus Patavinâ in ſede creatur,
Et paſſim ægrotis pharmaca grata facit.

Epigramma.

Obiit A.C. 1626.

JOHANN. BENEDICTUS BERGERUS.

ROtenburgi, ex parentibus honeſtis 20. Sept. A.C. 1589. natus & educatus, poſitis in linguis & artibus fundamentis, poſt obitum parentis Pharmacopœo traditus, non modò diſciplinæ annos abſolvit, ſed etiam in aliis Urbibus miniſtrum Pharmaceuticum annis aliquot egit.

Miniſter Pharmaceuticus.

Cum verò poſteà artis medicæ addiſcendæ ſummo flagraret deſiderio, Senatu Patrio ſtipendium largiente, ſtudium medicum in Academiâ *Argentinenſi* ſedulus tractavit, & A. 1616. *Baſileæ* ſummâ cum laude ſolenniter unà cum duobus Competitoribus Medicinæ Doctor creatus eſt.

Med. ſtud. Argent.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

Mox

Praxis Rotenburg. Mox in patriam regreſſus, febri malignâ graſſante, praxin feliciter exercere cœpit, quam deinceps eâdem felicitate tam in urbe patriâ, quàm in viciniâ apud varios Magnates & nobiles per decennium continuavit. *Uxorem duxit.* 11. Aug. A.1617. *Rotenburgi* ſponſalia celebravit cum virgine *Margarethâ*, Dom. *Joh. Schaiblini*, Senatoris relictâ filiâ, quam cum 5. liberis ſuperſtitem reliquit.

Ex lapſu ab equo mortuus. Domum tandem ex itinere quodam redux, ab equo lapſus non procul ab *Aurboſo*, brevi pòſt exſpiravit, & eâdem adhuc veſperâ mortuus, *Uffenbemium* delatus, exindè *Rotenburgum* deductus, & tumulo illatus eſt 24. Nov. A.C.1626.

* *Ex Concione funebri M. Joh. Hartmanni, Poëtæ Laur. Cæſ. & Eccleſiæ Paſt. Rotenburgi.*

Anagrammata. Idem Dom. *Hartmannus* hâc eum Anagrammatum Triade honoravit:

I.

JOANNES BENEDICTUS BERGER.

Ingens in urbe & orbe decus.

II.

JOANNES BENEDICTUS BERGERUS, MEDICINÆ DOCTOR, ET POLIATER IN PATRIA GRAVISSIMUS.

Exactè.

Væ! cecidit noſtræ decus ingens orbis & urbis,
Magni nempe reor ivit ad aſtra poli.

III.

JOHANNES BENEDICTUS BERGERUS ROTENBURGENSIS FRANCUS, MEDICINÆ D. AD TUBARIM IN PATRIA.

1. Cor. 3. v. 7.

Non verbis, ſed agunt Medici fragrantibus herbis:
Incrementa Deus (vis') dare ab arce potis.

Obiit A.C. 1628.

GILBERTUS JACCHÆUS.

Natus eſt *Abredoniæ*, Septentrionalis *Britanniæ* emporio, *Salmonum* piſcatu nobili. Patre amiſſo, mater vidua *Thomæ Cargillo* erudiendum tradidit. *Philoſophiæ ſtud. Helmſtadii.* Jactis utriusque Linguæ fundamentis ad Academiam *Andreanam* ablegatus, Philoſophiæ operam navavit, Præceptore uſus *Roberto Hovæo*, Theologo eximio. Ejus conſilio mox in Academiam *Germaniæ Juliam* ſe recepit. Indè *Herbornam* cum abiiſſet, ibique per aliquod tempus ſubſtitiſſet, celebritate Academiæ *Lugdunenſis* permotus, in eam ſe contulit, *Philoſophiæ Profeſſor Leyd.* nec diu commoratus fuit, quin, perſpectâ ejus eruditione, Curatores Profeſſionem Philoſophicam ei demandandam putârint. *Medicinæ Doctor.* Ad Medicinam deindè animum applicuit, ſummumque in eâ Doctoris gradum adeptus eſt A.C.1611.

Moritur. Vitam finiit A. C. 1628.

Scripta. Edidit: *Inſtitutiones Phyſicæ, Metaphyſicæ, & Medicinæ.*

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

Obiit A.C. 1628.

EUSEBIUS SCHENCKIUS.

Groloppio, caſtello uno lapide à *Cadenâ* & *Comatoviâ* diſtante *Bohemus*, natus 11. April. A.C.1569. Patrem habuit *Petrum* Schenck/Eccleſiaſten *Groloppenſem*, Matrem verò *Rebeccam*, *Ambroſii Geſneri*, Reip. *Zwiccavienſis* Prætoris, filiam. *Filius Theologi.*

Literarum fundamentis ſub fido *Pauli Obermayeri*, Cygnæi Gymnaſii Rectoris, alterius velut *Epicharmi*, pollice probè inſtitutus, & favore *Jobi Fincelii*, Med. Doctoris & Phyſici commendatus *Hildebrando à* Kreuzen/Electorali Capitaneo generali, ejusque Liberis Ephorus datus eſt, & domi ac foris ſexennio in *Salanâ* contrito A. 1595. *Ephorus nobilium à Kreutzen.* *Graciam, Styriæ* metropolin, adiit, ad Profeſſionem Phyſicam vocatus, & A. 1598. *Jeſuitarum* furore exactus, *Ungariam*, exindè *Italiam* peragravit, Ephorus Nobilium *Gallerorum Styrorum* in arce Schwanenberg reſidentium. *Phyſices Profeſſor Græcii.*

A.C. 1595. & iterum A. 1601. Achates *Michaëlis* lib. *Baronis ab Herberſtein*, & *Maximiliani à* Trautmansdorff. Redux in *Salanâ*, Medicinæ Doctor ſolenniter creatus, *Medicinæ Doct. Jenæ.* & A.1604. *Geranæ* aulæ & Reipubl. Phyſicus floruit usque ad an.1618. quo *Jenam* rediit, *Phyſicus Geranus.* Med. Profeſſor publ. legitimè vocatus, & obiit ibidem 25. Oct. A.C. 1628. ætat. 59. *Medicinæ Prof. Jenæ. Moritur.*

Præmiſit Conjugem *Urſulam*, *Zachariæ Nævii*, Prætoris *Chemnicenſis* filiam A.1622. in Templo *Michaëlitano* propè ſuggeſtum ſepultam. Liberos reliquit: 1. *Reginam*, elocatam tum *Jacobo Fomanno*, A. 1628. tum *Hieronymo Mülpfortio* A.1643. Utroq; Jur. U. Doct. & Curiæ Provincialis in *Jenâ* Advocato: mortuam A. 1655. æt. 47. 2. *Annam Magdalenam*, nuptam *Natani Voigto*, *Serveſtâ Anhalt.* Med. Doctori in *Salanâ* A. 1635. promoto, Comitum à *Barby* Archiatro. 3. *Johannem Theodorum*, poſteà Medicinæ Doct. & Profeſſ. publ. *Jenæ*.

* *Ex Nomenclat. Prof. Jenenſ. M. Adriani Beyeri*, qui hoc Epigramma addidit: *Epigramma.*

Propinent alii Pincernæ pocula Circes,
Quæ vitæ humanæ maxima damna parant:
Ægris Euſebius propinat pocula Hygeæ,
Quæ vitæ humanæ commoda multa ferant.

Obiit A.C. 1628.

GEORGIUS FUIRENIUS.

Vitalem auram primùm hauſit *Hafniæ*, ult. Maji A.C.1581. Parentibus honeſtis, *Henrico Fuirenio*, ſeniore, cive urbis primario, & *Mechthilde*, *Hermanni* filiæ optimæ notæ fœminæ. Hi Parentes ſicuti pietati & devotioni ipſimet addicti fuerunt ſemper, ita nihil prius habuerunt, quàm ut filiolum ſuum Salvatori Chriſto per Baptiſmi lavacrum inſertum, in pietate erudiendum curarent, quod, quantum ætas tenella permiſit, factum eſt domi, usque dum ætatis annum 12. attigiſſet.

Poſteà cum propter bonas artes & Philoſophica ſtudia tunc temporis inclaruiſſet Gymnaſium *Serveſtanum*, miſſus eſt illuc *Serveſtæ ſtud.* adoleſcens hic cum Præceptore ſuo, ut quæ domi fundamenta literarum jecerat, ibidem continuaret, quod tamen ultra annum non duravit, cum ad ſaniora loca ipſum ablegare parentes conſultius ducerent. Venit itaque primùm in illuſtrem *Wittebergam*, *Wittebergæ.*

& Roſtochii. ubi per annum commoratus, *Roſtochium* cum Præceptore ſe recepit, uſusque ibidem eſt hoſpitio & converſatione Dom. M. *Johannis Golſteinii*, Paſtoris ad D. *Nicolai* per ſexennium.

Math. & Med. ſtudioſus Lugduni Batav. Cumque ibidem humanioribus diſciplinis & Philoſophiæ animum probè inſtruxiſſet, arriſit ipſi celebre illud *Batavorum Lugdunum*, ubi in ſtudiis mathematicis & medicis quadriennium quoque poſuit, donec *Ulyſſæum* illud conſilium caperet, & multorum hominum mores ac urbes videre cuperet.

Varia igitur *Germaniæ*, *Galliæ*, *Angliæ*, *Italiæ* loca perluſtravit, imprimis verò nobile illud *Patavium* aliquandiu incoluit, *Patavii.* celebremque itidem *Helvetiorum Baſiléam*, in quâ ſummos etiam in medicinâ honores A. 1606. cum laude conſecutus eſt. *Baſileæ Doctor Medicinæ.*

Indè digreſſus, triennium adhuc Mathematicorum & Medicorum ſtudiorum cauſâ in *Germaniâ* & *Belgio* paſſim conſumpſit, usque ad an. 1610. quo parentes inviſurus domum ſe recepit. Cumque jam ſtudiorum optatum ſcopum attigiſſet, ut curarum levamen aliquod haberet, cœpit animum ad conjugium applicare, quò fine virginem *Margaretham*, experientiſſ. Viri Dn. D. *Thomæ Finckii*, Med. Profeſſ. in Acad. *Hafnienſi* ſenioris & primarii filiam legitimæ ambitam feliciter exambivit, nuptiis *Hafniæ* An. 1613. celebratis. *D. Thomæ Finckii gener.* In quo conjugio tanquàm pietatis & concordiæ officinâ tres filii, *Henricus*, *Thomas*, *Theodorus*, & duæ filiæ, *Maria* & *Soſtrata* ſuſceptæ ſunt, omnes Patri ſuperſtites.

Elogium ejus. Cœterùm quod vitam ipſius attinet, compertum eſt, Virum illum fuiſſe antiquâ virtute & fide, qui nec aliorum famæ detrahere, nec detractoribus aures præbere unquàm auditus ſit. Pietatem & fidem Chriſtianam, quam toto vitæ tempore, præſertim ultimis aliquot vitæ annis, ex ſtudio Theologico, cui avidè ſe dederat, hauſit, non in labiis & linguâ geſtavit, ſed ipſo opere declaravit, *Theologus.* obedientiâ & officiis ergà ſenem parentem, amore ergà conjugem, educationis curâ ergà liberos, quos eò per DEI gratiam perduxit, ut ſpes magna ſit parentis veſtigiis illos inſtituros, Pace denique & concordiâ ergà fratres, affines, omnesque, quibuscum vivere ipſi neceſſum fuit.

Praxin medicam exercuit. Neq; etiam talentum divinitùs ſibi concreditum defodit, ſed praxin medicam exercendo multis ſalutariter profuit.

Quin in re Botanicâ tantam experientiam habuit, ut à Regiâ Majeſtate dignus judicatus fuerit, cui in Floram Regni *Daniæ* inquirendi præ cœteris negotium daretur, *Botanicus.* tantâ etiam dexteritate & fidelitate expeditum, ut peragratis pleriſque Regni provinciis & inſultis magnum numerum optimarum herbarum collegerit, & deſcripſerit, quas in illis oris reperiri vix aliquis credidiſſet.

Glorioſè itaque traducto vitæ ſuæ curriculo, cum à 14. diebus febre ardente tum vehemente laboráſſet, ut humanis remediis loci nihil relinqueretur, totum ſe commiſit ei moriturus, cui vivus totum ſeſe dederat, reverâ expertus, verum illud ſymbolum eſſe: Mors janua vitæ eſt, quam januam ipſi DEUS clementer aperuit 25. Nov. An. C. 1628. poſtquàm in hoc mortalitatis labyrintho oberráſſet 47. annos & dimid. *Obiit ex febre ardente.*

* *Ex Programm. fun. Rectoris Hafn. M. Wolfgangi Rhumanni.*

Edidit *Baſileæ Diſputationem Med. de Syncope*; & *Indicem Plantarum indigenarum Daniæ*, quem vid. in Ciſt. Med. *Th. Bartholin.* *Scripta.*

Epitaphium.

EPITAPHIUM
Hafniæ in Templo S. Nicolao dicato:
D. O. M. S.
CLARO VIRO
GEORGIO FUIRENIO MED. D.
MATHEMAT. BOTANICO CHYM. SAGACI ET
INDUSTRIO, EX AMICISSIMO XVI.
ANNOR. CONJUGIO EVOCATO
MARITO DESIDERATISS.
MARGARETHA FINCKIA, CUM III.
FILIIS ET II. FILIAB. SUPERSTES, PERENNIS
M. ET M. MONUMENTUM B. M. CONTRA
VOTA POSUIT.
OBIIT XXV. NOV. ANNO MDCXXVIII.
ÆTAT. XLVIII.

GEORGIUS EBERLINUS.

Obiit A.C. 1628.

Natus eſt 5. Mart. A.C. 1585. Patre *Georgio*, Senatore *Spitzii* in *Auſtriâ*, Matre *Marthâ Lupiâ*.

Cum in ſcholâ patriâ ſub Rectore *Paulo Hombergero* ſtudiorum præclara fundamenta poſuiſſet, hujus hortatu an. æt. 16. miſſus eſt à Parentibus *Ratisbonam*, in Scholam Poeticam, ubi ſub M. *Ottone Gryphio*, Rectore, *M. Ægidio Weixelbergero*, Conrectore, & *M. Thomâ Wegelino*, Subconrectore, poſteà Theol. Profeſſore *Argentinenſi*, in Græcis & Latinis adeò profecit, ut an. æt. 21. ſtipendio liberali Matronæ *Barbaræ Scholtziæ* donatus, Academiam *Wittenbergenſem* cum laude acceſſerit. *Diſcipulus Ratisbonæ in Scholâ Poeticâ.*

Ibi quinquennium artis medendi ſtudiis inſumpſit. Viſitatis deindè Academiis *Lipſienſi*, *Jenenſi*, *Altorfinâ*, & *Tubingenſi*, An. 1612. *Patavium Italiæ* Univerſitatem celeberrimam profectus, brevi pòſt ibi Nationis *Germanicæ* in facultate medicâ Conſiliarius electus eſt. *Conſiliarius Nationis Germ. Patavii.*

Quo munere per annum cum laude functus, in *Siciliam*, & exindè *Melitam* Inſulam iter ſuſcepit.

Galliâ demùm peragratâ, *Baſiléam* venit, ibique cum laude & honore Medicinæ Doctor ſolenniter renuntiatus eſt. *Fit Medicinæ Doctor Baſil.* Reverſus in patriam, ſtatim in oppidis *Kremſio* & *Steinio* praxin medicam adeò feliciter exercuit, ut à Statibus *Auſtriæ* ſub *Enſâ* regionis illius Medicus ordinarius conſtitutus, in oppido *Hornâ* ſedem poſuerit. *Medicus Auſtriacus.*

10. Aug. A. 1615. *Spitzii* in patriâ nuptias celebravit cum virgine *Margarethâ*, *Joachimi Einpacheri*, indè *tyriâ* Mercatoris primarii, *Nubit.*

filiâ,

filiâ, ex quâ filiolam ſuſcepit unicam An. 1617. *Claram Mariam*, anno ſeq. denatam.

Medicus Ord. Poſonii. A. 1622. *Poſonium* vel *Presburgum*, civitatem *Hungariæ* Regiam, ad munus Medici ordinarii vocatus, eoq; per ſexennium laudabiliter functus, ibi *Moritur colicâ paſſ.* colicâ paſſione familiari correptus, paucis diebus pòſt placidè obdormivit 29. Oct. 1628. ætatis 43.

* *Ex Concione funebri M. Joh. Stumpfii, Concionat. Poſon.*

Obiit A.C. 1628.

THOMAS PLATERUS.

Baſileæ natus 24. Julii An. C. 1574. Patrem habuit *Thomam Platerum*, Scholæ *Burgenſis* longo tempore Rectorem, fratrem *Felicem*, Medicum celeberrimum, *Profeſſor Medicinæ Practicæ.* cui in Profeſſionis Medicinæ Practicæ munere ſucceſſit.

Cum uxore *Chriſchonâ Jäckelmanniâ* 22. annos in conjugio concordi vixit, ex eâque 6. liberos ſuſcepit, quorum tres præmiſit, tres poſt obitum reliquit ſuperſtites, inter quos *Felix* Med. quoque Doctor & Profeſſor in patriâ vixit. Vitâ tandem defunctus, in *Moritur.* Chriſto exſpiravit 4. Dec. A.C. 1628. æt. 54.

* *Ex Concione fun. D. Johannis Wollebii.*

Obiit A.C. 1629.

PETRUS RYFFIUS.

Baſileæ natus eſt 8. Maji A.C. 1553. Patre *Daniele Ryffio*, Senatore, Matre *Urſulâ Zimmermanniâ*.

Medicus Baſil. Matheſeos Profeſſor. In patriâ Med. Doctor creatus, praxin feliciter exercuit. Matheſeos peritus, eam in Academiâ publicè docuit, & Compendia ſtudioſis utilia edidit. Rectoratum in patriâ bis adminiſtravit.

Conjugium ejus, & Liberi. In Conjugio vixit gemino, primùm cum *Annâ Iſengriniâ* annis 12. Per biennium deindè in viduitate degens, alteram duxit conjugem, cum quâ 36. annos exegit, ex eâque ſibi ſuperſtite 12. liberos ſuſcepit, quorum 8. vivos reliquit.

Moritur. Vitam tandem morte beatâ clauſit *Baſileæ* 19. Maji A. C. 1629. æt. 77.

* *Ex Concione funebri.*

Obiit A.C. 1629.

CASPAR BARTHOLINUS.

Malmogiæ, Scanorum urbe munitâ, natus eſt 12. Febr. A.C. 1585. Patre *Filius Theologi.* viro Reverendo Dn. *Bartolo Caſpari Barthol. Malmogiæ* Oppidano & Arcis fideli Verbi Divini miniſtro: Matre *Annâ Eraſmiade*. Vix trinus Præceptoribus bonis artibus & moribus informandus traditus, ab illis, quæ ad pietatem & bonam mentem facerent, ità *An. æt. 11. Græcè & Latinè peroravit.* avidè mox hauſit, ut anno æt. 11. tam ſolutâ, quàm numeris devinctâ à ſe in omnium conſeſſu memoriter idq; Græcè & Latinè habitâ non ſemel oratione ſui admirationem in omnium animis reliquerit.

An. æt. 18. abſque cortice natare didicit, & biennium diurnis nocturniſque ſtudiis ita trivit, ut *Roſtoc*[illegible] *Wittebergam* *Philoſophiæ Magiſter Witteb.* veniens, an. ætat. 20. humaniorum artium & Philoſophiæ Magiſter pronuntiatus ſit.

Studiorum verò nervis deſtitutus, à nemine quicquam opis ſuo non ſudore & indefeſſo labore partum habuit, niſi quod venerandum *Lundenſe* Capitulum in ſingulos annos ad triennium cum dimidio 60. uncias ipſi numeraverit.

Ne itaq; medium ſtudiorum curſum abrumperet, deque neceſſariis ut ſibi proſpiceret, cum facultatem publicè docendi poſt Magiſterii honores impetrâſſet, *Wittebergam* ad triennium incoluit. Et quia ab ingenio ipſius prorſus alienum erat, Patriæ ſuæ deſes adhærere, & non Coſmopolitam *Totam pene Europam perluſtravit.* ſe teſtari, *Europam* propè univerſam & maximam partem pedes emetitus eſt.

Nec prima tantùm Regnorum & Imperiorum limina ſalutavit, ſed frequenti etiam virorum doctorum conſuetudine in illis uſus eſt, ut doctior & melior indè rediret.

Perluſtravit enim nobiliſſimas *Germaniæ* Provincias, Civitates, & Academias, *Halam, Erfurdiam, Jenam, Caſſellam* in *Haſſiâ, Marpurgum, Gieſſam,* deindè *Herbornam, Coloniam,* & *Rhenum* circumquaque, tum *Juliam, Brabantiam,* & aliquandiu *Lovanii* & *Antverpiæ* hæſit, ubi non ſine vitæ diſcrimine à militibus & piratis pro exploratore habitus, captivus detinebatur.

Indè in *Flandriam* venit, & *Gandavum, Cortracum, Yperam, Dunkerkam* adiit.

In *Germaniâ Lipſiam, Coburgum, Bambergam, Noribergam, Altorfium, Rotenburgum, Onolsbachium, Herbipolim, Francofurtum, Heidelbergam, Ulmam, Auguſtam Vindelicorum, Argentoratum* inviſit.

In *Bataviâ Amſtelrodamum, Enckhuſam,* præcipuaſque Civitates adiit, & *Leydæ* aliquandiu ſubſtitit, cumque Theologis, Medicis & Philoſophis celeberrimis inibi familiariter converſatus eſt.

Galliam etiam ſalutavit, & indè in *Angliam* rectâ navigavit, donec *Baſileæ* tandem A. 1607. Medicos præſtantiſſimos, *Felicem Platerum, Caſp. Bauhinum,* & *Jacob. Zwingerum* ipſe amabilis in ſui amorem pellexerat: *Facult. Philoſ. Adjunctus Baſil.* Ubi ſicut *Wittebergæ* prius pro facultatis Philoſ. Adjuncto dignè habitus eſt.

A. 1608. per *Helvetiam* & *Rhetiam Genevam* tranſiens, *Italiam* appulit, ubi *Bergamo, Breſſâ, Veronâ, Vicentiâ, Venetiis* probè viſis *Patavii* hybernavit in Bacchanaliorum uſque, ut vocant, feſtum, quando *Ferrariam, Bononiam, Florentiam, Lucam, Piſam, Livornum, Senas* pertranſiens, *Romam* tandem acceſſit, inibique monumenta antiqua luſtravit, & cum ipſius etiam Pontificis Medico, D. *Johanne Fabro* in ægrotantium morbos inquiſivit.

Illinc *Neapolim* ſe recepit, ubi Anatomica *Neapoli Profeſſio Anatomica ei oblata.* Profeſſio honorificè ſatis ipſi oblata, ſed indè piis de cauſis, non ſine extremo vitæ periculo, quod illi piratæ *Turcici* intentabant, in *Siciliam* pervenit.

Quò haud minus de vitâ periclitabatur, *Romæ* illuc reverſus, ut ſibi vitæque ſuæ clam conſulere neceſſe habuerit.

Indè *Peruſinam* Academiam, *Lauretum* &

Anconam acceſſit. A. 1610. *Patavium* iteratò reverſus, *Cremonam, Taurinum, Genoam,* & in *Gallias* rediens, *Marſiliam, Avenionem, Montem Peſſulanum* inviſit, & oblatam in *Sedanenſi* Academiâ Græcæ linguæ Profeſſionem more ſuo modeſtè recuſavit, atque ab *Hiſpaniæ* finibus *Italiam* repetiit, tandemque *Patavium* tertiùm venit, ubi non tantum medicam praxin exercuit, ſed nocturnâ diligentiâque cadaverum humanorum Anatomiâ hanc artem perficere conatus eſt, quod ſcripto ſuo Anatomico ſatis abundè teſtatus eſt. Ubi cum aliquandiu inſigne ingenii ſui ſpecimen edidiſſet, trans *Marcam Treviſanam, Forojulium*, Comitatum *Tyrolenſem*, *Oeniponte, Monachio, Viennâ* in *Auſtria, Presburgo* in *Hungaria Baſileam* rediit.

Patavii praxin Med. & Anatomiam exercuit.

Ibi ab excellent. Medico D. *Caſp. Bauhino* Medicinæ Doctor A. C. 1611. magnâ cum laude creatus, *Wittebergam* eodem anno repetiit. Sequenti *Holſatiam* & *Cimbriam* nihil niſi reditionem in exteras cogitans, perluſtrare voluit.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

Sed literis præter expectationem illuſtris Viri *Chriſtiani Friſii Hafniam* vocato, Linguæ Latinæ Profeſſio demandatur, quam Provinciam ad ſeſquiannum inſigniter tutatus eſt: donec A. 1612. ad ſociam vitam animum appulit, ſibique deſponſavit Excell. Medici Profeſſoris in Academiâ *Hafnienſi* Regii, Canonici *Röſchildenſis*, & alumnorum Regiorum Oeconomi filiam virginem *Annam Finckiam*, quæ illum in hoc Conjugio, quod ad 17. annos productum 7. liberis, unâ filiâ & ſenis filiis parentem fecit, quos omnes ſuperſtites reliquit.

Profeſſor Ling. Lat. Hafniæ.

Conjugium ejus, & Liberi.

A. 1613. D. Medico *Gellio Saſceridi* fatis functo ſucceſſit, & artem Machaoniam ſatis felici Regis, Principum, Nobilium, & aliorum morbis laborantium ſucceſſu annis circiter denis intra & extra Regni *Pomœria* exercuit.

Medicinæ Profeſſor.

Intereà ab an. 1618. ad 1619. arduum Rectoratûs Academici munus laudabiliter geſſit.

Tandem A. 1623. in morbum non unum extremè periculoſum ſimul & ſemel incidit, qui omnibus recuperandæ ſanitatis ſpem ademit: quocirca mundi vanitates omnes ſepoſuit, votumque Deo fecit, ſtudio potiſſimùm Theologico reliquum ſuæ vitæ ſe impenſurum, ſi fortè ſanitati priſtinæ reſtitueretur.

Anno ſeq. 1624. Humanis exempto privato olim ipſius Præceptori viro Reverendo D. *Cunrado Aslacho Bergenſi* in munere Theologico ſurrogatus, & Magiſtratûs conſenſu approbatus eſt.

Theologus factus.

Hoc ipſo anno valetudinis curandæ causâ Thermas *Carolinas* cum uxore adire cogebatur, veſtigia morbi tamen in artubus & renibus ſemper relicta ſunt.

Nam cum 4. Junii A. 1629. Magnificus Academiæ Rector ſecundò conſtitutus eſſet, & Regiam *Soranam* adire cogitaret, ut tenellæ ſuæ juventuti in ædibus *Buiſerianis* tempore peſtifero conſuleret, vis priſtini morbi invaluit in itinere, & vires ita proſtraverunt Colici cruciatûs, arthritis, & calculi, ut corpuſculum miſellum expugnaverint, & ita placidè in Deo, præſente Dom. *Joh. Cluvero*, Theol. Doct. & Profeſſore, obdormivit *Soræ* 13. Julii A. C. 1629. ætatis 45.

Obiit Soræ.

Paulò antè obitum Regiæ Majeſtatis mandato morem gerens, Collegiis & Cathedralibus Scholis per *Daniæ* regnum Compendia, quibus Juvenes inibi tenaciter adhærerent, præſcripſit, pro quo labore Canonicatum apud *Röſchildenſes* gratioſè ſortitus eſt.

Canonicus Röſchildenſis.

Epitaphium *Caſp. Bartholini*, *Hafniæ* in Choro Templi Beatæ Virginis:

Epitaphium.

D. O. M. S.

CASP. BARTHOLINO MALM. THEOL. MED. AC PHILOS. D.
REG. ACAD. HAFN. P. P. ET ROSCH. CAP. CANON. INGENIO DIVINO, DISSERENDIQUE ACUMINE, PIETATE, PRUDENTIA, JUSTITIA, INTEGRITATE, SINGULISQUE INSERVIENDI VOLUNTATE NON DOMI MINUS XVII. ANN. IN ART. HUMAN. MED. AC THEOL. PROFESS. REGNIQUE GYMNASIIS VEL REGIO JUSSU DESTINATA INDUSTRIA: QUAM FORIS IN MELIORE ORB. EUROP. VARIIS OBITIS PEREGRIN. ET MONUM. EDITIS NOBILITATO.
EX RECTURÆ ACAD. ITERAT. ET HONORE ET ONERE IN COELEST. PATRIAM IMMATURA MORTE EVOCATO,
ANNA FINCKIA
CUM VI. FIL. ET I. FILIA SUPERSTITES, AMORIS FIDEIQUE CONJUG. ET PEREN. DESIDERII MON. B. M. P. C. M.

In Lapide Sepulchrali:

CASPAR BARTHOLINUS THEOLOG. MEDIC. AC PHILOSOPH. D. ACAD. HAFN. P. P. ET ROSCHILD. CANON. POſt VARIAS PEREGR. ET MEDITATIONUM EXANTLATOS LABORES IN HUNC SECURÆ QUIETIS LOCUM ILLATUS GLORIOSAM RESURRECTIONEM EXPECTAT.

Opera *Caſp. Bartholini* edita:

Scripta.

1. *Threnologia in Obitum Annæ Catharinæ, Reginæ Daniæ.* 2. *Oratio de Ortu, Progreſſu, & Incremento Academiæ Hafnienſis.* 3. & 4. *Rhetorica Major & Minor.* 5. & 6. *Oratoria Major & minor.* 7. *Epigrammata Extemporanea.* 8. *Carminum variis in locis editorum Faſciculus.* 9. *Janitores Logici bini.* 10. *Diſputatio Logica de genere Syllogiſmi, contrà Scherbium.* 11. *Diſputatio Logica de Quæſtionibus mixtis, contra Keckermannum.* 12. & 13. *Logica major & minor.* 14. *Logica pro Scholarum majorum Claſſibus ſuperioribus.* 15. & 16. *Metaphyſica major & minor.* 17. *Enchiridion Ethicum.* 18. *Præcepta totius Phyſicæ.* 19. *Diſputatio Phyſica Baſileenſis.* 20. *De Principiis rerum naturalium Opuſculum.* 21. *De Naturâ Opuſculum.* 22. *De Mundo Tractatus.* 23. *Phyſica generalis major.* 24. *Uranologia.* 25. *Aſtrologia.* 26. *De Elementis in genere, & in ſpecie de Terrâ, Aëre, & Igne.* 27. *De Aquis Libri duo.* 28. *De Mixtione*

Liber

Liber unus. 29. *De Meteoris Lib. IV.* 30. *De Rerum Naturalium perfectè mixtorum Qualitatibus manifeſtis & occultis Lib. II.* 31. *De corporibus perfectè mixtis inanimatis, ſeu Metallis, Lapidibus, & Mineralibus mediis.* 32. *De Animâ Exercitatio.* NB. Uno Syſtematis Phyſici Volumine X. hi Libri quoq; editi ſunt. 33. *De Lapide Nephritico Opuſculum Phyſico-Medicum, ubi ſimul de Amuletis omnibus præcipuis.* 34. *De Unicornu Opuſculum.* 35. *De Pygmæis Opuſculum.* 36. *De ſtudio Medico inchoando, continuando, & abſolvendo Conſilium.* 37. *Inſtitutiones Anatomicæ.* 38. *Controverſiæ Anatomicæ.* 39. *Paradoxa Medica CCXL.* 40. *Problem. Phil. & Med. Exercitationes X. diſputatæ Wittenbergæ.* 41. *Diſputationes Philoſ. & Medicæ X. Hafniæ habitæ.* 42. *De Cauteriis Syntagma Medicum & Chirrugicum.* 43. *De aëre peſtilenti corrigendo Conſilium.* 44. *De Luthero Panegyricus.* 45. *Inſtitutio de Cœnâ Domini.* 46. *Manuductio ad veram Pſychologiam ex S. literis.* 47. *De Naturâ Theologiæ.* 48. *De Partitionibus Scripturæ.* 49. *Conſilium de ſtudio Theologico inchoando & continuando.* 50. *Meditationes in Orationem Dominicam.* 51. *De Naturâ utrâq; Chriſti.* 52. *De bello.* 53. *De Viſitatione Mariæ.* 54. *De Benedictione Aharonid.*

* *Ex Ciſtâ Medicâ Thomæ Bartholini.*

Obiit A.C. 1629.

JOHANNES CAPPONIUS.

Cola Cappon.

CApponiorum antiqua & nobilis familia præluxit inter alios viros præclaros *Colam Capponium* Doctorem *Montanum* vocatum, Rhetoricæ & Poëſeos *Bononiæ* Profeſſorem, ac *Joh. Galeatii Mariæ Sfortiæ*, Ducis *Mediolani* Præceptorem, & *Seraphinum Capponium*, Ordinis *Dominicani* Religioſum Theologum admirandum An. C. 1614 defunctum.

Seraphinus Cappon.

Philoſ. & Medicus.

Ex hâc illuſtri familiâ *Bononiæ* traxit originem hic *Johannes Capponius*, Philoſophus & Medicus excellens, multis Principibus ob eruditionem charus. Poëta quoque fuit & Aſtrologus eximius.

Poëta & Aſtrologus.

Moritur.

In patriâ tandem podagræ torminibus exhauſtus exſpiravit 18. Aug. A.C. 1629. Sepultus apud Patres Congregationis Oratorii.

Poëmata *Italica* reliquit:

Scripta.

Rime. Diſcorſi. Lezioni, Cleopatra. Terminda. Lidia guerriera. Il moribondo Arminio. Leandro & Ero. Teſtamento di Cloti. La Partenza. Il Sogno. I Bombici. Auxillo innamerato di Flora. Favola Paſtorale.

* *Ex Theatro Italico Virorum litteratorum Iteron. Ghilini.*

Clar. A. C. 1610.

JOHANNES JACOBUS CHIEFLETIUS.

PAtricius Conſularis, & Archiater *Veſontinus*, Civis *Romanus*, nobilibus parentibus *Veſontii* natus eſt 21. Jan. A.C. 1588. Patre *Johanne Chieſletio*, Viro etiam Patricio, Conſulari, & Archiatro *Veſontino*.

Prima ſtudia abſolvit apud *Sequanos* ſuos tum medicam profeſſionem ſponte amplexatus, audivit *Lutetiæ Riolanos* Patrem & filium, *Montepeſſulano Varandæum*, *Patavii Fabricium ab Aquapendente*, *Minadoum*, & *Rudium*.

Meditur.

Peragravit deindè varias *Europæ* Provincias, ad luſtrandas Antiquariorum Pinacothecas, & illuſtrium virorum Bibliothecas, atque ubicunque vixit, Principibus, Magnatibus, & literatis omnibus carus fuit.

Antiquarius.

Redux in patriam, Archiater Civitatis in Parentis locum ſuffectus eſt A. 1614. tum omnibus Reipubl. honoribus auctus, ipſo etiam Gubernatoris munere multis annis functus eſt. Demùm ab Imperiali ſuâ Civitate ad Sereniſſ. Principem *Iſabellam Claram Eugeniam* pro gravibus negotiis delegatus, ab eâ in Palatii ſui interiora Medici cubicularii titulo admiſſus eſt.

Archiater Veſont.

Gubernator.

Operum, quæ edidit, hæc eſt ſeries:

Scripta.

Aſitice in Puellâ Helveticâ mirabilis Phyſica exetaſis. Dædalmatum Lib. II. De loco legitimo Concilii Eponenſis obſervatio. Veſontio Civitas Imperialis libera Sequanorum metropolis plurima Sacræ & profanæ Hiſtoriæ monumentis illuſtrata. Lacrymæ priſco ritu fuſæ in exequiis Alberti Pii Belgarum Principis. De linteis Sepulchralibus Chriſti Salvatoris Criſis hiſtorica. Portus Iccius Julii Cæſaris demonſtratus.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

REINERUS BONTIUS.

Clar. A.C. 1630.

G*Erardi*, Medici celebris filius, natus eſt *Lugduni Batavor.* A.C. 1576. A. 1599. In Academiâ patriâ Philoſophiam naturalem cœpit profiteri. Studio medico deindè deditus, cum in patriâ annos aliquot Medicinam feliciter exercuiſſet, Medicus ordinar. Principis *Henrici Naſſovii* factus eſt: nec multo puſt cum Principi *Mauritio*, *Hollandiæ* Gubernatori, innotuiſſet, ab eodem ſtipendium conſecutus eſt, ut ſanitatis ejus curam gereret.

Phyſ. Profeſſor Leyd.

Archiater Princ. Naſſov.

* *Ex Vitis Profeſſorum Leydenſium.*

JOHANNES HIERONYMUS BRONZERIUS.

Obiit A.C. 1630.

IN *Rhodigino*, quod Abbatiam *Vandagicenſem* vocant, natus eſt 7. April. A.C. 1577. Patre *Joh. Antonio*, publicis in patriâ claro muneribus, & Matre *Laurâ*, ex antiquâ *Roſnorum Ferrariæ* familiâ.

Juvenis, poſt humanas literas à *Venturâ Beſſone* humaniorum literarum doctore acceptas, ſtudiis Philoſophiæ cum operam navâſſet ſub *Franciſco Piccolominio* & *Cæſare Cremonino*, auſpiciis *Alexandri Maſſariæ*, *Euſtachii Rudii* & *Hieronymi Fabritii ab Aquapendente*, in Medicinæ orbitâ pedem fixit, & 12. Febr. A. 1597. Laureâ Philoſ. & Medicinæ ornatus fuit.

Medicinæ Doctor Patavii.

Hinc *Coloniæ Venetorum* ſtipendio Medicinam fecit, deindè in patriâ. Genitoribus, cum tribus fratribus *Jacobo*, *Michaële* & *Paulo* defunctis, jamque fortunæ bonis affluentibus,

Patavii degit in otio literario. bus, otii literarii ſtudio *Patavium* rediit, ubi decennium ſuaviter traduxit.

Aſtrologiæ deditus. Aſtrologiæ intereà plurimùm operæ impendit, cumque prædictionibus non rarò eventus reſponderet, magnam de ſe opinionem excitavit.

In Medicinâ quoque varia meditatus eſt, imprimis de Sanguificatione, & artem medicam magnâ fide exercuit.

Medicus Bellunenſis. Indè *Bellunum Cremonini* conſilio accitus, ut ſtipendio 800. Coronator. ProtoMedici munus ibidem obiret, ab aëre ſubtili & vino auſteriori ſubitò valetudinis incommoda ſenſit: ſemeſtri itaque vix exacto, in febrim acutam incidit, quâ ſublatus eſt A.C. 1630. ætatis 53. *Moritur febre acutâ.*

Scripta edita:

De innato calido, & naturali ſpiritu. De principatu Jecoris, ex Anatome Lampetræ. De principio effectivo ſemini inſito Diſputatio.

Scripta inedita:

Scripta. *De febre malignâ. De Variolis. Prognoſticor. Cœleſtium Tomi II. De Cometis. De vi ſublunari cœlitùs impreſſâ. Dialogi Oeconomici Hetruſco idiomate.*

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Poſteà meritis ipſius in æde D. *Johannis Baptiſtæ* in patriâ ſub vultu marmoreo hoc monumentum ſtatuerunt:

Epitaphium.

JOHANNES HIERONYMUS BRONCERIUS
PHIL. MEDICINÆ, ASTRONOMIÆ SCIENTISS.
INGENIO, ELOQUENTIA, INTEGRITATE CLARISS.
NATURÆ DEXTERITATE MORUMQUE JUCUNDITATE SUAVISS.
ÆGRIS SALUTEM, PATRIÆ FAMAM, SIBI GLORIAM COMPARAVIT.
PATAVII, VENETIISQUE FLORUIT.
BELLONÆ PROTOMEDICUS OBIIT
ANNO ÆTATIS LIII. SAL. MDCXXX.
JACOBUS ROSINUS J.C. CANON. VERON.
FRANC. F. JAC. ROSINUS TRIBUNUS MILIT.
PAULI F. PATRUELES PARESQUE OBSERVANTIA ERGA OPTIMUM VIRUM MOESTISS. POSUERE.

SIGISMUNDUS BOLDONUS.

Obiit A.C. 1630.

NObilis fuit *Mediolanenſis*, *Octavii Boldoni*, nobilis eruditi, filius, & nepos *Nicolai Boldoni*, Med. Profeſſoris *Ticinenſis*, & Protophyſici in ſtatu *Mediolanenſi*. Exul è patriâ *Patavium* venit, ibique in Philoſophiâ & Medicinâ tantum profecit, ut in utraque Doctor cum honore creatus fuerit. *Philoſ. & Medicinæ Doctor.* Indè veniens *Urbinum*, Duci gratiſſimus aliquandiu propter Bibliothecam Principis ſubſtitit.

Academiæ Humoriſtar. ſocius. *Romam* poſteà tranſlatus, & in Academiam *Humoriſtarum* receptus, variis ſcriptis in proſâ & poëſi editis Cardinalium aliquot favorem nactus eſt.

Philoſophiæ Profeſſor Ticin. Ab exitio verò ſuo mediantibus amicis liberatus, in patriam rediit, & anno ætatis 25. Philoſophiæ Profeſſor publ. in Academiâ *Ticinenſi* factus eſt. Inter alios tunc auditorem habuit *Chriſtophorum Pallavicinum*, Medicum *Mediolani* celeberrimum.

Profeſſor Philoſophiæ Patavii. Cum deindè *Patavii* poſt obitum *Cæſaris Cremonini* Cathedra in Philoſophiâ primariâ vacaret, ad hanc vocatus eſt, ſed eam aggredi non potuit, peſte graſſante è vivis ſublatus 3. Julii A.C. 1630. æt. 33. *Ticini* *Moritur.*

Scripta:

Scripta. *Lacûs Larii deſcriptio. Volumen Orationum variarum. Poëmata. Epiſtolarum Lib. II. Tractatus de Fœtu, quem non potuit abſolvere.*

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

FABRITIUS BARTOLETUS.

Obiit A.C. 1630.

PAtriâ *Bononienſis*, Philoſophus, Medicus & Anatomicus excellens, Logicam, Medicinam & Anatomiam in patriâ & Academiâ *Piſanâ* publicè docuit. *Anatomicus Bonon.*

Medicinæ Profeſſor Mantuæ. A *Ferdinando* deindè *Gonzagâ*, Academiæ *Mantuanæ* fundatore, in eam vocatus, ad Medicinæ Profeſſionem & Lecturam practicæ primariam primus Collegium ibi Medicis aperuit.

Moritur peſte. Urbi poſteà à militibus Cæſareis ſub Duce Comite *Collatio* obſeſſâ cum in patriam ſe recipere vellet, *Lindinaræ* peſte tunc graſſante correptus, mundo valedixit menſ. Aug. A.C. 1630. æt. 42. Parentes eum in Templo patrio S. *Georgii* hoc Elogio honorârunt:

Epitaphium.

D. O. M.
FABRITIO BARTOLETO ART. ET MEDICINÆ DOCTORI IN PATRIO BONON. ARCHIGYMNASIO PHIL. MED. ATQUE ANATOMES PUBLICO PROFESSORI ORDINARIO,
QUI
BONONIENSEM, PISANAM, ET MANTUANAM ACADEMIAM, CONFLUENTIBUS UNDIQUE STUDIOSIS, CELEBRATA HUMANI CORPORIS RESOLUTIONE, TOTIUS ORBIS THEATRUM FECIT,
MANTUÆ PRIMARIUS PRACTICÆ LECTOR PACIFICUM COLLEGIUM MEDICIS PRIMUS APERUIT: DOCTRINA ET ELOQUENTIA SUSTINUIT.
ARCHIATER TRIBUS SERENISSIMIS DUCIBUS CARUS.
DUM IN PATRIAM REVISENDAM TENDERET, AD COELESTEM EVOLAVIT.
CONJUGI BENEMERENTI CONJUX MOESTISSIMA SOCIALIS DILECTÆ PROLIS LACRYMIS JUSTA AMANTISSIME SOLVIT.

Scripta:

Scripta. *De difficili Reſpiratione. Encyclopedia Medica, Hermetica, dogmatica. Concluſioni Anatomiche. Anatomia grande con figure.*

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

CASPAR MüLICHIUS.

Obiit A.C. 1630.

P*Irnæ*, *Miſniæ* oppido, ad *Albim* Lapidicinis nobili natus eſt 22. Nov. A. 1582.

Filius Pharmacopœi cognom. Avum paternum habuit *Georgium Mulichium*, Epiſcopi *Stolpenſis* Cancellarium: Patrem *Caſparum*, Pharmacopœum cele-

celebrem, & Senatorem. Matrem habuit *Dorotheam*, *Hieron. Thilii*, Electoris *Sax.* Cameræ præfecti filiam.

Puer 14. annorum diſcendæ paternæ arti admotus eſt, quam cum ſatis dextrè hauſiſſet, exercendo eam peregrè perficere ſtuduit.

Eo conſilio *Altenburgum* primò, *Berolinum* deindè, *Francofurtum ad Mœnum*, & *Argentinam* tandem profectus eſt. *Argentinâ* rectà in *Galliam* abiit, pòſt in *Angliam*, & indè rurſum in *Belgium* trajecit.

Reverſus inde per Civitates *Hanſeaticas* vocatas, *Viennam* ſe contulit, & toto triennio ibi commoratus eſt.

Pharmacopæus Wittebergæ.

Viennâ redux *Fribergam*, indè *Halam Sax.* petiit, & poſt biennium A. 1617. *Wittebergam* venit. Ibi 1. Sept. A. 1618. conjugem duxit *Eliſabetham*, *Caſp. Fluthii*, Senatoris & Medicamentarii filiam. Ex eâ ſuperſtites reliquit filium unum, & tres filias.

Mor. tabe.

Cum tandem ab anno tabido morbo laboràſſet, è vitâ diſceſſit 3. Aug. An. 1630. ætatis 48.

* *Ex Programm. fun. Auguſti Buchneri.*

Obiit A. C. 1630.

NICOLAUS MULERIUS.

ORtus eſt ex familiâ antiquâ *des Muliers*, quæ dudùm ſedem fixit in *Coloniâ* cognomine, Inſulis *Flandrorum* non longè diſtante. Pater ipſi fuit *Petrus Mulerius*, Theologus, qui fide Pontificiâ abdicatâ *Brugis* veritatem amplexus, inter cives ſuos Præconem egit.

Filius Theologi.

Conjugem tunc habuit *Claudiam le Vettre*, quæ & ipſa deſerto Papatu cœtibus Evangelicis ſe junxerat, ex quâ tum alios tum *Nicolaum* hunc ſuſcepit 25. Dec. An. 1564. Sæviebat tunc feralis *Belgio* Inquiſitio in *Brugenſium* quoque urbe, & parùm abfuit, quin *Petrum* quoque cum totâ familiâ oppreſſiſſet, niſi præmonitus de periculo ab urbis Senatore ſe ſuoſque tempeſtivè *Meninam Flandriæ* civitatem Inſulis proximam ſubduxiſſet. Sed nec hic tuto eſſe licuit, inſequente ipſum *Titelmanno*, Decano *Ronſenſi* hæreticæ pravitatis Inquiſitore: quod cum denuo ipſi innotuiſſet, amici cujuſdam indicio in proximam ſylvam ſe abdidit, tres ſecum trahens liberos, & inter hos *Nicolaum* hunc annum agentem tertium.

Cum Patre vix tyrannidem Ducis Albani evaſit.

Subſecutura autem maritum uxor *Claudia* minimam natu prolem ulnis geſtans, ab armatâ perſecutorum manu intercepta, carceri mancipata, & ejus ſqualore per integrum annum macerata, tandem *Albani* Ducis ſanguinario decreto morti adjudicata fuit, quam Religionis ergò læto conſtantique animo adiit *Ipris* An. 1568. ſermone vernaculo concinens *Pſalmum* 27. *Le Seigneur eſt la clarté qui m' adreſſe &c.*

Mater ejus martyrium patitur.

Petrus verò poſteà *Brugas* repetiit, ibique *Nicolaum* filium primis literarum rudimentis initiandum dedit.

Indè *Caletum* ſeceſſit, non ante annum 1577. & *Gandavenſem* Pacificationem *Brugas* regreſſus, quo tempore modò dictum filium in diſciplinam tradidit Clariſſimo *Cruquio* à Commentariis in *Horatium* ſcriptis inter eruditos nomen ſortito.

Brugis ſcholis traditus eſt.

Sed non multò pòſt recrudeſcentibus bellis civilibus iterum exilium ſubire coactus, ſedem *Lugduni Batavorum* ponere maluit. Ibi *Nicolaus* inter Academicos nomen profeſſus, Philologiæ primùm & Philoſophiæ, deindè etiam Theologiæ mentem applicuit. Mox verò mutatâ mente ad medicinam & mathematicas diſciplinas excolendas fuit avocatus.

Lugduni Batavor. ſtudioſus.

Adjunxit præterea linguæ Hebrææ, Chronologiæ & Hiſtoriarum cognitionem, quam conſecutus eſt ſub inſtitutione *Juſti Lipſii*, *Bonaventuræ Vulcanii*, *Joh. Heurnii*, *Gerardi Bontii*, *Rudolfi Snellii*, & aliorum.

Tandem ſummis in medicinâ honoribus auctus fuit 24. Martii A. 1589. promotore *Johanne Heurnio*, unà cum *Nicolao Forterio* vitæ & ſtudiorum ſocio individuo.

Medicinæ Doctor Lugd. Bat.

Matrimonium mox iniit *Amſtelodami* 1. Nov. ſeq. cum virgine *Chriſtinâ Sià*, Senatoris *Audomaropolitani* filiâ.

Nubit Amſtelodami.

Tunc praxin medicam exercere cœpit, quæ adeo fœlix obtigit, ut famâ illius moti *Harlingenſes* An. 1590. ordinarii Medici titulo eum evocârint, in quâ ſtatione 13. annos exegit.

Medicus Harlingenſis.

A. 1603. *Amſtelodamum* profectus, ibi larem fixit. Nec diu pòſt ab Ordinibus *Gröningenſibus* delatum ſibi Medici Provincialis munus admiſit, & cum familiâ *Gröningam* commigravit.

Med. Provincialis Gröningæ.

An. 1618. Cum Gymnaſio *Leovardienſi* Moderator quæreretur, ſuaſu *Johannis Bogermanni* & *Goswini Geldorpii*, Eccleſiæ miniſtrorum Gymnaſio illi præfectus eſt.

Moderator Gymnaſii Leovard.

An. 1614. Academiâ Provinciali *Gröningæ* apertâ, ad eam ipſe inter primos accerſitus, delatum ſibi medicinæ & mathematum profeſſionem ad finem uſque vitæ ſuſtinuit.

Med. & Mathem. Profeſſor Gröningæ.

Hoc tempore non tantùm Academiæ utilem operam præſtitit Anatomicis ſectionibus aliquoties inſtitutis, Bibliothecæ curâ ad finem vitæ uſque, Rectoratu autem Academico alterâ vice geſtis, ſed & extrà eam medicinæ praxin feliciter exercuit, & cum A. 1621. Societas *Indiæ Occident.* inſtitueretur, ob ſingularem rerum illarum peritiam in Collegium Directorum hujus Provinciæ inter primos allectus, & ejus nomine ad Conventum Societatis ſupremum, quem Jus virorum vocant, non ſemel delegatus fuit. Varia quoque tunc temporis Scripta mathematica accuratè elaborata in lucem dedit.

Bibliothecarii.

Nec defuit ipſi favor hujus & vicinæ Provinciæ Gubernatorum, Illuſtriſſimorum *Guilelmi Ludovici* & *Erneſti Caſimiri*, Comitum *Naſſov.* qui ejus tum in medicinâ faciendâ, tum in Republ. adminiſtrandâ conſilium non rarò poſtulârunt, & ſecuti ſunt.

Med. Comitum Naſſov.

Nonis Sept. A. 1630. die Dominico poſtquàm Sacris Cœnæ Dominicæ interfuiſſet, ſupremum funeris honorem Collegæ in *Societ. Indicæ* curâ præſtitiſſet, domique piis de-

mortuorum reſurrectione meditationibus ſe oblectâſſet, colicis tentari cœpit doloribus, cumque in culinâ conſediſſet, apoplexiâ quoque correptus fuit; undè prolapſus inter ſuorum lachrymas & preces à Collegâ vicino *Henrico Altring*, Theologo conceptas, piam animam exhalavit, anno æt. 66. Profeſſ. 16.

Moritur apoplexiâ.

Reliquit ſuperſtites cum uxore liberos, quos ipſi pepererat utriusque ſexûs, ſex ex 11. reliquos: quorum natu maximos, filium quidem *Petrum Mulerium*, Med. Doctorem, Botanices Profeſſioni *Gröningæ* inauguratum vidit, filiam verò *Menelao Winſemio*, Med. Doctori & Profeſſori *Franeckerano*, elocavit.

Ingenii fœtûs edidit:

Scripta.

Aſtrolabium, ſeu Spheram planiformem, additâ ſuccinctâ ejus explicatione tribus libellis Belgicè adornatâ. Ephemerides ab A.C. 1609. ad usq. 1616. ſummo cum judicio ſcriptas. Tabulas Friſicas Lunæ Solares. Calendarium Romanum vetus cum Iſagoge. Inſtitutionum Aſtronomicarum Lib. II. Nicolai Copernici Aſtronomiam inſtauratam cum Notis. Tractatum de Cometâ A.C. 1618, viſo vernaculo idiomate. Judæorum Annum Lunæ Solarem, & Turc-Arabum merè Lunarem.

* *Ex Vitis Profeſſorum Gröning. A. 1654. editis.*

THOMAS FIENUS.

Obiit A.C. 1631.

Filius Medici.

ANtverpiæ natus eſt A.C. 1567. Patrem habuit *Johannem Fienum*, non vulgaris doctrinæ Medicum, cujus extat *Comment. de Flatibus humanum corpus infeſtantibus.*

Medicinæ operam in *Italiâ* potiſſimùm dedit, ubi Præceptores audivit ad æmulationem vetuſtatis eruditos, *Hieron. Mercurialem, Ulyſſem Aldrovandum, Joh. Coſteum, Julium Cæſarem Arantium*, & in Philoſophicis *Fridericum Pendaſium.*

Medicinæ Profeſſor Lovanii.

A. 1593. Primariam in Academiâ *Lovanienſi* Profeſſionem adeptus eſt. Interim Bavariæ Dux *Maximilianus* ad officia Medici interioris eum evocavit. Sed vix anno exacto amor patriæ revocavit. Poſteà *Albertus*, Archidux *Auſtriæ*, Medicum ſibi Cubicularium conſtituit.

Med. aul. Maximil. Ducis Bav. & Alberti Archid. Auſtr.

Sed eam quoque deſeruit conditionem, diffiſus valetudini ſuæ, quam tum non proſperam ſatis habebat. A. 1616. *Bononienſes* propoſito mille aureorum honorario ad principem medicinæ profeſſionem invitârunt. Sed Archidux *Albertus* cum in Academiâ ſuâ non deteriori conditione retinuit, vitâ defunctum A.C. 1631. æt. 64.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

De Cauteriis Lib. V. Chirurgia, Hermanni Conringii curâ edita. De viribus Imaginationis. Semiotice, ſive de Signis Medicis. De Cometâ A. 1618. Diſſertationes. Quæſtio Epiſtolica, an verum ſit, cœlum moveri, & terram quieſcere? Tractatus de Formatione Fœtûs, in quo oſtenditur, animam rationalem infundi tertiâ die.

* *Ex Vitis illuſtrium Medicorum Petri Caſtellani; & ex Athenis Belgicis, Franc. Sweertii.*

WILHELMUS REHE.

Obiit A.C. 1631.

NOrimbergæ natus A.C. 1592.

Monſpelii in *Galliâ* Baccalaureus, Licentiatus, & Doctor Medicinæ ſolenniter renuntiatus, poſtquàm per triduum 4. Quæſtiones Cardinales in Diſputatione Inaugurali publicè propugnâſſet an. 1617. Anno ſeq. in Collegium patriæ medicum receptus eſt, & multis annis Medicum xenodochianum egit.

Medicus xenodochii Norimb.

Ex febre tandem acutâ obiit 23. April. A.C. 1631. ætatis 39.

Moritur.

* *Ex Actis Collegii Med. Norimberg. manuſcriptis.*

JOHANNES A COLLE.

Obiit A.C. 1631.

BEllunenſis, *Georgio* Patre, natus eſt A.C. 1558. Juvenis humanas literas ab *Aloyſio Curtio* & *Gervaſio de Gervaſiis* accepit. Hinc Philoſophiæ & Medicinæ *Patavii* animum applicans, utriusque Laureâ Doctorali inſignitus eſt 8. Maji A. 1584.

Philoſ. & Medicinæ Doctor Patavii.

Hic cum annos aliquot ægrorum inſpectioni impendiſſet, *Venetias* profectus, in eâ urbe 12. annos cum laude medicinam exercuit, ſcriptionique deditus varia evulgavit.

Profeſſor Venetiis.

A. 1600. *Franciſcus Maria II. Urbini* Dux ſextus, cui jam opera quædam ſua dicaverat, ipſum Protomedicum, & Nobilem à Cubiculo creavit, adſignato annuo 500. ducatorum honorario.

Archiater Ducis Urbini.

Exactis in ipſius aulâ 23. annis cum anno 1623. in Gymnaſium *Patavinum* à Senatu *Veneto* vocatus eſſet, vacante ob mortem *Roderici Fonſecæ* primariâ Medicinæ Cathedrâ, dimiſſus à ſuo Principe cum dono mille coronatorum, *Patavii* munus ſibi commiſſum alacriter ſuſcepit. Ibi ſæviente peſte abreptus eſt menſ. Junio A.C. 1631. ætat. 72.

Medicinæ Profeſſor Patavii.

Moritur peſte.

Scripta:

Scripta.

Praxis univerſalis de omnibus affectionibus malignis & peſtilentibus. Monumenta Synoptica de peſte præſervandâ, & curandâ. Coſmitor Medicus de exercitiis totius artis medicæ Theoricæ & Practicæ, cum Conſultationibus. De Morbo Gallico, de Faſcino, de Plicâ, & Senectute protrahendâ, de præſervatione à Venenis, de Tartaro, de Vitriolo. Comment. in Librum Hipp. de Inſomniis. De Medicinâ jucundâ. Ars Chymica, Remedia Chymica ad omnes morbos. Elucidarium Anatomicum & Chirurgicum. Idêa omnium Facultatum, Scientiarum, & Artium. Ragionamenti Academici.

Nondum edita:

Principia Naturalia Metaphyſica & Aſtrologica ex Hippocrate. Anatome Hippocratica. Medicina Theorica & Practica Hippocratica. De mortalitate Animæ ex Hipp. De principatu membrorum. Medicina Ariſtotelica. Anatome Ariſtotelica. De Calido innato. Vera opinio Aphrodiſæi de immortalitate Animæ. De Formis Elementorum. Sententiæ dilucidatæ in Aphoriſmis. De Naturâ Animalium ex Ariſtotele. Admonita & Præcepta dilucidata & conciliata.

ciliata. De febribus benignis, malignis & peſtilentibus. Metopoſcopia naturalis. De Vitiis Capitis, Thoracis, & Ventris inferioris. De morbis Virginum, Mulierum, & Puerorum. De Medicinâ rationali, methodicâ, aſtrologicâ, Chymicâ, Empiricâ: & de modo Colligiandi, Componendi, & adminiſtrandi medicamenta.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

JOHANNES PREVOTIUS.

Obiit A.C. 1631.

Dilſpergæ, municipio in Diœceſi *Baſileenſi* natus eſt, Patre *Theobaldo*, 4. die Julii A. C. 1585.

Jeſuitarum diſcipulus. Puer *Dolam*, *Burgundiæ* metropolim, miſſus in diſciplinam Jeſuitarum, cum literas humaniores didiciſſet, in *Germaniam* reverſus *Molsbemii*, & deindè *Dillingæ* eorundem Patrum ductu Philoſophiam triennio didicit, & A. 1603. publicè Magiſtri titulo honeſtatus eſt. *Philoſophiæ Magiſter.*

An. 1604. *Leopoldi* Archiducis *Auſtriæ* tunc Epiſcopi *Argent.* munificentiâ in *Hiſpaniam* iter ſuſcepturus, ut Sacris literis operam navaret, cum *Patavium* veniſſet, ibique ob æſtum ingentem æſtatem tranſigere conſtituiſſet, Scholas publicas quotidiè adivit. Incidit fortè tunc in *Herculem Saxoniam*, Medicum celebrem, ejuſque Prælectionibus admodùm delectatus vitæ rationem mutare cœpit, & de medicinâ diſcendâ cogitare. *Theol. ſtudio relicto Medicum amplectitur Patavii.*

Florebat eâ ætate *Patavii* inter Viros doctrinâ claros *Alexander Vigontia*, qui eum ſibi à ſtudiis reddidit domeſticum. Tum *Herculem Saxoniam* eâ ſedulitate docentem audivit, ut ſingula fermè ejus verba exceperit. *Euſtachium* præterea *Rudium*, & *Johannem Thomam Minadoum* Præceptores coluit. *Hieronymo* verò *Fabritio ab Aquapendente* adeò placuit, ut Teſtamento poſthuma ſua Anatomica ipſius curâ vulgari juſſerit, quod inſtitutum arte hæredum avarorum fuit impeditum, etiamſi operam ipſe ſuam gratis obtuliſſet.

Medicinæ Doctor. An. 1607. Cum Doctoralem Lauream adeptus eſſet, *Vigontia* ipſum ægris familiaribus commendavit, quibus ita ſe providum oſtendit, ut ſenſim ei credita fuerit Magnatum variorum valetudo. Imprimis *Henrico Vortono*, Regis *Angliæ* apud *Venetos* Oratori, ejuſque Succeſſori *Iſaaco Weck* fuit percharus, quod felicem ipſius operam eſſent experti, quam multis etiam Principibus *Germanis* probaverat. *Felix in praxi med.*

A. 1612. *Adriano Spigelio* in *Moraviam* excito, natio *Germanica* hunc ſibi Medicum delegit. Poſtquàm igitur decennium integrum *Vigontiæ* contubernio exegiſſet, 28. Martii A. 1613. à Gymnaſii Moderatoribus *Andreghetto Andreghettio* in Lecturâ Libri tertii *Avicennæ*, 60. florenorum ſtipendio ſuffectus eſt. *Patavii Medicinæ Profeſſor.*

A. 1616. Cathedra hæc 200. florenorum ſalario aucta, & *Proſpero Alpino* jam fatis functo, horti juxtà publici cura, additis 60. florenis, ipſi commiſſa eſt. *Horti Medici Præfectus.*

Tunc conjugem duxit *Magdalenam*, *Nicolai Vaſelini* filiam, ex quâ, præter 4. filias, binos ſuſcepit filios, *Johannem Baptiſtam*, & *Theobaldum*, paternæ eruditionis ſucceſſorem. *Deſponſatur.*

A. 1620. A ſecundo practicæ extraordinariæ loco in locum *Benedicti Sylvatici* ad primam extraordinariæ practicæ ſedem promotus, eam pari gloriâ exornavit. An. 1623. In Collegium *Patavinum* receptus, annuum totidem florenorum præmium obtinuit, quod A. 1628. florenis 140. crevit, ut quotannis 600. florenis doceret.

A. 1629. *Bononiam* ad *Claudini* Cathedram, ut vocant, ſupereminentem publicis invitatus literis, propoſito 1200. Coronatorum ſtipendio, honorem hunc modeſtè poſthabuit beneficentiæ *Venetorum*; quos primos ſuæ fortunæ authores agnovit. *Bononiæ Profeſſionem Med. recuſat.*

20. Julii A. 1631. Peſte *Patavii* graſſante, cum uxore & minori filio in hortum medicum ſeceſſit, ut ſaluti ſuæ conſuleret, 4. jam filiabus ſibi ſublatis. Mox febre correptus, ſolutis tandem viribus naturæ ſatisfecit 3. Aug. A.C. 1631. æt. 46. *Moritur peſte.*

Scripta: *Scripta.*

Inſtitutionum Medicinæ Practicæ Tractatus IV. de Signis, de Methodo Medendi, Elenchus Medicamentorum, quæ communiter uſurpantur, de ratione præparandi & componendi Medicamenta. Methodus recitandorum Caſuum. Tract. de Venenis & Alexipharmacis. Medicina Pauperum. Conſilium de Plicâ Polonicâ, quod Dan. Sennertus ſuæ praxi med. inſeruit.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.*

Viri merita in Scholis publicis Natio *Germana* ad ipſius Inſignia hâc Inſcriptione proſecuta eſt:

JOHANNI PRÆVOTIO RAURACO
PHILOSOPHO AC MEDICO INSIGNI, PRACTICÆ EXTRAORDINARIÆ PROFESSORI
PRIMARIO,
CIVI ET DOCTORI DESIDERATISSIMO,
NATIO GERMANA ARTISTARUM POSUIT
ANN. MDCXXXIV.

POMPEJUS CAIMUS.

Obiit A.C. 1631.

Utini, in *Forojulii* Provinciâ, Patre *Jacobo*, J.C. natus eſt A.C. 1568. Cum *Patavii* Philoſ. & Med. Lauream impetrâſſet, honorario ſtipendio in patriam vocatus, ibidem aliquot annos manſit, & artem medicam feliciter exercuit. *Fit Doctor Medicinæ Patavii.*

E patriâ *Romam* concedens, ibi in Gymnaſio primam philoſophiæ Cathedram obtinuit. Hinc non rarò *Neapolim* ad Vice-Regis, *Florentiam* ad Magni Ducis, aliorumque *Italiæ* Principum valetudinem accitus, Pontifici etiam *Gregorio XV.* lethalem morbum prædixit A. 1623. *Philoſophiæ Profeſſor Romæ.*

Ibidem à Pont. *Urbano VIII.* Eques auratus, & *Comes Palat.* declaratus, paulò poſt in Gymnaſium *Patavinum*, quò in locum *Sanctorii Sanctorii* evocatus erat, conceſſit: ubi Theoremata medica principe loco docuit. Ibi vidit aliquando ſpatio dimidii diei *Eques aurat. & Comes Palat. Medicinæ Profeſſor primar. Patavii.*

28. libras ſanguinis è naribus fluxiſſe, memorante *Joh. Rhodio Cent. 1. Obſ. 90.*

Cum *Patavii* tandem peſte ſæviente in *Titianum Forijulii* pagum ſe recepiſſet, ut variis lucubrationibus in prædio ſuo finem imponeret, febri correptus, cum famulus Palmâ Pharmacum allaturus, clauſis certis de cauſis propugnaculi portis, diutius detineretur, intra paucos dies incrudeſcente malo ſuccubuit die 30. Nov. A.C. 1631. æt. 63. Funus egregiâ Orat. laudavit *Joh. Franciſcus Decianus*, J.C. Fratrem reliquit *Euſebium*, Epiſcopum *Æmonienſem*, & nepotem ex fratre *Jacobum*, Juris Profeſſorem *Patavinum*.

Mor. febri.

Libros edidit:

Scripta.

De febrium putridar. indicationibus juxtà Galeni methodum colligendis & adimplendis Lib. II. De Calido innato Lib. III. De Nobilitate. Dell' Ingegno humano Lib. II. Parallelo Politico delle Republiche Antiche & Moderne Lib. II. Dialogo delle tre Vite reputate megliori.

Ex Elogiis Virorum doctorum Jacobi Philippi Tomaſini.

Sepultus *Utini* in æde B. *Virginis Gratiarum*, addito hoc marmore:

Epitaphium.

D. O. M.
POMPEJO CAIMO UTINENSI, EQUITI AURATO
PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ
IN NOBILISSIMIS ORBIS TERRARUM
ROMANO AC PATAVINO GYMNASIIS
DE PRIMA SEDE PROFESSORI,
SCIENTIARUM OMNIUM FONTI DULCISSIMO,
EUSEBIUS EPISCOPUS ÆMONIENSIS
FRATRI AMANTISSIMO P.
OBIIT MDCXXXI. ÆTATIS SUÆ LXIII.

Obiit A.C. 1631.

HIERONYMUS FABRITIUS.

NAtus eſt *Auguſtæ Vindelicor.* 19. Jan. A.C. 1567. Patre M. *Simone Fabritio*, Rectore Gymnaſii *Annæani*, Linguæ Græcæ Profeſſore, & Bibliothecario, qui cum *Hieronymo Wolffio* ſingularem coluit amicitiam, eumq; Suſceptorem hujus filii ſui & S. Baptiſmo ſibi delegit. Matrem habuit *Catharinam Mayeriam*, quæ *Auguſtæ Vind.* dyſenteriâ obiit A. 1581. Fratres habuit *Joh. Baptiſtam Fabritium*, J.C. Imp. *Rudolphi II.* Conſiliarium, & Advocatum aulicum *Viennæ*, & *Georg. Sigismundum*, Pharmacopœum *Windsheimenſem*.

Ejus Parentes Auguſtæ.

A. 1594. Poſt parentis *Simonis* obitum, in Academiam *Patavinam* ſtudii medici gratiâ profectus, ibi mox ob judicii dexteritatem & eruditionem Nationis *Germanicæ* Procurator electus, & poſteà Nationis *Toſcanæ* Conſiliarius factus eſt. Ibidem poſtquàm *Hieron. Fabritio ab Aquapendente* Anatomico celebri, *Horatio Augenio*, *Æmilio Campolongo*, & *Herculi Saxoniæ* Med. Profeſſoribus familiariter innotuiſſet, Anatomicus Univerſitatis proclamatus eſt.

Patavii Procurator Nat. Germ. & Conſiliar. Nation. Toſcanæ.

Anatomicus Univerſitatis.

14. April. A. 1595. Cum M. *Joh. Conrado Zinnio*, Med. Candidato, *Bononiam* ſe contulit, ubi per tempus aliquod Nationis *Pannonicæ* Conſiliarius fuit, & Officium Prioris Philoſophorum & Medicorum à Cardinali Summi Pontificis Legato ſibi delatum indè diſceſſurus, *Tobiæ Vindio* concredidit.

Bononiæ Conſiliarius Nat. Pannon.

Per Ducatum *Mediolanenſem* poſteà & *Helvetiam* profectus, 3. Maji *Baſileam* venit. Ibi poſtquàm examen publicum & privatum pro more ſuſtinuiſſet, ac diſputationem publicam de Maniâ habuiſſet, Competitoribus *Georgio Rumbaum Uratislavienſi*, M. *Mich. Rötenbeccio*, & *Vito Gertnero Norimbergenſibus*, ac M. *Joh. Conrado Zinnio Oetingenſi* ſolenniter Med. Doctor renuntiatus eſt 24. Junii A. 1595. D. *Felice Platero*, Rectore, D. *Thomâ à Coccio* promotore, & D. *Caſp. Bauhino* Decurione.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

In patriam deindè reverſus, & ad agnatos *Winsbemium* in *Franconiâ* veniens 15. Aug. Phyſicus & Medicus illius oppidi ordinarius deſignatus eſt, Conſule ſeniore *Philippo Vogelio*, ſucceſſorque datus eſt D. *Andreæ Röslero*, *Halâ-Saxoni*, qui ante ſemeſtre prius obierat.

Med. ordinar. Winshemii.

2. Aug. A. 1596. Nuptias celebravit *Rotenburgi* ad *Tubarum*, cum virgine *Catharinâ*, filiâ *Friderici Rengeri*, U.J.D. per 30. annos ibidem Syndici ac Advocati primarii, & *Magdalenæ Bernbecciæ*. Ex eâ 15. liberos ſuſcepit, *Simonem Fridericum*, *Hieronymum*, *Simonem Paulum*, *Suſannam Eliſabetham*, *Evam Cordulam*, & *Dorotheam*, omnes in infantiâ vel pueritiâ denatos. Superſtites verò vidit & reliquit: 1. *Annam Mariam*, quæ *Winshemii* nata An. 1598. deſponſata fuit A. 1620. *Joh. Georgio Veſtnero*, Phil. & Jurium Doctori, quo 17. Dec. A. 1624. æt. 39. in Caſtello *Adelsdorfio* vitâ defuncto, iterum nupſit A. 1626. *Wilhelmo Zimmersheuſero*, Gymnaſii *Heilsbronnenſis* Collegæ & Muſicæ Directori. 2. *Annam Magdalenam Winshemii* A. 1600. natam, & A. 1620. *Neoſtadii* nuptam *Joh. Sebaſtiano Mylio*, Pharmacopœo *Onolsbacenſi*. 3. *Joh. Wolffgangum*, qui natus *Winsbemii* 17. Junii A. 1604. Cellarius poſteà factus *Oxenfurti* in *Franconiâ* A. 1633. ibidem deſponſatus eſt cum virgine *Barbarâ Pfrundiâ*. 4. *Catharinam Barbaram* A. 1606. *Windshemii* natam, & A. 1622. deſponſatam *Martino Heydenio*, Com. *Solmenſ. Cadolsburgi* præfecto. 5. *Joh. Hieronymum*, qui *Windsbemii* 22. Mart. A. 1610. natus, ibidem A. 1633. nuptias iniit cum *Mariâ Hägiâ*, *Leonharti Eiſenii*, Senatoris *Neoſtad.* viduâ, & an. ſeq. 1634. in pago *Ulſenhemio*, propè *Winshemium*, à *Croatis* ſclopeti globo trajectus obiit. 6. *Sabinam Minshemii* An. 1634. ætatis 22. peſte defunctam, tunc graſſante. 7. *Wolffgangum Philippum*, qui A. 1615. *Neoſtadii* natus, & militiæ addictus *Suecicæ*, in prælio ad *Pfaffenhofen* occubuit A. 1633. ætatis 18.

Nuptias celebrat Rotenburgi.

Liberi ejus.

Intereà dum praxin *Winshemii* fideliter exercuit, *Wolffgangus Jacobus* Comes à *Schwartzenberg*, *Georgius* item, *Wolffgangus*, & *Gotfridus*, Comites *Caſtellenſes*, Medicum eum ſibi delegerunt ordinarium, conſtituto ſalario.

Med. ordinar. Comitum à Schwartzenberg. & Caſtell.

A. 1612.

Medicus Neoſtadii. A. 1612. Cum *Winsbemio* relicto *Neoſtadium* ad *Ayſſum* cum familiâ ſuâ ſedem transtuliſſet, non modò Comites *Hohenloici*, Barones *Senſhemii* & *Pappenhemii* cum Nobilibus *Franciæ Orient.* plurimis, ſed etiam 1. Julii A. 1619. Illuſtriſſ. Princeps *Chriſtianus*, Marchio *Brandenburgicus*, *Fabritium* hunc Medicum & Archiatrum ſibi conſtituerunt. *Archiater Chriſtiani, March. Brandenburg.* A. 1618. *Neoſtadii* ſumtibus ſuis Officinam Pharmaceuticam erexit, Privilegio ſolenni à Principe ſuo donatam.

A. 1631. *Neoſtadii* à *Tillii* militibus exſpoliatus, & præ mœrore febri hecticâ correptus, æger anno ſeq. cum conjuge & liberis *Winsbemium* ſecuritatis causâ diſceſſit, ubi brevi pòſt cum dolore percepit, *Neoſtadii* oppidum à milite *Fridlandico* unà cum domo & Bibliothecâ ſuâ fuiſſe in cineres redactam. *Mor. Winsbemii.* Non multo pòſt beatâ morte vitam clauſit *Winsbemii* 27. Julii A. C. 1632. ætatis 67.

* *Ex Concione fun. Rochi Meiſteri, Concionat. Winsheim. & ex Parentationibus Fabritiorum Joh. Wolffgangi Fabritii, L. L. ſtud.*

Obiit A. C. 1632.

GREGORIUS QUECCIUS.

ALtorfii, Patre *Georgio Queccio*, in Academiâ Philoſ. Profeſſore publico A. C. 1596. natus, ibidemque Philoſ. Magiſter renuntiatus, *Baſilêæ* habitâ prius diſputatione inaugurali de variolis & morbillis Medicinæ Doctor creatus eſt 9. Aug. An. 1620. & 2. Dec. ſeq. unà cum D. *Joh. Georgio Fabricio* in Collegium Medicorum patriæ receptus eſt. *Med. Practicus Norimb.* Ibi cum praxin feliciter exercuiſſet, & per decennium xenodochio ad Spir. Sanctum Medicus ord. cum laude præfuiſſet, fluxu tandem dyſenteriæ epidemico maligno correptus & abreptus eſt 26. Sept. A. C. 1632. ætatis 36. *Moritur.*

* *Ex Actis manuſcriptis Collegii Med. Norimberg.*

Scripta: *Scripta.*

Anatomia Philologica, continens Diſcurſus de Nobilitate & Præſtantiâ Hominis, contrà iniquos conditionis humanæ æſtimatores.

Obiit A. C. 1632.

HIERONYMUS BESLERUS.

NOrimbergæ natus eſt 29. Sept. An. C. 1566. Patre *Michaële Beslero*, Theologo. *Baſilêæ* Med. Doctor creatus eſt poſt habitam Diſputationem inauguralem de Hydrope 29. Sept. A. 1592. *Medicinæ Doctor Baſilêæ.* In patriam reverſus, primus in Collegium medicum, auſpiciis D. *Joach. Camerarii* inchoatum anno prægreſſo, receptus eſt A. 1593. *Primus in Collegium Med. receptus Norimbergæ.* Ibi per 36. annos Viſitatoris Pharmacopoliorum perpetui munere, cum certo ſalario annuo fideliter functus eſt, in quo munere ſubſtitutus ipſi eſt D. *Hieronymus Viſcherus*, ſed ſine ſalario. Septies etiam Decanatûs Collegii medici Officium geſſit.

Febre tandem epidemicâ ſublatus, obiit in patriâ 22. Novemb. A. C. 1632. æt. 66. *Moritur.*

* *Ex libro Actor. Coll. Med. Norimberg.*

JOHANNES HENRICUS KIRCHBERGERUS.

Obiit A. C. 1632.

PAtriâ *Norimbergenſis*, *M. Joh. Andreæ Kirchbergeri*, Diaconi *Laurentiani* filius, cum in Academiâ *Altorfinâ* primùm aliquot annis, deindè per quadriennium *Patavii* Philoſ. & Med. operam dediſſet, *Baſilêæ* 4. Julii A. C. 1614. Medicinæ Doctor fuit renuntiatus, poſtquàm de Dyſenteriâ pro gradu diſputâſſet. *Medicinæ Doctor.* 9. Sept. ſeq. in Collegium patriæ Medicorum receptus, praxin fideliter exercuit usque ad 2. Dec. A. 1632. quo à febre peſtilenti oppreſſus, naturæ debitum ſolvit. *Practicus Norimb.* *Moritur.*

* *Ex manuſcriptis Marpurgenſibus.*

AMBROSIUS RHODIUS.

Obiit A. C. 1633.

KEmbergæ, municipio in *Saxoniâ Wittenbergæ* vicino in lucem prodiit 18. Aug. A. 1577. Patrem nactus Conſulem ejus loci *Ambroſium*: matrem *Mariam*, *Matthæi Wanckelii*, Superintendentis Eccleſiæ ejus filiam, *M. Bartholomæi Feldkirchii*, qui primus Sacerdotum poſt repurgatam à *Luthero* Eccleſiam uxorem duxit, neptem.

Doctus primas literas in Scholâ patriâ in illuſtrem ad *Moldam* Ludum traditus eſt, cum 14. annorum adoleſcens eſſet, ubi eo ſucceſſu ſtudiis invigilavit, ut anno quarto pòſt plenus Græcæ & Latinæ eruditionis in Academiam *Wittenbergenſem* ſe conferret. Ibi ſtipendio per Electorem clementer inſtructus, mathematicis cumprimis diſciplinis immoratus, medicinæ quoque ſtudiis operam dedit. *Stipendiarius Elect. Wittenb.*

Sed cum eo tempore *Tycho Brahêus*, Mathematicus ille celeberrimus, hominem per literas poſtularet, cujus operâ in obſervationibus, quibus incumbebat, uteretur, *Melchior Joſtelius*, Math. Prof. *Wittenberg.* ei autor & ſuaſor fuit, ne tam præclaram occaſionem conſulendi ſtudiis ſuis prætermitteret. *Tychonis Brahei Mathem. diſcipulus Pragæ.* Hujus obſecutus conſilio *Pragam* ire, & magno illi Aſtronomiæ inſtauratori addicere ſe ſtrenuè perrexit, cum Philoſ. Laureâ paulò ante eſſet ornatus. *Philoſophiæ Magiſter.*

Cum *Pragam* veniſſet, non modò *Brahêo* probavit ſe, ſed & *Johannem Keplerum* decus harum artium mirè ſibi devinxit.

Altero anno cum *Bohemiam*, *Moraviam*, & *Styriam* peragrâſſet, menſ. Sept. *Wittenbergam* rediit, privatasque ſcholas habere inſtituit. Altero anno poſt ab ordine philoſophico inter Adjunctos ejus Collegii adſcriptus, mox ab ipſo Electore collato ſtipendio extraordinariè Mathemata docere publicè juſſus eſt, quæ ordinariè demùm profiteri cœpit, cum *Matthias Anomæus*, Med. Doct. *Lintzium* ad capeſſendum Rectoratum ejus Gymnaſii diſceſſiſſet, quod An. 1609. menſ. Dec. accidit. *Profeſſor Mathem. Witt.* Seq. anno 1610. pro aſſumendo ſummo in medicinâ gradu de Cardialgiâ diſputavit, publicè, quem paulò pòſt cum Competitoribus duobus legitimè impetravit. *Medicinæ Doctor Wittenb.*

A. 1612. *Melchiore Joſtelio*, Med. Doct. & ſuperiorum Mathematum Profeſſore publ. mortuo ſuffectus eſt, quo anno & ad matrimonium applicuit animum, ductâ in uxorem virgine *Catharinâ*, *Johannis Zangeri*, J.C. & Anteceſſoris in Acad. *Wittenberg.* filiâ, ex quâ tamen multos reliquit liberos.

Deſponſatur.

Aquam *Rhodiam* primus legit, & in urbem *Wittenbergam* duxit magno labore, nec minore ſumtu, quæ non ſine oblivione atteri ejus nomen quamdiu uſibus civitatis inſerviret.

Aquam Rhodiam in urbem Wittenb. duxit.

Rectoratum adminiſtravit bis, primum an. 1616. à 1. Maji in Octobrem usq;, alterum A. 1630. Sed quia qui ei ſuffectus poſt primum erat *Leonhartus Hutterus* paulò poſt vitâ cederet, redierunt ad eum faſces Academiæ, donec dignitas ea ad alium poſſit devolvi. Decanatu Collegii philoſ. ſexies functus eſt, ſemel Adiunctus ejus Ordinis, quinquies legitimus Profeſſor.

26. Aug. A. 1633. die Saturni cum à prandio ſe in Muſæum ſuum recepiſſet, ut paulò poſt in Eccleſiam pergeret; & factâ confeſſione peccatorum veniam impetraret, apoplexiâ correptus eſt tam vehementi, ut optimis medicamentis fruſtrà adhibitis ſub horam ſeptimam veſpertinam animam exhalaret, cœlumque invaderet, quod tantâ anteà diligentiâ ſcrutatus & emenſus erat, anno ætatis 56.

Moritur apoplexiâ ſerti.

Poſteritati reliquit:

Scripta.

Euclidem illuſtratum & explicatum. Opticen. Tractatum de Crepuſculis: de Cometâ, qui A. 1618. conſpectus eſt.

* *Ex Programm. fun. Auguſti Buchneri.*

AMBROSIUS RHODIUS.

Per anagramma:

Io! Muſis das robur.

LUDOVICUS SEPTALIUS.

Obiit A. C. 1633.

Patriâ *Mediolanenſis*, natus 27. Febr. An. C. 1550. Patre *Franciſco Septalio*, Matre *Juliâ Ripâ*, avi paterni *Ludovici Septalii*, & materni *Joh. Franciſci Ripæ*, ſummorum ejus ævi Juriſconſultorum ſemitas inſequens literarum ſe cultui vel primis annis totum devovit, naturâ ſic adblandiente, ut an. æt. 16. phyſici curriculi jam emenſi Theſes primus in Patrum Jeſu illic vix invectorum gymnaſio, præſente *Carolo Borromæo*, Cardinale, ſuſtentârit.

Porrò moroſas Juriſperitorum pertæſus altercationes, cum pacifero medicinæ ſtudio *Ticini* ſe dediderit, vix adeptâ laureâ Doctorali an. æt. 21. mox etiam anno æt. 23. medicinæ inibi docendæ extra ordinem munere decoratus eſt, quod quadriennio obitum rejecit, ſplendidiora in urbe maximâ fortunæ invitamenta ſectatus. Ibi expanſo ab ſe variorum Operum editorum penu Catholici Regis Majeſtatem nominis fulgore pellexit, ut in Regium Hiſtoriographum eum eligeret, per Gubernatorem *Mediolanenſem*, cui tamen ſe oneri aliarum rerum intuitu humanâque magni Cancellarii *Salazari* interceſſione ſubtraxit. Converſus etenim ad Scientiarum apices, politica & moralia ſuſcepit explicandi provinciam in ſcholis Canobianis *Mediolani*, quod munus docendi per totam vitam fideliter obivit.

Ticini Magiſter Philoſ. & Med. Profeſſor.

Practicus felix.

Interim verò medico inceſſanter addictus negotio, verè unus *Galeni* & *Hippocratis* ritu præſentaneis humano generi præſidiis conſulere cenſebatur. Undique vel ex *Italiâ*, vel ex *Germaniâ*, cœteriſque regionibus plurimi ſalutis ſuæ oracula ex eo ſuſcitatum accedebant.

Profeſſor Med. varia recuſat.

Ita *Bavariæ Hetruriæque* Duces, & *Bononiæ* Reguli, ac internuntii, ſæpius ad proprias ipſum Academias accerſitum, præmiis ſupra ſeculi morem maximis obſtringere conati ſunt. *Venetorum* quoque Reſpubl. ad primæ Cathedræ in Academiâ *Patavinâ* Lectionem invitavit eum.

Cœterùm à cunctorum illecebris prædulcis ille retraxit natalis amor ſoli, cujus vini inſitam ſolâ quilibet experitur abſentiâ. Ac prætereà cum Sapientiæ plauſu in tantâ verſaretur *Inſubriæ* luce, non erat, cur externis in laribus affectaret argumenta ſplendoris, inſigni præſertim ſtipatus filiorum comitatu pater factus, ex conjuge *Angelâ Aronâ*, nobili *Mediolanenſi*, 16. liberorum, ſuperſtitum ex iis maſculorum ſeptem, ac fœminarum ſex, quarum inſtituendarum nullibi commodior, quàm in patriâ quærenda erat occaſio.

Communem hunc & Principum & literatorum conceptum ſuo etiam nutu approbare geſtiens, *Philippus IV.* Rex *Hiſp.* ampliſſimo ipſum diplomate A. 1628. Protophyſici Generalis in ſtatu *Mediolanenſi* excellâ dignitate donavit. Sed parùm abfuit, quin mors ipſum altero fermè anno ſurrepſerit, dum invectâ *Mediolani* peſte in duabus corporis partibus ſauciatus eſt, quibus nec firmiter convaleſcens correptus eſt apoplexiæ morbo, demtâ voce ac medii corporis motu.

Protophyſicus Mediolan.

Evaſit autem optimi temperamenti vigore, ſed quadriennio duntaxat hâc naturæ victoriâ lætatus eſt, in Canicularem quippe febrem ac lienteriam incidens, octuagenario major 12. Sept. obiit A. C. 1633. In æde S. *Nazarii* tumulo illatus *Mediolani*.

Apoplexiam evadens;

Moritur lienteriâ.

Fuit excelſo prævalido aptéque conſtituto corpore, facie gravi ac roſeâ, crinibus ſubnigris, prælongâ barbâ primùm fulvâ, mox admodùm canâ, ore autem hilari, facundiâ ſingulari, morum facilitate omnium ſibi animos conciliante, quare continuis exterorum ipſum inviſentium officiis appetebatur.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieron. Ghilini.*

Scripta:

Scripta.

Commentaria in Hipp. de aëre, aquis, & locis: in Problemata Ariſtotelis tribus voluminibus diſtincta. Cautionum & animadverſionum Medicarum Lib. IX. Cautiones ad vulnera curanda,

randa, & ad componenda Pharmaca. De Nævis opuſculum. De Margaritis nuper ex Indiâ ad nos allatis judicium. De peſte & peſtiferis affectibus Libri V. De morbo Gallico. Animaſticarum & Analyticarum Diſceptationum Libri II. De ratione Statûs. De ratione inſtituendæ & gubernandæ familiæ Libri IV. Una letteranella quale ſpiega la cauſa perche la feſta di Paſqua non ſia ferma & ſtabile come l' altere. Politicorum Libri VII. Italicè conſcripti, cum titulo, Della ragione di Stato. De morbis ex mucronatâ cartilagine Liber.

Superſunt excudenda:

Volumen ſolutionum apparentium Contradictionum Hipp. & Galeni. Duo Volumina Commentarior. in Politicam & Moralem Ariſtotelis. Conſiliorum Medicinalium Libri II. Diſcuſſionum Peripateticarum Liber. De Riſu opuſculum. Epiſtolarum familiarium Volumen.

GUILIELMUS FABRICIUS HILDANUS.

Obiit A.C. 1634.

NAtus eſt 25. Junii A.C. 1560.

Chirurgus Lauſanne. Chirurgus celeberrimus, *Georgii Friderici*, Marchionis *Badenſis* Medico-Chirurgus. 27. Julii A. 1586. primò *Lauſannam* venit, & praxin Chirurgicam ibi feliciter exercuit. *& Bernæ.* An. 1615. *Lauſannâ Bernam Helvetiorum* à Senatu vocatus, cum familiâ ſuâ conceſſit. An. 1601. *Lauſannæ* corporis virilis Anatomiam publicè adminiſtravit.

Doloribus podagricis diu obnoxius & ſesquianno ab illis immunis, aſthmate tandem confectus, obiit *Bernæ* 14. Febr. An. C. 1634. ætatis 74. *Moritur aſthmate.*

Guilielmus Fabricius Hildanus,
per anagramma, omiſſo H.
Libris vigil laude munus facit.
Guilielmus Fabricius,
per anagramma:
E libris fac uſum vigil.

Scripta:

Scripta. *Obſervationum & Curationum Med. Chirurgicar. Centur. V. De Monſtro Lauſannæ exciſo. Tractat. de Gangrænâ & Sphacelo. Tract. de Dyſenteriâ. Lithotomia veſicæ* Bericht vom Blaſenſtein, Geiſtliche Lieder und Geſänge / in vielen Wiederwärtigkeiten tröſtlich zu ſingen. *Conſilium, in quo de conſervandâ valetudine, de Thermis Valleſianis, & de Acidulis Greisbacenſibus agitur. De vulnere quodam graviſſimo & periculoſo ictu ſclopeti inflicto Obſervatio & Curatio ſingularis. Anatomiæ præſtantia & utilitas, Germ.* Chriſtlicher Schlafftrunk. *De combuſtionibus, quæ oleo, aquâ fervente, & quâvis aliâ materiâ ignitâ fiunt.*

Caſp. Cunradus M. D. Proſopographiæ ſuæ Melicæ Millenar. I. hoc eum honoravit diſticho:

Hic Chiron novus eſt, dans obſervata medenti,
Quæq; liganda docens vulnera, quæq; manu.

AURELIUS BUSSOLUS.

Obiit A.C. 1635.

Medicinæ Profeſſor Ticini. TIcini, urbe Duc. *Mediol.* natus ex nobili familiâ, Philoſophus & Medicus inſignis, cum in Collegium Medicorum *Ticini* receptus, per 28. annos in Academiâ medicinam profeſſus eſt, à Senatu tandem *Mediolanenſi* primariam practicæ ordinariæ Lecturam obtinuit. Vir pietate & charitate erga pauperes clarus, *Papiæ* 10. annis continuis Monachos *Franciſcanos* minores in monaſterio S. *Crucis*, & *Cappucinos* ad S. *Antonium Patavii* ſine ullâ mercede curavit, ſi medicâ ope indigerent. In patriâ tandem ad meliorem vitam abiit menſ. Jan. An. C. 1635. In Templo S. *Crucis* conditus. *Moritur.*

Scripta:

Scripta. *Prælectiones practicæ in 3. libros diviſæ, quorum primus eſt de recto uſu præſidiorum in febribus putridis, alter de purgatione, tertius de venæſectione in Avicennam. Tractatus de Hirudinibus: de modo conſultandi in febribus putridis.*

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieronymi Ghilini.*

TOBIAS TAUFRERUS.

Obiit A.C. 1635.

PAtriâ *Labacenſis Carniolanus*, *Johannis Taufreri*, Theol. Doct. & Prof. *Argentinenſis* frater, A.C. 1591. natus, & Med. Doctor *Patavii* 1625. renuntiatus, & 14. die Martii A. 1626. *Norimbergæ* in Collegium medicum cooptatus, praxin in eâ urbe felicem exercuit. *Medicus Norimbergenſis.* Tandem apoplexiâ vel catarrho potius ſuffocativo ſubitò extinctus, in Chriſto obdormivit 6. April. A. C. 1635. ætatis 44. *Moritur.*

* *Ex Actis manuſcriptis Collegii Med. Norimberg.*

GREGORIUS HORSTIUS Pater.

Obiit A.C. 1636.

TOrgæ ad *Albim*, in *Miſniâ* oppido, natus eſt A.C. 1578. Patre *Georgio Horſtio*, Senatore & Ædili *Torgenſi*: Matre *Annâ*, *Jacobi Boruitii*, Civis *Torgenſis* primarii filiâ.

Studioſus in Gymnaſio Gotting. Cum literarum rudimenta in Ludo patrio hauſiſſet, parentes illum ad Gymnaſium *Göttingenſe* ablegarunt an. 1691, ubi biennio verſatus, ad ſcholam *Halberſtadienſem* mittitur, fideique patrui ſui concreditur, cujus promotione & ſuaſu in Collegium *Ilfeldenſe* cooptatur, ubi Linguarum principum Græcæ & Latinæ, nec minus poëſeos hauſit opes.

Hinc A. 1597. in Academiam *Juliam*, quæ *Helmſtadii* eſt, conceſſit, ubi cum ſtudio philoſophico & medico quadriennii ferè ſpatio dediſſet operam, An. 1600. *Wittenbergam* fauſto pede adivit, ubi Laureâ Magiſterii decoratus, mox Collegia philoſophica ſtudioſis aperuit, & medicinæ ſtudio totus incubuit. *Philoſophiæ Magiſter Wittenb.* A. 1604. praxeos medicæ ſtimulo impulſus, *Wittenbergâ* in *Auſtriam* excurrit, in quâ non minus apud Barones & Nobiles, quàm plebejos praxin medicam per biennium feliciter exercuit. *Practicus Med. in Auſtriâ.* Hinc per *Bavariam*, *Sueviam*, *Alſatiam*, & *Helvetiam* excurſione factâ, tandem in celebrem illam *Rauracorum* Academiam *Baſiléam* ſe recepit, in quâ 28. Martii A. 1606. ſummos in arte medicâ honores Doctorales retulit. *Medicinæ Doctor Baſileæ.*

In pa-

Profeſſor Medicinæ Witteb. Med. ord. Soltquellæ.

In patriam reverſus, mox ab Elect. *Sax. Chriſtiano II. Wittenbergam* in Profeſſorum Medicorum numerum allectus eſt. A. 1607. *Soltquellam* veteris *Marchiæ Brandenburgicæ* vocatus, Medici ordinarii munus ibi præclarè ſuſtinuit.

Medicinæ Profeſſor Gieſſæ.

Hinc anno ſeq. 1608. ab *Haſſiæ Landgravio Ludovico* in Academiam *Gieſſenſem* recens erectam, ad medicinæ profeſſionem vocatus, partes Medici Profeſſoris indefeſſi tam voce quàm calamo executus eſt.

Archiater Haſſ.

A. 1609. eundem Archiatrum ſuum Princeps *Haſſiæ* celſiſſimus conſtituit, eumque comitem ſibi adſcivit in itineribus *Pragam, Coloniam, Erfordiam*, & ad Comitia *Ratisbonenſia* inſtitutis.

Conjugem duxit.

A. 1515. Conjugem ſibi elegit virginem *Hedwigen, Danielis Stammii*, Quæſtoris *Gieſſenſis* filiam, ex quâ ſuſcepit & ſuperſtites reliquit 4. filios *Joh. Danielem, Joh. Georgium, Balthaſarem, & Gregorium*, cum duabus filiabus *Annâ, & Catharinâ*. Ex filiis tres medicæ arti operam dedére, quartus *Balthaſar* arti pharmacevticæ ſeſe addixit.

Medicus primar. & Director Collegii Ulmæ.

An. 1622. Vocatus à Senatu *Ulmenſi* D. *Laurentio Walthero Kuchlino*, Medico illius Reip. primario & Directori Collegii medici legitimè ſucceſſit, eamque Provinciam 14. annos cum laude adminiſtravit. Hic eum ſe præſtitit, ut intra urbem ſummis & infimis, extra toti *Franconiæ, Bavariæ, Norico* nomine *Horſtiano* nihil prædicatum fuerit nobilius.

Practicus prudens.

In forum practicum progreſſus, primùm notis ſuis affectu affectique temperie probè cognitis prognoſeos ex fonte prudenter de eventu ſtatuit, tempeſtivè convenientia egit, remque ſic totam geſſit, ne quid committeret, quod officio boni Medici repugnare, cujusque non rationem dare poſſet cenſori ſuo domeſtico & animæ pædagogo conſcientiæ.

Alteram conjugem duxit.

Cum autem A. 1634. Conjugem ejus ſuaviſſimam maligna febris abripuiſſet, An. 1635. ad vota ſecunda accedens, *Johannam Rabuſſiam*, D. *Chriſtophori Fingedini*, Medici *Ulmenſis* viduam conjugali fœdere ſibi conjunxit, quam tamen ſterilem reliquit.

Valetudinarius.

Nam anno ſeq. malo arthritico, quod ſæpiùs ante fortiter ſuſtinendo repulerat, correptus, accedentibus aliis ſymptomatibus, vigiliis, dolore nephritico, hæmorrhagiâ per nares & per veſicam confertâ, imprimis verò anorexiâ, vires vitales paulatim & naturales deficere cœperunt, animalibus integris manentibus, & Divinis & humanis cogitandi enunciandisque ad ultimum vitæ halitum ſufficeret. Succubuit nihilominùs, & placidè animam Creatori reddidit 9. Aug. A.C. 1636. ætatis 58.

* *Ex Concione fun. M. Johannis Meckelii, Concionat. primarii, & ex Oratione fun. Joh. Daniel. Dieterici, Med. Doct.*

Scripta:

Scripta.

Tract. de ſanitate ſtudioſorum tuendâ: de Lue Ungaricâ, de dyſenteriâ: de variolis & morbillis. De cruentatione cadaverum: de ſcorbuto idiomate Germ. Diſſertationes tres; De cauſis ſimilitudinis & diſſimilitudinis in fœtu: de naturâ amoris: de naturâ thermarum. Decas obſervationum pharmaceuticarum. Decas problematum medicarum. Obſervationum medicinalium Libri II. Conſultationum & Epiſtolarum medicinalium Libri IV. De naturâ humanâ Libri II. Exercitationes de humano corpore & animâ. Diſputationes med. XX. continentes univerſæ Medicinæ delineationem. De morbis eorumq; cauſis ac ſymptomatibus. Inſtitutiones Phyſicæ. Inſtitutionum Medicinæ Compendium. Herbarium de plantis ſelectis & radicibus.

DAVID HERLICIUS.

Obiit A.C. 1636.

IN *Cizio, Miſnia* civitate, miſſus eſt in hanc lucem 28. Dec. An. C. 1557. Patre *Andreâ Herlicio*, Senatore & Camerario ibidem, Matre *Suſannâ, Balthaſ. Hantmanni*, Conſulis in opp. *Weidâ Voitlandiæ* filiâ. Fratres habuit *Eliam*, Muſicum Organicum per annos 23. *Stralſundii* in *Pomeraniâ*, ubi obiit 6. Febr. A. 1615. & *Andream*, qui cum ibidem ſcholæ Cantorem 32. annis egiſſet, vitam finiit 23. Sept. A. 1623.

Weydæ in Voitlandia ſtudia tract.

Bonas literas cum pietatis fundamento in ſcholâ patriâ hauſit, & cum Pater ejus plures liberos nec opes adeò amplas haberet, agnati matris delectati præclarâ ejus indole, eum *Saliceti* vel *Weyde* in *Voitlandia* liberaliter foverunt, ubi in ludo literario Latinas Græcasque literas imbibit, & ſpontè ad poëſin ac muſicam exercendam ſe dedit: à quo utroque ſtudio etiam poſteà in Academiis, quoties aliquâ inopiâ laborabat, fructûs non pœnitendos percepit.

Studioſus Med. & Math. Witteb.

Lipſiæ.

Poſt deguſtatas diſciplinas ſcholaſticas Academiam *Wittenbergenſem* ſedem ſuam & ſtudiorum alumnam elegit, eoque abiit ad audiendum D. *Caſp. Peucerum*, Med. Prof. qui cum paulò pòſt ad carcerem fuiſſet damnatus & abductus, *Lipſiam* conceſſit, ubi magis aptus ſtudiorum amœnitate Medicorum imprimis & Mathematicorum, M. *Steinmetzium*, profitentem præ cœteris diligenter audivit: aliquoties etiam publicè ſpecimen aliquod ſuorum profectuum declarando in Cathedrâ & diſputando dedit: & quia cum philologico ſtudio philoſophicum ſeriò conjungebat, per Phyſicam atque cognitionem rei herbariæ & anatomicæ ad excolendam quoq; medicinam fuit ductus.

Matrem à dolore dentium liberans, praxin ordiiur.

Rediens autem domum, defuncto jam parente, matrem invenit ſuam doloribus dentium graviter laborantem, cui pilulas ex ſem. apii, hyoſcyami & opii pauxillo aceto ſubactas paravit, unamque earum in cavitate dentium detineri juſſit, quo felici experimento ſtatim ea dolore liberata eſt, & *Herlicius* egregium ſpecimen ſuorum profectuum in Medicinâ dedit.

Studiorum gratiâ porrò *Roſtochium* ſe contulit: ibi etiam Profeſſores ſibi propitios ob morum elegantiam & ſingularem doctrinam expertus eſt, [illegible] eorum ope impetravit in magnâ ſtud[illegible]rum frequentiâ

privo-

Digitized by Google


DAVID HERLICIUS.
Medicus Lubecenſis.
DANIEL SENNERTUS
Medicinæ Prof. Witteb.
OVIDIUS MONTALBAN,
Medicus Bononienſis.
GREGORIUS NYMANN,
Medicinæ Prof. Witteb.
CONRADUS MATTHÆ,
Medicinæ Prof. Gröning.
IOHAN: FREITAGIUS
Medicinæ Prof. Gröning.
IOACHIM, CAMERARI, fil.
Medicus Noribergenſis.
ZACUTUS LUSITANUS
Medicus Amſtelodamenſis.
HENRICUS WELMANN,
Medicinæ Prof. Gröning.
IOHANNES ROSA.
Medicus Ratisbonenſis.
VITUS GERTNERUS.
Medicus Noribergenſis.
PETRUS MULERIUS.
Medicinæ Prof. Gröning
CASPAR HOFMANNUS
Medicinæ Prof. Altdorf.
GEORGIUS NOESSLER
Medicinæ Prof. Altdorf.
CHRISTIAN, PERIZONI,
Medicinæ Prof. Gröning.
IOHANNES BORGESIUS
Medicinæ Prof. Groning

Philoſophiæ Magiſter Roſtochii.

privatim docendi licentiam, & titulum etiam Magiſtri in Philoſophiâ publicâ inauguratione ſumendi.

Hoc gradu ornatus & alios in Poëſi, Humanioribus literis, Philoſophiâ, & Matheſi erudiendo ſibi ipſi & ſumptibus, qui poſt obitum Patris à matre parcius ſuppeditabantur, conſuluit. Et cum induſtria ejus in docendo paſſim innoteſceret, ab Illuſtr. Duce *Megapolitano Ulrico* A. 1580. ad Conrectoratum Scholæ *Guſtrovienſis* ab Academiâ *Roſtoch.* evocatus eſt, quam ſpartam per biennium ornavit, & quicquid temporis extraordinarii lucrari potuit, Aſtrologico ſtudio, conſtructioni & judicio geniturarum tribuit, & inſuper ad Medicinam factitandam ſe applicuit.

Conrector Scholæ Guſtrovienſis. *Aſtrologus.*

Phyſicus Anclamenſis, ibi primum Calendarium publicavit.

Elapſo ferè biennio oblata eſt ei conditio obeundi phyſicatum *Primislavienſem* in *Marchiâ*, A. 1583. alia eum vocatio ad Phyſicatum *Anclamenſem* pertraxit, ubi medicinam faciendo ægris inſervivit, & A. 1584. primum ſuum Calendarium, & Prognoſticon de mutationibus auræ & tempeſtatum publicavit, quod magno hominum applauſu ſtatim exceptum fuit.

Math. Profeſſor Gryphiswald.

Hinc cum ſingularis ejus peritia in Mathematicis diſciplinis per *Pomeraniam* clarere inciperet, autoritate Dom. *Erneſti Ludovici*, Principis *Pomeranorum Wolgaſtenſis*, defuncto Mathematico in *Gryphiswaldenſi* Academiâ, accedentibus Dn. Profeſſorum ibid. ſuffragiis, A. 1585. menſ. Oct. ſucceſſit.

In hâc Univerſitate plus otii nactus, multa utilia & jucunda in Mathematicis, Phyſicis, Medicis, Logicis, & Poëſi publicè docere & privatim ſcribere cœpit, & per 13. annos publicè docuit.

Conjugium iniit.

A. 1593. In matrimonium accepit honeſtam virginem *Reginam Hungers*, primarii civis *Primislavienſis* filiam, cum quâ tamen non adeò concorditer per 17. annos, & ſine fructu matrimonii vixit. Quamvis autem nihil magis optâſſet, quàm in Academiis conſeneſcere, ſupremo Numini tamen aliter placuit, quod eum A. 1598. ordinariâ vocatione & liberali ſtipendio ad Phyſicatum *Stargardienſem* in *Pomeraniâ* accerſivit.

Phyſicus Stargardiæ.

Medicinæ Doctor creatus.

Sed proximo anno antequàm *Gryphiswaldiâ* abiret, Academicum Rectoris Magnifici munus ſuſtinuit, & peractis peragendis Medicinæ Doctor ſolenniter renunciatus eſt, D. *Chriſtiano Calenio* Promotore & D. *Jacobo Seidelio* Examinatore.

Stargardiæ non ſolùm officio ſuo fideliter medendo ægris & Pharmacopolia reformando per 8. annos præfuit, ſed & Prognoſtica annua de ſtatu aëris ſummâ cum fide in uſum *Pomeraniæ* quotannis per 52. annos continuavit: qui labor progreſſu annorum in tantam lucem venit, ut non tantùm à *Germanis* in ſuo idiomate expetitus, ſed etiam ab exteris in *Latinam*, *Bohemicam*, *Polonicam* & *Suecicam* linguam translatus fuerit.

Prognoſtica ejus annua in varias linguas translata fuere.

Phyſicus Lubecenſis.

A. 1606. Reſpubl. *Lubecenſis* eum Phyſicum ſuum elegit, & honeſto propoſito ſalario ad ſe invitavit, quò mox cum conjuge & ſupellectile conceſſit. Ibi in amplâ praxi medicâ multa admiranda in curandis morbis obſervavit, quæ forſan poſt obitum ipſius publicam lucem vidiſſent, niſi poſteà in *Stargardienſi* conflagratione cum omnibus ejus libris & manuſcriptis periiſſent.

Honeſtum otium quærens, rediit Stargardiam.

Iterum nupſit.

Sed defatigatus iſtic plurimis negotiis honeſtum otium ſibi quærens, A. 1614. *Lubecâ* rurſus *Stargardiam* cum familiâ ſe contulit. Hic A. 1615. defunctâ priore conjuge virginem *Urſulam*, *Jacobi Fahrmanni*, Archidiaconi *Stargardienſis*, filiam in ſecundi conjugii conſuetudinem aſciverat, quam ſterilem quoque viduam reliquit.

Diverſæ ſæpè Nationes ad eum confluebant, & ob multa experimenta nominisque celebritatem judicium de ſuis genituris ab eo poſcebant, *Germani* & externi, præſertim *Bohemi* & *Poloni*, quorum liberalitatem præ cœteris prædicabat: nunquàm autem illis Genethliacum ſuum adornare volebat, qui ſine cognitâ nativitatis horâ eum accedebant, maluitque dignitati artis quàm turpi lucro conſulere.

Chiromantiam ſprevit.

Chiromantiam parvi æſtimabat: nam lineis frontis & maximè manuum nihil incertius & mutabilius, quaſdam enim obliterari, deleri, prolongari, decurtari, item profundiores, interdum eminentiores, multas quoque novas figuras, ut cruces, circulos, ſtellulas, puncta, in manibus exiſtere, longâ experientiâ didicerat.

Senex vegetus.

Ætate ingraveſcente nullum virium, ingenii, & corporis ſenſit decrementum, niſi quod oculi fierent hebetiores, judicium autem eò erat acrius.

Bibliothecam incendio amiſit.

Moritur paralyſi.

Cum 7. Octob. An. 1635. per publicum *Stargardiæ* incendium brevi cum Bibliothecâ omnibus aliis bonis fuiſſet exutus, ab eo tempore virium defectum & levem quandam paralyſin ſenſit, & tandem vitam hanc miſeram reliquit 15. Aug. A.C. 1636. ætatis 79.

Scripta:

Scripta.

Calendarium Hiſtoricum. De Regno Turcico. De Academiis totius mundi. De raptu Pauli in tertium Cœlum. Diſputationes de Meteoris, de maculis Lunæ, de pluviis ſanguineis, de ſternutatione, de Salivâ, de Lachrymis & Riſu. Diſcurſus Hiſtorico Phyſicus de Iride Lunari. De Eclipſibus Solaribus. De diſtantiis Locorum. De mutationibus Imperiorum. De magnis Conjunctionibus Planetarum. Opus magnum de triplici Calendario Eccleſiaſtico, Aſtronomico, & Aſtrologico, quod conſcribere cœpit, in communi Civitatis Stargardienſis flammâ conflagravit. De Dyſenteriâ Germ. De Curationibus gravidar. puerperar. & infantum Germ. Bedencken und getreuer Rath zur Zeit regierender Peſt. *Diſcours* von Theurung und Hungers-Noth. *Commentar. in Lib. I. Metamorphoſ. Ovidii. Volumen Carminum variorum. Oratio in Funere Barnimi XI. Ducis Pomeraniæ. Orationes in Acad. Gryphiswald. recitatæ.*

* *Ex Concione fun. M. Friderici Crugeri; & ex Epiſtolâ D. Laurentii Eichſtadii ad David. Rhetium, Typogr. Stetin.*

Caſp. Cunradus Med. D. in Millenar. I. Proſopographiæ Melicæ hoc ei ſcripſit diſtichon:
Es bonus Aſtronomus, Medicusq; bonusq; Poëta:
Delebunt famam ſecula nulla tuam.

DANIEL SENNERTUS.

Obiit A.C. 1637.

EDitus in lucem eſt 25. Nov. An. 1572. *Uratislaviæ, Sileſ.* metropoli. Patrem habuit *Nicolaum Sennertum*, Calcearium & civem honeſtum, quem octogenarium ipſe puer tredecennis amiſit: Matrem habuit *Catharinam Helmaniam*, ex oppido *Zotten*, ad radices montis *Zabothi* ſito.

Filius Calcearii.

In literas naturæ quodam impetu proclivis, contentus diſciplinâ publicâ, nulli unquàm privato magiſtro operam dedit.

Cum eos in patriâ feciſſet profectûs, ut ſtudia Academica cum fructu poſſet auſpicari, *Wittenbergam* à matre miſſus eſt An. 1593. Ibi literis & philoſophicis præcipuè diſciplinis incubuit eo ſucceſſu, ut an. quinto pòſt 1598. ſub Decanatu M. *Laurentii Fabritii*, Prof. ling. Hebrææ inter 58. Candidatos quartus ipſe Magiſter liberalium artium crearetur.

Philoſophiæ Magiſter Witteb.

Abindè ad Medicinæ ſtudium ſe totum applicuit, in quo brevi tempore ita profecit, ut jam eum promittere videretur virum, quem poſtmodùm eruditus orbis admiratus eſt.

Intereà *Lipſienſem, Jenenſem, & Francofurtanam ad Viadrum* Academias adiit, ut in ſtudii Medici curſu proficeret. Ideò *Berolinum* quoque ſe contulit, ut Medicis experientiſſimis ſeſe adjungeret, & ipſe medicinam facere aggrederetur.

Quamobrem poſteà *Baſiléam* cogitabat, ut aſſumto gradu rediret in patriam. Sed amicorum literis *Wittenbergam* revocatus, inprimis *Joh. Georgio Magno*, Med. D. & Practico *Berolinenſi* paruit, & eò profectus, 10. Sept. A. 1601. Doctorali honore ornatus eſt, cum 3. Julii ante pro conſequendâ licentiâ diſputâſſet.

Medicinæ Doctor Witt.

Paulò pòſt cum *Johannes Jeſſenius* ſponte ſe Profeſſoris munere abdicaret, ejus locum ut ambiret *Sennertus* in patriam reverti cupidus, tum plures ex Profeſſoribus, tum ipſe *Jeſſenius* adhortabantur. Sic factum, ut Sereniſſ. Electoris conſenſu, cui à D. *Jeſſenio* commendatus fuerat, in Medicorum ordinem receptus fuerit 15. Sept. A. 1602. à quo tempore *Wittenbergæ* publicè docuit, & libros egregios magno numero edidit, quos non *Galli* modò & *Belgæ* cum *Germanis*, ſed & *Itali* admirati ſunt. Quibus egregium colophonem addidit, evulgato tandem de benè vivendi beatèque moriendi ratione libello egregio.

Medicinæ Profeſſor Witt.

Chymiam primus in Academiam *Wittenberg.* introduxit, cujus quantus eſſet abuſus, quamvis non ignoraret, non tamen artem nobiliſſimam amplius jacere fas eſſe exiſtimavit.

Chymiæ cultor.

Nemini ejus non patuêre fores, & omnes accedentes comiter exceptos conſilio juxta & ope medicâ juvit, parum ſolicitus, quid ſibi mercedis aut lucri indè ſperandum. Undè ſummam conſecutus eſt laudem, ob quam excitus aliquando Illuſtriſſ. Dom. *Nicolaus Sopicha*, Ducatûs *Lithuaniæ* ſupremus Vexillifer ex ultimâ fermè *Poloniâ*, itinere ſupra 100. milliaria peracto, morbi deſperati genere, & cui curando fruſtra anteà Medicos *Patavinos* ſolicitaverat, laborans, tanquàm ad ſacram anchoram, *Wittenbergam* venit, & poſt aliquot menſes meliori reſtitutus valetudini, iterum diſceſſit.

Medicus gratuitus lucri oſor.

A. 1628. Elector *Sax. Wittenbergam* veniens, in morbum incidit, cui curando *Sennertus* adhibitus Electorem deportatum *Torgam* comitatus eſt, ab eoque paulò pòſt reſtituto inter Cubicularios Medicos aſcriptus eſt. Decanatum Collegii Med. quamplurimis vicibus, Academiæ Rectoratum ſexies ſine exemplo geſſit.

Medicus Cubicular. Electoris Sax.

Uxores habuit tres, quarum primam *Margaretham, Andreæ Schatonis*, Med. Doct. & Profeſſoris ejusdemque Collegii Senioris filiam, 25. Febr. A. 1603. virginem duxit. Alteram *Helenam, Gregorii Baueri*, Med. D. filiam, viduam *Hieronymi Troſtii*, Civis *Dresdenſis*, & hoſpitis ad Aquilam nigram, 22. Aug. A. 1626. hoc eſt, ſecundo poſt prioris conjugis deceſſum, *Dresdæ* ſibi junxit. Tertiam domum duxit *Margaretham, Johannis Crameri*, S. Theol. Licentiati, & Illuſtr. *Sax.* Ducum *Altenburgi* Concionatoris aulici viduam, nuptiarum ſolennibus *Wittenbergæ* A. 1633. celebratis.

Tria ejus Conjugia.

Liberos 7. ſed omnes ex primâ ſuſcepit, filios 5. & 2. filias: reliquit tres M. *Andream*, S. Theol. Candidatum, & facult. Philoſ. adjunctum, cum *Michaële*, Med. ſtudioſo, & *Margaretham*, quæ D. *Laurentio Babſt*, Medico Electorali nupſit. Cœteri parvi, aut vix egreſſi puerilem ætatem defuncti ſunt, præter maximum natu M. *Danielem*, qui A. 1631. *Patavii* in illuſtri *Venetorum* Academiâ, ubi Medicinæ navabat operam, inclytæ Nationis *Germanorum* Facult. Artiſticæ Conſiliarius mortalitatem, cum annum ætatis 28. ageret, explevit.

Filii ejus tres.

Tandem cum paucis diebus ægrotâſſet, & ſæpiùs *O Domine! ô Domine!* ſublatis in cœlum oculis inclamâſſet, inter preces & hymnos aſſidentium exſpiravit 22. Julii A. C. 1637. ætat. 65. Sepulturæ mandatus in Templo Arcis Academico, poſt finitam Concionem funebrem in Templo oppidi.

Mor. inter preces & hymnos.

Semper ingenium modeſtum remotumque ab omni ambitione ac faſtu deprehenſum in eo fuit, ut ex veſtitu non potuerit agnoſci, qualis vir fuit, immortalitate dignus, quam ſcriptis eruditis in lucem emiſſis conſecutus eſt ſequentibus:

Superbiæ oſor.

Hypomnemata Phyſica de rerum naturalium Principiis, occultis qualitatibus, de Atomis & Miſtione, de generatione viventium, & de ſpontaneo viventium ortu, in 8vo. Epitome Naturalis Scientiæ, in 8vo. Auctarium Epitomes Phyſicæ.

Scripta.

Phyſicæ. in 8vo. Inſtitutiones Medicinæ ter locupletiores editæ. in 4to. De Febribus libri quatuor. in 8vo. De Fermentatione Platonicâ Epiſtola. in 8vo. Epitome Inſtitutionum Medicinæ, & Lib. de Febribus. in 12mo. Paralipomena cum præmiſſâ methodo diſcendi medicinam, in 8vo. Tractatus poſthumus. Quæſtionum medicarum controverſarum Liber, in 8vo. cui acceſſit Tractatus de peſtilentiâ. Liber de Chymicorum cum Ariſtotelicis & Galenicis conſenſu ac diſſenſu. in 4to. Practicæ medicinæ Libri VI. in 4to. Meditationes de benè vivendi beatéq; moriendi ratione. in 12mo. De origine & naturâ animarum in brutis Sententiæ clariſſ. Virorum aliquot in Germaniæ Academiis. in 8vo. Opera omnia in tres Tomos diviſa, in fol. Medicamenta Officinalia. in fol. Tractatus de Scorbuto. in 8vo. de Dyſenteriâ, de Arthritide, in 8vo. In Pſalmos Pœnitentiales. In Symbolum Apoſtolicum.

* *Ex Programm. fun. Auguſti Buchneri: & ex Conc. fun. D. Pauli Röberi.*

DOMINUS DANIEL SENNERTUS PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR CLARISSIMUS IN ALMAQUE ACADEMIA WITTENBERGENSI PROFESSOR.

Per anagramma *Georgii Theoderici Hofmanni:*

Qui credens fuerit conſtans in mortis agone
Aſſero punicei cœli illum ſede beandum:
Pars DEUS in duris optima ſola mea.

Inſcriptio Lapidis ſepulchralis:

Epitaphium.

D. O. M. S.

CALCARE SI QUIS HOC SOLUM QUONDAM POTES, RESISTE, DUM QUID TE VELIT SAXUM LEGAS,

HIC SITUS EST

DANIEL SENNERTUS

URATISLAVIENSIS SILESIUS,

QUI EXERCENDO DOCENDOQUE MEDICINAM XXXV. ANN. PUBLICE QUODDAM QUASI SALUTIS EGIT AUGURIUM: EAQUE DE RE INTER ELECTORALES ARCHIATROS ASCRIPTUS IN LOCUM PRINCIPEM SUA VIRTUTE ASPIRAVIT.

NATUS EST D. XXV. NOVEMB. ANNO cIɔ Iɔ LXXII. OBIIT D. XXI. JULII AN. cIɔ Iɔ CXXXVII. GLORIA ET NOMINE, QUOD ILLUSTRIBUS ANIMI INGENIIQUE, AC INDEFESSÆ INDUSTRIÆ EDITIS MONUMENTIS PER UNIVERSAM EUROPAM, ET SIBI PARAVIT VIVUS, ET HUIC CIRCUMFUDIT ACADEMIÆ, SUPERSTES PERPETUO AC IMMORTALIS,

PATRI INCOMPARABILI ET DE SE ETIAM OPTIME MERITO SUPERSTITES LIBERI MOERENTES LUGENTESQUE

P. P.

Extat tabula egregiè picta cum effigie ipſius, in quâ hæc verba leguntur:

MEMORIÆ

DANIELIS SENNERTI, PROF. MED. ET ARCHIATRI ELECT PARENTIS OPTIMI SUPERSTITES LIBERI POS.

OVIDIUS MONTALBANUS.

Clar. A.C. 1638.

Artis. & Mathem. Profeſſor Bonon.

BOnoniæ ex antiquâ familiâ *Alicornorum* natus, Patre Cive *Mediolanenſi*, Medicus & Mathematicus excellens, in patriæ Gymnaſio multis annis Logicam, Medicinam & Matheſin publicè docuit, cum magno applauſu ſtudioſorum, *Germanos.* præſertim & *Polonorum*, qui Doctorales accepturi honores Promotorem eum ſibi elegerunt. In Academiâ patriâ Noctis vocatâ cum nomine *Ragiadoſi* celebris ſæpius in Cardinalium & Magnatum aliorum præſentiâ peroravit.

Academicus Noctis.

Scripta:

Scripta.

Cœli Bonon. menſio A.C. 1633. accommodata. De illuminabili Lapide Bononienſi Epiſtola familiaris. Speculum Euclidianum, totam Euclidis Panimetriam lineariter repræſentans. Spherographia, ubi Aſtronomica fere tota brevi perſpicuáq; methodo clauduntur, recluduntur Epidignata. Vindicata vetuſtas, ſeu Antidotarii noviſſimi Bononienſis Prodromus extemporaneus. Elogia Medicorum Bononienſium ab A.C. 1200. ad 1600.

Linguâ *Italicâ* ſcripſit:

Pneumaſcopia, ò vero Speculazione de Venti, Diſcorſo Aſtrologico adattato all' anno 1634. Hidroſcopia o vero Speculazione dell' Aque Diſcorſo Aſtrologico Fiſico adattato all' anno 1635. Geoſcopia Cereale, o vero Speculazione terreſtre circa le Giade dell' Agricoltura, parte prima, Diſcorſo Aſtrologico per l' anno 1636. Geoſcopia Ampelite, o vero Specolazione terreſtre circa le Vili, dell' Agricoltura parte ſeconda, Diſcorſo Aſtrologico Fiſico per l' anno 1637. Il Cielo Alterante per la Cità di Bologna nell' anno 1638. Kipoſcopia, o vero Speculazione de gli Horti, Diſcorſo inſieme colle Predizioni de tempi dell' anno 1638. Ragionamento funebre nella morte di Tomaſo Dempſtero Scoceſe, havuto publicamente nell' Academia della Notte di Bologna.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieron. Ghilini.*

GREGORIUS NYMANNUS.

Obiit A.C. 1638.

NAtus eſt *Wittenbergæ* 14. Jan. A. 1594. Patre *Hieronymo*, Med. D. & Profeſſore publ. Matre *Sibyllâ*, *Ægidii Strauchii*, Civis primarii filiâ. Avum habuit M. *Hieronymum Nymannum*, *Torgenſis* Eccleſ. Archidiaconum.

Philoſ. Magiſter creatus Decano M. *Johanne Wanckelio* Hiſtoriar. Prof. publ. inter 26. Competitores primum locum indeptus eſt An. 1614.

Philoſophiæ Magiſter Witt.

Summam in Medicinâ Lauream A. 1618. Brabeutâ *Daniele Sennerto* accepit, quo tempore Theologicâ unâ Laureâ frater ejus *Hieronymus Nymannus*, Eccleſiar. *Miſnenſium* Antiſtes, ornatus eſt.

Doctor Medicinæ.

A. 1617. Eccleſiis *Saxonicis* Jubilæo, Anatomes Botanicæque Profeſſio demandata ipſi eſt in locum Vitrici D. *Tobiæ Tandleri*,

Profeſſor Anat. & Botan. Witt.

 qui

qui pauſo ante deceſſerat. Rectoratum Academiæ quater geſſit.

Conjugium ejus Uxores habuit duas, primam *Martham*, *Johannis Borſchii*, ædilis *Budiſſinæ* Civitatis filiam, ex quâ filium *Hieronymum* reliquit: alteram *Catharinam Hausgiam*, *Torgæ* præcipuo inter Cives loco natam.

Hypochondriacus. A. 1623. ex liene & hypochondriorum morbo ita acriter infeſtari cœpit, ut integro biennio decumbere cogeretur, & abindè planè convaleſcere non potuerit, undè ipſi perpetuò ferè domi manendum, nec niſi rariſſimè progrediendi copia data fuit. Accedente tandem cum calculi cruciatibus, paralyſi & febri epidemiâ morte beatâ liberatus eſt 28. Oct. A.C. 1638. ætatis 45. eo tempore, quo Rector Academiæ ſolet creari. *Moritur.*

Libros multos medicos eruditionis ſuæ teſtes compoſuit.

* *Ex Programm. fun. Aug. Buchneri.*

Ab eo edita extant:

Scripta. *De Apoplexiâ tractatus, in quo morbi hujus curatio & præſervatio proponitur, & demonſtratur, mali illius cauſam non tam eſſe nervorum obſtructionem, quàm ductuum quorundam cerebri ſpiritum vitalem vehentium præcluſionem &c. Diſſertatio de vitâ fœtûs in utero, quâ demonſtratur, infantem in utero non animâ matris, ſed ſuâ ipſius vitâ vivere &c.*

Epitaphium ejus in Templo Cœnobii *Franciſcanorum:*

Epitaphium. D. O. M. S. NEC NON MEMOR. GREGORII NYMANNI, PHILOSOPHI AC MEDICI ORDINARII, IN QUO INGENIUM, STUDIUM, DOCTRINA, ARS, UT SUMMA PRÆCELLENTIAQUE FUERINT, NON EUM TAMEN POTUERUNT EXIMERE NECESSITATI, QUÆ OMNES MANET, QUARE CUM EX LIENIS ET HYPOCHONDRIORUM MORBO ATROCI AC LENTO DIE XVIII. OCTOBR. AN. CHR. MDCXXXVIII. DECESSISSET FUNCTUS, ILLATÆ HUC EJUS RELIQUIÆ SUNT, ET SUB HOC LAPIDE IN SPEM COMMUNEM IN SOLO PATRIO CONDITÆ ET SEPULTÆ, VIXIT ANN. XLVI. MENS. IX. D. IV. MEDICINAM DOCUIT PUBLICÈ EXERCUITQUE NOBILITER ANN. XXI. EX ANATOM. BOTANICÆQUE PROFESSORE IN PRIMUM COLLEGII EJUS ET SUMMUM LOCUM VIRTUTIS AC ERUDITIONIS MERITO PROVECTUS, QUARUM FAMA AC LAUS IMMORTALIS EST, MARITO AC PARENTI OPT. DESIDERATISS. SUPERSTITUM PIETAS POSUIT DICAVIT.

CONRADUS MATTHÆUS.

Obiit A.C. 1640.

Filius J.C. Patriam habuit *Herbornam*, *Naſſoviorum* Urbem, Patrem D. *Antonium Matthæum*, J. C. celeberrimum, ſeſqui anni ſpatio ante ipſum mortuum, Matrem *Eliſabetham Schölerian*: Natus eſt 26. Maji A.C. 1603.

Nondum benè patriam noverat, cum Parente ad Profeſſionem Academicam vocato A. 1607. *Marpurgum* iret, ubi decurſo ſtudio pædagogico Albo illius Academiæ ſub initium A. 1618. inſertus, integro triennio in Linguarum & artium Organicarum ſtudiis deſudando, cum aliis, cum Dom. *Rodolpho Goclenio* doctrinâ præeunte, ferè S. Theologiam affectâſſet, niſi fanaticorum quorundam deliciis novum doctrinæ genus parturientium turbatus, Hygéæ operam ſuam addicere maluiſſet. *Marpurgi ſtudioſus Med.*

Quo facto ab A. 1621. Sectæ ſuæ Magiſtris D. *Brunoni*, D. *Molthero*, aliisque Doctoribus eximiis ita ſeſe applicuit, ut diligentia ejus omnibus probaretur. Cum ita adoleviſſet, *Greifenſteinii* Comitum *Solmenſium* juniorum vitæ ſtudiorumque director præfectus A. 1624. cum iis *Herbornam* contendit. Ibi D. *Joh. Matthæo*, Med. Profeſſore aulæque *Naſſov.* Archiatro patruo ſuo familiariter uſus non leve ſtudii ſui medici incrementum tulit, usque dum An. 1626. Dom. Patrem in Acad. *Gröningenſem* vocatum ſecutus ibi, quod reliquum erat, ſtudii medici ſub Dom. D. *Mulerio* abſolveret. *Herbornæ.*

An. ſeq. 1627. toto applaudente Senatu Academico, Docturam medicam impetravit, promotore eodem Dom. D. *Mulerio*. An. 1631. Ordinaria Medicinæ Profeſſio ei demandata fuit: cum paulò ante aſſignata ei fuiſſet utriusque fortunæ ſocia virgo *Eliſabetha*, honoratis Civibus *Jacobo Michaëlis*, & *Aſſeliâ Folckers* nata. *Medicinæ Doctor Gröninga.* *Medicinæ Profeſſor.* *Deſponſatur.*

Illâ autem ſpartâ Academicâ ornatus, ſingulari docendi dexteritate ſtudioſos Profeſſionis ſuæ plurimùm ſibi addictos reddidit, adeò, ut inclyta Academia ejus labores totius vitæ ratione comprobando dignum cum judicaret, ei quoque ſui Recturam committeret: in quo Magiſtratu taliter virum ſe oſtendit, ut eum cum laude geſſiſſe verè affirmari queat. *Rector Gröning.*

Sed paulò poſt febre malignâ populariter tunc graſſante correptus, & totos 17. dies cum eâ luctatus, viribus tandem ſuccumbentibus in Chriſto exſpiravit 12. Sept. An. C. 1639. ætatis 36. *Moritur febre mal.*

Superſtites reliquit ex uxore duos Orphanos.

* *Ex Vitis Profeſſorum Gröning.*

PETRUS KIRSTENIUS.

Obiit A.C. 1640.

IN lucem editus eſt *Uratislaviæ* 25. Dec. A.C. 1577. Parentes ei fuêre *Petrus Kirſtenius*, primarius iſtius urbis civis ac mercator, & *Martha Menslingia*, quibus in præmaturâ ætate orbatus cum eſſet, Tutores tamen vice parentum functi pietatis & literarum diſciplinis eum fideliter imbui curârunt.

Circa annum ætatis decimum, cum jam principia linguæ Latinæ & Arithmeticæ hauſiſſet, *Poſnam Polonorum* à Tutoribus, addiſcendæ linguæ *Sarmaticæ* causâ, miſſus, intra ſesquiannum eam didicit. *Linguam Polon. puer didicit.*

Ad mercaturam tunc puerilis inclinabat animus, ſed in patriam reverſus, mutato

propo-

propoſito, ſtudiis liberalibus, ad quæ natura illum pepererat, ingenium addixit.

In illis tantâ cum induſtriâ progrediebatur, ut cum æmulis certans, ad ulteriores diſcentium ordines brevi temporis ſpatio aſcenderet. Præter *Latinas* etiam *Græcas* addidicit literas cum nullâ non *Hebrææ* & *Syriacæ* linguæ cognitione: quibus Phyſicæ, Anatomiæ & Botanices ſtudium adjunxit, ut illis ſe ad medicinam præpararet.

Ut autem his majora adderet incrementa, Academias adivit *Lipſienſem*, *Wittebergenſem* ac *Jenenſem*, in quibus per quadriennium ſubſtitit tanto cum fructu, ut induſtriæ mercedem ſummum in Philoſophiâ gradum adipiſceretur.

Philoſophiæ Magiſter.

In *Gallias* & *Belgium* profectus, præſtantiſſimis quibusdam Medicis operam dedit. Sed & linguam *Arabicam* diſcendi cupidus, *Avicennæ* non modò, ſed etiam *Meſues*, *Rhaſis*, *Abensoaris*, *Abucaſis*, & *Averrhois* libros *Arabicos* legere cœpit.

Linguæ Arabicæ cultor.

Hoc ſuum inſtitutum humanioris literaturæ dictatoribus *Joſepho Scaligero* & *Iſaaco Caſaubono* facilè probavit, quorum monitis excitatus, nunquàm poſteà depoſuit curam excolendi linguam *Arabicam*. Ut verò cœptum peregrinationis perſequeretur, in Academiam *Baſilienſem* ſe contulit, quæ ipſi annum ætatis 24. agenti Doctoris Med. inſignia contulit. *Italiam* exindè, *Angliam*, *Hiſpaniam*, & alias oras peragravit.

Doctor Medicinæ Baſileæ.

Poſt 7. annorum peregrinationem incolumis in patriam rediit, non tamen in eâ diu moratus, contulit ſe *Jenam*, familiaritatis ſtudium cum veteribus amicis renovandi animo. Sed ibi cœleſtis providentia ipſi virginem *Barbaram Schröteram* Sponſam obtulit, cum quâ fœcundum 8. liberorum conjugium ipſi fuit.

Uxorem duxit Jenæ.

Cum autem præclara virtus non diu lateat, à Senatu *Uratislavienſi* Rector Gymnaſii & cœterarum iſtic ſcholarum inſpector creatus eſt.

Gymnaſiarcha Uratislaviæ.

Sed in gravem poſteà incidit morbum, qui eum iſti officio renuntiare adegit. Fortè etiam pertæſus Scholaſtici piſtrini, unum oculum ad *Arabicam* ſuam linguam, alterum ad Medicinam reflexit.

A non uno Principe, à *Carolo*, Archiduce *Auſtriæ*, Imp. *Ferd. II.* fratre, ab ipſo Imperatore, ab Electore *Sax.* & aliis ad Archiatri munus aut profeſſionem medicam evocatum tamen patriæ deſiderium domi tenuit. In eâ quicquid temporis praxi medicæ laborioſæ ſuffurari potuit, excolendæ linguæ *Arabicæ* deſtinavit, & raro exemplo lucrum omne redundans *Arabicæ* typographiæ adornandæ, & monumentis in illâ alendis impendit.

Typographiam Arabicam adornavit.

Fato poſteà volente, in *Boruſſiam* ſedem tranſtulit, & Regni *Sueciæ* Cancellario, Dom. *Axelio Oxenſtirnæ*, innotuit, quem cum in *Germaniam* comitaretur, eique Medici operam præſtaret, *Erfurdia* ad docendam medicinam ipſum evocavit.

Medicus Axelii Oxenſtirnæ.

Indè *Halam Saxonum* & *Magdeburgum* negotiorum fortè ſuorum causâ excurrens propter militum excurſiones ad urbem *Erfortenſem* tutus non fuit regreſſus. Ideò *Magdeburgi* ſubſtitit, & hinc *Oxenſtirnium* in regnum *Sueciæ* ſecutus eſt.

A. C. 1636. præter Medici Regii munus ipſi Profeſſio medica in Academiâ *Sueciæ Upſalienſi* à ſupremo Magiſtratu fuit commiſſa, in quâ Profeſſione ſuâ, ſicut in Scripto quodam ſuo fatetur, quoad viveret, diſcere cupiebat.

Profeſſor Medicinæ Upſaliæ.

Cum tandem gravis & lethalis ipſi catarrhus in pulmones decubuiſſet, horas vitæ reliquas inter pias meditationes, hymnos ac preces traducens, & DEI velle ſuum eſſe velle, quod pro Symbolo uſurpabat, ſubindè ingeminans, lætus vitæ finem exſpectavit, quo feriâ primâ Paſchatos potitus eſt *Upſaliæ* A. C. 1640. ætatis 63. prax. med. 32.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Decas Sacra Canticorum & Carminum Arabicorum ex aliquot Manuſcriptis cum Latinâ interpretatione Breslæ 1609. *Evangeliſtarum quatuor ex antiquiſſimo Codice Manuſcripto Arabico Cæſare erutæ. Francof.* 1609. *in fol. Tria ſpecimina Characterum Arabicorum, nempè Oratio Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pſalm. I. &c. ibidem* 1609. *in fol. Grammatica Arabica ibidem* 1609. *in fol. Liber Secundus de Canone Canonis a filio Sina ſtudio, ſumptibus ac typis Arabicis, quâ potuit fieri fide, ex Aſiatico & Africano exemplari MSS. Cæſareo Arabicè per partes editus, & ad verbum in Latin. translatus, notisque textum concernentibus illuſtratus, ibidem* 1610. *in fol. Epiſtola S. Judæ ex M.SS. Heidelbergenſi Arabico ad verbum tranſlata, additis notis ex textuum Græcorum & verſionis Latinæ vulgaris collatione, Breslæ* 1611. *in fol. Liber de vero uſu & abuſu Medicinæ Francof.* 1610. *& Germanicè ibidem* 1611. *in 8vo. Oratio introductoria in Gymnaſio Uratislavienſium habita, ibidem* 1611. *in 4to. Notæ in Evangelium S. Matthæi, ex collatione textuum Arabicorum, Syriacorum, Ægyptiacorum, Græcorum, & Latinorum Breslæ* 1612. *in fol. Hypotyposis, ſive informatio medicæ artis ſtudioſo perutilis, aliquandiu in Pharmacopolio verſaturo Caſpari Peuceri, edita è M.SS. Petri Kirſtenii. Upſaliæ* 1638. *in 8vo.*

* *Ex Orat. funebri Johannis Loccenii, Jur. D. & Prof. Upſal.*

JOHANNES FREITAGIUS.

Obiit A. C. 1641.

IN lucem editus eſt *Veſaliæ, Clivorum* Urbe, A. C. 1581. d. 20. Oct. Patre *Stephano*, Matre *Catharina Dunnerbergiâ*, oppidi *Reſenſis* patriâ. Ab his *Oſnabruggæ* exulibus quamprimum per ætatem licuit, diſciplinis ſcholaſticis informandus eſt traditus.

Indè *Coloniam Agrippinam* immaturâ adhuc ætate miſſus eſt, eo quod Canonicatum ipſi *Reſæ* ceſſiſſet, quales *Coloniæ* inſtitui in ſtudiis & *Romanæ* fidei innutriri tunc moris erat. Sed mox potiorem animæ ejus agentes curam *Coloniâ* revocatum *Veſaliam* re-

miſêre parentes, & ſcholaſticæ inſtitutioni *Johannis Brantii* Gymnaſiarchæ concrediderè.

Helmſtadii ſtudia tractat philoſophica,

Indè ad Academiam *Juliam* quæ *Helmſteti* eſt, *Brunſvigiorum* curſum inſtituit. Hîc Philoſophiæ Circulum ingreſſus, præeuntibus *Johanne Caſelio* & *Cornelio Martini*, illius plenariè decurrit ſtadium, donec tandem ad medicinam propendenti animo aſcenderit.

& medica.

Exindè *Roſtochium* excurrit, viſitatisque nonnullis aliis *Germaniæ* Academiis *Helmſtetum* rediit. Hîc divinam medendi artem porrò perdiſcere ipſi datum, familiariter admiſſo à Medicis Profeſſoribus, *Duncano Liddelio Scoto* in Theoricis accuratiſſimo, & *Franciſco Parcovio* in Practicis experientiſſimo. Inſuper *Henrici Meibomii* magni illius Medici hoſpitio ac privatâ familiaritate utebatur, quod filioli ipſius ſtudiis moribusque præeſſet.

Hæc ejus diligentia effecit, ut diverſis editis ſpeciminibus non tantùm inter Commilitones emineret, D. *Henningum Arniſæum, Duncanum Barnettum, Adamum Luchtenium*, & *Matthiam Waltherum*, omnes deindè Archiatros, ſed etiam exercitia illi extra ordinem concederentur practica, imò ad Cathedram Academicam admitti dignus haberetur, primò quidem extrà ordinem, non diu verò poſt ordinariorum Coronæ adſcriptus A. C. 1604. ætatis 23.

Medicinæ Profeſſor.

Spartam hanc nactus, omni conatu ornavit, Collegiis, lectionibus, & diſputationibus ſtudia medica adoleſcentium promovens. Sed paucos intra annos à *Philippo Sigismundo*, *Osnabrugenſium* Epiſcopo, Duce *Brunsvicenſi*, in aulam vocatus eſt.

Medicus aulicus Epiſcopi Osnabrugg.

Sumtis igitur Inſignibus Doctoralibus, quæ ipſi inter competitores plures ſecundo loco (quod primum *Ducano Barnetto* ex *Angliâ* venienti ſpontè ceſſiſſet) collata, muneréque eo aulico ſuſcepto, A. 1608. ſociam vitæ ſibi elegit virginem *Gertrudam*, *Rudolphi Valckenburgii*, Conſiliarii & Quæſtoris Epiſcopalis *Iburgi* filiam. Ex eâ 9. liberorum pater, quorum ipſi ſuperſtites filii duo, major natu Toparcha *Berumanus* in *Friſiâ* Orientali, alter Toparcha *Fredeborgenſis* ibidem; filiæ tres honeſtè elocatæ, illa Dom. *Danieli Overberg*, Ephoro Comitum juniorum *Friſiæ Orient.* iſta Licentiato *Standus Bileſio*, hæc Dom. *Franciſco Beſenio*, aulæ *Friſiæ Orient.* Archiatro.

Medicinæ Doctor.

Conjugium iniit.

Filii ejus, & Generi.

Dum igitur munere illo Medici aulici 17. annos fungeretur, à multis Principibus, Comitibus, & Magnatibus crebrò ejus opera expetita eſt. Inprimis Comiti *Adolpho Teclenburgico* plurimùm ejus æſtimata fuere officia, ut earum aliter dignè rependere poſſe putaret, quàm Feudo, quod in eum gratioſè contulit. Quin etiam ab *Erneſto*, *Holſatiæ* Duce, & Comite *Schaumburgico*, in Academiam *Rintelanam* tunc naſcentem, ad Profeſſionem Medicinæ primariam, ſimulque Archiatri aulici munus amplis propoſitis conditionibus invitatus, ſed Epiſcopo ſuo gratioſè renitente, vocationem eam admittere non potuit.

Variorum Magnatum Medicus.

Poſt ejus fata à *Friderico Ulrico*, Duce *Brunsvicenſi* & *Luneburg.* prioris Domini ſui fratris filio, ad veterem in Academiâ *Juliâ* ſtationem, aut Archiatri aulici, quæ ipſi optio data, munus vocabatur, quæ licèt ſatis animo ejus arrideret conditio, tamen adire eam ob exardeſcens per eas regiones, Duce *Chriſtiano Brunsvicenſi*, novi belli incendium non ſuſtinuit.

Quare ſuffecto in defuncti Epiſcopi *Osnabrug.* locum *Julio* Cardinale *Rom.* Comite in *Hohenfelder* ab eodem, non obſtante religionis diſcrepantiâ, idem quod apud deceſſorem geſſerat, Medici aulici & Cubicularii munus ei fuit commiſſum, quo cum per biennium functus eſſet, amiſit hunc quoque Dominum, febri peſtil. extinctum.

Ab hujus Succeſſore *Franciſco Wilhelmo*, Comite *Wartenburgico*, ad idem munus medicum revocatus, id per 4. annos ſtrenue obiit. Tunc ob religionem, quam nullo modo deſerere voluit, loco motus, A. 1631. commendatione *Erneſti Caſimiri*, Comitis *Naſſoviæ* & Comitum *Benthemiæ*, in Academiam *Gröningenſem*, unà cum D. *Conrado Matthæo* vocatus, ut D. *Nicolao Mulerio* in Profeſſione medicâ ſuccederet, eam ſpartam cupidè arripuit, eique, quod reliquum fuit, vitæ impendit, & intereà faſces Academiæ bis cum ſuâ & Acamediæ gloriâ geſſit.

Gröningæ Medicinæ Profeſſor.

Fuit autem veterum Medicorum ſectator & oſor Empiricorum in medicando feliciſſimus, ut quorum vulgò deſperata eſſe ſolet ſalus, Epilepticos, Hydropicos, Phthiſicos, & Scorbuticos complures liberaverit. Sæpius etiam in aulas *Naſſovicam*, *Oldenburgicam*, *Friſicam*, & *Stirumanam* honorificè excitus ſalutiferam artis ſuæ operam & opem extendit.

Practicus feliciſſimus.

Variis tandem morbis hydrope, podagra, calculo, febribus diverſis, ſed imprimis ſcorbuto hæreditario confectus, animam diſſolvi cupidam Creatori Redemtorique reddidit, præſentibus Dom. D. *Henrico Altingio*, Theologo, & D. D. *Johanne Steinbergio*, J. C. Collegis amiciſſimis 8. Febr. A. C. 1641. ætat. 60.

Variis morbis confectus moritur.

Biduo pòſt à Collegâ D. *Henrico Wilmanno*, Med. Prof. ipſi honorificè eſt parentatum. Hoc diſticho ſolitus eſt pro Symbolo uti:

Glorior in ſolo crucifixi ſanguine Chriſti,
Ille mea fidei ſumma ſit, ille ſpei.

Scripta:

Scripta.

Diſputationes Med. de Morbis. Noſtros Medicæ, ſive de Abuſu Medicinæ Tractatus. Aurora Medicorum Galeno Chymicorum, ſive, de rectâ purgandi methodo. Tractatus de Opio, Laudanisque Opiatis, cum Conſiliis aliquot accuratiſſimis. De Eſculentorum Facultatibus. Detectio & Refutatio novæ ſectæ Sennerto-Paracelſicæ. Oratio Panegyrica de Perſonâ & officio Pharmacopæi, & Pharmacopolio ritè recteq́ inſtituendo.

* *Ex Vitis Profeſſorum Gröning.*

JOACHI-

Obiit A.C. 1642.

JOACHIMUS CAMERARIUS Filius.

Filius Medici cognom.

NOrimbergæ natus 18. Febr. A.C. 1566. Patrem habuit cognominem, Medicum Reip. *Norimb.* celeberrimum, Matrem *Juſtinam*, *Philippi Bernbeccii*, *Kittingenſis*, Mercatoris *Norimb.* filiam, quæ duobus anteà Medicis Reip. *Norimb.* *Johanni Brunſtertro*, & *Johanni Heſſo* (qui obiit 11. Maji A. 1564.) nupta fuerat.

Fit Medicinæ Doctor Baſil.

In diverſis *Italiæ*, *Belgii* & *Angliæ* Academiis med. artis addictus ſtudiis, eorum curſu feliciter ad finem perducto, Medicinæ Doctor creatus eſt *Baſileæ* A. 1593.

Uxorem duxit.

In patriam reverſus, Collegio Medico, quod Pater ejus paulò ante inſtituerat, adſcriptus eſt A. 1594. Anno ſeq. duxit uxorem virginem *Reginam Gelnauerium*, ex quâ duos filios ſuſcepit, totidemque filias.

Ejus Liberi.

Ludovicus filius natu major literis humanioribus initiatus, in Academiâ *Altorfinâ*, & militiæ tandem addictus, in *Belgio* obiit, circa A.C. 1622. Filius alter *Philippus Joachimus*, Dom. *Paulo Colero*, mil. *Suecicæ* Colonello miniſtrans, melancholiâ gravi correptus, vitam finiit *Saxenhuſæ*, ſuburbio *Francofurtenſi*, menſ. Nov. A. C. 1634. æt. 23. Filia *Maria Magdalena* natu major Dom. *Carolo Nützelio*, Patritio, & poſteà Senatori *Norimberg.* nupta, febri malignâ extincta obiit An. 1631. relicto filio *Joachimo Nützelio*, poſteà in patriâ Senatore. Altera *Regina* cœlebs peſte interiit *Schönbergæ*, propè *Norimbergam*, A. 1634.

Archiater Anhaltinus.

Cum aliquot annis *Chriſtiano*, Principi *Anhaltino*, fuiſſet à Conſiliis Medicis, & Collegii Medici Decanatum in patriâ novies adminiſtrâſſet, ob coxæ luxationem lecto,

Decennio poſt lapſum decumbens obiit.

è quo lapſus erat, per decennium decumbere coactus, vitam tandem morte beatâ clauſit, nullis relictis liberis 19. Jan. A. C. 1642. æt. 75.

* *Ex manuſcriptis Collegii Med. Norimb.*

Obiit A.C. 1642.

ZACUTUS LUSITANUS.

Practicus Amſtelrodami, & Hagæ Comitum.

NAtione *Judæus*, *Olyſſiponæ* in *Portugalliâ* natus circa A. C. 1562. Ex patriâ in exilium ejectus, vixit, & praxin medicam exercuit inter *Belgas* ab A. C. 1624. vel circiter, maximè *Amſtelredami* & *Hagæ* Comitum. Veteris Medicinæ peritiſſimus & tenaciſſimus fuit.

Moritur.

Obiit tandem *Amſtelrodami*, menſ. Febr. A. C. 1642. Octogenarius.

Typis edidit:

Scripta.

Medicorum Principum Hiſtoriam Lib. VI. Praxin Hiſtoriarum, *Introitum ad Praxin*, *Pharmacopœam*, & *Praxin Medicam admirandam.*

Obiit A.C. 1643.

HENRICUS WELMANNUS.

GRöningæ natus 17. Cal. Dec. A.C. 1611. Patrem habuit *Henricum Henrici*, ſcholæ patriæ Collegam, à quo cum à teneris ingenium excoleretur, brevi per Claſſes Gymnaſii curriculum abſolvit, ut anno ætatis 17. Academiæ transſcriberetur. Phyſicis primùm ſtudiis ſub M. *Maquattio*, Matheſi item ſub *Paſore*, Linguæque Græcæ non perfunctoriè operatus, magno ardore ad ſtudium medicum animum applicuit.

Gröningæ Philoſ. & Medicinæ ſtudioſus.

Ejus artis prima fundamenta hauſit è diſciplinâ D. *Conradi Matthæi*, ſed pleniorem explicationem applicationemque ad praxin à D. *Johanne Freitagio*, cujus hoſpitio quoque & converſatione privatâ in tertium annum magno ſuo commodo uſus fuit, datus ab ipſo ſtudiis filii director.

Diſcipulus D. Johan. Freitagii.

Præclarâ jam eruditione inſtructus, *Lugdunum Batav.* & poſt *Ultrajectum* ſe contulit, ibique in Anatomicis & Botanicis plura addidicit, aliaque ad medicæ artis perfectionem neceſſaria peritus imbibit. Conſtituerat etiam in *Galliam* trajicere; ſed cum paulò diutius *Roterodami* ventum fruſtrà expectaſſet, matris juſſu & Curatorum ſuaſu patriam repetivit. Mox ſummos in arte medicâ honores, poſt ſolennia omnia cum laude præſtita, ſuſcepit, conferente Præceptore Dom. D. *Freitagio* A. 1639. menſ. Jan. animumque deinde & operam ad faciendam medicinam convertit ſucceſſu felici & rumore ſecundo.

Medicinæ Doctor Gröningæ.

A. ſeq. 1640. in locum demortui D. *Conradi Matthæi* Medicinæ Profeſſor extra ordinem datus Academiæ, brevi poſt in numerum ordinariorum fuit adſcitus. In quâ ſtatione quàm ſedulus fuerit, loquuntur complures ab ipſo habitæ Diſputationes.

Medicinæ Profeſſor.

A. 1643. Repente febre malignâ extinctus, cum ſolos annos 31. menſes 6. & dies 17 vixiſſet, non ſolùm viduæ *Mariæ à Bonnema* luctum, filiolæ orbitatem, ſed bonis omnibus ſui deſiderium relinquens.

Mor. febre malignâ.

Parentationis ſupremum officium ex decreto Senatûs, & voto ipſius, illi præſtitum à Dom. D. *Matthiâ Paſore.*

* *Ex vitis Profeſſorum Gröningenſium.*

Obiit A.C. 1643.

JOHANNES ROSA.

Filius Med. & Math.

AMbergæ, *Palatinatûs* ſup. metropoli natus 12. Jan. A.C. 1579. Patrem habuit *Andream Roſam*, Med. Doctorem, Mathematicum, Archiatrum Comitum *Palatinor. Ottonis Henrici*, & ejus fratris *Johannis Friderici*; Matrem *Sibyllam*, natam *Hofheimiam.*

A. 1593. A Patre *Suinfurtum* in ſcholam miſſus, exindè Academias *Lipſienſem* & *Wittenbergenſem* acceſſit, cumque ſtudium medicum abſolviſſet, *Baſileæ* Doctoris Med. Gradum obtinuit A.C. 1603. Eodem anno nuptias celebravit *Ambergæ*, cum viduâ Dom. *Jodoci Saxerani*, Senatoris *Amberg.* natâ *Müntzeriâ*, cum quâ in conjugio pacato 20. annos, ſed ſine liberis, exegit. An. 1623. Alteram Conjugem duxit *Barbaram*, *Laurentii Schrammii*, Senatoris *Ratiſbonenſis*, viduam *Gabrielis Windorferi*, Mercatoris *Græcenſis* in *Styriâ* filiam. Ex hâc ſuſcepit filium, in infantiâ mortuum, & duas filias, quarum

Fit Doctor Medicinæ Baſileæ.

Conjugium ejus duplex.

Filiæ duæ deſponſatæ. quarum natu major *Catharina Barbara* D. *Mich. Ruperto Beslero*, Reip. *Norimb.* Medico, altera *Rebecca*, *Ratisponæ* Dom. *Joach. Kerſchero*, Senatori primario, deſponſatæ fuerunt. Hæc obiit biennio poſt obitum mariti 10. Aug. A. C. 1669. æt. 43. Uxor verò *Barbara* ſenio gravis vitâ defuncta eſt 20. Aug. A. C. 1665. ætatis 78.

Exul Ratisbonæ. A. 1627. Cum Religio mutaretur *Ambergæ*, cum multis aliis fidem Pontificiam abhorrentibus ſponte cum familiâ *Ratisponam* diſceſſit, *Practicus.* ibique praxin medicam fideliter & feliciter ad finem vitæ ſuæ exercuit, *Moritur.* morte beatâ ſublatus 12. Januarii nativit. ſuæ die A. C. 1643. æt. 64.

* *Ex Conc. fun. Chriſtoph. Sig. Donaueri.*

JOHANNES BAPTISTA HELMONTIUS.

Obiit A. C. 1644.

ANno C. 1594. ætatis ſuæ 17. curſum Philoſophiæ abſolvit. Obitus ejus incidit in 30. Decemb. diem A. C. 1644. cum plenâ adhuc ratione uteretur, priusquàm omnia ejus Sacra & juſta ipſius poſtulâſſet, nactusque eſſet. *Morbus ejus & Obitus.* Morbus ſibi fuit ejus ipſa vita, qui ipſi permanſit ſeptimanis ſeptem hunc in modum ordiens: Aliquando gelidâ fœtentique nebulâ ad meridiem ſubitò pedes domum revertebatur, quod ipſi fuit in cauſâ, ut cum epiſtolium 15. circiter linearum exarare conaretur, aut longiori nimis diſcurſui indulgeret, reſpiratio in tantum ſibi deficeret, exurgere cogeretur, perque feneſtram proximam ſpiritum haurire, quo binis diverſis vicibus Pleuritis ipſi accerſebatur, à quâ tamen omninò incolumem ſe reſtituebat. Imò pridiè exitus ſui erectus, adhuc ſcribebat amico cuidam *Pariſios*, inter cœtera hæc inſequentia verba: *Deo laus & gloria in ſempiternum, cui placitum eſt, hoc me mundo evocare, ac prout conjicio, non ultra 24. horarum ſpatium vita ſuppetet: Hodiè ſiquidem primum febris inſultum ſuſtineo præ imbecillitate vitæ ejusque defectu, quibus mihi finiendum. Quod ita inſecutum, poſtquam ſpecialem mihi benedictionem impertiviſſet, quam ingens legatum duco.*

Hæc de Dom. Patre ſuo *Joh. Baptiſtâ van Helmont*, nobili *Bruxellenſi* Philoſopho, per Ignem ſcripſit *Franciſcus Mercurius van Helmont*, Philoſophus (ut ſe vocat) per unum, in quo omnia, Eremitâ peregrinante.

Scripta:

Scripta. *De Magneticâ vulnerum naturali & legit. curatione contra Joann. Roberti Soc. Jeſu Theologum. Pariſ. 1621. Supplementum de Spadanis fontibus. Leodii 1626. in 8vo. Febrium doctrina inaudita Antverpiæ 1642. in 12mo. Opuſcula Medica inaudita: I. De Lithiaſi. II. De Febribus. III. De Humoribus Galeni. IV. De Peſte Coloniæ Agripp. 1644. in 8vo. Ortus Medicinæ, i. e. initia Phyſicæ inaudita, Progreſſus Medic. novus in morborum ultionem ad vitam longam. Amſterod. 1648. 1652. in 4to. Venet. 1651. in fol. Lugd. Bat. 1655. 1667. in fol. Opera medica Amſterod. 1652. in 4to. item in fol. Lugd. Bat.*

JOHANNES SCULTETUS.

Obiit A. C. 1645.

ULmæ natus eſt 12. Oct. A. C. 1595. Patre *Michaële Schultes*, Nautâ, Matre *Margarethâ Schabenſchäcklinia*. His parentibus puer 14. dierum ſpatio orbatus, à tutoribus ſcholæ traditus, ad ſextam Gymnaſii patrii Claſſem pervenit.

Adoleſcens in *Italiam* profectus, *Patavii* ſtudio medico dedit operam, in quo an. æt. 26. Docturæ Gradum ſummâ cum laude obtinuit in Philoſophiâ, Medicinâ, & Chirurgiâ. *Patavii Doctor Philoſ. Med. & Chirurgiæ.*

In patriam reverſus, & 23. Mart. A. 1625. à Senatu in Collegium medicum receptus, praxin per 20. annos feliciſſimè exercuit, *Practicus Ulmenſis.* à Magnatibus etiam ſæpiùs accerſitus. An. 1636. Deſponſatus eſt cum virgine *Mariâ*, *Deſponſatur.* *Joſephi Reguli Villingeri*, Pharmacopœi *Ulmenſis* relictâ filiá, ex quâ duos ſuſcepit filios, in pueritiâ defunctos.

Stutgardiæ tandem, quo pauló ante vocatus erat, ad ægrum quendam nobilem ſanitati reſtituendum, veſperi apoplexiâ forti correptus, cum nihil aliud dixiſſet, quàm *Mor. apoplecticus Stutgardiæ.* hæc verba: Ach GOtt wie will mir geſchehen! Ach GOtt bis mir armen Sünder genädig! inter preces adſtantium exſpiravit 1. Dec. A. C. 1645. æt. 51.

* *Ex Concione fun. M. Ludovic. Biſchoff, Concionat. primarii, & Miniſterii ſenioris.*

Annis aliquot ante obitum lectione librorum de beatè moriendi ratione à variis Theologis editorum unicè delectatus eſt.

Scripta. Edidit: *Armamentarium Chirurgicum.*

VITUS GERTNERUS.

Obiit A. C. 1647.

NOrimbergæ natus 27. Febr. A. C. 1566. Patrem habuit *Bartholomæum*, hoſpitem ad Arborem viridem, Matrem *Barbaram Selſinam*, *Pfaffenhoſienſem Bavaram.* Renatum è Sacro fonte ſuſcepit *Vitus Burckardus*, Balneator & Cirurgus ad Turrim albam.

A. C. 1581. ætatis 15. miſſus *Ambergam*, *Diſcipulus Ambergæ.* in ſcholam Electoralem, M. *Azariæ Schallingii*, Rectoris, diſciplinæ ſubditus eſt. An. ſeq. in Academiam *Altorfinam*, exindèque A. 1685. in *Tubingenſem* diſceſſit.

A. 1588. In patriam revocatus, iterum *Altorfium* venit, & præter alios Profeſſores D. *Philippum Scherbium*, in facultate medicâ docentem audivit, ſub ejusque Præſidio publicè diſputavit.

A. 1591. Itinere per *Auſtriam*, *Ungariam*, & *Styriam* ſuſcepto, anno ſeq. *Vienna Norimbergam* rediit. A. 1593. Studii Medici *Studioſus Medicinæ Patavii.* gratiâ in Gymnaſium *Venetorum Patavium* profectus, A. 1595. exindè *Baſilêam Rauracorum* regreſſus, ibi prægreſſo Examine virorum in arte medicâ celebrium D. *Felicis Plateri*, & *Caſp. Bauhini*, habitâque Diſputatione inaugurali de Hydrope, per D. *Thomam Cocclum* ſolenniter Medicinæ Doctor *Medicinæ Doctor Baſileæ.* renuntiatus eſt die 24. Julii.

An. 1596. in patriam redux, & in Collegium

Noribergæ Medicus xenodochialis, & Practicus annis 52. gium medicum receptus, anni ſpatio Medicum xenodochialem egit, & abindè totis 52. annis praxin feliciter exercuit, ac Decani munus ſepties cum laude adminiſtravit.

Conjugium, & Liberi. Eodem anno die 31. Aug. Parentum conſenſu conjugii ſocietatem iniit cum virgine *Annâ*, Dom. *Joh. Wolffg. Rötenbeckii*, Notarii publici, & *Mariæ Rotingiæ*, filiâ. Ex eâ 9. filios & filias ſuſcepit, & inter filios *Gebbardum*, Med. Doctorem, & in patriâ Practicum felicem, An. 1634. peſtis furore ſublatum, vitâ longiore dignum. Unicum verò filium poſt fata reliquit ſuperſtitem, in *Angliâ* tunc Baronis *Davidis Ungnadii* Secretarium, & tres filias.

Moritur. Uxore An. 1633. defunctâ, tempus vitæ ſuæ reſiduum viduus in praxi medicâ diligens exegit, donec morbis fractus & decrepitus morte beatâ vitæ finem impoſuit 12. Febr. A. C. 1647. ætat. 82. Prax. 52.

* *Ex Libro manuſcripto Mich. Rötenbeckii, Med. Doct.*

PETRUS MULERIUS.

Obiit A. C. 1647.

IN lucem hanc editus eſt *Harlingæ Friſior.* 11. Mart. A. C. 1599. Patre D. *Nicolao Mulerio*, Medico & Mathematico, tunc Archiatro *Harlingenſi*, & poſteà Profeſſore *Gröning.* Matre *Chriſtinâ à Six*, Senatoris *Amſtelodami* ... *Andomaropolitani* filiâ.

Leovardiæ ſtudia trivialia abſolvit. An. 1603. à Patre *Gröningam* ad artem med. evocato, ibi in ludum literarium deductus fuit, quem *Ubbo Emmius* moderabatur. Priusquàm tamen in propriam hujus palæſtram veniret, *Leovardiam* cum parente eò ad Medici munus vocato commigravit An. 1608. & ſexennio, quo illic hæſit, curſum ſtudiorum trivialium abſolvit, uſus manuductione *Edonis Neihuſii*, ſcholæ Rectoris, & Dn. Parentis Philologiam Græcam ac Philoſophiam docentis.

Gröningæ Med. & Math. ſtudiis operam dat. A. 1614. cum parens in Academiam *Gröningæ* recens erectam inter primos ad Profeſſionem Medicinæ & Matheſeos revocatus eſſet, eum comitatus, cum ad ſtudium Theologiæ propter diſpnœam non videretur aptus, Medicinæ & Matheſi operam dedit.

A. 1621. *Leidam* abiit, benè poſitis fundamentis convenientem ſtructuram impoſiturus. Ibi præ cæteris audivit in Medicinâ & Botanicis D. *Everhardum Vorſtium*, & in Hiſtoriis *Danielem Heinſium*.

A. 1622. In *Angliam* trajecit, ibique per trimeſtre moratus, *Leidam* rediit. A. 1623. Adſcitis ejusdem ætatis & ſtudii comitibus *Johanne Ritzio Embdano*, & *Theodoro Agneo Omlando* in *Galliam* transfretavit, & potiſſimùm in Acad. *Montispeſſulanâ* hæſit, ubi magnam rariorum plantarum copiam collegit.

Medicinæ Doctor creatur. Mox *Valentiam Segaulanorum* reverſus, lauream Doctoralem ibi obtinuit, unà cum utroque ſuo Achate 4. Id. Junii An. 1624. promotore *Antonio de Galliot*, Med. & Conſil. Regio, Rectore verò *Julio Pacio*, JC. celeberrimo.

Ephemerides ſcribit. Redux in patriam, A. 1626. Ephemerides, ſive Calendaria, lampada ei tradente Patre, cœpit ſcribere in uſum patriæ, idque ad annum usque 1636. toto decennio continuavit.

Nubit. A. 1626. Vitæ ſociam ſibi junxit virginem *Machthildin*, D. *Gellii Johannis Beth*, Senatoris *Amſterodamenſis* filiam, ex quâ 4. liberorum pater factus, filium reliquit ſuperſtitem, avo paterno cognominem, Sacroſancti miniſterii Candidatum, & filias duas.

Cum primis conjugii annis *Amſtelodami* medicinam factitâſſet, non multò pòſt vocatus fuit ad aulam Principis *Auraici* titulo Medici ordinarii, ſed quod à parente ſene avelli nollet, ſe ab adeundo eo munere excuſavit. Quam ob cauſam quoque Recturam ſcholæ *Dammonenſis* ſibi delatam recuſavit.

Fit Profeſſor Phyſices & Botanices Gröningæ. Adiit autem A. 1629. ſibi in Academiâ *Gröningenſi* delatam profeſſionem Phyſico-Botanicam, 1. Sept. eodem actu publico M. *Matthiâ Paſore* profeſſionem philoſophiæ practicæ capeſſente, habuitque teſtem ſuæ promotionis Dom. Parentem, quem anno ſeq. extinctum luxit.

Hortum medicum inſtituit. Hanc functionem ut melius obire poſſet, hortum ſpatioſum domi ſuæ vicinum ſuis ſumtibus inſtruxit, & omnis generis plantis ſelectis exornavit, in quo etiam aquilas duas aluit. Epiſtolicam quoque conſuetudinem aluit cum Clariſſimis per *Europam* Botanicis, imprimis cum D. *Ottone Sperlingio*, *Daniæ* Regis Medico & Botanico.

Ægrotat, & moritur. Cum A. 1645. Conjugem & matrem amiſiſſet, hæc ſolitudo ex duplici funere ægritudinem ei peperit vehementiorem, quæ paulatim ipſum cœpit depaſcere, donec A. 1646. in lentam camque continuam febrim incidit, cui ſuperveniens hydrops per 4. menſes lecto affixum detinuit, penitusque confecit. Tandem in manus DEI terram faſtidientem cœlumque anhelantem Spiritum reſignavit, placidâ morte extinctus, 14. Febr. A. C. 1647. ætatis 48.

* *Ex Vitis Profeſſor. Gröning.*

CASPAR HOFMANNUS.

Obiit A. C. 16..

NAtus eſt *Gothæ*, *Thuringiæ* oppido, 9. Nov. A. 1572. Patre *Johanne*, Cive honeſto, Matre *Annâ Leuſeriâ*. Suſceptorem è S. Baptiſmi lavacro habuit *Manckium*, civem *Goth.*

Cum Patrem primo ætatis anno amiſiſſet, Avus maternus *Johannes Leuſer*, nepotem hunc ſuum filii loco educavit, eumq; ſexennem ſcholæ oppidanæ admovit. A. 1591. In Academiam *Lipſienſem*, ex conſilio M. *Johannis Helderi*, & cum ejusdem commendatitiis ad D. *Matthæum Dreſſerum*, Med. & Hiſtoriar. Profeſſorem ſe contulit. Sed adverſâ valetudine afflictus, poſt ſemeſtrè ægrè transactum, domum rediit, ubi per totam hyemem A. 1591. malè ſe habens, adeò, ut hydropis etiam metueret inſultum, eò miſeriæ redactus eſt, ut de ſtudiis abrumpendis cogitaret.

Argentorati Med. ſtudet.

Sed cum circa ver A. 1592 ſtudioſus quidam eruditus, *Philippus Waldecker* nomine, *Gotham Argentorato* veniſſet, & mirè prædicâſſet tum Academiæ commoditatem tum Profeſſorum humanitatem, movit ea res avum maternum, ut nepoti eò proficiſcenti, viatico ſimul ſuppeditato, autor fuerit. Huic obſecutus, Pædagogiis in illâ Academiâ privatis vitam tenuiter ſuſtentavit, de curſu tamen ſtudiorum nihil remiſit.

Altorffi ſtudet.

Biennio ibi exacto *Norimbergam* venit, ubi Mecœnatem nactus eſt *Matthiam Schillerum*, Protonotarium, qui virtutum ejus apud Viros Reip. primarios laudator effecit, ut menſ. Aug. A. 1595. cum ſtipendio & diſcipulis privatis in Academiam *Altorffinam* ablegaretur, ubi ſeptennium peregit, & docentes præter alios audivit *Nicolaum Taurellum* & *Philippum Scherbium*, Med. Doctores & Profeſſores.

Stipendio Eicholtziano aureo inſtructus, Patavium diſcedit.

Ita deniq; ſe geſſit Medicinæ ſtudiis inſudans, ut Præceptorum ſuorum & Senatûs inclyti *Norimberg.* favore A. 1602. Stipendium aureum vocatum, ob 100. florenos aureos à D. *Johanne Aicholzio*, Medico *Vienenſi* ſtudioſo cuidam Medicinæ quotannis deſtinatos, impetrârit, quo inſtructus *Venetorum* Academiam *Patavinam* acceſſit.

Medicinæ Doctor Baſileæ.

Ibi triennio peracto, cum alia quoque *Italiæ* loca monumentis celebria perluſtrâſſet, & linguam *Italicam* expeditè didiciſſet, A. 1605. *Baſileam* rediit, & Doctoris gradum petiit, quem 10. Dec. impetravit, inter 4. Candidatos primo loco ſolenniter promotus, Rect. magnifico *Felice Platero*, Archiatro, Decano verò in eâdem facultate *Petro Riſio*, Mathematum Profeſſore.

An. 1606. circa Paſcha *Baſileâ Norimbergam* rediit, & cum circa autumnum peſtis in eam Urbem & ipſam Academiam *Altorffinam* graſſaretur, à Dnn. Scholarchis Medicus eſt conſtitutus peſte infectorum, ſalario 6. florenorum in ſingulas ſeptimanas deſtinato. Hoc officio periculi pleno cum ita perfunctus eſſet, ut ejus benevolentiam & dexteritatem experirentur plurimi, omnes verò boni celebrarent, ex commendatione Dnn. Profeſſorum in locum *Nicolai Taurelli* anno prægreſſo peſte ſublati A. 1607. Medicinæ Profeſſor in Academiâ *Altorfinâ* conſtitutus eſt.

Medicinæ Profeſſor Altorffi.

Nuptias celebrat.

9. Nov. ſeq. Nuptias ibidem celebravit cum virgine *Mariâ Magdalenâ*, filiâ D. *Johannis Buſenreuteri*, J. C. & Reip. *Norimb.* Conſiliarii, primique in Facultate Philoſophicâ apud *Altorfinos* Decani, & *Mariæ*, è *Füreterorum* Patriciâ familiâ oriundæ. Ex eâ 6. filias ſuſcepit, quarum duæ, *Anna Sibylla* & *Sabina* deſponſatæ *Altorffi*, illa D. *Chriſtophoro Kernio*, Medico *Gothano* An. 1630. hæc D. *Andreæ Lauxio*, Phyſico *Norimbergenſi* An. 1639. Cœteræ 4. filiæ partim infantes partim nubiles vitâ deceſſerunt.

Rectoris in Univerſitate munere quater, Decani verò in facultate Medicâ quinquies cum laude functus eſt. 30. Junii A. 1619. cum Rectoratum pro more conſueto depoſuiſſet, in ejus locum Rector electus eſt *Achatius* junior, *Burggravius* & *Baro à Dohnâ*, eique adjunctus Prorectoris nomine *Mich. Virdungus*, Eloquent. & Hiſtor. Profeſſor.

Moritur.

Ingraveſcente ſenectute cum in publicum prodire non amplius poſſet, domi auditores ſuos Med. ſtudioſos fideliter docuit, donec viribus deficientibus, cum pridiè veſperi Uxori, Filiæ, & Neptibus extremum vale dixiſſet, easque ſuo exemplo DEI miſericordis opem firmiter ſperare juſſiſſet, ſpiritum emiſerit 3. Nov. A. C. 1648. æt. 76. Profeſſ. Med. 41.

Scripta:

Scripta.

Rejectanea Pathologica, de Morbis Formæ & Materiæ, à Fernelio & Argenterio per ſomnum viſis. in 8vo. Pathologia parva, quâ Methodus Galeni Practica explicatur. in 8vo. De formarum Origine ſecundum Ariſtotelem. De generatione hominis libri IV. contrà Mundinum Mundinium. in fol. De locis affectis Libri III. in 12mo. De Febribus. De Thorace, ejusque partibus Comment. in fol. De uſu cerebri Diatriba ſecundùm Ariſtotelem. De ichoribus Collectanea, in 8vo. Variarum Lectionum Libri VI. in 8vo. De uſu Lienis ſecundùm Ariſtot. in 8vo & 12mo. Inſtitutiones Medicæ Lib. VI. in 4to. Opuſcula varia. Inſtitutionum Med. Epitome. in 12mo. Pro Veritate Opellæ tres. in 4to. De calido innato & Spiritibus Syntagma. in 4to. De Methodo medendi. in 4to. De Medicamentis Officinalibus Libri II. Opus 30. annorum. 1647. in 4to. Comment. in Galeni de Uſu partium Corporis humani Libros XVII. in fol. in Galen. de Oſſibus. in fol. Orationes in Promulgatione Privilegiorum Academiæ Altorf. & in creatione duorum Med. Doctorum A. 1623. habitæ. in 4to.

* *Ex Programmate funebri Georgii König, Theol. D. & Prof.*

CASPAR HOFMANUS.

Per anagr. *G. Theod. Hofmanni:*

Pus curans ſas amo.

GEORGIUS NöSLERUS.

Obiit A. C. 1650.

NAtus eſt *Coloniæ ad Suevum*, *Marchiæ Brandenburg.* Urbe, 10. Maji A. C. 1591. & ex Sacro fonte ſuſceptus, à *Joh. Georgio*, Electore *Brandenburgico*. Patrem habuit *Martinum Nöslerum*, Eccleſiaſtem, qui Librum elegantem edidit de *ſalvandorum paucitate*, duobus Electoribus *Brand. Georgio* & *Joach. Friderico* fuit à Sacris Confeſſionibus, Concionator aulicus, Conſiſtorii aſſeſſor primarius, Conſiliarius Eccleſiaſticus, & tandem Templi Cathedralis *Coloniæ* Decanus: obiit tandem A. 1680. Matrem habuit *Evam Melborniam*, ex celebri familiâ natam inquâ ſplenduit Pater ejus *Baſilius Melhorn*, J. C. *Comes Palat.* & Jur. Profeſſor *Francofurti ad Viadrum*.

Puero adhuc cum Sereniſſ. Elector Patrinus Canonici locum in Templo Collegiato vacuum obtuliſſet, Pater pro tantâ clementiâ gratias ſe agere dixit ipſius Celſitudini, quia tamen filium non otio, ſed optimarum artium ſtudiis mancipatum optet, malle ſe

Princi-

Principis clementiam in ejusmodi munificentiæ genere, quo ſtudia filii juvarentur, experiri, quàm tali, quo etiam ignavi frui poſſint.

Fratres ejus tres eruditi.

Tres habuit fratres, quorum primus *Adamus* Jur. Doctor *Altorfii* creatus, Conſiliarius fuit Electoris *Brandenb.* alter Principis *Transſylvaniæ* Medicus, tertius Jur. Candidatus praxi jam forenſi *Pragæ* deditus, primis belli *Bohemici* tumultibus implicatus, & ita in militiam abreptus, cum per aliquot gradûs Officiorum militarium aſcendiſſet, vitam tandem ſub ſignis *Polonicis* laudabiliter finiit.

In Scholâ Hallenſi ſtudia inchoat.

Adoleſcens à Patre *Halam Saxonum* ablegatus, & *Johanni Æſchardo*, Scholæ Rectori, commendatus, ab eo præclaram in Linguâ Græcâ, & Poëſi cognitionem adeptus eſt.

Encomium ei datum.

Hic *Æſchardus* 22. Maji A. 1606. ita ſcripſit ad Dom. *Mart. Nöslerum: De filio tuo quicquid compertum habeo, ſubjicio, & uno hoc verbo, quod apud non paucos illius ætatis Defectivum eſt, omnia comprehendo, proficit. Volupe mihi eſt legere ejus puerilia, quæ ſi ætatem ſpectes, ſunt ejusmodi, ſi genus ſcriptionis & mentem, Senilia.*

Patronos ibi habuit Dom. *Caſp. Goldſtein*, Conſilii *Magdeburg.* aſſeſſorem, *Matthiam Köppium*, Advocatum, & potiſſimùm Dom. *Chilianum Stifferum*, Cancellarium, quem alterum parentem expertus eſt.

Med. ſtud. Francofurti.

Biennio elapſo, *Halâ* domum, ob peſtis contagia, reverſus, cum animum ad Jurisprudentiæ ſtudia pronum patri aperuiſſet, eo dehortante Medicinam amplexus eſt, & in Academiam *Francofurtenſem* ſe contulit, hoſpitio uſus D. *Chriſtoph. Pelargi*, Theologi celebris.

Ibi Philoſ. *Ariſtotelicæ* & naturali operam dedit, Præceptorem fidelem adeptus *Henningum Arniſæum*, ſub cujus Præſido Diſputationem de imperfectè mixtis publicè defendit.

Wittenberga.

Triennium cum ibi ſtudiis exegiſſet, mortuo Dom. Parente, *Wittenbergam* ſe contulit, animo D. D. *Danielem Sennertum* docentem audiendi cupido, & per ſeſquiannum hoſpitio uſus M. *Jacobi Martini*, Philoſophi clariſſimi, cum adverſâ valetudine & febribus affligeretur, *Francofurtum* ad matrem regreſſus eſt. Ibi cum in notitiam veniſſet Dom. *Adami Gans*, Baronis in *Budlitz* cum eo Principis, tunc ſui Legato A. 1611. ad Conventum Electoralem *Northergam* profectus, indè in Academiam *Altorfinam* Profeſſores primarios ſalutatum excurrit.

Altorfii Profeſſores ſalutavit.

Cum eodem Legato in patriam redux, A. 1612. Matri vitâ defunctæ *Francofurti ad Viadrum* juſta perſolvit. Deindè *Helmſtadium* ſe conferens, domeſticus ibi factus *Henningi Arniſæi*, & paulò ante *Francofurto* ab *Henrico Julio*, Duce *Brunsvicenſi* vocati, & Convictor *Johannis Wolfii*, Botanici celebris, Summorum quoque Virorum, *Johannis Caſelii* omnis eruditionis parentis, *Cornelii Martini*, Log. Profeſſoris, *Heinrici Meibomii*, Poëtæ & Hiſtorici, *Georgii Calixti* & *Conradi Horneji* Theologor. converſatione frequenti & eruditâ gaviſus eſt.

Helmſtadii Med. ſtud.

Patavii Med. ſtud.

Cum annos ibi duos exegiſſet, A. 1614. *Patavinam Venetorum* Academiam adivit, ubi Medicis adhæſit celeberrimis *Roderico Fonſecæ Ulyſſiponenſi*, *Hieronymo Fabritio ab Aquapendente*, *Benedicto Sylvatico Patavino*, *Sanctorio Sanctorio Juſtinopolitano*, *Thomæ Minadoo*, *Proſpero Alpino* Botanico, *Julio Caſſerio Placentino*, *Adriano Spiegelio Bruxellenſi* Anatomicis, & *Johanni Prevotio Germano*. Imprimis verò ex conſuetudine *Cæſ. Cremonini* plurimum ſe profeciſſe ſæpiùs profeſſus eſt.

Virorum tantorum cum *Nöslero* conjunctionem etiam *Jac. Philippus Tomaſinus*, Epiſcopus *Æmonienſis* in Elogiis ſuis Virorum illuſtrium ad poſteritatem celebrem reddidit.

Bibliothecar. & Conſil. Pat.

Ibidem Bibliothecarii & Conſiliarii munus per annum geſſit, cumque Duci *Venetor. Johanni Bembo* de felicibus Imperii ſui auſpiciis, Nationis *Germanicæ* nomine, unà cum nobili *Georgio Riedeſelio* gratulatus eſſet, utrumque Princeps oſculo excepit.

Privilegia ſingularia adeptus, primus al Bò Doctor Medicinæ creatus eſt.

Crebris quin etiam ſolicitationibus Univerſitati *Patavinæ* A. 1615. Privilegia *Venetiis* adeptus eſt, Doctores in arte medicâ creandi Candidatos illos, quibus in Bullam Pontificiam jurare religio eſſet, ipſeque inter primos cum applauſu Philoſ. & Med. Doctor renuntiatus eſt in Collegio *al Bò* vocato menſ. Febr. A. C. 1617. paulò poſtquàm *Româ* reverſus fuerat, & primarias *Italiæ Urbes* perluſtraverat.

Cum verò poſteà reditum in patriam paraſſet, & *Altorfii* ſubſtitiſſet unà cum comite itineris D. *Daniele Fabritio Dantiſcano*, nundinas ibi *Lipſienſes* expectare cupidus, uſi intereà hoſpitio D. *Caſp. Hofmanni*, Med. Prof. animum tentârunt Domini Profeſſores, an ſpartam *Erneſti Soneri*, Philoſ. & Med. Doctoris dudùm defuncti ſuſcepturus eſſet? Ille verò nil certi promittens tunc in patriam reverſus, ab Electore ſuo clementer exceptus, & torque aureo donatus eſt.

Ab Elect. Brand. torque aureo donatur.

Altorfii Phyſ. & Medicinæ Profeſſor.

Sed cum deindè A. 1618. ab Academiæ *Altorfinæ* Curatoribus ad munus Profeſſoris in Philoſ. naturali & arte medicâ ſolenniter vocatus eſſet per literas à Dom. Doct. *Georgio Remo*, Univerſ. poſteà Procancellario ad ipſum ſcriptis, hortante *Arniſæo*, illud alacriter ſuſcepit, & conditionem apud Cathedrales *Magdeburgenſes* eodem tempore ſibi oblatam præterivit.

Archiater Palat.

Circa id tempus à Principe *Joh. Friderico*, Com. Palat. *Hilpoltſteinenſi* munus Archiatri ſibi oblatum accepit. Mox in Acad. *Altorfinam* veniens, omnium expectationes implevit.

Conjugium ejus primum.

A. 1619. in Collegium Medicorum *Norimberg.* receptus, locum ſibi competentem abinde retinuit. Paulò pòſt conjugio ſibi junxit *Urſulam Schwabiam*, *Euſtachii Unterholtzeri* viduam, ex quâ Pater factus eſt duarum filiarum, brevi pòſt in aliam vitam translatarum. Ea verò An. 1631. ult. Junii die, quo Rectoratum depoſuit, vitâ exceſſit.

Facundiâ ſuâ periculum ab opp. Altorfio avertit.

Eodem anno cum à milite *Tilliano* provincias vaſtare aſſueto devaſtatio & expilatio oppido *Altorfino* immineret, oratione & ſuadelâ ſuâ invictum illum Martis pullum permovit, ut ſecuritatem Univerſitati tribueret, & oppido parceret, ne exureretur: cum enim paulò antè Cœnobii *Gnadenbergæ* tectum ex ligno artificioſiſſimè fabricatum per nimiam & inconſideratam tormentorum exploſionem à *Suecis* hoſtibus incenſum, indeque cineres fuiſſet redactum, *Altorfini* tunc in ſummo trepidabant incendii periculo.

7. Med. Doctores uno actu creavit.

Eodem anno 1631 cum in feſto Academico Sanctorum *Petri & Pauli* 7. Medicinæ Doctores in uno actu creaviſſet, poculum ab iis argenteum muneris loco accepit, quod *Altorfii* Collegio Medico legavit.

A Croatiis captus Neogaram abductus.

8. Junii A. 1632. *Noribergam* proficiſcens, propter inſtantem obſidionem mandata à Magnificis Dom. Scholarchis ipſe tunc Rector Academiæ petiturus & accepturus, captus in viâ cum D. *Ægidio Agricolâ*, Jur. Prof. & aliis à *Croatis* Cæſareis ſub Duce *Adamo Battiano* militantibus *Neogaram* deductus eſt. Ibi Barbari ante diverſorium diſpoſitis ordine aliquot truncatis capitibus novum captivis horrorem incuſſerunt, ne eandem immanitatem & ipſi experirentur.

Dum indè *Ambergam* duceretur, non ſemel currentes ponè ſe nudis acinacibus *Croatas* ſibi minitari audivit de capite vel uno ictu amputando. *Nabburgum* demùm ad Electorem *Bavariæ* deductus eſt per *Battiani* miniſtros, qui etiam Electori capita illa amputata cupiebant offerre, niſi fœtor intolerabilis prohibuiſſet.

Acceptus Comiti Altringero.

Dux *Bavariæ* Comiti *Altringero* commendavit eum, à quo humaniſſimè habitus & eodem ſæpè curru vectus ſine ullâ cuſtodiâ in Caſtris *Cæſareis* & *Bavaricis* Medicinam feliciter exercuit. Hâc de cauſâ multa magnaque ſoſtra conſecutus, & à Duce *Fridlandiæ Wallenſtenio* torque aureo magni pretii donatus eſt. Hujus quoque Medicus D. *Juſtus Stroperius* humaniter eum habuit.

& Duci Fridlandiæ.

Dives è captivitate domum redit.

Poſt pugnam deindè *Lutzenſem Lipſiæ* relictus, ocyus indè diſceſſit, & menſ. Jan. A. 1633. feliciter *Altorfium* repetiit, ex captivitate quinquemeſtri lytri loco, quod cæteris perſolvendum fuit, ultra 500. florenos domum deportans.

Intereà literas à fratre *Adamo*, J. C. & Conſiliario Elect. *Brandeburg.* accepit, ut in patriam ſe reciperet, & Principi Electori operam offerret hortantes, ſed ille D. *Ludwello* & D. *Cobio* amicis ſingularibus ad ſe revocantibus obtemperare maluit.

Conjugium ejus alterum.

30. Julii A. 1633. *Norimbergæ* alteram duxit uxorem virginem *Catharinam*, *Marci Friderici Pfaudii*, Mercatoris primarii filiam, ex quâ 5. ſuſcepit filios, & inter hos A. 1639. gemellos; ſed unum tantum *Joh. Georgium* ſuperſtitem reliquit, A. 1635. natum, cujus Mater 18. Febr. A. 1644. exſpiravit.

Tempore Profeſſionis ſuæ 32. annorum Lectiones omnes tam Phyſicas quàm Medicas memoriter habere ſolitus eſt, 14. Medicinæ Candidatis diverſis vicibus Doctoris titulum contulit, Rectoris officio quinquies functus eſt, & primo ex his gemino, quod *Altorfii* nemini ante ipſum contigit, nec deinceps continget: quo enim A. 1623. Rectoratum juxta privilegia Academiæ ſuſtinebat, eodem Univerſitatis & Doctor. creandorum jura humeris ipſius primùm impoſita ſunt. Tertium Rectoratum ſuſcepit A. 1630. quo frater ejus *Antonius Nöslerus* Conſil. *Brandeburg.* Doctor Juris ſolenniter ibi renuntiatus eſt, & cum an. ſeq. ſucceſſor ejus M. *Georgius Mauritius* obiiſſet, denuò ſceptra Academica apprehendit, & An. demùm 1636. quintâ vice. Decanatum Medicum octies, & Philoſophicum ſexies cum laude adminiſtravit.

Rector duplex Academiæ & Univerſitatis.

Encomium, & Mores ejus.

Vir fuit facie præditus liberali, corporis ſtaturâ eleganti & procerâ, moribus ſuaviſſimis, in converſatione comis & humaniſſimus, ambitionis oſor, ſtudioſis Album amicorum offerentibus ei inſcribere ſolitus eſt:

Magna aliis mihi ſi ſit bona, fama ſat eſt.

Libros ſcribere noluit.

Nihil unquàm Librorum typis publicare voluit, dicere ſolitus, eos, qui libros edunt, nil indè plus accipere commodi, quàm quod Catalogum anniverſarium *Francofurtenſem* Librorum editorum, vel edendorum nominibus ſuis illuſtrent: & aliquando ab amico interrogatus, cur nihil ſcriberet, & typis emitteret? brevibus reſpondit: *Malo te & tui ſimiles hoc quærere, quàm cur aliquid ſcripſerim?*

Scribimus indocti paſſim doctique libellos,
Quo pro lectoris captu ſua fata ſequuntur.

Memoriâ præditus mirabili paucis ante obitum diebus verſus quàm plurimos in juventute vel lectos vel ſcriptos expeditè recitavit, ſed rerum domeſticarum, etiam quæ nudius tertiis acciderant, obliviosior fuit. A. 1646. Cum lecto jam affixus audiviſſet Dei clementiâ Pacem tandem in Imperio Romano ſtabilitam fuiſſe, præ gaudio lachrymas fudit, DEOque gratias egit, quod ante obitum ſummum hoc Reip. Chriſtianæ bonum à Divinâ clementiâ conceſſum viderit. Ægrotis pauperibus non modò gratis conſilia impertivit; ſed & ſubſidiis in Pharmacopolio non rarò providit. Pauperibus in oppidi *Altorfini* xenodochio legatum deſtinavit, Templo verò Calicem argenteum deauratum cum patinâ magni pretii ſuo & Uxoris Pfaudiæ nomine conſecravit.

Munificentia ejus.

Morbi ejus & obitus.

Podagricis doloribus à multis annis afflictus, non ex intemperanti vitâ, ſed hæreditario quaſi jure à Dom. Parente 14. annis iisdem laborante exortis, accedentibus ſæpius doloribus colicis & nephriticis, viribus ſenſim conſumtis, placidè tandem in Chriſto exſpiravit *Altorfii* 9. Julii A. C. 1650. ætatis 59.

GEORGIUS NOESSLERUS.
Per anagramma:
G. *Theod. Hoſmanni.*
SOL GREGIS USU SERENO.
NOESSLER per anagr. *En ſoleis*

En! os gregis ſolers uſu.

* *Ex Concione fun. D. Georgii König, ex Programmate fun. D. Ludov. Jungermanni Med. Prof. & ex Oratione, quam in ipſius memoriam habuit D. Nicolaus Rittershuſius Jur. Prof.*

Eteoſtichon *Anton. Mülholzeri* L. L. Stud.

QVo PaX TeVtonIbVs qVæsIta eſt InCLIta & aLta,
HVIVs eò Lapſa eſt Longa CoLVMna SCboLæ.

Obiit A.C. 1650.

CHRISTIANUS PERIZONIUS.

Filius Theologi.

NAtus eſt An. C. 1609. in arce *Brakenſi*, propè *Lemgoviam*, oppidum Comitatûs *Lippiaci*, ubi tunc Pater ejus *Antonius Perizonius*, Eccleſiaſtæ aulici munere functus eſt, ex Sholâ *Steinfurtenſi*, ubi Conrectoratum gerebat, eò vocatus: Mater ei fuit *Wippina Trop*, Civis honeſti *Steinfurtenſis* filia unica.

Bremæ Lectiones publ. frequentat.

Puer à parentibus inſtitutioni Scholæ *Lippiacæ*, quæ erat *Dethmoldiæ* Præceptorum commiſſus, indè *Bremam* traductus, ibi Lectiones publicas diligenter frequentavit, & Præceptores coluit D. *Matthiam Martinium*, Theol. & Philol. Profeſſorem, D. *Gerhardum Nevevilium*, Med. Prof. & M. *Balthaſarem Willium*, Prof. Log. & Metaphyſ. Poſt aliquot annos *Gröningam* ſe recepit, & Medicinæ penitiùs ſe conſecravit, ſub Præceptoribus D. *Joh. Freitagio*, & *Conrado Matthæo*, ſub quorum inſtitutione colophonem ſtudiis Academicis impoſuit, 1. Febr. A. 1639. Doctoralem dignitatem, Promotore D. *Freitagio*, conſecutus.

Gröningæ Med. ſtud.

Medicinæ Doctor.

Poliater Oldenzaliæ. Deſponſatur.

In agrum deindè *Tubantinum* ſe contulit, & *Oldenzaliæ* Poliatri titulum admiſit. Ibi 29. Nov. A. 1640. matrimonii vinculo ſibi junxit virginem *Margaretham*, *Andreæ Hetſinge*, Civis *Gröning.* filiam: ex quâ 5. filiolas ordine ſuſtulit, ac duos filios: è quibus tres gnatas filiumque alterum poſthumum cum Matre viduâ reliquit ſuperſtites.

Medicinæ Profeſſor Gröningæ.

Gröningam cum familiâ reverſus, deſignatus eſt ab Illuſtr. *Gröningæ* & *Omlandiæ* Ordinibus Medicinæ Profeſſor, & inaugurali ſermone in muneris functionem immiſſus eſt 19. Jan. A.C. 1647. moxq; à Profeſſorum Collegio in Academiæ Secretarium electus.

Academiæ Secretarius.

Eâ verò laude munus ſuum geſſit primùm extra ordinem, ut poſt 3. annorum decurſum Ordinarii Profeſſoris titulus & honos illi fuerit adjectus, tumq; anno Academico vertente ultrò ſe Secretariatûs laboribus liberatum quæſivit. Toto illo functionis ſuæ currente tractu vegeto fuit & corpore & animo, niſi quod circa æſtatis proximè ante obitum elapſæ initia graviſſima tormina ſentiret, acutosque ventriculi dolores, & vomitûs pateretur, immanes identidem recurrentes, aſſumtis interim in merum quaſi acetum abeuntibus, cardialgiam ſimul ac vomitûs exacerbantibus. Indè tunc ſibi morbum lethalem fore fratri ſuo germano *Antonio Perizonio*, Scholæ *Dammonenſis* Rectori non ſemel teſtatus eſt. Acceſſit tandem repentinus ſanguinis puri & rubelli vomitus, cum paroxyſmis epilepticis, ſicque placidè in Domino obdormivit 29. Sept. A.C. 1650. ætatis 41.

Variis morbis conflictatur.

Moritur.

* *Ex vitis Profeſſorum Gröning.*

Obiit A.C. 1652.

JACOBUS FABRICIUS.

NAtus eſt *Roſtochii* 28. Aug. A.C. 1576. Patre *Henrico Schmid*, inter Piſtores ſeniore, Centum viro, & Ærarii Urbis Præfecto, Matre *Dorotheâ Wulfes*.

Præclara pueri indoles in diſciplinam domi tradita Clariſſ. Viro *Nathan: Chytræo*, deinde in Scholâ *Luneburg.* mox in patriâ Academiâ perficienda. Sedecim annorum dignus præ aliis viſus fuit, qui mitteretur ad *Tychonem Brahe* in *Huenam* inſulam & domum *Uraniburgicam*, ubi junctus *Christiano Longomontano* Mathematico excellenti cum laude præſtitit *Tychoni*, ad quæ requiſitus fuerat.

Medicinæ Doctor Jenæ.

Confectis ibi 4. annis, luſtratisque *Belgio Angliâ*, in *Germaniam* ſuper. reverſus A. 1602. Doctoris Medici gradum conſecutus eſt, jam ante & Philoſophiæ Magiſter, & Poëta laureatus.

Conjugium ejus, & Liberi.

Patriæ redditus, anno ſeq. matrimonio ſibi devinxit virginem *Margaretham*, filiam *Rudolphi Mölleri* Civis *Roſtochienſis*, ex quâ filios 4. ſuſcepit, & 5. filias. Filiarum una *Eliſabetha* in uxorem data *D. Simoni Pauli* Ser. Regis *Daniæ Medico*, altera *Sophia* nupta D. *Danieli Sandovio* J. U. D.

Archiater Guſtrov.

Primo initi conjugii anno adſcitus eſt in Archiatrum aulicum *Guſtrovienſem* â *Sophiâ*, Ducis *Johannis* Viduâ, poſtea â filio *Johanne Alberto*.

Med. & Math. Profeſſor Roſtochii.

A. 1612. Medicinæ etiam ac ſuperiorum Mathematum Profeſſio ipſi *Roſtochii* collata fuit, quâ ita deinceps defunctus eſt, ut totam Academiam nominis ſui celebritate illuſtraret.

Cum A. 1628. bellico terrore pene exanimatum eſſet Reip. Acad. corpus, inhiante fortunis Academicis milite, ſolius hujus *Fabricii* merito illas ſervatas Annalibus inſertum legitur.

Archiater Regum Daniæ Chriſtiani IV. & Frid. III.

A. 1637. â *Chriſtiano IV. Daniæ* & *Norwegiæ* Rege in aulam Regiam honorificè evocabatur, quâ clementiâ exceptus quoque fuit â *Friderico III. Daniæ* Rege Succeſſore.

Moritur.

Paucis tandem extremis vitæ annis ex maraſmo ſenili virium jacturam aliquam facere cepit, donec 16. Aug. A.C. 1652. æt. 76. inter preces & ſuorum lachrymas conſtante mente & compoſito vultu piè placidèque exſpiraret.

* *Ex Programm. fun. Decani facult. Med. Roſtoch.*

Epitaphium *Roſtochii* erectum vel erigendum.

Epitaphium.

D. O. M. S.

DOCTOR JACOBUS FABRICIUS ROSTOCHIENSIS, DUORUM POTENTISS. DANIÆ NORWAGIÆ REGUM CHRISTIANI IV. AC FRIDERICI III. NEC NON JOAN-

Digitized by Google

NIS ALBERTI AC SOPHIÆ MATRIS ARCHIATER, PATRIÆ ITIDEM ACADEMIÆ PER XL. ANNOS MED. AC MATHEM. PUBL. PROF. VIRTUTE AC ERUDITIONE SUA FAMILIÆ SUÆ PRÆLUCENS, POSTQUAM ANNOS LXXV. NATUS MDCLII. VITAM GLORIOSE HAFNIÆ FINIISSET, HAC TRANSFERRI VOLUIT, UT EADEM URNA CUM UXORE SUA MARGARETGA MYLIA, LIBERIS, AC NEPOTIBUS HIC ANTE TUMULATIS CONDERETUR. CUJUS HONORI AC MEMORIÆ ÆTERNÆ HOC MONUMENTUM L. M. Q. STAUERE GENERI ET FILLÆ.

D. SIMON PAULI S. R. M. DAN. ET NORW. DANIEL SANDOVIUS, FRIDERICI III. MEDICUS, AC PRÆLATUS ARHUSIENS. J.U.D. ELISABETHA FABRICIA. SOPHIA FABRICIA.

* *Ex Ciſtâ Medicâ Thomæ Bartholini.*

Scripta:

Scripta. *Inſtitutio Medici Practicam aggredientis. Roſtochii 1539. in 4to. Uroſcopia, ſeu de Urinis Tractatus. Roſtoch. 1605. in 4to. De Cephalalgiâ autumnali. 1617. in 4to. Diſſertatio de nov-antiquo capitis morbo & dolore, cum aliis Diſquiſitionibus Medicis, de difficilioribus nonnullis materiis Practicis. in 4to. De vulneribus capitis & aliarum partium ſingularibus Epiſtola. Extat cum Gregorii Horſtii Obſervat. Med. ſingular. lib. IV. prioribus. Ulmæ 1628. in 4to. Oratio Renuntiationi novi Med. Doctoris præmiſſa, de cauſis cruentantis cadaveris præſente homicidâ. Roſtochii 1620. in 4to. Diſputationes publicè habitæ Roſtochii & Hafniæ: De Juramento Hipp. De Colicâ. De Vertigine. Catarrho, Peripnevmoniâ. Pleuritide. Empyemate. Hæmoptyſi, Phthiſi. Anginâ. Tuſſi. Aſthmate. Ephialte ſeu Incubone. Dyſenteriâ. De Scorbuto. Variolis & Morbillis. Cholerâ. Ictero flavo. Peſte. Calculo. De Deliciis in genere, & in ſpecie de Phrenitide.*

Obiit A.C. 1652.

JOHANNES BORGESIUS.

PRimam lucem intueri cœpit 13. Junii A.C. 1618. in pago agri *Omlandici* Weſter Witwert. Patrem habuit *Joachimum Borgeſium*, Eccleſiæ in eo pago tunc Paſtorem, poſteà Gymnaſiarcham *Gröningæ*-*num*: Matrem *Gertrudim*, *Henrici Houbing*, primò Rectoris *Dammonenſis*, deindè Paſtoris in pago t' Sandt filiam. *Filius Eccleſiæ Paſtor.*

Septennem Pater in Gymnaſii ſui aream deduxit, in quâ ſubſtitit ad annum 16. ætatis, profecitque non ſolùm in linguâ Latinâ, ſed etiam in Græcâ, ut pauci occurrerent ex Poëtis, in quibus interpretandis magnam difficultatem offenderet.

Gröningæ Philologiæ ſtud. An. æt. 16. Academiæ *Gröning.* civibus aſſcriptus eſt, tunc exorſus à Philologiæ Latinæ & Græcæ ſtudio adeò pertinaciter ei incubuit, pervigil & pernox in omni antiquorum authorum genere, ut non ſolùm eleganter Latinè loqui & ſcribere potuerit, ſed etiam carmen utrâque linguâ felici venâ profundere.

Ad Philoſophiam deindè tam Theoreticam quàm Practicam animum applicuit, ſub manuductione *Matthiæ Paſoris* & *Franciſci Meyvartii*, ſicut intereà ſtudium quoq; Græcum excoleret, auditor frequens D. *Tobiæ Andreæ*: delectabatur quoque diſciplinis Mathematicis, imprimis in deliciis habens Aſtronomiam, in quâ vix dum ex Ephœbis egreſſus, tantos fecit progreſſus, ut in civium ſuorum gratiam ad plures annos accuratas Ephemerides compoſuerit. Amplius admodùm adoleſcens bonâ cum veniâ Dom. Profeſſorum *Gröning.* varia Collegia Mathematica habuit. *Philoſ.* *Mathemat.*

Cum verò toto animo ad medicinæ ſtudium ferretur, brevi tempore plurimùm in illâ profecit, & brevi pòſt ſub præſidio D. *Henrici Welmanni* Theſes medicas cum applauſu propoſuit. In incude hujus ſtudii etiamnum poſitus, tantam artis ſuæ habuit fiduciam, ut auſus fuerit ejusdem tyrocinium deponere in Dom. Parente ſuo, cui ex difficultate reſpirandi ſesquimenſem decumbenti tam feliciter præparatam potionem exhibuit, ut eâdem per DEI favorem brevi priſtinæ valetudini reſtitutus fuerit. *Studioſus Medicinæ.* *Patris aſthma curavit.*

Poſtquàm verò ſexennium in Academiâ *Gröningenſi* exegiſſet, peregrinationem Academicam inſtituere cœpit. Primò ad Academiam *Ultrajectinam* delatus, in eâ modico tempore ſubſtitit, adhærens *Guilielmo Strateno*, tunc domûs *Auraicæ* Archiatro, *Antonio Æmilio*, Hiſtor. Prof. & *Jacobo Ravensbergero*, tum Matheſin docenti. *Peregrinationes ejus Academicæ.* *Ultrajecti.*

Ultrajecto Leidam conceſſit, pellectus Academiæ celebritate, in quâ tunc Medicinam docebant *Otto Heurnius*, *Ewaldus Screvelius*, Practicus feliciſſ. *Adolphus Vorſtius* Botanicus, *Adrianus Falcoburgius* & *Ant. Walæus* Anatomici, cui poſtremo & *Vorſtio*, præ aliis addictus fuit. *Leydæ.*

Juſto tempore commoratus, *Leydæ* in *Gallias* trajecit, fixo primitùs domicilio *Pariſiis*, ut cadavera inſpiciendo (quæ in maximâ hâc urbe quâque ferè hebdomade ſecantur) deveniret ad interiores Anatomiæ receſſus. *Lutet. Pariſ.*

Indè in Athenæum *Andegavenſe* ab A. C. 1398. celebre ſe contulit, in quo quamvis ad multos annos primas obtinuerit Juridica Facultas, tunc tamen in medicâ facult. 8. occurrebant Profeſſores. Ibi prima ei cura fuit, ut Medicis, imprimis Doctori *Bailliſ*, Profeſſorum primario innoteſceret, à quo in convictum receptus eſt; conceſſo adhuc uſu Bibliothecæ, deductus etiam ab eo quotidiè ad valetudinaria publica, adhibitusq; conſultationibus medicis ibi inſtitui ſolitis. *Andegavi.*

Quod dum ageret, à Collegio Profeſſor. Medicorum invitatus eſt, ut pateretur ſibi lauream Doctoralem conferri. Ideò, quod plurimos per annos non fuerat factum, per biduum loco publico à ſingulis Profeſſoribus, pro arbitratu dubia proponentibus examinatus eſt, poſteà diſputationem de Catarrho propoſuit, & teſtimonium tanto candidato dignum ab omnibus Profeſſoribus ſubſcriptum accepit. *Medicinæ Doctor Andegavi.*

Intereà



Digitized by Google


UDOVI. IUNGERMANNUS.
Medicinæ Prof. Altdorf.
OLAUS WORMIUS.
Medicinæ Prof. Hafniens.
IOHAN: FREITAGIUS.
Medicus Ratisbonenſis.
ADAMUS ZUSNER.
Medicus Noribergenſis.
OH. CONRAD, RHUMELI,
Medicus Noribergenſis.
SEBASTIAN, HEINLIN,
Medicus Noribergenſis.
DANIEL GEYGERUS.
Medicus Ratisbonenſis.
GOTHOFRED, MOEBIUS
Medicinæ Prof. Jenenſis.
THOMAS BARTHOLINUS
Medicinæ Prof. Hafniens.
GVILIELM, ERNEST, SCHEFFERUS.
Medicus Francofurt.
ERASM, BARTHOLINUS.
Medicinæ Prof. Hafni.
IOH. LAURENTI, BAUSCH.
Medicus Suinfurtenſis.
IOH. GVILIELM, MANNAGETTA
Medicinæ Prof. Vienna.
ANTONI, DEUSINGIUS.
Medicinæ Prof. Groning.
IOHANNES MICHAELIS.
Medicinæ Prof. Lipsia.
IOH. GEORG. FABRICIUS
Medicus Noribergenſis.

Intereà reputans, quod ea conſecutus eſſet, ob quæ iter ingreſſus erat, inſtructus etiam perfectâ linguæ Gallicæ cognitione, A. 1645. adulto autumno *Gröningam* reverſus eſt.

Uxorem duxit Gröningæ.

Ibi primâ hyeme anni ſeq. 1646. virginem *Catharinam, Danielis Nyeborch* filiam Mercatoris in thori ſui ſociam ritu ſolenni accepit.

Practicus felix.

Abindè praxin feliciter exercens, ſtatim cœpit inclareſcere. In *Galliis* adhuc ſedens, deſtinatus erat Profeſſioni Mathematicæ vacivæ per promotionem D. *Matthiæ Paſoris* ad tertiam Profeſſionem Theologicam: ſed in muneris hujus poſſeſſionem introduci non potuit, niſi propriâ Kal. Decemb. A. 1646. quo die habuit Orationem inauguralem de Mercurio.

Profeſſor Mathem. Gröningæ, & Med.

Tunc multorum erat opinio, eum Medicum futurum incomparabilem, & longè majorem præconio hoc ſe exhibuiſſet, niſi DEO ſecus viſum fuiſſet. Dum enim *Andegavi* moraretur, vini parcus, olei autem prodigus morbum deſperatum incurrit, ex quo licet DEI beneficio tunc fuerit eluctatus, vis tamen illius cerebro incumbens, fluxusque plurimos concitans nervis opticis potiſſimùm obfuit, viſum obſcurando, & tandem planè obliterando, quaſi DEO placuerit per catarrhos eum ſubigere, qui tam feliciter de iis diſputaverat.

Viſu orbatus.

Cœcitas hæc, quam patienter pertulit, interrupit quidem praxin medicam, non æquè tamen profeſſionem, quam non ſolùm obiit, ſed etiam exornavit: & quamvis ſchemata Geometrica delineare non poſſet, ſuosq; ſpectatores in rem præſentem deducere, vivâ tamen voce ſupplevit ea, quæ per oculorum incommodum præſtare non poterat.

Undè uno eodemque tempore pluribus quoque Collegiis privatis ſuffecit, ex quibus maximos fructûs ſe percepiſſe plurimi profeſſi ſunt. Publicæ lectiones erant ſolidæ, nitidæ, & variis hiſtoriis conditæ, maximè illæ, quas in curſu lectionum Geographicarum *Belgii* ſui illuſtrationi conſecravit, quas verè Cygneam ipſius cantionem dixeris.

Cœcitatem poſtremò ſubſecuta eſt febris, quæ mentis delirium ſecum traxit, & linguæ uſum impeditiorem reddidit. Uſus tum operâ Doct. *Antonii Deuſingii* poſt dies 14. à febri immunis factus eſt, interim ſummus languor, cibique & potûs faſtidium viam ſtraverunt ad lethargum, quo, accedente ructu & ſingultu, biduo pòſt placidè in Domino obdormivit, die 22. Nov. A. C. 1652. ætatis 34. Filium reliquit novimeſtrem, *Danielem* nomine.

Moritur lethargo.

Parentavit defuncto *Martinus Schoockius*, Log. & Phyſ. Profeſſor, ex cujus Oratione funebri hæc deſumpta ſunt.

LUDOVICUS JUNGERMANNUS.

Obiit A.C. 1653.

Filius Juris Conſulti.

Natus eſt *Lipſiæ* 4. Julii A. C. 1572. Patre *Caſparo Jungermanno*, Jur. D. & Profeſſore publico, Procancellario & Seniore facult. Juridicæ, qui ſepties Rectoris *Lipſ.* munere functus eſt, nec ullum in Academiâ munus fuit, cujus ille non fuerit particeps: Matrem habuit *Urſulam*, filiam *Joachimi Camerarii Pabeberg.* Profeſſoris *Lipſ.* Fratrem habuit *Joachimum*, Med. ſtudioſum & Botanicum, qui cum gradum Doctoris acceptandi proximus fuiſſet, in itinere *Corinthum* verſùs mari vitam finiit.

Cum in patriâ Medicinæ, & imprimis botanici ſtudii fundamenta poſuiſſet, *Jenam* primò, pòſt *Altorfium* venit, ubi cum biennium tranſegiſſet, (intra quod Catalogum ſpontè naſcentium plantarum cum ſynonymis ſcripſit, quem poſteà An. 1615. D. *Caſp. Hofmannus* typis emiſit) *Gieſſam* ſe contulit, ubi cum hortum ſtudiorum profectibus adjuvandis inſtruxiſſet, Doctor Med. creatus, & ad Profeſſionem Med. publicam promotus eſt A. 1622.

Altorfii ſtudii Botanici cultor, auctor Catalogi plantar. Altorf. ſpontè naſcentium.

Gieſſæ Doctor Med. & Prof. publ.

Hinc per triennium eâ nominis celebritate præfuit, ut in *Angliam*, quo celeberrimi Botanici *Matthiæ Lobelii* ſucceſſor fieret, invitaretur A.C. 1616. Sed ille *Germaniæ* conditiones prætulit. Ad deſcriptionem etiam *Horti Eichſtettenſis* totâ *Germaniâ* celebris laudabilem nec vulgarem operam contulit.

Deſcriptionis Horti Eyſtett. autor.

A. 1625. in Univerſitatem *Altorfinam* invitatus, Profeſſionem ibi Botanicam & Anatomicam ſuſcepit, cui quantâ cum induſtriâ per 28. annos præfuerit, teſtatur *Hortus Medicus ultra 2000. plantarum comprehendens*, quarum præſertim exoticarum cultura ſolertiæ ejus maximam partem debetur. Lectiones publicas in initio paucas habuit, quas deinceps intermiſit, cum ob loquelæ difficultatem malè potuiſſet intelligi, ſed earum loco ſtudioſis Med. inſerviit, dum Collegia in horto Med. Botanica inſtituit, plantas recentes diſtribuit, earumque nomina cum ſynonymis & facultatibus declaravit. Rectoris munere in Academiâ *Gieſſenſi* ſemel, in *Altorfinâ* ter functus eſt. In hanc quoque præclarum affectûs ſui ſignum dedit, cum Bibliothecam ſuam Bibliothecæ publicæ Univerſitatis inſeri poſt obitum ſuum Teſtamento mandavit.

Altorfii Profeſſor Botan. & Anat. Præfectus Horti Medici.

Collegia Botanica inſtituit.

Bibliothecam ſuam Univerſitati Altorf. legavit.

Poëta fuit in fingendis præſertim Anagrammatibus felix. Vitam in converſatione communi duxit eam, quâ moleſtum ſe nemini, comem & commodum omnibus, cum quibus viveret, præbuit: & quod tanto magis in ipſo mirandum, quotidianum convictum non cum ſuæ ætatis hominibus, ſed cum ſtudioſis juvenibus celebrare delectatus eſt, cum vitam duxiſſet cœlibem.

Cœlebs convictor ſtudioſorum.

Ultimis aliquot vitæ annis podagricus, calculis & eryſipelati ſæpiùs obnoxius, accedente tandem gangrænâ ſcorbuticâ, in digitis pedis ſiniſtri, quam impoſitione frequenti Rob ſambuci cauſavit, cum per trimeſtre dolores acerbos ſuſtinuiſſet, viribus fatiſcentibus extinctus eſt cœlebs *Altorfii Nor.* 7. Junii A.C. 1653. ætatis 81.

Mor. ſenex gangrænâ.

Edidit:

Scripta.

Cornu Copiæ Floræ Gieſſenſis proventu ſpontanearum ſtirpium cum Altorfenſi amœ-

amœnè conſpirantis, uti Lipſienſium, Wittenbergenſium, Jenenſium quoque deliciis Herbarum abundantis. Aulæum Academicum, in quo Profeſſorum Gieſſenſium Anagrammata tam Latinæ quam vernaculæ Linguæ notis exhibentur. Solidum Tractatum de Plantarum infantiâ meditatus eſſe fertur.

* *Ex Programmate funebri M. Abdiæ Treu, Math. & Phyſ. Prof.*

LUDOVICUS JUNGERMAN.
per anagr. *G. Theod. Hofm.*
Genus invalidum curo.

LUDOVICUS JUNGERMANNUS.
per anagr. *Luc. Frid. Reinharti:*
Nunc ad vulnus Jeſu migro.

OLAUS WORMIUS.

Obiit A.C. 1654.

Natus eſt *Arhuſii Cimbrorum* 13. Maji A. C. 1558. Patre *Wilhelmo Wormio*, Conſule *Arhuſienſi*, matre *Ingerâ*, *Olai Georgii*, Conſulis *Hortersnenſium* filiâ. Primis literar. tyrociniis in Scholâ patriâ per 6. annos poſitis ad Gymnaſium *Lunæburgenſe* amandatus, mox *Embricæ Cimbrorum* per triennium ſubſtitit inter eruditos, poſteà *Marpurgi* A. 1605. Academiæ initiatus, ſub M. *Rudolpho Goclenio* ſeniore in Philoſophiâ non contemnendos fecit progreſſus.

Diſcipulus Lunæburgi. & Embricæ. Philoſophiæ ſtudioſus Marpurgi & Gieſſæ.

Exacto deindè *Gieſſæ* biennio, hauſtis Theologiæ fundamentis *Argentoratum* ſe contulit A. 1607. Ibi uſus Præceptoribus *Haſenreutero*, *Sebizio* ſeniore, *Spachio*, & hoſpite ſuo *Saltzmanno* per trimeſtre Medicinæ jecit fundamenta, cujus deindè theoriam integrè *Baſileæ* in familiaritate *Plateri*, *Bauhini*, & *Zwingeri* per triennium cum didiciſſet, ſub finem A. 1608. per *Helvetiam* & *Alpes Italiam* petiit, *Patavii* per ſemeſtre ægros viſitando comitem ſe præbuit *Aquapendenti*, *Rudio*, *Vigontiæ* & *Caſſerio*.

Med. ſtud. Argentorati. & Baſileæ. Patavii.

Vere anni ſeq. cum *Henrico Petræo*, clariſſimo Chymico quod reliquum erat *Italiæ*, perluſtravit. *Genuâ* ſolvens, *Marſiliam* appulit, & *Monſpelii* per 4. menſes ſubſtitit, *Varandæo*, *Bradillæo*, & *Bellevallio* familiaris. *Pariſiis Caſabono*, *Riolano* aliisque per menſes duos uſus eſt familiariter, ac artem medicam exercuit.

Monſpelii, & Lutetiæ.

Hinc ob nefariam Regis *Henrici IV.* necem à ſicario commiſſam An. 1610. diſcedens, per *Belgium* & patriam, (*Havniæ* verò tunc Matriculæ inſcriptus, plerisque ac præcipuis Academiæ Profeſſoribus familiaris, gratus & amicus extitit,) venit *Marpurgum* A. 1611. ubi menſes aliquot exercitationes Chymicas varias manuductore *Hartmanno* perfecit. Deindè *Baſiléam* regreſſus, ſummum in Medicinâ gradum ejusdem anni M. D. Promotore D. *Felice Platero* ſummâ cum laude obtinuit.

Marpurgi in Chymicis laborat. Medicinæ Doctor Baſileæ.

Poſteà in *Angliâ* per annum cum dimidio ubi ſubſtitiſſet, ac praxin medicam in familiâ *Ingualdianâ* & urbe *Londinenſi* exercuiſſet, domum menſ. Jul. A. 1613. reverſus, primò literas humaniores in Academiâ *Hafnienſi* per biennium, deindè Græc. Linguam, mox Phyſicam docuit per triennium ad an. 1624. cum in arte medicâ ſurrogaretur, D. *Caſp. Bartholino*, quam medicam profeſſionem inimitabili induſtriâ usque ad finem vitæ adminiſtravit.

Londini praxin Med. exercuit. Hafniæ Profeſſor Philoſ. In Prof. Med. Caſp. Bartholini ſucceſſor.

A. 1615. duxit uxorem Virginem *Dorotheam*, *D. Thomæ Finckii*, Med. Profeſſoris filiam, ex quâ 6. filias ſuſcepit, quarum una *Jugera* nupſit M. *Johanni Schelderupio*, Epiſcopo *Bergenſi*, altera *Soſtrata* in conjugium locata *M. Erico Olai Tormio*, olim Profeſſori Matheſ. poſteà Templi *Mariani Hafniæ* Præpoſito.

Conjugium ejus triplex, & Liberi.

A. 1630. ad ſecunda vota tranſiit cum virgine *Suſannâ*, D. *Matthiæ Jani*, Epiſcopi *Lundenſis* filiâ, ex quâ 3. filios ſuſcepit, duos ſuperſtites, *Wilhelmum* & *Matthiam*.

A. 1638. Tertiam delegit uxorem, virginem *Magdalenam*, *Petri Motzfeldii*, Civis *Hafnienſis* filiam, quæ ſeni vegeto 7. liberos enixa, 4. filios, 3. filias, & poſthumam.

Quinquies intereà Magiſtratum Academicum geſſit: donatus præterea Canonicatu *Lundenſi* à Rege *Chriſtiano IV.* cui ſæpè, uti & Principi *Chriſtiano V.* à Conſiliis medicis fuit. 26. Aug. A. 1654. præter ſtranguriam, quâ per aliquot hebdomadas conflictatus eſt, acceſſerunt alia ſymptomata lethalia, unà cum febre malignâ, quæ corporis univerſi vires ſtatim proſtraverunt, ut nihil proficientibus medicamentis tandem placidè obdormiverit columna Academiæ *Hafnienſis* præſtantiſſima 7. Sep. A. 1654. æt. 66.

Quinquies Rector Hafn. Canonicus Lundenſis. Moritur.

Funus publico programmate à Senatu Academico indictum eſt. Parentavit illi Oratione Latinâ in Auditorio Academico *D. Thomas Bartholinus*, Medicinæ Profeſſor, ejusque in Profeſſione & Rectoratu Succeſſor. Sepultus eſt in templo D. Virginis, in Sacello S. *Rochi* apud primam uxorem, ubi ipſe monumentum in pariete defunctæ illi poſuerat, cum hâc inſcriptione:

Epitaph.

D. O. M. S.

MEMORIÆ RARÆ PIETATIS ET PROBITATIS MATRONÆ DOROTHEÆ FINCKIÆ CONJUGIS SUAVISSIMÆ. EX ANNORUM XIII. CONJUGIO EXOPTATISS. FAX FILIARUM MATRIS PATIENTISS. QUARUM ÆQUALI FACTÆ DIRIBITIONE SOSTRATÆ, ANNÆ DOROTHEÆ TRIGAM TENELLULAM AD ÆTERNA UBI PRÆMISISSET GAUDIA, RELIQUAM AMORIS INTEMERATI PIGNUS, PRIORI ASSOCIATA XI. CAL. DEC. A. C. MDCXXVIII. ÆTATIS XXXII. CURÆ RELIQUIT MOESTISSIMI MARITI OLAI VORMII, Med. D. ET PROF. REGII, QUI CUM LUCTU ET LACRYMIS B. M. H. M. P.

Opera ab eo edita ſunt ſequentia:

Scripta.

Jubilum Evangelicum. Hafniæ 1619. in 4to. Laurea Philoſophica contra fratres Roſeæ Crucis. in 4to. Baccalaureus Philoſophiæ cum ſuis requiſitis & privilegiis. 1621. in 12mo. Commentaria in lib. Ariſtot. de Mundo Roſtoch. 1625. in 8vo. Faſti Danici. in fol. Hiſtoria Norwegica vernacula. 1633. in 4to. Quæſtionum Heſiodicarum Heptades duæ Hafniæ. 1616.

1616. in 4to. Quæſtionum Miſcellanearum decas. Havniæ 1622. Exercitationes Phyſicæ. Havniæ 1623. in 4to. Cosmologiæ Diſceptationes tres. Literatura Gothica, & de priſca Danorum Poëſi. 1651. in fol. Hiſtoria Norvegica vernacula. Havn. 1633. in 4to. Monumentorum Runicorum Libri VI. cum Additamentis ad Monumenta Daniæ. 1643. in fol. Specimen Lexici Runici. in fol. Regum Daniæ ſeries duplex, & limitum inter Daniam ac Sueciam deſcriptio. in fol. Controverſiarum Medicar. Exercitationes XVIII. in 4to. Inſtitutionum Medicarum Epitome, in 4to. De Cornu aureo. in fol. Hiſtoria Rariorū, & Catalogus Muſei Wormiani, in 4to. Hiſtoria Animalis, quod in Norvegiâ aliquando è nubibus decidit, & ſata ac gramina celerrimè depaſcitur. in 4to. Selecta Controverſiarum Medic. Centuria. Baſileæ 1611. in 4to. Muſæum Wormianum, edente Wilhelmo Wormio filio. Lugd. 1655. in fol. Monumentum Trygwaldenſe, in 4to. Tulſchol, ſeu Monumentum Stroenſe in Scaniâ. Hafniæ 1628. in 4to.

* *Ex Oratione Parentali Thomæ Bartholini, & ex ejusdem Ciſtâ Medicâ.*

Obiit A.C. 1654.

JOHANNES FREITAGIUS.

IN mundum hunc natus eſt *Perlenbergæ* 25. Martii A.C. 1587. in ditione *Prignitzenſi* oppido, Patre *Georgio Freitagio*, Senatore ibidem, Matre *Magdalenâ Ruloviâ*.

Cum ab an. æt. 14. in diverſis *Pomeraniæ* & *Weſtphaliæ* Gymnaſiis ſtudium Philoſophicum feliciter abſolviſſet, an. æt. 20. auſpice DEO ſtudium medicum aggreſſus, *Francofurti ad Oderam* id in annum quartum ſub auſpiciis *Henningi Arniſæi*, Medici celeberrimi, continuavit. *Stud. Med. Francofurti.*

Deindè *Wittenbergam* progreſſus, per aliquod tempus apud D. *Danielem Sennertum* convictum habuit. *Wittenbergæ.* Sed cum A. 1612. ob peſtis contagium diſcedere cogeretur, *Viennam* venit, ut praxin medicam addiſceret, & ſtudio *Galenico* Chymicum jungeret. *Viennæ.* Ibi mox familiariter innotuit D. *Wilhelmo Pithopœo*, Medico Cæſareo, qui raras ingenii dotes ejus admiratus, ſæpius eum ad ægrotos curandos ablegavit.

Exindè *Baſileam* diſceſſit, *Baſileæ.* & tandem in Academiam *Patavinam* venit, in quâ cum anni ſpatio ſtudium medicum magis excoluiſſet, & Conſultationibus Medicorum celebrium frequenter adfuiſſet, menſ. Mart. A. 1617. in Collegio *al Boo* vocato, Medicinæ Doctor inter primos renuntiatus eſt. *Medicinæ Doctor Patavii.*

Ratiſponæ tandem ſedem fixam poſuit, ibique nuptias celebravit 23 Jan. A. 1621. *Practicus Ratisbonæ.* cum virgine *Mariâ Jacobe Hulleriâ*, quæ filium ei *Johannem*, & filiam *Annam Catharinam* peperit, in infantiâ demortuos, quos liberos mater 24. Oct. A. 1628. demortua ſecuta eſt. *Conjugium ejus duplex.*

2. Nov. A. 1635. ad ſecunda vota tranſiit, deſponſatus cum virgine *Suſannâ Margaretha*, Dom. *Haymerani Lerchenfelderi*, Senatoris *Ratisbonæ* intimi filiâ, quam ſuperſtitem reliquit, cum filio unico *Theophilo Freytagio*, paternæ eruditionis hærede. Podagricis tandem doloribus exhauſtus, accedente maraſmo ſenili vitam morte beatâ finiit Practicus feliciſſimus 24. Sept. A.C. 1654. æt. 68.

Vidua maritum ſecuta vitam finiit *Ratisbonæ* 18. April. A.C. 1667. ætatis 61.

* *Ex Concione fun. M. Johannis Gänckeri.*

Scripta: *Scripta.*

Kurzer Bericht von der *Melancholiâ hypochondriacâ*, nebens 12. curioſen Fragen von einer *Analogiâ* der groſſen Welt mit der kleinen: dabey des Wunderſteins der Weisheit und Reichthums nicht vergeſſen wird. *in 8vo.*

Obiit A.C. 1656.

THOMAS FINCKIUS.

ORtus eſt in *Cimbriâ* meridionali, ſeu Ducatu *Sleswicenſi*, in oppido *Flensburg* 6. Jan. A.C. 1561. patre *Jacobo Finckio*, avo *Jacobo*, Senatorii ordinis, matre *Annâ Tor Schmeden*, *Thomæ* Senatoris filiâ. In patris, qui *Philippum Melanchthonem* audiverat, ſinu educatus primò, mox in ædibus avunculi *Reinboldi Torſchmeden*, donec annos natus 16. ſedem ſtudiorum *Argentinam* eligeret, *Philos. stud. Argent.* cui quinquennium impendit, & ſub *Sturmio*, *Melch. Junio*, *Beuthero*, *Olphanio*, *Golio*, *Daſypodio*, *Wolckenſteinio*, *Beuzio*, *Havenreitero* Philoſophiæ, Matheſeos, & Eloquentiæ fundamenta poſuit.

Quanquam autem elapſo quinquennio ab Avunculo in patriam revocatus eſſet, qui curâ oneribusque tutelæ, ob ſororem jam elocatam, liberari vellet, noluit tamen petitioni ſatisfacere, antequàm annum ferè Academiis *Germaniæ*, imprimis *Jenenſi*, *Wittenbergenſi*, *Lipſienſi*, & *Heidelbergenſi* tribueret. Domum reverſi, tamæ celebritate motus *Henricus Ranzovius*, *Cimbriæ* Vicarius *Bredenbergam* ad ſe vocavit, & reliquo deinceps vitæ tempore ejus honoribus maximè favit.

Deindè *Baſiléam* conceſſit, *Mathemat.* ubi cum paſſim Viri docti urgerent, ut quas Triangulorum Analyſes ſolidas illas ac expeditas delineârat, partimque ex *Albategnii*, *Regiomontani*, *Reinholdi*, *Maurolyci* particularibus præceptis, partim privatâ induſtriâ in regularum generalitatem redegerat, eas publici juris faceret, ſemeſtris temporis ſpatio commoratus, *Geometriam Rotundi* edidit, quæ, ut juvenilis quidem fervoris ac peregrinationis feſtinatione potiùs effuſa, quàm elaborata cenſeri poſſit; Viris tamen doctis ac præſtantibus artificibus, *Chriſtophoro Clavio*, *Joh. Antonio Magino*, *Adriano Romano*, *Mich. Mæſtlenio*, *Snellio* utrique patri & filio, *Bartholomæo Pitiſco*, *Philippo Lansbergio*, *Nicolao Urſo Dithmarſo*, *Danieli Miverio*, aliisque pluribus ita placuit, ut alii privatis ad eum literis, alii in publicis & lectionibus ſuis & ſcriptis ac monumentis, illius cum honore meminerint.

Relictis autem *Baſileæ* amicis & Præceptoribus *Platero*, *Eraſto*, *Zwingero*, *Stupano*, *Bauhino* *Italiam* petiit. In *Patavinâ* Acade-

 miâ

Patavii Med. ſtud. miâ audivit *Paternum*, *Mercurialem*, *Capivaccium*, *Bottonum*, *Guilandinum*, *Aquapendentem*, *Saxoniam*, *Piccolomineum Mercenarium*, *Jac. Zabarellam* & *Malerium*.

Procurator & Conſiliar. Nat. Germanicæ. Nationis *Germanicæ* interim & Procurator electus, & poſteà Conſiliarius, monumento inibi in Templo D. *Sophiæ* erecto, & Bibliothecâ tum primùm inſtitutâ, quam in amantiſſimum literatæ eruditionis theſaurum utili ac honeſtâ æmulatione Succeſſores auxerunt. In *Piſanâ* Academiâ *Cæſalpinum* & *Bonavicum* elegit amicos, à quibus quoque in publicis Scriptis eſt laudatus.

Florentiæ Noſocomium Mariæ menſium aliquot ſpatio detinuit illum. *Italiâ* quadriennio confecto, prius exire voluit, quàm *Ferrariam*, *Bononiam*, *Senas*, *Romam*, *Capuam*, *Neapolim*, *Puteolos*, *Vicentiam*, *Veronam*, *Mediolanum*, *Taurinum*, *Venetias* cumprimis reliquasque & Academias & urbes nobiliores adiiſſet, & quæ à peregrinantibus in itinere æſtimari debent, diligenter attendiſſet.

Medicinæ Doctor Baſileæ. Deindè *Baſiléam* rediit, ubi à *Theodoro Zwingero* Med. Doctor die *Bartholomæi* A. 1587. renuntiabatur.

Indè celebriores *Germaniæ* partes perluſtravit, *Franciam*, *Sueviam*, *Bavariam*, *Auſtriam* totumque tractum *Danubianum*: item *Poſonium*, *Jaurinum*, ac *Gomorram Hungariæ*; ita tamen, ut ſingulis Academiis *Friburgenſi*, *Wirtzburgenſi*, *Altorfinæ*, *Tubingenſi*, *Ingolſtadianæ*, *Lauinganæ*, *Dillinganæ*, *Viennenſi* temporis juſtam moram tribueret, donec per *Moraviam*, *Bohemiam*, *Miſniam*, *Marchiam*que domum rediret.

Archiater Duc. Holſat. Reverſum Illuſtriſſ. *Philippus*, Dux *Holſatiæ*, *Gottorpium* evocavit, Medicumq; ſuum conſtituit.

Math. & Eloq. Profeſſor Hafniæ. A. 1591. delatam in Academiâ *Hafnienſi* Mathematicam Profeſſionem adiit, donec A. 1602. Eloquentiæ Profeſſioni præficeretur. Non longo poſt tempore Oeconomiæ & Communitatis Regiæ bona adminiſtranda ſuſcepit.

Medicinæ Profeſſor. Et quanquàm Profeſſio medica poſt abitum D. *Andreæ Chriſtiani* Doctori *Petro Severino* Archiatro decreta eſſet, tamen cum immaturo ille fato Academiæ eriperetur, & paulò poſt D. *Andreas Lymoicus* Medicus ſenior eſſe deſiiſſet, factum eſt, ut priusquàm ab illo relictam Medici ſecundi ſtationem adiret, hujus locum An. 1603. conſequeretur.

Conjugium, & Liberi. Interim Conjugium, quod A. 1590. cum virgine *Saſtratâ Ivariâ* in *Friſiâ Eldorenſi* prognatâ contraxerat, filiis tribus & 6. filiabus auxit. Primus natu *M. Jacobus Finckius* Phyſicæ Profeſſor, & Acad. *Haſn.* poſt Parentem Senior cum Conjuge *Margarethâ Terens* Avum fecit duorum filiorum, & totidem filiarum, proavum verò duorum filiorum, totidemque filiarum. Filia natu major *Anna*, quæ nupſit D. *Caſp. Bartholino* Prof. publ. 6. nepotes, unamque neptim

Pronepotes & abnepotes vidit. ſeni *Finckio* genuit, 9. pronepotes, totidemque proneptes, duas abneptes. Altera *Margaretha*, quam duxit D. *Georg. Furenius* 3. nepotes duasque neptes, pronepotem unum & 3. proneptes. Tertia *Dorothea* conjux D. *Olai Wormii* Prof. publ. 6. neptes, 5. pronepotes, & 6. proneptes. Quarta *Druda* uxor D. *Johannis Brochmanni* Prof. Theol. duos nepotes, 4. neptes, & 2. pronepotes, quos ſi numeratos mavis, erunt 79. qui vivente ipſo in hanc lucem ſunt editi.

Quinquies Rector Magn. Magiſtratum Academicum quintum geſſit, & Academiæ negotiis ſpatio 65. annor. vacavit. Regis *Chriſtiani IV.* imprimis in itinere *Norwegico* tum Reginæ utriusque *Sophiæ* & *Annæ Catharinæ* ac Principum liberorum, aliorumque Magnatum valetudini curandæ ſæpius eſt adhibitus. Oeconomi priores ædes & aream duplâ acceſſione locupletavit, novo inſuper cœnaculo pro ſtudioſis alumnis exſtructo. Splendidum illud ædificium, quod *Regentiam* vocant, alumnorum regiorum habitationi deſtinatum ædificavit. Oeconomiæ res ita diſpenſavit, ut plus quàm 40. ultra numerum conſuetum alumni liberâ menſâ alerentur. Ædes communitatis incendio conflagratas reſtauravit. Medicinæ & Philoſophiæ ſtudioſis 3000. Imperiales, pauperibus verò & egenis 1500. legavit, præter alia in pauperes erogata.

Moritur. Laborum tandem & annorum ſatur, viribus quotidiè magis magisque debilitatis febriculâ correptus, cui graves ex calculo pectorisque doloribus affectus acceſſerunt, 14. à decubitu die animam Creatori placidè reddidit 24. April. A. C. 1656. æt. 96. Profeſſionis 66. cum per plures annos Profeſſoris obiiſſet munus, quam quisquam Collegarum, qui tum erat, vixiſſet. Sepultus eſt *Hafniæ* in Sacello *Rochi* Templi B. Virginis, cum hoc Epitaphio:

Epitaph.

D. O. M. S.

THOMAS FINCKIUS FLENSB. PHILOS. ET MED. DOCTOR, ILLUSTRISS. HOLSAT. DUCIS PHILIPPI MEDICUS QUONDAM AULICUS, ACAD. POSTEA HAFNIENS. MATHEMAT. ET ELOQUENTIÆ PER XIII. MEDICINÆ VERO LIII. PROF. PUBL. FACULTAT. DECANUS ET SENIOR, CANONIC. ROCSHILDENS. REGIÆ STUD. OECONOM. LIV. ANN. PRÆFECTUS: DUM VIXIT PATER, AVUS, ABAV. ATAV. LXXIX. LIB. VIDUIT. XLII. ÆTAT. XCVI. KAL. MAJI PLACIDE DEFUNCTUS ANN. MDCLV. EX DORMITORIO SUO GLORIOSAM RESURRECTIONEM EXPECTAT.

* *Ex Programm. fun. M. Sponnami, Rectoris Acad. Hafnienſis. Et Academ. Hafnienſ. repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Scripta. Opera, quæ edidit, hæc ſunt: *Geometriæ Rotundi libri XIV.* Baſil. 1583. in 4to. *Horoſcopographia, ſive de inveniendo ſtellarum ſitu Aſtrologia.* Sleſvici 1591. in 4to. *Tabulæ multiplicationis & diviſionis, ſeorſim etiam monetæ Dan. accommodatæ.* Havn. 1604. *Ephemerides variæ.* Havn. in 4to. *De Conſtitutione Philoſophiæ Mathematicæ. De Hypotheſibus Aſtronomicis mundi dimenſionis, ac primi motûs Circulis. De Ortu & Occaſu ſiderum,*

rum, de Diebus & Noctibus, de Menſibus & Annis. Diſputatio Medica de Peſte. De Medicinæ conſtitutione Diſputationes XVI. Diſputatio de Hydrope. Tres tabulæ quotidianæ numerandi neceſſitati accommodatæ. Havn. in 4to. Theſes Logicæ. Aliæ Philoſophicæ. Appendix de Canonis Triangulorum uſu, etiam in Cyclometricis. Havniæ 1627. in 4to.

Obiit A. C. 1657.

LUDOVICUS LOCATELLUS.

Bergami, patre *Balthaſare*, natus, in prima ætate literis humanioribus operam dedit, & anno æt. 14. Legum ſtudiis applicuit, ſed mox mutato conſilio Medicinæ dare cœpit operam, Chymicis laboribus 20. annos impendens, & *Italiâ*, *Galliâ*, cum *Germania* perluſtratis, *Mediolani* tandem conſedit, ubi arcana plurima ægris ſalutaria compoſuit, & Chymici celeberrimi nomen acquiſivit. *Genuæ* tandem contagio graſſante vitam finiit A. C. 1657. nondum ſenex.

Medicus Chymicus. *Moritur.*

Præter plurima, quæ reliquit, manuſcripta typis emiſit:

Scripta.

Il Trattato della peſte. Il Theatro d' Arcani, nel quâ ſi tratta dell' arte Chimica & ſuoi arcani. Il Lucidario Chymico.

* *Ex Donati Calvi Scenâ literariâ Scriptorum Bergomi, Italicè editâ.*

Obiit A. C. 1659.

HENRICUS FUIRENIUS.

Naſcitur *Hafniæ* die 28. Maji A. C. 1614. parentibus *Georgio Fuiren*, Med. Doct. & *Margarethâ Fincke*. Creſcente ætate primùm in parentis, poſteà in D. *Caſp. Bartholini* ædibus artium liberalium haurit fundamenta. A. 1628. civitate Academicâ donatur. Poſt ſemiannum & patre & avo orbatus. A. 1629 *Soram* ſe confert, binosque menſes in familiâ *D. Burſeri*, Medici & Botanici tranſegit.

Soræ Med. ſtud.

A. 1633. jactis ſtudiorum Philoſophicorum, Mathematicor. & Medicor. fundamentis *Lugdunenſes* in *Bataviâ* Muſas ſalutat, ubi *Johannem Waleum* inter primos ſummum in medicinâ manuductorem habuit, *Falcoburgium* & *O. Heurnium* in Anatomicis, *Ad. Vorſtium* in Botanicis, Præceptores coluit. *Franequeræ* trimeſtre ſpatium conſumſit.

Lugduni Batav.

Exacto *Lugduni Batav.* quadriennio iter in *Galliam* cum fratre *Thoma Fuirenio* ſuſcepit. *Lutetiæ* cœptum Anatomicum ſtudium continuat, & reliquis Civitatibus viſis, An. 1639. *Monſpeſſulo* prius viſo, & ſalutatis *Ranchino* ac *Bellevallio*, *Liguſticum* mare tranſit, moxque *Genuam* venit. Per *Liburnum*, *Piſas*, *Florentiam*, *Bononiam*, *Patavium* tandem ingreditur.

Lutetiæ. *Patavii Med. ſtud.*

Sex annos continuos ibi commoratus, non contentus publicis Clariſſimi *Veslingii* diſſectionibus Anatomicis privatis etiam in ædibus, & in valetudinario *Patavino* manum operi adhibuit, viam monſtrante *Johanne Leoniceno*. Tempore æſtivo non ſolùm *Veslingium* in horto Academico docentem audivit, ſed etiam comes *Alpes* plantarum amore non ſemel viſitavit. In ægris inviſcendis *Joh. Dominicus Sala* Coryphæus ipſi per biennium fuit. *Romam*, *Neapolim*, reliquasque *Italiæ* civitates intereà quoque inviſit.

An. 1645. Per *Mediolanum Helvetiæ*que civitates *Baſileam* 28. Junii cum fratre *Theodoro* ingreditur. Ubi poſt 4. menſium moram non ſolùm Laureâ Apollinari unà cum conſobrino *Thomâ Bartholino* decoratus, promotore *Joh. Caſp. Bauhino*, ſed & inter Collegas facultatis medicæ *Baſileenſis* numeratus eſt.

Fit Doctor Medicinæ Baſileæ.

Denique per *Galliam*, *Belgium*, *Holſatiam* A. 1646. paternos, quos 13. annorum morâ non viderat, ſalutat penates. Luctatus deindè eſt per aliquot annos cum pectoris anguſtiâ, quæ vivendi finem attulit 8. Januarii A. C. 1659. ætatis 45.

In patriam rediit. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Prorector. Hafn. D. Oſtenfeld.*

Plura de ejus vitâ & laudibus condignis legi poſſunt in Oratione, quam illius memoriæ & meritis conſecravit *Thomas Bartholinus* A. 1660. Idem *D. Fuirenius* DEO, patriæ, & amicis devotus addictusq; Templis, pauperibus, & Academiæ *Hafnienſi* ſequentia legavit, juxta Teſtamenti tabulas in Conſiſtorio Academico aſſervatas:

Legata ipſius.

1. Templo *S. Nicolai* 500. Imperiales.

2. Templo *S. S. Trinitatis* 500. Imperiales.

3. Pauperibus familiis & ægrotis decumbentibus 500. Imperiales.

4. Scholaribus egenis in Scholâ Triviali *B. Virginis* 500. Imperiales.

5. Studioſis egeſtate preſſis in Academiâ 500. Imperiales.

6. Viduis Paſtorum Diœceſeos *Seelandiæ* 500. Imperiales.

7. Egenis claſſariis & remigibus, qui in Regis & Regni ſervitio membris mutilantur, 500. Imperiales.

8. Univerſitati *Hafnienſi* Bibliothecam medicam in palatio ſupra Templo S. S. Trinitatis collocandam. Cujus Bibiothecæ Catalogum edidit *Thomas Fuiren*, frater *Hafniæ* A. 1660. qui ex ſuâ quoque Bibliothecâ ſupplevit, quæ deſiderari videbantur, ut ita in univerſum Bibliotheca hæc conſtet 1025. Voluminibus Med. publico uſui dicatis.

9. Sub Bibliothecario publico 300. Imperiales.

10. Domui Anatomicæ Muſæum rariorum rerum Naturalium, quarum catalogum idem laudatus *Thomas Fuiren* publici juris faciet.

11. Facultati medicæ 500. Imperiales, quorum uſura ſemiſſis ligno, candelis, atramento, & chartæ in Conſiliis Medicorum, & reliquum Muſæo rariorum locupletando impenditur.

* *Ex Ciſtâ Medicâ Thomæ Bartholini.*

EPITAPHIUM.

Epitaphium.

VIATOR QUI TRANSIS, HENRICUM FUIREN, FAMILIÆ DECUS, SOLATIUM ÆGRORUM, NOBISCUM DEPLORA LA-

CHRYMIS. QUI LONGIS ANNORUM PEREGRINATIONIBUS ANIMO SEMPER QUIETUS, VITA EXPRESSIT, QUOD FAMA FUSA NOLUIT ELOQUI. CLARUS ERUDITIONE, QUAM OCCULTAVIT MODESTIA, CUM NIHIL OSTENTARET, OMNIA POSSEDIT. VIRTUTEM SOLAM DISSIMULARE NESCIUS ET CANDOREM. DUM PATRIÆ, DUM AMICIS, DUM EGENIS VIXIT, QUI PER ILLUM SEMPER VIVUNT. DUM MORITUR PER NATURAM PER MERITA VIVIT, PER DEUM, QUEM COLUIT, CUM DEO VIVIT IN ÆTERNITATE. VIXIT HACTENUS INTER MORTALES ANN. XLIV. MENS. VII. DIES X. PERPETUA APUD PLURES FAMA SUPERSTES. ABI VIATOR, ET MORTUO LEVEM, QUÆ VIVO GRAVIS, PRECARE TERRAM.

P. D. TH. BARTH.

Scripta:

Scripta. *De Aſcite. Baſil. 1645. in 8vo. Catalogus Bibliothecæ Henrici Fuiren editus à fratre Thomâ Fuiren. Hafniæ 1660. in 4to. Rariora Muſæi Henrici Fuiren ab eod. edita. 1663 in 4to.*

Obiit A.C. 1660.

JOHANNES JACOBUS à BRUNN.

B*Aſileæ* natus eſt 30. Sept. An. C. 1591. Patrem habuit *Bonaventuram à Brunn*, Tribunum plebis, avum *Bonaventuram*, Conſulem *Baſil.* Matrem *Polybiam*, *Joh. Jacobi Grynæi*, Eccleſiæ Scholæque *Baſil.* Antiſtitis filiam. Quarto poſt nativitatem die in templo D. *Theodoro* ſacrato S. baptiſmi fonte tinctus, & à *Felice Platero*, Med. D. celeberrimo ſuſceptus eſt.

Claſſes Gymnaſii peragravit. Cum puer per decennium Gymnaſii patrii Claſſes omnes peragrâſſet, & ſub Præceptoribus fideliſſimis fundamenta Linguar. Artiumque poſuiſſet ampliſſima, An. 1606. antiquo Depoſitionis ritu peracto, Academici ſtudioſi nomen acquiſivit, facultatemque Pallii Philoſophici gerendi accepit.

Baccalaur. A. 1608. die 12. Maji A M. *Friderico Caſtalione* primam Philoſophiæ lauream, quæ à baccâ & lauro nomina docta trahit, accepit.

7. Jan. A. 1611. Theoremata Philoſophico-Theologica de admirandâ illâ Stellâ, quæ tempore eo, quo DEUS Homo factus eſt, apparuit, & tribus illis, qui ex Ethnicis primi ad Chriſti cunas tendebant, viam monſtravit, ſub clypeo *M. Joh. Georgii Groſſii*, Eccleſiæ *Eliſabethanæ* Miniſtri publicè defendit.

13. Aug. ſeq. Volentibus Collegii Philoſophici Patribus, præmiſſâ de laude ſtudii Philoſophici Artiumque liberalium eruditâ Diſſertatione, à Dom. *Samuele Coccio* voce *Philoſophiæ Magiſter.* ac ritu ſolenni liberalium Artium Magiſter publicè renuntiatus eſt.

Artem deindè medicam ſibi diſcendam proponens, Præceptores nactus *Felicem Platerum, Joh. Nicol. Stupanum, & Caſp. Bauhinum*, trigam Medicorum toto orbe celebrium, Lectiones publicas diligenter frequentavit, Collegia privata aſſiduè viſitavit, & arti huic ſacræ dies noctesque invigilavit: atque eruditionis ſuæ ſpecimen ederet, A. 1613. Theoremata Phyſica de naturâ & ſpeciebus Saporum à Fratre *Hieronymo* conſcripta, & publico Doctorum Examini conſecrata, præſidendo defendit.

Eodem adhuc anno ex patriâ diſcedens, Academiam *Monſpelienſem* acceſſit. Ibi converſatione familiari *D. Petri Morelli*, Medicè Profeſſ. primarii gavîſus, anno ſeq. primam *Med. Baccalaur.* in arte medicâ lauream facilè impetravit, poſtquàm hanc Quæſtionem, An Aqua papav. erratici pleuriticis conveniat? à *D. Johanne Varandeo*, Medico Regio & Profeſſore ſibi propoſitam ſolvit, & affimativam contra negantes aſtruxit.

Peregrinationes ejus. Hoc facto Academiæ *Monpelienſi* valedicens, *Galliam*, *Angliam*, *Belgium*, & *Germaniam* peragravit, quicquid notatu ſcituque dignum diligenter obſervans, & tandem *Baſileam rediit.* An. 1615. patriam iterum ſalutavit urbem. Tunc ſiſtens ſe pro more recepto primis ſuis in arte medicâ Præceptoribus, bina tentamina, ut vocant, privatum ſcilicet *Examinatur.* & publicum, unà cum Examine rigoroſo fortiter ſuſtinuit, & præmiſſâ Diſputatione *Pro Gradu diſputavit.* inaugurali, quâ Themata varia ex variis Medicinæ partibus deprompta maſculè propugnavit, ſexto poſt die à D. *Joh. Nicolao Stupano*, cujus eruditionem omnis ſtupet poſteritas, poſtquàm cauſas, cur *Hippocrates* 4. illos humores, Sanguinem, Pituitam, Bilem flavam & nigram Naturam Humani Corporis vocârit, oratione decenti propoſuerat, artis medicæ Doctor ſolen- *Medicinæ Doctor.* niter renuntiatus eſt menſ. Dec. A. 1615.

Uxorem duxit. Anno ſeq. 1616. Conſentientibus utrinque amicis fœdere conjugali conjunxit ſibi virginem *Urſulam*, Reverendi Dom. *Ezechielis Falciſii*, Verbi Divini Miniſtri filiam, ex quâ unicum ſuſcepit filiolum *Joh. Jacobum*, quinto ætatis anno iterum denatum.

Profeſſor Anatom. & Botan. A. 1625. Cum *Thomas Platerus D. Caſparo Bauhino* vitâ defuncto in Medicinæ Practicæ Profeſſione ſucceſſiſſet, *Brunnerus* hic *Platero* in Anatomico Botanicâ Lectione ſubſtitutus eſt, & A. 1629. poſt fata *Thomæ Plateri* ad Practicæ Medicinæ Profeſſionem *Prof. Med. Practicæ.* evectus.

Intereà verò Faſces Academiæ Magnificos ter tractavit, Collegii Medici Decanatum & Vice-Cancellariatum novies adminiſtravit. Promotoris quoque & Agonothetæ titulo multoties honoratus, plurimis viris clariſſimis Axioma contulit Doctorale, inter quos fuêre D. *Paulus Mothius*, Potentiſſ. *Daniæ* Regis Archiater, & D. *Petrus Falciſius*, Mathematum in Acad. *Baſil.* Profeſſor publ. *D. Joh. Jacobus Wepferus*, Reip. *Scafhuſianæ* Archiater, *D. Henr. Lavaterus*, Reipubl. *Tigurinæ* Archiater & Chirurgus celeberrimus.

Dolores nephriticos frequenter expertus, ob eosque tandem in lecto decumbere coactus, accedente ſopore profundo, poſtquàm

æquam aſtantibus & imprimis dilectæ Conjugi ultimum dixiſſet vale, ſpiritum beatum ultra 68. annos corporis ergaſtulo inclusum in manûs Patris cœleſtis depoſuit 22. Jan. A. C. 1660.

JOHANNES JACOBUS A BRUNN PER QUINQUE ET DUO LUSTRA IN ALMA UNIVERSITATE PROFESSOR.

Per Anagramma:

Brunniade, in quâ verſaris non clauderis urna:

Mens petiit cœlos, patet ejus in Orbeque fama.

Scripta:

Scripta. *Manuductio ad Conſultationem Medicam rectè inſtituendam. Syſtema Materiæ, repræſentans omnia Medicamenta, tam univerſalia quàm particularia, tam ſimplicia quàm compoſita. Petri Morelli Methodus præſcribendi formulas Remediorum ab aliis partim immutata, partim depravata priſtino nitori reſtituta.*

* *Ex Oratione Parentali Georgii Segeri Thorunenſis.*

Epitaphium:

Epitaphium. D. O. M. S.

DIGNUM LAUDE VIRUM PIETAS VETAT MORI.
QUO CIRCA
VIRO BONORUM AMORE
MORI NESCIA LAUDE
ADMODUM DIGNO
JOHANNI JACOBO A BRUNN
MED. DOCT. ET PROFESS.
QUI POSTQUAM DEO BENEDICENTE HONESTAM PROSAPIAM
EX CONSULE NEPOS TRIBUS PL. FILIUS
VITÆ INTEGRIT. CANDORE ERUDITIONE
SPARTAM CONCREDITAM
PRAXIN VID. MEDICAM ET PROFESSIONEM
ANATOM. PER IV. PRACTICAM PER XXX.
ANN.
DEXTERITATE ET SEDULITATE IN DOCENDO,
HUMANITATE IN CONVERSANDO,
INDEFESSA CURA IN MEDENDO,
CONJUGIUM CUM
URSULA FALCISIA Ann. MDCXVI.
INITUM
PERPETUA FACE ET MORUM AMABILITATE
EXORNASSET,
PRÆMISSO FILIOLO UNICO
SPIRITUUM PATRI SPIRITUM REDDIDIT
ANNO MDCLX. Jan. XXII.
MOESTISS. CONJUX. M. H. P.

Obiit A. C. 1660.

GEORGIUS KIRSTENIUS.

INgreſſus in hanc ſcænam eſt *Stettini Pomeranorum* die Januarii 20. An. C. 1613. *Patre Nicolao*, piſtorum ac dulciariorum Protoſtatæ, & Ducibus *Pomer.* à panificio, Matre *Annâ Löfflero*.

Cumque ſub ipsâ pueritiæ teneritate ſpem haud macram ab erectâ indole parentibus oſtentaret, nihil ad ejus cultum non tentandum duxerunt. Traditus igitur primò fuit in diſciplinam domeſticam Dom. *Andreæ Virginio*, poſtmodùm S. Theol. D. & *Epiſcopo Revalienſi*, cujus fidelem operam publica in Scholâ oppidanâ informatio ſub moderamine viror. celebrium *M. Leley* & deindè D. *Micrælii* excepit. (Studiorum ejus initium in Schola patria.)

Ejus ſuaſu, cum â ſufficientibus primæ literaturæ rudimentis inſtructus eſſet, illuſtre *Hallenſium* Gymnaſium, cui tunc præerat clariſſimus *Gueintzius*, adiit, tanto cum ſtudiorum emolumento, ut non modò Præceptorum amorem, ſed & familiaritatem ad ſe traduxerit.

Hinc *Argentoratum* migravit, ubi per 4. annos ſubſtitit. Ibi in Philoſophiâ facem præferebat ei Clariſſ. *Dannhauerus*, Medicinæ ſplendorem de ſe largiebantur *Sebitzius*, *Saltzmannus* & *Karſtadius Stetinenſis*, qui cum ingenium ejus ad ampliſſimam artem complectendum ſatis amplum deprehenderent, non deſtiterunt officiis & benefactis provocare, quoad in ſuas partes eum protraxiſſent. (Studioſus Argentorati Medicinæ.)

Ille non tantis patronis ſe dignum præbuit, & præter alia ſolertiæ documenta bis de cathedrâ Theſes, ſemel de Lactatione & lactis generatione, deinde de Vulneribus capitis publicè defendit, & auditorio ſatisfecit. (Bis publicè diſputavit.)

Interim, dum ibi civem ageret, ad viciniam Academiam *Tubingenſem* cum Dom. D. *Ludemanno* & M. *Scheningio* digreſſus notitiam præclarorum virorum, qui ibi degebant, ſibi conquiſivit. Patre intereà vitâ defuncto *Lugdunum Batavorum* acceſſit. Per ſeſquiannum ibi egerat, cum fatale peſtilentiæ malum excedere indè colonos juberet. Hiemavit igitur *Franckeræ* & *Gröningæ*, ubi *Joh. Freitagium* & *Ant. Matthæum* rebus ſuis inſigniter proficuos expertus, ſub ineuntem æſtatem inaugurationi Academiæ *Ultrajectinæ* interfuit. (Studioſus Lugduni Batav.) (Acad. Ultrajectinæ inaugurationi interfuit.)

Indè *Lugdunum* reverſus felicem ſtudiorum telam pertexuit, Anteceſſoribus viris illuſtris doctrinæ, *Schrevelio*, *Heurnio*, *Falckenburgio*, *Walæo*, & *Vorſtio*, ſub quo tantos in ſtudio Botanico progreſſus fecit, ut multis admirationi fuerit. Geminas ibi Diſputationes auſpiciis *Walæi* in publico habuit, alteram de Symptomatibus viſûs & auditûs, de olfactûs & tactûs alteram. (Lugduni bis publicè diſputavit.)

Conſtituerat, poſtquàm ibi quinquennium abſolviſſet, & viciniores *Belgii* provincias luſtraſſet, cœteras quoque regiones inſpectare: ſed revocavit ipſum per literas à propoſito Dn. *Chriſtoph. Albinus* Med. D. & Practicus *Stetinenſis*, ſuaſitque ut Axioma in arte Medicâ ſummum ibi caperet.

Hujus viri amici conſilium ſecutus Diſputationem ſolennem de generatione lumbricorum in corpore humano, citra alterius præſidium cum omnium applauſu defendit, ut jam ad inſignem famam gradum ſibi conderet. Jam ipſi ad docendum aperiebatur cathedra in Academiâ *Gryphicâ*, ſed præcludebat ingreſſum inauſpicata tempeſtas, quæ tunc ſæculum concutiebat. (Medicinæ Doctor Lugduni Bat.)

Emanabat per eadem tempora de ejus eruditione celebratio, *Dorpatum*, quo ad ſucceſſionem Dom. *D. Belovii* vocabatur, ſed bellum *Sueco-Danicum* eum & hoc pro-

poſito excludebat. Nec defuiſſent aliæ viæ, quibus publicè ſe probaret, verùm matris precibus ceſſit, ut in patriâ ſubſiſteret, & favore illuſtris Herois *Axelii Oxenſtirnæ*, Cancellarii *Suetici*, in cujus laudes & virtutes concinnum carmen ad typos dederat, ad Profeſſionem Medicam in Pædagogio Regio aſpiraret.

Med. Profeſſor in Gymnaſio Stetinenſi.

Obtinuit haud difficulter quod honeſtè ambierat, & juſſu Sereniſſimæ *Suecorum* Reginæ *Chriſtinæ* datus eſt illi ſpartæ. Tunc quicquid ad ſalutaris ſtudii emolumenta faciebat per Prælectiones Phyſicas, Medicas, Anatomicas, Botanicas, nec non Disquiſitiones Phytologicas, quarum pars lucem publicam vidit, pars per deſidiam auditorum ſuppreſſa eſt, fideli manu porrexit. Præter hæc opem ſuam ægris ſummâ cum fide contulit.

Conjugium ejus & Liberi.

An. 1552. maritale fœdus junxit cum virgine *Eliſabethâ Chriſtiani Röchlini* mercatoris *Prentzlovienſis* filiâ, ex quâ filiolam, quam præmiſit, & filium ſibi ſuperſtitem ſuſcepit. Difficili tandem affectu ſcorbutico afflictus in vitam meliorem tranſlatus eſt, arduo hoc evibrato Epiphonemate, *Juva O Jeſu*, 11. Martii A. C. 1660. ætatis 47.

Moritur

Scripta.

Scripta:

Oratio de Medicinæ dignitate & præſtantiâ contra Platonem & Plinium Stetini 1647. in 4. Diſquiſitiones Philologicæ ibid. in 4to. Adverſaria & Animadverſiones in Johannis Agricolæ Commentaria in Poppium & Chirurgiam parvam. Ibidem 1648. in 4. Diſputationes publicè habitæ, De Lactatione & Lactis generatione, De Vulneribus capitis, De Symptomatibus Viſûs & Auditûs, De Symptomatibus Olfactûs & Tactûs, De Generatione &c.

* *Ex Programm. fun. Henrici Schævii Med. D. Stetin.*

MICHAEL RUPERTUS BESLERUS.

Obiit A. C. 1661.

NAtus *Norimbergæ* A. 1607. Patre *Hieronymo*, Medico ibidem primario. Cum in Gymnaſio *Brandenburgico Heilsbronnæ* ſtudiorum humaniorum & Philoſ. fundamenta poſuiſſet, in Academiâ *Venetor. Patavinâ* ſtudio Medico & Anatomico dedit operam. In patriam reverſus, *Altorfii* Med. & Philoſ. Doctor ſolenniter renuntiatus eſt, poſtquàm Diſputationem inauguralem de Sanguine ſecundùm & præter naturam defendiſſet, menſ. Febr. A. 1631.

Med. Doctor Altorfii.

Practicus Nor.

Mox vivente adhuc parente in Collegium Medicum receptus, praxin exercuit feliciſſimam. A. 1633. menſ. Mart. In Cœnobio Patriæ *Franciſcanorum*, hodiè Orphanorum domo, die Findel vocato, viri ob ſcelera decollati publicam Anatomiam cum laude celebravit, & Sceletum indè confecit, quod in Muſæo ſuo aſſervavit.

Anatomiam celebravit.

Deſponſatur.

Anno ſeq. 1634. Sponſalia *Norimbergæ* celebravit cum virgine *Barbarâ Mulsiâ*, mercatoris primarii filiâ, ex quâ filiam reliquit unicam *Barbaram*, A. 1662. Nob. Dom. *Joach. Nützelio*, Judicii tunc Aſſeſſori, & poſteà Senatori nuptam.

Hâc conjuge vitâ defunctâ, A. 1644. ad ſecunda vota tranſiit, deſponſatus cum virgine *Catharinâ Barbarâ*, Medici celeberrimi D. *Johannis Roſæ, Ratisbonæ* anno prægreſſo vitâ defuncti filiâ, ex quâ filium reliquit *Joachimum Hieronymum*, ſtudio medico poſteà deditum, & filiam *Rebeccam Barbaram*, A. 1671. *Chriſtop. Theophilo Scheurelio*, Med. Doct. & Practico *Norimberg*. in conjugium elocatam.

Poſtquàm ab annis aliquot cachexiâ ſcorbuticâ cum pedum tumentium exulceratione laboràſſet, accedente tandem catarrho ſuffocativo, placidè in Chriſto obdormivit 9. Febr. A. C. 1661. ætatis 54.

Quater Decani in Collegio Medico *Norimberg*. officio functus eſt.

Corporum naturalium indagator ſolertiſſimus induſtriæ ſuæ monumenta typis edita poſteritati reliquit:

Scripta:

Scripta.

Fabrica fœtûs humani comprehenſa Tabulis V. æri inciſis, potentiſſ. Imp. Ferdinando III. dicata in formâ Regali. Gazophylacium rerum naturalium, è regnis vegetabili, animali, & minerali depromptarum. Obſervatio Anat. Medica Mulieris tres filios enixæ.

Hortum etiam *Eyſtettenſem* plantis quampluriniis artificioſè depictis, & æri incidendis augere ſibi propoſuit, Titulumque in formâ regali jam ſculpi curavit, ſed mors opus adeò laudabile impedivit.

* *Ex Actis manuſcriptis Collegii Med. Norimberg.*

ADAMUS ZUSNERUS.

Obiit A. C. 1661.

NAtus eſt *Clagenfurti*, Ducatûs *Carinthiæ* metropoli, 16. Sept. A. 1602. ultimus ibi baptizatus per Eccleſiæ Paſtorem Evangelicum, & ex S. fonte ſuſceptus à Generoſo Barone *Franciſco Kevenhüllero ab Eichlberg* &c.

Patrem habuit *Urbanum Zuſnerum*, Phil. & Med. Doctorem, qui raro exemplo in *Carinthiâ* praxin 56. annis exercuit, cumque 96. annos vixiſſet, vivendi finem fecit An. 1645. Mater ejus *Catharina Walmaria* ex nobili familiâ nata fuit.

Filius Medici per 56. annos Practici.

Puer felicis ingenii an. ætatis 9. Scholæ *Styrenſis* Rectori *Ægidio Weixelbergero* in diſciplinam commiſſus, fundamenta in ſtudiis egregia poſuit, & exacto ibi triennio domum ad Dom. Parentum reverſus eſt.

Scholæ Styrenſis diſcipulus.

Non multo pòſt A. 1614. *Argentoratum* à Patre cum Illuſtr. Baronibus *Sigismundo* & *Franciſco Kevenhülleris* ablegatus, ibi more Academico depoſitus, cum per claſſes Scholaſticas ad lectiones publicas fuiſſet promotus, curſum Philoſophicum abſolvit, & cum in ædibus D. *Johannis Küfferi*, Medici celeberrimi habitàſſet, in operationibus Chymicis plurima ſibi poſtmodùm in praxi proficua didicit.

Argentorati depoſitus.

Cum ibi ſexennium exegiſſet, *Tubingam* ſe contulit, & per annum ibi moratus, domum

Tubingæ Med. ſtud.

mum ad patrem reverſus, biennio ibi ſtudia medica ſedulus tractavit, Inſtitutiones medicas *Sennerti* familiares ſibi reddens.

Patavii gubernator Comitis ab Urſenbeck.

A. 1624. In Academiam *Italiæ Patavinam* à Patre miſſus, ibi per biennium in curſu ſtudii medici feliciter perrexit & cum Comite quodam generoſo ab *Urſenbeck* gubernatoris nomine per *Galliam* iter fecit.

A. 1627. *Clagenfurtum* ob matris ſui obitum revocatus, modicum temporis ibi ſubſtitit, & an. ſeq. cum fratre *Wilhelmo* ſecundâ vice *Patavium* veniens, brevi pôſt Conſiliarius Nationis *Germ.* Artiſtarum electus eſt.

Conſil. Nat. Germ. Artiſtar.

An. 1629. Leucophlegmaticâ graviter decumbens, brevi tamen per DEI gratiam convaluit. An. ſeq. 1630. Philoſophiæ & Med. Doctor *Patavii* ſoleniter à D. *Cæſare Cremonino* creatus cum fuiſſet, paulò pôſt Pater ejus cum Generoſo Barone *Paulo Kevenhillero Venetias* veniens, utrumque filium ſecum in patriam *Clagenfurtum* reduxit.

Medicinæ Doctor Patavii.

Medicus ord. Carinthiæ.

Non multò pôſt Ducatûs *Carinthiæ* Medicus ordinarius factus, muneri huic partim cum Dom. Parente, partim ſolus cum honore præfuit.

Nuptias celebrat. Liberi ejus.

11. Febr. An. 1646. Nuptias celebravit cum virgine nobili *Evâ, Adami à Gösnitz* in *Ridersdorff* filiâ, cum quâ filios progenuit, & ſuperſtites reliquit *Joh. Adamum*, *Georg. Andream*, & *Joh. Martinum*, filiamque *Evam Catharinam*.

Norimbergam veniens, praxin Med. exercuit.

An. 1657. Religionis Evangelicæ ſtudio, ægroto licet corpore, cum totâ familiâ ſuâ *Norimbergam* diſceſſit, ubi à Senatu inclyto in tutelam ſuſceptus, praxin feliciter exercuit, ſed maximam partem ob paroxyſmos arthriticos frequenter eum affligentes, lecto decumbere coactus, accedente tandem catarrho lethali, vitam beatâ morte clauſit 1. Martii A. C. 1661. ætatis 59.

Arthriticus obit.

* *Ex Conc. funebri M. Johannis Saurli, Diaconi ad S. Laurent.*

GREGORIUS HORSTIUS Filius.

Obiit A.C. 1661.

Filius Med. homonymi.

NAtus eſt *Ulmæ* 20. Sept. An. C. 1626. Dom. parente homonymo Collegii Med. Archiatro, Matre *Hedwige Stammiâ*, à quibus in pietate enutritus, & puer in ſcholam patriam miſſus, eum ſe geſſit, ut à Magiſtris amaretur.

Orbus utroque parente, A. C. 1639. ætatis 13. de voluntate Dominorum Tutorum, ſtudiorum commodius tractandorum cauſâ, *Marpurgum* ad Dn. *Danielem Horſtium*, fratrem Med. D. ac Profeſſorem, tunc etiam Princ. *Haſſiæ* Archiatrum miſſus, ſtudiis ſuis Academicis ita incubuit, ut A. 1647 in Academiam *Lipſienſem* cum fructu mitti potuerit, ubi ſeſquiannum ſuam diligentiam Dnn. Profeſſoribus ſatis probavit.

Marpurgi apud fratrem degit.

Lipſiæ ſtud.

Hinc menſ. Octob. A. 1648. *Patavium* ob medicam praxin & ſtudium Anatomes ibi maximè vigens excurrit, ibique à Collegio Med. Profeſſorum, Præſide *Fortunio Liceto*, Promotore verò *D. Franciſco Bonardo* 11. Maji A. 1650. Philoſ. & Med. honores Doctorales cum laude conſecutus eſt.

Doctor Med. & Philoſ. Patavii.

Reverſus ex *Italiâ*, in *Haſſiam* Principiſſæ *Haſſ. Eliſabetæ Amaliæ Magdalenæ* è *Daniæ* Regno domum tendenti Medicus ord. vialis in occurſum *Gottorpium Holſatiæ* miſſus eſt, quo itinere laudabiliter confecto, feliciter illi regreſſo à Sereniſſ. *Haſſiæ* Landgravio *Georgio* Corporis humani publicè ſecandi poteſtas in Academiâ *Gieſſenſi* data eſt, quâ ſectione ex arte factâ nomen majus accepit.

Gieſſæ Anatomiam habuit.

A. 1652. 22. Julii redux in patriam, bono omine Cajam quæſivit, & invenit virginem *Johannam*, *Chriſtoph. Fingerlini*, Med. D. & Phyſici *Ulm.* ord. filiam, quæ 6. ei liberos peperit, ex quibus filiolus & duæ filiolæ patri ſuperſtites manſerunt.

Uxorem ducit.

13. Julii A. 1653. in Collegium Medicor. *Ulmenſium* cooptatus, & Phyſicæ Profeſſor publ. Scholarumque Viſitator conſtitutus, poſteà A. 1655. Chirurgiæ Examinatoribus allectus eſt, Anatomes quippe & Chirurgiæ peritus; quibus muneribus ita cum laude functus eſt, ut ejus operâ Senatus & Domini Collegæ acquieverint.

Profeſſor Phyſicæ, & Scholar. Viſitator Ulmæ.

Empyemate tandem à biennio afflictus, rupto pectoris abſceſſu pureque multo effuſo, viribus ſenſim dejectis, inter adſtantium preces & ſuſpiria ſpiritum emiſit 31. Maji A. C. 1661. æt. 35.

Moritur empyematic.

* *Ex Programm. fun. Gymnaſii Ulm. & ex Concione fun. M. Joh. Ebercken.*

FOELIX CALVUS.

Obiit A.C. 1661.

PAtriâ *Bergamenſis*, *Joh. Antonii* filius, Chirurgiæ Doctor *Patavii* creatus, *Bergami* & *Mediolani* artem ſuam ſummâ cum laude exercuit, Chirurgus reverâ felix, non in xenodochiis modò, ſed etiam in monaſteriis opem ferens ægris. In patriâ tandem obiit 21. Junii A. C. 1661. æt. 73.

Chirurg. Doctor.

Chirurg. Mediolan.

Filios reliquit *Joh. Antonium*, Med. Doctorem, & *Donatum*, Ord. S. *Auguſtini* Monachum, & *Lombardiæ* Generalem.

Scripta edidit & reliquit:

Scripta.

Tract. de Aneuriſmate, ejusq; Curatione: de ulceribus cancroſis: de Vulneribus Capitis. De Scirrho Conſilia.

* *Ex Scenâ literariâ Scriptor. Berogomat. Donati Calvi.*

JOHANNES CONRADUS RUMMELIUS.

Obiit A.C. 1661.

NEapore, *Palatinatûs* ſup. oppido, Germ. *Neumarck* dicto, natus eſt 30. Aug. A. C. 1597. ex veteri familiâ, quæ *Romæ* primùm orta, pôſtmodùm circa An. C. 1314. tempore belli *Italici* ſub Impp. *Romanis Henrico VII.* & *Ludovico Bavaro* ex *Italiâ* in *Sueviam* emigravit, & deinceps in pago *Bavarico Meningâ* ad *Danubium* ſito ſedem poſuit.

Patrem habuit cognominem, Philoſ. & Med. Doctorem, ac Poëtam Laureatum, qui præter alia ingenii monumenta Paraphraſin poëticam in 12. Prophetas minores Vet.

Filius Medici & Poëtæ.

Teſt.

Teſt. edidit, & A. 1628. *Neagorâ* ob fidei confeſſionem conſtantem in exilium diſcedere compulſus cum familiâ in ſuburbium *Norimberg.* Wörd vocatum ſedem tranſtulit, ubi vitam beatâ morte finiit 23. Jan. A. 1630. Mater ei fuit *Helena*, Viri nobilis *Joh. Conradi Menningii à Wyle* & *Schönbach* filia.

Nepos Theologi. Avus ejus *Johannes Rummelius*, *Conradi* Duci *Bavariæ Wilhelmo* chari filius Theologus, celebris *Nordlingæ* 50. annis Verbum DEI fideliter docuit, ibidemque obiit 14. April. A.C. 1606. æt. 81.

Med. ſtudioſus Heidelbergæ & Argentor. Cum in patriâ literarum fundamenta jeciſſet, A. 1614. Theologiæ ſtudiis ſeſe addixit. Sed poſteà ſtudium medicum præferens illud A. 1619. *Heidelbergæ* inchoavit, & *Argentorati* ſedulò continuavit. Exindè per *Galliam*, *Angliam*, *Scotiam* & *Hollandiam* cum perfeciſſet iter, in patriam *Neagoram* reverſus, ibi praxin medicam aliquandiu exercuit, & Dom. parenti podagrico auxilio præſtò fuit. *Practicus Neagoræ.*

Medicus Caſtrenſis. A. 1621. Durante bello *Bohemico*, in exercitu *Ernesti* Com. *Mansfeldiæ* Medicum Caſtrenſem egit, nec multò poſt domum ad Parentes rediit. A. 1622. iterum in militiam diſcedens Sereniſſ. Ducem *Albertum Saxo-Lauenburgicum* in *Bohemiam* & exindè in *Hungariam* comitatus, tandem per *Moraviam* & *Sileſiam* reverſus in Patriam unà cum Patre *Neagoræ* exulem egit, & Praxin Med. exercuit.

Doctor Med. Altorfii. Una deſponſatio. Sed non multò poſt Parentis ſui beatam mortem 29. Junii A. 1630. in Univerſitate *Altorfinâ* unà cum 5. aliis Candidatis ſolenniter â Decano D. *Georgio Nöſlero* Doctor Medicinæ creatus, ſtatim poſt promotionem nuptias celebravit cum virgine *Mariâ Magdalenâ*, D. *Ernesti Soneri* Med. Prof. famoſi ibidem filiâ, *Altorfii* natâ 12. Martii A. 1607. & denatâ 18. Nov. A. 1631. menſe uno poſt partum difficilem filiolæ *Suſannæ Catharinæ*, quæ 19. Sept. An. ſeq. 1632. Matrem ſecuta eſt.

Practicus Norimbergæ. 29. Jan. A. 1631. Norimbergæ in Collegium Medicum receptus eſt ſub Decano D. *Vito Gertnero* & praxin exercere cœpit, cum jam anteà in Civium numerum ab inclyto Senatu fuiſſet cooptatus.

9. Oct. A. 1634. In xenodochio ad Spiritum Sanctum Medicus ordinarius factus, eique 16. Jan. A. 1635. Inſpectio omnium Officinarum Pharmaceuticarum demandata fuit. Principi etiam *Anhaltino Augusto* cum ab aliquot annis fuiſſet â Conſiliis Medicis ab eo nummum Aureum honorarium dono accepit. *Medicus Augusti Princ. Anhalt.*

Conjugium ſecundum. 27. Martii A. 1633. Iterum matrimonium iniit cum *Urſulâ* D. *Joh. Clementis Cunonis*, Med. & Practici *Norimb.* viduâ, natâ *Hildebrandiâ*, quæ ante D. *Cunonem Samueli Mylio Practico* & Empirico famoſo in pago *Noribergæ* vicino *Furth* dicto habitanti cum nupta fuiſſet, ab eo plurima experimenta Medica fœminis præſertim utilia didicerat.

Hôc ſine prole vitâ defunctâ 11. Sept. A. 1646. tertiò deſponſatus eſt 21. Mart. A. 1647. cum virgine *Urſulâ Nicolai Helfrichii*, Mercatoris primarii filiâ, ex quâ 16. Aug. An. 1652. filiolam ſuſcepit *Annam Margaretam* puellam præcocis ingenii & exiguæ ſtaturæ, quæ triennium tantùm cum 28. ſeptimanis vixit, & obiit 1. Martii A. 1656. *Conjugium tertium.*

Vir pietati cumprimis deditus precationes plurimas ad ſingulos anni dies directas compoſuit, & manu propriâ Libro peculiari ſummâ cum diligentiâ inſcripſit. *Pietas ejus.* M. Febr. A. 1660. Hemiplegiâ lateris ſiniſtri correptus periculosè decubuit, ſenſim tamen per DEI clementiam & dextrum remediorum convenientium uſum convaluit, ut debilis licet incedens ægros ſuos viſitare potuerit, usque ad 23. d. Auguſti Anni ſeq. quo noctu hemiplegia cum majori vehementia reverſa lecto eum affixit, & indies magis proſtravit vires, donec inter preces & ſuſpiria conjugis dilectæ aliorumque adſtantium ſpiritum emiſit 1. Septemb. A.C. 1661. ætatis 64. *Hemiplegia mors.*

* *Ex vitæ curſu ab ipſo conſcripto & in funere prælecto.*

Scripta:

Hiſtoria morbi ex caſtris ad raſtra. Tract. de Partu humano. Theologia vegetabilis. *Scripta.*

MICHAEL ANGELUS ROTA.

Obiit A.C. 1662.

VEnetiis natus An. C. 1589. & ſtudio Medico *Patavino* in Lyceo excultus in Urbe patriâ Med. & Philoſophiæ Doctor clariſſimus Artem, quam didicit, per 54. circiter annos ſummâ cum laude exercuit, vir religioſus & pauperibus opem ferre promtus, Pauperum Pater vulgò audiit. Febre tandem correptus, animo læto Nomen JEſu ſubindè inclamans exſpiravit A.C. 1662. ætatis 74. Sepulto *Venetiis* hoc Epitaphium hæredes in marmore poſuerunt. *Medicus Venetus.*

Epitaphium.

MICHAEL ANGELUS ROTA VENETUS CHRISTOPHORI FILIUS VIR MULTI NOMINIS CLARUS MEDICO PHILOSOPHUS EXIMIUS HÆRE. DE INSTITUTO TREBELLIANAM DOMUM DITAVIT ANNO M DC LXII.

Scripta:

De Peſte Venetâ An. 1630. Quæſtiones diſputatæ ſive Apologeticæ ad Syllogiſticam diſputationem. Conſil. Medicinal. Centur. III. De Curatione morborum intern. Comment. ſuper Hypocrat. de Elementis. Super lib. 3. de morbis epidem. *Scripta.*

* *Ex Scenâ literaria Scriptorum Bergomatium à Donato Calvo Italicè editâ.*

CHRISTOPHORUS NICOLAI.

Obiit A.C. 1660.

NOribergæ nato pater fuit *Michael Nicolai*, ad ædem B. Virginis ædituus: Mater *Felicitas Franckia*: Suſceptor vir nob. & prudentiſſ. *Chriſtoph. Fürerus* Reipubl. *Norimberg.* Duumvir & Protoscholarcha.

Ab

Gymnaſii ad S. Ægid. recens aperti Noribergæ diſcipulus.

Ab ineunte ætate bonis literis admotus Præceptores habuit *Sebaſtianum Curtium* & *Ulricum Hofmannum*, præcipuè verò virum Reverendum Dn. M. *Joh. Leonhardum Friſchlium* ad ædem *Ægidianam* poſt Concionatorem. In medio autem penè hujus Inſtitutionis fervore cum aperiretur Gymnaſium *Ægidianum*, mox ſecundæ, & brevi poſt primæ Claſſis diſcipulis annumeratus doctrinæ virorum clarorum *Mich. Manneri*, & *Johannes Gravii* Rectoris operam dedit: idque in annum usque Salutis noſtræ 1637. quo à Patronis, inter quos non poſtremus fuit ejus Avunculus Dn. *Wolfgangus Franckius*, rerum tutelarium Secretarius, *Altorfium* in Senatûs *Norimb.* Alumnæum, fœcundum multorum magnorum Virorum ſeminarium, promotus fuit: Inſpectore tunc temporis *Dn. Joh. Paulo Felwingero*, poſteà Polit. Metaphyſ. & Logicos Profeſſore.

Alumnus in Acad. Altorfind.

An. 1641. M. Sept. cum prius Præſide *Caſp. Hofmanno* Med. D. & Prof. Diſputationem de *Methodo* docendi & diſcendi *Medicinam* habuiſſet, in Italiam ſe contulit, inque Univerſ. *Patavinâ* Virorum celeberr. *Benedicti Sylvatici, Joh. Dominici Sale, Johannis Weslingii, Petri de Margetis, Joh. Georgii Wurſungi* & *Franciſci Bonardi* Inſtitutione uſus eſt in annum usque 1644. quo cum *Noribergam* rediiſſet, eodem ſtatim Anno, de ſententiâ Patronorum Diſputatione publicâ de Transmutationibus *Morborum*, Præſide D. *Georgio Nöslero* habitâ, ad petendos & prenſandos ſummos in facultate *Medicâ* honores animum adjecit, ubi non modò ad Examina & alia hujus ordinis Candidatorum documenta, ſed ad ipſos honores, ad quos illa ſpectabant, admiſſus, & promotus eſt 14. April An. 1645. unà cum D. *Mauritio Hofmanno*, Botanices *Anatomiæ*, Chirurgiæ poſteà Profeſſore, & D. *Johanne Rödero* Collegii *Medici Noribergæ* aſſeſſore.

Patavium diſceſſit.

Med. Doctor. creatur Altorfii

Conjugium ejus, & Liberi.

M. Jan. A. 1646. Nuptias in patriâ celebravit cum virgine *Magdalenâ*, *Dn. Georgii Besoldi*, Auri & Argenti diſcretoris filiâ, & ex illâ liberos genuit, maſculini ſexûs quatuor, fœminini tres omnes (præter filiolum, quem non diu poſt Baptismum Creatori reddidit) ſibi ſuperſtites.

In Collegium Med. receptus. Noſocomii Medicus.

Eodem anno in Collegium *Medicum Noribergenſe* adſcitus, & Noſoconii *Medicus* conſtitutus eſt, in quo officio quantis cum moleſtiis & vitæ non raró periculo in viſitandis ægris, furioſis etiam verſatus ſit, cogitari facilius eſt quàm ſcribi.

Med. Profeſſor Altorfii.

An. 1654. Ab illuſtri Senatu *Norimberg.* in Profeſſoriam dignitatem evectus, locum per beatam mortem cedente D. *Ludovico Jungermanno*. In eo munere Rectoratu ſemel Decanatu quater cum laude functus eſt.

Podagricis interea doloribus frequenter obnoxius cum fuiſſet, morbi tandem furor intrò recedens appetitum ventriculi extraxit, ut nec medicamentis recipiendis eſſet idoneus, febrim & inflationes corporis excitavit, ac vires proſtravit: donec præſente Confeſſionario Dn. M. *Lucâ Frider. Reinhardo*, paulò poſt quàm clarâ voce prorupiſſet in verba Cantionis Eccleſiaſticæ, *Ubi ſunt Gaudia?* Nirgend mehr dann da/ da die Engel ſingen ꝛc. horâ veſpertinâ octavâ diei Sabbathi Sabbathum æternum per mortem placidam ingreſſus eſt, 23. Febr. A. C. 1662.

* *Ex Programm. fun. D. Erneſti Cregelii Rectoris Altorf. Jur. Public. Prof. & Conſil. Norib.*

JOSAPHAT WEINLINUS.

Obiit A. C. 1662.

HAlle *Suevor.* oppido Imperiali natus eſt 30. Nov. 1601. Patre *Joh. Caſp. Weinlino* ibidem Pharmacopœo, *Abelio Weinlini* Cœnobii *Lorchenſis* in Duc. *Würtenberg.* Præfecti filio: Matre *Catharinâ*, *Joh. Weidneri* Poëtæ Laur. & Eccleſiæ *Hall.* Paſtoris filiâ.

Fil. Pharmacopæi.

Seq. à nativitate die è Sacro Baptiſmi fonte ſuſceptus eſt à *Joſepho Stadmanno*, Mercatore *Hallenſi* primario. Cum Patrem A. 1608. amiſiſſet, & mater ejus altero conjugio *Mich. Stellwagio*, Pharmacopœo & Judicii *Hall.* Aſſeſſori nupſiſſet, ab hoc An. 1618. in Academiam *Tubing.* miſſus Medicæ Artis ſtudiis ſe dedit, & 24. Mart. An. 1621. Diſputationem Anat. de Hepate publicè defendit. Annoque ſeq. 1622. M. Majo, prægreſſis Examinibus Summum in Medicinâ Honorem & Gradum Doctoratûs cum laude & applauſu omnium obtinuit.

Doctor Med. Tubingæ.

Sponſalia celebravit.

30. Sept. A. 1622. *Tubingæ* Sponſalia celebravit cum virgine *Sibyllâ*, *D. Lucæ Oſiandri* Theol. Prof. Præpoſiti & Cancellarii *Tubing.* filiâ, cum quâ 34. annos in conjugio felici & concordi exegit, ex eâque filios & 8. filias progenuit, ſed unicum modò filium *Joh. Chriſtophorum* Med. Doctorem, cum filiâ ſuperſtites reliquit.

Hâc conjuge vitâ defunctâ 12. Jan. An. 1656. triennio poſt 19. Aug. A. 1659. iterum deſponſatus eſt cum virgine *Annâ Urſulâ*, *Joh. Martini Herdelini* Muſici *Crailsheimenſis* ordinarii filiâ, quæ filiolam ei peperit brevi poſt denatam, & filiolum, qui Patri ſuperſtes vixit, cum fœtu utero materno adhùc incluſo.

A. 1622. *Mox* poſt primas nuptias cum dilectâ conjuge in patriam ſuam *Hallam Suevor.* conceſſit, ſed cum propter Medicos ibi ordinarios Praxin ei non liceret exercere, Anno ſeq. 1623. in opp. Marchionis *Brand. Crailshemium* diſcedens ibi *Joh. Chriſtoph. Kayſero* Medico *Kitzingam* abeunti ſucceſſit.

Crailshemii Medicus ord. & Rotenburgi.

A. 1627. 26. *Jan. Rotenburgum* à Senatu vocatus cum totâ familiâ migravit *Joh. Benedicto Bergero* *Med.* D. & Phyſico ord. ſucceſſor factus.

Ibidem M. Nov. An. 1631. *Bernhardi Stieberi* Med. D. & Phyſici Senioris locum & ſala-

ed by Google

& ſalarium à Senatu ſibi delatum obtinuit, & abindè varias *Magnatum* vocationes recuſavit.

Chymicus, & Practicus feliciſſ.

Medicus diligens & naturæ Scrutator ſagax varia *Medicamenta* Chymica ipſe elaboravit, & morbos varios pro deſperatis habitos, Lepram imprimis, Hydropem, & Scorbutum feliciter ſæpius curavit. *Muſicus* etiam excellens Organum *Muſicum* ſummo cum artificio fabrefactum in ædibus ſuis habuit.

Muſicus excellens.

Arthritide confectus Obiit.

Demùm cum ab 18. annis doloribus arthriticis confectus aſſiduè ferè decubuiſſet, accedente præter exſpectationem catarrho ſuffocativò cum linguæ paralyſi, & paroxyſmo epileptico mortem dudùm exoptatam oppetiit 25. Febr. An. C. 1662. ætat. 61.

* *Ex Concione fun. M. Georgii Nagelii.*

Obiit A.C. 1662.

CHRISTIANUS LANGIUS.

Filius Theologi.

ORtum debuit parenti *Chriſtiano Langio*, Theol. Doctori & Prof. publico in Acad. *Lipſienſi* primario, ad D. *Thomæ* Paſtori, & Eccleſiæ *Lipſ.* vicinarumque Superintendenti: Matri *Catharinæ*, M. *Johannis Feileri*, Superintend. *Pegavienſis* filiæ, quam anno ætatis quarto amiſit.

Ab his parentibus *Luccaviæ* 9. Maji A. C. 1619. in lucem prognatus, poſt pietatis fundamenta doctis Præceptoribus, *M. Tobiæ Petermanno*, Scholæ *Pirnenſis* Rectori, & deindè *M. Hieron. Recklebio*, Organi *Ariſtot. Lipſiæ* Profeſſori bonis literis & elementis Philoſophicis imbuendus fuit commiſſus, ſub quorum manuductione ſic profecit, ut in ſtudiorum ſuorum curſu frænis potius quàm calcaribus opus haberet.

Baccalaur. Lipſiæ.

Ex quo ſuopte Marte in ambulacris Philoſophicis ea fecit ſpatia, ut A. 1636. primitias honorum Philoſophicorum conſequeretur.

Wittenbergæ ſtud.

Eodem anno *Wittenbergam* Inſpectioni M. *Mart. Caſelii*, Facult. Philoſ. tunc Aſſeſſoris, poſteà Theol. Doctoris & Superintend. in Ducatu *Altenburg.* Generalis commiſſus, de conſilio Dom. Parentis ſe contulit, ubi pendens ab ore hujus ſui Præceptoris, & *Auguſti Buchneri* ac *Joh. Sperlingii* Profeſſor. publ. luculenta in ſtudiis Philoſ. & Philologicis ſenſit incrementa, ut redux in patriam A. 1638. ſupremum in Philoſophiâ gradum Dom. Parentis aliorumque congratulatione adipiſceretur.

Philoſophiæ Magiſter Lipſiæ.

Quia verò ſtudio medico dudùm conſecratus, à. *D. Antonio Cröſio*, Chimiatro, cujus convictor *Wittenbergæ* fuit, à contubernalique ſuo *Auguſto Hauptmanno*, Med. poſteà Doctore & Practico ſtimulum ſibi addi ſenſerat, in hoc ſtudio perrexit, & ad pedes *D. Joh. Michaëlis*, Chimiatri & Med. Profeſſoris ſedens eos in ſtudio medico, imprimis Chymico, fecit progreſſus, ut habitâ de vertigine Diſp. publicâ Baccalaureatus titulo in ſtudio medico A. 1640. condecoraretur.

Med. Baccalaureus.

Ex hoc in *Italiam* per *Bohemiam*, *Moraviam*, *Auſtriam*, & *Stiriam* excurſiones fecit. Mari Adriatico non ſine naufragii periculo ſuperato *Venetias* appulit, indè *Patavinam* Acad. acceſſit Anno 1640. & per integrum annum Profeſſoribus Medicis adhæſit.

Patavii Med. ſtud.

Cumprimis autem ſingulari eum favore complexi ſunt *Bened. Sylvaticus*, *Dominicus Sala*, *Johannes Veslingius*, *Antonius Friſimelica*, & *Petrus Marchetti* Medici, Anatomici & Chirurgi, quorum praxi, conſultationibus, lectionibus publicis, & raris operationibus familiariter interfuit.

Patavii nat. Artiſtar. Procurator & Bibliothecarius.

Ibidem ab Artiſtarum Natione *Germ.* primùm in Procuratorem, mox Bibliothecarium, & *Bohemorum* Conſiliarium electus, per ſemeſtre ſpartam hanc exornavit, ſicut in abſentiâ Univerſitatis iſtius Pro-Rectoris & Syndici, nec non *Germanorum* Conſiliarii vices eorum aliquoties ſuſtinuit.

Legatus ad Ducem Venet.

Bis pariter ad Sereniſſ. *Venetor.* Ducem & Illuſtriſſ. iſtius Dominii Procuratores ad impetrandum Nationi *Germ.* commodum ac abſolutæ prioritatis auctoritatem, quam etiam applauſu Sympatriotarum obtinuit, ablegatus fuit.

Ejus iter per Italiam.

Tempore ſucceſſivo urbes circumjacentes, præſertim in *Inſubriâ*, *Vicentiam*, *Veronam*, *Bergamum*, *Mediolanum*, *Ticinum*, *Parmam*, *Cremonam*, & *Mantuam* perluſtravit. Exindè meditullium *Italiæ* adiit, & *Ferrariæ*, *Bononiæ*, *Anconæ*, *Lorettæ*, *Romæ*, *Neapoli*, ubi Chirurgo & Anatomico magni nominis *Marco Aurelio Severino* innotuit, temporis aliquid dedit.

Romæ per bimeſtre ſpatium commoratus, antiquitates & Bibliothecam *Vaticanam*, & alia viſu digna perluſtravit. In diſceſſu ex *Italiâ Senenſem* ac *Piſanam* Academias, *Florentiam*, *Liburnum*, & *Genuam* ſalutavit, & per *Sabaudiam* in *Galliam*, & quidem *Montem Peſſulanum* iter inſtituit.

Iter per Galliam.

Ibi Medicorum famâ Illuſtrium D. *Simonis Curtandi*, Facultatis Med. Decani & *Lazari Riverii* favorem impetravit. Per *Lugdunum* deindè, *Aureliam*, *Lutetiam Pariſior.* *Rupellas*, & fretum *Anglicum* in magnam *Britanniam* venit, & viſâ metropoli *Londino* cum Acad. *Oxonienſi* per provincias *Belgicas Hamburgum*, & indè *Lipſiam* reverſus fuit.

Med. Licentiatus Lipſiæ & Profeſſor Phyſiolog.

Hic præmiſſis præmittendis, lectione curſoriâ, Diſputatione de Catarrho ſub præſidio *D. Michaëlis*, & examine rigoroſo, Licentiam in ſtudio medico A. 1643. impetravit. Præviâ verò denominatione Facultatis Medicæ Profeſſor Phyſiologus à Sereniſſ. Elect. *Sax. Joh. Georgio* confirmatus, anno proximo 1644. cum gaudio Dom. parentis ſui Doctoralia inſignia, poſtquàm de abortu pro gradu diſputâſſet, obtinuit. Profeſſ. Phyſiologicam A. 1647. Anatomica & Chirurgica, tandemq; A. 1654. poſt obitum *D. Joh. Hoppii* Pathologica, cui Collegiatura in Collegio Principum majore annexa eſt, excepit. Dignitates etiam ambulatoriæ, ut Rectoratus A. 1655. Procancellaria-

Profeſſor Anat. & Chirur.

tûs

tùs eodem anno, Compromotoris officium an. 1653. fuêre comitatæ, quibus tandem Decemviratus an. 1658. colophonem impoſuit.

Vita periculum evaſit. 10. Octob. An. 1650. Poſt cœnam horâ octavâ ex ædibus Domini parentis ſui in domum *Schürerorum*, ubi Muſæum tunc habebat, progreſſum milites quidam eum gladiis aggreſſi, comitem ejus *Henningum Schürerum* innoxium confoderunt, ipſum verò, in ſtomachum adacto gladio, in capite graviter vulnerârunt, & manum dextram ferè cum uno digitorum amputârunt, quæ tamen poſteà Thermarum ope aliquatenùs ſanata fuit. Undè poſt dolores graviſſimos perpeſſos cum longo tempore decubuiſſet, ſanitati Divinâ ope præter ſpem reſtitutus, publicè privàtimque prælegendo, diſputando, cadavera ſecando, Chymicis operationibus vacando, aliisque modis ſtudioſam juventutem informando Medici induſtrii munere perfunctus eſt.

Conjugium ejus ſterile. A. 1654. Fidem conjugalem dedit Virgini *Annæ Mariæ*, *Pauli Macaſii*, Med. Doctoris, & Phyſici primùm *Egrani*, poſteà *Zwiccavienſis* filiæ, cum quâ in utrâque fortunâ, licèt conjugii pignoribus deſtituerentur, ſuaviter vixit.

Tandem poſt vulnerationem malo hypochondiaco & doloribus nephriticis frequenter obnoxius, in integrum reſtitui cum nequiret, & à 5. tantùm diebus æger torminibus gravibus decubuiſſet, accedente viſcerum inflammatione; integro rationis uſu, & fide non titubante annos quadraginta duos cum 10. menſibus in hoc theatro mundano perſonâ ſuâ probè functum, Divina clementia terrenis fecibus exemit, *Moritur.* cœloque adſcripſit 24. Martii An. C. 1662. Profeſſ. Med. 18. ætatis 43.

Scripta:

Scripta. *Miſcellanea curioſa medica. Tract. de malo hypochondriaco, de morbillis ſive ſpecimine putredinis animatæ, de genio Thermar. Carolinar. de Anginâ, de facie Hippocraticâ, de Acidulis, de Lacte humano, de Calculi hum. generatione & curatione, de morbo Caſtrenſi, de Elixire Propriet. de morbillis. Athanaſii Kircheri ſcrutinium Phyſico-Medicum de peſte. Valetudinarium infantile. Scrutinium vulnerum lethalium. Topographia Microcoſmi, ſive Compendium Anatomicum. Documenta Anatomica de Fœtu. Epitome Phyſiologiæ medicæ. Exegeſis Controverſiarum Pathologicarum. Explicatio Aphoriſmor. Hipp. Scholia in Helmontii doctrinam inauditam de febribus.*

* *Ex Concione fun. D. Mart. Geyeri, Superint. Lipſ. & ex Programm. fun.*

Epitaphium *Chriſtiani Langii:*

Epitaphium.

D. O. M. S.

LEGE VIATOR AC LUGE.

CONDITUR HIC CORPUS, ANIMUM ENIM NEC TOTUM UNIVERSUM CONTINERE POTERAT,

VIRI NOSTR. TEMPOR. VERE HIPPOCR.

CHRISTIANI LANGI.

LUCCENS. PHILOS. ET MEDIC. DOCT. ET IN HAC UNIVERS. PER XIIX. ANN. PROF. & FACULT. MED. SEN. COLLEGI. MAJ. PRINC. COLL. ACAD. XVII. CHYMIATRI ET PRACT. NOMINATISSIMI FELICISSIMI,

QUI

IN OPT. FAMÆ AC ÆTATIS FLORE SUMMO BONOR. DESIDERIO INTER CONJUGIS AMPLEXUS ET PIENTISSIMA SUSPIRIA, QUICQ. HAB. MORTAL. PLACIDE PIEQUE DEPOSUIT XIV. MARTII A. F. C. cIↄ Iↄ CLXII. ANNUM AGENS XLIII.

ANNA MARIA MACASIA CONJUGI DESIDERATISS. H. M. F. F.

ADOLPHUS VORSTIUS.

Obiit A. C. 1663.

NAtus eſt *Delphis*, *Hollandiæ* urbe, die 23. Novemb. A. C. 1597. Patre *Ælio Everhardo Vorſtio*, Med. D. & Profeſſore *Leydenſi*, quem *Petrus Cunæus* Oratione publicâ laudavit: Matre *Gertrude van Voorſt*, ex veteri & nobili familiâ *Ultrajecti* oriunda.

Cum parens anno filii hujus ſui nativitatem ſecuto, in Academiam *Lugduno-Batavum* fuiſſet vocatus, in ejus proſcenio clarus omnibusque charus annos 26. exegit. Filius verò hic *Adolphus* anno ætatis 15. to Academiam ingreſſus eſt, in quâ Præceptores habuit *Henricum Bredium*, *Cunæum*, *Heinſium*, *Baudium*, & *Jacchæum* in linguæ Latinæ culturâ, *Græcam* verò à *Vulcanio* admodùm jam ſene, & Hebræam cum Arabicâ à magno Erpenio didicit, quæ lingua Arab. poſtmodùm ei plurimùm, cum ad Botanicam Profeſſionem, tum ad Medicinam profuit. *Academiam Lugd. anno æt. 15. ingreſſus.*

Cum verò ingenium ſuum hiſce ſubegiſſet, antequàm ad majora ſe conferret, in publicâ de motu diſputatione, quam ipſe conſcripſerat, periculum ſui cum laude fecit, ſub præſidio *Gilberti Jacchæi*, cujus manuductione ad Philoſophiæ adyta erat introductus. Medicum deindè ſtudium amplexus, totum ſe Dom. Parentis & Collegarum ejus inſtitutioni commiſit, in quo ſtudio totum eum ſeptennium Academia tenuit & exercuit. Muſicam quoque magiſtris uſus optimis didicit, eamque ſenex etiam exercuit, ſæpiùs fidibus mœrores ſolatus aut inſomniam fallens. *Publicè diſputavit de motu.* *Septennio Med. ſtudioſus.*

Anno ætatis 22 Domino Patre ſic volente, itineri ſe committens, per *Brabantiam* trajecto mari venit in *Angliam*, eâque obiter luſtratâ in *Galliam* iter reflexit. *Lutetiæ* fuit ipſi volupe præter alios viros eruditione claros ſalutare *Petrum Molinæum*, olim in patriâ ſuâ Profeſſorem, & *Thomam Erpenium*, Præceptorem ſuum. *Salmurii* cognovit *Philippum Mornæum Pleſſiaci* Dominum, veritatis defenſorem acerrimum, & *Joh. Benedictum*, Græcæ Linguæ Profeſſorem. *Bleſiæ* familiarem habuit *Paulum Realmum*, arte medicâ & Botanicâ peritiâ ſcriptisque celebrem. Indè in *Italiam* veniens, vidit & cognovit *Venetiis* illuſtrem Senatorem Ducis fratrem *Dominicum Molinum*, cujus epiſtolæ ad hunc *Adolphum* ſcriptæ non vulgaris benevolentiæ teſtes exſtant. Hujus beneficio licuit ipſi Bibliothecam Beſ- *Iter Italicum.*

ſarionis Cardinalis, ſive potius ejus reliquias inſpicere. Per eundem venit in notitiam *Pauli Servitæ*, qui Concilii *Tridentini* hiſtoriam egregiè deſcripſit.

In Academiâ *Patavinâ* Natio Medicorum *Germanica* ad Conſiliarii ſui dignitatem evexit eum, & antequàm indè diſcederet, ab *Adriano Spigelio* in Philoſ. & Medicinæ Doctorum ordinem publicè adſcriptus eſt 20. Aug. A.C. 1622.

Medicinæ Doctor Patavii.

Adiit deindè *Romam*, ubi *Reinero Zeno* Summi Pontif. Oratori, *Molini* quoq; commendatione acceptus fuit, à quo ad omnia Urbis arcana cognoſcenda fuit admiſſus. A. 1624. cum illuſtri viro M. *Antonio Maurocœno*, ad Ordines *Belgii* Legato reverſus in patriam mox, Rectore *Petro Cunæo*, Profeſſorum numero adſcriptus, & Patri ſuo, raro exemplo, Collega datus eſt. Succeſſit autem *Reinero Bontio* Principis *Mauritii* Archiatro.

Lugduni Med. Profeſſor, & Patris Collega.

Orationem ejus inauguralem ornavit Illuſtr. *Maurocenus*. Cumque Lectio Inſtitutionum Medicarum ei fuiſſet aſſignata, auſpicatus eſt eam ab Interpretatione Artis *Galeni*. Sequenti anno cum defunctus eſſet Dom. Pater, ei in Senatum Academiæ & ordinariorum numerum cooptatus, ſucceſſit in Botanicâ Profeſſione & curâ Horti publici.

Lugduni Profeſſor Botanicus.

Proximo anno menſ. Oct. Uxorem duxit virginem ex antiquâ & nobili proſapiâ *Catharinam*, filiam Dom. *Danielis van der Meulen*, in omni literarum genere verſati, Theologiæ ac linguæ *Græcæ* periti, variisque Legationibus functi. Ex eâ filium unicum reliquit *Everhardum*, quem Mathematicis artibus ac Juris ſcientiâ egregiè imbutum, A. 1660. *Lutetias Pariſiorum* dimiſit ad illuſtrem D. *Guil. Borelium*, Ordinum Generalium ad *Galliæ* Regem Oratorem ordinarium. Ex filiabus quatuor reliquit, magnis animi corporisque dotibus præditas.

Conjugium ejus & Liberi.

Ter ſummum Academiæ *Lugd.* Magiſtratum geſſit. Primum iniit anno hujus ſæculi 36. alterum 52. tertium 60. ante diem octavum Februarii, qui Academiæ natalis eſt. De cætero comis & urbanus erga omnes fuit, amicitiæ conſtans cultor, & ab amicis ad extremum amatus.

Academiæ Lugd. Rector ter.

Inter alios cum *Claudio Salmaſio* familiaritatem coluit non vulgarem, eumque poſt immaturum & inexſpectatum deceſſum publicè laudavit ſtylo facundo. Commentarium manuſcriptum in *Theophraſtum* Philoſophiæ Botanicæ Scriptorem admirandum penè ad umbilicum perduxit, in quo innumera alias prætervîſa obſervavit, annotavit & emendavit.

Claudio Salmaſio parentavit.

Extremis annis inſomnia eum & calculus & arthritici ſubindè dolores cœperunt moleſtè habere, quibus malis licet *D. Daniel de Dieu* Medicus ipſius familiaris, pro viribus obſtitiſſet, viribus tamen corporis ex iſchuriæ cruciatu in horas decreſcentibus & facultate loquendi deficiente DEO animam reddidit A.C. 1663. ætatis 66.

Moritur.

Scripta:

Oratio funebris recitata in exequiis D. Petri Cunæi, Jur. & Polit. Prof. Lugd. 1638. in 4to. Alia habita in exceſſum Claudii Salmaſii. Ibid. in 4to. Recognitio verſionis Job. Opſopæi Aphoriſmor. Hipp. Ibid. 1628. in 32. Catalogus Plantarum Horti Academici Lugduno Batavi. Acceſſit Index Plantarum indigenarum, quæ propè Lugdunum in Batavis naſcuntur. Ibid. 1643. in 24. Diſputavit in publico Lycêo de Morâ, Dyſenteriâ, febri tertianâ intermittente exquiſitâ, de Epilepſiâ, Lienteriâ, Incubo, de Spiritibus, de Pleuritide verâ, Purgatione, Plicâ Polonicâ, de Anginâ verâ &c.

Scripta.

* *Ex Oratione funebri Johannis Antonidæ Lindani.*

SEBASTIANUS HAINLINUS.

Obiit A.C. 1663.

N*Orimbergæ*, patre Sartore & cive honeſto, natus eſt 14. Martii A. C. 1594. Philoſophiæ & Medicinæ operam initio dedit *Altorfii Noricorum*, deindè *Gieſſæ Haſſorum*, porrò *Argentorati Alſatiæ*, poſteà *Baſileæ Rauracorum*, ubi etiam A. 1618. menſ. April. poſt habitam Diſputationem inauguralem Controverſias nonnullas Philoſophico Medicas complectentem, ſupremum in Medicinâ gradum, ac Privilegia Doctoralia conſecutus eſt.

Medicinæ Doctor Norimb.

21. Julii ſeq. *Norimbergæ* receptus in Collegium Medicorum, officium Decanatûs geſſit ſepties, Viſitatoris junioris bis, ſenioris verò ſexies. An. 1647. poſt mortem D. Doct. *Viti Gertneri* Senior Collegii Med. primarius factus eſt. Philoſ. fuit acutus, Orator diſertus, & Practicus in arte medicâ feliciſſimus.

Sed ſenio ingruente, poſtquàm primò quidem ex hemiplexiâ, deindè verò ob magnam virium proſtrationem cum memoriæ & ratiocinationis diminutione conjunctam domi per aliquot annos detentus fuiſſet, ex hâc miſeriarum valle tandem in patriam cœleſtem emigravit *Norimbergæ* 6. Octob. A.C. 1663. ætatis 70.

Moritur.

Collega ejus in Senioratu ſucceſſor D. Doct. *Joh. Georgius Fabritius* defuncti buſtum hoc ornavit diſticho.

Servavi multos! quis me nunc ſervat? Jova
Servet in æternum: ſic ego ſalvus ero!

* *Ex Actis Collegii Med. Norimberg. manuſcriptis.*

DANIEL GEYGERUS.

Obiit A.C. 1664.

R*Oſenhemii* in *Bavariâ* ad *Oenum* ſito oppido natus 8. Octob. A.C. 1595. Patrem habuit *Johannem Jacobum Geygerum*, lithotomum & Chirurgum celebrem, ejus oppidi tunc Senatorem, Matrem *Catharinam Jacobinam*, *Johannis Jacobi*, Senatoris & Chirurgi *Roſenheimenſis* filiam.

Filius Lithotomi.

Hic inter 10. filios, totidemque filias viventes natu minimus, puer à Patre Monachium ad Soc. Jeſu Patres in Scholam miſſus, in eâ triennium exegit, donec Pater à Senatu *Auguſtano* in urbem vocatus, ut Lithoto-

Diſcipulus Jeſuit.

mi

& in Scholà S. Annæ Auguſtæ.

mi ordinarii munere *Auguſtæ Vind.* fungeretur, A. 1606. filium hunc *Monachi* ad ſe revocavit, & Scholæ ad S. *Annam Auguſtæ* informandum dedit, deinceps verò Præceptoris privati *Hieronymi Beyeri* diſciplinæ commiſit.

& Memmingæ.

A. 1610. Pater ad petitionem fratris ſui natu majoris *Tobiæ Geygeri* iterum eum miſit *Monachium*, ſed anno ſeq. 1611. ex certis cauſis indè *Memmingam* abductum, Scholæ Evangelicæ tradidit, in quâ tantos fecit progreſſus, ut A. 1613. Præceptorum ſuaſu à patre *Tubingam* ablegaretur. Ibi A. 1614. circa Paſchatos feſtum Baccalaurei gradum inter 23. competitores tertio loco, & An. 1615. Magiſterii Philoſophici honores octavus inter 32. Candidatos cum honore ſuſcepit.

Baccalaur. & Magiſter Philoſ.

Domum poſteà reverſus ad patrem, hemiplegiâ decumbentem, mox ad patruum *Tobiam Geygerum*, Phil. Med. & Chirurgiæ Doctorem, Duc. *Bavar.* Med. aulicum Chirurgum celeberrimum ſe contulit, apud quem ad annum usque 1617. ſubſiſtens, in re Chirurgico medicâ multùm profecit.

Medicinæ Doctor Patavii.

Tunc in Aademiam *Argentinenſem* ſtudii medici gratiâ progreſſus, brevi pòſt *Patavium* venit, ibiqúe 16. Maji A. 1618 Doctorales in utrâque Mediciuâ honores publicè accepit.

Auguſtæ Coll. Med. adſcriptus.

Monachium deindè reverſus, apud patruum in annum usque 1622. ſubſtitit, & Chirurgicam praxin exercuit. Intereà *Auguſtam* profectus, Collegio ibi Medicorum adſcriptus eſt, & praxi medicæ poſtmodùm deditus, ibidem ſponſalia prima celebravit cum viduâ *Urſulâ Schwabiâ*, natâ *Aichingeriâ*, cum quâ 8. annis in conjugio ſterili vixit.

Deſponſatur.

Medicus Poſon.

A. 1629. Exercitio Religionis Evangelicæ *Auguſtæ Vind.* abrogato, cum familiâ ſuâ *Poſonium* in *Hungariam* migravit. Ibi ob praxin felicem in honore habitus, ab Imperatore *Ferdinando III.* nobilitate donatus, & trium Regni Principum *Palatinorum*, Cardinalisque *Pasmanni* Archiater nominari promeruit. Exindè ad varios Magnates in *Bohemiam*, *Auſtriam*, *Styriam*, & *Moraviam*, quater etiam *Viennam* ad *Eleonoram Gonzagam*, Imp. *Ferdinandi II.* viduam valetudinis cauſâ evocatus fuit.

Conjugium ejus ſecundum, & tertium.

Cum verò *Poſonii* conjugem morbo diuturno conſumtam A. 1640. amiſiſſet, anno ſeq. 1641. menſ. Jan. alterum conjugium iniit cum virgine *Annâ Mariâ Zehentneriâ Poſonienſi*, quâ eodem adhuc anno vitâ defunctâ A. 1642. tertia celebravit ſponſalia cum virgine *Catharinâ Margarethâ Waldmanniâ Viennenſi*, Dom. *Johannis Waldmanni*, ſolutionum bellicar. magiſtri, & *Catharinæ Zuſneriæ* filiâ. Ex eâ duos reliquit filios ſuperſtites *Eſaiam* A. 1646. & *Paulum Carolum*, A. 1649. natos: cum duabus filiabus *Catharinâ Roſina*, & *Sophiâ Salome*, quarum illa *Joh. Georgio Geyero*, Jur. Doctori & Conſiliario *Ratiſbon.* hæc verò *Joh. Abrahamo Widmanno*, Jur. Licentiato & Advocato deſponſatæ fuerunt.

Conjugium quartum.

A. 1649. 22. Maji tertiâ hâc ejus conjuge ex febre petechiali defunctâ, in febrem quartanam diuturnam præ mœrore incidit. 15. Nov. An. 1650. Sponſalia quarta celebravit *Poſonii* cum virgine *Annâ Polyxena*, filiâ *Melchioris Beringeri*, Conſil. Cæſ. & ſolutionum magiſtri, quæ filium ei *Chriſtianum Albertum*, filiamque *Annam Eliſabetham* peperit, ambo infantes vitâ defunctos.

Medicus Ratisbon.

An. 1657. *Poſonio* diſcedens, *Ratisbonam* ſe cum familiâ contulit, & eâdem cum felicitate praxin medicam exercuit. Ibi cum à triennio variis morbis fuiſſet afflictus, anginâ tandem laborans, toto octiduo nihil cibi potúsque potuit aſſumere, & loquelâ deſtitutus decubuit, usque dum viribus exhauſtus placidè in Chriſto reſpiravit 14. die Februar. A.C. 1664. ætatis 70.

Moritur.

* *Ex Concione fun. M. Joh. Georg. Hattelii, Concionat. Ratisbon.*

JOHANNES ANTONIDES LINDANUS.

Obiit A.C. 1664.

PRoavum habuit *Antonium van der Linden*, Cantorem *Nerdæ* in Choro & Ludimagiſtrum, Collegam *Lamberti Hortenſii.* Avus ejus *Henricus* A.C. 1546. natus, linguarum Latinæ *Græcæ* & *Hebrææ* peritus, quas in monaſterio *Altenerdenſi* puer didicit, dum juvenis eſſet, Eccleſiæ oppreſſæ fuit utilis, pueros eorum docendo, & nonnunquàm coram multis diſſerendo.

Avus ejus Eccleſiæ miniſter.

Hic ab An. 1578. *Enckuſæ* miniſterium ſacrum obivit, & A. 1585. vocatus *Franckeram* ad Profeſſionem Theologicam, (quam Academiam initiavit Oratione primâ & lectione) in eâ functione obiit A. C. 1614.

Pater Rector Gymnaſii Enkuſæ, & Medicus Amſtelodami.

Ex uxore nobili *Ludovicâ Wyncoopiâ* filium reliquit *Antonium*, qui Latinæ Græcæq; linguæ, bonarum artium, Poëſeos & Muſicæ ita fuit in adoleſcentiâ gnarus, ut ab *Enckuſanis* ad regendum Gymnaſium vocatus fuerit.

Neque ſecius excoluit Theologiam, maximè verò artem medicam, in quâ gradum Doctoris cum laude & gaudio parentis obtinuit in *Friſiorum* Academiâ Anno 1608. Ex eo tempore Medicinam fecit feliciter primò *Enckuſæ*, deindè *Amſtelrodami* in prædictionibus imprimis felix. Conjunx ei ſecunda fuit *Sara*, ex antiquâ & patritiâ *Bruxellis* proſapiâ Suerdiorum ſeu Gladiferorum oriunda.

Nativitas ejus.

Ex his parentibus natus eſt *Johannes Antonides* 3. Jan. A.C. 1609. Is decennis poſt rudimenta literarum in patriâ poſita, commendatus eſt inſtitutioni patrui *Hermanni*, apud *Nerdenos* verbi Divini Miniſtri, apud quem biennio tantum profecit, ut domum reverſus, traditus ſit erudiendus Scholæ Rectori *Gulielmo à Nieuvenhuyſen*, qui inter Reviſores verſionis Novi Teſtamenti deinceps ſedit. Sub ejus triennali inſtitutione ita profecit, ut tum à Rectore tum à Scholarchis judicaretur idoneus, qui Academicis ſtudiis

admoveretur. Sed ex ludo litterario dimiſſus, in gravem incidit morbum, ex quo demum anno ſeq. convaluit.

Civis Acad. Leydenſis.

Circa id tempus pater familiam *Amſtelodamum* transtulit. Ergò A. 1625. ætatis 16. Academiæ *Leydenſis* civis factus, Philoſophię præceptis imbutus eſt à *Gilberto Jacchæo* & *Francone Burgersdicio*. Hic cum Collegium publicum diſputantium inſtituiſſet, ſub eo bis reſpondit, de Motu & Animâ vegetante. Poſt Mathematicis non neglectis animum totum applicuit medicinæ, in cujus ſtudio ſectatus eſt Doctores *Ottonem Heurnium*, *Ewaldum Schrevelium*, *Adrianum Falckenburgium*, & *Adolphum Vorſtium*.

Studioſus Medicinæ.

A. 1629. cum patri videretur, non utiliter tempus in hâc Academiâ triviſſe, miſſus eſt ab eo in Academiam *Franeckeranam*. Ibi hoſpitem & Præceptorem habuit *Menelaum Winſemium*, Medicinæ Profeſſorem, ſub cujus præſidio de omnibus medicinæ partibus propoſitas à ſe meditationes decem diſputationibus cum laude pertractavit.

Med. Doct. Franekeræ.

Deindè poſtquàm ſe examini ſubjeciſſet, ſolenniter Doctor renuntiatus eſt. Hanc promotionem inſecuta eſt febris quartana, exercendo novo Doctori comparata. Eâ ſub ver proximum remittente patris ductu incepit medicinam facere usque ad An. C. 1633. quo cum pater anno ætatis 63. diem ſuum obiiſſet, ſolus in curam ægrorum incumbere perrexit.

Practicus Amſterodami.

Conjugium ejus & Liberi.

Anno proximo 1634. uxorem duxit virginem *Helenam Grond*, ex quâ filios reliquit *Henricum*, Med. Candidatum, & *Antonium*, adoleſcentem bono ingenio prædictum, & 4. filias.

A. 1639. ab Illuſtribus *Friſiæ* Ordinibus ad profeſſionem medicam vocatus eſt, quam in eorum Academiâ per annos ferè 12. ſolus ſuſtinuit, enixè operam dans, ut Medicinæ ſtudioſi quàm minimum deſiderarent eorum, qui ipſis utilia eſſe poſſent. Tunc & lectionibus Theoreticis ac Practicis, Sectionibus Anatomicis & demonſtrationibus Botanicis magnâ curâ ipſis præluxit. Quanquàm autem eum Academia ſic ſatis occuparet, neutiquàm tamen defuit officio inſerviendi valetudini cunctorum operam ipſius requirentium.

Med. Profeſſor Franekeræ.

Rectura Academiæ delata eſt ei A. 1643. quam cum fruſtra, etiam oblatâ ad ærarium ſummâ auri non mediocri deprecatus eſſet, geſſit feliciter & cum laude. Meruit quoq; ipſius fidelitas & induſtria Bibliothecarii munus, quo tum diligenter functus eſt, ut Bibliothecam publicam ſpoliatam reſtitueret per magnatum, quos compellavit, liberalitatem. Horum favori & gratiæ erga ipſum debet illa Academia & Hortum Academicum, & domum in eo ſplendidam.

Rector Acad.

Bibliothecarius.

A.C. 1651. Academiæ *Lugdunenſis* Curatores eum in celebrem ſuam ac ſplendidam ſcientiarum Officinam vocârunt, & Præceptori *Adolpho Vorſtio* ac *Alberto Kypero* Collegam dederunt. Ibi Recturam geſſit ſemeſtrem ſuffectus *Alberto Kypero*: ex illo tempore non optavit. Amicos inter artis ſuæ Profeſſores habuit & coluit D. *Tulpium*, *Bodæum*, *de Vic*, *Piſonem*, *Sladum*, *Amſtelrodamenſes*, *Plempium Lovanienſem*, poſtremò *Guidonem Patinum*, *Lutetiæ* Profeſſorem Regium.

Med. Profeſſor. Lugduni Bat.

Poſt paucorum tandem dierum decubitum, inter pias & devotas ad DEUM preces lætus exſpiravit 5. Martii A.C. 1664. æt. 65.

Ante mortem in lecto fatali decumbens, à Dom. *Johanne Coccio*, Theol. Doctore & Profeſſore in Academiâ *Lugd.* petiit, ut ſibi defuncto Oratione funebri parentaret, ex quâ hæc fuerunt excerpta.

Scripta:

Scripta.

Univerſæ Medicinæ Compendium 10. Diſputationibus propoſitum. Franeck. 1630. in 4to. De Scriptis medicis Libri II. Amſterod. 1657. 1651. 1662. in 8vo. Manuductio ad Medicinam. Ibid. 1637. in 8vo. Lovanii 1639. in 12mo. Selecta medica & ad ea Exercitationes Batavæ. Lugd. Bat. 1656. in 4to. Medulla Medicinæ partibus IV. comprehenſa. Franeck. 1642. in 8vo. Hieron. Cardani de utilitate ex adverſis capiendâ Libri IV. ſeriò emendati. in 8vo. Medicina Phyſiologica novâ methodo ex optimis quibusdam auctoribus contracta, & propriis Obſervationibus locupletata. Amſter. 1653. in 4to. De Hemicraniâ menſtruâ Hiſtoria & Conſilium. Lugd. Bat. 1660. 1668. in 4to. Meletemata Medicinæ Hippocraticæ. Ibid. 1660. in 4to. Hippocrates de circuitu ſanguinis. Ibid. 1661. in 4to. Oratio fun. in exceſſum D. Adolphi Vorſtii. 1664. in 4to. Diſputationes publicè habitæ: De Melancholiâ morbo. De Sanitatis & Morbi cauſatis. De Febris eſſentiâ. De naturâ Medicinæ. De virulentia Venereâ. Alcippus curatus. Sepia volvox tribus diſp. propoſita.

GOTFRIDUS MOEBIUS.

Obiit A.C. 1664.

L*auchæ* in *Thuringiâ* natus eſt 17. Octob. A. C. 1611. Patre *Martino* Conſule ibidem, Matre *Mariâ*, *Johannis Jeniſchii*, Senatoris ibidem filiâ.

A. 1627. Cum paulò ante Matrem amiſiſſet in Scholam *Portenſem* à Patre miſſus ſexennium in eâ ſtudiis inſudando exegit ſub Rectoribus M. *Andrea Caſſio*, M. *Eliâ Ebingero*, & M. *Andreâ Cunado* S. Theol. Licentiato.

In Scholâ Portenſ. ſtudiis incubuit.

25. April A. 1634. Indè in Academiam *Jenenſem* venit, & biennium ſtudiis Philoſophicis impendit, Phyſicæ imprimis & Aſtronomicæ ſcientiæ deditus. Poſtcà Studium Medicum ſelegit, in quo manuductorem & Præceptorem natus eſt D. *Guernerum Rolfincium* Med. Prof. primarium, qui adeò eum dilexit, ut in domum ſuam & Muſæum receptum fideliter in arte Medicâ informaverit. Sub ejusdem præſidio Diſputationem Chymicam de *Marte & Venere* publicè defendit. 24. Oct. A. 1639. Prægreſſo examine ſolito ſub eodem *D. Rolfincio* pro impetrandâ Licentiâ Gradum in *Medicinâ* ſummum aſſumendi pub-

Jenæ Philoſ. & Med. Stud.

D. Guern. Rolfincio charus.

publicè diſputavit de Naturâ Cervi, ejusque uſu & arcanis Chymicis.

Fit Doctor Med. & Profeſſor Ord.

4. *Maji* An. 1640. Gradu Doctoris *Medici* ſolenniter inſignitus paulò poſt 13. Nov. Profeſſor *Med.* Ordinarius in Salanâ factus eſt, & ſtatim Diſputationem pro more ſolennem de Affectu hypochondriaco pro Loco in Facultate Med. obtinendo habuit.

Archiater triplex.

An. 1646. Triplex Archiatri munus accepit à *Friderico Wilhelmo March.* & Electore *Brandenburgico*, ab *Auguſto* Duce *Sax.* & Archiepiſcopatûs *Magdeburg.* Adminiſtratore, & à *Wilhelmo* Duce *Sax. Vinarienſi*, quos omnes neceſſitate exigente acceſſit, iisque pro viribus arte *Medicâ* tulit opem.

Sponſalia celebravit.

A. 1640. Sponſalia *Jenæ* celebravit cum *Juſtinâ*, *Valeriani Theodori Clementis* in Univerſitate *Jen.* Directoris Chymici & Practici relictâ viduâ, *M. Theophili Æuetii* Prof. Phyſicæ & facult. Philoſ. Senioris filiâ. Ex eâ 5. filios cum filiâ unicâ ſuſcepit, ſed duos tantùm filios *Gotfridum*, & *Paulum Chriſtophorum*, *Med.* ſtudio addictos reliquit ſuperſtites cum filiâ *Sophiâ*, *Wolffgango Chriſtophoro Weſenero* S. Theol. ſtudioſo ipſo adhuc vivente deſponſatâ.

Liberi ejus.

Vitæ periculum ſalvus evaſit.

A. 1655. 28. Jan. die Dominicâ neceſſarium iter ad ægrotum quendam invitus licèt ſuſcipiens, auxilium DEI præſentaneum expertus eſt. Cum enim juxta *Seeburgum* ciſiarius ſtagnum frigore induratum trajicere vellet, glacie diſruptâ, ciſioque cum equis & vectore ſubmerſis, ipſe ſolus ciſio egreſſus inſcius quomodo id factum fuerit, ſalvus evaſit. Id quod poſteà domum reverſus in tabulâ depingi curavit, & quotannis illâ Dominicâ pauperibus eleemoſynam certam diſtribuit. Quater Academiæ *Jen.* fuit Rector, ſæpius Decanus, & Procancellarius.

Tandem *Hallæ* ſubſiſtens febri correptus, cui diarrhœa lethalis acceſſit, fruſtra *D. Friderico Hofmanno Med. Saxonico Magdeburgico* ſubſidia Medica ferente, præſente & adſtante D. *Johanne Oleario* Generali Superintendente *Magdeburgenſi* Spiritum Creatori reddidit 25. April. & quartâ morbi die A. C. 1664. æt. 53.

Mor. Hallæ.

Scripta:

Scripta.

Fundamenta Medicinæ Phyſiologicæ. Examen uſûs partium. Inſtitutiones Medicinæ. Epitome Inſtitutionum Med. Tabulæ Synopticæ. Anatomia Camphoræ.

☞ *Ex Concione funebri D. Chriſtiani Chemnitii Theol. Prof. & Superintend.*

Obiit A.C. 1664.

MARCUS BANZERUS.

NAtus *Auguſtæ Vindelicorum* d. 28. Dec. A. C. 1592. Patrem habuit *Georgium* aurifabrum & gemmarium, Matrem *Reginam Roſeram.* Hi Parentes cum filium mirabili impetu ad ſtudia ferri adverterent, maturè ipſum in patriam Scholam miſerunt, ut linguarum & artium rudimentis imbueretur. Quod cum conſecutus feliciter, & Latinè jam ac Græcè doctus eſſet, a. ætatis 19. *Altorfinæ* Academiæ civem dedit, ut Philoſophicis diſciplinis plenius vacaret, & certo alicui generi ſtudia ſua addiceret.

Philoſ. ſtud. Altorfii.

Sed arriſit præaliis *Medicina*, quam ut addiſceret, *Argentoratum* abiit, & ibi præſtantiſſimos Artis *Medicæ* Doctores ſectatus eſt, tantùmque profecit, ut laudem ab omnibus mereretur. Poſt *Baſileam* conceſſit interque Candidatos *Med.* haberi cœpit.

Med. ſtud. Argent.

Baſileæ.

Sed cum peregrinationem æquè neceſſariam *Medico* ac Politico homini ſtatueret, in *Gallias* profectus primùm in *Monte peſſulo*, vulgò *Mompelier* vocatâ urbe, ubi tum Academia Medicis cumprimis excellentiſſimis florebat, aliquantiſper fixit ſedem.

in Monte peſſulo.

Indè *Baſileam* reverſus 20. Aug. A. 1616. Doctoris titulum & inſignia ſummo omnium applauſu conſecutus eſt. In *Italiam* deinde meditatus iter *Patavinam* Academiam, ubi plura adhuc experimenta faceret, elegit.

Med. Doctor Baſileæ.

Hic poſtquàm annum exegerat in Patriam reverſus, Collegio Medico, quod *Auguſtæ* eſt, nomen dedit, receptusque benevolè, 5. April An. 1619. matrimonium iniit cum virgine *Annâ Mariâ*, *Jacobi Baſſei*, Civis & Mercatoris apud *Auguſtanos* primarii filiâ, cum quâ 27. annos concors & planè exoptatum ipſi conjugium fuit. Hanc individuam in ipſo etiam exilio ſociam habuit. Nam cum 1629. ſub ſpecie religionis reformandæ Templa *Auguſtæ* omnia & Scholæ clauderentur, Sacerdotesque Evangelici ac Præceptores cedere muneribus ſuis juberentur, maluit patriam, poſſeſſiones avitas & conſanguineos diſerere, quàm fidem, in quâ educatus erat abnegare.

Conjugium ejus primum ſterile.

Auguſtâ exul.

Per varias itaque calamitates eluctatus cum uxore demùm *Lipſiam* A. 1630. appulit, & paulò poſt *Oſſatiam* evocatus eſt, ut ibi Phyſici ordinarii, quem vocant, munus ſuſciperet. In eo loco quamvis infeliciter ſatis, ob bellor. tumultus, & rapinas militum, contagiique ſævitiem viveret, tantum tamen laudis per 7. quos ibi duravit annos expeditæ Curationes ipſi conciliârunt, ut *Camitium* deinceps ſuperioris *Luſatiæ* urbs ejus in medendo operam flagitaret.

Phyſicus ord. Oſſatiæ.

& Camitii.

Sed vix dum eò cum familiâ ſuâ conceſſerat, cum anno ſeq. 1638. â Sereniſſ. Electore *Sax. Joh. Georgio I.* in Academiam *Lipſienſem* vocatus eſt, ut Profeſſoris & Medici officio fungeretur, quas partes quantâ cum induſtriâ, dexteritate, & felicitate executus fuerit, teſtantur Scholæ, quas aperuit, Diſputationes, quas habuit, & Libri, quos edidit.

Profeſſor. Med. Lipſ.

Ibidem Saſces Academicos quinquies, Decanatum Medicæ Facultatis plurimis vicibus cum laude geſſit. An. 1646. novâ clade perculſus eſt, dum fidiſſimam thalami ſociam mors rapuit. Quoniam verò propter

pter rei familiaris curam & appetentem ſenectutem viduum ſe ac ſine conjuge reliquum vitæ tranſigere non poſſe videret, ad ſecunda vota tranſiens A. 1647. *Sibyllam Richteram*, Dn. *Lucæ Cranachii* Hæreditarii in Wachsdorff viduam duxit. Liberos plane nullos ipſe genuit, quam tamen privignam, parvulam admodùm *Martham Margaretham Sibyllam Cranachiam* cum poſteriore conjuge nactus erat, mirâ ſolicitudine educavit. Hanc dignam marito virginem A. 1658. Dn. *Ægidio Strauchio* Theol. Doct. & Hiſtoriar. Prof. publ. elocavit. *(Conjugium ſecundum ſterile.)*

Senio tandem & maraſmo ſenili conſumptus, placidè & beatè vitâ defunctus eſt 4. Maji A. C. 1664. ætatis 72. *(Moritur.)*

* *Ex Programm. fun. Rectoris Witteberg. Andreæ Sennerti, Sanctæ OrientaliumqueLing. Prof. Publ.*

Edita ab eo. *(Scripta.)*

Medicamentorum fabrica.

Epitaphium.

(Epitaphium.) CHRISTO SERVATORI SACRUM ET BEATÆ MEMORIÆ MARCI BANZERI AUGUSTANI, IN IPSO ETIAM EXILIO CHRISTIANI CONSTANTISSIMI, SCIENTIA ET EXPERIENTIA MEDICI INCOMPARABILIS PROFESSORIS P. FACULTATIS SUÆ SENIORIS EMERITI. QUI ANNO 1592. OPTIMIS PARENTIBUS NATUS, POSTQUAM IN CELEBERRIMIS EUROPÆ ACADEMIIS, ALTORFIANA, ARGENTINA, MENTIS-PESULI, BASILIENSI, PATAVINA MEDICINÆ DEDISSET OPERAM. ANNO 1661. DOCTOR BASILIÆ DICTUS EST. HINC AUGUSTANUS, ET E PATRIA OB LUTHERANAM FIDEM EXUL OSSATIENSIS, CAMITIENSIS, WITTEBERGENSIS MEDICUS ANNÆ MARIÆ BASSÆÆ, ET POST HUJUS FATA SIBYLLÆ RICHERÆ CONJUX PLACIDE EXPIRAVIT. ANNO CHRISTI 1664. ÆTATIS 72. DIGNITATUM, DOCTORALIS 48. PROFESSORIÆ XXVII. SIBYLLA RICHTERA M. O. P. C.

Leich-Text Apocal. 2. v. 7.

Wer überwindet / den will ich zu eſſen geben von dem Holtz des Lebens / das im Paradis Gottes iſt.

* *Ex Inſcriptionibus Witteb. Andreæ Sennerti.*

THOMAS BARTHOLINUS.

(Clar. A. C. 1665.)

NAtus *Hafniæ* 20. Oct. A. C. 1616. Patre D. *Caſp. Bartholino*, Matre *Annâ Finckiâ*. Privatis in familiâ *Fuireniana* uſus Præceptoribus ad Academiam patriam cœpta literarum ſcientiarumque ſtudia tranſtulit: ubi triennium inter Sacra Philologiæ Philoſophiæ, Theologiæ transegit, jactisque Medicinæ fundamentis *Lugdunum* in *Batavis* cum fratre *Bartolo* Anno 1637. concedens, auſpiciis medicorum magnorū *Vorſtii*, *Walei*, *Falcoburgii* Medicam Artem & Anatomicam trienni ſpatio, Philologiam verò, ducibus *Salmaſio*, *Heinſio*, *Voſſio*, *Golio*, *Boxhornio*, pro virili excoluit, ſubindè ad Linguam *Arabicam* & Juris-prudentiæ initia deflectens. *(Lugduni Batav. Med-Anat. & Philol. cultor.)* *(Ling. Arab. & Jurisprudent. cultor.)*

Galliam deindè petiit, & biennio apud principes ævi Medicos, inprimis *Pariſiis* & *Monſpelii* conſumpto *Italiam* cum fratre *Caſp. Bartolino* cogitavit.

Patavii Anatomicæ, Botanicæ, & Practicæ Medicinæ tres annos apud *Bened. Sylvaticum*, *Dominic. Salam*, & *Johannem Veslingium* impendit. Intereà Conſiliarius primùm inclytæ Nationis *Germ.* mox pro-Rectoratûs munere in Gymnaſio *Patavino* functus eſt, & *Venetiis* à Principe Academiæ Illuſtri *Jo. Fr. Lauretano* Academicorum *Venetorum* numero adſcriptus. *(Patavii Anatom. Botan. & Med. Practicæ stud.)* *(Conſil. Nat. Germ. Prorector Acad. Patav.)* *(Academicus Venetus.)*

Viſis deindè reliquis *Italiæ* urbibus imprimis *Româ*, ubi amicitiam meruit Equit. *Puteani*, *Holſtenii*, & *Servii*, *Neapoli* ſubſiſtit per ſemeſtre apud *Marc. Aurelium Severinum*, & *Marium Schipanum* magni nominis Medicos. Hinc in *Siciliam* trajiciens, ubi *P. Caſtello* familiaris, ad Cathedram à Reip. *Meſſanenſium* invitabatur, viſiſque *Ætnâ* & *Syracuſanorum* reliquiis, *Melitam* inſulam *S. Pauli* naufragio nobilem acceſſit. Reſalutato deindè *Patavio Helvetiam* peragravit, & *Baſileæ Rauracorum* ſupremam in Medicinâ Lauream cum Conſobrino *Henrico Fuirenio* A. 1645. diribitore *Joh. Caſp. Baubino*, impetravit, in Facult. medicam ibidem adſcitus. *(Meſſanæ in Siciliâ ad Cathedr. invitatus.)* *(Med. Doctor Baſileæ.)*

A. 1646. In patriam reverſus, ſeq. anno poſt exceſſum *Chriſtiani Longomontani* inter Profeſſores [illegible] Regios locum invenit, moxque, ad aulam evocato *D. Simone Paulli*, Anatomicam Profeſſionem addi ſibi paſſus eſt, quam 13. annor. decurſu, ſolennibus in Theatro Anatomico ſectionibus & demonſtrationibus, quibus Regia Majeſtas non ſemel intereſſe dignata eſt, ſummâ felicitate, quamvis magno valetudinis diſpendio, ornavit. *(Hafniæ Profeſſor Regius. Profeſſor Anatomiæ.)*

Eo tempore defecta ab illa primò fuerunt varia Anatomicis antea non viſa, imprimis Lacteus Thoracis ductus in homine, & Vaſa Lymphatica, quæ ipſi & nomen debent, & publicam famam. De hoc invento Clariſſimus Collega *Oſtenfeld*, erexit monumentum. *(Inventor ductûs Lactei, & Vaſor. Lymphaticor.)*

A. 1649. Uxorem duxit Virginem *Elſam*, *Chriſtophori Johannis*, Conſulis *Hafnienſis* filiam unicam: ex quâ 3. ſuſcepit filios, *Caſparum*, *Chriſtophorum*, *Thomam*, & 4. filias. *(Conjugium ejus, & Liberi.)*

A. 1654. In defuncti D. *Olai Wormii* Academiæ Rectoris & Med. Profeſſoris locum ſucceſſit, cumque A. 1656. Avus illius maternus D. *Thomas Finckius* ſenex a. æt. 95. mortalitatem expleviſſet, Facultatis Medicæ Senior fuit & Decanus. *(Olai Wormii Succeſſor.)* *(Senior Facult. Med.)*

Variis interea laboribus publicis fractus, libris edendis feſſus, & commercio literario cum præcipuis eruditi orbis Medicis fatigatus, indulgentiâ Regiâ vacationem onerum Academicorum A. C. 1661. impetravit, deque Honorarii Profeſſoris titulo ſibi gratu- *(Profeſſor Honorarius.)*

gratulatus, empto nobili prædio *Hogeſted*, otium ſapientis, quod reliquum eſt vitæ optat, ſperatque.

Ad vitæ peritura finem inter hæc peritura proſpiciens, ſepulturæ locum in Templo D. Virginis in viciniâ conjunctiſſ. Collegæ & Affinis D. *Eraſmi Pauli Vindingii* elegit, hocq; ſibi monumentum vivus poſuit:

THOMAS BARTHOLINUS
PROFESSOR MEDICINÆ HONORARIUS,
SPE FUTURÆ QUIETIS, QUAM VIVUS ANIMO POSSEDIT ET CORPORI OPTAVIT, UT POSTERITATI SUÆ INTERESSET SUPERSTES SIBI SUISQUE M. H. F. 1663.

Opera edita.

Anatomia Caſp. Bartholini Parentis novis obſervationibus & figuris locupletata. Eadem ſecundùm locupletata, quam Gallicè Abrah. Prateus Pariſiis divulgavit. Anatomia tertium ad Sanguinis circulationem Reformata, cum novis iconibus. Hanc in linguam Belgicam tranſtulit Thomas Staffart. Anatomica Aneurismatis diſſecti Hiſtoria. Obſervationes Anatomicæ P. Pawi ſelectæ poſthumæ.

De Unicornu Obſervationes novæ. De Luce Animalium Libri III. De Monſtris in Naturâ & Medicinâ. Diſpenſatorium Hafnienſe. De Anginâ puerorum Campaniæ & Siciliæ Epidemicâ Exercitationes. De Latere Chriſti aperto Diſſertatio cum Epiſtolis Claudii Salmaſii. Antiquitatum veteris Puerperii Synopſis operi magno ad Eruditos præmiſſa. Anatomicæ Vindiciæ Caſp. Hofmanno aliiſque oppoſitæ. Animadverſiones in Anatomica Hofmanni.

Domûs Anatomicæ Hafnienſis deſcriptio. De Lacteis Thoracicis in Homine Brutiſque obſervatis Hiſtoria Anatomica. De iiſdem dubia Anatomica.

Vaſa Lymphatica in Homine inventa. Vaſa Lymphatica in Animalibus inventa, & Hepatis Exſequiæ. Defenſio vaſorum Lacteorum & Lymphaticorum adversùs Joh. Riolanum. Paralytici N. T. Medico & Philologico Commentario illuſtrati. Hiſtoriarum Anatomicarum Rariorum Centuriæ VI.

Diſputationes variæ Medicæ. Epiſtolarum Medicinalium Centuriæ II.

Obſervationes Medicæ variorum. Obſervationes Job. Veslingi & Epiſtolæ Anatomicæ poſthumæ. De Danorum Medicinâ, Juventis, & Erroribus Diſſertationes Academicæ. Reſponſio ad novas Obſervationes Bilſianas.

De Nivis uſu Medico Obſervationes Novæ. Ciſta Medica Hafnienſis variis Conſultationibus, Caſibus, Vitiſque Medicor. Hafnienſ. repleta. Epigrammatum variis in locis editorum Volumen. Cornari Vita ſobria ad uſum vulgarem accommodata. Panegyricus Auguſtiſſ. Regi Daniæ Friderico III. publicè Acad. nomine dictus. De Cometa nupero Conſilium Medicum A. 1665. De Armillis veterum, præſertim Danorum, Schedion. De variis Reip. Chriſtianæ morbis & placidis illorum Remediis. De Cruce Chriſti Hypomnemata IV. Collegium Anatomicum Diſputationibus XVIII. [illegible] Spicilegia duo ex Vaſis Lymphaticis. Examen Lactearum contra Riolan. & Harvejum. De Pulmonum Subſtantiâ & Motu Diatribe. De inſolitis Partûs humani viis Diſſertatio Nova. De Hepate defuncto diſſertatio. Orationes in Obitum Olai Wormii & Henrici Fuirenii. De his nonnemo ita luſit.

Hujus ſcripta viri quicunque recenſet & annos,
Tot poterit liberos, quot numerare dies.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ à Eraſm. Vindingio.*

CHRISTIANUS OSTENFELD.

NAtus *Viburgi Cimbrorum* 14. Sept. A. C. 1619. Patre *Petro Oſtenfeld*, Conſule urbis primario, Matre *Anna Chriſtiani*. Primis pueritiæ & adoleſcentiæ annis Latinas, Græcas, Hebraicaſque literas didicit, jactis inſuper Philoſophiæ & cœleſtis doctrinæ fundamentis.

A. 1638. Academiæ *Hafnienſi* nomen dedit, exactoque biennio primâ Philoſophiæ Laureâ donatus eſt, & in examine Theologico â Cenſoribus approbatus, ad exteros ſtudiorum causâ profectus, facto per *Belgium* & *Angliam* itinere A. 1641. *Lutetiam Pariſior.* venit. Hafniæ Baccal.

A. 1642. Domum vocatus eſt, ut Scholæ *Viburgenſi* cum Rectore operam locaret, invitatus honorifico ſtipendio è Canonicatu *Cölſenſi*, quod tum primum ab exceſſu Epiſcopi D. *Joh. Vandalini* muneri Con-Rectoris perpetuam auctoritate Regiâ conſtitutum eſt, nam ante id tempus nullum Schola illa cum ſtipendio Con-Rectorem habuit. Con-Rector Scholæ Viburg.

An. 1643. Ad capeſſendos ſummos in Philoſophiâ honores, quos Magiſtrales appellant, â *M. Jacobo Finckio* Phyſ. Prof. P. & Philoſ. Decano invitatur. An. 1647. Con-Rectoris munere ſe abdicavit, ſuſceptoque ad exteros itinere illuſtribus Comitibus *Kolkiis*, *Chriſtiano Chriſtophoro*, & *Henrico Detlero*, profectionis ſtudiorumque ducem ſe præbuit, & abſolutâ per *Belgium*, *Germaniam*, *Helvetios*, *Allobroges*, *Italiam* & *Galliam* in præcipuis Aulis & Academiis triennio, ſub finem Anno 1650. in *Daniam* revertitur. Philoſ. Magiſter.

Novo anni ſeq. vere tertium ad exteros digreditur, cumque *Tubingæ* aliquantiſper ſubſiſteret, rogatus ab Academiâ Duci *Würtenbergico Eberhardo III.* qui ad reſtituendam Academiam cum Conſiliariis & præcipuâ Nobilitate advenerat, pro reſtitutâ Academiâ publicè gratias egit, nuncupatâ ipſi Oratione, quam Laurum *Wirtembergicam* inſcripſit.

Indè ut ſtudiis ſuis toties interruptis ſolutare otium faceret *Patavii Venetorum* ſedem collocavit. Ibi Academiam J. C. torum anno integro pro Rectore adminiſtravit, miſſus pro eâ ſæpius ad Principem & Senatum *Venetum* Orator, rèque bene & ex uſu Academiæ geſtâ [illegible] marmore Rector Nat. Germ. J. C. rum Patavii.

more in Palatio Academiæ, & alteram æri inciſam meruit hâc Inſcriptione:

GENI ET MERITIS CLARO MI V. CHRISTIANI OSTENFELISSI DANI, UNIV. PATAV. ET NAT. GERM. J. C. RUM AD SEREN VENET. PRINC. ORATORIS, OB NAVATAM STRENUE DIFFICILIB. TEMP. OPERAM NATIO GERM. J. C. RUM. M. P. PATAVII MDCLIV.

19. Maij A. 1655. Doctor Medicinæ autoritate *Venetâ* creatus conceſſit *Haſniam*, moxque per magnum Regis *Friderici III.* Cancellarium ad Med. Profeſſionem vocatus eſt A. 1656. quam dicto Regiæ Academiæ Sacramento lætus ſuſcepit, habitâ prius more majorum Diſputatione, in quâ præter Regiam Majeſtatem & Regni Proceres adfuere *Belgii* fœderati Legati, *Beuningius, Ameronius*, & *Perenius*. Eodem anno 13. Maij *Thomæ Finckii* exequiis in Collegio Academico parentavit.

A. 1657. Ab Academiâ *Otthiniam* delegatus eſt, ut indictus Regiâ auctoritate Comitiis cum Rectore intereſſet. Eodem anno Uxorem duxit *Soſtratam M. Jacobi Finckii* filiam. Mox ſolenniter in æde D. Virginis Rectoris muneri inauguratus eſt, in quo memorabile hoc fuit, quod juſſu auſpicioque Regio armatâ Pallade Cives Academicos primus eduxit in hoſtem pro aris & focis pugnaturos.

A. 1658. Ejurato Magiſtratu Academico ad eluendas loci mutatione quartanæ reliquias in vicinum *Coagio* prædium digreſſus, ab hoſte inopinatè intercipitur, detineturque tertium menſem, obſeſſâ *Haſniâ*: ſed noctu elapſus & cymbâ *Haſniam* delatus pro Rectore res Academicas iterum curavit, totoque urbis obſeſſæ tempore usque ad belli finem nomine Academiæ cum reliquis urbis ordinibus juſſu Regio identidem convocatis de contributionum, hoſpitiorum, pacis denique negotio conventus habuit.

A. 1660. Factâ ante urbem pace, ab Academiâ *Roëskildiam* mittitur, ut apud *Palatinum Sulzbachium* & Regios Legatos prædiis Academicis prævideret, ne quid in hoſpitiorum aſſignatione detrimenti caperent.

A. 1662. Nomine Academiæ, feſto Servatæ Urbis 11. Febr. publicam coram Regiâ Majeſtate, Principe *Brunſvic. Friderico*, & præter Regni Proceres *Fœderati Belgii* Oratore, Orationem habuit, quam poſtea Palladium *Danicum* inſcripſit, Regique conſecravit.

3. Oct. An. 1663. Cum Filia Regis *Anna Sophia Johanni Georgio III. Saxoniæ* Principi deſponderetur, juſſu Senatûs Academici in Collegio coram Regiâ Majeſtate, Principe hærede *Chriſtiano*, & ipſo Sponſo, in frequenti Principum ac Legatorum cœtu, pro felici auſpicio Panegyri Academicâ vota nuncupavit, quam Concordiæ *Dano-Saxonicæ* titulo Principi Sponſo dedicavit.

An. 1665. Abſolutâ ſuperioribus annis ſingulares corporis humani morbos curandi methodo, curandarum febrium modum publicè docere cœpit.

Scripta:

Laurus Würtenbergica, Panegyricus Eberhardo III. Duci Wirtenberg. pro reſtitutâ Academiâ Tubingenſi dictus in Collegio Academico Tubingæ A. 1652. Palladium Danicum, Panegyricus feſto ſervatæ Urbis Haſnienſis dictus Haſniæ in Collegio Academico An. 1662. Concordia Dano-Saxonica, pro felici auſpicio Panegyricus in Collegio Academico dictus, & Sponſo Joh. Georgio III. Sax. Principi conſecratus, Haſniæ An. 1663. Phorus Latinitatis varios vocum & dictionum Latinarum ſcopulos indicans. Oratio funebris in obitum D. Thomæ Finckii habita in Coll. Acad. Haſniæ A. C. 1656. Prodromus Exercitationum de fundamentis Medicinæ.

* *Ex Acad. Haſniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

GUILIELMUS ERNESTUS SCHEFFERUS.

Medici hujus *Francofurtenſis* celebris vitæ curriculum ex Epitaphio illi ibidem à liberis innoteſcit:

SISTE VIATOR,
ET IN PROXIMUM CIPPUM PAULISPER RECLINANS PAUCIS QUID TE VELIM COGNOSCITO.
SITA HIC SUNT OSSA ET CINERES VIRI NOBILISS. EXPERIENTISS. DN. GUILIELMI ERNESTI SCHEFFERI,
QUI A. CIϽ. IϽ. XC. D. XIV. MARTII BUDINGÆ NATUS EX PARENTIBUS HONESTISS. PATRE HENRICO SCHEFFERO, ILLUSTR. COMITUM ISENBURGENSIUM PRÆTORE INTEGERR. MATRE DOROTHEA CHONERIA,
AVO JUSTO SCHEFFERO ILLUSTR. COMITUM WALDECCENSIUM CONSIL. ET PROTUTORE, A. CIϽ. IϽC. XVII. GIESSÆ.
PROXIMO QUADRIENNIO HELMSTADII A. CIϽ. IϽC. XXII. ET CIϽ. IϽC. XXIII. LUGDUNI BATAV. ET OXONIÆ EGREGIAM TUM ALIIS, TUM IMPRIMIS MEDICINÆ STUDIO NAVAVIT OPERAM. A. CIϽ. IϽC. XXIV. SOLENNI MORE ET APPLAUSU ARGENTORATI MEDICINÆ DOCTOR RENUNTIATUS,
EODEM ANNO DOMUM FRANCOFURTI DUXIT UXOREM EGREGIAM ANNAM CHRISTINAM KELLERIAM, DN. PETRI WEBERI SENATORIS VIDUAM,
EX QUA FILIOLUM SUSTULIT: QUO UNA CUM MATRE VITA FUNCTA A. CIϽ. IϽC. XXIIX. ALTERAM DUXIT UXOREM, FOEMINAM LECTISSIMAM ORNATISSIMAMQUE URSULAM, DN. GEORGII EGERI, SCABINI ET SENATORIS FRANCOFURT. FILIAM, EX QUA LIBEROS SUSCEPIT QUINQUE, QUORUM TRES SUPERSTITES.
SEBASTIANUS A. CIϽ. IϽC. XXXI.
ANNA MARGARETA A. CIϽ. IϽC. XXXIII.
PHILIPPUS ERNESTUS A. CIϽ. IϽC. XLV. NATUS PATRI A. CIϽ. IϽC. LXV. D. XXI. MARTII,
MATRI

MATRI AN. CIↃ. IↃC. LXVI. D. XXVII.
OCTOB. DENATIS.
HOC MONUMENTUM
PIO GRATOQUE ADFECTU NON SINE LACRYMIS POSUERUNT.
ITO VIATOR QUISQUIS ES ET MANIBUS HIS BENE PRECATUS DUM IN VIA ESSEMPER MEMENTO NOVISSIMA.

Obiit A.C. 1665.

ERASMUS BARTHOLINUS.

NAtus 13. Aug. A. C. 1625. *Roëskildiæ*, quò cum *Hafniam* peſtilentia urgeret, ſeceſſerunt parentes D. *Caſp. Bartholinus*, Med. Prof. *Hafniæ*, & mater *Anna Finckia*. Non multos poſt annos, cum patrem amiſiſſet, in ſcholam *Herlovianam* miſſus eſt erudiendus, donec edito profectus in humanioribus ſpecimine An. 1642. à Decano Facultatis Philoſophicæ M. *Jacobo Finckio* in ordinem Studioſorum Academiæ *Hafnienſis* aſciſceretur.

Diſcipulus Scholæ Herlov. — *Studioſus Acad. Hafnienſis.*

Mathematicus. Ex Philoſophicis ei ſtudiis Mathematica, quorum principiis in ſcholâ imbutus erat, maximè placuêre, præſertim cum in Aſtronomicis manuductores inveniſſet Viros eximios M. *Chriſtianum Severini Longomontanum*, & M. *Georgium Frommium*.

Baccalaur. Philoſ. A. 1644. Invitatus ad gradum, quem vocant, Baccalaureatûs à M. *Thomâ Bangio*, Facult. Philoſ. Decano primis in Philoſophiâ honoribus augetur. *Medic. ſtudioſus.* Tum auſpiciis D. *Olai Wormii* medicis ſtudiis tempus impendit, quorum majori deſiderio A. 1646. in Academiam *Leydenſem* abiit, uſurus operâ Dom. *Johannis Walæi*, Med. Doct. & Prof. cujus tam privatis quàm publicis prælectionibus ſedulò proficere tentavit. Deindè novam, & jam pridem à *Renato Carteſio* vulgatam artem analyticam hauſit à *Francisco à Schooten*.

A. 1647. Domum revocatus, inceptam telam abrumpere cogitur, cum deſtitueretur beneficio, quod indulgentiâ Regis, iis, qui Medicinæ operam navant, conceſſum erat, cuique obtinendo non tantùm requiſita Philoſophiæ ſupremis honoribus ſpecimina edenda erant, ſed & medica Diſputatio adornanda. *Philoſ. Magiſter.* Philoſophiæ ergò ſumma ornamenta primùm conferebantur illi à Philoſ. Facultatis Decano *Petro Spormanno*, deindè Medicas Theſes, præſide *Olao Wormio*, publicè defendit. *Theſes Medicas defendit publicè.* Quibus ingenii ſpeciminibus anni quadrante conſumpto, ut medicis ſtudiis animum seriò adjiceret mandatum, & in *Belgium* redire permiſſum.

In *Angliam* itaque tranſiens, exactoque *Londini* & *Oxoniæ* pauco tempore, *Lugdunum Batavorum* revertit, conſueta ſtudia reſumpturus. Familiaritate tum uſus *Renati Des Cartes*, *Claudii Salmaſii*, & *Gerardi Voſſii* triennium *Leydæ* exegit. *Stud. Lugduni Batav.*

A. 1649. Cum amico *Franciſco à Schooten* præcipua *Brabantiæ* & *Flandriæ* oppida conſideravit, & A. 1650. iter in *Galliam* ſuſcepit, & *Pariſiis* aliquantiſper ſubſtitit.

Hinc vocatus *Bleſios* ab Ampliſſ. Viro *Florimondo de Beaune*, perficiendis quibusdam Analytices ſpecioſæ opuſculis operam accommodavit. *Pariſiis.* A. 1653. *Lutetiam Pariſior.* reverſus, virorum doctorum amicitiam & uſum Bibliothecæ Regiæ repetiit.

Patavii Conſilar. Nat. Germ. & Vice Syndicus Univerſit. Med. Doct. Eodem anno *Patavium* ob ſtudia medica iter ſuſcepit, ubi ſesquianno ſubſiſtens, ſtudiorum opportunitate coactus, *Germanicæ* Nationis Conſiliarius electus eſt, & Univerſitatis Vice-Syndicus, donec ſeq. anno 1654. ſummis in Medicinâ honoribus inſigniretur, & circa autumnale æquinoctium *Romam* diſcederet.

A. 1655. *Neapolim* & vicina antiquitatum rudera vidit, ſed reditûs feſtinationem imperavit deſiderium cognoſcendi ea, quæ in electione novi Pontificis *Alexandri VII.* agebantur. *Romæ elect. Pontif. vidit.* Tum receptus inſigni virorum Clariſſ. *Caſſiani à Puteo*, *Emanuelis Vizzani*, & *Lucæ Holſtenii* amicitiâ, Bibliothecæ quoque *Vaticanæ* fructu delectatus usque ad ſolſtitium æſtivum in urbe permanſit: æſtatem *Florentiæ* transegit, ut inſignem Bibliothecam Mediceam indies conſuleret. Hinc *Veronam* abiit, ubi in ægris viſitandis Dom. D. *Petro à Caſtro* individuum ſe comitem addidit, & prædicta medica fidelibus experimentis confirmare adſuevit. *Veronæ Med. artem exercuit.*

A. 1656. In patriam revocatus, & Geometricæ Profeſſioni deſignatus, per *Germaniam*, *Galliam*, *Angliam*, & *Hollandiam* reditum direxit. A. 1657. Diſputatione publicè habitâ 11. Febr. deſignatum ſibi munus Profeſſorium in Geometriâ auſpicatus eſt. Menſe Junio ſeq. Facultatis Medicæ tertius Profeſſor Medicus Regio mandato deſignatus eſt. *Hafniæ Profeſſor Geometriæ. Prof. Medicinæ. Uxorem duxit.* Matrimonio ſibi junxit *Annam Johannis*, Dom. *Johannis Friderici*, Rectoris olim ſcholæ *Roëskildenſis*, nec non Gymnaſii ejusdem Profeſſoris & Canonici unicam relictam filiam, ex quâ filium unum cum filiâ ſuſcepit; & A. 1665. adhuc in vivis fuit.

Scripta:

Scripta. *Problematum Matheſeos Pentas. Exercitatio de Cauſâ Efficiente. Diſputatio Medico-Mathematica. Introductio ad Geometriæ Methodum Renati Des Cartes. Heliodori Lariſſæi Opticorum Libri II. Græco-Latini cum Animadverſionibus. Ratio Analytica inveniendi omnia Problemata proportionalium, præſertim Harmonicè proportionalium. De Æquationum Naturâ, Conſtitutione, & Limitibus. Opuſcula duo Florimundi de Beaune. Dioriſtice, ſeu Æquationum determinationes. Oratio Jubilæa. De Nivis figurâ Diſſertatio. Conſideratio Aſtronomica Conjunctionis Magnæ Saturni & Jovis Anni 1663. De Problematibus Geometricis.*

* *Ex Academiâ Hafniæ repræſentatâ ab Eraſmo Vindingio.*

Obiit A.C. 1665.

JOH. LAURENTIUS BAUSCHIUS.

SUinfurti felici ſydere in lucem hanc natus eſt 30. Sept. A.C. 1605. Parente Medico & Philoſopho clariſſimo Dn. Leon- *Fil. Medici & Conſulis.*

harto Bauſchio, Phyſico & Conſule *Suinfurtenſi*.

Ab hoc à teneris, quod ajunt, unguiculis in artis medicæ operibus educatus in variis & primariis *Germaniæ* Academiis, peragratâ quoque per biennium *Italiâ*, raro fervore ſtudium ſuum adeò excoluit, ut vivente & vidente patre cum applauſu omnium, quotquot ejus indolem ac dexteritatem pernoverunt, die 29. Jun. A. 1630. *Altorfii* ſupremo dignitatis gradu, quem dudum meruerat, mactaretur, inter 7. Candidatos primus Med. Doctor publicè pronuntiatus.

Medicinæ Doctor Altorfii.

Felices tunc ambo, Pater & Filius, quod cum uterque votorum ſuorum compos raro ad poſteros exemplo neuter ab altero vinci vellet, quilibet tamen pro eo, quem Natura generi humano dictavit, affectu, ab altero ſe vinci facilè pateretur, à ſe ipſo victus uterque.

Rarius adhuc quod tanti parentis non tam hæreditaria bona eaq; luculenta, quàm celebre ejuſdem nomen, & quod maximum vacantem Phyſicatûs in patriâ ſpartam, quaſi à beati Parentis manibus traditum, Superiorum decreto accipere, decusq; *Bauſchianum* cum parente nonnihil ſopitum, quaſi in cineribus latentem ignem denuò excitare voluerit.

Phyſicus Suinfurt.

Tantus enim in eo animi vigor & alacritas, tantus ad abdita ſcrutanda ardor, ut quicquid temporis à moleſtâ, felici tamen praxi ſuffurari daretur, id in obſcuras Naturæ abyſſos elucidandas abſumeret omne, in Botanicis præſtans, & in Chymicis experitiſſimus: Bibliothecam à parente relictam pluribus, novis cumprimis Authoribus exornare, ac Muſæum rarioribus è triplici Naturæ Regno, Animali, Vegetabili ac minerali petitis inſtructum ſibi comparare laboraverit, quo nomine & plurimorum Clariſſimorum Viror. ſententias coràm & per literas ſæpius exploravit, undè tandem natum illud per plures mundi plagas diſſeminatum *Curioſum Naturæ Collegium*, hæc ejuſdem ſunt cunabula cum reduce *Germaniæ* pace propitio DEO *Suinfurti* A.C. 1652. inſtituta. Authori tanti operis clum præſidium jure merito omniumque Collegarum conſenſu oblatum, & *Jaſon* is vocatus eſt, qui quid hâc in parte præſtiterit, in ore eſt omnium, & id præclara illa *Meletemata*, quæ ipſe *Schediaſmata* vocabat, publicata loquuntur ad ſatietatem.

Naturæ arcanorum indagator.

Fundator Collegii Naturæ Curioſorum.

Primus Præſes Jaſon. nom.

Meletemata edidit.

An. 1661. de dolore quodam pungitivo ſenſiles maxillæ dextræ partes acriter vellicante conquæſtus eſt, ſed is per intervalla tantùm & mitior erat, ideòque parvi factus, ipſâq; morâ cuniculis profundius actis 5. Id. Nov. A. 1664. in tantum invaluit, ut lecto illatus vix loqui, imò nihil planè ſolidioris deglutire poſſet, immanibus ſub maxillâ & cerebri ſenſoria doloribus divexatus. Malignitas quædam ſcorbutica tum accuſata impugnata quidem, nunquam tamen expugnata, adeò, ut accedente omnium rerum faſtidio, & atrophiâ, cum levi quâdam ſiniſtri lateris paralyſi die 15. Cal. Dec. in Chriſto placidè obdormiverit A. C. 1665. æt. 60.

Morbus ejus ultimus.

JOHANNES WILHELMUS MANNAGETTA.

Obiit A.C. 1666.

Natus eſt *Wilhelmſpurgi*, pago *Auſtriaco*, 1. Maji A.C. 1588. A. 1614. In Academiâ *Pragenſi* Baccalaureus, & an. ſeq. Philoſ. Magiſter renuntiatus, abindè ſtudio medico dedit operam, & *Patavii Venetor.* Gymnaſio Doctor Med. creatus eſt A. 1620.

Phil. Magiſter Prag.

Med. Doctor Patavii.

Philoſophus fuit, Medicus, Theologus, Juriſperitus, Hiſtoricus, Mathematicus & poëta clariſſimus, trium Impp. *Ferdinandi II. III.* & *Leopoldi* Archiater, hujusque Hiſtoricus, & à *Ferd. II.* Comes Palat. & Dom. à *Lerchenau* factus.

Trium Imp. Archiater.

Comes Palat.

Artem medicam in Academiâ *Viennenſi* publicè profeſſus, undecies facult. Med. Decanus, octies Rector Magnificus, & 14. ſtipendiorum literarior. Superintendens fuit, Vir ab omni ambitione & faſtu alienus.

Med. Profeſſor Viennæ.

A. 1632. Cum primâ vice Rector fuiſſet electus, ad Feſtum S. *Ladiſlai* Patroni *Hungariæ* Cæſarem *Ferdinandum II.* invitavit, qui cum Conjuge *Eleonorâ*, filiis *Ferdinando* & *Wilhelmo Leopoldo*, duabus filiabus, & toto comitatu aulico comparuit.

A. 1645. Alteram duxit Conjugem virginem *Annam Suſannam*, nobilem à *Kielmanseck*, quam ſterilem reliquit ſuperſtitem.

Ejus Conjugium.

Tandem catarrho diuturno graviter afflictus, vitam morte beatâ clauſit ultimo Maji, quem paulò ante ſibi mortis diem fore prædixerat ipſe, A.C. 1666. ætatis 78. prax. Med. 46. Sine liberis, *Viennæ Auſtr.* ſepultus 3. Junii ſeq. in Templo Cathedrali S. *Stephani*.

Mor. ſine liberis.

Bibliothecam reliquit ex libris omnium Facultatum & Scientiarum cumulatam, quam 50000 florenos ipſe æſtimaverat.

Teſtamento conſtituit, ut in ædibus ſuis perpetuò 4. vel 5. nominis *Mannagettæ* ſtudioſi in ſtudiis ſuſtentarentur, ejusque Libri omnium Facultatum neceſſarii ſubminiſtrarentur.

Hoc Symbolo uſus eſt: *Fortiter agentem Ratio ducat non Fortuna.*

* *Ex Concione funebri Florentii Schillingii, Clerici Regul. & Concionat. Vienn.* qui ſub ejus finem hoc *compendium Chronographicum* adjunxit:

1.

Mannagetta ſVIt DoCtVs GaLenVs.

2.

MeDICVs, & bonVs aſtroLogVs.

3.

PhILoſophVs, TheoLogVs & IVrIſperItVs, oCtIes reCtor MagnIfICVs, ſeptVagInta & oCto annos natVs beně obIens LætatVr & Vt ſpero beně & gLorIoſè VIVet.

4.

SI Vero, qVod non ſpero, pœnas pVrgatorII ſVſtIneret, orator eX Voto preCatVr qVIeM, Vt beně & beatè VIVat.

Ab eo-

Ab eodem *Schillingio* hoc ei ſcriptum eſt *Epitaphium*:

Conditur hoc tumulo Auſtriacus Mirandula, Doctor
Mannagetta, decus patriæ, & unus honor.
Manna fuit vivis, ſed morti Getta, ſubinde
Getta ſolo, remanet corpore Manna polo.

Obiit A.C. 1666.

ANTONIUS DEUSINGIUS.

NAtus *Meurſæ* 15. Oct. A.C. 1612. Patre *Joh. Ottone Deuſingio S. Goarenſi* in militiâ *Belgicâ* ſignifero, Matre *Agneta Vermeren Delfenſi*.

In Patriâ ob Palæſtræ literariæ tunc malè conſtitutæ incommoda primos pueritiæ annos diſſultoriè trivit ſub variis Præceptoribus, donec à Parente Anno 1628. ad Scholam Hardervicenam deductus Rectori ibidem Jodoco Heingio commendaretur. *Studia inchoavit Hardervici.*

Hinc ob irruptionem Exercitûs hoſtilis in Velaviam cedere coactus An. 1629. in Gymnaſium *Veſalienſe* à Patre deductus per annum ibidem *Johannis Sauteni* inſtitutione publicâ & privatâ uſus eſt.

Indè miſſus *Lugdunum Bat.* illicò animum Philoſophiæ adjecit, Præceptore *Francone Burgersdicio* Phyſ. & Log. Profeſſore. *Lugduni ſtudiu Philoſ.* Mox in domeſticam familiaritatem admiſſus à Jacobo Golio Matheſ. & *Arabicæ* Linguæ Profeſſore Matheſeos ſtudium reliquæ Philoſophiæ cœpit adjungere. *Mathem. & linguar. orient.*

Intereà & linguæ Arabicæ ſtudio ſe applicuit, & ad Medicinæ agnitionem adjecit animum ſuaſu imprimis *D. Golii* rerum medicar. peritiâ exculti, licèt alioquin Parens ſtudio Juridico ipſum deſtinâſſet. Occaſionem verò nactus in linguâ etiam *Perſicâ* ac *Turcicâ* orbi noſtro rarioribus proficiendi, iiſdem ſuccifivis horis operam impendit.

Dum intereà in lectione Medicorum *Arabum* ſe exerceret, Lexicon Medicum ArabicoLatinum adornare inſtituit, in quo exhibet Medicamentorũ ſimplicium & vocabulorum ad medicinam ſpectantium interpretationem. In eodem curſu Academico *Erpenii* Grammaticam *Arabicam* vetuſtiorem nactus, in quâ plurima Autor manu propriâ interpolaverat, eam in ordinem digeſſit, & ſub autoris nomine typis emiſit.

In Medicinâ Doctores audivit *Ottonem Heurnium, Ewaldum Schrevelium, Adolphum Vorſtium*, & *Adrianum Falckenburgium*, & ad 7. usque annum in hoc ſtudio verſatus 25. Sept. A. 1637. Doctoris in Med. titulo, Promotore D. *Adolpho Vorſtio* cohoneſtatus eſt. *Med. Doctor. Lugd.* Luſtratis deinde nonnullis aliis *Belgii* Academiis, in Patriam reverſus, Praxi medicæ ſe applicuit, cui jam antè *Leidæ* animum parare cœperat, Directoribus D. *Schrevelio*, & D. *Heurnio*, cum quibus Noſocomium gnaviter frequentaverat, & ægros viſitaverat.

Profeſſor Mathem. Gröningæ.

Vix patriam reverſus in Urbem invitatus eſt ad Matheſeos publicam Profeſſionem, ad quam inauguratus eſt 9. Jul. An. 1638. habitâ Oratione de *Felicitate* Patriæ ex Gymnaſio acquiſitâ. Id verò Muneris cum Praxi Med. junxiſſet, mox anno ſeq. *Hardervicum* invitatus eſt ad publicam & Ordinariam Profeſſionem Phyſicæ & Matheſeos in locum paulò ante defuncti D. *Iſaaci Pontani*: ad quam inauguratus, 5. Dec. 1639. publicè peroravit de rectâ Philoſophiæ naturalis conquirendæ methodo. *Prof. Phyſ. & Math. Hardervici.*

Paucis menſibus pòſt à Magiſtratu ordinarius Urbis Medicus in locum defuncti D. *Bachovii* eſt ſubrogatus, adjecto liberali ſtipendio. A. 1642. In eodem gymnaſio *Harderviceno* ſpartæ priori junxit medicinæ Profeſſionem, quam auſpicatus eſt 12. Aug. Oratione publicâ, quâ *Medicinæ* dignitates perſtringebantur. *Med. Profeſſor.* Sicque primum Facultas medica florere ibidem cœpit ante id tempus in Athenæum iſtud non introducta. Sub initium Anni 1643. in Seniorem Eccleſiæ *Hardervicenæ* eſt electus, ac poſt ſolennes in cœtu Eccleſiæ proclamationes 22. Jan. confirmatus, eoque munere biennium ex viſu illius Eccleſiæ functus eſt. *Senior Eccleſiæ.*

Sub finem Anni 1646. ibidem ad primariam medicinæ Profeſſionem vocatus ſolenniter 12. Jan. A. 1647. introductus eſt ſub Oratione Inaugurali, quâ Idéa medici abſoluti adumbrabatur, ſeu quod optimus Medicus ſit idem Philoſophus.

Sed eodem adhùc anno in Academiam *Gröningenſem*, prægreſſâ vocatione legitimâ ſe recepit, ubi Provincialis Medici honore auctus, 19. Oct. A. 1647. Philoſophiæ creatus eſt Doctor, quò in novâ Academiâ ad id quoque muneris præter Medicam Profeſſionem vocatus, poſtmodùm ritè & legitimè gradum Magiſterii in alios conferret. *Philoſ. Doctor Gröningæ.* 16. Aug. An. 1648. Rector Academiæ *Gröning.* deſignatus & ſolenniter inauguratus 23. Aug. Orationem habuit de *Boni medici officio* præſente cum Ordinum generalium Delegatis Celſiſſ. Principe *Auraico Guilielmo*.

A. 1649. 1. Nov. in Seniorem Eccleſiæ *Gröningana* electus eſt, & poſt ſolennes Proclamationes 25. Nov. confirmatus. *Senior Eccleſiæ.* Denique A. 1652. ab illuſtr. Comite *Naſſoviæ Wilhelmo Friderico Friſiæ* Gubernatore medici aulici dignitas ipſi addita. *Med. aulicus Com. Naſſov.*

A. 1653. Iterum Academiæ Rector inauguratus orationem habuit ad verba Hipp. aph. 1. ſect. 1. Judicium difficile, de Judicii difficultate.

5. Aug. A. 1640. in matrimonium adſcivit virginem nobilem *Sophiam* Dom. *Ludolphi ab Ooſterwyck* publicis muneribus & Legationibus in Ducatu *Cliviæ* functi filiâ, ex quâ An. 1648. piè defunctâ filiolam ſuperſtitem habuit filiolo uno cum duabus filiabus DEO redditis. *Uxorem bis duxit.*

6. Jan. A. 1650. Cum animum ad ſecunda vota applicaret, in uxorem duxit Virginem *Magdalenam Modeſtam, D. Hermanni Scheldmanni* J.C. eximii & olim in Camerâ Imperiali Judicii Spirenſis Aſſeſſoris filiam. Ex eâ filiolam non multò poſt DEO redditam ſuſcepit, & filiolum A. 1652.

Moritur. Vivendi tandem finem fecit *Groningæ* 29. Jan. An. C. 1666. ætatis 54. Oratione funebri laudatus à *Samuele Mareſio* Theol. Profeſſ.

Scripta. Scripta ab ipſo edita ſunt:

Coſmographia Catholica. Naturæ Theatrum Univerſale. Aſtronomia ſecundùm Hypotheſes Ptolomei in concinnum ordinem digeſta. De vero Syſtemate Mundi Diſſertatio Mathematica, quâ Copernici Syſtema Mundi reformatur, in partes 4. diviſa. De Mundi Opificio Diſcurſus Phyſicus 12. Diſſertationibus propoſitus. De Origine Formarum naturalium, & animæ Humanæ ſubſtantiâ Diſquiſitiones habitæ cum D. Johanne Santeno. De ortu Animæ, ſeu Oeconomus Corporis animalis, contra Charleton. In Sylvam Echo, ſeu Sylvius Heautontimorumenos, & de Bilis ac Hepatis uſu. De vacuo & Attractione. De Operibus DEI ſecundùm ſingulos dies Meditationes Chriſtiano-Philoſophicæ. Diſquiſitio Philoſophica de Terrâ mobili an immobili. Synopſis, ſeu Compendium Metaphyſicæ, Phyſicæ, & Ethicæ. Synopſis Medicinæ univerſalis, ſeu Compendium Inſtitutionum Medicarum. Exercitationes Anatomicæ de Viſceribus Humani Corporis. Diſſertatio de motu Cordis & Sanguinis. Appendix de Venæ ſectione in Pleuritide. Diſſertatio de Lacte, & Nutrimento Fœtus in utero. De nutrimento Animalium Exercitat. Anatomia parvorum Naturalium, ſeu Exercitationes Anat. & Phyſiol. de Partibus humani corporis conſervationi ſpeciei inſervientibus. Hiſtoria Fœtus extra uterum in abdomine. Geneſis Microcoſmi, ſeu, De Generatione Fœtûs in utero. Canticum Avicennæ de Medicinâ, & Selecta Medica Johannis Meſuæi Damaſceni ex Arabico in Latinum converſa. Pentateuchus Perſicus ex typis Hebræis in Characterem Perſicum conſcriptus. Orationes variæ ſub variis Inaugurationibus, & Promotionibus habitæ. Faſciculus Diſſertationum Medicarum. Sylva cædua jacens de Spirituum animal. Geneſi, Motu, & Uſu. Sylva cædua cadens de Alimenti elaborat. De Chylificatione, ſive de Nutrimenti elaboratione. Reſurrectio Hepatis. Apologia pro Oeconomiâ Corporis animalis contra Blotteſand. Vindiciæ fœtûs extra Uterum geniti, & aliorum Authoris Scriptorum. De Peſte.

* *Ex Vitis Profeſſor. Gröning.*

JOHANNES MICHAELIS.

Obiit A.C. 1667.

Lucis hujus uſurâ An. 1606. feriâ tertiâ Pentecoſtali in *Weſtphaliæ* Urbe amplâ Suſato frui cœpit: Patre cognomine, Senatore illius Urbis & Camerario, Conſulibus, Senatoribus, & Officialibus ibidem præcipuis prognato: Matre *Gertrutide Niſkiâ*, ex primariis iſtius loci familiis ortâ. *Parentes ejus.*

Hi parentes cum in eo igniculos præclari ingenii conſpicerent, Scholæ *Suſatenſis* partem eum eſſe voluerunt, ubi ſub manuductione Præceptorum fidelium tantos in literis & artibus fecit progreſsus, ut idoneus viſus fuerit, qui An. 1620. in Academiam *Roſtochienſem* mitteretur. Ibi hoſpitio & menſâ exceptus à cognato ſuo magni nominis Theologo D. *Joh. Affelmanno*, & ſtudia dirigente *Joh. Botſacco* Philoſ. tunc Magiſtro, poſteà Miniſterii *Dantiſcani* ſeniore, diſciplinis Philoſophicis per triennium operam navavit. *Roſtochii Phil. ſtud.*

Poſtquàm autem ad ſtudium medicum animum applicuiſſet, & mors Dn. *D. Affelmanni* ſpes ipſius in Academiâ dictâ fixas quadantenùs intercepiſſet, D. *Danielis Sennerti* famâ commotus in Academiam Leucoream A. 1623. conceſſit, ibidemque non ſine fructu ſtudiorum ſuorum inſigni ad pedes hujus ſui Præceptoris & aliorum Profeſſorum per biennium ſedit. *Witt. D. Sennerti diſcipulus.*

Indè *Lipſiam* A. 1625. acceſſit, Dominisque Profeſſoribus, præprimis D. *Franciſco Keſtiot*, unc facultatis *Med.* Seniori, & D. *Joh. Ruperto Sultzbergero*, tandem Archiatro Elect. *Sax.* cujus commenſalis fuit, adhæſit, & ſub illius præſidio Diſputationem de Catarrho, ſub hujus de Vermibus, non ſine laude habuit A. 1628. *Lipſiæ Med. ſtud.*

Eodem adhùc anno *Lugdunenſem* in *Batavis* Academiam ſalutavit, & ab ore ſummorum in hâc arte virorum D. *Adolphi Vorſtii*, D. *Ott. Hervii*, & D. *Adriani Falckenbergii* pependit, & ut exterorum ſcripta medica poſſet prolvere linguæ *Italicæ* & *Gallicæ* addiſcendæ temporis nonnihil dedit. *& Lugduni Batav.*

Perluſtrato deinde Belgio, *Lipſiam* Anno 1630. redux factus ſedem fortunarum ſuarum illam conſtituit, & quoniam propter anguſtiam Nationis *Sax.* Magiſterii titulum ſibi uſui eſſe poſſe didicerat, in Academiâ *Wittenberg.* eodem adhùc anno 1630. promotione vernâ ſe condecorari paſſus, diſputatione de Auro habitâ, locum inter Magiſtros *Lipſienſes* brevi poſt obtinuit. *Philoſ. Magiſter Witt.*

Anno ſeq. 1631. Licentiam aſſumendi ſummos honores in ſtudio medico, & brevi poſt ipſum gradum Doctoralem adeptus fuit. Intereà temporis Virgini *Annæ Chriſtinæ*, Dn. D. *Matthiæ Berlichii* ſcriptis Juridicis clari, in *Bendorff.* hæreditarii filiæ unicæ fidem conjugalem dedit, quæ M. Jan. A. 1632. per benedictionem Eccleſiaſticam vitæ Conſors ipſi addita fuit. *Med. Licent. & Doctor Lipſiæ. Uxorem duxit.*

In hoc Conjugio per annos propemodùm 36. vixit, & 5. pignoribus ſexûs utriusque *Annâ Chriſtinâ*, *Johanne* in pueritiâ extincto, *Johannâ Chriſtinâ*, *Chriſtinâ Eliſabethâ*, & *Johanne* Conjugalis hic amor ſincerus fuit obſignatus.

Ex his ad æterna gaudia præmiſſis filia ſuperſtes unica *Johanna Chriſtina* viro Conſultiſſimo *Dom. Eberhardo Schlaff* Jur. Doctori, Conſiſtorii Elect. Advocato & Practico A. 1665. vitæ concors ceſſit, quæ maritum etiam prole duplici *Annâ Chriſtinâ* & *Johanne Michaeli* Parentem fecit. An. C. 1631. poſt D. *Sultzbergeri* translationem in aulam Electoralem, Profeſſionem in facultate Medicâ extraordinariam, An. 1633. poſt obitum D. *Guntheri Decani*, factâ prius ſucceſ- *Med. Profeſſor Lipſ.*

ſucceſſione, Phyſiologicam, poſt deceſſum verò D. *Koetii* Decani A. 1643. Pathologicam, & rebus humanis exemto Dn. *Zeidlero* itidem Decano Therapevticam, & cum eâ Decanatum A. 1647. fuit adeptus. Collegiaturam nationalem in Collegio Ducali A. 1636. Profeſſionalem in majore A. 1643. & brevi poſt Decemviratum obtinuit.

Rectorat. Academ.

Rectoratum Academiæ in *Saxonicâ* natione ſepties, in triplici Collegio *Paulino*, majore ac minore Præpoſituram, Procancellarli & Promotoris vices in conferendis ſummis dignitatibus aliquoties cum laude ſuſtinuit.

Chymicus excellens.

Præter Lectiones publicas Collegia etiam privata non ſemel aperuit, imprimis ſtudium Chymicum ſic excoluit, ut ex ipſius Scholis, velut ex equo *Trojano*, qui Principum aulis, Academiis & Rebuspublicis inſigni eſſent emolumento, prodierint, & ipſe, ſi Religionem excipias, alter *Paracelſus* dici potuerit.

Archiatr. Saxonicus.

Famâ nominis ejus adducti *Saxoniæ* Princeps *Fridericus Wilhelmus Altenburgicus* & Sereniſſ. Elector. *Joh. Georgius II.* Archiatri munus, illi quidem A. 1641. hic A. 1662. gratioſiſſimè ipſi demandârunt.

Ille etiam aliquoties per alterum ſuum Archiatrum D. *Joſephum Clauderum* ægrotanti dolorem ſuum denuntiari juſſit. Vitæ pauſam quod attinet, inſultus quidam apoplecticus, quo leviter *A.* 1659. tangebatur, ſed ita, ut injunctorum adhuc ſatagere poſſet, M. Nov. *A.* 1664. vehementius rediit, cum paulò ante Principem *Saxo Lauenburgicum Julium Henricum Schlackenwerdæ* morbo periculoſo decumbentem, ſanitati reſtituiſſet, & linguæ præprimis uſum intercepit. Sic qui vitam plurimis prolongavit, & ipſe tandem morti ſuccumbens animam exhalavit 29. Nov. *An. C.* 1667. ætat. 61.

* *Ex Programmate funebri Rectoris Lipſ. & ex Concione fun. D. Eliæ Sigiſmundi Reinhardi Superintend. Lipſ.*

Scripta.

Commentaria in authores aliquot Medicos manuſcripta reliquit.

Obiit A.C. 1667.

JOHANNES GEORGIUS FABRICIUS.

NOrimbergæ natus eſt 23. Sept. An. C. 1593. Patre *Johanne Baptiſtâ* Arithmetico & Scholar. *Germ.* Inſpectore, Matre *Roſinâ Starckgraviâ Auguſtanâ, Johannis Starckgravii* Civis honeſti filiâ.

Pueritiæ coxa luxat. claudus.

2. April. An. C. 1602. æt. 9. Cum ei ex lapſu gravi coxa pedis ſiniſtri luxata nec repoſita fuiſſet, per totam abinde vitam claudicare coactus eſt.

A. 1605. Linguæ Latinæ diſcendæ cupidum Pater *Abrahami Weinmanni* in quartâ Claſſe Scholæ *Sebaldinæ* Præceptoris diſciplinæ tradidit, cumque brevi Condiſcipulos diligentiâ ſuperâſſet, Anno ſeq. à Patre *Juterbrockum* ad ſororis maritum *Caſparum Hageri*, ejus loci Senatorem ac Mercatorem, miſſus, ibi in Scholâ tunc celebri

Juterbocchi ſtudia ſuccell.

Artium & Linguarum fundamenta poſuit.

Depoſitus Wittenb.

Exindè in Univerſitatem *Wittenberg.* ab agnato *Chriſtoph. Grobitio*, Conſule *Juterbocenſi* deductus & actu Depoſitionis pro more ſtudiis initiatus eſt.

A. 1609. Cum *Juterbocci* triennii ſpatio ſub Præceptoribus Martino *Calovio* Conrectore & *Johanne Redslobio* Rectore tam in literis Latinis & Græcis, quam in Logicis & Rhethoricis egregiè profeciſſet, Patre volente *Norimbergam* feliciter rediit, Teſtimonium ſtudiorum & vitæ honeſtè transactæ à dicto Dom. *Redslobio* ſecum afferens.

Tum *Danielis Wagneri*, Scholæ Sebaldinæ Collegæ, & poſteà Rectoris ad Spiritum Sanctum informatione privatâ gaviſus eſt, usque dum Promotore *Chriſtophoro Fürero*, Duumviro & Conſil. bellico, in Academiâ *Altorfinâ* 12. Alumnis ſub Inſpectore *M. Jeremiâ Hölzlino* adſociatus eſt 2. Febr. An. 1610.

Altorfii alumnus.

Ibi Anno ſeq. ex primâ Claſſe ad Lectiones Publicas promotus, abindè ſtudia Philoſophica ſedulus tractavit, & A. 1612. in Collegio Phyſico Diſputatorio ſub M. *Wolffg. Waldungo* Phyſ. Prof. Publ. de communibus rerum naturalium affectionibus primâ vice privatim reſpondit.

Philoſ. Baccalaureus.

A. 1613. 19. Dec. Philoſ. Baccalaureus à *Michaele Piccardo* Log. & Metaphyſ. Prof. creatus inter 7. Competitores primum obtinuit locum. Sed quia Philoſophico Medicum ſtudium proprio naturæ motu & ex matris voto conjunxit, hujus brevi poſt ſpecimen præbuit, cum ſub præſidio D. *Caſparis Hofmanni* de Nervorum origine publicè cum laude diſputavit. A. 1615.

Medicus.

Eo tempore tres illi patricii ſtudioſi *Elias & Tobias Oelhafii* cum *Thomâ Löffelholtzio*, in literis informandi ſunt traditi. Sæpius quoque publicè privatimque opponendo & reſpondendo profectus ſuos in ſtudio Med. oſtendit. 30. Julii *An.* 1616. Patre hortatore Magiſterii Gradum petiit, & à *M. Georgio Mauritio* tunc Decano & primæ Claſſis Præceptore inter 7. Candidatos tertio loco promotus obtinuit.

Philoſ. Magiſter.

23. Sept. Collegium Diſputatorium Ethicum ipſe Præſes aperuit & paucis exactis menſibus finivit. Ex hoc Diſputationes duæ de Summo Bono, & de Virtute Morali typis editæ ſunt. Intereà ſæpius à Præceptoribus Claſſicis, *Dn. Mauritio* præſertim rogatus eorum vices in Claſſibus docendo obivit.

A. 1617. cum paulò ante ſub præſide D. *Caſp. Hofmanno* tria Problemata, Phyſicum, Botanicum, & Anatomicum maſculè defendiſſet, *Noribergam* ſe contulit, & 4. Maji *Wittenbergam* diſceſſit, ibi à Clariſſimo D. *Dan. Sennerto* in ædes & convictum receptus, cui poſteà ſemper à latere hæſit. Exindè 30. Maji *Juterbocum* excurrit, cumque agnatos ſalutâſſet, ſtatim *Wittenbergam* regreſſus Collegio Chymico à D. D. Sennerto habito cum 23. Candidatis ſeſe adjunxit,

Wittenbergæ D. Sennerti diſcipulus.

In quo

in quo ad feſtum usque S. *Michaelis* plurima didicit.

A. 1618. Collegium Practicum à *Wolfg. Schallero* Med. Prof. apertum ingreſſus, in eo 14. Martii de Vertigine diſputavit. 22. Maji ſeq. Præſide D. *Sennerto* de Phthiſi publicè diſputavit. 8. Julii Tribus Med. ſtudioſis *M. Bonavent. Reyſingio Stutgardienſi Joh. Samueli Albino Wittenberg.* & *Joh. Georgio Pelshofero Græcenſi* poſtea Med. Profeſſori *Wittenberg.* Inſtitutiones Med. *Jacobi Horſtii* declaravit usque ad 26. Aug. 25. Sept. ſecundâ vice ſub ductu & auſpiciis D. *Sennerti* de Renum uſu Diſputationem habuit.

7. Octob. A. 1618. Teſtimonio D. *Sennerti* munitus *Wittenbergâ* diſceſſit *Lipſiam*, & indè *Jenam* ſe contulit, ubi ſtatim Rectori *Zachariæ Brendelio* Med. Prof. & Seniori nomen dedit, qui charum habuit & ſæpius ad Praxin extra oppidum ſecum aſſumſit. *Jenæ Zach. Brendelii diſcipulus.*

An. 1619. 23. Jan. *Jenæ* Adjunctus Facultatis Philoſ. factus cum aliis 13. Magiſtrandorum (inter quos primo loco fuit D. *Andreas Keslerus* Theol.) Examinatorem egit 31. Jan. Adjuncti nomine Dominos Profeſſores ad Convivium Magiſteriale promore invitavit. 7. Maji. Duobus Med. ſtudioſis, *Caſp. Grungenio Luneburg.* & *Paulo Willio Roſtochienſi Caſp. Bartolini* Inſtitutiones Logicas explicare cœpit & 27. Julii ad finem perduxit. 30. Maji A. 1619. Collegium Phyſicum privatum, pro more Adjunctorum Philoſophiæ ſtudioſis aperuit. *Adjunctus Facult. Philoſ.*

7. Junii herbationi publicæ cum Dominis Profeſſoribus, *Friderico. Wilhelmo* & *Bernhardo* Ducibus *Vinarienſibus*, eorumque Gubernatore *Bartoldo Nihuſio* interfuit. *Herbationi publ. interfuit.*

23. Junii Cum *Wolffgangus Rathmannus Hallenſis* Director Chymicus *Jenæ* apud D. *Zachar. Brendelium* ſeniorem Collegium Chymicum aperuiſſet eidem nomen dedit, & medicamentorum elaboratorum compoſitiones annotavit. *Collegio Chymico nomen dedit.*

16. Octob. ſub præſidio D. *Euſebii Schenckii* publicè de Calculo diſputavit, & 18. ſeq. Ipſe præſes, pro loco in facult. Philoſophicâ legitimè obtinendo, Diſputationem de Sophiſticis Elenchis, reſpondente *Georgio Eiſenbinnero Coburgenſi* pro more, publicè defendit.

20. Octob. A. 1619. A Patre per literas vocatus *Noribergam* reverſus, exinde 24. Maji A. 1620. *Baſileam* conceſſit, hoſpitio exceptus à *Joh. Jacobo Bachovio* Pharmacopœo. Ibi menſe Majo quotidianus fuit ſpectator horti Plantarum vivi, quem D. *Caſp. Bauhinus* ipſi cum aliis quibusdam Med. Candidatis per aliquot ſeptimanas monſtravit.

22. Junii Anno 1620. A Decano D. *Martino Chmielecio* Admiſſionem ad Examina Med. cum obtinuiſſet, die ſeq. Examen rigoroſum ingreſſus duo Themata ſibi data, Theoreticum de Temperamentis, & Practicum de Febribus in genere, declaravit; habitâ poſtmodum Diſputatione pro Gradu ſine Præſide de Phrenitide 29. Aug. à D. *Caſp. Bauhino* cum 4. Candidatis ſecundo loco & ſine ſorte cum laude Med. Doctor proclamatus eſt. 9. Sept. ſeq. à Dominis Profeſſoribus in Facultatem Med. recepto certus locus aſſignatus fuit, & idem peculiare Teſtimonium obtinuit. *Baſileæ Doctor. Med.*

28. Sept. *Baſileâ Noribergam* reverſus brevi poſt 2. Dec. unà cum D. *Gregorio Queccio Altorfino* in Collegium Medicum receptus eſt, & per annum ſeq. 1621. ab inclyto Magiſtratu Praxin in xenodochio exercere juſſus Doct. *Mich. Rötenbeckio* xenodochii Medico primario adjunctus eſt, qui primâ vice ingreſſum ita affatus eſt: *Veni mi Domine Collega, ego deducam te in theatrum humanæ miſeriæ.* *Norimbergæ in Collegium Medicum receptus.* *Medicus xenodochii.*

11. *Mart.* A. 1622. Sponſalia *Norimbergæ* celebravit cum virgine *Felicitate*, *Ambroſii Boſchii* Mercatoris filiâ, quam morte ſibi abreptam 29. Jun. An. 1664. conjugii 42. amiſit. Ex eâ 12. liberos ſuſcepit, quorum 4. filios reliquit ſuperſtites, *Johannem Baptiſtam* Jur. Candidatum, *Georgium* Jur. Doctorem, multorum Procerum in aulâ Cæſ. *Viennæ* Agentem, *Paulum Albertum* mercaturæ *Hamburgi* deditum, & *Septimum Andream* Med. Doct. & Practicum in patriâ. *Diſponſatur.* *Liberi ejus.*

Ex filiabus ſuperſtes *Maria Roſina Johanni Rödero Med.* D. & Practico in patriâ xenodochii medico nupſit. Ex quâ 4. nepotes ſuperſtites vidit, 3. filios cum filiâ.

Ter ut *Medicus* Collegiatus Inſpectioni Leproſorum quotannis circa Paſcha in Templo *S. Johannis* extra Urbem haberi conſuetæ interfuit, Annis nempe Chriſti 1623. 1625. & 1632. Viſitator Officinarum Pharmacevticarû ex *Medicis* junioribus denominatus eſt A. 1627. & 1633. Inter Proceres *Henricus Wilhelmus* Comes *Solmenſis* primus eum pro *Medico* Ordinario aſſumpſit. *Med. ord. Com. Solmenſis.*

An. 1636. primâ vice Viſitator ſenior Pharmacopolior, & abindè ſexies adhuc conſtitutus fuit. Decanatum verò Collegii *Medici* primum A. 1638. & ſexies deinceps cum honore obivit.

A. 1642. Celſiſſima Princeps *Suſanna* nata & deſponſata Comitiſſa *Palatina* eum ſibi medicum, conſtituto ſalario annuo, elegit, ejusque conſilio fideli uſus eſt usque ad A. C. 1661. quo *Nurtingæ* in Ducatu *Wirtenberg.* vitâ exceſſit. *Sophia Agnes*, Duciſſa *Hilpoltſteinenſis* ejusdem Conſiliis medicis gaviſa eſt ab A. C. 1649. usque ad An. 1664. quo obiit. *& Duciſſæ Palatinæ.*

An. 1650. *Octavius Piccolominius* Dux *Amalfi* Cæſaris ad Pacis Tractatus Legatus primarius *Noribergæ* periculoſo morbo decumbens tunc præter alios Conſiliis *Med.* ſibi ſalutarem *Medicum* ord. conſtituit, ejusque Conſilia deinceps ſæpius ex Urbe *Viennâ* requiſivit. *& Ducis Amalfi.*

A. 1655. Leproſorum inſpectioni diu intermiſſæ & poſtliminiò ex ſenatus Decreto reductæ interfuit, quod etiam poſteà Anno

1656.

1656. 1659. & 1663. ab eo factum. 17. Maji An. 1659. Imp. Rom. *Leopoldus* eum Comitis *Palatini* dignitate & Privilegiis clementer ornavit. Abindè usque ad *A.* C. 1669. 10. Notarios creavit, 15. Spurios legitimos reddidit, 14. Literas Inſigniorum diſtribuit & Infamem unicum Famæ reſtituit. *Comes Palatinus.*

4. Julii Hemiplexiâ lateris ſiniſtri noctu correptus intra menſis ſpatium convaluit, *A.* 1664. Conjuge orbatus recidivam ſenſit, brevi tamen remittentem, ſed abinde curru magis vehi quam, à pedibus uti coactus, nihilominus tamen ægros viſitavit, & illis conſiliis ſalutaribus opem tulit: cumq; tandem ob maraſmum ſenilem viribus abſumptis ipſe ſcribere non potuiſſet, filio tamen D. *Septimo Andreæ* Medicamenta pro ægris opem poſcentibus ad calamum dictavit, ſubindè dicere ſolitus: *Ego in ſtatione moriar.* Tandem inter preces adſtantium exſpiravit 18. Nov. *An.* C. 1668. ætatis 75. *Hemiplexiâ correptus. Mor. in ſtatione.*

* *Ex Concione funebri M. Sebaſt. Jac. Krauſii.*

Filius hujus Medici excellentiſſimi *Wolfgangus Ambroſius Fabritius* Med. Candidatus poſtquàm per aliquot annos, & primò quidem in *Argentoratenſi, Tubingenſi, & Ingolſtadienſi Germaniæ* Academiis, deindè *Patavii* per ſeſquiannum Medicinæ operam navârat, porrò etiam *Romanum, Neapolitanum, Lauretanum, Florentinum,* & *Monſpelienſe* iter feliciter confecerat, tandem *Lugduni Gallor.* febre petechiali correptus piè ac placidè obdormivit 13. Jan. *A.* C. 1653.

* *Ex actis manuſcriptis Coll. Med. Norib.*

FRIDERICUS GREIFIUS.

Obiit A.C. 1668.

Natus eſt *Tubingæ* 29. Oct. *A.* C. 1601. Patre *Michaële Greifio* Pharmacopolâ *Tubingenſi,* Matre *Mariâ Alberti Simonii,* Civis *Tubing.* honeſti filiâ. Ad Pietatem & Studia à Parentibus aſſuefactus prima Humanitatis & Philoſophiæ fundamenta in *A*cademiâ Patriâ jecit, poſtmodùm ita profecit, ut adeptâ prius primâ Philoſophiæ Laureâ ſecundam *A.* 1620. inter 35. Competitores primum tenens locum cum laude conſecutus fuerit. *Magiſter Philoſ. Tubingæ.*

Dehinc cum Philoſophico medicum ſedulò conjunxit ſtudium, idque tantis in Hippocraticâ hâc palæſtrâ locupletavit ſpeciminibus, ut præclaro medicinæ Candidati titulo jam clueret, cumque jam in eo eſſet, ut ſupremum in Medicinâ Gradum ex conſenſu Facultatis Med. conſequeretur, inter ipſum apparatum de Voluntate Parentis ſententiam mutans Curam Officinæ publicæ ſuſcepit, ac proindè *A*rti Chymicæ, quæ medicinæ famula audit, ſe totum addixit, quam Officinam tamen haud multo poſt alteri ceſſit, ut medicamenta Chymica ſelectiora, Theriacam Cœleſtem imprimis, tantò felicius conficere poſſet. Hanc Theriacam, cujus lineamenta prima *Joſepho Quercetano* debentur, ut ad poſteros tanquàm divinum aliquod pignus conſervaretur, in Ducis *Wirtenbergici* Domini ſui clementiſſimi manûs, impetratâ prius ſingulari gratiâ, reſignavit. *Med. Candidatus. Pharmacopæus. Chymiæ cultor. Theriacam cœleſtem Duci Wirtenberg. reſignavit.*

Quanquàm verò An. 1667. *Hanovienſis* quidam Medicamenti hujus confectionem aggreſſus, illud pro verâ Theriacâ cœleſti venditârit, Greifius tamen ſcripto quod eam in rem delineatum reliquit, publicè oſtendere voluit, Pharmacum illud minimè id, quod pollicetur, præſtare, nec niſi apud Sereniſſ. Ducem *Würtenberg.* ſincerum illud poſthâc repertum iri.

Cœterùm cum ingenio inter alia haud infeliciter ad vernaculam Poëſin nato eſſet, illud ad Hymnos, Preces, laboresque ſacros impendit, ut teſtantur Libelli editi, & hymnus Germanicus, quem Conjugi ſuæ An. 1664. defunctæ cum melodiâ propriâ poſt Concionem funebrem canendum compoſuit. *Poëſis ſtudioſus.*

8. Julii An. 1628. Conjugium iniit cum Virgine *Catharinâ,* Dom. *Wendelini Stecheri,* Senatoris *Tubing.* filiâ, Dom. *Johannis Stecheri* Abbatis quondam *Bebenhuſani* nepte, ex quâ ſuſcepit tres liberos, Filium unum & Filias duas, quarum Una *Maria Agatha* Dom. *Chriſtoph. Caldenbachio* Phil. Prof. in Acad. *Tubingenſi* publ. deſponſata patri ſuperſtes vixit. In hoc Conjugio annos 36. pacificè complevit. Poſt exactos viduitatis annos An. 1667. ad ſecunda vota tranſiit cum *Annâ Mariâ,* Dom. *Joh. Chriſtoph. Zanlahn* Præfecti *Stenslingenſis* viduâ, cum quâ pariter tranquillè per ſeſquiannum vixit. *Conjugium iniit.*

A tribus demùm ſeptimanis affectu febrili laborans vires proſternente doloris omnis expers inter ſuorum preces & ſuſpiria placidè in Chriſto obdormivit 18. Nov. A.C. 1668. ætat. 67. *Placidè obiit.*

Scripta: *Scripta.*

Harmonia Evangeliſtarum. Devotiones Feſtivales. Hymni & precationes. Pſalmi Davidici L. Cantica ſacra. 7. Auserleſene Artzneyen / darunter *Theriaca Cœleſtis* die Vornehmſte.

* *Ex Concione fun. Chriſtoph. Wölfflini Theol. Doct. & Prof. & ex Programmate fun. Rectoris Tubing.*

DANIEL BECKHERUS.

Obiit A.C. 1670.

Coepit has auras libare 5. Jan. An. C. 1627. Progenitore *Dom. Daniele Beckhero* Med. D. & Profeſſore publ. nec non Sereniſſ. Elect. *Brandenburg.* Archiatro, atque Civitatis *Kneiphofianæ* Phyſico, Genetrice *Mariâ,* Dom. *Johannis Lentzii* olim Conſulis *Witteberg.* filiâ. Hi Parentes id ſolicitè accurârunt, ut Salvatoris Sacris initiatus in pietatis, artium, & linguarum exercitiis adoleſceret. Quare prudentes in educatione ipſi Magiſtros ſubmiſerunt, ſub quorum ductu & inſtitutione ita feliciter profecit, ut maturè magnæ virtutis atque ſcientiæ ſpem faceret.

Etenim dum *Thorunii* undecennis ſubſtitit, intra biennium non linguam tantùm

Polonicam comprehendit, ſed & ſolida humanioris literaturæ fundamenta jecit. Itaque domum reverſus clariſſ. Magiſtri *Scheidii* poſtea *Argentorati* Profeſſoris informatione tantùm ſuperſtruxit, ut inter Jubilæi Academici ſolennia 17. annor. adoleſcens inter magnorum virorum applauſûs publicè peroraret.

Anno ætat. 17. publicè peroravit.

An. 1646. Academiam *Wittebergenſem* ingreſſus, & annum ibi commoratus, dies noctesque libris ſuis impalluit. Hinc excurrit in ſuper. *Germaniæ* Academias, *Lipſienſem*, *Jenenſem*, *Altorfinam*, *Ingolſtadienſem*, & *Tubingenſem*, Hortos cumprimis Medicos & Cameras Anatomicas, aliaque Profeſſioni olim ſuæ profutura contemplatus eſt. Sed *Argentorati* pedem fixit, & ſummâ diligentiâ ſuæ Profeſſioni incubuit, tantosque fecit progreſsûs, ut jam in famam iret Clariſſimorum Profeſſorum, dignusque haberetur, cui ſupremi in Medicinâ honores deſtinarentur.

In multis Academiis Germ. Studioſus Med.

Intereà flagrabat deſiderio luſtrandi *Galliam* & *Italiam*. Hanc ob cauſam ivit per *Baſileam* in Academiam *Montiſpeſſulanam*, ut ſtudium imprimis Botanicum excoleret, & herbarum vires trutinaret. Hinc recepit ſe in *Marſiliam*, quin & *Bononiam* magnificam *Italiæ* Scholam ſalutavit. Subſtitit *Venetiis*, viſisque notatu dignis Academiam *Patavinam* fœcundum Medicorum Seminarium ſalutavit, ubi ad A. 1650. commoratus in familiaritatem ſe Profitentium non tantùm, ſed & magnatum conſuetudines intromiſit.

Botanices cultor Monſpelii.

Hinc poſtquàm viderat *Romam* atque Paradiſum *Neapolitanum*, regreſſus eſt *Argentoratum*, ubi meritos dudùm ſupremos in Medicinâ honores An. C. 1652. die 22. Sept. feliciter conſecutus eſt. Dives ita honoribus & doctrinâ per *Bataviam* in patrias ſedes reverſus non diu poſt Virginem *Roſinam*, Nobilis Dom. *Chriſtophori Schimmelfengii*, hæreditarii in *Sanicken* filiam An. 1655. ſibi junxit. Ex eâ 12. liberos ſuſcepit, ſeptemque ſuperſtites reliquit.

Med. Doctor Argentorat.

Conjugium ejus & Liberi.

Sed nec defecit eum fortuna in promotione, quando Sereniſſ. Electoris *Brand.* propitiâ voluntate A. 1653. Profeſſor *Regiomontii* Ordinarius, & A. 1663. Conſiliarius atque Archiater conſtitutus, interea ſepties Facultatis Medicæ Decanus, bis autem Magnificus Academiæ Rector eſt ſalutatus.

Med. Profeſſor Regiomont. Conſil. & Archiater Brand.

Interea ſuo quotidiè Numini vacabat, aſſiduus aderat Eccleſiæ, attendebat myſtis, intermiſcebat hymnos, ex abundantiâ ſuâ in pauperes diſtribuebat largius, cum omnibus humaniter atque candidè convivebat. Imminentem cumprimis mortem quotidiè ſibi ob oculos ponens in frontiſpicio libelli ſui ſcripſerat: *Labora quaſi ſemper victurus, vive quaſi cras moriturus.*

Virtutes ejus Chriſtianæ.

Symbolum ejus.

Profuit ipſi hæc quotidiana mortis meditatio, ut mors inſperata non imparatum pectus invenerit. Etenim vix ſecunda dederat vota virgini *Sophiæ*, viri nob. & conſultiſſimi Dom. *Cyriaci Heilsbergeri* Senatoris in *Palæopoli* filiæ, cum in altero ſuo Rectoratu ſine ullis mortis adrepentis indiciis morti tamen, cum illud minimè ſperabatur, ſuccubuit, poſtquàm veſperâ noviſſimâ inter devotas preces & hymnos, quos quotidie cum familiâ intonabat, animam ſuam Divino Numini commendâſſet M. Febr. 1670. æt. 43.

Poſt ſecundas nuptias ſubitò morte beatè obiit.

Moritur.

Scripta patris & filii:

Scripta.

Spagyria Microcoſmi tradens Medicinam è corpore hominis tum vivo tum extincto doctè eruendam, ſcitè præparandam, & dextrè propinandam. Roſtochii 1622. in 12mo. Triplo auctior & correctior Lugd. Bat. 1633. in 4to. De Cultrivoro Pruſſiaco obſervatio & Curatio ſingularis, Decade poſitionum, variis variar. obſervationum hiſtoriis refectarum illuſtrata. Regiomont. 1636. in 4to. Lugd. Batav. 1638. in 8vo. Germanicè Regiom. 1643. in 12mo. Medicus Microcoſmus Lugd. Bat. 1633. in 4to & Londini 1660. in 12mo. Hiſtoria morbi Academici Regiomontani, ſeu Febris malignæ Epidemicæ, civibus Academiæ, imprimis Communis Electoralis Menſæ Convictoribus funeſtæ, cum indolis & cauſarum ejusdem explicatione Problematibus nonnullis incluſa. Regiomontii 1649. in 4to. Nutzliche kleine Haus-Apoteck von Beſchreibung des Hollunders und Wachholders. Königsberg *1650. in 8vo.* Vom Blutgang. *Ibid. in 4to. Anatomia infimi ventris XII. Diſputationibus delineata. Regiom. 1634. in 4to. Diſputationes, De Aſthmate, Cardialgiâ, Dyſenteriâ, Catarrho, & de Peſtilentiâ.*

* *Ex Programm. Funebri Prorectoris Regiomont.*

CHRISTOPHORUS SCHORERUS.

Obiit A.C. 1671.

Memmingæ, civitate *Suevia* Imperiali, mundum ingreſſus 2. Dec. A.C. 1618 Patrem habuit cognominem, Jur. Doct. & Syndicum *Memming. Matthæi Schoreri* Jur. Doct. filium, Matrem, *Catharinam D. Heliæ Waldneri* Medici & Scholarchæ in patriâ filiam.

Cum in Scholâ patriâ literarum fundamenta jeciſſet, A. 1639. in Academiam *Argentinenſem* à parentibus miſſus, & quadriennium ibi moratus, præter Philoſophiam ſtudio Medico & Mathematico dedit operam. & A. 1641. Calendarium primis typis evulgavit, Senatui Patrio dedicatum: abinde per 30. annos quotannis Calendaria ſua non ſolùm in linguâ vernaculâ, ſed etiam Latinâ & Gallicâ Hiſtoriis elegantibus exornata typis emiſit.

Calendariographus.

A. 1643. *Baſileam* progreſſus, non modò ſtudium Medicum feliciter continuavit, ſed etiam generoſi Baronis Dom. *Wolfgangi Caroli à Polheim* in arce vicinâ *Binningæ* degentis filium unicum in ſtudiis informavit.

Med. ſtud. Baſileæ.

A. 1647. Cum fratri ſuo *Philippo* Baronis adoleſcentis gubernationem tradidiſſet, in

ſet, in *Burgundiam*, Linguam *Gallicam* diſcendi cupiditate iter ſuſcepit. A. ſeq. *Mompelgartum* ad Cancellarium D. *Chriſtoph. Forſtnerum* veniens filiorum ejus aliorumque nobilium aliquot adoleſcentium informationem ſuſcepit, unàque Praxin Medicam exercere cœpit.

Anno 1654. Urbem *Venetam* & exindè Gymnaſium *Patavinum* accedens, in hoc 26. Maji Doctorales in arte Medicâ honores ſolenniter accepit. Brevi poſt in patriam reverſus, & in eâ Phyſicus ordinariùs conſtitutus, unà Sereniſſ. Principis *Montpelgardenſis Leopoldi Friderici* ejusque poſteà fratris *Georgii* Med. ord. abſens licet deſignatus eſt.

Med. Doctor Patavii.

Medicus Princip. Montpelgard. & Memmingenſis.

Eodem adhûc An. 1654. in Patriâ Nuptias celebravit cum virgine *Mariâ Felicitate* Dn. *Eitelii Sigismundi Lupini* Conſulis *Memmingenſis* filiâ, ex quâ 9. liberos progenuit, 4. filias & 5. filios, ex quibus filius *Sigismundus Chriſtophorus* novennis ex variolis obiit: cœteri liberi *Matthæus Chriſtoph. Elias Chriſtophorus, Eitelius Sigismundus*, & *Philippus Chriſtophorus*, cum 4. filiabus patri ſuperſtites vixerunt.

Cum in patriâ locisque vicinis Praxin Medicam feliciter exercuiſſet, Duci *Würtenberg. Friderico* à Conſiliis Medicis, Comitis *Joh. Franciſci Fuggeri*, Com. à *Pappenheim*, Baron. à *Bemelberg* & *Oſterberg* multorumque Cœnobior. Medicus ordinarius, aſthmate multis annis afflictus, accedente tandem pleuritide, mundo valedixit 12. Febr. A. C. 1671. æt. 53. Præter Calendaria quotannis edita ſequentes Tractatûs ſunt omiſſi:

Scripta.

Ein *Diſcurs* von dem 1643. Jahr Geſprächsweis unter dem Namen *Prudentii* u. *Simplicii* und von der groſſen *Conjunction* 1643. *Diſcurs* vom Tantzen *ſub alio nomine.* Manns-verderber *ſub eodē nom.* Teutſcher unartiger Sprach Sitten und Tugend Verderber. Von dem Cometen / und Erdbiden des 1652. Jahrs. Unvorgreifflicher *Diſcurs* vom Schulweſen. Geiſtliche Lieder. Von Erlernung der Muſic in kurtzer Zeit. Bedencken von Verhütung vor dem Schlag. *Medicina peregrinantium*, oder Artzney der Reiſenden. Von Nutzen der *Pontanellen*. Lebens-Regeln. Von Verhütung und Cur der Peſt. Bedencken von Aufnehmen der Artzney in Teutſchland. *Information* an ſeine Söhne. Bedencken von der groſſen Finſternis des 1654. Jahrs. Vom Cometen zwey Bedencken. Memminger *Chronic*. Memminger Gottes-Acker.

* *Ex Conc. fun. Bartolom. Reichart Concionat. Memming.*

Obiit A. C. 1671.

JOHANNES THEODORUS SCHENCKIUS.

Jenæ natus eſt 15. Aug. A. C. 1619. Pater ejus *Euſebius Schenckius* dictus de *Burgſtat* ultra decennium Profeſſioni Medicæ præfuit, filius *Petri Schenckii* de *Burgſtat* dicti S. Theol. Baccalaurei, & *Croloppenſis* in *Bohemiâ* Eccleſiæ Paſtoris: Mater *Urſula Nævia* ex vetuſtâ & patritiâ *Chemnicienſium* familiâ ortum traxit, quæ præter alios viros eruditos duos rei literariæ dedit fratres, Medicos famâ celebres, *Johannem* & *Caſparum Nævium*, hujus matronæ propatruos: quorum ille Electorum *Sax. Mauricii* & *Auguſti* Medicus bis à Cæſare *Ferdinando I.* valetudinis causâ *Viennam* evocatus inclaruit, *Caſparus* verò Med. in Academiâ *Lipſ.* Profeſſor 7. filiorum Pater fuit, quorum tres utriusque Juris, duo Medicinæ Doctores, ac reliqui duo Jurium Candidati, omnes autem meritis & dignitatibus clari fuerunt.

Medici fil.

Hunc *Schenckium* matre anno ætatis tertio, patre octavo orbatum propinqui, cum ingenio docili & ſtudiis idoneo deprehendiſſent, A. 1629. *Numburgum* in ludum literarium miſſum Conrectori illius M. *Adamo Ruperto* commiſerunt. Illic exacto biennio, revocatus à Tutore ſuo in Scholam *Arnſtadenſem* ablegatus eſt, ubi fideli inſtitutione D. *Johannis Grosbaimi* & M. *Andreæ Stechanii* Rectorum, *Davidis* item *Alberti* Conrectoris ſexennii ſpacio eos in humanioribus literis & Philoſophiâ progreſſus fecit, ut An. 1636. cum fructu in Academiam patriam redire poſſet.

Numburgi in Gymnaſio diſcipulus.

D. Arnſtadii.

Anno ſeq. ob peſtem *Jenæ* graſſantem ſeceſſit Serveſtam ad affinem ſuum Dn. *Nathanem Voigtium*, urbis illius medicum ord. à quo non ſolùm filii loco habitus, & fideliter Inſtitutiones *Medicas* ac Botanicen cum Pharmacevticâ edoctus, ſed etiam A. 1638. in Academiam *Lipſienſem* miſſus, & partim illîc ſuſtentatus, ac celeberr. Medico D. *Johanni Michaelis* commendatus fuit.

Med. ſtudioſus Lipſiæ.

Sed cum incendium belli etiam *Miſniam* corriperet, nec ille ultra frui ſtipendio *Neviano* poſſet, An. 1639. *Jenam* rediit, ac telam ſtudiorum ſuorum proximo biennio ductu & favore D. *Guerneri Rolfincii* & D. *Pauli Marquardi Slegelii* pertexuit. Eorundem ſuaſu A. 1641. cum in tranſitu Academiam *Altorfinam*, & illius tractûs Civitates Imperiales adiiſſet, *Patavium* ſe contulit.

Jenæ.

Patavii.

Hîc biennio ſtudia ſua continuavit, promotoribus eorum uſus præcipuis *Johanne Veslingio, Benedicto Sylvatico, Dominico Salâ, Petro Marchetto*, & *Andreâ Virſungo*. Eodem tempore & *Bononiam, Senas, Florentiam, Neapolim*, ipſamque *Romam*, magno ſtudiorum ſuorum emolumento excucurrit.

Mox relictâ ob adverſam valetudinem *Italiâ* redux in patriam *Norimbergæ* praxii medicæ operam dedit, uſus conſilio ac familiaritate D. *Joh. Georgii Fabricii* aliorumque urbis illius *Medicorum*. 7. Dec. A. 1643. Summos in medicinâ honores, ſuadente D. *Rolfincio* modeſtè ambiit, ac editis conſuetis profectuum ſpeciminibus, habitâque ſub ejusdem umbone inaugurali de Melancholiâ hypochondriacâ Diſputatione, paullo poſt

Norimbergæ Praxin medicam exercuit.

Med. Doctor creatus Jenæ.

Med. Doctor creatus Jenæ. lò poſt cum applauſu in ſolenni panegyri adeptus eſt.

Ex eo tempore, permiſſu gratioſo Medicorum Collegii, Scholas medicas privatas inſtituit, ac medicinam facere perrexit: donec An. 1645. à *Chemnicienſibus* ad munus Phyſici ordinarii evocaretur. An. 1649. ab illuſtri Domino *Chriſtiano*, & à 1651. à perilluſtri itidem Dom. *Wolfgango Henrico* Dn. *à Schönburg*, Dynaſtis *Glauchæ* & *Waldenburgi* ad obeundas functiones Medici aulici accitus, utrobique *Medicinam* feliciter exercuit. *Phyſicus ord. Chemnicij.* *Medicus aulicus Dn. à Schönburg.*

A. 1653. â Sereniſſ. Academiæ *Ienenſis* nutritoribus, Rectore magnifico *M. Joh. Friſchmuth* linguar. Orient. Profeſſore publ. primùm Anatomices, chirurgices, & botanices, poſtea verò Theoretices Profeſſioni Medicæ præfectus, utramq; per annos 18. magnâ ſolertiâ magnoque ſtudioſæ juventutis cum fructu adminiſtravit. *Med. Profeſſor Jenæ.*

Amicitiam cum eo & literarum commercium coluerunt viri doctrinâ ſcriptisq; celebres, *Thomas Reineſius*, *Conradus Victor Schneiderus*, *Joh. Georg. Volcamerus*, *Henricus Meibomius*, *Phil. Jac. Sachſius*, *Lucas Schröckius*, *Georgius Hieron. Welſchius*, *Germani*: ex *Italiâ* verò *Athanaſius Kircherus*, *Otto Tackenius*, *Marcellus Malpigius*: è *Galliâ Guido Patinus*: è *Daniâ Thomas Bartolinus*: è *Belgio Franciſcus Sylvius de le Böe*. Rectoris Academici munere ter Decani ac Brabeutæ ſæpiùs, functus eſt.

Matrimonium ejus duplex. Matrimonium bis inijt: ſemel cum virgine *Annâ*, Dn. *Melchioris Straublij Chemnicienſium* Conſulis filiâ A. 1648: iterum cum *Annâ Eliſabethâ* Dn. *Johannis Sörgelij*, Conſulis *Jenenſis* filiâ natu minore A. 1659. Prius fœcundum quadruplici prole fuit. Filiolum enim in eo ſuſcepit unum *Euſebium Erdmannum*, filiolas tres, *Catharinam Reginam*, *Chriſtianam Sophiam*, & *Annam Martham*: ſed omnes vixdum anniculos amiſit. Poſterius ſterile quidem fuit, ſed damnum id abundè compenſavit amor conjugis & in illâ diuturnâ infirmitate penè incomparabilis, rarique exempli conſtantia ac patientia. *Liberi.*

A teneris usque hæreditariâ quâdam diſpoſitione in morbum hypochondriacum, catarrhû & phthiſin proclivis ſæpius etiam ſputo ſanguinis afflictus eſt, quibus malis A. 1658. cum viduus per hebdomadas 5. graviter decumberet dolores ex calculo acceſſerunt, quos ab eo tempore ſubindè exquiſitos ſenſit.

Noviſſimè aſthma ſuperveniens, & inde orta ἀγρυπνία quicquid ægro viriumſuper erat exhauſere penitùs, omnemque remediorum vim ſuperârunt. Tandem mente integrâ & firmâ in ſervatorem ſuum fide, inter ſuorum & Dn. *Nicolai Weberi Paſtoris* in groſſen Eiteradorff preces, placidè exſpiravit 21. Dec. Anno C. 1671. ætatis 53. Concione lugubri laudatus eſt â *Sebaſt. Niemanno* S. Theol. D. & Prof. *Moritur.*

Scripta. Edita ab eo lucem aſpexerunt: *Hortus plantarum Academiæ Jenenſis. Diſſertatio de Fæniculo. Exercitationes Anatomicæ. Obſervationes Medicæ. Schola partium Corporis humani. Hiſtoria de ſero ſanguinis. Lib. de Humoribus. Schola partium corporis humani. Synopſis Medicinæ generalis novantiquæ. Syntagma componendi & præſcribendi Medicamenta. Diſputationes habuit: De imbecillitate ventriculi. De dyſenteriâ. De pleuritide. De macie puerorum ex faſcino. De ophthalmiâ. De Peſte. De laſſitudine. De Conceptione. De Variolis & Morbillis. De Anginâ. De fermentantibus, ſedativis, & præcipitantibus. De cholerâ. De ſero ſanguinis. De methodo cognoſcendi & curandi obſtructiones. De Terrâ ſigillatâ.*

* *Ex Programm. fun. Rectoris Jenenſis D. Fridemanni Bechmanni Theol.* Profeſſoris.

PHILIPPUS JACOBUS SACHSIUS.

NAtus eſt *Uratislaviæ* 26. Aug. A. C. 1627, Patre nobili viro *Tobiâ Sachs* à *Levenheim* Ærarij publici in patriâ Præfecto, quam ſpartam annis pluſculis ornavit, donec laborum ſatur rude donatus eſt, & quod vitæ ſuper erat ſuavi tranquillitate in Prædio conſumpſit: Matreq; *Urſula* nobil. Dn. *Danielis Rindfleiſch* (vel *Bucretij*) Sereniſſ. Archid. *Auſtriæ Caroli* Epiſcopi *Uratislav.* Archiatri & Phyſici Reip. *Uratislav.* filiâ, quæ in iſto partu geminos edidit, ſed quorum alterum *Tobiam* nominatum fata poſt tres ſeptimanas iterum abſtulerunt, ipſaque deinde A. 1646. mortua eſt. *Pater ejus ærarij Præfectus.* *Mater Medici Dn. Bucretij filia.*

A pueritiâ ſtatim in Patriæ Gymnaſio ſuccreſcentes Aquilinæ indolis ſuæ unguiculos, & Rupicapræ in Inſignibus ſuis conſpicuæ excelſos conatus Dn. Parenti & Præceptoribus affatim monſtravit: Doctores nactus in Pietatis & Humaniorum Artium ſtudiis *Eliam Majorem*, nominatum quondam mille aliquot Ingeniorum *Epicharmum*, In Politicis, Eloquentiâ, & Hiſtoriâ Claſſ. *Chriſtoph Colerum*, inque Poëticis, Phyſicis, & Mathematicis M. *Joh. Fechnerum*, alterum ſæculi noſtri *Claudianum* aut *Horatium*. *Præceptores ejus in Gymnaſio Uratislav.*

A. 1646. Patris conſilio in Academiam *Lipſienſem* miſſus ibi in Philoſophiâ A. 1647 pro more Academiæ illius Baccalaurei, & A. 1648. ſummum Magiſterij titulum meritus eſt. Quibus vix impetratis eodem adhûc anno Diſputationem ex universâ Anthropologiâ habuit, Autor ejuſdem & tantâ cum laude Præſes, ut nemo non promptitudinem Illius in defendendo quod ſcripſerat, & retundendis Objectionum ſpiculis, quæ objiciebantur ſibi, miraretur. Mox in numerum Collegiatorum Collegij ibidem Majoris Principum receptus, & Oceano Artis Medicæ ſe tradens rectâ mox extendit ad ſtudium Chymicum, cujus dulce de naturâ quaſi trahebatur, in eoque Hermetem tempeſtivè adeptus eſt D. *Joh. Michaelem* Archiatrum Electoralem & Profeſſorem Clariſſimum. *Lipſiæ Baccalaur. & Phil. Magiſter.* *Diſputationem habuit ipſe Præſes* *Collegiatus Collegii Majoris Principum.* *Chymicus.*

Antequam *Lipſiâ* diſcederet, Diſputatione de Phthiſi A. 1649. habitâ ſub Rectore Magni-

ed by Google

Magnifico Dn. *Johanne Happlo* Affine ſuo ac Hoſpite memoriam ſui in plurium animis obſignavit. Eodem adhùc anno *Dreſdam Lipſiâ* contendens Electorum *Saxoniæ* ſedem ibi cum Archiatris Electoralibus Dn. *Caſp. Suevo, D. Laurentio Babſt* magni *Sennerti* genero, & *D. Abraham. Birnbaumio* in conſuetudinem venit. Hinc per *Altenburgum, Hamburgum, Lubecam, Bremam*, & *Embdam Friſiorum Amſtelodamum* Mercaturæ emporium, inque vicinam huic Academiam *Lugduno Batavam* ſe recepit.

Peregrinationes ejus Dreſdam.

Lugdunum Batav.

Hic indies Doctrinæ augmentum ex ore ac conſuetudine ſummorum in Re Medicâ virorum *Adolphi Vorſtij* Botanici, *Ottonis Heurnij* Medici Practici, *Adriani Falcoburgij* & *Johannis Walæi* Anatomicorum conquirendum ſibi duxit ſalutare. Tempore canicularium *Enchuſam* exindè perrexit, & domum Medici clariſſimi *Bernhardi Paludani* innumeris penè rebus naturalibus repletam attentè vidit, quam rerum exoticarum exquiſitam farraginem Sereniſſ. *Holſatiæ* Princeps *Fridericus* per Dn. *Adamum Olearium* A. 1651. honeſto pretio coëmtam *Gottorfium* transferri & Bibliothecæ ſuæ conjungi curavit.

Enchuſam, ubi domus rerum exoticar. Bernhardi Paludiani.

Finito per *Hollandiam* itinere aliud in *Brabantiam* ſuſcepit, & luſtratis *Antwerpiâ, Bruxellis*, & Academijs *Lovanienſi* ac *Ultrajectinâ, Heidelbergâ* deindè, *Argentorato*, & *Baſileâ* in *Galliam* penetravit, & *Lutetiæ* imprimis *Joh. Riolanum Anatomicum* ac *Guidonem Patinum* fautorem *Germanorum* ſingularem ſalutavit.

Lutetiam.

Indè in Academiam *Montiſpeſſulanam* ab aliquot ſæculis ſtudio Medico celebrem ſe contulit, ubi Hortus Medicus ampliſſimus ſumptibus Regis *Henrici IV.* operâ *Franciſci Raudrini* Medici ſtrui cœptus, & per Urbis obſidionem deinde corruptus mirificè iterum â Rege donatis 18000. flor. reparatus eſt.

Monſpelium.

A. C. 1650. ex *Galliâ* per mare trajecit in *Italiam*, comitibus duobus amicis, *D. D. Joh. Udalrico Widholtzio D. Danielis Widholtzij* Phyſici quondam *Auguſtani* filio, Phyſico poſtea *Kaufbeyrenſi*, & *D. D. Mart. Chriſtoph. Metzgero Poſonij* deindè in *Hungariâ* Practico. Cum his *Senam* primò deinde *Piſas* pervenit Academiâ & Horto Medico celebres. Indè *Lucam Hetruriæ* Remp. libertate antiquâ gaudentem, moxque *Florentiam* verè bellam *Italis* dictam emenſi. Ibi *Sachſius* duo mirabilia annotavit, unum in Theſaurario Principis *Medicæi*, Clavum *Thurnheuſeri* Ferr-Aureum, de quo in diverſum abeunt Medicorum judicia: alterum Sacellum ad *D. Laurentij Gazas* Regias ſtructurâ ex gemmis ſuperans, & obtutum ſplendore perſtringens, ibique in ſummo Altari opere muſivo facto in naturalis Marmoris fruſto â ſolâ naturâ exactè delineatos duos Homines Botrum baculo portantes.

Iter in Italiam.

Florentiæ duo mirabilia vidit.

Romam poſtremò venit, cum ibi adhûc vigeret Anni Jubilæi feſtivitas. Viſis ibi memorabilibus retrò per Umbriam ad Sacellum *D. Virginis Lauretanæ* ob maximas opes in æſtimabile ſe recepit. Indè per *Bononiam, Ferrariam, Venetias, Patavium* tandem pervenit, ibique maturè Illuſtr. Facultati Medicæ & Nationi *Germanicæ* ſe aſſociavit, totâ hyeme Dn. Profeſſorum Med. Lectionibus publicis auſcultans, & in Theatro Anatomico demonſtrationes publicas ſpectans, donec in Gymnaſio *al Bò* vocato, præmiſſo Examine conſueto, 27. Mart. A. 1651. mitrâ Doctorali ſolenniter omnium Procerum conſenſu ornatus eſt.

Romæ annum Jubilæum vidit.

Patavij Med. Doctor creatur.

Hoc facto rediturus in Patriam per *Oenipontem* Comit. *Tyrolenſis* metropolim, ubi cum *D. Oſwaldo Ferd. Caroli* Archiducis *Auſtr.* Archiatro familiariter collocutus eſt *Auguſtam Vind.* venit, ibique delectationem eximiam ex Curiæ imprimis magnificæ inſpectione, & ex Portâ intromiſſoriâ automatarij operis, der Einlaß dictâ, alijsquè captavit.

Auguſtam Vind. venit.

Exindè per *Norimbergam Lipſiam* ſtudiorum ſuorum matrem redijt, & paucorum dierum ſpatio poſt iter biennale in ſinum Patriæ ſuæ Reip. *Uratislavienſis* feliciter receptus eſt 6. Maij A. C. 1651. De Matrimonio tunc cogitans A. 1653. virginem *Annam Magdalenam*, Dn. *Johannis Benckij* Conſulis & Syndici *Namslavienſis* filiam vitæ ſociam ſortitus eſt, ex quâ filios duos *Johann. Tobiam* in pueritiâ denatum, & *Ernestum Philippum* Patris veſtigia ſectantem, cum filiâ unicâ *Urſulâ Magdalenâ* ſuſcepit.

Uratislaviam patriam repetijt.

Uxorem ducit.

Ad Curationem ægrorum quod attinet, quàm peritum, gnavum, pium, & alacrem ſemper nec infelicem plerunque ſe geſſerit approbat Ampliſſimi Senatûs Autoritas, cui dignus viſus eſt qui Urbi ſuæ publicus Sanitatis Cuſtos præficeretur, Phyſicus ordinarius decimus octavus in ordine. A. 1658. Societati Naturæ Curioſorum, aſſumpto *Phoſphori* nomine acceſſit, & A. 1666. vices adjuncti ſimul ipſi demandatæ ſunt. Ab eo tempore quicquid in libris vel literis aliorum legit *Latinis, Græcis*, Vernaculis, *Belgicis, Gallicis, Italicis* aut alterius idiomatis, & quicquid in itinere aut penes ægros aut domi ſuæ, quotidie ad Phyſicam, Medicinam, & Pyrotechniam notatu dignum obſervavit, illud omne ſtatim ad diaria ſua vel adverſaria retulit. Omnia in gratiam ornandi Collegij Curioſi.

Phyſicus ord. 18. in Uratislav.

In Societate Naturæ Curioſor. Phoſphorus.

Commercium intereà coluit Epiſtolicum cum Viris literatis per *Poloniam*, & *Hungariam* per *Italiam, Galliam, Angliam, Belgium, Daniam, Auſtriam, Bohemniam, Franconiam, Haſſiam, Helvetiam, Holſatiam, Moraviam, Palatinatum, Pruſſiam, Saxoniam, Sileſiam, Sueviam, Thuringiam*, & Ducatum *Wirtenbergicum*.

Morbis complicatis autem per trimeſtre ſpatium defatigatus & tandem fractus, narium imprimis hæmorrhagiâ, & vomitibus aluminoſis tonû ventriculi pervertentibus, cum fruſtra 4. Medicorum Conſilia implorâſſet, tandem 7. Jan. animam placidè Creatori reddere coactus eſt A. C. 1671. ætat. 45.

Morbus lethalis.

Corpore poſt mortem aperto in rene dextro calculus grandis repertus cum inſignibus eminentijs, quarum una principio ureteris infigebatur ℥ij ponderis.

Scripta.

In lucem prodierunt ex ejus induſtriâ:

Ampelographia, ſive Vitis viniferæ ejusq; Partium conſideratio Phyſico-Philologico-Hiſtorico-Medico-Chymica. Gammarologia de naturâ Cancrorum &c. Oceanus Macromicrocoſmicus, ſive Tractatus brevis in quo explicare ſuſcepit Analogiam Geocoſmi & Anthropocoſmi &c.

* *Ex Ephemeridum Medico-Phyſicarum Naturæ Curioſorum A. 1673. & 1674.*

Epitaphium.

Epitaphium Chronologicum.

PhILIppo IaCobo SaChsIo WratIsLaVIensI CaroLVs SponIVs aMICo Integro sVaVIqVe Lugens posVIt ex Voto.

Summa M. CCCC. LLLL. X. VVVVVVVVVVV. IIIIIIIIIII.

Hoc est 1672.

GUERNERUS ROLFINCKIUS.

Patrem & avum habuit cognomines, illum *Hamburgenſis* Gymnaſij Profeſſorem, hunc Rectorem. Natus ex matre *Catharinâ Hermeſiâ* antiquæ & honoratæ proſapiæ fœminâ 15. Nov. A. C. 1599. ad eximiæ pietatis & elegantiæ ſpeciem continuò formatus eſt. Parentibus verò fato concedentibus orphanum Agnati *Dn. Chriſtophori Schelhameri* P. L. C. & Collegæ ad *D. Johann.* amor & ſolicitudo paternam æmulata ad pleniorem religionis, humanitatis, & plurium linguarum notitiam provexit, teſtibus jam in illâ ætate notis ingenij excellentis plurimis, quorum reſpectus movit Amicos, ut 17. annorum adoleſcentem *Wittebergam* ire ſinerent, ubi & Philoſophiæ penetralia biennio perluſtravit, & Medicinam, duce illuſtri Sennerto feliciter auſpicatus eſt, quam *Lugduni Batav.* per alterum biennium idque ab A. C. 1618. magnis auctibus auxit, in Anatomicis & alijs Medicinæ operibus perpetuus. *Angliam* deindè & *Galliam* pervaſit, è quâ in *Italiam* tranſito *Patavium*, ut capax tantis dotibus theatrum prudenter electum eſt. Ibi inter primos congreſſûs prodentibus ſe excelſæ mentis & doctrinæ luminibus brevi inclaruit, ut & Proceribus *Palatinis* gratioſus eſſet, & Juventuti omnium nationum, *Germanicæ* præſertim, in exemplum virtutis præiret. Ipſis in Sereniſſ. Republ. illuſtriſſimis *Contarenis* fratribus *Petro* & *Franciſco* tam cordi erat, ut palatium ſuum liberaliter permitterent publicæ Anatomiæ, quam in cœtu 300. ſtudioſorum tantâ gratiâ & applauſu inſtituit, quantam Acta Orationis *Germanicæ* deprædicant.

Educatus à Chriſtophoro Schelhamero.

Philoſ. & Med. Studioſus Wittebergæ. Lugduni Batav.

Patavij.

Venetiis Anatomiam publ. [illegible]

Creatus primùm in panegyri *Patavinæ* Academiæ ſplendidâ, utpote ipſo *Venetorum* Duce, multisque magnis viris ſpectatoribus, Philoſ. & Medicinæ Doctor, elogium inſoliti ad alios ſtyli d. 7. April. A. C. 1625. impetravit. Mox ut è quinquennali per *Italiam* morâ *Leucoream* reviſit, A. 1628, concordibus *Venetorum* & Nationis *Germanicæ Patavinæ* deſideriis ad Anatomiæ Profeſſionem revocabatur.

Med. Doctor Patav.

Patavium vocatur ad Profeſſor. Anatomiæ.

Sed inter moras deliberantis poſt dies paucos *Jena* ad idem officium, Chirurg. & Botan. profeſſione auctum 4. Febr. 1629. invitat: Sed potior patria communis, dignior tali pignore depoſitoria *Salana* viſa fuit. Adita hæc 13. Maij, & cum Diſputatione de Epilepſiâ cathedræ jura & ordinem meruiſſet, plura confeſtim doctrinæ miracula ſtruxit, præſertim cum 19. Oct. A. 1629. ad publicam Anatomen duo cadavera è munificentiâ Sereniſſ. Dn. *Saxon.* præbita ſunt. A. 1630. Chirurgia, ante publicè audiri non ſolita, in cadavere per artus ſingulos oſtenſa, & Hortus Medicus diſponi, & exoticis plantis ornari cœptus eſt, quâ induſtriâ Præfecti titulum â nutritoribus Academiæ obtinuit.

Anatomiæ, Chirurgiæ, & Botan. Prof. Jenæ.

Anatomiam docere cœpit. Et Chirurgiam. Hortum Medicum inſtruxit.

Ita ſeqq. annis corporum humanorum publica ſectio undecies repetita, easque inter illuſtris habita eſt, quam *Vinariæ* in coronâ 6. Principum peregit. Excepit A. 1641. die 21. Febr. Chimiæ Profeſſio, quam & primus *Jenæ* orſus eſt immenſo Medicæ rei bono, & Practicâ accedente ad faſtigium perduxit. Ecquem fugit quot ille Magnatum votis ad ſanitatis curam expetitus & peroptatus extiterit? Ut nil de Sereniſſ. *Saxoniæ* Domûs Ducibus, *Dn. Wilhelmo, Dn. Alberto, Dn. Joh. Philippo, Dn. Erneſto* injiciamus, quorum primus cum conjuge hunc ſibi Archiatrum optavit, non rarior in pleriſque *Germaniæ* proximæ regijs, *Hallenſi, Martisburgicâ, Cizenſi, Altenburgicâ, Coburgicâ, Holſato-Gottorpicâ, Brunſuico-Cellenſi & Hertzbergicâ, Anhaltinarum, Serveſtanâ, Cothenianâ, Bernburgicâ & Deſſavienſi*, uti Comitum aulis *Schwartzburgicis, Glichenſi, Haltzfeldicâ, Kirchbergicâ, Stolbergicâ*, & ſummis Exercituum Præfectis ad valetudinis ſubſidium acceſſitus promptiſſimus adfuit. Ultimis vitæ annis Sereniſſ. *Ducis Sax. Vinar. Bernhardi* & Uxoris perinclytæ favorem illibatum expertus eſt. Ex innumerâ diſcipulorum multitudine 104. Doctura Medicæ dignitate mactavit.

Anatomias 12. peregit Jenæ.

Primus Chimiæ Profeſſ.

Multorum Principum Archiater.

104. Doctores Medic. creavit.

A Sereniſſ. Ducibus *Holſato-Gottorpicis*, Parente ad Archiatri Provinciam, & filio, qui hodie imperat, ad primarij in Medicâ facultate Doctoris munus clementer vocatus pro illuſtriori *Kilonienſis* Academiæ incremento, *Jenam*, quæ florentis ac vegetæ virtutis campus fuerat, Senectuti ſedem præoptavit.

In Academ. Kilonienſem vocatus.

Academiæ *Jenenſis* ſenior ſextùm, raro exemplo Rector fuit. 9. Feb. A. 1642. Conjugij ſocietatem inijt cum virgine *Sophiâ Margarethâ* Dn. *Guntheri Henrici Platneri* J. C. celeberrimi Conſiliarij aulici & Eccleſiaſtici *Vinarienſis* filiâ, ex quâ filias ſuſcepit omnes in primâ ætate defunctas præter unicam *Annam Catharinam*, maternarum laudum hæredem, & Magnifici Aulæ *Saxo-*

Acad. Jen. ſenior & ſexies Rector.

Conjugium ejus.

Martis,

Martisburgicæ Cancellarij Dn. D. *Joh. Chriſtophori Wexij* connubio decoratam, & virginem *Mariam Sophiam* ſuperſtitem. Maraſmo tandem ſenili conſumptus vitæ longioris ſatur, & æternitatis avidus, præſente Dn. D. *Sebaſtiano Niemanno* Eccleſiæ Jenenſis antiſtite, mortalitatem implevit 6. Maij A. C. 1673. æt. 74.

Ex Programm. fun. Rectoris Jenenſis Johannis Friſchmuthi Linguar. Sacrar. Profeſſoris publ.

Scripta:

Scripta.

Ordo & Methodus Medicinæ ſpecialis conſultatoriæ ad normam veterum & novorum dogmatum propoſita. 1665. in 4.to. *Diſſertatio de Hepate ex veterum & recentiorum propriisque obſervationibus concinnata & ad circulationem accommodata Jenæ* 1653. in 4.to. *Methodus cognoſcendi & curandi affectûs capitis particulares diſſertationibus XII. explicata.* 1671. in 4.to. *Diſſertatio de Corde, ex veterum & recentiorum propriisque obſervationibus concinnata & ad circulationem accommodata.* 1654. in 4.to. *Epitome methodi cognoſcendi & curandi particulares corporis affectûs ſecundùm ordinem Abulchi Rhazæ.* 1675. in 4.to. *Diſſertationes Anatomicæ ad circulationem accommodatæ Norібergæ* 1656. in 4.to. *Methodus cognoſcendi & curandi febres. Jenæ* 1658. in 4.to. *Ordo & methodus partium generationi dicatarum.* 1664. in 4.to *Jenæ. De Purgantibus vegetabilibus.* 1667. in 4.to. *Conſilia Medica.* 1669. in 4.to. *Non ens Chymicum Mercurius metallor. & mineralium.* 1670. in 4.to. *Chymia in artis formam redacta. Genevæ* 1671. in 4.to. *Diſſertationes Chymicæ VI. de tartaro, ſulphure, margaritis, auro, argento, antimonio, ferro & cupro. Jenæ* 1661. in 4.to. *Diſputationes habuit præter alias, De partu difficili, de herniâ ſive enterocele, de renum & veſicæ calculo, de febre hecticâ, de tertianâ intermittente, de Synocho putrida, de Arthritide, de Vertigine, de Maniâ, de dolore Capitis, de Scrophulis ſeu ſtrumis, de Chylificatione læsâ, de ſanguificatione læsâ, de valore Miſſarum, de quartanâ intermittente, de tuſſi, de Scorbuto, de febre petechiali, de Catarrho ſuffocativo, de ſalivatione, de ſuppreſſione menſium, de fœtu, de vertigine, de dolore colico, de Apoplexiâ, de Scabie, de Syncope, de epilepſiâ &c.*

MELCHIOR SEBIZIUS FILIUS.

NAtus *Argentorati* parentes habuit Dn. *Melchiorem Sebizium* Med. Doctorem & Profeſſorem, Reip. patriæ Archiatrum, ex nobili *Sileſiorum* ſtemmate à *Sebiſth & Ozicorum* oriundum: & *Eſtheram Hugni* ex *Geigerorum* Conſulari familiâ.

Nob. à Sebiſth.

Puer habebat domi honeſtè vivendi, quod imitaretur, Exemplum, foris verò, ſimul ac voces reddere ſciverat, ac pede certo ſignârat humum, optimis diſciplinis imbuebatur. Curſu claſſico feliciter abſoluto, admiſſus ad lectiones publicas, totum ſe dedit Philoſophiæ ſtudijs, quibus imbutus ſolennem Diſputationem habuit ſub præſidio D. D. *Hauenreuteri*, & phyſicam Ariſtotelis auſcultationem 8. Libris comprehenſam fortiter defendit.

Phyſicam Diſputat. habuit.

Poſteà animum ad Medicam Facultatem applicuit, audivitque venerandum Patrem, & Dn. D. *Iſraelem Spachium*, atque ſub illius præſidio ſolenniter bis, ſub hujus verò ſemel publicè diſputavit: Quo majorem verò acquireret Medicinæ cognitionem A. 1600. *Baſileam* ſe contulit, Præceptoribus uſus Dn. D. *Felice Platero* in praxi, in Theoriâ Dn. D. *Joh. Nicolao Stupano*, in anatomicis & botanicis Dn. D. *Caſp. Bauhino*.

Dn. Patris diſcipulus.

Med. ſtud. Baſileæ.

His ſtudijs inſtructus ad peregrinas oras converſus vidit in *Germaniâ* Academiam *Tubingenſem* & *Viennenſem*, in *Bohemiâ Pragenſem*, in *Angliâ Oxonienſem* & *Cantabrigienſem*, in *Belgio Lovanienſem*, *Leydenſem*, & *Duacenſem*, in *Italia*, quam bis diverſis temporibus inviſit, *Patavinam*, *Bononienſem*, *Piſanam*, *Senenſem*, *Ferrarienſem*, *Romanam*, *Neapolitanam* & *Ticinenſem*, in *Pedemontio Taurinenſem*, in *Galliâ*, quam æquè geminis vicibus peragravit *Lutetianam*, *Aurelianenſem*, *Bituricenſem*, *Andegavenſem*, *Salmurienſem*, *Pictavienſem*, *Tholoſanam*, *Montispeſſulanam*, *Valentinam*: Præceptoribus uſus in *Italiâ*, *Hieron. Mercuriali*, *Hieron. Fabricio ab Aquapendente*, *Herc. Saxoniâ*, *Æmilio Campilongo*, *Julio Caſſerio*, *Euchſtadio Rudio*, *Joh. Thomâ Minadoo*, Medicis clariſſimis: *Cæſare* item *Cremonino* magni nominis Philoſopho, & *Gallileo Gallilejo* Mathematico celeberrimo.

27. Academias adiit.

Sub hiſce Præceptoribus, cœterasq; *Germaniæ*, *Galliæ*, *Italiæ*, *Angliæ*, *Belgij*, *Lotharingiæ*, *Sabaudiæ* oras peragrando ſeptennium ferè conſumpſit. Redux in patriam, quid peregrè peregerit demonſtraturus, *Baſileam* conceſſit, ubi A. 1610. 26. Junij in Doct. Medicinæ, unà cum 4. Candidatis alijs promotus primum locum citra ſortem, ſic volente & jubente Collegio Medico, obtinuit.

7 annis peregrinatus.

Med. Doctor Baſileæ.

Cum itaque id ſe ſtudijs conſecutum arbitraretur, ut ad docendum maturum ſe putaret, ad publicum ſe commodum accinxit, in Profeſſorem Med. ordinarium electus 27. Martij A. C. 1612, Parentis rude tum donati Succeſſor: Quo officio quid præſtiterit, declarant illuſtria divini ingenij Documenta. 7. Octob. A. 1630. cooptatus eſt ab Imp. glorioſæ memoriæ *Ferdinando II.* in ordinem Comitum Sacri *Palatij Ratisbonæ* in ipſis Imperij Comitijs: in quâ glorioſâ dignitate Notarios creavit 47. Doctorem in facultate Medicâ unum, & unum Magiſtrum ſeu Doctorem Chirurgiæ, ut & Inſignia conceſſit quamplurima, & quamplurimos minus hinc inde legitimè natos natalibus reſtituit, vel, ut vulgò loquuntur, legitimavit.

Med. Prof. Argent.

Com. Palat.

Rectoratum Academicum decies, Decanatum verò tricies geſſit: & durante Profeſſione 163. Candidatos examinavit, Doctores 55. ſuâ manu creavit, inſolito Exemplo.

55. Doctores Medic. creavit.

A.C.

A. C. 1625. Parenti optimo ſucceſſit in Phyſicatu, A. 1657. electus eſt in Aſſeſſorem ſive Præfectum ſtipendij *Schenckbecheriani* A. 1613. in Canonicorum ordinem ad D. *Thom.* ſurrogatus, & A. 1657. eidem Capitulo Decanus moxque in A. 1668. Præpoſitus datus eſt: Quibus omnibus & ſingulis functionibus ad vitæ usque ſuæ Exitum ita defunctus eſt, ut acerbum ſui deſiderium reliquerit & Patronis Studiorum, & Collegis, & Aumnis.

Conjugium ejus & Liberi.

8. Nov. A. 1613. Matrimonium contraxit cum virgine *Dorotheâ*, viri quondam Conſularis & Tredecimviri D. *Matthiæ Stöffelin* filiâ: ex quo felici æquè atque fœcundo conjugio uberos ſuſcepit Dn. *Johannem Albertum* Med. Doct. & Prof. ord. paternarum & avitarum virtutum hæredem: Dominam *Apolloniam*, primùm D. D. *Johanni Georgio Leytersbergero* Medico, deinde Dn. *Joh. Sebaſt. Gambſio* J. C. & Profeſſori Inſtitutionum Ord. nuptam, tandem D. *Joh. Caſpari Berneggeri Matthiæ* filij, 13. viri uxorem: tum Dominam *Eſtheram*, nuptam olim D. *Erneſto Friderico Mollingero* J. C. & equeſtris ordinis Circuli *Suevici* Syndico.

Tandem Dn. *Joh. Paulum* Med. Doct. & Practicum feliciſſ. qui, relictis ex uxore ſuperſtite *Orthiâ* pignoribus aliquot, turbato Mortalitatis ordine Parentem præivit.

Ipſe Profeſſoris officio per annos 62. nulli valetudinis interpellatione turbatus feliciter defunctus, nullo unquam perſpicillo uſus, ſolo auditu pauliſper officium ſuum denegante, poſtquam 95. annos, 6. menſes, & totidem dies inaudito exemplo vixiſſet, vitæ hujus miſeriam cum fœlicitate ævi commutavit die 25. Jan. A. C. 1674.

Senex vegetus 95. annos ſanus vixit.

Scripta:

Herbarium Tragi Germanicum, cum Synonymis ſtirpium, earum Qualitatibus, & plurimis Experimentis. De alimentorum Facultatibus Libri V. De Animalibus. Diſſertationes Latinæ de Acidulis, & Tractatus Germanicus, de erroribus & abuſibus, qui in illis committuntur. Comment. in Lib Galeni de Curandi rat. per ſang. miſſionem. Manuale ſive Speculum Medicinale Practicum. Tractat de Molâ. Tractatus de Synoviâ, das Gliedwaſſer/ *vulgò, Meliceria Celſo vocata. Diſſertatio de Serpente, qui A. 1617. adoleſcenti cuidam Argent. mortem intulit violentam. Diſſertatio περὶ τὸ Θεῖν, ſive Divino Hipprocratico. Diſputationes Theoreticæ & Practicæ innumeræ. Exercitationes Medicæ L. Examen vulnerum quatenus lethalia ſunt, vel ſanabilia. Miſcellanearum Queſtionum Med. Faſciculi LIII. Hiſtoria de fæminâ Argent. quæ ventrem ſupra modum tumidum ultra decennium geſtavit, & tam hydrope uterino, tum molis carnoſis 76, non aſcite conſiſtata fuit. Diſputatio de Senectutis & Senum ſtatu. Diſputationes de rectâ ratione purgandi. Diſputationes Medic. de diſcrimine corporis virilis & muliebris, & de notis virginitatis. Galeni Ars parva in 30. Diſputationes reſoluta. Collegium Therapeuticum ex Gal. methodo medendi in Diſputationes 85. redactum. Manuſcripta, quæ reliquit, plurima. Ex Programmate funebri Rectoris Argent. D. Gothofredi Stöſſeri U. J. D. & Pandectar. Prof. ord.*

MELCHIOR SEBIZIUS MEDICINÆ DOCTOR, ET PROFESSOR, COMES PALATINUS CÆSAREUS, REIPUBLICÆ ARGENTORATENSIS ARCHIATER, ET CAPITULI SANCTI THOMÆ PRÆPOSITUS:

Per Anagramma M. Johannis Henrici Rappi Alſatiæ communis obit (plorate?) Machaonis Filius ægros Curat at ex artis præſcripto. Det Deus (ecce apprecor!) ipſe. Hic videat ſimiles (crebe! erit? vota valebunt:) Neſtoris annos! Epitaphium Anagrammaticum Philippi Ludovici Künaſt Argent. Dominus Melchior Sebiſch, Argentorati Doctor Medicus, Comes Palatinus, undiquàque in gloriâ vivit. Anagramm. G. in O. Viator, quæris quis hic? Magnus ſimè eſt Vir modo ibi in Deo. Dicam clarè: Alter in hoc tumulo conditur Hippocrates.

JOHANNES HELWIGIUS.

NOrimbergæ natus 29. Julij A. C. 1609. Patrem habuit *Chriſtophorum Helwigium* Mercatorem primarium. Cum in Scholis patriæ literarum & pietatis fundamenta poſuiſſet, A. C. 1621. miſſus à Parentibus in Gymnaſium *Erfurtenſe* literis humanioribus operam dedit usque ad A. C. 1624, quo propter infirmam corporis diſpoſitionem in patriam reverſus Gymnaſium *Ægidianum* recens tunc erectum ultra biennium frequentavit.

Diſcipulus in Gymnaſio Erfurt.

in Gymnaſio S. Ægid. Norimberga.

A. 1627. Univerſitatem *Altorfinam* accedens, & in eâ cum ſtudio Philoſophico Medicum auſpicatus, convictum apud Medicum celebrem *D. Georg. Nößlerum* habuit, ejusq; Lectiones publicas, Phyſicas & Medicas nec non *D. Caſp. Hofmanni* ſedulus audivit. A. 1631. Poſtquam inclyto Patriæ Senatui Specimen quoddam ingenioli ſui Medicum typis impreſſum dedicaſſet & obtuliſſet, præter munus honorarium ſtudiorum quoque ſuorum ſubſidium inſigne nactus eſt Stipendium aureum vocatum, ab inſigni Medico quondam *Vienneſi*, *D. Johanne Aicholtzio* ordinatum, & eodem adhuc anno *Argentinam* versùs iter inſtituens ibi 5. menſes commoratus per *Baſileam* deinde, *Genevam*, & *Lugdunum Gall.* Academiam *Montiſpeſſulanam* adiit, in quâ Doctoribus & Profeſſoribus Regiis *Ranchino*, *Delortio* & *Scarpio* cum *Catelano* Pharmacopolo celebri familiariter innôtuit.

Med. ſtudioſus Altorffi.

Monſpelii.

17. Oct. A. 1633. *Galliâ* relictâ ex urbe *Marſiliâ*, præter alios itineris ſocios *Athanaſium Kircherum* Soc. Jeſu Patrem famâ notum ſortitus, *Genuam* & exindè *Patavium* profectus eſt. Ibi ſtudium Medicum feliciter continuavit, & paulò poſt à Natione Artiſtarum Germanicâ Bibliothecarius & Conſiliarius *Bohemicus* electus eſt.

Patavii.

Hâc ratione Medicis & Philoſophis in ea Academiâ celebrioribus, *Benedicto Sylvatico*, *Joh. Dominico Sale*, *Julio Sale*, *Fortunio Licetto*, *Johanni Veslingio*, *Jacobo Philippo*

Patavii Bibliothecarius.

Toma-

Tomaſino, Johanni Rhodio, alijsque familiariter innotuit. *Philoſ. & Medic. Doctor.* Ibidem A. 1634. Phil. & Med. Doctor, promotore *D. Julio Salâ*, ſolenniter renuntiatus *Noribergam* patriam repetijt, ubi mox in Collegium Medicorum receptus, & Anno ſeq. xenodochii Medico ordinario *D. Sigiſmundo Rüdello* adjunctus, ultra biennium in eâ functione fideliter Praxin Medicam exercuit.

Conjugium ejus duplex. A. 1635. Nuptias *Norimbergæ* celebravit cum virg. *Helenâ* Nob. & Prudent. Dn. *Caroli Schlüſſelfelderi* Senatoris filiâ. Hâc A. 1641. 6. Julij vitâ defunctâ Anno 1643. Sponſalia iteravit cum virgine *Euphroſynâ, Dn. Jacobi Kochij* Mercatoris primarij filiâ, ex quâ duos filios & 4. filias ſuſcepit, ſed duas tantùm filias reliquit ſuperſtites.

Archiater Ratisbonæ. A. 1649. Senatu patrio conſentiente, cum totâ familiâ ſuâ *Ratisbonam* diſceſſit, in quâ urbe Praxin Medicam feliciter ad obitum usque ſuum exercuit, Archiátri tandem titulum promeritus. *Moritur.* Ab anno ætatis 14. auditûs difficultate laborans cum paucis modò diebus æger decubuiſſet, morte placidâ extinctus obijt 4. Jun. A. C. 1674. ætat. 65.

* *Ex Concione funebri.*

THOMAS WILLIS.

Obiit A.C. 1677.

HOneſtâ familiâ ortus Patrem habuit ingenuis ſtudijs enutritum, qui Magiſtri in artibus gradu in Academiâ *Anglorum Oxonienſi* ſuſcepto ruris otio captus ad prædium, quod ſuburbanum habuit, ſeceſſit, & domeſticis curis & familiæ alendæ unicè vacavit.

Studioſus Oxoniæ in Æde Chriſti. Gliſcente verò bello febris caſtrenſis contagio correptus, filium hunc 20. ferè annorum prima ſtudior. tyrocinia in Æde Chriſti *Oxoniæ* ponentem Orphanum reliquit: qui ad hæreditatem curandam evocatus per aliquod tempus ruri egit, ſed rebellium incurſionibus, qui ad quintum lapidem præſidia ſatis valida tenebant, & prædas paſſim agebant, fatigatus *Oxonium* Regis juxta ac Muſarum caſtra ſe denuò recepit, *Miles in Legione Academicâ.* ubi in Legione Academicâ miles conſcriptus per plures annos interfuit; donec oppreſsâ optimi Principis causâ *Cromwelliana* Tyrannis pacem bello omni ſæviorem miſeræ gentiâ attulit. Indè Eccleſiâ peſſundatâ & Theologiâ unà cum ſacerdotibus conculcatâ ad Medicinæ ſtudium converſus, in eâ brevi profectûs eximios fecit. *Ex Theologo Medicus eximius.*

Med. Doctor & Profeſſor Philoſ. natur. Reddito tandem Rege, cum aditus ſibi ad gradûs Academicos & munia publica pateret, Doctoratum ſuſcepit, & Profeſſor Philoſophiæ Naturalis *Oxoniæ* renuntiatus eſt, quam ſpartam ſummâ cum laude ornavit.

Med. Practicus Londini. Circa annum verò 1667. *Londinum* ad Medicinam faciendam evocatus, mirum dictu, quàm citò & quantâ cum laude inclaruerit. Sed licèt totos dies & tantùm non noctes in ægrotantium curâ exhauriret, Arti tamen ſuæ excolendæ librisque conſcribendis usque vacavit.

Tandem perpetuis precibus, ſtudiis, laboribus & eleemoſynis exercitus, annos ferè 57. natus ſub Novembris initium anni 1677. Tuſſi epidemiâ laborare viſus eſt, *Morbus ejus & obitus a. ætat. 57.* quæ cum ceu leve quiddam ſpreta eſſet, in Pleuritin & peripnevmoniam illicò tranſijt. Cumque Vir conſultiſſimus ſanguine ſæpius miſſo & remedijs diligenter adhibitis non relevaretur, Amicis meliora ominantibus, vitæ exitum adveniſſe ſtatim animadvertit, & poſt triduum conſtitutâ re familiari, ſumto S. Euchariſtiæ viatico, & pace Eccleſiæ acceptâ, integris ad extremum ſpiritum ſenſibus piam animam DEO commendavit, vitamque laudatiſſimam pari exitu clauſit A. C. 1677.

Ingenij monumenta reliquit.

Tract. de Fermentatione. de Febribus. de Urinis. de Scorbuto. de Morbis convulſivis. Anatomen Cerebri. de Sanguinis accenſione, & Motu musculari. de animâ Brutorum. de Morbis Cerebri. Pharmaceutices rationalis Partes duas.

* *Ex Præfatione Pharmaceutices rationalis part. II. Hagæ Comit. editæ A. C. 1677.*

VALENTINUS HENRICUS VOGLERUS.

obiit A.C. 1677.

NAtus *Helmſtadij* 17. Sept. A. C. 1622. Parentem habuit Dn. *Gotfridum Voglerum*, Med. Doctorem Archiatrum primò *Brunſvicenſem*, deindè in Acad. patriâ Med. Profeſſorem ord. *Fil. Med. Prof.* Matrem *Catharinam*, Reverendi Dn. *Henrici Boëtij*, S. Th. Doct. & in Academiâ *Juliâ* Profeſſoris ac Superintendentis filiam. Avus paternus fuit *Valentinus Voglerus* Senator & Pharmacopœus *Francofurti* ad *Viadrum*.

Cum nondum bimulus infelix puer patrem amiſiſſet, mater ſuperſtes ad magnas anguſtias redacta *Cellam* ad fratrem ſuum *D. Henricum Boëthium*, Dicaſterij aulici Aſſeſſorem, & Urbis illius Syndicum fugit cum tribus liberis, ex quibus duos ibi peſte amiſit.

A. 1629. in Academiam patriam nonnihil reſtitutam cum hoc filio ſuo ſeptenni redijt, quem amicorum ſuaſu paulò poſt *Hannoveram* miſit, ut ibi ductu Rect. Dn. *Strubij* literas ſolidè excoleret. *Diſcipulus Hannoveræ.* Poſt aliquod tempus in patriam reverſus, quorundam Profeſſorum privatâ informatione bonis in literis Philoſophiâ & Medicinâ uſus eſt. *Medicinæ Studioſus Helmſtadij, & Altorfij.* A. 1647. *Altorfium Noricorum* Academiam ſe contulit, Præceptores ibi præter alios nactus D. *Caſp. Hofmannum* & *Ludov. Jungermannum*, quorum ſingularem favorem expertus eſt.

Non diu autem ibi hæſit, ſed patriam repetijt, ut in eâ ſub celeberrimis itidem Doctoribus ſtudia Medica continuaret. Quæ etiam per illos maturè ita adoleverunt, ut quarto anno non flores amplius, ſed fructûs oſtenderent: tum enim ad examina qui admitteretur dignus judicatus eſt, cumque Collegio Medico doctrinam ſuam probâſſet, Diſputationem Inauguralem de Vertigine habuit.

Profectus deindè in ſuperiorem *Germaniam*, *Francofurti* ad *Mœnum* aliquandiu ſubſtitit.

ſtitit. Cum autem eruditionis nomine & Artis Medicæ peritiâ inclareſceret, variæque functiones honeſtæ illi offerrentur, *Oppenhemium* elegit urbem pulchram amœno ad *Rhenum* loco ſitum, in quâ Medici ordinarri munus accepit. A. 1652. in Academiam patriam revocatus â Sereniſſ. Ducibus *Brunſuic.* publicus & Ordinarius Medicinæ Profeſſor conſtitutus eſt. Seq. anno ſummum gradum in facultate Medicâ & Philoſophicâ adeptus, de re familiari quoque adornandâ cogitavit, & conjugem domum duxit virginem *Sophiam Eliſabetham*, Reverendi viri D. *Conradi Horneji* Theol. Profeſſoris relictam filiam. Conjugium illud concors fuit & fœcundum multâ prole, ſex ſcilicet filiis & ſeptem filiabus. Muneris Profeſſorii ſibi demandati diligentem habuit rationem quà privatim quà publicè legendo & diſputando, cum in Arte medicâ, tum in humanioribus literis, hiſtoriâ & Philoſophiâ, erat enim in illo omnis bonæ doctrinæ ſolida cognitio, Græcæ verò & Latinæ linguæ omniſque antiquitatis ſingularis peritia.

Medicus urb. Oppenhemij.

Med. Profeſſ. Helmſtadij & Doctor.

Conjugium ejus & liberi.

In Senatu Academico, in Magiſtratu, quem ter geſſit, in Decanatu adminiſtrando ita partes omnes viri prudentis & periti implevit, ut Collegis ſuis ſatisfecerit. Ab aliquot annis pituita & ſcorbutici humores in corpore ejus ſe cumulaverunt, quibus ſemper, quo minus in perfectam cachexiam abirent, omni artis operâ obſtitit. At gravius fuit arte malum, accedentibus contumacibus alvi obſtructionibus nonniſi ope medicamentorum, & quidem difficulter ſolvendis. Poſtquàm verò febris quotidiana cum ſopore aliisq; gravibus ſymptomatibus ſupervenit, & gravis demùm diarrhœa acceſſit, viribus concidentibus placidè ſpiritum emiſit 13. die Martii A. C. 1677. ætatis 55.

Ter Academiæ Rector.

Moritur.

Ex filiis relictis unus *Chriſtophorus Ulricus* Patre jam decumbente ægrotare cœpit, & paucis ante illum diebus animam efflavit, eâdem cum Patre die tumulo illatus, cum nondum tertium ætatis annum compleviſſet. Alter filius *Philippus Sigismundus* phthiſi lethali conſumptus, poſtquam 9. annos & tres menſes in hoc mundo vixiſſet, eum reliquit 15. Junii ſeq.

Duorum filiorum obitus.

Scripta:

Scripta.

Marci Aurelii Severini Chirurgia Trimembris, quam Oppenhemii dum degeret edidit, & Patriæ ſuæ Profeſſoribus inſcripſit. Commentaria Dietetica. Introductio Univerſalis innotitiam cujuscunque generis bonorum Scriptorum. Philologia Hiſtoriæ Paſſionis Jeſu Chriſti. Nondum edita multorum verò manibus deſcripta lucem expectat Hiſtoria Naturalium Medicarumque rerum, quarum in ſacris Scriptis ſit mentio.

* *Ex Programmate funebri Prorectoris Academiæ Juliæ.*

Obiit A.C. 1677.

GEORGIUS HIERONYMUS WELSCHIUS.

Natus eſt *Auguſtæ Vindelicorum* A. C. 1624. die 28. Octobr. ſtyl. nov. Patre viro perito & induſtrio Dn. *Caſparo Welſchio*, Pharmacopœi ejuſdem illuſtris Reipubl. Matre *Euphroſina Sighartin*, Pharmacopœo etiam *Auguſtani* laudatiſſimi filia: quorum ſedula educatio, quæ vel in primis ab ortu annis, ad pietatem & honeſtatem molliter ducendo, majoribus rebus, noſtrum optimæ ſpei adoleſcentulum, fera eſſi & maligna ſcabie ad annum 14. miſerè afflictum, præparabat; nam fideli præceptorum informationi traditus primum in Gymnaſio *Annæano* ductorem habuit Dn. *Johannem Fridericum*, pòſt Dn. *Joh. Crophio Pontano Saxoni* erudiendus fuit commiſſus, dein creſcente cum ætate judicio à Dn. *Petro Meiderlino* Philoſopho, Philologo, Poëta, Mathematico & Theologo præſtantiſſimo eruditus fuit, unde egregiè inſtructus in *Tübingenſi* primùm per unum, deindè in *Argentoratenſium* Athenæo per tres annos Philoſophiæ ac Medicinæ ſacramentum fecit, idque exiguo ſtatim tempore, ut Diſputationibus, caſuum reſolutionibus, Receptarum (quas vulgo vocant) ſcriptione, omnibus præcipuus videretur, lauro prope diem cingendus. Itinera poſthæc nec magna quidem ſed nec pauca confecit, *Baſileæ* ſcilicet, *Argentorato* profectus Joh. *Caſpar. Bauhinum, Eman. Stupanum, Thom. Platerum* amicos ſibi comparavit.

Filius Pharmacopœi.

Præceptores.

Philoſophiam & Medicinam inchoat.

Itinera.

Pòſt *Argentoratum* rediens, Itineri *Italico* ſubeundo ſe præparavit, quod A. C. 1640. adgreſſus eſt, (in tranſitu denuò *Auguſtam Rauracorum* perluſtrans) *Bergomum* primo, deindè *Brixiam, Veronam, Vicentiam, Venetias* omneſque ejus Dominii urbes ſplendidiſſimas adiit; Hinc plus ultra tendens, luſtrata prius *Ferraria, Bononia, & Florentia* orbis terrarum caput *Romam* adiit. Reditumq; ad *Patavinum* lyceum aliâ, quàm quâ venerat viâ, juxta mare nimirum, quâ *Lauretum & Anconam itur*, inſtituit, in patriæq; ſinum Anno 1649. ſeſe repoſuit, non tamen conſuetis ſummisve Doctoratus inſignibus exornatus, non, quod non promeritus fuerit, ſed quod fortè non ambierit, aut quod credibilius, morbus qui ante ſuum in patria reditum miſerè eum oppreſſerat, tunc haud permiſerit.

A. 1676. d. 9. Jun. à Dn. Præſ. Coll. S. R. I. curioſ. in collegam colleg. curioſ. vocatus eſt, cui invitationi adſenſum facilè præbuit, verbis receptionis Dn. Præſidis ſic ſe habentibus; Collegam Te nunc primò ſalutò, ac in ordinem Naturæ Curioſorum jure meritoque recipio, receptumq; ſolenniter pronuncio cum Meritiſſimo *Neſtoris* agnomine. &c.

Membrum Colleg. Natur. curioſ.

Præ cœteris Arabicæ linguæ amore mirè captus eſt, in quâ quàm egregiè ad ſcopum pervenerit, vel unicus de Vena Medinenſi tractatus docere potis eſt; *Turcicæ* quoque, *Perſicæ, Armenicæ, Ægyptiacæ, Sinenſis & Ibericæ* linguæ notitiam quandam pariter ſibi acquirendam non infeliciter duxit. *Italicam* expeditè loqui didicit; non minus *Hiſpanica Gallicaque* inſtrui ſe paſſus eſt, *Anglicam*

Philologus.

præterea, *Belgicam, Danicam, Hungaricam, Polonicam* intelligere proprio ingenio & ſedulitate laboravit ſub vitæ finem graves cutis efflorescentiæ ſæpius recurrerunt & brachia aliasve corporis partes infeſtare non ceſſarunt, Melancholia inſuper etiam ante ſuum in patriam reditum miſerè eum agitavit, ut unicum verbulum aliquot dierum decurſu proferre vix potuerit convulſionibus etiam ſupervenientibus, quæ ante mortis annum unicum, & quod excurrit, inſultum ſæpius fecerant; præter recrudeſcentem in ſiniſtro crure inflammationem & exulcerationem (in gangrænam, maturè tamen repreſſam, abeuntem) in febrem acutam deliriis interpolatis & ſummâ reſpirandi difficultate comitatam, nec absque impreſſione aliquâ melancholicâ incidit. Ab his ergo ſanguineâ craſi diſſolutâ, ſpiritibusque diſſipatis 11. d. Nov. ſt.n. A. 1677. circa horam nonam veſpertinam placidè exſpiravit. Libri, quos edidit, ſunt ſeq.

Morbus & Mors.

Scripta.

Diſſertatio Medico-Philoſophica de Ægagropilis. A. 1660. Sylloge curationum & obſervationum Medicinalium 1667. Exercitatio de Venâ Medinenſi A. 1673. Hecatoſtea II. Obſervationum Phyſico-Medicarum A. 1677. Exercitatio de Vermibus capillaribus ſive dorſalibus infantum 1673. Commentarius in Ruzname Naurus. A. 1677. Somnium Vindicianum. Chiliades 2. Curation. Exotericarum cum Centuriis 4. Conſil. Med. A. 1677. Anatome cum notabilioribus in ſceleto A. 1677. Epiſtolæ mutuæ Argonautæ ad Neſtorem & Neſtor. ad Argon. A. 1677. Obſervationes variæ; quas vide in Tom. Coll. curioſ. Scripta ipſius inedita numerum attingunt ſeptuageſimum, è quibus ſeqq. repertæ ſunt in Muſæo. *Bibliotheca Medici eruditi. Hiſtor. Medic. Orient. & Idea Chronol. Med. Faviſſa Medicinæ. Lexicon Medic. trilingue. Methodus medendi Compendium Medicinæ practicum. Gynæcea & Pædoconice. Chirurgia. Syſtema perfectum Mater. Med. Pharmaceutica. Cenſura Chemica. Theſaurus Experientiæ Medicæ. Quæ ex quibus. Th. Aëtius de infirmitate cum notis & Relationes Med. Fortunati Fidelis. Pinax Botanicus. Zoonymia, Oryctonymia & Metallonymia. Medulla Phyſico-Medica. De ſcriptis Med. Conciliator Medicus. Urocritica. Taricheutica Medica Zootomica Miſtomimemata Medica. Philomathetica. Hecaſtotea. II. Obſerv. Phyſ. Med. Curation. propr. decades X. Chiliades II. Curat. Axiologia veterum. Variæ lectiones de re Medica. Analecta ad methodum herbariam. Inſtit. Med. Pract. De Manuſcr. Med. Somnium Vindicianum. Simeon Sethi de Cibar. Græc. Noni Medicina Græco-Latina. Hippoc. Aphor. Gr. Lat. Erotianus & Galen. Exegeſis Græc. Arab. Geograph. Nubienſ. Joh. Muſatenſis praxis Med. Statice. Magiricæ Clinica. Solœciſmi & barbariſmi officinales. Idea apoteleſmatis Phyſ. Vitiligines Scriptorum Medic. expurgatæ. Pharmacopinax univerſ. Medicina noſtro Sæculo. Cantica EbnSinæ Arab. Lat. Horticultura. Diſſertatio de viſcis plantarum. Diſſertatio de Cinnamo. Lutrologia. Pinacotheca Goetiana. Lipſius de bibl. cum notis. Lipſius de Epiſt. cum notis. Lipſius de re nummaria cum not. Bibliographia politica. De ſtudio liberali. Sermones fideles de modo legendi & excerpendi. Idea operis adagiorum panglotti. Monumenta Aug. Vind. Bellum Trajanum. Religio Medici. Notitia Juris univerſi. Pedia in cycliſco. Notitia Authorum panglotta. Idea Antiquitatum.*

Ex Memoriâ Welſchianâ Doct. Luc. Schröckii. Med. Aug.

SIMON PAULLI.

EX perquàm antiquâ atque honeſtâ *Paullinorum* apud *Suerinenſes* familiâ, Avo ſcil. *Simone Pauli Suerinenſi* Superintendente, S. Theol. D. & in Academiâ *Roſtochienſi* Profeſſore, Patre *Henrico Pauli Roſtochienſi* Med. Doctore & in patriâ Academiâ Profeſſore publico, Matre *Catharina Papeke, Nicolai Papeke* ex primis tunc *Roſtochienſium* civium, templiq; virgini olim ſacrati Curatoris ſolertiſſimi filiâ natus eſt *Roſtochij* 6. April. A. C. 1603.

Ob. A. C. 1680.

Filius Medici Regij Dan.

Pater hic *Henricus* à Sereniſſ. Regni *Daniæ* viduâ, *Sophiâ* natâ Duciſſâ *Megapolitanâ* in aulam *Nycopingenſem* evocatus ſtipendia Regij Medici A. C. 1604. mereri occepit. Cum verò is A. 1610. Naturæ ceſſiſſet, illius ſive vidua, ſive mater, iterum *Nycopingâ Roſtochium* tranſtulit familiam, ac inter eam abduxit ſeptennem filium, qui quamprimum per ætatem licuit, omnis pietatis, literarum & eruditionis ſemina diligenter percepit, partim *Güſtrovii* ſubductu materteræ ſuæ mariti Lucæ *Bacmeiſteri* S. Th. D. partim A. 1618. ex conſilio Ampliſſimi affinis ſui *Johannis Braun-Johann* JCti ſub diſciplinâ *Johannis Huswedelii*. Anno ætatis 18. altioribus ſtudiis manum impoſiturus Academiam ingreſſus fuit, ibique in Ethicis dictum *Huswedelium*, in Græcis *Joh. Poſſelium*, in Logicis *Petrum Saſſium* & in Poëſi denique *Laurenbergium* publicè docentes frequenter audivit.

Verùm enim verò cum ſuadente genio & laudandis optimi genitoris veſtigiis viam monſtrantibus Medicinæ ſe ſtudio totum dediſſet, eam præcipuè quæ rerum naturam interpretatur, Philoſophiæ partem ut accuratè addiſceret, ſeriò contendit, quam ubi ex voto metam tetigiſſet, ad eximiam illam, quæ herbarum in medendi uſum virtutem exponat, ſcientiam, & nobiliſſimam illam cadavera diſſecandi artem omni ſtudio trahebatur, eo equidem felici progreſſu, ut anno 1622. annos vix novendecim natus D. *Johanni Ahasvero* in publica quadam ſectione & gnavâ ſubjecti præparatione non ingloriam operam præſtaret.

A. 1622. Promotoribus nobili Viro *Joach. Barnevvitzio* Aulæ Regiæ *Nycopingenſis* Magiſtro ac *Joh. Oberbergio* Regi *Dan.* à Conſiliis ſecretis, quibuscum olim illius Pater *Henricus Pauli* conjunctè vixerat, ſtudia ſua Regiæ Matri humillimè commendavit, quibus eadem clementer favebat, laudandisq;

ſuis

ſuis conatibus neceſſaria aſſiduè præbere fulcimenta haudquaquam dedignabatur. Anno 1623. cum affinis ipſius ſupra nominatus Dominus *Braun-Johann* Civitatum *Hanſeaticarum* nomine ad Ordines generales Belgii ablegaretur, in ipſius comitatu, facto per *Hamburgum*, *Lunæburgum*, *Bremam* & *Oldenburgum* itinere in *Belgium* pervenit, & primò quidem *Gröningenſes*, & *Franequeranas* Muſas frequentavit, ſed nulla ibi Medicinæ excolendæ opportunitate datâ ſalutatis rarioris doctrinæ Viris, inde diſceſſit, & *Lugdunum Batavorum* adiit, Theatri ibidem Anatomici & horti publici celebritate inprimis motus, ubi ſtudia ſua notiſſimæ famæ Medicis, *Ottoni Heurnio*, *Ælio Everardo* & *Adolpho Vorſtiis* ſubmiſit, totis ſemper viribus ab iis ea haurire contendens, quæ ad artis ſuæ complementum requiri viderentur. Magnis inſuper illis & longè lateq; celebratis nominibus, *Petro Cunæo*, *Everardo Bronchorſt*, *Gilberto Jachæo*, *Evaldo Schrevelio*, *Jano Rutgerſio*, *Thomæ Erpenio* & *Willebrordo Snellio*, familiariſſimè innotuit.

An. 1624. M. Febr. per *Antwerpiam Bruxellas* & *Lovanium*, ubi præter alios Magnum illum *Erycium Puteanum* convenit, cæterasque celebriores *Flandriæ* & *Brabantiæ* urbes in *Angliam* transfretavit, & perluſtratis *Londinenſi*, *Oxonienſi*, aliisque Regni locis doctorum quamplurimorum & ſpeciatim *Roberti de Fluctibus* amicitiam comparavit. Menſe vero Auguſto ejuſdem anni *Lugdunum* reverſus, cum intelligeret *Chymicorum* illum Excell. D. *Jacobum Fabricium* publicis in Collegiis *Roſtochii* monſtrare, qua ratione abdita illa deliteſcentis naturæ arcana ſingulari ignis artificio invenirentur, Belgio relicto patriam urbem acceſſit, aſſiduus ex hoc tempore *Fabricii* auſcultator.

A. 1626. Menſe Aprili relicto *Roſtochio Nicopiam* conceſſit, hincq; *Soram* ſe contulit, ubi poſt navatam celebratiſſimi Hiſtoriographi *Joh. Meurſii* filio *Johanni* per aliquot hebdomadum tractum ſuam in erudiendo operam primò Nobilium triũ Adoleſcentum *Langiorum*, *Gyldenſterniorum*, deniq; *Chriſtiani Ranzovii* Comitis, magni iſtius literarum Mecœnatis *Henrici Ranzovii* Nepotis ſtudiis ac moribus admotus eſt, quibus ad annum usq; 1629 ſummâ diligentiâ & fide invigilavit, usque dum ferret ſuorum ipſius ſtudiorum ratio, ob quæ & præſertim Anatomica ſtudia excolenda, auſpiciis Regiis in *Galliam* contendit, (cum prius diſſertationem de Narium hæmorrhagia conſcripſiſſet ſummaq; cum laude defendiſſet, ut celebri *Anatomico Joh. Riolano* Præceptore, ea *Lutetiæ Pariſiorum* tractaret. Hic vero Botanica ſub *Veſpaſiano Rubeo* diligentiſſimè indagans, Cadaverum vero ſectionibus apud ſummum illum Proſectorem *Joh. Riolanum* aſſiduè vacans, diuturniorem inexoptatum, quam modo proſperè ſatis auſpicatus erat Praxeos complementum ſibi equidem manſionem optaſſet, niſi ob fractas per malignam, quæ cum invaſerat, febrim corporis ſui vires, Phthiſeos contrahendæ metus interceſſiſſet.

Anatomiæ cultor Pariſiis.

Idcircò A. 1630. menſe Aprili *Lutetiis* valedixit, & per *Campaniam* ac *Lotharingiam Argentoratum* venit, quâ in urbe poſtquam D. *Joh. Smidt*, *Saltzmannum*, *Berneggerum* ſalutaſſet, per *Heidelbergam* ulteriùs *Wormatiam*, *Moguntiam*, *Francofurtum* ad *Mœnum*, Abbatiam *Fuldenſem Landgraviatum Haſſiæ* & *Thuringiæ Dresdam* usq; & *Lipſiam* iter ſuum ſumtibus Regiis confecit. In Academiâ tamen mox *Wittenbergenſi*, ubi hoſpitio eum excepit *Joh. Hülſemanus* conſummatiſſimus Theol. D. *Daniele Sennerto* Promotore, An. 1630. ſummos in Medicinâ honores indeptus eſt, poſt breviam de Arthritide à ſemetipſo (inſolito tunc facultatis Medicæ iſtius loci indultu) elaboratam diſputationem. Redux in *Daniam* [illegible]

Med. Doctor Wittebergæ.

quam *Lubecæ* auſpicatus erat, excoluit, usq; dum A. 1632. Ser. *Joh. Albertus* Dux *Megapolitanus* illum Collegio Ducali Profeſſorum Academiæ *Roſtochienſis* adſcripſit, & *Johanni Bachmeiſtero* D. Med. ac Prof. Publico ſubrogavit. In quâ ſeptennio exacto, *Germaniâ* belli cladibus afflictâ, conſilium inivit de familiâ ſuâ in Regnum *Daniæ* transferendâ, quò una Socero *Jacobo Fabricio* Archiatro, qui non ita pridem *Arniſæo* ſucceſſerat, porrò Practicæ Medicinæ præceptis illius ſtudia obfirmarentur.

Med. Prof. Roſtochii.

In Daniam reverſus.

Sed nullo in Regiâ *Hafnienſi* Academiâ vacante loco, rebus ſuis non melius proſpici poſſe eſt arbitratus, quàm ut primus ſtudia Anatomica, Chirurgica, & Botanica Sereniſſ. Regi *Chriſtiano IV*. An. 1639, parario & Mecænate D. *Caſp. Brockmanno*, inclyti nominis Theologo commendaret, eaque primus in illam Academiam introduceret; in quâ Regia Majeſtas ipſi ex ſingulari clementiâ honeſtum ſtipendium conſtituit, cujus ingens auctarium, Mecænate altero illuſtri Heröe Dom. *Chriſtiano Thomæo*, Regis & Academiæ *Hafn.* Cancellario poſtmodùm ex Regiâ *Clementiâ* obtinuit. Ubi quantâ felicitate ſpartam ſibi commiſſam adornaverit, modò publicè docendo, modò plurima brutorum hominumque cadavera expertiſſimo cultro ſubtiliter aperiendo, modò annuis in vicinos campos excurſionibus plantarum vires & hiſtoriam, juventuti exponendo, tot eximia edita ſcripta ſatis demonſtravit ſuperque, nec hac de re ſilet Theatrum anatomicum *Hafn.* cui prima incunabula dedit, & duobus humanis & octo aliis animantium ſceletis, propriis Simonis manibus artificioſe extructis ornatum reliquit, cum A. 1645. ex Academiâ abiret. Ubi vero uxor prima Virgo prius nobiliſſima *Eliſabetha Fabricia*, D. *Jacobi Fabricii* duorum Potentiſſ. *Daniæ* Regum *Chriſtiani IV.* & *Friderici III.* nec non ducum *Megapolenſium* quondam Archiatri, inq; Academia *Roſtoch.* Medic. & Mathematum ſuperiorum Profeſſoris filia lectiſſima, quæ ipſum numeroſæ, decies maſculæ & quinquies fœmellæ, prolis parentem fecit, anno 1656. eſſet demortua, ad ſecunda vota tranſiit anno 1657. die 6. Decembr. nuptiarum ſolennibus celebratis cum honeſtiſſima matrona *Anna Dieterici Batſchera*, ſpectatiſſimi viri *Laurentii Michaëlis Riber*, Urbis *Hafnienſis* Senatoris vidua.

Primus in Acad. Hafnienſi ſtudia Anatomica, Chirurgica, & Botanica docuit.

Anno 1648. clavum regni tenente Divo *Friderico III.* cum Academicis ſtudiis valedixiſſet, beneficium quoddam Canonicatus nomine inſigne ad dies vitæ obtinuit: mox anno 1650. die 16. Martii inter Regiæ aulæ Medicos electus & anno 1656. die 3. Dec. Archiatri Regii dignitatem adeptus fuit. Quo in munere Regiæ ſemper valetudini anxiè proſpexit Regem ſuum ubiq; in itinere, ut & anno 1661. in *Norwegiam* euntem ſecutus eſt. Rex Auguſtiſſimus *Chriſtianus V.* electus ſummam beati ſenis virtutem adeò æſtimavit, ut & eodem favore eum complexus inter Archiatros eum retinuerit, & licet ob exhauſti corporis debilitatas vires impar laboribus muneri ſuo non amplius, ut olim, reſpondere potis eſſet, plenum tamen & integrum ſalarium ad extremum usque diſceſſum præberi voluerit, qui ipſi inter medias preces contigit ætat. anno 77. Chriſti verò 1680. 23. Aprilis.

Moritur.

Opera hæc in lucem emiſit.

Diſputationes de Hæmorrhagiâ, & de Dolore dentium Hafniæ. Germanicam Anatomiæ Bartolinianæ Verſionem Hafniæ. Quadripartitum de ſimplicium Medicamentorum facultatibus Roſtochij. De Arthritide Diſputationem Wittenbergæ. Verſionem Germanicam Anatomicarum Tabularum Julii Caſſerii, & de Format. Fœtûs Spigelii, cum Appendice, Francofurti. Orationem Introductoriam cum Galen. de Oſſibus ad Sceleton publicè in Collegio Finckiano eſſet interpretaturus Hafniæ. De Catarrho Diſputationem Annivers. Roſtochii. Floram Danicam cum Figuris. Hafn. Viridaria varia Regia & Academica publ. Hafn. De Anatomiæ Origine, Præſtantiâ & Utilitate Syntagma. Hafn. De Febrium malignarum verâ causâ. De abuſu Tabaci, & uſu herbæ Thee.

Scripta.

* *Ex Academiâ Hafnienſi repræſentatâ à Friderico Vindingio A. C. 1665. & Programmate funebri Johannis* [illegible]

DE

Digitized by Google


THOMAS AQUINAS.
Princeps doctrinæ Scholaſti
ALBERTUS MAGNUS
Philoſoph. famigeratiſſimus.
IOHANNES DUNS SCOT,
Doctor ſubtilis dictus.
DANTES ALIGERI,
Poëta Florentinus.
FRANCISCUS PETRARCHA
Poëta Florentinus.
IOHANNES BOCCATIUS
Hiſtoric. & Poëta Florent
EMANUEL CHRYSOLORAS
Grammaticus Græcus.
IOHAN. FRANC. POGGI,
Hiſtoricus Florentinus.
LAURENTI, COSTER,
Un. ex Typographiæ Inventorib,
LEONHARD, ARETIN,
Orator et Hiſtoricus Florent.
EMUNDUS DINTERUS
Hiſtoriographus Brabantiæ
FLAVIUS BLONDUS
Hiſtoric. et Secretarius Pontif.
LAURENTIUS VALLA
Patritius Romanus et Philologus.
IULI, POMPONI, LÆTUS
Philolog. & Hiſtor. Rom.
IOHAN. ANTON. CAMPAN,
Oratoriæ Prof. Peruſiæ
THEODORUS GAZA.
Rhet. et Grammat. Græc.

DE VITIS
VIRORUM ERUDITIONE SINGULARI CONSPICUORUM
PARS QUARTA
Continens
PHILOSOPHOS, PHILOLOGOS, HISTORICOS, ANTIQUARIOS, POETAS, MATHEMATICOS &c.
celeberrimos.

Clar. A. C. 1111.

JOHANNES ZONARAS.

Hiſtoricus.

Hiſtoricus, qui cum junior eſſet adhuc maximos *Conſtantinopoli* honores geſſit, ſed poſtea monachus factus, præter alia ſcripſit Hiſtoriam univerſalem ab initio mundi usque ad mortem *Alexii Comneni* Imperat. *Græci*, in cujus locum A.C. 1118. ſubivit *Cala-Joannes Comnenus*. Ejus deindè Hiſtoriam pertexuit *Nicetas Choniates* complectens annos 87. In Tomo II. & III. Res geſtas ab *Auguſto* ad A. C. 1117. recenſet, ex quibus *Cuſpinianus* & *Nicetas* rerum illarum deſcriptiones ſunt mutuati, teſte *Bohemo in Epitome Hiſtor. Eccleſ. membro I.*

Scripta.

Idem, vel potius *Pappus* ibidem dicit, quæ in *Nicephoro Calliſto* deſunt, ea *Joh. Zonaræ* hiſtoriâ poſſunt compleri, qui controverſias religionis in Orientalibus Eccleſiis ſingulor. Cæſarum vitis interfuit. *Aub. Miræus* tamen in *Auctario de Scriptor. Eccleſ.* majorem in ejus deſcriptione curam & induſtriam meritò deſiderat.

Ex Dialogo de Patriis viror. doctor. Joh. Andr. Quenſtedt. & ex Indice Chronologico Abrah. Bucholtzeri.

Obiit A.C. 1158.

OTHO FRISINGENSIS.

S. *Leopoldi*, Marchionis *Auſtriæ* filius, *Henrici IV.* Imp. Nepos, *Henrici V.* ſororius, *Conradi* Regis frater uterinus, *Friderici I.* Patruus primò Monachus *Ciſtercienſis*, poſteà Abbas *Morimundenſis*, deindè Præſul venerabilis Eccleſiæ *Friſingenſis*.

Epiſcopus Friſing.

Vir fuit nobilitate & doctrinâ inſignis, qui uti primus Epiſcoporum *Germaniæ*, vel ſaltem inter primos erat, qui literarum ſcientiâ ac Philoſophiæ *Ariſtotelicæ* ſubtilitate imbuti forent, ita etiam primus ferè in *Germaniam* hoc philoſophandi genus induxit, ut de eo prodit æqualis illius *Radvicus lib. 2. de geſtis Frider. I. c. 11.*

Primus Philoſophus Germaniæ.

Præclaram hic *Otto* in conſcribendâ Hiſtoriâ navavit operam. Nam ab exordio mundi usq; ad A.C. 1146. Chronicon ſuum conſcripſit, & in libros 7. digeſſit, quibus addidit Libr. 8. de fine Mundi, Anti Chriſti perſecutione, reſurrectione mortuorum, Judicio finali, gloriâ beatorum ac ſuppliciis damnatorum. Scripſit etiam *libros II. de rebus geſtis Imp. Friderici I.*

Chronographus.

Poſt ejus obitum An. Chr. 1158. exactis menſibus 6. dieb. 13. triſti incendio abſumpta eſt Urbs *Friſingenſis*, unà cum Templo & Sacerdotum domicilio 5. April. A. 1159. ut ſcribit *Radevic.*

Scripta.

* *Ex Indice Chronolog. Abr. Bucholtzeri, Dialogo de Patriis viror. doctor. Joh. Andr. Quenſtedt & aliis.*

THOMAS AQUINAS.

Obiit A.C. 1274.

NAtus eſt *Chonæ Calabriæ* Urbe hodie *Belcaſtro* dictâ A. C. 1223. Patre *Landolpho* Comite *de Aquino*. Adoleſcens abdicatâ antiquæ ſtirpis præclarâ nobilitate, ad quam *Alfonſus Davalus* inter Cæſareos Duces militiæ clariſſimus maternum genus retulit, & ſprêto patrimonio *Italiâ* excedens *Coloniam Agrippinam* primùm acceſſit, ubi S. *Dominici* ordinem ſuſcepit, & *Alberti Magni* Diſcipulus fuit.

Filius Comitis.

Monachus Dominicanus. Diſcipulus Alberti Magni.

Lutetiam deindè *Pariſiorum* conceſſit, & tandem *Romam*. Ibi ob eruditionem ſingularem Doctor irrefragabilis & angelicus vocatus eſt. Ibidem cum aliquando Pontifex *Urbanus IV.* ipſi in ærarium ſuum deducto auri argentique copiam monſtrâſſet, *Non mihi licet*, inquiens, cum *Petro dicere, Aurum & Argentum non habeo, cum iis abundem*, reſpondit *Thomas, Nec etiam, Sancte Pater, cum Petro pedibus captum affari potes: Surge & ambula.*

Doctrinæ Scholaſticæ Princeps Commentarios ſubtiles & argutos ſcripſit, in quibus

Princeps Doctrinæ Scholaſticæ

quibus duo potiſſimùm â Theologis improbantur, 1. quod ſermonis genus omni ex parte barbariam redoleat, 2. quod Theologiam & Philoſophiam toto genere inter ſe diſſidentes confundat.

Papa primatum confirmavit. Cultum panis & circumgeſtationem in feſto Corporis Chriſti confirmavit, & *Papa* primatum propugnavit: nam jurisdictionem ei Civilem & Sacram tribuit in omnes Epiſcopos, Reges, totamque Eccleſiam, hoc ſolùm ei adimit, quod novos fidei articulos condere non poſſit, nec veteres abolere.

Duo ſe ſatis explorare non poſſe dixit: 1. Quomodo quotidie in peccatis ſine pœnitentiâ vivens homo lætus eſſe vel ridere poſſit? 2. Quomodo DEO deditus homo cogitationes alias, quàm de DEO & rebus Divinis habere poſſit. Ad extremum vitæ ſuæ ſumpturus S. Euchariſtiam, Dominum Jeſum flendo rogavit, ut ſi minus rectè de Myſteriis Eccleſiæ ſcripſiſſet, veniam ſibi daret, eaque omnia Eccleſiæ ſe committere judicio edixit.

Mort. in Italiâ. Obiit tandem in itinere *Lugdunum* versùs, illuc â Papâ *Gregorio IX.* Concilii causâ vocatus, in Cœnobio Foſſa nova vocato inter Urbes *Neapolim* & *Romam* ſito, 7. Martii A. C. 1274. & 50.

Canonizatus A. C. 1323, â natali ſuo 100, per Papam *Johannem XXII.*

Edidit:

Scripta. *Summam totius Theologiæ in 3. partes diſtributam. Summam contra Gentiles Lib. IV. Tract. de Regimine Principum. Diſſertationem Hiſtorico-Theologicam de Patriarchatu Prophetæ Eliæ. Secreta Alchimiæ.* Opera ejus conjunctim in editione *Romana* 17. continentur tomis. Primus Continet *Vitam Thomæ & commentaria in libros peri hermenias & poſteriorum analyticorum 2. Commentaria in l. 8. Phyſ. libr. 4. De cœlo & mundo & in libr. 2. de generatione. 3. Commentaria in libr. 4. Meteoror. in libr. de animâ & parva naturalia. 4. Commentaria in lib. 12. Metaph: Tractatum de ente & eſſentia cum comment: Cajetani: Expoſitionem in libr. de cauſis. 5. Commentar. in libr. 10. Ethicorum & in libr. 8. Politic. 6. Comment. in 1. & 2. ſententiarum. 7. Comment. in 3. & 4. ſententiarum. 8. Quæſtiones diſputatas. 9. Summam contra gentiles. 10. Primam partem ſummæ Theologiæ. 11. Primam ſecundæ & ſecundam ſecundæ. 12. Tertiam partem ſummæ, ubique cum Commentariis Cajetani. 13. Comment. in Job. in primam quinquagenam Pſalmorum in Cantic. Canticorum in Eſaiam, Jeremiam & in Threnos. 14. Commentar. in Matthæum & Johannem. 15. Auream Catenam ex Patribus contextam in 4. Evangelia. 16. Comment. in omnes Epiſtolas Pauli & ſermones de temporibus & ſanctis. 17. 73. opuſcula & ſcriptum ſecundum in 4. libr. ſententiarum apud Ambaldum Cardinalem.*

Albertus Magnus de Thomâ Aquinate memorat, quod inter æquales pueros ob taciturnitatem *bos mutus* fuerit appellatus; ſed præceptor perſpecto ipſius acumine & ingenio dixit: *Bos hic, ſi mugire cœperit, totum orbem mugitu ſuo replebit.*

* *Ex Elogiis Viror. doct. Pauli Jovii & Patrologiâ Joh. Gerhardi.*

ALBERTUS BOLSTADIUS, cogn. MAGNUS.

Obiit A. C. 1280. PRopter doctrinam & Philoſophiæ ſtudium, diſciplinarumque bonarum exactam cognitionem Magni cognomento appellatus, natione fuit Suevus, *Lauingæ* oppido non procul â *Danubio* ſito natus eſt ex nobili *Bolſtadior.* familiâ A. C. 1193. Is â primâ ætate bonis literis inſtitutus *Pariſios* ſe contulit, ubi Philoſophiam & Ariſtotelicam doctrinam magnâ cum laude & auditorum frequentiâ profeſſus eſt. *Theolog. & Philoſ. Profeſſor Paris.*

Undè poſt aliquot annos *Coloniam Agrippinam* ſe conferens, habitum fratrum Prædicatorum ſuſcepit: docensque bonas diſciplinas inter innumeros, quos habuit, diſcipulos familiariter uſus eſt *Thomâ Aquinate* & *Bonaventurâ*, qui duo poſtea in clariſſimos viros evaſerunt, & poſteritatem doctiſſimis ſcriptis illuſtrârunt. *Monachus Dominic.* *Præceptor Thomæ Aquinat. & Bonavent.*

Albertus verò propter inſignes animi dotes, perfectamque in S. literis & Philoſophiâ cognitionem, vocatus eſt *Ratisbonam* *Bojorum* civitatem, in quâ communibus Principis, Sacerdotum omnium, populique ſuffragiis Epiſcopus factus eſt. Anno Chr. 1259. æt. 66. *Epiſcopus Ratisbon.*

Cum verò aliquot annis eam Eccleſiam ſummâ cum laude & integritate rexiſſet, quia videbatur publicis his occupationibus â ſtudiis privatis diſtrahi, functionem hanc oneroſam alteri ceſſit, & *Coloniam Ubiorum* reverſus eſt: ubi in monaſterio ſuo privatus, reliquum vitę exegit docendo & ſcribendo. Ibi imperante *Rudolpho I.* mortuus eſt A. C. 1280. ætatis 87. ſepultus in medio Templi Choro. *Coloniam rediit.*

Lauingæ ſub ejus effigie hoc Epigramma legitur:

Albertus Magnus civis clariſſimus olim
Lauingæ, Doct. magnus, Præſulq; Sacrorum
Inclytus, ſic ora ſenex vultumque gerebat.

Ibidem hi verſus extant ſub picturâ equi maximi, qui in ædibus *Alberti* paternis *Lauingæ* A. 1360. natus eſt.

Tantæ molis equus velox & ſaltibus aptus
Prælongus ter quinque pedes, & corpore magnus
Naſcitur Alberti Lauingiæ ſub lare Magni.

Inter ejus opera plurima hæc cenſentur præcipua: *Scripta.*

Summa Theologiæ lib. IV. Super Sententias lib. IV. Super Libros Dionyſii lib. V. De Laudibus S. Mariæ lib. III. Liber de 4. coævis. de Homine. de vitâ ſpirituali. de Bono. de Corpore Chriſti. de eodem 32. ſermones. In officium Miſſæ. de muliere forti. de multiplici timore. Defenſio Mendicantium Ordinum. Super Oratione Dominicâ. De arte prædicandi. De reparatione lapſi. De adhærendo Deo. Paradiſus animæ. Orationes ſuper ſententias, & Evangelia. Sermones de Tempore, & de Sanctis. De differentiâ Spiritûs & Animæ. Enchiridion de veris & perfectis Virtutibus. Comment. in Libros V.

Moiſis

Moiſis. in libr. Joſue, Judicum, Ruth. in libr. Regum, & Paralipomenon. in Eſdram & Nehemiam. in Tobiam, Judith & Eſther. in Proverbia, Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum. in libr. Sapientiæ, & Eccleſiaſticum. in Job. in libros Maccabæorum. in 4. Prophetas Majores, & 12. Minores. in 4. Evangeliſtas. in Epiſtolas Pauli. in Apocalypſin. Lib. diverſarum Quæſtionum. Summa Philoſophiæ. Quæſtiones contra Averroiſtas. De animalibus. libr. 20. De Partu & Formatione Hominis Libr. II. De Plantis & Vegetabilibus. De naturâ Locorum. De cauſis Elementorum. De naturâ Deorum. De motibus animalium. De intellectu & intelligibili. De unitate Intellectûs. De juventute & ſenectute. De vitâ & morte. De Somniis. Philoſophia Moralis. De œconomicâ. De Politicâ. De 12. Alphabetis. De Arithmeticâ, Geometriâ, Muſicâ, & Aſtronomiâ. De Sphærâ. Speculum Aſtronomiæ. De Aſtris. De Secretis Naturæ. De Mineralibus. De Metallicis lib. 5. Quæſtiones 15. de Perſpectivâ. De Magiſtris eligendis. De ſex Principiis. De Univerſalibus. De Prædicamentis. De cauſis. De Definitionibus. De Grammaticâ. De Rhethoricâ. De Medicinâ. De Agriculturâ. De Araturâ. De Navigatione. De Lanificio. De Magiâ. De Metaphyſicâ lib. 13. In Phyſicam Ariſtot. lib. 8. De Cœlo & Mundo lib. 4. De Generatione & Corruptione lib. II. De Scientiâ Meteororum lib. 4. De Animâ. De Nutrimento & Nutribili. De Somno & Vigiliâ. De immortalitate Animæ.

Hæc tam varia rerum diverſarum cognitio, vita ſolitaria, rarus cum hominibus congreſſus, admiranda vitæ auſteritas, qualis eſſe ſolet in vitâ contemplativâ, bonum hunc virum ſuſpectum reddiderunt apud invidos & malos, qui omnia ex ſe metiuntur, malæ cum Geniis & Dæmonibus converſationis, quamvis ejus vita & Scripta longè aliud de eo teſtimonium reddant.

Malè de Necromantiâ fuit ſuſpectus.

* *Ex Vitis 50. Viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi. & Ex Catalogo Germ. mille Viror. illuſtr. M. Wolfg. Krügeri Paſtor. Turnav.*

Fuit & alius ejuſdem Nominis Monachus propter eruditionem clarus, natione *Batavus*, teſte *Guil. Rovillio in Append. Promptuarii Iconum inſigniorum.*

JOHANNES DUNS cogn. SCOTUS.

Obiit A.C. 1308.

Monach. Franciſc. Doct. Subtilis.

Adverſar. Thomæ Aquinat.

IN *Scotiâ ad Sylvam Calydoniam* natus, Ordinis *S. Franciſci* Monachus Doctor vulgò Subtilis vocatus eſt. Auditor fuit *Pariſiis Alexandri Alenſis Anglici.* Cum in Scripta *Thomæ Aquinatis* non diſſimulanter inveheretur, Sectæ duæ diſpares *Scotiſtarum* enatæ ſunt: & cum *Thomas* vocabula, *Scotus* res in Prædicamentis collocâſſet, ideò *Thomiſtæ* Nominales & *Scotiſtæ* Reales vocati ſunt.

Philoſoph. ſingularis.

In Philoſophiâ *Ariſtotelicâ* fuit adeò profundus, ut Scripta ejus paucis ſint penetrabilia, ideoque minus uſitata. Protervo quin etiam captioſoque diſſerendi genere Chriſtianis dogmatibus illuſiſſe videtur, cum paſſim inductâ quæſtione dubitabundus ſacrarum rerum fidem figmentorum caligine confudiſſet.

Semel ſepultus. Bis mortuus.

Epilepſiæ obnoxius, cum aliquando correptus paroxyſmo apoplectico decubuiſſet, à diſcipulis ſuis ſupervenientibus peſte tunc ſæviente defunctum opinantibus ſtatim monumento ſaxeo excavato incluſus eſt, in quo ad ſe reverſus miſerabilem mugitum edidit, & caput ſepulchri ſaxo tamdiu alliſit, donec ſonus audiretur à fratribus, qui accurrentes & ſaxum tollentes in agone mortis cranio fracto conſtitutum viderunt, nec multo pòſt mortuum *Coloniæ* 8. Nov. A.C. 1308.

Scripta:

Scripta.

Tract. de cognitione DEI. Reſolutiones in IV. Libros Sententiar. Quæſtiones in Metaphyſicam. Quæſtiones reportatæ in libr. Sententiar. & Diſputationes ſubtiliiſſimæ, cum *Notis Hug. Cavelli. Sermones de Tempore & de Sanctis. Liber Collationum Pariſienſium. Liber Theorematum Johannes Vitalis hoc ei compoſuit Epitaphium:*

Quod nulli unquam hominum accidit Viator,
Hic Scotus jacet ſemel ſepultus
Et bis mortuus, omnibus Sophiſtis
Argutus magis atque captioſus.

Secundùm *Antonium à Wood*, in Univerſitate *Oxonienſi* deſcripta & edita A. 1674. ejuſdem tumulo Diſcipulorum aliqui hæc carmina inſcripſerunt:

Pariſii plora, mœſtis in cede lucernis,
Hic peris in toto quod volat orbe Deus.
O Sorbona tuis humiles compone cathedras,
Cujus ab ingeniis fons ſacer Artis abeſt.

Anno vero 1462. hanc habuit inſcriptionem in lapide ſuper ſepulchrum ejus *Coloniæ* exaratam, quam ex manuſcr. quodam dictus tradit author:

Hic lector Scotus ſubtilis ſic benè notus,
Doctor humi ſtratꝰ hâc ſubq; volâ tumulatꝰ.
Clauditur hic rivus, fons Eccleſiæ, via vivus
Doctor Juſtitiæ, ſtudii flos, Archa Sophiæ,
Ingenio ſcandens, Scripturæ condita pandens
In teneris annis fuit, ergo memento Johannis.
Hunc Deus ornatum ac Cœlitus eſſe beatum,
Pro patre tranſlato modulemur pectore grato.
Dux fuit hic Cleri, clauſtri lux & tuba veri.

* *Ex Elogiis viror. doctor. Pauli Jovii, Scriptorib. Eccl. Joh. Trithemij. & aliis.*

Fuit etiam alius *Johannes Scotus*, qui eò quod in explicatione libri *Dionyſii* de hierarchiâ Oblationem Corporis Chriſti in Miſſâ improbâſſet, à diſcipulis ſuis ſtylis ferreis compunctus interiit tempore Imp. *Ludovici Pii* circa A. C. 870.

DANTES ALIGERUS.

Obiit A.C. 1321.

VOcatus ab aliis *Aldigerius*, Poeta ſui ſæculi nulli ſecundus. *Italus* natione, patriâ *Florentinus*, ubi Octovitatum ſummâ inter ſuos poteſtate exercuit, erat enim Parentibus claris & divitibus genitus, & à primâ ætate in Philoſophiâ & optimis diſciplinis inſtitutus. Ex patriâ tamen factionibus publicis obortis cum aliis plurimis, eò quod *Gibellinorum* partes ſecutus eſſet,

Senator Florent.

Proſcriptus exul. vixit Lutetiæ Paris.

eſſet, proſcriptus primùm exul *Lutetiæ Pariſiorum* propter excellentem bonarum literarum cognitionem cum honore exceptus eſt: ubi ſæpè magnâ omnium admiratione & applauſu publicè diſputavit tam Philoſophicis, quàm Sacris literis, primamque laudem inter Viros doctos ſui temporis adeptus eſt.

apud Regem Arragon.

Deinde à Rege *Arragonum* accitus, ab eo ſingulari honore cultus & multis beneficiis exornatus eſt. Cumque in Patriam reditum deſperaret, contrariâ *Guelphorum* factione primum locum inter Florentinos occupante, eſſetque omnibus *Italiæ* Principibus & Civitatibus propter virtutem & eruditionem chariſſimus, ut exilii tædia leniret, ad ſcriptionem animum applicuit: erat enim non tantùm Græcè & Latinè peritus, ſed etiam in Linguâ Hetruſcâ facundus acri perſpicacis mentis acumine patrii Carminis rudem vetuſtatem ad novum decus extulit, dum infera, purgantia, & beata Regna, *Virgilio*, *Statio*, & *Beatrice Portinariâ* ducibus, A. C. 1300. ſe perluſtrâſſe egregio Poëmate cecinit, & non humana ad Deos, ut *Homerus*, ſed divina ad nos tranſtulit.

Poëta ſingularis.

Orator diſertus.

Quoties autem ad colloquia Principum admittebatur, tantâ ſermonis elegantiâ, & eloquentiæ floribus omnium in ſe animos convertebat, ut nemo non illum diligeret & admiraretur. Vivebat eo tempore inter omnes *Italiæ* optimates famâ celeberr. *Canis Scaliger*, cognomento *Magnus* propter magnanimitatem & virtutes. Is *Veronæ* principatum tunc obtinebat, majoremque anni partem *Sirmii*, quæ eſt inſula lacûs *Benaci*, moram faciebat, conſortio virorum doctor. unicè delectatus.

Principi Cani Scaligero acceptus.

Hic ad ſe *Dantem* accerſivit, qui liberalitate *Canis* ſicut aliorum Principum donis locupletior redditus, exilii ſui acerbitatem moderatius tulit: otioque blandiore fruens, totum id tempus, quod ſibi reliquum fuit à publicis occupationibus, Scriptioni impendit, in quâ ſtudii parte hodiè quoque cæteris Italis meritò præfertur.

Ludov. Dominicus in *Jocoſeriis ſuis libr. 4.* refert, *Dantem*, cum aliquando três ipſum ſimul alloquerentur, & unus ſalutâſſet, alter quæreret unde veniret? tertius an aqua fluvii profunda eſſet interrogaret, reſpondiſſe: *Buone dì, dalla fiera, fin al oculo*: hoc eſt, *Bona dies, à nundinis, uſque ad clunes*.

Exul obiit Ravennæ.

Exul mortuus eſt tandem *Ravennæ* A. C. 1321. ætatis 56. *Ludovico Bavaro* Imperium *Romanum* moderante. Ibi in ſacello marmoreo ſimulachrum ejus pluteo incumbens videtur erectum. Parte ſuperiori ſub arcu inter palmæ & lauri ramos incurvatos majuſculis literis ſculptum eſt: *Honori & Virtuti.* Infra verò arcâ, quâ corpus incluſum ſervatur, hi verſûs Heroici, quos morbo fatali decumbens compoſuit, leguntur inſcripti:

Jura Monarchiæ, ſuperos, Phlegetonta, lacúſque
Luſtrando cecini, voluerunt Fata quouſque.
Sed quia pars ceſſit melioribus hoſpita caſtris,
Auctoremque ſuum petiit felicior aſtris,
Hîc claudor Dantes patriis exterris ab oris,
Quem genuit parvi Florentia mater amoris.

Scripta:

Scripta:

De Monarchiâ Mundi lib. Comœdiarum lib. Diſputatio de Aquâ & Terrâ, quæ Mantuæ inchoata, Veronæ tandem deciſa eſt. Epiſtolæ multæ. Scripſit & *Hetruſco* ſermone Poëmata doctiſſima, de *Paradiſo*, *Purgatorio*, & *Inferno*.

* *Ex vitis 50. Viror. doctrinâ illuſtr. Joh. Jacobi Boiſſardi*; & *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

FRANCISCUS
PETRARCHA.

Obiit A.C. 1374.

Parentibus honeſtis *Florentiæ* origine, fortunæ mediocris & ad inopiam vergentis, & patriâ pulſis natus eſt *Aretii* in exilio 1. Aug. A. C. 1304. A teneris cum unicè *Virgilio* & *Ciceroni* operam daret, magnam ob carminis, quam tum exhibebat, induſtriam de ſeſe eruditis excitavit expectationem: quod ubi Pater reſciſceret, *Bononiam* profectus cum ibi non agentem acerbè objurgavit, & in ignem conjectis, quos ille manibus terebat, *Virgilii & Ciceronis* libellis, ad Legum ſtudium ſanè mirabundus hortatus eſt. Ut igitur Patrem placaret, ſtudio Juris Civilis operam dedit. A. 1326. Matrem amiſit, & paulò poſt, vix elapſo anno etiam Patrem.

Poëta magnus.

Patris juſſu Legum ſtudioſ. Parentibus orbatus.

Sui igitur juris factus, quod oderat, ſtudium Juris deponens, quos contra unicè deſiderabat, Poëtas & Oratores ad manus reaſſumpſit. *Bononiâ* relictâ, *Avenionem* rediit, adjutus viatico à *Thomâ Siculo Meſſanienſi*, qui eum fraternâ benevolentiâ proſequebatur. Creſcente indies ejus famâ, *Jacobo & Johanni* de *Columnâ*, illi Cardinali, huic *Lombenienſi* Epiſcopo, ob ingenium & raram induſtriam conciliatus, amicus extitit gratiſſimus. Ductus à *Johanne* Epiſcopo in *Vaſconiam*, quæ olim *Aquitania* dicebatur, ſub collibus *Pyrenæis* æſtatem propè cœleſtem (ut ipſe fatetur) tranſegit. Regreſſus in domo Cardinalis per multos annos ſtetit. Poſt hæc cum plurima noſſe & videre deſideraret, in *Galliam Pariſios* conceſſit, ut quid hiſtoricum, quidve fabuloſum de illâ diceretur urbe, cognitum haberet. Hinc *Romam* vetuſtatis contemplandæ causâ migravit, ubi à *Stephano* de *Columnâ* ſuſceptus, in ſummo honore & amore habitus eſt. Indè *Avinionem* regreſſus, cum tædio curię affectus, ſolitudinem & quietem, Muſarum causâ expeteret, incidit in vallem, quam incolæ *Clauſam* vocant. Hunc locum ad tranſigendam vitam ſolitariam, tranſlatâ eò omni librorum ſuorum ſupellectili, unicè ſibi delegit, & plures annos inſedit 15000. paſſuum ab *Avinione* diſtantem, ubi fontium pulcherrimus, cui *Sorgiæ* nomen, labitur. In Clauſâ quicquid ferè omni ætate compoſuit, eo fuit in loco. Ibi captus amore

ad Poëſin rediit.

Pariſios conceſſit & Romam.

In Clauſâ ſedem poſuit.

Lauræ

Lauræ amore captus. *Lauretæ* puellæ, quam *Lauram* vocavit, ad illam illuſtrem reddendam omnes ingenii vires intendit.

Ita cum nomen *Petrarchæ* ubique fieret celeberrimum, unico & eodem die, & ab Urbe *Romanâ* & *Pariſienſi*, miſſis utrinque literis, ad accipiendam Lauream admonitus fuit. Eam tamen ob Imperii Majeſtatem, *Romæ* ubi plures antiquorum Poëtarum olim degerant poſtmodùm cum applauſu aſſumpſit, poſtquàm ſe per triduum examini Regis *Neapolitani Roberti*, quem literis clarum ſibi delegerat, ſubmiſiſſet: à quo cum gaudio exceptus, cum admiratione auditus, & cum ingenti honore, datis ad Senatum Romanum commendatitiis, remiſſus eſt. 13. igitur Aprilis A. 1341. ipſo Paſchatos feſto, ætatis anno 37. in Capitolium ductus, nitidiſſima ad populum prolata oratione ab Urſo, & filio *Jordano* Comitibus *Anguillariæ*; primus poſt poëtas veteres coronatus eſt, civitate dein *Romanâ* una cum 600. aureis & Diplomate (cujus verba *Jacob. Philipp Tomaſinus in Petrarcha Redivivo* cenſet) donatus eſt. *Romæ Poëta Laureatus.*

Honores à Pontifice, & Principibus multis ſibi aliquoties oblatos, quod omnis eſſet pompæ pertæſus, recuſavit. *Aretini* quoque, apud quos natus erat, tanti eum fecerunt, ut fortè in civitatem adventanti omnis populus obviam procederet, cum pallio, crucibus & ſanctis reliquiis. Cum *Boccatio* Poëtâ *Florentiæ* adeò ferventem coluit amicitiam, ut imaginem illius annulo ſuo, ſuamque unà inſculptam geſtaret. *Amicus Boccatii.*

Cœterum divitiarum fuit contemptor eximius, quod labores curasque odiſſet opum comites inſeparabiles. Tenui victu & cibis vulgaribus vitam lætius egit quàm exquiſitiſſimis dapibus omnes *Apitii* ſucceſſores. Amore flagravit acerrimo & unico honeſti. Conviviorum oſor extitit, cum amicis verò convivere vita ipſi fuit. Libidinibus ætate conſiſtente omninò valedixit, per omnem vitam cælebs. Principum ac Regum familiaritatibus, & nobilium amicitiis usque ad invidiam felix fuit.

Autor Bibliothecæ Venetæ. Ab eo habuit initium Bibliotheca *Veneta D. Marci*, qui Senatum Bibliothecæ ſuæ hæredem fecit, unde poſteà à *Beſſarione Niceno* Cardinali, *Hieron. Alexandro* & *Grimano* itidem Cardinalibus, id genus liberalitatis æmulantibus aucta fuit. In ſenium cum vergeret *Patavii* ſedem fixit, & poſteà in Arquado rure inter *Eugeneos* montes, ut in ſolitudine eſſet, ſito manere voluit, ubi denuò plurima ſcripſit. Cum 70. annos, minus unicâ die, attigiſſet apoplexiâ mortuus eſt Anno Chriſti 1374. In Arquado agri Patavini pax. *Senex in Arquado agri Patav. vixit, & obiit.*

Sepulchro ejus hoc *Epitaphium* legitur inſculptum:

Frigida Franciſci lapis hic tegit oſſa Petrarcæ,
Suſcipe Virgo Parens animam, ſate Virgine parce,
Feſſaque jam terris cœli requieſcat in arce.

Scripta:

Epitome virorum illuſtrium. Bellum Punicum carminicè. Rerum memorabilium libri IV. Opuſcula Hiſtorica & Philologica. De Republ. adminiſtrandâ. De Otio Religioſorum. De vitâ ſolitariâ. De Remediis utriusque Fortunæ. Epiſtolæ. De ſui ipſius & multorum ignorantiâ. *Scripta:*

* *Ex Petrarcha redivivo Jacobi Philippi Tomaſini. & aliis.*

JOHANN. BOCCATIUS.

Obiit A.C. 1375.

PAtriâ *Florentinus*, in vico *Certaldo* natus Philoſophus fuit, Hiſtoricus, & Poëta doctiſſimus, qui pedeſtris eloquentiæ in patriâ linguâ primus ſermones inchoaſſe & abſolviſſe creditur. Ideò in aulâ *Romanorum* Pontificum primum locum inter literatos obtinuit. Fuit enim Pontificiarum Epiſtolarum Magiſter, in quâ vacatione occupatus eſt multis annis. Floruit eodem quo *Franc. Petrarcha* tempore, ad quem etiam miſſus eſt à Senatu *Florentino*, ut illum in patriam ab exilio longo revocaret, reſtitutis omnibus facultatibus, quæ fiſco publico adſcriptæ erant, expulſo *Florentiâ Petrarchâ* parente. *Hiſtor. & Poëta.* *Secretar. Pontif.* *Franc. Petrarcham ab exilio revocavit.*

Sepulchrum ejus extra *Florentiam*, quâ *Senas* iter eſt, cum marmoreâ effigie in Templo maximo *Certaldi* conſpicitur, inſculptis his verſibus:

Hoc ſub mole jacent cineres ac oſſa Johannis,
Mens ſedet ante Deum meritis ornata laborum
Mortalis vitæ. Genitor Boccatius illi,
Patria Certaldum, ſtudium fuit alma Poëſis.

Obiit A.C. 1373. ætatis 62.

Edidit:

Libr. de Genealogiâ Deorum, qui continet Tomos XIV. De viris illuſtribus Lib. De claris mulieribus Libr. De Hereſibus Bohemorum. De victoriis Imp. Rom. Sigismundi. De bellis Imperatorum, & Florentinorum. De rebellione Tartarorum. De rebellione Terrarum Eccleſiæ. De montibus, fluminibus, fontibus, ſtagnis, & paludibus. De nominibus Maris. Lib. Epiſtolarum, & Bucolica. Libr. centum novorum, quem Decameron vocavit, & linguâ Hetruscâ conſcripſit, quo hiſtoriæ multæ facetæ continentur. *Scripta.*

* *Ex Elogiis Viror. doctorum Paulli Jovii. Et ex vitis 50. viror. doctrinâ illuſtr. Joh. Jacobi Boiſſardi.*

EMANUEL CHRYSOLORAS.

Obiit A.C. 1415.

HIc *Byzantius* natione primus *Græcas* literas variis Barbarorum irruptionibus expulſas poſt ſeptingentos annos in *Italiam* reportavit. Is A. C. 1393. *Byzantio* emiſſus à Johanne *Palæologo* Imperatore, ut totius *Europæ* Reges adeundo pereunti *Græciæ* maturam opem imploraret, officium quidem laborioſâ peregrinatione ita implevit, ut in *Italiâ* ſubſiſteret, *Græciâ* ſcilicet præſenti metu liberatâ: cum *Tamerlanis* terror Orientis *Bajazetem Ottomannum* à terribili celeritate fulguris nomen ade- *Ex Græciâ miſſus.* *In Italiâ ſubſtitit.*

 ptum

ptum ad Stellam montem vivum cepiſſet.

Linguam Græcam in Italia docuit.

Itaque *Chryſoloras* diro *Græciæ* hoſte ſublato lætus, *Venetiis* primùm, & mox *Florentiæ*, *Romæque*, ac demùm *Ticini*, evocante præmiis ingentibus *Johanne Galeatio* Principe *Mediolanenſi*, Græcarum literarum ſtudium excitavit, tantâ felicitate, ut ex ejus Scholâ ſummæ laudis ingenia prodierint, in queis fuêre *Leonartus Aretinus*, *Franciſcus Barbarus*, *Philelphus*, *Guarinus*, & *Poggius*. Poſtremò cum ad tollendam Pſeudopontificum controverſiam indicta Synodus tanti ſpectaculi cupidum exciviſſet, exauctorato *Baltaſare Coſſâ Conſtantiæ* obiit 15. April. A. C. 1415. ætatis 48. Vir doctiſſimus ex illuſtri familiâ oriundus nulla gravioris doctrinæ monumenta, præter *Grammaticæ Regulas* reliquit, & *Epiſtolas Græcas*. Ejuſdem opus *de antiquâ & novâ Româ*, eſt in *Italicis* Bibliothecis, & Medicéâ *Florentiæ*.

* *Ex Elogiis Virorum doctorum Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1420.

JOHANNES FRANCISCUS POGGIUS.

E *Terranovâ Florentinæ* ditionis oppido oriundus, vir fuit magno ingenio, conſilio promptus, & mirè facundus, ſed etiam callidus.

Secretar. Pontificius

Romæ Magiſter Epiſtolarum fuit ſub Pontificibus *Eugenio IV.* & *Nicolao V.* Vir facetus & aliorum famam ſcommatibus perſtringere ſolitus, cum aliquando in Theatro *Pompeji Georgio Trapezuntio* malediceret, ab eo acriter duplici colapho cæſus eſt.

Adverſar. Trapezuntii, & Laurent. Vallæ.

Contra *Laurentium Vallam* acriter Scriptis invectus ab eodem paria tulit.

Orator.

Philologus & Orator inſignis in Concilio *Conſtantienſi* ſub *Imp. Sigiſmundo* habito multas Orationes funebres habuit. Eo tempore ejus operâ inventi ſunt *Quintilianus*, & *Aſconius Pedianus*.

Hiſtoricus.

Senex ex aulâ *Romanâ Florentiam* reverſus Hiſtoriam populi florentini Latinè conſcripſit, quæ â *Jacobo filio* in *Hetruscum* ſermonem converſa legitur: ſed in eâ nimium erga Patriam favorem oſtendit. Obiit tandem *Florentiæ* Senex An. C. 1420. æt. 79. Edidit:

Præter *Hiſtoriam Florentinam*, *Libellos Facetiarum*, *Diodorum Siculum è Græco translat.* & *Xenophontis Cyropædiam. De infelicitate Principum*, *De avaritiæ peſte*, *De varietate fortunæ. Orationes aliquot. Epiſtolar. Lib.*

Author etiam habetur â quibusdam, ab aliis vero *Petrus Aretinus*, Libri *deteſtandi*, *de tribus Impoſtoribus*, *Moyſe*, *Meſſiâ*, & *Mahometo.*

Filius ejus *Jacobus Poggius* poſt mortem Patris ſocius *Bactriani* ſceleris ſtrangulatus in Prætorii feneſtrâ cum cœteris pependit A. 1478.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

Ejus Epitaphium *Romæ* in Templo S. *Gregorii* tale eſt:

DEO OPTIMO MAXIMO.
JOANNI FRANCISCO POGGIO FLORENTINO, CUM VIRTUTE AC CONSTANTIA, MORUM GRAVITATE, VITA INTEGERRIME ACTA, PATERNA SUAQUE LAUDE ELOQUENTIÆ, AC LITERARUM, JURIS QUOQUE CIVILIS AC PONTIFICII, DIVINÆQUE SCRIPTURÆ CUMULATA DOCTRINA RELIGIOSE VIVENTI, RELIGIOSIUS SUPREMO DIE FUNCTO, VICENTIUS LUCÆ MARETINUS FRATRIS EIUS GENER, PARENTIS APUD SE LOCUM SEMPER ADSECUTO, OPT. MEREN. POSUIT.
VIXIT ANNOS LXXIX. MENS. III.

Clar. Anno 1440. & 42.

LAURENTIUS JOHANN. cognom. CUSTOS S. COSTERUS, JOH. FAUSTUS, & JOH. GUTTENBERG, Typogr. invent. & Typogr. primi.

Typographiæ inventores.

TYpographiæ nobiliſſimæ artis, quia, ut *Anton Campanius* Epiſc. *Aprutinus* ait, imprimit illa die, quantum vix ſcribitur Anno, inventionem primam jam olim *Chinenſibus* diverſa quamvis longè ratione, cognitâ, *Germanis* diverſis licet perſonis in diverſis urbibus degentibus tribuendam eſſe, omnes ferè, qui hac de re literis quædam tradita poſteritati reliquerunt, conſentiunt, juxta illud *Sebaſtiani Brandi*:

Quæ doctos latuit Græcos, Italosq; peritos,
Ars nova, Germano venit ab ingenio.

Et *Philippi Bervaldi Itali*:

O Germania! muneris repertrix,
Quo nihil utilius dedit vetuſtas:
Libros ſcribere quæ doces premendo.

Hadrianus Junius in *Bataviæ Hiſtoria cap. 17. editâ A. C. 1575.* Sequentia de hac re ſcribit: Habitavit ante annos centum duodetriginta *Harlemi* ædibus ſatis ſplendidis foro imminentibus, è regione Palatii Regalis *Laurentius Johannes* cognomento Æedituus cuſtosve Germ. Coſter (quòd tum optimum & honorificum munus familia eo nomine clara hæreditario jure poſſidebat,) Is forte in ſuburbano nemore ſpatiatus, cœpit faginos cortices principio in literarum typos conformare, quibus inverſa ratione ſigillatim chartæ impreſſis verſicuculum unum & alterum animi gratia ducebat, nepotibus generi ſui liberis exemplum futurum.

Laurentius Coſterus.

Quod ubi feliciter ſucceſſerat, cœpit animo altiora cogitare, primumque omnium atramenti ſcriptorii genus glutinoſius tenaciusque, quod vulgare lituras traheret experiretur, cum genero ſuo *Thoma Petro*, qui quaternos liberos reliquit, omnes ferè conſulari dignitate functos, excogitavit. Poſtea faginas formas plumbeis mutavit, has deinceps ſtanneas fecit, quò ſolidior minusq; flexilis eſſet materia durabiliorq;.

Faventibus, ut fit, invento novo ſtudiis hominum, cum nova merx nunquam antea viſa emtores undique alliceret, cum uberrimo quæſtu, crevit ſimul artis amor, additi familiæ operarum miniſtri, quos inter *Johannes* quidam, ſive is, (ut fert ſuſpicio,) *Fauſtus* fuerit, ominoſo cognomine, hero ſuo infidus & infauſtus, ſive alius eo nomine.

Johannes Fauſtus.

Is ad operas excuſorias ſacramento, dictus poſtquam artem jungendorum characterum, fuſilium typorum peritiam, quæque alia huc ſpectent, percalluiſſe ſibi

viſus

viſus eſt, ipſa nocte, quæ Chriſti natalitiis ſolennis eſt, inſtrumentorum herilium ei artificio comparatorum ſupellectilem convaſat, & cum furto hoc *Amſterodamum* primò, deinde Coloniam, ac tandem *Moguntiam* adit. Ibi A. C. 1442. iis ipſis typis, quibus Laurentius fuerat uſus, prodiiſſe in lucem certum eſt *Alexandri Galli* Doctrinale, quæ Grammatica creberrimo tunc in uſu erat. Hæc à ſenibus annoſis fide dignis, & qui tradita de manu in manum, quaſi ardentem tædam in decurſu acceperant, olim intellexi, ſcribit Junius. Eadem ferè ſcribit de verbo ad verbum paucis additis P. *Pertius l. 2. Geogr. c. 9.*

Et *P. Scriverius*, ſequentia *Laurentii Coſteri Harlemenſis*, Primi artis typographicæ inventoris iconi ſupponit.

Vana quid archetypos & præla, Moguntia jactas?
Harlemi archetypos prælaq; nata ſcias.
Extulit hic, monſtrante Deo, Laurentius artem.
Diſſimulare virum hunc, diſſimulare Deum eſt.

Hæc omnia vero infirmo ſc: ſuperſtructa fundamento, inter quæ plurima & hoc eſt, quod audita tantum referat *Junius*, & *Joh. Fauſtus* aliquot centum vel potius mille librarum tum temporis maximos typos, hero inſcio vix & ne vix quidem auferre potuerit. Chronologus quidam *Colonienſis*, quæ ſua ipſe A. 1469. ſcripta tradit, audita refert ab *Ultrico Zellio* typographo primo *Colonienſi* ſequentia. Artem hanc *Moguntiæ* Anno 1440. primò inventam, inſequenti vero decennio perfectionem demum nactam Annoque 1450. primum librum Germanica Biblia literis majoribus ac veluti miſſalibus impreſſum fuiſſe. Primumque hujus rei inventorem, vel, qui potius artem jam ab aliis cognitam, majori excoluerit perfectione, *Johannem à Guttenberg*, Civem *Moguntinenſem*, *Argentorati* tamen natum, virum à *Polydoro Virgilio* equeſtri dignitate ornatum poſteritati tradit.

Joh. Guttenberg.

Nicolaus Serarius, Soc. Jeſu Theol. SS. Theol. Doct. ac in Acad. *Mogunt.* Prof. in *Chronic. ſui Moguntiaci: libr. 1.* plurimis allatis teſtimoniis ex *Eraſm. Polydor. Vergil. Trithemio, Petro Apiano, Conr. Peuting. Genebrardi Chronico. Sebaſt. Brando, Sebaſt. Münſtero, Theod. Zwingero, Petro Ramo*, ſtatuit *Moguntiæ* inventionem celeberrimæ hujus artis eſſe factam, Inventorem vero & excogitatorem tradit *Johannem Gudenberger*, adjutores vero *Joh. Fauſt*, ſive, ut ipſi tum & loquebantur & ſcribebant, *Fuſt* & *Johann. Medinbach.*

Eidem (verba hæc ſunt ipſa *Serarii*) *Gudenbergero* fuit puer ſ. famulus primum, poſtea v. m. gener *Petrus Opilionis ſ.* Schöffer/ qui complura poſtmodum & magna ædidit opera. Quia igitur ſuo iſti modo ad artis inventionem juverunt omnes, poſſunt quodammodo dici omnes ejus auctores, ſed ita, ut *Gudenberger* primas merito teneat. Quem tamen ex equeſtri ordine cur aliqui ſtatuant non video, niſi quia ob rei tantæ partum, induſtriamque ipſius & labores, cum honore illo non indignum cenſuerunt.

Ne autem vel à me (pergit *Serarius*) confingi videantur, vel ab aliis deinceps confundantur iſta iſtorum nomina adſcribam *Moguntini* Typographi, & manuſcriptorum noſtrorum verba. Ille in *Trithemianarum* hiſtoriarum breviarii fine ſic: Impreſſum & completum eſſe præſens chronicarum opus Anno Dom. M. D. XV. in vigilia *Margaretæ* virginis, in nobili, famoſaque urbe *Moguntina* hujus artis impreſſoriæ inventrice prima, per *Joh.* Schöffer/ nepotem quondam honeſti viri *Johannis Fuſt civis Moguntini*, memoratæ artis primarii authoris. Qui tandem inprimendi artem proprio ingenio excogitare, ſpeculariquе cœpit Anno Dom. nativ. MCCCC. L. indictione XIII. Regnante Illuſtriſſimo Imperat. *Frederico III.* præſidente ſanctæ *Moguntinæ* ſedi Reverendiſſ. in Patre Domino *Theoderico* pincerna de Aibach Principe Electore. Anno autem MCCCC. LII. perfecit deduxitq; eam, (divina favente gratia) in opus inprimendi, operâ tamen ac multis neceſſariis adinventionibus *Petri* Schöffer de *Gernsheim* miniſtri, ſuique filii adoptivi, cui etiam filiam ſuam *Chriſtinam Fuſthin*, pro digna laborum multarumque adinventionum remuneratione nuptui dedit. Retinuerunt autem hi duo jam prænominati *Joh. Fuſth* & *Petrus* Schöffer hanc artem in ſecreto (omnibus miniſtris ac familiaribus eorum, ne illam quoquo modo manifeſtarent, jure jurando adſtrictis. Quoad tandem Anno Domini M. CCCC. LXII. per eoſdem familiares in diverſas terrarum provincias divulgata haud parvum ſumſit incrementum.

Manuſcriptus autem ſic: Hoc autem urbis noſtræ Mogunt. triumphale perpetuæ laudis eſſe præconium, quod hanc ingenioſum characterizandi artem non ſolers *Italorum* indago: non celebris Græcorum ſapientia; non multiformis *Gallorum* ſcientia; neque callidum barbarorum repperit ingenium. Sed induſtrioſi nobilis urbis Mogunt: cives ſc. *Joh. Gudenberg*, qui cum omnem ſubſtantiam ſuam propter artis difficultatem ferè profudiſſet, tandem auxilio *Joh. Fuſth, Joh.* Medinbach & aliorum convivium adjutus rem perfecit. Poſtquam *Gudenberg*, quæ morabatur zum Jungen/ qui uſque nunc ejus artis nomine nuncupatur, *Petrus Opilionis, i. e.* Schöffer/ ejus gener artis impreſſoriæ dilatator extitit. Qui etiã ſuo tempore multa impreſſit opera. Eccleſiæ Dei quanta provenerit ab hac arte utilitas, quas ſufficienter eloqui valebit? dum multi codices obſoleti pulverulentis olim reclusi Bibliothecis, nunc impreſſi palàm modico feruntur, pretio vænales; Huc uſque *Serarius.*

Angelus Rocha in Bibliotheca *Vaticana Aldum juniorem Donatum* quendam, primò ferè impreſſum ſibi monſtraſſe librum tradit,

dit, in cujus prima pagina *Mariangelus Accurſius* ſequentia ſcripſit: *Joh. Fauſt* civis *Moguntinus*, avus maternus *Joh.* Schöffer/ primus excogitavit imprimendi artem typis æreis: quos deinde plumbeos invenit, multaque ad poliendam artem addidit ejus filius *Petrus* Schöffer. Impreſſus eſt autem hic Donatus & Confeſſionalia primò omnium. A. 1450. Admonitus certè fuit ex Donato *Hollandiæ*, prius impreſſo in tabula inciſa.

Zuvingerus Petrum Ramum officia *Ciceronis* vidiſſe teſtatur pergameno impreſſa, in cujus ultimo folio ſequentia conſpiciebantur legenda. Præſens *M. Tullii* clariſſimum opus, *Joh. Fuſth Moguntinus* civis, non atramento, plumali canna, neque ærea, ſed arte quadam perpulchra, manuque *Petri de Gernsheim* pueri mei feliciter effeci. Finitum anno M. CCCC. LXVI. quarta die menſis Februarii.

LEONHARTUS ARETINUS.

Obiit A.C. 1443.

ORator & Hiſtoricus inſignis *Aretii* natus eſt A. C. 1369, *Brunus* voc. Juvenem ingenio florentem Pontifex *Innocentius VII.* Epiſtolar. Magiſtrum fecit, in quo munere 4. Pontificibus ſuccedentibus operam ſuam fideliter præſtitit usque ad Concilium *Conſtantienſe*. Deindè â Senatu *Florentino* accitus Cancellarius ejus Reipubl. generalis factus eſt, quo in officio ad finem usque vitæ permanſit.

Secretar. 4. Papar.

Cancellar. Florent.

Primus in *Italiâ* Græcarum literarum decus reſtituit, & Morales *Ariſtotelis* Libros fideliter traduxit.

Græcæ linguæ in Italiâ reſtaurator.

Divitiis tandem & gloriâ plenus *Florentiæ* vitâ defunctus eſt 9. Martii A. C. 1443. ætatis fermè 74. Senex avaritiæ accuſatus eſt, ideò *Arlottus* mordaci ſale perurbanus *in Fabellis ſuis* genium ejus relicto corpore in fugâ ſilentem ridenter expreſſit. Sepulchrum ejus *Florentiæ* in æde S. Crucis cum hoc *Caroli Aretini* Epitaphio ſpectatur:

Poſtquam Leonardus è vitâ migravit,
Hiſtoria luget, Eloquentia muta eſt:
Ferturque Muſas tum Græcas tum
Latinas lacbrymas tenere non potuiſſe.

Scripta.

Libros ſcripſit & edidit:

Hiſtoriam Gothorum lib. IV. Ob hanc furti damnatus eſt â *Chriſtoph. Perſonâ*, quod eam ſuppreſſo *Procopii* nomine publicâret. *De geſtis Romanorum & de rebus Italicis. De bene geſtis Florentinor. lib. XII.* In hoc opere inteſtina odia, civilesque diſcordias magnâ ex parte præteriit. *De laudibus Florentiæ. Hiſtoriam belli Punici Primi lib. II. Hiſtoriam ſui temporis. Vitam Ariſtotelis & Ciceronis. Epiſtolas & Dialogos.*

* *Ex Elogiis Viror. doctorum Pauli Jovii.*

In Commentario quodam manuſcripto ita de ſe ipſo ſcribit: *Ego puer in Caſtellum Quaratæ cum manu exulum abductus in honeſtiori carceris cubiculo, quo aſſervabar, Franciſci Petrarchæ pictam imaginem quotidiè aſpiciens incredibili ardore ſtudiorũ ejꝰ incendebar,*

EMUNDUS DINTERUS.

BRabantus, Hiſtoricus *Antonio I*, ejusque filiis *Johanni* & *Philippo I*, ac demum *Philippo Bono*, *Brabantiæ* Ducibus à Secretis fuit. Aulicæ tandem vitæ pertæſus, memor illius

Secretar. Ducum 4. Brabant.

Curia dat curas, ergò ſi vivere curas,
Et bene ſecurè, non Curia ſit tibi curæ.

Sacris eſt initiatus, & factus Canonicus *Lovanii in* D. *Petri*. Obiit A. C. 1448, *Bruxellis* ad D. *Jacobi* in monte frigido conditus.

Canonicus Lovan.

Scripſit & edidit:

Chronicon Brabantiæ, quod M. S. extat apud Caſperium Gevartium Johannis filium. De Genealogiâ Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ &c. teſte Geſnero. Vitam Philippi â Burgundia Epiſcopi Ultrajectini.

Scripta.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

FLAVIUS BLONDUS.

FOrolivii *Æmiliæ* viæ urbe celebri circa A. C. 1392. natus in virum evaſit multæ eruditionis & ſummi judicii. Propterea *Romam* veniens, ſtatim omnibus innotuit. Ut verò ſæculo illo ſcientiæ raræ erant, barbarie occupante omnes ferè Chriſtiani Orbis Academias, quoties ex illo ignorantiæ barathro aliquis emergebat cognitione bonarum diſciplinarum clarior, ſtatim excipiebatur cum plauſu & admiratione omnium: idem accidit *Blondo*, qui poſtquàm *Romam* venit, favore aliquot Cardinalium apud S. Pontificem gratiâ & authoritate pollentium commendatus eſt *Eugenio IV.* Pont. Max. in cujus aulam receptus Epiſtolarum Magiſter factus eſt.

Uxorem *Romæ* duxit *Marganiam* ex nobili familiâ, ex quâ ſuſcepit 5. filios, & inter hos *Caſparum*, qui omnes paternæ doctrinæ & virtutum ſicut & facultatum hæredes facti ſunt: ſed poſteri quamvis fortunis adaucti conditori familiæ minimè reſponderunt. Pater licèt gravibus aſſiduisque negotiis in aulâ Pontificiâ occuparetur, non tamen deſiit multa ſcribere, quæ in lucem emiſſa ſunt magno Reip. literariæ emolumento: ſingulari enim induſtriâ nec infelici eventu, dictione licèt non admodùm cultâ fuerit uſus, multorum annorum intermorientes res geſtas è tenebris excitare ſtuduit.

Secretar. Pontif. Eugenii IV. Habuit 5. filios.

Hiſtoricus inſignis.

Ideò *Bernbardus Juſtinianus*, Hiſtoriæ *Venetæ* Scriptor eximius, *Blondum* hunc Scriptorem admodum diligentem vocavit. Scripſit enim *Hiſtoriam inclinationis Romani Imperii ab A. C. 410. quo Roma â Gothis capta fuit ad An. 1459. Romæ* tandem mortuus eſt ſeptuagenarius, ſepultusque in Capitolio, in ſuperiori parte graduum Aræ Cœli, eo loco, ubi viſitur *Lucæ Gaurici* monument. Marmori inſcriptum legitur hoc Epitaphium:

BLONDO FLAVIO FOROLIVIENSI, HISTORICO CELEBRI, MULTORUM PONTIFICUM ROM. SECRETARIO FIDELISSIMO BLONDI V. PATRI BENE M. UNANIMES POSUERE.

Epitaphiũ.

Vixit

VIXIT ANNOS LXXI. OBIIT PRID. NON. JUNII ANNO SAL. CHR. M CCCC LXIII. PIO PONT. MAX. SIBI NATISQUE FAVENTE.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii*, & *ex Vitis 50. Viror. doctrinâ præſtantium* Job. *Jac. Boiſſardi.*

Scripta.

Scripſit:

De geſtis Romanorum Decades III. De Româ triumphante libr. X. De Româ inſtauratâ libr. III. De Italiâ illuſtratâ libr. VIII.

Obiit A.C. 1465.

LAURENTIUS VALLA.

PAtritius *Romanus* natus eſt A.C. 1415. *Johannis Lateranenſis Romæ* Canonicus, & Theol. Doctor. Philologus inſignis literas Latinas â *Gothicis* temporibus depravatas priſtino decori reſtituit: indignatus enim tamdiu corrumpi ſeculum Sophiſtarum conſpiratione, optimasque artes incultâ ſermonis barbarie deſœdari, Elegantiarum libros edidit, & præcepta tradidit *Romanæ* elocutionis ex accuratâ veterum Scriptorum obſervatione, quibus juventus æmulandi ſtudio ad detergendas corruptarum literarum ſordes accenderetur.

Latinæ Linguæ Reſtaurator.

Præſtitit id inſtinctu & ſimilibus ſummi Pontificis *Nicolai V.* Ingenio fuit maxime libero, ob idque mordaci & contentioſo, utpote qui Scripta aliena Satyrico dente facile perſtringeret, & lites in literis, quaſi id opus eſſet, adversùs ignorantes acerrimas ſereret. Severus cenſor omnes ferè Scriptores Latinos reprehendit, uni *Quintiliano* aſſurrexit. Salsè ſcripſit in *Job. Franciſcum Poggium*, *Ant. Panormitanum*, & *Ant. Raudenſem*.

Severus cenſor.

In ſuâ Declamatione de falsò creditâ & ementitâ *Conſtantini* donatione, dum Conſarcinatorem ejus multis facetiis aſpergit, inter alia eum mirè exagitat, quod Diadema putaverit eſſe Coronam Regiam ex auro & gemmis, cum ex hiſtoriis conſtet, quod ex panno aut ſerico confectum fuerit. Propter hoc Scriptum Eccleſiæ Rom. odium incurrit, & tanquam hæreticus fuiſſet crematus, niſi Regem *Neapolis*, *Alfonſum*, habuiſſet patronum.

Cum aliquando Romæ legiſſet in *Evangelio S. Matthæi cap. 5, Beati miſericordes, pacifici* &c. dixit, *Certè hæc aut vera non ſunt aut nos nõ ſumus Chriſtiani!* Cũ aula Pontificis *Romani* ipſi diſplicuiſſet, *Neapolim* ad *Alfonſum* Regem ſe contulit, apud quem Secretarium egit, & de bellis avitis in *Hiſpaniâ* ac *Siciliâ* geſtis hiſtoriam perſcripſit, eo ſtyli charactere, ut ejus minimè videri poſſit, qui cœteris elegantiarum præcepta tradiderit. Sed mox eâdem inconſtantiâ Regem *Alfonſum* deſeruit, vel improbante *Philelpho*, & in patriam regreſſus *Romæ* Sacerdotem egit, ibique mortuus eſt 1. Aug. A.C. 1465. ætatis 50. Sepulchrum ei in Templo *Laterano*, cujus flamen erat, ex marmore cum effigie ac elogio *Catharina* mater poſuit, quod introeuntium ad dextram ſpectatur.

Secretar. Regis Neapolis.

Romæ Sacerdos.

Epitaphium ejus tale eſt:

LAURENTIO VALLÆ HARUM ÆDIUM S. CANONICO, ALPHONSI REGIS ET PONTIFICIS M. SECRETARIO, QUI SUA ÆTATE OMNES ELOQUENTIA SUPERAVIT, CATHARINA MATER FILIO PIENTISSIMO POSUIT ANNO MCCCCLXV.

Scripta.

Scripta:

Elegantiarum Latinæ Linguæ lib. VI. Annotationum lib. Epiſtolæ. De Dialecticâ libr. III. De libero Arbitrio. De falsâ donatione Conſtantini Magni Declamatio. Annotationes in Novum Teſtamentum. Ex Græco tranſtulit Thucydidem & Herodotum Hiſtoricos. De Voluptate & vero bono lib. III. Iliada Homeri, & Æſopi Fabulas. Scripſit etiam *De reciprocatione ſui & ſuus in Antonium Raudenſem. In Benedictum Morandum Bonon. lib. II. In Bartol. Facium Ligurem*, & *Antonium Panormit. Recriminationem lib. IV. Apologiam ad Eugenium Pont. contra calumniatores. In Inſtitutiones Oratorias Quintiliani lib. XII.*

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

Claruit A.C. 1472.

JULIUS POMPONIUS LÆTUS.

EX *Amygdalariâ* oppido in *Picentibus* ortus eſt, diligentiſſimus antiquitatis inveſtigator, & inſtaurator. *Florido Sabino* in Apologiâ adversùs calumniatores dicitur in ſcribendo infra neminem recentiorum purus, candidusque. *Pomponius Lætus* elegantiâ *Romani* Sermonis contentus, nihil ultra affectavit, inquit *Eraſmus in Ciceroniano. Auberto Miræo in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſt.* & *antiquitatis* ſcrutator diligens, & puræ dictionis amator.

Antiquitatis ſcrutator.

Ludovicus Vives ridiculè refert, eum adeò deditum fuiſſe linguæ *Romanæ*, ut *Græcam* non auſus ſit attingere, ne quâ peregrinitate contaminaret *Latinam*: tantumq; fuiſſe admiratorem *Romanæ* vetuſtatis, ut *Chriſtiano Petri* nomine rejecto ſe dixerit *Pomponium*. Chriſtianæ religionis contemptor, vergente tamen ætate eam religionem ipſi curæ fuiſſe â quibusdam traditur.

Linguæ Græcæ, & Chriſtianæ fidei contemptor.

Scripta.

Edidit præter alia,

Compendium Hiſtoriæ Romanæ. Lib. de Mahomete. de Magiſtratibus Romanis.

Idem eſſe videtur cum *Julio Pomponio Sabino.*

* *Ex Dialogo de Patriis Viror. doctor. Job. Andr. Quenſtedi*, & *ex Indice Chronolog. Abraham. Bucholtzeri.*

ObiitA.C. 1477.

JOH. ANTONIUS CAMPANUS.

SOrdido & obſcuro loco natus eſt in *Italiâ*, quem mater inops mulier ruſtica inter labores agreſtes ſub lauro enixa eſt: poſteà loci ejus Parocho in famulatum & diſciplinam tradidit. Hic ad ſtudia bonarum literarum animum ejus ad Poëſin imprimis inclinantem ita direxit, ut mox *Neapoli* erudiendo puero Nobili pædagogus mercede quæſitus fuerit: Tantos autem in ſtudiis Latinis quinquennio fecit progreſ-

Famulus Parochi.

Peruſiæ Orator. Profeſſor. ſus, ut *Neapoli Peruſium* tranſiens in Academiâ bonos aliquandiu authores profeſſus fuerit, nec multo poſt à Republicâ *Peruſinâ*, virtutis honore, civitate donatus, à *Pio II. Pontifice* Maximo Præſul *Interamnatium* *Præſul Interamnatium.* creatus, & à *Paulo II.* Succeſſore dignis etiam honoribus locupletatus fuerit. Sed à *Sixto IV.* ex iniquâ ſuſpicione, quaſi *Typhernatium* Tyrannis immodicè faveret, præter *Exul.* meritum in exilium actus eſt.

Cum multis Urbibus integrâ nominis authoritate præfuiſſet, multis prætereà non *Poëta & Orator.* Poëmatum ſolùm ſed & Orationum multiplicisque ſtyli operibus toto orbe terrarum fuiſſet illuſtris, fato functus eſt apud *Senas* An. C. 1477. invidente non planè ſeni longiorem vitam comitiali morbo.

Inter multa ejus Orationum & multiplicis ſtyli opera, quæ extant, *Bracii* inclyti Ducis vita legitur, digna poſteritate, niſi rerum geſtarum fidem adulatione Poëticâ corrupiſſet.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1478.

THEODORUS GAZA.

Nat. Græcus. THeſſalonicæ urbe *Macedoniæ* honeſto loco natus, *Amurathe Græciam* victricibus armis quatiente, in Italiam venit, acumine ingenii nemini ſecundus, cum Græcos omnes linguæ peritiâ eruditoque judicio ſuperaret. *Victorino* autem *Feltrenſe* *Ling. Lat. perfectè didicit.* magiſtro uſus, usque adeò diligenter Latinas literas didicit, ut dignoſci non poſſet, an exactius ab eo Latina Græcè, an Græca Latinè verterentur. Laboribus ſuis literariis in Magnâ *Græciâ* Sacerdotium, commendante *Beſſarione*, promeruit.

Sacerdos in Græciâ. Sub finem vitæ cum Lucubrationes quasdam in membranis accuratè perſcriptas *Sixto V.* Pontifici obtuliſſet, nec pecunia librarii præmio digna redderetur, indignatus ſubagreſte judicium, *Effugere hinc lubet*, inquit, *poſtquàm optimæ ſegetes in olfactu præpinguibus aſinis ſordeſcunt*: atque ita in *Brutios* ad Sacerdotii ſui ſedem contendit. Non multò poſt planè ſenex fato functus eſt A. C. 1478.

Scripta. Ex Græco Latinè convertit, & edidit:

Hiſtoriam Ariſtotelis de animalibus lib. IX. De generatione animalium lib. V. Theophraſti hiſtoriam de Plantis. Ariſtotelis Problematum Sectiones XXXVIII. Alexandri Aphrodiſienſis Problematum lib. II. Hippocratis Aphoriſmos. Ciceronis librum de Senectute & de Somnio Scipionis Græcum reddidit. De menſibus Atticis lib. Græcum. Grammaticæ Græcæ libr. III. Æliani lib de inſtruendis aciebus. Dionyſii Halicarnaſſei de compoſitione Orationis. Chryſoſtomi Homilias V. de incomprehenſibili Dei Naturâ.

Obiit A.C. 1479.

JOHANN. NAUCLERUS.

E Nobili apud *Suevos* familiâ natus patre *Johanne Verge*, vulgò. Vergehanns quod Nautam Germanis notat, unde *Naucleri* nomen fluxit & familiæ adhæſit.

Theol. Juris Theologus & Juris Doctor, principis *Würtenberg. Eberhardi* Ephorus, Eccleſiæ *Doctor & Hiſtoricus.* Stutgard. Præpoſitus factus Anno 1460.

Anno 1467. Legatus à Com. *Würtenberg. Ulrico* ad *Carolum* Ducem *Burgund.* *Legatus Würtemb.* miſſus propter bellicos furores ad *Trajectum* ſubſtitit, & tandem re infectâ domum rediit.

Anno 1477. Academiâ *Tubingæ*, auſpiciis Principis *Eberhardi*, plantatâ, primus *Rector Univerſitatis Tubing.* Univerſitatis Rector eſt deſignatus, plantante eam *Gabriele Biel*, Theologo & ſententiario celebr.

Inter alios diſcipulos habuit *Johannem Reuchlinum*, Virum poſteà doctiſſimum, & *Ludovicum Vergen* fratrem, poſteà Præpoſitum *Stutgard.* & Cancellarium principis ſui factum.

Chronicon ab initio mundi usque ad annum *Scripta.* *1500. conſcripſit*, *à Philippo Melanchthone* locupletatum; poſteà per *Laurent. Surium. Carthuſianum*, usq; ad Annum Chriſti 1564. continuatum.

BARTOLOMÆUS PLATINA.

Obiit A.C. 1481.

VOcatus etiam *Baptiſta Platina Cremonæ* natus eſt A.C. 1421. Egens & obſcurus, unoque tantùm ingenio nobilis *Calixto III.* Pontifice *Romam* venit, Rhethor & Philoſophus acutus. Cognitum Papa *Pius II.* & *Beſſario* Cardinalis ob eruditionem eximiam Sacerdotiis minoribus ex- *Sacerdos Romæ.* ornârunt. Factus etiam eſt tunc *Abbreviator Apoſtolicus. Paulus II.* deindè malignè & iniquè delatum bonis omnibus ac dignitatibus ſpoliatum in carcerem detruſit, & crudeliter torſit. Anno 1470. A *Sixto IV.* demùm *Carceri incluſus & tortus.* ſummo Pontifice conditæ à ſeſe in *Vaticano* Bibliothecæ præfectus eſt, Vir inſigni probitate, virtute & fide præſtans. *Bibliothec.* Fato tandem *Romæ* functus eſt ex peſte Anno Chr. 1481. *Moritur.* ætatis 60.

Sepultus in Exquiliis ad *Mariæ* Majoris Templum, flebili carmine celebrantibus eum Poëtis. In ejus Sepulchro hoc *Epitaphium* legitur:

Quisquis es, ſi pius, Platinam & ſuos ne vexes.
Anguſtè jacent & ſoli volunt eſſe Demetrii alumni.

Scripſit & edidit: *Scripta.*

Hiſtoriam de Vitis Pontificum Romanorum à Domino noſtro Jeſu Chriſto usque ad Papam Paulum II. Venetum, in quâ bonâ fide & veritate ſimplici accuratè plurima ſcitu digna complexus eſt. Sed Joh. Trithemius in Catalogo Scriptorum refert eum multa ſcripſiſſe ex odio contra Pontif. *Paulum II*, à quo malè tractatus fuerat. Opus hoc *Platina* dicavit *Sixto IV.* S. P. qui *Pauli* arrogantiam ſemper oderat. *De rebus Mantuanis & Gonzagarum familiâ lib. VI. Tract. de Pace Italiæ componendâ, & de bello Turcis indicendo. Panegyricum in laudem Card. Beſſarionis. Epiſtolarum lib. Tract. de vero bono veràque nobilitate. De optimo Cive. de honeſtâ voluptate. De naturâ rerum.*

* *Ex Elogiis Viror. doctorum Pauli Jovii.*

FRAN-



JOHANNES NAUCLERUS
Historicus Würtemb.



BARTHOLOMEUS PLATINA
Cremonensis Philosophus



FRANCISCUS PHIELPHO
Orator et Poëta Ital.



MARSILIUS FICINUS.
Florent. Philosophus.



RUDOLPHUS AGRICOLA
Philosoph. Prof. Heidelb.



GEORGIUS TRAPEZUNTIUS
Rhet. et Philos. Græcus.



JOHANNES LASCARES
Philologus Græcus.



WESSELUS GANSFORTIUS
Lux Mundi dictus.



HERMOLAUS BARBARUS
Historicus et Mathematicus



ANGELUS POLITIANUS
Ling. Græc. et Lat. Prof. Flor.



PHILIPPUS CALLIMACHUS. Orator et Poëta Romanus.



MICHAEL MARULLUS.
Poëta Græcus et Latinus.



AMERICUS VESPUTIUS
Americæ Inventor.



JOH. JOVIANUS PONTANUS
Philosophus, Poëta, Orator et Hist.



CHRISTOPHORUS COLUMBUS Indiarum primus Inventor



MARC ANTONIUS COCCI-
s. Reipubl. Venetæ Hist-

Obiit A.C. 1481.

FRANCISCUS PHILELPHUS.*

EQues auratus, Poëta, Philologus & Orator celeberr. Natus eſt in oppido vetuſto *Tolentino Picenorum* 25. Julii A. C. 1598. Græcæ Linguæ flagrans deſiderio *Græciam* perluſtravit, & *Græcam* uxorem duxit *Emanuelis Chryſoloræ* Philoſophi *Byzantini* filiam, quæ *Græcæ* elocutionis magiſtra uſu quotidiano *Atticorum* accentuum docili conjugis ori dulcedinem inſtillavit. Græcorum Cæſarum *Byzantinorum* nomine Orator ad Pontificem Maximum cæteroſque *Italiæ* Principes ſæpius ablegatus eſt.

Uxorem Græcam duxit.

Legatus Cæſar. Byzantinor.

Favêre ei ante alios *Eugenius* Pontifex, *Alfonſus* Rex *Arragoniæ*, & qui ſingularem juſtitiæ & virtutis bellicæ coronam eo ſeculo promeruit *Franciscus Sfortia*, quem Poëmate Heroico celebravit.

Literas Græcas & Latinas in Italiâ docuit.

Venetiis, *Florentiæ*, *Senis*, *Bononiæ*, & demùm *Mediolani* ſub 4. Ducibus *Græcas* & *Latinas* literas glorioſè docuit. In familiâ ejus eruditæ victoriæ trophæum permanſit nobili exceptum riſu, cum *Timotheo Græco* de vi ſyllabæ contendenti victoque barbam ex pactione inexorabili ſuperbiâ deraſit. In *Italiâ* dum degeret, ſublimi æſtuans ingenio, neminem ſibi exæquari literariâ laude paſſus eſt, & plura quàm quisquam alius in omni doctrinæ genere Volumina publicavit.

Tolentinates in publicâ Decurionum domo Civis hujus ſui effigiem cum baltheo laureatam peregrinis hoſpitibus oſtendere ſolent, adſervantque etiam Regii diplomatis membranam, ad collatæ dignitatis argumentum. Vitâ tandem functus eſt *Bononiæ* adeò pauper, ut ad funus efferendum cubiculi & culinæ inſtrumenta venierint A. C. 1481. ætatis 83.

Obiit pauper.

Luculentum *Philelphi* elogium extat apud *Alexandrum ab Alexandro*. Filium habuit *Marium Philelphum*, Equitem auratum, Poëtam, & Philoſophum, qui in Gymnaſio *Mantuano* ad Lectiones publico ſalario conductus ibi vitæ finem fecit.

Scripta.

Latinitate donavit:

Xenophontis Pædiam Cyri. Plutarchi Heroum aliquot Vitas. Hippocratis Libros aliquot. Sphorciada Heroico Carmine. Satyras. Lyricos. Epigrammata. Conviviorum libr. II, quos Ludov. Vives impensè laudat.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1499.

MARSILIUS FICINUS.

FLorentiæ natus corpore parvus, ſed ingenio ingens fuit, Linguarum Latinæ & Græcæ ornamentum ſingulare. Unus Latinorum Divinæ Philoſophiæ amore accenſus transferendi *Platonis* negotium ſuſcepit ac perfecit. Ex eodem ſtudii fervore *Plotinum*, *Jamblicum*, *Syneſium*, & *Pſellum Platonicæ* Sectæ authores Latinos effecit, hortantibus & ſuffragantibus *Coſmo Mediceo*, ejusque filio *Petro* & nepote *Laurentio*, *Florentiæ* Ducibus. Fuit enim cum *Angelo Politiano* literar. ſtudiis excultus operâ & ſumptu Ducis *Florent. Laurentii Medices*. Ex domûs hujus illuſtris liberalitate honeſtas ædes, villam amœnam, ſacerdotium cum annuo ſtipendio dono accepit: contemnebat enim majores opes vir minimè ambitioſus, cum unam ſtudiorum laudem ſpectaret, nec ullis unquàm contentionibus miſceretur, & quod eorum omnium præterquàm vini ſubdulcis voluptates abdicâſſet, nullâ quidem animi triſtitiâ, cum eſſet naturâ lætus, ſed exactâ ratione ad tuendam valetudinem uſus. Fuit enim etiam medicus, & id Sacerdoti licere probavit, quia ad hunc pertinent ſingularis charitatis officia. Sed exiguam eum in arte Medicâ cognitionem habuiſſe Libri ejus arguunt *Platonici* magis quàm *Hippocratici*.

Platonis Interpres.

Sacerdos.

Medicus.

Tandem cum ſodalium ſuorum *Hermolai Barbari*, *Angeli Politiani*, Comitis *Mirandulæ*, *Landinique* funera luxiſſet, & *Hieron. Savonarolam* injuſtè necatum defendiſſet, febri extinctus eſt in Villâ ſuâ *Caregianâ* ſeptuagenario provectior, & *Florentiæ* ſepultus in æde S. *Mariæ*, An. C. 1483. quo tempore *Ludovicus XII. Gall.* Rex armatus *Italiam* ingreſſus eſt.

Edidit *præter Comment. in Opera Platonis à ſeſe Latinitate donata, De triplici vitâ libr. III. De creatione rerum. De religione Chriſtianâ, & fidei virtute opuſculum. Antidotum epidemior. Orationem de laudibus Medicinæ. Theol. naturalis lib. I. De Intellectu & Intelligentiâ lib. I. In Convivium Platonis lib. I. Epiſtolarum lib. plures. De vitâ mundi. Apologiâ, in quâ agitur de Medicinâ & Aſtrologiâ, quod ad Sacerdotes pertineant. De Magia, & Magis, qui Chriſtum ſtatim natum ſalutârunt.* Ex Græco in Lat. ſermonem vertit: *Xenocratis de morte Speuſippi, Alcinoi, & Pythagoræ Opuſcula. Dionyſium Martyrem de myſticâ Theologiâ. Plotinum cum Comment. Mercurium Triſmegiſtum de Poteſtate & Sapientiâ Dei.*

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii. & ex Vitis 50. Viror. doctor. Joh. Jac. Boiſſardi.*

Epitaphium.

EPITAPHIUM EJUS.

EN HOSPES HIC EST MARSILIUS SOPHIÆ PATER: PLATONICUM QUI DOGMA CULPA TEMPORUM SITU OBRUTUM ILLUSTRANS, ET ATTICUM DECUS SERVANS, LATIO DEDIT: FORES PRIMUS SACRAS DIVINO APERIENS MENTIS ACTUS NUMINE. VIXIT BEATUS ANTE, COSMI MUNERE LAURIQUE MEDICIS NUNC REVIXIT PUBLICO.

S. P. Q. F.

ANNO M D. XXI.

* *Ex Promptuario Iconum inſigniorum à Guil. Rovillio edito lib. II.*

Obiit A.C. 1485.

RUDOLPHUS AGRICOLA.

NAtus eſt in pago *Buſſlo* duobus Milliaribus â *Gröningâ Friſiorum* metropoli diſtante circum annum 1442. *Haidelbergæ* vixit in ædibus Equitis *Theodorici Phenningeri* quo & ante *Ferrariæ* familiariter uſus eſt. Placuit ipſi multùm aula, cum

Ele-

Electoris *Philippi* manſuetudine & ingenii ſuavitate, ad cujus petitionem Epitomen Hiſtoricam contexuit. Cum ibi tunc conſuetudo eſſet, ut in diſputationibus publicis Profeſſores, ſi quando hæreret diſputator, interfarentur; ipſe ſæpè difficiles nodos perſpicuè explicavit.

Literas docet Heidelbergæ.

In Theologiâ quid deſideraverit teſtatus eſt *Joſquinus Grüningenſis*, qui ſcripſit ſe adoleſcentem interfuiſſe ſermonibus *Rodolphi* & *Weſſelii*, in quibus Eccleſiæ tenebras deplorârint, & reprehenderint profanationem Cœnæ in Miſſis ac celibatum, & apertè rejeciſſe Monachorum opinionem, quæ fingit homines bonis operibus juſtos eſſe.

Ejus mores.

Erat vir gravis, jocis eruditis gaudebat, ſcurrantem verò nemo audivit. Non veſtiebatur ſplendidè ſed honeſtè. Naturâ negligentior & paulò incivilior in conviviis præcipuè, citra tamen ullius offenſam, habitus eſt. Cogitabundus enim menſæ innitens ungues demordebat. Puellas amare ſe nonnunquam ſimulabat, ſed nunquam deperibat, in quarum gratiam Germanica quædam carmina ſcripſit, quæ virginibus primariisque amicis præſentibus voce & teſtudine modulatiſſimè canebat.

Eraſmus in Adagiis ita de eo ſcribit: Nulla erat honeſta diſciplina, in quâ vir ille non poterat cum ſummis artificibus contendere. Inter Græcos Græciſſimus, inter Latinos Latiniſſimus, in carmine Maronem alterum dixiſſes, in oratione Politianum quendam lepore referebat, Majeſtate ſuperabat. Unum illud vel Momus ipſe calumniari fortaſſe potuiſſet, quod famæ plus æquo negligens nullam poſteritatis haberet rationem. Proindè ſi quæ ſcripſit, ita ſcripſit ut rem ludicram, quanquam vel ſic ſcripta eruditorum calculis immortalitatem promereantur.

Febri obiit *Heidelbergæ* cum ſe totum Chriſto Servatori commendâſſet 28. Oct. A. C. 1485.

Obiit A.C. 1486.

GEORGIUS TRAPEZUNTIUS.

IN *Cretâ* natus eſt, ſed quod paternam originem è *Ponticâ* celebri urbe duceret, vetuſtæ Patriæ nomen adſciſcere quàm natale ſolum fateri maluit. *Græcorum* ferè primus *Romæ* circa An. C. 1430, eo tum ſeculo renaſcentibus literis, qui Græca feliciori ſtylo in Latinum verterit exiſtimatus eſt: erat enim ingenio ad lucubrandum maximè validò, ſed livoris pleno, nam cum ſe Peripateticum profiteretur, unum *Ariſtotelem* adeò extulit, ut nec divini *Platonis* ingenium laudari pateretur, ejusque dogmata & mores inſolenter, edito famoſo volumine, laceraret. Sed *Beſſarione Platonem* defendente *Georgius* id ſuſtinere non potuit.

Primus Græcos authores Latinè vertit.

Ariſtotelis patronus & Platonis hoſtis.

Romæ propter eruditionem ſummo Pontif. *Eugenio IV.* charus, ab eo Secretarius Apoſtolicus factus eſt. Ibi habitavit juxta *Minervam* honeſtâ domo ſibi & poſteris extructâ, ad divi *Mauri* minores obeliſcos, ductâ uxore, ſuſceptoque filio, ſed non eâdem felicitate in literis educato. Is enim nomine *Andreas* paternas excipiens lites *Theodoro Gazæ*, tanquam *Georgii* Patris laudi decus malignè ſubtrahenti reſcripſerat, ſed *Theodorus* eam recriminandi libidinem facilè contempſit.

Secretarius S.P. Eugenii IV.

Rhodiam uxorem duxit. Filium reliquit Andream.

Cum ad exactam ſenectutem perveniſſet, poſtquàm ex morbo gravi convaluiſſet, repueraſcens omnium literarum oblitus fuiſſe fertur, & memoriam rerum præteritarum amiſiſſe, ut nec legere nec ſcribere potuerit. Id ex dolore illi eveniſſe quidam exiſtimarunt, quod ejus opera Pontifici maximo oblata 100. ducatis tantum compenſata fuiſſent. Is autem è Palatio *Vaticano* domum ſe conferens indignatione percitus ex Ponte *Ælio* pecuniam ab ingrato acceptam in *Tyberim* abjeciſſe fertur, additâ exclamatione: *Periêre labores, pereat & eorum ingrata merces!* Neptis ejus ex filio *Andreâ Fauſto Madalenæ Romano* Poetæ lepido nupta fuit. Hic multa de *Georgii* proſoceri doctrinâ & litium acerbitate narrare ſolebat, cum *Leoni X.* Summo Pontifici ab amœnitate ingenii gratiſſimus in Academiâ floreret: ſed is ante diem clade Urbis interiit.

Senex memoriam amiſit.

Romæ tandem nonagenarius obiit Anno Chriſti 1486.

Scripſit:

Comparationem Ariſtotelis & Platonis. Dialecticam. Commentar. in Philippicas, & Orationem pro Q. Ligario Ciceronis. Ex ſtylo Græco in Latinum convertit Opera Ariſtotelis, & Euſebii Cæſarienſis. Item *Præcepta Rhetorica Hermogenis*: *Ptolomæi etiam plurima.*

Sepulchro ejus hoc inſcriptum extat Epitaphium:

Hâc urnâ Trapezuntii quieſcunt
Georgii oſſa parum Deis amici,
Quod acri & nimium procaci linguâ
Platonem ſuperis parem petivit.

In Sacris reddidit Latinè *Chryſoſtomi Homilias in Matthæum, Cyrillum in Johannis Evangelium, Euſebium de præparatione Evangelicâ, Gregorium Nyſſenum de vitâ Moyſis.*

* *Ex Elogiis viror. doctor. Pauli Jovii. Et ex Vitis 50. viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi.*

JOHANNES LASCARES.

Obiit A.C. 1489.

GRæcorum ferè omnium, qui *Othomannicis* armis patriâ pulſi in *Italiam* confugerunt nobiliſſimus & doctiſſimus, ſtirpem ſanguinis ad Imperatoris *Conſtantinopolitani* decus referebat. Naufragum excepit *Laurent. Medices*, cui nihil antiquius fuit, quam ingenia liberalia beneficio devinxiſſe. Ob id *Laſcarem* ad conquirenda volumina, Bibliothecæ ſuæ abſolvendâ gratiâ, cum legatione ad *Bajazethem* bis miſit *Byzantium*: nec defuit honeſta petenti barbarus Imperator, quippe qui erat totius Philoſophiæ ſtudioſus, *Averroiſque* ſectator eximius, & paulò ante *Bandinum* percuſſorem fratris *Laurentii* fugâ in *Aſiam* elapſum in ca-

Ex Imp. Græcorum ſtirpe orig.

Laurent. Medices Bibliothec.

Legat. Byzantium miſſus.

in catenis ad ſupplicium tradiderat, ſingulari juſtitiæ exemplo, quod ille immane ſcelus in templo auſus meritâ pœnâ plectendus cenſeretur.

Volumina Græca attulit. Itaque *Laſcaris* abdita *Græciæ* perſcrutatus, nobiliora antiquitatis volumina collegit, & in *Italiam* ut ſervarentur, attulit. *Legatus Regis Gall. ad Venetos.* Tranſivit demùm in *Galliam* Legatumque *Ludovici* Regis apud *Venetos* egit, nec multo poſt *Leone* veteris amicitiæ nomine eum *Pueros è Græciâ adduxit.* attollente nobiles è *Græciâ* pueros adduxit inſtituto Ludo in *Quirinali*, ne Græca lingua interiret. Valebat Latinâ facundiâ, ſed adeò deſidioſus erat, ut in vertendo *Græco*, vix *Polybii* Caſtrametationem efflagitantibus amicis expreſſerit, quod id ſtudium damnaret. Honeſtæ facultates nunquàm ei defuerunt, ut nonagenarius ferè ſenex ex *Moritur.* morbo articulari *Romæ* moreretur An. C. 1489. Sepultus eſt in æde *Gothicâ S. Agathæ* ſupra *Suburram*, fecitque ſibi Græcum Epitaphium, quod *Majoranus* ſic vertit:

Laſcarus in terrâ eſt alienâ terra ſepultus,
Nec nimis externam quod quereretur erat.
Quam placidam, ô hoſpes, reperit, ſed deſlet Acheis.
Libera quod nec adhuc patria fundat humum.

* *Ex Elogiis Virorum doctor. Pauli Jovii.*

JOHANNES WESSELUS GANSFORTIUS.

Obiit A.C. 1489.

GRœningæ honeſtis parentibus natus eſt A. 1419. Vocatus aliàs *Veſalius*, Literis in patriâ dedit operam, & diligentiâ ſuâ tandem aſſecutus eſt, ut non ſolùm in Theologiâ, ſed Juriſprudentiâ quoque & arte medicâ Doctoribus annumeratus fuerit. *Trium Facultatum Doctor.* Poſteà in *Græciam* profectus, ibi cum viris eruditis, linguæ potiſſimùm & Philoſophiæ gratiâ verſatus, *Baſilii* nomine ab iisdem donatus eſt.

Reverſus indè *Germaniæ*, *Galliæ*, *Italiæq;* Academias perluſtravit, in quibus tantam nominis famam adeptus eſt, ut *Lux mundi* vulgò diceretur. *Lux mundi dictus.*

Docuit autem *Coloniæ*, *Haldelbergæ* & *Lutetiæ Pariſ.* Et cum Philoſophiæ *Platonicæ*, ut Chriſtianiſmo propioris admirator eſſet, acerbius interdum in *Ariſtotelem* invectus eſt. Hinc factum, ut à Scholaſticis Doctoribus odio haberetur, & vulgò Magiſter Contradictionis appellaretur. *Item Magiſter Contradictionis.* *Wormatiæ* concionatus eſt circa annum 1479.

In Diſputationibus Theologicis magnos titulos Doctorum contemnebat, & ſi quis fortè inter diſputandum ei objiceret, *Hoc dicit Doctor Sanctus vel Seraphicus*, ipſe reſpondit: *Thomas fuit Doctor, quid tum poſteà? & ego Doctor ſum: Thomas vix Latinè intellexit, & unilinguis fuit, Ego trium linguarum peritiam mediocrem aſſecutus ſum: Thomas vix umbram vidit Ariſtotelicam, Ego Ariſtot. Græcum in ipſâ Græciâ didici.*

Hâc loquendi libertate incitavit adverſus ſe Prædicatorii Ordinis fratres hæreticor. Inquiſitores, ſed quò minus palàm illum perſecuti ſunt, in causâ fuit Epiſcopus *Ultrajectinus David* à *Burgundiâ*, cujus *Medicus* tunc *Weſſelus* erat.

Ingraveſcentibus annis in patriam rediit, & cum Virginibus ſpiritualibus *Grœningæ* vixit, quibus ab Epiſcopo *Ultraject.* commendatus fuit. Incertum tamen eſt, utrum ipſe, an ejus nomine Epiſcopus virginibus expenſas pro convictu ſolverit, an verò gratis ab illis alitus fuerit.

Ibi cum in morbum incidiſſet, qui & vitæ finem ei attulit, & amicus quidam doctus inviſendi gratiâ eum accedens, *ut valeret,* interrogâſſet? reſpondit, *Se pro ſuâ ætate & morbi moleſtiâ utcunque valere, ſed unum admodùm moleſtum ſibi eſſe, quod variis cogitationibus circumactus de veritate Chriſtianæ religionis ſubdubitare inciperet.* Tum obſtupeſcens ille & ægrum hortatus, ut omnes cogitationes ſuas in Chriſtum Servatorem unicum rejiceret, abiit. Paulò poſt reverſum ubi *Weſſelus* vidit, alacri animo exultans dixit: *Gratias ago DEO, omnes illæ variæ diſputationes abierunt, jam nihil ſcio, niſi Jeſum & hunc crucifixum.* Hâc in confeſſione animam DEO reddidit die *Franciſci* An. 1489. æt. 70. quem integro viſu & auditu attigit, ita ut nunquàm ſpecillis ocularis opus habuerit. *Moritur.* Sepultus *Grœningæ* in monaſterio Virginum ſpiritualium.

Errores Eccleſiæ *Rom.* ſæpius deploravit, & gratiam noſtri juſtificationem per fidem in Chriſtum inculcavit, purgatorium & indulgentias improbavit.

Multa ſcripſit in Theologiâ, quæ à Catholicis, ut *Suffridus ait*, non probantur.

Docuit inter alia, jejunium & diſcrimen ciborum nullum à Chriſto eſſe præceptum, ac ſi *Petrus* jejunii autor ſit, non aliam ob cauſam ab eo eſſe inſtitutum, quàm ut piſces ſuos carius venderet.

Ob hæc & alia dogmata à communi ſententiâ ejus temporis aliena *Moguntiæ* ab inquiſitoribus damnatus eſt hæreticæ pravitatis A. C. 1479.

HERMOLAUS BARBARUS.

Obiit A.C. 1494.

PAtritius *Venetus*, natus eſt 21. Maji An. C. 1453. Summo ingenio, nec minori rerum publicarum uſu quàm eruditione prædıtus, à 18. ætatis anno Libros ſcribere exorſus eſt. Quantus autem eſſet in Phyſicis, Dialecticis, Rhethoricis, & Geographicis multæ nobiles ejus exuberantis ingenii fœturæ teſtantur. *Philoſophus Magnus.*

Specioſis honoribus perfunctum & tum ſupremam legationem *Romæ* agentem Pontifex *Innocentius VIII.* ob ſummas, quas in eo miratus eſt, virtutes Patriarcham *Aquilejenſem* renuntiavit, vel non probante Senatu *Veneto*, qui nihil vel inuſitatæ virtuti extra leges tribuendum cenſuerat. *Patriarcha Aquilejenſis.* Cum etiam pari ex merito Purpura pararetur, ipſi mors ante diem irrepſit peſtilenti morbo properata, adeò ut quod à *Pico Politianoq; Florentiâ* laboranti per diſpoſitos equos mittebatur miræ poteſtatis Antidotum ve-

Digitized by Google

Peſte obiit. neni celeritas præverterit, dum *Romæ* obiit A.C. 1494. æt. 41. Sub Colle hortorum ad Portam *Flamentanam* ſepulchro conditus, cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem
Barbarus hic ſitus eſt: utraq; Lingua gemit.
Urbs Venetûm vitam, mortem dedit inclyta Roma:
Non potuit naſci, nobiliusve mori.

Scripta:

Scripta. *C. Plinii Secundi Opera è tenebris in lucem revocata. Quæſtiones Geometriæ. Rhetorica Ariſtot. Dialectica. Præcepta Hiſtoriæ conſcribendæ ad Sabellicum. Plutarchi Iſis & Oſiris. Convenientia Aſtronomiæ & Medicinæ. Dioſcoridis Hiſtoria Plantar. & Themiſtius Ariſtotelis. Lib. contra barbaros Philoſophos: de Cœlibatu. Caſtigationes in Pomponium Melam. De re uxoriâ Carminicè. Orationes, & Epiſtolæ. Tract. de fide Catholicâ Patriarchæ Conſtantinop. contra Turcas Latinè factus.*

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

ANGELUS POLITIANUS.

Obiit A.C. 1494.

IN Monte *Politiano Hetruriæ* oppido natus 14. Julii An. C. 1451. à primâ ſtatim juventâ admirabilis ingenii nomen adeptus eſt, cum Illuſtri Poëmate *Juliani* Medicis Equeſtres Ludos celebrâſſet, *Luca Pulcio* nobili Poëta omnium confeſſione ſuperato, qui *Laurentii* fratris ludicrum equeſtris pugnæ ſpectaculum iisdem modis & numeris decantârat. *Poëta inſignis.*

Non multò poſt, *Juliano à Pactiis* in Templo crudeliter interfecto, ejus vindicatæ conjurationis Hiſtoriam Latinè perſcripſit. *Florentiæ Græcas* pariter & Latinas literas profeſſus, præcellenti ſtudiorum omnium florens ubertate, poſtquàm varia opera è Græco in Latinum vertiſſet, tantos de ſe excitavit clamores, favente ſtudioſâ juventute, ut *Demetrius Chalcondyles* vir Græcus & eruditus tanquàm jejunus à diſcipulis deſereretur. Tunc *Chalcondyles* æmulo cedens *Mediolanum* ſe tranſtulit, eò vocatus à Principe *Ludovico Sfortiâ*. Diſtortis erat moribus, facie nequaquàm ingenuâ & liberali, cum naſo enormi, & oculo ſubluſco, ingenio autem aſtuto & aculeato, cum aliena ſemper irrideret, nec ſua, vel non iniquo judicio, expungi pateretur. *Ling. Græcæ & Lat. Profeſſor Florentiæ.*

Mors ejus. Morte oppreſſus immaturâ jam ſeculi ſui dolore obiit 24. Sept. An. C. 1494 æt. 44. Ferunt eum ingenui adoleſcentis inſano amore percitum in lethalem morbum incidiſſe: correptâ enim citharâ, cum eo incendio & rapidâ febre torreretur, ſupremi furoris carmina decantavit, ita ut mox delirantem vox ipſa, & digitorum nervi, vitalis denique ſpiritus urgente morte deſererent.

Florentiæ in ejus ſepulchro hoc legitur Epitaphium:

Epitaphium.

Politianus in hoc tumulo jacet Angelus, unum
Qui caput, & linguas, res nova, tres habuit.

Scripta:

Centuria Miſcellaneorum. Epiſtolarum Lib. XII. Dialectica. Poëmata Latina, Sylvæ, Ruſticus, Ambra, & Manto. Herodianus Hiſtoricus Latinè converſus, & Enchiridion Epicteti cum defenſione ad Bartol. Scalam. Item Plutarchi Cheronei amatoriæ narrationes. Prælectio in A. Perſium. Sylva Nutricia. De Poëticâ & Poëtis Carmine Heroico. Alexandri Aphrodiſæi ſuper nonnullis Phyſicis dubitationibus Solutionum Lib. I. *Scripta.*

* *Ex Elogiis Viror. Doctor. Pauli Jovii.*

PHILIPPUS CALLIMACHUS.

Obiit A.C. 1496.

G*Eminiano Hetruriæ* oppido editus ingenium literis *Romæ* excoluit, Poëta, Orator & Hiſtoricus excellens. Ibi cum Pontifex *Paulus II.* illuſtres Academiæ Sodales odio ſuo temerè concepto, tanquàm malignè conſpirantes perſequeretur, ipſe indignam animo ſuo inſonte ſubiit calamitatem, dum deſumpti Græci nominis reus tormentis & carcere pœnas dedit: liberatus autem ab eâ injuriâ in ultimas profectus terras, à *Caſimiro* Rege *Poloniæ* honorificè exceptus eſt. *Orator & Poëta.*

A filio deindè ejus *Johanne Alberto*, cui Præceptor datus fuerat, ad ſummum potentiæ locum evectus, Senator Regni primarius factus eſt, non ſine invidiâ & & odio aulicorum, qui eum tanquàm impium, & *Moldavicæ* cladis authorem, tyrannidemq; Regi ſuadentem aulâ extruſerunt: Exul itaque *Vilnæ* apud veterem amicum occultatus fato ceſſit, ita ut morte celatâ ſine funere areſactus tepore clibani in armario ſervaretur: id cum reſciviſſet Rex *Joh. Albertus*, pietatis ergò *Cracoviæ* in æde S. Trinitatis æreo ſepulchro honeſtandum curavit A. C. 1496. *Senator Regni Polon.* *Obiit exul Vilnæ.*

Præcipuum ejus ingenii monumentum extat Hiſtoria exactiſſimè conſcripta de rebus geſtis *Ladiſlai Poloniæ & Hungariæ* Regis, qui ad *Euxinum Varnenſi* acie ab *Amurathe* ſuperatus interiit.

* *Ex Elogiis Viror. Doctor. Pauli Jovii.*

Sepulchro ejus hoc *Epigramma* legitur inſcriptum:

Hic jacet heu Patriâ procul à regione ſepultus
Progenitus Thuſco ſanguine Callimachus. *Epitaphium.*
Quem fatum variis adverſum erroribus egit:
Invictum his tandem conſtituitq; locis.

MICHAEL MARULLUS.

Obiit A.C. 1500.

NAtione *Tarchaniota Græcus* inter alarios equites deſcriptus *Nicolao Rallâ Spartano* Duce in *Italiâ* militavit, ita *Martis* ſtudio cum *Muſis* per intervalla feliciter adæquato, ut non *Græco* tantùm, ſed etiam *Latino* Carmine admirandus evaderet. Nam *Theodori Gazæ*, & *Johannis Argyropoli* veſtigia ſubſecutus, nihil jam *Græcè* doctum eſſe ſatis ad laudem putabat, niſi tota patrii ſermonis facultas *Romanæ* facundiæ jungeretur: propterea *Florentiæ Alexandram* eruditi ingenii virginem duxit uxo- *Miles in Italiâ.* *Poëta Græcus & Lat.* *Uxorem duxit.*

uxorem, *Bartolomei Scalæ*, vexilliferi filiam. Hic eſt *Scala*, qui paulò ante *Græcorum* nomini favens cum *Politiano* ejus gentis ingeniis infeſto maledicis epiſtolis lites extenderat.

Verùm *Marullus* inquieto ingenio nullibi ſedem ſtabilem nactus, in curſu ſtudiorum ac itinerum ſemper fuit. Homo elegantis ingenii & judicii, præter ſpem & votum, violenter unà cum equo abreptus vado *Cecinæ* amnis in *Volaterano*, miſer eheu interiit, cum luctu bonorum omnium *Græcorum* pariter & *Latinorum*, eo die, quo *Ludovicus Sfortia* captus, ut ferrato in carcere miſer exſpiraret, in ulteriorem *Galliam* eſt abductus, 14. April. A.C. 1500.

In fluvio ſuffocatus.

Scripta. Edidit Apolline dextro *Epigrammatum & Hymnorum Libellos.*

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

Clar. A.C. 1504.

AMERICUS VESPUTIUS.

EXcellens Aſtronomus, Coſmographus, & artis navigandi peritus fuit, qui januâ per *Chriſtoph. Columbum Genuenſem* patefactâ, in novum Orbem navigationem ſuſcepit A. 1597. & noviter inventæ Orbis parti *Americæ* à nomine ſuo nomen impoſuit. Quatuor hic ſuas navigationes, quarum poſtrema finem habuit A.C. 1504. literarum monumentis ad poſteros transmiſit. *America* autem propter magnitudinem appellatur quarta orbis pars, quæ hodiè tota circumnavigata eſt, præter eum tractum, qui Septentrionem aſpicit, cujus littora nondum perluſtrata ſunt. Hujus pars quæ Septentrionalis eſt, *Novam Hiſpaniam, Mexicanam* Provinciam, *Terram Floridam*, & *Terram Novam* comprehendit. *Meridionalior* verò, quæ *Terra firma Hiſpanis* vocatur, *Peruviam* & *Braſiliam* continet.

Americæ inventor. *America Provinciæ.*

Claruit circa An. C. 1504.

* *Ex Dialogo de Patriis viror. doctor. Joh. Andr. Quenſtedt; & ex Indice Chronoleg. Abrah. Bucholtzeri.*

Obiit A.C. 1505.

JOHANNES JOVIANUS PONTANUS.

IN Ponte *Caſtellano Umbriæ* oppido *Cerretanis* finitimo in lucem editus A.C. 1428. *Joviani* cognomen amicorum imitatione aſſumſit. Cum pater ejus à civibus patriæ factioſis fuiſſet interfectus, profugiens juvenis *Neapolim* venit. Ibi *Ferdinandi* Regis caſtra ſecutus *Antonio Panormitæ* Secretario Regio in munere ſucceſſit.

Secretarius Regis Neapol.

Auctus deindè opibus *Ariadnæ* uxoris Muſas ita exercuit, ut nec Poëtis nec Oratoribus ſuâ ætate florentibus dignum ſecundæ famæ locum reliquerit. *Palatium Neapoli* ſumptu ſuo & ornamentis inſigne exſtruxit, quod adhuc hodiè extat, ſed infeſtatione geniorum malorum deſertum eſt. Supercilio fuit auſtero & oris habitu ſubagreſtis, ſed ſtylo & ſermone perurbanus, cum ſæpè vel in ſeriis multo cum ſale jocaretur. Habitus autem eſt à quibuſdam in cenſuris ſupra æquum mordax, quod non homines modò, ſed & gentium & urbium mores in Dialogis ſuis perſtringeret.

Poëta & Orator.

Nonnunquàm nimis laſcivire & vagari videtur, quod iis minus mirum videri poterit, qui eum ſciverint in magnis Regum & Principum negotiis diu fuiſſe verſatum, & modò bellorum modò pacis & veterum conditiones tractâſſe. Sed in Carmine pangendo quàm texendâ proſâ cultior fuiſſe creditur ac ſublimior.

Fato functus eſt *Neapoli* A.C. 1505. ætatis 77. *Moritur.*

Tumulatus in Sacello à ſe Sepulchri cauſâ exſtructo cum hoc à ſe facto Epitaphio: *Epitaphium.*

Vivus domum hanc mihi paravi,
In quâ quieſcerem mortuus.
Noli obſecro injuriam mortuo facere,
Vivens quam fecerim nemini.
Sum etenim Johannes Jovianus Pontanus,
Quem amaverunt bonæ Muſæ,
Suſpexerunt viri probi,
Honeſtaverunt Reges Domini.
Scis jam quis ſim? aut quis potius fuerim?
Ego verò te, Hoſpes, in tenebris noſcere nequeo,
Sed te ipſum ut noſcas rogo. *Vale.*

Scripta:

De Bello Neapolitano, quod Ferdinandus Rex geſſit Lib. VI. Dialogus, cujus inſcriptio eſt Actius, ubi de ratione ſcribendæ Hiſtoriæ tractat, & de Hiſtoricis fert judicium. De Immanitate. Dialogus, in quo tractat, quatenus credendum ſit Aſtrologis. De Fortunâ Lib. III. Urania, Meteora, Heſperidum Horti, Ecloga, Epigrammata, Elegiæ, & alia Poëmata. De Sermone Lib. VI. De Principis educatione, *& ejus Inſtitutione. De Prudentiâ Lib. V. De Fortitudine Lib. I. De Obedientiâ Lib. V. De rebus cœleſtibus. De Liberalitate, Beneficentiâ, Magnificentiâ, Splendore, Cultu, & Conniventiâ. De Magnanimitate Lib. II. Centum Ptolomæi Sententiæ factæ Latinæ & Commentariis illuſtratæ.* *Scripta.*

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1506.

CHRISTOPHORUS COLUMBUS.

COlonus aliàs vocatus fuit, natione *Genuenſis*, ſed *Hiſpali* urbe donatus, non ſtudio jucundæ Poëſis ipſi orbi notus, ſed Matheſis potius divinitate memorabilis: nam ſiderali ſcientiâ, quâ erat egregiè doctus, aut Divino potius conſilio excitatus, magnum quidem & inauditum facinus eſt aggreſſus. Deſpectis enim *Herculis* columnis, per mare *Oceanum*, quem *Atlanticum* nominamus, in Antipodas feliciter navigavit: ubi novum orbem, terras alias, & alias ſtellas, quas nunquàm ex *Hiſpaniâ* vidimus, omnium mortalium primus, neſcio ne in ſuam magis an illius gentis fortunam invenit. Et, quod fuit quondam multis viris doctis incredibile, eſſe homines, qui adverſa nobis veſtigia premerent, ipſe ſuis eſt oculis contemplatus: perſuaſurus etenim, quantum ego credo, *Lactantio* & *Auguſtino*, ſi eo tempore viverent, quod ineptias illi & fabulas

Mathem. *Ad Antipodes primus navigavit.*

Ter Orbem mari peragravit.

bulas Mathematicas artibus deſtituti falsò aliquando crediderunt, itaque ter peragrato orbe, per immenſos navigationis errores, *Hiſpalim* ad ſuos revertit.

Evangelium Chriſti ad Indos propagavit.

Neque inter tanta fortunæ blandimenta re aliâ gaudebat magis, quàm ſe duce in illos fines orbis terræ propagatum eſſe Chriſti Evangelium, & inſonuiſſe nomen *Jacobi* filii *Zebedæi*, dum aquilas Imperii & leones *Hiſpaniæ* noſtri homines victores inferrent: quod ipſe ſecundùm Deum ſuis acceptum referebat ſtudiis Mathematicis, quæ per intentatum mare viam in alium orbem muniviſſent.

Filium habuit Ferdinandum Colonum, Virum eruditum.

Hujus etiam filius *Ferdinandus Colonus* propè æqualem vitæ dignitatem in otio tenuit, quam pater in negotio habuit. Nam ut erat eximius ſingularisque Philoſophus, ædes ad *Boetim* operosè magnificentiſſimèque ædificavit, in loco ſalubri & amœno, Muſis maximè convenienti. Has circum topiario opere exornavit, ubi conſtructâ quàm ampliſſimâ Bibliothecâ, quæ 25000. librorum dicitur habuiſſe, tum annuis dotatâ reditibus, ne non quotidianis librorum acceſſionibus aucta periret, vitam cum ſtudiis terminavit.

Moritur.

Chriſtophorus verò pater poſt quartam in novum orbem navigationem obiit *Valledoleti* in *Hiſpaniâ* 8. Maji A.C. 1506.

* *Ex libro Alfonſi Garſiæ Matamori de Academiis & doctis viris Hiſpaniæ.*

Cum fortè *Columbus* convivio cum multis nobilibus *Hiſpanis* intereſſet, ſermone inter eos orto de *Indiâ* unus eorum ita eum affatus eſt: *Etſi tu, Domine Chriſtophore, Indiam non reperiſſes, non defuiſſet tamen in hâc noſtrâ Hiſpania, qui idem tentâſſet, ut quæ multis Coſmographis & viris ingenioſis abundet.* Ad ea *Columbus* nihil reſpondit, ſed ovo afferri in triclinium juſſo & menſæ impoſito, *Agedum*, inquit, *Domini mei, cum quolibet veſtrûm depoſito in cœnam pignore certo, neminem quod ego facturum, nempe ut ovum hoc nullo nixum adminiculo ſtans erectum maneat.* Experti ſunt omnes, ſed nulli eorum ſucceſſit: ſed cum ad *Columbi* manus veniſſet, *ipſe ovum altero ejus faſtigio menſæ illiſo, & leniter quaſſato rectum firmumq; conſtituit.* Ea res omnium animos verecundiâ pupugit, *poſtquàm illis patuit, quid ſibi vellet, nimirum id, quod primus ipſe tentâſſet, jam apertum omnibus & factu facile eſſe*

* *Ex Lib. Petri Martyris Mediolan. de Indiâ Occident.*

Obiit A.C. 1507.

MARCUS ANTONIUS COCCIUS SABELLICUS.

Filius fabri ferrarii.

Natus eſt in villâ *Varronis*, viâ *Valeriâ* ad *Anienem* fluvium, qui ex *Trebianorum* montibus ortum ducens in *Tyberim* ſupra *Romam* illabitur. Pater ejus fuit faber ferrarius, homo plebejus & ſuâ arte victitans, facultatibus præditus non admodùm magnis, quas tamen lubenter impendit, ut filius liberaliter inſtitueretur, quem mirâ ingenii promptitudine & diſcendi cupiditate ferri animadvertebat.

Ludimoderator apud Tiburtes.

Puer brevi temporis ſpatio tantum in bonis literis profecit, ut adhuc imberbis apud *Tiburtes* juventutem in Scholâ publicâ inſtituerit ſummâ felicitate, ſimulque alios docendo ſe ipſum inſtituebat in omnium artium liberalium ſcientiâ, in quibus tantos fecit progreſſus, ut à literatorum Collegio *Romam* ſit accerſitus *Pomponii Læti* ſollicitatione, qui eo tempore primum locum *Romæ* inter eruditos obtinebat.

Romæ Laureâ coronatur, & Sabellicus cognominatur.

Is *Coccium* obtulit ſodalitio doctorum, qui illum ſolenni cæremoniâ & communi omnium conſenſu ſacrâ Laureâ in Quirinali coronârunt, illique Sabellici nomen indiderunt. Moris enim erat, ut qui Laureâ *Romæ* coronaretur, nomen mutaret. In eâ Scholâ, quod cenſura literarum acerrimis judicum ingeniis ageretur, multum ſibi de inconditâ & ſubagreſti Latinæ orationis exuberantiâ detraxit. Non multò poſt *Româ* excedens, in oppido *Utino* non procul ab *Aquilejâ* nobiles regionis adoleſcentes informavit.

Utini nobilium Præceptor.

Hiſtoricus Reip. Venet.

Partâ demùm nominis famâ à *Vicentinis* duplicato ſtipendio conductus, nec diu ibi manſit, evocatus à Senatu *Veneto* eâ conditione, ut Civitatis res geſtas à fine Ducis *Juſtiniani* deſcriberet, & Scholas publicas moderaretur, conſtituto illi trecentorum ciquinorum aureorum ſtipendio. Ibi poſtquàm aliquot annis ſummo omnium applauſu docuiſſet, & à *Beſſarione* Cardinali *Niceno* Bibliothecæ ſuæ (quam libris ex *Græciâ* in *Italiam* comportatis *Venetiis* inſtructiſſimam erexerat) præfectus eſſet, jam ſenex in ſcorti cujusdam amorem illectus, tamdiu turpi *Veneri*, cui aſſuetus erat à juventute, operam dedit, donec morbo *Gallico* lethaliter afflictus magno omnium dolore extinctus eſt, anno æt. 70. Chriſti 1507.

Bibliothecar. Beſſarionis.

Obiit morbo Gallico.

Ideò de eo quidam ſcriptum hoc diſtichon reliquit:

In Venere incertâ tamen hic contabuit, atque
Maluit Italicus Gallica fata pati.

De Sepulchro vivens & incolumis tempeſtivè ſibi cavit, degeneri filio diffiſus, quem ex concubinâ ſuſceperat, compoſitumque à ſe hoc diſtichon lapidi ſepulchrali inſculpi curavit:

Epitaphium.

Quem non res hominum non omnis ceperat ætas
Scribentem capit hæc Coccion urna brevis.
M. *Ant. Coccius Sabellicus* vivus ſibi F.

Johannes Pierius Valerianus in ſuis Hieroglyphicis ſcripſit, quod *Sabellicum* hunc de ſe affirmantem audiverit, quoties noctu excitaretur, aliquandiu & libros & cubiculum univerſum liquidè diſcernere ſe potuiſſe.

Opera ejus erudita hæc extant:

Scripta.

Hiſtoria de geſtis Venetorum Libris 33. Rhapſodiæ Hiſtoricæ Enneades II. Tria magna Hiſtoriar. Volumina à mundi initio ad An. C. 1504. Exemplorum Ethnicorum & Chriſtianorum per omnes gentes factis dictisque inſignium Libri 10. Epiſtolarum familiarium Libri 12. Orationes 21. De rerum artiumq; Inventoribus.


CONRADUS CELTES.
Poeta Excellentiſsimus


HERCULES STROZZA.
Poëta et Conſil. Ducis Ferrariæ


PHILIPPUS COMINAEUS
Historicus Gall.


BAPTISTA MANTUAN.
Carmelit. Ord. Poëta.


IOHAÑ. TRITHEMIUS
Abbas et Magiæ Natur. perit.


LUDOV. CELI'RHODIGIN'
Lingv. Græc. et Lat. P. Mediol.


RAPH. MAFFE. VOLATERRA
Philologus et Historic.


CHISOPHOR' LONGOL.
Belg. Orator


MARC' ANTONI' CASANO
Poëta Romanus.


ALBERT' DÜRERUS
Math. Pictor et Sculptor Nor.


NICOLA' MACHIAVELL'
Historicus Florentinus.


IOH. CUSPINIANUS
Histo. et Imp. Maxim. Conſil.


PETR' POMPONATIUS.
Philosoph. Bononienses.


IACOB' SANNAZARI'
Poëta Neapolitanus.


IOH. MARI' CATANEUS
Poëta et Philolog. Novariens.


IOHAN. STÖFFLERUS
Mathemat. Tubingensis.

bus. De ſitu Urbis Venetæ Libri 3. Genethliacum Urbis Venetæ. De Venetis Magiſtratibus Lib. I. De Pretoris officio Lib. 1. De officio Scribæ Lib. 1. De apparatu Urbis Venetæ. De ortu & vetuſtate Vincentiæ. De vetuſtate Aquilejæ. De tumultu Italiæ. De luctu Coriolani. De munitione & cæde Sontiacâ. De incendio Carnico. De Barione cymbâ. De origine Hunni vel Utini. De laudibus Deiparæ Virginis Elegiæ 13. De reparatione linguæ Latinæ Libri 2. Annotationes in Plinium, Livium, Valerium Maximum, Lucanum, Papinium, & Catullum, quæ Priores dicuntur. Item poſteriores in Plinium, Ciceronem, & Argonautica Flacci, & interpretatio Paraphraſtica in Suetonium Tranquillum.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii; & ex Vitis 50. Viror. doctrinâ illuſtr. Joh. Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A.C. 1508.

CONRADUS CELTES.

C*Onradus Celtes Protucius, Suinfurti in Franconiâ* natus menſ. Febr. An. 1459. Cum varias *Germaniæ Italiæq;* Academias ſtudiorum gratiâ pervagâſſet, primus apud *Germanos* manibus Imp. *Friderici III.* in arce *Noribergenſi* Laureâ Poëticâ coronatus eſt *Noribergæ* in Comitiis, 18. April. A. 1487. quæ adhuc hodiè *Viennæ*, ubi docuit, adſervatur. — *Poëta Laureatus.*

Indè ad peregrinationes rurſus converſus, 15. tunc Academias *Germaniæ* diſcendi cupidus perluſtravit.

PrimusComœdias & Tragœdias publicis in theatris veterum more exhibuit, primus eloquentiam *Rom.* cum rudimentis linguæ *Græcæ* in *Germ.* induxit. Obiit *Viennæ Auſtriæ* 4. Febr. A. 1508. æt. 49. — *Moritur.*

Scripta. Scripſit: *Libros amorum. Quatuor vitæ circulos. Quatuor libros Carminum. Quinque libros Epigrammatum. Parnaſſum bicipitem, quo Poëtas & Theologos conciliat.*

Cum multas Urbes *Germaniæ* perluſtrâſſet, in unius *Norimbergæ* tantam pervenit admirationem, ut de eâ peculiarem librum confecerit. Circa an. 1495. *Ingolſtadii* in gymnaſio poëſin & oratoriam publicè docuit. Amicos præcipuos habuit *Joh. Dalburgium*, Epiſcop. *Wormat. Joh. Tritbemium, Abb. Spanheim. Joh. Vigilium*, J.C. *Andr. Stiberum*, & *Joh. Stabium*, Mathematicos & Theologos, *Andr. Pegaſum Polonum, Sebaldum Calamoſium, Hartmannum Eptingum, Philippum Callimachum*, Poëtam *Florent.* Aſtronomus fuit & Coſmographus inſignis.

Tria eſſe ingeniorum genera dixit, *Bonos*, qui aliorum ſcripta interpretentur, *Meliores*, qui exotica transferrent, *Optimos*, qui nova cuderent.

Hortanti aliquando ut indoctum Doctorem ſalutaret, reſpondit: *Doctos quærimus, Doctores plures habemus.*

Obiit A.C. 1508.

HERCULES STROZZA.

Poëta. F*Errariæ Tito* Poëtâ patre genitus, A. C. 1471. natus die 2. Sept. Patrem longo intervallo Carminum nobilitate ſuperavit: illuſtri enim quodam lepore ſolertis ingenii in aulâ Principis adeò clarus eminebat, ut præter gravioris conſilii munera Theatralium etiam Ludorum, & omnis elegantiæ arbiter cenſeretur: nec quicquam de cultu corporis ſumptuoſisq; munditiis & ſplendore vitæ Ateſtinis juvenibus concederet. Sed amatoriis vanitatibus intemperanter deditum, impotens ille hominum Dominator Cupido præcipitem dedit. — *Conſiliar. Duc. Ferrar.*

Concepti ſiquidem amoris inſaniam adeò perditis ſenſibus alebat, ut multâ ac eruditâ largitione, tenerrimisque Carminibus ſummi nominis matronam colere aliquantò procacius quàm liceret, minimè vereretur. Quâ improbitate gravis quibusdam in arcano eſſe cœperat, cum tot illecebræ unâ illâ morum eleganti libertate malè tegerentur, quanquàm luxato olim poplite claudus, nec alioquin planè formoſus eſſet, cum ille inter jocos cum fœminis ad elevandam cruris deformitatem lepido diceret exemplo, non inſulſam eſſe *Venerem*, quæ *Vulcanum* probè virum quanquàm loripedem libenter admitteret. Sed demùm *Barbaram Taurellam* illuſtrem formâ & natalibus viduam, usque adeò diris auſpiciis adamavit, ut cum rivalem haberet impotentem tyrannum, cum eâ fatales nuptias faceret, ut pudore conjugii repulſus rivalis arceretur. Sed id non tulit vir atrox & ſuperbus, brevique *Hercules* dum à cœnâ domum noctu mulâ reveheretur, interfectus eſt, neque cædis quisquam autorem, ſilente Prætore, nominavit. Obiit *Ferrariæ* An. 1508. ætatis 37. — *Venereus.* — *Claudus & deformis.* — *Uxorem duxit.* — *Interfectus eſt.*

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

PHILIPPUS COMINÆUS.

Obiit A.C. 1509.

E*X* equeſtri familiâ natus A.C. 1446. in *Flandriæ* pago *Comine* vocato, ad fluvium *Liſam* ſito, annis octo primæ juventæ deſerviit cubiculo *Caroli* cogn. Audacis *Burgundiæ* Ducis, ſed arcanis poſteà laceſſitus injuriis ad *Ludovicum XI. Gallorum* Regem *Caroli* hoſtem transmigravit. Idcirco ſæpiùs à *Jacobo Meyero* Hiſtorico transfuga & proditor vocatur, & quod in pluribus Hiſtoriæ ſuæ locis erraverit, accuſatur. — *Miniſter Caroli Audacis Burg. Ducis.*

Eo nomine fuit admirandus, quod nullis inſtructus linguæ Latinæ præſidiis, ſolo rerum uſu peritus, & ex naturali quâdam judicii bonitate temporum eorum geſta memorabilia ſub Regibus *Ludovico XI.* & *Carolo VIII.* ab A.C. 1462. perſcribens, adeò præſtitit, ut ab eruditis omnium Hiſtoricorum diſertiſſimus habeatur. Hæc ejus opera linguâ *Gallicâ* ſcripta *Nicol. Rentzius* ad petitionem *Pauli Jovii* Epiſcopi *Nocerani* in linguam *Italicam* tranſtulit. — *Hiſtoricus ling. Lat. imperitus.*

Lipſius eum *Polybio* Scriptori *Græco* æquavit, & in Notis Politicis cum quovis veterum Hiſtoricorum conferre non dubitavit. Alii modernum *Tacitum* nuncupârunt. Multi Principes in deliciis habuerunt ipſum, ceu rerum gerendarum & Politicæ nego- — *Lipſii de eo judicium.* — *Politicus.*

Uuu uuu uu 3 tia-

gationis Magiſtrum, & incorruptæ veritatis integerrimum aſſertorem.

Hinc in literatorum Concilio ſancitum, ut ſicut *Jovius* in Hiſtoricâ factorum narratione præſtat, *Guicciardinus* in detegendis conſiliorum actionumque cauſis, ita *Comminæus* in dirigendis ad civilem Prudentiam animis ſingulari quodam ingenii bono præcellat. Nulla propemodum extitit *Europæ* Curia, ad quam *Ludovici* Regis ſui nomine non fuerit Orator transmiſſus, nullus *Lutetiæ* Magiſtratus, quem non ſanctè obierit. Ideò etiam à Regis ſui *Ludovici XI.* munificentiâ *Argentoni* oppidi Dominatum adeptus eſt.

Orator Regius.

Dominus Argentoni.

Poſt Regis hujus obitum ab æmulis accuſatus, tanquàm criminis læſæ Majeſtatis Regiæ reus triennali captivitate detentus fuit in *Loſcâ* Caſtello *Bituricenſi*. Sed precibus tandem uxoris *Helenæ* de *Monſereau* exindè *Pariſios* abductus, cum propter adverſariorum potentiam Patronum & Advocatum obtinere non poſſet, ut ipſe produceretur in Senatum obtinuit. Ibi cum Oratione gravi per horas duas habitâ, ſuam judicibus innocentiam declaraſſet, ab omni culpâ & carcere liberatus eſt. Filiam reliquit *Johannam*, quæ nupſit *Renato Pentebriæ* in *Britanniâ* Comiti.

Triennio captivus.

Liberatus.

Ætate tandem & rebus feſſus *Argentoni* Caſtello ſuo, quod uxoriæ dotis nomine poſſedit, in *Pictonibus* vitam beatâ morte finiit 17. Octob. A.C. 1509. ætat. 63. Conditus *Lutetiæ* in Sacello *Auguſtinianorum*, quod biennio ante ſibi cum ſtatuâ appoſitâ ſtruxerat.

Obiit.

Scripſit & edidit:

Scripta:

Hiſtoriam XXXVI. annor. quâ Ludovici XI. & Caroli VIII. Galliæ Regum, itemq; Philippi Boni & Caroli Audacis Burgundiæ Ducum res geſtas complexus eſt idiomate Gallico: quam in linguam Latinam vertit Johannes Sleydanus. Commentaria de Bello Neapolitano, & de Carolo VIII. Reg. Gall. eodem Sleydano interprete.

* *Ex Muſeo Hiſtorico Johannis Imperialis, Philoſ. & Medici Vicent. & ex Theatro Italico Viror. doctor. Hieron. Ghilini.*

Stephanus Paſcaſius, Poëta celebris, Sepulchrum ejus hoc *Epigrammate* inſcripto honoravit:

Gallorum & noſtræ laus una & gloria gentis
Hic, Cominæe, jaces, ſi modo forte jaces.
Hiſtoriæ vitam potuiſti reddere vivus,
Extincto vitam reddidit Hiſtoria.

BAPTISTA MANTUANUS.

Obiit A.C. 1516.

Ex thoro illegit. natus.

Carmelitani ordinis Princeps & Antiſtes, *Mantuæ* ex *Hiſpaniolâ* gente honeſtâ, ſed thoro illegitimo natus eſt 12. April. A.C. 1444. Cum naturam ad Carmen attuliſſet excitatam, ſtudiorum *Hebraicorum* inſatiabili cupiditate flagrans, dum magnus & admirabilis videri in omnibus contendit, Muſis excolendis remiſſius incubuit.

Sed incidit in ea tempora, quibus nullus mediocribus Poëtis locus erat, reperit tamen ſibi æmulum *Cantalicium*, *Conſalvi Magni* res geſtas decantantem. Sed utrumque, deſumto eodem argumento, *Gravina* malæ partæ laudis loco ſtrenuè deturbavit, cum inchoatum Poëma nobile *Pontano* & *Actio* cenſoribus recitâſſet.

Poëta mediocris.

Æmulos habuit.

Cæterùm *Mantuano* ſatis ad laudem fuit, quod per 15. ſæcula neglectos à civibus *Andinos* fontes ſalubriter ebiberit, ſcilicet ut fatali monitu limpidioris ejus aquæ ſiphones *Lælio ac Hippolyto Capilupis* fratribus monſtrarentur. Poëtarum ſui ſæculi dux potius quàm Poëta ipſe ſub vitæ finem defenſionem contra *Criticos* ſcribere coactus eſt, qui ejus Poëmata obeliſcis non inanibus miſerè confoderunt.

Plurimis editis ingenii fœtibus ac imprimis Poëmatibus variis publicatis vitâ exceſſit *Mantuæ* A.C. 1516. æt. 72. Mortuo ordinis ſui monachi prolixè parentârunt, *Fridericus* autem Princeps *Mantuanus* marmoream effigiem cum laureâ poſuit, quæ in arcu lapideo juxta *Virgilii Maronis* ſimulachrum conſpicitur. Undè *Latomus* hoc ei ſcripſit Epitaphium:

Moritur ſenex.

Epitaphium.

In Ponte juxta quos locatos cernitis
Virtutis ergò, Patriæq; gloria,
Uterque Vates, & quidem ortu civis eſt,
Quos cognitos licet tamen ne neſcias,
Alter Maro, alter ille Mantuanus eſt,
Quem nil vetabit & Maronem dicere
Penſare venam ſi poteſt profeſſio.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

Annum nativitatis ejus exprimit hoc diſtichon:

NaſCItVr In terras MonaChVs Baptiſta, ſVosqVe
VatICInâ VersVs e genetrICe bIbIt.
1444.

Scripta:

Scripta.

De beatâ vitâ ad Patrem ſuum. Vita Parthenice. De S. Catharinâ. De Calamitate ſuorum temporum. Panegyricum Roberti & Somnium de eodem. De expugnatione Granatæ. Conſolatio ſuper morte, & de mortis contemptu. De Patientia proſâ oratione. Carmina diverſa, & Epiſtolæ variæ ad diverſos. Orationes. De vitâ Ludovici Bononienſis, & Alberti Carmelitæ. Introductorium ſubtilis Scoti. Contra Poëtas turpiloquos. Lib. Epigrammatum ad Falconem.

JOHANNES TRITHEMIUS.

Obiit A.C. 1519.

Natus eſt in villâ *Tritenheim*, diœceſis *Trevirenſis* 1. Febr. A.C. 1442. quo *Moguntia* civitas in diſſenſione duorum Pontificum capta libertatem perdidit, & ſervitutem incurrit, multis civium in exilium actis. Patrem habuit *Johannem* de *Heidenberg*, Matrem *Eliſabetham* de *Longovico*. 1. Febr. A. 1482. in monaſterio *Spanheimenſi S. Martini Moguntinæ* diœceſeos habitum monaſticum *S. Benedicti* aſſumpſit, & anno ſeq. ejuſdem Cœnobii Abbas electus eſt, *Johanne de Colenhauſen* Abbate ad *Seligenſtatt* Cano-

Monachus S. Benedicti.

Abbas Spanheim.

Canonicâ poſtulatione tranſlato. A. 1504. cum inter Imperium *Rom.* & *Philippum* Comitem *Palat.* bellum atrox fuiſſet exortum, Ipſe hoſtium metu cum ſuâ Bibliothecâ & monaſterii rebus ad *Crucenacum* proximum ſeceſſit oppidum. An. 1506. Monaſterio *Sponheimenſi* monachorum ſuorum odiis excuſſus Abbatiam *Herbipoli* ad S. *Jacobum* ſibi oblatum aſſumpſit.

Abbas Herbipol.

Vir fuit, *Conrado Pellicano* teſte, eximiæ ſtaturæ, valdè humanus, & rerum in naturâ latentium indagator acerrimus, diſciplinarum quoque Mathematicarum & Magiæ naturalis vel ad ſuperſtitionem peritus. Cum aliquando conviva fuiſſet apud *Laurentium à Bibrâ*, Epiſcopum *Herbipolenſem*, ad menſam fortè miniſtrantem *Wilhelmum à Grumbach* adoleſcentem nobilem & Cubicularium Principis intuitus, ejusque lineamenta in facie diligentius contemplatus cum eſſet, converſus ad Epiſcopum dixit: *Adoleſcens iſte* (digito in eum intento) *aut magno commodo, aut ſummo incommodo patriæ olim ſuæ futurus eſt; & ſi hoc, ſupplicio teterrimo vitam terminabit:* quod poſterius eventus docuit. Id autem *Andream à Thungen* Canonicum *Herbipolenſem* virum fide dignum narrantem ſe audiviſſe refert *Thraſybulus Lepta*, vel *Andreas Dinnerus* Jur. Prof. *Altorfinus* ſub nomine ficto, in libro eleganti de vita & rebus geſtis *Georgii Ludovici* Baronis à *Seinsheim* lib. 4. p. 256.

Magiæ naturalis & Phyſiognomiæ peritus.

Maximus librorum amator & cultor plus quàm 2000. flor. pro libris expoſuit, quos non de monaſterii ſubſtantiâ (quæ ſemper valdè fuit exilis) acceperat, ſed, cum multis notus & charus fuiſſet Principibus, munera, quibus honorabatur, ab eis, ut plurimùm ad libros emendos impendit. Habuit in hâc Bibliothecâ ultra 2000. Volumina, quorum ad minus 80. calamo in pergameno & papyro fuère conſcripta.

Librorum amator.

Obiit tandem *Herbipoli* A. C. 1519. (ſecundùm alios 1516.) ætatis 57.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

De vanitate & miſeriâ hujus vitæ. De Computo Eccleſiaſtico. Spirituale Monachorum exercitium. De miſeriâ Prælatorum clauſtralium. De tentationibus clauſtralium, & remediis eorundem. De viſitatione Monachorum. De triplici regione Clauſtralium. De Prænotionibus licitis Chriſtiano & non licitis. Soliloquium hominis ad animam. Laudes S. Andreæ Apoſtoli, S. Joſephi nutritii Domini, S. Benedicti Abbatis, S. Annæ Aviæ Domini, Vitæ monaſticæ, Veræ Pœnitentiæ, Studii Divinarum Scripturarum. Libri 8. quæſtionum, quas illi diſſolvendas propoſuit Maximilianus Cæſar: 1. de fide & intellectu. 2. de fide neceſſariâ ad ſalutem. 3. de miraculis infidelium. 4. de S. Scripturâ. 5. de reprobis & maleficis. 6. de poteſtate maleficarum. 7. de promiſſione divinâ. 8. de providentiâ Dei. Epiſtolarum Sponheimenſium ad diverſos Lib. IV. & Herbipolenſium Lib. IV. Variarum quæſtionum, Orationum, & Propoſitionum Lib. XX. Orationes XXIV. in Capitulis & alibi habitæ. Polygraphia cum clavis ad Maximilianum Cæſ. Steganographiæ Libri VIII. De cauſis & curâ morbi Caduci, & Maleficiorum. Tractatus de Lapide Philoſophico, qui cum Anonymi Tractatu de ſecretiſſimo antiquorum Philoſophorum Arcano A. 1611. editus eſt. Chronologia myſtica de 7. ſecundeis angelis, vel intelligentiis Orbes poſt Deum moventibus, ſuntq; Oriſiel, Anael, Zachariel, Raphael, Samuel, Gabriel, & Michael, quorum quemlibet ſuo ordine ſtatuit mundum gubernâſſe annis 354. & menſibus 4. Chronicon Cœnobii Sponheimenſis & Hirsaugienſis. Chronicon Monaſterii S. Jacobi Herbipoli, quod olim fuit Scotorum. Annales de origine Francorum per annos 1189. à Marcomiro usq; ad Regem Pipinum. Chronicon Ducum Bavariæ, & Comitum Palatinorum. De Ducibus & Epiſcopis Francorum Wurceburgenſium. Catalogus Virorum illuſtrium, qui Scriptis ſuis Germaniam exornârunt. Catalogus Scriptorum Eccleſiaſticorum à tempore Apoſtolorum ad annum ultimum Imp. Friderici III. Itinerarium vitæ ſuæ ad fratrem Jacobum Trithemium.

* *Ex Epiſtolâ Johannis Duraclufii, diſcipuli Trithemii de vitâ & lucubrationibus ejusdem ſcriptâ ad Nicol. Hamerium Emelanum Operibus Hiſtoricis Trithemii præfixâ.*

LUDOVICUS COELIUS RICHERIUS RHODIGINUS.

Obiit A. C. 1520.

GEnte *Richeriâ*, nobili quidem, ſed tenuioris fortunæ *Rhodigii*, Patre *Sylveſtro* natus eſt A. C. 1450. Juvenis in Gymnaſio *Ferrarienſi* poſtquàm literis mitioribus operam dediſſet, & *Nicolao Leoniceno*, Medico celebri Præceptore Philoſophiam Moralem didiciſſet, Veterum Scriptis pervolvendis totum ſe dedit, & intermiſſam aliquot ſæculis commentandi rationem in uſum revocavit.

Philoſophiæ ſtud. Ferrariæ.

Tum doctrinæ famâ *Vicentiam* accitus, ibidem artem Oratoriam publicè docuit, civiumque precibus *Ciceronis Orationem* pro *Milone*, *Homerum*, & *Plinium* univerſum explanavit. Poëticam item docuit, & varias de rebus naturalibus opiniones in medium protulit. Patriæ redditus cum à ſuis, nepote præſertim *Camillo Richerio*, acerbius tractaretur, *Ferrariam* reverſus, ibi ſedem fixit, ab *Alphonſo I.* Duce ad Oratoriæ Facultatis Cathedram delectus.

Orator. Profeſſor Vicentiæ.

Prof. Oratoriæ Ferrariæ.

Hujus porrò Ducis liberalitate cum *Carolo VIII.* Regi *Gallorum* innotuiſſet, *Gallias* peragravit, Bibliothecas antiquas excuſſit, variaque ſibi Adverſaria confecit, quæ amplo opere eruditione referto poſteritati reliquit. In *Italiam* deindè revocatus *Mediolani*, regnante *Ludovico XII. Gall.* Rege, magno honorario, Latinas Græcasque literas publicè docuit. Mutatâ rerum *Italicarum* facie *Venetus* Senatus eum in Gymnaſium *Patavinum* evocavit, ibi reliquum vitæ cœpto ſtudiorum curſu peregit, & multos doctrinæ ſuæ alumnos reliquit, inter quos facilè palmam tulit *Julius Cæſar Scaliger*.

Mediolani Ling. Latinæ & Græcæ Profeſſor.

Patavii libros ſcripſit. Præceptor Jul. Cæſ. Scaligeri.

Tunc inter armorum ſtrepitûs Lectionum ſuarum Antiquarum Libros XVI. elucubra-

cubravit, quos *Venetiis Aldi Manutii* typis evulgavit. Ibi cum aliquandò apud *Aldum Eraſmus Roterodamus* in eum de facie ſibi ignotum incidiſſet, habitis ſermonibus, ille propter elegantiam dicendi *Cœlium Rhodiginum* ſibi adeſſe ſummâ hilaritate agnovit.

Eraſmo Roterod. innotuit Venetiis.

Platonis adeò fuit ſtudioſus, ut ferè omnia ejus axiomata memoriâ teneret, & pro re natâ ſuis miſceret. Pari ſtudio coluit *Ariſtotelem*, cujus Libros Rhethoricos & Politicos publicè ac privatim explicavit: *Epicuro* etiam, quem Phyſicum graviſſimum appellavit, delectatus eſt. *Ciceronem* præ manibus ſemper habuit. Poëtæ omnes in delitiis ipſi fuerunt, quorum aliquot Commentariis explanavit.

Author Lectionum Antiquar.

Scripſit *Lectionum Antiquarum Libros* XXX. quorum XVI. *Aldo* deſtinatos, *Andreas Aſulanus* publicavit: eoſque vivo adhuc authore *Frobenius Baſileæ A.* 1517. edidit. Reliquos XIV. *Camillus* nepos, & *Joh. Maria Garetus* addiderunt, omnesq; ſimul junctos annis 20. poſt authoris mortem, ejusdem *Frobenii* typis evulgârunt.

Obiit Patavii.

Mortalitatem exuit *Patavii* A. C. 1520. ætatis 70.

Sepultus jacet Rhodigii.

In patriam translatæ ejus exuviæ in Clauſtro *S. Franciſci* quieſcunt. Sepulchrum ejus cum poſteà *Germanus* quidam ſine honore Epitaphii vidiſſet, indignabundus extracto pugione ſtrato lateritio inſcripſit: HIC JACET TANTUS VIR.

Hujus rei famâ tanquàm pudore excitatus *Johannes Bonifacius* J.C. & Hiſtoricus clariſs. Civi ſuo ſtatuam cum monumento ære proprio erexit, addito hoc diſticho:

A duplici patriâ nactus cognomina bina
Cœlius in cœlis hic Rhodiginus eris.

* *Ex Elogiis viror. doctor. Jac. Philippi Tomaſini.*

Inſcriptio ſtatuæ ejus à *Joh. Bonifacio* poſitæ hæc eſt:

Ludovico Cœlio Rhodigino,
Ut cujus animi præclara Monumenta
ubique mortales ſuſpiciunt
Illius etiam gratum corporis Monumentum
in Patriâ conſpiciant.
Joh. Bonifacius J. U. D. Sebaſtiani F.
ære proprio P.

RAPHAEL MAFFEUS VOLATERRANUS.

Obiit A.C. 1521.

V*Olaterris Hetruriæ* Urbe ad *Cæcinam* fluvium ſitâ originem ducens, ex gente nobili & autoritate apud ſuos clarâ, primos ætatis annos ſtudiis bonarum diſciplinarum impendens in virum doctiſſimum evaſit, quod ejus Scripta ſatis teſtantur. Vir fuit habitu corporis venuſto, facundiâ elegante, & morum gravitate vitæque ſanctimoniâ clarus. Vixit inter ſuos quietè & præcipuâ admiratione virtutis.

Philologus.

Moritur.

Obiit *Volaterris* in patriâ ſeptuagenarius A.C. 1521. Conditus jacet in templo *S. Lini*, propè ſummum altare, arca marmorea, ubi ejus imago ſaxea incumbens arcæ, quæ oſſa continet, poſita eſt, cum hâc Inſcriptione: *Sic itur ad aſtra.* In arcâ marmoreâ hoc legitur Epitaphium:

Epitaphium.

CHRISTO SERVATORI.
RAPHAELI MAFFEO GERARDI MAFFEI F.
DOCTRINA, PIETATE, AC SANCTITATE CUM QUOVIS ANTIQUO COMPARANDO, UT EJUS INDICANT OPERA EGREGIA, TESTANTUR MIRACULA. VIXIT ANNOS LXX. MENS. XI. DIES VIII. OBIIT ANNO SAL. MDXXI. VIII. KAL. FEBR.
MARIUS MAFFEUS EPISCOPUS CAVALICENSIS FRATRI SANCTISSIMO POS.

Ejus Opera præcipua hæc citantur:

Scripta.

Commentarior. Urbanorum Lib. XXXVIII. Hos vocavit Urbanos, quia in Urbe Româ eos conſcripſit. Oeconomicum Xenophontis ab eo interpretatum. De Principis & Ducis Officio Lib. I. Monodia, ſeu Funebris Oratio Gregorii Nazianzeni Latinitate donata. Inſtituta Monachorum. Procopii Cæſarienſis de bello Perſico & Vandalico Lib. II. De Fide Chriſtianâ Lib. X. Baſilii Oratiunculæ X.

* *Ex vitis 50. Viror. doctorum Joh. Jacobi Boiſſardi.*

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS.

Obiit A.C. 1522.

M*Achliniæ Germ.* inf. opp. honeſto & ſplendido loco natus eſt A. 1488.

An. ætat. 9. *Lutetiam Pariſ.* à parentibus miſſus, ibi celeriter in omnibus artibus ita profecit, ut omnibus admirationi eſſet. Erat enim ingenio præditus omnium diſciplinarum capaci, & quemcunque Scriptorem ſibi legendum propoſuiſſet, eum nunquàm niſi diligenter perlectum dimiſit; memoriâ verò tantâ fuit, ut de pluribus & variis rebus interrogatus, de quibus à multis annis nihil legerat, non minus promptè de ſingulis reſponderit, ac ſi eo die ab eo perlecta fuiſſent: ſi verò quando de rebus à variis autoribus ſcriptis ſermo incideret, ita ſingulorum ſcriptorum verba referebat, ut non memoriter ea pronuntiâſſe, ſed ex autographis legiſſe videretur.

Philoſophiæ operam dat.

Ineunte ætate Philoſophiæ deditus precibus amicorum, qui honoratum magis quàm doctum videre cupiebant, obtemperans 6. annos in ſtudio juris conſumpſit, Præceptore uſus *Philippo Decio*, qui tum *Valentiæ* in *Galliâ* jura docuit. Ab amicis poſteà *Lutetiam*, ut jus ibi exerceret, revocatus, tantam laudem adeptus eſt, ut vix biennium in J. C.rum ſubſelliis verſatus in Centumvirale Conſilium, quod jus vitæ & necis ac fortunarum omnium poteſtatem non in plebem modò, ſed omnes regni proceres habet, admodùm juvenis adlegeretur.

Scripſit Commentarios in Plinium.

Tum *Plinium*, cujus lectioni ſe totum dicaret, delegit, quem ut melius intelligeret, alios etiam authores, ex quibus *Plinius* ſua deſcripſit, evolvit, eumque commentariis in libros XI. priores illuſtravit.

Græcis etiam literis tanto ſtudio incubuit, ut anno nondum elapſo *Græcas* Epiſtolas *ad Guil. Budæum* ſæpè miſerit, in eoque

ſtudio,

ſtudio, Scriptores *Græcos* legendo quinquennium perſeveravit.

Cum verò *Plinius* de ſtirpium naturâ multa ſcripſerit, & nonnulla de piſcibus, in *Narbonenſem* provinciam, ſtirpium & piſcium fertiliſſimam, in quâ anteà jus didicerat, reverſus, in eâ peregrinatione Herbarum Hiſtoriam ſcripſit.

Ut autem eam partem, quâ *Plinius* terrarum orbis deſcriptionem complexus eſt, diligentius elaboraret, totam *Hiſpaniam*, *Britanniam*, *Germaniam*, *Galliam*, & *Italiam* emenſus eſt, ſtatuitque etiam in *Orientem* proficiſci, niſi *Turcorum* arma eum deterruiſſent.

Petro Bembo fuit amiciſſimus, qui perſuaſit eum, ut quinque totos annos in *Cicerone* legendo conſumpſerit, ejuſque ſtylum in ſcriptis ſuis antehàc minus compoſitis aſſumpſerit.

Theologiæ quoque ſtudium plurimùm coluit, & multos autores, qui in rerum divinarum explicatione excellere ſibi videbantur, diligenter evolvit.

In bello *Neapolitano* cum *Ludovico Gallor.* Rege in *Italiam* veniens, militem egit, etſi à robore corporis militari tum adoleſcens multum abeſſet. An. æt. 18. à Rege *Hiſp. Philippo* Secretarius eſt factus.

An. æt. 28. Eruditionis ergò Civitatis *Romanæ* jus adeptus eſt, & à Pontifice *Leone X.* multis honoribus affectus eſt, qui eum in *Palatium* & *Lateranenſis* aulæ comitatum cooptavit, ac in *Rom.* Pontificatûs Scribarum numero eſſe voluit.

Deindè in *Galliam*, ut amicos inviſeret, reverſus, ab iis cum gaudio exceptus eſt, qui magnis ſtudiis eum apud ſe retinere contenderunt. Sed cum recordaretur, quam fidem Pontifici & amicis de reditu dediſſet, brevi temporis ſpatio in Galliâ commoratus, cum prius *Britanniam* viror. doctorum cauſâ perductus adiiſſet, in *Italiam* reverſus eſt, *Pataviumq;* venit, ubi permanſit ſtudiis ſuis inſerviens in contubernio primùm *Stephani Saulii*, nobilis *Genuani*, deindè eo in patriam revocato, in ædibus *Rainoldi Poli* nobilis *Britanni*, cum quo conjunctiſſimè vixit ad finem vitæ ſuæ.

Quanquàm verò ſimul ac de ejus adventu in *Italiam* auditum eſt, *Florentini* in urbem ſuam, ut juventutem doceret, illum invitârint, & in ſingulos annos 25. ſeſtertiorum nummorum millia decreverint, non tamen à ſententiâ ſuâ potuit avelli.

A. 1521. 1. Dec. Cum *Leo X.* Papa mortuus eſſet, non parùm conſternatus decem adhuc menſes in literis *Patavii* verſatus eſt. Tum in *Forum Julium* proficiſci conſtituens, teſtamentum ſcripſit, & *Polo* ſuo cuſtodiendum tradidit. Sed eodem die, qui pro feliciori deſtinatus erat, in febrem incidit ardentem, quo tempore cum literas accepiſſet ab amico ſuo *Hieronymo Savorinano* de morte filii ſui ſcriptas, literas ad eum in mediis doloribus conſolatorias ſcripſit ipſe morti propinquus, quæ paucos poſt dies illum ſuſtulit, cum prius in D. *Franciſci* familiam adoptatus ejuſdem habitu ſepeliri voluerit.

Obiit *Patavii* 7. Sept. An. 1522. æt. 34. *Moritur.*
Sepultus in æde S. *Franciſci*.

Luterianam cauſam, juſſu *Leonis X.* quinque orationibus oppugnare ſuſcepit, quas morte præventus abſolvere non potuit.

MARCUS ANTONIUS CASANOVA.

Obiit A.C. 1527.

HUic patre *Comenſi Romæ* genito arguti Epigrammatis palmam illa ipſa *Roma* detulit, quod lepida Carmina factitaret. Elocutioni tamen caſta puritas, ac in numero ſæpè duro lenitas defuit, cum *Catullo* & *Martiali* ſimilis eſſe vellet. Sed miſcuiſſe utrumque genus tum juvit, cum paucorum verſuum ſpectanda poſteris Elogia priſcis *Romanæ* virtutis heroibus tanquàm manentibus eorum ſtatuis inſcripſiſſet. Nemo autem eo ſimplicitate ac innocenti vitâ melior, nemo urbanâ comitate jucundior exiſtimari potuit, ſeculi ſui *Catullus*.

Poëta lepidus & argutus. *Scripſit Elogia heroum Rom.*

Columniæ familiæ alumnus in gratiam *Pompeji* Cardinalis *Catulliani* dentis virus in Pontificem Max. *Clementem VII.* libertate pernicioſâ ſpargens, & reus Majeſtatis ob id damnatus, clementiâ tamen Pontificis ſponte iterum liberatus ac dimiſſus eſt.

Reus Majeſt. læſæ in S. P. dimiſſus.

Obiit *Romæ* peſtilenti correptus morbo, juxta *Naumachiam, Campi Martii* in Templo *Laurentiano*, olim *Lucinæ* dicato ſepultus A. C. 1527.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

ALBERTUS DüRER.

Obiit A.C. 1528.

NAtus *Norибergæ* 20. Maji A. 1471. Pater ejus fuit *Albertus*, ex vico *Culâ*, propè *Varadinum* civitatem *Hungariæ* natus Aurifaber. Literarum ſtudia non attigit, Geometricas tamen inſtitutiones edidit omnibus pictoribus & ſtatuariis utiles.

Picturæ à pueritiâ deditus, adeò in eâ excelluit, ut Pictores *Bononienſes* laudatiſſimi principatum ei picturæ in toto orbe detulerint, affirmantes jucundius ſe morituros viſo viro tam deſiderato.

Pictorum Coryphæus.

Cum aliquando veniſſet *Venetias*, cum *Joh. Bellino*, Pictore excellenti, amicitiam contraxit, qui præter alia pilorum ſubtilitatem in *Düreri* operibus cum admiratus eſſet, rogavit eum, ut unum è penicillis ſuis, quibus capillamenta duceret, ſibi dono daret. Tum *Dürerus* nihil moratus cum plures penicillos protuliſſet, eligere juſſit *Bellinum*, qui maximè placerent, niſi auferre mallit univerſos. Sed *Bellinus* falli ſe ratus, *Non hos*, inquit, *ajebam, qualibus & ipſe utor, ſed quibus pilos unico ductu pluſculos exprimere conſuevisti.* *Non aliis*, inquit *Dürerus*, *utor, quod ut tibi probem, contemplêre licet: & arrepto uno ex propoſitis penicillo, longiſſimos & flexiles crines, quales mulierum ſunt, ordine & ratione, inſpectante & ſtupente Bellino, produxit, qui poſteà multis confeſſus eſt, nullius mortalium ſermonem, ejus rei, quam oculis vidiſſet, fidem ſibi facere potuiſſe.*

Scripta. Artis pingendi præcepta libris ſcriptis edere aggreſſus eſt, quos *Bilibaldo Pirckheymero* elegantiſſimâ epiſtolâ dedicavit. Sed priusquam abſolvere omnia & correcta edere poſſet, morte ereptus eſt.

Scripſit & præter *Geometricarum inſtitutionum libros*, omnibus pictoribus, fabris ærariis & lignariis, lapicidis ac ſtatuariis neceſſarios, *Tichiſmatica*, in quibus munitiones urbium, ut eorum temporum ratio ferebat, deſcripſit.

Imperatoribus *Maximiliano I. Carolo V.* & *Ferdinando* Regi *Bohemiæ* fuit acceptiſſimus, qui illum annuo largoque ſtipendio foverunt, ac ſummo proſecuti ſunt favore.

Obiit *Noribergæ* 6. Apr. A. 1528. æt. 57. ad S. *Johannem* ſepultus cum hoc Epitaphio: *Quicquid Alberti Düreri mortale fuit, ſub hoc conditur tumulo.*

NICOLAUS MACHIAVELLUS.

Obiit A.C. 1529.

Ling. Latinæ imperitus. Quis non miretur in hoc viro tantum valuiſſe naturam, ut in nullâ vel certè mediocri Latinæ linguæ cognitione ad juſtam rectè ſcribendi facultatem pervenire potuerit? habili ſiquidem & mirabili ingenio cuncta quæ aggrederetur, perficiebat, ſive ſeria ſive jocoſa ſcriberentur.

Hiſtoricus Florent. In Hiſtoriâ gravis & aſtutus ita Patriæ favit, ut diſſimulatis factionum ſtudiis, impellente reconditâ libidine, & lenis & aſper inceſſiſſe judicetur, egregiâ cum laude, niſi *Politicus malus.* prædulcis eloquentiæ mella occulto veneno illita ſingulis operibus infudiſſet: & tum etiam cum optimum Principem formaret, cum bellicis præceptis Ducem inſtrueret, & traditis prudentiæ documentis in deliberando & conſulendo eximium Senatorem effingeret.

Marcelli Virgilii diſcipulus. A *Marcello Virgilio*, cujus notarius & aſſecla publici muneris fuit, *Græcæ* & *Latinæ* Linguæ flores accepit, quos ſcriptis ſuis inſereret. Ipſe quoque naturâ argutus & docilis, ſalſique judicii plenus pedeſtrem patrii Sermonis facultatem à *Boccatii* conditoris vetuſtate diffluentem novis & *Atticis* vinculis aſtrinxerat, ſic ut ille caſtigatior, ſed non purior aut gravior otioſis ingeniis exi*A Mediceis in quæſtione tortus.*ſtimetur. Cœterùm quod olim ejecto *Soderino* à Mediceis in quæſtione tortus fuiſſet, ab his leniendo dolori annuam ſcribendæ Hiſtoriæ mercedem promeruit, ita tamen, ut ægrè compreſſo odio, cum dicendo *Conjurationis Florent. autor.* ſcribendoque *Brutos* & *Caſſios* laudaret, ejus conjurationis architectus fuiſſe putaretur, in quâ *Ajacetus* Poëta, & *Alamannus* eques ex turmâ prætoriâ concepti ſceleris capite pœnas dederunt.

Atheus. Fuit exindè ſemper inops, ut irriſor & atheos, fatoque functus eſt, cum accepto *Obiit à ſumto pharmaco.* temerè pharmaco, quo ſe adverſus morbos præmuniret, vitæ ſuæ jocabundus illuſiſſet, paulò ante quàm *Florentia Cæſarianis* ſubacta armis *Mediceos* veteres dominos recipere cogeretur, circa A. C. 1529.

Scripta:

Scripta. *Hiſtoria Florentinæ ab A.C. 1215. ad 1494. libri VIII. De arte militari lib. VII. ad Laurent. Strozzam Philippi Filium. De Republicâ lib. IV. Diſcurſus ad Hiſtoriam Livii lib. III. expoſiti, totius Reipublicæ ſummam argutè repræſentantes. Vita Caſtruccii Caſtracani Lucenſis. Comœdia Clizia inſcripta. De Viri Principis Inſtitutione. De Senatore Tractatus Lat.*

JOHANNES CUSPINIANUS.

Obiit A.C. 1529.

Natus *Svinfordiæ*, *Franciæ Orient.* oppido. In Academiâ *Viennenſi* Philoſophiæ præcepta didicit, Medicinæ deindè ſtudium adjunxit. A. 1502. Imp. *Maximiliani* juſſu *Johanni Stabio* nobili in maximâ eruditorum concione lauream poëticam contulit.

Abindè Imp. *Maximilianus* eum in Senatum ſuum adſcivit, & in *Hungariam, Bohemiam*, *Poloniamq;* Oratorem miſit, annis *Legatus Cæſareus.* duodecim continuis ejus Conſilio in rebus difficillimis familiariſſimè uſus, ut ſæpè in multam noctem cum eo de negotiis Imperii collocutus: tandem verò fide ejus perſpectâ Senatui *Viennenſi* præfecit.

Habebat inter amicos præcipuè *Joh. Gracchum Pierium*, Virum ſummum in aulâ Imp. *Ejus amici.* *Joh. Stabium*, *Andr. Stibarium* & *Stephanum Roſinum*, præclaros Mathematicos & Philoſophos. Inter omnes autem gratiſſimus illi erat *Joh. Gremperius*, homo feſtivus & mirè lepidus, quo in Legationibus ſæpè Comite uſus eſt.

Quinque annorum ſpatio vicies quaterq; in *Hungariam* Orator ivit.

Corpore præditus erat procero & obeſo, *Statura.* ſed tam eleganti proportione & formâ, ut ei nihil dedecoris craſſities illa afferret: crines erant aurei in ſyncipite rariores, facies nivea, os venuſtum, & ſummam in dicendo ſuavitatem edens.

Cum ad ſcibendas Hiſtorias animum applicuiſſet, ex Cæſaris beneficentiâ omnes *Hiſtoricus celeberrimus.* bibliothecæ vetuſtiores ei patuerunt, ex quibus multa ab aliis prætermiſſa accuratiſſimè deprompſit, de dicendi autem elegantiâ, quâ hiſtoriæ potuiſſent ornari, non admodùm fuit ſollicitus, ſatis eſſe ratus Hiſtorico, ut apud *Ciceronem Catulus* dixit, non eſſe mendacem.

Primùm itaq; Conſules *Romanos* aggreſſus eſt, quos ipſe revidit & emendavit.

Poſteà Imperatores usque ad *Maximilianum I.* perduxit, ſed morte præventus inemendatos reliquit.

Eos *Nicol. Gerbelius* J. C. ex manuſcripto caſtigavit, & in lucem edidit. *Scripta.*

Scripſit & *Hiſtoriam Auſtriæ*, & *Hungariæ tabulam*.

Opera de rebus Germanicis hiſtorica.

De Turcorum origine, Religione & in Chriſtianos tyrannide.

Viennæ obiit ſenex A. 1529.

PETRUS

Claruit A. C. 1530.

PETRUS POMPONATIUS.

Ariſtotelis & Averrois interpres Patavii.

MAntuanus inter Philoſophos Peripateticos illuſtres primum ſuggeſtus locum obtinuit. Enarrabat enim *Patavii Ariſtotelem* ſimul ac *Averroëm* ſuavi voce, cumque decerneret adeò gravi, ut auditores in ſubſelliis ſcriptitando ſententias explicatas notis exciperent. At in coronis conſeſſuque doctorum cum exercitatione perutili ad prætoriam porticum diſputaretur, ita minus evadebat, ut ſæpè ancipiti *Achillini* enthymemate circumventus, ſuperfuſo facetiarum ſale, adverſarii impetum ex illis gyris & mæandris explicatus eluderet.

Philoſophiæ Profeſſor Bononiæ.

Poſt *Achillini* mortem *Bononiæ* profeſſus eſt, & monachos contra ſe in caput & nominis famam vehementer concitavit, edito volumine, quo animas poſt mortem interituras ex ſententiâ *Ariſtotelis* probare nitebatur, ſecutus *Aphrodiſæi* placita, cujus dogmate ad corrumpendam juventutem diſſolvendamque Chriſtianæ vitæ diſciplinam nihil peſtilentius induci potuit.

Animam hom. mortalem ſtatuit.

Bononiæ tandem ſtranguriâ obortâ fato functus eſt anno ætatis 63. relatusque indè *Mantuam* ſepulchrum *Herculis Gonzagæ* Cardinalis erga civem & magiſtrum liberali pietate promeruit.

Jani Vitalis in eum *Epigramma*:

En animarum ingens globus, en legio omnivagantum,
Quas tu perpetuâ luce carere negas:
Mortuum ut diſcas æternam hos vivere vitam,
Ad cineres ululant, Pomponiate, tuos.

* *Ex Elogiis Viror. doctorum Pauli Jovii.*

Obiit A. C. 1530.

JACOBUS SANNAZARIUS.

EQueſtris Ordinis Poëta *Neapoli* natus & educatus, cum præclarum fœcundi & felicis ingenii ſpecimen daret, repudiato avito gentilitioq; nomine *Actius Sincerus* appellari voluit, adhortante *Pontano*, qui *Joviani* cognomen, amicorum invitatione, aſſumpſerat. Stirpis ſuæ originem à *Sancto Nazario* agri *Laumellini* oppido inter *Padum* & *Ticinum* duxit.

Conſiliarius Hiſpan.

Ferdinandi Regis *Arragoniæ* Conſiliarius floruit amicitiâ *Federici* Regis *Siciliæ*, *Ferdinandi* filii, quem regno pulſum & exulem in ulteriorem *Galliam* conſtanti ſtudio ſecutus eſt. Scripſit tanquàm ambidexter *Italica* ſimul & *Latina* Carmina, pari lepore ſaleque, arridentibus utrinque Muſis. In Scriptis ſuis Pontificum *Romanorum* ſcelera eleganter perſtrinxit. Cum aliquando Medici, præſente *Friderico* Rege *Neapolitano*, de oculorum remediis diſſererent, dixit ille: *Mihi nihil videtur oculis magis conducere quàm Invidia, propterea quod invidi citius aliis proximorum errores animadvertant, & quicquid in proximo viderint majus, quàm re ipsâ ſit, illis appareat.*

Poëta.

Manus egregiam.

Pro ſingulis Hexaſtici ſequentis verſibus centenos aureos à Senatu *Veneto* dono datos accepit, referente *Joh. Baptiſtâ Criſpo* in Vitâ *Sannazarii*, qui id ab *Aldo Manutio* audiviſſe ſe ſcripſit:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Urbem, & toto ponere jura mari.
Tunc mihi Tarpejas, quantumvis Juppiter, arces
Objice & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers, urbem aſpice utramq;
Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

Supremum morbum concepit ex dolore, quod *Philibertus Arantius*, Dux bellicus Imp. *Caroli V. Margillinæ* villæ ſuæ delicias ad montem *Pauſilypum*, temerè exciſâ turre, deformâſſet. Cum verò paulò poſt nuntium percepiſſet de *Arantio* in prœlio occiſo, *Nunc lætus moriar*, dixit, *quia barbarus ille Muſarum hoſtis immanis injuriæ pœnas dedit.*

Obiit *Neapoli* A. C. 1530. ætatis 70. Sepultus cum ſuâ *Caſſandrâ* conjuge, ſummæ virtutis & eruditionis muliere, juxta villam *Mergillinam*, in templo, quod ſuis ſumptibus condidit, & Virgini Deiparæ dedicavit. In eo juxta altare ſepulchrum ipſius ex marmore ſitum eſt, inque eo effigies ejus cum hoc *Petri Bembi* Epitaphio:

Accius hîc ſitus eſt, cineres gaudete ſepulti,
Nam vaga poſt obitum umbra dolore caret.
Da ſacro cineri flores, hîc ille Maroni,
Sincerus, Muſâ proximus, ut tumulo.

VIXIT ANNOS LXXII. M. I. D. XXIX.

Scripſit:

Scripta.

De Partu Virginis Lib. III. inſigne Poëma 20. annor. limâ perpolitum. Lamentationem de morte Chriſti. Eclogas V. Piſcatorias. Elegiarum, & Epigrammatum lib. III.

* *Ex Paulo Jovio de vitis Viror. doctorum.*

JOHANNES MARIUS CATANÆUS.

Obiit A. C. 1530.

PAtriâ *Novanienſis*, *Merulæ Demetriiq;* diſcipulus, cum juſtas ex utrâq; linguâ facultates comparâſſet, collectâ non mediocris eruditionis famâ *Romam* ſe contulit, in domoque *Bendinelli Sauli* Cardinalis huic ab epiſtolis operam præſtitit. Poëſis demùm amore jam planè ſenex correptus, parùm felici libidine carmina ſalebroſa & diſtortis numeris luxata, pietatem tamen arguentia ſcripſit, quod apparet ex *Gothefridi Bullionii* Sacro bello ſub titulo *Solymidos* decantato.

Secretar. Card.

Poëta ſenex.

Id opus cum alieni ingenii judicium ſubiturus ad Card. *Bembum* detuliſſet, is lecto ſtatim titulo, hilari comitate, Nunquàm *Catanæe* putâſſem, inquit, te alioquin virum de utrâque linguâ benè meritum hâc ipsâ, quâ nos gaudemus carminum facultate valuiſſe, cum nihil omninò ad quod Muſæ arridcant, in ſevero & militari vultu tuo emineat. Quo verbo ille perſtrictus argutè reſpondit: *Ergò nec tu Bembe ſatis peritus Phyſiognomus videri potes, cum te Philomuſi Poëtæ gratiâ tuâ florentis à dedolatis ruditer maxillis & repando naſo enormis vultus deceperit:* quo reſponſo omnibus exortus eſt cachinnus; quod Philomuſus Poëta ſuavis *Bembo* ſodalis

Card. Bembi de eo judicium.

lis è patriâ *Piſauro* veſpillonis ſenis buxeam faciem referret.

Rediit deindè ad pedeſtrem orationem, & perſcripſit duos exactæ eruditionis *Dialogos, de poteſtate & curſu Lunæ & Solis, & de Ludis Romanis*: Sed ingruente fatali morbo abſolvi nequiverunt. Obiit enim *Romæ* A.C.1530. adeò celatâ morte, quod ita impetrandis Sacerdotiis ex morâ caveretur, ut ſepulchri & funeris honore caruerit, cum ab Academicis ad Vetulonias aquas ſeceſſiſſe crederetur.

Funeris honore caruit.

Petri Myrtei Epitaphium:

Vide, Viator, quanta jactura occulti
Eſſet ſepulchri, in ingeni ſui claris
Perenniorибusque monimentis teſtus
Adhuc ubique viveret Catanæus.

Scripta:

Scripta. *Commentar. in Plinii Cæcilii Secundi Epiſtolas. Luciani Dialogi tres Latinè converſi. Genua carmine deſcripta. Gotfridi Bullionii Sacrum bellum, titulo Solymidos. Dialogi de poteſtate Solis & Lunæ. de Ludis Romanis.*

* *Ex Elogiis Virorum literis illuſtrium Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1531.

JOHANNES STÖFFLERUS.

J*Uſtinge* in *Sueviâ* natus, obſcuro loco, A.1452. die Decemb. Matheſin, in quâ ad miraculum excelluit, *Tubingæ* docuit.

Fuit *Sebaſtiani Münſteri*, Coſmographi, Præceptor, qui Præceptoris hujus ſui animum ita ſibi conciliavit, ut quicquid ingenioſè elucubraverat, ei deſcribendum dederit. Quæ res tam Præceptori, quàm Diſcipulo profuit: Omnibus enim libris & inſtrumentis *Stoffleri* incendio fortuito *Tubingæ* conſumptis, nihil illarum lucubrationum evaſiſſet, niſi multa *Münſterus* deſcripta aſſervâſſet.

Sethus Calviſius in ſuâ Chronologiâ refert, quod diu ante mortem ſibi ex caſu quodam periculum vitæ imminere præviderit, ideoque paucis ante mortem diebus viros aliquot doctos in Muſæum ſuum vocârit, quorum colloquiis delectaretur: ortâ autem inter illos diſceptatione, cum *Stofflerus* librum quendam, qui controverſiam dirimeret, ex alto demitteret, repoſitorium librorum fractum capiti ipſius grave vulnus inflixit, ex quo mortuus eſt *Tubingæ* 16. Febr. A. 1531.

Moritur. Alii referunt, eum peſte obiiſſe *Blaubeurli* 16. Febr. 1531. æt. 80. & *Tubingæ* ſepultum.

Epitaphium, continens annum mortis:

ConDItVr hIC fato fVnCtVs StofLerVs aCerbo
TerreſtrIs gnarVs SIDereæqVe pLagæ.

Scripta. Edidit *Ephemeridum opus, ab an. 1532. ad annum 1552. Tabulas Aſtronomicas. Calendarium Romanum magnum. Spheram Coſmographicam. Eclipſium prædictiones.*

Obiit A.C. 1533.

LUDOVICUS ARIOSTUS.

N Obili genere *Ferrariæ* natus, cum paterna hæreditas inter numeroſam fratrum ſobolem diducta ipſi pertenuis obveniſſet, ingenium in literis vigilanter exercuit, ut familiæ nomen tueretur. Sed pari gloriæ ſtimulo excitatus inter primos *Hetruſcæ* linguæ Poëtas celebrari, quàm inter Latinos in ſecundis gradibus conſiſtere maluit.

Poëta Hetruſcus.

Adhæſit comes *Hippolyto Ateſtino* Cardinali in *Pannoniam* profecto, quum ille erudito ac illuſtri comitatu apud Reges *Hungaros* ambitioſè gauderet: ſed iterum euntem cum ſequi recuſâſſet, usque adeò graviter offendit, ut penè implacabilis odii diſcrimen adierit. Receptus indè eſt ab *Alfonſo, Ferrariæ* Principe, tanquâm horarum omnium amicus & ſodalis, cujus benignâ manu urbanam domum exſtruxit, peramœnâ hortorum ubertate frugi menſæ quotidianos ſumptûs adæquantem.

Vixit in aulâ Alfonſi Ferrariæ Ducis.

In eo autem civili ocio extra aulæ ſtrepitum Poëmata factitavit, Satyras imprimis mordaci ſale conſperſas, & Comœdias plures theatrali voluptate ſæpè repetitas: inter eas autem maximè Suppoſiti excellunt, inventionis amœnitate cum *Plautinis* contendentes, ſi utriusque ſeculi mores comparentur. Sed operum ejus optimum id Volumen exiſtimatur, quo *Orlandi* fabuloſi Herois admiranda bello facinora octonario modulo decantavit, *Boiardo* & *Pulcio* egregiè ſuperatis. Cuncta enim evolviſſe volumina videtur, ut ſibi undique collectâ gratiâ ex jucundis floribus pulcherrimam ac perennem coronam intexeret.

Scripſit Satyras & Comœdias.

Autor Orlandi furioſi.

In hoc Opere Hiſtoriam ſcripſit 12. Parium *Franciæ* & *Caroli Magni* Regis *Francorum*, tam appoſitè & doctè, ut omnes eruditi librum hunc ſibi legendum proponant. Fuit is translatus in *Gallicum* & *Hiſpanicum* idioma.

Moritur. Obiit in patriâ, cum diu pectoris anguſtiâ ex pituitæ ſtillicidio laborâſſet An. C. 1533. ætatis 69.

Guil. Rovillius in Promptuario Iconum inſigniorum lib. II. floruiſſe eum ſcribit tempore *Herculis Eſtenſis* Ducis *Ferrariæ* circa An. C. 1540.

Obiit A.C. 1533.

LEONICUS TOMÆUS.

E*Pirotâ*, Patre *Venetiis* genitus, ſed *Patavio* inſitus civis, cum *Florentiæ* Græcas literas ſub *Demetrio* didiciſſet, primus Latinor. Philoſophor. *Patavii Ariſtotelem* Græcè interpretatus eſt, exploſâ penitus Sophiſtarum & Barbarorum diſciplinâ. Vita ejus procul à contentione, ambitioneque in ſtudioſo molliqué otio verſabatur, ita, ut domi quàm in Scholâ clarior benevolis vera Peripateticor. & Academicorum dogmata ſuavi comitate pomeridianis horis explicaret. Aluerat domi gruem, de manu ipſius cibaria capientem per 40. annos. Is ſenio tabefactus cum periiſſet, prædixit nullo laceſſitus morbo, ſe non multo poſt adamati gruis fatum ſecuturum. Celebs *Patavii* obiit A. C. 1533. ætatis 73.

Philoſophiæ Profeſſor Patavii.

Moritur.

Patavini, cultrixque Gymnaſii juventus funus



LUDOVICUS ARIOSTUS
Poeta Hetrus.



LEONICUS TOMÆUS
Philosoph. Prof. Patavii



IOHANNES AVENTINUS
Historic, Bavar.



D ERASM' ROTERODAM
Philolog. ex et D Phoenix



ANDREAS NAUGERIUS
Historicus Venetus.



FRANC' GUICCIARDIN'
Historicus Florentin,



HELI' EOBAN' HESSUS
Poe et Histor Prof. Marb.



ALARD' AMSTELRED'
Philosoph. Lovaniensis.



SIMON GRYNEUS
Theol et Philosoph. Basileen



NICOLA' CLENARD'
Philologus Hispan



ANGEL' BEOLCUS
Philolog. Patavin,



NICOLA' COPERNIC
Mathematic, Boruss.



ALBERT' PIGHIUS
Mathemat Pract. utriusq:



IOH LUDOVIC' VIVES
Theol. Philolog. et Philos.



MARI' MOLSA
Poëta Latin et Hetrusc,



POMPONI' GAURICUS
Poeta

funus ejus ornavêre. Sepulchrum autem Card. *Bembus* faciundum curavit, & carmine nobilitavit.

Naturæ ſi quid rerum te fortè latebat,
Hoc legis in magno nunc Leonice DEO.

Scripſit:

Scripta. *Commentar. in parva Naturalia Ariſtotelis. Quæſtiones aliquot utiles, & in his de Intellectu, de Alicâ, & de Aſtragalo. Lib. de variâ Hiſtoriâ, quo peramœna reconditæ lectionis copia exprimitur, & omnes ejus ætatis ſtyli jucunditate ſuperavit.*

* *Ex Elogiis Viror. doctorum Pauli Jovii.*

JOHANNES AVENTINUS.

Obiit A.C. 1534.

IN oppido ſup. *Bavariæ Abuſinâ*, veteribus *Aventinio*, vulgò Abensperg/natus Anno 1466. Patrem habuit *Johannem Thurmair*, pandocheum ejus oppidi.

Philoſophiæ Magiſter. *Lutetiæ Pariſiorum* Præceptorem nactus *Jacobum Fabrum Stapulenſem*, & *Jodocum Clichthoveum* Magiſter creatus eſt.

A. 1503. è *Galliâ* reverſus, *Viennæ* privatis auditoribus libros aliquot oratorios & poëticos prælegit.

Cracoviæ Profeſſor, & Ingolſtadii. A. 1507. *Cracoviam* profectus, ibi Grammaticam Græcam publicè legit, & Mathematicis operam dedit. A. 1509. *Ingolſtadii* Rhetoricam cum laude profeſſus eſt.

Præceptor Princip. Bavar. A. 1512. *Monacum* vocatus, *Ludovici* & *Erneſti* fratrum Principum *Bavariæ* Præceptor conſtitutus eſt. Quo officio defunctus Annales *Bojorum* ſcribere cœpit. Hinc conatus ejus Ducibus *Bavariæ Wilhelmo Ludovico* & *Erneſto* ſumptibus ſuis juvantibus utramque *Bavariam* perluſtravit.

An. ætatis ſuæ 64. cœlebs adhuc uxorem duxit *Suevam*, mulierem moroſam, ex quâ filium ſuſcepit *Carolum*, in infantiâ mortuum, & filiam *Giſelam* ſuperſtitem. Antequàm eam duxiſſet, cum *Oswaldo Rulando* & *Eraſmo Brimſio* conſultavit, Senium miniſterio opus habere dicens.

Scripta. Cum bonam partem patrimonii ſui perluſtrando *Germaniam*, *Galliam*, *Italiam*, *Sarmatiam*, & *Pannoniam* exhauſiſſet, & varia ad Propoſitum ſuum idonea collegiſſet, *Annales Bavariæ VII. Libris Latinè conſcripſit*, quorum majorem partem *Ratisbonæ* apud D. *Eraſmum Brimſium*, quædam etiam in patriâ abſolvit.

A. 1529. *Ratisbonâ* in patriam reverſus, cumprimùm ædes ſororis *Abuſinæ* ingreſſus eſſet, captivus (quam ob cauſam ignotum) abductus, per aliquot dies in vinculis detentus eſt; ſed paucis poſt diebus, mandato Principum *Bavariæ*, nullâ infamiæ notâ prorſus illatâ dimiſſus.

An. 1533. *Ingolſtadium* evocatus à *Leonhardo ab Eck*, ut filium ſuum *Oswaldum* inſtitueret, cum eò veniſſet, *Petro Apiano* familiariter uſus.

Moritur. Sub finem anni ejusdem *Ratisbonam* veniens, ut uxorem cum filiâ infante ſecum *Ingolſtadium* aveheret, ibi morbo correptus exſpiravit 9. Jan. An. 1534. æt. 68. in æde D. Heymerani ſepultus.

Staturâ fuit mediocri, corpore obeſiore, barbam crocei coloris ſubter genas alebat, ſupra radebat omnem. Perſonam philoſophicam referebat, non delectatus ſodalitio multo, in converſatione tamen affabilis, in familiâ ne puero quidem moleſtus erat.

DESIDERIUS ERASMUS

Obiit A.C. 1536.

EXtra conjugium natus eſt *Roterodami* in *Hollandiâ* 28. Octob. A. 1465. Patre *Gerardo* dicto, Matre *Margarethâ*, filiâ cujusdam Medici. Puer vocatus *Gerardus Gerardi*, more *Belgis* familiari adſcivit ſibi nomen *Deſiderii Eraſmi*. Cum duodecim annos natus, *Daventriæ* ſcholam frequentavit, Præceptor *Alexander Hegius Rudolpho Agricolæ* fortè ingreſſo diſcipulorum ſcripta oſtendit, qui *Eraſmicum* ſcriptum cœteris prætulit, ex eoque accerſito pauca ſciſcitatus conſideratâ cœptis figurâ, ad diſcendum eum hortatus eſt addens: *Tu eris olim Magnus.*

Fit Monachus. Adoleſcens à Tutoribus & amicis perſuaſus, invitus licet, in monaſterium *Emaus* juxta *Gaudam* Canonicorum regularium ſe contulit, & in eo vivendi genere aliquandiu vixit animo & corpore ab eo alienus, donec ob eruditionis famam ab Epiſcopo *Cameracenſi Henrico à Bergis* evocatus, in ipſius familiam, ſervato tamen habitu, conceſſit.

Docet in Acad. Cantabrigienſ. Tum *Lutetiam* & indè in *Angliam* diſceſſit, & in Acad. *Cantabrigienſi* aliquandiu docuit.

Theol. D. Demùm *Italiam* petiit, & in itinere *Taurini* in *Alpibus Cottiis* Theol. Doctor renunciatus eſt A. æt. 40.

Dum *Bononiæ* volumen Adagiorum pridem cœptum abſolvit, veſtitum Canonicorum cœnobiticum, quo hactenus uſus eſt, mutare coactus eſt, eò quod peſte tum graſſante à plebe pro curatore peſte laborantium habitus conviciis, ſaxis & fuſtibus impetitus vitæ periculum ſubivit: ideò à ſummo Pontifice impetravit, ut veſtem religioſam ad libitum deponere ſibi liceret.

Tum *Alexandri Jacobi Scotorum* Regis filii in Rhetoricis Præceptor factus, cum eo *Senas* & *Romam* adivit, ibi ſummo literatorum etiam Cardinalium plauſu exceptus eſt.

Ex *Italiâ* in patriam, & tandem *Baſileam* profectus, omnia ibi ſcripta edidit inter alia Novum Teſtamentum Græcè, ob quod *Monachorum* odium in ſe concitavit.

Conſiliarius Caroli V. A. 1520. *Coloniæ Caroli V.* Imp. Conſiliarius factus eſt.

A. 1529. *Baſileâ Friburgum Briſgoiæ* oppidum commigravit, ne religionem mutatam videretur probare.

A. 1536. *Baſiléam* reverſus, per *Rhenum* in patriam deſcendere cupidus.

Moritur. Interim articulari morbo miſerè divexatus accedente dyſenteriâ *Baſileæ* in ædibus *Hieronymi Frobenii* vitâ exceſſit 12. Julii A. 1536. ætat. 70.

Teſtamento pauperibus trifariam conſultum voluit, invalidis ſenioque confectis,

virginibus elocandis, quibus dos deeſſet mariti conciliatrix, & bonæ ſpei ſtudioſis fovendis.

Clar. A. C. 1540.

ANDREAS NAUGERIUS.

Venetus patritii ordinis, *Sabellico Venetiis* profitente, Latinas literas, Græcas autem à *Marco Muſuro Cretenſi Patavii* hauſit: ſed in Latinis Præceptore diligentior candorem antiquæ puritatis aſſecutus eſt: ut ex funeribus *Liviani* Ducis, & Principis *Lauredani* laudationibus apparet.

Poëta Martiali adverſus.

Epigrammata lepida ſcripſit, quæ non falſis aculeatiſque finibus, ſed dulci ſuavitate claudebat, adeò *Martiali* ſeverus hoſtis, ut quotannis ſtato die *Muſis* dicato multa ejus volumina tanquàm impura cum execratione *Vulcano* dicarentur. Nec minore felicitate *Hetruſcos* numeros attigit: ſed in *Liviani* contubernio caſtra ſecutus ſtudiorum diligentiam remiſit, & ſalubri quidem remedio, cum ingenium bilis atra veterum lucubrationum vigiliis accerſita haud leviter afflixiſſet.

Liviani caſtra ſecutus.

Scriptor Hiſtoriæ Venetæ.

Propterea ſcribendæ *Venetæ* Hiſtoriæ munus à Senatu demandatum, acceptoque liberali ſtipendio ſuſceptum præſtare non potuit: quanquam non deſint, qui eum in ipſo ſtatim limine feliciter exordientem operis gravitate deterritum exiſtiment. Verùm in eâ cognitione, ut Reip. operam præſtaret, à Senatu *Veneto* ad *Carolum* Cæſarem in *Hiſpaniam* miſſus, infauſtam legationem ſuſcepit, cum in id tempus incidiſſet, quo *Italiæ* Principes ſervitutis metu ad arma conſternati affectanti dominatum *Italiæ Cæſari* reſtitiſſent: ſecundâ autem ſuſceptâ legatione, cum mutatis ad celeritatem jumentis in *Galliam* percurriſſet, vix dum ſalutato Rege in oppido *Bleſio* ad *Ligerim* febre correptus obiit anno ætatis 47.

Legatus Venet. ad Carolum V. Imp.

ad Regem Gall.

* *Ex Elogiis viror. doctor. Pauli Jovii.*

Obiit A. C. 1540.

FRANCISCUS GUICCIADINUS.

Florentiæ Patre *Petro* natus eſt ex nobili familiâ A. C. 1480. In ætatis flore vix ex *Philippi Decii Carolique Ruini* doctrinâ Juris utriusq; lauream emeritus, indè Conſultoris & Advocati in patriâ oneri addictus, & ad *Ferdinandum* Regem *Arragoniæ* Legatus communibus civium ſuorum ſuffragiis delectus eſt A. 1510. quo munere cum honore defunctus poſt biennium.

Jur. Doctor & Advocatus Florentiæ.

Gubernator Mutinæ & Rhegii.

Præſes Galliæ togatæ.

Præfectus Bononiæ.

Florentiam reverſus, *Mutinæ* mox ac *Rhegii* ſuſcepit gubernacula, jubente primùm S. P. *Leone X.* & porrò *Adriano VI. Clemente* verò *VII.* ſic ejus ingenium probante, ut *Galliæ* togatæ Præſidem deſignârit, &, quod in difficillimis ejus ævi bellorum turbinibus egregium erat fidei monumentum, *Bononiæ*, ditionis Eccleſiaſticæ corculo, ſummâ cum autoritate præfecerit.

His obitis magnis muniis, cum poſt obitum *Clementis VII.* patriam *Florentiam* repetiiſſet, ſatur gloriæ & vitæ quietæ amans conditiones honeſtas à S. P. *Paulo III.* ſibi oblatas modeſtè recuſavit, & *Alexandro Medicæo* Duci Conſiliorum arbiter ac moderator adhæſit, at eâ notatus intimioris in ipſum obſequii propenſione, ut ferventius aliquanto in patriæ urbis detrimentum libertatis *Medicæorum* imperio indulſiſſe diceretur. Qui enim inteſtinis infandiſque civium diſſidiis labare perpetim Reip. fundamenta perſpiceret, multò ſaluti publicæ conducibilius optabiliuſque fore arbitrabatur, ſi præſtanti unius duntaxat familiæ dominatui acquieſcerent. At verò acerbius multorum teſtimonio *Franciſci Mariæ Feltrii Urbinatium* Reguli famæ detraxit in Hiſtoriis ſuis, eo, ut ferunt, impulſu, quod cum in expeditione illâ, quâ fœderati *Italiæ* Principes *Mediolanum* invadere cogitârunt, *Feltrius* Pontificiarum Copiarum Legati vicem *Clementis VII.* nomine ſuſtineret, in quodam belli concilio ab ipſo acriter objurgatus, tabidum dehinc impotentis ultionis aluit æſtum, *Feltrii* vel obſcurando gloriam, vel geſta diſſimulando.

Conſiliar. Duc. Florent.

Ducis Urbini famæ detraxit.

Fuit enim is indignationi proclivior, oriſque ductu licet ſuavi, tamen ſevero & gravi, genioque ſupra modum ſalſæ urbanitatis dicteriis repugnante, quorum nullum in totâ vitâ ipſi unquam excidiſſe perhibent quidam. Duo tantùm à Criticis ſunt annotati, quorum nullum meminiſſe vitium videri poteſt, *Johannes Medicæus* & *Gaſto Foiſſeius Gallus*, verùm utriusque juventæ duntaxat memorata facinora anguſtum ſubciſivumq; ipſius calamo ſpatium reliquerunt.

De eo *Lipſius* ita judicat: *Fr. Guicciardinus* prudens perituſque Scriptor eſt, & qui tales lectores ſuos facit, liber eſt, verax & ab affectibus immunis, ſi tamen ab odio, quod retegere mihi non ſemel videtur in Ducem *Urbinatem*. Vitia duo propria hujus ævi non effugit, quod & juſto longior eſt, & quod minutiſſima quæque narret, parùm ex lege aut dignitate Hiſtoriæ. Sed nec Orationes ejus ſatis vegetæ mihi aut caſtigatæ languent, ſæpè aut ſolutè vagantur. Denique uno verbo, inter noſtros ſummus eſt Hiſtoricus, inter veteres mediocris. Hactenus *Lipſius*.

Lipſii de eo judicium.

Moriturus omnem funeris ſui pompam prohibuit, nec Epitaphium ſepulchro ſuo imponi voluit, mortuus *Florentiæ* ex febre malignâ A. C. 1540. ætatis 60.

Scripta:

Scripta.

Conſigli aurei. Avertimenti Politici. Lib. XX. Hiſtoria Italiæ ab A. C. 1494. ad 1532. quo Clemens VII. obiit. Hiſtoriam hanc Italicè ſcripſit ſtimulatus à Jacobo Nardio, amico ſuo intimo: quam accuratâ diligentiâ continuavit Joh. Baptiſta Hadrianus, & ex quo plura ſe, quàm ex quovis alio ſumpſiſſe profitetur. Thuanus Hiſtor. lib. 68.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

Obiit A. C. 1540.

HELIUS EOBANUS.

Tragocemo, quod pagus inter *Francobergam* oppidum & *Haynenſe Noſocomium*

exiguus, cui vernaculâ linguâ nomen **Bok-kendorff**/parentibus obſcuris oriundus, natus eſt A. C. 1488. ſextâ Januarii die Dominicâ, undè & *Helii* aſſumpſit prænomen. Atque hic quidem magnâ vi & animi & corporis præditus *Francoberga* elementa ipſa artium comprehendit.

Francoberga elementa artium comprehendit.

Hinc *Erfurdiam*, quæ tum temporis Academiis præſtabat cœteris, venit, ubi *Picini* & aliorum obſecutus conſilio & voluntati, relicto Medicinæ ſtudio, usque ad annum ferè 1522. Juri Civili navavit operam. At verò, cum animadvertiſſet, id ſtudium genii ſui non eſſe & ingenii, eo neglecto, in reliquarum artium diſciplinis & humanitate ita verſatus eſt, ut impedimenta omnia fortunæ diligentiâ ſuperans & induſtriâ, præſtantiſſimorum quorumque virorum ſtudia & inſignia virtutis aſſecutus ſit & tàm intra parietes, quàm publicè in Academiis, & poſtmodùm *Noriberga*, quo liberali ſtipendio evocatus à Senatu conceſſerat, eam docendo gloriam aluerit, quam acquiſiverunt omninò pauciſſimi, adeò quidem, ut ſuavitate quâdam incredibili perfunderet animos, non perfringeret, certatim ad eundem audiendum accurrerent, omnes & mille quingenti Auditores quandoque operam dederint homini *Erfurdiæ*.

Juri Civili navavit operam.

Mille quingentos Auditores habuit.

Amabant equidem multi exterarum nationum viri doctiſſimi ingenium *Beati Renani*, exoſculabantur indolem *Philippi Melanchthonis*, ſuſpiciebant *Capnionis* Majeſtatem, capiebantur *Hutteni* deliciis: ſed ecce repentè emerſit *Eobanus*, qui, quæ anteà in ſingulis vel amabant vel mirabantur, unus exhibuit omnia, *Germaniæ* noſtræ vel præcipuum decus.

At is variis regionibus externis perluſtratis ludi *Severiani* primùm Rector, & in *Erfurdiana* Academiâ Profeſſor, cum populus in urbis Clerum ſæviret nimiùm, & ipſi cum tumultuoſâ plebe non usquequaque conveniret, A. 1525. *Noribergam* per *Philippum Melanchthonem*, ut ſcholâ in urbe reparatâ civitatis erudiret juventutem, evocari ſe paſſus eſt. Retinere potuiſſent *Erfurdenſes* abeuntem exiguo ſtipendio, qui poſteà magno, & quidem ejusmodi, quod ipſimet ſtatuere luberet, revocandus erat.

Ludi Severiani Rector, & in Erfurdiana Academiâ Profeſſor.

Noribergam evocatus eſt.

Picinus intereà & *Megabacchus* cum *Eobano* egerant, ut *Marpurgum* ſe conferret publicæ lectioni præfuturus ſtipendio annuo 150. aureorum, ſed cum differetur Principis reſponſum, ac putaret *Eobanus* pœnituiſſe Principem vocationis, menſe igitur Majo A. 1533. conditionem *Noricam* rurſus commutavit *Erfurdianâ*. Ideoque licet poſteà etiam Principes, alter *Wittebergam*, alter *Marpurgum* eum deducere ſatagerent, tamen quia jam prævenerant *Erfurdienſes*, tum quidem temporis fruſtrà id fuit.

Verùm enim verò licet tam apud *Noricos*, quàm *Erfurdienſes* luculentâ & commodâ ſatis uſus conditione, tamen etiam alias videre exoptavit ſæpius. Itaque cum anno 1536. *Philippo Heſſorum* Principi è *Sueviâ* reduci, & hoſtibus illic oppreſſis & profligatis gratulatus eſſet, ejusdem per *Ferrarium* accitu in patriam, quod optaverat antè ſæpius, ſe recepit jam ferè ſenex, undè puer exierat.

Cœteroquin *Marpurgi* in Poëſi & Hiſtoriis enucleandis operam poſuit non minus dicendi ubertate & copiâ, quàm rerum ipſarum, de quibus diſſerebat, varietate & elegantiâ, nemini non gratus & acceptus, ut propterea eundem viri extra omnem ingenii aleam poſiti & judicii omninò acerrimi Poëtarum iſto ſeculo Principem & Regem appellare veriti non ſint. Et certè qui ingenii monumenta ſummo labore & ſtudio elaborata legerit, ſumma quæque eidem tribuenda nullus dubitabit.

Marpurgi Poëſin & Hiſtorias docuit.

Tabe tandem conſumptus mortem oppetiit anno æræ Chriſtianæ 1540. tertio Nonarum Octobris non quidem ſatur annorum, utpote, qui ætatis primùm ageret 52. annum, ſed gloriæ, quandoquidem ſuis de laudibus vitâ conſolari poterat occidens. Sepultus autem eſt in cœmeterio D. *Eliſabethæ* ad dextram valvarum templi auſtralium orationem faciente *Dracoalte* SS. Theologiæ Profeſſ. & Eccleſiaſte.

Moritur.

Libros edidit:

Pſalterium carmine elegiaco redditum. Salomonis Eccleſiaſten, Proverbia & Bucolicorum Idyllia fecit 17. carmine elegiaco. Heroides quoque Epicedia illuſtrium & clarorum virorum, ſylvarum libros 9. Urbis Noribergæ & ejus ſpectabilium deſcriptionem. Expeditionem Philippi Landgravii in Suevos. Præcepta de bonâ conſervandâ valetudine. Elegiarum librum. Hymnum Paſchalem. Homeri Iliada carmine reddidit latino, & Theocriti Idyllia 36. Virgilii Eclogas & Georgica auxit Commentariis & illuſtravit, uti & Tabulam Johannis Murmelii de ratione faciendorum verſuum. De Gymnaſii literatorii Erfurdenſis laude & Epiſtolarum familiarium lib. 12.

Scripta.

Tranſtulit prætereà

Coluthi de raptu Helenæ & judicio Paridis Poëmation: Locosq; Homeri inſigniores, Clypeum Achillis: Martis & Veneris Adulterium: Equum Trojanum: Hortos Alcinoi: Therſitem: Ulyſſem & Menelaum: Syrenas: Aten: Litas: Equum Achillis, ejusdem haſtam & alia.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

ALARDUS AMSTELREDAMUS.

Obiit A. C. 1541.

Ab *Amſtelredamo Batav.* emporio ſamoſo, in quo honeſto loco natus eſt, cognomentum induit. *Coloniæ Ubiorum*, & poſt *Lovanii* literis humanioribus operam dedit. Audivit in Theologicis *Ruardum Tapperum*, & *Jacobum Latomum*, primi nominis tum Profeſſores. Græcarum literarum fuit peritiſſimus, & carmina feliciter ſcripſit.

Studioſus Lovanii.

Inter Profeſſores Publicos *Lovanii* receptus eſt, ubi Logicam docuit, & ſcholis illuſtravit.

Prof. Publ.

Omnia *Rodolphi Agricolæ*, aliàs famæ negligen-

gligentis, opera emendata & ſcholiis illuſtrata typis evulganda curavit.

Scripta. Scripſit *Epitomen de Inventione dialecticâ. Lib. de Baptiſmo Chriſtiano. Similia Sacra congeſſit. Hippocratis & aliorum multorum Græcorum interpres.*

Amicitiâ virorum doctorum, *Eraſmi Roterodami*, *Ludovici Vivis*, *Franciſci Craneveldii*, *Petri Ægidii*, & aliorum æqualium floruit.

Sæpè inter ſuos impendentia patriæ mala deflevit, cum belli inteſtini cauſas in religionis diſſidio incluſas viderat.

Obiit *Lovanii* A. 1541.

Teſtamento Bibliothecam ſuam pupillis patrii ſoli legavit.

Obiit A.C. 1541.

SIMON GRYNÆUS.

Circa oppidum *Femigam* in *Suevidâ* à parentibus ruſticis natus eſt A. 1493. Cum veritatem Evangelii eſſet amplexus *Budæ*, ubi aliquot annis Scholæ præfuit, ad monachorum accuſationes in carcerem eſt conjectus, ex quo eum nobilitas *Hungarica* tandem liberavit.

Budæ Ludimoderator.

Ex *Hungariâ Wittenbergam* conceſſit, ibique multa cum *Luthero* & *Melanchthone* ſuper Religionis negotio contulit.

Profeſſor Heidelbergenſis. In patriam reverſus, à *Ludovico* Elect. *Palatino Heidelbergam* ad docendas Græcas literas vocatus eſt A. 1523.

Periculum carceris evaſit. A. 1529. Cum indè *Spiram*, ubi tunc Conventus Imperii Religionis cauſâ habebatur, amicos ſalutaturus exercuiſſet, accidit illi, quod aliis fictum videtur. Erat ei cum *Fabro Conſtantienſi* conſuetudo nonnulla, eum cum audiviſſet pro concione pertinacius quædam propugnantem, acceſſit, colloquium amicum petens. *Faber* humaniſſimè exceptum poſtridiè ad ſe redire juſſit, & intereà effecit, ut à Magiſtratu ad vincula quæreretur. Hic ſupervenit in hoſpitium, ubi conjunctìm cum *Melanchthone* agebat, ſenex gravis, qui *Melanchthoni* evocato periculum *Grynæo* imminere indicat. *Melanchthon* illicò ei abitum ſuaſit, & cum dicto ad *Rhenum* deduxit. Vix digreſſis illis affuêre, qui comprehenderent, ſed ſeriùs. Inveſtigatum fuit de illo præmonitore, ſed nihil certi compertum.

Philoſophiæ & Theolog. Profeſſor Baſileæ. Eodem anno *Baſiléam* ab *Oecolampadio* Magiſtratûs juſſu evocatus venit, & publicè Philoſophiam cum Theologiâ docuit.

A. 1534. ab *Ulrico* Principe *Wirtenb. Tubingam* vocatus ivit, ſed biennio pòſt *Baſiléam* reverſus, *Eraſmo* morienti adfuit.

A. 1540. *Melanchthoni*, *Capnioni*, *Bucero*, & *Calvino* ad Colloquium *Wormatienſe* profectis adjunctus fuit.

Moritur. An. ſeq. 1. Aug. peſte correptus obiit *Baſiléæ*, ad latus *Oecolampadii* ſepultus.

Obiit A.C. 1542.

NICOLAUS CLENARDUS.

Natus *Diſtemii* in *Brabantiâ*. *Lovanii* Præceptore inprimis *Jacobo Latomo* tantum profecit, ut linguas exoticas ad exteros propagârit.

Nam dum Græcas & Hebræas literas *Lovanii* docuit, inceſſit ipſum cupido diſcendæ etiam linguæ *Arabicæ*, & nactus Pſalterium *Nebienſe* quinque deſcriptum idiomatibus, *Latino*, *Græco*, *Hebræo*, *Chaldaico*, & *Arabico*, cœpit ſuo Marte literas dignoſcere, & indè etiam Lexicon rude concinnare.

An. 1532. *Lovanium* venit, *Ferdinandus Colen* quæſiturus hominem, cujus conſilio moderaretur bibliothecam, quam adornabat Hiſpali. Cum eo iter ingreſſus, *Clenardus Lutetiæ Guilielmo Budæo* innotuit.

Indè in *Hiſpaniam* progreſſus, *Salmanticæ* aliquandiu ſubſtitit. Ibi repertis libris *Arabicis* cum apicibus, ſine ullius Præceptoris operâ ſpatio 6. menſium tantum profecit, ut non dubitârit, eaſdem literas & Græcas publicè docere, quod cum tanto auditorum concurſu fecit, qualis eò usque in *Hiſpaniâ* non fuit viſus. *Profeſſor Lovanii.*

Sed cum vix duodecimus ageretur ei in novâ profeſſione dies, Regis *Luſitaniæ* literis evocatus ad fratrem Regis *Henricum* inſtituendum, cum hoc annis quinque verſatus eſt. Tam gratus autem fuit Regi *Clenardi* adventus, ut ei gratulatorium munus dari juſſerit 50. ducatos. Vixit itaque *Eboræ*, ubi tum aula fuit, jucundè cum amicis doctis, inter quos *Reſendius* Poëta, & ſingulis diebus unam horam *Henrico* Regis fratri impendit. *Præceptor fratris Regis Luſitaniæ.*

An. 1537. Cum Principe ſuo *Henrico* Archiepiſcopo *Braccarenſi Braccaram* profectus, cum Conimbricâ tranſiret, ubi Rex *Luſit.* novam tunc moliebatur Academiam, audiit profitentem *Vincentium Fabritium*, *Homerum* Græcè exponentem.

Braccaræ cum Princeps Gymnaſium condidiſſet, ibi Latinè docuit aliquando *Clenardus*, donec *Joh. Vaſæus* eò ad docendum evocatus adveniret.

A. 1540. Studio plenè cognoſcendæ linguæ *Arabicæ* in *Africam*, non ſine vitæ periculo, trajecit, & *Feſam Africæ* urbem vaſtiſſimam delatus, Regem *Arabicè* ſalutavit, expoſitâ cauſâ profectionis ſuæ. *Proficiſcitur in Africam.*

Ibi ſedit menſes quindecim, nullo fermè cum fructu, quia *Chriſtianis Mahumetiſtæ* ſuos codices invidebant. Expertus etiam eſt ibi ſummam Chriſtiani cujuſdam perfidiam, qui apud Regem *Feſæ* perfecit, ne libros conſequeretur.

Ideò ex *Africâ* in *Europam* regreſſus, *Granatæ* à N. *Mendozâ*, Marchione *Mandechori* Prorege hoſpitio exceptus, paulò pòſt obiit An. 1542. *Moritur.*

Diſcipulum reliquit *Johannem Latinum Æthiopem* (quod prodigio ſimile) Rhetorem *Granatenſem*, cujus extat Poëma panegyricum de victoriâ navali *Johannis Auſtriaci* ad *Echinadas* Inſulas.

Præter *Latinam*, *Græcam*, & *Hebræam*, *Arabicam quoque Grammaticam* ſcripſit. Item *Epiſtolarum libros duos.* *Scripta.*

Fuit amans vitæ ſolitariæ, quâ de cauſâ cum ageret in *Hiſpaniâ*, piguit eum diutius alienam adire menſam, quod plurimùm ipſi periret

periret de ſtudiis. Coëmit igitur ſibi mancipia, *Æthyopes*, quorum ibi magna copia, & patremfamiliâs agere cœpit.

Alicubi narrat *Ffſe* diſcipulum ſibi factum in Græcis hominem 90. annos natum, eſſeque puerum bonæ ſpei alludens ad proverbium, *Δὶς παῖδες οἱ γέροντες.*

In epiſtolâ quâdam hanc Monachi definitionem tradit: *Monachus eſt hypocriſeos domicilium.*

ANGELUS BEOLCUS.

Obiit A.C. 1542.

CIvis *Patavinus*, An. 1502. natus, vixit eo tempore, quo literæ in *Lombardiâ* florebant, & idiomate *Hetruſco* opera varia à *Bembo*, *Speronio*, & aliis conſcribebantur, quorum famam agreſti linguâ æmulari contendit. A purioribus igitur villicis jocoſis verbis, urbanitatibus, facetiis, verioribus ſimplicioribusque formulis ſummâ cum diligentiâ auſcultatis & collectis, Bachanaliorum feriis, ruſticorum habitu, geſtu & ſermone aſſumpto, hiſtrionem ruralem niſus eſt ad amuſſim agere. Fabulas vario verſuum rhithmo & modulationibus Scenicis conſcripſit, ſeque ſub *Ruzantis*, ſub *Menati* verò & *Vezzi* nominibus *Marcum Aurelium Alvarottum* & *Hieronymum Zanettum* in ſuis Comœdiis repræſentavit. Sed dum maximè in his artibus floreret; communi omnium mœrore immaturo fato functus eſt *Patavii* 17. Martii A. C. 1542. æt. 40.

Philologus facetus. *Ruzantis voc.* *Comidiæ Ital.*

Scripta:

Scripta.

Orationes tres linguâ agreſti. Dialogi duo linguâ rurali conditi, interlocutoribus Ruzante, Menato, Billorâ, &c. Comœdiæ V. quarum tituli, La Vaccaria, L'Anconitana, La Moſchetta, La Fiorina, La Piovana, ſeu Fabula Crumenæ Ruzantis. Carmina varia.

* *Ex Elogiis viror. doctor. Jac. Philippi Tomaſini.*

Sepultus jacet in Eccleſiâ S. *Danielis* ad pratum Vallis cum hoc Epitaphio *Johannis Baptiſtæ Rotæ.*

Epitaphium.

V. S.
ANGELO BEOLCO RUZANTI PATAVINO,
NULLI IN SCRIBENDIS AGENDISQUE COMOEDIIS INGENIO, FACUNDIA, AUT
ARTE SECUNDO.
LOCIS ET SERMONIBUS AGREST.
APPLAUSU OMNIUM FACETISS.
QUI NON SINE AMICORUM MOERORE E VITA
DISCESSIT ANNO DOMINI MDXLII.
DIE XVII. MARTII
ÆTATIS VERO XL.
JO. BAPTISTA ROTA PATAV.,
TANTÆ PRÆSTANTIÆ ADMIRAT.
PIGN. HOC SEMPIT. IN TESTIMON.
FAMÆ AC NOMINIS
P. C.
ANNO A MUNDO REDEMPTO MDLX.

NICOLAUS COPERNICUS.

Obiit A.C. 1543.

IN *Italiâ* literis operam dedit cum *Dominico Mariâ Bononienſi.* Canonicus *Fruenberge* in *Boruſſiâ.*

De paradoxo ipſius, quod terra moveatur, & Sol in mundi centro quieſcat, reſpondet *Gemma Friſius*, non id ſtatui, tanquàm neceſſariò ita ſe habeat, ſed ut habeant Mathematici certam rationem motuum ſtellarum. Idem multò anteà ſtatuiſſe *Ariſtarchum* ſomnium *Archimedes* refert in libro de numeratione arenæ. Obiit A. 1543.

EX hoC eXCeſsIt trIſtI CopernICVs æVo
IngenIo aſtrorVM & CognItIone potens.

Sepultus jacet *Fruenberge* in *Boruſſiâ* cum hoc Epitaphio:

Non parem Paulo veniam requiro
Gratiam Petri neq; poſco, ſed quam
In crucis ſigno dederis latroni
Sedulus oro.

Libros edidit:

Aſtronomiam inſtauratam. De revolutionibus Orbium cœleſtium. Lib. VII. *Scripta.*

ALBERTUS PIGIUS.

Obiit A.C. 1543.

C*Ampenſis Tranſiſalanus*, patricio ſanguine natus, *Lovanii* ſtudiis navatâ egregiè operâ in Gymnaſio *Falconenſi*, liberalium artium ac Philoſophiæ Laureâ donatus, Theologiæ Doctor *Coloniæ* eſt renuntiatus, & Theologiæ ſummam Aſtronomiæ cognitionem adjunxit. Vir multæ ac variæ lectionis, ſcientiæque omnivariæ, æternâ gloriæ laude victurus perpetuo.

Theologiæ Doctor. *Aſtronomus.*

Adrianum VI. Pont. Max. ex *Belgio* prius in *Hiſpaniam*, & hinc porrò in *Italiam* comitatus eſt. Matheſin, quâ plurimùm excelluit, *Paulum III.* Pont. Max. docuit, donatusque ideò eſt 2000. ducatorum. *Ultrajecti* honorum & opum plenus ad S. *Johannem Baptiſtam* Præpoſitus, legationibus domi foriſque ſpectatus ab hominibus demigravit A. C. 1543.

Matheſin docuit P. M. Paul. III. *Præpoſitus Ultrajecti obiit.*

Elogium illi ſcripſêre *Paulus Jovius*, & *Aubertus Miræus*, vitamq; *Johannes Gunterus.*

Scripſit accuratè & doctè:

Aſſertionem hierarchiæ Eccleſiaſticæ, ad Paulum III. Pontificem Max. poſt Dionyſium Areopagitam. De Æquinoctiorum Solſtitiorumque Inventione. De ratione Paſchatis celebrationis, deque reſtitutione Kalendarii Eccleſiaſtici ad Leonem X. Pont. Max. An. 1520. Apologiam adversùs novam M. Beneventani Aſtrologiam, & Apologiæ defenſionem. Aſtrologiæ defenſionem adversùs Prognoſticatores. De Miſſæ Officio contra Lutheranos. Apologiam contra Buceri calumnias. De libero hominis arbitrio & Divinâ gratiâ libros X. contra Calvinum. De Controverſiis in Comitiis Ratisbonæ tractatis. Rationem componendorum diſſidiorum, & ſarciendæ in religione concordiæ. Apologiam indicti à Paulo III. Concilii. De Actis ſextæ Synodi. De divortiatorum Conjugiis. Explicationem Controverſiarum, quibus nunc exagitatur Chriſti fides.

Scripta.

In Scriptis de *peccato Originis*, de *Prædeſtinatione Dei ac gratiâ Chriſti à D. Auguſtini* ſententiâ diſceſſiſſe videtur, & ideò Theologis Doctoribus diſplicet, teſte *Poſſevino* in Apparatu ſacro.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A.C. 1543.

JOHANNES LUDOVICUS VIVES.

PAtriâ *Valentinus*, natione *Hiſpanus*, ſapientiæ illius veræ, non humanæ ſolùm, ſed etiam Divinæ in omni vitâ ſtudioſiſſimus, quam & ſummâ cum laude eloquentiæ & virtutis plurimum illuſtravit, editis de eâ lucubrationibus, probatus vir induſtriâ, patientiâ, labore, animique magnitudine: cujus immortalis famæ gloria, idq; meritò, quoad ſapientiæ cultum perpetuò vivet, magno ſui deſiderio bonis omnibus relicto obiit *Brugis Flandrorum* An. C. 1543.

Philologus.

Scripſit:

De ratione ſtudii puerilis Epiſtolas duas, quibus abſolutam ingenuorum adoleſcentum & puellarum inſtitutionem breviter complectitur, *Introductionem ad veram Sapientiam. Satellitium animi, ſive Symbola ad omnem totius vitæ, maximè Principum, Inſtitutionem conducentia. De Conſultatione Lib. I. De conſcribendis Epiſtolis Libellum. De Somno & Vigiliâ Libellum. Latinæ Linguæ exercitationem, Joh. Thomæ Freigii notis illuſtratam. Rhetorica, ſive de rectâ loquendi ratione Lib. III. De corruptis artibus, & tradendis diſciplinis Lib. XX. Contra Pſeudo-dialecticos. De virtute fucatâ. De animâ & vitâ Lib. III. Declamationes ſex. De præſenti ſtatu Europæ, & Bello Turcico diverſa Opuſcula. De Concordiâ & diſcordiâ in humano genere Lib. IV. De Chriſtianorum vitâ miſerrimâ ſub Turcâ. De ſubventione pauperum, ſive de humanis neceſſitatibus lib. II. Sacrum diurnum de Sudore Chriſti. De tempore, quo natus eſt Chriſtus. Meditationem de Paſſione Chriſti in Pſalmum 37. De inſtitutione Fœminæ Chriſtianæ lib. III. De officio Mariti lib. I. Excitationes animi in Deum. Præparationem animi ad orandum. Comment. in Orationem Dominicam. Precationes & meditationes quotidianas generales. De Veritate Fidei Chriſtianæ lib. V. contra Ethnicos, Judæos, & Mahumetanos. Comment. in Aurel. Auguſtinum de Civitate Dei. Colloquia, ſive Exercitationes Linguæ Latinæ. Progymnaſmata. Epiſtolam ad Henricum VIII. Angliæ Regem, de Franciſco Gallor. Rege à Cæſare capto. Aliam de Pace inter Cæſarem & Galliæ Regem, deque optimo Regni ſtatu. Epiſtolæ ejus ſelectiores operâ Simonis Verrepæi editæ ſunt Antverpiæ.*

Scripta.

* *Ex Vitis 50. Viror. eruditione illuſtrium Joh. Jac. Boiſſardi.*

Fratrem habuit *Alphonſum Vivem*, qui in exercitu Imp. *Caroli V.* contra Proteſtantes *Germ.* Principes bellum gerentis Tribuni militaris *Hiſp.* functus eſt officio, ciq; propè *Mülbergam* in prœlio capti *Joh. Fridericus* Elector *Sax.* & *Erneſtus* Dux *Brunsvic.* ab Imp. cuſtodiendi ſunt traditi A. 1547. Hic ad expugnandam Urbem *Conſtantiam* miſſus, ictu ſclopeti transverberatus obiit An. C. 1548. teſte *Sleidano.*

Obiit A.C. 1543.

MARIUS MOLSA.

EXimium ad Poëſin ingenium à naturâ conſecutus, cum Latinis Elegiis & *Hetruſcis* rhythmis pari gratiâ ludendo, Muſas exerceret, magnâ omnium commendatione æternam nominis famam & laudem promeritus, majus etiam decus fuiſſet promeriturus, niſi ſuo prægravante genio par ingenio ſtudium ſubtrahens pudoris & honoris ſui habitâ ratione minori, Minervam minus quàm Venerem colendo ſummæ gloriæ & durioris *Fortunæ* certiſſimam ſpem corrumpere voluiſſet. Cœteroquin non Poëta ſolùm, ſed & Orator fuit excellens. Obiit morbo extinctus *Gallico* A.C. 1543.

Poëta Lat. & Hetruſcus.

Libidinoſus.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Pauli Jovii.*

Obiit A.C. 1543.

POMPONIUS GAURICUS.

A*Rgivæ* Junonis fanum, quod eſt *Picentinorum* nobile oppidum, geminos fratres *Gauricos* præſtanti ingenio protulit, *Lucam*, aſtrologiæ peritum felici ſæpè eventu futura prædicentem, & *Pomponium* Poëtam celebrem, validâque in varias artes ingenii fœcunditate mirabilem, niſi inſtabili ingenio abductus dum fervidè ſectatur operum novitatem in cunctis nusquàm accuratus firmæ prudentiæ dignitatem amiſiſſet. Exierunt ejus in publicum, præter alia, Epigrammata aliquot & Elegiæ, non dubia amatoriæ vanitatis indicia: nam illuſtrem fœminam arſiſſe conſtat, enudâſſeque animi ægritudinem procaci Muſarum lenocinio adeò incautè & flagranter, ut cum *Surrentinâ* viâ *Stabias* peteret, in eoque itinere ab obviis ſalutatus fuiſſet, nusquàm demùm apparuerit, fruſtra eum *Lucâ* fratre per 16. annos expectante, cum procul dubio ab eâ ſuſpicione trucidatus, cumque ſervis & jumentis, ne ullum cædis veſtigium extaret, in mare ſubjectum præcipitatus exiſtimetur.

Frater Lucæ Gaurici Aſtrologi.

Poëta.

Scripſit Carmina amatoria.

In viâ trucidatus.

* *Ex Elogiis Viror. Doctor. Pauli Jovii.*

Scripſit:

Græcorum Poëtarum vitas, Petri Criniti æmulatione, qui de Poëtis Latinis librum ediderat. Libellos de Phyſiognomiâ, & de Architecturâ. Volumen de Metallicis. Epigrammata, & Elegias.

Scriptas

Obiit A.C. 1544.

HELIUS ANTONIUS NEBRISSENSIS.

A Patriâ *Nebriſſâ Andaluſiæ* Provinciâ cognomen adeptus, annis juvenilibus *Bononiam* in *Italiam* venit, & in Collegio nationis *Hiſpanicæ* à Cardinali *Ægidio Albernotio* extructo degens, linguæ Latinæ & Legum ſtudiis operam dedit. In *Hiſpaniam* reverſus, *Salamancæ* publicam literarum Humaniorum Profeſſionem obtinuit, in eâque 28. annos cum laude exegit.

Profeſſor literar. humanior. Salamancæ.

Cum poſteà Cardinalis *Franciſcus Ximenius*, Archiepiſcopus *Toletanus*, magnis ſumptibus Scholam *Alcalæ* in *Caſtiliâ* erexiſſet, *Nebriſſenſi* in eam vocato Lecturam Eloquentiæ publicam cum honeſto ſalario contulit, in quâ literas Latinas à mille annis belli *Vandalici* tempore quaſi ſepultas in lucem reduxit. Innoteſcens hâc ratione Regi Catho-

Profeſſor Eloquent. Alcalæ.





ANTONI' NEBRISSENSIS.
Hiſtoricus Regis Hiſpan.



CLEMENS MAROTUS.
Poëta Gallicus




THEOPHILUS FOLENG'
Monachus Bened. Poëta.



LUDOVIC' BUCCAFFERE
Philoſoph, Bononienſis.



BEATUS RHENANUS
Philologus Argentorat.



IOHANNES SCHOËRUS
Mathmat et Aſtrol Norib.



IACOBUS TUSANUS
Prof. Ling Græc. Paris.



FRANCISCUS VATABL'
Prof. Ling. hebr. Paris.



DAMIAN' A GOES.
Muſicus Poëta, Orator et Hiſtoric,



PETRUS COECKI'
Pictor et Architect.



MARC' ANT. PASSERIB
Philoſophus Patavinus



IO. GEORG. TRISSIN
Poëta et Orat. Rom



SEBASTIANUS MUNSTER
Linguæ Hebrææ. Prof. Baſil.



LAZARUS BONAMIC'
Orator. Prof. Patavii.



PAULUS IOVIUS
Epiſcop. Nucerin, et Hiſtor.



FRANCIS FRACHIUS
Poëta Romanus.

Hiſtoricus Regis Hiſp. Catholico *Ferdinando*, Regius ab eo factus Hiſtoricus; Res præclarè geſtas Regis hujus ſtylo mediocri deſcripſit ætate jam provectus, quod opus filius ejus *Xantus* typis emiſit. Ipſe verò octogenarius ex paralyſi deſecit Anno Chriſti circiter 1544.

Scripta:

Scripta. *Grammaticæ Latinæ Lib. V. cum Scholiis. Relectiones Salmanticæ LX. de Linguâ Latinâ. Lexica, quæ vulgò Dictionaria vocantur, Latino-Hiſpanicum, Geographicum, & Juris Civilis. Rhetoricæ Præceptiones. Commentarii in Perſii Satyras, in Prudentium, & Sedulium. Dicta 7. Sapientum & Philoſophor. Carminicè cum Scholiis. Rerum à Ferdinando & Iſabellâ Catholicis Regibus geſtarum Decades duæ, & Belli Navarri Lib. II. Quinquaginta, ſeu quinquaginta Locorum S. Scripturæ Explanatio.*

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

CLEMENS MAROTUS.

Obiit A.C. 1544.

Ex aulâ Regis Franciſci pulſus. *Lat. linguæ imperitus.* *Poëta Gall. excellens.*

Cardurcum Poëtam hunc genuit, & *Franciſci* Regis aula tantiſper in delitiis habuit Cubicularium Regium; donec non admodùm gravi de cauſâ in exilium expulſus eſt. Latinæ quidem linguæ cognitionem habuit exiguam, ſed virorum doctorum conſuetudine plurimum profecit, & Poëtas ſui temporis omnes populari ſermone ſuperavit, nec fuit quicquam ferè in veterum Poëtarum libris, quod ipſum fugeret. Ex *Tibullo*, *Propertio* & *Ovidio* quædam tranſtulit in ſuas Elegias, diſſimulanter tamen, ex *Catullo* autem Epithalamium ſumſit *Herculis Ferrariæ* Ducis cum *Renatâ Armoricâ Ludovici XII. Gallor.* Regis filiâ. *Metamorphoſes Ovidii Gallicè vertit.* Vertit etiam primum *Ovidii Metamorphoſeos librum* elegantiſſimè.

Felix autem in eo fuit, quod cum illius temporis Poëtæ ſermone uterentur tam impuro, ut nec intelligi poſſent, primus in meliorem aptè & dilucidè loquendi viam ingreſſus eſt. Poſtremis annis Poëſin ad S. Literas contulit, ejusque conſilii fuit rhythmo *Gallico* totum *Pſalterium Davidis* exprimere; ſed morte præventus 50. tantùm Pſalmos abſolvit, qui An. 1543. *Genevæ* primùm editi ſunt. *Pſalmos Dav. 50. rhythmis Gallicis eleganter expreſſit.*

Obiit Taurini. Cum verò propter *Lutheraniſmi* ſuſpicionem in *Galliâ* parùm eſſet tutus, extorris & rerum egenus *Taurini* tandem apud Inſubres vitâ deceſſit An. C. 1544. quo ad *Cereſolam* illius agri oppidum exercitus Regius *Anguieno* Duce inſignem de *Cæſarianis* victoriam reportavit.

* *Ex Elogiis Viror. doctrinâ illuſtr. Scævolæ Sammarthani: & ex Johannis Sleidani Hiſt. Lib. 15.*

Scripta. Scripta ab eo edita ſunt *Gallico* idiomate: *Metamorphoſis Ovidiana. Eclogæ Virgilii. Judicium Minois: Encomium Beroaldi.*

THEOPHILUS FOLENGUS.

Obiit A.C. 1544.

Civis *Mantuanus*, ex illuſtri familiâ natus eſt An. C. 1494. Adoleſcens Philoſophiam ſub *Petro Pomponatio Bononiæ* didicit. Deindè fratris exemplo ad vitam Monaſticam tranſiit, *Brixiæ S. Euphemiæ* cœnobium *Benedictinis Caſſinenſibus* dicatum ingreſſus, ubi Sacris literis de more incubuit. *Monachus Benedict.* Juvenis acris ingenii cum naturali quodam inſtinctu ad Poëſin raperetur, *Hetruſco* primùm idiomate plurima ſcripſit. *Poëta ſingularis.*

Ad Latinas deindè Muſas tunc reflorescentes converſus, cum aſſiduus *Virgilii* concivis ſui volveret opus ejusque venuſtatem exprimere conaretur, ruri intra ſolitudines aliquandiu abditus, Opus novo dicendi lepore jucundum condidit; quo amœno Carmine *Romanis* & *Hetruſcis* vocibus interdum ruſticis variato, non neglectâ metri harmoniâ jocosè aliorum facta perſtrinxit.

Author Poëmatis Macaronici. Poëma id tanquam rude & ruſticum *Macaroneam* appellavit: ſunt enim *Macarones* bucellæ ex farinâ, ovis & caſeo factæ, quæ inter menſæ delicias agreſtibus habentur. Edidit autem id Poëma ſub nomine *Merlini Coccai*. *Merlini Coccaii voc.*

Poſt decennii in *Siciliâ* moram, ubi Principi *Ferranti Gonzagæ* gratus erat; poſt varias etiam fortunæ jactationes tandem in amœniſſimo loco Sanctæ Crucis *Campeſii* propè *Baſſanum* vitam duxit quietam usque ad ſenium: ubi debitum naturæ perſolvit 9. Dec. A. C. 1544. ætatis 50. In ejus ſepulchro legitur hoc diſtichon: *Obiit in Siciliâ.*

Mantua me genuit, Veneti rapuére, tenet nunc
Campeſium, cecini ludicra, ſacra, ſales.

Monachi Sepulchrum ejus hâc Inſcriptione cohoneſtârunt: *Epitaphium.*

HIC CINERES
THEOPHILI MONACHI
TANTISPER DUM REVIVISCAT ASSERVANTUR.
IN DOMINO QUIEVIT FELICISSIME
DIE IX. DECEMBRIS ANNO MDXLIV.

Scripta:

Scripta. *Macaronicum Opus Poëticum, ſub nomine Merlini Coccaii Poëtæ Mantuani, in quo Zanitonella, Baldina; & Moſchea. De Partu Virginis Poëma. De Paſſione Domini verſu Hexametro. De humanitate Chriſti Hetruſcò idiomate. Chaos, ſive Dialogus Trium Ætatum, Treper uno inſcriptus. De tempore libellus, Giano inſcriptus. Il Libro della Gatta verſibus macaronicis. Cantio Carmine Italico, quâ deſcribit Monachorum ſui temporis mores. Liber Epiſtolarum & Epigrammatum, Italicis vocabulis ubique permixtis. Satyræ Carmine macaronico, quarum titulus: Le Gratticcie. Metaphyſica adverſus Platonem.*

* *Ex Elogiis viror. literis illuſtrium Jac. Philippi Tomaſini.*

LUDOVICUS BUCCAFERREUS.

Obiit A.C. 1545.

Bononiæ natus eſt A.C. 1482. Patre *Hieronymo*, J.C. Matre *Apolloniâ Nordoliâ*; *Foro Cornelienſi*. Juvenis ſe totum Philoſophiæ mancipavit, in quâ cum aliquandiu *Alexandrum Achillinum* docen-

Philoſ. & Med. Doct.

tem audiviſſet, *Bononiæ*, ad Medicinam proceſſit, & brevi utriusque Lauream promeruit.

Logicæ Profeſſor Bon.

Poſteà Logicæ Cathedram *Bononiæ* octennio obtinuit, indè ad Philoſophiæ extraordinariam ſedem provectus. Ab hâc etſi deinceps ad ordinariam Philoſophiæ Lecturam translatus eſſet, ſuadente tamen *Pyrrho Gonzaga* Cardinale A. 1522. ipſum *Romam* ſecutus eſt.

Philoſ. Profeſſor Romæ.

Ibi in Gymnaſio cum laude Philoſophiam Peripateticam interpretatus eſt per quinquennium, donec An. 1527. *Bononiam* ad priſtinum Philoſophiam docendi munus rediit.

Eques & Comes Palat.

A Summis Pontificibus *Leone X.* & *Clemente VII.* in honore habitus, & equeſtri dignitate Comitisque *Palatini* cum cœteris Gymnaſii *Bonon. Doctoribus* ab Imperat. *Carolo V.* condecoratus eſt. Ex ejus Scholâ innumeri viri docti prodierunt, inter quos eminuêre *Julius Cæſar Scaliger*, & *Franciſcus Piccolominius*.

Mortalitatem tandem explevit *Bononiæ* 3. Maji A.C. 1545. ætatis 63.

Scripſit & edidit:

Scripta.

Lectiones in Parva Naturalia. In 4. lib. Meteoror. in Lib. Phyſicor. in 2. Libros de Generatione & Corruptione. in Lib. de Cœlo: de Animâ. Metaphyſicor.

Decurrente ad ultimam metam vitâ, ut ſenectutis tædio oblectamentum adferret, *Platonis de Legibus Libros in Epitomen redegit.*

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Jac. Philippi Tomaſini.*

In ædem S. *Franciſci Bononiæ* poſt mortem poſitus à *Bartholomæo Camotio*, Viro clariſſ. frequenti Concione laudatus fuit. Statuæ ibidem erectæ hoc monumentum appoſitum

Epitaphium.

D. O. M.
LUDOVICO BUCCAFERREO
BONONIENSI PHILOSOPHO,
QUI VIXIT AN. LXIII.
OBIIT VERO ANNO MDXLV.
NONIS MAJI.
HÆREDES B. M. F.

Obiit A.C. 1547.

BEATUS RHENANUS.

NAtus *Rhenaci*, oppido ad *Rhenum* ſito A. 1485. Patrem habuit *Antonium Bildium*, Senatorem *Seleſtadii*, qui quia *Rhenaco* venerat, *Rhenanus* cognominatus eſt. Eodem, quo natus eſt, anno matrem *Barbaram Kegeliam* amiſit.

Literis operam dat Lutetiæ, Argentorati, & Baſileæ.

Lutetiæ, *Argentorati*, & *Baſileæ* literis operam dans, Eraſmo fuit amiciſſimus.

Seleſtadii Præceptores in pueritiâ habuit *Cratonem Utenhemium*, & *Hieronymum Gebullerum*, qui eum cœteris diſcipulis inferiorum Ordinum præfecit, quos non ſolùm docuit, ſed etiam caſtigavit, teſte uno ex iis *Johanne Sapido*.

In *Germaniam* reverſus, *Argentorati* aliquot annis ſubſtitit, poſteà *Baſiléam* profectus, ubi *Cononem* Græcos Scriptores interpretantem audivit, & cum *Eraſmo Roterodamo* ſummam coluit amicitiam.

An. 1520. *Baſileâ* domum reverſus cum eſſet, poſtridiè Pater diem ſuum obiit. Ibi inter amicos, inprimis *Beato Arnoldo* & *Jacobo Spigelio*, utroque *Caroli V.* Imp. Conſiliario familiariter uſus eſt. *Caſp. Hedionem* etiam Theol. *Argent.* magno amore eſt proſecutus.

A pueritiâ veſicæ imbecillitate laboravit tantâ, ut urinam continere non poſſet, eamque perpetuo vaſculo vitreo exciperet. Accedente tandem exulceratione fruſtra uſus Thermis *Badenſibus Argentoratum* deportatus, ibi mortuus 20. Maji A. 1547. æt. 62.

Paucis ante vitæ finem annis celebs adhuc uxorem duxit viduam, nec tamen prolem ſuſcepit.

Abaque teſtamento deceſſit, licet opes 8000. aureorum æſtimationis *Argentinenſi* paucis & obſcuris hæredibus reliquiſſet, Bibliotheca tamen ipſius Senatui conceſſa eſt ex famuli *Rudolphi Berzii* teſtimonio, qui heri eam fuiſſe voluntatem extremam dixit. Cadaver *Argentorati Seleſtadium* aſportatum, ibi ſepulturæ traditum eſt.

In Religione probavit doctrinæ lucem, nec tamen quid ipſe ſentiret, enuntiavit, ideò timiditatis à nonnullis accuſatus eſt.

Propter nimiam ipſius erga pauperes tenacitatem de eo quidam dixêrunt: *Beatus eſt quidem beatus, ſed ſibi ſoli.*

Edidit *de rebus Germanicis libros III.* in 4to. *Scripta.*

Obiit A.C. 1547.

JOHANNES SCHONERUS.

NAtus 16. Jan. An. 1477. *Carloſtadii*, *Franconiæ* opp.

Mathematicus Norimbergenſis.

In Gymnaſio *Nor.* Matheſin docere cœpit Anno 1526.

Scripta.

Aſtronomiam poſt *Regiomontanum* opere illo egregio Tabularum reſolutarum maximè illuſtravit. *Aſtrologus* inſignis fuit.

Noribergæ obiit 16. Jan. A. 1547. æt. 70.

Obiit A.C. 1547.

JACOBUS TUSANUS & FRANCISCUS VATABLUS.

Jac. Tuſ. Ling. Grææ Prof.

DEbent hoc *Jacobo Tuſano* Græcæ literæ, quod cum à *Franciſci* Regis tempore magnâ celebritate in *Galliâ* viguerint, qui eas coluêre, plerique omnes ex frequentiſſimâ illius Scholâ prodierint.

Fr. Vat. Ling. Hebrææ Profeſ.

Idem contulit Sacræ linguæ *Franciſcus Vatablus*, cum hic ex *Gamachio*, agri *Picardi* oppido, ille ex *Campaniâ Belgicâ Picardiæ* proximâ ortus eſſet: nec diſſimilis eorum conditio fuit: nam & eodem ferè tempore Profeſſores à Rege ambo nominati ſunt, & cum omne vitæ tempus in erudiendâ juventute collocâſſent, uno eodemque die doctiſſimi ætate ſuâ viri paucis ante Regem *Franciſcum* menſibus vitâ exceſſerunt, 16. Martii A.C. 1547.

Obierunt und die.

Quid ediderint?

Horum alter collecto ex doctrinæ ſuæ opibus locupletiſſimo Græcæ linguæ theſauro, alter Sacris Bibliis ex Hebraicâ fide longè caſtiùs quàm anteà Latinè converſis nomen æternitati conſecravit ſuum.

* *Ex Elogiis viror. doctrinâ illuſtr. Scævolæ Sammarthani.*

Edidit:
Opera Philoſophica in Phyſicam Ariſtotelis.

Clar. A. C. 1542.

DAMIANUS A GOES.

IN oppido *Alanquer*, nobili apud ſuos genere natus, *Luſitanus* fuit, non *Belga*, ſicut *Cornelius Callidius Batavus* cenſuit, qui eum in *Belgicorum* Scriptorum cenſum retulit, & ex *Goëſa Zeelandorum* inſulâ falsò putavit ortum.

Cubicular. Reg. Portugall.

Puer optimæ indolis *Emanueli Luſitaniæ* Regi à cubiculis fuit, ætateque provectior in frugem optimam evaſit. Fratrem habuit *Fructum a Goës* nomine, ejuſdem Regis cubicularium, hominem probum & amicis utilem. Ille orbis luſtrandi à puero cupiditate flagrabat. Per *Germaniam* itaque & *Belgicam Galliam Luſitanorum* Regum negotia gerens, per annos amplius 14. terrâ mariq; jactatus honorificas obivit Legationes, ad ipſum etiam *Poloniæ* Regem, ſenexque tandem famâ clarus, literiſque dives, & prudentiâ inſtructus revertit.

Legatus ad Reg. Poloniæ.

Primùm igitur in *Belgium* navigio delatus, jactis jam vel in grandiore ætate fundamentis, *Italiæ* viſendæ percupidus, *Patavium* ſe contulit, A. C. 1534. Hic in *Petri Bembi* poſteà Cardinalis amicitiam ſe inſinuavit. *Patavii* 4. annos commoratus, uſus quoque doctore eſt *Lazaro Bonamico*, Profeſſorum diſertiſſimo. Æſtate verò, dum Vindemialibus feriæ dari ſolent, ultro citroque peregrinari gruum more conſuevit, ſive quod profectioni aſſueviſſet, ſive quod capitis vertigine aſſiduè conflictaretur, cui malo vectationem præſens remedium afferre medicorum filii affirmarent.

Patavii ſtud.

Uſus & amicitiâ eſt crebris literis *Jacobi Sadoleti*, & *Chriſtoph. Madrucii* Cardinalium, quorum hic *Tridenti*, *Carpentoracti* ille Præſulem agebat. An. C. 1538. *Lovanium* poſtliminiò reverſus *Conradum Goclenium*, ejuſque Succeſſorem *Petrum Nannium*, viros diſertos & Latinæ doctores linguæ imprimis coluit. Muſicæ autem à puertiâ deditus, usque eò *Luſitanicæ* gentis ritu excelluit, ut ea componeret, quæ in templis alii modularentur. Huic alterâ ex parte Poëſin reſpondere non ignoravit, quod hæc rhythmis, illa ſacris, utraque numeris conſtet, & licèt grandis jam natu eſſet, diſcere non erubuit, Latinæq; ſeſe Eloquentiæ addixit, *M. Catonis* exemplo, qui jam ſeptuagenarius Græcas literas (quas cum gente ipſâ cane pejus & angue ad eam diem oderat) tam avidè arripuit, quaſi diuturnam ſitim explere vellet.

Lovanii ſtud. *Muſicus.* *Poëta.* *Orator.*

Magiſtros tunc habuit *Cornelium Grapheum*, Reip. *Antverpienſi* à Secretis, & *Joachimum Politem Gæſa Zelandum* Poëtam egregium, & Graphiarium vel Actuarium *Antverp.* qui & Carmine *Damianum* prædicavit. Hic animum tandem ad matrimonium appulit, duxitque *Hagæ Comitis* (quod oppidum *Batavorum* curia eſt) nobilem virginem *Joannam ab Hargen*, eleganti formâ præditam, ex quâ filium ſuſtulit *Emanuelem*, in cujus recens nati Genethliacum luſit *Petrus Nannius*.

Uxorem duxit Hagæ Com.

Cum verò domicilium *Lovanii* poſt varias peregrinationes collocâſſet bellum interveniens quieti ejus invidit. Etenim An. 1542. obſeſſa urbs *Lovanienſis* à *Martino Rosſemio*, Duce non impigro, qui *Geldrorum* copias Regis *Gallorum* auſpiciis in *Barbalinum* agrum, *Caroli Cæſaris* vexandi causâ, ductabat, & propius factum nihil, quàm ut Urbem occuparet, niſi Scholaſticorum vis obſtitiſſet, inſtruente copias, animosque addente *Damiano*, qui cum Senatûs populique nomine durantibus induciis ad hoſtes exiviſſet, & ab ipſis in vincula conjectus eſſet, violatas inducias cauſantibus, cum ſocio ſuo *Metero* 2000. aureorum liliorum redemptus eſt: ut terga tandem hoſtis dederit.

Lovanium obſeſſum. *Ab Hiſpanis in vincula conjectus.*

Hujus virtutis nomine gratias publicè ſtudioſis *Nannius* Rhethor egit eâ oratione, quæ in manibus eſt: deſcripſitq; eam ipſam obſidionem *Damianus Olyſippone*. Senex in patriam honoris gratiâ à Rege accitus, ut patriam ſcribere hiſtoriam Regiâ auctoritate pergeret, calumniis æmulorum circumventus in vinculis cauſam dicere coactus eſt. Tandem in liberâ cuſtodiâ domus atque Urbis verſans, domi ſuæ mortuus repertus eſt, ſive apoplectico correptus morbo, ſive à furacibus ſuffocatus famulis incertum.

Hiſtoriæ patriæ Scriptor. *Mortuus repertus.*

De variis ejus opuſculis, quæ ſenior *Lovanii* edidit, hæc leguntur:

Scripta.

Dienſis in India oppugnatio, quâ Luſitanorum ea virtus enituit, ut profligatis Turcarum copiis victoriâ ſint potiti. Lappiæ deſcriptio & deploratio. Legatio Æthiopica. Laudatio Hiſpaniæ, quam Nannio, ut victoriam illam Bembo, inſcripſit. Olyſiponenſis Urbis deſcriptio. Bellum Cambaicum. De religione & moribus Æthiopum.

* *Ex Alfonſi Garſiæ Matamori Hiſpalenſis Tract. de Academiis, & viris doctis Hiſp.*

Obiit A. C. 1550.

PETRUS COECKIUS.

A*Loſtanus*, Pictor celebris, *Bernhardi Bruxellenſis* diſcipulus. Luſtratâ *Italiâ Conſtantinopolin* profectus, *Turcico* Imperatori ob artis ſuæ elegantiam placuit. Diſcipulum habuit *Petrum Bruegelium*, Pictorem, cui filiam in uxorem dedit.

Pictor Cæſar. *Petri Bruegelii ſocer.*

Bruxellis in *D. Gaugerici* requieſcit, hoc Epitaphio:

Epitaphium.

Petro Coecke, cognomento ab Alosto,
Carolo V. Cæs. ac Mariæ Hungariæ
Reginæ Pictori ordinario,
Ingenio, arte, industria incomparabili,
Maria conjux moestiss.
Pientissimo Conjugi posuit.
Vixit annos XLVIII. m. IV. d. II.
Decessit Bruxellis VI. Dec. Ann. MDL.
Natus Alosti XIV. Aug. Ann. MDII.
Virtus morte superior.

Edidit: *De Architecturâ & Geometriâ Libb. Sebaſtiani Serlii Libros Italicos Belgicè vertit.*

Scripta.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Clar. A.C. 1550.

MARC. ANTONIUS DE PASSERIBUS A GENUA.

NIcolai Philoſophi & Medici clariſſimi filius, cum Philoſophiam omnem apprimè calleret, præſtantiſſimi Philoſophi nomen ſortitus eſt. Ortum habuit ex illuſtri *Paſſerinorum* familiâ, quæ *Mantuæ* olim ac *Mutinæ*, *Carolo Saracino* teſte, feliciter imperavit: mox rerum ordine perturbato *Genuam* ſe recepit: ac tandem ejus reliqui ſtipites *Patavium* commigrantes ſuam ſedem inibi collocârunt.

Ex illuſtri familiâ ortus.

Unde nomen à Genua?

Undè factum, ut ad hanc usq; diem tum *Paſſerinorum*, tum *Genuenſium*, tum de Januâ cognomen ſervarint. Cœterùm cum *Marco Antonio* non eſſet ingenium infra vulgus, & nihil ei foret antiquius, quàm ſtudiorum amor ac cultus, brevi temporis intervallo, ſummâ cum admiratione Doctorum, naturalis ac Divinæ Philoſophiæ orbitam adeò fixo pede preſſit, ut in album Philoſophorum adſcriptus, patriæ familiæq; ſuæ ſplendorem mirum in modum auxerit, virente adhuc ætate adhibitus ad Lecturam Philoſophiæ publicam in Scholis *Patavinis*.

Juvenis Philoſ. Profeſſor Patav.

Sanè primus is fuit, qui in illuſtri Philoſophiæ Cathedrâ *Ariſtotelis* abditos ſenſûs ex Græcis textibus explanavit, & ævo ſuo Peripateticam doctrinam Interpretum ambagibus involutam luce meridianâ clarius illuſtravit. Usque adeò portentoſo ad rem quamlibet addiſcendam ingenio fulſit, adeòque vaſtâ memoriâ & mirâ in arcanis Naturæ parentis aperiendis facilitate præditus ab eâdem, ut aliqui ſuſpicarentur, eum ad tantarum rerum ſcientiam ductu familiaris alicujus ſpiritûs perveniſſe.

Vir ingenii & memoriæ ſingularis.

Vir lepore ornatus extitit ex decorâ Majeſtate vultûs, Virtute pariter ac Doctrinâ cœteros antecellens: ex cujus Scholâ viri eximii *Jacobus Zabarellâ*, *Bernardinus Tomitanus*, *Speronus Speronius*, & alii multi prodierunt.

Duxit uxorem *Beatricem à Sole*, ex quâ 5. liberos ſuſcepit, *Nicolaum*, *Paulam*, *Helenam*, *Lauram*, & *Caſſandram*, quæ Patre docente non ſolùm liberales artes & morales virtutes, ſed & Philoſophiam ſolidè didicerunt: nuptæque primariis Civibus *Patavinis* paternæ virtutis aſſeclæ extiterunt. Seni Sereniſſ. Reſp. *Veneta* hunc honorem dedit, ut veluti benemeritus miles rude donaretur, & ſupraordinariam Lecturam, ſtipendiis etiam auctis, obtineret.

Conjugium ejus & Liberi.

Senex rude donatus.

Demùm Deus Opt. Max. ab hâc humo & turbâ ad illa ſecura & alta deduxit eum anno ætatis 72. circa an. Chriſtianæ Salutis 1550. Conditus ad Majores ſuos in Eccleſiâ S. *Johannis Viridarii*.

De vario & multiplici genere Scientiarum ejus ita ſcripſit *Pierius Valerianus in Præfat. lib. 59.* qui illi inſcriptus eſt hoc titulo: De iis, quæ per Iſidem & Jugeris quadrâ, & picturas aliquot alias ſignificantur ad M. *Antonium Paſſerem Patavinum* Philoſophum probatiſſimum: Non enim te ſolis Medicinæ Philoſophiæque terminis cohibuiſti, ſed longè ulterius progreſſus, variarum inſuper rerum minimè proſtitarum doctrinam ita tibi comparâſti, ut de quâcunque re propoſitâ & eruditè loquaris, & eruditionem ipſam mirâ ſermonis jucunditate noveris circumveſtire. Quin Poëtas, Hiſtoricos, Philoſophosque omnes ita tibi familiares effeciſti, ut nihil totâ in Encyclopædiâ ſit, quod te lateat, quod non in promptu habeas, proq; luce & tempore utaris feliciſſimè.

Encomium Pierii Valeriani.

Edidit:

Scripta.

Comment. abſolutiſſ. in Libros de animâ cum tabellis. Contra Anton. Bernardum Mirandulanum, ut ex ejus Apologiâ patet. Comment. in libros de Cœlo, & de Generatione, in libros Phyſicorum, & in Metaphyſicam.

* *Ex Elogiis illuſtr. Viror. Jacobi Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1550.

JOHANNES GEORGIUS TRISSINUS.

EX antiquâ & illuſtri familiâ natus eſt *Vincentiæ* 7. Julii A.C. 1478. Patre *Caſparo*, Matre *Cæciliâ Bevilaquâ*, *Guilielmi Veronenſis* filiâ. Cum anno æt. 7. Patrem amiſiſſet, ingenio puer alacri brevi tempore non ſolùm Dialecticam, ſed Græas etiam literas *Mediolani* à *Demetrio Chalcondylâ Athenienſi* percepit, cui defuncto ibidem in æde paſſioni Servatoris noſtri ſacrâ monumentum erexit.

Mediolani Philoſ. & Ling. Græc. didicit.

Cœterùm diſciplinis Mathematicis addictus, & naturali impetu ad Poëſin inclinans *Homeri*, *Euripidis*, & *Sophoclis* Poëmata terebat aſſiduè, quorum imitatione primus Heroum facta ſoluto carmine decantavit, & primus *Italicè* Tragœdias ſcripſit. Architecturâ maximè delectatus eſt, ab eoque *Andreas Palladius* ex communi famâ ſecreta Artis didiciſſe creditur.

Poëta.

Tragœdias Ital. ſcripſit.

Rem pariter molitus perarduam characteres Græcos noſtris immiſcendi literis, ad varios verborum ſonos aptius ſignificandos, ut repentè multos ad ſui vel laudem vel jurgia traxit, ita poſtmodùm huic invento loculum ipſemet paravit, reclamante doctorum cœtu, quod in tantis doctrinarum momentis monſtroſâ elementorum novitate animos haudquaquàm turbandos putaverint.

Romam, cum ibi per ea tempora florerent bonæ literæ, an. æt. 22. conceſſit, ubi literatis omnibus charus ingenii ſui documenta præbuit eximia. Ibidem munito ſibi ad *Leonis X.* gratiam aditu in ſplendido Muſarum theatro ſic vixit, ut nonnulli delatum ſibi purpuræ honorem rejectum ab ipſo prodiderint prolis deſiderio, quam etiam ob cauſam, & parentum precibus motus *Vicentiam* reverſus, & A. 1503. nuptiarum ſacris initiatus eſt cum *Johannâ*, *Franciſci Triſſini* filiâ, ex quâ filium ſuſcepit *Julium*, cujus deterrima erga ſe officia ſæpius expertus eſt, utpote qui Patrem conviciis laceſſere ſolitus, nullam ipſi charitatis vel obſe-

Romam conceſſit.

Purpuræ honorem rejecit.

Uxorem duxit.

obſequii vicem reddidit, à cujus propterea convictu ſemper abhorruit, & felicioris vitæ quietem deſiderans, in pago *Cricoli* ædes ſuas perantiquas ad ſplendidiorem formam reduxit, cui tunc *Andreas Palladius* ſeculi ſui *Vitruvius* manu & operâ diſcipulum ſe præbuit. Palatium hoc Viri literati velut Muſeum frequenter inviſerunt.

Poſt mortem uxoris Romam rediit.

Uxore fatis præmaturè ereptâ *Romam* ſe contulit, ubi à literatis Principibus perhumaniter exceptus, *Sophonisbæ* Reginæ eventum dramate heroico expreſſit, quod cum coràm *Leone X.* literarum Mecænate in Scenam eſſet productum, primus ille *Italiæ* publicis Laureæ acclamationibus adjudicatus fuit. Deindè Pontifex cum gravioribus negotiis Conſiliarium adhibuit, nec minori affectu exceperunt eum Imperatores *Maximilianus I.* & *Carolus V.* aliique Principes, ad quos Legationes feliciter peregerat.

Conſiliar. Papæ Leonis X. & Legatus ad Impp. Rom.

Defuncto *Leone X.* in patriam rediit, & An. 1523. ſecundas nuptias cum *Blancâ*, ſeculi ſui *Helenâ*, *Nicolai Triſſini* viduâ contraxit, ex quâ *Cyrum* unicum filium ſuſcepit. Intereà *Clemens VII.* ad Pontificatum evectus, eum *Romam* revocavit, cui ita fidem ſuam probavit, ut Conſiliorum arbiter intimus floruerit, filiumque *Julium* Pontifici à Secretis, cubicularium, & deindè *Vicentinæ* Eccleſiæ perpetui adminiſtratoris in patriâ Archipresbyteri dignitate florentem viderit. Aliquoties etiam in gravibus negotiis Legatus ad Remp. *Venetam* miſſus, majorem ſibi indies Pontificis favorem conciliavit.

Secundam uxorem duxit.

Conſiliar. S. P. Clement. VII.

Legatus ad Remp. Venet.

A. 1530. Cum *Bononiæ Carolus V.* Imperator coronaretur ſyrmatis aurei, Sacræ pullæ Pontificiæ ferendi munus in maximâ procerum celebritate accepit, quod anteà non niſi Principibus Viris delatum fuit.

Ab Imp. Carolo V. Comes & Eques creatur.

Deindè Imp. *Carolus V.* Comitis & Equitis honore condecoravit eum cum poſteris ſuis. Serpentibus intereà *Vincentiæ* inter filium *Julium* & uxorem ejus ſimultatibus, ita animo abalienabatur à *Julio*, ut *Cyrum* unicum hæredem inſtituere cogitaret. Sed *Julio* partem hæreditatis maternæ à Patre exigente, lis inter eos diu agitata eſt.

Nepotes ejus ex filio Cyro.

A. 1540. Defunctâ uxore ſecundâ, poſtquàm *Cyro* ex eâ filio dilecto nuptias paraverat, ex quo conjugio nati ſunt *Pompejus* ſapientiæ ſtudio, & M. *Antonius* armis in *Belgio* celebris, quietioris vitæ ſtudio & litis vitandæ causâ *Romam* rediit. Hìc ut olim maximis Viris acceptus inter Muſarum delicias gravem ætatem traduxit. Tunc temporis Sermonis *Italici* ſplendorem exornare conatus Epico Poëmate, quod *Italia liberata* inſcribitur, inclaruit. Id An. 1547. vulgatum Imp. *Carolo V.* inſcripſit, & per filium *Cyrum* obtulit.

Romæ Poëſin coluit.

Cæterùm cum abſentiâ ſuâ liti, quæ tunc *Venetiis* à filio adversùs ipſum agitabatur, plurimùm detrahi cognoſceret, lecticâ ſe *Venetias*, & exindè *Vicentiam* contulit An. 1548.

Tum reviſo Teſtamento *Julium* ab omni jure hæreditatis excluſit, & *Cyrum* cum poſteris bonorum omnium ſucceſſorem nominavit. Sed cum præter votum causâ caderet, & *Julius* Judicum fretus ſententiâ paternas ædes occuparet, ipſe A. 1549. ſpontaneo exilio *Romam* ſe ſubduxit.

Filium Julium hæreditate excluſit.

Romæ tandem mortalitatem explevit, illatus tumulo *Johannis Laſcaris* in Templo S. *Agathæ* A. C. 1550. ætatis 72.

Obiit Romæ.

Scripta:

Scripta.

Li Ritratti delle belle Donne d' Italia di ſuoi tempi Dialogo. Commento delle Coſe d' Italia. Grammatica Italiana. Diverſe Orationi. La Poëſia in ſei diviſioni. La Retorica. Dubbii Grammaticali. La Sofonisba Tragedia. Li Simillini Comedia Regale. Il Beliſario, ò verò Italia liberata da Gothi. Un Volume di Sonetti, & Canzoni. Orazioni, Epiſtole, Dialoghi. Correttione della Tragedia Rosmonda.

Apud hæredes ejus Comites *Triſſinos* aſſervantur:

La Baſe del Chriſtiano. Dialogo della lingua Italiana. La Colonna della Republica, & Capitello della vita humana. La morte di Batto Carm. Heroico. Il Frontiſpicio della vita humana. Un Volume de compoſitioni in verſo Grecbe, Latine, & volgari.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Jacobi Philippi Tomaſini. Ex Theatro Italico Viror. doctor. Hieron. Ghilini; & ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

SEBASTIANUS MUNSTERUS.

Obiit A. C. 1552.

NAtus *Ingelsheimii*, ditionis Palatinæ oppido A. 1489. *Tubingæ* Præceptore *Joh. Stofflero* Mathematicis diſciplinis addiſcendis operam omnem impendit, & Hebrææ linguæ, aliquandiu *Franciſcanorum* ordinem profeſſus.

Exortâ Evangelii luce, cucullum exuit, & *Heidelbergam* ſe contulit, undè cum *Simone Grynæo Baſileam* An. 1529. vocatus Sanctæ ibidem linguæ Profeſſor factus eſt.

Profeſſor Sanctæ linguæ Heidelbergæ.

Fuit inter primos, qui cum *Joh. Capnione* & *Conrado Pellicano* in *Germaniâ* linguam Hebræam excolere cœpit.

Peſte obiit A. 1552. ætatis 63. Prof. 23.

Edidit *Biblia & Joſephi hiſtorias Judaicas ex Hebræo Latinè redditas. Grammaticam Chaldaicam. Dictionarium Hebraicum. Horologiographiam, & Coſmographiam, opus laborioſum.*

Scripta.

LAZARUS BONAMICUS.

Obiit A. C. 1552.

PAtriam habuit *Baſſianum*, lætiſſimum *Tarviſini* agri oppidum, quod *Medoacus* fluvius alluit, & ſylvarum, collium, hortorum varius interſtinguit aſpectus. Agrorum cultui à parentibus deſtinatus, qui hoc induſtriæ genere anguſtiæ proſpiciebant ſuæ, abreptus eſt fati munere ad literarum ſtudia, in quibus arcanâ quâdam indolis prærogativâ uberes adeò jucundiorum ſegetum paravit cumulos, ut ſatur gloriæ in *Italicâ* ingeniorum palæſtrâ longè clariſſimus verſaretur.

Ab agror. ad ſtudior. ſeveriorum cultum.

Calphur-

Galphurnio & *Muſuro* Præceptoribus in Latinis & Græcis literis uſus, in Phyſicis *Pomponatio*, dubium reliquit, verius ne ipſis decus reddiderit an acceperit? Orationis Latinæ nitore cunctis ejus ævi dicendi Magiſtris omnium eruditorum calculis antecellit, ut eloquentiâ M. *Tullio Ciceroni* par fuiſſe crederetur. *Patavium* itaque ad mitiorum artium Profeſſionem in Gymnaſio transvectus eſt *Româ*, ubi cum in *Reginaldi Poli* contubernio moraretur, potuit miſerrimæ direptionis ſpectator eſſe, quam An. 1527. immani rapacitate *Carolus Borbonius Hiſpanorum* Dux militum in Urbe *Româ* inexpectatus exercuit: refertam etiam inſignibus authoribus Bibliothecam anxio diutinoque à ſe conflatam ſtudio eodem impietatis furore detractam ſibi fuiſſe doluit.

Patavii Oratoriæ Profeſſor.

Romæ ſpoliatur.

Nunquàm adduci potuit, ut vivens aliquid ſui vel proſâ vel ligatâ oratione, cujus etiam non caruit laude, typis excuderet, eodemque popularis faſtûs contemtu ſic *Venetorum* indulſit imperio, quorum ornabat *Athenas*, ut vel ampliſſima *Bononienſium* ſtipendia 40. Virorum ſibi delata ſuffragiis, vel *Clementis VII.* oblatæ ſibi per *Hieronymum Aleandrum* honeſtæ vitæ conditiones, vel Regis *Ferdinandi* 800. nummorum *Pannonicorum* honorarium nequiverint ipſum ad alterius aſpectum cœli validius invitare. Quæ igitur puberi extitit inſtitutionis honoriſque ſedes, eadem ſenis præbuit oſſibus loculum, poſtquàm *Patavii* fato defunctus eſſet 11. Febr. A.C. 1552. æt. 73. Prof. 21.

Varias conditiones ſprevit.

Moritur.

* *Ex Muſeo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro viror. doctor. Italico Hieron. Ghilini.*

Scripta:

Scripta.

Epiſtolæ carmine conſcriptæ Horatiano. Epiſtolæ 15. ſolutâ oratione. Epigrammata, & Elegiæ. Concetti della lingua Latina.

Sepulturam nactus eſt ſplendidam *Patavii* in Templo *S. Johannis in Verdanâ*, cum ſtatuâ æreâ impoſitâ, & ſeq. *Epitaphio* marmori inſculpto:

Epitaphium.

LAZARO BONAMICO BASSANENSI, IN QUO UNO TOTIUS ANTIQUITATIS MEMORIAM, ERUDITIONEM, JUDICIUM, ET ELOQUENTIAM SIBI REDDITAM PUTANS EUROPA PER ANNOS XX. ET I. PATAVII ADMIRATA EST. CATHARINA CONJUNX ET LUCRETIA SENIS ANIMULA BENE MERENTI POSUERE. VIXIT ANN. LXX. OBIIT III. ID. FEBR. MDLII.

Mortuum laudavit *Hieron. Niger, Venetus*, oratione extemporaneâ poſtridiè habitâ, teſte *Jac. Aug. Thuano Hiſt. ſuæ lib. II.*

PAULUS JOVIUS.

Obiit A.C. 1552.

Patriâ *Novocomenſis*, in pueritiâ Patre orbatus, à fratre natu majore *Benedicto Jovio*, Hiſtoriæ *Comenſis* Scriptore, in ſtudiis bonarum literarum educatus eſt, Philoſophus & Hiſtoriarum ſui temporis Scriptor inclytus, Profeſſione verò Medicus in Gymnaſio *Ticinenſi* literas coluit.

Hiſtoricus, & Medicus.

Annorum 37. ſpatio in *Vaticano Romano* vitam traduxit apud Summos Pontifices *Leonem X. Adrianum VI.* qui Canonicum eum *Comenſem* in Templo Cathedrali fecit, & *Clementem VII.* cujus Commenſalis & Prælatus domeſticus fuit, ab eoque Epiſcopus *Nucerinus* virtutis ergò creatus eſt. Sed ex aulæ conſuetudine aſſentandi luem contraxiſſe creditus eſt, undè interdum eum eluſiſſe ſcriptionis fidem ab æmulis ipſi objectum fuit, qui & intemperantius eum vixiſſe dictitârunt, quàm Eccleſiaſticum deceret.

Canonicus Comenſis.

Epiſcopus Nucerinus.

Romanam facundiam ſæculo ſuo reddidit, & Hiſtoricorum parens meritò habitus eſt, qui præter Hiſtorias non modò vitas aliquot Pontificum & Principum *Italiæ*, ſed etiam Elogia Virorum tam annis quàm literis illuſtrium in Muſæo ſuo ad vivum depictorum exactè deſcripſit. Ab Imp. *Carolo V.* poſtquàm ei Librum de *Origine & Succeſſu Turcicorum Imperatorum* dedicâſſet, Eques & *Comes Palatinus* fuit creatus. Ob id opus etiam ab Imp. *Turcico* magni pretii dona accepit.

Muſæum habuit iconibus virorum illuſtrium exornatum.

Eques & Comes Palat.

Cum aliquando interrogaretur, cur in *Hiſtoriâ ſua ſimularet falſa, & vera diſſimularet? amicorum gratiâ id à ſe factum fuiſſe* reſpondit: *& tametſi ſciret, ſuperſtites ſuis Scriptis fidem derogaturos, poſteritati tamen ea credibilia fore, quæ ſuis Italis laudem eſſent allatura*, teſte *Johanne Bodino Methodi Hiſtor. cap. 4.* Idem *Bodinus* & *Petrus Matthæus* uterque *Gallus* coarguerunt eum, quod Nationi *Hiſpanicæ* plus favens *Gallicam* protervius inſecutus fuerit. *Thuano* teſte, *Jovius* homo gratioſus ſe paſſim obnoxium prodit, eoque nomine ipſi in pleriſque rebus fides derogatur, quod ad gratiam & in odium ſcripſiſſe, & venalem calamum habuiſſe ferè omnibus perſuaſum ſit.

Obiit *Florentiæ*, quo ſub finem vitæ conceſſerat, A.C. 1552. ætatis 69. In Templo *S. Laurentii* ſepultus cum ſtatuâ marmoreâ, & hoc *Epitaphio*:

Moritur.

Epitaphium.

TUMULUS.

PAULI JOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NUCERINI HISTOR. SCRIPTORIS CELEBERRIMI HIC DEPOSITA SUNT OSSA, DONEC EXIMIA EJUS VIRTUTE DIGNUM ERIGATUR SEPULCHRUM.

* * *

* *

Hic ſitus eſt Jovius Romanæ gloria Linguæ,
Par cui non Criſpus nec Patavinus erat.

VIXIT ANNIS LXIX. MENS. VII. DIES XXII.
OBIIT III. ID. DEC. A. C. MDLII.

Scripta:

Scripta.

Hiſtoriæ omnium penè populorum ab A.C. 1493. ad An. 1540. Commentarii de Rebus Turcicis, & Vitæ Impp. Turc. usque ad Solymannum II. Elogia & Effigies Virorum bellicâ virtute illuſtrium. Elogia & Effigies Virorum doctorum. Deſcriptio Britanniæ, Scotiæ, Hiberniæ, & Orchadum. Moſcoviæ item & Lacûs Larii. De Romanis Piſcibus Libellus. Ragionamento ſopra l' impreſe. Latine volgari.

Et


ANDREAS THEVETUS
Regis Gal
MARC' ANTON' MAIORAGI'
Rhetorus Prof
HUGO BABELUS.
Prof. Lovani
IOHAÑES SLEIDANV.
Historicus Argent
PETRUS NANNIUS.
Philologus et Prof. Busldianus
IOHAÑES CHECIUS
Ling. Græc. Prof. Argent.
PIERIUS VALERIANUS
Philologus et Protonot. Apost.
LUCAS GAURICUS
Episc. Civitatensis et Astrologus
CORNELI' GRAPÆUS
Poeta et Musicus Antverp.
REINERUS PRÆDIN'
Rector Scholæ Groningensis.
LUDOVIC' DOMINIC'
Philologus et Poeta Florent.
NICOLAUS TARTAGLIA
Mathematu et Arithmet
MELCHIOR VOLMARI'
Philologus.
CASPAR' RUDOLPHI
Prof Marpurgi.
IOACHIM' HELLER'
Mathematic Norimberg.
MATTHÆ' PHILOCAPELL
Prof Marpurgi

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Philoſ. & Med. Vicentini; & ex Theatro Italico Viror. doctor. Hieron. Ghilini.*

Obiit A.C. 1554.

FRANCISCUS FRANCHINUS, vel FRANCHIUS.

Miles & Poëta.

COſentiæ in *Brutiis* natus. Hic *Marti Muſas* ſociavit, & victricia *Caroli V.* arma ſecutus, *Algerianæ* Expeditioni interfuit, ejusque infelicem ac periculoſum ſucceſſum luculentis verſibus deſcripſit, *Ulrico Hutteno*, Equiti *Franco* (quamvis in diverſo ſcribendi genere ingenium exercuerit) quadantenus comparandus. Hujus elegantes Dialogi, nec *Luciani* acumini cedentes ex immaturo docti æquè ac ſtrenui viri obitu; quaſi parvæ Tabulæ ex magno naufragio ſuperſunt, & hodiè mirâ cum ſuavitate ab æquis talium rerum æſtimatoribus leguntur.

Scripſit Dialogos.

Obiit An. C. 1554. *Romæ*, ubi ferè vitam egit, non ita provectâ ætate.

* *Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C.B.*

Epiſcop.

Poſteà *Franchius* à Summo Pontifice *Julio III. Maſſæ ac Populoniæ in Hetruriâ* Epiſcopus creatus, eâ in dignitate defecit, *Romæ* à S. Trinitatis in Colle Hortulorum ſepultus. *Thuan. lib. 13.*

* *Ex Thuano enucleato Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1555.

ANDREAS THEVETUS.

ENgoliſmenſis, Coſmographus Regius, terras veteribus & neotericis ignotas perluſtravit, cum nullus anteà fuiſſet auſus optare, ne dicam aggredi navigationem ultra noſtrum Tropicum. Atque hoc iter ſuſceptum ad 4. mundi partes per ſpatium 17. annorum perſecutus, *Coſmographiam* conſtruxit, in quâ mira refert: quod opus excuſum eſt in folio, & in duos diviſum Tomos, *Pariſiis* apud *Petrum Lhuillier, & Guilielmum Chauldiere.*

Coſmographus.

Scripſit etiam *de Viris illuſtribus*, ſive, *Les vies des hommes illuſtres.*

Scripſit.

De ejus *Itinerario* ita ſcribit *Renatus de Luſinge, de modo legendi Hiſtoriam: Thevet ſe diſpenſe ſi ſouvent dela credulité, ou del' Ignorance des Lecteurs, qu' il a parſemé ſon Oeuvre de pluſieurs fables foiblement appuyées ſur la curioſité de ſes voyages.*

* *Ex Promptuar. inſignior. Iconum Part. II. Guilielmi Rovillii; & Catalogo Hiſtoricor. & Geographor. celebrium Martini Zeileri.*

Obiit A.C. 1555.

MARC. ANTONIUS MAJORAGIUS.

MEdiolani natus ex Parentibus nobilibus, *Majoragio de Majoragiis*, & *Magdalenâ Contiâ*, ab anno ætatis 26. in patriâ per biennium artis Rhethoricæ interpres eximius *Tullii* lepores cum *Ariſtotelis* dogmatibus conjunxit. Hâc enim ratione contulit illud ſtudentibus bonum, quod cum in iſto Præceptorum ſoliditatem agnoſcant, in altero cultam illorum praxin, reddantur in utriusque ideâ cum in loquendo tum in ſcribendo ſolidiores, ex quo tutiſſimum ipſis ad eloquentiam iter munitur.

Mediolani Rhetor. Profeſſor.

Hunc verò *Tullianæ* elucubrationis genium cum inter cœteros ejus ætatis præferret etiam *Marius Nizolius Brixellenſis*, orta eſt inter utrumque de primæ laudis acquiſitione contentio multa viciſſim ſibi publicè objectantem, ac ſua viciſſim Scripta carpentem: in quo tamen *Nizolius* ideò acerbiora tulit eruditorum judicia, quod ſubacri & tetricâ ſuperſtitione in tantâ Latinor. Procerum fœcunditate ne hilum quidem à *Ciceronis* formulis recedendum putaret. Sua igitur tutatus *Majoragius* placita perdocti ac induſtrii ingenii nomen emeruit: propterea Gymnaſium ſæpius, ceu ſummus humaniorum literarum arbiter, auditorum frequentiâ nobilitatum conſpexit.

Adverſar. Marii Nizolii.

Nec verò ſui perſpicuitate ſermonis nec docendi facilitate quicquam poterat excogitari perfectius, quæ nobis utraque ipſius Opera in hominum emerſa lucem teſtatum reliquerunt. Gymnaſio verò propter tumultus bellicos à *Gallis* contra Statum *Mediolanenſem* ſuſcitatos diſſipato, *Ferrariam* cum aliis Profeſſoribus diſceſſit, ibique Legum ſtudiis ſummo cum animi fervore operam dedit.

Legum ſtud. Ferrariæ.

Poſteà pace patriæ redditâ *Mediolanum* ad priſtinam Oratoriæ majori cum ſtipendio Profeſſionem reverſus eſt, & nomen ſuum *Antonii Mariæ* in *Marcum Antonium* commutavit. Sub gubernatione Ducis *Mediol. Franciſci II. Sfortiæ* per quinquennium in ædibus Dom. *Lanciarolti Fagnani* viri primarii vivens tempus habuit varia Scripta elucubrandi. Sed fato præmaturo ſublatus vivendi finem fecit in patriâ Non. April. A. C. 1555. ætatis 41. cum publicè docuiſſet annis 14.

Iterum Mediol. Orator. Prof.

Moritur.

Ejus Monumentum in exteriore Templi D. *Ambroſii* majoris pariete videtur inſculptum marmori:

Epitaphium.

MARCO ANTONIO MAIORAGIO
DICENDI MAGISTRO SINGULARI
LATINIS GRÆCISQUE LITERIS PERPOLITO,
ET LIBRIS EDITIS ILLUSTRI,
QUI PUBLICE DOCUIT ANN. XIIII.
VIXIT XLI.
BARTOLOMÆUS COMES UXORIS
FRATRI B. M. POSUIT.

Scripta:

Scripta.

Commentar. in Dialogum de partitione Oratoriâ Ciceronis. in primum de Oratore, & in lib. 3. de Officiis. in 3. libros Ariſtot. de arte Rhetoricâ. in Virgilii Georgic. lib. 2. priores, & lib. 4. Æneid. Paraphraſis in 4. lib. Ariſtot. de Cœlo, & de generat. & interitu. Quæſtionum Epiſtolicar. libri II. Carminum Lib. Reprehenſionum contra Marium Nizolium Lib. II. Deciſiones pro Marco Tull. contra Calcagninum. De nominibus propriis veterum Romanorum. De riſu oratorio & urbano Libri II. De Senatu Romano Libellus. Dialogus de Eloquentiâ.

Orationes duæ, de laude auri, & contra Gaudentium Merulam.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicentini.*

HUGO BABELUS.

Obiit A.C. 1556.

Filius Mercatoris.

NAtus eſt *Hippolyti*, oppido *Sequanorum* ad confluentem *Dubis* & *Deſſubris*. Parentes ejus fuerunt *Johannes Babelus*, & *Johanna Xanthia*, mercatores ſatis amplæ fortunæ. Fratrem unicum *Johannem* habuit: Sorores, *Johannam*, *Suſannam*, *Eſtheam*, *Annam* & *Mariam*. Hic *Hugo* omnibus *Germaniæ Galliæq;* Academiis perluſtratis perfectam cognitionem Linguarum, Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ ſibi comparavit, quas publicè profeſſus eſt *Lovanii* in Collegio trilingui *Buslidiano*, familiaritate junctus *Petro Nannio*, *Adriano Amerotio*, *Gemma Friſio*, aliisque ejus ſæculi viris doctis.

Philologus.

Profeſſor Lovanii in Collegio trilingui.

Quin & in *Angliâ* multum laudis acquiſivit, nobilium quorundam adoleſcentium Præceptor conſtitutus, quos *Papiam*, *Patavium*, & *Bononiam* deduxit. *Lovanium* reverſus, ſtudiorum ſuorum Muſæum, illic aliquot annos ſcribendo & docendo ſe exercuit. *Baſilĕam* deindè veniens, *Eraſmum Roterodamum*, *Beatum Rhenanum*, *Martinum Bucerum*, *Sigismundum Gilenium*, & alios amicos habuit, cum quibus & cum *Simone Grynæo* de ſtudiis ſuis communicabat. Inſtituerat inter cœteros *Antonium Perenotium*, *Atrebatum Antiſtitem*, *Nicol. Granvellani* Cancellarii Imperii filium, qui poſteà Cardinalis factus eſt, & *Neapolitani* Regni Prorex.

Ant. Perenoti Præceptor.

Ab eo *Veſontionem* vocatus eſt, ut curam ſuſciperet cognatorum, *Franciſci Dachei*, *Thoraſii*, & *Georgii Marciq; Grammontanorum*, quibus adjuncti ſunt alii aliquot nobiles *Burgundi*, & Patritii *Veſuntini*, *Ludovicus Malarmeus*, *Joh. Montrivellus*, *Saugeti* duo, & alii, quos poſtquàm aliquot annis cum profectu docuiſſet, *Atrebatenſis* Epiſcopi, & *Franciſci Bonvaloti*, *Veſuntini* Archiepiſcopi juſſu juvenes tres cognatos *Heidelbergam*, ut linguam Germanicam diſcerent, A. 1548. deduxit: ubi biennio apud *Jacobum Micyllum* vixerunt, & *Spiræ* ſesquianno.

Heidelbergam cum diſcipulis nobilibus venit.

Sed poſtquàm *Henricus II. Gall.* Rex *Metas* occupaſſet, *Chriſtina*, *Chriſtierni Daniæ* Regis filia, & *Franciſci Lotharingiæ* Ducis uxor, capto filio *Carolo* à *Gallis*, *Auſtraſiaq;* extorris *Heidelbergam* venit ad *Dorotheam* Sororem, *Friderici II.* Electoris *Palat.* conjugem: ubi juvenes cum Præceptore invenit, & abduxit in *Belgium* A. 1551.

Tum ad veteres amicos reverſus, *Hugo* non amplius *Lovanio* excedere conſtituit. At poſtquàm *Dachæum*, & *Grammontanos* aliquot annis inſtituiſſet, *Laurentii Dacholii* uſus hoſpitio, deceſſit è vitâ nonagenarius A.C. 1556. omnem vitæ ætatem otio literario occupans cælebs, ſanctimoniâ vitæ, integritate, & continentiâ clarus. Corpus ejus elatum eſt apertâ facie & comis coronatis, celebri Scholaſticorum ſequentium multitudine. Nihil poſt mortem reliquit præter Bibliothecam inſtructiſſimam, cujus hæredem reliquit *Joh. Jacobum Boiſſardum*, Civem *Veſuntinum*, Philologum & Hiſtoricum celebrem.

Lovanium rediit.

Et obiit nonagenar. cælebs.

Scripſerat *Tractatûs doctiſſimos in Theologiâ: Grammaticam, Dialecticam, & Rhetoricam, cum venuſtis Poëmatibus*: quæ omnia perierunt in eâ vaſtatione, quâ *Lotharingi Montbelgardenſem* Comitatum depopulati ſunt, unà cum *J. Jac. Boiſſardi Libris*.

Scripta.

Inter alia Opera *Poëma reliquit doctiſſimum, de miſeriis eorum, qui inſtitutioni juventutis ſe applicant, idq; Richardo Epiſcopo Atrebat. dedicavit.*

* *Ex Vitis 50. Viror. doctrinâ claror. Joh. Jacobi Boiſſardi.*

JOHANNES SLEIDANUS.

Obiit A.C. 1556.

NAtus *Sleidæ Ubiorum* oppido A. 1506. *Lutetiæ* Juris Licentiatus factus, res magnas in familiâ *Joh. Bellaji*, Cardin. didicit. An. 1542. *Argentinam* petiit, ubi *Lud. Cominæi Commentarios Latinè tranſtulit*. *Argentorati* à *Jacobo Sturmio* Reip. Prætore adjutus Commentarios de Statu *Germaniæ* ſub Imper. *Carolo V.* ad annum usque 1555. edidit. A. 1545. Legatus miſſus ad *Angliæ* Regem cum *Ludovico Bambacho* A. 1551. ad Concilium *Tridentinum*. Peſte obiit *Argentorati* A. 1556. æt. 50. die ult. Octob.

Juris Licentiatus.

Legatus ad Angliæ Regem.

Libros edidit:

De Statu Religionis & Reipub. Germanorum ſub Carolo V. Caſ. De quatuor Monarchiis. Proiſſardi Scriptoris Gallic. hiſtoriarum opus breviter collegit, & Latino Sermone reddidit. Claudii Seſſelii de Republicâ Galler. & Regum Officiis libros II. ex Gallicâ in Lat. Linguam tranſtulit.

Scripta.

PETRUS NANNIUS.

Obiit A.C. 1557.

A *Lcmariæ*, *Bataviæ* oppido, natus eſt A. 1500. *Lovanii Conrado Goclenio* ſucceſſit, & literas humaniores in Collegio *Buslidiano* 18 annos profeſſus eſt. Presbyter fuit & Canonicus *Atrebacenſis*.

Canonicus Atrebacenſis.

Ob eruditionem carus fuit *Nicolao Everhardo*, Præſidi, ejusque filiis, *Antonio Perrenoto*, Cardinali, & *Jacobo Fliſco*, Epiſcopo *Savonenſi*, à quo magnis ſtipendiis in *Italiam* invitatus eſt.

Multos authores profanos & Sacros, *Demoſthenem*, *Plutarchum*, *Syneſium*, & de *Chriſtianis Athanaſium*, *Chryſoſtomum*, *Baſilium* Latinâ civitate donavit.

Edidit etiam Miſcellaneorum in varios autores Libros. *Panegyricas & literarias Orationes. Scholia in Cantica & Sapientiam Salomonis. Pſalmos plurimos verſibus redditos, quos cum Jacobi Latomi Pſalmis Plantinus edidit.*

Scripta.

Ultimum diem clauſit *Lovanii* 21. Julii An. 1557. ætat. 57. Tumulo datus in æde primariâ D. Petro ſacrâ.

JOHANNES CHECUS.

Obiit A.C. 1557.

EX genere nobili *Cantabrigiæ* in *Angliâ* natus eſt.

In-

In Academiâ patriâ bonis literis aſſuefactus, deinceps in Collegio S. *Johannis* Evangeliſtæ Socius & Orator Academiæ conſtitutus eſt. Cum autem ob eruditionem & Linguæ imprimis Græcæ cognitionem Regi *Anglor. Henrico VIII.* commendaretur, is eum *Edoardo* Principi filio unico morum & vitæ formatorem præfecit.

Præceptor Princ. Angl. Edoardi.

Edoardus cum Patri in Regno ſucceſſiſſet, gratitudinem ſuam erga Præceptorem teſtatus, eum Equeſtris Ordinis dignitate inauguravit, eodem fermè tempore, quo *Guilielmus Cecilius*, *Checi* hujus ſororius, & *Henricus Sydneius*, elegans juvenum nobilium par, iisdem Equeſtris dignitatis inſignibus condecorati fuerunt.

Eques creatus.

Amicitiam coluit cum *Thomâ Smitho*, & *Thomâ Eliothâ* literatis equitibus, ut etiam *Rogero Aſchamo*, qui ipſi in munere Academico ſucceſſit, ut etiam per *Germaniam* ejus fama graſſata *Joach. Camerario* & *Joh. Sturmio* familiariter innotuerit.

A. 1553. Poſt immaturum Regis *Edoardi* obitum, amore puræ religionis actus in exilium, in *Germaniam* migravit, & *Argentorati* aliquantiſper ſubſiſtens, literas Græcas publicè prælegit.

Ling. Græc. Profeſſor Argent.

A. 1554. *Argentinâ Bruxellas* in *Brabantiam* deſcendit, non quidem uxoris ducendæ causâ, ut *Thuanus* voluiſſe arguitur, ſed ut Oratores *Anglos* & alios iis in locis commorantes ſibi amicos ſalutaret. Habebat enim tunc uxorem virtute & juventute conſpicuam, quæ poſt mariti obitum annis 60. usque ad A.C. 1616. ſuperſtes vixit. Sed is infelici fato ſuo eo in itinere inter *Antverpiam* & *Bruxellas* inopinatò à *Philippi* Regis *Hiſp.* militibus prehenſus, ab equo deturbatus, funibus ad currum ligatus, & capite denique obvoluto, rerum quid ſecum fieret omnium neſcius, in navem conjectus, captivo ſimilis in *Angliam* usque abductus, & in Arcem *Londinenſem* incluſus eſt. Ibi cum nullis minis, ut Religionem agnitam abnegaret, adduci potuiſſet, cuſtodiæ tædio marceſcens *Londini*, in ædibus *Petri Osberni* Armigeri ſpiritum Creatori reddidit menſ. Sept. A. C. 1557.

Ab Hiſpanis milit. malè tractatus.

Londini in carcere obiit.

Scripta:

Scripta.

Liber de pronuntiatione linguæ Græcæ. de introductione Grammatices. de officio Ludimagiſtrorum. de Euchariſtiæ Sacramento. de Juſtificatione. de Aquâ luſtrali, cineribus, & Palmis ad Wintonienſem. de damno & ſeditione. An liceat nubere poſt divortium? Panegyricum in Nativitatem Edoardi Principis. Elegia Anglica, quâ deſcribitur Regis Edoardi VI. ægritudo, & obitus luctuoſus. Super obitum Buceri, & Antonii Dennei. Sylloge dictorum Parlamenti ſuper re Euchariſticâ. Epitaphiorum lib. I. Correctiones in Herodotum, Thucydidem, Platonem, Demoſthenem, & Xenophontem.

* *Ex Heroologiâ Anglicâ H. H. Anglo-Britanni.*

Obiit A.C. 1558.

JOHANNES PIERIUS VALERIANUS.

Ex *Bolzaniâ* gente *Belluni*, *Marchiæ Tarviſanæ* Urbe pervetuſtâ prodiit Anno Ch. 1477. *Urbano* patruo inſtitutori ſucceſſor, rarâ ſelectioris ſtudii notitiâ perpolito, Ejusdem auſpicio patrui, cui virtutis ergò *Leo X.* adhuc adoleſcens humanioribus literis informandus obtigerat, *Florentiam* hic appetens, aliquantiſper in illo tunc *Græcorum* excellenti conventu egregiâ *Laurentii Medicei* liberalitate excito moratus eſt, ubi Latino candori adeptam peregrinæ eruditionis præſtantiam adjunxit, & nomen ſuum *Petri* in *Pierium* mutavit. In *Leonis* poſteà clientelam ſuſceptus, indeque ab ejus obitu inter *Clementis VII.* digniores electus aulicos, eam modeſtiæ & integritatis laudem emeruit, ut ejus curæ *Hippolyti*, *Alexandri*, & *Catharinæ* nepotum educationem *Clemens* commiſerit: eorum alter Cardinalis, alter Dux Patriæ primus, tertia *Gallorum* ex connubio Regina illuſtrem Præceptoris memoriam reddidère. Inſito quodam mediocritatis affectu ſuis ſat rebus conſultum fore putavit, ſi honeſto in otio ab urbanis exemptus curis ſacra Muſis facere pro lubitu poſſet: cujus rei fidem præſtitit, cum primùm *Juſtinopolis*, mox etiam *Avenionis* deſignatus Antiſtes utrumq; honoris & pietatis munus conſtanter detrectavit, unicâ Protonotarii Apoſtolici & Comitis dignitate contentus.

Florentiæ literas excoluit.

Aulicus Papæ Clement. VII.

Philologus.

Protonotar. Apoſtolic.

Tandem cum terrenas exoſus ærumnas ad cœleſtia quotidiè aſpiraſſet, fato functus eſt *Patavii* A.C. 1558. æt. 81. *Venetiis* hoc ei poſitum conſpicitur monumentum in externo pariete Templi *Fratrum Minorum*:

D. O. M. PIERIO VALERIANO BOLZANIO BELLUNENSI, CUJUS SI NEGOTIA DIU APUD SUMMOS PRINCIPES CURATA NORIS, NIHIL EUM UNQUAM LEGERE NEDUM SCRIBERE POTUISSE DICAS. SIN QUÆ MULTA TAM DOCTA SCRIPSERIT INSPICIAS, NULLI HOMINUM OTIA QUIETIORA CONTIGISSE JUDICES. JO. CORNELIUS FANTINI PATRITII VENETI FILIUS, ET FRATRES LOCUM AMICO SUO INTIMO UNANIMES CONCESSERE.

Epitaphium.

Scripta:

Scripta.

Hieroglyphica arcanas Ægyptiorum notas referentia. Libell. de infelicitate Literatorum libr. 2. De Sacerdotum barbis declamatio ad Hippolytum Medicem. Poëmata & opuſcula varia. Caſtigationes & Varietates Virgilianæ lectionis. De Honoribus Matthæi Langii Epiſtola. Compendium in Spheram Johannis de Sacrobuſto. Antiquitates Bellunenſes.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis, Philoſ. & Med. Vicent. & ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

In ſepulchro ejus *Patavii* ad S. *Antonium* Confeſſorem hæc Inſcriptio legitur:

PIERIO VALERIANO BELLUNENSI POETÆ, RHETHORIQUE AMPLISSIMO, CUJUS PIA UMBRA NON POENITENDUM HÎC TUMULUM SORTITA EST. NAM UT OPTABILIS IN PATRIA ITA SPECIOSUS PATAVII SUPREMI OFFICII DECUS FATO AMISSUM VIRTUTE RECUPERAVIT.

PETRUS CARRARIUS AC JOHANNES BAPTISTA ROTA PATAVINI UNANIMES GRATO HOSPITI POS.

Obiit A.C. 1558.

LUCAS GAURICUS.

FAni Picentinorum urbe, non procul à Senogalliâ & Anconâ, ad mare Adriaticum ſitâ natus eſt, cujus Parentes inter optimates Patriæ cenſebantur. Cum fratre Pomponio diſciplinis optimis ab ineunte ætate inſtitutus Venetiis florebat inter eruditos A.1550. Romam cum eſſet profectus, & Pauli III. Farneſii amicitiam ſibi conciliâſſet, propter eruditionem Epiſcopatu Civitatenſi donatus eſt.

Epiſcopus Civitatenſis.

Aſtrologus inſignis.

Aſtrologiæ præ cœteris diſciplinis cultor egregius A. 1549. mortem violentam Henrici II. Gallor. Regis novennio poſt ſubſecutam ex aſtris prædixit. Frater ejus Pomponius Gauricus Poeta multis Scriptis editis celeber, cum aliquando Surrentinâ viâ Stabias peteret, & mulierem nobilem, cujus amore flagrabat, adire vellet, nuſquam deindè apparuit, fruſtra eum fratre per 16. annos expectante: undè ſuſpicio fuit, eum à latronibus trucidatum in mare adjacens projectum fuiſſe.

Moritur.

Lucas hic mortuus eſt Romæ A.C.1558. & ſepultus in Capitolio in parte ſuperiori graduum Arx Cœli, prope Flavii Blondi monumentum. Ejus Epitaphium tale eſt:

Epitaphium.

D. O. M. S.

LUCÆ GAURICO GEOPHONEN. EPO CIVITEN. OBIIT DIE VI. MARTII MDLVIII. VIXIT ANN. LXXXII. M. XI. D. XXVII.

POST ADSCULPTA EJUS INSIGNIA SEQUITUR:

D. D. SEBASTIANUS BENENICASA GEOPHONEN. ET OCTAVIANUS CANIS BONON. HÆREDES EX TESTAMENTO

B. M. P.

Scripta:

Scripta.

Alfonſi Regis Caſtellæ & Eliſabethæ Reginæ Tabulæ Aſtronomicæ caſtigatæ: & Tabulæ Johannis de Monte Regio, & Joh. Blanchini, Laurentiiq; Bonimcontri Libri de rebus cœleſtibus. Annotationes in Ptolomæi Almageſtum & Ephemerides. Iſagoge in totam Aſtrologiam. De Aeris qualitate ex Theophilo. De peragrationibus Lunæ ex Hephæſtionis Thebani judiciis. De conceptu natorum, & ſeptimeſtri partu, ex Valente Antiocheno. Liber Homar de Nativitatibus caſtigatus, & Abrahami Judæi de iiſdem. Tractatus XII. de diebus decretoriis. Tractatus Aſtrologicus de præteritis multorum hominum accidentibus per proprias eorum genituras ad unguem examinatas. Calendarium Eccleſiaſticum 2000. annor. interſtitio duraturum. De Ecclipſi miraculoſâ, quæ in morte Chriſti contigit.

* *Ex Vitis 50. Viror. doctor. Joh. Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A.C. 1558.

CORNELIUS SCRIBONIUS GRAPHÆUS.

Poëta & Muſicus.

ALoſti in Flandriâ natus, præter literas humaniores Poëſi imprimis & Muſicæ deditus, antiquitatis cultor maximus, Secretarii officium in Urbe Antverpienſi magnâ cum dexteritate & fidelitate obivit. Ibidem vitâ defunctus 19. Dec. A.C.1558. ætatis 76. & ſepultus in Templo Cathedrali hoc Epitaphium ſepulchro ſuo inſcriptum nactus eſt:

Secretar. Antverp.

Epitaphium.

CORNELIUS SCRIBONIUS GRAPHÆUS PRÆCLARÆ HUJUS URBIS A SECRETIS, SIBI SUISQUE, ET HADRIANÆ PHILIPPÆ DULCISS. UXORI VIVENS POS. IPSA QUIDEM VIXIT ANN. LXXI. DECESSIT AUTEM XVII. AUG. MDLVI. UNO ET XL. ANN. MARITA, MATRONA ET PRUDENTISS. ET PIETATIS CULTRIX EXIMIA. ILLE VERO CARAM SECUTUS CONJUGEM MIGRAVIT XIX. DECEMB. MDLVIII. CUM VIXISSET ANNOS LXXVI.

Opera:

Scripta.

Colloquiorum formulæ ex Terentii Comœdiis. Conjugandi & declinandi Regulæ. Monſtrum Anabaptiſticum in rei Chriſtianæ perniciem natum. Querela proditi Chriſti per novos quoſdam hujus temporis Iſchariotas Turco Chriſtianos. Enchiridion Principis ac Magiſtratûs Chriſtiani adjutore Petro Ægidio. Exprobratio in Diocletianum pro Divo Pancratio. Deſcriptio Senatûs Antverp. à Carolo V. inſtituti A.1541. Paraphraſis Pſalmi 123. in turpiſſimum ſceleſtiſſimi cujuſdam prædonis Martini à Rosheim Gelro-Galli latrocinium. Gratulatio D. Carolo V. reduci ex Hiſpaniâ per medias Gallias in patriam, ac præcipuè Antverpiam A.1540. Aggratulatio pro Carolo V. ex Hiſp. per Britanniam A. 1520. reduce. Pompa Spectaculorum in ſuſceptione Philippi II. Sacrorum Bucolicorum Eclogæ III. De Nativitate Chriſti Carmen paſtorale. Conflagratio templi Mariani Antverpiæ Carmine Heroico. Argumenta Carmine Heroico in lib. Chriſtiados M. Hieron Vidæ. Pacis inter Franciſcum I. Galliæ Regem & Carolum V. ad aquas mortuas deſcriptio, Carmine Heroico. Hiſtoria populor. Septentrionalium Olai Magni in Compendium redacta.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Obiit A.C. 1559.

REGNERUS PRÆDINIUS.

NAtus eſt in pago Vinſemo, propè Gröningam ſito, circa An. C.1508. Ideò Prædinius vocari voluit, quod in prædiis eſſet natus. Adoleſcens Lovanium ſe contulit, & Philoſophiæ ſtrenuam operam impendit, Theologiæ imprimis deditus. Reverſus in Patriam, cum ad diverſa munia in Republ. obeunda invitaretur, ad nullum ſuſcipiendum commoveri potuit, quàm ad Scholæ publicæ adminiſtrationem. Suſceptam itaque Gröningæ hanc ſpartam ſic ornavit, ut vicinas Scholas Triviales famâ ſuâ obſcuraverit: erat enim in eo gubernandæ juventutis mirabilis quædam dexteritas.

Lovanii ſtudia inchoavit.

Gröningæ Scholæ Rector.

Itaque non modò ex Gröningiâ, Friſiâ Orientali & Occid. ex Weſtphaliâ, Transiſaland, Geldriâ, Brabantiâ, & Flandriâ, ſed etiam

ex

ex *Germaniâ, Galliâ, & Italiâ, Hiſpaniâ, & Poloniâ* ejus audiendi gratiâ *Gröningam* non modò ſtudioſi mittebantur, ſed & eruditi velut ad Academiam celebrem eò confluebant. Et procedebant ex ejus Scholâ tam fideliter inſtituti & ſolidè docti adoleſcentes, ut cum ad Academias ſe conferrent, omnibus eſſent admirationi, quorum non paucos ſibi *Lovanii* cognitos & amicitiâ junctos fuiſſe, *Suffridus Petri* teſtatur. Summâ enim diligentiâ diſcipulos, quorum numerus erat permagnus, cognitione non ſolùm *Grammaticæ, Dialecticæ, Rhethoricæ & Mathematicæ*, ſed etiam Medicinæ & Juris imbuebat.

Scripta ſua Philologica Vulcano conſecravit. Cumque quotidiè 4. horas Scholaſticæ inſtitutioni impenderet, nihilominus domi varia ſcripſit in *Platonem, Ariſtotelem, Demoſthenem, Ciceronem, Quintilianum* & *Galenum*, quæ quod Sacram veritatem minus redolere ipſe arbitraretur, diſcerpſit, *Vulcano*que non ſine multorum lachrymis tradidit. At Theologica, quo plures Chriſto lucrifaceret, omnibus communicare voluit, ut opera ejus *Baſileæ* A. 1563. ab *Acronio* edita demonſtrant. Guſtum purioris religionis percepit operâ *Goswini Halenſis*, domus Fratrum Præpoſiti *Gröningæ*, quo A. 1530. *Evangelio addictus.* defuncto, cum *Radingo Coning, Johanne Eelſt*, aliiſque paucis inter ſexcenta pericula colligendæ Chriſti Eccleſiæ incubuit.

Vitam piam duxit. Vita ejus ſemper quoque doctrinæ ſinceræ reſpondit. Nam ſobriè ſanctéque vixit, conſilio & opibus inſervivit multis, munera à nemine accipere voluit, Convivia vitavit, nec ullis intereſſe ſolebat, præterquàm in quibus pauci familiares & pii adeſſent.

Obiit *Gröningæ* 18. April. A. C. 1559. æt. 51. Sepultus propè Templum S. *Walpurgæ*, *Epitaphium.* cum hoc Epitaphio:

H. S. E.
REGNERUS PRÆDINIUS
IN CHRISTO JESU MORTUUS
ANNO SUÆ ÆTATIS LI.
DOMINI VERO MDLIX.
DIE XVIII. APRILIS.

* *Ex Vitis Profeſſor. Gröning. & ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Scripta. Scripta:

De Precatione Chriſtianâ lib. III. De Jure litigandi lib. I. Commentar. in Epiſt. Pauli ad Corinthios priorem, & ad Romanos. Locorum difficilium in 4. Evangeliſtas brevis elucidatio. De Invocatione Sanctorum lib. I. De Excommunicatione Eccleſiaſticâ.

LUDOVICUS DOMINICUS.

Clar. A. C. 1560.

PLacentiæ natus eſt, Patre *Johanne Petro Domenico*, Notario & Procuratore in eâ urbe celebri. Cum in Academiâ patriâ Legum ſtudiis operam dediſſet, cum ap- *Doctor Juris.* plauſu Lauream Doctoralem in iiſdem conſecutus eſt. Relictis poſteà ſtudiis Juridicis *Philologus & Poëta.* animum Oratoriæ & Poëſi applicuit, & vitæ tranquillioris gratiâ ſedem *Florentiam* tranſtulit.

Scripta. Scripta:

Iſtoria varia. Compendio dell' Iſtoria di Paolo Giovio. Rime. Lettera invettiva contra uno che l' haveva infamato. Facezie, motti, & burle di diverſi Signori & perſone private. Ragionamento ſopra i motti, & diſſegni d' Arme, & d' Amore, che communamente ſi chiamano Impreſe. Le due Cortegiane Comedia. Diſcorſi ſopra la donna di Corte. Della nobilità delle donne libri V. Dialoghi, ciò e d' Amore, de' remedi d' Amore, dell' Amor fraterno, della fortuna, della vera Nobiltà, dell' Impreſe, della Corte, e della Stampa. Le vite de i 12. Veſcovi, & di Sforza Prencipe di Milano, di Leone X. Adriano VI. & del Cardinale Pompeo Colonna di Paolo Giovio.

Ex linguâ *Latinâ* in *Italicam* tranſlata:

Opera hiſtorica Pauli Jovii eodem tempore, quo Jovius ea ſcripſit, tranſlata. Il fatto d' arme del Tarro fra i Prencipi Italiani & Carlo VIII. Rè di Francia &c. di Aleſſandro Benedetti. Iſtoria dell' origine, vita, & fatti de i Rè de Longobardi di Paolo Diacono della Chieſa d' Aquileia. Profezia de Mahumedani, & altre coſe Turcheſche. Vite de Prencipi di Venezia di Pietro Marcello. I ſette libri di Xenofonte della impreſa di Ciro minore. Ex Auguſtino tranſtulit Tractat. de Gratiâ, de libero Arbitrio, & de Perſeverantiâ.

* *Ex Theatro Italico Virorum doctorum Hieron. Ghilini.*

NICOLAUS TARTALEA.

Obiit A. C. 1560.

BRixiæ ex parentibus pauperibus natus, Matheſin præ cœteris diſciplinis fami- *Mathemat.* liarem ſibi reddidit, quam multis operibus illuſtravit. Hujus gratiâ, cum Urbes *Italiæ* perluſtraſſet, *Venetiis* tandem ſubſti- *A Venetis honoratus.* tit, ubi non tantùm à Senatoribus in honore habitus eſt, ſed etiam à variis Magnatum Legatis prœmiis honoratus. Ibidem obiit circa A. C. 1560.

Opera linguâ vernaculâ ſcripſit: *Scripta.*

Euclide Megareſe Filoſofo raſſettato è alla integrità ridotto. Travagliata Inventione. Nuova ſcienza. Ragionamenti ſopra Archimede. Trattato generale de numeri & menſure in ſei Parti. Opus inſigne de Numeris & Menſuris in 6. partes diſtribut.

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieron. Ghilini.*

MELCHIOR VOLMARIUS.

Obiit A. C. 1561.

ROtwillæ, *Helvetiæ* Civitate, natus eſt A. 1497. Meliorem *Volmarium Joach. Camerarius*, ob probitatem, appellavit. Puer *Bernæ* literarum elementa prima didi- *Philoſophiæ Magiſter.* cit. *Lutetiæ* Philoſophiæ dedit operam tam graviter, ut cum ibidem Magiſterii gradum petiiſſet, inter centum Competitores primus ei locus aſſignatus fuerit.

Eundem mox Græcâ Latinâque facundiâ excellentem admirata eſt *Lutetia*, mox *Aurelia*, & *Biturigum* Civitas, in quâ linguam utramque *Margarethæ Valeſiæ Navarrorum* Reginæ ſtipendio publicè profeſſus eſt.

Biturigæ docentis curæ commiſſus eſt *Theodorus Beza*, nondum quinquennis, ſub cujus diſciplinâ ita per ſeptennium profecit, ut nullus author Græcus vel Latinus fuerit, quem non deguſtârit, imprimis autem Verbi Divini verâ cognitione ab eo imbutus eſt.

Legum D.

Ibidem Legum Doctor creatus eſt, & præter alios *Joh. Calvinum*, dum Græca docuit, diſcipulum habuit. A. 1535. Ab *Ulrico*, Duce *Wirtenbergico*, *Tubingam* vocatus, annos ibi amplius 20. Jus Civile, & Claſſicos autores, *Homerum*, *Virgilium*, *Pomponium Melam*, *Livium*, &c. interpretatus eſt.

Profeſſor Tubing.

Tandem ætate & morbis invaleſcentibus rude donatus, circiter an. 1560. *Isnam* Imperii in *Algaviâ* opp. cum familiâ commigravit, decretis ei à Senatu Academico quotannis ad dies vitæ 100. florenis.

Ibi ſive apoplexiâ ſive paralyſi correptus, poſtquàm aliquot menſes decubuiſſet, vitam finiit A. 1561. æt. 64.

Moritur.

Eodem die uxor *Margaretha* ex mœrore defuncta, ut ſimul elati eodem tumulo conderentur, quos amor conjugalis totos 27. annos conjunxerat.

Græcæ linguæ fuit adeò peritus, ut coram Duce ſuo *Wirtenbergico* affirmârit, malle ſe cauſam in foro *Græcè* quàm *Germanicè* agere, quamvis ea lingua ſibi vernacula eſſet.

Nihil præter unicam perelegantem præfationem Grammaticæ Græcæ *Demetrii Chalcondylæ* præpoſitam edidit, in quâ rationem diſcendæ linguæ Græcæ tradidit.

Theodorus Beza Præceptoris ſui cum ipſius uxore mortem hoc Epitaphio deploravit:

Epitaphium.

Conjugii exemplum rarum certumq́; beati
Spectate cuncti Conjuges.
Una dies nobis Meliorem ſuſtulit, una
Et Margaretham ſuſtulit.
Sic uno quos vita thoro conjunxerat, uno
Mors una tumulo condidit:
Una ambos donec reddat lux unius olim
Beatitatis compotes.

CASPARUS RUDOLPHI.

Obiit A. C. 1561.

NAtione *Suevus*, *Canſtadio* oriundus, moribus initio juventutis paulò fuit difficilioribus. At verò cum poſtmodùm literarum & diſciplinæ cultu paulatim emolleſcere cœpiſſet animus atque flecti, inter primos Academiæ *Marpurgenſis* Philoſophos locum meruit, Dialectices & *Organi Ariſtotelici* Profeſſor atq; Pædagogei Ephorus, pueritiæque cenſor perquàm rigidus.

Dialectices & Organi Ariſtotelici Profeſſor Marpurgi.

Cœterùm is cum anno 1548. abiiſſet *Fridbergam*, revocatus indè operam ſuam, & tandem vitam iſthoc in munere & ſtipendiariorum Ephoratu ſexagenarius poſuit anno 1561. cum triginta annos munus laborioſiſſimum erudiendæ juventutis in Pædagogéo, Academiâ, & *Pomerii* collegio ſuſtinuiſſet, omnes moleſtias diligentiâ & aſſiduitate superâſſet.

Stipendiariorum Ephorus.

Reipublicæ quoque Academicæ tractavit gubernacula Rector, & Decani munus adminiſtravit ſexies. Defuncto funus factum 23. Auguſti cadavere in cœmeterio ſuperioris templi ad ejusdem valvas condito.

Rector Academiæ fuit.

Scripta reliquit ſequentia:

Scripta.

Dialecticam auctam & recognitam cum tabulis omnium Dialecticæ partium. Annotationes in libros Rudolphi Agricolæ de inventione.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

JOACHIMUS HELLERUS.

Claruit A. C. 1563.

NOrimbergæ Scholarum Claſſicarum ad D. *Ægid.* in locum *Mich. Rotingi* ob ſenium emeriti Rector, 27. Julii A. C. 1546. Matheſeos publicè docendæ provinciam ſibi demandatam in locum *Johannis Schoneri* ob corporis infirmitatem rude donati ſuſcepit, adjuncto ipſi Vicario in Lectionibus Claſſicis. A. 1556. ipſi in functione Claſſicâ ſubſtitutus eſt *Chriſtianus Heiden.*

Rector ad S. Ægid. Norimb. Matheſ. Prof.

Poſtquàm verò dogmata *Matthiæ Flacii* in Theologicis heterodoxa contra M. *Johannem Mollerum*, Diaconum *Sebaldinum*, aliosque Theologos *Norimbergenſes* propugnâſſet, accedentibus aliis ſceleribus, poſt carceris pœnam, cum uxore & liberis menſ. Jun. An. C. 1563. urbe excedere juſſu Senatûs compulſus, alibi vitam finiit.

Flacianus.

* *Ex Hiſtoriâ Gymnaſii Ægidiani, à M. Joh. Heldio A. 1673. editâ.*

MATTHÆUS PHILOCAPELLA.

Obiit A. C. 1564.

VIr & præſtantiſſimo ingenio & flagranti ſtudio & doctus à puero, quicquid potuit ſtudii ad docendam Ethicam & Grammatiam adhibuit, eoque nomine omnium ſibi conciliavit gratiam. Anno demum 1564. cum autumno jam imminente peſtis graſſari inciperet, eamque ob cauſam Academiâ ſede exturbatâ ſuâ exularet *Francobergæ*, *Capella* ſenex vitæ pertæſus, & propterea locum mutare nolens, unà cum decem liberis hâc ipsâ luce intinctus eſt 18. die Octobris, cum quadraginta docuiſſet annos, multâ cum laude ſexies Decanus, bis Rector. In ſummo templo ad baptiſmi fontem humo conſitus viſitur, laboribus ſtudiorum fractus annisque gravis.

Ethicam & Grammaticam docuit.

Moritur. Quadraginta annos docuit Marpurgi.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

MICHAEL ANGELUS BONAROTUS.

Obiit A. C. 1564.

NAtus eſt in pago *Caſealino*, ditionis *Aretinæ* 6. Martii A. C. 1474. Pater ejus *Ludovicus* in pago *Settignano* tribus à *Florentiâ* milliaribus diſtante lanificio & ſerici elaboratione ſe cum liberis, quorum multos habuit, ſuſtentavit. Puer à Patre in ſcholam miſſus, omne tempus à ſtudiis reliquum varia delineando conſumpſit. Ideo anno æt. 14. à patre Pictori *Florentiæ* celebri *Dominico de Grilandaio* traditus, ut artem Pictoriam addiſceret, tunc Magiſtrum ſuum brevi Picturis ſuperavit, & aliorum Picturas tanto cum artificio imitatus eſt, ut inter ſe diſcerni non potuerint.

A pueritiâ picturæ deditus.

Famâ itaq; ſubitò clareſcens, anno ætatis 16. à *Laurentio Medicéo*, Duce *Florentiæ*, in fami-

Pictor Ducis Florent.



ICHAEL ANGEL, BONAROTUS
...ctor, Sculp. Statuarius & Architect,



CYRIACUS STROZZA.
Philoſophiæ Prof. Piſis & Bononiæ.



GUILIELM, PHILANDER.
Mathemat. et Architect, Gall.



PETRUS ARETINUS.
Pöeta Satyricus Italus.



OHANNES SARTORIUS
...ilologus Amſtelodamenſis,



MARC, HIERONYM, VIDA.
Episcop, Albenſis & Pöeta Ital.




FRANCISCUS ROBORTELLUS,
Philoſophiæ Profeſſor Patavii.



LUDOVICUS DULCIS.
Pöeta Italus.



HIERONYM, RUSCELL
Philologus Venetus.



IOH: BAPTISTA GELLIUS.
Philoſophus Florentinus.



ONUPHRIUS PANVINUS.
Monachus & Historicus Ital.



IOHANNES OPORINUS.
Græca Ling. Prof. & Typogr. Baſil.



ANIEL BARBARUS.
...atriarcha Aquileg. & Philoſoph.



COELI, SECUNDUS CURIO.
Eloquentiæ Prof. Baſileæ



PAULUS SCALIGIUS
Philoſophus Singularis.



BERNARDINUS ROTA.
Pöeta Neapolitanus.

familiam & menſam adſcitus, ab eo ſingulis menſibus præter victum 5. ducatos accepit, & 4. annis in ejus aulâ vixit. Hoc Duce vitâ defuncto, *Bononiam* & *Venetias* excurrit. Indè *Florentiam* reverſus, Ducum ibi Sepulchra & alia egregia monumenta fecit, multaque Artis ſuæ ſpecimina edidit. Ibidem *Hieron. Savonarolæ* Monachi *Dominicani* pias Conciones audivit, eumque in honore habuit.

Conciones Hieron. Savonarolæ audit.

Florentiâ Romam migravit, ubi propter Artis Pictoriæ, Sculptoriæ, Statuariæ, & Architecturæ ſummam peritiam charus fuit Pontificibus *Julio II. Leoni X. Clementi VII. Paulo III. Julio III. Paulo IV.* & *Pio IV.* nec non Imperatori *Rom. Carolo V. Franciſco* Regi *Galliæ*, Ducibus *Venetis*, & *Solymanno Turcarum Sultano*.

Sculptor. Statuar. & Architectus.

Romæ in Capellâ Summi Pontif. artificiosè depinxit extremum Judicium, cumq; inter alios in inferno damnatos Cardinalem quendam ad vivum depictum collocâſſet, hic ob eam rem indignatus Pontificem *Clementem VII.* ſupplex rogavit, ut ſeſe ab hâc ignominiâ vindicaret, & è picturâ ſuam effigiem aboleri curaret. Huic Pontifex reſpondit: E purgatorio quidem liberandi, non autem ex inferno poteſtas mihi conceſſa eſt. Ibidem Sepulchrum Pontificis *Julii II.* fabricavit, cumque 17. annos in Templo ad S. *Petrum* ædificando inſumpſiſſet, febri hecticâ conſumptus obiit cœlebs 17. die Febr. A. C. 1564. ætatis 90.

Romæ templum S. Petri ædificavit.

Mor. cœlebs decrepitus.

* *Ex lib. Pictorum ſingulari Georgii Vaſarii Aretini.*

Refert de eo *Wilibaldus Pirckheymerus* in Manuſcriptis ſuis, quod ſi fortè effigiem aliquam *Alb. Düreri* manu pictam nactus eſſet, quam imitari ſibi diffideret, minutim diſcerpſerit.

CYRIACUS STROZZA.

Obiit A.C. 1565.

Philoſophiæ Profeſſor Piſis & Bononiæ.

Patritius *Florentinus* & Philoſophus inſignis, *Ariſtotelem* 20. annos *Piſis* interpretatus eſt, cum 8. annis ante *Bononiæ* profeſſus eſſet. Libris Politicorum VIII. qui extant IX. & X. Græcâ linguâ conſcriptos adjecit, quibus tanti viri ſtylum & mentem exprimere conatus eſt. Libros etiam de primâ Philoſophiâ ex *Arabum* Commentariis ſupplevit.

Obiit An. C. 1565. climacterico ſuo *Piſis*, ex calculi ſtudioſis familiari morbo.

* *Ex Elogiis Thuaneis Virorum doctor. C. B.*

* * *

Philoſophiæ Profeſſor Florent.

Antequam *Bononiam* veniſſet, admodum juvenis in Academiâ *Florentinâ* legit ac diſputavit, ut illic mos viget, ac poſteà linguam Græcam & Philoſophiam ſummâ cum laude docuit.

* *Ex Thuanô vindicato Gerardi à Stücken Holſati.*

GUILIELMUS PHILANDER.

Obiit A.C. 1565.

Hujus *Galli* hominis ingenium & eruditionem admirati *Romani*, apud quos eo tempore literæ colebantur, eum ultrò in civitatem receperunt, poſtquàm doctiſſimas in *Vitruvium* edidiſſet Commentationes. Quarum tamen proœmio multa inſuper alia in Antiquitate *Romanâ* & Mathematicis reconditæ doctrinæ opera temerè pollicitus tam pulchræ lucubrationis gloriam inani tot promiſſorum expectatione non mediocriter illuſtravit. Quaſi enim eſſet eo famæ naſcentis auſpicio contentus, priſtinam deinceps diligentiam abjecerit, neglectâq; per ſocordiam non ſtudiorum modò, ſed & rei familiaris omni curâ *Tholoſæ* tandem 60. annorum ſenex parùm fortunatus biennio ante ſecundum Civile in *Galliâ* bellum in *Georgii Armeniaci* Cardinalis clientelâ diem clauſit A.C. 1565.

Vitruvii Commentator. Mathematica ſcripta temerè pollicitus.

Studia neglexit.

Moritur.

* *Ex Elogiis Gallor. doctrinâ illuſtr. Scævolæ Sammarthani; & ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C. B.*

Edidit:

Scripta.

Annotationes in Architecturam Vitruvii. Caſtigationes & Annotationes pauculas in 12. Libros Inſtitutionum M. Fabii Quintiliani. In Vitruvii præfatione Libros aliquot à ſe inchoatos promiſit ſe abſoluturum & editurum, videlicet, de Sectione & Polituris marmorum, de Picturâ & certâ Colorum compoſitione, de Infectoriâ & Fullonicâ, De Figulinâ, de Sutrinâ, de Vitrariâ, de Textrinâ, quæ radio, quæque ponduſculis perficitur.

PETRUS ARETINUS.

Obiit A.C. 1566.

Flagellum Principum vocatus. Poëta Satyricus.

Aretii oppido antiquo ditionis *Florentinæ* natus, Poëta fuit admirandus, omnibus verò ob linguam maledicam exoſus, quam multi Principes & Magnates veriti, dona ei miſerunt, inter quos fuerunt Imp. *Carolus V.* & Rex Galliarum *Franciſcus I.* qui catenas aureas magni ponderis & pretii, Satyricam ejus linguam timentes ipſi donârunt. Quidam verò Principes *Itali* minus ſibi convenire exiſtimantes donis eum afficere, fuſtibus ad mortem usque cædere per alios curârunt, & hoc modo linguam ejus maledicam refrenârunt, qui deinceps à ſcriptis Satyricis abſtinens Sacra ſcripſit, non ſicut priora per Inquiſitionem prohibita. In *Italiâ* moneta cuſa fuit argentea, exhibens in uno latere Poëtæ hujus effigiem cùm Inſcriptione: *Il Divino Aretino*; In altero latere viſus eſt idem throno ſedens aſtantibus Legatis Procerum, dona ferentibus, cum Inſcriptione: *I Prencipi tributari da i popoli tributano il Servitor loro.* Obiit circa A.C. 1566. In eodem cum *Lud. Dulci* tumulo humatus. *Venetiis* ſepultus jacet cum hoc Epitaphio:

Dona piſcatus.

Fuſtibus tractatus.

Sacra ſcripſit.

Moritur.

Condit Aretini cineres lapis iſte ſepultos
Mortales atro qui Sale perfricuit.
Intactus Deus eſt illi, cauſamq; rogatus
Hanc dedit: ille, inquit, non mihi notus erat.

Scripta:

Scripta.

Le Lettere Volumi VI. Dialogo delle Corte. Horazia Tragedia. Stanze della Sirena. Lagrime d' Angelica. Dialoghi II. delle Donne. Dialogo del Gioco. Marfiſa diſperata. Stanze alle

alla villaneſca. Circumfertur etiam liber de omnibus Veneris ſchematibus ſub ejus nomine: Opus dignum, quod cremetur cum authore. Johann. Jacob. Boiſſard. in vitis 50. Virorum doctorum. Comedie V. Il Filoſofo, l' Hipocrita, l' Atalanta, il Mariſcalco, & la Cortigiana. Capitoli VII. ciò e, All' Imperadore, al Rè di Francia, al Duca di Fiorenza, al Duca d' Urbino, nella morte di Franceſco Maria Duca d' Urbino, al Prencipe di Salerno, all' Albicante. Abbattimento Poëtico. La Quartana.

Sub nomine anagrammatico *Partenio Etiro* pro *Pietro Aretino* ſequentia ſcripta Sacra edidit:

Specchio delle Opere di Dio. Parafraſi ſopra i 7. Pſalmi. Vita della Beata Vergine. Humanità del Figliuolo di Dio. Vita de S. Tomaſo d' Aquino. Vita di Sante Catarina vergine & martire.

Author à quibusdam habetur libri deteſtandi, *de tribus Impoſtoribus, Moyſe, Meſſiâ, & Mahometo*, quem alii *Joh. Franciſco Poggio Florentino* attribuunt.

* *Ex Theatro Ital. vir. literat. Hier. Ghilini.*

Obiit A.C. 1566.

JOHANNES SARTORIUS.

Philologus. BAtavus *Amſtelodamus*, præter Latinas Græcasq; literas etiam *Hebræas* (quod illâ tempeſtate rarum) accuratè calluit, earumque publicum auditorium in Libræ veteris tabulato aperuiſſe memoratur. Nullus linguæ vernaculæ eo fuit peritior unquam, teſte *Petro Opmeero* in Chronico.

Florente adhuc ævo Latinæ linguæ Phraſes, & *Eraſmi Roterodami Chiliades Adagiorum* aliquot *Belgicè* reddidit; quo in Opere certâſſe cum *Græciâ* & *Latio* toto viſus eſt, ita paribus *Belgicæ* linguæ formulis, & pari propemodùm elegantiâ omnia expreſſit. Theologus. Maturior ævo totum ſe ad Sacrarum literarum enarrationem contulit.

Ultimum tandem vitæ diem clauſit, animi quâdam ægritudine tactus, Kal. April. An. C. 1566.

Epitaphium hoc ipſe ſibi ſcripſit:

Epitaphium.

Hâc ego ſum tumulatus humo SARTORIUS, ortum
Cui primùm tellus Amſtelodama dedit.
Ingenium colui variè, docuiq; juventam
Omnigenas artes, quippè triglottos eram.
Sed poſtquam virtus duris exercita fatis
Deſtituit corpus, Spiritus aſtra tenet.

Scripſit & edidit:

Scripta. *Phraſin, & Annotationes in Prophetas minores. Sed tecto nomine, ut ævi invidiam, vir pacis & quietis amans, effugeret. Grammaticam Latinam. Centurias Syntaxios. Sylvam Vocabulorum & Phraſium. De Fide ad Cornelium Crocum. De Fide Juſtificante. De Sacrâ Euchariſtiâ. Obſervationes in Matthæum. Annotationes Scripturarum. Aſſertiones Fidei. Ad Satanæ Satellitium.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1566.

MARCUS HIERONYMUS VIDAS.

NAtione *Cremonenſis*, Poëta *Virgilianæ* ſuavitati proximus, & grandiloquentiâ rhythmicâ felix aureo illo Papæ *Leonis X.* ævo Poëtæ incomparabilis nomen promeruit: quamobrem è Canonicorum Regularium *Lateranenſium* clauſtris, in quæ vix ephebus fuerat ingreſſus, ad *Romanæ* Curiæ lucem Summi Pontificis nutu translatus eſt. Canonicus Regularis. Studiis variis deditus Theologus fuit, Poëta, & Orator eximius. Cœterùm *Apollineâ* lyrâ non conſonante cum infauſto aulicorum ſtrepitu, in oppidulo *Tuſculo* apud *Hetruſcos* peramœno ad canendum receſſu Prioratum obtinuit. Prior Tuſculanus. Ibi dum jucundè admodùm moraretur, continuo lætus doctorum hominum ipſum undique inviſentium hoſpitio, *Leoni* demortuo A. 1521. ſubrogatus eſt ad Eccleſiæ culmen *Clemens VII.* Ejus hic pedes antiquâ fretus ſtudiorum communione *Romam* deoſculatum accedens, eiq; abſolutum Chriſtiados poëma in publicos evulgandum uſus porrigens, *Albenſis* ab illo Epiſcopatûs in *Monteferrato* thiaram gratâ exantlati laboris æſtimatione retulit. Epiſcopus Albenſis. Poſt obitum hujus Papæ ad Epiſcopatum ſuum ſe contulit, & oves ſibi concreditas fideliter pavit. Præclaris poſtmodùm in Sacerdotio geſtis, tam Numinis cultu & fanorum exſtructione, quàm concupitâ in Urbe morum correctione bonis omnibus adeò fuit charus, ut cœlo propè delapſus vates *Davidici* Carminis æmulus haberetur. Primus enim hic inter *Italos* poſt *Jac. Sannazarium* Poëticam ad res ſacras transtulit. Verùm qui aures ſuas & animum ad angelicos effinxerat modulos, ſenio gravis A.C. 1566. corporis exutus vinculis geſtiit felici evolatu ad ipſorum choros proximiùs audiendos conſcendere in Epiſcopatu ſuo *Albæ*, ſepultus in Templo Cathedrali.

Scripta:

Scripta. *Italorum pugilum 13. cum totidem Gallis certamen carminicè ſcriptum. De arte Poëticâ Libri III. De Bombice Libelli II. De ludo Scachorum. Dialogi de Reipublicæ dignitate. Chriſtiados Poëma, quo Chriſti Domini vitam & mortem acerbiſſimam prædulci metro cecinit. Hymni. Bucolica. Carmen Paſtorale in obitum Julii II. Pont. Max. De Magiſtratu Liber. Conſtitutiones Synodales.*

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Defuncto *Cremonenſes* monumentum ſplendidum ſumtu publico in Templo primario erexerunt, cum hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

M. HIER. VIDÆ ALBÆ EPISCOPO,
QUEM PROBE OMNES NORUNT,
CIVITAS CREMONA DECRETO SEPULCRO
SUMPTU PUB. CIV. QUI DE UNIVERSA CIVITATE B. M. EST PARENTAVIT
V. A. N
QUI CUM QUICQUID IN EGREGIUM HOMINEM LAUDIS DICI POTEST IN EUM BENEFICIO NAT. FUERIT COLLATUM, IMMORTALIT. ERAT DIGNUS, NISI NATURÆ COMMUNIS CONDITIO OBSTITISSET. VIVIT TAMEN ADHUC APUD NOS, VIVETQUE ÆTERNUM AD POSTEROS BENEF. JUCUNDISS. AC PERPETUA RECORDATIONE.

Qui

QUI OMNIBUS ERGA GREGEM SIBI COMMISSUM OFFICIIS FUNCTUS PIET. CHARIT. FIDE CONST. PRÆCLARUS, OMNIBUS CARUS, NEMINI NOXIUS A NOBIS DISCESSIT SUO MAGIS QUAM ALIORUM TEMPORE. QUI NON SOLUM PIE ET SANCTE DEUM COLUIT, SED ITA ETIAM CECINIT, UT IN COELO LOCUM, UBI BEATUS ÆVO SEMPITERNO FRUATUR, ET IN TERRIS ÆTERNAM SIBI GLORIAM MAXIMO OMNIUM MORTALIUM FRUCTU
COMPARAVIT.
OBIIT AN. MDLXVI. XXVII. SEPTEMB.

Obiit A.C. 1567.

FRANCISCUS ROBORTELLUS.

Exul ob homicidium.

Piſis Ethicæ Profeſſor.

QUis non admiretur *Utinenſem* hunc *Lucæ* homicidii convictum, ideòque publico edicto exilii pœnâ mulctatum, dehinc *Piſis* perhonorifico judicio ad primam Eloquentiæ & Philoſophiæ Moralis cathedram eſſe traductum? Quis non admiretur, exindè ipſum ad illuſtriores *Italiæ* Academias certatim accitum, quas 30. ferè annorum ſpatio immortali cum gloriâ peragravit? Attamen interim multa, quæ in aliis notata eos ad imum fortè præcipites habuiſſent, ipſum de ſummo honore nullâ ex parte dejicere potuerunt. Inerat in eo peracris obtrectandi cupido, ſummaque in doctos omnes iniquitas, quos cum pares ferre non poſſet, continuis proſcindebat conviciis. Hinc *Sigonio* ſemper infenſus fuit, ut quem acerrimum ſortitus erat æmulum induſtriæ, laboris, & ingenii. Cum *Alciato* pariter aliiſque ejus ævi luminibus internecinas propè ſimultates exercuit.

Obtrectator.

Quò factum, ut ſemel *Venetiis Baptiſta Egnatius*, vir doctiſſimus, crebris ab eo laceſſitus injuriis, educto ſenili gladiolo, in eum impetum facere non dubitârit. Nihil ſe propterea vel ignavior vel inſulſior ingenitos nunquàm faſtus depoſuit, alacer inhians literariæ contentioni, qui enim *Lucæ* primùm, mox *Piſis*, indè *Venetiis*, & *Patavii*, *Lazari Bonamici* ſucceſſor, ac *Bononiæ* iterùmque *Patavii* publicè mitiorum artium ac Philoſophiæ Moralis provinciam ſuſtentârat, turpe rebatur eſſe, ſi non pro viribus Muſarum ſibi ſtudia illuſtranda, innovanda, ſolvendam errorum caliginem, prodendam annalium veritatem, cum impoſtoribus multis alioque ſelectiori doctorum agmine ſuſcepiſſet. In hoc tamen tanto naturæ vigore illud poſteris mirandum reliquit, quod cum *Bononiæ*, rogatu *Hiſpanorum*, *Caroli V.* Imp. laudes funebri Oratione perſecutus eſſet, in ipſo dicendi exordio collapſus animo, ſenſibusque turbatus, haud amplius coactam orationis ſegetem expandere potis fuit, ex quo perægris audientium nictubus, & obſcuris omnium ſermonibus exceptus eſt.

Philoſophiæ Profeſſor Patavii, & Bononiæ.

Vitâ defunctum *Patavii* in templo S. *Antonii* Oratione fun. laudavit *Salvator Bartholus Theol.*

Monumentum ejus in clauſtris Divi *Antonii Patavii* tale videtur:

Epitaphium.

DEO OPT. MAX.
FRANCISCO ROBORTELLO UTINENSI, RHETORICÆ ARTIS MORALISQUE PHILOSOPHIÆ PROFESSORI CLARISSIMO, QUI IN FLORENTISSIMIS QUIBUSQUE ITALIÆ GYMNASIIS, MAGNA FAMÆ CELEBRITATE, TRIGINTA TOTOS ANNOS PUBLICE DOCUIT, NATIO GERMANICA PRÆCEPTORI BENEMERITO IN PERPETUAM GRATI ANIMI MEMORIAM
UNANIMIS
P.
VIXIT ANN. L. MENS. VI. DIES IX. OBIIT XV. KAL. APRIL. MDLXVII. CONSILIARIO CAROLO FRÖLICH A FRÖLICHSBERG, PROCURATORIBUS GEORGIO ROTMAIRO, ET HUGONE JACOBI ROTERDAMO.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro viror. doctor. Italico Hieron. Ghilini.*

Scripta:

Scripta.

Commentar. de arte Hiſtoricâ. Explanationes in Lib. I. Æneidos Virgilii. Annotationes in omnes Callimachi Hymnos. Epiſtolæ. Laconici, ſeu Sudationis explicatio. Comment. in Æſchyli Tragœdias. De Nominibus Romanor. & de Republ. Romanâ. Annotationes in obſcuriora loca familiarium Epiſtolar. Ciceronis. Explicationes de Satyrâ, Epigrammate, Comœdiâ, Salibus, Elegiâ. Annotationum in varia tam Græcor. quàm Latinor. Loca libri II. De Rhetoricâ facultate. De nominibus Arborum. Explicatio in Catulli Epithalamium. Diſputatio de ratione corrigendi veteres Authores. De artificio dicendi Liber. Tabulæ Oratoriæ.

LUDOVICUS DULCIS.

Obiit A.C. 1568.

Poëta Ital.

V*Enetiis* natus, in omni diſciplinarum genere verſatus, Poëſin imprimis *Italicam* excoluit, & reverà dulcis Scripta dulciſſima tam in proſâ quàm ligatâ Oratione edidit, ſed ad altiora ſpirans, oppreſſus paupertate, nunquàm emergere potuit, mortuus *Venetiis* in patriâ An. C. 1568. In Templo S. *Lucæ* in eodem ſepulchro tumulatus cum *Dionyſio Athanaſio*, *Hieronymo Ruſcello*, & *Alfonſo Ulloa*, viris divitiis carentibus, ſed eruditione divitibus. In eodem ſepulchro prius *Petri Aretini* cadaver repoſitum fuit.

Moritur.

Opera:

Scripta.

Prime Impreſe d' Orlando, Poëma Heroico. Sacripante Poëma heroico. De tre ſtati delle Donne. Oſſervazioni ſopra la lingua volgare. Dialogo de Colori. Giornale delle coſe piu notabili accadute nel Mondo. Vita dell' Imperatore Carlo quinto, & Ferdinando. Didone, Giocaſta Tragedie. L' Ulyſſe. L' Achille. Il marito, il Ragazzo, il Capitano, la Fabritia Comedie. Palmerino in ottava rima. Primaleone in ottava rima. Dialogo della inſtitutione delle Donne. Dialogo del pigliar moglie. Vita di Guiſeppe Patriarcha. Somma della Filoſofia. Annotazione ne i tre libri dell' Oratore di Cicerone. Dignità de Conſoli, & de gli Imperatori, & fatti de Romani. Del modo di conſervare e accreſcere la memoria. Impreſe

di

di diverſi Prencipi e Perſone illuſtri. Verſi morali & ſentenzioſi. Voci della volgar lingua il Petrarca. Lettere. Rime. De diverſis ſpeciebus Gemmarum lib. III. Parafraſi nella Seſta Satira di Giovenale.

Opera ſequentia in linguam Italicam traduxit:

* Dell' arte d' amare d' Ovidio. Metamorfoſi d' Ovidio. Thieſte, Tragedia di Seneca. Epithalamio di Catullo. Vite di tutti gli Imperadori di Pietro Meſſia. Dialogo dell Oratore di Cicerone. Le Satire & le morali Epiſtole d' Orazio, con la vita d' Orazio. Origine della Satira. Diſcorſi ſopra la Satira, ſopra l' Epiſtole & ſopra la Poëtica.

* Ex Theatro Italico Viror. eruditor. Hieron. Ghilini.

HIERONYMUS RUSCELLIUS.

Obiit A.C. 1568.

Viterbii, antiquiſſimâ urbe ditionis Florentinæ natus, ab infantiâ literis optimis deditus vir evaſit ob eruditionem totâ Europâ celeberrimus, qui eloquentiâ etiam prædìtus admirabili linguam patriam illuſtravit, & perfectiorem reddidit.

Philologus eximius.

Venetiis tandem vitâ defunctus, in eodem ſepulchro tumulatus quieſcit cum Ludovico Dolce, Dionyſio Athanaſio, & Alfonſo Ulloa, in Templo S. Lucæ, circa A.C. 1568.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Scholia in 4. libros de Venatione Natalis à Comitibus. Delle Impreſe illuſtri libri quatro. Della perfezione delle Donne. Diſcorſo delle Impreſe col Regionamento di Paolo Giovio. Il Rimario. Tre Diſcorſi ſopra l' opere di Lodovico Dolce. De Monti & Fiumi. Supplimento ſopra l' Hiſtoria di Paolo Giovio. Lettura ſopra un Sonetto del Marcheſe della Terza. Precetti della Militia moderna per mare e per terra. Le bellezze del Orlando Furioſo di Lodovico Arioſto. Indice de gli huomini illuſtri.

* Ex Theatro Viror. doctor. Italico Hieron. Ghilini.

JOH. BAPTISTA GELLIUS.

Obiit A.C. 1563.

Florentinus, conditione longè fuit inferior ingenio, quippe Calcearius, qui licèt nullis literis Latinis tinctus, Academiæ Florentinæ alter conditor, & magnum ornamentum exitit. Linguâ patriâ Dialogos Luciani æmulatione, ſed majore cum prudentiâ & moderatione ſcripſit: quanquam libertate cœlo illo adhuc incognitâ alicubi impegiſſe creditus, ideoque cenſurâ notatus eſt.

Sutor eruditus.

Academiæ Florent. conditor.

* Ex Elogiis Thuaneis Viror. doctor. C.B.

Hieronymus Ghilinus in Theatro ſuo Italico Viror. literatorum hæc de eo ſcripſit: Joh. Baptiſta Gellius Florentiæ humili loco Patre Sartore natus, ſed ingenio ſublimi à naturâ dotatus vir fuit doctiſſimus, non in Patriâ tantùm, ſed etiam extra eam famâ celebris, propter Scripta erudita, quæ linguâ patriâ edidit:

Scripta:

Dialogo intitolato Circe. Tre Lezioni dell' Anima. I Capricci. Dieci Dialoghi della Fabrica humana. Due Comedie, il Bottaio, e la Sporta. Lettera ſopra l' Inferno di Dante. Della tranquillità dello Stato di Fiorenza.

Ex linguâ Latinâ traduxit eleganter in Toſcanam:

La vita d' Alfonſo Duca di Ferrara ſcritta da Paolo Giovio. Porzio de colori de gli occhi, della giovenca, & forma dell' aran. Gli Apoſtegmi di Plutarco.

Obiit ſenex Florentiæ, & in Templo S. Trinitatis ſepultus fuit A.C. 1568.

Moritur.

ONUFRIUS PANVINIUS.

Obiit A.C. 1568.

Veronæ, Reipubl. Venetæ urbe celebri in Marca Trevisanâ natus, parentibus nobilibus ortu Cremonenſibus, in adoleſcentiâ Religioſis Eremitanis S. Auguſtini ſeſe addixit. Præter vitæ ſinceritatem ſtudiis Philoſophiæ & S. Theologiæ deditus, libris ſcribendis perpetuò dedit operam, & nunquam cibum ſumere viſus eſt ſine libro manu prehenſo, ſenex etiam multas noctes inſomnes legendo traduxit. Ideò Hiſtoriarum helluonem eum appellat Paulus Manutius.

Juſſu Cardinalis Marcelli, poſteà Summi Pontificis, cujus miniſterio per annos aliquot deditus fuit, à Scriptis profanis deſiſtens, Eccleſiaſtica tantùm compoſuit: correxit itaque Summorum Pontificum Vitas à Bartolom. Platina conſcriptas, easque 13. Pontificum vitis auctiores reddidit: quo labore omnium literatorum, nec tantùm Curiæ Romanæ, ſed & aliorum Principum favorem ſibi conciliavit, præſertim verò Papæ Pii IV. à quo pro cujusdam operis dedicatione 500. coronatos dono accepit, ab eodemque per vitæ tempus reſiduum victum neceſſarium accepit. Cum tandem Cardinalem Alexandrum Farneſium, Eccleſiæ Rom. Vice-Cancellarium, Mecænatem ſuum in Siciliam comitatus eſſet, Palermi mortuus eſt 7. April. A.C. 1568. ætatis 39.

Vitas Pontificum ſcripſit.

Moritur Palermi.

Sepultus ibi in Templo S. Auguſtini cum effigie ex ære artificioſè factâ, & Epitaphio ab amicis facto marmori nigro inciſo.

Scripta:

Scripta.

Epitome Pontificum Romanor. à S. Petro usque ad Paulum IV. Pontificum Maximor. Elogia & imagines accuratiſſime ad vivum æneis typis delineatæ. Chronicon Eccleſiaſticum à C. Julii Cæſaris Dictatoris Imperio usque ad Imp. Cæſarem Maximilianum II. Faſtorum libri V. à Romulo Rege usque ad Imp. Carolum V. cum Commentario. Reip. Romanæ Commentarior. lib. III. Romanor. Principum & eorum, quorum maxima in Italiâ Imperia fuerunt lib. IV. Appendicis in Faſtus Conſulares libri 3. I. De Ludis ſecularibus. II. De Sibyllis & Carminibus Sibyllinis. III. De antiquis Romanorum nominibus. De Comitiis Imperatoriis Liber. De Urbis Veronæ viris doctrinâ & bellicâ virtute illuſtribus Opuſculum. De Epiſcopatibus, titulis, & Diaconiis Cardinalium. De ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos,

nos, & de Cemeteriis eorum. Interpretatio multarum vocum Eccleſiaſticar. quæ obſcuræ vel barbaræ videntur. De Primatu Petri & Apoſtolicæ Sedis Poteſtate lib. III. De antiquis Romanorum nominibus. De Triumpho, & Ludis Circenſibus. Vitæ Patriarcharum quatuor primarum Sedium. De 7. Eccleſiis Urbis Romæ. De antiquo ritu baptizandi Catechumenos, & de origine benedicendi imagines cereas, quæ Agnus Dei vocantur. Chronicon Ordinis Eremitarum à D. Auguſtini tempore usque ad An. 1550. Viginti ſeptem Pontificum Romanor. Elogia & Imagines. Hiſtoria Bapt. Platinæ de vitis Pontificum Romanor. doctiſſimar. annotationum Onuphrii Panvinii acceſſione illuſtrior reddita. Ad Cardinales Scripta.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

JOHANNES OPORINUS.

Obiit A.C. 1569.

NAtus *Baſileæ* An. 1507. 25. Januarii. Patrem habuit *Johannem Herbſt*, Pictorem, virum pium, ſed in re tenui, qui filium literarum rudimenta docuit, & in Scholam duxit. Hic viciſſim Patrem, cum artem ſuam deſeruiſſet, quamdiu vixit, piè aluit, licet expenſarum moleſtiis undique circumventus eſſet.

Jactis in patriâ fundamentis, ob patris inopiam, *Argentinam* deſcendit, & in Scholaſticorum pauperum contuberniis 4. annos vixit ſub Magiſtro *Gebvilero*.

Baſileam reverſus, viros doctos ſedulus audivit, ſed brevi pòſt, omni ſubſidio deſtitutus, ad Atlantem S. *Urbani* in ditione *Lucernenſi* ſe contulit, & ibi juventutem docuit.

Ibi venit in familiaritatem *Xylotecti*, Canonici *Lucernenſis*, quem Evangelii puritatem amplexum *Baſiléam* ſecutus eſt, & multos auctores Græcos deſcripſit & Poëtas.

Ludo patrio præfecitur.

A. 1527. *Xylotecti* peſte ſublatam viduam uxorem duxit, vetulam moroſam. A. 1530. Ludo patrio præfectus eſt.

Brevi pòſt, ſuaſore *Joh. Oecolampadio*, medicinæ ſe ſtudio addixit, & *Theophraſto Paracelſo*, cui amanuenſis loco inſervìit, charus fuit, qui in libello quodam ex multis famulis unicum ſe Oporinum fidelem expertum eſſe fatetur. Hunc, cum Laudani conficiendi rationem ipſi promiſerit, in *Alſatiam* comitatus eſt, & biennio transacto diffidens ſe à Magiſtro ſuo, quod promiſerat, impetraturum, eum deſeruit, & *Baſiléam*, acceptâ ab illo Laudani portione, rediit; quâ veluti divinâ virgulâ non multo poſt ſervatus fuit: ſumpto enim purgandi cauſâ Mercurio præcipitato, rixâ cum uxore ortâ noctu domo egreſſus, & hauſtâ in viâ aquâ copioſâ ad patrem contendit: cujus foribus alliden, cum dormienti moleſtus eſſe nollet, ob frigus obortum toto corpore, capite imprimis adeò intumuit, ut de vitâ Medici deſperarent. Recordatus autem Laudani ſui tres pilulas deglutiit, ibi ſomno ſecuto tumor ſublatus eſt, & incolumis evaſit.

Poſteà mortuâ uxore *Simoni Gryneo Tubingæ* vocato, & cum quo familiariter anteà vixerat, in Profeſſione linguæ Græcæ ſucceſſit A. 1534.

Prof. Græcæ Linguæ Tubingæ.

Cum autem decretum ab Academiâ fieret, ut quisque Profeſſorum in Facultate ſuâ gradum ſummum petat, ſi anteà non ſit conſecutus, *Oporinus* cum aliis id detrectans, animum ad Typographiæ ſtudium convertit, & cum affine ſuo *Roberto Wintero* optimos auctores cepit exſcribere. Prodierunt ex ipſius officinâ auctores optimi, nec ullum opus, niſi ab ipſomet correctum, lucem vidit. Et licet fortunam ſæpius haberet adverſam, nihil tamen de ſtudio ſuo pertinaci remiſit. Multa etiam ſuo Marte conſcripta typis edidit, undè præclarum in Republicâ literariâ nomen ſibi comparavit.

Scripta.

DANIEL BARBARUS.

Obiit A.C. 1569.

PAtriam cum *Hermolao Barbaro* communem habuit *Venetias*, ex nobili familiâ natus. A primis annis Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis addictus, in virum evaſit doctiſſimum, qui cum poſt Reip. *Venetæ* nomine Legatus fuiſſet ad *Innocentium VIII.* Pontificem *Rom.* ab eo ad Patriarchatum *Aquilegienſem* promotus eſt. Architecturæ ſtudiis delectatus, & *Pollionis Vitruvii* poſt *Guil. Philandrum* illuſtrator alia quoq; Philoſophica ſcripta edidit. Tandem in *Pſalmos Davidis commentarium* ſcripſit, quem tamen abſolvere non potuit, morte abreptus Idib. April. A. C. 1569. æt. 40. Vilibus exequiis, ſicut vir ab omni ambitione alienus, extremis tabulis mandârat, & ſine elogio ad S. *Franciſci* ſepultus.

Patriarcha Aquilegienſis.

Moritur.

Scripta:

Comment. in Vitruvii libros X. de Architecturâ. Practica perſpectiva. Commentationes in 5. voces Porphyrii. Comment. in tres libros Rhethoricor. Ariſtotelis ad Theodecten. Dialogo dell' Eloquenza.

Scripta.

* *Ex Theatro Ital. Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

COELIUS SECUNDUS CURIO.

Obiit A.C. 1569.

C*Yriaci Subalpinæ* gentis apud *Italos* oppido A.C. 1503. natus, & in *Taurinenſi* Gymnaſio ingenuis artibus imbutus, cum ob ſinceram Chriſti doctrinam, quam ab ineunte juventâ, ſpretis Papiſticis ſuperſtitionibus, amplexus fuerat, varias à cucullatis perſecutiones, carceres, & vincula paſſus eſſet; ſemper tamen poſt tot *Eporediæ*, *Taurini*, *Luceq;* intentatas mortes atque flammas, præſentiſſimâ Numinis ope ereptus, evaſit.

Taurini ſtudioſus.

Ob fidem perſecutiones paſſus.

Quanquàm autem in aliquot *Italiæ* urbibus eruditionis ſuæ famam ſparſiſſet, eoque nomine multorum gratiam ſibi conciliâſſet, quia tamen ob Pontificis *Romani* inſidias nullibi tutus eſſe poterat, ſeſe trans *Alpes Lauſannam* primum, & poſt quadriennium A. C. 1547. *Baſiléam* recepit, ubi à viris doctis humaniter exceptus & habitus

Lauſannæ & Baſileæ Eloquentiæ Profeſſor.

Eloquentiæ nactus eſt Profeſſionem, in quâ 22. annis verſatus, talem ſe præſtitit, ut è remotiſſimis regionibus illius audiendi gratiâ plurimi convolârint.

Civitatis jure donatur.

Magiſtratui ſanè adeò acceptus fuit, ut eum unà cum liberis omnibus Civitatis jure donârit.

Filium *Auguſtinum* vivus Rhetorices Profeſſorem vidit. Filias tres habuit *Angelam*, *Cœliam*, & *Felicitatem*, Linguarum *Latinæ*, *Gallicæ*, & *Italicæ*, præter vernaculam peritus, quæ An. 1564. intra 20. dies ætat. ann. 18. 17. & 16. ſævâ peſte abreptæ obierunt. Ipſe verò Pater vivis exceſſit An. C. 1569. æt. 66.

Tres habuit filias eruditas.

Sepulchrum ejus hâc Epigraphe inſignitum eſt:

Epitaphium.

HOSPES HAVE ET DISCE.
NON COELIUS HEIC
SED COELI ΣΩΜΑ, IMO ΣΗΜΑ,
SPIRITUM CHRISTUS HABET,
COETERA NOMEN
VERÆ PIETATIS, HUMANITATIS
INSIGNISQUE CONSTANTIÆ
QUUM ΣΩΜΑ IN שמים
TUNC VERE ERIT,
COELIUS SECUNDUS CURIO
HOSPES SI DIDICISTI
VALE.
RELIQUIT ÆT. SU. AN. LXVII.
SAL. clɔ Iɔ LXIX.
AD VIII. KL. DCB.

Auguſtino autem filio *Sarracenicæ Hiſtoriæ Scriptori*, nec multò ante exceſſum ejus ad publicam Rhethorices Profeſſionem vocato vivens talem alabaſtro memoriam inſcribi curaverat:

JANUA. D. SER. SO. SA. S. VITÆ.
COELIUS SECUNDUS CURIO AUGUSTINO DULCISS. SANCTISSIMOQUE POLYHISTORI, RHETHORI: CUJUS CORPUS HIC CUM III. SORORIBUS LECTISS. JACET, SPIRITUS CUM CHRISTO, NOMEN IMMORTALIBUS SCRIPTIS VIVIT IN TERRIS, SOCIO ET HÆREDE STUDIORUM ORBATUS DUM REVIVISCIT P.O. VIXIT ANN. XXIIX. OBIIT AN. DO. clɔ Iɔ LXVII. DIE XXIIII. OCT.

Hujus ad exemplum juvenes florentibus annis
Vivere ritè Deo diſcite, ritè mori.

Scripta:

Scripta.

De amplitudine beati Regni Dialogi, ſive Libri II. in quibus aſſerit, numerum electorum ſive ſalvandorum in regno cœleſti multò majorem futurum quàm reproborum. Chriſtianæ Religionis inſtitutio. De artificio diſſerendi. De literis, doctrinâq; puerili, ac ratione docendi Grammaticam. De bello Melitenſi Hiſtoria. Araneus, ſive de Providentiâ Dei. Libell. de immortalitate animar. Oratio de ingenuis artibus. Alia in laudem Scribarum. Paraphraſis in principium Evangelii S. Johannis. Bernardini Ochini Sermo ex Italico verſus pro verâ & antiquâ Eccleſiæ Chriſti auctoritate. Paſquillus Ecſtaticus cum aliquot lepidis Dialogis, quibus præcipua noſtræ religionis capita explicantur. Comment. in Orationes Ciceronis. Theſaurus Latinæ Linguæ.

* *Ex Epitome Hiſtoriæ Baſilienſis Chriſtiani Urſtiſii, Math. Prof.*

PAULUS SCALICHIUS.

Clar. A. C. 1570.

COmes *Hunnorum*, Marchio *Veronæ*, è priſcâ *Scaligerorum* familiâ principe originem venditans ſuam, Myſticæ Philoſophiæ & Encyclopædiæ totius fuit ſcientiſſimus. In Theologiâ alter ſui temporis *Ecebolus* olim *Ferdinando* Aug. Cæſ. à Sacrificio Miſſæ, poſt fidei aliquandiu Profeſſionem in *Boruſſiâ* ſimulans Evangelicæ, tandem Canonicus Eccleſiæ Pontificiæ *Monaſterienſis* iniquis electus ſuffragiis, partes Antichriſti *Romani*, quas anteà oppugnaverat, ſcriptis propugnavit ſuis.

Philoſophus ſingularis.

Vir nullius relig.

Canonic. Monaſter.

Cum in aulâ *Alberti* Ducis *Boruſſiæ* aliquandiu viveret, eruditionis variæ ſpecimen dedit, editis aliquot libris æmulatione *Johannis Pici Mirandulæ* Comitis, cui tamen doctrinâ longè inferior & moribus diſpar fuit. Sic ſe paulatim in gratiam Principis ſenis nimium creduli, vanâ doctrinæ & pietatis opinione inſinuavit, eique perſuaſit, ut Conſiliariis veteribus remotis alios *Scalichio* acceptos in eorum locum elegerit, *Matthiam Horſtium*, *Snellium*, *Steinbachium*, & *Johannem Funccium*, Theologum aulicum. Ipſe verò tempeſtatem ſecutam præſagiens maturè ſe ſubduxit. Paulò poſt ſuperveniens *Albertus* Dux *Megapolitanus*, Principis *Boruſſiæ* gener, ſocerum perſuaſit, ut Teſtamentum, quod fecerat, reſciderit, *Scalichium* totâ *Boruſſiâ* exegerit, & donationes ipſi factas aboleverit. Poſteà quatuor novi Conſiliarii in vincula conjecti, tanquam Pacis perturbatores ad mortem damnati, & *Funccio* in foro Montis Regii caput amputatum eſt, 28. Octob. A. C. 1566. *Scalichius* autem multis variantis fortunæ caſibus exercitus vitam in terris clauſit ſuam fine incerto.

Turbarum in Boruſſiâ autor.

Boruſſiâ expulſus.

Scripta:

Scripta.

Epiſtemon Catholicus, quo univerſus Orbis tam Sacrarum quàm profanar. diſciplinarum, omniſque omnium Sectarum & Philoſophiæ doctrina Catholica declaratur. Dialogus de Miſſâ. Revolutio Alphabetaria, ſeu perfectiſſima ad omne genus Scientiarum M[illegible]. Exlogus, ſeu de Animâ ſeparata ejuſque paſſione. Dialectica contemplatio ad conſequendos Scientiarum habitus perquàm utilis & neceſſaria. Encomium Scientiarum. Concluſiones in omni genere Scientiarum olim Bononiæ primùm, deindè Romæ propoſitæ. Theſes Myſticæ Philoſophiæ. De mundo archetypo Intellectuali, Cœleſti, Elementari, Minori, & Infernali. De Choreâ Monachorum, ſeu Cœtu Antichriſti. Miſcellaneorum de rerum cauſis & ſucceſſibus, & de ſecretiore quâdam Methodo, quâ verſiones omnium Regnorum univerſi Orbis & futurorum ſeries erui poſſint Lib. VII. Certiſſima Methodus, quâ homines palantes ad viam veritatis veniant revocandi, contra Centurias Joh. Naſi Minoritæ. Exilium, ſeu de verâ Chriſti doctrinâ, & de ſola fide juſtificante. Judicium de præcipuis libris noſtræ ætatis. De

propriâ-



PETRUS RAMUS.
Eloquentiæ & Philoſ. Prof.



CORNELIUS MUSIUS.
Cœnobiarcha Delfenſis & Poeta.



CAROLUS LANGIUS.
Philologus & Criticus.



IOACHIMUS CAMERARIUS.
Græcæ & lat. Ling. Prof. Lipſ.



PAULUS MANUTIUS.
Bibliothecarius Romæ:



BERNARDIN. SCARDEON.
Canonicus & Hiſtoricus Pat.



IUSTUS VULTEIUS.
Hebr. Ling. Prof. Marpurgi.



GUILIELMUS CANTERUS
Philologus Lovanienſis.



GUILIELM. XYLANDER.
Linguæ Græcæ Prof. Heidelb.



VALENTIN. ERYTHRÆUS
Primus Gymnaſ. Altdorf. Rector



BERNARDIN. TOMITANUS
Logices Profeſſor Patav:



PETRUS PAGANUS.
Hiſtor. & Poeſ. Prof. Marpurgi



LAMBERT. HORTENSI9.
Scholæ Nardenſis Rector.



PETRUS DANESIUS
Linguæ Græ. Prof. Lutetiæ.



IOHANNES MENDLINUS
Logices Profeſſor Tubing.



ALEXANDER PICCOLOMINE.
Patrar. Archiepiſcopus & Phil.

Digitized by Google

proprietatibus Antichriſti, & de extremo judicio Germanicè. Loci communes Theologici, ſive pro Eccleſiâ Romanâ, ejuſque autoritate adverſus veſaniam Neopiſtorum Oratio. Genealogia Scalanæ gentis.

* *Ex Vitis Virorum doctorum Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A.C. 1570.

BERNARDINUS ROTA.

Poëta inſignis.

EQues *Neapolitanus*, & Poëta elegans, in annis juvenilibus Poëmata ſcripſit *Latina & Italica*, in Elegiis *Tibullum* imitatus, & in Liricis *Horatium*. Uxorem habuit *Portiam Capitiam Neapolitanam*, virtutibus exornatam, in cujus vitam & obitum Volumen Carminum ſcripſit. In patriâ mortuus circa A.C. 1570. Sepultus fuit in Templo S. *Dominici* juxta uxorem ſuam, cum hoc Epitaphio:

Moritur. *Epitaphium.*

PORTIA CAPITIA VIVA GAUDIUM, MORTUA MARITI GEMITUS HIC SITA EST. BERNARDINUS ROTA PERPETUO MOERENS, PERPETUO LACHRYMANS, PROH DOLOR! QUANTUM FUIT CHARISSIMA!

Scripta:

Scripta.

Sonetti & Canzoni. Rime di diverſe materie. Eglogbe Peſcatorie. Elegiarum lib. III. Epigrammatum lib. IV. Sylvarum, ſeu Metamorphoſeon lib. I. Nænia, quæ nuncupatur Portia. Due Comedie, lo Scilinguato, & li Strabatzi, publicamente recitate in Napoli.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Obiit A.C. 1572.

PETRUS RAMUS.

Filius ruſtici & nepos carbonarii.

APud *Cuthum*, agri *Veromandui* vicum, An. C. 1515. natus eſt, Patre quidem agricolâ, ſed ex ſtirpe nobili, quæ genus ſuum ex *Eburonibus* repetebat. Avus enim *Burgundionum* armis infeſtis patriâ pulſus bonisque omnibus exutus, ad *Veromanduos* confugit, ibique carbonariam artem exercuit. Ille autem cum à puero ingenitâ quâdam diſcendi cupiditate incenſus, *Lutetiam* ſponte adiiſſet, ſuperatis omnibus paupertatis incommodis, gradu Magiſterii & Laureâ Poëticâ ornatus, in virum doctiſſimum tandem evaſit, ſuſceptoq; an. ætatis 36. Profeſſoris munere æquales ſuos omnes tum auditorum frequentiâ tum eloquentiæ famâ longè anteivit: præſertim ſi quando plenis ſubſelliis magnâ oris & ſermonis dignitate *Ciceronem* aut alios Latinæ linguæ Proceres interpretaretur. Nam Philoſophiam non tam aptè tractabat, & dum editis in *Ariſtotelem* animadverſionibus ſummum illum Philoſophum liberius inſectaretur, mirum quantos in totâ *Pariſienſi* Academiâ tumultus excitaverit.

Philoſophiæ Magiſter & Poëta. *Eloquent. Philoſophiæ & Mathemat. Profeſſor.* *Ariſtotelem impugnavit.*

Poſtremò & Mathematicas diſciplinas avidè amplexus eſt, quarum ſtudia tanti fecit, ut munificentiâ quâdam Regiâ publicam earum Profeſſionem *Lutetiæ* inſtitueret. Ex immodicis vigiliis ophthalmiâ aliquando correptum, *Jacobus Sylvius* ſummus aliàs Medicus infauſto ſucceſſu vino curare voluit, ut æger vix ſummis remediis reſtitueretur: oculis autem ideò laboravit, quod nunquàm per totam vitam in lecto, ſed ſtramine tantùm dormire conſueverit.

Oculis laboravit.

Ferventibus in *Galliâ* bellis liberam à Rege Legationem in *Germaniam* impetravit, ut cum virorum doctorum optato congreſſu animum expleret: indéque pace, ut quidem videbatur, *Gallis* reſtitutâ ad ſuam ſtationem reverſus eſt. Sed mox in clade *Bartolomæanâ* A. 1572. interfecto Admirale *Caſp. Collignio*, cum in omnes, qui ab illo ſteterant, impunè ſæviretur, immiſſis ab æmulo *Jacobo Carpentario* ſeditionem adjuvante ſicariis, è cellâ, quâ latebat, extractus, & pugione confoſſus per feneſtram in aream ſubjacentem præcipitatus eſt, & cadaver per urbem à plebe furente tractum in propinquum *Sequanæ* profluentem immanitate plusquàm barbarâ demerſum eſt. Id cum ad *Dionyſii Lambini* aures pervenit, adeò is conſternatus eſt, ut in morbum gravem incidens, poſt menſem vitâ quoque deceſſerit. Annus Cladis *Bartol.* hoc verſu expreſſus eſt:

Legatus Reg. in Germaniam. *Occiſus in laniena Pariſ.*

BartoLoMæVs fLet qVIa GaLLICVs oCCVbat AtLas. 1572.

* *Ex Elogiis Gallor. doctrinâ illuſtr. Scævolæ Sammarthani.*

Scripta:

Scripta.

Comment. de Religione Chriſtianâ. Schola Mathematica. Arithmetica & Geometria. Profeſſio Regia in 7. Artes liberales. Per Freigium f. Defenſio pro Ariſtotele contra Scheckium. Inſtitutiones Dialecticæ. Grammatica Græca & Latina. De Cæſaris Militiâ. De Moribus veterum Gallorum.

CORNELIUS MUSIUS.

Obiit A.C. 1572.

Philoſ. ſtud. Lovanii.

DElphenſis, *Vlardingâ* oppido in *Batavis* antiquo oriundus, natus eſt Id. Junii A.C. 1503. Adoleſcens *Lovanii* in *Caſtrenſi* Gymnaſio Philoſophiam *Ariſtotelicam* hauſit: mox cum Muſis in gratiam rediens, *Conradum Goclenium* Latinas, *Rutgerum Reſcium* Græcas literas in Collegio *Buslidiano* profitentes audivit. In *Galliâ* biennium egit, & cum *Macrino, Johanne Secundo, Joachimo Polite*, Poëtis clariſſimis amicè vivens cœpit ingenii ſui fœtus evulgare. In patriam reverſus, Sacris D. *Agathæ* virginibus annis ferè XXXV. præfuit, magnâ per univerſam *Bataviam* innocentiæ ſanctitatisque famâ. Erat comis imprimis, cujus domus hoſpitibus præſertim literatis ſemper patebat. Sinceriores magisque fidos amicos expertus eſt *Guil. Lindanum, Franc. Sonnium, Hovæum Tapperum, Gerardum Moringum, & Cornelium Crocum.*

Poëta. *Cœnobiarcha Delfenſis.*

Delphis Bataviæ urbe occupatâ à *Lumeio Lugdunum Batavorum* abductus nocte intempeſtâ, naſo & auribus truncatis manuum pedumque digitis, & iis, quæ naturæ honeſtas abdidit, præciſis, immanitate plusquàm barbarâ laqueo ſtrangulatus eſt 10. Decemb. horâ noctis decimâ A.C. 1572. ætatis 70.

Obiit ſtrangulatus.

Symbolo utebatur: *Nil ſine fato, & nil ſine Chriſto.*

Vivus hoc ſibi modeſtum Epitaphium ſcripſit:

Epitaphium.

Quod Cornelius Muſius
Hoc in ſepulchro clauditur
Nemo indecorè lacrumet,
Vivus reſurget denuò.

Æternitati
Cornelii Muſii Delphii, Sacerdotis, Poëtæ, Martyris.

Scripſit:

Scripta.

Encomium Solitudinis verſibus Rhythmicis. Imaginem Patientiæ verſu Elegiaco. Oden de temporum fugacitate, & de ſacrorum Poëmatum immortalitate. Odas & Pſalmos aliquot. Inſtitutionem Fœminæ Chriſtianæ ex Proverbior. cap. ult. Tumulorum Deſid. Eraſmi Libellum. Hymnum de S. Cornelio, S. Agathâ &c. Preces à morte evulgatas.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Clar. A. C. 1573.

CAROLUS LANGIUS.

ORtu *Gandenſis*, vel, ut *Aubertus Miræus* exiſtimat, *Bruxellenſis*, *Johannis* filius, *Carolo* Cæſari à Secretis, Canonicus *Leodicenſis* ad D. *Lamberti*, ſummus ævi ſui Criticus. Teſtantur id eruditæ in M. *Tullii Ciceronis* officia, adjunctosque Libellos poſt *Lambinum* emendationes, quales in totum *Ciceronem meditabatur*.

Criticus.

Ciceronem emendavit.

Notas illas auctiores ejusque Poëmata edidit *Andreas Schottus*, Soc. Jeſu. Cœperat & *Senecam* ac *Suetonium* Notis illuſtrare, multaque in *Plinio*, *Theophraſto*, & *Dioſcoride* aliis non viſa obſervaverat, quæ ſive morte præventus, ſive modeſtiâ adductus non evulgavit.

Juſti Lipſii familiaris.

Intima ipſi cum *Juſto Lipſio* familiaritas fuit, cujus judicium quanti idem in tantâ amicorum copia fecerit, argumentum eſt, quod in aureis illis de *Conſtantiâ* libris unicum *Langium* diſſerentem induxerit. *Levinus Torrentius*, qui tum *Brabantiæ* Archidiaconum *Leodici* agebat, Bibliothecam amici, ne diſcerperetur, ſuo ære coëmit, defunctumque ad D. *Lamberti* tumulo marmoreo condidit, hâc Inſcriptione:

Epitaphium.

CAROLUS LANGIUS J. C.
VIR UT SCRIPTA EJUS TESTANTUR DOCTISS.
CUI LÆVINUS TORRENTIUS ET JOHANNES DOVERINUS COLLEGÆ MONUMENTUM POSS.
OBIIT CIↃ IↃ LXXIII. IV. KAL. AUGUSTI.

Scripta:

Scripta.

Notæ in M. Tullii Ciceronis Officia, de Amicitiâ, & de Senectute. Variantes Lectiones in Plauti Comœdias. De laudibus Urbis Leodicenſis Carmine. Paraphraſis in Orationem Dominicam. In navalem Chriſtianorum de Turcis victoriam, Duce Johanne Auſtriaco.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Swertii.*

Obiit A. C. 1574.

JOACHIMUS CAMERARIUS.

BAbebergæ in Franconiâ natus eſt 12. April. A. 1500. Patre *Johanne*, Senatore *Bambergenſi*, orto ex familiâ patritiâ *Norimbergenſi Camerariorum*, vulgo *Kammermeiſter* / quibus, ſeneſcente nomine avito *Liebbardorum*, tempore Imp. *Henrici Claudi* nomen hoc à publico aulæ officio adhæſit.

Hic *Johannes Camerarius* nullo medicamento nec venæſectione unquàm uſus obiit A. C. 1527. ætatis 82. Uxorem habuit *Martham Weceliam*, *Suinfurtenſem*, ex quâ præter hunc *Joachimum* filios ſuſcepit *Hieronymum*, trium Principum Cancellarium, & *Joſephum Budæ in Hungariâ* vitâ defunctum, cum 4. filiabus.

A. 1513. *Lipſiam* miſſus à Patre *Joachimus* hic, Præceptorem ibi nactus eſt *Georgium Helsum Forchemium*. *Studioſus Lipſienſis.*

A. 1514. Primam ibi lauream Philoſophicam adeptus, Græcis abindè literis operam dare cœpit, *Petri Moſellani* auditor, & ante hunc *Richardi Croci*, cui vicariam ſæpè operam in docendo præſtitit.

A. 1517. Cum *Johannes Tecelius*, indulgentiarum nundinator, *Lipſiæ* in æde *Paulinâ* pro concione merces ſuas impudenter laudâſſet, hic cum *Georgio Helto* ſecum abire jubente templo egreſſus eſt, quòd nugas monachi neuter amplius audire vellet.

A. 1518. *Erfordiam* ſtudiorum gratiâ migravit, ubi An. 1521. cum *Georgio Sturciade* Philoſ. Magiſter creatus eſt. Paulò pòſt famâ *Mart. Lutheri & Philippi Melanchthonis* invitatus, *Wittenbergam* ſe contulit. Ibi *Melanchthonis* amicus fuit adeò familiaris, ut *Atticus Ciceronis*. *Erfordienſis Philoſophiæ Magiſter.*

An. 1525. Ortâ ſeditione ruſticorum, in *Boruſſiam* ſeceſſit cum *Jacobo Fuchſio*, nobili *Franco*.

A. 1526. *Noribergam* à Senatu vocatus, in Scholâ ibi recens erectâ literas Græcas docuit. Ibidem amiciſſimè vixit cum *Alberto Dürero*, Pictore celebri. *Noribergæ Græcas literas docet.*

A. 1527. In matrimonium duxit virginem nobilem *Annam Truchſeſiam à Grünsperg*, cum quâ 46. annos pacatè vixit, & ex eâ 5. filios ſuſcepit, *Johannem*, Ducis *Boruſſiæ* Conſiliarium *Regiomonti* mortuum, *Joachimum*, Medicum *Norimbergenſem*, *Philippum*, Conſiliarum *Norimb*. *Ludovicum*, Medicum per *Italiam* & *Galliam* clarum, & *Gotfridum*, *Richardo* Comiti Palatino inſervientem. Ex 4. filiabus prima *Esromo Rudigero*, altera *Johanni Hummelio*, Mathematico, quarta *Caſp. Jungermanno*, J. C. *Lipſienſi* deſponſatæ ſunt: tertia *Martha* virgo deceſſit A. 1558. *Conjugium ejus & Liberi.*

A. 1530. A Senatu *Nor*. ad Comitia *Auguſtana* cum aliis miſſus eſt.

An. 1534. Ad Scribæ Senatorii munus *Noribergæ* vocatus, in Scholâ ſe deinceps manſurum reſpondit.

A. 1535. *Tubingam* ab *Ulrico*, Principe *Wirtenbergico* vocatus, quinquennium ibi in Academiâ recenter inſtauratâ docuit. *Profeſſor Tubingenſis.*

A. 1541. A Ducibus *Saxonicis* accerſitus, *Lipſienſis* Academiæ inſtaurandæ negotium in ſe ſuſcepit, adjutus à *Caſp. Bornero*, Theologo. Ibi ad finem vitæ literas Græcas & Latinas in Academiâ docuit. *Profeſſor Lipſienſis.*

A. 1556. Cum *Melanchthone Ratisbonam* ad Conventum Imperii venit.

A. 1568.

A. 1568. Imp. *Maximilianus II. Viennam Auſtriæ* evocatum de doctrinâ Eccleſiæ clementer audivit, & ſuo functum officio cum favore domum dimiſit.

Moritur.

Tandem cum ſupremis tabulis caviſſet, ut ſine omni pompâ poſt mortem terræ mandaretur, dyſuriâ obiit *Lipſiæ* 17. April. A. 1574. æt. 74. Uxorem præmiſit 15. Julii An. 1573.

Lipſiæ dum ſtudia tractaret, ob autorum Græcorum penuriam integra Volumina Græca manu ſuâ deſcripſit, delectatus inprimis *Herodoto* & *Homero*. Docuit Latinè loqui *Herodotum*, *Demoſthenem*, *Xenophontem*, *Euclidem*, *Homerum*, *Theocritum*, *Sophoclem*, *Lucianum*, *Theodoretum*, *Nicephorum* & *Gregorium Niſſenum*.

Linguam *Gallicam* & *Italicam* jam ſenex attigit, *Hebraicam* etiam deguſtavit, in *Græcâ* familiam duxit, in *Latinâ* ceſſit nemini.

Scripta:

Scripta.

Catalogus Epiſcoporum in præcipuis Eccleſiis. Proverbia Hiſtorica. Opuſcula de re ruſticâ. in 8vo. Epigrammata Græca. Dialogi Græco-Latini. in 8vo. Commentaria in Plautum. Lexicon magnum Phavorini. Vita Melanchthonis & Eobani Heſſi. Intimationes aliquot de præcipuis diebus feſtis. Homilia, in quibus tractatur, quid in Chriſtianis Eccleſiis congregato populo diebus feſtis olim actum ſit, ex Evangelicis Scripturis exceptæ. in 4to. De numiſmate Græcor. & Latinorum. in 8vo. Notatio figurarum ſermonis in 4. libris Evangeliorum indicatâ verborum ſignificatione & orationis ſententiâ. in 4to. Hiſtoria Jeſu Chriſti filii DEI ſummatim relata expoſitio: itemque eorum, quæ de Apoſtolis Jeſu Chriſti ſingulatim commemorari poſſe, rectè & utiliter viſa ſunt. in 8vo. Orationes II. de bello adverſus Turcam ſuſcipiendo. Hiſtorica narratio de fratrum orthodoxorum Eccleſiis in Bohemiâ, Moraviâ & Poloniâ. in 8vo. Chronologia tripartita. Narratio de Cometarum nominibus, naturâ, cauſis, ſignificatione, cum hiſtoriarum exemplis. in 8vo. De Oſtentis Lib. III. in 1640. Commentarius de generibus divinationum ac Græcis Latinisque vocabulis. in 8vo.

PAULUS MANUTIUS.

Obiit A.C. 1574.

Filius *Aldi Manutii*, *Venetiis* natus eſt 1. Julii A. C. S. 1512. Philologus & Poëta eximius, primus ævi ſui literarum humaniorum Profeſſor meruit *Romani* puritate ſermonis inter Oratores ſelectiſſimos cooptari, eò præſertim admirabilior, quod moroſo addictus typorum exercendorum operi anguſtius vacare literis, debitâque ſtylum exercere poſſe ſolertiâ videretur. *Bononienſes* ſex annis ejus uſi ſunt operâ in excudendis libris Academiæ ſuæ utilibus. *Romæ* peregregiâ à Patre munitus inſtitutione incepta ejuſdem potuit ſignare veſtigia opifex ac doctus, Indè in adverſâ quæſitum fortunâ ſubſidium, hinc in proſperâ ornamentum.

Orator.

Typographus Bononienſis.

Bibliothecar. Romæ.

Ibidem charus Pontificibus *Pio V.* & *Gregorio XIII*, *Vaticanæ* aliquantiſper Bibliothecæ præfectus ad præclariſſimorum virorum ſibi gratiam ſtravit aditum, intimâ usque adeò officiorum communione, ut paternâ ipſum, cum Muſarum & elegantiæ non vulgaris arbitrum, pietate complecterentur. Verùm illi exoptabili hoc virtutis fructu diutius potiri non licuit iniquioris fati turbine *Venetiis* revoluto. Sacris enim in clauſtris jam pridem ipſius detenta filia eò furoris abrepta eſt impetu, ut indè ſe clam egreſſuram minaretur Patri, niſi omni ſtudio ipſam extrahere niteretur: quo factum, ut is plurium itinerum vexatione, æger animo, afflictusque corpore, coactus fuerit, inuſitato exemplo, virginem pluribus annis DEO dicatam mundanis anguſtiis iterum devovere: quæ cum poſteà honeſto conjugi nupta pravâ ſe libidinis fœdârit indole, infeliciterque peregerit, inteſtino is mœrore correptus, reliquum vitæ ſolicitâ cogitatione traduxit.

Cum verò ei acceſſerint vetuſta luis *Gallicæ* inquinamenta, quibus alternatim vel temporum vel locorum, vel victuum lædebatur mutatione, vitæ conditionem deteriorem ſortitus videri potuit, niſi infracto cum animo perferre ſingulis oſtendiſſet.

Morbo Gallico laboravit.

Venetiis quippe ipſius domus continuò Senatorum & doctorum Virorum frequentiâ nobilis fuit. Imaginem depictam ejus viventis exterorum nobiliſſimi ſuis in aulis repoſitam voluerunt, inter quos *Matthæus Senarega Genuenſis*, ac poſteà Dux patriæ renuntiatus, octimeſtre cum eo ſponte geſſit hoſpitium, quo eruditâ Viri humanitate ac præſentiâ intimiùs frueretur. Filio relicto *Aldo*, paternarum virtutum æmulo, cum diu præ macie in lecto decubuiſſet, attenuato ſtudiis aſſiduis corpore, vitâ defunctus eſt *Romæ* 9. Id. April. A. C. 1574. ætatis 62. cum annis aliquot ante *Romam Venetiis* evocatus fuiſſet ut Sacrorum librorum editioni præeſſet.

Obiit Romæ.

Scripta:

Scripta.

Epiſtolarum Ciceroniano ſtylo ſcriptarum Libri XIII. Commentaria in M. Tullii Ciceronis Rhetoricam, Epiſtolas familiares, & Orationes. Apophthegmatum ex optimis utriusque Linguæ Scriptoribus Libri VIII. Antiquitatum Romanor. Libri IV. de Civitate, Senatu, Comitiis, & legibus. Annotationes in P. Virgilii Bucolica & Georgica. Additiones in Dictionarium Ambroſii Calepini. Phraſes tabulis delineatæ per Carpentarium.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicentini.*

BERNARDINUS SCARDEONIUS.

Obiit A.C. 1574.

Patavinus Canonicus, vir pietate, moribus, & eruditione inſignis, & in commendandis patriæ monumentis diligentiſſimus. Abdicatis rerum humanarum curis ſoli DEO incorruptam mentem ſervavit. Annis primùm 24. Sacris Virginibus Cœnobii S. *Stephani* extitit moderator. Indè Canonicus electus. Librum à primâ juventâ cœptum

Moderator Virginum.

Canonicus Patav.

Autor Antiquit. Patav. coeptum de *Antiquitate Urbis Patavinæ* de què claris ejuſdem Civibus, ad umbilicum perduxit, & typis demandandum curavit vivens. Fuit illi perhonorificus is labor & patriæ gratus, in quo multa bonâ fide digeſſit, & mirâ elocutione poſteris conſignavit legenda. Elogiorum ejus omnium inſtar erunt, quæ *Martinus Sandellius* Vir eruditiſſimus ſcripſit.

Moritur. Obiit 29. Maji A. C. 1574. ætatis 96. eique in Eccleſiâ ſepulturæ honorem meruit, in quâ Divini ſui cultûs præcipua monumenta reliquit. Sub ejus effigie inibi pictâ hæc extant:

Epitaphium.

BERNARDINO SCARDEONIO
CIVI ET CANONICO PATAVINO
RARÆ INTEGRITATIS ATQUE ERUDITIONIS
VIRO,
QUIPPE QUI COETERIS CHRISTIANO SACERDOTI DIGNIS VIRTUTIBUS FIDEM CONCILIANTIBUS ILLIBATUM VIRGINITATIS FLOREM AD ULTIMAM USQUE SENECTAM
ATTULISSE CREDITUS EST.
CUJUS CHARITATI ATQUE INDUSTRIÆ HÆC PATRIA ANTIQUITATUM AC RERUM GESTARUM GLORIA INCLYTA ACCEPTAM REFERT
MONUMENTORUM SUORUM MEMORIAM
AB INTERITU VINDICATAM.*
SACRÆ VIRGINES AD D. STEPHANI, QUIBUS ILLE TOTOS XXXIV. ANNOS A SACRIS
CONFESSIONIBUS PRÆFUIT,
PARENTI OPTIMO ET MERENTISSIMO HOC GRATI ANIMI MONUMENTUM UNANIMES POSUERE,
PROCURANTIBUS
MAGDALENA VERCELLENSI ANTISTITA,
MARTINO SANDELLIO CONFESSARIO.

Supra ſaxum, ubi oſſa ejus quieſcunt, talia leguntur:

BERNARDINUS SCARDEONIUS CAN. PATAVINUS VITÆ CANDORE PRÆSTANTIAQUE DOCTRINÆ CONSPICUUS HIC QUIESCERE JUSSIT, UBI ANNOS XXXIV. ANIMOS MONIALIUM REGENDO LABORAVIT.
VIXIT ANNOS XCVI. OBIIT ANNO
MDLXXIV. DIE XXIX. MAJI.

Latinè ſcripſit:

Scripta. *De Antiquitate Urbis Patavinæ & claris Civibus Pat. Libros III. in XV. Claſſes diſtinctos. De Sepulchris inſignibus cæterorum Patavii jacentium. De Caſtitate Libros VII. Lib. de ratione benè moriendi.*

* *Ex Elogiis illuſtrium Viror. Jac. Philippi Tomaſini.*

JUSTUS VULTEJUS.

Clar. A. C. 1575.

NAtus in oppido *Wetterâ Haſſiæ* A. 1529. Patre *Johanne*, Reip. viro conſulari, Matre *Mechtildâ*. Puter traditus eſt diſciplinæ *Joh. Fœnilii*, cum fratre *Johanne*, quondam Senatore *Marpurgenſi*. A. 1542. Ambo à Patre *Dillenbergam* in Comitatu *Naſſov.* miſſi ſunt in ludum literarium, tum à *Joh. Piſtorio* & *Ant. Berenſi* erectum.

Studioſus Marpurg. A. 1544. In Academiam *Marpurgenſem* venientes, M. *Caſp. Rudolphi* privatim & publicè operam dederunt, & *Juſtus* publicum primæ Laureæ teſtimonium adeptus eſt.

A. 1546. A patre de conſilio *Joh. Pincieri*, Theologi *Wetterani* in Acad. *Argentoratenſem* miſſi ſunt, ubi in publico examine eruditionis teſtimonia adepti ſunt. *Argentorati.*

A. 1547. Exorto bello inter *Carolum V.* Imp. & Proteſtantes, *Erfordiam* petierunt, ubi ſtudia ita frigebant, ut maturè *Lipſiam* migrare coacti ſint, liberaliter excepti à *Gotfrido Sibeto*, Rhetor. Prof. Indè *Wittenbergam* ut *Phil. Melanchthonem* docentem audirent, profecti, cum ob belli tumultûs brevi pòſt Academia diſſiparetur, *Tigurum* abierunt. Indè *Johannes Halam* in agro *Tirolenſi* ſe contulit, *Juſtus Baſiléam* petiit, ſuamque operam in ædibus *Miconii Joh. Oporino* locavit in vertendis auctoribus Græcis *Æliano*, *Heraclide*, & *Polyæno* an. æt. 18. *Dionyſii Halicarnaſſei* verſionem, quam tentaverat idem, affectam quidem, ſed quod *Xylandro* iſthâc in re prævèntus eſſet, non perfectam reliquit. Reliquit etiam Poëmata in V. libr. diſtributa, Latinè & Græcè conſcripta, in quorum primo Sacra continentur, & monoſticha in Veteris & Novi Teſtamenti capita; ſecundo ſententiæ: tertio varia: quarto Epithalamia: quinto Epicedia & Epitaphia. A. 1548. Relictâ *Baſileâ*, *Francofurti* in nundinis autumnalibus in *Joh. Pincierum* incidit, cujus conſilio facto anteà per *Brabantiam* & *Flandriam* itinere *Lutetiam* adiit, ubi cum *Ludov. Lavatero*, Theol. *Tig.* amicitiam contraxit. Deindè *Genevam Calvini* viſendi gratiâ petiit, & indè *Lauſannam*. *Lipſ. Wittenb. & aliis in Academiis.*

In patriam reverſo parentes deſponderunt matronam honeſtam *Catharinam Fettiam*, ex quâ tres filios & filiam unicam ſuſcepit.

Ludimoderator Wetter. Ludum deindè literarium *Wetteræ* aperuit, in quo Rhetoricam & Dialecticam à ſe conſcriptam cum linguis Græcâ ac Latinâ, *Pincierus* verò Hebræam docuit.

Ex eâ Scholâ præter alios multos prodiit *Wigandus Orthius*, Prof. *Marpurg.*

An. 1560. Cum ob Scholæ famam multi relictâ Academiâ *Marpurgenſi Vultejum* accederent, *Guilielmus Haſſiæ* Princeps ſolenniter illum Acad. *Marpurgenſis* Pædagogiarcham vocavit. Ideò licèt invitus eò venit, & Scholam tanto cum ſucceſſu gubernavit, ut non immeritò *Haſſiæ* Principes linguæ Sanctæ Profeſſionem à morte D. *Happelii* illi nihil minus cogitanti deferendam cenſuerint.

Moritur. 17. Martii A. 1575. Cum optimè valens domum rediiſſet, & caput oberrantem inclinans apprehendere voluiſſet, per climacteros nemine præſente decidit, & periculoſo in capite vulnere accepto animam DEO reſtituit 31. Martii A. 1575. æt. 46.

GUILIELMUS CANTERUS.

Obiit A. C. 1575.

NAtus eſt *Ultrajecti* 24. Julii An. 1542. Patre *Lamberto Cantero*, J. C. & Senatore, Matre *Johannâ*, filiâ *Theodorici de Wyck*.

Infans

Infans adhuc in ſinu nutricis hærens, ſi quando in vagitum ſolutus eſſet, nullâ re citius quàm libri alicujus oblatione placari potuit.

An. 1548. In Scholam publicam à Patre deductus, *Georgii Macropedii* diſciplinæ traditus eſt, qui tamen non multo poſt obiit.

A. 1554. æt. 12. Patre mortuo *Lovanium* miſſus, ibi *Cornelio Valerio*, Profeſſori *Lat.* linguæ in diſciplinam datus eſt, qui neminem ex diſcipulis ſuis ſe tanto amore proſecutum eſſe, quàm *Canterum* hunc in Scriptis ſuis faſſus eſt.

A. 1559. *Lutetiam* ex amicorum conſilio profectus eſt, apud *Johannem Auratum*, Græc. litt. Profeſſorem gratiſſimus hoſpes vixit uſque ad menſ. Aug. A. 1562. Tum motibus bellicis exortis in patriam reverſus, iterum in *Italiam* iter ſuſcepit, *Bononiam* & *Patavium* Univerſitates viſitans, *Venetiis* etiam ob Græcorum codicum mercimoniam aliquandiu ſubſiſtens.

Deindè in *Germaniam* ſe contulit, & *Baſileæ* ſat diu verſatus eſt, contubernalem habens Medicum D. *Henricum Butterum*.

Iſthinc reverſus, per 8. annos *Lovanii* verſatus eſt, ubi privatim apud hoſpitem quendam commodum propriâ quadrâ vixit, & diætam ſtudiis ſuis convenientem ſervavit. Cum autem de patrimonio ſuo viveret, ita rerum ſuarum rationem inſtituit, ut pecuniâ ſemper abundaret. A hora ſeptimâ manè ad undecimam ſtudiis alacriter incubuit, tum largiter pranſus, lucubrationes ſæpè in mediam uſque noctem protrahere, & nunquàm cœnare ſolitus eſt.

Licèt Juris fuiſſet peritiſſimus, Doctoris tamen titulum averſatus eſt, ut à politicis dignitatibus excuſari commodius poſſet, & vitam ab omni faſtu remotam ducere.

Librorum cum eſſet amantiſſimus, nihil ipſi potuit accidere gravius eâ inundatione, quæ 8. Jan. A. 1573. aucto imbribus *Dilio Bibliothecam* ipſius oppreſſit.

Variarum linguarum peritus. Præter patriam linguam *Belgicam* ſex calluit exoticas, *Latinam, Græcam, Hebraicam, Germanicam, Gallicam*, & *Italicam*.

Moritur. 18. Maji A. 1575. *Lovanii* placidè obdormivit, cum à ſemianno febri hecticâ conflictatus eſſet, & vixiſſet annos 33. Sepultus in æde S. *Jacobi*. Bibliothecam fratri ſuo *Theodoro* teſtamento legavit.

Vir fuit ſtaturæ proceræ, membris validis, totoque corpore benè proportionato, facie decorâ, cute candidâ, oculis lætis, vultu hilari, capillis nigris.

Uxorem nunquàm duxit, nec ullius fœminæ conſuetudinem unquàm expetiit.

Scripta. Edidit: *Novarum lectionum libros VIII. Poëmatum lib. IV. Syntagma de ratione emendandi Græcos autores.* Et alia multa.

GUILIELMUS XYLANDER, Germ. Holtzmann.

Obiit A.C. 1576.

Auguſtæ Vind. natus eſt parentibus honeſtis, ſed fortunæ mediocris 26. Dec. A. 1532. Puero literarum ſtudiis dedito D. *Wolffgangus Relingerus*, Patritius *Aug.* ex ærario publico ſtipem ad ſtudia proſequenda impetravit, tantiſper dum probatis profectibus in Collegium *Vetricianum* primùm, deindè *Antonianum* inter ſtudiorum alumnos receptus eſt.

An. 1549. *Tubingam* miſſus, linguarum Græcæ imprimis & Latinæ ſtudio incubuit.

An. 1556. *Baſileam* venit, ubi Magiſter artium ſolenniter renuntiatus eſt. *Philoſophiæ Magiſter.*

A. 1558. *Haidelbergam* vocatus, *Jacobo Micyllo* in Profeſſione linguæ *Græcæ* ſucceſſit. *Prof. Haidelbergenſis.*

Menſ. April. A. 1564. Cum *Fridericus III.* Elector *Pal.* & *Chriſtoph.* Dux *Wirtenbergicus* in *Maulbrunnenſi* monaſterio conveniſſent, ut de Controverſiâ Euchariſticâ colloquium inter Theologos utriuſque partis inſtitueretur, notarii munere functus eſt, ſicut à *Wirtenbergico Lucas Oſiander* ad idem munus fuit delectus.

28. Maji An. 1571. Cum idem Elector *Franckenthalæ* colloquium cum Anabaptiſtis indixiſſet, *Wenceslao Zulegero* præſidi, *Petro Datheno* Concionatori Aulico, *Caſp. Fano* & *Martino Neandro* Collocutoribꝰ *Xylander* adjunctus eſt, qui notarii munus obiret. Cum autem nullis rationibus *Anabaptiſtæ* dimoveri poſſent 19. Julii colloquium ſolutum eſt, & omnes ditione excedere juſſi ſunt.

Moritur. Obiit *Haidelbergæ* morbo ex intempeſtivis lucubrationibus contracto 10. Februarii An. 1576. ætatis 44. Ad D. *Petrum* in Sacello Academiæ ſepultus.

Fuit Logicus, Poëta, Mathematicus, Muſicus, Hiſtoricus, Phyſicus, Græcè & Hebraicè doctus.

Ob egeſtatem fami potius quàm famæ ſcribere coactus, ut ipſe fatetur, edidit:

Plutarchum Latinitate donatum & notis illuſtratum, item *Cedreni Hiſtoriam, & Strabonis ac Dionis monumenta. Diophanti Arithmeticam Latinè reddidit*, quam Duci *Wirtenberg.* An. 1575. obtulit, &, teſte *Cruſio*, 50. Thaleris pro eâ muneratus fuit. *Polybii Hiſtoriam Romanam Germanicè* tranſtulit.

Scripta. Scripſit *Commentarios in Homerum & Horatium. Inſtitutiones aphoriſticas Logices Ariſtotelis. Inſtitutiones rerum Mathemat.*

VALENTINUS ERYTHRÆUS.

Obiit A.C. 1576.

Lindavii Imp. Civitate ad lacum *Podamicum* natus eſt A. 1521.

In Scholam *Argentoratenſem* primò, deindè *Wittenberg.* miſſus Præceptoribus D. *Luthero, Melanchthone* & aliis uſus, *Argentoratum* reverſus, & factus Præceptor Claſſicus: tandem verò D. *Sturmio* adjunctus eſt, & locum Profeſſoris obtinuit. *Prof. Argentoraſ.*

A. 1575. Vocatus à Senatu *Norib.* ad Scholæ *Altorffinæ* regimen, dimidii anni ſpatio Rectoris primi munere functus eſt.

Moritur. Ibidem pleuritide correptus, placidè exſpiravit 29. Martii A. 1576. æt. 54.

Scripta. In lucem edidit: *Tabulas in Orationes Ciceronis, in Dialecticam Sturmii, in Dialecticam Melanchthonis, & in Grammaticam.*

Obiit A.C. 1576.

BERNARDINUS TOMITANUS.

ASpectûs dignitas oriſque lepos cum ingenitæ hilaritatis fulgore viri hujus excelſum præferebant mentis robur, præſtantiſque indolis excellentiam. Itaque mellita ipſum orationis facundiâ in exedrâ perorantem illa tunc admirata eſt ætas. Erat ipſius Gymnaſium nobile velut emporium, ex quo dehinc Epiſcopi, Cardinales, aliique ſcientiarum laude florentes viri nunquàm veracius prodierunt. *Bernardinus Petrella*, Commendonus Cardinalis, *Jac. Zabarella* Præceptoris *Tomitani* doctrinam ſcriptis undiquaque ſuis referunt. *Orator.*

Civis Patavinus. Logicæ Profeſſor. Medicus Pract. Civis cum eſſet *Patavinus*, in patrio Lycéo annos multos *Ariſtotelis* Logicam publicè interpretatus, Medicus interim Profeſſione morbis in urbe curandis operam dedit.

Sublimioris poſteà Cathedræ in Philoſophiâ Ordinariæ deſiderio Senatui *Veneto* Libellum ſupplicem porrigens, Ordinariæ Philoſophiæ Profeſſor deſignari petiit. Cum verò à Senatu in ſtatione ſuâ manere juberetur, Cathedris omnibus in perpetuum valedicens, totum ſe curandis ægris addixit. Ex uxore *Eliſabethâ Zambeſchiâ Donatum* filium unicum ſuſcepit, qui abſque liberis vitâ functus familiam ſecum extinxit. Poëſi etiam *Latinâ* & *Toſcanâ* ſummè delectatus, vix habuit ſuo tempore parem.

Nullus Philoſophorum in penetrandis Logicæ latebris felicior fuit, & in *Circenſibus* lectorum ludis, quorum adhuc uſus tunc in Gymnaſio *Patavino* celebrabatur, tam clatâ vigebat virtutis famâ, ut Collegæ ſui altercationum judicium doctrinalium plerumque ad hanc unam deferre non gravarentur, quin imò verendus in palæſtrâ miles, ſi quando congredi cum alio ferebat occaſio, præominatis victoriæ vocibus ab omnibus excipiebatur.

Vir manſuetus, Indignationi magis interdum quàm par erat obnoxius multorum ſibi captabat odia, quæ tamen lenitate morum admixtâ ſuavitate bonitatis mulcebat.

& ſobrius. Abſtinentiæ cultor veſpere tantùm cibum aſſumere ſolebat, fructuum cujusque ordinis avidiſſimus. Quo vitæ genere usque ad extremum perfunctus eſt, vel quod obeſitati corporis ſui plurimùm detrahere poſſe arbitrabatur, vel quod à primis annis in ſobrietate fuiſſet educatus.

Obiit lue epidemid. Epidemiâ tandem lue, quæ per totam *Venetorum* oram miſerè graſſabatur, de medio ſublatus eſt ætate feſſus *Patavii*, & ſepultus in æde S. *Franciſci* Majoris A. C. 1576.

Edidit:

Scripta. *Animadverſiones in primum poſteriorum Ariſtotelis. Cloridonem, ſeu de Venetorum laudibus. Clonicum, ſeu de Reginaldi Poli Cardinalis laudibus. Thetin in adventu Henrici Regis Gall. & Polon. ad Venet. urbem. Brevem methodum diluendorum paralogiſmor. per diviſionem. Introductiones ad Sophiſticos Elenchos Ariſtotelis. Eclogas de cultu hortorum. Argumenta in 9. quæſita Averrhois demonſtrativa. In Averrhoë & Ariſtotele contradictionum ſolutiones, opus eruditionis eximiæ. De Morbo Gallico Lib. II. Verſi, & Orationi. Dell' Eloquenza del parlar Toſcano.*

*. *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicent. & ex Elogiis Virorum doctorum Jac. Phil. Tomaſini.*

PETRUS PAGANUS.

Obiit A.C. 1576.

POëta ingenioſus & celebris, ortûs ſui cunabula vidit in *Haſſiæ* oppido, quod *Wanfridia* vocatur. A puero cum ingenium multis documentis fertile oſtenderet, Parentum Præceptorumque curâ & induſtriâ humanioribus in diſciplinis, potiſſimum verò in re Melicâ ad miraculum usque brevi profecit, ut ſuccedentibus annis, & maturiori deinceps eruditione, patriæ, parentibus, ſibique ipſi magno exiſteret ornamento. *Poëta.* Cum igitur peculiari naturæ inſtinctu Eloquium & Muſas unicè ſequeretur, Carmen quoque, præſertim Elegiacum, imparibus numeris expeditè ſcriberet, à viris hinc indè doctis cum applauſu non vulgari exceptus fuit, adeò, ut primâ quidem Philoſophiæ laureâ ab *Henrico Orthio* anno 1550. die 14. Martii, ſecundâ verò Poëſeos ab ipſo *Romanorum* Imperatore *Ferdinando Primo* coronaretur. Huic literaturæ ſuperinduxit porrò Hiſtoriarum non minus jucundam & utilem cognitionem, ita, ut Poëta ſimul & Hiſtoricus inſignis evaderet, *Hiſtoricus.* & ad utriusque, Poëſeos ſcilicet Hiſtoriarum Profeſſionem deinceps in inclyto *Marpurgenſi* Athenæo proveheretur. *Profeſſor Marpurg.*

Fuit is omnium horarum arbiter mirè feſtivus, ſalium leporumque Mercurialium æquales inter amicosque temperator ſcitiſſimus, vates imprimis excellens & diſertus, cujus Carmina juxta egregiam, quam ſapiunt, eruditionem, venuſtatem non rarò doctis aſperſam ſalibus delibandam exhibent. *Feſtivus Poëta.*

Cœlebs tandem obiit *Wanfridiæ* in patriâ 29. Maji A.C. 1576. *Moritur.*

Edidit:

Præter varia Poëmata alia, Hiſtoriam tergeminorum Romanorum & Albanorum fratrum, ex Livio, Carmine Epico. Praxin metricam, hoc eſt, Phraſes, elegantias, & invcationes Poëticas. *Scripta.*

* *Ex Operibus Petri Pagani.*

LAMBERTUS HORTENSIUS.

Obiit A.C. 1577.

MOntfortii, ditionis *Ultrajectinæ* oppido, natus A. 1501.

Lovanii Linguarum ſtudio deditus, contubernalem habuit *Joh. Guintherium Andernacum.*

Nardenæ apud *Batavos* Scholæ multis annis præfuit: in cujus urbis clade à *Weldamio*, nobili adoleſcente, grato diſcipulo, furori militari ereptus eſt A. 1572. *Præfectus Scholæ Nardenæ.*

Lovanii

Lovanii cum *Joh. Guinterio Andernaco*, Græcæ Linguæ diſcendæ cupidus, *Ariſtophanis* Comœdias primùm aggreſſus eſt, in quibus ita verſatus eſt, ut ad verbum propè perdidicerit. Indè ſolutâ oratione vertere cœpit, deindè etiam carmine Latino.

Moritur. Obiit *Nardenæ* in præſidio ſuburbano An. 1577.

Scripta. Edidit præter *Ariſtophanem Libros VII. bellorum & ſeceſſionum civilium Ultrajectinar. Lib. Tumultuum Anabaptiſtarum. De bello Germanico libros V. Commentarios in Virgilium & Lucani Pharſalica. Variorum bellorum deſcriptiones.*

Obiit A. C. 1577.

PETRUS DANESIUS.

Regius Ling. Græc. Profeſſor Lutetiæ. CLaro loco *Lutetiæ* natus, & à ſummis Præceptoribus *Jano Laſcare, Guilielmoq; Budæo* non vulgariter inſtructus utriusque linguæ facultates cumulavit. Tum autem eminuit, cum publici Linguarum & Scientiarum interpretes *Lutetiæ* primùm à Rege *Franciſco* creati ſunt, quorum in numero aliquantiſper fuit, & ſenex ad *Henrici III.* tempora pervenit. *Præceptor Reg. Gall. Franciſci II.* Ab *Henrico* deindè *II.* electus eſt, qui *Franciſci* filii *Galliarum Delphini* pueritiam regeret, literarumque præceptis informaret. *Episcopus Vaurenſis.* Quo nomine honorificè in Regiam accitus, & *Vaurenſi* Epiſcopatu inſuper honeſtatus eſt, eique dignitati ad ſupremam ſenectutem præfuit.

Legatus Reg. Gall. Cum autem omne tempus in optimis literis collocârit, neque præter aliquot legationes Regum juſſu de Reip. Chriſtianæ rebus in *Italiâ* ſuſceptas ulla unquàm occupatio inſtitutum ſtudiorum curſum retardârit, mirum nulla ſupereſſe tanti ingenii tamq; diuturni laboris monumenta. *Nulla Scripta edidit.* Quanquàm & multa è Græco tranſtuliſſe, & præter Epiſtolas Orationesque Latinas erudita in *Ariſtotelem* Scholia conſcripſiſſe dicitur. Sed ut veriſimile eſt, ex eorum editione decus & exiſtimationem quærere non admodùm laboravit, vir doctrinæ famâ ſatis nobilis, & ob ſpectaculum in Concilio *Tridentino* facundiam cum admiratione prædicatus.

Moritur. *Lutetiæ* An. C. 1577. fato functum, & in æde ſuburbanâ D. *Germani*, qui *Pratenſis* appellatur, tumulatum *Gilbertus Genebrardus* Hebraicæ linguæ Profeſſor more majorum in Concione laudavit. Vixit octogenario major.

* *Ex Elogiis viror. doctrinâ illuſtr. Scevolæ Sammarthani.*

Obiit A. C. 1577.

JOHANNES MENDLINUS.

HIc erat extremis Janus Mendlinus in annis,
Addiderat vitæ cum tria luſtra decem.
Tubingæ Baccalauri & Philoſ. Magiſter. *In patriâ ſtudiut, Baccas Lauriq; Tubingæ*
Carpſit, ut & docti ſerta Magiſterii.
Hinc Bebenhuſani pars fit non infima cœtus,
Succedens patruo poſt ſua fata ſuo.
Monachus Bebenhuſa. *Ac reliquis Monachis cum doctior, eminet illis,*
Eximium Fratres nomen & inter habet.
Fernando placuit mirè hujus concio Regi,
Dixit: hic è cunctis fratribus eſto Prior. *Prior.*
At cum relligio poſt immutata fuiſſet
In patriam lætus mox redit indè Scholam:
Jura ſtudens audit Grempum, magnumq; Sichardum, *Juriſtud. Tubingæ.*
Atq; Hemmingerum, Volmariumq; Rotbum.
Hoc curſu impleto ſtudium cœleſte frequentat;
Et docto ſacras diſputat ore Theſes.
Contubernalis ſed tum Rectura vacaret
Suſcipit hanc, Logicen publicitusque docet. *Logicæ Profeſſor.*
Collegî Sophiæ fit pars, fit ſæpè Decanus:
Doctrinæque gravi claret honore ſuæ.
Audiit hic illo Mendlinus tempore: gnarus
Ille, Themis Sophiæ Theiologia, tui eſt.
Μνημονικῶς retulit mihi ſancto è Codice, Livi,
Eque libris folia plurima ſæpè tuis.
Tanta viri gravitas rerumque peritia, noſtræ
Magnificus fieret Rector ut indè Scholæ.
Mille quater centum florenos mente benignâ
In Martineam contulit ecce domum.
Quæ pietas illi, candor, conſtantia, dotes
Quæque aliæ, ſermo funebris ille meus.

Piè mortuus eſt *Tubingæ* 24. Junii A. C. 1577. *Moritur.*

Alluſio ad Nomina:

Gratia *ſumma* DEI *monachum me carcere ſolvit:*
Nomine Vir parvus, *pectore magnus eram.*

* *Ex Elogiis Profeſſorum in Acad. Tubingenſi Carminicè editis ab Erhardo Cellio, Poët. & Hiſtor. Prof.*

ALEXANDER PICCOLOMINEUS. *Obiit A. C. 1578.*

ANgelo Patre, & *Hippolytâ Sanctiâ* matre *Senis* natus eſt, cujus civitatis, cum jam *Patrarum* Archiepiſcopus eſſet, virtute ſuâ meruit, ut deſignaretur etiam Archiepiſcopus. In eo erat præter ſuavitatem morum cum ſeriâ gravitate conjunctam rara & exacta omnium laudandarum diſciplinarum cognitio, quas & Scriptis multiplicibus ferè vernaculis illuſtravit, *Ariſtoteli* præcipuè addictus, ad cujus perſpicuam intelligentiam propriâ induſtriâ multùm contulit. *Thuan. lib. 65.*

Cum aliquando *Paulus Foxius*, Orator *Gallicus*, dum *Romam* iret, eum *Senis* inviſeret, culcitræ incumbentem & *Ariſtoteli* ſuo h. e. à ſe diverſis explicationibus illuſtrato recognoſcendo vacantem improviſus invenit. *Senex Ariſtotelem illuſtravit.* Nam ſolus erat, & famuli huc illuc per feſtum diem diverſi abierant. Quod ille ſummâ anxietate excuſavit, & gratias *Foxio* pro tam honorificâ ſalutatione egit. Tum ſedere juſſis qui cum *Foxio* adierunt, in iisque *Thuano*, multa de ſtudiis ſuis diſſeruit, eorumq; ſe demùm in eâ ætate dulciſſimum fructum capere dixit, oblectamentis aliis deficientibus, quibus aliæ ætates innocenter, & circa offenſionem gaudere poſſunt. Quod dum dicebat, non tam ſenectuti ſolatium quærere videbatur, quàm adoleſcentes qui aderant, quâ humanitate erat, ad deſidiam vitandam, & Philoſophiæ ſtudia ca-

capeſſenda exemplo ſuo cohortari. *Thuan. in Comment. de vitâ ſuâ lib. I.*

* *Ex Thuani enucleati Part. II. Gerardi à Stöcken Holſati.*

Obiit A.C. 1578.

CORNELIUS VALERIUS.

Natus eſt in ditionis *Ultrajectinæ* oppido *Aquæ Veteres (Oude Watter)* dicto, ad fluv. *Iſſelam* A. 1512.

Profeſſor Lovanii. *Petro Nannio*, Profeſſori Latinæ Linguæ, *Lovanii* in Collegio trilingui *Buslidiano* ſucceſſit, *Ciceronem* & *Virgilium* explanans.

Ibi Collegas habuit *Theodoricum Langium*, Græcarum literarum Doctorem, Hebraicarum verò *Petrum Smengam Friſium*, Medicum & Philoſophum.

Scripta. Edidit *Orbem diſciplinarum, in quo Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Ethica, Phyſica, & Aſtronomica continentur, quæ cum Sebaſtiano Foxio Hiſpalenſi Philoſopho iisdem veſtigiis inſiſtente diligenter contulit.*

Moritur. Obiit *Lovanii* Sacerdos 11. Aug. A. 1578. ætatis 66.

Obiit A.C. 1578.

AUGUSTINUS HUNNÆUS.

Theologiæ Doctor & Profeſſor Lovanii. Ling. Hebr. & Græcæ Profeſſor. Machliniæ natus 4. Kal. Aug. A.C. 1521. Doctor Theologiæ & Profeſſor *Lovanii* Regius, Philoſophiæ præcepta in Gymnaſio *Caſtrenſi* annos plurimos cum laude docuit. Literas Hebraicas in Collegio *Buslidiano* annum unum, Græcas quadriennium docuit. *Gregorius XIII.* Pontifex Max. hunc unum elegit, qui Sanctorum Patrum Scripta, ac præſertim *Gregorii Magni* è Manuſcriptis emendata in lucem daret. *Canonicus.* Deceſſit *Lovanii* Præſes major Theologorum Collegii, & in D. *Petri* Canonicus, 4. Id. Sept. A.C. 1578. ſatur vitæ, ſatur gloriæ.

Scripſit:

Scripta. *Prodidagmata Logices, qualia Hiſpani Summulas vocant. Dialecticam allatis definitionibus ac diviſionibus. Catechiſmum Catholicum. Ejusdem Schema. Axiomata de Sacramentis Eccleſiæ è Summâ D. Thomæ.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1579.

ERASMUS OSWALDUS SCHRECCEFUCHSIUS.

IN Comitatu *Merckenſteinio Auſtriaco* ditionis ortus erat A. 1511.

Cum in Academiis *Germ. Ingolſtadii, Lipſiæ & Baſileæ* ſtudiis operam dediſſet, *Memmingam Sueviæ* civitatem venit, ibiq; Magiſtratus juſſu ludum aliquandiu moderatus eſt.

Poſteà *Tubingam* adiit, ubi teſtimonio profectuum Philoſophicorum ornatus, ſtipendio Principis literas *Hebræas* cum laude publicè docuit.

Prof. Frib. Hic cum, *Sebaſtiani Münſteri* Præceptoris ſui exemplo, linguæ Sanctæ & Mathematicis operam dedit, A. 1541. *Friburgum Briſgojæ* vocatus, ibi non ſolùm Mathematicas diſciplinas & linguam Hebræam publicè docuit, ſed easdem & Scriptis illuſtravit.

Moritur. Morte ereptus eſt *Friburgi* A. 1579. ætat. 68. cum docuiſſet ibi annos 28.

Scripta. Scripſit *Annotationes in Almageſtum Ptolomæi. Commentaria in Sphæram Johannis de ſacro buſto. Gentium Calendaria. Teſtamentum novum in linguam Hebraicam primus tranſtulit.*

Obiit A.C. 1579.

JOHANNES HARTUNGUS.

Miltenbergi in *Franconiâ* natus A. 1505. *Heidelbergæ* Magiſter Philoſophiæ ſalutatus, hiſtoriarum & Poëtarum lectione delectatus eſt.

Poſteà Cæſaris Caſtra ſecutus, expeditioni contra *Turcam* interfuit.

Prof. Græc. Linguæ. Indè ad Muſas *Heidelbergam* reverſus, ibi Græcæ linguæ Profeſſionem ſuſcepit.

A. 1546. Cum religionis fieret in *Palatinatu* mutatio, *Friburgum* venit, & inter Profeſſores receptus, *Homerum* enarravit, & annotationibus illuſtravit.

Domi etiam multos adoleſcentes Nobiles in omni literarum genere inſtituit.

Moritur. Moritur an. ætatis 75. A.C. 1579.

Epitaphium, quod ſibi ipſe ſcripſit:

Non obii morbo, ſed longa mole ſenectæ
In vitâ miſero eſt morte parata quies.

Obiit A.C. 1580.

HIERONYMUS WOLFFIUS.

Natus eſt *Ottingvæ* ex nobili familiâ à *Wolffstbal* An. 1516.

Profeſſor Auguſt. Cum *Auguſtæ Vindel.* in Gymnaſio *Annæo* per annos 23. Græcæ & Lat. linguæ Profeſſor fuiſſet, & *Demoſthenem, Iſocratem,* aliosque autores Græcos Latinos feciſſet, Lithiaſis doloribus excruciatus obiit *Aug. Vindel.* 8. Octob. A. 1580. ætat. 64.

Tubingæ & *Wittenbergæ* ſtudiorum fundamenta cum poſuiſſet A. 1543. *Mülhuſium* in *Thuringiâ* profectus, Scholæ ibi per biennium præfuit.

Indè *Norimbergam* migrans, ad erudiendum 12. ſelectos adoleſcentes à Senatu conductus eſt.

Argentinæ deindè, *Lutetiæ* & *Baſileæ* aliquandiu commoratus, *Auguſtam Vindelicorum* venit, ubi Bibliothecæ Comitis *Joh. Jacobi Fuggeri* præfectus, & tandem à Senatu Scholæ *Annææ* Gubernationem accepit.

Librum edidit:

Scripta. *De vero & licito Aſtrologiæ uſu.*

Obiit A.C. 1581.

GUILIELMUS POSTELLUS.

Apud *Barentonium Normanniæ* vicum obſcuris ortus parentibus, cum ingenium apprimè capax, & ad concipiendas artes idoneum à naturæ bonitate accepiſſet, melioris diſciplinæ ſubſidio deſtitutus, eâ nitidioris eloquentiæ facultate caruit, quæ una maximè doctorum hominum ſcriptis dignitatem atque ſplendorem afferre poteſt. *Ludimagiſter.* Adoleſcentiam vix attigerat, quando ipſe adhuc docendus difficile docendi munus aggreſſus eſt, cumque multos vitæ an-

nos

Digitized by Google


CORNELIUS VALERIUS.
Orator & Pöeta Lovanii.


AUGUSTIN, HUNNÆUS.
Theol. & Philosoph. Prof. Lovanii.


ERASM, OSWALD, SCHRECCI FUCHSIUS
Lingvæ S. & Mathem. Prof. Friburgi


IOHANNES HARTUNGIUS
Græcæ lingvæ Prof. Friburgi.


HIERONYM, WOLFFIUS.
Græcæ & Lat. ling. Prof. August.


GUILIELM, POSTELLUS.
Philologiæ Prof. Lutetiæ Paris.


GEORGI, BUCHANANUS.
Historicus & Pöeta Scot.


PETRUS NIGIDIUS.
Physicus Prof. Marpurgi.


ADAMUS SIBERUS.
Poeta & Rect. Scholæ Grimmens.


HUBERTUS GOLTZI,
Historicus & Pictor.


MARC, ANTONI, MURET,
Ethices Juris Civilis & Eloquen. Prof.


PETRUS RONSARDUS.
Pöeta Gallus.


PETRUS VICTORIUS.
Professor Ethices Florent.


LUCAS CRANACHIUS.
Consul. & Pictor Witteberg.


MICHAEL BEUTHER
Histor. Prof. Argent.


PETREIUS TIARA.
Græcæ ling. Prof. Franakeræ.

nos in vicinorum liberis erudiendis ac perpetuo ſtudiorum labore traduxiſſet, tandem è ludimagiſtro pagano Regius peregrinarum Linguarum Profeſſor *Lutetiæ* fieri meruit: editis earum Commentariis, quibus 12. inter ſe differentes variæ doctrinæ ſuperbâ oſtentatione explicantur.

Linguar. 12 Profeſſor Regius Pariſ.

Non multo pòſt viſendi orbis cupiditate incenſus reliquit *Galliam*, confectâque 16. annorum peregrinatione *Venetiis* demùm conſedit. Ibi multis cujuſdam præſtigiis abſurda quædam & impia de Religione commentus eſt, quæ deindè *Lutetiæ* frequenti auditorum turbâ publicavit, cum ſe morte obitâ revocatum ad ſuperos & juvenili reſtitutum ætati mentiretur: magnâ quidem ſtolidæ plebis admiratione, præſertim eorum, qui ante profectionem eum noverant, quod videlicet meminiſſent jam vetulum & caneſcentem hinc abiiſſe, quem longo pòſt intervallo reducem nigrante barbâ & ævi flore conſpicuum cernerent: ſic enim eos captabat, ſimulatoque per pigmenta miraculo fidem ſuis magis & auctoritatem conciliare conabatur.

Venetiis præſtigiis deditur.

Lutetiam per impoſturam juvenis rediit.

Sed urgente Magiſtratu violatæ perſuaſionis reus aufugit in *Germaniam*, & in *Ferdinandi* Cæſaris aulâ tam diu vixit, dum recantatis erroribus in patriam redeundi & publicè profitendi facultas à Principe reddita. At cum eodem recidere videretur, ex Senatûs decreto in D. *Martini* monaſterium relegatus eſt: quo in receſſu viribus integris centenario proximus interiit A. C. 1581.

Vixit in aulâ Caſ. Ferdinandi.

Pariſios rediit ad Profeſſ.

Moritur.

* *Ex Elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium Scævolæ Sammarthani.*

Scripta:

Scripta.

De moribus, Religione & Republicâ Turcarum Lib. III. Gallicè. Clavis abſconditorum à conſtitutione mundi. Liber de Republicâ ſeu Magiſtratibus Athenienſium in 4to. Coſmographia. De Monarchiâ. Alphabetum, introductionem & legendi modum linguarum XII. characteribus differentium continens: nempè *Hebraicæ, Chaldaicæ* veteris & recentioris, *Samaritanæ, Arabicæ, Indicæ, Græcæ, Georgianæ, Tzervianæ, Illyricæ, Armenicæ* & *Latinæ. De Univerſitate Liber, in quo Aſtronomiæ Compendium terræ aptatum, & alia exponuntur in 4to. De originibus ſeu antiquitate linguæ & gentis Hebreæ, deq; variarum linguarum affinitate in 4to. Grammatica Arabica in 4to.*

Obiit A. C. 1582.

GEORGIUS BUCHANANUS.

Ruſtici in Scotiâ filius.

ANno 1506. 1. Febr. in *Leviniâ, Scotiæ* Provinciâ ad *Blavum* amnem in villâ ruſticâ natus eſt. Cum autem Pater ejus in ætatis flore nephriticis doloribus enecaretur, ſuperſtite adhuc avo paterno decoctore magis quàm patrefamiliâs frugi & idoneo; Mater ejus *Agnes Heriota* curam liberorum, maſculorum quinque & trium fœmellarum ſuſcepit: Ex quorum numero *Georgius* hic, cum ob expediti ingenii vires magnam de ſe ſpargeret expectationem, avunculus *Heriotus* cum *Pariſios* in *Galliam* ablegavit. Ibi humanioribus literis, Poëticis imprimis ſtudiis præclaram operam navavit.

Pariſiis Poëſin didicit.

Sed avunculo biennio pòſt demortuo, cum rei inopiâ tunc corporis afflictâ valetudine coactus patriam repetiit. Poſt anni decurſum è gravi morbo elapſus cum copiis *Gallorum*, quæ tunc *Scotis* in auxilium advenerant, in caſtra rei militaris cognoſcendæ igitur conceſſit, ſed totâ illâ hyeme in morbum relapſus decubuit. Sequenti vere miſſus eſt ad *Fanum Andreæ* ad *Johannem Majorem* in Dialecticis audiendum. Quem æſtate proximâ in *Galliam* ſecutus ob injuriam temporis fortunæque in Collegio *Barbarano* ita nuncupato pueris Grammaticam diſcentibus per triennium erudiendis operam dedit.

Militiam egit.

Grammaticam docuit.

Intereà *Gilbertus Kennedus, Caſſiliſſæ* Comes in viciniâ degens eum per quinquennium ſecum eſſe voluit, & in *Scotiam* reduxit. Tunc *Jacobi* Principis Regis *Scotorum* filii ſtudiis ac morum formationi præfectus eſt. Sed cum per otium in *Franciſcanos* Elegiam ſcripſiſſet, quâ odium eorum in ſe concitavit, per amicos de inſidiis à Cardinale *Betonio* ſibi paratis certior factus, eluſis cuſtodibus in *Angliam* ſeceſſit.

Præceptor Jacobi Principis Regii Scot.

Indè *Burdegalam* profectus, ibi in Scholâ tunc recens apertâ biennium docuit, & 4. Tragœdias ſcripſit, *Baptiſtam, Jephthen, Alceſten*, & *Medeam*. Varias poſteà Monachorum expertus inſidias, in *Galliam* reverſus eſt. Indè evocante *Carolo Coſſæo Brixiacenſi*, qui tum ob rem præclarè geſtam in *Liguſtico Gallicoq;* circa *Padum* agro florebat, filio *Timoleonti* præfectus quinquennium cum eo nunc in *Italiâ* nunc in *Galliâ* complevit uſque ad A. C. 1560. quod intervallum S. Theologiæ potiſſimùm ſtudiis conceſſit. Sed *Scotis* à *Guiſianâ* Tyrannide exemptis in patriam reverſus, nomen Eccleſiæ *Scoticæ* profeſſus eſt.

Burdegalæ in Scholâ docuit.

Theol. ſtud.

Senex tandem circà an. ætatis 74. apud *Jacobum VI.* Regem *Scotiæ*, & poſteà quoque *Angliæ*, cui erudiendo in juventute præpoſitus fuerat, exoptatum ſenectutis portum conſecutus eſt uſque dum obiit *Edenburgi* 4. Kal. Oct. A. C. 1582. æt. 76.

Moritur.

Edidit:

Scripta.

Thomæ Linacri rudimenta Grammaticæ Latinæ ex Anglico ſermone verſa. Poëmata varia. Franciſcanum & Monachos, Poëma. Paraphraſin Poëticam Pſalmorum Davidicor. opus ad unguem elaboratum & cedro dignum. Dialogum de Jure Regni apud Scotos. Hiſtoriam rerum Scoticarum Libris XX. comprehenſam.

* *Ex Operibus Georgii Buchanani.*

PETRUS NIGIDIUS.

Obiit A. C. 1581.

PAtria *Nigidio* fuit *Allendorffium, Salinis* celebre *Haſſorum* oppidum, quod eum naſcentem excepit anno 1501. octavo Calend. Mart. cui adſcripta eſt in chriſtianis faſtis cathedra *Petri*, undè & nomen ei in baptiſmo contigit. Hinc cum eſſet ingenio alacri, vivido, liberali à parentibus

Nombergæ Castorum pueriles doctrinæ comprehendit elementa.

Northusii Thuringorum ludiprafecto administrativas operas præstitit.

Erfurdiam concessit.

Nombergam Castorum ad Nicolaum Aſclepium adductus eſt primâ ſtatim ætate, ut ejus potiſſimùm auſpiciis puerilis doctrinæ comprehenderet elementa, & ad humanitatem fingeretur atque virtutem. Sed poſteà 13. annorum puer ad uberiorem ingenii cultum capeſſendum *Northuſium Thuringorum* profectus, adminiſtras operas *Raido* ludipræfecto, *Herſfeldenſium* poſteà Concionatori præſtitit: indeq; *Erfurdiam* anno Chriſtianæ epochæ 17. conceſſit, ubi inſtar *Cleanthis* noctu piſtori in aquâ hauriendâ operam locantis, ut interdiu vitam ſuſtentare & *Chryſippo* Philoſopho operam dare poſſet, *Lango* & *Hunno* famulatus noctes & dies in doctrinarum omnium meditatione ita verſatus eſt, ut titulum Baccalaurei, qui tum equidem temporis magni fieri conſueverat, conſequeretur.

Titulum Baccalaurei conſecutus eſt.

Eſchwegæ & in patria juventutem erudiit.

Cum itaque eo indefeſſo progreſſus eſſet ſtudio, ut pueritiæ docendæ aptus videretur, *Eſchwegam* primùm, quæ in *Haſſiæ* & *Thuringiæ* eſt confiniis, poſtmodùm in patriam accerſitus eſt, ut præceptis ſuis juventutem erudiret, id quod circa annum epochæ chriſtianæ 21. accidit. At enim cum id in laude poneret maximè, ſi non uno de ludo & Republicâ benè mereri poſſet, anno Chriſti 1523. *Gottingam* conceſſit *Saxonum*, uxoremque ſibi adjunxit, è quâ ci poſteà tredecim nati ſunt liberi, qui DEI beneficio ſtirpem hanc ita propagârunt, ut nepotes viderit ac pronepotes 83. poſteroſque 102.

Gottingæ uxorem ſibi adjunxit.

Nepotes ac pronepotes vidit 83. poſteros 102.

Wittebergam ob Lutherum & Melanchthonem profectus eſt.

Cœterùm quia jam pridem animo ejus *Witteberga*, & quæ tum præcipuè effulgebant illic, *Germaniæ* luminum *Lutheri* & *Melanchthonis* viſendorum inſederat cupiditas, circa annum 1526. illùc profectus eſt, quod ei non malè cecidit. Innotuit enim hominis in tenerâ juventute inſtituenda aſſiduitas atque induſtria magis magisque, ita ut uno eodemq; propemodùm tempore, ejusdem opera hinc indè experiretur. Sed Scholaſtica *Darmſtadienſi* & *Lüneburgenſi* functione, quamvis luculenta utraque ſatis eſſet, præteritâ, ad *Allendorffenſes* ſuos regreſſus à 27. anno Scholæ ibidem præfuit denuò usque ad annum 32. quo *Marpurgum* evocatus eſt, ut *Reinhardo Lorichio* in pædagogéo moderando, tanquàm Collega primarius ſuccenturiatam præberet operam, ubi Magiſtri condecoratus honore anno vertente pædagogiarchæ præpoſitus eſt muneri, quod ita ſuſtinuit, ut non niſi juventutis ſpectaret commodum. Ideòque ut ejus ſtudiis tantò conſuleretur rectiùs, ſuam ex opere *Mycillophilippico* concinnavit tum temporis Grammaticam: at cum annos ferè 7. in hoc induſtriæ curriculo allaboraſſet, anno à Chriſto nato 1539. *Caſſellas* accitus, decennium ita puerorum iſthîc rexit diſciplinæ ingenia, ut non tantùm præceptis formaret atque inſtitutione eadem, ſed etiam quod omnium difficillimum, cùm cujus, quod vi mutari non poſſit, aut natura converti, repentè mores fingeret, vel imprimis id, quod etiam ad Pædagogiarchæ munus, quo ſe *Dorſtenius Caſſellas* ad Medicinam factitandam migraturus abdicaverat, *Marpurgum* revocatus pari & fide & induſtriâ præſtitit dexterrimè.

Schola Allendorffenſi præfuit à 27. anno usque ad annum 32.

Marpurgi in pædagogéo moderando præbuit operam.

Magiſter condecoratus eſt.

Ex opere Mycillophilippico concinnavit Grammaticam.

Caſſellæ decennium puerorum ingenia diſciplinâ rexit.

Marpurgi Pædagogiarchæ muneri iterum præfuit.

Præfuit autem muneri huic ſecundâ vice ab anno 1549. decem annos cum ſemiſſe à *Ferrario*, cui tum equidem temporis Rectoris incumbebat munus, renunciatus Pædagogiarcha publicè. Tandem cum optimam ætatis partem in pulvere illo poſuiſſet ſcholaſtico, & ſe tantùm non in puerilis illius doctrinæ incunabulis contriviſſet, ut inclinatâ jam ætate animum quodammodò ab illâ contentione & aſſiduis laboribus laxaret, *Vultejo Pædagogii* curâ demandatâ, hic quidem in Collegium Philoſophicum aſcriptus anno 1560. & poſtmodùm quoque Phyſicam docere juſſus eſt. Cœteroquin licet tot tantis laboribus penè fractus videretur, non tamen ille animum à laboribus remittebat & curis, verùm ſui ſemper ſimilis huic uni juventutis erudiendæ operi inſtabat, uti ſolitus erat anteà ſemper, maximè ita, ut candidatis honorum conferret inſignia, & perquàm diligenter fungeretur officio. Ideòque cum animum hisce negotiis decennium occupatum habuiſſet, Academiæ Proceres ſubductis, quos exantlaverat, laboribus, rude eum donandum cenſuerunt, idque 16. Julii anno 1575. à Principe impetrârunt. Sic ergò exactâ jam ætate homo 74. annorum natus, cum annos plus minus 54. in Scholis *Allendorphianâ*, *Eſchwegenſi*, *Gottingenſi*, *Caſſellanâ*, & hâc *Marpurgenſi* eâ animi præſentiâ & alacritate allaboràſſet, ut moleſtias & tædia omnia, quæ iſtiusmodi laboribus obrepere conſueverunt hominibus, induſtriâ diſcuteret, & quod nutrices ſolent infantibus pueris ſuæ fidei creditis omnia minima manſa in os inſereret, tandem corporis vires ita exhauſtas ſenſit atque proſtratas, ut cibum ferè omnem faſtidiens non niſi potu & ſorbitiunculis ſe reficeret, quâ re motus, quod vitæ finem non longè abeſſe cerneret, ſe quotidiè ad diſceſſum parare cœpit, & inter alia pietatis exercitia fidei confeſſionem paulò ante extremum decubitum dulciſſimis hisce verſibus, veluti cigneâ aliquâ cantione fecit teſtatiſſimam:

In Collegium Philoſophicum aſcriptus Phyſicam docuit.

Decani functus eſt officio.

Fidei confeſſionem verſibus fecit teſtatiſſimam.

Quando brevi præſens mors me quoq; ponere vi-
Juſſeris incertæ debita certa meæ: (ta
Tu Mariæ Fili patris cœleſtis imago,
Tu mihi ſuccurras mortis agone precor.
In te confido, tu ſolus ſanguine puro
Humani generis facta nefanda lavas.
Tu mihi perpetuam fragili pro corpore vitam
Extincto ſolita pro bonitate dabis.
Aſt qui diurno viventes munere reſtant,
Doctrina inſignes ac pietate veri
Hos precor incolumes conſerves trina poteſtas
O Pater! ô Fili! Spiritus atq; ſacer!

Atque ita quidem extremo jam Decembri aſthmate, aut è ſenio maraſmo potiùs conflictans 29. ejusdem menſis circa primam pomeridianam, cum paulò ante veſperam immi-

imminere, ideòque dormitum eundum dixiſſet, cubito innitens emortuus eſt placidiſſimè, cum ante octennium rude donatus eſſet, anno ære chriſtianæ 1583. *Moritur.*

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

ADAM SIBERUS.

Obiit A.C. 1583.

NAtus eſt *Miſenæ*, oppido *Miſniæ*, 8. Sept. An. C. 1515. A pueritiâ poëſi deditus inter præcipuos ſui temporis Poëtas floruit, coævus *Philippo Melanchthoni* & *Joach. Camerario*, ab utroque elegantibus encomiis ornatus. Præfuit Scholæ *Grimmenſi* Pædagogiarcha: ex cujus diſciplinâ prodierunt Viri in omni literarum genere excellentes. Filium reliquit *Adamum Theodorum Siberum*, Humanitatis in Academiâ *Wittenbergenſi* Profeſſorem pub. & Poëtam celebrem. Filiam elocavit *Chriſtophoro Schellenbergio*, *Annabergâ-Miſnico* Poëtæ non obſcuro: ita ut in trifido velut nexu Patrem, Filium & Generum optimos & elegantes Poëtas contueri occurrat. Obiit tandem A. C. 1583. ætatis 68.

Poëta. *Rector Scholæ Grimm.* *Trifolium Poëtarum.*

Scripta:

Scripta.

Carmina Sacra varia. Orationum, Epiſtolar. & Carminum Volumina II. Gemma Gemmarum, ſeu Epitome Nomenclatoris Hadr. Junii. Margarita Scholaſtica. Leges Scholaſticæ. Ludus Chemnicenſis. Eductio Diſciplinæ Scholaſticæ. Scholia in Breviarium Chriſtianum, quod doctrinam, preces, Cantica, & Hymnos Eccleſiæ continet. Paſſionale, ſeu, Cruenti Sacrificii Domini noſtri Jeſu Chriſti Hiſtoria, Commentariolo Scholaſtico illuſtrata. De eadem Hiſtoriâ Carminum Liber I. ex veterum & recentium Poëtarum monumentis. Sionion, ſeu Hiſtoriæ Sacræ Libri VII. In Pſalterium Davidis Commentarior. Eccleſiaſt. Lib. V. In Pœnitentiam Davidis Comment. Scholaſticum.

ADAM SIEBER.

Per Anagramma:

Mirè ſuadebas.

* *Ex Bibliothecâ Poëticâ Joh. Petri Lotichii, Med. Doct.*

HUBERTUS GOLTZIUS.

Obiit A.C. 1583.

V*Enloæ*, in Ducatu *Juliacenſi* natus eſt, Patre *Rutgero Goltzio*, *Herbipolitano* Pictore, 30. Octob. A. 1526.

Cum ab ineunte ætate ad pingendi artem inclinâſſet, adjunxit ei Poëtices, Philoſophiæ & Hiſtoriarum ſtudium. *Pictor excellens.*

Numiſmata antiqua ſummo ſtudio collegit, & ut indè Hiſtorias veteres fideliter evulgaret, nullis ſumptibus nec laboribus pepercit. *Numiſmatum Collector.*

Hâc de cauſâ An. 1556. *Antverpiâ* diſcedens, per totum *Belgium* Muſæa procerum perluſtravit, & eodem anno domum reverſus eſt.

An. 1558. Cum familiâ *Brugas* diſceſſit. Paulò poſt mediâ hyeme univerſam ferè *Germaniam* percurrit. Indè per *Italiæ* oppida *Neapolim* usq; profectus & regreſſus, omnes ferè *Galliæ* provincias percurrit, ubiq; curioſè perluſtratis antiquitatis monumentis.

Ex hâc peregrinatione fretus favore Imp. *Ferdinandi* & aliorum Magnatum multa Volumina multis numiſmatum millibus referta domum reportavit An. 1560. Uſus eſt etiam Mecœnate ſingulari *Marco Laurino*, Domino *Watenſteri*, Viro antiquitatis amantiſſimo, cui ut & fratri ejus *Guidoni*, J. C. quicquid in hoc ſtudio præſtitit, acceptum retulit.

An. 1564. à Senatu *Romano* Civitate donatus eſt.

Obiit *Brugis Flandrorum* A. 1583. æt. 56. 24. Martii. *Moritur.*

Ex primâ uxore *Eliſabethâ Hulſtiâ* 4. filios ſuſcepit, *Marcellum*, *Aurelium*, *Scipionem*, & *Julium*, ac filias tres.

Eâ defunctâ duxit viduam *Martini Smetii*, Antiquarii celeberrimi.

Edidit:

Scripta.

Vivas omnium Impp. Imagines additâ brevi geſtorum à ſingulis Hiſtoriâ. Theſaurum rei antiquariæ. in 8vo. Faſtos Magiſtratuum & Triumphorum Romanorum ex antiquis numiſmatum & marmorum monumentis. Itinerarium per Germaniam, Italiam, & Gallias. Græciam, ſive Hiſtoriam Urbium & populorum Græciæ ex antiquis numiſmatibus reſtitutæ Lib. IV.

MARCUS ANTONIUS MURETUS.

Obiit A.C. 1585.

NAtus eſt Menſ. Aprili A. C. 1526. in *Galliâ Aquitanicâ*, in pago ſuburbano *Lemovici*, cui *Mureto* nomen, Patre Juris Conſulto perantiquo & nobili Pagi illius poſſeſſore. Ut primum absque ullâ Præceptoris operâ imbutus eſt literis humanioribus *Lemovici*, deindè *Aginni Aquitaniæ* urbe primariâ penè puer ea docere cœpit, quæ aliàs eâ ætate ſi quis diſceret, in ſummâ laude poneretur. In Poëſi *Catullo* ſimilis fuit. *Aginni* ulus eſt ſummo Duce ſtudiorum adjutore *Julio Cæſare Scaligero*, quem ut patrem coluit. Cum aliquando *Lutetiam* profectus fuiſſet peradoleſcens, novus ibi videbatur exortus *Demoſthenes*, quem Jus Civile tunc docere incipientem ipſe aliquando Rex & Regina audire volebant, ut quod famâ exceperant, re ipſâ experirentur.

Literas humaniores docuit Lemovici, & Aginni. *Lutetiæ.* *Rex cum Reginâ docentem Jus audiverunt.*

An. æt. 28. *Venetias* veniens, à Viris eruditis magno in honore habitus eſt. Paulò poſt *Patavium* conceſſit, nec diu ibi verſatus A. C. 1560. honeſtè invitatus ad *Hippolytum* Cardinalem *Eſtenſem* ſe contulit, in cujus comitatu cum in *Galliam* rediiſſet, mox etiam legatione obitâ in *Italiam* reverſus eſt. *Romæ* tandem A. 1563. *Ariſtotelis* Ethicam docere publicè cœpit cum maximâ auditorum frequentiâ. An. 1567. ibidem Jus Civile docuit usque ad A. 1571. Tunc Summi Pont. *Gregorii XIII.* autoritate & liberalitate permotus, ad Eloquentiam profitendam in explicatione *Platonis*, *Senecæ*, *Horatii*, *Taciti* & *Ciceronis* annos reliquos conſumpſit. An. 1584. In *Poloniam* à *Stephano* Rege accerſitus, morem geſſiſſet, niſi eum Papa *Gregorius* detinuiſſet, qui ipſi aliquot annis ultrò *Romanæ* Civitatis Jus detulit, & tunc

Romæ docuit Ethicam, & Jus Civile. *Eloquentiam profeſſus.* *Civis Romanus.*

tunc ad 500. aureorum annuum ſtipendium 200. adjici juſſit. Novem annos Sacerdos vixit, & Sacris operatus eſt, nec minus Juriſprudentiæ gloriâ fuit inſignis. Morti tandem proximus à *Sixto V.* Summo Pontifice privatim peccatorum veniam impetravit, & exſpiravit *Romæ* die 4. Junii A. C. 1585. æt. 60.

Sacerdos 9. annis.

Moritur.

Laudatus pro funere à *Franciſco Bencio*, Soc. Jeſu Presbytero, diſcipulo & amico ejus, in æde Sacrâ S. Trinitatis, quæ eſt in colle hortulorum Sodalium Minimorum, ubi ad aram maximam Sepulchrum ejus ſpectatur.

* *Ex vitæ curſu Mureti Orationibus præfixo; & ex Theatro Italico Viror. literatorum Hieron. Ghilini.*

Edidit:

Scripta.

Commentaria in Terentium, Horatium, Catullum, Tibullum, & Propertium. Orationum Volumina II. Epiſtolas. Variarum Lectionum Lib. XV. quas in otio boneſto Venetiis meditatus eſt. Diſputationes de Jure Civili. Hymnorum Sacrorum Librum. Poëmata. Juvenilia Carmina. Tractat. de Juriſdictione & Imperio. Faculam Georgio Codino accenſam. Comment. in M. Tullii Catilinarias, & Caſtigationes in Philippicas. Commentar. in Cornel. Tacitum. Notas in Saluſtium. Comment. in libros 2. Rhethor. Ariſtot. in Ethicor. lib. 10. Ariſt. & in Oeconomica. Orationem ad Cardinales in ingreſſu Conclavis.

Epitaphium ejus tale legitur:

Epitaphium.

M. ANTONIUS MURETUS LEMOVIX AD DEI MISERICORDIAM OBTINENDAM, PIORUM PRECIBUS ADJUVARI CUPIENS CORPUS SUUM POST MORTEM HOC LOCO SEPELIRI JUSSIT. ATTRIBUTIS MILLE SCUTATIS HUJUS MONASTERII SODALIBUS, IMPOSITOQUE ONERE PERPETUI ANNIVERSARII.

NICOLAUS DE PELLEVE CARD. SENONEN. TESTAM. EXCUT. PONI MAND.

VIXIT ANN. LIX. M. II. OBIIT PRID. NON. JUN. clɔ Iɔ LXXXV.

PETRUS RONSARDUS.

Obiit A.C. 1585.

EX equeſtri familiâ natus eſt in Arce paternâ *Poiſſonerâ*, ditionis *Vindocinorum*, 11. Sept. A. C. 1524. Patre *Ludovico*, Nobili & Equite torquato, qui in *Hiſpaniam* cum *Franciſco Delfino* & *Henrico* Duce *Aureliæ* obſidibus Regiis liberis pro Patre *Franciſco* ad *Papiam* capto A. 1525. ad *Carolum V.* Imp. miſſus eſt. Matrem habuit *Johannem Chaudieram*, Fratres *Claudium* & *Ludovicum*.

Filius Equitis torquati.

Pariſiis in Collegio *Navarræo* animum bonis literis formare cœpit. Indè plagoſi Præceptoris injuriâ à ſtudiis velut diſceſſurus, *Avenionem* ad Parentes rediit.

Militiæ deditus.

Deindè cum per aliquot annos ſub *Aureliæ* Duce *Henrico* & apud *Scotos* rei militari operam dediſſet, anno ætatis 15. *Lazari Bayſii* libellorum ſupplicum Magiſtri inſpectioni commendatus, cum eo *Spiram* ad Comitia Imperii venit. Ibi paulò diutiùs ſubſiſtendum cum foret, linguæ *Germanicæ* elementa arripiens cum *Langéo* militiæ *Gall.* magiſtro in *Pedemontium* porrò abiit. Poſtquàm autem multis itinerum moleſtiis fractus auditum penè amiſiſſet, niſi Medicorum operâ malo illi occurſum fuiſſet, deinceps ab aulicis converſationibus alienorum plurimum temporis ſtudiis literarum impertivit. A. 1543. Defuncto Parente denuò ad *Lazarum Bayſium* ſe contulit, à quo per ſeptennium Græcis & Latinis literis feliciter eruditus, deinceps Poëſin *Gallicam* adeò dilexit, ut *Homerum*, *Pindarum*, *Lycophronem*, *Æſchylum*, *Ariſtophanem*, & *Horatium* in *Gallicum* idioma pulchrè transtulerit.

Poëta Gallicus.

Fautores tunc ſtudiorum nactus eſt, præter *Margaretam*, Regis *Henrici II.* ſororem, fœminam literatiſſimam, M. *Antonium Muretum*, *Remigium Bellaquejum*, & *Michaëlem Hoſpitalium*, *Margaretæ* Principis Cancellarium, qui Elegiam apologeticam pro *Ronſardo* contrà *Melinum* & alios ſcripſit. Undè factum, ut omnes ejus æmuli ad palinodiam redacti illi reconciliarentur.

Poſt mortem Regis *Henrici II.* pari favore filii *Franciſcus II.* & *Carolus IX.* Reges eum proſecuti ſunt. Cum hoc *Bajonam* profectus, liberaliter habitus eſt. Eidem cum Elegias & opus illud *Francialis*, ejus impulſu, quod contexendum ſuſceperat, inſcripſiſſet, Rex in remunerationem Monaſterium *Bellozanium* unà cum lautis reditibus contulit illi, ut eò liberius Muſis poſteà litare poſſet. Rex quoque *Henricus III. Carolo* fratri ſucceſſurus, è *Poloniâ* redux benevolentiam ei ſuam pulchris ſpeciminibus communivit.

Regibus Galliæ Franciſco II. & Carolo IX. charus.

Monaſterium Bellozanium dono accepit.

Ingraveſcente ætate podagricis doloribus ſæpè cum tentaretur, rarius ad aulam venit. Etſi igitur ſæpiùs aërem mutando *Pariſios* ad *Galandinum* Collegii *Boncortiani* Præpoſitum amiciſſimum ſuum ſe devehendum curaret, arthritica tamen pathemata indies aucta ſunt, donec tandem morbo confectus & *Thurenos* deportatus, poſtquàm multa cum amicis de vitæ hujus miſeriis, immortalitate animarum, & vitâ in cœlis beatâ contuliſſet, ſpiritum efflavit 27. Dec. A. C. 1585. æt. 61.

Arthriticus.

* *Ex Iconib. J. Jac. Boiſſardi, vel Vitis 50. Viror. doctrinâ illuſtrium.*

PETRUS VICTORIUS.

Obiit A.C. 1586.

FLorentinus patriâ gentilitio ſplendori ſibi cum nobili *Capponum* familiâ congeneri eas artium honeſtarum addidit laces, ut ſublimiorum merita coæquaverit, famam verò aliorum ſuperârit. In linguæ Græcæ cognitione ſic excelluit, ut transfuſus in eum *Græcorum* autorum genius videretur. Hoc propterea nomine à *Coſmo*, Principe *Florentiæ*, Græci ac Latini idiomatis interpretandi ornatus provinciâ, Moralis Philoſophiæ poſtmodùm è ſuggeſtu tradendæ munus obtinuit. Nominis celebritate cum undique frequentes auditorum cœtus alliceret, *Bononienſes*, *Venetos*, ac Reges ad ſuæ compulit vocis fructum cumulatis præmiorum oblationibus expetendum. Sed patriæ ſuæ amans optavit magis

Græcæ excellens.

Profeſſor Ethicæ Florentiæ.

magis civicis ab ipſâ honoribus affici, ac Domini liberalitatem ſæpiùs experiri, quàm externi faſtûs diſcrimen incertâ peregrinatione ſubire.

Exteri Florentiâ iter habentes inter cætera ejus Urbis admiranda cum etiam de facie noſcere geſtiebant, ejusque ad vivum depictam imaginem pretioſi loco viatici ſecum afferre plurimos compertum eſt. Id verò non ſolum curæ habuit *Farneſius* Cardinalis, ſed ejus potiſſimùm nutu bonarum artium rudimentis voluit erudiri, ut etiam *Feltrius Urbini* Regulus, à quibus deinceps opulenta retulit honoraria. Hinc ſummus Academiæ *Florentinæ* parens concordi civium ſuorum plauſu eſt appellatus. Ita doctorum cohors omnium *Italicæ* univerſitatis ad ejus oraculum inita humaniorum literarum diſſidia deferebat. In quo tamen egregiam perpetuò retulit modeſtiæ laudem, animo potiùs amicorum ſtudiis & officiis, quàm propriæ gloriæ & inflationi prono. Nec pariter ullum lucri vel emeriti commodum ſibi cordi eſſe tunc oſtendit, cum 2000. aureorum ſibi à nobili quodam oblata presbytero, ut Rhetoricæ Volumen typis excuſum ejus inſcriberet nomini, conſtanter rejecit.

Farneſii Card. & Feltrii Ducis Urbini Præceptor.

Divitiarum contemptor.

Quibus dotibus ſuſpiciendum quid mirum, ſi pluries *Coſmus* ad varios Principes Legatum delegit? ac præſertim ad *Julium III.* congratulandi ergò de adepto ſedis faſtigio: undè poſteà rediit Equitis & Comitis adauctus dignitate. Quin etiam ab eodem Lauream ſtudentibus conferendi obtento diplomate, plures *Hetruſcorum* aliarumq; gentium nobiles, hoc ut ex ejus manu decus acciperent, *Florentiam* datâ operâ conveniebant.

Legatur Duc. Florent.

Eques & Comes creatur.

Sed à corporis haud ſe potens interitu vindicare, ut ſe bonis animi reddiderat immortalem preſſus annis in patriæ gremio cecidit 8. Dec. A. C. 1586. æt. 87. A *Leonardo Salviato* Equite orat. fun. collaudatus, ac præcipuum ejus voce inibi conſignatum elogium, quod ſextus à quinque aliis ejus Urbis celeberrimis Muſarum heroibus recenſeri mereatur.

Moritur.

Scripſit & edidit:

Scripta.

Commentaria in Rhetoricam, Poëticam, & Politicam Ariſtotelis, nec non in Demetrium Phaleréum, Catonem, Varronem, & Columellam. Verſiones Græco-Latinas Euripidis, Hipparchi, & Sophoclis. Variar. & Antiquar. Lectionum Libros 38. Epiſtolarum ad Germanos miſſar. Libros 3. Explicationes ſuarum Caſtigationum in Ciceronem. De Urbis Romæ Regionibus & locis Libellum.

* *Ex Muſeo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicentini.*

LUCAS CRANACHIUS FILIUS.

Obiit A. C. 1586.

EX Epitaphio, quod ei *Witteberge* in Templo Parochiali poſitum legitur, qualis vir fuerit, apparet:

MEMORIÆ ET SPEI ÆTERNÆ.
LUCÆ CRANACHII, LUCÆ ILLIUS GERMANI APELLIS F. INGENIO ET ARTE ÆMULI. NATUS FUIT WITTEBERGÆ IV. NON. OCTOBR. AN. CHRISTI MDXV. INTER CIVES REIP. HUJUS PRIMARIOS, ET TANDEM ETIAM CONSUL. FIDE, AUCTORITATE, COMITATE ET LIBERALITATE EXIMIUS. CONCORDIÆ SI ALIUS QUISQUAM SEMPER STUDIOSUS. ASSERTOR RELIGIONIS CONSTANTISSIMUS, VIVA IMAGO SECULI SUI, HOC EST, LUTHERANI, QUOD HABUIT MORTALE DEPOSUIT, DIE CONVERSIONIS PAULI, QUAM HISTORIAM EXTREMUM ETIAM ARTIS SUÆ SPECIMEN RELIQUIT, AN. CHRISTI MDLXXXVI. HÆREDES FIERI FECERUNT.

Epitaphium.

Pictor Pictoris fil.

Conſul Wittebërg.

* *Ex Academiâ Wittenberg. à Gotfrido Suevo, J. C. editâ.*

MICHAEL BEUTHERUS.

Obiit A. C. 1587.

C*Aroloſtadii* oppido vetuſtiſſimo *Franciæ Orientalis* à *Carolo Magno* ſub annum 800. condito, & ad *Mœnum* ſito natus eſt A. 1522. 18. Octob. S. *Lucæ* Sacrâ, quæ natalis fuit *Germaniæ* Acad. *Heidelbergenſis* A. 1387. *Gryphiswaldenſis* A. 1457. & *Wittenbergenſis* A. 1502. fundatarum.

Patrem habuit cognominem, oppidi illius Præfectum per annos 36. & ob fidem in ruſticorum ſeditioſorum motibus conſtanter ſervatam *Conrado à Thungen*, Epiſcopo *Wirceburgenſi* cariſſimum.

Avus ejus *Paulus Beutherus*, Præfectus finium Ducatûs *Franciæ*, obiit A. 1496.

Cum Patrem vix bimulus amiſiſſet, matris curâ in Scholâ patriâ prima literarum fundamenta fecit.

An. æt. nono *Wirceburgum* miſſus, ibi in Grammaticis ulteriores fecit progreſſûs.

An. 1534. In Gymnaſium *Coburgenſe* ſe contulit, ubi Græcam linguam didicit.

A. 1536. *Marpurgum* profectus, Præceptorem & hoſpitem nactus eſt *Joh. Draconitem*, Theol. Doct. popularem ſuum, à quo Hebræam linguam didicit.

An. 1538. Ibidem primum Philoſophiæ Baccalaureatûs gradum adeptus eſt.

Fit Baccalaur.

An. ſeq. In *Solitarienſe* cœnobium in *Haſſiæ* finibus ſitum, ad docendas artes vocatus eſt.

Brevi poſt *Wittenbergam* adiit, ubi à *Melanchthone* D. *Mart. Luthero* commendatus, inter domeſticos ejus receptus & humaniſſimè habitus eſt. Autor ibi fuit ipſi *Melanchthon*, ut ſtudium Matheſeos cæteris adjungeret, & Magiſterii gradum peteret, animumque poſteà ad Hiſtoriarum lectionem adjiceret.

A. 1542. Cum diſſidio quodam inter *Joh. Fridericum* Elect. & *Mauritium* Ducem *Sax.* finium cauſâ orto miles utrinque conſcriberetur, *Torgæ* operam ſuam in conficiendo copiar. *Elect.* catalogo addixit. Eo bello

confecto, *Wittenbergam* ad Muſas rediit, nec Martis caſtra deinceps attigit.

Milit.

A. 1546. Ad hiſtoriar. poëſios & Mathematum Profeſſionem publ. in Academiam *Gryphiswaldenſem* vocatus venit, & Rectoratus ibi dignitate functus eſt.

Profeſſor Gryphiswaldenſis.

A. 1548. à *Melch. Zobelio*, Epiſcopo *Wirceburg.* vocatus, & in Conſiliariorum numerum allectus eſt.

Conſiliarius Wirceb.

A. 1549. In Academias *Gallicas*, *Pariſienſem*, *Aurelianenſem*, *Biturigenſem*, & *Pictavienſem* profectus, Juri Civili operam dedit, & *Pictavii* Ephemerin hiſtoricam conſcripſit, quod opus A. 1550. *Lutetiæ* typis edidit, ad cujus poſteà exemplum *Paulus Eberus* Calendarium ſuum adornavit.

A. 1551. Domum rediit, & ab aulâ *Wirceburgenſi* denuò receptus, eidem totum ſe dedidit.

A. 1552. Ad Tractatum *Paſſavienſem* legatus, *Henrico* Comiti *Caſtellano* & *Johanni Zobellio* adjunctus nihil antiquius habuit, quàm ut Pax in religione ſtabiliretur.

A. 1553. *Patavium conceſſit*, & ibi ſtudio Medicinæ, de conſilio *Melanchthonis* operam dans, ac cum *Gabriele Fallopio* familiariter converſans, in eâ quoq; arte excelluit.

Deindè *Romam* & reliquas *Italiæ* Academias celebres accedens, *Ferrariæ* per *Renatum Catum* Doctor Juris, competitoribus 18. Epiſcopis, renuntiatus eſt.

A. 1555. In patriam ab Epiſcopo ſuo revocatus, ſtatim ac domum reverſus eſt cum *Joh. Zobellio* & *Henrico à Moß*, J.C. ad Comitia *Auguſtana* ablegatus eſt. Domum reverſus, cum ob fidei Evangelicæ confeſſionem multos haberet oſores, dimiſſionem ab Epiſcopo petiit, ſed impetrare non potuit, donec A. 1559. ab Elect. *Pal. Ottone Henrico* vocatus, ab eo Conſiliarius Eccleſiaſticus & Bibliothecarius deſignatus eſt.

Conſiliarius Elect. Palat.

Cum autem an. ſeq. Elector obiiſſet, *Oppenhemium* ſe conferens, omnibus rebus publicè gerendis valedixit. In illo otio Argumenta in ſingula Bibliorum capita primus adornavit.

An. 1562. Cum *Francofurti* Comitiis, in quibus *Maximil. II.* Imperator electus eſt, intereſſet, lecti conjugalis ſociam ſibi adjunxit *Margaretham*, *Andreæ Reuſſii*, civis *Moguntini* & Signiferi filiam, cum quâ felici conjugio annos 25. tranſegit, & 6. liberos ex eâ ſuſcepit, è quibus tres filios ſuperſtites reliquit, *Michaëlem Philippum*, Theol. Doct. Duc. *Bipontini* Superintendentem Generalem, *Joh. Michaëlem*, J.D. & Prof. *Argent.* & *Jacobum Ludovicum*, præfecturæ *Tabernæmontanæ* Scribam provincialem.

A. 1563. Omnes Academias *Saxonicas* & Urbes Antiquitatum cauſâ ſuis ſumptibus perluſtravit.

A. 1565. à Rep. *Argentinenſi* per *Joh. Sturmium* invitatus, Profeſſionem ibi Hiſtoricam ſuſcepit. Ibi primo Decanatu functus, & primus 9. Magiſtros A. 1567. creavit.

Tandem corpore maraſmo conſumpto in certâ miſericordiæ Divinæ fiduciâ placidè extinctus eſt 27. Octob. A. 1587. æt. 65. Tertio die pòſt humeris ſtudioſorum elatus & ſepultus eſt.

Moritur.

Trium facultatum fuit doctiſſimus, linguar. Hebr. Græcæ & Lat. peritiſſimus, *Gallicam* & *Italicam* perfectè locutus eſt, *Hiſpanicam* & *Anglicam* etiam intellexit. Antiquarius & Hiſtoricus eximius.

Symbolum ſibi delegit geminum: *Adjuvante DEO*, &c. Hindurch mit Freuden unverzagt.

Libros edidit plurimos *Theologicos*, *Juridicos*, *Hiſtoricos*, *Genealogicos*, *Philoſophicos*, *Mathematicos* & *Poëticos*. *Tractatum de Appellationibus. Opus Faſtorum Antiquitatis Romanæ. in 4to. Animadverſiones Hiſtoricas & Chronographicas. in 8vo.*

Scripta.

PETREJUS TIARA.

Obiit A.C. 1588.

NAtus 15. Jul. A.C. 1514. in *Friſiæ* maritimo, *Worckum* dicto.

Philoſophus & Medicus. Primus Acad. *Leydenſis* Rector factus eſt A. 1575.

Profeſſor Leydenſis.

Literas Græcas in *Duacenâ* primùm ac *Lovanienſi*, deindè in *Lugduno-Batavâ*, tandem *Friſiorum Franeckeranâ* Academiâ ad extremum vitæ profeſſus eſt.

Franecker.

Lugduni Batav. Græcæ linguæ Profeſſorem egit annis 14. Indè in patriam revocatus, in novâ Academiâ *Franeckerenſi* Græcas literas aliquandiu publico ſtipendio profeſſus eſt.

Mortuus eſt *Franeckeræ* A. 1588. æt. 74. die 8. Febr.

Moritur.

Multos autores Græcos Latinè convertit, *Platonem*, *Euripidem*, *Pythagoræ*, *Theognidis*, & *Phocylidis* ſententias carmine Latin. expreſſas.

Poëmation ſcripſit de Nobilitate & diſciplinâ militari veterum Friſiorum, quod inter Delitias Poëtarum *Belgicorum* habetur.

Scripta.

BERNARDINUS TELESIUS.

Obiit Anno 1588.

PRoavis genitus nobilitate ac literarum nitore fulgentibus, puer adhuc *Mediolanum* ad *Antonii* patrui raræ doctrinæ ac integritatis contubernium profectus eſt. Indè porrò unà cum ipſo 17. ætatis anno *Romam* ſecedens, in illud incidit tempus, quo civitas *Borbonii* Ducis nequitiâ ſpoliata execrabile Pontificis ac rerum omnium ſpectaculum præbuit. Communi verò ſuccumbens tunc fato *Teleſius* à militibus captus, bimeſtre carceris incommodum pertulit, donec *Bernardini Martirani* civis ſui, Principis *Aureliani Borbonio* nuper defuncto ſubrogati à Secretis patrocinio eſt exemtus.


Romæ à militibus Ducis Borbonii captus.


Ab hoc infortunio *Romanum* exoſus cœlum ad *Patavinas* ſe contulit *Athenas*, ubi ſedulò Mathematicarum addictus ſtudio, ac potiſſimùm Opticæ, nova inexcogitata & imperſcrutabilia propè quamplurima detexit: in Philoſophiæ pariter indagine non acquieſcens prævalido mentis conatu Phyſica *Ariſtotelis* dogmata convellere auſus, ſum-

Mathemat. & Optica.

Phyſicam Ariſtotelis rejicit.


BERNARDINUS TELESIꝰ
Philoſoph. Prof. Neapoli.


SPERONUS SPERONIUS
Philoſophus Patavinus.



MICHAEL ROTINGUS.
Græca ling. Prof. Norimb.


IOHANNES STURMIUS.
Philoſoph. Prof. Argent.


CHRISTOPHORꝰ PLANTINꝰ
Typographus Regis Antverp.


IACOBUS ZABARELLA
Philoſoph. Prof. Patavii.



PHILIPPUS APIANUS.
Medic. & Mathes. Prof. Tubi.



THEODORUS PULMANNꝰ
Poëta Latinus Hiſpan.


THEODORꝰ KORNHERTZIꝰ
Sculptor & Poëta Gaud.



NICODEMꝰ FRISCHLINUS
Poëta, Orator & Philoſoph.


IOHANNES POSSELIUS
Philologiæ Prof. Roſtochii.


IANUS ANTONIꝰ BAIFIUS.
Poëta Gallus


GERHARDꝰ de IODE.
Mathemat. & Chalcogr. Antver.


GEORGIꝰ HITZLERꝰ
Græca ling. Prof. Tubing.


FRIDERICUS FURIUS
Philologus Hiſp.


MICHAEL de MONTAIGNE
Politicus & Senat. Aquit.

ſumma ejus ætatis ingenia cunctis ferè in orbis gymnaſiis concitavit.

Patavio Romam reverſus cum *Ubaldino Bandinello*, & *Johanne Caſâ* Archiepiſcopo *Beneventano* doctiſſimis viris, obſtricto neceſſitudinis vinculo, magis magisq; ad inchoatæ perfectionem Philoſophiæ utriusq; vocibus eſt impulſus. *Uxorem duxit.* Itaque *Coſentiam* ſe referens, cum *Dianâ Serſali* nobili fœminâ inito matrimonio tres poſtmodùm ſuſcepit maſculos, quorum tandem ſuperſtes unicus defunctâ matre potuit grandior factus *Bernardino* literarium quærenti otium oneroſam domeſtici negotii molem ſubtrahere. Undè factum, ut is in ſilenti luco ſe propè *Coracem* fluvium abdiderit, ubi bina de rerum naturalium principiis volumina, aliasque rerum Phyſicarum tractatiunculas elucubravit, quæ ſingula mox edita, & anxio *Neapolitanæ* juventutis excepta ſtudio ipſum ad eam Urbem accedere coegerunt, *Neapolim venit.* quò aſpectu ſuo hæſitantium plurimos juvenum erigeret, firmatos tueretur, abditosque rerum præclariſſimarum ſenſûs omnibus aperiret. *Academiam erexit.* Itaque ab eâ die excita inibi fuit Academia, in quâ ſingulari contentione nominatim *Teleſiana* Philoſophia adverſùs *Ariſtotelis* placita propugnata, diu etiam vel autore demortuo floruit, licèt deinceps bellorum viciſſitudinibus intermiſſa potiùs quàm everſa.

Tandem *Neapoli* melancholico agitatus affectu, indèque *Coſentiam* filii pietate transvectus, poſt ſesquiannum ecſtatico quaſi ſtupore præpeditus migravit è vivis octuagenarius A. C. 1588.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

SPERONUS SPERONIUS

Obiit A.C. 1588.

Philoſophiæ Profeſſor Patavii. Patavii natus eſt 12. April. A. C. 1500. Adoleſcens in Patriâ Lecturam Philoſophiæ obtinuit, & primùm *Hetruſcas* ac *Latinas* adamavit literas, deindè Moralem & naturalem Philoſophiam, nec non Jurisprudentiam & Mathematicas diſciplinas amplexus, tandem Eloquentiæ totum ſe addixit.

Romam deindè veniens, Pontifici *Leoni X.* Muſarum Mæcenati & Cardinalibus fuit gratiſſimus. Ibi defuncto Pontifice hoc percunctantibus nonnullis Purpuratorum, *Literas MCCCLX interpretatur.* quid ſibi vellent hæc inibi præ foribus elementa: MCCCLX. libero ore reſpondit: Id ſibi velle, Multi *Cæci* Cardinales Creârunt *Leonem X.* quod ſibi *Leo* florida nimis ætate ad Papatum evectus fuiſſe videretur. *Hiſpaniæ* & *Galliæ* Regibus pro Pace publicâ *Italiæ* in gratiam Pontificis inſigni Oratione Pacem ſuaſit.

Sæpiùs etiam pro patriâ coràm *Venetorum* Principibus cum omnium ſtupore verba fecit. *Orator.* Oravit pariter à Principe accitus in funere *Cæciliæ Varranæ* Duciſſæ *Urbini*: & *Romæ Bembi* Cardinalis obitum Oratione deflevit. A *Pio IV.* Pontifice Max. Equeſtris Ordinis inſignia retulit, *Eques creatur.* cum alias reſpuiſſet plurimas nimiæ libertatis amator à Principibus oblatas dignitates.

Româ tandem *Patavium* rediens, ut ingraveſcenti ætati quiete conſuleret, publico civium gaudio exceptus pro bono publico plurimùm laboravit, & Aſtrorum peritiâ multa amicis ac civibus eventura prædixit. *Aſtrologus.* Poſtquàm ex unicâ filiâ *Juliâ* avus, proavus, & abavus factus fuiſſet, decrepitus obiit 11. Junii A. C. 1588. ætatis 88. *Patavii* ſepultus in Templo primario, oratione funebri publicè laudatus fuit ab *Antonio Riccobono.* *Moritur.*

Patrio Sermone ſcripſit & edidit: *Scripta.*

De Dialoghi parte I. & II. Apologia della prima parte de i Dialoghi. Orationi della prudenza de Prencipi. della Militia. In lode della Terra. ſopra le ſententze, che non ſi facci tropo, & conoſci te ſteſſo. dell' amor di ſe ſteſſo. dell' eloquenza volgare. dell' lattere i figliuoli. Dialogo della cura familiare. Espoſizione dell' Oratione Domenicale. Lettere familiari. Canace Tragedia. Lezioni in difeſa della Canace, recitate nell' Academia de gli Elevati in Padoa. Varii Verſi.

* *Ex Theatro ital. Viror. literator. Hieron. Ghilini; & ex Elogiis Viror. doctor. Jac. Phil. Tomaſini.*

MICHAEL ROTINGUS.

Obiit A.C. 1588.

Johannis Roting, vinitoris *Sultzfeldenſis* filius A.C. 1496. natus. Puer admodùm debilis Scholam primò *Ochſenfurtenſem* frequentavit, deindè ad agnatum ſuum Dom. *Vitum Wörlerum*, tunc Præceptorem Comitum ab *Helfenſtein* ſe contulit *Ingolſtadium*, cum eoque *Lipſiam* diſceſſit.

A. 1519. Poſtquàm *Lipſiæ* D. *Mart. Lutherum* cum *Joh. Eccio* diſputantem audiviſſet, *Lipſiæ Lutherum cum Eccio diſputantem audivit.* Evangelii luce illuminatus *Lipſiâ Wittenbergam* venit, ubi ſtudiis operam dans, *Joach. Camerarii Bobebergenſis* & *Hieronymi Baumgartneri*, Patritii *Norimberg.* apud *Philippum Melanchthonem* convictor fuit. *Wittenberg. Melanchth. convictor.*

Ibidem D. *Mart. Luthero* familiariter innotuit, cujus Poſtillam poſteà *Norimbergæ* in linguam Latinam translatam typis emiſit. An. 1526. *Norimbergæ* ſub auſpicium Gymnaſii *Ægidiani*, præter Profeſſionem *Norimb. in Gymnaſio Ægid. Græc. ling. Profeſſor. Et 12. Alumnor. Inſpector.* Græcæ & Latinæ linguæ, Duodecim Alumnorum curam à Senatu ſibi demandatam ſuſcepit. Hi prius Chorales vocati, ex Xenodochio novo ad Spiritum Sanctum in Gymnaſium *Ægidianum* translati ſunt: quorum ſodalitium juxta cum Inſpectore A. C. 1533. inſigni beneficio Dom. *Conradi Groſſii*, Senatoris *Nor.* cœpit, cum is modò dictum Xenodochium loco Monaſterii *Himmelsthron* appellati, magnis ſumptibus & impenſis fundavit.

27. Febr. An. 1527. *Norimbergæ* nuptias celebravit cum *Catharinâ, Henrici Leyſii* filiâ, *Conjugium ejus & Liberi.* ex quâ 15. liberos, & inter hos filium cognominem Theologum ſuſcepit.

Theol. Profeſſor. Profeſſionem deindè Theologicam etiam adeptus, cum *Andreâ Oſiandro* publicè aliquo- *Andr. Oſiandri adverſarius.*

quoties diſputavit, ejusque dogmata ſingularia de Juſtificatione hominis in *Boruſſiâ* ſparſa confutavit. Cum A. 1573. uxorem morte abreptam amiſiſſet, tempus vitæ reſiduum viduus legendo & ſcribendo inſumpſit.

Deſignatur Profeſſor Altorf.

An. C. 1576. à Senatu *Norimbergenſi* in Gymnaſium *Altorfinum* recens introductum abire juſſus, ut Profeſſoris ibi publici munere cum aliis fungeretur, propter ſenium modeſtè ſe excuſavit, ſalarium nihilominùs annuum 12. adhuc annis obtinuit, vitam ex maraſmo ſenili conſumptus longævam morte beatâ finiens die 20. Maji A. C. 1588. ætatis 94.

Moritur.

Norimbergæ hoc ei poſitum legitur *Epitaphium:*

Epitaphium.

DEO OPT. TER. MAX. ET PIIS MANIBUS MICHAELIS ROTINGI FR. LIBERAL. ART. ET PHILOS. MAG. PATRIÆ QUONDAM IN NOBILISS. NORIBERG. REPUBL. SCHOLÆ RECTORIS V. C. SACRUM.

Clauditur egeſtâ Michaël tellure Rotingus,
Francus Avis, cultu moribus atque fide.
Prætulit eximiâ hunc pietate Lutherus amicis
Intima committens huic ſua conſilia.
Nota viri virtus: Reſpublica Norica pubem
Dotibus ornandam huic credidit Aonidum.
Reſtitit & furiis Oſiandri, turpe negantis
Nos juſtos fieri ſanguine, Chriſte, tuo.
Nunc anima è vinclis ſubducta triumphat in Æthra,
Et reditum expectant membra novanda ſui.
Da benè, Chriſte, mori: teque unum apprendere letho
Victorem. Æternùm is qui benè credit ovat.

VITA EXCESSIT A. C. N. MDLXXXVIII. XI. CAL. JUNII, CUM VIXISSET ANNOS XCIV.

MONUM. HOC PATRI, AVO, SOCEROQUE B. D. S. M. F. C. LIBERI, GENRI, NEPOTESQUE A. C. N. MDLXXXIX.

* *Ex Hiſtoriâ Gymnaſii Ægidiani Norimberg. à M. Job. Heldio A.C. 1573. editâ. Et ex libro manuſcripto D. Mich. Rötenbeccii, Med. Norimberg.*

Obiit A.C. 1589.

JOHANNES STURMIUS.

NAtus eſt *Sleidæ*, in Ubiis oppido, 1. Oct. A. 1507. Patrem habuit *Guilielmum*, quæſtorem Comitum à *Manderſcheid*, virum doctum, Matrem *Gertrudem Hulſariam*, matrem 14. liberorum.

Diſcit & docet Lovanii.

A. 1524. *Lovanium* venit, ubi annos tres diſcendo, & duos docendo inſumpſit.

Ibidem An. 1528. cum *Rudgero Roſcio*, Græcæ Linguæ Prof. Officinam Typographicam inſtituit, ſumptibus à Parente adjutus, & autores quosdam Græcos impreſſit.

Profeſſ. Lutetiæ Pariſ.

A. 1529. *Lutetiam Pariſior.* diſceſſit, ubi publicè Græca & Latina cum arte Logicâ docuit.

Ibidem uxorem duxit *Johannam Piſoniam*, & convictores multos aluit.

Medicinæ ſtudio deditus Doctoris titulum cum *Andernaco* petiturus erat, niſi *Argentinam* vocatus fuiſſet à Senatu.

Argentorati.

A. 1537. *Argentoratum* veniens, publicè in ſcholâ docuit, quam A. 1538. aperuit in X. Claſſes diſtributam.

Eandem ad Academiæ culmen evexit, privilegia largiente Imp. *Maximiliano II.* An. 1566.

Moritur.

Tandem viſu orbatus exſpiravit *Argentorati* A.C. 1589. ætatis 82.

Obiit A.C. 1589.

CHRISTOPHORUS PLANTINUS.

Typographus Regius Antverp.

PAtriâ *Turonenſis Gallus*, poſteà Civis *Antverpianus* factus eſt, & Architypographus Regius, cujus induſtriâ & ſtudio infinita opera tam vetera quàm nova magno rei literariæ bono in publicum prodierunt. In ejus Typographéo 12. prælis conſtante ultra 100. linguæ diverſæ potuerunt imprimi: quod ideò octavum mundi miraculum *Hubertus Goltzius* vocare ſolitus eſt. Hujus videndi gratiâ *Iſabella Hiſpaniæ* Infans A.C. 1631. *Mariam Mediceam Galliæ* Reginam *Antverpiam* deduxit, quo tempore *Baltaſ. Moretus*, *Chriſtoph. Plantini* ex filiâ nepos vir eruditus Typographiæ præfuit. Senex obiit *Antverpiæ* 1. Julii A.C. 1589. æt. 75.

Moritur.

Obiit A.C. 1589.

JACOBUS ZABARELLA.

NAtus eſt *Patavii* Nonis Sept. A C. 1533. Patre *Julio*, Comite *Palatino*, Matre *Ziliolâ*, filiâ *Hieronymi*, Doctoris. Juvenis felici præditus ingenio ad Eloquentiam primùm & literas Græcas, deindè ad Logicam & Matheſin animum applicuit. Ad Logicam *Johannem Foſcolum Patavinum* & *Franciſcum Robortellum Utinenſem*, ad Logicam *Petrum Arquanum* & *Bernardinum Tomitanum*, ad Matheſin *Petrum Catenam* & *Franciſcum Barocium* Præceptores adhibuit. Originem trahens à *Jacobo IV.* quem *Maximilianus* Imperator fecerat Comitem, cum filiis & poſteris primogenitis, Comitis *Palatini* titulum à Patre, quia primogenitus, jure hæreditario obtinuit.

Comes Palatinus.

Patavii Logicæ Profeſſor.

A. 1564. *Patavii* Logicam profiteri cœpit, *Bernardino Tomitano* Præceptori ſucceſſor datus, quam non modò publicè annis 15. explicavit, ſed & Tabulis ac Commentariis facilem reddidit. Traductus indè ad ſecundam extraordinariæ Philoſophiæ ſedem Collega datus eſt Archangelo *Mercenario Picenſi*, nec multo pòſt primæ paritatem obtinuit, demùm primam ipſam. Vocatus humaniter à *Sigiſmundo* Rege *Poloniæ*, natalis ſoli dulcedine retentus parere noluit, nuncupatis eidem Commentariis in Logicam.

Orator apud Venet.

Non rarò boni publici gratiâ apud Senatum *Venetum* peroravit, à quo ſingulari amore cultus præter publica ſtipendia etiam mille aureos pro *Zabarellæ* filiæ dote promiſſos obtinuit.

Nævi ejus.

Carpebant in eo multi memoriæ labem & quendam in agendis torporem, quibus ad privata vel publica negotia minus eſſet idoneus, ſegniorem pariter quàm ferret ingenii claritas in quæſtionibus

nibus inopinatè ſolvendis prædicabant, & ſcholarium theſibus non niſi per interpoſitas horas reſpondiſſe ſolitum, ac in ſermone blæſum fuiſſe, prætereà impenſius aliquantò impugnâſſe immortalitatem animæ, deterrimam *Alexandreorum* ſententiam palàm profeſſum: quos tamen de ſe rumores fortè ab exulceratis animis excitatos virtutum ſuarum famâ eluſit. Eâ quin etiam floruit rerum Mathematicarum ſcientiâ, præſertim quæ ad aſtrorum dijudicationem ſpectat, ut multi tunc temporis dictis ejus, tanquàm oraculi reſponſis natalis ſui, ac rerum ſuarum commoda vel incommoda metirentur.

Mathematicus.

Uxorem habuit *Eliſabetham*, filiam ſapientis viri *Johannis Cavacii*, quæ 9. illi liberos peperit, *Julium*, Mathematicum inſignem, *Franciſcum*, *Antonium*, *Johannem*, *Carolum*, & *Sabbadinam*, *Juſtinam*, *Arſeniam*, & *Zabarellam*, quibus omnibus ex natali ſyderum conſtitutione vitæ eventum prædixit.

Conjugium ejus & Liberi.

Cum tandem adſtantibus multis juvenibus ſydus in cœlo micans veſperi monſtrâſſet, quod infeſtum ſibi aliquid minari aſſeruit, paucis abindè diebus acerrimo morbo confectus obiit *Patavii* 15. Oct. A.C. 1589. ætatis 56. Oratione funebri laudatus ab *Antonio Riccobono*.

Sibi ipſi mortem prædixit.

Scripta:

Scripta.

De Scientiâ naturali Libri XXX. De Methodis Libri IV. De miſti generatione & interitu Libri III. De primâ Materiâ Libri II. De qualitatibus Elementaris Libri II. De Naturâ. Tabulæ Logicæ. De Naturâ Cœli. De motu ignis in orbem. De accretione & nutritione. De Viſu. De mente humanâ.

* *Ex Elogiis Viror. Doctor. Jac. Philippi Tomaſini; & ex Muſeo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

PHILIPPUS APIANUS.

Obiit A.C. 1589.

NAtus *Ingolſtadii* A. 1531. Patre Præceptore Mathematicas artes didicit.

A. 1549. *Argentoratum* miſſus, anno ſeq. *Gallicas* Academias adivit, Matheſi potiſſimùm operam dans.

A. 1552. æt. 31. Patri calculi dolore defuncto in Profeſſione ſucceſſit, & Medicinæ ſtudium conjunxit.

Profeſſor Ingolſtad.

A. 1557. *Italiam* ingreſſus, Mathematicis & Medicis *Italis* familiariter uſus eſt, & præfinito tempore reverſus, ad ſtudia ſua rediit.

A. 1564. impetratâ à Principe ſuo facultate *Bononiam* reverſus eſt, ibique Medicinæ Doctor creatus.

Doct. Medicinæ.

A. 1567. *Bavariæ* deſcriptionem edidit, ob quod opus Princeps 2500. aureis autorem donavit.

A. 1568. Ob fidei Evangelicæ confeſſionem *Bavaria* recedere juſſus, *Viennam* ad Imp. *Maximilianum II*. ivit, & 3. menſibus ibi ſubſtitit, cum munere Cæſareo domum dimiſſus.

An. 1569. *Tubingæ* Matheſeos Profeſſor conſtitutus, ibi 14. annos cum laude docuit, & copiam mineralium terreſtrium & aqueorum corporum admirabilium ſolicitè collegit.

Profeſſor Tubing.

An. 1589. Apoplexiâ correptus obiit in Muſæo ſtudiis incumbens, æt. 58. *Tubingæ* ſepultus.

Moritur.

THEODORUS PULMANNUS.

Clar. A.C. 1590.

CRaneburgenſis, *Antverpiæ* primùm fullonem egit, ipſo teſte in Præfat. ad *Auſonium*. Poſt ſtudiis ſe totum dedit, & Poëtas Latinos ad Veterum exemplaria contulit, Scholiis illuſtravit, & typis *Plantinianis* foràs ire juſſit:

Ex fullone Poëta.

In Virgilium, Horatium, Claudianum, Auſonium, Lucianum, Juvenalem, Perſium, Prudentium, Paulinum, Boëtium de Conſolat. Philoſophiæ, Suetonii XII. Cæſares. Aviani Æſopi fabulas primum edidit. Illuſtrium Poëtarum flores ab Octaviano Mirandulâ collectos fecit auctiores. Variarum Lectionum Lib. Emendationes & varias lectiones in Terentium.

Scripta.

Ab hominibus demigravit *Salmanticæ* in Regno *Caſtellæ*.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

THEODORUS CORNHERTZIUS.

Obiit A.C. 1590.

AMſtelrodamenſis, Sculptor eximius, artem ſuam in patriâ cum laude exercuit, & varia opera, *Martinum Hemskerkium* imitatus, poſteritati reliquit. Poëſeos etiam laude excellens, *Gaudæ* tandem Deo ſpiritum reddidit A.C. 1590. æt. 78.

Sculptor & Poëta.

* *Ex Academiâ Germ. Pictorum Joach. à Sandrart.*

NICODEMUS FRISCHLINUS.

Obiit A.C. 1590.

NAtus *Balingæ*, oppidulo *Würtenbergico*, 22. Sept. quo die Poëta *Virgilius* obiit, An. 1547. Patre *Jacobo*, Verbi Divini præcone. *Tubingæ* Principis aliquandiu alumnus in Scholam *Regiofontanam* (*Königsbrunn*) traductus A. 1560. æt. 13. Carmina Græca & Latina ſcripſit, & inter alia Elegiam in obitum *Jodoci Stigeri* ejus loci Præceptoris.

A. 1562. *Tubingam* reverſus, in literis fecit progreſſus eos, ut anno ſeq. 1564. Baccalaureus, & 1565. Magiſter artium renuntiaretur, & inter 11. competitores primum locum obtinuerit.

Philoſophiæ Magiſter.

Ab eo tempore Poëſin amplexus, ad quam naturæ impetu ferebatur, carmina non ſcribere, ſed fundere viſus eſt.

An. 1568. ætat. 21. *Tubingæ* in numerum Profeſſorum receptus, *Virgilii Æneida* & *Comment. Jul. Cæſaris de bello Gallico* publicè interpretatus eſt tantâ cum dexteritate, ut omnium facultatum ſtudioſi, Doctores etiam, Comites & Barones catervatim in auditorium confluerent. Mathemata etiam abſente *Phil. Apiano* aliquandiù docuit.

Profeſſor Tubing.

A. 1571. Diſputationum Philoſoph. moderator factus, per octo annos ſingulis diebus Dominicis diſputationes habuit.

Ccc ccc ccc 2 A. 1580.

A. 1580. cum *Orationem de laudibus vitæ ruſticæ* edidiſſet, in quâ duriuſculè vitia quorundam nobilium à majoribus ſuis degenerantium reprehenderat, eosque cum veteribus agricolis comparaverat, licet expreſsè bonos excepiſſet, in ſummum ob eam rem vitæ & exiſtimationis periculum venit, fruſtrà deindè aliâ Oratione Apologeticâ Equeſtris Ordinis laudes proſecutus.

A. 1582. A *Carniolæ* proceribus opportunè vocatus *Labacum*, bonâ cum Principis ſui *Ludovici* gratiâ diſceſſit, illiusque Scholæ gubernationem cum laude ſuſcepit. Cum verò uxor & liberi ob aëris intemperiem perpetuis morbis conflictarentur, A. 1584. licet ægrè dimiſſus, *Tubingam* reverſus eſt, ubi cum jus Civitatis Academicæ repeteret, repulſam paſſus ab eâ Scholâ, in quâ anteà 15. annos cum laude docuit.

Quapropter animadvertens, plerorumq; animos à ſe alienatos, *Francofurtum*, & indè *Wittebergam* diſceſſit, tandem *Brunsvigam* vocatus, munus ibi Rectoris in Scholâ *Martiniana* per ſesquiannum laudabiliter geſſit.

Rector Brunsvic.

Indè impetratâ dimiſſione *Marpurgum*, & demùm *Moguntiam* ſe contulit, ut familiæ hoſpitium, operib9 verò ſuis typographum quæreret. Cum verò ſumtibus neceſſariis deſtitueretur, literis ad Principem *Würtenb.* ſupplicibus ſcriptis, uxoris patrimonium 1000. florenos ſubſidium petiit. Quod cum ipſi denegaretur, ratus id reſponſum à paucis odio ſui promanâſſe, reſcripſit literas valdè ſtomachoſas. *Moguntiâ* itaque juſſu Principis in patriam abductus, & in vetuſtâ arce *Würtenbergâ* primò detentus, deindè 17. April. 1590. *Uracum* (arcem *Hohen-Aurach*) obligatis oculis captivus abductus eſt. Ibi cum multis precibus liberationem fruſtrà flagitâſſet, tandem 29. Nov. amore libertatis noctu per fornacem effractam erepſit, & funem ex conſciſſis linteaminibus in feneſtrâ muri, ubi præcipitium erat altiſſimum, alligavit. Hoc adminiculo fugâ elabi conatus, ſed deſertus de unâ petrâ in aliam præcipitatus, corpore miſerè confracto periit A. 1590. æt. 44. Intervalla, in quæ lapſus impegit, ſingulis domiciliis editiſſimis perhibentur editiora.

In carcerem conjicitur.

Miſerè periit.

Scripta.

Scripſit *Panegyricos de Nativitate Chriſti. De horologio Argent. De X. Cæſaribus Auſtriacis. De victoriâ Sarmaticâ adverſus Moſchum. De V. Saxoniæ Ducibus. De binis nuptiis Würtenbergicis.*

Comœdiæ ejus evulgatæ ſunt: *Rebecca, Suſanna, Hildegardis, Julius Redivivus, Priſcianus vapulans, Phaſma, de variis hæreſibus, Helvetio-Germani.*

Tragœdiæ: *Venus & Dido ex primo & quarto libro Æneid. Virgilii Nomenclator Quadrilinguis Latino-Germanico-Græco-Gallicus. Grammatica, Dialectica, Rhetorica. Paraphraſis in Virgilii Bucolica & Georgica, in Perſii Satyras & Horatii Epiſtolas.*

Libri Elegiarum.

Orationes variæ.

JOHANNES POSSELIUS.

Obiit A. C. 1591.

NAtus eſt *Parchimæ*, oppido Ducatûs *Megalburgici* A. 1528. Patre *Martino*, Matre *Margarethâ*, civibus ejus loci honeſtis.

An. 1542. In Academiam *Roſtochianam* eruditionis augendæ cauſâ miſſus, triennium ibi Græcis imprimis literis operam dedit.

An. 1545. Indè *Wismariam* accerſitus, Scholæ operam ſuam addixit.

An. ſeq. In *Fimariâ* ludo literario fuit præfectus.

A. 1550. *Parchimam* ad ſuos rediit, & parentes jam ſenes inviſit.

Exindè *Roſtochium* pellectus, ibidem Scholæ *Marianæ* Præceptor ſecundo à Rectore loco deſignatus eſt.

A. 1552. Ibidem Decano D. *Roslero* poſteà J. C. Magiſterii titulos & honores adeptus eſt.

An. 1554. Inſpector Pædagogii, *Portæ cœli* dicti, factus, publicè docuit, & ludum moderatus eſt.

Ludimoderator Roſtochienſis.

A. 1557. A Rep. *Bremenſi* ad Gymnaſii illius regimen honorificè invitatus, *Roſtochii* ſubſtitit, ibique eodem anno conjugii ſocietatem cum *Annâ Oldenburgiâ* iniit, ex quâ ſuſcepit filios tres: *Martinum*, qui infans obiit, *Johannem*, qui parenti in Profeſſione Græcâ ſucceſſit, & *Henricum*, qui A. 1568. natus, in medio ſtudiorum curſu mortuus eſt 17. April. A. 1601.

A. 1568. Cum legatio à Duce *Megalburgico*, *Johanne Alberto*, in aulam Cæſaream *Wolffg. Chriſtoph. Mammingero*, Equiti, & *Davidi Chytræo* demandata eſſet, ipſe comes eis additus *Germaniam*, *Bohemiam*, *Auſtriam* & *Hungariam* peragravit, viriſq; doctis paſſim innotuit. Eo in itinere Imperatori *Maximiliano II.* coràm obtulit Evangelior. textûs Græco Carmine à ſe redditos: cui Cæſar ipſe Latinè reſpondit: *Lecturum ſe per otium, & ſicubi uſus foret nullâ re commodis ejus defuturum.* Eo etiam itinere facinus Heroicum audivit narrari: cum in pagum quendam Siebenbrun in finibus *Moraviæ* irruptionem *Solymannus Turcar.* Imp. feciſſet, & acinace ſuo promiſcuè omnia mactaret; fœmina quædam veru arrepto in medium agmen intrepidè irrupit, tribusque ſauciatis *Turcis* tandem & ipſa virili animo occubuit.

Roſtochium ad ſuos reverſus, rediit ad operas Scholaſticas, & autores *Græcos* fideliter expoſuit.

Tandem A. 1591. cum totos 37. annos in Academiâ docuiſſet, in morbum fatalem incidit, & cum paulò ante hymnum *Germanicum* compoſuiſſet de felici ex hâc vitâ exitu, placidè obdormivit *Roſtochii* 15. Auguſti A. 1591. ætat. 63.

Moritur.

Decanatum facultatis Philoſophicæ novies, & bis Rectoratum in Academiâ geſſit.

Scripta.

Edidit: *Syntaxin Græcam. Apophthegmata Græcè & Latinè. Colloquia familiaria. Calligraphiam Oratoriam Græcæ Linguæ.*

JANUS

JANUS ANTONIUS BAIFIUS.

Obiit A.C. 1591.

Lazari Baifii Conſil. & Legati Regii filius illegitimus.

Illius fuit *Lazari Baifii*, qui ex equeſtri apud *Andegavenſes* familiâ genitus, à *Rege Franciſco* ad ſummas dignitates evectus, Magiſter fuit Libellor. Supplicatoriorum in Senatu *Pariſ.* & crebris ad Chriſtianos Principes Legationibus adhibitus fuit, quo in honorum curſu florentem, & ab editis de re veſtiariâ navalique Commentariis apud literatos illuſtrem intempeſtiva mors oppreſſit.

Venetiis natus. *Poeta Gall. ſingularis.*

Hic verò filius ejus in Legatione *Venetâ* ex liberali quâdam puellâ natus, paternis veſtigiis inſiſtens, bonas quoque artes, & præcipuè Poëticen, Præceptore *Johanne Aurato*, gnaviter ſecutus eſt: ita tamen, ut cum verſus Latinos belliſſimè pangeret, & in *Græcis* antiquitatem ipſam laceſſere videretur, ſemper hæſerit in *Gallicis*, ornandæ patriæ deſiderio. Cujus etiam vernaculum ſermonem tanti fecit, ut non contentus illis ſimiliter deſinentibus ſonis, quos hactenus noſtri Muſici coluerunt, experiri præterea voluerit, num ad veterum Græcorum & Latinorum numeros Carmina *Gallica* fingi poſſent?

Muſicor. patronus.

Cæterùm fuit ob gratum morum facilitatem ſummè amabilis, ſed in hoc Patre inferior, quod fortunâ uſus eſt parùm felici, nec fere quicquam in bonis habuit præter domum ſitu & cultu peramœnam, quam incoluit in *Lutetiæ* ſuburbiis ab politis hominibus aſſiduè frequentatam, præſertim à Muſicis, cum eos ad novum illud numerorum genus emodulandum & fidibus aptandum cupidos invitâſſet, inſtitutâ in hunc uſum apud ſe Academiâ, cujus ad inuſitatos concentûs ſummi etiam Principes animi gratiâ ſæpenumerò confluebant: donec Regius miles impetu in rebellem civitatem facto in ipſa ſuburbia irrupit, omniaque diripuit, cum ipſe paucis ante diebus è vitâ ſexagenarius exceſſiſſet A. C. 1591.

* *Ex Elogiis viror. doctrinâ illuſtr. Scævolæ Sammarthani.*

* * *

Johannes Antonius Baifius à Secretis Regii cubiculi oriundus à ſtirpe doctorum hominum nobilis *Baifiorum* familiæ, ex *Andegavenſi* provinciâ, egregius Poeta *Græcus, Latinus*, & *Gallicus*, inter primos fuit, qui tetrum illud ignorationis monſtrum fugans, è *Galliâ* introduxit veterem illam & jucundam *Græcorum* ac *Latinorum* Poëſin, menſuramque Carminum cum orthographiâ melius accommodatâ, idq; ad communem Muſices uſum. Idem unà cum *Petro Ronſardo* & *Remigio Bellaqueo* (qui uno ferè tempore tanquàm ex equo *Trojano*, ut fertur, è Scholâ *Johannis Aurati* prodière) *Callimachum, Pindarum, Horatium* excitavit è mortis caligine. Immenſæ ſuæ eruditionis indicia ſunt Opera Poëtica, quæ edidit.

* *Ex Promptuar. Icon. inſignior. Part. II. Gulielmi Rovillii.*

GERARDUS DE JUDÆIS, vel DE JODE.

Obiit A.C. 1591.

Mathem. & Chalcograph. *Milit.*

Noviomagus nobilis, Mathematicus & Chalcographus celebris, *Abrah. Ortelio* percharus. Humanitatis primò ſtudiis excultus, mox ſub Imp. *Carolo V.* militiam annos aliquot profeſſus eſt, cui exin valedicens intermiſſas complexus eſt Muſas. Deceſſit *Antverpiæ*, cum vixiſſet annos ſupra 80. 5. Febr. A. C. 1591. Quieſcit in Cœmiterio ſummæ ædis.

Evulgavit:

Scripta.

Speculum Orbis Terrarum, tabulis & deſcriptionibus adornatum. Microcoſmum cum figuris æneis. Apologiam Creaturarum. Theſaurum Hiſtoriarum Veteris & Novi Teſtamenti.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

GEORGIUS HIZLERUS.

Obiit A.C. 1591.

Hizleri facies erat hæc genuina Georgi,
Cum tribus addiderat luſtra peracta decem.
Illum Gienga bonas urbs patria duxit ad artes:
Argentina ſuis excolit indè Scholis.
Leucoreâ Sophiæ fiebat in urbe Magiſter: — *Philoſophiæ Mag. fit Witteb.*
Quinquaginta inter tumque ſecundus erat.
Hinc Argentinæ duo luſtra Profeſſor agebat, — *Linguar. Profeſſor Argent.*
Officii tanta laude bonoque ſui,
Ut tandem Linguas Latiam Græcamque profeſſum
Communi accierit voce Tubinga virum. — *Tubinga.*
Hîc Oratoris præclara laude vigebat: — *Oratoriæ Profeſſor.*
Hîcque Scholæ ſimili laude Senator erat.
Sæpius & magnâ Sophiæ gravitate Decanus:
Judicio, eloquio, conſilioque potens.
Doctrinâ, pietate, fide, virtute vir omni
Comprimis veræ relligionis amans.
Clarus & officiis: proh quantus amore juvandi!
Quotque patrocinio juvit is uſque ſuo!
Indigenas juvit, peregrinos juvit, & indè
Nunc quoque defuncti gratia viva viro eſt.
Et quia ſpes illi gignendæ prolis adempta,
Multo agnatorum ſed grege dives erat:
Hos aluit partim ſtudiis melioribus aptos,
Partim mechanicum ſcire ſategit opus.
Tandem oculis captus patienti pectore morbum, — *Oculis captus.*
Fertque obitum conjunx triſtis, Eliſa, tuum.
Denique privatus penè omni luce quietus,
Emeritâ vivens conditione ſenex;
In Chriſto moritur: mens cœlum aſcendit in altum:
Funebris exponit cætera ſermo meus.

OBIIT XXII. APR. A. C. MDXCI. ÆT. LXV.

Alluſio ad Nomina:

Æſtate Agricolæ magno Fervore laborant:
Officium faciens ſic ego vivus eram.

* *Ex Elogiis Profeſſorum Tubingenſium Carminicè editis ab Erhardo Cellio, Hiſtor. & Poët. Profeſſore.*

FRIDERICUS FURIUS.

Obiit A.C. 1592.

Philologus Hiſp.

Cariolanus Hiſpanus, cum prima literarum ſtipendia *Lutetiæ* feciſſet, indè *Lovanium* profectus, cum *Bononia Siculo* Theologiæ Profeſſore de Bibliis in vernaculam linguam vertendis acri diſceptatio-

ne contendit, quam in ſcripto comprehenſam in *Germaniam* profectus, *Baſileæ* publicavit, atque ob id cenſoriæ notæ poſteà acumine perſtrictus eſt, quæ à piis eam legi prohibuit. Scripſit etiam de Conſiliis, & de Conſiliarii officio Commentarium.

Obiit A. C. 1592.

* *Ex Elogiis Thuanæis Viror. doctor. C. D.*

Obiit A.C. 1592.

MICHAEL MONTANUS.

Michel de Montaigne, *Gallis* vocatus, apud *Montanum* gentile caſtrum in agro *Patracorienſi* Equite patre natus, avitam rei bellicæ gloriam initio neglexerat, partiſque felici ſtudiorum labore diſciplinis in Senatum *Aquitanicum* fuerat aſſumtus. — *Senator Aquitan.*

Sed fratre natu majore poſt aliquot annos vitâ functo Magiſtratu ſe ſponte abdicavit, Regiique Ordinis Inſignibus à Principe cohoneſtatus, aliud planè vitæ genus inſtituit: ita tamen, ut quæ togatus fœdera cum Muſis iniverat, ea nec torquatus deſereret. Hoc enim apertè teſtantur elegantes illi & ingenuâ loquendi libertate non minùs quàm doctrinæ varietate amabiles Libri Miſcellaneorum ab eo Gallicè conſcripti, quos libros titulo ſanè ſuperbiore dignos modeſtè *Conatus, Les Eſſais Gallicè* appellavit. — *Colonell.* — *Edidit Les Eſſais.*

Quantum porrò ſibi peperit ex illius pulcherrimi Operis editione, vel apud exteras nationes eruditionis opinionem tum patuit, cum *Roma* eum ultrò in civium ſuorum numerum cooptavit. Nec potuit ſibi temperare vir cœteroqui ab inani gloriæ cupiditate remotus, quo minus hunc honorem ſibi habitum poſteris prædicaret, illumque *Romanorum* diploma Scriptis ſuis interſereret. Superatis tandem colici doloris, qui ſeneſcentem invaſit, moleſtiis fatis conceſſit A. C. 1592. — *Civis Romanus.*

* *Ex Elogiis Gallor. doctrinâ illuſtr. Scævolæ Sammarthani.*

Obiit A.C. 1592.

SAMUEL HEILANDUS.

Natus eſt *Baſileæ* 7. Julii A. 1533. Patre *Marco*, Theologo, Matre *Mariâ Iſelinâ*. Adoleſcens *Argentinæ* ſtudiis operam dedit in cœnobio, quod *Wilhelmitanum* vocant. Ob nimiam autem diligentiam candelis privatus fuit, quarum defectum beneficio *Lunæ* ſplendentis compenſavit.

26. Nov. A. 1550. *Baſileam* profectus, ibi prima, ut vocant, depoſuit rudimenta.

An. ſeq. *Tubingam*, ut ad *Theologiam* animum adjungeret, adiit, & Ducis *Chriſtophori Wirtenbergici* clementiâ in illuſtre ſtipendium receptus eſt.

An. 1553. Primam Philoſophiæ lauream conſecutus, ex eo ad magiſterium adſpirans, cum contubernali ſuo *Georgio Gaſti, Sultzbacenſi*, ita tempus partitus eſt, ut diurnum omne vigilarent, & alterâ tantùm nocte dormirent, hoc eſt, 36. horas continuò ſtuderent, 12. dormirent. Eo anno nondum elapſo, Decano M. *Johanne Hildebrando*, primus inter Competitores magiſterii honore inſignitus eſt. — *Philoſophiæ Magiſter.*

Conjunxit deinde cum Theologiæ ſtudio Philoſophicum, & cum A. 1555. ob peſtem Academia *Tubingenſis Calvam* translata eſt, ibi conciones dedit.

A. 1556. Cum *Georgius Liblerus* Magiſter domûs illuſtris ſtipendii officio ſuo renunciâſſet, *Heilandus* in ejus locum, cui ante biennium fuerat adjunctus, ſucceſſit.

Deindè cum poſt obitum *Matthiæ Garbitii, Illyrici*, Ethices profeſſio vacaret, eam à Senatu Scholæ ſibi demandatam ſuſcepit, & inter Profeſſores cooptatus eſt. — *Profeſſor Tubing.*

Cum aliquando *Scalichius* quidam, antiquo genere Comitum, ut præ ſe ferebat, ortus, *Tubingam* appuliſſet, & omnium Scientiarum myſteria exiguo tempore ſe docturum alios polliceretur, *Heilandus* inauditam illam methodum etiam condiſcere voluit. Sed Comitis illius jactantia, ut & alius cujuſdam Comitis, qui ſe Oratoriam uno menſe exactè docturum dictitabat, fumo levior & brevior fuit. Sed majori cum fructu audiit *Jacobum Schechium*, *Ariſtotelem* publicè docentem.

In Mathematicis excelluit, fuit Theologus, Hiſtoricus, & linguar. Græcæ ac Hebraicæ peritus.

A. 1566. Conjugem duxit *Julianam*, genere *Wintheram*, à *Joh. Schwartzio*, Medico *Wirtenbergico*, cum 5. liberis relictam viduam. Ex eâ filium unicum reliquit, cum filiâ, quæ poſt D. *Andreæ Oſiandro Lucæ* filio nupſit. Eâ mortuâ nunquàm ad ſecundas nuptias tranſire voluit.

Cum à primâ ferè ætate febribus debilitate ſtomachi & viſûs imbecillitate conflictatus eſſet, acceſſit tandem incurabilis exulceratio veſicæ, propter quam, ut amicis retulit, unâ ſæpè nocte quadragies ipſi levandæ veſicæ causâ ſurgendum fuit cum cruciatu tam atroci, ut pro quâlibet vice ſectionem illius loci pati maluiſſet. Placidè tandem obiit pridie Pentecoſtes An. 1592: ætatis 59. — *Moritur.*

Succeſſorem habuit tum in Stipendiariâ tum in Academicâ ſtatione M. *Vitum Müllerum*, cui adjunctus fuit M. *Samuel Magirus*, Muſicæ in Academiâ *Tubing.* Profeſſor D. *Joh. Magiri* Præpoſiti *Stutgardiani* filius.

Scripta: — *Scripta.*

Quæſtiones Ethicæ.

Clar. A. C. 1591.

OTTO GUALPERIUS.

Gualperium *Heſſum* tulit *Roteburgum* ad *Fuldam* oppidum. Cœteroquin cum inſtitutus optimè, perfectèq; planè eruditus eſſet, Academia ejusdem potiſſimùm operâ, cum iſthoc docendi munere A. 1581. abiiſſet *Hermannus Vultejus*, in Græcis primùm & poſtmodùm etiam in Hebraicis literis explicandis uti voluit. Atque ſic quidem, cum inter Philoſophicæ facultatis proceres bis Decani munus peregiſſet, à *Lübecenſi* Republicâ anno 1593. ad urbis Scholam gubernandam avocatus, Academiæ huic valedixit, & *Lübecam* deceſſit.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

ORLAN-



SAMUEL HAILAND,
Ethices Prof. Tubing.



OTTO GUALPERIUS.
Philologus Lübec.



ORLANDUS LASSUS
Muſicus excellens.



SIMON FABRICIUS.
Græcæ Lingu. Prof. Auguſtæ Vind



GERARD, MERCATOR
Coſmogr. & Mathem. Juliacenſis



IACOBUS MAZZONIUS.
Philoſ. Prof. Romæ & Piſis



HARTVIC, SMIDENSTET.
Philoſophiæ Prof. Helmſtat



TORQUATUS TASSUS.
Poëta Italicus.



ERHARDUS CELLIUS
Poëti. & Hiſt. Prof. Tubing.



MICHAEL MÆSTLINUS.
Matheſeos Prof. Tubing



IOHANNES MAGIRUS.
Phyſices Prof. Marpurg.



VITUS MÜLLERUS.
Ethices Prof. Tubing.



PETR, ANGELI, BARGÆ,
Poëta Ital.



FRANCISCUS DRACUS
Rei nauticæ peritiſſimus



FRANC. RAPHELENGI,
Hebrææ ling. Prof. Lugd. Bat.



ALDUS PIUS MANUTI,
Rhetorices Prof. Romæ.

ORLANDUS LASSUS.

Obiit A.C. 1593.

B*Ergæ* in *Hannoniâ* natus eſt A.C. 1520. Puer 9. annorum ad Muſicam adhibitus, cum ob vocis ſuavitatem omnibus gratus eſſet, ter plagio ſublatus, & bis parentum curâ domum reductus eſt. Tertiò Proregi *Siciliæ Ferdinando Gonzagæ* adhæſit.

Muſicus excellens. A. 1538. *Neapolin* profectus, ibi triennium cum Marchione de la *Terzâ* vixit. Indè *Romam* venit, & Sacello Muſico ad S. *Johannem Lateranenſem* præfectus biennium exegit.

Tum *Angliâ* & *Galliâ* perluſtratâ *Antverpiæ* duobus annis manſit.

Ab Imp. *Maximiliano II.* nobilitate donatus.

A. 1557. Ab *Alberto* Duce *Bavariæ Monachium* vocatus.

An. 1562. Ibidem Sacello Muſico præfectus eſt.

Obiit *Monachii* A.C. 1593. ætatis 73.

SIMON FABRITIUS.

Obiit A.C. 1593.

N*Atus* eſt An. C. 1533. Patre *Gabriele Fabritio*, Cellario, & Præfecto *Herbipolenſi Marc- Biberti*, Matre *Dorotheâ Büttneriâ* à *Lauboldſedel*, quæ 4. filiorum mater hunc ultimo loco peperit. Puer in Scholâ *Winsheimenſi* vicinâ literis humanioribus imbutus adeò profecit, ut anno ætatis 20. dignus fuerit habitus, qui in Academiam aliquam ablegaretur. Patre verò jam mortuo frater ejus *Laurent. Fabritius* Cœnobii Monaſterio *Schwartzacenſis* Secretarius, ſumtus adſtudia neceſſarios non adeſſe veritus, A. 1549. Cœnobio *Schwartzacenſi* incluſit eum, qui vitæ Monaſticæ pertæſus A. 1550. cucullum exuens, *Wittenbergam* in *Saxoniam* ſe contulit, ubi cum fratre *Leonharto Fabritio Philippum Melanchthonem* & *Georgium Cracovium*, J.C. & linguæ Græcæ Profeſſorem diligenter audivit docentes.

Ex cœnobio Wittenbergam venit.

Exindè alias etiam *Germaniæ* Academias acceſſit, donec tandem *Auguſtam Vindelicorum* An. 1560. venit, ubi mox Senatus inclytus eum in Scholâ *Annæâ* An. 1531. ibi erectâ Præceptorem, deindè Linguæ Græcæ Profeſſorem, tandemque in locum *Hieronymi Wolfii* Bibliothecarium conſtituit.

Auguſtæ in Scholâ Annæâ Præceptor. Linguæ Græcæ Prof. — Bibliothecarius.

Uxor ejus & Liberi. 4. Octob. A. 1563. *Auguſtæ* matrimonium iniit cum virgine *Catharinâ Mayeriâ*, quæ 12. ei liberos peperit, & inter hos *Johan. Baptiſtam Fabritium* J.C. Imperatoris *Rudolphi II.* Conſiliarium, & Advocatum aulicum *Viennæ*, *Hieronymum* Med. D. & Archiatrum *Brandeburg.* & *Georg. Sigismundum* Pharmacopœum *Winsheimenſ.*

A. 1581. Conjugem chariſſimam dyſenteriâ æt. an. 40. extinctam amiſit.

Hanc inſecutus eſt morte beatâ vivis ereptus 15. Jul. A.C. 1593. æt. 63.

* *Ex Concione fun. Hieron. Fabricio Med. D. hujus Simonis filio Windshemii habitâ per Rochum Meiſterum.*

GERHARDUS MERCATOR.

Obiit A.C. 1594.

N*Atus Rupelmundæ* in finibus *Flandriæ* 5. Martii 1512. Patre *Huberto*.

Philoſophiæ Magiſter. *Lovanii* Magiſterii gradum adeptus, Matheſi imprimis ſtuduit, tabulas Geographicas & Globum terreſtrem ac cœleſtem ſculpſit.

Carolo V. Imperatori multa inſtrumenta Mathematica artificioſè paravit.

A. 1536. Uxorem duxit civem *Lovanienſem Barbaram Schelken*, ex quâ 4. filios & tres filias ſuſcepit. Filios *Arnoldum*, *Johannem*, *Gerardum*, & *Rumuldum* in Mathematicis & Geographiæ ſtudiis ipſe inſtituit.

Mox *Lovanii* Terræ Sanctæ deſcriptionem exorſus eſt, quæ A. 1537. in publicum prodiit.

Præceptorem in Mathematicis nullum habuit, ſed ſolùm privatâ inſtructione *Gemmæ Friſii Flandriæ* deſcriptionem aggreſſus, brevi abſolvit.

Poſtmodùm *Lovanio Duysburgum* cum familiâ migravit, ubi Imperatoris *Caroli V.* juſſu duos exiguos globulos, unum ex cryſtallo, alterum ex ligno confecit, cœleſtem unum, alterum terreſtrem, magnitudine globi, quo pueri in circulo ludunt.

Scripta. Fecit deindè *Europæ* deſcriptionem, & *Ptolomei* Tabulas veteres correxit.

Auxit poſteà Chronologiam, & ſcripſit libellum de arte Geographicâ.

In Theologiâ ſcripſit *Harmoniam Evangelicam. Commentaria in Epiſtolam ad Romanos, & in Apocalypſin.*

Libri ab eo Geographici ſunt ſequentes: *Theatrum orbis terrarum in fol. Atlas major & minor*, ſive *Coſmographicæ meditationes de fabricâ mundi & fabricati figurâ æneis tabulis à Jodoco Hondio auctus in fol. Chronologia*, ſive *Temporum demonſtratio ab initio mundi uque ad Annum Chriſti 1568. ex Eclipſibus & Obſervationibus Aſtronomicis omnium temporum, Sacris quoque Bibliis & optimis quibusque autoribus concinnata.*

A. 1594. Cum triennio ante paralyſi ſiniſtri lateris correptus, diuturnisq; doloribus confectus eſſet, in Domino obdormivit an. æt. 82. 2. Decemb. *Duisburgi Clivorum*. Moritur.

JACOBUS MAZZONIUS.

Clar. A.C. 1595.

V*Ir* hic ingenii divinitate antiquos *Græcorum* & *Arabum* ſapientes adæquâſſe videri poteſt, *Latinos* verò forſan omnes acumine provocâſſe. Tradunt, ipſum Phyſica vix ingreſſum ſtudia in *Patavino* Lycéo, cum in ſummos duos Philoſophos *Pendaſium* & *Mercenarium*, varia inter ſe doctrinarum alentes diſſidia, impegiſſet, tam nervoſo rationum robore *Pendaſii* partes, cujus ſe præceptis devoverat, ſcriptis editis tutatum eſſe, ut exindè ſinguli primum ei inter diſcentes illuſtris ingenii locum ſcholaſticâ oratione deferrent.

Bononiæ Diſputationem habuit ſingularem. Porrò *Bononiæ* tertio infra trigeſimum ætatis anno, propoſitis 5190. theorematibus

bus ad omnium ſcientiarum momenta ſpectantibus, ſic illa in æde S. Dominici quatriduò propugnavit, ut *Caſtanea* tunc Urbis Legatus ibi aſſiſtens & audiens (qui poſteà Pontifex fuit electus) privatim *Mazzonio* ſit faſſus, ſe ex Theorematum numero fatui & impudentis ipſum ingenii juvenem æſtimâſſe, ſed abſolutâ pugnâ Doctorum eſſe principem & exemplar prædicâſſe. Cæterum anno illo ſolenni indulgentiâ ſacro *Romam* accedens, & Cardinalis S. *Xiſti* exceptus hoſpitio citiſſimè totius in ſe Curiæ oculos animosque convertit, quando de omnibus ex tempore diſſereret, lectiſſimo plurium linguarum idiomate uteretur, abditiſſima authorum innumeraque loca ad verbum recoleret, afferret omnium in quâcunque diſcuſſione ſententias, Metaphyſicæ, Theologiæ, Phyſicæ, Mathematicarum, Politicæ, mitiorum literarum divitias oſtentaret, ob quæ maximè Urbi mirè conſpicuus & probatus cum ejusdem Cardinalis Philoſophus ac Theologus eſt electus, cum publico etiam docendi munere ornatus eſt.

Romæ ob eruditionem honoratus.

Romæ Philoſoph. Profeſſor.

Inter omnes, qui *Venetiis* cum *Scoto* illo *Critonio* ingeniorum miraculo de ſcientiarum apicibus diſceptârunt, unus fortè animi gratiâ eò appulſus extitit *Mazzonius*, qui in Nobiliorum conviviis conſultò initis accerſitus, ternum cum illo acerrimæ Diſputationis congreſſum ſubivit, ac eo, multis ingenuè teſtantibus, eventu, ut *Critonius* argumentorum illius copiâ & ſubtilitate obrutus tandem ſe conflictui callidè ſubtrahere ſit coactus, dictitans armorum ſe magis quàm ſcientiarum ſtudia profiteri.

In omnibus *Italiæ* Gymnaſiis accitus & concupitus, poſtquàm in *Romano* & *Maceratenſi* conſederat, Naturalium interpres, in *Piſano* dehinc decennium abſumpſit. Interim pluries patriæ nomine ad ſummos Principes ac Pontifices Legatus, præſertim *Petri Aldobrandini*, Cardinalis Pontificiarum Copiarum Præfecti nutu *Venetias* Legatione transmiſſus, ad intentam *Ferrariæ* recuperationem Senatui referendam eâ dexteritate rem egit, ut ab iis aureo torque 400. aureorum donatus, Cardinalem voti compotem fecerit.

Profeſſor Piſis.

Exindè ab eo *Ferrarienſis* Academiæ moderator electus eſt, ſpecioſioribus etiam titulis decoratum fore cuncti ominabantur, niſi febris cum eryſipelate invadens eum præpropero impetu è vivorum conſortio ſuſtuliſſet.

Scripta reliquit:

Scripta.

Defenſionem Dantis Aligerii adverſus Rudolphum Caſtravillam, & Franciſcum Patritium. De Conſenſu Ariſtotelis & Platonis, Opus inſigne.

* *Ex Muſeo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicentini.*

HARTVICUS SMIDENSTET.

Obiit A.C. 1595.

L*Uneburgæ*, *Saxoniæ* inferioris, urbe natus eſt A. 1539.

In Scholâ patriâ literarum fundamenta jecit ſub Præceptoribus *Joh. Batelio, Coſfeldenſi Weſtphalo*, Rectore, & *Lucâ Loſſio, Vacbonſi Heſſo, Conrectore*.

A. 1551. De conſilio patruelis ſui *Henrici Smidenſtetti* D. & Prof. Theologi *Roſtochium* profectus, Eloquentiæ præcipuè ſtudio deditus, *Arnoldi Bureni* Prof. Oratoriæ prælectiones ſtudiosè frequentavit.

Poſteà *Wittebergam* ſe conferens, *Petrum Vincentium* audivit, cujus veſtigiis inſiſtens in graviſſimum Oratorem brevi evaſit.

Ibidem A. 1563. Magiſterii laureâ ſub Decano *Hieronymo Oſio*, Poëtâ laureato decoratus, primum locum in numeroſo candidatorum cœtu obtinuit.

Poëta laureatus.

Exindè privatim Oratoriam *Wittenbergæ* docuit, donec ab *Alberto* Duce *Boruſſiæ* An. 1568. in Scholam *Regiomontanam* evocatus eſt ad Oratoriæ Profeſſionem, quam ibi decem annis continuis cum laude docuit.

Profeſſor Oratoriæ.

A. 1578. à *Julio* Duce *Brunsvicenſi* in Academiam *Helmſtättenſem* biennio ante erectam vocatus paruit, & partes Oratoris annos ibi 16. docendo ſuſcepit.

Tandem laboribus morbisque fractus, dum *Luneburgam* patriam cum Conjuge *Annâ Triptiâ*, Mercatoris *Witteberg.* filiâ, (cum quâ annos 27. feliciter exegerat) pro more per æſtatem viſeret, inter amicorum alloquia morte repentinâ placidè ſublatus eſt 31. Julii A. 1595. æt. 56.

Moritur.

Sepultus in ſummo templo *Luneburgæ*.

TORQUATUS TASSUS.

Obiit A.C. 1595.

N*Atus eſt Surrenti* in Regno *Neapolitano* Id. April. A. C. 1544. Patre *Bernardo Bergomenſi*, Matre *Portiâ de Rubeis*. *Neapoli* educatus *Neapolitanum* ſe interdum, aliàs *Bergomenſem* vocavit. Infans cum Patre ob *Ferrantis Sanſeverini* necem bannito, exilii calamitates expertus *Romam* adiit, ubi à *Mauritio Cataneo* Rhetoricam & Poëſin hauſit. Sed ad Gymnaſium *Patavinum* an. æt. 11. imperio Patris proficiſci juſſus, ut Philoſophiæ & Juriſprudentiæ operam daret, in utrâque plurimùm profecit, in Theologiam etiam & Mathemata ſe immiſit: ſed ad Poëſin naturâ raptus, in eâ juvenis & ſenex verſatus eſt.

Patavii ſtudiosus.

Poëta.

Itaque anno æt. 20. imitatus *Ludovicum Arioſtum*, Heroicum Poëma edidit, cui titulus *Il Rinaldo*, quod *Aloyſius* Cardinalis *Eſtbenſis* nomini conſecravit. Abindè Viri eruditi paſſim eum colere cœperunt, & inter cæteros *Scipio Gonzaga*, poſteà Cardinalis, eum hoſpitio excepit in aulâ ſuâ. An. æt. 22. *Ferrariam* vocatus à Duce *Alſonſo II.* literator. Mecœnate, profectus inſtar triumphantis exceptus eſt. Ibi ad eum Nobiles, Equites, & Principes quotidiè convolârunt. Ibidem Carminum ſuorum primam partem publici juris fecit.

Ferrariæ Duci Alfonſo II. charus.

Mox *Aloyſium* Cardinalem *Eſthenſem* Nuntium à Pontifice *Gregorio XIII.* deſtinatum in *Galliam* comitatus eſt. Tunc à Rege *Gallo Carolo IX.* Poëta coronatus eſt. Ex *Galliâ*

rever-

reverſo fortuna cœpit adverſari, initium ducens à morte Patris. Poſteà *Eleonoræ Eſthenſis* in atrio Ducis *Alfonſi* percitus amore cum nobilem aulicum, à quo ſe proditum putabat, ad duellum provocâſſet & interfeciſſet, juſſu Ducis ipſius carceri mancipatus eſt, in quo melancholiam paſſus parum ab inſaniâ abfuit, omnique reliquo vitæ tempore melancholiâ & malis cerebri affectibus vexatus eſt.

Ferrariæ ob cædem captivus & delirio affectus.

Elapſus è carcere *Ticinum* adiit, ibique in Duces *Eſthenſes* virus ante conceptum effudit. A Duce *Alfonſo* poſteà miſeram hominis ſortem commiſerante, an. æt. 36. *Ferrariam* revocatus, ibi in *Hoſpitali S. Annæ* diligenter habitus eſt, adhibitis remediis omnibus, ut ſanitati priſtinæ reſtitueretur.

Egreſſus ex *Hoſpitali*, *Neapolim* ceſſit, & patrimonio, quod perierat, acquiſito, ibi ſanus ac felix degit usque ad tempora Pontificatûs *Clementis VIII.* Tunc à *Cynthio Aldobrandino* Cardinali *Romam* accerſitus, ut Coronâ laureâ publicè decoraretur, paruit. Sed febris obſtitit, quæ terris eum ſuſtulit 1. April. A.C. 1595. æt. 52. Sepultus jacet *Neapoli* in Eccleſiâ. S. *Onuphrii.*

Obiit Neapoli.

Italicè ſcripſit inter alia:

Scripta.

Canzoni, Sonnette, Madrigali, & altri Rime diverſi in 9. parti. Le Sette Giornate della Creatione del Mondo. Il Goffredo, ò vero Gieruſalemme liberata. Il Rinaldo Poëma. Lettere famigliari. Lettioni, & Orationi, Dialogi. Del Segretario Trattato. Il Torriſmondo Tragedia. L' Amnita Favola Boſcareſcia.

* *Ex Elogiis viror. doctor. Jac. Philippi Tomaſini; & ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

Epitaphium ejus Sepulchro inſcriptum:

Epitaphium.

D. O. M.
TORQUATI TASSI
OSSA HIC JACENT
HOC NE NESCIUS ESSES HOSPES
FRATRES HUJUS ECCLESIÆ
POSUERUNT.
ANNO MDCI.
OBIIT ANNO MDXCV.

ERHARDUS CELLIUS.

Claruit A. C. 1596.

Talis Erhardus eram nativo Cellius ore,
Luſtra videns vitæ quinque bis acta meæ.
Vangionum addixit me Sacra Moguntia Muſis,
Quæ mihi Mecœnas, Patris ad inſtar, erat.
Hinc Düſſeldorffi Montenſis in urbe Ducatûs,
Infra Ubios, adeò nobile Gymnaſium,
Hâc Oratores florebant, hâcque Poëtæ,
Philologi, Hiſtorici, Thejologique Scholâ:
Hîc luſtrum, ſtudiis ferventibus omnibus, egi;
Nec redii nullâ cognitione domum.
Deducor Suevûm hinc à Mecœnate Tubingam,
Quod tangens hujus ſidera nomen erat.
Illa Magiſterii me tunc ornavit honore,
Eslingæ primùm cum Schola, peſte, fuit.
Et contuberni jus tunc dedit illa regendi,
Bisque tuli undenis meſſibus illud onus.
Moxque Profeſſorem me deligit illa Latinum,
Jamque te autumnos me vidit eſſe decem.
Ordine me tandem non dedignata Senatus
Collegi membrum, Philoſophia, tui.
Virgilium, & reliquos vates explano Latinos,
Explico Romanos non minus Hiſtoricos.
Non me laudabo (laus propria ſordet) at æquè
Judicio, Auditor, ſtabo cadamque tuo.
Grata mihi ſemper fuit Oratoria: traxit
Inque ſuum ſemper dia Poëſis opus.
Non mea (Livor abi) magnis vel Regibus olim
Non mea Principibus diſplicuêre metra.
Si DEUS annuerit, veſti me longius aurâ,
Non (reor) hanc aliquâ dedecorabo Scholam.

MICHAEL MOESTLINUS.

Clar. A. C. 1596.

Hæc Michaël verâ ſpectatur imagine Mœſtlin,
Egreſſus vitæ ter tria luſtra ſuæ.
Göppingæ natus, ſtudiisque ſacratus iisdem,
Poſtea Regis fons atque Herenalba fovet.
Inde Tubinga ſui Ducis hunc ſuſcepit alumnum,
Et doctâ ſtudii percolit arte ſui.
Hîc Lauri ornatus baccis, factusque Magiſter,
Bisque decem Juvenes tertius inter erat.
Dedidit inde Scholis toto ſe pectore ſacris,
Et magni didicit juſſa docere DEI.
Hinc Teccæ atibi datus eſt Backnanga miniſter,
Bisque duos annos pavit ovile tuum.
Doctrinâ magnus, magnus pietate, ſuæque
Omnibus exemplo vitæ imitandus erat:
At quia naturæ ductu ſtudioque perenni
Arte Mathematica tuncquoque clarus erat;
Voce Mathematicen vocat Heidelberga profeſſum
Elector Princeps Dux Ludovice, tua.
Paruit is, patrio Duce concedente Matheſin
Inque Palatinâ docuit inde Scholâ.
Poſt tres hinc revocat Dux illum Teccius annos,
Atque Tubingenſem vult decorare Scholam.
Hanc decorat, magnâ nunc laude Profeſſor, & ore
Et Scriptis ſtudii dans documenta ſui.
Hoc & Ephemerides, & cætera Scripta Matheſis,
Quæ dudùm volitant docta per ora, probant.
Jamque probabit opus Mœſtlinum grande ſagaci
Mente Mathematicas vadere poſſe vias.
Laus hic eſt igitur fueritque æterna Tubingæ;
Stöfflero, Imbſero, parque, Apiane, tibi.
Erhardus Cellius, Poëſ. & Hiſtor. Profeſſor Tubingæ.

Libros edidit:

Scripta.

Epitomen Aſtronomiæ. Chaſmatum aliquot terribilium & portentoſorum deſcriptionem. Examen Calendarii Gregoriani.

JOHANNES MAGIRUS.

Obiit A. C. 1596.

Fridslarienſis à Philoſophiâ & Medicinâ inſtructiſſimus anno 1585. 17. Januarii G[illegible]am in arte illâ Apollineâ laurean[illegible] *Johannis Wolffii* auſpiciis, conſecutus, poſteà circa annum 1590. muneris publici partem in Academiâ attigit illam, quæ in inveſtigandis rerum naturalium cauſis occupatur, Decanique curavit munus anno 1593. Atque hunc quidem patre defuncto tutores iis jam artibus imbutum, quibus ad

Medicinæ Doctor creatus.

Philoſophiæ naturalis Profeſſor Marpurgi.

Decani munus curavit.

majora veniret paratior, ab hoc vitæ genere abſtractum eò jam adegerant, ut mercaturam ſectaretur & lanificium.

Sed cum fortuna primo non reſponderet labori & rei gerendæ diſpliceret modus, ad ſtudia interrupta reverſus id indefeſſâ effecit operâ, ut non medicâ ſolùm arte, ſed etiam Philoſophia & omni adeò literarum genere præſtaret, id quod vel abundè perſpicere eſt è Phyſicâ illâ Peripateticâ, quæ ex *Ariſtotele* ejuſque interpretibus multo ſudore collecta, & Commentariis aucta omnium manibus teritur, eâ collocationis ſpecie, ut ſi quis eam retexere cupiat, quaſi Phidiæ clypeum diſſolvere videatur. Atq; licet is quidem optimâ ætatis parte die 28. Auguſti anno 1596. dyſenteria extinctus obierit, tamen quia perfectæ virtutis & doctrinæ perfecto functus eſt munere, non parùm diu vixiſſe putabitur iis, qui vitam illam non annorum numero, ſed perenni exacti curriculi laude & gloriâ metiebantur.

Physicam edidit. *Moritur.*

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

VITUS MüLLERUS.

Clar. A. C. 1596.

V*Itus erat tali Müllerus imagine, luſtra*
Cum ſeptem vitæ conſpicit acta ſuæ.
Bülubemii natus Francâ tellure, ſed artes
Steinsbemium primò duxit ad ingenuas.
Indè Rotenburgi Tuberani fluminis urbe
Ingenium coluit non ſine fruge ſuum.
Poſteà Muſarum ſedes hunc celſa receptum
Ignibus excoxit gnava Tubinga ſuis.
Hinc Sophiæ fecit primâ ſtatione Magiſtrum:
Quam meruit ſtudii ſedulitate ſui.
Diſcipulos illi teneros formare per annos
Moribus, & ſtudiis, curaque lauſque fuit.
Hinc diſſertantes Logicâ pugnando palæſtrâ
Laurigeros Sophiæ duxit in omne genus.
Poſt illi Latiæ commiſſa Profeſſio Linguæ,
Et commiſſa pari Lingua Pelaſga modo.
Hinc locus Hailandi Vito datur: Ethicus ergò,
Et pars Collegi, Philoſophia, tui.
Inque Senatorum numero verſatur & illud
Stipendi illuſtris ſuſtinet acervum.
Adde quod à primis ſtudiorum ſedulus annis
Volverit aſſiduâ Scripta ſacrata manu.
Omnibus idque palàm Sacra Diſſertatio fecit
Pro ſtudii digno nomine facta Gradu.
Et fecêre palàm certamina ſæpiùs illi
Quæ cum miſſificis ſunt agitata viris.
Diſcite quid pietas pariat mortalibus, & quò
Ingenium, ſtudium, ſedulitaſque vehant.
At tu vive diu, Vite ornatiſſime, gentis
Et patriæ nunquàm laus obitura tuæ.

Erhardus Cellius, Poët. & Hiſtor. Profeſſor Tubing.

MAGISTER VITUS MüLLER.
Per anagr. *G. Theod. Hofm.*
Hem vir mellitus gratus.

PETRUS ANGELIUS BARGÆUS.

Obiit A.C. 1596.

BArgæus ortu, variis peregrinationibus in adoleſcentiâ per *Græciam* & *Aſiam* exercitatus, & poſteà *Piſis* complures annos in Gymnaſio literas humaniores profeſſus eſt. Poëticâ imprimis excelluit, & *Cynegetica* ejus ac *Syrias* meritò inter complura alia egregia excellentis illius ingenii monumenta commendantur.

Profeſſor literar. humaniorum Piſis. *Piſis.*

Obiit An. C. 1596.

Scripta:

Hieroſolyma, hoc eſt, *Expeditio Principum Chriſtianorum, quâ Gotfrido Bullionéo Duce à Turcarum tyrannide Hieruſalem liberata. Libri de Venatione. Ecloge. Carmina Græca. Quo ordine Scriptorum Hiſtoriæ Romanæ Monumenta legenda ſint Libellus.*

Scripta.

* *Ex Elogiis Thuaneis Virorum doctor. C.B.*

FRANCISCUS DRACO, vel DRACUS.

Obiit A.C. 1596.

NAtus eſt loco mediocri in Comitatu *Devoniæ* A.C. 1550. E ſacro lavacro à *Franciſco Ruſſellio* poſteà *Bedfordiæ* Comite ſuſceptus, ejus prænomen accepit. Dum adhuc puer eſſet, Pater ejus Proteſtantium doctrinam amplexus, ſub regno *Henrici VIII.* ſolum vertit, & in Cantium ſe ſubduxit. *Henrico* demortuo idem apud Claſſiarios in Claſſe Regiâ locum invenit, ut preces prælegeret, & mox Diaconus ordinatus factusq; Vicarius Eccleſiæ, Upnoriæ ubi Claſſis ſtabat, præ paupertate filium hunc *Franciſcum* nauclero vicino tradidit, qui illum ad nautica officia duriter exercuit.

Famulus naucleri.

Juvenis tunc *Dracus* ita hero ſuo tunc ſeni probavit induſtriam, ut is cœlebs moriens illi naviculam ſuam teſtamento legaverit: ex quâ cum pauxillum nummorum corraſiſſet, & percepiſſet, *Johannem Hawkinſium* Naves aliquot *Plimuthæ* apparare & *Americam* cogitare, naviculâ ſuâ divenditâ, cum ſtrenuis quibuſdam nautis è *Cantio* profectus A. 1567. operam & fortunas ſuas in *Hawkinſio* in eâ expeditione infeliciter contulit.

Navicula hæres.

An. 1572. Ipſe ſuis auſpiciis ad *Indias* Occidentales navigare inſtituit, & eodem anno prædâ onuſtus in *Angliam* reverſus eſt. 15. Nov. A. 1577. Cum 5 navibus *Plimuthâ* ex *Angliâ* ſolvens, menſ. Aug. A. 1578. fretum *Magellanicum* pergreſſus, mare *Auſtrale* intravit, & 3. Nov. A. 1580. poſtquàm triennii ſpatio totum terrarum orbem circumnavigâſſet, *Londinum* reverſus, à Reginâ *Eliſabethâ* Eques creatus eſt. Navis ipſius, *Pellicanus* vocata, in perpetuam ipſius memoriam juxta Palatium Regium, *Gronvicum* dictum, in ſiccâ *Tameſis* fluvii palis impoſita fuit. Ideò hoc in ejus honore diſtichon ſcriptum eſt:

In Ind. Occident. navigavit. *Triennii ſpatio totum terræ orbem circumnavigavit.* *Eques creatur.*

Ambitio Draki nullo reticebitur ævo,
Ambivit terras per mare Drakus aquas.

12. Sept. A. 1585. Juſſu & auſpiciis *Eliſabethæ* Reginæ cum Claſſe 25. navium *Plimuthe Angliæ* portu ſolvit *Americam* verſùs. A. 1586. *Hiſpaniolam* & *Cartagenam* inſulas, *Hiſpanis* ope incolarum cæſis, occupavit, oppida & caſtra *Hiſpanor.* diripuit, & 242. tormenta bellica avexit. 6. Aug. ſeq. cum 23. navibus prædâ onuſtis in *Angliam* reverſus

In America victor Hiſpanorum.



PETR, GVALTERI, CHABOTI,
Philoſophus.



ABRAHAM, ORTELIUS.
Geogr. Hiſtor. & Antiquarius.



BENEDICT, ARIAS MONTAN,
Linguæ Hebrææ peritiſſ. Hiſp.



FRANCISCUS MODIUS.
Pöeta & Comicus Flandr.



ANTONI, RICCOBONUS.
Oratoriæ Prof. Patavinus.



DOMINIC, LAMPSONI,
Philolog, Pöeta & Pictor Leod.



IOHANNES LIVINEIUS.
Græc. liter. Peritiſſ. Antverp.



GEORGIUS LIEBLERUS
Phyſices Prof. Tubing.



CAROL, VTENHOVIUS.
Pöeta & Philologus Gandav.



IOH. VINCENTI, PINELLIUS
Antiquarius Patavinus.



TYCHO BRAHE.
Aſtronomiæ Reſtaurator.



PAULUS MELISSUS
Bibliothecarius Heidelb. & Pöeta.



IOHAN: PASSERATIUS.
Oratoriæ Profeſſor Paris.



PETRUS NIGIDIUS.
Philoſophiæ Prof. Marpurg.



FRANC PICCOLOMINEUS
Philoſoph. Prof. Senenſis.



MELCHIOR IUNIUS
Eloquent. Prof. Argent.

ſus eſt. An. 1587. Iterum magno navium grandiorum numero inſtructus ex *Angliâ* ſolvit, & *Hiſpanorum* Claſſem ante portum *Caleti* urbis *Andaluſiæ* (vulgò *Caliz Malis*) ex improviſo adortus, 36. naves commeatu & machinis bellicis onuſtas partim diripuit, partim ſecum abduxit, plurimasque alias flammis exuſſit. 1. Aug. A. 1588. Sub initium pugnæ navalis, quâ *Angli* Claſſem *Hiſpanicam*, invincibilem ab iis dictam, diſſipârunt, ipſe *Gallionem* primariam *Seviliæ* cœpit cum Admirali *Petro Valdeſio*, quem humaniter tractavit, & in *Angliam* deduxit, prædamque nactus eſt in navi 55000. ducatos.

Victus ab Hiſpanis præ mœrore obiit.

Cum tandem in pugnâ navali victus fuiſſet ab *Hiſpanis*, præ mœrore mortuus eſt in *Porto bello* 28. Jan. A. C. 1596. æt. 46.

Corpus ejus exequiis honorificis mari, ceu ſepulchro, mandatum eſt.

* *Ex Herœologiâ Anglicâ H. H. & ex Indice Chronologico Abrah. Bucholtzeri.*

Obiit A. C. 1597.

FRANCISCUS RAPHELENGIUS.

LAnovii, ditionis *Inſulanæ* oppido, natus 27. Febr. An. 1539.

Cum *Lutetiæ* Linguam Græcam & Hebr. didiciſſet, in *Angliam* ſe contulit, & *Cantabrigiæ* aliquantiſper Græcam linguam profeſſus eſt, donec *Antverpiam* regreſſus, & in typographiâ *Chriſtoph. Plantini* correcturæ deditus, filiam ipſius *Margaretham* uxorem nactus eſt A. 1565.

Prof. Lugdun. Batav.

A. 1585. *Lugdunum Batavorum* migrans, Hebr. Linguæ Profeſſor deſignatus eſt, & per otium *Arabicæ* etiam linguæ cognitioni ſe dedit, ac Lexicon *Arabicum* fecit.

Mortuus 20. Julii An. 1597. æt. 58. toto triennio paralyſi afflictus.

Edidit: *Lexicon Arabicum in 4to.*

Obiit A. C. 1597.

ALDUS MANUTIUS.

Rhetorica Profeſſor.

P*Auli* filius, & *Aldi Manutii* nepos, patriæ & avitæ eruditionis hæres. *Vicentiæ* primùm, deindè *Bononiæ* & *Piſis* Rhethoricam publicè cum *Ciceronianâ* eloquentiâ profeſſus eſt. *Romæ* tandem ſedem fixit, ubi in eâdem Profeſſione *Thomæ Correæ Portugalenſi* ſucceſſit, & cum magno ſtudiorum applauſu, mirâque facundiâ docuit. Ibidem ſub finem Octob. A. C. 1597. vitam clauſit.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Comment. in Marci Tullii Ciceronis Philoſophiam, Rhetoricam, & Officia. De quæſitis per epiſtolam Libri III. Ortographia Manutiana. Theſaurus. Phraſes Latinæ. Caji Julii Cæſaris Commentarii Aldi ſenioris emendati, & ſcholiis illuſtrati [illegible] figuris. Elegantiæ Latino-Gallicæ. Cenſorini de Natali liber ad Q. Cerelium emendatus, & notis illuſtratus. Il perfetto Gentilhuomo. Dell' excellenze delle Republiche. Diſcorſi 25. Politici ſopra Tito Livio. La vita di Coſmo de Medici primo grand Duca di Toſcana. Eleganze inſieme con la copia della lingua Toſcana & Latina. Delle antiche Romane Inſcrittioni. Epiſtole familiari di Cicerone in lingua Toſcana tradotte.

* *Ex Theatro Virorum doctorum Italiæ edito Hieron. Ghilini.*

Obiit A. C. 1591.

PETRUS GUALTERIUS CHABOTIUS.

PAtriam habuit *Sanlupum*, oppidulum in agro *Pictavino* ſitum, Patrem *Petrum Gualterium*, *Pancratii* filium, & matrem *Johannam Chabotiam*, elæopolas: ex quibus circa A. C. 1516. progenitus eſt. Pueritia ejus & adoleſcentia fuerunt *Sanlupi* partim Grammaticis Latinis leviter contritæ, partim in domeſticis negotiis procurandis, ut qui natu eſſet 6. aliorum fratrum maximus. Indè ſub 24. ætatis annum deſiderio addiſcendæ linguæ Græcæ *Pictavium* abductus eſt: ſed cum vix ibi 3. menſes exegiſſet, à primariis ſuorum popularium in patriam, indè ad moderandum *Sanlupenſium* adoleſcentiam revocatus eſt.

Ludimoderator Sanlupi.

Hoc munere ſexennium perfunctus, menſ. Octob. A. 1546. in Academiam *Lutetianam* profectus, ibi 3. annos & 6. menſes poſuit in Philoſophiâ, quam *Audomarus Talæus*, & *Petrus Ramus* eloquentiam horis die bipartitis in Gymnaſio Prælæo profitebantur ingenti auditorio & frequenti: quo temporis ſpatio ex legibus Academiæ *Pariſ.* confecto titulum Magiſtri Philoſophici adeptus eſt. Ex eo nulla propè mora interpoſita fuit, quin complures honeſtarum familiarum liberi in ipſius diſciplinam traditi ſint, quos tamdiu docuit, dum tertio civili bello ex commmendatione pædonomiæ *Gualterianæ*, tanquàm è quodam fonte, profluxit ad hominum famam; atq; hinc etiam ad D. *Mich. Hoſpitalii*, *Franciæ* Cancellarii exiſtimationem diminavit, qui mox negotium dedit Regiis Profeſſoribus, *Petro Ramo* & *Johanni Mercero*, illi Eloquentiæ & Philoſophiæ, huic literarum Hebraicarum, ut ex illo percontarentur, an ſuſcipere vellet provinciam 6. ipſius nepotes ruri ad tempus aliquod inſtituendi? Ille verò tantæ perſonæ requirentis autoritate tamq; amico internuntiorum hortatu facilè impulſus, conditionem accepit, atque in eâ 12. annos permanſit, 5. ſuperſtito Cancellario, & reliquos 7. eodem non ſine bonorum querelis deſiderato.

Philoſ. & Eloquent. ſtudioſus Lutetiæ.

Philoſophiæ Magiſter.

Ephorus 6. nobilium adoleſcent.

Totum autem illud temporis ſpatium in ſoceri & generi D. *Bellebatii* ruſticis ædibus, dum *Gallia* incendio diſcordiæ Civilis conflagraret, traductum fuit. Eo belli Civilis tempore ter naufragium ſecularum ſuarum & curtæ ſupellectilis factum patienter & fortiter ſuſtinuit, & temperatis ſemper moribus fuit dotatus, ut victu & reliquo vitæ cultu pertenui uti continenter viſus fuerit.

Ter expoliatus.

Sodalitatibus & epulis intereſſe ſemper vel juvenis pertinaciter recuſavit, ſolitudine delectatus, & paucorum hominum paucique ſermonis homo. Cauſam rogatus, quadruplicem eſſe dixit, crebram mejendi

Sobrietatis & ſolitudinis amans.

Ob 4. cauſas.

 orexin,

orexin, audiendi gravitatem, mandendi imbecillitatem, frequentem alternationem deambulandi & conquiſcendi propter ramices inguinum, quorum affectuum primus à congreſſu ſeceſſum requirat, alter aut taciturnitate aut abſurdâ ad propoſitum reſponſione auditorem ſuſpenſum fatiget, tertius cibos molles & conciſos avidè inhiet, quartus denique ſocium deambulandi aut requieſcendi ſubindè quærere cogat.

Obiit cœlebs octogenarius. Ad extremum hâc vivendi ratione, continentiâ & abſtinentiâ Deus eum cœlibem perduxit ultra ætatem octogenariam, vitâ defunctum circa A. C. 1598.

Scripta. Edita ab eo eſt *Expoſitio analytica & brevis in omnia Q. Horatii Flacci Poëmata.*

* *Ex Vitis 50. Virorum doctrinâ illuſtrium Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A. C. 1598.

ABRAHAMUS ORTELIUS.

Antverpiæ natus eſt 10. April. A. 1527. ex familiâ patritiâ *Auguſtanâ.*

Patrem habuit *Leonhardum*, qui obiit A. 1535. Matrem *Annam Herwayers.*

Matheſi inprimis deditus, varias profectiones ejus cauſâ ſuſcepit.

A. 1575. Cum *Johanne Viviano Valentiano*, mercatore & ſtudiis dedito viro, *Leodicenſes, Trevirenſes, Tungros,* & *Moguntinos* luſtravit.

A. 1577. Socio uſus *Immanuele Demetrio*, cognato ſuo, *Angliam* & *Hiberniam* inſpexit.

Italiam ter peragravit, nihil quoque in *Germaniâ* vel *Galliâ* illuſtre, quod non viderit.

Tot itinerum ſuperatis difficultatibus *Antverpiam* ſibi quietis locum delegit.

Geographus Regis Hiſp. Tum *Theatrum Orbis terræ* edidit, quo opere ita probavit induſtriam ſuam, ut à *Philippo II. Hiſp.* Rege Geographi Regii inſignibus ſit ornatus.

Scripta. Scripſit & *Theſaurum Geographicum. Deorum Dearumque capita ex veteribus numiſmatibus, Aurei ſeculi imaginem, ſive Germanorum veterum mores, vitam, ritus & religionem.*

Domui habuit ſtatuas antiquas, nummos varios, Conchas *Indicas*, Spiras teſtudineas tantæ magnitudinis, ut decem ex iis viri in orbem ſedentes cibum ſumere poſſent, alias ita parvas, ut vix magnitudinem capitelli unius aciculi adæquarent.

Moritur. Obiit cœlebs *Antverpiæ* 18. Junii A. 1598. ætatis 71.

Obiit A. C. 1598.

BENEDICTUS ARIAS MONTANUS.

Hiſpali, urbe *Andaluſiæ* in *Hiſpaniâ* natus, Theologus & Philologus incomparabilis, Sacerdos fuit in patriâ ad S. *Jacobum* Prior, & Eques S. *Jacobi de Compoſtellâ*, à carnium eſu per omnem vitam abſtemius.

Linguæ Hebr. peritus. Cum Linguæ Hebraicæ peritiâ excelleret, *Philippus II. Hiſpan.* Rex miſit eum in *Flandriam*, quo tempore Gubernator illius Provinciæ fuit Dux *Albanus*, ut S. Biblia *Complutenſia* ſumptibus Coronæ Regiæ majori cum elegantiâ typis emitteret *Antverpiæ*: S. Biblia edidit. quâ commiſſione multos ſibi conciliavit æmulos, quorum cauſâ ſæpiùs *Romam* adire coactus eſt, ut innocentiam ſuam à calumniis vindicaret. Inter hos adverſarios ejus fuit *Leo Caſtrenſis*, Canonicus *Valladolitanus*. Epiſcopatus honorem ſæpiùs ſibi oblatum ſemper recuſavit, ne aliorum invidiæ ſe ſubjiceret. Epiſcopatum recuſavit. Ultimis vitæ ſuæ annis in locum à patriâ ſuâ remotum & deſertum ſeceſſit, ubi vitam finiit A. C. 1598. ætatis 71. Moritur. Corpus *Hiſpalim* delatum in Templo S. *Jacobi* ſepultum fuit, cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

DEO VIVENTIUM S.
BENEDICTI ARIÆ MONTANI DOCTORIS THEOLOGI, SACRORUM LIBRORUM EX DIVINO BENEFICIO INTERPRETIS EXIMII, ET TESTIMONII JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI ANNUNTIATORIS SEDULI, VIRI INCOMPARABILIS, TITULIS CUNCTIS MAJORIS, MONUMENTIS AUGUSTIORIS, OSSIBUS IN DIEM RESURRECTIONIS JUSTORUM CUM HONORE ASSERVATIS.
DOMINUS ALFONSUS FONTIBERIUS PRIOR CONVENTUS S. JACOBI HISPALENSIS IN PRIORIS QUONDAM SUI OPT. MERITI MEMORIAM P. C. A. cIↄ Iↄ CV. OBIIT AN. cIↄ Iↄ XCVIII. ÆT. LXXII.

Scripta:

Scripta. *Monumenta humanæ ſalutis, in quibus figuræ Bibliorum æneis typis expreſſæ ſunt. Liber Generationis & Regenerationis Adam, ſive de Hiſtoriâ generis humani. Elucidationes in 4. Evangelia, & in Acta Apoſtolorum. Commentaria in 12. Prophetas minores, & in Eſaiam. De optimo Imperio, ſive in Librum Joſuæ Commentar. De variâ Republicâ, ſive in Librum Judicum Comment. In 30. priores Pſalmos Comment. De Antiquitate Judaicâ Lib. II. Poëmata Sacra. DictatumChriſtianum pereligans. Apparatus in Biblia Regia. Hymni, & Secula. Pſalmi Davidis & alior. Prophetarum in Latinum Sermonem converſi, cum argumentis & elucidationibus vario carminis genere.*

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieron. Ghilini.*

FRANCISCUS MODIUS.

Obiit A. C. 1599.

Brugis in *Flandriâ* nobili familiâ natus eſt An. 1556.

Juvenis *Lovanii* & *Duaci* Juris ſtudio deditus, ob turbas bellicas patriâ excedere compulſus, *Coloniæ Agrippinæ* in familiam *Caroli* Comitis *Egmontani* receptus eſt: deindè *Adolphi Hermanni Rideſelii*, Archimareſchalli *Haſſiaci.*

Demùm gratiam conciliante *Johanne Poſthio* per triennium apud *Eraſmum Neuſtetterum* Canonicum *Bambergenſem* amicè vixit.

A. 1586. Cum amicorum precibus in patriam reverſus omnia bello turbata offenderet, ſubſidio nummorum deſtitutus *Francofurtum* venit, ibique Typographiæ *Sigismundi Feirabendii* inſerviens, quotannis ab eo 200. Thaleros præter menſam accepit.

Poſteà ad Comitem *Egmontanum* in *Belgium* reverſus, A. 1597. Domû irruptione prodi-

proditoriâ captâ ſpoliatus, & in carcerem conjectus, duobus menſibus pòſt liberatus, cum vulnera ante accepta vix ſanata eſſent, etiam à cane in crure dextro repetitis morſibus vulneratus eſt.

Tot igitur modis afflictus fortuniſque omnibus exutus animum planè deſpondit, adeò ut Providentiam Divinam in dubium vocârit, quâ de cauſâ *Juſtus Lipſius* illum Epiſtolâ quâdam ad mentem ſanam revocare conatus eſt.

Moritur.

Tandem *Audomari* in *Flandriâ* factus Canonicus, ibi vitam clauſit circa annum 1599.

Scripta.

Edidit: *Poëmata. Lectiones Nov. antiquas.*

Obiit A.C. 1599.

ANTONIUS RICCOBONUS.

RHodigii *Venetorum* urbe natus An. C. 1541. Cum *Venetiis* & *Patavii* literis humanioribus ſub *Paulo Manutio*, *Carolo Sigonio*, & M. *Antonio Mureto*, mox Jurisprudentiæ operam impendiſſet, juvenis in patriam vocatus, publico ſtipendio Humanitatis Profeſſionem obtinuit, ex cujus Scholâ plurimi Viri docti prodierunt.

Humanitatis Profeſſor Rhodigii.

A. 1567. Cum publicè peroràſſet in Jurisprudentiæ laudem inter Cives *Rhodiginos*, quamvis ipſe humili loco natus eſſet, cum totâ familiâ relatus eſt. An. 1570. in Lycéum *Patavinum* vocatus, in locum defuncti *Franciſci Robortelli* Oratoriæ facultatis primam Cathedram in Profeſſione Eloquentiæ Græcâ & Latinâ ſuſcepit, commotus exhortatione *Laurentii Maſſæ*, Collegam habens *Johannem Phaſeolum*, *Patavinum*. *Phaſelo* 2. poſt menſibus mortuo Gymnaſii parieti hoc diſtichon incerto auctore inſcriptum:

Profeſſor Eloquentiæ Patavii.

Riccoboni radiis magno & fulgore Phaſelus
Bullit: en coctus vermibus eſca datur.

Tunc ſub ingreſſum Profeſſionis ſuæ per triduum ſucceſſivè peroravit, 1. de ſtudiis artium Liberalium, 2. de Literis humanioribus, 3. de Rhetoricâ. A. 1581. Cum *Patavii Bozzacareni* funus Oratione celebrâſſet, & plurima de Urbis ſplendore commiſcuiſſet, adeò ſibi Civium devinxit animos, ut Civitatis *Patavinæ* Jus impetraverit. Deindè pro Univerſitate Philoſophor. Medicor. & Theologorum *Sebaſtiano Venerio*, & *Nicolao de Ponte* Ducibus *Venetis* de recenti imperio gratulatus eſt.

Civis Patavinus.

Sorte ſuâ ſemper contentus, ſed parùm firmâ crurum valetudine gavìſus, cum vinis generoſis, maximè *Vicentinis*, delectaretur, ſenſim contabuit, & increſcente veſicæ calculo occubuit A. 1599. æt. 58. In patriam delatus, in æde S. *Franciſci* à *Ludovico Rogato*, J.C. *Rhodigino* ſolenni Oratione laudatus, & tumulo conditus eſt. Frater *Barnabas Riccobonus* Abbas *Olivetanus* ipſi poſteà ſtatuam cum monumento erexit.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Orationum Tomi II. Orationes in obitu Tiberii Deciani, Johannis Cephali, & Laurentii Laureti. Gratulatio in adventu Marci Cornelii, Epiſcopi Patavini pro Philoſ. & Medicinæ in Gymnaſio Patavino Univerſitate. Ad Cardinalem Julium Cananium Rhodigii nomine ex publico decreto Gratulatio. Hiſtoriæ de Gymnaſio Patavino Libri VI. Commentarii in univerſam Doctrinam Oratoriam Ciceronis. Ars Comica ex Ariſtotele. Commentarii de Hiſtoriâ, cum fragmentis veterum Hiſtoricorum. De uſu artis Rhetoricæ Ariſtotelis. Poëtica Ariſtotelis Latinè converſa. Compendium Artis Poëticæ Ariſtotelis. Comment. in Ethicam Ariſtotelis. Paraphraſis in Ariſtotelis Rhetoricam.

* *Ex Elogiis Viror. Doctor. Jac. Philippi Tomaſini; & ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Tumulum ſibi vivens extruxit cum hâc inſcriptione:

Epitaphium.

MARIETÆ MATRI OPTIMÆ,
SIBI, AGNATISQUE
ANTONIUS RICCOBONUS
MDXCVI.

Frater poſtmodùm in tanti Viri memoriam ſtatuam cum hoc monumento addidit:

TITULUS HIC ESTO ÆTERNUS
ANTONII RICCOBONI U. J. C. RHODIGINI
PATAVII QUI POLITIORES ELOQUENTIÆ ARTES PUBLICE ET GLORIOSE PROFESSUS PER ANNOS XXX. E VITA CESSIT HONORIFICE
SEXAGENARIO PROPIOR ANNO
MDXCIX.
P. BARNABAS RICCOBONUS ABBAS OLIVETANUS, FRATRI LAUDATISSIMO MDCXV.

Obiit A.C. 1599.

DOMINICUS LAMPSONIUS.

BRugenſis Flander, Picturæ & venerandæ antiquitatis amantiſſimus. Poeta amœnus. Ingenii induſtriæque nomine *Reginaldo Polo* Cardinali mirum in modum placuit. Illo unà cum *Mariâ Angl.* Reginâ Kal. Dec. A. 1558. defuncto in patriam trajecit, & *Leodicum* veniens, primùm *Henrico Bergio*, deindè *Gerardo Groesbeckio*, demùm *Erneſto Bavaro*, trium ex ordine *Eburonum* Epiſcopis gratus, iiſdemque à ſecretis fuit. *Levino Torrentio*, *Petro Ximenio Luſitano* vitæ Academicæ Sectatori (qui *Coloniæ Agrippinæ* ſeptuagenario major A. 1595. ex hâc vitâ exceſſit) *Carolo Langio*, & *Juſto Lipſio* fuit conjunctiſſimus. Habuit Mecœnatem *Bruxellæ* ſpectabilem *Chriſtophorum Aſſonlevillium*, arcani concilii Conſiliarium, multis Legationibus perfunctum.

Pictor, & Poeta.

Trium Epiſcopor. Leodic. Secretarius.

Leodici tandem ſenex obiit A.C. 1599. & ad S. *Dionyſii* à fratre conditus hoc Epitaphio:

Moritur.

Epitaphium.

AD DEI OMNIPOTENTIS HONOREM,
ET
DOMINICI LAMPSONI
VARIA SCIENTIA ET FUNCTIONE PUBLICA
CLARI,
IN HAC ECCLESIA SEPULTI,
SUIQUE MEMORIAM
NICOLAUS LAMPSONIUS EJUSDEM ECCLESIÆ
DECANUS EJUS FRATER POS. AN. cIↄIↄCIII.
SIC erat hoC Latè notVs LaMpſonIVs anno,
Ipſâ DefVnCtVs qVa ſanCtVs ALeXIVs horâ.

Scripſit

Scripſit ſolutâ oratione:

Scripta. *Vitam Lamberti Lombardi Pictoris celeberrimi, cujus diſcipulus fuerat. In Tabulam Cebetis carmen valdè elegans, quod Bonaventura Vulcanius inſeruit Libello ſuo de Poëmatibus III. fratrum. Belgicos Pictores claros iconibus verſibusque illuſtravit. Paſſionem Chriſti ab Alberto Dürero æri inciſam Carmine Heroico ornavit. Pſalmos Pœnitentiales Lyricis verſibus edidit.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1599.

JOHANNES LIVINEIUS.

T*Eneramundanus Flander*, *Gandavo* oriundus, & ab ipſis incunabulis ibidem educatus fuit, undè *Gandenſem* ſcribere ſe maluit. Nepos ex Sorore Lævini Torrentii. *Lævini Torrentii* Præſulis *Antverpiani* ex ſorore *Clarâ* Nepos: *Græcorum* Patrum ſedulus interpres. *Romam Vaticanæ* Bibliothecæ excutiendæ gratiâ profectus, Græc. ling. peritus. *Guilielmo Sirleto* & *Antonio Caraffæ* Cardinalibus eruditis, ob ſingularem Græcæ Linguæ peritiam carus imprimis fuit. *Lipſius* amicum ſuum vocat ſeriò & ſine ambitione doctum. Apoplectico demùm correptus morbo, cum avunculo ſuo annos 3. & menſes 8. ſupervixiſſet, nondum ſenex deceſſit. Moritur. Conditus *Antverpiæ* in Templo Cathedrali ad avunculi tumulum, hoc Epitaphio:

Epitaphium.

D. O. M.

JOHANNES LEVINEIUS GANDENSIS, L. TORRENTII ANTVERP. EPISCOPI EX SORORE NEPOS, CANONICUS ET CANTOR HUJUS ECCLESIÆ,

QUI UT GENERE ET ERUDITIONE, SIC ET TUMULO PROXIMUS AVUNCULO HÎC QUIESCIT.

A GRÆCIS PATRIBUS ILLUSTRANDIS, IN QUA LINGUA VALDE EXCELLUIT, E MEDIO CURSU ABREPTUS IDIB. JAN. AN. CHRISTI CIƆ IƆ XCIX. ÆTATIS LII.

Vertit è Græco:

Scripta. *Theodori Studitæ Catecheſes 135. è Sirleti Cardinalis Bibliothecâ, quas Scholiis illuſtravit. In Plantinianâ Biblior. editione Græcâ cum Guil. Cantero ſedulam operam navavit. Gregorium Nyſſenum, & Johannem Chryſoſtomum de Virginitate. Andronici Imp. C. P. Diſputationem cum Judæo, Job. Chryſoſtomi Epiſtolas, Euripidis Tragœdias, Athenæi Diphnoſophiſtarum Libros Latina fecit, & cum M. SS. comparavit, nondum typis edita apud heredes latentia. Panegyricos XII. veteres recenſuit, ac Notis illuſtravit.*

Bibliothecam ejus emerunt Soc. Jeſu Clerici vili pretio ab hæredibus.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1600.

GEORGIUS LIEBLERUS.

NAtus eſt *Dentslingæ*, pago *Würtenbergico*, *Nürtingæ* opp. vicino 3. Octob. A.C. 1524. Pater ejus vir plebejus & fortunæ tenuis, ſed honeſtus *Georgius*, cum annis adhuc juvenilibus devotionis ergò in *Hiſpaniam* D. *Jacobi* reliquias ſalutandi causâ profectus eſſet, & *Compoſtellæ* in templo Apoſtolo illi ſacro monachum quendam per D. *Jacobi* ſimulachrum ad peregrinantes verba facere, de negligentiâ hominum in viſitandis reliquiis Sanctorum queri, & ita imperitæ plebi imponere cognoviſſet; religionem illam ſuſpectam habere cœpit, & ſeq. tempore Evangelii doctrinam amplexus in eâdem filium educavit.

A. 1531. In oppidum vicinum *Nürtingam* ad Scholam à Patre miſſus eſt, hortante Sacerdote pagi Pontificio, qui puerum hunc unicâ die literas *Germanicas* recto & inverſo ordine didiciſſe cum admiratione viderat. A. 1524. *Tubingam* in Scholam trivialem miſit cum Pater *Johanni Troſtio*, ſartori commendatum, cui ut hoſpitium filio, & quotidiè duo juſcula absq; panibus tamen præberet, annuatim 5. florenorum pretium promiſit. Tubingæ Scholaſticus pauper. Ibi propter egeſtatem ante fores Profeſſorum & civium canendo ſtipem rogare per aliquot annos coactus, ſingulis etiam ſeptimanis in xenodochio panem juſtæ magnitudinis obtinuit, quem ſemper in 7. partes æquales pro numero dierum dividere ſolitus eſt. Varia etiam deſcribendo non ſolùm memoriam feliciſſimam ſibi comparavit, ſed etiam ſubindè pecuniam aliquam acquiſivit, quam, ne patrem ſumptibus gravaret, hoſpiti perſolvit. Menſ. Aug. A. 1537. Rectore M. *Gebhardo Prasbergero* albo Academico inſcriptus, & inter primos Academiæ Stipendiarios receptus, annuatim 25. florenos à Principe *Ulrico* obtinuit. Stipendiar. Tubing.

Hinc ſe in menſam Contubernii contulit, in eâque, quàm diù potuit, permanſit, cum ſtipendiariis liberum eſſet, ubicunque vellent habitare cibumque capere. Menſ. Mart. A. 1541. Primâ laureâ donatus fuit Decano M. *Mich. Vato*. Baccalaur. Eodem anno Princeps beneficiarios, quod partim vitam agerent diſſolutam, in Contubernii partem, quam Modernam vocant, migrare, & menſâ communi uti juſſit, Præceptorem iisque præfecit *Hieronymum Gerbardum*, qui poſteà Principis Conſiliarius, & tandem Vicecancellarius factus eſt. Huic adjunxit Ephorum ſeu Inſpectorem primarium *Paulum Conſtantinum*, *Phrygionem* Eccleſiæ Paſtorem, cui A. 1543. demortuo ſucceſſit *Erbardus Snepfius*. 6. Auguſti A. 1544. Decano *Conrado Schotto Dagersheimenſi* ſupremâ in Philoſophiâ laureâ ornatus, inter 17. Candidatos tertium locum, quem eruditionis prœmium dicunt, obtinuit. Philoſophiæ Magiſter. Inter Competitores fuerunt *Theodoricus Snepfius* & *Jacobus Dachtlerus* Theologi, *Caſpar Wildius* Conſiliarius *Würtenbergicus*, *Johannes Swartius* Medicus, & *David Chytræus* Theol. ac Hiſtoricus.

Abindè Theologiæ ſtudio ſe totum tradidit, & cum ad initium An. 1546. Colloquium in Religionis negotio ab Imp. *Carolo V. Ratisbonæ* eſſet inſtitutum, & *Erhardo Snepfio*, *Johanni Brentio*, *Martino Bucero* & *Georgio Majori* Proteſtantium Theologis eò eſſet eundum, ut cum *Petro Malvendâ Hiſpano* aliisque Theologis Pontificiis congredeTheologiæ ſtud.

Amanuenſis Colloquio Theol. Ratiſpon.

grederentur, ſolus *Lieblerus* ex omnibus Stipendiariis illis tanquàm amanuenſis adjunctus eſt. Indè re infectâ menſ. Aprili domum reverſi ſunt. A. 1547. Eccleſiæ *Derendingenſis* cura ipſi, quamvis adhuc juveni, commendata eſt. 18. Jan. A. 1548. Nuptias celebravit *Tubingæ* cum virgine *Mariâ*, D. *Johannis Crunderi*, Conſiliarii *Wirtenbergici*, filiâ, ex quâ 8. filiorum & 4. filiarum pater factus eſt. Eodem anno ob Interim cum aliis Eccleſiæ Paſtoribus ab officio remotus cum uxore *Tubingam* denuò ſe contulit. Ibi ſtatim in numerum Profeſſorum receptus, in Scholâ Latinam & Græcam linguam docuit. A. 1552. in locum *Martini Frechti* ad Profeſſionem S. literar. transeuntis Stipendiarior. Magiſter Domûs factus, per 6. annos Collegium illud cum laude rexit ad annum usque 1557.

Paſtor Derending.

Conjugium ejus & Liberi.

Profeſſor Linguar. Tubing.

Magiſter Domûs Stipendiar.

A. 1553. Cum D. *Jacobus Schegkius* reſignatâ Lectione Phyſicâ artem Medicam doceret, *Lieblero* Naturalis Philoſophiæ Profeſſio, & A. 1569. Rhethoricæ quoque lectio commendata fuit. Sed etiam publicas Orationes plurimas habuit, & ſingulis menſibus ſecundùm Academiæ Leges, Diſputationes Philoſophicas, reſpondentibus Magiſtris, defendit. 1. Maji A. 1588. à Senatu Academico Rector electus, munus id ſingulari cum laude geſſit. A. 1566. Cum peſtis graſſans ipſius etiam domum ingreſſa filiam *Mariam* morti tradidiſſet, mox hortante Senatu Academico, aëris mutandi gratiâ, *Deutslingam* ad cognatos cum familiâ migravit. An. ſeq. 1567. ſalvus ad Academiam, quæ tum *Eslingæ* propter peſtem exulabat, reverſus, officium priſtinum pro virili fecit. Menſ. Febr. A. 1568. Filium natu maximum *Johannem* in exilio Interimico natum, qui poſteà Paſtor Eccleſiæ *Brackenheimenſis* audiit, Magiſterii honore ipſe Decani munere fungens, ſolenniter creavit. A. 1570. Filia ejus *Agatha* nuptias celebravit cum *Andreâ Planero*, Med. Doctore, qui mox anno ſeq. *Argentoratum* ad publicam Philoſ. & Med. Profeſſionem evocatus, ſeptennium ibi in munere ſuo exegit, & poſteà *Tubingam* in locum *Jacobi Schegkii* ad *Galeni* & *Ariſtotelis* Libros interpretandos regreſſus eſt. An. 1571. Secundi etiam filii *Jacobi* ſummos in Philoſophiâ honores lætus aſpexit, & ſubſequenti tempore eundem à Republ. *Ratisbonenſi* ad munus Eccleſiaſticum vocatum vidit. 29. Nov. An. 1591. Uxor ejus febri quartanâ conſumpta, cui hydrops acceſſit, morte placidâ cum obiiſſet, à Principe *Ludovico* ſubmiſsè petivit, ut ſibi ſenio gravi in illuſtre Stipendium redire, & ejus menſâ frui per breve vitæ reſiduæ ſpatium clementer permittat, quod obtinuit, & nihilominus in Academiâ quotidiè Rhethoricam ac Phyſicam docere perrexit.

Phyſ. & Rhethoric. Profeſſor.

Orator.

Filium Johannem creavit Magiſtrum.

Andr. Planerus, Med. Doct. ejus gener.

Uxorem amiſit.

Ad ſtipendiarior. menſam rediit.

A. 1593. Lethargo gravi correptus, licèt Medicor. diligentiâ ſanitati reſtitueretur, viribus tamen corporis deficientibus à Duce ſuo rude donatus eſt: quo facto filiis & generis convocatis facultates ſuas ultrò diſtribuit. Menſ. Febr. A. 1594. Senatui quoque Academico officia, quæ geſſerat, reſignavit, & reliquum vitæ tempus in honeſtâ pietate transegit, donec viribus exhauſtus placidâ morte vitam clauſit 30. Jan. A. C. 1600. ætatis 76.

Moritur.

* *Ex Oratione Parentali Mich. Ziegleri, Med. Doct. & Phyſ. Prof.*

Libri ab eo editi ſunt:

Margarita Phyſica. Epitome Phyſicæ.

Scripta.

CAROLUS UTENHOVIUS.

Obiit A. C. 1600.

G*Andavi*, *Belgii* urbe nobili, & vetuſtâ familiâ Dominorum *Neulandiæ*, ſive *Neochthonis* natus A. 1536.

Poëta & Philologus eximius, qui per 30. & amplius annos nil niſi carmina ad amicos ſcripſit. Linguas calluit *Latinam*, *Græcam*, *Germ. Gallic. Ital.* & *Anglicam*.

Poëta & Philologus.

Patrem habuit *Carolum*, virum eruditum, & ſummis honoribus in patriâ functum.

Avum *Nicolaum*, J. C.tum, & multis annis Concilii *Gandavenſis* præſidem, utrumq; amicum *Eraſmi Roterod.*

In *Angliâ* multa in laudem Reginæ *Eliſabethæ* ſcripſit. In *Galliâ* virgines aliquot Græca & Latina docuit.

Obiit Apoplexiâ *Coloniæ* A. 1600. multis relictis liberis die 1. Aug. an. æt. 64.

Moritur.

Symboli loco uſus eſt nomine ſuo Οὐδὲν ὁ βίος. Adde hisce Χωρὶς τῦ θεῦ.

JOHANNES VINCENTIUS PINELLUS.

Obiit A. C. 1601.

ORigine *Genuenſis*, & patriâ *Neapolitanus*, humanioribus & rei antiquariæ per omnem vitam deditus, Urbem tandem *Patavinam* ſibi delegit, in quâ tranquillè ævum degens, totum ſe bonis artibus literisque ingenuis promovendis conſecraret. Ibidem Bibliothecam inſtructiſſimam apparavit, rerumq; omnium exquiſitarum Promptuarium inſtruxit, ac ævi illius literatos omnes quà propè quà procul, ſi quid libris aliisve rebus opus haberent, adjuvit. Callentiſſimus ipſe rerum & excitabat omnium ſtudia, & fores ſuas colloquiis conſuetudinique eruditorum virorum tam advenarum quàm indigenarum apertas habebat. Teſtimonium illi dixerunt *Lipſius*, *Scaliger*, *Thuanus*, *Caſaubonus*, *Pithœus*, aliique viri doctrinâ laudati.

Patavii ſtudiorum ſedem fixit.

Antiquarius.

Morbis tandem diuturnis exhauſtus è mortalium vitâ exceſſit *Patavii*, cum ibi ante 41. annos otii honeſti ſedem poſuiſſet, propè ſeptuagenarius A. C. 1601.

Moritur.

Vitam ejus conſcripſit *Paulus Gualdus*, Archipresbyter *Patav.* cum quo vixit amiciſſimè.

* *Ex Vitâ Nic. Claudii Fabricii de Peireſc, deſcriptâ à Petro Gaſſendo.*

TYCHO BRAHE.

Obiit A. C. 1601.

NAtus eſt 19. Dec. A. 1546. *Knudſtrupii*, in *Scaniâ* regni *Daniæ* Provinciâ, ex equeſtri & primariâ familiâ, Patre *Ot-*

 tone,

tone, viro militari & magnanimo, matre *Beatâ*, ex vetuſtâ *Bildiorum* familiâ ortâ. Puerum egregiæ indolis patruus *Georgius Brahéus*, cum liberis careret propriis, adoptatum ſibi adſcivit, & domi parentis loco pædagogi operâ informavit, donec 16. ætatis annum prætergreſſum *Lipſiam* emitteret, ubi ſummâ alacritate literarum bonarum viam ingreſſus altiorem, in iis pauxillo tempore ita progreſſus eſt, ut excelſi ingenii ſigna ediderit manifeſta.

A patruo adoptatus.

Lipſiæ ſtudium Aſtronomicum incipit.

Naturâ verò propenſus ad Cœli ſtudium, ei tam diligenter incumbebat, ut invito Præceptore domeſtico (cui Juris ſtudium cum diſcipulo tractandum injunctum fuerat) libellos Aſtronomicos paſſim coëmeret, ſineque intermiſſione perlegeret, *Bartolomeo Sculteto* tunc *Lipſiæ* ſtudiorum cauſâ degente in conſilium adhibito. Noctu ſereno cœlo, pædagogo inſcio, lecto ſe ſubducens, ſidera omnia è globo exiguo absque magiſtro addidicit, velut etiam radio Aſtronomico Planetarum motûs diligenter obſervavit, atque ſic integrum triennium *Lipſiæ* exegit, id quod & poſteà An. 1566. *Wittenbergæ* ac *Roſtochii* ſedulò & conſtanter continuavit. Sed cum in Academiâ *Roſtochienſi* ſtudia tractaret, uſus menſâ D. *Lucæ Bacmeiſteri*, J. C. & diem quandam ſibi infelicem fore ex aſtris prævideret, eâ totâ die domi ſe continuit, noctu verò, cum media tunc hyems eſſet, cœnatum ivit. Ibi cum quodam ex commenſalibus *Manderapio Pasbergio* nobili *Dano* litigans, & in cœmiterium provocatus, ut gladio pugnaret, comparuit, eique naſus ex parte anteriore præciſus eſt. Naſum abindè ſubdititium ex argento conflatum ita decenter geſtavit, ut verum omninò mentiretur, hunc verò ſubindè balſamo quodam inungere ſolitus eſt, ne fœtor ab aſtantibus perciperetur, & ut putredo arceretur.

Wittenbergæ & Roſtochii continuavit.

Roſtochii naſus ei præciſus eſt.

Poſtmodùm cum peregrinandi ipſum invaſiſſet deſiderium, *Auguſtam Vindelicorum* profectus, ibi in Conſulis *Joh. Baptiſtæ Hentzelii* horto maximum Quadrantem ligneum erexit, veluti & aliud, quod Sextantem dicunt, Inſtrumentum, quibus creberrimè ſiderum motûs exploravit. Indè in *Italiam* properans, maximam illius partem perluſtravit, atque de hisce diſciplinis cum viris harum peritis avidè multumque contulit, undè magnam indies Aſtronomiæ notitiam indeptus eſt.

Auguſtæ Vind. Inſtrumenta Aſtronomica compoſuit,

In Italiam iter ſuſcepit.

A. 1573. In patriam regreſſus, Uxorem duxit *Chriſtinam* nomine plebejam, ex pago *Knudſtorpio* oriundam, ex quâ nata ipſi anno ſeq. filia *Magdalena*, & tres poſteà filiæ *Sophia*, *Eliſabetha*, & *Cæcilia*. A. 1581. natus ex eâdem ipſi & filius primogenitus *Tycho*, & triennio pòſt *Georgius*. Sed propter conjugium hoc cognati ejus omnes, ob labem in familiam ex affinitate ignobili illatam ſummoperè incanduerunt, quæ ſimultates ægrè denique, ipſo etiam Rege intercedente compoſitæ ſunt.

Conjugium ejus & Liberi.

Poſt nuptias *Hafniæ* aliquando ſubſtitit, & juſſu Regis in Academia publicas Lectiones habuit, quibus Orationem præmiſit in laudem Diſciplinarum Mathematicarum. A. 1575. Uxore cum filiâ domi relictâ contendit in *Haſſiam* ad *Landgravium Wilhelmum*, quem rebus cœleſtibus obſervandis impenſo ſtudio invigilare perceperat, apud quem 10. dies conſuetudine familiari exegit. *Francofurtum* deindè ad *Mœnum* nundinarum tempore venit, & libros aliquot de Novâ Stellâ editos coëmit. Mox per *Helvetiam* in patriam regreſſus, cum Civitates *Helveticas* perluſtrâſſet, nulla æquè ipſi placuit ac *Baſiléa Rauracorum*, quam vitæ ſedem ſibi conſtituerat, non ſolùm ob loci celebritatem, virorumq; doctorum ibi commorantium copiam, ſed etiam quod regio iſthæc in trium ampliſſimorum Regnorum concurſu *Italiam*, *Galliam*, & *Germaniam* jungeret, è quo per crebriores literas cum eruditis agere commodius poſſet. Id cum *Hafniæ* degens ſeriò ſecum conſtituiſſet, Rex *Daniæ Fridericus II.* literatorum Patronus de hoc ipſius propoſito certior factus, A. 1556. accerſitum pluribus dehortatus eſt rationibus, atque in patriæ potius gloriam ſtudia Mathematica urgeret ac perficeret, hortatus eſt. Ne autem aulicis ſtrepitibus aliisq; impedimentis turbaretur, *Helleſponti* Inſulam *Huennam*, Latinis *Venuſiam* dictam, ultrò ei obtulit, ex Camerâ item annuos certos exſolvi juſſit. Hanc acceptans conditionem, Inſulam ingreſſus eſt deſolatam, quàm brevi pòſt ſplendidis ædificiis habitabilem, & hortis, agris, piſcinis amœnam ac fœcundam reddidit. In hâc Arcem *Uraniburgum* vocatam ſplendido apparatu condidit, cujus primum lapidem fundamentalem poſuit *Carolus Danceus*, Regis tunc *Galliæ* in *Daniâ* Legatus.

Hafniæ Matheſin publicè docuit.

Profectus ad Wilhelmum Haſſiæ Landgravium.

Baſileam vitæ ſedem elegit.

Dehortante Rege Daniæ.

In Inſulam Daniæ Venuſiam ſe contulit.

Arcem Uraniburgum condidit.

Tunc Inſtrumenta motibus cœleſtibus accuratè obſervandis idonea magnæ molis, at majoris artificii machinas fabricavit quamplurimas. Ex Academiâ ſtudioſos, pictores, ſculptores, chartopœos, typographos, omnisq; generis artifices alios acceſſivit, ipſis victu & amictu proſpexit, & ſalaria diſtribuit. Illîc dies noctesque viſum, lectum, auditum, ſcriptum, pictum, ſculptum, & fabricatum: ſummatim laboratum, unicèque Cœlum ſpectatum eſt. Horum operum fama mare trajecit ipſum, univerſam *Europam* penetravit, eòque ex omni parte invitati catervatim quotidiè ſpectatum accurrerunt plurimi, quos hoſpitaliter excepit omnes, & pro dignitatis ratione ſingulos, Reges, Principes, Legatos, Comites, Barones, Nobiles, ſtudioſos, imò tabellarios: quæ quanti ſumptûs res fuerit, cuivis æſtimare faciliùs eſt, quàm imitari: nam quod ipſe ſcriptis ſuis publicis teſtatur, de peculio proprio ultra 100000. Joachimicorum in Aſtronomica impendit.

Inſtrumenta Mathematica fabricavit.

Ultra 100000. Thalerorum in Aſtronomica impendit.

A. 1589. *Jacobus VI. Scotiæ* Rex cum *Annâ* Regis *Daniæ Friderici II.* filiâ paulò antè deſponſatus eò veniens, per triduum commoratus eſt, & regiis eum muneribus donavit.

Jacobus VI. Scot. Rex eum Uraniburgi inviſit.

Idem

Idem Rex *Tychonem* poſteà vitâ defunctum carmine laudavit. A.1591. Diploma Privilegii Cæſareum obtinuit in annos 30. ne opera ipſius ab alio, quàm ipſe velit, typographo typis excudantur.

Pragam venit ab Imp. Rudolpho II. accerſitus.

An.1599. Imp. *Rudolphus II.* eum ob doctrinæ excellentiam & nominis celebritatem in aulam ſuam *Pragenſem* accerſivit, quam relictâ propter quorundam ſimultates Patriâ per vitæ tempus reſiduum ultra biennium incoluit. Statim verò ac veniſſet ad Cæſarem, hic annuam ipſi penſionem conſtituit 3000. florenorum aureorum, & arcem extra *Pragam Benachium* dictam dono dedit. 13. Octob. A.1601. *Pragæ* ad Illuſtriſſimum cujusdam viri cœnam cum aliis invitatus hoſpes urinam præ verecundiâ ſuppreſſit, quæ conſeſſu protracto aucta, orificium veſicæ ita diſtendit, ut quaſi laxata poſteà excernere volenti amplius non obediverit. Hinc ſubſecutâ iſchuriâ cum febre & levi delirio decubuit æger usque ad 24. Octob. quo inter preces ad Deum exſpiravit A.C. 1601. æt. 55.

Obiit ex urinâ ſuppreſſâ.

OCtobrIs VIſa Vt LVX *eſt* VICesIMa
qVarta
AVLa sVbIt CœLI *te, generoſe* TyCho.

* *Ex vitâ Tychonis Brahei, autore Petro Gaſſendo, Regio Matheſ. Profeſſore; & ex Oratione funebri D. Johannis Jeſſenii, Med. Prof. Prag.*

PAULUS MELISSUS.

Obiit A.C. 1602.

Natus *Melrichſtadii, Franciæ Orient.* oppido 20. Decemb. A.1539.

Patrem habuit *Balthaſarem Schedium*, qui cum pro aliis ſpopondiſſet, omnibus fuit exutus bonis: Matrem *Otiliam Meliſſam.*

Erffordiæ, Cygneæ & *Jenæ* cum ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, *Viennam Auſtriæ* profectus, & A.1561. ibique ab Imp. *Ferdinando* Poëta Laureatus creatus, & inter Nobiles relatus eſt A.1564.

Poëta Laureatus.

Tum *Wittebergam* & *Lipſiam* reverſus, in *Auſtriam* ſe recepit, & in aulâ Imp. *Maximiliani II.* per biennium vixit præfectus 42. adoleſcentibus armigeris nobilibus. Sub eodem Imperatore in *Hungariâ* militavit.

A.1567. In *Galliam* profectus, *Genevæ* diutius commoratus eſt.

A.1570. *Spiram* ad Comitia Cæſarea venit, eâque occaſione *Haidelbergam* ad Elect. *Fridericum III.* cujus juſſu *Pſalmos Davidis* ad Melodiam *Gallicam* rhithmis *Germanicis* edidit, quos priores 40. à ſe translatos typis emiſit A.1572.

Comes Palatinus, eques auratus, & Civis Romanus.

A.1577. *Italiam* ingreſſus, *Patavii* Comes Palatinus, Eques Auratus, & Civis *Romanus* ſolenni actu creatus eſt per *Ferrandum Amadium*, idque ex Privilegio *Caroli IV. Rom.* Imp. A.1579.

A.1582. Cum in *Angliam* navigâſſet, Reginæ *Eliſabethæ* Poëmata ſua obtulit, indeque aulâ illius *Grenovici* per ſemiannum manſit, regiè exceptus.

A.1586. *Haidelbergam* per Adminiſtratorem *Pal. Joh. Caſimirum* revocatus, cum eò veniſſet, Bibliotheca *Palatina* ipſi concredita eſt.

Conjugium.

A.1593. Ætat.54. Uxorem duxit cœlebs adhuc *Æmiliam, Ludov. Jordani*, J.C. & Conſiliarii olim *Pal.* filiam, ex eâque filium *Æmilium*, & filiam *Roſinam* ſuſcepit.

Moritur. *Scripta.*

3. Febr. A.1602. ætat. 63. repentè mortuus, cum diebus aliquot ante vertiſſet rhithmis Germanicis *Orationem Dominicam*, *Symbolum Apoſtolorum*, *Canticum Virginis Mariæ*, & *Canticum Simeonis.*

JOHANNES PASSERATIUS.

Obiit A.C. 1602.

T*Recenſis Gallus*, natus eſt circa An. C. 1528. Muſis ubi à primis veluti crepundiis conſecratus eſſe videretur, aſſiduus in eo fuit, ut ingenium culturâ ſupra vulgaris eruditionis conditionem altius efferret. Quod cum feliciter ipſi ſucceſſiſſet, tantam fidem apud eruditos commeruit, ut inter Profeſſores Regios in Acad. *Pariſienſi* cooptatus fuerit. Tunc *Romanæ* facundiæ divitias ſtudioſis auditoribus adeò feliciter explicavit, ut celebre nomen ejus paſſim honorificè vigeret. Nec minus in *Plauti Saſſinatis* aliorumque eruditionis ſeculi Scriptorum interpretatione cum laude verſatus eſt.

Oratoriæ Profeſſor Regius Pariſ.

Tandem ex continuis lucubrationibus oculorum vitium contraxit, ut obrepente viſûs caligine à prælectionibus publicis non ſine auditorum dolore ferias facere cogeretur. Sed oculorum iſtud glaucoma accurata ingenii acies abindè compenſavit. Quam igitur intus diu præviderat vitæ melioris beatitudinem, eam ex voto conſecutus eſt, cum ex paralyſi deceſſit *Pariſiis* A.C. 1602. ætatis 73.

Cæcus redditur. *Moritur.*

Exequias ſtudioſa cohors defuncto honeſtè inſtituit, tumulumque ex marmore erexit in æde *Dominicanorum Lutetiæ*, cum hoc inſcripto Epitaphio:

VENI: ABII:
Sic Vos VENISTIS ABIBITIS omnes.

Epitaphium.

Publicavit inter alia Ingenii monumenta:

Poëmata Epica & Epigrammata varia. Conjecturarum Librum. Orationes de Cæcitatis laude, & in laudem Aſini. Librum, cui titulus: Catholicon d'Eſpaigne.

Scripta.

* *Ex Chronologiâ Petri Opmeeri, & Deliciis Poëtar. Gallicor.*

PETRUS NIGIDIUS

Junior.

Obiit A.C. 1603.

SEnioris illius *Petri* de juventute optimè meriti filius, cum operam ſuam in inſtituendâ juventute claſſicâ in *Marpurgenſi* Pædagogio collocâſſet, anno 1575. ad eam Philoſophiæ partem, in quâ de bonis rebus & malis, deque hominum vitâ & moribus diſputatur, publicè in Academiâ docendam authoritate publicâ à patribus interpoſita ſe transtulit, & quinquennio poſt juris non ignatus, & Legum à *Vigelio* colle-

Philoſophiæ moralis Profeſſor.

J.U. Doctor creatur. Sexies Philoſophorum ordinis Decurio, & bis Academiæ Rector fuit.

gii Juriſconſultorum decreto ſummis juris utriusque honoribus auctus eſt, ſexies Philoſophorum ordinis Decurio, & bis Academiæ Rector fuit.

Cœterùm cum primâ vice, id quod in annum incidit 1587. Reipublicæ aſſideret clavo, *Gullielmus* Princeps filium ſuum *Mauritium* miſit *Marpurgum*, ut ejusdē in Theologicis & Philoſophicis ſtudiis explorarentur progreſſus, cum XV. ferè ætatis annum compleviſſet. Atque is quidem promptâ & paratâ in reſpondendo celeritate examinis Præſidum diligentiam ſuperavit ita, ut admirationi eſſet omnibus, & non in humanioribus modò, Linguâ ſcilicet Latinâ & Græcâ, itemque Poëſi, ſed in gravioribus etiam illis artibus & diſciplinis, Logicis, Ethicis, Hiſtoricis & Theologicis expectationem, quam de ſe concitârat, ſuſtineret & tueretur egregiè. Poſtmodùm anno 1595. eundem gradum dignitatis & gratiæ in Republicâ Academicâ tenuit *Nigidius*. Sed demùm cum annos adhuc novem in docendi munere exegiſſet, viribus corporis fractis anno 1603. ab illuſtriſſimis Principibus, ſubſtituto in illius locum *Rudolpho Goclenio* Seniore, rude donatus obiit ſenex.

Moritur.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

FRANCISCUS PICCOLOMINEUS.

Obiit A.C. 1604.

S*Enis* ex nobili & vetuſtâ familiâ An. C. 1520. natus, à teneris miro impetu ad laudem abreptus eſt. Præceptorem in Philoſophiâ coluit M. *Anton. Zimaram*: condiſcipulis inter alios uſus eſt *Felice Perretto*, & *Conſtantio Sarnano*, quorum ille mox ad Pontificatum elatus, & *Sixti V.* nomine inſignitus, alter in Cardinalium Ordinem adſcriptus eſt. Adoleſcens in Gymnaſio patrio Logicam interpretatus, cum an. ætat. 25. in Gymnaſium *Maceratenſe* veniſſet, propenſis ſtatim omnium animis in Academiæ Proceres ad Philoſophiam primo loco tradendam cooptatus eſt. Nec per annum fermè id operis explevit, quod in Lycéum *Perufinum* illectus, per decennium idem docendi munus glorioſè obivit.

S. P. Sixti V. condiſcipulus.

Logicæ Profeſſor Senis & Macerata.

& Peruſia.

A. 1560. *Venetorum* judicio, ad *Patavinum* Gymnaſium vocatus, inibi Sapientiæ ſe non tam verbo quàm re ipſâ Profeſſorem gerebat, Philoſophiæ extraordinariæ ſecundo loco Profeſſor, & Archangeli Mercenarii Collega factus. Hinc tantus juventutis plauſus ergà ipſum, ut ceu terreſtre aliquod numen adoraretur. A. 1564. Ad principem tandem Ordinariæ Philoſophiæ ſedem evectus, & interim pluribus ad *Magnum Hetruriæ* Ducem Legationibus perfunctus, plurimisque honoribus auctus imprimis ſtuduit, ut *Platonem* cum *Ariſtotele* conciliaret: dicere namque ſolitus eſt, *Platonis* & *Ariſtotelis* Philoſophiam duos quaſi oculos humani aciem intellectûs dirigere, quorum alterutro ſi quis careat, Cyclopis inſtar in hâc rerum univerſitate labatur, neceſſe ſit.

Philoſophiæ Profeſſor Patavii.

Conciliator Platon. & Ariſtot.

Inter alios doctrinæ ſuæ cultores eximios reliquit *Marium Maxolenum*, S. Theol. Do- & Phil. extraordinariæ *Patavii* Profeſſorem.

Diſcipulum habuit Marium Maxolenum.

A. 1582. Cum *Venetiis* egregiam operam per annos 22. navâſſet, patriam ſibi tandem, *Senarum* urbem reviſendam cenſuit, in quâ, relictis hæredibus ſuis maximis divitiis, extremos ſpiritûs hauſit A.C. 1604. ætatis 84. Profeſſ. 53. felix in tanto ſenio, quod oculorum vim nullo unquàm cryſtalli ſubſidio juverit.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Naturæ totius univerſi Scientia perfecta & Philoſophica V. partibus abſoluta. Univerſa Philoſophia de Moribus in X. gradûs redacta. Comment. in Libros Ariſtot. Phyſicor. de cœlo, do ortu & interitu, de animâ. De arte definiendi & eleganter diſcurrendi Liber ſingularis. Comes Politicus adverſùs Jacobum Zabarellam.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicent. & ex Elogiis Virorum doctorum Jac. Phil. Tomaſini.*

Epitaphium.

D. O. M.
FRANCISCUS PICCOLOMINÆUS PHILOSOPHUS
EJUSQUE HÆREDES,
DONEC LUX POSTREMA REFULGEAT IN HIS
TENEBRIS QUIESCENT.
FIDES DIRIGIT, SPES ELEVAT, CHARITAS
CUM DEO NECTIT. MDCIV.

MELCHIOR JUNIUS.

Obiit A.C. 1604.

W*Ittenbergæ* natus eſt 27. Oct. A. 1545. Patre M. *Melchiore Junio*, initio Scholæ *Wittenbergenſis*, deindè Eccleſiæ *Senfftenbergenſis* gubernatore; Matre *Annâ*, *Jonæ Mantelii*, Diaconi *Wittenberg.* filiâ.

A. 1559. In Scholam *Argentinenſem* miſſus, literis humanioribus dedit operam.

Poſteà peragratis præcipuis *Galliæ* & *Belgii* Academiis, *Argentoratum* reverſus, tertiæ & ſecundæ Claſſi aliquandiu præfuit.

Deindè ibidem ad Profeſſionem publicam Oratoriæ facultatis vocatus eſt.

Prof. Argentoratenſis.

An. 1600. Paralyſi totius lateris ſiniſtri correptus, cum valetudini reſtitutus eſſet, in munere ſuo publicè docendo fideliter perſtitit, usque dum recidivâ correptus, ſpiritum Creatori reddidit 23. Jan. An. 1604. ætatis 59.

Moritur.

Filium reliquit cognominem paternæ virtutis & doctrinæ hæredem.

Scripta:

Scripta.

Politicæ Quæſtiones CXXIII. Orationum ex Hiſtoriis ſumptarum partes III. Methodus eloquentiæ comparandæ. Scholæ Rhetoricæ de contexendarum Epiſtolarum ratione.

CATHARINUS DULCIS.

Clar. A.C. 1605.

C*Ruſiliæ Allobrogum* anno à Chriſto nato 1540. nobilibus parentibus *Johanne Dulci* & *Magdalenâ Nergâ* ſatus eſt. Puerilis doctrinæ in *Anneciacenſi* primùm Athenæo poſuit initia, eâdem ſubtiliori deinceps cognitione ac ratione literarum & exercitationibus aſſiduis in *Argentinenſi* Lycéo aluit eo quidem ſtudio, ut non ſolùm *Sturmii* aliorumq; doctiſſimorum virorum demeri-


CATHARINUS DULCIS
ARNOLDUS MYLIUS.
Typographus & Senator Colon.
CAROL, VERMANDER,
Pictor & Poëta Amstelod.
LAURENTI, RHODOMAN,
Historiarum Profess. Witteb.
IUSTUS LIPSIUS.
ANDREAS MERGILET,
Poëta laureatus Francus.
MARTINUS CRUSIUS.
Oratoriæ Prof. Tubing.
GEORG BURCKHARDUS.
Dialect. & Rhet. Prof. Tubing.
PAULUS MERULA.
Historiarum Prof. Lugdun.
MATTHÆ, DRESSER,
Philosoph. & histor. Prof. Lips.
IOSEPH, IUST, SCALIGER
Lingu. Oriental. Prof. Lugd.
GVILIELM, CODDÆUS
Lingu. Hebr. Prof. Lugd.
IOH HUGO à LINSCHOTEN
IOHAN. FERINARIUS
Pædagogiarcha Marpurg.
CORNELI, SCHONÆUS.
Poëta Comicus Harlem.
BERSMANN,
Rector Scholæ Servest.

meritus ſit amorem, verùm etiam quod ad artium diſciplinam, tanquàm ad ſaxum aliquod, adhæreſceret acrius, vix mentis eſſe ſuæ videretur. Ideòque ut cœlum ipſum & vitæ genus quodammodò mutaret, magnam *Germaniæ* partem cum *Ortenburgico* Comite *Erneſto* peragravit, & cum ejuſdem deinceps commendatione ad *Philiberti Badenſis* Marchionis familiam trajeciſſet, eidem inter nobiles pueros, qui è Principum conſveruntt eſſe pædagogeis, inſerviit aliquandiu, & ab eodem ad *Wirtenbergicum* Ducem *Chriſtophorum* eidemque homonymum Electoris *Palatini* filium Juniorem ſe tranſtulit, qui id demùm ſuâ authoritate apud *Senarpontis* in *Picardiâ* reguli filios tum temporis *Heidelbergæ* degentes effecit, ut *Catharinum* itineris per *Gallias* & *Italiam* in omnes caſûs complecterentur comitem.

Conſtantinopolin inviſit. At enim deguſtatâ illâ peregrinationum dulcedine ita exarſit, ut pelago ſeſe committere, & *Conſtantinopolim* ipſam adire, & hinc *Theſſalonicam* petere nequaquàm dubitaret. Sed cum in reditu illuſtriores maris *Ægei* inſulas prætervectus, & tempeſtate jactatus cum ſociis ad *Samum* appelleret forte, ad tranſtra in triremibus *Turcicis* *Captus & liberatus.* damnatus, & aliquot inibi ſeptimanas detentus eſt: liberatus tamen ſingulari DEI miſericordiâ eſt, & *Cantinerii* imprimis Regio Oratori *Gallico* ad *Portam Ottomanicam* à ſecretis operâ. Cœterùm emeritis aliquot menſium in *Cretâ* Inſulâ ſtipendiis, cum nec hic hominem quieſcere permiſiſſet externarum nationum luſtrandarum ardor, *Alexandriam* equidem *Ægypti* petiit.

Sed tamen cum expenderet ſimul ulterioris navigationis & pericula & ſumptus, *Paleſtinæ* ac *Sinæ* littora radens, *Famaguſtam* *Cypri* appulit, ad *Nicoſiam* regni metropolim profectus, apud *Antonium de Avila* ſummum militiæ Ducem atque Magiſtratum, quem Conneſtabilem dicunt vulgò & *Livium Podocatharum* primi nominis Baronem tredecim menſium hæſit, & transferendis in *Italiam* linguam privilegiis, quæ *Gallico* idiomate exoleto prorſus à Regibus *Gallis* acceperant, *Palæologorum*, *Juſtinianorum* & *Syncriticorum* Regulorum inivit gratiam.

At enim cum turbulentiſſimam belli *Turcici* tempeſtatem *Cypro* impendere præſagiret animus, *Alexando à Schulenburg* & *Chriſtophoro Fürero Noribergenſi*, qui *Ægypto*, *Arabiâ*, & *Syriâ* perluſtratis, eò fortè pervenerant, comitatus in *Italiam* rediit, & cum aliquandiu *Venetiis* ſubſtitiſſet atque *Patavii*, *Viennam* contendit.

Verùm ne quoquo modo elangueſceret in otio animus, repetito itinere, cum *Hun-* *Incidit in prædones.* *gariæ* locis peragratis vix eſſet ingreſſus, *Moraviam* in prædones incidit, à quibus equo, pecuniâ & veſtibus diſpoliatus Straſnicii occurrit fortè Domino, atque hic quidem *Catharinum* liberaliter habitum veſtibus juvit rurſus & pecuniâ, qui porrò exindè *Vratiſlaviam Sileſiæ* metropolim profectus, cum *Nicolao Rhedingero* & *Jacobo* atque *Petro Monaviis Wittebergam* conceſſit, ibidemque *Peucero* ſalutato ad *Alexandrum à Schulenburg*, quem in reditu è *Cypro* itineris comitem habuerat, abiit. Hujus operâ ſublevatus, in *Poloniam* ſe contulit, & apud *Chriſtophorum Razevilium*, *Olicæ* Ducem, aliquandiu ſubſtitit. Sed enim cum in *Sueciam* navigare cuperet, naufragus mutatâ itineris ratione per *Caſſubos*, *Pomeranos*, *Megapolitanos*, *Holſatos* parvo admodùm maris trajectu *Hafniam* pervenit, & acceptis ibidem à *Danzæo* Legato Regio ad *Galliæ* Regem literis in *Galliam* reverſus, *Petri* potiſſimùm *Pithœi*, & *Petri Rami* ſuaſu, regulis quibuſdam è *Meſancheriorum* & *Dominorum de la Chauviniere* in *Pictonibus* familiâ præfectus eſt, ut eos non aliter atque apud *Homerum Phœnix Achillem*, Oratores efficeret verborum, & actores rerum. Ideòque illos ipſos & ad *Marpurgenſe Panathenæum* primùm & *Lipſienſem* & *Wittebergenſem* Academiam poſtmodùm adduxit.

Verùm cum jam diſſipata eſſet paſſim de Lanienâ illâ *Gallicâ*, quæ anno 1572. circa *Bartholomæi* feſtum in nuptiis *Henrici* tum quidem *Navarreni*, ſed *Galliarum* poſteà Regis fortiſſimi, cœpit *Pariſiis*, famâ, diſcipulis aliorum fidei creditis, & in *Angliam* primùm, & poſtmodùm per medios hoſtes *Rupellam* profectus eſt, ut ſuorum parentes, qui iſthuc velut in locum tutiſſimum confugerant, de filiorum valetudine ac conditione edoceret coràm.

Atque hinc porrò cùm rediiſſet, & è diſcipulis majorem natu in Regis *Henrici III.* tum temporis in *Poloniam* ad regnum capeſſendum abeuntis comitatu reliquiſſet, reliquos *Heidelbergam*, & indè *Donelli* conſilio *Baſiléam* abduxit. Sed enim cum *Amerbachii* & *Sultzeri* ſuaſu propter certas cauſas locum ipſum mutandum duceret, *Tigurum* conceſſit, inibique hoſpitii jure cum *Simlero* contracto, *Bullingero* imprimis, *Lavathero* & *Stuckio* uſus eſt familiariter. Cœteroquin cum nec illic veluti ad ſcopulos adhæreſcendum putaret ſibi & ſuis, perluſtratis nobilioribus *Germaniæ* locis, in *Belgium*, & exindè in *Angliam* contendit, confectoque hoc ex animi ſententiâ itinere navibus regiis in *Galliam* revectus, ab adoleſcentum ipſorum parentibus exoratus eſt, ut quâ illos fide & curâ per *Germaniam*, *Belgium* & *Angliam* adduxiſſet, eâdem etiam per *Italiam* comitaretur. Quocirca cum ex itinere *Genevam*, & quæ indè non procul diſtat, *Cruſilium* deflexiſſet, parentesque ſuos iſthic ſalutâſſet, ſuperatis *Alpibus*, *Galliam Cisalpinam* utramque peragravit.

Poſt *Apenninum* tranſcendens, *Florentiam* & *Senas* adiit, ubi aliquandiu commoratus, *Romam* perrexit & *Neapolim*. Sed inſidias ut caveret, monitus *Piſas* cum ſuis navigavit, atque indè per *Liguriam* & *Galliæ Narbonenſis* myricas & urbes itinere ubique latronibus paſſim atq; militibus vias inſidentibus, infeſto, non ſine magno ſumptu, at labore & periculo majore, *Montem Albanum* devenit tandem.

Hic itaque collectis rurſus viribus & diplomatibus à militiæ iſtis in locis Ducibus magno emptis inſtructus *Rupellam*, quo recrudeſcentibus paſſim in *Galliâ* poſt *Henrici* è *Poloniâ* reditum bellicis motibus parentes confugerant, denuò ſuos reduxit, atque pro navatâ operâ laudatus magis, quàm ditatus nomen dedit militiæ, pro communi Evangelicorum cauſâ ſuſceptæ, & terrâ marique paſſus omninò multa *Navarrei* etiam aulam aliquandiu ſecutus eſt. Sed poſteà ſtudio & conſilio magni illius *Noei Monferantii* & *Jarnei*, primariorum in *Aquitaniâ* Regulorum, liberis præfectus, eosdem *Lutetiam* adduxit *Pariſiorum*, ubi etiam eò degit usque, donec *Henricus III.* omnes eos, qui *Romanam* non amplecterentur Religionem, *Galliæ* finibus excedere juberet.

Conjugium ejus.

Tum enim parentum curæ relictis diſcipulis in *Sabaudiam* regreſſus, ſuorum conſilio *Caſpardinam Chiſſeam* duxit uxorem. Verùm enim verò exorto non multò pòſt in *Sabaudiâ* bello, cum in patriæ urbis direptione vix ſeminudus impias militum manus effugiſſet, *Noribergam* profectus, à *Chriſtophoro Fürero* in *Hungariam* ad *Buthianum* miſſus eſt, ut filii mores & peregrinationes moderaretur. Sed cum propter *Buthiani* Senioris obitum ſpe excidiſſet, *Turſis* fratribus *Ungaris*, itemque *Michaëli Teufelio*, Baroni *Auſtriaco*, in docendâ linguâ *Gallicâ* operam navavit. Exin *Johannis Lewenclavii* opera & conſilio tribus Baronibus à *Sonnenberg* præfectus *Meſeritium* petiit, ibiq; cum otio abundaret, *Gundtackerum* & *Maximilianum* Barones à *Lichtenſtein* cum *Tieffenbachio* & *Walſtenio* in linguâ *Italicâ* inſtituit. At verò cum ſtolidi & pervicacis pædagogi, qui *Sonnebergiis* adjunctus fuerat pariter, ferre non poſſet mores, locum mutavit, & *Pragam* profectus, Proregis filium *Joachimum Huldaricum* de novâ domo itemque *Guilielmum Sclavatum* 30. menſes exoticis, iisque variis linguis erudiit, ubi etiam ſucciſivis horis *Schunanbergium*, *Grayum*, *Hoffmannum* & *Freibergium* Barones unà cum *Theodoro Sixto* ab *Ottendorff*. Porrò hinc dimiſſum *Catharinum Petrus Wock Urſinus* Princeps & *Roſenbergicæ* domus gubernator excepit, eumque ſibi à Conſiliis eſſe juſſit.

Sed enim cum propter fidelia quædam eaque liberiora prorſus conſilia ſe apud *Janum Ratſchinum* delatum intellexiſſet, ejusdem iram metuens & fulmen, ſolum vertit, & *Wittebergam* profectus tam publicè pro cathedrâ, quàm privatim intra domeſticos parietes linguam *Gallicam* & *Italicam* non ſine favore & gratiâ hominum iſtius loci doctiſſimorum, itemque juventutis literariæ applauſu & emolumento docuit. At verò cum ſe quibusdam ob religionis ſtudium infeſtum cerneret nimiùm, in *Angliam* trajecit, & præluſtres cumprimis illius loci fœminas *Luciam* comitem de *Bethfort* ejusque ſororem *Franciſcam Haringthoniam* variis in linguis inſtituit. Cœteroquin cum *Eſſeccio* innotuiſſet hominis induſtria Comiti, ab eodem ad *Scotiæ* Regem miſſus eſt, rebusque, quarum præcipuè gratiâ venerat, conſtitutis, *Londinum* reverſus, *Zerotinio* regionem iſtam perluſtranti operam addixit.

Ideòque hunc herum ſuum per *Belgium* comitatus, cum is incredibili quodam patriæ amore flagraret, ac propterea *Moraviam* diſpoſitis hinc indè equis repeteret, eundem cum reliquâ familiâ, cujus juſſus fuerat gerere curam, ſubſecutus eſt. Sed enim cum animadvertiſſet, ſe ad juveniles heri impetus propter corporis molem & ætatem ingraveſcentem non perindè fore accommodum, dimiſſione ægrè impetratâ *Davide Ungnadio* rerum bellicarum in *Ungariâ* Præſide authore *Ladislai Poppelii* & *Caroli à Wartenberg* filios Barones *Tubingam* adductos in illuſtriſſimo *Wirtenbergenſium* Principum collegio hiſtoriarum & linguarum cognitione imbuit, ſimulque Illuſtriſſimo Collegii Præſidi *Johanni Friderico* ac aliis etiam Principibus, *Adolpho* nimirum *Holſatiæ* Duci, & *Auguſto Neoburgenſi Palatino*, nec non inclyto Baroni *Carolo Jörger* operam ſuam in inſtitutione linguarum exoticarum probavit. Tandem cum *Poppelius* domum revocaretur, hic quidem *Auguſtam Vindelicorum* ſecedens, *Carolo Fuggero*, aliisq; , operam locavit in docendo ſuam, atque eorum ſubſidiis adjutus, cum certam tandem rerum ſtudiorumque ſedem, ubi religionem profiteri liceret liberius, quæreret, commodùm à *Mauritio Heſſorum Landgrafio* evocatus eſt *Caſſellas*, ut inibi linguas doceret exoticas. Huic igitur vocationi clementiſſimæ obſecutus, iſthic ſub initium 1602. anni in illuſtri *Mauritiano* profiteri cœpit linguas, & anno proximo 10. Junii cum *Chriſtophori Lersneri*, J.C. & in *Marpurgenſi* Academiâ olim Profeſſoris, filiâ ſolenni ritu in arce *Caſſellanâ* nuptias celebravit. Poſtremò ad uberiorem quaſi culturam *Marpurgum* miſſus 24. Auguſti anno 1605. oratione publicè in Lani collegio de ſuâ in hanc Academiam vocatione habitâ, linguas exoticas publicè & privatim docere inſtituit. Otium autem nactus, quod negotiis publicis ſupererat tempus, id Comœdiis & Dialogis aliquot partim componendis, partim vertendis, aut etiam emendandis, & Scholæ *Italicæ* multoties variis in locis editæ, atque in ipſâ *Italiâ* collaudatæ retexendæ impendit.

Profeſſor Caſſel.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

ARNOLDUS MYLIUS.

Obiit A.C. 1605.

NAtus *Coloniæ*, Typographus fuit primùm *Antverpienſis*, pòſt *Colonienſis*, quâ in Urbe Senatoris etiam munere functus eſt, & tandem calculi doloribus extinctus.

Typographus.
Senator Colon.

Coloniæ in D. *Pauli* ſepultus cum hoc *Epitaphio*:

Epitaphium.

D. O. M.

ET

MEMORIÆ

ARNOLDI MYLII TYPOGRAPHI

ET SENATORIS IN HAC VETERI URBE,

[illegible] ILLIUS

ILLIUS DILIGENTISSIMI, HUJUS INTEGERRIMI: QUOD UTRUMQUE FAMA ET FAVOR PUBLICUS ASSERUNT, ASSERENTQUE.
PROEMIUM HIC VIRTUTI, QUOD IN SUPERIS ETIAM LOCIS HABERE SPERAMUS, VOVEMUS, TU NOBISCUM, BONE LECTOR.
OBIIT LETHARGO XV. CAL. DECEMB. A. MDCV. ÆTATIS SUÆ LXIV. MENS. I.

In lucem edidit:

Scripta. *Locorum Geographicor. nomina antiqua & recentia. Principum & Regum Polonorum effigies cum Commentario.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1606.

CAROLUS VERMANDERUS.

CORnelii *van Mander* filius, *Meulenbequii* municipio *Flandriæ* non ignobili natus A.C. 1548. menſ. Majo. Ejus domum ſive familiam illuſtrem fecêre *Waltherus van Mander*, Epiſcopus aliquando *Tornacenſis*, & *Johannes van Mander* Eques, *Caroli* hujus abavus, ad D. *Virginis Brugis* Præpoſitus, qui eloquentiæ ac doctrinæ ſingularis dotibus exornatus à *Philippo Bono* Legatus miſſus eſt ad firmandas nuptias *Henrici* Principis *Walliæ*, cum filio *Johannis Burgundionis*.

Carolus autem hic *Tileti* fundamenta linguæ Latinæ jecit: exindè genio ita ducente Arti Pictoriæ, ac Rhethoricæ vernaculæ ſe totum ſacravit, ac pluſculas Comœdias & Tragœdias in Theatrum dedit. A. 1574. *Romam* vidit, & Cardinalib9 ac Primoribus, quorum Palatia penicillo ſuo adornavit, in deliciis fuit. *Baſiléam* quoq; *Helvetiorum* & *Viennam* inſpexit. Tandem vitæ aulicæ ac itinerum pertæſus patriam repetiit, duxitq; uxorem virginem 18. annorum formæ non contemnendæ. Vaſtato à quibusdam rebellibus, quos Malecontentos per id tempus indigetabant, lare patrio, *Harlemii* in *Bataviâ* anos 20. quietè egit. Reliquum vitæ tempus *Amſtelodamenſibus* dedit, in quâ urbe mortuus & ſepultus in Eccleſiâ veteri A.C. 1606. Moriens identidem repetiit, quod illi frequens in ore fuit Elogium: Inſtante morte non aliud ſuppetit conſilium, quàm quieſcere & emori ſuaviter.

(Margin: Piſtor. Comicus. Obiit Amſtelodami.)

Pinxit & ſcripſit idiomate *Flandrico* non paucula, ut ſunt:

Scripta. *Tragœdiæ & Comœdiæ, David, Noe, Salomon, Nabugodonoſor, Saba, Hieram, & Dina. Metamorphoſis Ovidianæ expoſitio. Fundamenta artis Pictoriæ, in libro* Schilderbuch *vocato propoſita. Vitæ antiquorum Pictorum Ægypt. Græcor. & Romanor. Vitæ Pictorum Italor. Germanor. & Belgarum. Iliades Homeri, Bucolica & Georgica Virgilii Maronis elegantiſſimè rhythmo Belgico expreſſa. Origo, deſtructio, & reſurrectio urbis Amſtelodamenſis. Pſalterium Davidis, & multæ Cantiones Sacræ, quas Belgæ in templis ſuis cantare conſueverunt.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1606.

LAURENTIUS RHODOMANNUS.

CHeruſcus, in pago *Saſſolverſâ*, territorii *Honſteinici*, natus eſt, ut ipſe teſtatur in Epiſtolâ dedicatoriâ præmiſſâ *Trojæ* expugnatæ *Calabri*, quam ipſe interpretatus eſt, ſeu Supplemento *Homeri*.

Hiſtoriarum fuit Profeſſor in Academiâ *Wittenbergenſi*, & Poëta Laur. Græcarum literarum vindex, elogio *Frid. Taubmanni*. *Rhodomannus* noſter Græcus non fuit, ſcribit *Jacobus Martini Lib I. de tribus Elohim cap. 4.* cum Græcis nihilominus, imò cum *Græcor.* Principe *Homero* certare potuiſſet.

(Margin: Hiſtor. Profeſſor Witteb. Græcar. liter. vindex.)

Obiit *Wittenbergæ* 10. Jan. A.C. 1606.

Scripta. Scripſit *Varia Poëmata Græca & Latina.* Extat etiam ejus *Paleſtina*, & opus, quod *Germanida* inſcripſit.

* *Ex Dialogo de Patriis Viror. doctorum Joh. Andr. Quenſtedt.*

Obiit A.C. 1606.

JUSTUS LIPSIUS.

NAtus eſt *Iſcano*, *Brabantiæ* municipio, Parentum ſuorum peramœno, tribus milliaribus à *Bruxellâ* ſito 18. Octob. A. 1547. Patrem habuit *Ægidium*, Avum *Nicolaum*, opibus, doctrinâ, & genere claros: Matrem *Iſabellam Petiriviam*.

An. ætat. 12. *Coloniam Ubiorum* ad Patres Soc. Jeſu miſſus, Græca & Philoſophica brevi didicit, & jam Orationes ſcripſit ac habuit, potiſſimùm verò Politicis & Ethicis ſeſe dedit. Ibidem creatus eſt Magiſter Philoſophiæ.

(Margin: Philoſophiæ Magiſter.)

An. æt. 16. Patribus ipſis accenſeri cupidum Parentes *Lovanium* amandârunt, ubi primum ingenii ſui fœtum edidit, *libros IV. variarum lectionum* A. 1567.

Indè *Romam* profectus, biennium in convictu *Antonii Perenotti*, Cardinalis *Granvellani*, (cui libros variar. lectionum inſcripſerat) tranſegit, cui ab Epiſtolis Latinis fuit, omne verò tempus liberum antiquitatum in urbe inſpectioni impendit, & Bibliothecis viſitandis *Vaticanâ*, & *Farneſianâ*.

Lovanium deindè reverſus, *Viennam* in Cæſaris *Maximiliani II.* aulam profectus eſt, in patriam verò redire 1572. bello impeditus, *Jenæ* ultra annum docuit, Hiſtor. & Oratoriæ Profeſſor. Ibi diſputationem pro Loco de terrâ pretioſâ habuit. *Jenâ* clam diſceſſit 1. Martii A. C. 1574.

(Margin: Profeſſor Jenenſis.)

A. 1576. *Lovanium* iterum accedens, ſeriò juris ſtudiis ſe dedit, & Titulum Juris-conſulti publicâ Inauguratione aſſumſit A. 1576. à foro tamen perpetuò abſtinuit.

A. 1578. in *Batavium* ob tumultûs bellicos compulſus, *Lugduni* 13. annos vixit, publicè docuit, & varios libros conſcripſit, *Saturnalia*, *Amphitheatrum* de *Conſtantiâ*, *Epiſtolas*, *Politica*.

An. 1591. Cum acidulas Sanitatis causâ bibiſſet, *Lovanium* regreſſus, ſedem ibi fixit, & edidit Commentarios de *Cruce*, *Militiam Romanam*, *Magnitudinem Romanam*, *Senecam* ſcholiis illuſtratum. Eo in itinere *Moguntiæ*

gantiæ Religioni Majorum denuò ſe addixit, cum paulò antequàm è *Bataviâ* diſceſſiſſet, inter ipſum & *Theodorum Cornhertzium* controverſia de puniendis hæreticis orta eſſet.

Mortuus *Lovanii* 13. Martii 1606. anno ætat. 59. ultimus ſuæ ſtirpis.

Ejus Epitaphium, quod ſibi ipſe ſcripſit, & poni mandavit, A. 1604. III. Id. Febr. viſitur *Lovanii* in æde D. *Franciſci*:

Epitaphium.

QUIS HIC SEPULTUS, QUÆRIS? IPSE EDISSERAM.
NUPER LOCUTUS ET STILO ET LINGUA FUI;
NUNC ALTERO LICEBIT. EGO SUM LIPSIUS;
CUI LITTERÆ DANT NOMEN, ET TUUS FAVOR.
SED NOMEN. IPSE ABIVI. ABIBIT HOC QUOQUE:
ET NIHIL HIC ORBIS, QUOD PERENNET, POSSIDET.
VIS ALTIORE VOCE ME TECUM LOQUI?
HUMANA CUNCTA FUMUS, UMBRA, VANITAS,
ET SCENÆ IMAGO, ET VERBO UT ABSOLVAM, NIHIL.
EXTREMUM HOC TE ALLOQUOR:
ÆTERNUM UT GAUDEAM, TU APPRECARE.
JUSTUS LIPSIUS VIXIT ANNOS LVIII.
MENSES V. OBIIT ANNO CHRISTIANO
cIↃ.IↃCVI. X. KAL. APRIL.

Lapidis ſepulcralis inſcriptio, in dictâ Urbe & Æde:

JUSTI LIPSI.
QUOD CLAUDI POTUIT,
HIC JACET.
S. P. Q. ANTVERP.
INCLYTI VIRI
FAMÆ, ORBI NOTÆ;
VIRTUTI, COELO RECEPTÆ,
H. M. P.

Libros edidit:

Scripta.

De Vivâ Virgine Hallenſi & Sichemienſi. De Magnitudine & Militiâ Romanâ. Poliorcetica de Machinis, Tormentis & Telis. Saturnalia de Gladiatoribus. De Amphitheatris. De Cruce Libri III. De Bibliothecis. De Veſtalibus. De Conſtantiâ. Lovanii deſcriptionem. Commentarium in Corn. Tacitum, & C. Vellejum Paterculum, ac Senecam. Politica. De Philoſophiâ Stoicor. Varias, & Antiquas Lectiones. Quæſtiones Epiſtolicas. Inſtitut. Epiſtolicam. Epiſtolar. Centurias X. Electorum Lib. II. in quibus præter Centurias varii Priſci ritus. Satyram Menippeam in noſtri ævi Criticos. Notas ad Valerium Maximum. Rejectiunculam Sannionis cujuſdam Batavi pro D. Virgine Hallenſi. Librum de unâ Religione adverſus Dialogiſtam Theodorum Cornhertium. Monita & Exempla Politica Libr. II. qui virtutes & vitia Principum ſpectant. De Magiſtratibus veteribus Romanorum, & de veteri Scripturâ Latinorum Libellos poſthumos.

A. 1602. Cum à morbo gravi convaluiſſet, *Hallas* ſe contulit, & *Pennam argenteam* in Templo ante aram Virginis *Mariæ* ſuſpendit.

In mortis agone conſtitutus, uxori mandavit, ut togam optimam pellibus ſuffultam, muneris ſui Profeſſorii adminiſtram, Virgini Matri ad ejus aram *Lovanii* in uſus ſacros offerret & poneret. Ea toga poſtmodùm, quod ſacris apta non eſſet, *Gerardo Corſelio* J. C. emtione ceſſit, & æs inde conflatum rationibus aræ adſcriptum eſt.

Bibliothecam ſuam *Guilielmo Grevio*, è ſorore nepoti, *Bruxellenſi*, annos 13. tunc nato, legavit, & apud *Johannem Woverium*, ſuum olim auditorem, dum adoleſcat, hæres *Antverpiæ* deponi juſſit. Teſtamento cavit Scriptorum ſuorum quicquam à morte ſuâ evulgari.

Dum aliquando *Lugduni Batavorum* diu ægrotâſſet, & febriles inſultus varios expertus eſſet, uſus operâ *Johannis Heurnii* pharmacum purgans ſumpſit, à quo percepit, ingentem ſe copiam continuam & cohærentem per alvum excernere. Quid rei ſit inſpiciens, attonitus maſſam figurâ & colore inteſtina exprimentem vidit, & illicò *Heurnium* vocans, de vitâ ſuâ actum eſſe dixit, omnia enim inteſtina ſe effudiſſe. Hic cum alvi proluviem inſpexiſſet, læto vultu, *Reſpice*, inquit, *trophæa de tuo morbo, hic focus & ſentina totius mali jacet.* Erat enim lenta & viſcida pituita paulatim in totâ inteſtinali fiſtulâ coäcervata, ejus figuram referens. Sic fomite mali expurgato, ſanitati reſtitutus eſt.

ANDREAS MERGILETUS.

Obiit A.C. 1606.

M*Elrichſtadii*, in Comitatu *Hennebergico*, parentibus *Johanne Mergileto*, Senatore, & *Magdalenâ Cruſiâ*, *Mulfeldenſi*, progenitus 17. Dec. A.C. 1539. cum puer in Scholis *Zwiccaviæ* & *Zeizii* literarum fundamenta poſuiſſet, A. 1556. Scholam *Schleuſingenſem* à Principe *Hennebergico Georg. Erneſto* tunc reſtauratam acceſſit, in quâ Poëſi cumprimis delectatus ſub Præceptoribus M. *Johanne Schoſſero*, tunc Scholæ Rectore, & poſteà Doctore ac Profeſſore *Francofurti ad Viadrum*, nec non ſub Conrectore M. *Joachimo Wernero*, ejusque Succeſſore M. *Johanne Pomanno*, tantos fecit in ſtudiis progreſſus, ut An. 1561. in Academiam *Jenenſem* ablegatus, & An. 1563. reverſus, Scholæ *Schleuſingenſis* Collega, ac biennio poſt Eccleſiæ *Beringenſis* Miniſter ordinatus fuerit. A. 1583. Poſt obitum Principis *Hennenbergici* remotus & in exilium pulſus, An. demùm 1590. Paſtor *Mulfeldenſis* ordinatus M. *Joach. Zehnero* ſucceſſit. A. 1581. Lauro Poëticâ coronatus, Carmina varia typis emiſit. Podagricis tandem & nephriticis doloribus exhauſtus, piè beatèque vitâ defunctus eſt 21. Martii A.C. 1606. ætatis 67.

Schola Schleuſing. diſcipulus. *Miniſter Bering.* *Paſtor Eccleſ. Mulfeld.* *Poëta Laur.* *Moritur.*

Votum Eteoſtichon M. *Pauli Cruſii*, Miniſtri *Argent.*

SeV ſpIro, VenIat DVbII ſeV fVnerIs horæ
SIs & erIs IesV VIta ſaLVsqVe MIhI.

* *Ex Concione fun. M. Joch. Zehneri, Superintend. Schleuſing.*

Scripta:

Scripta.

Biblidia, ſeu *Capita Bibliorum ſingula ſingulis diſtichis textum & doctrinas indicantibus comprehenſa. Sententiæ inſignes Patrum Ec-*

cleſiæ

cleſiæ Verſibus Elegiacis. Antitheſis Veritatis & Baptiſmi Catechetica. Papa homo peccati, filius perditionis, & Antichriſtus demonſtratus è Sacræ Scripturæ ſingulis Capitibus.

Obiit A.C. 1607.

MARTINUS CRUSIUS.

NAtus eſt 19. Sept. A. 1526. *Greberne* in Epiſcopatu *Bambergenſi*, ab opp. *Bottenſteino* aliquot milliarib. Pater ei fuit cognominis, qui cum *Berlini* Cantoris officio aliquantiſper functus eſſet, miniſterio Eccleſiæ deditus 14. dies locum mutare coactus, & variis periculis expoſitus eſt in bello *Germanico*, deindè Curiæ in xenodochio docuit, & A. 1552. Eccleſiaſtes *Bottenſteini* deſignatus, tandem in pago *Schlichtâ* duobus *Ambergâ* milliaribus diſtante primus Evangelium docuit, ibique obiit 7. Martii A. 1553. ætatis 63. Matrem habuit *Mariam Magdalenam Trummerinam.*

Puer *Ulmam* in ludum miſſus, Grammaticis inprimis deditus fuit ſub *Gregorio Leonhardo.*

A. 1545. Cum à Senatu *Ulmenſi* ſtipendium annuum 50. florenorum nactus eſſet, *Argentinam* profectus, ibi in Collegio Prædicatorum Claſſes frequentavit, & A. 1547. ad lectiones publicas promotus, Orationem Græcam de bello *Germanico* publicè recitavit. Paulò pòſt *Philippo* & *Antonio* Nobilibus de *Werter* informator datus, Theologorum etiam Lectiones audivit.

Præceptor Claſſicus Argent. A. 1551. *Tubingam* ſtudiorum gratiâ ſe contulit. Paulò poſt *Argentinam* rediit, ubi A. 1553. *Georgio Hitzlero* in patriam profecto vices ejus in claſſe ſubiit.

Rector Scholæ Memming. A. 1554. *Memmingam* vocatus venit, & Scholæ regimen ſtipendio 150. flor. adiit. Tum matre viduâ ad ſe vocata convictores alere cœpit. Tunc etiam ad *Latinæ, Græcæ, Hebr.* & *Ital.* linguæ cognitionem addidit *Gallicæ* ſcientiam, præeunte *Alberto, Conradi Linſii* filio.

Conjugium. A. 1558. Matrimonio ſibi junxit *Sibyllam Ronneriam*, quæ obiit A. 1561. filiabus duabus & uno filio relictis. Indè alteram duxit *Catharinam Voglerinam Tubingenſem*, eâq; defunctâ tertium conjugium iniit cum *Catharinâ Veiſcherinâ Eslingenſi*, quæ poſt 10. liberorum funera obiit A. 1599.

Tubing. Profeſſor. A. 1559. *Tubingam* veniens, à Principe *Chriſtophoro* nobilium adoleſcentum ephorus, & linguæ Græcæ Profeſſor in locum *Matthiæ Barbicii* anno præced. defuncti deſignatus eſt, cumque *Homerum* explicaret, tantum habuit auditorum numerum, ut auditorio acceſſionem adjungere neceſſe fuerit.

An. 1566. Peſte *Tubingæ* graſſante, cum Academiæ Profeſſores & 400. ſtudioſi *Eslingam* commigrarent, ipſe *Friburgum Briſgoiæ*, & indè *Baſiléam* profectus, per 4. menſes ibi hæſit. Intereà domi matrem, quæ ab ipſo anno demum ætatis 55.to literas edocta, & filiam lue extinctam amiſit.

Menſe Jan. A. 1567. *Eslingam* reverſus, ad lectiones ordinarias rediit.

A. 1568. Cum Univerſitate *Tubingam* feliciter reverſus eſt. Tum Senatus Academicus ſtudioſos eos, qui contra Rectoris mandatum & citra cauſam juſtam remanſerant, civitate ſcholaſticâ excluſit, & Magiſtratui oppidano tradidit.

A. 1569. Liberatus lectione Rhetoricâ ſucceſſorem habuit M. *Georg. Burrhardum.*

An. 1573. Cum Baro *David Ungnad* ab Imp. *Maximiliano II.* Legatus ad Imp. *Turcicum Selym. II.* mitteretur, cumque D. *Stephanus Gerlachius* ut Concionator aulicus comitaretur, per hunc *Cruſius* primam Epiſtolam Græcè ſcriptam ad Patriarcham *Conſtantinop.* miſit, unà cum Confeſſione *Auguſtanâ* Græcè translatâ, cumque reſponſum A. 1576. accepiſſet, eidem Patriarchæ A. 1579. multos libros Theologicos miſit. Eâ ratione cum apud varios Epiſcopos *Ægypti* & *Græciæ* innotuiſſet, *Græcorum* multi in *Germaniam* profecti ipſum ſalutârunt. Cumque linguam *Barbaro-Græcam*, ut hodiè in uſu eſt, apud *Græcos*, ab iis didiciſſet, eam poſteà primus in *Germaniâ* docuit.

Tandem viribus deficientibus, cum paulò ante totum Senatum Academicum in domo Univerſitatis convivio valedictorio excepiſſet, & Univerſitati poculum 100. florenorum donâſſet, placidè ſine ullo dolore ſpiritum Creatori reddidit 25. Februarii A. 1607. ætatis 81. *Moritur.*

Sepultus poſtridiè in Templo *Georgi Martiniano*, concionem habente D. *Andreâ Oſiandro.*

Epitaphium hoc, quod ante ſibi ipſi ſcripſerat, tabulæ inſculptum eſt:

Cruſius hic recubo, docui qui Græca Tubingæ *Epitaphium.*
Atque Latina diu, Chriſto confiſus in uno.

Bibliothecam reliquit 2000. flor. æſtimatam, quam ex variis *Europæ* & *Aſiæ* locis conquiſivit.

Scripſit: *Grammaticam Lat. pro Scholâ Memmingenſi. Grammaticam Græcam. Catechiſmum Græcum & Latinum. Lexicon Barbaro-Græcum. Turco-Græciam, & Germano-Græciam. Rhetoricam. Contra Strigelim Friſchlini. Varias Orationes. Annales Sueviæ, in quorum deſcriptione ampliùs 200. authores percurrit.* *Scripta.*

Ab an. 1564. uſque ad finem vitæ Conciones ſacras in Templo inter Profeſſores ſedens, calamo Græcè excepit, quarum 7000. collegit.

Vitam Jacobi Andreæ Cancellarii Tubing. prolixè deſcripſit.

In linguâ *Latinâ* & *Græcâ* Volumina 78. diverſarum rerum ſcripta reliquit, quod vix ab alio noſtro ævo factum eſt.

GEORGIUS BURCARDUS.

Obiit A.C. 1607.

WEttelsheimii, juxta oppidum *Franconiæ Weiſenburgum* natus eſt anno 1539. A parentibus in pietate & bonis literis à teneris imbutus, in virum evaſit magnæ eruditionis, politi Judicii, fidei integerrimæ.

Digitized by

Artium liberalium Profeſſor Tubingæ. Rector Gymnaſii Rotenburg. A. 1562. Artium liberalium Profeſſor in Univerſitate *Tubingenſi* factus, cum annos circiter 13. eo munere cum laude functus eſſet, poſteà A. 1575. *Rotenburgum* ad *Tuberam* evocatus, in ejus oppidi Gymnaſio Rectoris officio per triennium fideliter functus eſt. A.1578. *Tubingam* revocatus,& in Collegium bonarum Artium ac Senatum Academicum receptus, *Philoſophiæ Profeſſor Tubingæ.* toto vitæ ſuæ tempore Profeſſionibus Philoſophicis Dialecticæ & Rhethoricæ, ſibi commiſſis ſummâ cum dexteritate, aſſiduitate,fructuque ſtudioſæ juventutis præfuit. *Pædagogarcha.* Pædagogarcha in Univerſitate & Viſitator Scholarum vicinarum multis annis fuit, nec non Deputatus ac Bibliothecarius Univerſitatis: *Bibliothecarius.* Decanatum facultatis Philoſophicæ quinquies, & Rectoratum ſemel adminiſtravit ſummâ cum fidelitate. *In Conjugio dupl. vixit.* In Conjugio duplici vivens cum primâ uxore 30. annos, cum alterâ 16. in ſummâ concordiâ exegit, ex iiſque liberos aliquot ſuperſtites reliquit.

Obiit in Thermis ferinis. Cum tandem Thermas ferinas ſanitatis causâ acceſſiſſet, earumque uſum aggreſſus eſſet, paucis horis ægrotans viribus collapſis morte beatâ vitam finiit 6. Maji A. C. 1607. ætatis 68.

* *Ex Programm. funebri Rect. Tub. David. Magiri; & ex Concione funebri D. And. Oſiandri, Cancell. Tub.*

PAULUS MERULA.

Obiit A.C. 1607.

Juris Conſultus. DOrdraci in *Hollandiâ* natus eſt A.1558. J.C.tus & Hiſtoricus. Cum in *Galliâ Aureliæ* & *Genevæ* 8. annos Juris ſtudio impendiſſet, perluſtratâ *Italiâ*, *Germaniâ* & *Angliâ* in patriam reverſus, ad Forum & Cauſas agendas animum applicuit.

Hiſtor. Profeſſor Leyd. A.1591. Cum *Lipſius Lugduno* diſceſſiſſet, eò accerſitus Hiſtoriarum Profeſſionem ſuſcepit, in quâ 15. annos exegit,& A.1598. *Bibliothecar. Leyd.* Secundus Academiæ *Lugd.* Bibliothecarius factus, *Jano Douſæ* filio ſucceſſit.

Tandem uxore comite iter *Roſtochium* verſùs ſuſcepit, amicos & affines ſalutaturus. Ibi bimeſtri exacto dum redire cogitavit, ſanguinis atræque bilis vomitu cum dejectionibus ſpontaneis oborto ex hâc vitâ *Moritur.* deceſſit 19. Julii A.C. 1607. ætatis 49.

Libros edidit:

Scripta. *Coſmographiam generalem & ſpecialem. Geographiam particularem. Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Politicam MCC annorum. Reliquos CCCC adjecit Gulielmus Merula Fil. Praxin Civilem Curiæ Provincialis apud Batavos. Orationem poſthumam de naturâ Reip. Batavicæ. Ennii Fragmenta cum Commentariis. Eutropium. Vitam Franciſci Junii. Angeli Merulæ Hiſtoriam Tragicam. Deſcriptionem Flandriæ. Cynigetica idiomate Belgico.*

Sepulchro ejus hoc *Epitaphium* legitur inſcriptum:

Epitaphium.

TIBI
PAULE MERULA
QUI
DUM DEUS TE NOBIS SUPERSTITEM VOLEBAT OB SINGULAREM TUAM ERUDITIONEM, MAGNAQUE ET MULTA IN OMNES BENEFICIA DOCTISSIMORUM AUDIVISTI HUMANISS. HUMANISSIMORUM DOCTISSIMUS, HOC QUALECUNQUE MONUMENTUM MOERENS BENE MERITO F. P. Q. P. D. I. F. EX A. A. D.
VIII. CAL. AUG. CIↃ IↃ CXIII.
AVE ET SALVE VIR PAUCIS COMPARANDE.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini; & ex Vitis Profeſſor. Leydenſ.*

MATTHÆUS DRESSERUS.

Obiit A.C. 1607.

ERfordiæ in *Thuringiâ* metropoli natus eſt modicis parentibus 24. Aug. A.1536.

Puer *Islebiæ* in Comitatu *Mansfeldiæ* literis imbutus, poſteà *Wittenbergam* ſe contulit, ad audiendum *Lutherum* & *Melanchthonem*, ſed cum morbis perpetuis conflictaretur, non diu ibi manſit.

Reverſus *Erfordiam*, Præceptorem habuit in linguâ Græcâ *Martinum Sidemannum*. *Philoſophiæ Magiſter.* An. 1559. Ibidem Magiſter artium renuntiatus à *Nicolao Gramanno* artes dicendi privatim docere cœpit.

Profeſſor Erfordienſ. Poſteà An. 1560. allectus in numerum Profeſſorum Philoſophicorum literas Græcas & humaniores docuit, Decanatûs etiam munere non ſemel functus eſt.

Conjugium. A.1565. Conjugem duxit *Julianam*, filiam *Eraſmi Sarcerii*, Theologi, quæ obiit A.1598. Indè A. 1600. ad ſecundas nuptias tranſiit *Lipſiæ* cum M. *Henrici Cordes*, villarum Academiæ præpoſiti relictâ filiâ *Mariâ*.

Profeſſor Jenenſis. A.1574. *Jenam* accerſitus, ad Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſionem loco *Juſti Lipſii*, qui paulò ante diſceſſerat venit M. Nov.

Rector Scholæ Miſnenſis. Paulò pòſt Scholæ *Miſnenſi* præfectus ſex annis in eâ docuit.

Profeſſor Lipſienſis. A. 1581. In Acad. *Lipſienſem* vocatus venit, ubi utramque linguam loco *Gregorii Bersmanni* ad finem vitæ docuit. Tum etiam Millenarios hiſtoricos tradere cœpit. Paulò pòſt commendata ei eſt continuatio *Hiſtoriæ Saxoniæ* cum honeſto ſtipendio.

Moritur. Naturæ conceſſit *Lipſiæ* 5. Oct. A. 1607. æt. 71. Ibidem in Collegio *Paulino* ſepultus.

Symbolum habuit: *Diſce mori mundo, vivere diſce DEO.*

Scripta. Elucubravit: *Rhethoricam. Iſagogen Hiſtoricam per millenarios ad A. 1591. deductam. Varias orationes in unum corpus redactas. Librum de feſtis diebus Chriſtianorum, Judæorum & Ethnicorum.*

Litem ei movit *Joh. Bodinus de 4. Monarchiis*, quem errorem communem ei cum Judæis Oratione publicâ refutavit.

Erfordiæ cum Profeſſorem ageret, & ſolus inter Profeſſores cum *Ludovico Helmboldo* collegâ Evangelicæ religioni addictus eſſet, tantum ſolertiâ ſuâ effecit, ut perſuaſis Pontificiis etiam *Auguſtana Confeſſio* & *Hebræa* lingua publicè in Academiâ doceretur.

Lipſiæ Rectoris munere ſemel, & ſemel Procancellarii functus eſt.

Allectus etiam ibi in Numerum Decemvirorum Academiæ, quibus cura Paulinarum ædium & rei œconomicæ incumbit.

Fuit

Fuit Philoſophus, Medicus, Orator & Hiſtoricus.

Edidit in Med. *De partibus humani Corporis & animâ libr. II.* Adjectæ ſunt ad finem *morborum & medicamentorum communiſſimorum appellationes.*

Obiit A.C. 1609.

JOSEPHUS JUSTUS SCALIGER.

Ex illuſtri familiâ natus.

JUlii Cæſaris Scaligeri filius, *Juliades* dictus, vitalem hanc lucem aſpexit *Aginni Nitiobrigum*, 4. Aug. A. 1540. Ortus ex illuſtri *Scaligerorum Italiæ* Principum familiâ, qui *Veronæ* Marchiones fuerunt, cujus gentis *Scalanæ* Genealogiam *Paulus Scalichius* vir literatiſſimus conſignavit.

Burdegalæ ſtudia inchoavit.

Annos natus 11. cum *Leonharto* & *Jano Conſtantio* fratribus *Burdegalam* à Patre miſſus, triennio ibi literis operam dedit. Indè peſte exactus ad Patrem ſe recepit, qui quotidiè Declamatiunculam ab eo exegit, quâ ratione Latinè ſcribere aſſuevit, & quia verſûs Patris excepit, neceſſariò etiam Poëſin imbibit. An. ætatis 19. Cum jam vita functus eſſet Pater, literarum Græcarum amore *Lutetiam* petiit.

Poëſin à Patre imbibit.

Linguæ Græcæ ſtud. Pariſ.

Ibi poſtquàm menſes duos operam *Hadriano Turnebo* dediſſet, in Muſæum ſe abdidit, & vix delibatis Conjugationibus Græcis *Homerum* cum interpretatione arreptum 21. diebus totum didicit, Poëticæ verò dialecti veſtigiis inſiſtens Grammaticam ſibi ipſe formavit, neque ullam didicit aliam, quàm quæ ipſi ex analogiâ verborum *Homericorum* obſervata fuit. Reliquos verò Poëtas Græcos omnes intra 4. menſes devoravit: nec ullum Oratorem aut Hiſtoricum prius attigit, quàm Poëtas omnes teneret.

Homerum 21. diebus didicit.

Linguam Hebræam ſpontè didicit.

Cum biennium Græcis literis impendiſſet, ad Hebræas quoque diſcendas nullo alio Magiſtro, quàm ſe ipſo uſus eſt. Multa in utroque ſermone verſu luſit, quæ edere odium ambitionis prohibuit. Ob hanc ingenii felicitatem in primâ adhuc ætate adeò illum admiratus eſt *Hadrianus Turnebus*, ut *portentoſi ingenii juvenem* appellaverit. In vitâ Patris ſui de ſe & illo ſcripſit, quod oculis cœruleis præditi interdum etiam noctu viderint, ut in crepuſculo ſolemus, idque ſibi contigiſſe à pueritiâ ad 23. ætatis annum.

Hadr. Turnebi de eo Elogium.

Linguar. Orient. Profeſſor Lugduni Batav.

1593. Curatorum vocatu in Academiam *Lugduno-Batavam* venit, quam per annos 16. cum nominis ſui famâ Scriptisque illìc editis illuſtravit, & ſæpiùs vivacitatem ſuam deploravit, quod ad ea usque duràſſet tempora, quibus in dubium vocaretur meritum & ſatisfactio Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quem ſe propediem viſurum eſſe confidebat ſedentem ad dextram Patris omnipotentis.

Moritur.

Vitæ tandem & irrequietis lucubrationibus finem impoſuit, hydrope extinctus 21. Jan. A.C. 1609. ætatis 69. *Lugduni Batavorum.*

Parentavit defuncto Gymnaſium *Lugdunenſe*, & in eo tunc ſplendentes *Daniel Heinſius, Hugo Grotius, Dominicus Baudius,* & *Bonaventura Vulcanius.* Bibliothecam ſuam locupleti librorum ſupellectile inſtructam, cum multis Manuſcriptis *Græcis, Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Perſicis,* & *Æthiopicis*, Bibliothecæ *Lugdunenſi* teſtamento dicavit. Tumulum eidem cum monumento Academiæ Curatores excitàrunt.

In Tumulo ejus hoc legitur *Epitaphium*:

Epitaphium.

ÆTERNÆ MEMORIÆ
JOSEPHI JUSTI SCALIGERI JUL. CÆSARIS A BURDEN F.
PRINCIPUM VERONENSIUM NEPOTIS, VIRI, QUI INVICTO ANIMO UNA CUM PARENTE HEROE MAX. CONTRA FORTUNAM ASSURGENS, AC JUS SUUM SIBI PERSEQUENS, IMPERIUM MAJORIBUS EREPTUM INGENIO EXCELSO, LABORE INDEFESSO, ERUDITIONE INUSITATA IN LITERARIA REP. QUASI FATALITER RECUPERAVIT: SED PRÆSERTIM EJUS MODESTIÆ, QUOD FIERI SIBI VETUIT, IIDEM, QUI IN URBEM HANC EVOCARUNT, CURATORES ACADEMIÆ, AC URBIS COSS. HOC LOCO MONUMENTUM P. C. IPSE SIBI ÆTERNUM IN ANIMIS HOMINUM RELIQUIT.
OBIIT XXI. JAN. MDCIX.

Scripta:

Scripta.

Elenchus Trihæreſii Nicolai Serarii. Ejusdem delirium, quo Eſſenos Monachos Chriſtianos fuiſſe contendit. Conjectanea de Noni Dionyſiacis. Theſaurus, & Emendatio temporum. Cyclometriæ Elementa duo. Caſtigatio Calendarii Gregoriani. Notæ in Opera Auſonii. Caſtigatio & Notæ in Euſebii Pamphilii Cæſareæ Epiſcopi Chronicorum libros duos, & reliquias antehàc non editas cum textûs verſione. Elenchus utriusque Orationis Chronologicæ D. David. Parei. Veterum Græcorum fragmenta, quibus obſcuriſſimi loci Chronologiæ Sacræ elucidantur. Auſonianarum Lectionum Libri II. Martialis Epigrammatum verſio Græca. Opuſcula diverſa Græca & Latina, quæ prodierunt Pariſiis. Conjecturæ in Varronem de Linguâ Latinâ; & Notæ in Libros Varior. de re ruſticâ. De re Nummariâ Liber poſthumus. Hippocratis Libellus de Oſſibus, cum Notis. Appendix P. Virgilii Maronis cum ſupplemento multorum Poëmatum veterum, cumque notis & caſtigationibus. In Libros XX. M. Valerii Flacci & Sext. Pom. Feſti de verborum ſignificationibus Caſtigationes. Emendationes ad Theocriti Moſchi & Bionis Idyllia. Stromatéa Verſuum proverbialium.

* *Ex Vitis Profeſſor. Leydenſ. & ex Theatro Italico Viror. literat. Hieron. Ghilini.*

Clar. A.C. 1610.

GUILIELMUS CODDÆUS.

EX honeſtis parentibus natus eſt *Lugduni Batavorum*, quarto menſe poſt ſolutam Urbis duriſſimam obſidionem.

Prima ſtudiorum tyrocinia ſub *Nicolao Stochio* emenſus, in Academiâ patriâ deinceps annos 10. exegit, Græcæ & Hebrææ imprimis linguis operam navans. Sed multò maximè in S. Theologiæ ſtudiis ſeſe ſem- *Theologus.*

per exercuit, *Franciſci Junii* per annos 9. auditor, cujus toto illo tempore vix 10. lectiones intermiſit.

Ling. Hebr. Profeſſor. 8. Sept. A. 1601. In Patriâ Linguæ Sanctæ Profeſſionem auſpicatus, *Raphelengii* Succeſſor factus eſt.

Edidit:

Scripta. *Notas breves ad Grammaticam Hebræam Mart. Navarri Morentini. Orationem funebrem in laudem Rudolphi Snellii Matth.*

* *Ex vitis Profeſſorum Leydenſ.*

Obiit A.C. 1611.

JOHANNES HUGO A LINSCHOTTEN.

HArlemenſis Hiſtoricus magni Vir laboris, magnæq; induſtriæ, in patriâ optimis literis & moribus eruditus, *Geographus.* perluſtratis *Indicorum Oriental.* diverſis Regnis & Provinciis, non ab aliis modò tradita, ſed etiam à ſe multorum annorum uſu obſervata unum in faſciculum collecta præclaris *Scriptor Hiſtoriæ Indiæ Orient.* *Indiæ Orientalis* Chorographicæ Hiſtoriæ monumentis perſpicuè explicavit, & Tabulis Geographicis illuſtravit.

A. 1594. Ordinum unitorum *Belgii* decreto ex urbe *Enckuſâ* ad terras incognitas *Inventor Freti Arctici.* per mare emiſſus, *Freti Arctici* anguſtias primus detexit, & *Freti Naſſovici* nomine inſignivit.

Tandem multis exantlatis laboribus ſenio feſſus, magno cum bonorum luctu fato *Moritur.* functus eſt, & triſte ſui reliquit deſiderium *Enckuſæ* A. C. 1611.

* *Ex Vitis Viror. doctor. Jani Jac. Boiſſardi.*

Scripta. Edidit: *Icones & habitûs Indorum ac Luſitanorum per Indiam viventium.*

Obiit A.C. 1611.

JOHANNES FERINARIUS.

Wittebergæ artium ſtudiis eruditus. VRatislavienſis *Sileſius*, cum in Academiâ *Wittebergenſi* auſpiciis imprimis & ductu magni illius *Philippi Melanchthonis*, cui famulari grave non duxit, doctri- *Philoſophiæ Magiſter creatus.* na & optimarum artium ſtudiis eruditus, ſummam in Philoſophiâ lauream conſecutus eſſet, *Brigam* ad conſtituendam Scho- *Brigam ad conſtituendam Scholam evocatus eſt.* lam evocatus eſt. Sed enim cùm propter religionis ſtudium iſtius loci Theologi lacerarent hominem, & quam colligere is cupiebat, Ducis *Brigenſis* exulcerarent gra- *Marpurgi Pagani munere functus eſt.* tiam, dimiſſus rurſus *Marpurgum* P. P. juſſu evocatus eſt, ut Pagani fungeretur munere.

Cum itaque 18. Octobris anno 1576. huc familia appuliſſet, 13. die Januarii A. 1576. oratione de cruentâ *Solymanni* rabie ejusq; *Carionis chronicon interpretari cœpit.* ſucceſſu terribili habitâ, poſtero die *Carionis chronicon* à *Melanchthone* auctum interpretari cœpit. Hinc ſequenti anno Dominicâ, *Pædagogiarchæ munus iniit.* cui Eccleſia vetus nomen fecit, Invocavit, ab eo, qui vices ſuſtinebat Cancellarii, diſcipulorum cœtui commendatus Pædagogiar- *Rectoris bis, Decani munere ſemel perfunctus eſt.* chæ munus iniit, eique 24. annos præfuit, bis Rectoris, ſemel Decani munere interea temporis perfunctus. Mortuus autem eſt *Moritur.* ultimo Novembris die anno 1611. cum docuiſſet in Academiâ publicè 26. annos.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

CORNELIUS SCHONÆUS.

Obiit A.C. 1611.

GAudanus, Poëta Comicus, *Lovanii* in Philoſophicis *Johannem Beverum* Doctorem habuit. Scholæ *Harlemenſis* multos annos moderator de Republ. literariâ optimè meritus, ibidem vitam finiit 10. Junii A. C. 1611. ætatis 70. *Poëta Comicus. Gymnaſiarcha Harlem.*

Scripta:

Terentii Chriſtiani partes III. ſive Comœdiæ Sacræ Terentiano ſtylo conſcriptæ: Part I. Naaman. Tobæus. Nehemias. Saulus. Joſephus. Juditha. II. Suſanna. Daniel. Triumphus Chriſti. Typhlus. Pentecoſte. Ananias. III. Baptiſtes. Dyſcoli. Pſeudoſtratiotæ. Cunæ. Vitulus. Libell. Elegiarum & Epigrammatum. *Scripta.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

GREGORIUS BERSMANNUS.

Obiit A.C. 1611.

ANnæbergæ in *Miſniâ* natus eſt 11. Martii A. 1537. Patre *Henrico*, ærarii pauperum præfecto.

An. ætat. undecimo à Patre in Scholam *Miſnenſem* miſſus, Præceptores nactus eſt *Georgium Fabritium* in Latinis, & in Græcis *Hiobum Magdeburgum.*

Habuit ibidem condiſcipulum *Philippum Camerarium* & *Simonem Stenium.*

A. 1555. *Lipſiam* ſe contulit, ubi Magiſterii gradum adeptus eſt, & Medicinæ ſtudium inchoavit, quod deinceps in *Galliâ* & *Italiâ* continuavit. In Poëſi quoque tantum profecit, ut Poëtarum ſuo ſeculo celeberrimus habitus fuerit.

In *Italiâ* per triennium cum vixiſſet, *Wittebergam* petiit, ubi iterum cum *Simone Stenio* conjunctiſſimè vixit.

Indè ab Elect. *Sax.* in ludum *Portenſem*, ut juventutem ſcholaſticam inſtitueret, vocatus eſt.

A. 1568. *Wittebergam* ad Profeſſionem libelli de animâ, & An. 1571. *Lipſiam* conceſſit, & Profeſſionem Poëticam ſuſcepit. *Profeſſor Lipſienſis.*

A. 1575. Ibidem uxorem duxit D. *Petri Hellebom* Theologi filiam, cujus ſororem aliquot annis poſt D. *Simon Stenius* in matrimonium accepit.

Eodem anno *Joach. Camerario* mortuo ſurrogatus, Græcam linguam & Ethicam profeſſus eſt.

A. 1580. Cum formulæ concordiæ ſubſcribere recuſaſſet, unà cum *Simone Stenio*, amico ſuo veteri, dimiſſus eſt. Utrique tamen caſus hic magis profuit, quàm obſuit: *Stenius* enim juſſu Elect. *Pal.* in inf. *Palatinatûs* Scholis *Nebuſii* & *Neoſtadii* per annos octo docuit, poſteà in ordinem Profeſſorum *Heidelberg.* cooptatus eſt.

Bersmannus verò à *Joach. Erneſto*, Principe *Anhaltino*, invitatus in Gymnaſium, quod ipſe *Serveſtæ* 15. Nov. fundavit A. 1581. in eo Rector factus eſt. *Rector Gymnaſ. Serveſt.*

Ibi cum annis 30. docuiſſet, calculi veſicæ doloribus confectus placidè tandem obdormivit 5. Octob. A. 1611. ætatis 73. *Moritur.*

Ex

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



CHRISTOPHOR, CLAVIUS
Mathematic, & Soc. Jes. Romæ



E. MANUEL METERAN,
Hiſtoriographus Belgicus.



IOHAN. LEO HASLERUS
Muſicus excellens Saxon.



DOMINICUS BAUDIUS.
Hiſtoriarum Prof. Lugd. Bat.



FRIDERIC, TAUBMANN,
Poeta & Philologus Witteb.




RUDOLPH, SNELLIUS
Matheſeos Prof. Lugd. Batav.



BAPTISTA GUARINUS
Ethices Prof. Ferrariæ



PHILIPPUS DE MONTE
Muſicus Cæſar. & Canonicus



BONAVENTURA VULCANI.
Græca ling. Prof. Lugd. Bat.



IOH. BAPTISTA PORTA
Philoſophus & Aſtrol. Neapoli.



IOHANNES DRUSIUS.
Linguæ S. Prof. Franek.



THEODORUS VIETOR.
Græcæ ling. Prof. Marpurg.



VINCENTI, CONTAREN.
Orat. & Hiſtor. Prof. Patavii



DAVID HOESCHELIUS
Gymnaſiarcha Scholæ Augu.



SETHUS CALVISIUS.
Aſtrolog. Chronol. Muſic. & Poëta



IOH. ANTONI, MAGINUS
Mathes. Prof. Patavii

Ex conjuge 4. filios & 6. filias ſuſcepit, quorum 4. ſuperſtites reliquit:

Scripta. Edidit: *Carmina varia. Pſalterium Davidis verſibus deſcriptum. Virgilium, Horatium, Ovidium, Lucanum, & Ciceronem, ſcholiis illuſtratos. Rhethoricam.*

Clar. A. C. 1612.

CHRISTOPHORUS CLAVIUS.

Societ. Jeſu filius. Mathematicus. NAtione *Germanus*, patriâ *Bambergenſis*, à primâ adoleſcentiâ filius Societatis Jeſu, cum alias ſcientias imbibit, cum verò Mathematicas avidè ac ſtudioſè didicit, & magnâ cum laude *Romæ* profeſſus eſt, tantumque profecit, ut non cum recentioribus tantùm Mathematicis, ſed etiam cum antiquiſſimis & peritiſſimis ſit comparandus, cujus opera adeò probantur à viris ſcientiâ Mathemathicarum diſciplinarum præſtantibus, ut alii *Clavium* noſtri ſæculi *Euclidem* nuncupent, alii verò, inter quos *Joſephus Scaliger*, malle ſe à *Clavio* vituperari, quàm ab aliis laudari ſcribant. Vitam finiit A. C. 1612. Euclides noſtri ſæculi.

Scripta:

Scripta. *In univerſum Euclidem Comment. In Sphæram Johannis de Sacro buſto Comment. Geometrica Practica. Theodoſii Sphærica. Gnomices Lib. VIII. quibus Horologia Solaria geometricè demonſtrantur. Epitome de Horologiis. Curſus Mathematicus. Aſtrolabium. Calendarii Romani à Gregorio XIII. reſtituti explicatio. Ejusdem Calendarii apologia adverſus Michaëlem Mœſtlinum, & Joſephum Scaligerum. De finibus, & de lineis tangentibus. Computus Eccleſiaſticus per digitorum articulos traditus. Compendium Arithmeticæ Practicæ.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1612.

EMMANUEL DEMETRIUS, vel METERANUS.

VUlgò van *Meteren*, *Jacobi* Fil. *Antverpiæ* natus eſt 7. Idûs Jul. An. C. 1535. *Londini* magna & ampla negotia habuit. Cum *Abrahamo Ortelio* cognato *Angliam* & *Hiberniam* inſpexit. Diligens & accuratus Hiſtoriographus, nimis tamen tribuit affectibus. Obiit tandem *Londini*, ornatus hoc Epitaphio à *Jacobo Colio Orteliano*: Mercator. Hiſtoricus Belg. Epitaphium.

EMMANUELI DE METEREN J. F. ANTVERPIANO, VIRO SINGULARI, MERCATORI EXACTO, HISTORICO EXIMIO, QUI PRONO GENII SUI DUCTU TUMULTUS BELGICI PLUSQUAM QUADRAGENARII ANSAM ET INITIUM, POSTERITATI LITERIS CONSECRAVIT, ESTERA DE CORPUT CONJUGI B. M. LIBERIQUE IX. PARENTI OPT.

M. H. P.

OBIIT ANNO AB INCARNAT CHRISTI cIɔ Iɔ CXII.

Aliud:

D. O. M. S.

& Memoriæ.

Emmanuelis Demetri domo Antverpiâ,
Londini quondam Belgarum Mercatorum Conſulis:
Qui ſic mercator, ut literas odiſſe crederes:
Sic literatus, ut odiſſe merces.
Teſtis una Belgii, quam dedit, Hiſtoria.
Mercurius & Pallas amicum
ESTHERA de CORPUT virum ſuum,
Pro ſe quisque collugent.

Vitam deſcripſit *Simon Ruytingus*. Ejus *Symbolum* fuit:

Emmanuel, quis contrà nos?

Scripſit ſermone patrio:

Scripta. *Hiſtoriam rerum potiſſimùm in Belgio geſtarum à Caroli V. natali, usque ad ſua tempora, Gallicè, ac Latinè poſt ab aliis redditam.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A. C. 1612.

JOHANNES LEO HASLERUS.

NOrimbergæ natus, Patrem habuit *Iſaacum Haslerum*, Muſicum in *Valle Joachimicâ* celebrem, qui exindè *Norimbergam*, ut artem ſuam magis excoleret, cum familiâ migravit. Educatus itaque in hâc urbe Imperiali & in literis humanioribus informatus, cum ad Muſicæ ſtudium naturæ inſtinctu ferretur, hujus perfectè addiſcendæ gratiâ in *Italiam* à Patre miſſus, tantos fecit brevi tempore progreſſus, ut non modò in Muſicis inſtrumentis varii generis excelleret, ſed etiam Compoſitiones egregias tam Sacras quàm Profanas typis emitteret, quibus nihil *Italiæ* Muſicis concederet. Muſicam artem in Italiâ excoluit.

Exindè veniens in aulam Imperatoris *Rudolphi II.* Muſicam aliquandiu egit aulicum, & ab eodem Cæſare propter inſignem Muſices peritiam nobilitate donatus eſt. Ultimo demùm vitæ ſuæ quadriennio Electoribus *Saxoniæ Chriſtiano II.* & *Joh. Georgio*, fratribus Organœdus & Muſicus aulicus inſerviit. *Francofurti* tandem ad *Mœnum* cum Electore ſuo degens, poſtquàm ſeptennium in conjugio ſterili cum conjuge *Cordulâ Clauſiâ* vixiſſet, phthiſi ab anno conſumptus placidè exſpiravit 8. Junii A. C. 1612. ætat. 48. Muſicus aul. Cæſ. Rudolphi II. Nobilitatus. Muſicus aul. Sax. Obiit Francofurti.

* *Ex Concione fun. M. Danielis Hænichen, Concion. aul. Sax.*

Obiit A. C. 1613.

DOMINICUS BAUDIUS.

NAtus eſt in Inſulâ *Flandriæ* urbe 8. Apr. An. 1561. Patre cognomine, Matre *Mariâ Hyeme*.

Aquisgrani tyrocinia ſtudiorum egit, quo Pater ob ſævitiam Ducis *Albani* profugerat.

Genevæ per ſesquialterum annum Theologiæ operam dedit, & ſæpè publicè diſputavit. Studioſus Theologiæ.

A. 1583. *Gandavum* reverſus, ſub *Lamberto Danæo* Theſes Theologicas aſſeruit.

An. 1585. Cum *Lugduni Batavorum* per menſes 15. aſſiduam juri operam navâſſet, ſub D. *Hugone Donello* titulum Doctoris aſſecutus eſt. Doct. Juris.

Eodem anno, & quidem menſe Junio, acceſſit numero Comitum Legationis, quæ tunc ab Ordinibus miſſa eſt ad *Angliæ* Reginam *Eliſabetham*. Ibi multis doctis innotuit,

ſed uni inſtar omnium maximè charus fuit *Philippo Sidneio.*

Ibi etiam reſponſum Latino ſermone ſcitè redditum, & laudes non vulgares à Reginâ *Eliſabethâ* coràm in panegyrico promeruit.

Hagæ Comitis Advocatus. A. 1587. *Hagæ* Comitis in ordinem Advocatorum lectus eſt.

Poſteà 10. annos continuos in *Galliâ* vixit, & A. 1591. factus eſt cauſarum patronus in ſupremâ curiâ Parlamenti.

Profeſſor Lugduni Batavor. A. 1602. *Lugduni Batavorum* Eloquentiæ & Hiſtor. Prof. deſignatus.

Jus *Romanum* etiam docuit. 22. Aug. A. 1613. febre obiit an. ætatis 53. *Moritur.*

Genevæ ſæpiùs publicè diſputavit ſub præſidio *Theodori Bezæ*, *Antonii Faji*, & *Lamberti Danæi.*

Edidit:

Scripta. *De Induciis belli Belgici Libros III. Poëmata. Moralis & Civilis ſapientiæ monita libris IV. comprehenſa. Orationes aliquot. Monumentum conſecratum bonori & memoriæ Henrici Friderici Britanniarum Principis. Epiſtolarum Centurias III.*

Obiit A.C. 1613.

FRIDERICUS TAUBMANNUS.

Patrem habuit *Marcum*, Conſulem *Wonſeſenſem* in *Franconiâ*, Sutorem; Matrem *Barbaram Hoſmanniam*, natus 15. Maji A. 1565. Mortuo patre mater Sartori cuidam nupſit.

A. 1578. A vitrico, ſartore, *Culmbachium* primis literis imbuendus deportatus fuit, ubi præ foribus cantando victum oſtiatim quærere coactus eſt. Ibi cum Rectori ſiſteretur examinandus, puer ſimplex ſuppellectilem portatilem ſuam illicò pro more ſub ſcamnum recondidit, undè riſum excitavit.

A. 1582. A Marchione *Georgio Friderico* in Scholam *Heilsbronnenſem* tunc recens erectam clementer receptus, in eâ decennium ſtudiis impendit.

Ibi à *Paulo Meliſſo* virtutis ergò Laureâ Poëticâ fuit cohoneſtatus.

A. 1592. Ejuſdem Principis munificentiâ inſtructus, in Academiam *Wittenbergenſem* venit, in quâ privatim aliquandiu vixit.

Philoſophiæ Profeſſor. 8. Oct. A. 1595. Ibidem in Profeſſorum Philoſophiæ numerum virtutis ergò receptus, per 18. annos Poëtæ & Philologi munere fideliter functus eſt.

Uxorem duxit. Menſ. Jun. A. 1596. Matrimonium contraxit cum *Eliſabethâ*, *Johannis Matthæi*, Civis *Wittenberg.* filiâ: ex quâ tres filios, *Chriſtianum*, *Fridericum*, (ſed qui Patrem morte præceſſit) & *Joh. Fridericum*, duas autem filias, *Eliſabetham* & *Mariam Magdalenam* ſuſcepit. Natus erat fato non factus ab arte Poëta, teſte M. *Eraſmo Schmid.* *FrIderICVs TaVbMan obIt.*

Moritur. 24. Martii A. 1613. æt. 48. inter preces ardentes deceſſit, febri malignâ trium hebdomadum, fruſtrà obnitente in corpuſculo debili Medicorum curâ, extinctus, cujus ſepulchro hocce Epitaphium eſt affixum in Cœmiterio ſuburbano ante portam *Elyſtr.*

Epitaphium. FRIDERICO TAUBMANNO WONSESATI FRANCO, VIRO PIETATIS ZELO PUBLICE NOTISSIMO, LITERARUM GRÆCARUM ET LATINARUM VINDICI ACERRIMO, BARBARIEI EXTIRPATORI FELICISSIMO, POETÆ INCOMPARABILI ET HUMANITATIS IN CELEBERRIMA WITTEBERGENSIUM ACADEMIA PROFESSORI CLARISSIMO, MARITO ET PATRI DESIDERATISSIMO. AN. CHRISTIANO M.DC.XIII. DIE XXIV. MARTII ÆTATIS XLVIII. PIE IN CHRISTO DEFUNCTO MONUMENTUM HOC VIDUA ET LIBERI MOESTISSIMI AFFECTU PIO ET GRATO P. C.

* *Ex Inſcriptionibus Witteb. Andr. Sennerti.*

M. FRIEDERICUS TAUBMANNUS WONSESIUS POETA.

Per Anagramma:

Huic tu Muſarum Phœbus & Franconiæ ſidus es.

Inter primos dies morbi ſui manè expergefactus, viſus eſt ſibi videre propè lectum ſuum arcam oblongam, & in eâ virum ſibi ſimilem jacentem: cumque initio deceptionem viſus putaret, elevato capite illud attentius perſpexit, & rem non aliter ſe habere deprehendit. Nihil tamen exterritus, rem aliis hilariter retulit.

In ſympoſiis honeſtis ſalibus & leporibus affluebat, ut facilè is ſolus & unicus univerſam coronam aſpirantibus Gratiis exhilararet.

Supremum Academiæ Magiſtratum ſemel, Decanatum verò Philoſophicum ter cum honore geſſit. In ultimâ editione in *Plautum* S. Bibliorum codicem decies novies perlectum à ſeſe affirmat.

In Epigrammate Phalecio, quod ſub finem Schediaſmatum ad Chriſtianum filium puerum ſexennem Cygnææ Cantilenæ inſtar exaravit ſe ipſum foris & intus contemplandum egregriè depinxit, adeò, ut parva quædam puerilis inſtitutio meritò dici poſſit.

RUDOLPHUS SNELLIUS.

Obiit A.C. 1613.

Ex familiâ veteri & ſplendidâ natus, *Vdewattera*, *Hollandiæ* urbe, ad fluv. *Iſelam* A. 1546.

Coloniæ, *Heidelbergæ* & *Marpurgi* literis operam dedit, quo in loco & literas Græcas Latinasq; cum laude docuit, & A. 1572. à *Bernhardo Copio* laureâ Magiſtrali decoratus eſt, quamvis reluctâſſet. *Philoſophiæ Magiſter.*

Exactis in *Germaniâ* annis 14. *Italiam* ingreſſus, *Piſis* per ſeſquennium Medicinæ operam dedit, indè *Romam* adivit.

Coloniæ Agrippinæ annum integrum ſub Mathematico *Valentino Nabodo* operam Arithmeticæ & Geometriæ impendit.

Heidelbergæ ſub *Immanuele Tremellio* linguam Hebræam diſcere cœpit.

An. 1578. in patriam reverſus, aliquantiſper conſedit. Tum *Lugduni Batavorum* privatim adoleſcentes in humanioribus erudivit; cumque tunc temporis ibi nova *Profeſſor Lugduni Batavor.*

Aca-

Academia erecta eſſet, operam ſuam publicè Academiæ impendit, & 34. annos primò Linguam Hebraicam, deindè diſciplinas Mathematicas interpretatus eſt.

A. 1600. à *Mauritio Haſſiæ Landgravio* literis manu propriâ ſcriptis invitatus, ut ſe veteris amicitiæ ergò inviſeret, anno demùm tertio pòſt illuc ſe contulit,& mox honeſtè iterum dimiſſus,aureo torque & Principis effigie donatus,quadrigis denique ejus ac impenſis *Francofurtum* deductus, domum rediit.

Indè Rector Academiæ creatus eſt.

Moritur. Aſthmate correptus obiit A. 1613. ætatis 67. 2. Martii.

Filium reliquit *Willebrordum*, aliquot ſcriptis editis clarum.

Libri à *Rudolpho Snellio* editi, ſunt ſequentes:

Scripta. *De ratione diſcendi & exercendi Logicam Libri II. in 8vo. Syntagma Philoſophiæ Rameum in 8vo. Partitiones Phyſicæ Methodi Rameæ legibus informatæ in 8vo.*

Obiit A.C. 1613.

JOHANNES BAPTISTA GUARINUS.

NObilis hic *Ferrarienſis* & Eques Ordinis *Florentini S. Stephani* præter ſelectioris literaturæ notitiam, excellentem ad Poëſin impetum, Politicam in agendorum uſu ſolertiam, & Moralis Philoſophiæ è ſuggeſtu *Ferrarienſis* Gymnaſii traditæ ſcientiam, præſtitit adeò *Thuſcæ* cum metricæ tum ſolutæ ſcriptionis lepore, ut plurimis veterum palmam abſtuliſſe, *Italos* lyricis præſertim modulis ferè omnes ſuperâſſe cenſeatur. Volitat per ora virorum Tragicum illud Comicum & ruſticum opus, in quo ſicut ingenii ſui robur undiq; contulit, ita uberrimum conſecutus eſt præmium felicitatis & perennitatis, quando vel vivens ſuperfuit gloriæ ſuæ, theatris omnius ipſius nomen & laudes perſonantibus.

Ethices Profeſſor Ferrariæ. Poëta Ital. Comicus.

Cœterùm mirabile hoc in ipſo familiares notârunt, quod exoſam haberet Poëtæ nomenclaturam, quam contemptui non honori profitentibus rebatur eſſe. Adjuvit porrò ipſius ingenii dotes, quod longo annorum curriculo ad *Germaniæ Italiæq;* Principes ab *Alfonſo* Duce *Ferrariæ* renuntiatus Orator plurima ubique reliquit æternæ monumenta memoriæ, ex quibus ipſi poſtmodùm honos, familiæ faſtus, & Patriæ ſuæ nitor eximius redundavit. Quæ illo imprimis nomine ſplendidiora fuère, quod memorabili ſemper munia delata geſſit integritate, adeò, ut ſacram illam aulicorum ferè inſidentem animis pecuniæ famem nehilum ipſius unquàm torſiſſe præcordium compertum ſit. Undè forſitan æris domeſtici neglectior ad non leve gentilium ſuorum detrimentum eſt habitus. Verùm præcipua eaque nimia, quoad vixit, ipſius extitit cura ſpecioſis Principum fulgere titulis. *Gregorio XIII.* ad Summum Pontificatum evecto *Romam* veniens, in Conſiſtorio publico recitavit Orationem Latinam, quâ plurimùm ſibi Pontificem devinxit.

Orator & Legatus Ferrar. Divitiarum contemptor.

Exequias ſolennes Imp. *Maximiliano II.* fatis defuncto *Ferrariæ* celebratas ipſe gravi Oratione habitâ illuſtravit, ut etiam funeralia Cardinalis *Eſtenſis*. Dum à Secretis Duci *Ferrariæ Alfonſo II.* adſtitit diu, vel dum Conſiliarii ſtatûs apud eundem munia ſubivit, rebus plurimùm contulit ſuis ex optimi Ducis beneficentiâ. Verùm illius commutatâ poſteà voluntate ad *Vincentium Gonzagam Mantuæ*, & *Ferdinandum Magnum Hetruriæ* Ducem, ac demùm ad *Franciſcum Mariam Feltrium*, *Urbini* Dominum ſe conferre coactus, lauream exindè genii Muſæq; commendationem retulit.

Secretar. & Conſil. Duc. Ferrari. Conſil. Duc. Mantuæ Florent & Urbini.

Multi Academicicum applauſu eum in Societates ſuas receperunt, *Olympici Vicentiæ*, *Elevati Ferrariæ*, *Cruſcanti Florentiæ*, *Innominati Parmæ*, & *Humoriſtæ Romæ*. Aularum tandem pertæſus, quibus 16. annorum ſpatio inſerviit, quietis & ſtudiorum gratiâ *Patavium* conceſſit. In patriam exindè receptus, in eâ veluti ex oraculo toti *Italiæ* ineundæ Pacis reſponſa promebat, indèque *Venetias* fortè appetens, inibi morbo lethali correptus è vivis exceſſit A. C. 1613. ætatis 75.

Academiarum plurium ſocius. Obiit Venetiis.

Opera ſcripſit & edidit linguâ *Italicâ*:

Scripta. *Lettere che ſono d'eleganza, di copia, & di candore ripiene. Sonetti & Madrighali. Paſtor Fido Favola Paſtorale. Il Segretario. Una Comedia ſotto titolo d' Idropica.*

* *Ex Muſeo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicentini.*

PHILIPPUS DE MONTE.

Claruit A. C. 1614.

NAtione *Belga*, Impp. Rom. *Maximiliani II.* Chori Muſici Præfectus fuit, Metropolitanæ Eccleſiæ *Cameracenſis* Canonicus, & Theſaurarius, in cujus effigiem verè & eleganter cecinit, quiſquis ſeq. Diſtichi autor fuit:

Muſicus Cæſar. & Canonicus.

Cernimus excelſum mente, arte, & nomine Montem,
Quo Muſæ & Charites conſtituêre domum.

Teſtantur id tot præclara artis ingeniiq; penè divini ipſius monumenta, quibus ille tum famæ ſuæ celebrationem, tum artis honorem magnificè aſſeruit. Sunt autem hæc:

Scripta. *Madrigalium Libri II. quinq; Vocum. Miſſa. Gallicæ Cantiones 5. 6. & 7. Vocum. Sacrar. Cantionum cum 5. Vocibus liber quintus.*

* *Ex Part. III. Vitar. viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi.*

BONAVENTURA VULCANIUS.

Obiit A. C. 1614.

NAtus *Brugis Flandrorum* 30. Jun. An. 1538. Patrem habuit *Petrum Vulcanium*, ob eruditionem *Eraſmo Roterodamo* charum.

Lovanii per biennium ſtudiis deditus in *Hiſpaniâ*, eò deductus à *Johanne Paccio*, Hiſtoricoq; Regio, A. 1559. ad Cardinalem *Bur-*

genſem

genſem Franciſcum à *Mendozâ* venit, cui Græcos aliquot Autores Latinè vertit, & Bibliothecam rexit.

Indè in *Germaniam* profectus, *Coloniæ*, *Baſileæ* & *Genevæ* aliquandiu commoratus, libros quoſdam edidit.

Burgis Hiſp. in familiam Cardinalis *Franciſci Mendozæ* ſtipendio honorifico aſſignato adſcitus, cum is tum temporis totus eſſet in ſcribendo libro de naturali noſtrâ per dignam Euchariſtiæ ſumptionem cum Chriſto unione; ipſum magnoperè adjuvit in tranſſcribendis & Latinè vertendis multis Patrum Græcorum *Cyrilli* maximè *Alexandrini* & *Iſidori Peluſiotæ* auctoritatibus anteà non editis; *Cyrilli* etiam Libros XVII. de adoratione in ſpiritu & veritate primus Latinos fecit. Uſus eſt etiam Cardinalis ejus operâ ad Epiſtolas Latinè primùm, deindè etiam Hiſpanicè ſcribendas.

Cum verò poſt obitum Cardinalis, frater ejus *Ferdinandus* à *Mendozâ*, Archidiaconus *Toletanus*, cum in familiam ſuam recepiſſet, mortuo etiam illo, à patre graviter ægrotante per literas domum revocatus, cum poſt XI. annorum abſentium celeriter domum reverſus, patrem jam vitâ functum reperiſſet, ac miſerum patriæ ſtatum æquis oculis aſpicere non poſſet, compoſitis ibi rebus ſuis in *Germaniam* abivit.

Profeſſor Lugduni Batavor. An. 1578. *Lugduni Batavorum* Profeſſor linguæ Græcæ diſignatus, 32. annos publicè docuit.

Moritur. Indè ob ætatem rude donatus in vivis eſſe deſiit A. 1614. ætat. 77.

Scripta. Libros edidit:

Cyrilli opera Græcè & Latinè. Anianum de rebus geſtis Alexandri M. Græcè & Latinè. Commentarium de Linguâ Gothicâ. Gloſſaria Latino-Græca & Græco-Latina cum notis. Hiſtoriam Tumultuum Belgicorum ab an. 1556. ad an. 1577. In L. Apulei de Deo Socratis librum Notæ.

JOH. BAPTISTA PORTA.

Obiit A.C. 1615.

N*Eapoli* natus A.C. 1545.

Neapoli autor Academiæ Secretorum.

Arnaldo & *Cardano* Ducibus naturæ myſteria penetrare à juventute ſuâ geſtiens, in patriâ Academiam exſtruxit Secretorum nuncupatam, in quam nemini fas erat inſinuare ſe, qui admirandum aliquod ſupra vulgi captum non proferret arcanum, ex quo certiſſimi vel ad ſalutem corporum, vel ad mechanicarum uſum, vel ad rerum commutationem ſequerentur effectus. Undè factum, ut plurima congeſſerit, luculentis exindè opuſculis poſterorum memoriæ tradita.

Ab an. æt. 15. Aſtrologiæ judiciariæ operam impendit ſingularem.

Magiæ naturalis & Phyſiognomiæ peritus.

Fuit is Philoſophiæ, Mathematicæ, Magiæ naturalis præſidiis inſtructus adeò, nec non Phyſiognomiæ notitiâ perpolitus, ut rerum ſcientificarum inventioni aptiſſimus, inventarum ſuſtentationi imbecillimus haberetur: nec interdum puduit ipſum aſſeclam ſuæ imbutum doctrinæ principiis adſciſcere, cujus ſubſidio injecta ſibi in doctiorum congreſſu objectionum tela eliderentur. In prædictionibus tamen humanorum eventuum unicus ſui temporis fatidici nomen vatis eſt adeptus, quamobrem *Romanæ* ſuſpectus Curiæ integritatis ſuæ vel inſons rationem reddere coactus eſt. Parcius itaque multò impoſterum Aſtrologicis indulgens Commentationibus, Comiciſque obnoxius conſcriptionibus ſupra 30. Comœdias, ac Tragœdias aliquot typis editas exaràſſe fertur. Interim *Neapoli* domus ipſius à *Germanis* & *Gallis* quotidiè appetita, quorum cœtus in *Italiam* ad ipſum inviſendum & alloquendum frequentiſſimè conveniebant.

Aſtrologus.

Comœdias & Tragœdias ſcripſit.

In Curiâ *Romanâ* vixit aliquot annis & *Ludovico* Cardinali *Eſtenſi* doctorum Mecœnati familiariter innotuit, in cujus ædibus commoratus, familiariter cum eo converſari ſolitus eſt.

Ambroſium etiam *Spinolam*, Patritium *Genuenſem*, ad ipſius aditum auſpicatò pellexit: hic enim à *Portâ* egregio vultuum ſcrutatore ad amuſſim inſpectus, ſyderumque influxui corporis imaginis aptato judicio, ſic ad militaria inflammatus eſt munia, ut indè *Belgicas* ſecutus expeditiones celeberrimus hujus ſeculi evaſerit Imperator. At verò ne futuris intentus à præſentibus exemtus videretur ærumnis, diro ictus morbo *Neapoli* cecidit Prid. Non. Febr. A.C. 1615. æt. 70. *Moritur.*

* *Ex Muſæo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro Italico Viror. doctor. Hieron. Ghilini.*

Edidit:

Scripta. *Magiæ naturalis lib. XX. Phytognomicor. Lib. VIII. In quibus nova affertur methodus, quâ plantar. animalium, metallor. ex primâ extimæ faciei inſpectione abditas quivis vires aſſequatur. Villæ lib. XII. In quibus majori ex parte cum verus plantarum cultus, certaque inſitionis ars monſtratur, tum ad vini, frugum & fructuum multiplicationem experimenta exhibentur. De Refractione Optices Lib. IX.*

JOHANNES DRUSIUS.

Obiit A.C. 1616.

VOcatus aliàs *van den Drieſche*, natus eſt *Aldenardæ*, oppido *Flandriæ*, in eâ Urbis parte, quæ vulgò *Pamele* dicitur, 28. Junii A.C. 1550. A. 1567. ob fidei Evangelicæ perſecutionem cum Patre ſuo ex *Flandriâ* in *Angliam* profugit, ubi Hebrææ cumprimis Linguæ addictus ejuſdem Profeſſor in Univerſitate *Cantuarienſi* an. ætatis 22. conſtitutus eſt, quam ibi per 4. annos cum laude docuit, unà cum Linguâ *Chaldaicâ* & *Syriacâ*.

Profeſſor Ling. Hebr. Chald. & Syriacæ Cantuar.

A. 1576. *Lovanium* migravit ad Juris ſtudia diſcenda, ſed bello ibi exorto inteſtino, *Londinum* ad Patrem reverſus, ibique ad Pacificationem usque *Gandavenſem* commoratus eſt. Deindè *Lugdunum Batavor.* conceſſit, ubi ſeptennii ſpatio dictas modò Linguas publicè docuit. Ibidem Anno 1580. Uxorem duxit ex familiâ nobili *Mariam Varentiam*. A. 1585. *Franeckeram Friſiorum* ad Univerſitatem recens erectam acceſſitus, ibi earundem Linguarum Profeſſorem ad

Lugduni Batav.

Franeckeræ.

ad finem vitæ ſedulus egit. Intereà A.1600. Statuum *Hollandiæ* Generalium juſſu, annuatim 400. florenos ipſi extraordinariè præbentium, Commentarium in loca obſcuriora veteris Teſtamenti cœpit elaborare, non tamen abſolvere potuit, morte placidâ ſubreptus, *Franeckeræ* in *Friſiâ*, die 12. Febr. A.C.1616. ætatis 66. Symbolum ejus fuit : *Nil ultra vires.*

Moritur.

Ejus hæc ſunt Scripta:

Scripta.

Fragmenta veterum interpretum Græcorum in Pſalmos Davidicos. Commentar. ad Voces Hebraicas Novi Teſtamenti. in Hiſtoriam Ruth, cui additus eſt Libellus, An Ruben Mandragoram invenerit? Quæſtionum & Reſponſionum Lib. III. Animadverſionum Lib. II. Notæ in Grammaticam Hebr. Nic. Clenardi. Obſervationum Lib. XVI. Miſcellaneorum Centuriæ II. Annotationes in Eſtheram. Proverbiorum Sacrorum Claſſes II. Parallela Sacra locorum Veteris & Novi Teſtamenti. Apophthegmata Hebræorum & Arabum, cum Scholiis. Alphabetum Hebraicum vetus. De Literis Servilibus Lib. II. Lectiones in Hoſeam, Abdiam, Joëlem, Nahum, Amos, Jonam, Habacuc, & Sophoniam. Proverbia Ben Syræ, Nepotis Jeremiæ Prophetæ. Adagia Thalmudica. Grammatica Chaldaica. Caſtigationes in Tobiam, & Jeſum Syrach. in librum Huſamonæorum, qui vulgò prior Machabæorum. De Haſidæis Libellus. De nomine Elohim. Tetragrammaton, ſive de nomine Dei proprio. De tribus Sectis Judæorum Lib. IV. adverſùs Nicol. Serarium. Severi Sulpitii Chronicon, cum Comment. Druſii. De Patriarchâ Enoch. De Quæſitis per Epiſtolam. Annotationes in Novum Teſtamentum, ſive Præteritor. Libri X. cum vitâ Druſii.

* *Ex vitis Profeſſorum Leyd. & ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

THEODORUS VIETOR.

Clar. A.C. 1616.

HIc *Chriſtiano Vietore* & *Catharinâ Stoplerin*, parentibus optimis ad annum Chriſti 1567. *Lichen* natus, & in pietate & literis præclarè inſtitutus eſt. Hinc quo anno ſupremam Philoſophiæ lauream *Marpurgi* impetravit, eodem etiam, nimirum 1585. è patriâ *Caſſellas* evocatus, juventuti liberalibus artibus inſtituendæ in Scholâ illâ tum celebri *Caſſellanâ* annos undecim operam dedit, Conrectoris munere ſuſcepto.

Supremam Philoſophiæ lauream impetravit Marpurgi.

Poſtmodùm anno 1595. à *Crameri* obitu hanc Principum & Academiæ patrum conſenſu ſumpſit operam, ut Græcas literas, quibus omnium doctrinarum debetur inventio, doceret in Academiâ publicè. Quam ſuam provinciam annos multos cum laude ſuſtinuit, in eâque optimos quosque Græcos Authores, præcipuè verò *Iſocratem*, & cujus lectione ſe ſummoperè oblectabat, *Homerum* ferè integrum perſpicuè explicavit, cujus & Odyſſeam Latino heroico carmine ad vivum expreſſit. Anno prætereà 1603. poſt *Ferinarii* exceſſum, principali mandato Pædagogéo quoque præfectus, & ab *Hartmanno*, qui tum temporis Rectoris fungebatur munere, publicè renuntiatus eſt homo, cui neſcias majorne doctrinæ atque ingenii, an verò humanitatis laus tribuenda ſit. Nam de induſtriâ in inſtituendâ ætate juvenili, & acerrimo ejus ſtudio hîc quidem dicere nil attinet. Opera ipſa & labor indefeſſus, quem in infinitis propemodùm viris doctis, quaſi manu fingendis tot annos poſuit, iſtius rei ſunt gnomon atque regula non ſecus ac motus ipſe indicat, didiceritne aliquis palæſtram an neſciat. Cæteroquin præter Rectoris munus, quo anno 1615. laudabiliter defunctus eſt, etiam vices Rectoris *Crucigero* in *Dordrechtanâ* ſynodo abſente per menſes ferè novem probè ſuſtinuit, & Collegii Philoſophici Decurionem egit quater, anno videlicet 1597. quo peſtis ſævitiâ Academia penitus diſſipata fuit 1600. 1610. & denique 1616.

Græcas literas Marpurgi docuit.

Pædagogéo ibidem præfectus.

Rectoris & Pro-Rectoris munere defunctus eſt.

Philoſophici Collegii Decurionem egit quater.

Edidit:

Scripta.

In Platonis Dialogum, qui Entyphr. vel de Sanctitate inſcribitur, notas. In Plutarchi librum de educatione liberorum diverſas paraphraſes & Analyſes. Examen Rhetoricum.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

VINCENTIUS CONTARENUS.

Obiit A.C. 1617.

VEnetiis natus A. C. 1577. à *Marco Antonio Mureto* prima interioris literaturæ initia hauſit. Tunc *Juſti Lipſii* Monumenta evolvit, & ad veritatis amuſſim exegit. Sacræ etiam Scripturæ lectione delectatus, & rebus Eccleſiaſticis magnâ parte deditus fuit.

A. 1603. *Patavii* ad publicam Oratoriæ Cathedram electus, in eâ Poëtas omnes, Hiſtoricos, & inter eos *Titum Livium* diſertè expoſuit. Privatis etiam in ædibus nobilibus, præſertim *Venetis*, Antiquitatis *Romanæ* ſenſus abſtruſiores expoſuit. An. 1616. à legendi munere ſponte abſtinuit, & *Romam* ſe contulit, excitatus favore Abbatis *Aldobrandini*, qui poſteà Cardinalis evaſit.

Oratoriæ Profeſſor.

Romam diſceſſit.

Menſ. Aug. A. 1617. In *Iſtriâ Polam* perluſtrare decrevit, quo cum æſtate fervidâ conceſſiſſet, mox febri correptus, & *Venetias* translatus, paucis pòſt diebus occubuit annos natus 40. In æde D. *Benedicti* honorificè tumulatus.

Edidit:

Scripta.

Variarum Lectionum Lib. De Frumentariâ Romanor. largitione Lib. contrà Lipſium. De militari Romanorum Stipendio Commentar. Orationes tres: I. De laudibus Virgilii. II. De Eloquentiæ cum arte Militari ſimilitudine. III. In funere Johannis Savii.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Jacobi Philippi Tomaſini.*

DAVID HÖSCHELIUS.

Obiit A.C. 1617.

NAtus eſt A. C. 1556. 14. April. *Auguſtæ Vindelicorum.* Cumque præclara eruditionis & exquiſitæ ſolertiæ varia edidiſſet ſpecimina, Gymnaſio præfectus eſt *Anneo Auguſtano* A. 1593. Succedens *Simoni Fabritio*, anteà Præceptori ſuo, ubi præcipuum induſtriæ ſuæ curriculum ad extremum

Gymnaſiarcha Auguſtanus.

mum uſque vitæ ſpiritum in erudienda exercendaq; in bonis literis juventute *Auguſtana* conſecit. Sic enim in munere hoc Scholaſtico ſex & triginta annos exegerat, ut tum diſcipulis ſuis, tum aliis exemplum eſſet probitatis, modeſtiæ, humanitatis virtutumque omnium, quod plurimi teſtari poſſunt Viri eruditi, qui è variis *Germaniæ*, *Italiæ*, *Belgii*q; civitatibus *Hœſchelii* gratiâ *Auguſtam* ſe contulerunt, quibus Viri hujus inſtitutione uti, inque linguâ Græcâ proficere curæ & cordi fuit.

Lingua Græcæ peritiſſimus.

Cum inſuper celebratiſſimæ Bibliothecæ *Auguſtanæ* adminiſtratio ipſi eſſet demandata, omni virium niſu ejus procuravit incrementum, nec ulli parcens labori, libros excuſos pariter & manuſcriptos maximè Græcos, melioris item notæ Authores ac librorum editiones conquiſivit, ſicq; Bibliothecam *Auguſtanam* veluti publicum aliquod ærarium inſtruxit ad omnium promiſcuè indigentiam ſublevandam. Et cum rariſſimorum codicum MSS. Græcorum magno ære ab *Antonio Eparcho*, Epiſcopo *Corcyrenſi*, coëmptorum copiam eſſet conſecutus, maximam curam adhibuit, ne theſaurus iſte librarius in arcanis Bibliothecæ hujus receſſibus, veluti in perpetuo quodam cuſtodiretur carcere, ſed in publicam etiam lucem magno cum totius Reipublicæ literariæ bono & commodo prodiret. Quâ inſigni ſolertiâ factum eſt, ut *Photius* ille omnium eruditorum

Bibliothecarius.

Opera Hœſchelii.

Tanto petitus ambitu, tanto datus

è tenebris tandem erutus exierit. Hunc *Hœſchelius* (poſt quatuor Codicum MSS. collationem) primum expoſuit notiſque eruditis & variis veterum fragmentis anteà ineditis illuſtravit. Ob hunc laborem gratias omnium eruditorum nomine peculiari Epiſtola egit *Iſaacus Caſaubonus*. *Procopii* etiam Græcam editionem immenſo labore ac ſtudio maturavit *Hœſchelius*. Patrum præthereà Sanctiſſimorum quædam monumenta Græcè cum ediſſet, non *Germaniæ* tantùm, ſed & totius *Europæ* ſidus, Græcarum literarum Phoſphorus, Veterum librorum reſtitutor crebrò ſalutatus eſt.

Fama Hœſchelii.

Obiit tandem *Auguſtæ Vindelicorum* 20. Sept. A.C. 1617. ætatis 61. Sepultus in ambitu Eccleſiæ *Annææ*.

Scripſit & edidit:

Scripta.

Origenis contrà Celſum libr. VIII. quos Græcè & Lat. edidit. Auguſt. 1605. in 4to. Adriani Iſagogen ſacrarum literarum & antiquiſſimorum Græcorum in Prophetas fragmenta ex MSS. codicibus edidit Auguſtæ 1602. in 4to. Homilias quasdam ſacras diverſorum Authorum evulgavit ibidem 1588. in 8vo. Joh. Chryſoſtomi Homilias VI. contrà Judæos, tribus Manuſcriptis inter ſe collatis Latinè partim modo, partim emendatiores ac integriores, quàm anteà edidit ibid. 1600. in 8vo. Ejuſdem lib. VI. de Sacerdotio Gr. & Lat. ibidem 1599. Sapientiam Syracidis, ſive Eccleſiaſticum Græco-Latinum cum notis Antwerp. 1604. Bibliothecam Photii, ſeu librorum, quos legit Photius, Patriarcha, excerpta & cenſuras Græcè primus edidit, notiſque illuſtravit Aug. Vind. 1601. in fol. Hiſtoriarum Procopii libr. VIII. primùm Græcè edidit cum notis ibidem 1607. in fol. Hermetis Triſmegiſti Jatro mathematica ad Ammonem Ægyptium ibidem Græcè & Latinè edidit ſide MS. codicis emendata, ſuppleta, & notis illuſtrata 1597. in 8vo. Geographica aliquot Excellentiſſimorum auctorum Marciani, Scylacis, Artemidori, Dicæarchi, Iſidori ex MS. codicibus edidit 1600. in 4to. Vitam S. Antonii Eremitæ ad D. Athanaſium Græcè ſcriptam è codice Boico cum interpretatione & notis Hœſchelii Ingolſt. 1611. Terentii Afri Comœdias ſex Germanico-Latinas Hœſchelius & Matth. Schenckius evulgàrunt Auguſt. in 8vo. Philonis Judæi opuſcula tria ex Auguſt. Bibliothecà Francof. 1587. Ejuſdem Philonis de ſeptenario librum edidit 1614. Maximi Martyris Myſtagogiam Græcè & Latinè ejuſdemq; definitiones integritati reſtitutas edidit Auguſt. 1599. Joh. Damaſceni Orationem Græco-Latinam in transfigurationem Chriſti, cum appendice plurium locorum Baſili, Nazianz. Philonis Athenæi edidit ibid. 1588. Gregorii Nyſſeni Orationem de Filii & Sp. S. Deitate. 1591. Chryſoſtomi Orationem in Natalem Chriſti. Γαμικὰ, Præcepta Conjugalia. Orationem Græcam de humani generis lapſu. Hieroglyphica Horapollinis correcta & ſuppleta Aug. 1605. in 4to. Eclogas Legationum, Dexippi Athen. Eunapii, P. Patricii, Priſci Soph. Malchi Philad. Menandri, cum excerptorum corollariis è libris Diodori Siculi amiſſis evulgavit Auguſt. 1603. in 8vo.

* *Ex Templo honoris reſerato Spizelii, & aliis.*

SETHUS CALVISIUS.

Obiit A.C. 1617.

NAtus eſt in pago quodam *Gorſchleben*, propè *Saxoburgum*, arcem *Thuringiæ* non ignobilem, Anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum ſexto & quinquageſimo. Patrem *Jacobum Kalwitz*, operis ruſticis ſe ſuſtentantem, cum morte præmaturâ amiſiſſet, ad diſcendas bonas literas, & imbibenda religioſæ pietatis ſtudia eſt adhibitus, præſtantiq; valens ingenio in ſcholam illuſtriorem doctrinæ capeſſendæ gratiâ ablegatus, cum non deeſſent interim, qui arti manuariæ ipſum deſtinâſſent.

Literis operam dat.

Primùm igitur pervenit *Francohuſum*, & cum triennium ibi vixiſſet, *Magdeburgum*, utrobique ob extremam paupertatem vitam aliquandiu parcè & duriter egit, donec Muſices uſu paulò tolerabiliùs ſe ſuſtentaret. Peculium in eâ tenuitate non ſpernendum cum confeciſſet, in Academiam conceſſit *Lipſienſem*. Hîc excuſſis hiſtoriarum monumentis, evolutis puriſſimæ Latinitatis & Poëſeos authoribus, receptus eſt in numerum alumnorum. Mox repetentium (uti tum appellabantur) adſcriptus ordini, Muſicæ rei in æde *Paulinâ*, poſtmodùm in Scholâ *Portenſi* ad *Salam* eſt præfectus. Decennio ibi exacto Chori Muſici *Lipſienſis* ſuſcepit directionem, inque hâc varias exercita-

Lipſiam venit.

Muſicæ Rei præficitur.

cidio liberaverat, quæq; Patris Patriæ cognomen ipſi dederat, ætate gravis exſpiravit 29. Martii A. C. 1623. ætatis 87. *Moritur.*

Scripta :

Scripta. *Elogia Gallorum doctrinâ illuſtrium, qui noſtrâ Patrumque memoriâ floruerunt. Encomium Urbis Pictavii. Pædotrophia. Hiſtoria Gallica a filiis ejus edita.*

Filios reliquit Gemellos, *Scævolam* & *Ludovicum* 20. Dec. A. 1571. ex *Renatâ de la Haye* natos, corpore & mente ſibi ſimillimos, qui unanimi labore Hiſtoriam Genealogicam domûs *Franciæ*, 50. annorum opus ediderunt, ideòque Conſiliarior. & Hiſtoriographorum Regiorum cognomen promeruerunt. Horum gemellorum *Ludovicus* 29. April. A. 1656. *Scævola* verò 7. Sept. A. 1650. *Lutetiæ* illuſtres vitam finierunt.

* *Ex Elogiis Gallicis iconibus rerum ſubſcriptis.*

Obiit A. C. 1624.

THOMAS ERPENIUS.

Gorcomi in *Bataviâ* A. C. 1584. Parentibus honeſtis, *Gerardo Johanne* ab *Erpe* & *Beatrice de BieSylvæducenſibus* natus eſt. In Academiâ *Lugdunenſi* an. æt. 25. ſummam Philoſophiæ Lauream adeptus, totus Theologiæ & Linguis *Orientalibus* operam dedit, hortatore *Joſepho Scaligero*. Hinc *Germaniam*, *Galliam*, & *Angliam* luſtravit, & *Lutetiæ* arctam coluit amicitiam cum *Iſaaco Caſaubono*. Ibidem, & *Salmurii Arabicis* maximè literis operam dedit, in quibus tantum profecit, ut *Caſaubono* ipſi admirationi eſſet.

Philoſophiæ Magiſter Lugd. Bat. Linguarum Orient. Cultor.

A. 1611. In *Italiam* iter inſtituit, & *Venetiis* ex eruditis *Judæis*, *Turcis* aliisque *Turcicè*, *Perſicè*, & *Æthiopicè* didicit: jamque in *Italiâ* tanti fiebat, ut 500. ducati annui ei offerrentur, quò Codicibus *Arabicis* vertendis operam ſuam addiceret.

Linguas Turc. Perſ. & Æthiop. Venetiis didicit.

Venetam tunc & *Mediolanenſem* Bibliothecas excuſſit. *Heidelbergæ* quoque Bibliothecam perſpexit, & cum *Jano Grutero* Bibliothecario amicitiam coluit. An. 1612. Poſt quadriennii peregrinationem *Lugdunum Batav.* rediit, ibique ſub initium anni 1613. Linguæ *Arabicæ* aliarumque *Orientalium* Profeſſor publicus creatus eſt. Mox etiam grandibus impenſis earum Linguarum Typographiam inſtituit, multaque & ſua & veterum monumenta divulgavit. A. 1616. Uxorem duxit virginem *Jacobam*, *Johannis Buyeſii*, Senatoris in curiâ *Hollandicâ* filiam, ex quâ tres liberos ſuperſtites reliquit. A. 1619. Etiam *Hebraicæ* Linguæ Profeſſionem ſibi commiſſam aggreſſus eſt. A. 1620. Ab Academiæ *Lugd.* Curatoribus cum literis Ordinum *Hollandiæ* & Principis *Auraici* miſſus eſt in *Gallias*, ut tentaret animos *Petri Molinæi*, & *Andreæ Riveti*, quorum alterum ad Theologiæ Profeſſionem vocare decreverant. In eo negotio prudenter ſe geſſit, nec exitus eum fefellit.

Ling. Orient. Profeſſor Lugd. *Typographiam inſtituit.* *Uxorem duxit.* *Profeſſor Ling. Hebr.*

Exindè cum undique ei in Linguarum *Orientalium* cognitione Principatus deferretur, Archiepiſcopus *Hiſpalenſis*, imò & *Hiſpaniarum* Rex *Philippus III.* per literas egerunt, in videndis etiam promiſſis onerantes, ut in *Hiſpanias* veniret, ad interpretanda monumenta quædam vetera, quæ nemo anteà potuit intelligere. Rex quoque *Marocenſis* usque adeò admirabatur puritatem *Arabicæ* dictionis in Scriptis ejus relucentem, ut literas iſtas Proceribus & eruditis regni ſui velut miraculum oſtenderit.

In Hiſpaniam vocatur. *In honore habitus à Rege Marocenſ.*

Magno fuit in pretio apud illuſtres *Hollandiæ* Ordines, & Principem *Auraicum*, qui operâ ejus diu uſi ſunt in vertendis literis, quas *Africæ* & *Aſiæ* Principes *Arabicâ*, vel aliâ *Orientis* linguâ ad eosdem transmiſerunt.

Tandem in illuſtrium Ordinum Conſenſu ſubitò languore virium gravi correptus, domumque ſuam deportatus, contagionis tum paſſim in *Belgio* graſſantis lue abreptus, placidè exſpiravit 13. Nov. A. C. 1624. ætatis 40. *Moritur.*

Defunctum Oratione funebri proſecutus eſt *Gerardus Johannes Voſſius*.

Scripta :

Grammatica Hebræa generalis. Grammatica Arabica Lib. V. explicata. Rudimenta Linguæ Arabicæ. Proverbiorum Arabicorum Centuriæ II. Præcepta Linguæ Græcæ accuratiùs conſignata, quàm vulgò fieri ſolet. Pſalmi Davidis Syriacè. Annotationes in Lexicon Arabicum Franciſci Raphelengii. Oratio auſpicalis de linguæ Arabicæ præſtantiâ & dignitate. Hiſtoria Saracenica Arabicè & Latinè, à Mahomete Pſeudo-Prophetâ ad initium Imperii Turcici, cum Notis & Tabulis Geographicis ac Genealogicis. Hiſtoria Patriarchæ Joſephi ex Alcorano decerpta. Locmanni Sapientis Fabulas ex Arabico interpretatus eſt. Verſio Latina Hiſtoriæ Saracenicæ G. Elmacini. *Scripta.*

* *Ex Vitis Profeſſor. Leyd. & ex Athenis Batavis Franciſci Sweertii.*

HENRICUS MEIBOMIUS.

Obiit A. C. 1625.

Germ. **Meyenbaum** / natus eſt *Lemgoiæ* in *Weſtphaliâ* 4. Dec. A. C. 1555. Patre *Martino Meibomio*, verbi Divini Miniſtro, Matre *Annâ*, *Johannis Drejeri*, Theol. Doctoris, & Superintendentis Eccleſiæ *Mindenſis* filiâ. Initia pietatis & literarum didicit in Scholâ patriâ ſub Præceptore *Bernhardo Copio*, qui poſteà in Academiâ *Marpurgenſi* cum laude docuit. *Filius Theologi.*

Adoleſcens miſſus eſt *Brunsvigam*, ubi integrum quadriennium hæſit, nactus hoſpitem & Patronum *Martinum Chemnitium*, Theologum, cujus conſilio perluſtratis nonnullis Academiis *Helmſtadii* ſubſtitit, ubi recens fundaverat Academiam *Julius*, Dux *Brunsvicenſis*.

Dedit hic operam Philoſophiæ, & Theologiæ etiam, quod Præceptores haberet magni nominis, *Heshuſium*, *Kirchnerum*, *Hofmannum*, & alios. Ibidem A. 1580. gradu Magiſterii Philoſophici ornatus eſt: & triennio pòſt, Academiâ id unicè expetente, demandata & Profeſſio Poëtices & Hiſtoriarum.

Helmſtadii Philoſophiæ Magiſter.

Secu-

per exercuit, *Franciſci Junii* per annos 9. auditor, cujus toto illo tempore vix 10. lectiones intermiſit.

Ling. Hebr. Profeſſor.

8. Sept. A. 1601. In Patriâ Linguæ Sanctæ Profeſſionem auſpicatus, *Raphelengii* Succeſſor factus eſt.

Edidit:

Scripta.

Notas breves ad Grammaticam Hebræam Mart. Navarri Morentini. Orationem funebrem in laudem Rudolphi Snellii Matth.

* *Ex vitis Profeſſorum Leydenſ.*

Obiit A. C. 1611.

JOHANNES HUGO A LINSCHOTTEN.

Geographus.

HArlemenſis Hiſtoricus magni Vir laboris, magnæq; induſtriæ, in patriâ optimis literis & moribus eruditus, perluſtratis *Indicorum Oriental.* diverſis Regnis & Provinciis, non ab aliis modò tradita, ſed etiam à ſe multorum annorum uſu obſervata unum in faſciculum collecta præclaris *Indiæ Orientalis* Chorographicæ Hiſtoriæ monumentis perſpicuè explicavit, & Tabulis Geographicis illuſtravit.

Scriptor Hiſtoriæ Indiæ Orientalis.

Inventor Freti Arctici.

A. 1594. Ordinum unitorum *Belgii* decreto ex urbe *Enckuſâ* ad terras incognitas per mare emiſſus, *Freti Arctici* anguſtias primus detexit, & *Freti Naſſovici* nomine inſignivit.

Moritur.

Tandem multis exantlatis laboribus ſenio feſſus, magno cum bonorum luctu fato functus eſt, & triſte ſui reliquit deſiderium *Enckuſæ* A. C. 1611.

* *Ex Vitis Viror. doctor. Jani Jac. Boiſſardi.*

Scripta.

Edidit: *Icones & habitûs Indorum ac Luſitanorum per Indiam viventium.*

Obiit A. C. 1611.

JOHANNES FERINARIUS.

Wittebergæ artium ſtudiis eruditur.

Philoſophiæ Magiſter creatur.

Brigam ad conſtituendam Scholam evocatus eſt.

Marpurgi Pagani munere functus eſt.

VRatislavienſis Sileſius, cum in Academiâ *Wittebergenſi* auſpiciis imprimis & ductu magni illius *Philippi Melanchthonis*, cui famulari grave non duxit, doctrina & optimarum artium ſtudiis eruditus, ſummam in Philoſophiâ lauream conſecutus eſſet, *Brigam* ad conſtituendam Scholam evocatus eſt. Sed enim cùm propter religionis ſtudium iſtius loci Theologi lacerarent hominem, & quam colligere is cupiebat, Ducis *Brigenſis* exulcerarent gratiam, dimiſſus rurſus *Marpurgum* P. P. juſſu evocatus eſt, ut Pagani fungeretur munere.

Carionis chronicon interpretari cœpit.

Pædagogiarchæ munus iniit.

Rectoris bis, Decani munere ſemel perfunctus eſt.

Moritur.

Cum itaque 18. Octobris anno 1576. huc familia appuliſſet, 13. die Januarii A. 1576. oratione de cruentâ *Solymanni* rabie ejusq; ſucceſſu terribili habitâ, poſtero die *Carionis chronicon* à *Melanchthone* auctum interpretari cœpit. Hinc ſequenti anno Dominicâ, cui Eccleſia vetus nomen fecit, Invocavit, ab eo, qui vices ſuſtinebat Cancellarii, diſcipulorum cœtui commendatus Pædagogiarchæ munus iniit, eique 24. annos præfuit, bis Rectoris, ſemel Decani munere intereà temporis perfunctus. Mortuus autem eſt ultimo Novembris die anno 1611. cum docuiſſet in Academiâ publicè 26. annos.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

Obiit A. C. 1611.

CORNELIUS SCHONÆUS.

Poëta Comicus.

Gymnaſiarcha Harlem.

G*Audanus*, Poëta Comicus, *Lovanii* in Philoſophicis *Johannem Beverum* Doctorem habuit. Scholæ *Harlemenſis* multos annos moderator de Republ. literariâ optimè meritus, ibidem vitam finiit 10. Junii A. C. 1611. ætatis 70.

Scripta:

Scripta.

Terentii Chriſtiani partes III. ſive Comœdiæ Sacræ Terentiano ſtylo conſcriptæ: Parte I. Naaman. Tobæus. Nehemias. Saulus. Joſephus. Juditha. II. Suſanna. Daniel. Triumphus Chriſti. Typhlus. Pentecoſte. Ananias. III. Baptiſtes. Dyſcoli. Pſeudoſtratiotæ. Cunæ. Vitulus. Libell. Elegiarum & Epigrammatum.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A. C. 1611.

GREGORIUS BERSMANNUS.

A*Nnæbergæ* in *Miſniâ* natus eſt 11. Martii A. 1537. Patre *Henrico*, ærarii pauperum præfecto.

An. ætat. undecimo à Patre in Scholam *Miſnenſem* miſſus, Præceptores nactus eſt *Georgium Fabritium* in Latinis, & in Græcis *Hiobum Magdeburgum*.

Habuit ibidem condiſcipulum *Philippum Camerarium* & *Simonem Stenium*.

A. 1555. *Lipſiam* ſe contulit, ubi Magiſterii gradum adeptus eſt, & Medicinæ ſtudium inchoavit, quod deinceps in *Galliâ* & *Italiâ* continuavit. In Poëſi quoque tantum profecit, ut Poëtarum ſuo ſeculo celeberrimus habitus fuerit.

In *Italiâ* per triennium cum vixiſſet, *Wittenbergam* petiit, ubi iterum cum *Simone Stenio* conjunctiſſimè vixit.

Indè ab Elect. *Sax.* in ludum *Portenſem*, ut juventutem ſcholaſticam inſtitueret, vocatus eſt.

Profeſſor Lipſienſis.

A. 1568. *Wittenbergam* ad Profeſſionem libelli de animâ, & An. 1571. *Lipſiam* conceſſit, & Profeſſionem Poëticam ſuſcepit.

A. 1575. Ibidem uxorem duxit D. *Petri Hellebom* Theologi filiam, cujus ſororem aliquot annis poſt D. *Simon Stenius* in matrimonium accepit.

Eodem anno *Joach. Camerario* mortuo ſurrogatus, Græcam linguam & Ethicam profeſſus eſt.

A. 1580. Cum formulæ concordiæ ſubſcribere recuſâſſet, unà cum *Simone Stenio*, amico ſuo veteri, dimiſſus eſt. Utrique tamen caſus hic magis profuit, quàm obfuit: *Stenius* enim juſſu Elect. *Pal.* in inf. *Palatinatûs* Scholis *Nehuſii* & *Neoſtadii* per annos octo docuit, poſteà in ordinem Profeſſorum *Heidelberg.* cooptatus eſt.

Rector Gymnaſii Servestæ.

Bersmannus verò à *Joach. Erneſto*, Principe *Anhaltino*, invitatus in Gymnaſium, quod ipſe *Serveſtæ* 15. Nov. fundavit A. 1581. in eo Rector factus eſt.

Moritur.

Ibi cum annis 30. docuiſſet, calculi veſicæ doloribus confectus placidè tandem obdormivit 5. Octob. A. 1611. ætatis 73.

Ex

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE



CHRISTOPHOR, CLAVIUS
Mathematic, & Soc. Jes. Romæ
F. MANUEL METERAN,
Historiographus Belgicus.
IOHAN: LEO HASLERUS
Musicus excellens Saxon
DOMINICUS BAUDIUS.
Historiarum Prof. Lugd. Ba
FRIDERIC, TAUBMANN,
Poeta et Philologus Witteb.
RUDOLPH, SNELLIUS
Matheseos Prof. Lugd. Batav.
BAPTISTA GUARINUS
Ethices Prof. Ferrariæ
PHILIPPUS DE MONTE
Musicus Cæsar. & Canonicus
BONAVENTURA VULCANI
Græca ling. Prof. Lugd. Bat.
IOH BAPTISTA PORTA
Philosophus & Astrol. Neapoli
IOHANNES DRUSIUS.
Lingvæ S. Prof. Franek.
THEODORUS VIETOR.
Græca Ling Prof. Marpurg
VINCENTI, CONTAREN.
Orat & Histor. Prof. Patavii
DAVID HOESCHELIUS
SETHUS CALVISIUS.
IOH. ANTONI, MAGINUS
Mathes. Prof. Patavii.

Ex conjuge 4. filios & 6. filias ſuſcepit, quorum 4. ſuperſtites reliquit:

Scripta. Edidit: *Carmina varia. Pſalterium Davidis verſibus deſcriptum. Virgilium, Horatium, Ovidium, Lucanum, & Ciceronem, ſcholiis illuſtratos. Rhethoricam.*

Clar. A. C. 1612.

CHRISTOPHORUS CLAVIUS.

Societ. Jeſu filius. *Mathematicus.* NAtione *Germanus*, patriâ *Bambergenſis*, à primâ adoleſcentiâ filius Societatis Jeſu, cum alias ſcientias imbibit, cum verò Mathematicas avidè ac ſtudioſè didicit, & magnâ cum laude *Romæ* profeſſus eſt, tantumque profecit, ut non cum recentioribus tantùm Mathematicis, ſed etiam cum antiquiſſimis & peritiſſimis ſit comparandus, cujus opera adeò probantur à viris ſcientiâ Mathemathicarum diſciplinarum præſtantibus, ut alii *Clavium* noſtri ſæculi *Euclidem* nuncupent, alii verò, inter quos *Joſephus Scaliger*, malle ſe à *Clavio* vituperari, quàm ab aliis laudari ſcribant. Vitam finiit A. C. 1612. *Euclides noſtri ſæculi.*

Scripta:

Scripta. *In univerſum Euclidem Comment. In Sphæram Johannis de Sacro buſto Comment. Geometrica Practica. Theodoſii Sphærica. Gnomices Lib. VIII. quibus Horologia Solaria geometricè demonſtrantur. Epitome de Horologiis. Curſus Mathematicus. Aſtrolabium. Calendarii Romani à Gregorio XIII. reſtituti explicatio. Ejuſdem Calendarii apologia adverſus Michaëlem Mœſtlinum, & Joſephum Scaligerum. De finibus, & de lineis tangentibus. Computus Eccleſiaſticus per digitorum articulos traditus. Compendium Arithmeticæ Practicæ.*

* *Ex Catalogo Scriptorum Societ. Jeſu Petri Ribadeneiræ.*

Obiit A. C. 1612.

EMMANUEL DEMETRIUS, vel METERANUS.

VUlgò van *Meteren*, *Jacobi* Fil. *Antverpiæ* natus eſt 7. Idûs Jul. An. C. 1535. *Londini* magna & ampla negotia habuit. Cum *Abrahamo Ortelio* cognato *Angliam* & *Hiberniam* inſpexit. Diligens & accuratus Hiſtoriographus, nimis tamen tribuit affectibus. Obiit tandem *Londini*, ornatus hoc Epitaphio à *Jacobo Colio Orteliano*: *Mercator.* *Hiſtoricus Belg.*

Epitaphium.

EMMANUELI DE METEREN J. F. ANTVERPIANO, VIRO SINGULARI, MERCATORI EXACTO, HISTORICO EXIMIO, QUI PRONO GENII SUI DUCTU TUMULTUS BELGICI PLUSQUAM QUADRAGENARII ANSAM ET INITIUM, POSTERITATI LITERIS CONSECRAVIT,
ESTERA DE CORPUT CONJUGI B. M.
LIBERIQUE IX. PARENTI OPT.
M. H. P.
OBIIT ANNO AB INCARNAT CHRISTI
CIƆ IƆ CXII.

Aliud:

D. O. M. S.
& Memoriæ.
Emmanuelis Demetri domo Antverpiâ,
Londini quondam Belgarum Mercatorum Conſulis:
Qui ſic mercator, ut literas odiſſe crederes:
Sic literatus, ut odiſſe merces.
Teſtis una Belgii, quam dedit, Hiſtoria.
Mercurius & Pallas amicum
ESTHERA de CORPUT virum ſuum,
Pro ſe quisque collugent.

Vitam deſcripſit *Simon Ruytingus.* Ejus *Symbolum* fuit:

Emmanuel, quis contrà nos?

Scripſit ſermone patrio:

Hiſtoriam rerum potiſſimùm in Belgio geſtarum à Caroli V. natali, usque ad ſua tempora, Gallicè, ac Latinè pòſt ab aliis redditam. *Scripta.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A. C. 1612.

JOHANNES LEO HASLERUS.

NOrimbergæ natus, Patrem habuit *Iſaacum Haslerum*, Muſicum in *Valle Joachimicâ* celebrem, qui exindè *Norimbergam*, ut artem ſuam magis excoleret, cum familiâ migravit. Educatus itaque in hâc urbe Imperiali & in literis humanioribus informatus, cum ad Muſicæ ſtudium naturæ inſtinctu ferretur, hujus perfectè addiſcendæ gratiâ in *Italiam* à Patre miſſus, tantos fecit brevi tempore progreſſus, ut non modò in Muſicis inſtrumentis varii generis excelleret, ſed etiam Compoſitiones egregias tam Sacras quàm Profanas typis emitteret, quibus nihil *Italiæ* Muſicis concederet. *Muſicam artem in Italiâ excoluit.*

Exindè veniens in aulam Imperatoris *Rudolphi II.* Muſicam aliquandiu egit aulicum, & ab eodem Cæſare propter inſignem Muſices peritiam nobilitate donatus eſt. Ultimo demùm vitæ ſuæ quadriennio Electoribus *Saxoniæ Chriſtiano II.* & *Joh. Georgio*, fratribus Organœdus & Muſicus aulicus inſerviit. *Francofurti* tandem ad *Mœnum* cum Electore ſuo degens, poſtquàm ſeptennium in conjugio ſterili cum conjuge *Cordulâ Clauſiâ* vixiſſet, phthiſi ab anno conſumptus placidè exſpiravit 8. Junii A. C. 1612. ætat. 48. *Muſicus aul. Cæſ. Rudolphi II.* *Nobilitatus.* *Muſicus aul. Sax.* *Obiit Francofurti.*

* *Ex Concione fun. M. Danielis Hanichen, Concion. aul. Sax.*

Obiit A. C. 1613.

DOMINICUS BAUDIUS.

NAtus eſt in Inſulâ *Flandriæ* urbe 8. Apr. An. 1561. Patre cognomine, Matre *Mariâ Hyeme.*

Aquisgrani tyrocinia ſtudiorum egit, quo Pater ob ſævitiam Ducis *Albani* profugerat.

Genevæ per ſesquialterum annum Theologiæ operam dedit, & ſæpè publicè diſputavit. *Studioſus Theologiæ.*

A. 1583. *Gandavum* reverſus, ſub *Lamberto Danæo* Theſes Theologicas aſſeruit.

An. 1585. Cum *Lugduni Batavorum* per menſes 15. aſſiduam juri operam navâſſet, ſub D. *Hugone Donello* titulum Doctoris aſſecutus eſt. *Doct. Juris.*

Eodem anno, & quidem menſe Junio, acceſſit numero Comitum Legationis, quæ tunc ab Ordinibus miſſa eſt ad *Angliæ* Reginam *Eliſabetham.* Ibi multis doctis innotuit,

ſed uni inſtar omnium maximè charus fuit *Philippo Sidneio*.

Ibi etiam reſponſum Latino ſermone ſcitè redditum, & laudes non vulgares à Reginâ *Eliſabethâ* coràm in panegyrico promeruit.

Hagæ Comitis Advocatus. A. 1587. *Hagæ* Comitis in ordinem Advocatorum lectus eſt.

Poſteà 10. annos continuos in *Galliâ* vixit, & A. 1591. factus eſt cauſarum patronus in ſupremâ curiâ Parlamenti.

Profeſſor Lugduni Batavor. A. 1602. *Lugduni Batavorum* Eloquentiæ & Hiſtor. Prof. deſignatus.

Jus *Romanum* etiam docuit. 22. Aug. A.

Moritur. 1613. febre obiit an. ætatis 53.

Genevæ ſæpiùs publicè diſputavit ſub præſidio *Theodori Bezæ*, *Antonii Faji*, & *Lamberti Danæi*.

Edidit:

Scripta. *De Induciis belli Belgici Libros III. Poëmata. Moralis & Civilis ſapientiæ monita libris IV. comprehenſa. Orationes aliquot. Monumentum conſecratum bonori & memoriæ Henrici Friderici Britanniarum Principis. Epiſtolarum Centurias III.*

Obiit A.C. 1613.

FRIDERICUS TAUBMANNUS.

Patrem habuit *Marcum*, Conſulem *Wonſeſenſem* in *Franconiâ*, Sutorem; Matrem *Barbaram Hofmanniam*, natus 15. Maji A. 1565. Mortuo patre mater Sartori cuidam nupſit.

A. 1578. A vitrico, ſartore, *Culmbachium* primis literis imbuendus deportatus fuit, ubi præ foribus cantando victum oſtiatim quærere coactus eſt. Ibi cum Rectori ſiſteretur examinandus, puer ſimplex ſuppellectilem portatilem ſuam illicò pro more ſub ſcamnum recondidit, undè riſum excitavit.

A. 1582. A Marchione *Georgio Friderico* in Scholam *Heilsbronnenſem* tunc recens erectam clementer receptus, in eâ decennium ſtudiis impendit.

Ibi à *Paulo Meliſſo* virtutis ergò Laureâ Poëticâ fuit cohoneſtatus.

A. 1592. Ejusdem Principis munificentiâ inſtructus, in Academiam *Wittenbergenſem* venit, in quâ privatim aliquandiu vixit.

Philoſophiæ Profeſſor. 8. Oct. A. 1595. Ibidem in Profeſſorum Philoſophiæ numerum virtutis ergò receptus, per 18. annos Poëtæ & Philologi munere fideliter functus eſt.

Uxorem duxit. Menſ. Jun. A. 1596. Matrimonium contraxit cum *Eliſabethâ*, *Johannis Matthæi*, Civis *Wittenberg.* filiâ: ex quâ tres filios, *Chriſtianum*, *Fridericum*, (ſed qui Patrem morte præceſſit) & *Joh. Fridericum*, duas autem filias, *Eliſabetham* & *Mariam Magdalenam* ſuſcepit. Natus erat fato non factus ab arte Poëta, teſte M. *Eraſmo Schmid.* *FrIderICVs TaVbMan obIt.*

Moritur. 24. Martii A. 1613. æt. 48. inter preces ardentes deceſſit, febri malignâ trium hebdomadum, fruſtrà obnitente in corpuſculo debili Medicorum curâ, extinctus, cujus ſepulchro hocce Epitaphium eſt affixum in Cœmiterio ſuburbano ante portam *Elyſtr.*

Epitaphium.

FRIDERICO TAUBMANNO WONSESATI FRANCO, VIRO PIETATIS ZELO PUBLICE NOTISSIMO, LITERARUM GRÆCARUM ET LATINARUM VINDICI ACERRIMO, BARBARIEI EXTIRPATORI FELICISSIMO, POETÆ INCOMPARABILI ET HUMANITATIS IN CELEBERRIMA WITTEBERGENSIUM ACADEMIA PROFESSORI CLARISSIMO, MARITO ET PATRI DESIDERATISSIMO. AN. CHRISTIANO M. DC. XIII. DIE XXIV. MARTII ÆTATIS XLVIII. PIE IN CHRISTO DEFUNCTO MONUMENTUM HOC VIDUA ET LIBERI MOESTISSIMI AFFECTU PIO ET GRATO P. C.

* *Ex Inſcriptionibus Witteb. Andr. Sennerti.*

M. FRIEDERICUS TAUBMANNUS WONSESIUS POETA.

Per Anagramma:

Hui tu Muſarum Phœbus & Franconiæ ſidus es.

Inter primos dies morbi ſui manè expergefactus, viſus eſt ſibi videre propè lectum ſuum arcam oblongam, & in eâ virum ſibi ſimilem jacentem: cumque initio deceptionem viſus putaret, elevato capite illud attentius perſpexit, & rem non aliter ſe habere deprehendit. Nihil tamen exterritus, rem aliis hilariter retulit.

In ſympoſiis honeſtis ſalibus & leporibus affluebat, ut facilè is ſolus & unicus univerſam coronam aſpirantibus Gratiis exhilararet.

Supremum Academiæ Magiſtratum ſemel, Decanatum verò Philoſophicum ter cum honore geſſit. In ultimâ editione in *Plautum* S. Bibliorum codicem decies novies perlectum à ſeſe affirmat.

In Epigrammate Phalecio, quod ſub finem Schediaſmatum ad Chriſtianum filium puerum ſexennem Cygnææ Cantilenæ inſtar exaravit ſe ipſum foris & intus contemplandum egregriè depinxit, adeò, ut parva quædam puerilis inſtitutio meritò dici poſſit.

RUDOLPHUS SNELLIUS.

Obiit A.C. 1613.

Ex familiâ veteri & ſplendidâ natus, *Udewatteræ*, *Hollandiæ* urbe, ad fluv. *Iſelam* A. 1546.

Coloniæ, *Heidelbergæ* & *Marpurgi* literis operam dedit, quo in loco & literas Græcas Latinasq; cum laude docuit, & A. 1572. à *Bernbardo Copio* laureâ Magiſtrali decoratus eſt, quamvis reluctâſſet. *Philoſophiæ Magiſter.*

Exactis in *Germaniâ* annis 14. *Italiam* ingreſſus, *Piſis* per ſeſquennium Medicinæ operam dedit, indè *Romam* adivit.

Coloniæ Agrippinæ annum integrum ſub Mathematico *Valentino Nabodo* operam Arithmeticæ & Geometriæ impendit.

Heidelbergæ ſub *Immanuele Tremellio* linguam Hebræam diſcere cœpit.

An. 1578. in patriam reverſus, aliquantiſper conſedit. Tum *Lugduni Batavorum* privatim adoleſcentes in humanioribus erudivit; cumque tunc temporis ibi nova Aca- *Profeſſor Lugduni Batavor.*

Academia erecta eſſet, operam ſuam publicè Academiæ impendit, & 34. annos primò Linguam Hebraicam, deindè diſciplinas Mathematicas interpretatus eſt.

A. 1600. à *Mauritio Haſſiæ Landgravio* literis manu propriâ ſcriptis invitatus, ut ſe veteris amicitiæ ergò inviſeret, anno demùm tertio pòſt illuc ſe contulit, & mox honeſtè iterum dimiſſus, aureo torque & Principis effigie donatus, quadrigis denique ejus ac impenſis *Francofurtum* deductus, domum rediit.

Indè Rector Academiæ creatus eſt.

Moritur. Aſthmate correptus obiit A. 1613. ætatis 67. 2. Martii.

Filium reliquit *Willebrordum*, aliquot ſcriptis editis clarum.

Libri à *Rudolpho Snellio* editi, ſunt ſequentes:

Scripta. *De ratione diſcendi & exercendi Logicam Libri II. in 8vo. Syntagma Philoſophiæ Rameum in 8vo. Partitiones Phyſicæ Methodi Rameæ legibus informatæ in 8vo.*

Obiit A.C. 1613.

JOHANNES BAPTISTA GUARINUS.

NObilis hic *Ferrarienſis* & Eques Ordinis *Florentini S. Stephani* præter ſelectioris literaturæ notitiam, excellentem ad Poeſin impetum, Politicam in agendorum uſu ſolertiam, & Moralis Philoſophiæ è ſuggeſtu *Ferrarienſis* Gymnaſii traditæ ſcientiam, præſtitit adeò *Thuſcæ* cum metricæ tum ſolutæ ſcriptionis lepore, ut plurimis veterum palmam abſtuliſſe, *Italos* lyricis præſertim modulis ferè omnes ſuperâſſe cenſeatur. Volitat per ora virorum Tragicum illud Comicum & ruſticum opus, in quo ſicut ingenii ſui robur undiq; contulit, ita uberrimum conſecutus eſt prœmium felicitatis & perennitatis, quando vel vivens ſuperfuit gloriæ ſuæ, theatris omnibus ipſius nomen & laudes perſonantibus.

Ethicæ Profeſſor Ferrariæ. Poëta Ital. Comicus.

Cœterùm mirabile hoc in ipſo familiares notârunt, quod exoſam haberet Poëtæ nomenclaturam, quam contemptui non honori profitentibus rebatur eſſe. Adjuvit porrò ipſius ingenii dotes, quod longo annorum curriculo ad *Germaniæ Italiæ*q; Principes ab *Alfonſo* Duce *Ferrariæ* renuntiatus Orator plurima ubique reliquit æternæ monumenta memoriæ, ex quibus ipſi poſtmodùm honos, familiæ faſtus, & Patriæ ſuæ nitor eximius redundavit. Quæ illo imprimis nomine ſplendidiora fuêre, quod memorabili ſemper munia delata geſſit integritate, adeò, ut ſacram illam aulicorum ferè inſidentem animis pecuniæ famem ne hilum ipſius unquàm torſiſſe præcordium compertum ſit. Undè forſitan æris domeſtici neglectior ad non leve gentilium ſuorum detrimentum eſt habitus. Verùm præcipua eaque nimia, quoad vixit, ipſius extitit cura ſpecioſis Principum fulgere titulis. *Gregorio XIII.* ad Summum Pontificatum evecto *Romam* veniens, in Conſiſtorio publico recitavit Orationem Latinam, quâ plurimùm ſibi Pontificem devinxit.

Orator & Legatus Ferrar. Divitiarum contemptor.

Exequias ſolennes Imp. *Maximiliano II.* fatis defuncto *Ferrariæ* celebratas ipſe gravi Oratione habitâ illuſtravit, ut etiam funeralia Cardinalis *Eſtenſis*. Dum à Secretis Duci *Ferrariæ Alfonſo II.* adſtitit diu, vel dum Conſiliarii ſtatûs apud eundem munia ſubivit, rebus plurimùm contulit ſuis ex optimi Ducis beneficentiâ. Verùm illius commutatâ poſteà voluntate ad *Vincentium Gonzagam Mantuæ*, & *Ferdinandum Magnum Hetruriæ* Ducem, ac demùm ad *Franciſcum Mariam Feltrium*, *Urbini* Dominum ſe conferre coactus, lauream exindè genii Muſæq; commendationem retulit.

Secretar. & Conſil. Duc. Ferrar. Conſil. Duc. Mantuæ Florent & Urbini.

Multi Academicicum applauſu eum in Societates ſuas receperunt, *Olympici Vicentiæ*, *Elevati Ferrariæ*, *Cruſcanti Florentiæ*, *Innominati Parmæ*, & *Humoriſtæ Romæ*. Aularum tandem pertæſus, quibus 16. annorum ſpatio inſerviit, quietis & ſtudiorum gratiâ *Patavium* conceſſit. In patriam exindè receptus, in eâ veluti ex oraculo toti *Italiæ* ineundæ Pacis reſponſa promebat, indèque *Venetias* fortè appetens, inibi morbo lethali correptus è vivis exceſſit A. C. 1613. ætatis 75.

Academiarum plurium ſocius. Obiit Venetiis.

Opera ſcripſit & edidit linguâ *Italicâ*:

Scripta. *Lettere che ſono d'eleganza, di copia, & di candore ripiene. Sonetti & Madrighali. Paſtor Fido Favola Paſtorale. Il Segretario. Una Comedia ſotto titolo d'Idropica.*

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicentini.*

Claruit A. C. 1614.

PHILIPPUS DE MONTE.

NAtione *Belga*, Impp. Rom. *Maximiliani II.* Chori Muſici Præfectus fuit, Metropolitanæ Eccleſiæ *Cameracenſis* Canonicus, & Theſaurarius, in cujus effigiem verè & eleganter cecinit, quisquis ſeq. Diſtichi autor fuit:

Muſicus Cæſar. & Canonicus.

Cernimus excelſum mente, arte, & nomine Montem,
Quo Muſæ & Charites conſtituêre domum.

Teſtantur id tot præclara artis ingeniiq; penè divini ipſius monumenta, quibus ille tum famæ ſuæ celebrationem, tum artis honorem magnificè aſſeruit. Sunt autem hæc:

Scripta. *Madrigalium Libri II. quinq. Vocum. Miſſa. Gallicæ Cantiones 5. 6. & 7. Vocum. Sacrar. Cantionum cum 5. Vocibus liber quintus.*

* *Ex Part. III. Vitar. viror. doctor. Jani Jacobi Boiſſardi.*

Obiit A. C. 1614.

BONAVENTURA VULCANIUS.

NAtus *Brugis Flandrorum* 30. Jun. An. 1538. Patrem habuit *Petrum Vulcanium*, ob eruditionem *Eraſmo Roterodamo* charum.

Lovanii per biennium ſtudiis deditus in *Hiſpaniâ*, eò deductus à *Johanne Paccio*, Hiſtorico Regio, A. 1559. ad Cardinalem *Burgenſem*

genſem Franciſcum à *Mendozâ* venit, cui Græcos aliquot Autores Latinè vertit, & Bibliothecam rexit.

Indè in *Germaniam* profectus, *Coloniæ*, *Baſileæ* & *Genevæ* aliquandiu commoratus, libros quosdam edidit.

Burgis Hiſp. in familiam Cardinalis *Franciſci Mendozæ* ſtipendio honorifico aſſignato adſcitus, cum is tum temporis totus eſſet in ſcribendo libro de naturali noſtrâ per dignam Euchariſtiæ ſumptionem cum Chriſto unione; ipſum magnoperè adjuvit in transſcribendis & Latinè vertendis multis Patrum Græcorum *Cyrilli* maximè *Alexandrini* & *Iſidori Peluſiotæ* auctoritatibus anteà non editis; *Cyrilli* etiam Libros XVII. de adoratione in ſpiritu & veritate primus Latinos fecit. Uſus eſt etiam Cardinalis ejus operâ ad Epiſtolas Latinè primùm, deindè etiam Hiſpanicè ſcribendas.

Cum verò poſt obitum Cardinalis, frater ejus *Ferdinandus* à *Mendozâ*, Archidiaconus *Toletanus*, eum in familiam ſuam recepiſſet, mortuo etiam illo, à patre graviter ægrotante per literas domum revocatus, cum poſt XI. annorum abſentium celeriter domum reverſus, patrem jam vitâ functum reperiſſet, ac miſerum patriæ ſtatum æquis oculis aſpicere non poſſet, compoſitis ibi rebus ſuis in *Germaniam* abivit.

Profeſſor Lugduni Batavor. An. 1578. *Lugduni Batavorum* Profeſſor linguæ Græcæ diſignatus, 32. annos publicè docuit.

Moritur. Indè ob ætatem rude donatus in vivis eſſe deſiit A. 1614. ætat. 77.

Scripta. Libros edidit:

Cyrilli opera Græcè & Latinè. Anianum de rebus geſtis Alexandri M. Græcè & Latinè. Commentarium de Linguâ Gothicâ. Gloſſaria Latino-Græca & Græco-Latina cum notis. Hiſtoriam Tumultuum Belgicorum ab an. 1556. ad an. 1577. In L. Apulei de Deo Socratis librum Notæ.

JOH. BAPTISTA PORTA,

Obiit A.C. 1615.

Neapoli natus A. C. 1545.

Neapoli autor Academiæ Secretorum. *Arnaldo* & *Cardano* Ducibus naturæ myſteria penetrare à juventute ſuâ geſtiens, in patriâ Academiam exſtruxit Secretorum nuncupatam, in quam nemini fas erat inſinuare ſe, qui admirandum aliquod ſupra vulgi captum non proferret arcanum, ex quo certiſſimi vel ad ſalutem corporum, vel ad mechanicarum uſum, vel ad rerum commutationem ſequerentur effectus. Undè factum, ut plurima congeſſerit, luculentis exindè opuſculis poſterorum memoriæ tradita.

Ab an. æt. 15. Aſtrologiæ judiciariæ operam impendit ſingularem.

Magiæ naturalis & Phyſiognomiæ peritus. Fuit is Philoſophiæ, Mathematicæ, Magiæ naturalis præſidiis inſtructus adeò, nec non Phyſiognomiæ notitiâ perpolitus, ut rerum ſcientificarum inventioni aptiſſimus, inventarum ſuſtentationi imbecillimus haberetur: nec interdum puduit ipſum aſſeclam ſuæ imbutum doctrinæ principiis adſciſcere, cujus ſubſidio injecta ſibi in doctiorum congreſſu objectionum tela eliderentur. In prædictionibus tamen humanorum eventuum unicus ſui temporis fatidici nomen vatis eſt adeptus, quamobrem *Romanæ* ſuſpectus Curiæ integritatis ſuæ vel inſons rationem reddere coactus eſt. Parcius itaque multò impoſterum Aſtrologicis indulgens Commentationibus, Comicisque obnoxius conſcriptionibus ſupra 30. Comœdias, ac Tragœdias aliquot typis editas exarâſſe fertur. Interim *Neapoli* domus ipſius à *Germanis* & *Gallis* quotidiè appetita, quorum cœtus in *Italiam* ad ipſum inviſendum & alloquendum frequentiſſimè conveniebant. *Aſtrologus.* *Comœdias & Tragœdias ſcripſit.*

In Curiâ *Romanâ* vixit aliquot annis & *Ludovico* Cardinali *Eſtenſi* doctorum Mecœnati familiariter innotuit, in cujus ædibus commoratus, familiariter cum eo converſari ſolitus eſt.

Ambroſium etiam *Spinolam*, Patritium *Genuenſem*, ad ipſius aditum auſpicatò pellexit: hic enim à *Portâ* egregio vultuum ſcrutatore ad amuſſim inſpectus, ſyderumque influxui corporis imaginis aptato judicio, ſic ad militaria inflammatus eſt munia, ut indè *Belgicas* ſecutus expeditiones celeberrimus hujus ſeculi evaſerit Imperator. At verò ne futuris intentus à præſentibus exemtus videretur ærumnis, diro ictus morbo *Neapoli* cecidit Prid. Non. Febr. A. C. 1615. æt. 70. *Moritur.*

* *Ex Muſeo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicent. & ex Theatro Italico Viror. doctor. Hitron. Ghilini.*

Edidit:

Scripta. *Magiæ naturalis lib. XX. Phytognomicor. Lib. VIII. In quibus nova affertur methodus, quâ plantar. animalium, metallor. ex primâ extimæ faciei inſpectione abditas quivis vires aſſequatur. Villæ lib. XII. In quibus majori ex parte cum verus plantarum cultus, certaque inſitionis ars monſtratur, tum ad vini, frugum & fructuum multiplicationem experimenta exhibentur. De Refractione Optices Lib. IX.*

JOHANNES DRUSIUS.

Obiit A.C. 1616.

Vocatus aliàs *van den Drieſche*, natus eſt *Aldenardæ*, oppido *Flandriæ*, in eâ Urbis parte, quæ vulgò *Pamele* dicitur, 28. Junii A. C. 1550. A. 1567. ob fidei Evangelicæ perſecutionem cum Patre ſuo ex *Flandriâ* in *Angliam* profugit, ubi Hebrææ cumprimis Linguæ addictus ejusdem Profeſſor in Univerſitate *Cantuarienſi* an. ætatis 22. conſtitutus eſt, quam ibi per 4. annos cum laude docuit, unà cum Linguâ *Chaldaicâ* & *Syriacâ*. *Profeſſor Ling. Hebr. Chald. ac Syriacæ Cantuar.*

A. 1576. *Lovanium* migravit ad Juris ſtudia diſcenda, ſed bello ibi exorto inteſtino, *Londinum* ad Patrem reverſus, ibique ad Pacificationem usque *Gandavenſem* commoratus eſt. Deindè *Lugdunum Batavor.* conceſſit, ubi ſeptennii ſpatio dictas modò Linguas publicè docuit. Ibidem Anno 1580. Uxorem duxit ex familiâ nobili *Mariam Varentiam*. A. 1585. *Franeckeram Friſiorum* ad Univerſitatem recens erectam accerſitus, ibi earundem Linguarum Profeſſorem ad *Lugduni Batav.* *Franeckera.*

ad finem vitæ ſedulus egit. Intereà A.1600. Statuum *Hollandiæ* Generalium juſſu, annuatim 400. florenos ipſi extraordinariè præbentium, Commentarium in loca obſcuriora veteris Teſtamenti cœpit elaborare, non tamen abſolvere potuit, morte placidâ ſubreptus, *Franeckeræ* in *Friſiâ*, die 12. Febr. A.C.1616. ætatis 66. Symbolum ejus fuit: *Nil ultra vires.* *Moritur.*

Ejus hæc ſunt Scripta: *Scripta.*

Fragmenta veterum interpretum Græcorum in Pſalmos Davidicos. Commentar. ad Voces Hebraicas Novi Teſtamenti. in Hiſtoriam Ruth, cui additus eſt Libellus, An Ruben Mandragoram invenerit? Quæſtionum & Reſponſionum Lib. III. Animadverſionum Lib. II. Notæ in Grammaticam Hebr. Nic. Clenardi. Obſervationum Lib. XVI. Miſcellaneorum Centuriæ II. Annotationes in Eſtheram. Proverbiorum Sacrorum Claſſes II. Parallela Sacra locorum Veteris & Novi Teſtamenti. Apophthegmata Hebræorum & Arabum, cum Scholiis. Alphabetum Hebraicum vetus. De Literis Servilibus Lib. II. Lectiones in Hoſeam, Abdiam, Joëlem, Nahum, Amos, Jonam, Habacuc, & Sophoniam. Proverbia Ben Syræ, Nepotis Jeremiæ Prophetæ. Adagia Thalmudica. Grammatica Chaldaica. Caſtigationes in Tobiam, & Jeſum Syrach. in librum Huſamonæorum, qui vulgò prior Machabæorum. De Haſidæis Libellus. De nomine Elohim. Tetragrammaton, ſive de nomine Dei proprio. De tribus Sectis Judæorum Lib. IV. adverſus Nicol. Serarium. Severi Sulpitii Chronicon, cum Comment. Druſii. De Patriarchâ Enoch. De Quæſitis per Epiſtolam. Annotationes in Novum Teſtamentum, ſive Præteritor. Libri X. cum vitâ Druſii.

* *Ex vitis Profeſſorum Leyd. & ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

THEODORUS VIETOR.

Clar. A.C. 1616.

HIc *Chriſtiano Vietore* & *Catharinâ Stoplerin*, parentibus optimis ad annum Chriſti 1567. *Lichen* natus, & in pietate & literis præclarè inſtitutus eſt. Hinc quo anno ſupremam Philoſophiæ lauream *Marpurgi* impetravit, eodem etiam, nimirum 1585. è patriâ *Caſſellas* evocatus, juventuti liberalibus artibus inſtituendæ in Scholâ illâ tum celebri *Caſſellanâ* annos undecim operam dedit, Conrectoris munere ſuſcepto. *Supremam Philoſophiæ lauream impetravit Marpurgi.*

Poſtmodùm anno 1595. à *Crameri* obitu hanc Principum & Academiæ patrum conſenſu ſumpſit operam, ut Græcas literas, quibus omnium doctrinarum debetur iuventio, doceret in Academiâ publicè. Quam ſuam provinciam annos multos cum laude ſuſtinuit, in eâque optimos quosque Græcos Authores, præcipuè verò *Iſocratem*, & cujus lectione ſe ſummoperè oblectabat, *Homerum* ferè integrum perſpicuè explicavit, cujus & Odyſſeam Latino heroico carmine ad vivum expreſſit. Anno prætereà 1603. poſt *Ferinarii* exceſſum, principali mandato Pædagogéo quoque præfectus, & ab *Hartmanno*, qui tum temporis Rectoris fungebatur munere, publicè renuntiatus eſt homo, cui neſcias majorne doctrinæ atque ingenii, an verò humanitatis laus tribuenda ſit. Nam de induſtriâ in inſtituendâ ætate juvenili, & acerrimo ejus ſtudio hîc quidem dicere nil attinet. Opera ipſa & labor indefeſſus, quem in infinitis propemodùm viris doctis, quaſi manu fingendis tot annos poſuit, iſtius rei ſunt gnomon atque regula non ſecus ac motus ipſe indicat, didiceritné aliquis palæſtram an neſciat. Cœteroquin præter Rectoris munus, quo anno 1615. laudabiliter defunctus eſt, etiam vices Rectoris *Crucigero* in *Dordrechtanâ* ſynodo abſente per menſes ferè novem probè ſuſtinuit, & Collegii Philoſophici Decurionem egit quater, anno videlicet 1597. quo peſtis ſævitiâ Academia penitus diſſipata fuit 1600. 1610. & denique 1616. *Græcas literas Marpurgi docuit. Pædagogéo ibidem præfectus. Rectoris & Pro-Rectoris munere defunctus eſt. Philoſophici Collegii Decurionem egit quater.*

Edidit: *Scripta.*

In Platonis Dialogum, qui Entyphr. vel de Sanctitate inſcribitur, notas. In Plutarchi librum de educatione liberorum diverſas paraphraſes & Analyſes. Examen Rhetoricum.

* *Ex Manuſcriptis Marpurgenſibus.*

VINCENTIUS CONTARENUS.

Obiit A.C. 1617.

VEnetiis natus A.C. 1577. à *Marco Antonio Mureto* prima interioris literaturæ initia hauſit. Tunc *Juſti Lipſii* Monumenta evolvit, & ad veritatis amuſſim exegit. Sacræ etiam Scripturæ lectione delectatus, & rebus Eccleſiaſticis magnâ parte deditus fuit.

A. 1603. *Patavii* ad publicam Oratoriæ Cathedram electus, in eâ Poëtas omnes, Hiſtoricos, & inter eos *Titum Livium* diſertè expoſuit. Privatis etiam in ædibus nobilibus, præſertim *Venetis*, Antiquitatis *Romanæ* ſenſus abſtruſiores expoſuit. An. 1616. à legendi munere ſponte abſtinuit, & *Romam* ſe contulit, excitatus favore Abbatis *Aldobrandini*, qui poſteà Cardinalis evaſit. *Oratoriæ Profeſſor. Romam diſceſſit.*

Menſ. Aug. A. 1617. In *Iſtriâ Polam* perluſtrare decrevit, quo cum æſtate fervidâ conceſſiſſet, mox febri correptus, & *Venetias* translatus, paucis pòſt diebus occubuit annos natus 40. In æde D. *Benedicti* honorificè tumulatus.

Edidit: *Scripta.*

Variarum Lectionum Lib. De Frumentariâ Romanor. largitione Lib. contrà Lipſium. De militari Romanorum Stipendio Commentar. Orationes tres: I. De laudibus Virgilii. II. De Eloquentiæ cum arte Militari ſimilitudine. III. In funere Johannis Savii.

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Jacobi Philippi Tomaſini.*

DAVID HÖSCHELIUS.

Obiit A.C. 1617.

NAtus eſt A.C. 1556. 14. April. *Auguſtæ Vindelicorum.* Cumque præclara eruditionis & exquiſitæ ſolertiæ varia edidiſſet ſpecimina, Gymnaſio præfectus eſt *Annæo Auguſtano* A. 1593. Succedens *Simoni Fabritio*, anteà Præceptori ſuo, ubi præcipuum induſtriæ ſuæ curriculum ad extremum *Gymnaſiarcha Auguſtanus.*

Digitized by

cidio liberaverat, quæq; Patris Patriæ cognomen ipſi dederat, ætate gravis exſpiravit 29. Martii A. C. 1623. ætatis 87.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Elogia Gallorum doctrinâ illuſtrium, qui noſtrâ Patrumque memoriâ floruerunt. Encomium Urbis Pictavii. Pædotrophia. Hiſtoria Gallica à filiis ejus edita.

Filios reliquit Gemellos, *Scævolam* & *Ludovicum* 20. Dec. A. 1571. ex *Renatâ de la Haye* natos, corpore & mente ſibi ſimillimos, qui unanimi labore Hiſtoriam Genealogicam domus *Franciæ*, 50. annorum opus ediderunt, ideòque Conſiliarior. & Hiſtoriographorum Regiorum cognomen promeruerunt. Horum gemellorum *Ludovicus* 29. April. A. 1656. *Scævola* verò 7. Sept. A. 1650. *Lutetiæ* illuſtres vitam finierunt.

* *Ex Elogiis Gallicis iconibus rerum ſubſcriptis.*

THOMAS ERPENIUS.

Obiit A. C. 1624.

GOrcomi in *Bataviâ* A. C. 1584. Parentibus honeſtis, *Gerardo Johanne* ab *Erpe* & *Beatrice de Bie Sylvæducenſibus* natus eſt. In Academiâ *Lugdunenſi* an. æt. 25. ſummam Philoſophiæ Lauream adeptus, totus Theologiæ & Linguis *Orientalibus* operam dedit, hortatore *Joſepho Scaligero*. Hinc *Germaniam*, *Galliam*, & *Angliam* luſtravit, & *Lutetiæ* arctam coluit amicitiam cum *Iſaaco Caſaubono*. Ibidem, & *Salmurii Arabicis* maximè literis operam dedit, in quibus tantum profecit, ut *Caſaubono* ipſi admirationi eſſet.

Philoſophiæ Magiſter Lugd. Bat. Linguarum Orient. Cultor.

A. 1611. In *Italiam* iter inſtituit, & *Venetiis* ex eruditis *Judæis*, *Turcis* aliiſque *Turcicè*, *Perſicè*, & *Æthiopicè* didicit: jamque in *Italia* tanti fiebat, ut 500. ducati annui ei offerrentur, quò Codicibus *Arabicis* vertendis operam ſuam addiceret.

Linguas Turc. Perſ. & Æthiop. Venetiis didicit.

Venetam tunc & *Mediolanenſem* Bibliothecas excuſſit. *Heidelbergæ* quoque Bibliothecam perſpexit, & cum *Jano Grutero* Bibliothecario amicitiam coluit. An. 1612. Poſt quadriennii peregrinationem *Lugdunum Batav.* rediit, ibique ſub initium anni 1613. Linguæ *Arabicæ* aliarumque *Orientalium* Profeſſor publicus creatus eſt. Mox etiam grandibus impenſis earum Linguarum Typographiam inſtituit, multaque & ſua & veterum monumenta divulgavit. A. 1616. Uxorem duxit virginem *Jacobam*, *Johannis Buyeſii*, Senatoris in curiâ *Hollandicâ* filiam, ex quâ tres liberos ſuperſtites reliquit. A. 1619. Etiam *Hebraicæ* Linguæ Profeſſionem ſibi commiſſam aggreſſus eſt. A. 1620. Ab Academiæ *Lugd.* Curatoribus cum literis Ordinum *Hollandiæ* & Principis *Auraici* miſſus eſt in *Gallias*, ut tentaret animos *Petri Molinæi*, & *Andreæ Riveti*, quorum alterum ad Theologiæ Profeſſionem vocare decreverant. In eo negotio prudenter ſe geſſit, nec exitus eum fefellit.

Ling. Orient. Profeſſor Lugd. Typographiam inſtituit. Uxorem duxit. Profeſſor Ling. Hebr.

Exindè cum undique ei in Linguarum *Orientalium* cognitione Principatus deferretur, Archiepiſcopus *Hiſpalenſis*, imò & *Hiſpaniarum* Rex *Philippus III.* per literas egerunt, invitendis etiam promiſſis onerantes, ut in *Hiſpanias* veniret, ad interpretanda monumenta quædam vetera, quæ nemo anteà potuit intelligere. Rex quoque *Marocenſis* usque adeò admirabatur puritatem *Arabicæ* dictionis in Scriptis ejus relucentem, ut literas iſtas Proceribus & eruditis regni ſui velut miraculum oſtenderit.

In Hiſpaniam vocatur. In honore habitus à Rege Marocenſi.

Magno fuit in pretio apud illuſtres *Hollandiæ* Ordines, & Principem *Auraicum*, qui operâ ejus diu uſi ſunt in vertendis literis, quas *Africæ* & *Aſiæ* Principes *Arabicâ*, vel aliâ *Orientis* linguâ ad eosdem tranſmiſerunt.

Tandem in illuſtrium Ordinum Conſenſu ſubitò languore virium gravi correptus, domumque ſuam deportatus, contagionis tum paſſim in *Belgio* graſſantis lue abreptus, placidè exſpiravit 13. Nov. A. C. 1624. ætatis 40.

Moritur.

Defunctum Oratione funebri proſecutus eſt *Gerardus Johannes Voſſius*.

Scripta:

Scripta.

Grammatica Hebræa generalis. Grammatica Arabica Lib. V. explicata. Rudimenta Linguæ Arabicæ. Proverbiorum Arabicorum Centuriæ II. Præcepta Linguæ Græcæ accuratiùs conſignata, quam vulgò fieri ſolet. Pſalmi Davidis Syriacè. Annotationes in Lexicon Arabicum Franciſci Raphelengii. Oratio auſpicalis de linguæ Arabicæ præſtantiâ & dignitate. Hiſtoria Saracenica Arabicè & Latinè, à Mahomete Pſeudo-Prophetâ ad initium Imperii Turcici, cum Notis & Tabulis Geographicis ac Genealogicis. Hiſtoria Patriarchæ Joſephi ex Alcorano decerpta. Locmanni Sapientis Fabulas ex Arabico interpretatus eſt. Verſio Latina Hiſtoriæ Saracenicæ G. Elmacini.

* *Ex Vitis Profeſſor. Leyd. & ex Athenis Batavis Franciſci Sweertii.*

HENRICUS MEIBOMIUS.

Obiit A. C. 1625.

GErm. Meyenbaum / natus eſt *Lemgoiæ* in *Weſtphaliâ* 4. Dec. A. C. 1555. Patre *Martino Meibomio*, verbi Divini Miniſtro, Matre *Annâ*, *Johannis Drejeri*, Theol. Doctoris, & Superintendentis Eccleſiæ *Mindenſis* filiâ. Initia pietatis & literarum didicit in Scholâ patriâ ſub Præceptore *Bernhardo Copio*, qui poſteà in Academiâ *Marpurgenſi* cum laude docuit.

Filius Theologi.

Adoleſcens miſſus eſt *Brunsvigam*, ubi integrum quadriennium hæſit, nactus hoſpitem & Patronum *Martinum Chemnitium*, Theologum, cujus conſilio perluſtratis nonnullis Academiis *Helmſtadii* ſubſtitit, ubi recens fundaverat Academiam *Julius*, Dux *Brunsvicenſis*.

Dedit hic operam Philoſophiæ, & Theologiæ etiam, quod Præceptores haberet magni nominis, *Heshuſium*, *Kirchnerum*, *Hofmannum*, & alios. Ibidem A. 1580. gradu Magiſterii Philoſophici ornatus eſt: & triennio poſt, Academiâ id unicè expetente, demandata & Profeſſio Poëtices & Hiſtoriarum.

Helmſtadii Philoſophiæ Magiſter.

Secu-

Secutum deindè matrimonium cum virgine *Sophiâ Bobeliâ*, quod concors fuit & fœcundum. An. 1590. Procurante *Henrico Julio*, Epiſcopo *Halberſtatenſe* & Duce *Brunsvic.* ab Imp. *Rudolpho II.* Laureâ Poëticâ donatus eſt, quam *Pragâ* ipſi miſſam multi clariſſimi per *Germaniam* viri gratulationibus proſecuti ſunt. Honoribus in Academiâ *Juliâ* Magiſtratuum omnium iteratò perfunctus obiit tandem An. C. 1625. ætatis 70. *Poëta laureat.*

Scripta: *Scripta.*

Diarium, ſeu Calendarium Romanum Oeconomicum, Eccleſiaſticum, Aſtronomicum, & ferè perpetuum. Tractatus Aſtrologicus de genethliacorum Thematum Judiciis. Mecœnas, ſive de C. C. Mecœnatis vitâ, moribus, & rebus geſtis Liber ſingularis. De Incubatione in fanis Deorum medicinæ cauſâ olim factâ. Opuſcula Hiſtorica varia, res Germanicas concernentia. Chronicon Marienthalenſe. Epiſtola de Longævis. Sleidani Lib. de 4. ſummis Imperiis emendatus. Piarum Meditationum Sylvula. Vindiciæ Billinganæ, ſive demonſtratio Hermannum Billingum primum ab Imp. Ottone Magno inſtitutum Sax. Ducem non equeſtris Ordinis hominem, nedum pauperis agricolæ filium, ſed ex illuſtri familiâ oriundum fuiſſe. Catalogus Abbatum, qui Monaſterio Ridagshuſano per annos 1574. præfuerunt. Bardevici Urbis Hiſtoria. Genealogia Ducum Brunsvic. & Luneburg. Parodiarum Horationarum Farragines IV. Sylvarum Lib. II. Agalmatum Lib. I. Anagrammatiſmorum Lib. I. Centonum Virgilianorum Lib. II. Elegiæ, Odæ, & Epigrammata varia.

* *Ex Vitis virorum doctorum Jani Jacobi Boiſſardi; & ex Lib. Hiſtoricor. celebr. Mart. Zeileri.*

PAULUS BENIUS.

Obiit A. C. 1625.

Acri quodam indignationis impetu Vir hic *Eugubii* Civilibus parentibus ortus in *Umbriâ*; è Societate Jeſu, cujus in gremio diu vixerat, abſtractus fuit, quod exſtructos à ſe ad *Platonis* Convivium Commentarios Patres argumenti obſcœnitatem exoſi in vulgus proferri prohibuerunt: indutis enim exindè Presbyteri faſcibus ad alium ſe liberiorem & ſolutiorem vitæ paravit modum. Interim cum non obſcuram ingenii laudem quotidianâ propè Scriptorum editione venatus eſſet, A. 1599. graviſſimo *Veneti* Senatûs nutu *Patavium* ad Profeſſionem Eloquentiæ in Gymnaſio 600. florenorum honorario propoſito in locum *Antonii Riccoboni* traductus eſt, cujus tamen ſingularem de ſe opinionem miſerè eluſit, quippè rarus adeò fuit illi diſcentium conſeſſus, ut ſæpè magis gymnaſio quàm ſtomacho jejunaret. *Societate Jeſu egreſſus Presbyter factus eſt.* *Profeſſor Eloquent. Patavii.* *Auditoribus ingratus.*

Arcebant alios ab ipſo languor ſermonis, ac vocis, cum immodicâ rerum & verborum ſobrietate. Quoſdam avertebat Collegæ ſui *Vincentii Contareni* perjucunda æquè ac ſpectata ſingulis doctrinæ ſpecies. Oderant autem univerſi morboſas quaſdam animi anguſtias, quibus ipſe indolis haud ita liberalis referebat indicia, adeò, ut in eo Gymnaſio crebris jactaretur ſermonibus, malè de *Benii* rebus actum fore, ſi pactum ei aliquod fuiſſet celebrandum, quando vel duobus eidem in Scholâ ſuâ teſtibus contigiſſet egere. Indefeſſus interim ſtudiorum cultor ab iis nunquàm ſe vel ad extremum ſenium redactus temperavit, quotidiè libros pervolvere, nova meditari, & literis aliquid mandare ſolitus. Frequentes hoc teſtantur elucubrationes, quibus inſigniorum ferè Artium dogmata luculenter perſtrinxit.

In Scriptis ſuis concinno quodam genere orationis & ſententiarum Sylvâ virentem undique prætulit ingenii feracitatem: operum verò ipſius tanta fuit copia, tantusque commentariorum cumulus, ut hoc nomine cœteris omnibus laudem præripuiſſe videatur. In *Livium* nimis fuiſſe præceps videtur, dum non veritus eſt eum crebris maledictis laceſſere. Ex ejus opuſculis haud ipſi fortè verior acceſſit commendatio, quàm ob ſuſceptam alacriter pugnam cum Academiæ *Florentinæ* alumnis, qui *Cruſcantes* vocabantur: eorum namque ſtudio cum ſuſcitarentur obſoletæ quædam voces, ad unam duntaxat *Tuſcorum* Scriptorum auram accommodatæ, viſum eſt *Benio* hos illorum conatus, edito in lucem *Anticruſco* contrà Dictionarium *Italicum* ab illis editum retundere: cui cum reſpondiſſent Academici, iis altero libro ſub Cavalcantis nomine ſatisfecit, quo multò comptiorem ſermonis ſpeciem, multòque venuſtiorem propoſuit. *Livium laceſſivit.* *Pugnavit cum Academicis Florentinis Cruſcantes dictis.*

Cum itaque *Patavii* in docendâ literas humaniores provinciâ annos 26. verſatus eſſet, ſenex vitâ exceſſit prid. Id. Febr. A. C. 1625. Sepultus in Templo S. *Claræ*. *Senex obiit Patavii.*

Libros edidit: *Scripta.*

Commentarii in Ariſtotelis Libros Rhethoricor. & ejusdem Poëticam, quibus centum Controverſiæ Poëticæ inſertæ ſunt. in Virgilii 6. priores libros Æneidos, & in C. Criſpum Saluſtium. Centum Oratoriæ Diſputationes. Orationes 75. De Hiſtoriâ Libri IV. Rime & Orationi diverſi. Platonis Poëtica ex ejus Dialogis collecta. Decades tres in Platonis Timæum. La Comparazione di Torquato Taſſo & dell' Arioſto con Homero. Diſcorſi due della Inundatione del Tevere à Roma l' anno 1598.

In Sepulchro ejus hæc Inſcriptio legitur: *Epitaphium.*

PAULI BENII EUGUBINI
EXTERORUM PATAVINI GYMNASII DOCTORUM QUOS JUVERIT HOC SAXO CONDI
ANNO SAL. MDCXL.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Vicent. & ex Elogiis Virorum doctorum Jac. Phil. Tomaſini: & ex Theatro Ital. Viror. doctor. Hieron. Ghilini.*

JOHANNES BAPTISTA MARINUS.

Obiit A. C. 1625.

Neapoli natus, à Patre ſuo *Joh. Franciſco Marino*, Legum Doctore, ſtudiis iisdem imbutus, poſteà relictis iis totus Poëſi *Jur. ſtud.*

Poëſi mentem applicuit, & Poëta evaſit excellens, quo nemo faciliori ad omnem ſcribendi elegantiam indole, nemo luſoria vel ſeria *Italicis* aptare carminibus gravior, lyricâ dulcedine tot heroum, tot annorum & figmentorum carmina modulatus eſt, ut *Anacreontis* & *Pindari* nænias, *Hetruſcorum* etiam nobiliorum fortaſſè Rhythmata hoc ævo ſolus coæquâſſe videatur. Inventionis *Arioſto*, Majeſtatis *Taſſo*, concinnitatis *Marino* laus propè omnium Poëſeos procerum calculis defertur.

Poëta Satyricus.

At verò tanto hanc auram affectavit æſtu, ut levitatis & impudentiæ crimen ſuis undecunque captaverit Scriptis *Satyricis*. Sui amans, jactabundus, procax in cœteros unamquamque Scriptionis Poëticæ formulam, vel ſelectiorem paulò ſententiam, aliorum prognatam ſtudio ſibi tanquàm *Caballini* fontis vindici protervius arrogare ſolitus eſt, & ſuis erutam è fontibus conqueri, ut Muſarum ceu parens & genii dator haud ita præſtantium Poëtarum cœtui inſultare videretur. Multorum propterea inteſtina ſibi undique conflavit odia, plurima etiam ſubiit rerum & vitæ diſcrimina. *Neapoli* per 5. annos Secretarius fuit apud *Matthæum Capuam*, Principem de *Conca*, & Magnum Ammirantem Regni *Neapolitani*. Indè *Romam* diſcedens, ibi à *Melchiore Creſcentio* Clerico Cameræ receptus in ædes permanſit usque ad Pontificatum *Pauli V.* quo tempore *Taurinum* venit, & Sereniſſ. *Sabaudiæ* Ducis *Caroli* exceptus aulâ inſignem primò gratiam, Equeſtribus ſibi Divi *Lazari* collatis inſignibus, eſt emeritus. Mox ſeveriſſimam Principis incurrit indignationem, jocularium in ejus gibboſitatem Scriptorum & Carminum Satyricorum opinione concitatam, ut vix *Ferdinandi Gonzagæ* Cardinalis & *Mantuæ* Ducis auctoritas è tetro ipſum carcere, in quo menſibus aliquot delituit, ad priſtinam lucis uſuram revocare potuerit. Cum *Caſp. Murtulâ* Poëtâ non ignobili, quem Dux à Secretis habebat, ſimultates aluit frequentes: protervior tamen *Murtula*, ut ingenii dexteritate impar, *Marinum* parvi tormenti globulo fruſtrà de medio tollere nixus eſt. Sic *Thomæ Stiliani* & aliorum ſuæ laudi perpetim obſtrepentium conatûs irritos agnovit hæc ætas. Sed *Adonidis* Carmen, in quo videtur uberrimos ingenii ſui congeſſiſſe theſauros, impar videtur ſortiri laudi inchoatæ augmentum, parùm enim quod ibi legentem erudiat animadvertes, nulla Poëticæ coagmentationis facies, congeries potiùs fabularum exiſtit.

Secretar. Neapoli.

A Duce Sabaudiæ Eques creatus.

Ob Carmina Satyrica carceri incluſus.

Vitæ periculum incurrit.

Illud fortè *Lutetiæ Pariſiorum* inceptum abſolutumq; edidit, quo à Primoribus *Gallicæ* Nobilitatis illectus, ex carcere liberatus migrârat: quorum etiam liberalitate refertam lectiſſimis Voluminibus ſupellectilem ingentemq; pecuniæ vim in *Italiam* reportavit. *Romam* enim revocatus fuerat à Cardinale *Ludoviſio* S. P. *Gregorii XV.* nepote, qui benevolè eum in hoſpitio ſuo excepit.

Lutetiæ Carmen Adonidis edidit.

Romam rediit.

Cœterùm *Maffeo Barbarino* ad Pontificatum *Rom.* evecto poſtquàm vetere nixus cum ipſo neceſſitudine uberrimâque exitûs idcircò potiundi ſpe fuiſſet fruſtratus, *Neapolim* in patriam ſe recepit, ubi ſtudia priſtina revolvens & tractans poſt annum ſtranguriâ familiari confectus morbo 26. Martii A.C. 1625. ætatis 56. obiit.

Neapoli obiit.

Sepultus cum ſplendidâ pompâ in templo Patrum *Theatinorum*.

Inter varia Epitaphia ab amicis ſcripta hoc videtur eximium:

Epitaphium.

JOHANNI BAPTISTÆ MARINO,
EQUITI S. S. MAURITII ET LAZARI, SUI
ÆVI POETARUM PRINCIPI,
CUI PRIMATUM CONSENSUS ORBIS, DIGNITATEM DUX ALLOBROX, MAGNAS OPES
REX FRANCUS CONTULERE.
POST QUADRILUSTREM ILLUSTREM PEREGRINATIONEM, NE PATRIAM SUAM NOBILISSIMAM NOBILIBUS FRAUDARET OSSIBUS, EO REVERSUS PROCERUM HUMERIS AMICORUMQUE LACRYMIS DECORATUS AC DELATUS AD MONUMENTUM.
OBIIT XXVI. MARTII A. S. MDCXXV.
ÆTAT. LVI.

Academici Humoriſtæ *Romæ* hoc eum Elogio honorârunt:

EQUITI JOH. BAPTISTÆ MARINO, POETÆ SUI SÆCULI MAXIMO, CUJUS MUSA E PARTHENOPOEIS CINERIBUS ENATA INTER LILIA EFFLORESCENS REGES HABUIT MECOENATES.
CUJUS INGENIUM FOECUNDITATE FELICISSIMUM TERRARUM ORBEM HABUIT ADMIRATOREM,
ACADEMICI HUMORISTÆ PRINCIPI QUONDAM SUO P. P.

Linguâ vernaculâ ſcripſit:

Scripta.

La Lira, Rime amoroſe Maritime, Boſcareſce, Heroiche, Lugubri, Morali, Sacre, & varie, Parte I. & II. Parte III. diviſa in Amori, Lodi, Lagrime. Divozioni & Capricci. Madrigali & Canzoni. Panegirico à Papa Leone XI. Fiori di Pindo raccolti all' Aurora, ciò e il Tebro feſtante. Il Templo Panegirico a Maria de Medici Reina di Francia & di Navarra. Il Ritratto di Don Carlo Emmanuele Duca di Savoia. Il Rapimento d' Europa, & il Teſtamento amoroſo Idilii. Epithalamii, ciò e la Francia conſolata nelle Nozze di Lodovico XIII. Rè di Francia e di Anna d' Auſtria primogenita di Spaigna. Il Balletto delle Muſe, nelle Nozze di Don Alfonſo da Eſte Principe di Modena, & Donna Iſabella Infante di Savoia. Venere pronuba nelle Nozze di Gio. Carlo Doria & Veronica Spinola. L' Anello nelle Nozze di Giacomo Doria & Brigida Spinola. La Cena nelle Nozze di Conte Ottavio Treni & Camilla Sogara. Il Torneo nelle Nozze di Marcheſe Lodovico Facbinetti & Violante Auſtriaca. Il Letto nelle Nozze di Don Franceſco Gonzaga Prencipe di Mantoa, & Donna Margareta Infante di Savoia. Le fatiche d' Hercole nelle Nozze del Conte Hercole Pepoli & Donna Vittoria Cibò. Urania nelle Nozze di Gio. Vincenzo Imperiale e Catharina Grimaldi. Himeneo

nelle Nozze di don Vincenzo Caraffa Duca di Mondragone & Donna Helena Aldobrandini. Ragguaglio al Duca di Savoia de gli affari ſuoi & delle inimicizie private col Murtola. La Sampogna diviſa in Idilii favoloſi & Paſtorali. La Galeria diſtinta in Pitture & Sculture. La ſtrage de gli Innocenti Poëma. L' Adone Poëma. Rime nove, ciò e Canzoni, Sonetti, Madrigali, e Idilii. Egloge Boſchereſche, ciò è Tirſi, Aminta, Dafne, Siringa, Pan, Elcippo. Soſpiri d' Ergaſtolo con 5. Canzoni. Mauricio & Lazaro. Lettere gravi, argute, & facete. Dicerie ſacre.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Johannis Imperialis, Phil. & Med. Florent. & ex Theatro Italico Viror. doctor. Hieronymi Ghilini.*

UBBO EMMIUS.

Obiit A.C. 1625.

Filius Eccleſ. Miniſtri.

PRotulit hoc literarum decus A.C. 1547. *Gretha* vicus *Friſiæ Orient.* Pater ei fuit *Emmo Dicken*, Eccleſiæ ibidem per annos multos Miniſter, *Mart. Lutheri* & *Phil. Melanchthonis* quondam diſcipulus, charus *Johanni à Laſco*, *Polono*, Eccleſiarum iſtius agri tunc temporis Ephoro. Matrem habuit *Eliſam*, *Egberti Tiardæ*, Civitatis *Nordanæ* per annos 40. Conſulis filiam. Patris ejus avunculus *Ubbo Emmius*, J.U.D. Juri dicendo in arce *Orthanâ* præfuit.

Studioſus Embdæ, Bremæ.

Puer bonæ indolis an. ætatis 9. à Patre *Embdam* ad Scholam deductus, hæſit in eâ annis ferè 9. A. 1565. miſſus eſt *Bremam*, ob famam magni illius Gramatici & Scholæ Rectoris *Johannis Molani*, ex cujus diſciplinâ multi præclari Viri prodierunt. Indè reverſus in patriam, in Scholâ *Nordanâ* re-n-ſcente aliquandiu ſubſtitit, Præceptoribus uſus *Johanne Floriano* & D. *Nicolao Saſchero.*

A. 1570. E patriâ in Academiam *Roſtochianam* perrexit, in quâ tunc claruerunt *David Chytræus*, Theol. & Hiſtor. celeberrimus, & *Henricus Bruceus*, Med. & Mathem. Ibi in morbum lethalem incidit *Friſiis* & accolis maris *Balthici* endemium, qui vulgò *Schorbutus* dicitur: reſtituit tamen eum ſanitati potus lactis caprilli, in quo decoctum erat ſemen ſinapios & raphanus major. Hoc morbo periculoſo defunctus DEUM ſoſpitatorem ſuum hymno euchariſtico celebravit. Anno tertio pòſt nuntius triſtis de morte Patris eum in patriam ad matrem viduam revocavit. Domum reverſus, matrem triſtiſſimo mox caſu alio filiæ unicæ navigio, quo *Nordâ* domum reditura erat, per navicularii incuriam everſo, aquis ſuffocatæ afflictiſſimam non parùm refocillavit.

Roſtochii Scorbuto laboravit.

Genevæ Theod. Bezæ auditor.

A. 1575. *Genevam Allobrogum* petiit, non ſolùm addiſcendæ linguæ *Gallicæ* gratiâ, ſed inprimis ob inclytum nomen *Theodori Bezæ*, Theologi ſummi, à cujus ore totum biennium pependit auditor aſſiduus.

Viſo etiam *Lugduno* cum in reditu *Baſileæ* aliquandiu ſubſtitiſſet, in patriam denuò reverſus, amicorum & matris gratulationibus humaniſſimè exceptus eſt. Proponebantur ei tunc duæ conditiones perhoneſtæ, Eccleſiaſtica una, altera Scholaſtica. A priore retraxit eum verecunda modeſtia, ob quam in hominum cœtu fari vix auderet, quæque ad extremum vitæ terminum ei adhæſit: elegit igitur vitæ genus Scholaſticum, oblatamque Scholæ apud *Nordanos* Recturam An. 1579. ſub feſtum Paſchatos iniens, juventutem bonas artes & pietatem docere cœpit.

Rector Scholæ Nordanæ.

Menſ. Aprili A. 1581. *Nordæ* nuptias celebravit cum virgine bono genere natâ *Thedâ Tiabberii* filiâ, quæ brevi pòſt, poſt fratris matriſque funera, nimis citò peſtilitate populariter graſſante, in labore partûs unà cum fœtu extincta eſt. Ex hâc ſuperſtes ei fuit *Emmo* primogenitus filius, qui an. æt. 19. *Gröningæ* obiit, Patrique ob placidos mores & optimam ingenii ſpem magnum ſui deſiderium reliquit. Tertio pòſt anno ad alterum conjugium tranſiit ductâ in uxorem *Margarethâ à Bergen*, virgine 19. annos natâ, Civis *Embdani* filiâ, cum quâ finitis nuptiis *Nordam* ad labores ſolitos lætus rediit.

Conjugium ejus I.

Conjugium II.

Sed cum Zelotæ quidam *Lutherani* Scholam iſtam frequentiâ diſcipulorum augeri cernerent, nec ullâ ratione adduci poſſet *Emmius*, ut ſententiam de religione mutaret, A. 1587. Menſ. Sept. effecerunt, ut ipſi denuntiaretur deinceps, ut à munere docendi abſtineret ob confeſſionem doctrinæ: manſit tamen per hyemem *Nordæ*. An. ſeq. 1588. *Leram* in eâdem patriâ volente Comite *Johanne* ad eandem functionem vocatus, id brevi ſingulari in docendo dexteritate aſſecutus eſt, ut Schola literaria illic cæteras omnes iſtius regionis ſuperaret. Reductâ verò poſteà *Gröningâ* ad ſocietatem ordinum fœderatorum *Belgii* Senatus hujus urbis ad Scholæ ſuæ per belli tumultûs collapſæ inſtaurationem *Emmium* vocavit, eique Rectorem præſidere voluit, factâ ei poteſtate, unà cum Scholarchis Collegas pro arbitrio ſuo arrogandi & abrogandi. Eò igitur A.C. 1594. æt. 47. concedens, Collegis ſibi adſcitis viris piis & eruditis, Scholæ reſurgenti ordinem dedit, ejusq; Leges typis excuſas publicavit. In hoc munere cum honore & fructu per annos 20. perſtitit.

Rector Leræ.

Præſes Scholæ Gröning.

Gerardo Buningio, Scholæ Conrectori, ob ejus pietatem & induſtriam plurimùm tribuit. Licèt verò *Dordrechtani*, & *Leovardienſes* eum ad ſimilem apud ſe functionem propoſitis prœmiis amplis invitâſſent, *Gröningæ* tamen manere maluit, ubi ſtudiis ſuis Hiſtoricis ſedem eſſe commodiſſimam, & labores ſuos nec ingratos nec infrugiferos eſſe vidit.

An. 1614. Illuſtres *Friſiæ* Ordines eum in Academiæ *Gröningenſis* initiis non ſolùm ad Hiſtoriarum & Linguæ Græcæ Profeſſionem, ſed etiam ad primam illius Recturam capeſſendam provexerunt. Eo tempore, quo *Gröningæ* vixit, Princeps *Guil. Ludovicus*, Comes *Naſſoviæ* & *Friſiæ* Gubernator viri hujus in Conſiliis dandis prudentiam ſæpiùs expertus, eum ad ſe acceſſere, benignè

Primus Rector Acad. Gröning. & Hiſtor. ac Ling. Græcæ Profeſſor.

Conſiliarius Naſſov.

-guè habere, & per literas in gravibus negotiis conſulere, in more poſitum habuit. In omni omnium gentium hiſtoriâ verſatiſſimus de cujusque gentis hiſtoriâ rogatus ex tempore diſſerebat, recitatis omnibus locorum, temporis, & perſonarum circumſtantiis.

Tandem pulmonum ulcere correptus, cum paulò ante filium natu minorem *Egbertum*, magnæ expectationis juvenem, *Aureliæ* in *Galliâ* morte abreptum immaturâ percepiſſet, & 36. dies æger decubuiſſet, mortis luctâ appropinquante illud *Simeonis*: *Nunc dimittis ſervum tuum in pace* recitavit, & paulò poſt ſuaviter obdormivit, 9. Dec. A.C. 1625. æt. 78.

Cum Simeone obdormivit.

Superſtites reliquit cum conjuge *Margaretâ à Bergen* filium *Weſſelum Emmium*, Eccleſiæ *Gröninganæ* Paſtorem, & filiam *Eliſabetham* virginem.

Libros edidit:

Scripta.

Hiſtoriam Gentis Friſiorum. Opus Chronologicum abſolutum connectens hiſtorias Eccleſiaſticas cum Politicis, adjectâ Imperiorum ſerie, & Genealogiis ſuccinctis præcipuorum Regum & Principum. Guilielmi Ludovici Com. Naſſovii vitam & res geſtas. Vitam & Sacra Eleuſinia Davidis Georgii, qui monſtra pudendor. errorum aut furorum veterum a ſe recocta mundo propinavit ex libris ejus myſticis eruta. Adverſus Diſputationes Theologicas Danielis Hofmanni. Meditatus eſt etiam Opus rei literariæ utiliſſimum, in quo & accuratam deſcriptionem Chorographicam Regionum & Inſularum à Græcis quondam habitatarum, & medullam Hiſtoriæ Græcæ ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diodoro Siculo, & aliis contextam, & diverſos Rerumpublicarum Status, quibus diverſi populi ac Civitates in eâ gente uſi ſunt, repræſentare voluit.

* *Ex Vitis Profeſſor. Gröning.*

WILLEBRODUS SNELLIUS.

Obiit A.C. 1626.

Lugduni in *Bataviâ* natus eſt, Patre *Rudolpho Snellio*, Mathem. Profeſſore, matre *Machteles Cornelii* A. 1591.

Adoleſcens patris hortatu Juri aliquantiſper operam dedit, ſed impenſius Mathematum ſtudio delectatus A. 1610. extraordinariis diebus *Ptolomæi* magnæ Syntaxeos libros tres primos publicè interpretatus eſt, patri in eo obſecutus. Cum verò jam id agi ſentiret, ut hâc ratione aſtricto nunquam è patriâ pedem efferre liceret, ætatem cauſatus (vix enim 19. ætatis annum expleverat) à parentibus miſſionem impetravit.

Mathemata publicè docuit.

Itaque in *Germaniam* peregrinatione ſuſceptâ multis ibi viris claris innotuit, cum quibus poſtmodùm etiam abſens arctam amicitiam coluit. *Herbipoli* enim *Adriano Romano*, *Pragæ Tychoni Brahe* familiariter innotuit. Ibidem cum *Johanne Keplero* & *Ottone Valentino*, *Altorffii* cum *Johanne Prætorio*, & *Tubingæ* cum *Mæſtlino* amicitiam contraxit.

Indè per *Galliam* peregrinatus, & in patriam tandem ad ſuos regreſſus, parenti ſuo ob ætatem rude & honorarii Profeſſoris titulo donato ſucceſſit 8. Febr. A. 1613.

Mathem. Profeſſor Leyd.

Vitâ defunctus A. C. 1626. ætatis 35.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

De re nummariâ. Cyclometricus. Eratoſthenes Batavus. Typhis Batavus. De Cometâ, qui exarſit ſub finem Nov. A. 1618. Cœli & ſyderum Obſervationes Haſſiacæ.

SCHINELLA COMITIUS, vel DE COMITIBUS.

Obiit A.C. 1627.

Patavinus patritius, geminâ Philoſophiæ & Theologiæ laureâ decoratus, *Speronio* proavo vultu ac moribus perquàm ſimilis fuit, ſed doctrinâ ſimilior, quâ nominis ſui famam longè lateque diffudit: etſi acuti vir ingenii & ſpiritûs vehementis æquè in militari ac literariâ palæſtrâ ſe exercuerit, & paria fecerit in utrâque. Primo juventæ flore in patrio Lycéo Naturalis Philoſophiæ cathedram ſilente *Jacobo Pernumiâ* miro audientium concurſu tenuit: undè profectus *Romam*, multam inibi *Rom.* aulæ Proceribus impenſis ſuis operam detulit. Reverſus in patriam, feudalia familiæ ſuæ Jura litibus irretita Voluminibus II. clariora reddidit. Venienti tandem fato ſuccubuit 6. Kal. Aug. A.C. 1627. æt. 55.

Philoſ. & Theologiæ Doctor.

Phyſ. Profeſſor Patav.

Moritur.

Sub ejus effigie *Patavii* hæc leguntur:

Epitaphium.

SCHINELLA COM. DE COM. PAD. ALBER. FIL.
PHILOS. ET THEOLOGIÆ DOCTOR,
INGENIO VIVIDO, ERGA AMICOS
ET SUOS ET PATRIAM
OFFICIO, PIETATE, ET OPERA INSIGNIS,
OBIIT XI. KAL. SEPT. MDCXXVII. ÆT. LV.

* *Ex Elogiis viror. illuſtr. Jacobi Philippi Tomaſini.*

JANUS GRUTERUS.

Obiit A.C. 1627.

Juris Conſultus, Hiſtoricus, Antiquarius, Criticus & Poëta celeberrimus. Editus eſt in lucem *Antverpiæ* 3. Dec. A.C. 1560.

Cum à Parentibus nobilis conditionis hominibus ab ipſis penè incunabulis liberalium artium ſtudiis mancipatus eſſet, ſæviente tunc eâ in regione motu belli inteſtini acerbiſſimo, florentes aliquot Academias peregrè viſitavit: in quibus cum uberem politioris literaturæ ſupellectilem ſibi comparâſſet, accidit, ut juvenis fermè ad munus Profeſſorium Hiſtor. in Academiâ *Wittenbergenſi* ſuſcipiendum honorificè invitaretur.

Profeſſor Hiſtor. Wittenbergæ.

Ibi poſteaquàm exquiſitam induſtriam & doctrinam ſuam multis comprobâſſet, & emiſſis in publicum ingenii fœturis nominis famam hinc indè feliciter diſperſiſſet, paucos poſt annos de voluntate Sereniſſ. Electoris *Palatini* & Academiæ ſuffragiis *Heidelbergam* acceſſitus, ibi Bibliothecæ Archipalatinæ ac Hiſtoriarum Lectioni præfectus fuit. Licèt verò frequenter ei honoratiores & lautiores ab aliis Academiis offerrentur conditiones, unà cum ſtipendiis ampliſſimis, noluit tamen, avaritiæ nunquàm deditus, pedem ex eo *Athenæo* move-

Bibliothecar. Heidelberg. & Hiſtor. Profeſſor.

re, ubi multis annis cum viris doctiſſimis *Marquardo Frebero, Henrico Smetio* (cujus gener factus eſt) *Johanne Poſthio, Paulo Meliſſo*, *Michaële Lingelshemio* &c. fraternam coluit amicitiam, donec fatali irruente totius *Germaniæ* everſione, & *Palatinatu* ab *Ibero* milite infeſtato circa A.C. 1621. veteres illas & amatas ſedes deſerere coactus fuit, & *Brittæ* apud generum aliquo tempore degit.

Moritur. Obiit tandem *Heidelbergæ* 20. Sept. A.C. 1627. ætat. 67.

Vitam ejus prolixè deſcripſit *Balthaſar Venator.*

Dicere ſolitus eſt: *Germanos ex Italiâ reduces triplex incommodum afferre domum, Marſupium vacuum, Corpus valetudinarium, & malam Conſcientiam.* Item: *Hiſtoriarum lectionem plebejis delectabilem, Magnatibus neceſſariam eſſe.*

Scripta:

Scripta. *Suſpicionum Lib. IX. in quibus varia Scriptorum loca, præcipuè Plauti, Apulei, & Senecæ Philoſophi emendare & illuſtrare conatus eſt. Confirmatio Suſpicionum extraordinariarum contra Dionyſii Gotofredi lectiones & conjecturas in Philoſophum. Polyanthéa, vel Theſaurus Criticus, in quo infinitis locis Theologorum, Jureconſultorum, Medicorum, Philoſophorum, Oratorum, Hiſtoricorum, Poëtarum, Grammaticorum &c. ſcripta ſupplentur, corriguntur, illuſtrantur, & notantur, Tomis IV. Inſcriptiones Antiquitatum totius orbis Romani, cum appendice Epigrammatum. Panegyrici veteres ad antiquam editionem & ſcripturam emendati & aucti. Commentaria ad aliqua loca inſigniora Taciti. Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores Latini minores, cum notis Politicis. Florilegium Ethico-Politicum. Gnomæ & Parœmiæ Græcorum. Proverbia Germanica, Italica, Belgica, Gallica, & Hiſpanica. Notæ in Diſticha Catonis. Emblemata CC. Florilegium magnum. Bibliotheca exulum, ſeu, Enchiridion Divinæ humanæq; prudentiæ. Poëmata, pericula Poëtica dicta. Salluſtius cum omnibus in eum Criticis. Seneca Tragœdus. Plinius junior cum Panegyricis. Florus cum Notis. Tacitus cum omnibus in eum Criticis. Vellejus cum omnibus Criticis. Deliciæ Poëtarum Ital. Gallor. Germanor. & Belgarum. Criticorum Tomi VI. editi, inſtigante Jacobo Bongarſio, & Andrea Schotto. Chronicon Chronicorum, ſub nomine Johannis Gualteri. In hujus Libri Tomo II. dies natales & emortuales virorum literis armisq; inſignium exhibuit. Ciceronis opera in fol. Livius in fol. Martialis cum Notis. Seneca Philoſophus, & Rhetbor, cum Animadverſionibus.*

* *Ex Bibliothecâ Poëticâ Joh. Petri Lotichii, Med.*

Obiit A.C. 1628.

RUDOLPHUS GOCLENIUS.

Corbacci, Comit. *Waldeccenſis* oppido, natus eſt 1. Martii A.C. 1547. Philoſophus literatiſſimus, & in Academiâ *Marpurgenſi* Logices Profeſſor celeberrimus, claruit ſub literatiſſimo Principe *Mauritio, Haſſiæ Landgravio.* Studia Philoſophica plurimum exornavit & illuſtravit, adeò, ut Communis hujus ſeculi *Germaniæ* Præceptor ab eruditis meritò vocatus fuerit. Non verò tantùm in Logicis, Criticis, Phyſicis, Metaphyſicis, Poëticis, & Mathematicis diſciplinis graviſſimos publicavit Commentarios, per dimidium ſeculum, quo *Marpurg.* Academiæ ſummâ cum laude præfuit, ſed etiam Studium Poëticum excoluit, ſæpè numero à gravioribus lucubrationibus ad carmen reverſus. *Philoſophiæ Profeſſor Marpurgi. Poëta.* Præter eos, quibus 35. annorum ſpatio primam Philoſophiæ lauream tribuit, ultra 600. ſuâ manu Magiſtrorum impertivit honoribus. Officium & partes Decani inter Philoſophos uſurpavit octies, & Reipublicæ Academicæ Rector cum Imperio præfuit anno 1611. eò quidem tempore, quo Peſtis *Marpurgi* ſæviebat. Annis vitæ ſuæ poſtremis ſolitus eſt Epiſtolis & Carminibus ad amicos exaratis pulcherrimam iſtam clauſulam ſuperinducere, appoſito, ut moris, infra nomine v. gr. *R. Gocl.*

Jam meditans mortem, quæ veræ ſemita vitæ eſt. Vel:

Jam lethum meditans, quod lætæ janua vitæ eſt.

Seriùs aliquandiu in prandium Landgraſiorum *Haſſiæ* venienti, & in medio plurium ſedenti, non cibus, ſed potus ſolùm (ut qui forſan domi jam ſtomachum cibis repleviſſet) porrigebatur, ille verò, ex tempore ſeq. fecit diſtichon:

Eſuriunt medii, primi ſatiantur, & imi,
Non verum eſt igitur, medium tenuêre beati.

A. 1619. Synodi *Dordracenæ* propter *Arminii* dogmata ſingularia inſtitutæ interfuit, eò ablegatus à *Mauritio Landgravio Haſſiæ*, unà cum *Gregorio Crucigero*, Theol. Doctore, *Paulo Stenio*, Concionatore Aulico, & *Daniele Angelocratore* Superintendente. *Legat. ad Synodum Dordrac.*

Filium habuit cognominem, Medicum & Mathematicum clariſſimum, annis aliquot ante Patrem fatis properantibus ereptum.

Senex tandem obiit *Marpurgi* A.C. 1628. ætatis 81.

* *Ex Bibliothecæ Poëticæ Parte III. Joh. Petri Lotichii, Med.*

M. RUDOLPHUS GOCLENIUS CORBACENSIS.

Per Anagramma:

Luceſcens Sophos dum robur in Logicâ.

Scripta;

Scripta. *Miſcellaneorum Theologicorum & Philoſophicor. Partes III. Inſtitutionum Logicarum Libri III. cum auctario. Praxis Logica. Problemata Logica. Theſes Apologeticæ contra M. Caſp. Finckium, Prof. Gieſſ. Analogiam Sacramentalem, rationemque panis oppugnantem. Collegium Philoſophico-Theologicum, controverſiam de Perſonâ Chriſti & Cœnâ Dominicâ Scholaſticè explicans, in XX. Diſputationes diſtributum. Conciliator Philoſophicus ſcriptus in uſum opponentium ſimul & reſpondentium. Controverſiæ Logicæ & Philoſophicæ ad Praxin directæ. Partitionum Dialecticarum Libri II.*

Ana-


RODOLPH, GOCLENI,
Philoſoph. Prof. Marp.


BARTHOLOMÆ, SOVER,
Mathes. Prof. Patav.


IOHAN. BUXTORFFIUS
Lingu. Hebr. Prof. Baſil.


PETRUS BERTIUS.
Philoſoph. Prof. Lugd. Batav.


CÆSAR CREMONINUS
Philoſophus Patavinus.


PHILIPPUS FABER.
Philoſoph. Prof. Patavij.


LAURENTI, PIGNORI,
Philologus Patavinus.


FELIX OSIUS.
Oratoria Prof. Patavij.


IANUS GEBHARDUS
Hist. & Græc. ling. Prof. Græning.


WILHELM, SCHICKARD,
Philologus & Mathematicus.


ANDREAS SCHOTT,.
Soc. Jeſu & Eloq. Prof. Romæ


DANIEL SWENTER,
Ling. Sanctæ & Math. Prof. Altorf.


ERASMUS SCHMIDI,
Ling. Græc. & Math. Prof. Witteb.


MICHAEL VIRDUNGUS.
Politices Prof. Altdorf.


VINCENTI, MONTECALVUS
Philoſoph. Prof. Bononiæ.


GABRIEL CHIABRERA
Poeta Ligurinus.

Digitized by Google

Analecta Obſervationum Linguæ Latinæ, ſeu, puri ſermonis. Problematum Grammaticorum Libri V. Problemata Rhetorica. Problemata Ethica. Exercitationes Ethicæ, & Politicæ. Phyſicæ completæ Speculum. Notæ in Phyſicam Cornelii Valerii. Lexicon Philoſophicum Græco-Latinum. Pſychologia, hoc eſt, de hominis perfectione & animæ ortu Commentarii. Oratio de nativâ & hæreditariâ in nobis labe & corruptione. Dilucidationes præcipuarum exercitationum Julii Caſ. Scaligeri de ſubtilitate contrà Cardanum. Adverſaria ad aliquot Jul. Caſ. Scaligeri exercitationes. Iſagoge Optica cum diſceptatione Geometricâ de Geometricæ Magiſterio. Aſtronomiæ & Geographiæ rudimenta. Præcepta Metaphyſica. Coſmographiæ, ſeu Sphæræ Mundi deſcriptionis [illegible]*imenta. Urania, cum geminis filiabus Aſtronomiâ & Aſtrologiâ ſpeciali. Phyſiologia crepitûs ventris & riſûs, cum ritu Depoſitionis Scholaſticæ. Diſputationes Philoſophicæ Mauritianæ. Diſputationes & quæſtiones, quibus Practica Philoſophia Mauritiana illuſtratur. Liber Carminum ſelectiorum. Commentat. de ratione definiendi. Diatribe Meletematum Philoſophico-Theologicorum. Recognitiones in Commentarios Brun. Seidelii, de corpore & animâ hominis.*

Obiit A.C. 1629.

BARTOLOMÆUS SOVERUS.

Jeſuitar. diſcipulus.

NAtus eſt in Caſtello *Corberiâ*, quod paret Reip. *Friburgenſi* in *Helvetiâ*, honeſtis parentibus. Adoleſcens Patribus *Jeſuitis* operam dedit in bonarum literarum ſtudiis, ab iiſque in familiam receptus eſt: ſed parentibus renitentibus cum eſſet dimiſſus, in *Sabaudiam* ſeceſſit, ubi duorum nobilium ſtudiis præfuit.

Bibliothecarius Sabaud.

Hinc *Romam* profectus, animum altioribus diſciplinis excoluit. Tandem Bibliothecæ Ducis *Sabaudiæ* præfectus Principi *Mauritio* à ſtudiis fuit liberalibus, ut is S. *Rom.* Eccleſ. Cardinalis non minima dederit *Romanæ* eloquentiæ & civilis prudentiæ documenta.

Profeſſor Hiſtor. Taurini.

Taurini Hiſtorias publicè docuit. Sed cum bellis continuis literæ cum Gymnaſii dignitate vileſcerent, denuò *Romam* reverſus, præclaræ eruditionis famâ innotuit. Indè

Prof. Mathemat. Patavii.

Joh. Camillo Glorioſo in patriam redeunte, ſtipendio 500. florenorum invitatus illicò *Patavium* migravit, & Mathematum Lectiones publicas magnâ auditorum frequentiâ per triennium continuavit. Ibi febre lentâ contabeſcens piè obiit 23. Julii A.C. 1629.

Pridiè obitûs præſente *Johanne Prævotio*, Medico, & *Johanne Rhodio* extremam impoſuit manum erudito operi *De Recti & Curvi proportione.*

* *Ex Elogiis Virorum doctor. Jac. Philippi Tomaſini.*

Obiit A.C. 1629.

JOHANNES BUXTORFIUS.

BOno publico natus eſt ipſo Natali Dominico A. 1564. *Camenæ*, oppido *Weſtphaliæ*, Avum habuit *Joachimum Buxtorfium*, J.C. & in Patriâ Conſulem, qui trigam filiorum literis erudiendam curavit, tribusque diverſis facultatibus conſecravit, ſed qui Medicinæ ſeſe dediderat, *Theodoricus* immaturâ morte deceſſit. Alter Patri cognominis Jus Civile didicit, Comitum poſteà à *Waldeck* Cancellarius, cujus filius *Gerlacus Buxtorfius Baſileæ* A. 1612. Doctor Juris à D. *Joh. Gut* renuntiatus, indèque Syndicus *Bremenſis* factus eſt. Tertius *Johannes* Sacris à Patre deſtinatus, ob inſignes animi dotes Antiſtes Eccleſiæ patriæ conſtitutus, filium hunc ſibi cognominem ex *Maria Volmariâ* progenuit.

Parentes ejus.

Puer artium & linguarum prima tyrocinia fecit ſub *Georgio Fabritio Hammonenſis*, & *Friderico Beurhaſio*, *Tremonianæ* Scholæ Rectoribus. Patre rebus humanis exemto, domum revocatus, brevi pòſt indè *Herbornam* fuit ablegatus, ubi Theologor. eximiorum *Caſp. Oleviani* & *Joh. Piſcatoris* Lectiones avidè calamo excepit, easque in ſuâ Bibliothecâ ad extremum vitæ terminum retinuit. Cum autem ſtudium Sanctæ Linguæ ipſum impendio delectaret, fundamenta ejus jecit Ductore & Doctore *Johanne Piſcatore*, quam linguam tam celeriter didicit, ut æqualium agmen facilè prævérteret. *Herbornâ* relictâ uberioris ingenii cultûs capiendi ergò A. 1588. *Heidelbergam*, moxque *Baſiléam* ſe contulit, ut *Grynæum* & *Hoſpinianum* audiret profitentes. Ibi cum Domino *Grynæo* vivens & literas Hebræas avidè arripiens, ab eodem *Biblia Hebraica Venetis* typis excuſa dono accepit.

Herbornæ Theol. ſtud.

Diſcipulus in Ling. Hebr. Joh. Piſcatoris.

Cumque vicariam Linguæ *Hebrææ* Profeſſionem per biennium obiviſſet, tantam de ſe concitavit ſpem, ut conſentientibus Patrum Academicorum ſuffragiis An. C. 1591. in Profeſſorum Ordinariorum numerum cooptaretur. In eo munere cum cœlebs biennium exegiſſet, ſuadentibus amicis A. 1593. uxorem duxit virginem *Margarethem*, D. *Leonis Curionis* filiam, *Cœlii Secundi Curionis*, Philoſ. Profeſſoris famoſi, neptem. Ex eâ ſequioris ſexûs ſex, maſculini autem quinque, & quod rarum, uno partu tres filios ſuſtulit, qui omnes in ſummo Templo fuêre baptizati.

Baſileæ Prof. Ling. Hebr.

Conjugium ejus.

Uno partu tres filios nactus eſt.

Deſponſatum nunquàm illum à ſtudiis ſacris aut commodum abſtraxit, aut voluptas avocavit, aut ſomnus retardavit, ſed quotidiè 8. interdum 10. horas, quantum per valetudinem perq; publica negotia licuit, uni illi ſtudio conſecravit, à quo ne quidem in ſenectute diſcedere voluit. *Judæos* etiam ſæpè per aliquot menſes in ædibus ſuis aluit, ut ab iis ritus & cæremonias *Judaicas* rimaretur. Imò *Judæi* per totam *Germaniam*, *Poloniam*, *Moraviam*, *Bohemiam*, *Italiam* crebris eum literis fatigârunt, & integræ Synagogæ publicis eum literis ſalutârunt. Pontificii quin etiam tantum ejus doctrinæ detulerunt, ut multi, Jeſuitæ præſertim, ejus videndi gratiâ *Baſiléam* venerint, ipſius colloquio delectati fuerint, & libros ab ipſo editos coëmerint.

Ad Linguæ Hebr. ſtudium Judæor. converſatione uſus eſt.

Cum itaque propter eruditionem immortale nomen ſibi comparâſſet A. 1611. *Salmurium* ad Profeſſionem *Hebræam* vocatus fuit per literas Rectoris Magnifici Nobilis viri *Bodii* à *Trocboredià* Theol. Prof. Idem fecit poſtmodùm A. 1625. Academia *Lugdunenſis* oblato ſtipendio perquàm honeſto. Maluit autem deeſſe amicorum votis, quàm apud patriæ Senatum ingrati animi culpam in ſe derivare.

Vocationes alias recuſavit.

Sed ſicut in ſcribendo fuit admirabilis, ita publicè docendo tantam perſpicuitatem & dexteritatem adhibuit, ut omnes auditores in admirationem ſui raperet, quò factum, ut plurimi ex *Germaniâ, Galliâ, Angliâ, Scotiâ, Daniâ* ejus audiendi gratiâ *Baſiléam* venerint. In totâ ejus vitâ virtutes refulſerunt, Pietas, Humilitas, & Candor, ut dubium, utrum melior, an doctior fuerit?

Cum tandem à 7. diebus anthrace venenato in ſiniſtro dorſi latere oborto cum æſtu vehementi decubuiſſet, ad extremum vitæ halitum mente integrâ uſus, & in voluntate Divinâ acquieſcens placidè in Domino obdormivit 13. Sep. A.C. 1629. ætatis 65. Cum paulò ante Profeſſorum nomina ſuo tempore *Baſileæ* mortuorum annotâſſet, iisq; ſe brevi aſſociandum fore dixiſſet.

Moritur.

Cum *Margarethâ Curioniâ* viduâ filios reliquit duos, quorum *Johannes* ſtudiis Linguar. deditus, Dom. Patris veſtigia ſecutus eſt in patriâ Verbi Divini Miniſter. Ex filiabus verò tribus honeſtè elocatis *Magdalena* nupta fuit D. *Theodoro Zwingero, Jacobi* filio ad D. *Theodorum* in patriâ Paſtori: altera *Samueli Grynæo* ad D. *Leonhardum* miniſtro: tertia *Ludovico König*, Mercatori honeſto fuerunt elocatæ.

Scripta:

Scripta.

Manuale felix ſurgentis famæ auſpicium A. 1602. Synagoga Judaica, Juden-Schul *A. 1603. Epiſtolæ Hebraicæ 1603. Theſaurus Grammaticæ Hebr. A. 1609. Tract. de Punctis Hebræorum. Lexicon Hebraicum & Chaldaicum A. 1607. De Abbreviaturis Hebraicis libellus. Bibliotheca Rabbinica A. 1613. Grammatica Chaldaica, & Syriaca A. 1615. Grammaticæ Hebrææ Epitome. Biblia Magna Hebraica & Chaldæa A. 1618. Tiberiades, ſive Commentarius Maſoreticus A. 1619. Concordantiarum Biblior. Hebr. Opus, quod moriturus ſub prælo habuit. Lexicon Chaldaicum, Rabbinicum, & Thalmudicum. Manuale Hebraicum & Chaldaicum. Anti-Critica contra Capellum. Florilegium Hebraicum. Inſtitutio Epiſtolaris. De Sponſalibus & Divortiis. Diſputatio de Nominibus Dei. in Decalogum. Exercitationes de Arcâ Fœderis, de Igne Sacro, & Mannâ. De Rege Coſröe, & ejus Colloquio cum Sangaro Judæo. Abardenelis Diſſertationes Philologicæ.*

* *Ex Oratione parentali D. Danielis Toſſani, Gymnaſiarchæ Baſil.*

PETRUS BERTIUS.

Clar. A. C. 1629.

Beveris, Flandriæ Occident. pago, natus eſt 14. Nov. A.C. 1565. Patre Eccleſiæ *Roterodamenſis* Paſtore. Tertio à nativitate menſe, ferventibus ob Religionem perſecutionibus, in *Angliam* à Parentibus deductus, in ſuburbio *Londinenſi* prima Linguarum, Latinæ, Græcæ, Gallicæ tyrocinia poſuit, ſub *Chriſtiano Richio*, & privignâ ejus, virgine eruditiſſimâ, *Petroniâ Lansbergiâ*. An. 1577. in *Hollandiam* à Patre revocatus, Academiæ *Lugduno-Batavæ* nomen dedit, ubi & *Hebræam* Linguam ſub *Hermanno Rennechero* guſtavit, & literas humaniores ſub *Lipſio* ac *Vulcanio*, & S. Theologiæ principia ſub *Guilielmo Feuguerao*, *Lamberto Danao*, aliiſque. A. 1582. Academiam *Lugdunenſem* deſerere coactus, primùm in *Flandriâ Dunkerckæ*, poſteà *Oſtendæ* ſequentes octo, indè *Middelburgi* per annum unum, & tandem *Goëſæ* per annos quinque juventuti inſtituendæ præfuit.

Londini ſtudia inchoavit. *Studioſus Lugduni Batavor.* *Pædagogum egit.*

An. 1589. Iterum *Lugdunum Batavor.* veniens, in Scholâ triviali Lectoris Claſſici munere functus eſt biennii ſpatio, quo jacturam temporis intermiſſi in ſtudiis aliquo modo compenſavit, dum in Hiſtoriâ *Lipſium*, in Græcis *Vulcanium*, in Philoſophiâ *Ramſæum*, & in Theologiâ *Trelcatium* publicè docentes ſectatus eſt; privatim verò *Ciceronem*, *Ariſtotelem* & *Plutarchum* legit, ex iis notabilia diligenter excerpens, & nocturnis lucubrationibus reſtaurans occupationum diurnarum jacturam.

Poëſi etiam operam dedit, & diſputando publicè ac privatim ſe exercuit. Cum verò peregrinationibus quoq; delectaretur, ductus exemplo ſuorum æqualium, A. 1591. cum *Lipſio* valetudinis causâ *Germaniam* petente ſeſe in viam dedit, & *Heidelbergæ* ſubſiſtere decrevit, tum propter Bibliothecam, tum propter *Junium*, *Meliſſum* & *Freherum*: ſed cum ſentiret, non ſibi benè cum illo cœlo convenire, diſceſſit *Argentoratum*, ubi juventutem privatim docuit. An. 1593. Ab Academiæ *Lugdunenſis* Curatoribus per literas revocatus, ad Collegii propediem erigendi directionem, cum nondum animum peregrinando expleviſſet, per *Bohemiam*, *Sileſiam*, *Poloniam*, *Ruſſiam* & *Boruſſiam*, *Dantiſcum* vectus, tandem *Lugdunum Batavor.* rediit, & Regentis Collegii Theol. munus ſibi commiſſum ſeriò aggreſſus eſt, ſub ductu primùm *Jeremiæ Baſtingii*, deindè *Johannis Kuchlini*, cujus filiam poſteà duxit uxorem.

Heidelbergæ ſtudia tractavit. *Argentorati pædagogum egit.* *Peregrinationes ejus.* *Lugduni Regens Collegii.*

Bibliothecam tunc Academicam, de conſilio D. *Johannis Houteni* primus in eum digeſſit ordinem, quem ſequentes Bibliothecarii ſecuti ſunt. Philoſophiam tunc quoque Practicam publicè profeſſus eſt, & ab eo tempore Collegium Oratorium per annos 10. domi habuit. A. 1606. Socero *Johanni Kuchlino* defuncto in Collegii Theologici gubernatione ſucceſſit. Eodem anno Rex Chriſtianiſſimus in Coſmographorum ſuorum numerum cooptavit eum, ut *Galliam* ſuam deſcriberet: cum paulò ante *Arminianorum* fidem amplexus, & ab officio ſuo depoſitus *Lutetiam* diſceſſiſſet, ibiquè ad Pontificios defeciſſet, quos anteà Scriptis editis

Bibliothecarius. *Philoſophiæ Profeſſor.* *Collegii Theol. Præfes.* *Coſmographus Regis Gall.* *Factus Arminianus, & Pontificius.*

editis refutaverat. Ob hanc cauſam A. 1619. in Synodo *Dordracenâ* excomunicatus fuit.

Moritur. Obiit tandem A. C. 1629. ætatis 64.

Edita ab eo ſunt:

Scripta. *Orationes variæ, & Carmina ſparſim. Oratio de modeſtiâ in appetendâ gloriâ. Logicæ Peripateticæ Lib. VI. Tabularum Geographicar. contractar. Lib. VIII. Commentarii Rerum Germanicar. Lib. III. videlicet de Germaniâ priſcâ, & novâ, deque præcipuis Urbibus. Ptolomei Geographia Græcè & Latinè cum Tabulis. Hymenæus deſertor, ſive de Sanctorum perſeverantiâ & apoſtaſiâ. Apologeticus ad fratres Belgas, in quo calumniæ crimen ipſi à D. Johanne Piſcatore, Theol. Herbornenſi immeritò impactum diluitur. Oratio, quâ rationem reddidit, cur relicto Lugduno-Batavorum Pariſios commigrârit, & hæreſi repudiatâ Romanorum Catholicam fidem ſit amplexus, habita ibidem in Collegio Becodiano 6. Non. Octob. A. 1620. Eadem Latinè, Gallicè & Belgicè prodiit.*

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii. & ex Vitis Profeſſor. Leydenſ.*

CÆSAR CREMONINUS.

Obiit A. C. 1630.

E *Cento*, oppido *Mutinenſis* agri, natus A. C. 1550. floruit ubique nominis Majeſtate præfulgens. *Ferrariæ* primùm in diverſorio *Eſtenſium* Principum junior egit, ubi etiam doctrinæ *Peripateticæ* ſectator cum eſſet, publicâ docendi provinciâ ornatus eſt, quam ab anno æt. 21. usque ad 38. feliciter coluit. Indè verò increſcente ſummæ virtutis opinione ab acerrimis rerum æſtimatoribus *Venetis* illectus, ad *Patavinum* ſubſellium transmigravit, *Franciſco Piccolomineo* conſors datus. Ibi acris ingenii æſtu, perennique laudis contentione, haud eluſis juvenum votis, promeruit emortuo dehinc *Piccolomineo* in eminentiſſimâ ejus cathedrâ ſubrogari: tanto autem per 40. annos in eo munere conſummatæ gloriæ faſtu floruit, ut *Ariſtotelis* genius & Græcorum lucerna Interpretum omnium vocibus prædicaretur.

Philoſophiæ Profeſſor Ferrariæ ab anno æt. 21. *& Patavii.* *Franc. Piccolomineo ſucceſſit.*

Hinc omnes propè Reges ac Principes ejus vel viventis depictam ſuis in aulis imaginem virtutis meritò admirandam locârunt, ex quo etiam reſponſa de componendis privatorum animis velut ex oraculo *Delphico* ſciſcitabantur: ut enim inſigni fuit à naturâ dotatus acumine, ita graviſſimo judicandi munere præſtitit: ſui compos in ſuis ſemper collectus conſiliis, vividâ cunctis indole perblandus, nulli tamen fidâ ſincerâ animi conjunctione obſtrictus, comitate potiùs quàm doctrinâ privatis in congreſſibus fructuoſus. Tanta verſatilis ingenii decora turpavit una ſtudentum animis imbibita opinio, quod is deteriores & reprobatiores de rebus Phyſicis ſenſus tueretur acrius, quàm Chriſtianæ fidei liceret alumno: olet enim morboſi animi virus, Divinos hominum ſpiritûs cum brutis animantibus communes facere, corruptioniq; reddere obnoxios, veſano rationis auſu, quando quisque niſi amens cœlatos in ſe ipſo percipiat igniculos mentis etiam ad poſteros duraturæ. Sed aliàs pariter de Fato, de Mundo, de Cœli motoribus placita perpetim interpretatus eſt. Illud mirandum eſt, quod opera illius typis excuſa in Officinis eviluerunt, ſed Scripta *Peripati* more diſcipulis ab ipſo deambulante dictata ſic excellunt, ut nihil ad arcana Philoſophię detegenda perfectius deſiderari poſſit.

Opiniones periculoſas fovit.

Compage corporis fuit concinnâ, procerâ, fronte ſubrigidâ, oculis acribus, inceſſu gravi, cœterùm totius aſpectûs nitore intuentium acies jucundius perſtringente. Octuagenarium tandem funeſta peſtis *Patavii* ſurrepſit A. C. 1630. *Obiit peſte.*

Monachi S. *Juſtinæ* ex teſtamento hæredes cadaver in Eccleſiâ ſuſceperunt.

* *Ex Muſæo Hiſtorico Job. Imperialis, Phil. & Med. Vicentini.*

Scripta:

De calido innato & Semine. Deſcriptio Univerſæ Naturalis Ariſtotelicæ Philoſophiæ. Fabula Paſtoralis Etruſco ſermone ſcripta, titulo Amyntas & Cloris. Liber in Prœmium Phyſicor. Ariſtotelis continens Tractatum de Pediâ. *Scripta.*

PHILIPPUS FABER.

Obiit A. C. 1630.

F *Aventinus*, in vico *Spinatâ Romaniæ* parentibus humilibus *Thomâ* & *Franciſcâ* natus, & in urbe *Faventiâ* Civitatis jure donatus, ex Conventualium *Franciſcanorum* ſtipite prodiens, *Scoticam* doctrinam alternis impugnantium fluctibus propè obrutam ad priſtinum robur ingenii ſui validitate reſtituit: quo poſteà merito ejus Sectæ lucerna & propugnaculum ſummo eruditorum conſenſu vocatus eſt. Et quidem hujus Viri phraſis Scholaſticorum more haud inſulſa & inepta, ſed in ſui ſimplicitate planis diſtincta ſententiis atque optimâ ordinis ratione ſuffulta diſputando permovet, decernendo perſuadet, exæquat copiam opinionum firmitas, ſubtilitatem facilitas temperat.

Monachus Franciſc. *Scoti propugnator.*

Cum *Patavii* ſtudiorum Philoſ. & Theol. curſum incepiſſet, eumque *Romæ* abſolviſſet, Baccalaureus poſteà creatus *Venetias* venit, ibique Philoſophiam prælegit. Hoc nominis plauſu in generalibus ejus Religionis Comitiis votis omnium ſupremus Aſſiſtens electus 30. ferè annorum curriculo injunctam ſibi provinciam incredibili ejus Ordinis commendatione tutatus eſt. In diverſis Religionis ſuæ Cœnobiis, *Cremonæ* per triennium, *Parmæ* 6. & *Patavii* 4. annis Regentis ſtudiorum officio functus eſt. Intereà *Monachi D. Juſtinæ Patavii* diu ſibi Philoſophiæ ac Theologiæ dogmata explicantem coluerunt: undè poſtmodùm à Gymnaſiarchis *Venetis* ad *Patavinam* Metaphyſicæ cathedram nobilitandam traductus: triennio verò exacto ad ſublimiorem alteram Theologiæ *Cæſari Mordano* ſucceſſor evectus, ſtipendia nulli ad eam usque diem Conventualium Theologorum collata à Senatu *Veneto* promeruit. Quocirca grato ergà

Baccalaur. Theol. *Philoſophiæ Profeſſor Venetiis.* *Generalis Aſſiſtens Franciſcanorum.* *Patavii Metaphyſ. & Theol. Profeſſor.*

Digitized by Google

Romam venire noluit. ergà ejus munificentiam obſequio nunquàm aliò recedendi conſilium amplecti potuit, vel ab ipſo etiam S. P. *Urbano VIII.* accerſitus, quò Sacræ in Urbe Inquiſitionis conſultoribus adderetur. At ipſum æquè retraxit dulcioris ac literarii amor negotii, quo ab ineuntibus implicitus annis divino ſuæ mentis oblectamento ſenuerat.

Fortè etiam adeptam in *Vaticani* faſtigio virtutis famam præſentiâ minimè periclitandam putavit: quippè licèt aſpectu corporis venerabili, robuſti, benè compacti proceri, orisque dignitate ingenuo pallore ſuffuſi promineret, attamen cum ſe minus loquendi artibus habilem noſceret, quarum in ejusmodi Conſultationibus vigor perelegans ac ſæpè inopinatus requiritur, reliquum vitæ magis impolluto decori quàm illaudatæ ambitioni devovit.

Igitur Deo, Muſis, diſcipulis, orando, ſtudendo, dictando exempla, immortalitatis *Amici ejus.* imaginem, virtutis admirationem proponere nunquàm deſiit. Amicitiam coluit ſingularem cum Card. *Felice Centino Aſcolano*, *Marcello Lantes*, Protectore Conventualium Minorum, & *Dominico Ginnaſio*, qui Patrem hunc ſummo in honore habuerunt. Anxius & anhelus fuit in Scientiis ornandis ſolitudinem quærere, ſcriptaque indies ſolidiora contexere, quorum plurima edidit. Multa verò in manûs *Felicis Oſii* humaniorum in Gymnaſio *Patavino* Profeſſoris perventa cum ipſo immani peſtilentiâ ſurrepto iniquiùs perierunt.

Moritur. Ipſe febris incendio ademptus *Patavii* obiit 28. Aug. A. C. 1630. ætatis 66.

Sepultus jacet in Eccleſiâ D. *Antonii*, cum hoc monumento:

Epitaphium.

PHILIPPO FABRO FAVENTINO,
CONVENTUALIUM ORDINEM SACRA VITA, REGIMEN STUDIORUM, PROVINCIALATU BONONIENSI, PERIPATETIC. ET SCOTIC. PALÆSTRAM LIBRIS, LOGICÆ, PHYSICÆ, METAPHYSICÆ, SCHOLASTICÆ, CHRISTIANAM FIDEM SCRIPTIS IN ATHEOS ET HÆRETICOS ACERRIMIS, PATAVINAM UNIVERSITAT. STUDIIS PHILOSOPHIÆ AC THEOLOGIÆ, ANNIS XXVIII. VITAM MORTALEM LXVI. IMMORTALEM A MDCXXX. VIRTUTIBUS ILLUSTRANTI.
PATAVINI PATRES AMANTES AMANTI JUSTA SOLVUNT.

Scripta:

Scripta. *De Primatu Petri & Pontificis Romani, Opus ſolertiſſimum adverſùs 4. priores de Republ. Eccleſiaſticâ libros Marci Antonii de Dominis, damnati Epiſcopi Spalatenſis. Diſputationes Theologicæ Complutenſes. Adverſùs Atheos. De Oratione, de Angelis, de Incarnatione in genere & ſpecie. Commentar. in IV. Libros Sententiar. in XII. Libros Metaphyſicor. in Philoſophiam Scoti. Metaphyſica, quam poſteà Matthias Ferchius Veglienſis ejus Succeſſor, adjectâ ipſius vitâ, edidit. Philoſophia naturalis Johannis Duns Scoti ex 4. libris Sententiarum & Quodlibetis collecta. Tractat. de Prædeſtinatione, de Pœnitentiâ, de Peccato, de Sacramento Ordinis, de Cenſuris Eccleſiaſticis, de Purgatorio, de Indulgentiis, de Reſtitutione & Extrema Unctione. Scripſit etiam in Ariſtotelis Logicam, Phyſicam, de Cœlo, de Animâ.*

* *Ex Muſeo Hiſtorico Joh. Imperialis, Phil. & Med. Vicent.*

LAURENTIUS PIGNORIUS.

Obiit A. C. 1631.

NAtus eſt *Patavii* 12. Oct. A. 1571. *Antonio* patre. In patriâ Philoſophiæ ſpatia emenſus, Antiquitatis ſtudiis ſe totum dedit. Jurisprudentiæ quoq; cognitionem non levem adeptus eſt, & Eccleſiaſticæ vitæ addictus, Theologiam coluit. *Sacerdos.* Cœlibatum perpetuò coluit, & Sacris Ordinibus initiatus A. 1602. manu *Marci Cornelii Marci* Epiſcopi *Patavini*, ipſi fuit à Secretis. A. 1605. ab eodem *Romam* deductus, *Antiquitatum indagator Romæ.* biennium ibi ſtetit, & otium omne in Antiquitatis Reliquiis perluſtrandis inſumpſit.

A. 1607. *Româ Patavium* reverſus, ſacris virginibus D. *Stephani* datus eſt Eccleſiæ Rector, earumque confeſſiones excepit. *Clericus Patavii.* Clericatu quoque S. *Clementis* ab iisdem Monialibus decoratus eſt. Oblatam ſibi Lecturam humaniorum literarum & Eloquentiæ in Gymnaſio *Piſano* renuit, quietis & patriæ ſuæ ſtudio. Varia Civitatis *Patavinæ* monumenta è latebris eruit, & in Numiſmatibus Veterum interpretandis veluti Oraculum eſt habitus. Inter *Recovratos Patavii* præcipuè fulſit. *Muſæum habuit antiquitatis plenum.* Muſæum ipſius refertum fuit Iconibus Virorum doctorum, Nummis & Numiſmatibus, Statuis, variâque ſupellectile antiquariâ, gemmis item, mineralibus, foſſilibus & aliis rarioribus. Bibliothecam habuit ex meris libris Veterum Autorum manu ſcriptis *Latinis, Græcis* & *Italicis*. *Canonicus Tarvis.* A. 1630. Canonicatum *Tarviſinum* nactus, non multo pòſt *Patavii* peſte ſæviente ſubreptus vivere deſiit menſ. Jun. A. C. 1631. ætatis 60.

Scripta:

Scripta. *Characteres Ægyptii*, hoc eſt, *Sacrorum, quibus Ægyptii utuntur, Simulachrorum delineatio & explicatio. Symbolarum Epiſtolicarum Libri III. Carminum Lib. II. Comment. in Emblemata Alciati. Antiquiſſimæ Picturæ, quæ Romæ viſitur, Typus, ad V. N. Caſſianum à Puteo Equitem. De Servis, & eorum apud veteres miniſteriis Commentar. Miſcella Elogiorum, Acclamationum, & Epitaphiorum. L'Origini di Padoa. Antenore. La vita di Santa Giuſtina Protomartyre Padoana. Elogia Anachoretarum Jacobi Cavatii recognita, adjectâ Præfatione. Sacror. Monumentorum Lib. Etruſco Idiomate. Comment. in Julii Obſequentis Lib. de Prodigiis. Notitie Hiſtoriche ſopra la Gieruſalemme del Taſſo.*

* *Ex Elogiis Viror. doctor. Jacobi Philippi Tomaſini.*

Dominicus Molinus, literatorum Mecœnas, hoc ei Monumentum in domûs ſuæ faſtigio ſub porticu D. *Laurentii* poſuit:

D. O. M.

Epitaphium.

D. O. M.
LAURENTIO PIGNORIO,
ALTERI HUJUS ECCLESIÆ PRIMUM PAROCHO,
DEINDE TARVISII CANONICO,
PIETATE AC MORUM SANCTITATE SPECTATISSIMO, VERO CANDORIS ET
PUDORIS EXEMPLO,
LITERARUM OMNIUM CUM GRAVIORUM TUM
POLITICORUM PERITISSIMO
PENITIORIS ANTIQUITATIS NON MINUS CERTO QUAM CURIOSO INDAGATORI.
PATRIÆ, AMICORUM, ET SUI IPSIUS MEMORIÆ LUCULENTISSIMIS SCRIPTIONIBUS
PROPAGATORI,
MUSARUM DENIQUE ET GRATIARUM CORCULO ET OCELLO
DOMINICUS MOLINUS
SEN. VEN. AMICO AC HOSPITI CARISSIMO
ET JUCUNDISS. P.
OB. ANN. clↃ Iↄ CXXXI. IDIB. JUNII.
VIXIT ANN. LIX. MENS. VIII.

FELIX OSIUS.

Obiit A.C. 1631.

Oſiorum familiæ origo.

MEdiolani 12. Julii A. 1587. Patre *Joh. Baptiſtâ* natus eſt ex vetuſtâ urbis *Mediolan.* familiâ, quæ à *Græcis* Sacerdotibus *Apollinis Delphici* (qui *Oſii* nuncupabantur) originem traxit, per multos annos floruit. Graſſante verò per urbem diſcordiâ, cum hæc familia *Turrianorum* partes adverſus Vicecomites ſequeretur, fractis *Turrianis*, in exilium acta eſt, & in varias Orbis partes diſtracta. Ex eâ deindè in *Poloniâ* prodiit *Stanislaus Oſius* Cardinalis, *Romæ*, *Joh. Baptiſta Oſius* Epiſcopus, *Franciſcus Oſius Ravennæ* Poëta *Hetruſcus*, & *Hieronymus Oſius* Poëta Germanus.

Felix hic juvenis eloquentiæ ſtudiis & linguæ Græcæ incubuit, Præceptore D. *Olgiato* & *Antonio Salmazâ*, in Rhethoricis D. *Cæſare Isnardo*, *Soc. Jeſu*, quem defunctum Elegiâ deflevit an. æt. 16. Hinc Cardinali *Borromæo* cum innotuiſſet, in peculiari Collegio Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis per triennium operam dedit. Quo exacto cum an. æt. 21. S. Theologiæ Lauream obtinuiſſet, eam ibidem docere cœpit, moxque Sacris initiatus literas humaniores & Rhethoricam in Collegio *Helvetico*. Indè *Bergamum* evocatus, in Collegio S. *Mariæ Majoris* tribus annis manſit. A. 1621. *Patavium* accitus, publicam Urbis Scholam obtinuit, & A. 1624. à Gymnaſii Moderatoribus *Pauli Benii* Succeſſor factus, Eloquentiæ Cathedram adeptus eſt, quam ſexennio cum laude ſuſtinuit, Collegâ *Johanne Thuilio* Poëtâ, Philoſopho, & Medico. Ibi *Dominico Molino* & *Franciſco Maurocæno* Senatoribus *Venetis* gratiſſimus, cum eos aliquando de inſtruendâ Bibliothecâ monuiſſet, illi ipſum aucto honorario Libris pubico uſui deſtinatis præfecerunt.

Theologiæ Doctor. *Profeſſor Eloquent. Patav.* *Bibliothecarius.*

Per *Italiam* nomen ejus adeò inclaruit, ut Viri eruditi opus aliquod edituri applauſum id habiturum non crederent, niſi *Oſii* quodam Epigrammate fuiſſet exornatum, ab ejusdemque judicio prius fuiſſet approbatum.

Tandem peſte *Italiam* vaſtante febre correptus, ſeptimâ morbi die absq; Teſtamento vitâ deceſſit 24. Julii A. C. 1631. æt. 45. *Patavii* ſepultus in Templo Patr. *Soc. Jeſu.* *Moritur.*

Scripta :

Scripta.

Albertini Muſſati Hiſtoria de geſtis Henrici VII. Imp. notis illuſtrata. Rerum Patavinar. authores varii. Epiſtolarum Lib. II. In Ottonis Murenæ Hiſtoriam Notæ imperfectæ. Carmina varia. Romano-Græcia, ſeu de communibus utriusque Populi moribus Comment. II. De Sepulchris & Epitaphiis Ethnicorum Lib. VI. De Chriſtianorum Sepulchris Lib. VI. Ritûs utriusque Reliquiæ Sacri & Prophani in XVI. Centurias diſtributæ. Elogia Scriptorum illuſtrium. Syntagma de Hermis, Hermathenis, Hermerotis, & Hermeraclis. Adagiographia nova antiquis Proverbiis referta Librorum totidem quot Scriptorum. Poëtarum & Hiſtoricorum Vindiciæ. Schediaſma de veterum Statuis & Monumentis. Inſcriptionum antiquitatem inſimulantium Lib. I. Orationum Volumen I. Præfationum & Chreiarum Volum. II. Hercules in Bivio, cum Orationibus Virtutis & Voluptatis ad eundem. Academiæ Marianæ ab eo Bergami inſtitutæ A. 1618. auſpicia & progreſſus.

* *Ex Elogiis viror. doctor. Jacobi Philippi Tomaſini.*

JANUS GEBHARDUS.

Obiit A.C. 1632.

NAtus eſt in *Palatinatûs* ſuper. oppido *Schwartzhofen*, non procul à *Neoburgo* ad Sylvam *Gabretam*, 8. Febr. A. C. 1592. Pater ejus fuit *Johannes Gebhardus*, in eo loco verbi Divini Antiſtes, Mater *Barbara Argiſedera*, Civis *Ratisbonenſis* honeſta filia. A. 1605. Pædagogéo *Ambergenſi* inſertus, cui tunc magnâ eruditionis famâ præerat *Wigandus Spanhemius*, Theol. Doct. in eo per 7. annos exercitatus, eos in bonis literis fecit progreſſus, ut A. 1612. in Academiam *Heidelberg.* miſſus fuerit, ubi in numerum alumnorum Collegii Sapientiæ, Præſide *Quirino Reutero*, Theol. Doct. receptus, per triennium multijugâ eruditione ingenium excoluit. Cum verò animus non inclinaret ad Theologiæ ſtudium, promovente hos naturæ ductûs Sereniſſ. Electore *Friderico V.* totum ſe humanioribus ſtudiis, Oratorum, Hiſtoricor. & Poëtar. lectioni dedidit, præeunteque *Jano Grutero* laudabiles in Philologiâ fecit progreſſus.

Theologi filius. *Alumnus in Collegio Sapientiæ Heidelbergæ.* *Jani Gruteri, Philologi, diſcip.*

A. 1621. Lamentabili *Heidelbergæ* excidio, *Biantis* inſtar, ſolo ingenio opes ſuas ſecum efferens, elapſus *Marpurgum* in *Haſſiam* menſ. Sept. delatus, confeſtim apud præcipua Literarum lumina facem favoris & amicitiæ ſibi accendit. Cum autem non ita facilè exilio afflictum ſublevare poſſent amici, *Caſſellas* dimiſerunt Principi commendatum, à quo ei in Collegio Nobilitatis primaria Latinæ linguæ Profeſſio oblata eſt. Sed ille tutiora petens loca, *Buckaburgum* ſe contulit, ubi per annum Convictor fuit *Melchiori Goldaſto Heimsfeldio*, Conſiliario *Holſato Schaumburgico*.

Caſſellis Lat. Ling. Profeſſor.

Iii iii iii A. 1622.

A. 1622. Indè in Academiam *Roſtochienſem* ſeceſſit: Ibi cum nihil ſubſidii ex patriâ vel aliundè ſuppeteret, & honeſta in Aulâ *Guſtrovienſi* apud *Ottonem Preen*, Conſiliarium primarium conditio vivendi offerretur, fideli & bienni in egregiam adoleſcentum indolem collatâ informatione tantum eſt conſecutus, ut dignâ gratitudine Præceptorem ſuum honoraverint. An. 1625. Literis vocatus D. *Johannis Scyttæ* in Academiam *Sueciæ Upſalienſem* ad Profeſſionem publicum eò transfretâſſet, repulſam in ambiendâ Profeſſione tulit, tanquàm exterus & alienæ religionis.

Roſtochii privatim Hiſtorica docuit. Ideò *Roſtochium* redire coactus, tolerabili vitæ ſorte contentus, ad triennium ſubſtitit, donec belli flammâ paulatim eâ etiam Academiâ diſſiparetur. Ibi cum perſpecta ſatis ejus eſſet eruditio, à Senatu Academico indultum fuit, ut privatis lectionibus ſtudioſam juventutem erudiret, quod felici cum ſucceſſu præſtitit. Nam *Romanam* Hiſtoriam explicuit, *Cæſarem* & *Saluſtium* prælegit, plurimis exercitiis Oratoriis, Poëticis & Hiſtoricis præfuit, in *Cornelium Nepotem* Notas Politicas, & ad ultimum locos communes ex *Juſtino* & *Floro* contexuit: ita, ut ſedulitate hâc Primores Academiæ ducti mox An. 1627. profeſſionem Eloquentiæ publicam illi detulerint. *Profeſſor publ. Eloquentiæ.* Quam Profeſſionem licèt paulò pòſt Princeps *Johannes Albertus* ratam habuerit, potentior tamen quorundam rigor contra diſſidentem in religione fuit, quo minus exul admitteretur. Convaſatis igitur reculis ſuis 12. Maji An. 1628. *Groningam* devenit, publico inſtructus teſtimonio Academiæ *Roſtochienſis* vitæ ibi cum laude peractæ.

Accedente verò comendatione D. *Henr. Altingii* eò res deducta eſt, ut ab Illuſtr. Ordinibus Dom. *Ubboni Emmio* Succeſſor in Prof. Hiſtoriar. & Linguæ Græcæ ſurrogaretur, quam functionem cupidè amplexus omni reliquâ vitâ ſuâ cum laude ornavit. *Groningæ Hiſtor. & Linguæ Græcæ Profeſſor.* Ibi 20. Maji A. 1629. nuptias celebravit cum *Margaretâ Schumigiâ*, *Nicolai Barlinchoſii*, Civis *Groningenſis* honeſti viduâ, natâ Spectabili viro Dom. *Bartholdo Schamigio* ex *Rudolphâ Altingiâ*. *Uxorem duxit.* Ex eâ anno ſeq. filiolam ſuſtulit *Rudolpham*, utrique parentum ſuperſtitem: at uxorem ipſam decendio poſt partum illum amiſit. Hanc cum biennio quaſi eluxiſſet, jamque ad ſecunda vota tranſiturus eſſet, fide matrimonii datâ & acceptâ à virgine *Margarethâ*, *Egberti Halbeſii*, Senatoris *Gröningenſis* filiâ, choleræ morbi vis ſurſum deorſumque bilioſâ excretione & inteſtinorum paſſionibus infeſta adeò corpus ejus debilitavit, ut tandem iteratis aliquoties ex Apocalypſi verbis, Veni JESU, veni, coràm Amicis & Verbi Divini Antiſtitibus placiciſſimè anima ejus exſolveretur 3. Octob. A. C. 1632. ætatis 40. *Sponſus cholerâ obiit.*

Exuviæ ejus ſolenni pompâ ab Academiâ elatæ, & in Choro Templi Academici depoſitæ ſunt.

Scripta: *Scripta.*

Crepundiorum lib. III. Opus Criticum corrigendis illuſtrandisque variis Poëtarum, Oratorum, & Hiſtoricorum Latinorum locis comparatum, ab ipſo in primâ juventâ A. 1615. Heidelbergæ elaboratum. Animadverſiones in Catullum, Tibullum, & Propertium. Antiquæ Lectiones. Specilegium in Cornelium Nepotem. Exilium, ſeu Carminum in exilio Scriptorum libri II. Paravit etiam Notas in univerſam Livii Hiſtoriam, quæ cum reliquis ejus libris in violentâ Heidelbergæ direptione perierunt.

* *Ex Vitis Profeſſor. Gröningenſ.*

WILHELMUS SCHIKARDUS.

Obiit A. C. 1635.

INſignem hunc & publico bono natum virum ab ipſis propemodùm incunabulis Sanctæ linguæ ſtudium tantoperè delectavit, ut maximo animo ac indefeſſo labore per totam vitam *Ebræam* pariter ac reliquas *Orientis* linguas tractaverit, eamque ſibi paraverit doctrinam ac eruditionem, quæ quàm pauciſſimos æquales, vix nunquam autem ſuperiorem habere videretur. *Linguæ Sanctæ ſtudium colit.* Latere eum aliquandiu fortuna voluerat, quaſi invidens publico bono tantum variæ eruditionis theſaurum, tandem verò agnitus repertusque ex *Herenbergâ* (oppido in Ducatu *Würtenbergico* ſito) propitio Numine extractus, & in lucem Academicam Cathedramque *Tubingenſem* non ſine magno Doctorum applauſu eſt collocatus. *Tubingam venit.* Atque cum *Hebræa* primùm docere cœpiſſet, probè intellexit, ſine aliarum, quas *Oriens* excolit & loquitur, linguarum cognitione impoſſibile eſſe, ut Sacram illam, & linguarum omnium principem rectè traderet, ſpartamque ſuam dignè exornaret, itaque labore ad ingenii felicitatem advocato, brevi perfecit, ut non modò *Chaldaicè* & *Syriacè* intelligeret, ſed quicquid uſpiam commentationum *Rabbinicarum*, quicquid *παραφράσεων* utrâque in linguâ extaret, id auſu planè *Herculeo* aggreſſus, incredibili curâ conficeret, inque rem ſuam feliciſſimè verteret. *Profeſſor Linguæ Hebrææ.* *Chaldaica & Syriaca*

Singulari ſolertiâ dexteritateque ſuâ & peculiari quaſi artificio docendi effecit, ut non modò celeriter, ſed & egregriè, ac cum multorum admiratione in Sacræ linguæ ſtudio plurimum ſint eruditi. Neque verò hic ſtetit animi ardor, ſed longiùs *Schikardum* ad vicinos *Arabes* quoque perduxit, cujus gentis linguam maxima hauſit aviditate, imò etiam *Turcicam* adjunxit & *Perſicam*, aliasque *Orienti* uſurpatas. *Arabica, Turcica & Perſica diſcit & docet.* Cœperant enim tunc Sacra *Orientis* ſpolia in plerisque Academiis oſtentari, paſſim *Chaldæus*, *Syrus*, *Perſa*, *Arabs* cœleſtes ſenſûs ſuo ſermonis genere explicare, noluit in tantâ linguarum gloriâ Noſter eſſe elinguis, ſed omni id agere ſtudio, ut illarum ſupellectilem ſibi compararet.

Quâ in re id præcipuè dignum fuit admiratione, quod cum aliundè vel nulla vel pauca admodùm ipſi ſuppeterent præſidia, ille pleraque omnia abs ſe uno peteret, & in

lectiſſimam hanc tot idiomatum *Orientalium* ſocietatem conferret, *Rabbinorumq;* inſtructus, placitis ita demùm Sacræ Profeſſionis munus ſuſtineri, ut cum laude abs ſe obiri poſſe ſtatueret. Sed & alio fine *Arabiſmum* ſibi tantoperè familiarem reddere cogitaverat, nimirum ut poſt acies Judæorum debellatas ipſum *Muhamedem* impugnaret, ejusque impiam & veſanam doctrinam magnæ Eccleſiæ Chriſtianæ bono profligandam aut ipſe ſuſciperet, aut alios doceret, ad quæ perficienda utinam ipſi vel vita longior contigiſſet, vel in laborum concatenatâ ſerie ipſe plus habuiſſet otii, ut præter illius ſui *Tarich* (quo omnibus hiſtoriarum antiquitatumque conſultis, unâ *Perſicæ* genealogiæ editione expectationem ſummam moverat) continuationem, Canones etiam Geographicos *Iſmaëlis Albuſedæ* ex *Arabico* verti cœptos cum commentatiunculis in lucem edere potuiſſet.

Profeſſor Matheſeos. Quo minus enim ſe totum linguarum rerumq; *Orientalium* ſtudio tradiderit, quæ ipſi demandata erat, prohibuit Profeſſio, Mathematica ſcil. quam cum eâdem fide atque diligentiâ privatim publicèque exornare conſtituiſſet, atq; indefatigabili cognoſcendi & docendi præditus eſſet deſiderio, hinc animum quoq; ad augendas illuſtrandasque diſciplinas Mathematicas applicavit, & igneo illo cœleſtis ingenii vigore comitatus, per immenſa Cœli decurrit ſpatia, animumque in omnes partes intendit, ut multa quotidiè nova inveniret, multa veterum errata deprehenderet, corrigeret, multaque aptiùs & commodiùs monſtraret. Temporis utpotè rei pretioſiſſimæ accuratam ſemper habebat rationem, ne minimam quidem ejus particulam ſine ductâ lineâ tranſmittens. Lectionum, non ſuâ, ſed auditorum culpâ nonnunquàm intermiſſarum diſpendium privatis & indefeſſis operibus amplè redemit, ut gratam æternamque nominis ſui memoriam comparârit. Vaſtus & exceſſus *Schikardi* animus non iis ſe pati poterat includi ſpatiis, in quibus jam ante ſudâſſent alii, & undè ad ſe gloriæ nihil, ad ſtudioſos utilitatis parùm proveniret, ſed excuſſo vulgaris Matheſeos jugo, ad ea animi curam convertere cogitaverat, quæ uti rara eſſent minimèque protrita, ita ſtudium Mathematicum diſcentibus longè faciliùs redderent, imò certiùs atque jucundiùs. Sic publico juventutis bono, & ad Planetarum theorias facilius feliciùsque animo complectendas viam primus invenit, familiaribusque commonſtravit, quæ tota *Copernici* Aſtronomia ſolo uſu circini & regulæ vel mechanicè reſolvi, vel numeris arithmeticè computari poſſet, quod artificium ipſe pictam Matheſin nuncupavit.

Inventiones Schikardi Mathematicæ. Nec minus *Schikardus Lunam* (ut *Apulejus* vocat,) multivagam ſidusque contumaciſſimum inventis egregiis, pariter ac aliorum obſervationibus in ſubſidium advocatis fultus, iis induit vinculis, quæ iſtum *Proteum* veram faciem oſtendere cogerent, excogitata in id nova *Lunæ* Theoria, quam ut uſitata ſimpliciorem dederat & planiorem, ita Cœlo ſuo hactenus longè exactiùs reſpondiſſe compererat. Fugerat Geometras, quomodo Eclypſis eſſet metienda, res deplorata videbatur, at noſter conicis ſuis inventis fretus rem omnem, datis modo tribus lineis contingentibus expediri ſine difficultate poſſe ſuis monſtrabat feliciſſimè, de refractionibus etiam doctiſſimè cœperat commentari, de quibus haud joco ille, ſed ſerio confirmare amicis ſolitus: *Natura*, inquiebat, *harum & quantitas ne Opticis quidem hactenus cognita fuit, mihi autem illa lippientis oculi dextri* (*hunc nimirum cælaturæ ſtudium hebetarat, corruperatq;*) *damno innotuere vel nolenti.* Sic igitur in intima Opticæ pervaſerat, tandemque variâ & eleganti doctrinâ ſuâ, (quâ tot alibi linguas alibi tantam Mathematicarum artium ſcientiam atque copiam complexus eſt) effecerat, ut in amorem ſui non vulgus modò doctorum, ſed ipſa eruditi orbis lumina, ipſosque Viros Principes converteret accenderetque.

Verùm ut *Archimedis* doctum olim & eruditum pulverem ferox & impius miles turbavit, cumque ipſo disjecit Domino, ita ſimile propemodùm fatum alter hic *Archimedes* ſubiit. Etenim in *Schikardum* fera immanis, lues ſc. peſtifera poſt elata ſuorum funera anno ævi currentis quinto & trigeſimo deſæviit, tot egregios ejus turbavit circulos, imò vim truculentiamque in ipſas etiam chartas & ſcrinia, atque hinc indè variè ſparſa & disjecta opuſcula glorioſè convertit, ita, ut in communi illo metu & terrore, ut fit inter hominum imperitorum manùs, qui ſervandæ domui adhibiti, vel prorſus perierint, vel ab aliis forſan clam indè ſubrepta fuerint. *Moritur.*

Opera:

Scripta. *Beginath Happeruſchim*, hoc eſt, *Examen interpretationum Hebraic. in Geneſin, quas vel Paraphraſtæ Chaldæi, vel Cabbaliſtæ, vel Thalmudiſtæ, vel Rabbini, vel noſtrates quoque Judæi ſupra ſacrum contextum contulerunt Tubingæ 1621. in 4to. Tarich*, hoc eſt, *Series Regum Perſiæ per annos ferè 400. ibid. 1628. in 4to. Spicilegium Hebræum ex nonnullis Exodi capitibus. Horologium Hebræum, ſive Conſilium, quomodo S. lingua ſpatio 24 horarum ab aliquot Collegis ſufficienter apprehendi queat. Infundibulum Hebræum Germanicè. Alphabetum Davidicum, ſeu Comment. in Pſalm. 25. De Jure Regio Judæorum tractatus. Argent. 1625. in 4to. Diſputationes duæ de rebus Aſtronomicis. ibid. in 4to. Aſtroſcopium pro facillimâ ſtellarum cognitione noviter excogitatum Franc. 1623. in 12mo. Paradiſus Saraceno-Judaica. Tub. in 4to. Ephemeris Lunaris in folio patenti. Deſcriptio prodigioſi Chaſmatis, quod A. 1630. menſ. Januario fuit conſpectum. De Mercurio in Sole viſo, ſeu reſponſum ad duas Gaſſendi Epiſtolas. De Pareliorum, qui an. 1633. menſ. Junio circa Solem gemini apparuerunt. Tractatus de globo, ſive pila ignea, quæ 1624. totum Germaniæ ſuperioris, tractum pervolitavit.*

Topographia Wirtenbergæ XIII. tabulis adornata. Ambſteld. in folio patenti. Modus ratioq; Tabulas Geographicas longè certiùs, quam fit vulgò, conficiendi. Tub. in 4to. Hiſtoria Purim. in 4to. Deus Orbus Saracenorum in 4to.

Opera Manuſcripta:

Capitula Patrum & Rabbinorum Nomenclator hiſtoricus. Canones Geographici Iſmaëlis Albufedæ ex Arabico ſermone tranſlati cum commentatiunculis. De Nummis Hebræorum. Eclogæ Sacræ. Grammatica Arabica. Triumphator vapulans. Index 54. Perſarum Judaicarum. Theoremata optica. Commentatio de refractionibus.

* *Sic Vitam Schikardi deſcribit Spizelius in templo honoris reſerato.*

ANDREAS SCHOTTUS.

Obiit A.C. 1630.

Antverpiæ natus A.C. 1552. Puer *Lovanii* in *Caſtrenſi* Gymnaſio Philoſophiæ *Peripateticæ* operam dedit. An. 1576. *Antverpiâ* ab *Ibero* direptâ *Duacum* venit, & in familiâ vixit *Philippi La Noy*. Indè *Lutetiam* concedens, in familiam *Augerii Busbequii* aſſumtus, amicos habuit *Puteanum*, *Scaligerum*, *Paſſeratium*, & *Pithœos*. Sacris *Cæſarauguſtæ* initiatus, decurſisque Philoſophiæ ſpatiis Artium magiſter creatus eſt. (*Philoſophiæ Magiſter.*) In *Hiſpaniam* à patre *Franciſco* miſſus, Academiam *Lovanienſem*, *Complutenſem* & *Salmantinam* luſtravit. Duos annos convixit *Antonio Auguſtino*, Archiepiſco *Tarraconenſi*, ex cujus ædibus in *Societatem Jeſu* commigravit A. 1586. in ipſo Paſchatos feſto. (*Societ. Jeſu ingreſſus.*) *Toleti* deindè triennio *Græcas* literas profeſſus, (*Ling. Græc. Profeſſor Toleti.*) ex *Hiſpaniâ* demùm in *Italiam* venit Superiorum juſſu, & *Romæ* poſt *Franciſcum Bencium* eloquentiam triennio docuit. (*Eloquentiæ Profeſſor Romæ.*)

InPatriâ tandem libris ſcribendis operam dedit, & vitam finiit A.C. 1636. æt. 84. (*Moritur.*)

Scripta: (*Scripta.*)

Adagialia Sacra Novi Teſtamenti Græco-Latina. Catalogus Catholicorum S. Scripturæ interpretum. Hiſpaniæ Bibliotheca Tomis III. diſtincta. Hiſpaniæ illuſtratæ Tomi IV. Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani Bibliotheca è Græco Latinè reddita, & Scholiis illuſtrata. Procli Chreſtomathia de Poëticâ, è Græco Latinè facta, & Scholiis illuſtrata. Tabulæ rei Nummariæ Romanorum & Græcorum ad Belgicam, Gallicam, Hiſpanicam, & Italicam monetam revocatæ. Huberti Goltzii Sicilia, magna Græcia, & Inſulæ notis illuſtratæ. Obſervationum humanarum Libri V. quibus Græci Latinique Scriptores, Philologi, Poëtæ, Hiſtorici, Oratores, Philoſophi emendantur, ſupplentur, & illuſtrantur. De bono ſilentii Religioſorum & ſecularium Lib. II. Philothei Angeli de mundi contemptu Libellus planè aureus, ab eo primùm editus. Vitæ comparatæ Ariſtotelis & Demoſthenis, per Olympiades ac Prætores conſcriptæ. S. Baſilii Magni Opera recenſita, Epiſtolis & Notis aucta. Comment. in Auctorem de Viris illuſtribus Urbis Romæ. Notæ in Cornelii Nepotis, ſeu Æmilii Probi fragmenta de Græciæ Imperatoribus. in Valerii Flacci Argonautica. in Aurelium Victorem à ſe erutum, ejusque Epitome. in Pomponium Melam de Situ Orbis. Notæ uberiores in Senecæ Rhethoris Suaſorias, & controverſias, expletis Græcis lacunis. De vitâ & Scriptis Alphonſi Salmeronis. De vitâ Jacobi Laynez, Soc. Jeſu Præpoſiti generalis II. & Franciſci Borgiæ Præpoſiti III. Laudatio funebris Antonii Auguſtini, Archiepiſcopi Tarraconenſis.

* *Ex Bibliothecâ Franciſci Swertii; & ex Catalogo Scriptor. Soc. Jeſu P. Petri Ribadeneiræ.*

DANIEL SCHWENTERUS.

Obiit A.C. 1630.

HOneſtis Parentibus *Norimbergæ* natus eſt ultimo Jan. A. 1585.

Fundamentis literarum in patriâ feliciter jactis, *Sultzbacum* in Scholam tunc celebrem à Parentibus ablegatus, majores in Latinis & Græcis progreſſus fecit, *Hebrææ* quoq; modicum tunc guſtum hauſit. (*Sultzbaci linguarum ſtudia aggreſſus.*) Exindè puer undecennis *Eliæ Huttero*, celeberrimo illi Philologo operam dedit, à quo *Hebraicæ* Linguæ pleniorem cognitionem accepit. (*Diſcipulus Eliæ Hutteri in ling. Hebr.*) Poſteà A. 1602. in Academiam *Altorfinam* à ſuis miſſus, & in numerum alumnorum receptus, telam ſtudiorum ſuorum porrò feliciter pertexuit. (*Alumnus Altorfii.*)

A. 1606. Matrimonium ſolenniter contraxit cum virgine *Magdalenâ*, *Caſpari Fiſcheri*, Civis *Norimberg.* honeſti filiâ, quæ ipſum ſpatio 17. annorum, ſexque inſuper menſium patrem fecit 11. liberorum. (*Conjugium ejus & Liberi.*) Eâ deindè A. 1623. defunctâ, poſtquàm annum in viduitate exegerat, duxit virginem *Mariam*, *Georgii Gruberi*, Senatûs *Norimb.* majoris, ut vocant, filiam, ex quâ ſuſcepit 5. filios, unamque filiam. Atque ita ex utroq; matrimonio pater 17. liberorum effectus, dimidiam duntaxat eorum partem ſuperſtitem reliquit.

A. 1608. In publicum Profeſſorem Linguæ Sanctæ adſcitus fuit. (*Altorfii ling. Hebr. Profeſſor,*) Deinceps verò A. 1624. Profeſſionem præcipuarum *Linguarum Orient.* ſimulque Collegii Inſpectionem, & curam Bibliothecæ ſibi à ſuperioribus commiſſam accepit, (*& linguar. Orientalium Inſpector Collegii, & Bibliothecar.*) cum anno priore 1623. Recturam Univerſitatis geſſiſſet, eo ipſo tempore, quo hæc Academia *Altorfina* in Univerſitatis faſtigium à Cæſ. Majeſtate ſublimata fuerat. Sed & A. 1628. Mathematum Profeſſio publica eidem injuncta fuit. (*Mathemat. Profeſſor.*) Prætereà quater Collegii Philoſophici Decanus, & A. 1629. Poëta trilinguis publicè creatus eſt. (*Poëta Trilinguis.*)

A. 1634. Ab Univerſitate *Wittenbergenſi* ad capeſſendam Profeſſionem Mathematum honeſto ſalario invitatus, eodem tempore ab *Erneſto*, Duce *Sax. Vinarienſi* ad conſtituendam Scholam *Würtzburgenſem* ſcriptis ad Senatum *Norimberg.* eâ de re literis evocatus, utramque functionem modeſtè ſe excuſando recuſavit.

Tandem cum per 28. annos publico docendi munere in Academiâ *Altorfinâ* laudabi-

dabiliter functus eſſet, circa feſtum *Epiphaniorum* recrudeſcens, arthritis eum lecto affixit, eiq; vivendi finem fecit 19. Jan. A.C. 1636. æt. 51.

Moritur.

Paulò ante conjugem dilectam partus doloribus extinctam, unà cum gemellis recens natis & mortuis graviter luxit, omnes uno funere, poſt habitum à D. *Georgio König* concionem funebrem terræ mandati ſunt *Altorfii*.

Unà cum uxore & gemellis terræ mandatus.

Ex Programm. fun. M. Jac. Brunonis, Eth. & Linguæ Græcæ Prof.

DANIEL SCHWENTERUS,
Per Anagr. G. *Theod. Hofmanni*:
Ab ductu leni ſerenus.
Anagramma *Joh. Henr. Omeis*, ſtud. Theol.
M. DANIEL SCHWENTERUS NORIMBERGENSIS.
Heu! Vir S. S. linguis ornatus emigrat benè credens.

Scripta:

Scripta.

Manipulus, ſeu Lexicon Hebr. Latinum ad formam Cubi Hutteriani. Geometriæ Practicæ novæ Tractatûs IV. Deliciæ Phyſico-Mathemathicæ Part. III. **Mathematiſche und Philoſophiſche Erquickſtunden.**

Obiit A.C. 1637.

ERASMUS SCHMIDT.

IN lucem editus *Delitii*, *Miſniæ* oppido, 17. April. A. 1570. Patrem habuit *Thomam*, Reip. Conſulem, literarum & Mathematum, Poëſeos etiam Muſicæque peritum: Matrem *Rebeccam*, *Wolffgangi Richteri, Delitiani* Senatoris filiam. Cum A.C. 1584. ætatis 14. Patrem amiſiſſet, & non ingenium tantùm profectûsque literarum, ſed mores ejus etiam Præceptores egregiè probarent, factum eſt, ut Senatûs Patrii autoritate in ludum Electoralem, qui *Portæ* eſt, mitteretur, eâ tum Latinarum & Græcar. literarum cognitione præditus, quam multi optarent, cum ludum illum relinquunt. At hunc cum eſſet ingreſſus, facilè ſibi Præceptorum, præcipuè M. *Jonæ Eccarti* & *Sethi Calviſii* benevolentiam conciliavit. Diſceſſurum ex eo ludo Præceptores Sereniſſ. Electori *Chriſtiano* comendârunt, cujus benignitate ſtipendium nactus eſt A. 1590. in Academiam *Wittenberg.* venit, & ibi A. 1593. Magiſterii laureâ ornatus eſt.

Scholæ Portenſis diſcipulus.

Philoſophiæ Magiſter Wittenb.

Quamvis autem tunc ſtudia Theologica diligenter tractare cœpiſſet, tamen in evolvendis autoribus Græcis & Mathematicis fatali quâdam deſtinatione plurimùm ſemper occupabatur. Quare M. *Petro Othone* exemto vivis Profeſſio Mathematica optimè ei committi poſſe Patribus Academiæ videbatur, quæ tamen poſteà ab Electoratûs *Sax.* Adminiſtratore *Melchiori Joſtelio* Med. Doctori, qui ſolus ei præferendus exiſtimabatur, commiſſa fuit. Non multo pòſt cum *Leutſchovienſis* Scholæ Rectoratus in *Hungariâ* vacaret, & conſilio Magni illius Theologi *Ægidii Hunnii* eò proficiſci non dubitavit. Sed ſpe ſuâ fruſtratus, luculento congiario & ab invitis dimiſſus, eo ipſo anno *Wittenbergam* rediit, & veterem ſtudiorum curſum continuavit.

Mathem. Profeſſor deſtinatus.

Melch. Joſtelius, Med. Doct. ei prælatus.

1. Maji A. 1597. Collegio Philoſophico adſcriptus, & menſ. Octob. ſeq. *Græcarum* literarum Profeſſionem autoritate publicâ ſibi demandatam auſpicatus eſt. Anno ſequenti 1598. junxit ſibi Conjugem *Annam Hugoniam*, *Joachimi Beckeri*, negotiatoris primarii *Hamburg.* & *Sophiæ* ex nobili *Hugonum* familiâ ortæ filiam, quam *Michaël Reichartus*, Oratoriæ Profeſſor publicus viduam reliquerat. Ex eâ 5. ſuſcepit liberos, ſolam tamen ſuperſtitem reliquit *Rebeccam*, M. *Johannis Schwalbii*, Eccleſiæ *Sonnewaldenſis* & vicinarum Superintendentis Uxorem. Hâc demortuâ, ad ſecunda vota tranſiit A. 1623. 18. Nov. domum ducens virginem *Magdalenam*, *Andreæ Tachſchereri*, Advocati *Miſnenſis*, filiam, quæ unicam ei filiam peperit, paulò ante Patrem immaturo fato extinctam. A. 1601. Inſpectio ſtipendiariorum Electoralium, & tertio anno pòſt 1605. Ludorum Illuſtrium Viſitatio ipſi demandata eſt: Mathematum quoque Profeſſio A.C. 1614. Quas partes omnes ſummâ ſemper fide & ſtudio adminiſtravit.

Witteb. Græc. Ling. Profeſſor.

Conjugium ejus, & Liberi.

Stipendiarior. Elect. Inſpector. Scholarum Viſitator. Mathemat. Prof. Witt.

Rectoratum Academiæ geſſit bis, Decanatum Collegii Philoſophici ſepties: quod nemini anteà contigit à primâ Academiæ conſtitutione. Ad Comitia publica quater miſſus eſt publico nomine.

Febre tandem ſcorbuticâ correptus, cum paulò antè colophonem ex voto impoſuiſſet ſuis in *Novum Teſtamentum Commentariis*, placidiſſimo obitu vitam finiit, die 4. Sept. A.C. 1637. æt. 68.

Moritur.

De hoc ſuo diſceſſu die præcedente præmonuerat, quaſi ſic allocutus ex Pſalmo animam ſuam: *Revertere anima mea in requiem, quoniam Dominus benefecit tibi.*

Cum 30. Aug. A. 1637. Comment. ſuis in Novum Teſtamentum in illis verbis Apocalypſ. ult. *Etiam venio citò, veni Domine Jeſu!* finem impoſuiſſet, paulò pòſt nonnihil horroris febrilis ſenſit, & inter prandendum aſſidentibus dixit: *Ea verba, quibus D. Johannes vaticinio ſuo, & ego hodiè laboribus meis impoſui finem, noviſſima fuerunt prioris meæ conjugis, de me quid brevi futurum ſit, docebit dies. Mihi profectò hæc res haudquaquàm omine videtur carere.*

Edidit:

Scripta.

Pindarum, inuſitatæ diligentiæ opus, quod eruditiſſimi Belgarum ita admirati ſunt, ut ultrò faterentur, tantum in difficillimo & corruptiſſimo autore præſtitum fuiſſe à Schmidio, quantum ab ullo mortalium præſtari poſſe vix credidiſſent. Witteb. in 4to. Commentarium in Novum Teſtamentum, in cujus Codice amici viderunt hæc verba ab eo præſcripta: In nomine Jeſu Chriſti ſpero ego Eraſmus Schmid Wittenbergam non devaſtatum iri, antequam plus labor circa Novum Teſtamentum totus abſolutus fuerit. DEUS eam cum totâ Eccleſiâ ſuâ diutiſſimè conſervet, & hoſtes ejus confundat! N. T. Concordantias, correctiùs, ordinatiùs, diſtinctiùs & pleniùs editas Witteb. 1638. in fol.

Commentationes in Dionyſium Afrum Periegetam, & Lycophrontis Caſſandram conſcripſit. Sibyllina in 3. themata diſtributa. Diſſertationem de Calendarii Emendatione. Item de Calendario Papiſtico. Tractatum de Principalibus Græcorum dialectis. Centurias præcipuarum falſitatum in libro grammatico Rhenii occurrentium. Orationem in obitum Friderici Taubmanni, & Davidis Rungii.

Epitaphium ejus *Witt.* in Templo *Franciſcanorum*:

Epitaphium.

HIC INTERQUIESCENS PLACIDE ALTERAM VITAM PRÆSTOLATUR M. ERASMUS SCHMIDT DELITIANUS THOMÆ CONS. F. GRÆC. LITER. NEC NON MATHEM. PROF. PUBL. QUI QUAMDIU IN VITA FUIT, SINGULARE PIETATIS, MODESTIÆ, PROBITATIS AC INNOCENTIÆ EXEMPLUM OMNIBUS LUCULENTISSIME PRÆLUXIT. NATUS EST PUBLICO LITERARUM BONO DIE XVII. APRIL. ANNO MDLXX. EARUNDEMQUE, MAXIME VERO GRÆCARUM, QUARUM SUMMUS VATES AC VINDEX EXSTITIT, DAMNO. DENATUS IV. SEPT. A. MDCXXXVII. CUM DOCUISSET PUBLICE XL. IPSOS ANNOS, EPHORIÆ ALUMNORUM ELECTOR. ANN. XXXVII. VISITATIONI SCHOLAR. ILLUSTR. ANN. XXXIV. INCREDIBILI FIDEI ATQUE INDUSTRIÆ LAUDE PRÆFUISSET, VITA QUAM CUM ALIIS COMMUNEM HABUIT AN. LXVII. MENS. IV. MINUS PAUCIS DIEBUS FUIT, SED QUAM INGENIO ET EXCELLENTI ERUDITIONE IPSE COMPARAVIT SIBI IMMORTALIS EST, NEC NISI CUM LITERARUM GLORIA FINIENDA. MARITO DESIDERATISS. PATRI OPTIMO, SOCERO BENE MERITO, UXOR, FILIA, GENER TESTANDÆ PIETATIS AFFECTUSQUE CAUSA P. C.

* *Ex Academiâ Wittteberg. à Gotfrido Suevo, J. C. editâ.*

Obiit A.C 1637.

MICHAEL VIRDUNGUS.

Filius *Matthæi Virdungi*, Senatoris *Kitzingenſis*, & *Annæ Nuboldiæ*. Natus eſt *Kittingæ* An. C. 1575. Fratres habuit *Wilhelmum*, & *Paulum*, Medicum & Mathematicum. Adoleſcens ſtudiorum gratiâ *Argentinam* veniens, Jurisprudentiæ, Politicæ, Poëſeos, & Hiſtoriarum ſtudiis dedit operam. Exindè *Jenam* ſe contulit, ubi à *Nicolao Reusnero*, J.C. Laureâ poëticâ coronatus eſt 21. Jan. A. 1597. Poſteà in *Bohemiam* abiit generoſo Baroni *Jaroslao à Schmirtzitz* ab ejus illuſtri Parente *Sigismundo à Schmirtzitz* Gubernator-adjunctus.

Coronatur Poëta Jenæ.

A. 1605. *Norimbergam* venit, & cum Reipubl. illi ſtudia ſua ritè obtuliſſet, ab eâ Profeſſor Hiſtoriarum & Eloquentiæ in Univerſitate *Altorfinâ* nuncupatus eſt. A. ſeq. 1606. Nuptias celebravit cum virgine *Margaretha, Johannis Lehneri*, Conſiliarii *Würceburgenſis* filiâ. A. 1619. Cum Rector Acad. *Altorfinæ* electus fuiſſet *Achatius* junior, Baro à *Dohnâ*, ab eâdem huic Vicarius datus eſt.

Fit Altorfii Prof. Hiſtor.

A. 1624. Juſſu Senatûs *Norimb.* Politicen quoque profiteri cœpit. 5. Nov. A. 1633. Eodem Senatu inclyto mandante Orationem publicam habuit *Altorfii*, quâ comparationem inſtituit inter *Guſtavum Adolphum*, Regem *Sueciæ*, & *Alexandrum Magnum*.

& Politice.

28. Octob. A.C. 1637. æt. 62. Cum ultra annum aſthmate graviter laboraſſet periodico, placidâ morte vitam clauſit, hâc poſtremâ voce prolatâ, ſibi inpoſterum melius fore, &, quod mirandum, ad poſtremam usque horam, exquiſito dolore veluti in familiaritatem adducto, à ſtudiis ſolitis nihil remiſit. Senem jam & morbis variè oppreſſum Ampliſſimi Univerſitatis Curatores aucto ſtipendio ſublevârunt.

Paucis ante obitum ſeptimanis, ad Dom. *Chriſtoph. Adam. Rupertum*, ſuum in Profeſſione Succeſſorem inter alia dixit: *Ita ſentio, & ſententiam meam pectori tuo ſemper inciſam volo, qui drachmam legitimè impetravit, talentum habet, & qui talentum improbè conſecutus eſt, is ne drachmam quidem habet.*

Scripta:

Orationes varii argumenti. Alexander Novantiquus, ſive, Magni Guſtavi Adolphi Suecorum Regis cum Alexandro Magn. Macedoniæ Rege Comparatio. Specul. Idololatriæ, ſive Oratio de fructu ex veteri hiſtoriâ capiendo adverſùs Idololatriam.

Scripta.

* *Ex Oratione funebri Chriſtoph. Adami Ruperti.*

MICHAEL VIRDUNGUS.
Per anagr. *G. Theod. Hofm.*
Vigil Deum curans.

Obiit A.C 1637.

VINCENTIUS MONTECALVUS.

A Vitæ laudis non inglorius Profeſſor, Patre *Coſmo* & matre *Diamante de Federicis Bononiæ* natus eſt An. C. 1573. Subtilis ingenii adoleſcens artibus ingenuis excolendis, maximèque contemplationibus naturalibus aptus, Philoſophiæ & Medicinæ operam dedit *Ticini, Patavii*, & *Bononiæ*. Exindè Laureâ utriusque diſciplinæ exornatus, ſuggeſtu dignus, Philoſophiam publicis in Scholis A. 1603. enarrare cœpit, Collegis Cl. *Baldo Papazzono*, *Pendaſio*, & *Calliepo*. Cumque jam per plures annos in patria docuiſſet, increbeſcente ejus famâ, in diverſa Gymnaſia invitatus, præſertim in *Ticinenſe* mille ducatorum honorario, ab Excell. *Venetis* Moderatoribus ad Lycæum *Patavinum*, & in *Pariſienſem* Academiam, ſed patriæ, familiæ, amicorumque deſiderio oblatas conditiones recuſavit. Vitæ enim genus adamavit quietum, cujus ſolutum & litibus, hilarique imprimis & tenerâ ſtudioſorum familiaritate gaudebat: ingenio aperto, liberali, perblando, cultu corporis nitido. Diſciplinæ ſuæ imitatores egregios reliquit *Joh. Aloyſium Gypſium*, *Bartholomeum Maſſam*, *Dominicum Felinum*, Philoſophiæ Doctores, *Dominicum Lanam*, Comitem *Fabium Albergotium*, *Ovidium Montalbanum*, publicum Matheſeos Profeſſorem,

Philoſophus & Medicus.

Philoſophiæ Profeſſor Bononiæ.

Rochum



AVBERTUS MIRÆUS
Hyſtor & Dec. Antverp



MATTHIAS BERNEGGER
Hiſtoriarum Prof. Argentorat



FRANCISC MAYVARTI,
Logic. & Phyſ. Prof. Groning



IOHANNES MEVRSI,
JCtus & Hiſt. Græc. Prof. Lugd.



GALILÆUS GALILÆI
Mathemat Florentinus



LUDOVICUS LVCIUS
Philoſophiæ Prof. Baſil




IOHANNES GRAVIUS.
Gymnaſij Ægid. Norib. Rector.



LEO ALLATIUS
Græc. Linguæ Prof. Romæ



TOBIAS ANDREÆ.
Ling. Græc. & Hiſtor. Prof. Gron



ERYCIUS PVTEANUS
Eloquentiæ Prof. Mediolani




IACOBUS MARTINI.
Puer VII annor. eruditiſſimus



DANIEL HEINSIUS
Poët. & Hiſt. Prof. Lugd. Batav.



GERHARD, IOH. VOSSIUS
Eloquent. Prof. Lugd. Batav.



OCTAVI, FERRARIUS
Orat. & Græc. Ling. Prof. Patavij



MATTHÆ, MERIAN.
Bibliopola et Chalcogr. Francof.



PETR, SCRIVERIUS.
Poëta & Philol. Lugd. Batav.

Rochum Baſſanum, *Peregrinum Riveri*, *Herculem Bettum*, *Franciſcum Ceſium*, *Carolum Emmanuelem Vizzanum*, in Gymnaſio *Patavino* ſubtilis ingenii Philoſophum, *Auguſtinum Marſilium*, *Carolum Aloyſium Scuppi*, Comitem *Aloyſium Bentivoli*, *Johannem Furlanum* Philoſophum & Medicum, *Franciſcum Saventem* Medicinæ Profeſſorem, *Galeatium Poëtam* Philoſophum, *Matthæum Gondum* publicum Med. Profeſſorem, *Ludovicum Boneti* Philoſophum & Medicum, *Franc. Nadalem*, publicè profitentes, *Horatium Dolci*, *Franciſcum Claudinum*, & alios ex variis orbis partibus.

Theologus. Munera inſuper Civilia patriæ commodo ſuſcepit varia, & Theologiâ ſummoperè delectatus, præ manibus ſemper habuit D. *Thomam* & *Cajetanum*. Cum annos 34. publicè *Ariſtotelis* libros explanâſſet, variaque ſcripta emiſit, quorum editionem debemus Nepotibus *Honorato Montecalvo*, Canonicorum *Lateranenſium* Abbati, *Pyrrhi* filio, politioris ingenii monumentis conſpicuo, itemque *Ovidio* ejus fratri U. J. D. Verùm morbus exitialis *Vincentio* eruditæ mentis hæc molimina intervertit: *Moritur.* febri namq; abſumptus die 18. Octob. An. 1637. in æde D. *Martini* majoris apud ſuos conditus eſt hoc Elogio:

Epitaphium.

HIC FELICIUS
QUAM IN PERIPATO QUIESCIT
ARISTOTELIS CHRISTIANI GENIUS,
VINCENTIUS MONTECALVUS PHIL. MED.
COLLEG. SENATORIO GENERE CLARUS,
AC SAPIENTIÆ FAMA CLARIOR.
QUI PATRII LYCEI COLUMEN
POSTQUAM INTER SUOS XXXIV. ANNOS
DOCUISSET, DUM NOVA SAPIENTIÆ MIRACULA POSTERITATI PARARET,
REDDIDIT MATRI MORTALES,
QUAS AB EA ACCEPERAT EXUVIAS:
ANNO MDCXXXVII. ÆTATIS SUÆ LXIV.
HORATIUS MONTECALVUS HÆRES
PATRIÆ SUÆ THALETIS OCCASUM DEFLENS
L. M. P.

Opera ab eo edita ſunt:

Scripta. *Lectiones ſuper varias materias Philoſophicas Bononiæ 34. annorum ſpatio habitæ. Metaphyſicæ Speculationes de primis & ſecundis Intentionibus. Commentaria ſuper Libros Priorum & Poſteriorum. De Ente quidditativo, & de ultimis differentiis. De Generatione & Corruptione. Tract. de Animâ. De febre putridâ ad mentem Hippocr. & Galeni.*

Vulganda hæredibus reliquit:

Commentaria in omnes ferè Libros Ariſtotelis. De Quadratâ. Super quartum Metæoron.

* *Ex Elogiis Viror. doctrinâ illuſtrium Jac. Philippi Tomaſini.*

GABRIEL CHIABRERA.

Obiit A.C. 1638.

Ex nobili familiâ *Savonæ* civitate *Liguriæ* maritimâ 18. Junii A.C. 1552. natus poſthumus, 15. poſt patris *Gabrielis* obitum die, *Romæ ſtudia inchoavit.* novennis *Romam* conductus ſub curâ fideli *Johannis Chiabreræ* avunculi ſui Linguam Latinam à Præceptore privato, Philoſophiam verò à Patribus Soc. Jeſu didicit. Animum prætereà ſtudiis Poëticis in linguâ patriâ recreans, Poëta evaſit ſuo tempore ſingularis, *Poëta ſingularis.* cui modus Cantiones ſtylo *Pindarico* anteà non viſus ſcribendi tribuitur, quem abindè multi Poëtæ nobiles amplexi ſunt. Ob Poëmata ſua peculiaria in Scenis præſertim exhibita, dona egregia accepit à variis *Italiæ* Magnatibus, nempè à *Vincentio Gonzagâ*, *Mantuæ* Duce, *Ferdinando I.* & *Coſmo* ipſius filio *Florentiæ* magnis Ducibus, & *Carolo Emanuele* Duce *Sabaudiæ*, à Rep. prætereà *Genuenſi* Privilegiis ſingularibus honoratus eſt.

Amicus Papæ Urbani VIII. Papæ *Urbano VIII.* à juvenilibus annis amicitiâ junctus, ab eo, cum annus Jubilæus celebraretur, *Romam* per Breve ſcriptum invitatus eſt, quæ gratia viris tantùm illuſtribus exhiberi ſolita mundo favorem hujus Pontificis erga *Chiabreram* pateſecit. Libertatis amans & aulas abhorrens peregrinationibus per Urbes *Italiæ* delectatus eſt, in nullâ tamen niſi *Florentiæ* & *Genuæ* habitare voluit. Quinquagenarius uxorem duxit *Leliam Pavenſem Savonenſem*, *Uxorem duxit.* ex quâ tamen nullos ſuſcepit liberos. In patriâ tandem decrepitus exſpiravit 14. Octob. A.C. 1638. æt. 86. Sepulchro ſuo hæc verba inſcribi juſſit:

Epitaphium.

AMICO
IO VIVENDO CERCAVO DI CONFORTO PER LO MONTE PARNASO, TU MEGLIO CONSIGLIATO FA DI CERCARNE SU'L
MONTE CALVARIO.

Scripta:

Scripta. *Le Lodi di diverſi Eroi. Lacrime. Canzonette varie & Sonetti. Scherzi Paſtorali. Vendemmie di Parnaſſo. Rime Sacre. Il Rapimento di Ceſalo rappreſentato nelle Nozze della Regina di Franzia Maria Medici Borbona. L' Erminia. L' Alcina Prigionera. Delle Canzonette libri due. Delli Scherzi libri tre. Eglogbe. Le Maniere de verſi Toſcani. La disfida di Goliâ. Gelopea Favola Boſchereccia. La Giuditha. Il Battiſta libri tre. Meganira Favola Boſchereccia. Poëma diviſo in Canti nove, intitolato Firenze. Fieſole Poëma. Italia liberata, o vero delle guerre de' Goti Poëma Eroico. Amedeida Poëma à Carlo Emanuel Duca di Savoia.*

* *Ex Theatro Italico Virorum literatorum Hieron. Ghilini.*

AUBERTUS MIRÆUS.

Obiit A.C. 1640.

Bruxellenſis natus 1. Dec. A.C. 1573. parentibus honeſtis, *Johannis Miræi*, Epiſcopi *Antverp.* ex fratre *Guilielmo* Nepos. Politioribus literis *Duaci* in Regio, Philoſophiæ ibidem & *Lovanii* in *Falconis* Gymnaſio operam dedit, decurſiſq; ibidem Theologiæ ſpaciis lauream A. 1611. *Duaci* accepit. *Theologiæ Doctor.* Vir Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitione imprimis excellens per aliquod tempus à Sacris Oratorii & Bibliothecis fuit Sereniſſ. *Belgarum* Principibus *Alberto* & *Iſabellæ*, *Hiſtoricus, & Bibliothec. Auſtr.* deinde Decanus Eccleſiæ ad Beatam *Mariam Antverpiæ*. *Decanus Antverp.* Mundo abreptus obiit An. C. 1640. ætat. 67.

Ejus

Ejus hæc ſunt:

Scripta.

Elogia illuſtrium Belgii Scriptorum. Elogia illuſtrium gentis Spinolæ. Vita Juſti Lipſii, Præceptoris ſui ex ipſius Scriptis concinnata. Originum Monaſticarum Lib. IV. Chronicon Ordinis Præmonſtratenſis, Ciſtercienſis, & Canonicor. Regular. Elenchus Hiſtoricorum Belgii nondum typis editorum. Chronicon Benedictinum, ſive Benedictinorum Cœnobiorum origines, utrique in iis doctrinâ & ſanctitate illuſtres. De Collegiis Canonicorum liber ſingularis. Origines Cartuſianorum per orbem univerſum. Ordinis B. Virginis Annuntiatæ. Ordinis Carmelitani ab Eliâ Prophetâ inchoati, ab Alberto Patriarchâ vitæ regulâ temperati, & à S. Tereſiâ ad primævam diſciplinam revocati. Origines Auguſtinianor. ſub regulâ D. Auguſtini militantium. Origines Equeſtrium, ſeu Militarium Lib. II. Notitia Epiſcopatuum Orbis univerſi. Politia Eccleſiaſtica, ſive de Statu Religionis Chriſtianæ per totum orbem Lib. IV. Geographia Eccleſiaſtica, in quâ Provinciæ, metropoles, urbesque titulo Epiſcopali illuſtres. Oratio in exſequiis Rudolphi II. Imp. Antverpiæ dicta. Vita Alberti Pii, Prudentis, & Sapientis. Vita S. Alberti Cardinalis Epiſcopi Leodicenſis ab Ægidio Aureæ Vallis Monacho ſcripta, & à Miræo primùm evulgata. Chronicon Chriſtianum à Chriſto nato ad noſtra usque tempora. Faſti Belgici. Codex Donationum piarum, in quo Teſtamenta, Codicilli, Literæ fundationum, Dotationum, Immunitatum, Privilegiorum, & alia piæ liberalitatis ſunt monumenta, cum Notis. De Bello Bohemico Commentar. Petri Divæi Hiſtoria Brabantica. Vita Godofredi Bullionii Marchionis Antverp. Ducis Lotharingiæ, ac demùm Hieroſolymor. Regis, qui Canonicorum Collegium Antverpiæ fundavit.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1640.

MATTHIAS BERNEGGERUS.

PAtriam nactus *Halas Auſtriacas*, feliciter in mundum hunc editus eſt 8. Febr. An. C. 1582. Patre *Blaſio Berneggero*, dignitatibus ibi publicis functo, & Matre *Eliſabethâ Paurnſeindiâ.* Infantiam pueritiamque per bonarum literarum virtutisq; rudimenta in conſpectu primùm curâque parentum & pædagogi, mox in *Welſenſi* Scholâ publicè cum laude tranſegit, donec annus 1598. altiori fatalis operis officinæ capacem, & ad ſummi Magiſtri laudes profecturum diſcipulum dedit. *Argentorati* enim per omnis induſtriæ doctrinæque ſpecimina inclareſcens, cum ſuis ſeverè ac ſtrenuè, mox & aliorum ſtudiis fideliter conſuleret, ad honeſtas functiones complures, inter quas Scholæ *Durlacenſis* regimen, expeti vocarique meruit. Sed auctoravit ſibi hoc decus, propriumque fecit *Argentina.* Hîc, ut ad veram claritudinem per gradus provehant fata, ex vicario Glaſſium ſuperiorum ſupremæ curiæ moderator factus eſt A. 1608. Poſt quinquennium ibidem Hiſtoriarum Profeſſionem accepit, cui muneri ad finem vitæ majori laude an fide præfuerit, haud eſt judicatu facile. Acceſſêre honores, tum quos Academia largitur, Decanatus Collegii Philoſ. aliquoties, & Rectoratûs, quem tertiùm adminiſtravit, tum Capituli *Thomani*, quod vocant, Canonicatus. 20. Maji A. 1611. Matrimonium inivit cum virgine *Mariâ Jacobe Kebueriâ.* Hæc 6. liberorum parentem effecit eum, quorum unus ſexenni minor deceſſit, tres filii & duæ filiæ Patri ſuperſtites egerunt. Inter hæc morbis vehementibus afflictus, donec rebus humanis exemtus eſt 3. Febr. ipſo natali ſuo A. C. 1640. ætatis 58.

In Schola Welſenſi diſcip. — Argentorati ſtud. — Scholæ Durlacenſis Rector. — Rector in Gymnaſio Argent. — Argent. Hiſtoriar. Profeſſor. — Rector Acad. ter. — Canonicus Capituli Thomani. — Matrimonium init. — Moritur.

Edidit:

Scripta.

* *Titi Imp. vitam, cum animadverſionibus & notis. Juſtinum cum notis. Tubam Pacis. Quæſtiones ex Cornelii Taciti Germaniâ, & Agricolâ. Politicorum Lipſii libr. IV. Item libr. V. capita 5. priora Argentorati per Aphoriſmos ad diſputandum propoſita. Appendicem ad Collegium Politicum Lipſianum. Diſquiſitionem Hiſtorico-Politicam de Regno Hungariæ. Lupol. de Bebenburg tractatum de juribus Regni & Imp. Rom. & Hieron. Balbi de Coronatione librum ad Car. Imp. edidit Argent. 1624. in 4to. Quæſtiones miſcellas Politicas. Cornelii Taciti Annales edidit in 4to. Galilæi Syſtema Copernicanum ex Italico ſermone in Latinum tranſtulit. Matth. Berneggeri & H. Grotii Epiſtolas mutuas. Joh. Kepleri & Berneggeri Epiſtolas mutuas. De Fabulâ Idoli Loretani. Obſervationes Hiſtorico-Politicas. Notas in Suetonium. Orationes.*

* *Ex Orat. fun. Joh. Henrici Bœcleri, Eloq. Prof. Argent.*

MATTHIAS BERNEGGERUS.

Per Anagramma:

Hem gratis benè gratus.

Obiit A.C. 1640.

FRANCISCUS MAYVARTIUS.

G*Andavi, Flandrorum* Urbe, parentibus honeſtis *Andreâ Mayvartio* & *Catharinâ de Waele* natus eſt 4. Junii A. 1585. cum urbs iſta trimeſtri ante à Duce *Parmenſi* ad ſervitutem Regis *Hiſp.* technis & armis eſſet reducta. Hauſtis in patriâ bonarum literarum rudimentis, à parentibus *Duacum*, nobile tum Sapientiæ emporium, valdè adhuc adoleſcens ablegatus, tanto ardore ſtudiis incubuit, ut 1. Octob. A. 1604. decurſo Philoſophicorum ſtudiorum ſpatio gradu Laureâque Licentiæ in liberalibus & Philoſophiæ ſtudiis publicè cum laude fuerit exornatus.

Duaci Philoſophiæ Licent.

Hinc factus in patriam redux, cum amici & fautores in *Italiam* ablegandum cenſuiſſent, eâq; gratiâ publicis Senatûs Commendatitiis inſtruxiſſent, ipſe partim ſuggeſtibus parentum, partim librorum lectione aliquo jam guſtu veritatis cœleſtis imbutus, *Angliam* prætulit, ubi in Religionis Reformatæ notitiâ eos fecit progreſſus, ut fidei Pontificiæ, in quâ educatus erat, renuntians Evangelii lucem amplecteretur.

In Angliâ Religioni Reformatæ ſe addixit, abdicatâ Pontificiâ.

Indè A. 1607. in *Belgium* transfretavit, & in illuſtri *Friſior. Franekeranâ* Academiâ

per

Franekeræ publicè didicit, & privatim docuit.

per 4. annos tum publicè diſcendo tum privatim docendo eam diligentiæ & eruditionis laudem eſt adeptus, ut diſcedentem tum publico Rector & Senatus Academicus, tum ſeorſim ſuo nomine D. *Sibrandus Lubbertus*, tanquàm ornamentum non mediocre Scholæ ſuæ, teſtimoniis proſequerentur. Quare cum propter contentiones in *Hollandiâ* ortas, & afflictum Academiæ *Leydenſis* Statum Magiſtratus *Middelburgenſis* in urbe ſuâ Scholam aperire conſtituiſſet, vocato ad Profeſſionem S. Theologiæ D. *Franciſco Gomaro*, Philoſophiæ Profeſſorem ipſi adjungendum non abs re fore ratus, hunc *Mayvartium* ad eam ſpartam ornandam vocavit, quam etiam, quoad ei locus fuit, cum laude & honore ornavit. Sed cum mutatis temporibus & ſpe novâ reſtitutionis Acad. *Leydenſis* obortâ, inceptum illud novæ Scholæ *Zeelandicæ* fuiſſet omiſſum, avocato in *Galliam* D. *Gomaro*, ipſe operam ſuam in erudiendâ adoleſcentiâ Scholæ trivialis addixit Magiſtratui *Medioburgenſi*, & per annos aliquot cum fide præſtitit, donec ad Profeſſionem Philoſophiæ conditionibus honeſtis in Academiam *Gröningenſem* evocatus eò commigravit A. 1620. Ab eo tempore egregiam Academiæ & ſtudioſæ juventuti operam navavit. A. 1629. Faſces Academiæ cum laude & favore geſſit. 5. Junii An. 1622. *Amſtelodami* optatis nuptiis ſibi junxit virginem *Juditham Bourſſe*, quam viduam cum filiis & filiabus aliquot reliquit, rebus humanis exemptus 2. April. A. C. 1640. ætatis 55.

Philoſ. Profeſſor Middelburgi. *Philoſophiæ Profeſſor Gröningæ.* *Moritur.*

* *Ex Vitis Profeſſor. Gröning.*

JOHANNES MEURSIUS.

Obiit A. C. 1641.

LOsdani, pago uno milliari ab *Hagâ Comitis* diſtante, natus A. C. 1579. Ad Græcæ Linguæ ſtudium naturâ pronior an. ætatis 7. *Hagam* amandatus, ibique exacto quadriennio, ſub Rectoribus *Bernardo Belemâ* & *Folquero Weſterwoltio*, *Lugdunum Batavorum* tranſiit in diſciplinam *Nicolai Stochii*, ſub quo an. ætatis 12. Orationes & Carmina Græca ſcribere cœpit. An. ætatis 16. in ſtudiorum ſuorum primitiis remotiſſimam *Græciæ* Hiſtoriam, & Antiquitates revocavit, in *Lycophronem* obſcurum Poëtam Græcum commentari inſtituit, & in Idyllia *Theocriti* Spicilegium ſcripſit. Mox ad Latinas literas ordine præpoſtero, imitatus *Joſephum Scaligerum*, animum adjecit, Poëſi, Philoſophiæ, & Theologiæ quoque operam dedit. Deindè à *Johanne Barneveldio* ad erudiendos privatim filios evocatus, decennium in ejus familiâ & conſuetudine egit, & peregrè cum filiis profectus, variorum Principum Aulas & Bibliothecas vidit, atque ex his monumenta præclara nunquàm anteà edita publicavit.

Orationes, & Carmina Græca ſcripſit an. ætat. 12. Græca primùm ſcripſit. *Deindè Latina.* *Præceptor filior. Joh. Barneveldii.*

A. 1608. *Aureliæ* ſummo in Juriſprudentiâ Doctoris titulo cohoneſtatus eſt. In patriam redux, Academiæ *Lugduno-Batavæ* operam addixit, & injunctam à Dnn. Curatoribus Hiſtoriæ primùm, deindè Linguæ etiam *Græcæ* Profeſſionem, mox Hiſtoriæ quoque patriæ conſcribendæ partes ſuſcepit. Ibi morte beatâ vitam clauſit An. C. 1641. ætatis 62.

Jur. Doctor Aureliæ. *Moritur.*

Scripta ab eo edita hæc ſunt:

Scripta.

Lycophron Caſſandræ cum Comment. Spicilegium in Idyllia Theocriti. Macrobius cum brevibus Notis. Criticus Arnobianus Lib. VII. digeſtus. Hypocriticus Minutianus. Cato de re Ruſticâ, cum Notis. Curæ Plautinæ, & Animadverſ. miſcellanear. Lib. IV. De Gloriâ. Poëmata varia. Panegyricus dictus Jacobo I. Britanniæ Regi in auſpiciis Regni. Meditationes Chriſtianæ in Pſalmum 116. & 119. De Funere Liber, in quo priſci ritûs Græci & Romani. De Puerperio Syntagma. De luxu Romanorum. Mantiſſa, ſive Obſervationes Criticæ. Notæ in Aſtrampſychi Oneirocriticon. Codinus de Originibus Conſtantinopolitanis cum Notis. Herodis inſcriptio Græca totidem verſibus Latinè reddita. Apuleji Apologia cum Notis brevioribus. Phædrus cum Animadverſionibus. Induciarum belli Belgici Hiſtoria. Rerum Belgicarum Lib. IV. in quibus ſexennium Ferdinandi Ducis Albani. Gloſſarium Græco-Barbarum. Hiſtoria Danica pariter & Belgica. Conſtantinus Imperator de adminiſtrando Imperio anteà non editus, Græcè & Latinè, cum Notis. Leonis Imp. Tactica, Græcè & Latinè cum Notis. Animadverſionum miſcellanear. Lib. IV. Denarius Pythagoricus, ſive de Numerorum usque ad Denarium qualitate & nominibus ſecundùm Pythagoricos. Orcheſtra, de Saltationibus veterum. Græcia Feriata, de Feſtis Græcor. Lib. VI. De Ludis Græcorum. Codinus de Officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ, cum verſione Lat. & Notis. Porphyrii Philoſophi Opera omnia Græcè cum Notis. Chalcidius Græcè cum Notis. Phlegontis Tralliani Opuſcula de rebus mirabilibus, cum Notis. Guilielmus Auraicus, ſive de rebus ab eo geſtis Lib. X. Athenæ Batavæ, ſive de Urbe Leydenſi & Academiâ, viriſque in eâ claris Lib. II. Heſychii Mileſii Opuſcula Græco-Latina cum Notis. Beſſarionis Card. Epiſtola Græco-Latina cum Notis. Antigoni Cariſtii Paradoxa, ſive Hiſtoriarum mirabilium Collectanea. Palladii Hiſtoria Lauſiaca, Græcè & Latinè, cum Notis. Gloſſarium Latino-Barbarum. De populis Atticæ. Fortuna Attica, ſive de Athenarum origine, incremento, magnitudine, decremento & occaſu. Archontes Athenienſes. Hiſtoriarum rerum memorabilium auctores Græci, cum Notis & Comment. Piſiſtratus, ſive de ejus vitâ & tyrannide. Atticarum Lectionum Lib. VI. Harpocrationis Lexicon X. Rhethorum, cum Animadverſionibus. Bibliotheca Græca Libri IX. Conſtantini Manaſſis Annales Græcè cum Notis. Euſebii Polychromii Pſelli Expoſitiones in Cantica Canticorum Græcè cum Notis. Ariſtoxeni, Nicomachi, & Alypii Muſica, cum Notis. Philoſtrati Epiſtolæ aliquot, partim non editæ, partim auctiores, cum Diſſertatione de Philoſtratis. Procopius Gazeus in Libros Regum & Paralipomenon. Theodori Metochitæ Hiſtoria Romana à Julio Cæſare ad Conſtantinum Magnum Græco-Lat. cum Notis. Apol-

lonii Alexandrini Hiſtoriæ Commentitiæ lib. Græcè cum Comment. Variorum Divinorum lib. ſive Orationes Patrum nunquàm editæ. Panathenæa, ſive de Minervæ Feſto gemino. Eleuſinia, de Cereris ſacro & feſto. Æſchylus, Sophocles, Euripides, ſive de Tragœdiis eorum Lib. III. Theophylacti Bulgaræ Archiepiſcopi Epiſtolæ, cum Notis. Cecropia, ſive de Athenarum Arce, & ejusdem Antiquitatibus. Athenæ Atticæ, ſive de præcipuis Athenar. Antiquitatibus. Areopagus, ſive de Senatu Areopagitico. Solon, ſive de ejus vitâ, legibus, dictis, & ſcriptis.

* *Ex Vitis Profeſſor. Leyd. Joh. Meurſii, & ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1642.

GALILÆUS GALILÆI.

FLorentiæ natus, Patrem habuit *Vincentium Galilæum*, nobilem eruditum, & operibus Muſicis editis celebrem. Mathematicis imprimis ſtudiis delectatus, Matheſin *Piſis* per triennium, rogante *Ferdinando I.* Magno *Florentiæ* Duce, & in Academiâ *Patavinâ* 18. annis, magno ſtudioſorum etiam nobilium virorum concurſu, publicè docuit. Intereà *Venetias* aliquando excurrens, legit ibi inter alias res novas ex *Flandriâ* ſcriptas, quod Opticus quidam *Mauritio* Principi *Auraico* perſpicillum obtulerit, quod res longè diſtantes tanquàm proximè ſitas oculis repræſentaret. Mox domum reverſus, tale proprio *Marte* fabricavit inſtrumentum, quod cum inclyto Senatui *Veneto* dono obtuliſſet, cum admiratione receptum, eique publico decreto ſtipendium Lecturæ in Academ. *Patav.* duplicatum ad dies vitæ conſtitutum eſt. Cum hoc inſtrumento mirabili præter alias ſtellas novas 4. planetas Joviales detexit, quibus *Mediceorum* nomen dedit. Eodem *Lunæ* & *Solis* maculas artificioſè demonſtravit. Tandem *Coſmus II.* Magnus *Florentiæ* Dux eum, cum jam 73 ætatis annum attigiſſet, ad ſeſe amplo dato ſtipendio accerſivit, ubi vitam quietam traduxit, & vix Princeps aliquis eò venit, qui celebrem hunc Mathematicum videre & alloqui non deſideràvit. Ibidem vitam beatâ morte clauſit A. C. 1642.

Matheſin docuit Piſis & Patavii. — *Venetiis perſpicillum ſingulare Senatui obtulit.* — *Maculas Solis & Lunæ primus oſtendit.* — *Florentiæ magno ſtipendio vixit.* — *Moritur.*

Scripta:

Scripta.

Siderius Nuntius. De Syſtemate Mundi. Difeſa contra le calumnie di Baltaſar Capra. L'uſo del compaſſo geometrico, & militare, da lui ritrovato. De Luce & Lumine Diſputatio. De Proportionibus. De S. Scripturæ Teſtimoniis. Tractatus de Proportionum inſtrumento à ſe invento. Diſcorſo delle coſe che ſtanno in ſu l'aqua, ò che in quella ſi muovono. Iſtoria & dimonſtrazione intorno alle macchie Solare, & loro accidenti compreſi in tre lettere ſcritte à Marco Velſero. Il Saggiatore, nel quale conbilancia eſquiſita & giuſta ſi ponderano le coſe contenute nella libra Aſtronomica & Filoſofica di Lotario Sarſi. I Dialoghi diviſi in 4. giornate intorno à i due maſſimi Siſtemi, Ptolomaico & Copernicano.

* *Ex Theatro Italico Viror. eruditorum Hieron. Ghilini.*

LUDOVICUS LUCIUS.

Obiit A.C. 1642.

BAſiléæ, Patre M. *Baſilio Lucio*, Diacono ad S. *Petrum*, ex *Eliſabethâ*, *Jacobi Mulleri*, Canonici & Scholarchæ ibidem filiâ natus 9. Febr. A.C. 1577. domi primùm à Dn. Patre, deindè *Mulbuſæ* (quò Pater ad Eccleſiæ miniſterium vocatus, A. 1611. vitâ defunctus erat) Scholæ adhibitus, in literis Latinis & Græcis informatus, in patriâ demùm Dn. *Joh. Beati Helii* Gymnaſiarchæ diſciplinæ traditus, & A. 1590. ad lectiones in Univerſitate publicas promotus eſt. An. 1594. Competitoribus *Jacobo Gutlino* & *Emannele Iſelio* Magiſterii gradum adeptus eſt, Promotore Doct. *Petro Ryffio* Mathematum Profeſſore. Abindè Philoſophiæ ſtudium continuans, unà Theologicum auſpicatus, eos brevi tempore fecit progreſſus, ut à Theologiæ Profeſſoribus, D. *Joh. Jacobo Grynæo* & D. *Amando Polano* in Diſputationibus Theologicis non ad opponendum modò & reſpondendum, ſed etiam ad Præſidis officium gerendum aliquoties fuerit adhibitus. Sæpiùs etiam aliorum Dnn. Profeſſorum vices, D. *Petri Ryffii* in Mathematicis, & *Johannis Buxtorfii* in *Hebraicis* docendis ſuſtinuit. Nec minus in Concionibus ſeſe exercuit, & aliquo tempore loco M. *Johannis Molitoris* ob morbos infirmi verbum DEI docuit in templo *Rihenſi*.

Diſcipulus Mulbuſæ. — *Philoſophiæ Magiſter.* — *In diſputationibus Theolog. Præſ.*

A. 1599. Nuptias primas celebravit cum *Barbara, Joh. Henrici Irmiri* filiâ, cum quâ 29. annorum conjugii tempore 9. filios, duasque filias progenuit, ſed unicam modò filiam reliquit ſuperſtitem. A. 1635. alteram duxit conjugem, quam viduam reliquit.

Conjugium ejus, & Liberi.

A. 1601. Vocatus ab Illuſtriſſ. Marchione *Badenſi* ac *Durlacenſi*, *Erneſto Friderico*, ad Diaconatum Eccleſiæ & Rectoratum Scholæ *Badenſis*, eò conſentiente Magiſtratu ſuo diſceſſit. Eo tempore cum Dnn. Collegis ſuis, præſertim M. *Chriſtoph. Hurero*, Colloquio Theologico interfuit, quod Princeps ad Fidei ſuæ defenſionem inſtituerat. Hoc verò Principe A. 1604. vitâ defuncto, mox ipſe cum Collegis ſuis dimiſſus *Wingartum* primò, deindè *Heidelbergam* conceſſit, ubi Conrectoris in Gymnaſio *Ambergenſi* munus ei concreditum eſt. A. 1610. Vocatus ad Rectoratum *Sangallenſem*, non tamen illum aggreſſus eſt, quia A. 1611. poſt obitum M. *Henrici Juſti*, Eccleſiæ ad S. *Petrum* Paſtoris & Profeſſoris Organi Logici, *Baſiléam* à Senatu accerſitus, huic *Juſto* in Logicæ Profeſſione ſucceſſit, quam ad finem vitæ fideliter obivit. Intereà ſepties ordinis Philoſophici Decanus, An. 1634. poſt obitum Dom. *Buxtorfii* Viſitator Gymnaſii *Burgenſis* electus eſt. A. 1619. Clementer vocante Sereniſſ. Principe *Ludovico Anhaltino Cothenam* ad Scholam ibi erigendam venit, & hâc occaſione Univerſitates *Germaniæ* primarias, & Synodum Nationalem *Dordracenam* acceſſit.

Diaconus & Rector Badenſis. — *Badæ Colloquio Theol. interfuit.* — *Conrector Amberg.* — *Logicæ Profeſſor Baſil.* — *Viſitator Gymnaſii Burg.* — *Cothenæ Scholam inſtituit.*

Ingenio, judicio, & memoriâ ſingulari præditus, magnum eruditionis theſaurum

Philologus & Hiſtor. in linguis Latinâ, Græcâ & Hebraicâ, in Hiſtoriâ præſertim Eccleſiaſticâ, & cumprimis in Theologiâ ſibi comparavit: & hâc ratione in cauſâ fuit, ut multi ſtudioſi ob *Lucii* famam *Baſiléam* acceſſerint. *Præpoſitus Collegii ſuper.* Sub finem vitæ Præpoſitus Collegii ſuperioris factus eſt.

Moritur. Morbis tandem diverſis aliquoties afflictus, placidâ morte deceſſit 10. Junii A. C. 1642. æt. 66. Præter alia Scripta Philoſophica & Theologica, quæ typis edidit:

Novum Teſtamentum primùm ex *Græco*, deindè Vetus quoque ex Originali *Hebræo* in linguam Germanicam tranſtulit, & quantum fieri potuit, ſenſum literalem expreſſit.

* *Ex Concione fun. D. Theodori Zwingeri.*

Obiit A. C. 1644.

JOHANNES GRAVIUS.

Filius Eccleſiæ Paſtoris. Natus eſt in pago *Mariſfeld*, Comitatûs *Hennenbergici*, 9. Dec. A. 1595. Pater ei fuit *Thomas Gravius*, Paſtor Eccleſiæ *Mansfeldenſis* & *Dilſtatenſis*, poſteà *Schleuſingæ* in Gymnaſio per triennium Inſpector, & tandem Verbi Divini Præco in pago *Mariſfeld.* Matrem habuit *Ottiliam Götziam*, *Meiningâ Hennenbergicam.*

An. æt. 13. à parentibus in Gymnaſium *Schleuſingenſe* miſſus, cum ibi per 9. annos ſtudiis ſedulus inſudâſſet, A. 1617. *Norimbergam* venit, *Noribergæ Præceptor privatus.* à *Paulo Heugelio*, mercatore celebri, in ædes receptus, ut liberos ejus inſtitueret. A. 1619. Exindè in Academiam *Altorfinam*, & an. ſeq. *Wittenbergam* profectus, ibi biennium in ſtudiis conſumpſit. A. 1622. ob annonæ caritatem *Norimbergam* ad priſtinum Patronum ſuum reverſus, liberis ejus iterum Præceptor datus eſt. A. 1624. Juſſu Magiſtratûs *Norimb.* Informationi publicæ in Scholâ Patritiorum tunc erectâ admotus, ſenſim per Claſſes aſcendit, donec A. 1633. cum Gymnaſium *Ægidianum* aperiretur, *Rector Gymnaſii Ægidiani.* ejuſdem Rector conſtitueretur. In hoc munere qualem ſe geſſerit, abundè teſtantur Senatores. Theologi, aliique omnium facultatum Viri doctrinâ clari, qui ex ipſius Scholâ prodierunt.

Conjugium ejus duplex. 17. Maji A. 1629. Nuptias *Norimbergæ* celebravit cum virgine *Urſulâ*, *Wolffgangi Wolfii*, Chirurgi filiâ, ex quâ multos liberos ſuſcepit. Hæc cum 28. Sept. A. 1634. peſte obiiſſet, 31. Maji A. 1635. alteram duxit *Annam Helenam*, viduam *Ulrici Ammonii*, Cancelliſtæ, ex quâ duos filios ſuperſtites reliquit, duas verò filias cum filio præmiſit.

Valetudine diu uſus infirmâ, quotidiè tamen Scholam ingreſſus, fideliter diſcipulos docuit, regnum ſuum hanc eſſe gloriatus, in quâ ſub Regis Regum ſcuto ſecurus omnium optimè viveret.

Accedentibus verò variis ſymptomatibus, & viribus ſenſim deficientibus, poſt decimam morbi diem, cum hora mortis appropinquante hæc tantùm verba protuliſſet, *Enoch, Elias, Jehova, Victoria*, & aliquoties ſubridere videretur, inter amicorum *Moritur.* preces animam abſque ullâ corporis commotione exhalavit 2. Aug. A. 1644. æt. 49.

JOHANNES GRAVIUS.

Per Anagramma:

Ab ſuavis in regno.

Iohannes GraVIVs Poëta LaVreatVs Cæſareus & GyMnasII NorICI ReCtor obIIt
In ſpe pIâ abIItqVe In regna CœLICa.
GyMnasII ÆgIDIanI ReCtor Iohannes GraVIVs sVaVIter & beatè eXſpIraVIt.
TV aſtra sVbIs GraVI, trIſtI nos orbe reLInqVIs,
Te IVVat aLMa qVIes, nos tenet atra DIes. Andr. Cnoſpius.

* *Ex Concione fun. M. Johannis Gundermanni, Diaconi ad S. Ægid. Norimbergæ.*

Flor. A. C. 1645.

LEO ALLATIUS.

Natione *Græcus*, cum *Romam* veniſſet, & fidem Catholicam amplexus eſſet, in aulâ Cardinalis *Biſciæ* familiariter vixit. *Theol. & Philol.* Vir fuit eruditionis ſublimis, Theologus, Hiſtoricus, & Poëta. Literas Græcas *Romæ* cum laude profeſſus. A. C. 1624. à Summo Pontifice *Urbano VIII. Heidelbergam* ablegatus, Bibliothecam illuſtrem *Palatinam* ab Imp. *Ferdinando II.* Sedi Apoſtolicæ dono datam *Romam* tranſtulit.

Scripta: *Scripta.*

Catena S. S. Patrum in Hieremiam Prophetam. Expoſitio S. Johannis Chryſoſtomi in Hieremiam Prophetam. Homiliæ VIII. Origenis in Hieremiam Prophetam. Maximi Confeſſoris Quæſtio in Hieremiam Prophetam. Euſtathii Archiepiſcopi Antiocheni in Exameron. de Engaſtrimytho in Originem Diſſertatio. Monumentum Adulitanum Ptolomæi III. Ægyptiorum Regis. Jatrolaurea Gabrielis Naudæi Pariſini Græco carmine inaugurata. Commentatio in Johannæ Papiſſæ fabulam. De perpetuo Conſenſu Latinæ & Græcæ Eccleſiæ Liber Catholicis ſuſpectus. Apes Urbanæ, ſive de Viris illuſtribus, qui ab an. 1630. per totum 1632. Romæ fuerunt, & typis aliquid ediderunt Syntagma. Mantiſſa ad Opera S. Anſelmi Epiſcopi Cantuarienſis. Julii Cæſaris Lagallæ ſummi noſtro ævo Peripatetici, de Cœlo animato. Orationes Libanii. Himerii Sophiſtæ Declamationes XX. Philonis Byzantii de 7. Spectaculis. Adriani Sophiſtæ Narrationes. De differentiis Græcor. & Latinor. in ceremoniis Eccleſiaſticis & Fide. Vita Julii Cæſaris Lagallæ. Heracliti de Incredibilibus. Johannis Antiocheni Archæologia. Johannis Canabutii de Inſulâ Samothraciæ, & de Diis Troicis. De Philonibus Diatriba. In Philonem Byzantium Notæ. In Ptolomæi Evergetæ Monumentum Adulitanum Notæ. De Menſurâ temporum antiquorum, & præcipuè Græcorum. De patriâ Homeri. Natales Homerici Carmine Elegiaco Græco. Bibliotheca de Scriptoribus Græcis, prophanis, & Eccleſiaſticis. Commentarii in Libellum Longini, de ſublimi genere dicendi. Exercitationes contra recentiorum calumnias in antiqui ævi Scriptores & Lumina. De fine temporum. De Schiſmate Græcorum Hiſtoria. Conciliorum Ferrarienſis & Florentini Acta, Notis illuſtrata. In libros Græcos Eccleſiaſticos Troidon. & Pentecoſtarium Cenſio. Eccleſiæ Orientis Hiſtoria. De Melo-

diis Græcorum. De fine vitæ Johannis Evangeliſtæ. Hiſtoria Aſtrologica. Ariachroniſmus Carmine Elegiaco Græco. De Magnete Lib. III. De Erroribus magnorum Virorum in dicendo Diſſertatio. In Ariſtotelis Hymnum Hermiæ dictum Commentarius. De Mandragorâ Liber. In Pſelli Librum de Mirabilibus Auditionibus. Schediaſma. De conſcribendis Epiſtolis. Vetus Tacito lectio reſtituta. De ædificiis Pauli V. De Academiis Orbis & earum Inſtitutione. De Ætate & Interſtitiis in collatione ſacrorum Ordinum etiam apud Græcos ſervandis. Carminum Græcorum Sylva. Socratis, & aliorum Socraticorum Epiſtolæ. Johannis Chryſoſtomi & Photii Patriarchæ C. P. Explicationes in Evangelia Matthæi, Johannis & Lucæ, nunquàm anteà editæ nec Græcè nec Latinè, Opus ſingulare. De Ptolomæis Ægypti Regibus. Homerus à Calumniis vindicatus. De Templis Græcorum recentioribus, de Narthace Eccleſiæ Veter. nec non de Græcorum hodiè quorundam Opinionibus. De Pſellis Diatriba. De Complanctu Naturæ B. Alani Liber.

* *Ex Theatro Italico Viror. literator. Hieron. Ghilini.*

Clar. A. C. 1546.

TOBIAS ANDREÆ.

NAtus eſt *Braunfelſii Solmenſium* 19. Aug. A.C. 1604. Patre cognomine M. *Tobiâ Andreæ*, Eccleſiæ eidem & Com. *Solmenſi* à Concionibus, vicinarumque Inſpectore. Matre *Margarethâ*, *Johannis Piſcatoris Argentinenſis* Theologi *Herbornenſis* celeberrimi filiâ primogenitâ. Primis bonarum artium tyrociniis in Scholâ patriâ ſub Magiſterio M. *Joh. Everhardi Zaunſchliferi* depoſitis, Patre defuncto A. 1617. *Herbornam* miſſus eſt, ubi quinquennio curriculum claſſicum reliquum abſolvit.

Herbornæ ſtudere incipit.

Indè *Bremam* ſe contulit, & ſtudia Philoſophica excoluit in ſeptimum annum, imprimis Dom. *Gerhardi de Neufville*, Medici & Philoſophi eximii aſſiduus auditor. Collegia etiam Philoſophica, petentibus ſtudioſis compluribus, habere incepit. A. 1628. Reſalutatâ patriâ, obiterque viſitatis Academiis *Marpurgenſi* & *Colonienſi*, *Groningam* venit, ubi Collegia omnis generis Philoſophica ingenuis adoleſcentibus inſtitutionem ipſius efflagitantibus aperuit & habuit. Pòſt *Henricus Altingus* filiorum ſuorum ſtudiis eum præfecit, quæ cum ad eam maturitatem promoviſſet, ut Academiæ adſcripti ſine cortice natare poſſent, ejuſdem commendatione ſtudiis Principis *Palatini Lansbergici* præfectus, ea in annum tertium partim *Lugduni Bat.* parim *Hagæ* Com. in Aulâ Principis *Auraici* moderatus eſt.

Groningam venit.

Fit Præceptor Principis Palatini Lansbergici.

Indè A. 1634. *Gröningam* evocatus, in locum *Jani Gebbardi* ad Profeſſionem Hiſtor. & Ling. Græcæ, eam ſtationem egregiè ſuſtinuit, ſemel tantùm veniâ ſuperiorum per ſemeſtre abſens, cum novâ nuptâ in *Sueciam* profectus, ad ſalutandum Nob. Dom. Socerum *Ludovicum de Geer*.

Profeſſor Hiſtor. & Ling. Græc. Gröningæ.

* *Ex vitis Profeſſorum Gröning.*

Scripta:

Henricus Naſſovius, ſive Oratio in exceſſum Comitis Henrici Naſſovii Gubernatoris Friſiæ, Groningæ &c. Aſſertio Methodi Carteſianæ, oppoſita Jacobi Revii conſiderationi Theologicæ, quam vocat. Brevis Replicatio Brevi Explicationi Mentis humanæ Dom. Henrici Regii repoſita.

Scripta.

ERYCIUS PUTEANUS.

Obiit A. C. 1646.

VEnlonæ, *Geldriæ* ſuperioris oppido, natus eſt 4. Nov. A. C. 1574. Patre *Johanne*, Viro Conſulari *Gamelrodiæ* ſtirpis. Decennis *Dordraci* literarum ſtudiis operam dedit. Philoſophiam *Coloniæ*, Jurisprudentiam *Lovanii* hauſit, & biennium plus minùs *Juſtum Lipſium*, Antiquitatis & Hiſtoriarum Interpretem, habuit annum agens 21. Muſicâ etiam animi poſt ſtudia recreandi gratiâ delectatus eſt. *Italiam* dein, & in eâ Urbem *Romam* viſit, atq; in Civium Patriciorumque ibidem numerum cum totâ poſteritate ſolenni Senatûs Conſulto A. 1603. adſcribi meruit. *Mediolani* Eloquentiam aliquot annos in Scholâ *Palatina* profeſſus, Regii Hiſtoriographi titulo ac munere auctus, *Lovanium* à Sereniſſimis *Belgarum* Principibus *Alberto* & *Iſabellâ*, *Brabantiæq;* Ordinibus eſt revocatus, ac *Lipſio* ſucceſſor datus in Profeſſione Hiſtoriar. Una ei cura ſemper fuit, de juventute & Republ. benè mereri. Obiit tandem *Lovanii* A. C. 1646. æt. 73. cum annis 23. anteà Epitaphium ipſe ſibi ſcripſiſſet, quod ſub finem vid.

Juriſperitus.

Civis Romanus.

Profeſſor Eloquent. Mediol. Hiſtoriographus Reg.

Lipſii Succeſſor.

Moritur.

Scripta ab eo leguntur:

Orationes variæ:

Pro munere Profeſſorio Gratiarum actio ad Senatum Mediolanenſem. De perfecti Rhetoris Officio. De Rhethoribus & Scholis Palatinis Mediol. De L. Floro & titulo Hiſtoriographo. Laudatio juventutis Belgicæ Lovanii dicta. De uſu fructu Librorum, & Bibliothecâ Ambroſianâ. Declamatio in Sclopum. Lipſiomnema anniverſarium, Laudatio funebris. De officio Judicis. Stimulus literarum, Oratio parænetica. De libris & libellis. In Germaniam Taciti. De purificatione, de Aſſumptione, & de Annuntiatione Beatæ Virginis Mariæ. De facilitate Linguæ Græcæ. De Laconiſmo. Democritus, ſive de Riſu. Affectus in Tacitum brevi encomio expreſſus. De paleſtrâ bonæ mentis. In auſpiciis Taciti. Diſſertatio Politica de Induciis Belgicis. Præfatio in Curtium. De Curtii & Hiſtoriæ laudibus. De puteali Libonis. Suada Attica, ſive Orationum ſelectarum Syntagma. Encomium Ovi. Encomium Sputi. Pro Raphaele Montorſano. Præfatio in Perſium.

Scripta.

Philologica & Miſcellanea:

Genialium Sermonum Lib. Reliquiarum titulo anteà editus. Muſathena, ſive VII. diſcrimina vocum. De Erycio nomine Syntagma. Philotheſiarum Lib. III. quos poſteà mutavit & Thyrſos inſcripſit. Comus ſive Phageſipoſia Cimmeria: de Luxu Somnium. Facula Diſtinctionum. De eiſdem Schediaſma. Stricturæ in Iſaaci Caſauboni Epiſtolam, ad Frontonem Ducæum, Soc. Jeſu Theol. Vindiciæ tutelares,

pro

pro Divi Jacobi in Hiſpanias adventu ex Hiſp. Latinè reddita. De temerario numero Liber, in Auſonii Griphum Commentarius. Hieromenia Romana, de diebus ſolennibus. Thaumata Pietatis. De natatu Liber domi militiæque utilis. Martyremata Academica. De ratione rectè gubernandæ Provinciæ. Pecuniæ Romanæ ratio. De Cometâ Anni 1618. Libri II. Iconiſmus S. Genovevæ Palat. Ducis Brabant. f. Cryptologia. Chironomia Antiquorum, ſive de ratione geſtuum. Bruma, Chimonopægnium de laudibus Hyemis. Simulachrum Principis, Imperii Arcana Enchiridio repræſentans. Iter Nonianum. Conſolatio Cœcitatis, ad Cripium cœcum. Ariſtoteles de Virtutibus & Vitiis Latinè factus, & Comentarii in eum. Ænigma Regium imaginibus illuſtratum. De ſtipendio militari apud Romanos Syntagma. Arx Lovanienis à Principibus noſtris luſtrata. Brachylogomimeſis Socratica. Aſtræa Lovanienſis.

Hiſtorica:

Hiſtoriæ Ciſalpinæ Libri II. res à Joh. Jacobo Medicæo circa Lacum Larium geſtæ. Hiſtoriæ Inſubricæ Libri VI. qui irruptiones Barbaror. in Italiam continent. Diva Virgo Aſpricollis, Beneficia ejus & miracula noviſſima. Stratagemata noſtri ſeculi. Phœnix Principum, ſive Alberti Pii morientis vita.

Epiſtolæ:

Epiſtolarum Centuriæ IX. in Promulſidem, Fercula ſecunda, & Bellaria diviſæ. Delitiæ adoptivæ.

Varia poſt mortem partim edita:

Apophthegmata noſtri ſeculi. Spicilegium Adagiorum. Iſagoge ad Helleniſmum. Æſculapius Morum. De Curis. De Duello. De Nobilitate. In Plinii Lib. VII. Scholia. In Nemeſianum & Calphurnium Notæ. Velona, ſive Urbis patriæ deſcriptio. Oratio de Vanitate rerum. Stemma Puteanum à Joh. Bamelrodio ab anno 1400. per utrumque ſexum deductum. Iſagoge ad Matheſin. De Horologiis Lib. Ludicra. Comœdiæ aliquot Numeris Plautinis. Epidigma Hiſtoricum Comi. Lucerna Diogenis, quæ homines oſtendit, quà homines ſunt. Olympiades ſola manu, ut verè mundi annis reſpondent, computatæ. Spicilegium in Apulejum. Scholia in Saluſtium, Curtium, Florum, Perſium, & partem Taciti, Horatii, Valerii, Senecæ. Vindiciæ Erycianæ adverſus Anonymum. Doctrinæ Ariſtotelicæ Epitome. Serta Phaleucia. Ruſi & Gibberi perjurium.

JACOBUS MARTINI.

Clar. A. C. 1647.

Puer ſeptennis, nativitate *Venetus*, educatione *Bononienſis*, genere *Mutinenſis*, A.C. 1647. die Pentecoſtes *Romæ* apud S. *Marcellum* ſub Præſidio Magiſtri ſui Rev. Patris *Joh. Baptiſtæ Mizeti* Ord. Servorum B. *Mariæ* Virginis à *Butrio* Theſes publicas ex Theologiâ, Juriſprudentiâ, Medicinâ, & aliis Diſciplinis publico examini atque disputationi expoſuit, diverſis S. R. E. Cardinalibus, plurimiſque diverſorum Ordinum viris primariis audientibus & admirantibus. *Puer 7. annor. in Jure, Medicinâ, Theol. & Philoſophiâ publicè diſputavit.*

* *Hæc ſubſcripta leguntur iconi ipſius æri inciſæ.*

Hic puer *Bononiæ* apud Minoritas in ſtudiis educatus, finitâ diſputatione ab omnibus ferè Cardinalibus *Romæ* honorificè tractatus, *Florentiam* exindè diſceſſit, porrò in *Galliam* iter ſuſcepturus. Eodem tempore *Romæ* puer quidam ex *Marcâ* oriundus, propter matris ſuæ cædem forcipibus ardentibus discerptus, & in 4. partes diſſectus eſt, 24. Junii.

* *Ex Relatione Francofurtenſi Germ.*

DANIEL HEINSIUS.

Clar. A. C. 1642.

Gandavi in *Flandria* natus eſt A.C. 1582. Patre *Nicolao*, *Nicolai Heinſii*, Conſulis *Gerardimontani* filio: Matre *Eliſabethâ Navegeriâ*. Vix in Patriâ vixit, *Fortunæ*, ut ſubindè loqui de ſe ſolitus eſt, privignus. Trimulo vix major Veriam à matre cum nutrice ablegatus eſt. Paulò pòſt in *Britanniam* à Parentibus deductus, cum menſes aliquot *Doveræ* & *Londini* hæſiſſet, *Delphos Batavorum* primò, mox *Ryswykum Hagæ* vicum vicinum eosdem eſt ſecutus. Pater enim, cum paulò ante deditionem *Gandavenſium*, à *Brugenſibus*, qui munus Syndici in urbe ſuâ illi offerebant, invitaretur, miram converſionem rerum præſagiens honorem oblatum laudavit quidem, ſed omni functione publicâ ſe abdicavit, *Eſpinoiæ* Principis bonorum curâ negotiiſque forenſibus contentus, donec patriæ ruenti ſe ſubduxit, ſolo pietatis amore, quam ex *Deſid. Eraſmi* lucubrationibus perceperat: Religionem enim mantellum eſſe ajebat, quod cuicunque improbitati induceres, eam facilè celaret. *Ryswici* aliquandiu amore ruris captus cum hæſiſſet, *Hagam* cum filio ſe contulit, ubi prima literarum elementa didicit puer, & paulò pòſt cum parentibus in *Zelandiam* migravit, ubi à Præceptoribus *Johanne Beloſio*, *Nicolao Olivario*, *Petro Montano* & *Tobiâ Schemeringio* Philoſophiæ Moralis & Naturalis principiis imbutus eſt. *Ab infantiâ peregrinatus.* *Hagæ literas primas didicit.* *In Zelandiâ Philoſ. ſtud.*

A. 1596. *Franeckeram* à Parente Juris addiſcendi causâ miſſus, *Henricum Schotanum* bis quotidiè docentem audivit: majorem tamen *Græcis* literis diſcendis curam impendit, quas breviſſimo temporis ſpatio arripuit, adeò, ut cum Muſæi de Amoribus, *Leandri* & *Heronis* Poëmatum manu ſuâ deſcripſiſſet, paucis poſt menſibus hoc ipſum aliis prælegerit. Poſtquàm ibi ſeſquiannum exegiſſet, *Lugdunum* miſſus, ultra annum ibi Lectiones Juris, & in *Græcis Bonaventuram Vulcanium* audivit. Ibi à *Joſepho Scaligero* adeò dilectus eſt, ut ſub vitæ exitum neminem ſe pari amore proſecutum eſſe affirmârit. Nec minus à *Jano Douſâ* dilectus fuit. Horum utrique rebus humanis exemto, adſtricto & ſoluto ſermone parentavit. A.C. 1600. ætatis 18. *Lugduni* publicè docere cœpit, Latinos primò, mox Græcos exponendo authores. Poſteà Politicâ Profeſſione donatus, tandemque docuit Hiſtoriam, & totus fuit in diſcendis ac docendis Linguis Orientalibus. Ibidem poſt *Douſam* *Franeckeræ Græcæ linguæ & Juris ſtud.* *Lugduni Bat. Juris ſtud.* *Profeſſor Lugduni Batavor. Politicæ, & Hiſtoriar.*

Bibliothecarius tertius Leyd. Poëta.

filium, & *Paulum Merulam* tertius publicæ à Curatoribus Bibliothecæ præfectus eſt. Prætereà naturâ ipſâ inſtructus, ad Poëticam facultatem, patrio etiam rhythmo excelluit.

A. 1619. In Synodo *Dordracenâ* fuit ab Epiſtolis & Secretis Dnn. Delegatis ab Ordinibus Statuum *Hollandiæ* generalibus.

Multa ſcripſit, quorum hic Syllabus:

Scripta.

Crepundia Siliana, ſive Notæ in Silium Italicum. Peplus Græcorum Epigrammatum. Poëmata varia. Jambi partim morales, partim ad amicos. Jambi gnomici Joſ. Scaligeri. Q. Horatius Flaccus cum animadverſionibus & Notis. L. Annæi Senecæ Tragœdiæ cum ſuis & Joſephi Scaligeri Animadverſionibus. Ariſtarchus in Nonni Paraphraſin, quo infiniti loci ſacror. auctor. explicantur. Heſiodus & ejus Interpres cum Introductione & Notis in Opera & Dies. Maximus Tyrius Platonicus cum Interpretatione & Notis. Theocritus & Græci Interpretes cum Scholiis. Paraphraſis Andronici Rhodii in Ariſtot. Ethica ad Nicomachum cum Interpretat. Theophraſti Ereſii, Platonis & Ariſtotelis auditoris, Opera emendata. De contemptu Mortis Lib. IV. Itineraria III. Hiſpanicum, Gallicum, & Belgicum Johannis Secundi. Julius Cæſar, ſive de mutatione Reip. Romanæ. Gratulatio ad Venetos de fœdere cum Ordinibus Bataviæ inito. Homiliæ in Natalem Domini & Paſſionem, quæ aliquoties impreſſæ & converſæ in vernaculum & Gallicum ſermonem. Clemens Alexandrinus Græcus Theologus recenſitus, & Latinâ interpretatione interpolatâ. Orationes XVI. uno volumine comprehenſæ. Diſſertatio Epiſtolica, An viro literato ducenda Uxor, & qualis? Sunt, qui illi Satyras duas Menippæas, Hercules tuam fidem, & Virgulam Divinam adſcribunt. Ariſtotelis lib. de Poëticâ, cum interpretatione & Notis. Poëmata Belgica de Baccho & Hemskerkio Claſſis navalis ductore, aliisque. De Conſtitutione Tragicâ lib. ſecundùm Ariſtotelem. Auriacus Tragœdia publicè exhibita. In Politica Ariſtotelis Paraphraſis. Themiſtii Orationes, quas antè non editas publicavit. Oratio in obitum Reinerii Pontii, & Joh. Cluverii. Laudatio funebris Mauritio Principi Auraico &c. Lugduni Bat. publicè dicta 19. Sept. A. 1625. Encomium Aſini, ſed ſuppreſſo nomine. Laus Pediculi. Cras credam, hodiè nihil, Satyra Menippæa. Diſſertatio ſive Epiſtola, in quâ Juris-conſultorum & Ariſtotelis ſententia de Servitute conciliatur.

* *Ex Vitis Profeſſor. Leyd. & ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1649.

GERARDUS JOHANNES VOSSIUS.

Filius Theologi.

Natus eſt *Heidelbergæ* A.C. 1577. Patre *Johanne Gerhardi Voſſio Rurmundano*, Eccleſiæ Paſtore primùm *Heidelbergæ*, deindè *Furnæ* in *Flandriâ*, tandem *Dordrechti* primariâ *Batavorum* urbe, ubi obiit An. 1585. A. 1598. *Lugduni Batavorum* Philoſophiæ Magiſter creatus, abindè Patrum lectioni & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſedulò vacavit, idque ſtudium cum Theologico & cœteris ſtudiis ſemper conjunxit.

Philoſophiæ Magiſter Lugduni.

An. 1599. *Ælio Everhardo Vorſtio* inter Medicinæ Profeſſores cooptato publicè in Academiâ *Lugd. Ariſtotelis* libros Phyſicos explicuit, actumque tunc fuit à Curatoribus Academiæ de eo in Profeſſorum Philoſophiæ numerum legendo. Sed dum in eo ſunt toti, fato ſuo fungitur *Dordrechti Iſaacus Corputius* Eccleſiaſtes, & paucis pòſt menſibus *Hadrianus Marcellus* Gymnaſii Rector. Hâc occaſione ſumma gubernatio Scholæ commiſſa eſt huic *Voſſio*, qui A. 1602. 12. Febr. Uxorem duxit *Eliſabetham*, *Henrici Corputii*, primarii apud *Dordrechtanos* Eccleſiæ filiam, ex quâ tres ſuſcepit liberos, quorum unus *Johannes* natu minimus Patri ſuperſtes vixit.

Phyſicæ Profeſſor.

Rector Gymnaſii Dordrac.

Conjugium ejus duplex & Liberi.

Uxorem verò amiſit 6. Febr. An. 1607. 18. Aug. ſeq. alteris nuptiis uxorem duxit virginem *Eliſabetham*, *Franciſci Junii*, Theologi celebris filiam, ex quâ ſuperſtites reliquit filios quinque & filias binas. A. 1614. Ad Profeſſionem S. Theologiæ in illuſtri Scholâ *Steinfurtenſi* vocatus eſt à Comitibus *Bentheimenſibus*. Sed cum eodem tempore à Curatoribus Academiæ *Lugdunenſis* vocaretur ad Regimen Collegii Theologici, hanc vocationem amicis urgentibus prætulit. Tandem in eâdem Academiâ *Lugdunenſi* factus Eloquentiæ & unà Chronologiæ Profeſſor Ordinarius, quæ ad veteris Eccleſiæ controverſias & Hiſtoriam pertinent, fideliter conſignavit.

Lugduni Batav. Collegii Theol. Regens.

Eloquent. & Chronologiæ Profeſſor.

Ibidem vitam morte beatâ clauſit An. C. 1649. æt. 72.

Moritur.

Edidit:

Scripta.

Inſtitutionum Oratoriarum Lib. VI. A. 1607. Ex hoc libro Joſephus Scaliger infinita ſe didiciſſe profitebatur. Theologiam Gentilem. Harmoniam Evangelicam. Hiſtoriam de Controverſiis Pelagianis. Tract. de tribus Symbolis. Commentar. de rebus pace belloq; geſtis Fabiani Senioris Burggravii à Dohnâ. Diſſertat. de Jeſu Chriſti Chronologiâ.

* *Ex Vitis Profeſſor. Leyd.*

OCTAVIUS FERRARIUS.

Clar. A.C. 1650.

Mediolani natus 20. Maji An. C. 1600. Anno ætatis quarto Patre orbatus, ſub curâ & protectione patrui *Franciſci Bernardini Ferrarii* Theolog. Doctoris educatus, puer felicis ingenii & memoriæ Grammaticam brevi didicit. An. ætat. 10. Poſtquàm favore Card. *Friderici Borromæi* locum in Seminario Majore *Mediolani* nactus eſſet, paucis annis Linguam *Latinam* & *Græcam* apprehendit, ut in utrâque expeditè ſcribere poſſet. Philoſophiæ deindè & Theologiæ mentem applicans, curſum ſtudiorum an. ætat. 19. feliciter abſolvit. Tunc Card. *Borromæi* Mecœnatis ſui promotione in Seminario patrio Lecturam *Rhetoricæ* per triennium cum laude obtinuit. Poſteà Doctoribus Collegii *Ambroſiani* adnumeratus, Penſionem quoque Eccleſiaſticam honeſtam adeptus eſt.

Mediolani ſtud.

Oratoriæ Profeſſor Mediol.

Poſt

Poſt obitum Cardinalis *Borromæi* an. ætatis 26. ab inclyto Senatu *Veneto* vocatus, Oratoriæ Profeſſionem primariam in Lycæo *Patavino* nactus, munus hoc ſuum Oratione eleganti Latinâ de Laudibus *Patavii* auſpicatus eſt, quam *Dominicus Molinus*, Senator *Venet.* eruditus mox typis excuſam Literatis omnibus communem fecit. Lectiones abindè ſuas ſummâ cum facundiâ maximo auditorum concurſu peregit, iisq; loca variorum autorum obſcuriora, *Cornelii Taciti*, *Suetonii*, *Petronii*, *Juvenalis*, aliorumque perſpicuè declaravit.

Patavii.

Scripta:

Scripta.

Oratio de laudibus Patavii. Satyra ad modum Varronis. Apollo tuam fidem, ſive literatorum fatum. Epiſtola de obitu Dominici Molini ad Joh. Jacobum Cozzolanum, nobilem Mediolani in Matheſi imprimis eruditum. Elogia diverſa. Elogia multorum virorum literatorum. Euſtachii Commentaria ad Homeri Odyſſeam Latinitate donata.

MATTHÆUS MERIAN.

Obiit A.C. 1651.

Diſcipul. Theod. Mayeri, Sculptoris Tigur.

Opera ejus Nanceii. Lutetiæ.

Filius *Waltheri Meriani*, Conſulis *Baſilienſis*, natus eſt ibidem A. 1593. Anno ætatis 16. *Tigurum* à patre miſſus ad ſculptorem celebrem *Theodor. Mayerum*, artem ab eo in ære cælandi quadriennii ſpatio arripuit. *Nanceium* deindè *Lotharingiæ* metropolim vocatus, Exequias Ducis illius æri incidit. Exindè *Lutetiam Pariſiorum*, eodem tempore, quo *Jacobus Calotus*, ejusdem artificii vir, venit. Exactis ibi annis aliquot cum fructu *Baſiléam* ad Parentes reverſus eſt. Non multò pòſt *Auguſtam Vind.* & exindè *Stutgardiam* diſceſſit, ubi unà cum *Brendelio Argentinenſi* Feſtivitates in Baptiſmo filioli Ducis translatas, Torneamenta, Comœdias, ignes artificiales ære inciſas repræſentavit. *Francofurtum* regreſſus, cum ibi *Theodoro de Bry* Bibliopolæ celebri innotuiſſet, cum eodem in patriam ipſius *Oppenhemium* conceſſit, eumque in deſcriptionibus *Indiarum* æri inciſis egregiè adjuvit.

Stutgardiæ.

Conjugium ejus, & Liberi.

Ejusdem poſteà filiam natu majorem in uxorem duxit, cum quâ *Baſiléam* reverſus, 3. filios & 5. filias progenuit. Filiorum primus *Matthæus* pictor fuit eximius, ſecundus *Caſpar* ſculptor, & tertius *Joachimus* Medicus & Phyſicus ordin. *Francofurti* vixit. Symbolum habuit: *Pietas contenta lucratur.* Cum tandem ſanitatis cauſâ Acidulas *Swalbacenſes* adiviſſet, in iis vitam meliorem vir totâ vitâ Deo deditus acceſſit A. 1651. ætatis 58. Mortuus *Francofurtum* reductus, in cœmiterio S. *Petri* ſolenni ritu ſepultus fuit.

Obiit Swalbaci.

Edidit vir laborioſus opera eximia:

Theſauri Philopolitici Urbes Europæ unà cum Emplematibus repræſentantis Tomos XVI. Librum de 4. Monarchiis à Johanne Gotfrido, Eccleſ. Offenbacenſis Paſtore ſcriptum, centenis aliquot figuris ære ſculptis exornatum. Archontologiam, Urbes & Regiones mundi repræſentantem. Theatrum Europæum. Itinerarium Italiæ. Arcem & Hortum Heidelberg. CL Figuras Biblicas. Varias Regiones, Venationes, Prœlia, & Hiſtorias Romanas.

* *Ex Academiâ Germ. Pictorum Joachim. à Sandrart.*

PETRUS SCRIVERIUS.

Clar. A.C. 1652.

Harlemi in *Bataviâ* natus eſt 12. Jan. An. C. 1576. Patre *Henrico Schriver*, *Amſtelrodami* Eleemoſynario novi ordinis dicto, deindè ærarii Præfecto: Matre *Corneliâ*, *Johannis Soopl*, Civis *Harlem.* honeſti filiâ. Inter tres natos primogenitus, cœterâ familiâ *Amſtelrodamum* migrante *Harlemi* ab avunculo *Bertholdo Niewenburgico* retentus & Muſis deſtinatus eſt. Ibi prima ſtudiorum tyrocinia poſuit apud *Cornelium Schonæum*, Scholæ Rectorem, qui ob editas aliquot Comœdias Sacras *Terentii Chriſtiani* nomen obtinuit.

A. 1593. *Lugdunum Batavorum* ad Jus Civile diſcendum miſſus negligentius hoc tractavit, abhorrente à litibus & foro ejus naturâ: Poëſi verò & literis humanioribus mirificè delectatus eſt. Cum tribus Janis æqualibus ſuis familiariter vixit, *Johanne Woverio*, *Joh. Meurſio*, & *Joh. Iſaacio Pontano*. *Juſto Lipſio*, *Bonav. Vulcanio* & *Paulo Merulæ* quoque amicè innotuit. Ob ſenium tandem viſu orbatus claruit adhuc *Lugduni Batav.* A. C. 1652.

Poëta, & Philologus.

Symbolo uſus eſt: *Legendo & Scribendo.*

Scripta:

Scripta.

Flavii Vegetii de re Militari Lib. ad M.SS. Codicum fidem emendati. Julii Hygini Grammaticus, ſive de Caſtrametatione Lib. ex antiquis membranis primùm editus. Sex. Juli Frontini ſtratagemata collatis exemplaribus ſcriptis meliora. Ejusdem Comment. de Aquæductibus Rom. emendatior. De Agrorum controverſiis, cum Agenni Urbici Commentario, nec non de Limitibus & Coloniis ejusdem. Antiquitatum Batavicarum Tabularium. Additamenta & Obſervationes ad Henrici Aquilii Chronicon Geldriæ. Batavia illuſtrata, ſive de Batavorum Inſulâ, Hollandiâ, Seelandiâ, Friſiâ, Territorio Trajectenſi, & Geldriâ Scriptores varii junctim editi. Bataviæ, Comitumq; omnium Hiſtoria, linguâ vernaculâ. Hollandicarum rerum Scriptores veteres è MSS. cum Notis. Animadverſiones Hiſtoricæ in Adriani Junii Bataviam. Miſcellanea Philologica, quibus optimi quique Auctores, Poëtæ, Oratores, Hiſtorici, Juriſconſulti, Patres à mendis hactenus inanimadverſis vindicantur. Carmina varia Latinè & Belgicè in amicorum gratiam ſcripta. Georgii Benedicti Waterloi, municipis ſui, novor. Poëmatum poſthuma editio. Jani Douſæ Poëmata cum judicio ſelecta. Pauli Leopardi Emendationum & Miſcellaneorum ex XX. libris X. poſteriores. Jacobi Nicolai Loenſis Miſcellaneor. Epiphyllidum Lib. IX. Populare Hollandiæ Chronicon Belgicè conſcriptum. Collectanea veterum Tragicorum T. Livii Andronici, Q. Ennii, Gn. Nevii, M. Pacuvii, L. Attii, aliorumque Fragmenta, & circa ipſa Notæ breves. Manes Erpeniani, quibus accedunt Epicedia variorum. Apulejus Madaurenſis Platonicus ſe-

riò

riò caſtigatus. Wilhelmi Hedæ Alſinii emendatior auctiorque Editio. M. Valerii Martialis nova editio, cum Notis. Comment. ad Martialis Epigrammata de Spectaculis. De locis dubiis apud Martialem Epiſtolicæ Quæſtiones.

* *Ex Athenis Belgicis Franciſci Sweertii.*

Obiit A.C. 1653.

ELIAS EHINGERUS.

IN cœnobio *Öttingenſi Carthuſiano*, Chriſtgarten vocato, natus 7. Sept. A.C. 1573. Patrem habuit cognominem, illius tunc Eccleſiæ, & poſteà *Auguſtæ Vind.* ad Spiritum Sanctum Paſtorem, A. 1617. vitâ defunctum: Matrem *Mariam Aſpergeriam*. A. 1584. *Auguſtam* à parentibus deductus, in Scholâ ad S. *Annam* Præceptorem habuit *Hieronymum Bavarum*. A. 1588. Inter alumnos ibidem Scholæ Evangelicæ receptus, ſexennii ſpatio ſub diſciplinâ *Georgii Saltzhaberi & Davidis Schrami* tantos fecit in ſtudiis progreſſus, ut A. 1593. ſtipendio munitus Academiam *Wittenbergenſem* cum honore adiverit, & ibidem A. 1595. Gradum Magiſterii cum laude acceperit. A. 1597. *Tubingam* concedens, mox à D. *Haſenreffero*, Thelogo celebri, miniſterio Eccleſiaſtico inauguratus, & à generoſo Barone *Davide Enenckelio* in *Auſtriam* infer. accerſitus, apud eum 6. annis miniſtri aulici munere fideliter functus eſt. A. 1603. Vitâ defuncto Domino Barone, vocatus à generoſo Barone *Joh. Wilhelmo à Zelcking* in *Auſtriam* ſuper. profectus, *Keſermarckii* Paſtorem egit.

Auguſtæ ſtudia inchoavit. — *Stud. Wittenbergæ.* — *Philoſophiæ Magiſter.* — *Miniſter aulicus.* — *Paſtor Keſermarckii.*

Vix verò munus hoc aggreſſus, ſubortâ in *Auſtriâ* reformatione, cum uxore & liberis exul in patriam rediit, & A. 1605. Scholæ *Rotenburgi ad Tubarim* Rector conſtitutus eſt. Intercà duas vocationes, unam ad Superintendentiam ditionis *Wolffſteinenſ.* & *Sultzburgenſis*, alteram ad Rectoratum Gymnaſii *Ulmenſis* modeſtè recuſavit. An. 1681. *Auguſtæ* Profeſſoris & Gymnaſiarchæ munus adeptus, in eo perſeveravit usque ad an. 1629. quo denuò factus exul, vocante Sereniſſ. Electore *Sax.* Scholæ *Portenſis* Rector factus eſt.

Rector Scholæ Rotenburg. — *Profeſſor & Gymnaſiarcha Auguſtæ.* — *Rector Portenſis.*

A. 1632. Pace *Auguſtæ Vind.* reſtitutâ, reverſus eò, brevi pòſt turbis bellicis ingruentibus iterum migrare coactus eſt. A. 1635. Vocante Senatu *Ratisbonenſi* Gymnaſii Poëtici Rectoratum ibi fideliter adminiſtravit, usque dum ſenio ingruente, & viribus deficientibus rude clementer donatus eſt.

Gymnaſii Poëtici Rector Ratisbonæ.

Conjugium auſpicatus A. 1598. cum *Sabinâ Sturmiâ, Auguſtæ*, feliciter in eo vitam transegit usque ad an. 1641. & 5. filios cum duabus filiabus progenuit. Ex filiis M. *Davide*, Eccleſiæ *Neuſitz & Kirchberg.* agri *Rotenburgici* Paſtore, & *Eliâ Regiſtratore* apud Comit. *de Caſtell.* 7. vidit nepotes, duosque pronepotes.

Conjugium ejus.

Vitæ tandem ſatur & morbis exhauſtus, morte beatâ ſublatus mundum egreſſus eſt 28. Nov. A. 1653. ætatis 80. conjugii 42.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Pſellus in Organum Ariſtot. Græcè & Latinè. Das alt und neu Pabſtum von der Uneinigkeit der Papiſten. Von der Kindertauff. *Locus Bibl. de ſolâ fide juſtificante vindicatus. Canones Apoſtolor. & Sanctor. Conciliorum Græcè & Latinè. De Criteriis ſcientiarum. Revelationes S. Brigittæ. Orationes, Conciones, & Diſputationes variæ. Diſſertatio de quæſtione Politicâ: an fides hæreticis ſit ſervanda? Theſes de S. Scripturâ contrà Bellarminum. De Athenæo Auguſtano diſſertatio. De Prædeſtinatione Sanctorum tractatus. Quatuor hominis noviſſima. Phænomena & miracula Solis. De Pareliis. Prognoſticon Theologicum ſuper pace futurâ Germaniæ. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Seculum XV. Chryſoſtomi Oratio in Pentecoſten. Problema, utrum Scriptura authentica in Hebræis Græcisq; fontibus, an in verſione vulgata ſit conſtituenda? De Patritiâ Dignitate diſſertationes. Velitatio Epiſtolaris cum Jeſuitis Monacenſibus.* Wider die Aushünger des Heil. Evangelii. *Judicia Jeſuitarum aliorumq; Pontif. Scriptorum de Aug. Confeſſione. Poſt nubila Phœbus, hoc eſt, Conſolatio piorum in ærumnis. Proluſiones Panormitani, de ſummâ Summi Pontificis Rom. poteſtate. Poggius Florentinus de infelicitate Principum. Dialogiſmus Chriſti & Chriſtiani. De indulgentiis Papalibus. De Anno Jubilæo Auguſt. Confeſſionis. Paradoxum* φαιρόμενον, *adverſis lætari. De Emendandis Germanorum moribus. Judicium Aſtrologicum de Cometâ A. 1618. & de novâ ſtellâ A. 1638. Quæſtiones Theologicæ & Philoſophicæ Cæſarii Græcè & Latinè editæ. Paſſionale ſcholaſticum de calcatore torcularis Chriſti. Vindiciæ vitæ & doctrinæ Lutheri Germ.* Geiſtliche Betrachtungen / in welchen ſich vor Jahren 12. heilige Einſiedler täglich geübet. Weisſagungen *Joachimi Abbatis* von dem künfftigen Zuſtand der ganzen Welt. Hiſtoriſche und Theologiſche Ausführung der Frag / wo die Chriſtliche Kirch ſey geweſen / ehe D. Luther geboren? *Catalogus Librorum Reip. Auguſtanæ. Præconium Pacis. Loci Theologici Areopagiticè diſpoſiti. De Germanâ & ſincerâ Pace votum. Martinalia Lutherana Ratisbonæ celebrata. De ſtatu Eccleſiæ Chriſtianæ in terrâ militantis. De honore & præmiis Profeſſorum in Academiis & Præceptorum in Scholis.*

* *Ex Concione fun. M. Andreæ Steineri, Senioris Concionat. Ratisbonæ.*

Opera MSS. *Eliæ Ehingeri:*

Orationes IV. contra Tridentinum Concilium, & quatnor aliæ de Papâ Romano. De moribus Eccleſiæ Romanæ ante & poſt Lutherum. Catena Patrum Græcorum & Latinorum. De fortuitâ Pontificiorum Theologiâ. Geſta hujus mundi DEI per Monachos. De Pontificibus Romanis, qui in doctrinâ errârunt. Calvinianos non eſſe ſocios γνησίως *Auguſt. Confeſſionis. Michaël Pſellus ad Michaëlem Ducam, Regem Conſtantinopolitanum, de quæſtionibus Theologicis & Philoſoph. Neo-Decalogus Romanus. Symbolum Neo-Catholicum Romanum. An & quomodo ſit Jeſuita omnis homo? An corpus Dionyſii Areopagitæ ap. Ratisbonenſes, an verò apud Pariſienſes quieſcat diſſertatio?*

Opuſcula


ELIAS EHINGERUS, Prof. et Gymnaſiarcha August.


ANDREAS ARGOL, Mathemat. et Aſtrol. Patav.


IACOBUS BRUNO. Eth. et Graec. Ling. Prof. Altdorf.


PAULUS SLEVOGTI, Philoſop. Prof. Ien.


GEORGI, SCHRÖDER, Scholae Laurent. Rector Norib.


IOHAN: COQUERETUS Gymnaſiarcha Lutetiae.


IOHAN: RIEDNER, Scholae Laurent: Rector Norib.


MATTHIAS PASOR. Eth. et Graec. Ling. Prof. Groning.


CASPARUS BARTHI, Philologus Lipſ.


THEODORIC, HACKSPAN Lingv. S. Prof. Altdorffi.


STEPHAN, GERLACHI, Hiſtor. Eccleſ. Prof. Heidelb.


IOHAN: FREINSHEMIUS. Prof. Honor. Heidelberg.


AUGUSTUS BUCHNERUS. Oratoriae Prof. Witteb.


MARTINUS ZEILER, Philologus et Hiſtor. Ulm.


IOHANNES VOGELIUS. Scholae Sebaldinae Rector.


ANDREAS GOLDMAYER Mathematicus Noriberg.

Opuſcula ſequentia manuſcripta B. *Ebingeri* ipſe poſſideo, ſequentia ſcribit *Spizelius* in templo honoris reſerato:

1. *Veteris Eccleſiæ Doctores, vulgò Patres, ad unum omnes labiles.* 2. *De primâ veterum Germanorum fide, ejusque corruptione.* 3. *De floſculis & fructibus ordinum monaſteriorum.* 4. *De Conſummatione ſeculi.* 5. *De fictâ Conſtantini M. donatione.* 6. *Alexandrum III. calcâſſe collum Imp. Friderici.* 7. *De Altaribus removendis.* 8. *Imperatores excommunicati à Rom. Pontificibus.* 9. *De actis & ſcriptis Theol. Witteb. & Patriarchæ Conſtant.* 10. *De Jeſuitis.* 11. *Collatio hæreticorum & Magorum.* 12. *Concordia discors Catholicorum.* 13. *De Viſionibus Papiſtarum.* 14. *De Viſionibus Divinis & diabolicis.* 15. *De Panolethriâ Germaniæ.* 16. *Dialogus de vanitate ſcientiarum.* 17. *De perſecutione Eccleſiæ.* 18. *Planctus Germaniæ.* 19. *De contemptu literarum.* 20. *Anti-Mariana, ſeu nemini licere Magiſtratum ſuum trucidare.* 21. *De arte Lullii.* 22. *De fidelitate ſervandâ in citandis authoribus.* 23. *De ſtatu animarum corporibus ſuis ſolutarum.* 24. *Alia denique minoris momenti opuſcula plurima, duobus magnis voluminibus in fol. comprehenſa.*

Elias Ehingerus.
Magiſter Elias Ehingerus.
Elias Ehingerus Rector.
Per Anagr.
Age vir lenis es. Et: *Serenè vigilas.*
Arte, Sale nimis egregius.
In Scholâ res vere gerit.

Obiit A.C. 1654.

ANDREAS ARGOLUS.

Mathematicus fuit *Patavinus* magni nominis, & Aſtrologus excellens. Hic An. C. 1646. valdè jam ſenex febre quotidianâ cum deſtillationibus decumbens, ex eâ non tam medicamentis quàm abſtinentiâ convaluit. Nec enim quicquam aliud, quàm pilulas aloëticas, alephanginas dictas, & juſcula Cichoriacea acceperat. Poſtquàm convaluiſſet tanquàm miraculosè ſurrexiſſet, honorem hunc S. *Antonio Luſitano* tutelari deferens, deinceps totâ vitâ non aliis veſtimentis quàm gryſeis induebatur (contra quàm Profeſſoribus *Patavinis* in more poſitum) qui color in habitu Monachorum Ordinis S. *Antonii* conſpicitur. Neque deinceps amplius ac vitæ ſupremis diebus ſub Eccliſpeos tempus ægrotavit, A.C. 1654. quam ipſe *Europæ* imprimis, imò propemodùm Orbi univerſo tam formidabilem prognoſticis ſuis reddiderat. Undè falsè *Satyrici* tubi contemplatione deridebatur à *Jacobo Baldæo*, Poëtâ.

Quomodo ex febre quotidianâ convaluerit.

Ex devotione veſtibus gryſeis uſus eſt.

Circa Eccliſpſin Solis moritur.

* *Ex Obſervat. Medicis Georg. Hieronymi Welſchii, Med. Auguſtani.*

Obiit A.C. 1654.

JACOBUS BRUNO.

Natus eſt 23. Julii A.C. 1594. in oppido *Röbel*, Ducatûs *Megaloburgici*, Patre *Joachimo Braun* vel *Bruhn*, Matre *Annâ.* A. 1608. *Grabovium* miſſus eſt in Scholam, triennio pòſt *Parchimium*, eodemque anno *Suerinum*, & A. 1613. *Wismariam*, An. 1616. In Academiam *Roſtochienſem* profectus, famulitiis vitam ſuſtentavit. Exindè *Argentinam* verſùs iter inſtituens, & *Coburgum* usque perveniens, cum populares quosdam offendiſſet, biennium ibi commoratus, D. *Caſp. Finckio*, Theol. Profeſſori, operam Pædagogi fidelem in liberis erudiendis præſtitit: cujus commendatione A. 1619. *Altorfſium* venit, ubi beneficio Menſæ communis impetrato ſtudiorum curſum eò perduxit, ut A. 1621. Gradum Magiſterii, Decano M. *Georgio Queccio*, & anno ſequenti Inſpectionem Alumnorùm, proximoque A. 1623. Vicariatum in Claſſe impetrârit.

Roſtochii famulus ſtud. — *Coburgi Preceptor privat.* — *Altorfii Magiſter, Inſpector Alumnor. Vicarius Claſſicus.*

A. 1624. Invitatus deſiderio Matris eum ante obitum videre geſtientis in patriam iter ſuſcepit, & cum inter agnatos ſalvos aviam centum propè annorum vegetam adhuc offendiſſet, *Altorfium* ad functionem ſuam rediit. A. 1628. Profeſſio ipſi publica Ethices & Linguæ Græcæ in locum D. *Georgii Queccii* paulò ante defuncti concredita eſt.

Ethic. & Ling. Græc. Profeſſor.

An. 1624. Conjugium iniit cum virgine *Barbarâ*, filiâ *Johannis Knorrii*, Typographi *Noribergenſis*, & *Barbaræ Fiſcheriæ*, ex quâ cum duabus filiabus filios reliquit ſuperſtites, *Cornelium*, Philoſ. Magiſtrum, & Eccleſiæ Paſtorem in pago *Norib. Viſchbach*, & *Jacobum Pancratium*, Philoſ. & Med. Doct. poſteàque Med. Profeſſorem in patriâ, Reip. *Norimb.* Collegio Medico adſcriptum.

Conjugium ejus, & Filii.

An. 1632. Unà cum D. *Georgio Nöslero*, Med. Prof. aliisque utriusque ſexus à *Croatis* propè *Noribergam* captus, & *Neagoram* abductus, ab iis non niſi grandi ſoluto lytro liberari potuit.

Captus à Croatis.

Paucis diebus poſt filii Doctoratum febre ſcorbuticâ correptus, accedente calculi renalis dolore magnos ſuſtinuit cruciatus, donec inter preces ad DEUM & ſuſpiria placidè exſpiravit 17. Martii A. C. 1654. æt. 60.

Moritur.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Altorf. D. Nic. Rittershuſii, Jur. Prof.*

Edidit:

Speculum Prudentiæ Moralis Ariſtotelicæ. — *Scripta.*

Obiit A.C. 1655.

PAULUS SLEVOGTIUS.

Vitæ hujus uſuram cœpit *Poſſendorfii*, pago non procul à *Vinariâ* diſſito, 29. April. A.C. 1596. Patre *Martino Schlevogt*, Matre *Annâ Sundhauſiâ.* Cum puer in Scholis diverſis pietatis & bonarum artium rudimenta imbibiſſet, *Vinarienſis* Scholæ alumnus factus, adeò felices progreſſus fecit, ut non ſolùm Conrector, poſteà Paſtor *Fidelhauſenſis* M. *Joh. Frid. Bechmannus* ſuâ manu ſeqq. ipſi verſibus fuerit gratulatus,

Alumnus Scholæ Vinar.

Ad meum *Paulum Slevogtium*:

Vix vix cœpiſti puerili ſcribere venâ
Carmina, quæ metrico non benè fulta pede:
Mox mox cœpiſti Thymbræâ ſcribere venâ
Carmina, quæ metrico ſunt benè fulta pede.
O ita perge modo! Sic ſic cum fœnore quondam
Ipſe Poëtificâ mente Poëta clues.

Verùm etiam Rector M. *Georg. Saltzbuberus* præ reliquis diſcipulis hunc unicè amârit,

rit, judicâritque dignum, qui A. 1615. ad Academiam *Salanam* migraret, in quâ non ſolùm 7. Febr. A. 1620. ſub Decanatu *Heideri* Magiſterii gradum glorioſè reportavit, ſed etiam ſtatim poſt Collegia privata inſtituit. A. 1621. *Brunsvigam* ad Gymnaſiii *Martiniani* Conrectoratum legitimè vocatus ſeceſſit, quam ſpartam triennium cum trimeſtri, quà publicas, quà privatas Philoſophicas Lectiones ornavit, adamatus à Senatu, & Scholarchis, & cumprimis à tum temporis Reip. Syndicis, J.C.tis magnis D. *Caſp. Glockio* & *Joh. Cammanno*.

Magiſter Philoſophiæ Jenæ. *Brunsvigæ Conrector.*

Indè factum, ut cum A. 1622. Legati Imperatorii, quorum quoque Magnificus Dn. *Otto Melander*, J.C. Comes *Palatinus* Cæſ. & Cæſ. Majeſtat. Conſiliarius pars erat, *Brunsvigam* appulſi à prælaudato D. *Glockio* convivio exciperentur, & ipſe ad idem invitaretur: quâ occaſione præfectus Comes *Palatinus* ſermone multo cum ipſo variis de rebus, præſertim Poëſi, habito, quin & certamine Poëtico inito, Laureâ ipſum donavit, Diplomate *Magdeburgo*, quò tum properandum Legatis erat, transmiſſo.

Laureâ Poëticâ donatus.

A. 1624. cum ſuas ob cauſas paternos lares reviſeret, ac præclara ipſius non in linguis tantùm ac Philoſophicis diſciplinis, verùm etiam Theologicis in rebus ſcientia, concione *Vinariæ* habitâ, Illuſtriſſ. *Saxoniæ* Ducibus innoteſceret, datis hi ad Senatum *Brunſvicenſem* literis eum avocârunt, & ſtipendio extraordinario partim *Vinariæ* partim *Jenæ* ſuſtentârunt, usq; dum menſ. Nov. A. 1625. Rever. Dn. *Salomoni Glaſſio*, Theol. D. à *Græcæ Hebrææque* linguæ Profeſſione publicâ ad Paſtoratum & Ephoriam *Sundershuſanam* in Comitatu *Schwarztenburgico* abeunti, præviâ legitimâ Philoſophicæ Facultatis denominatione, Succeſſor daretur. Quantâ fide & induſtriâ huic muneri præfuerit, Diſputationes in lucem datæ ſatis loquuntur.

Græcæ & Hebr. Ling. Profeſſor Jenæ D. Salom. Glaſſio ſucceſſit.

Cum verò A. 1654. Dn. M. *Daniel Stahlius*, Log. & Philoſ. primæ Profeſſor publ. ex hâc vitâ diſcederet, poſt denominationem à Collegio Philoſophico exhibitam, paulò poſt Profeſſio iſthæc ipſi demandata fuit. Quanta in ipſo Theologica fuerit ſcientia, documento ſat luculento eſſe poteſt, quod non unâ vice ad Theologicam fuerit Profeſſionem denominatus, quam tamen ſummâ modeſtiâ à ſe declinavit. Nihilo tamen minus ſuperioribus annis Eccleſiaſticæ Viſitationi, quâ *Jenenſem* Præfecturam & Diœceſin, in vicem Superintendentis *Saxo-Vinarienſis* generalis adhibitus fuit.

Log. & Metaphyſ. Profeſſor M. Dan. Stahlio ſucceſſit. *Theologicam Profeſſ. declinavit.*

Cœterùm Decanatûs Philoſophici munus undecies, Rectoratûs verò Academici ter cum laude geſſit. Duarum maritus Conjugum fuit. Priorem quidem Virginem *Urſulam* Dn. *Wolfgangi Freyeri*, Reip. *Jenenſis* Syndici, filiam duxit A. 1627. ex quâ ſuſcepit filios tres, quorum duo *Paulus Andreas* & *Paulus* junior in primâ infantiâ denati ſunt, *Johannes* in ultimo Parentis Decanatu 27. Martii Magiſterii honore ſuo ex merito eſt decoratus: & filias duas, *Annam Mariam* A. 1648. Dn. M. *Johanni* Friſchmuth/ Scholæ tum oppidanæ Rectori, poſteà Græcæ & Orient. linguar. Prof. publico elocatam, & *Annam Chriſtinam*, uno tantùm anno viventem.

Conjugium ejus duplex.

Hâc conjuge A. 1636. febri ardenti à latere ipſius abreptâ, A. 1641. Virginem *Barbaram Catharinam*, Dn. *Henrici Ringleri*, Judicis *Jenenſis* filiam relictam copulandam ſibi curavit, ex quâ parens fuit factus filiorum trium, *Gothofredi*, brevi poſt nativitatem denati, *Joh. Philippi* & *Joh. Adriani*: tum 4. filiarum. Cum verò ab annis aliquot modò capitis dolore, modò contumaci dolore iſchiadico & aliis hypochondriorum affectibus laboraſſet, à quibus tamen medicamentorum uſu liberatus fuit, an. 1654. ſanguinis ſerum per loca convenientia cruentum per dies aliquot cœpit emittere. Eo ſymptomate ceſſante, inſultu apoplectico correptus eſt tam forti, ut tum vox tum mentis operationes plæræque turbarentur, quæ verò remediis generoſis adhibitis DEO benedicente paulatim rediêre, ut in publicum prodire ipſe iterum bonaque revaleſcentiæ ſpes apparere cœperit. Sed in vere anni ſeq. præter ſpem paroxyſmus rediit fortior, qui poſt horas aliquot vivendi ei finem fecit 22. Junii A.C. 1655. ætatis 60.

Apoplexiâ liberatus. *Moritur.*

* *Ex Programm. fun. Rectoris Jenenſis, Comitis Ottonis à Königsmarck, & Prorectoris D. Joh. Erneſti Gerhardi, Theol. Prof. publ.*

Opera ipſius ſunt:

Scripta.

Pervigilium de diſſidio Theologi & Philoſophi in utriusque Principiis fundato. Diſputationes Academicæ, Philoſophicæ & Philologicæ uno volum. comprehenſæ & editæ Jenæ 1656. hoc ordine: 1. De Prædicatione. 2. De Contradictione. 3. De ratione entis genericâ in ordine ad inferiora. 4. De differentiâ inter ſubſtantiam & accidens in communi. 5. De quibusdam quæſtionibus Logicis. 6. De Ente Rationis. 7. De Entis finiti ratione formali. 8. De Eſſe poſſibili. 9. De Univerſali ante rem. 10. De dependentiâ. 11. De Lumine naturæ in divinis rebus. 12. De ſupernaturali. 13. De principio ſyllogizandi in divinis. 14. De primo conceptu DEI noſtro intelligendi modo. 15. De Ubiquitate Eſſentiæ divinæ. 16. De Ubiquitate Dei ratione ſcientiæ ac viſionis. 17. De Creatione in genere, prima. 18. Secunda. 19. Tertia & ultima. 20. De Creatione primi hominis contra Hebræos, prima. 21. Secunda. 22. De identitate potentiarum vitalium inter ſe & cum animâ.

Diſputationes Practicæ & Philologicæ: 1. De indifferentiâ voluntatis humanæ in ordine ad actiones morales, primâ. 2. Secundâ. 3. Tertia. 4. Quarta. 5. De eâdem quinta. 6. De Causâ morali. 7. De Voluntario. 8. De peccato mortali. 9. De Civitate materialiter conſideratâ. 10. De Civitate ratione formæ conſideratâ. 11. De poteſtate Legis in Republicâ. 12. De Metempſychoſi Judæorum. 13. De morbis & doloribus Meſſiæ. 14. De Proſelytis Judæorum. 15. De anno Jubilæo & ejus juribus apud Hebræos. 16. De Helleniſticâ, quæ unico

exemplo

exemplo maximus linguæ Helleniſticæ uſus oſtenditur in interpretatione Sacræ Scripturæ.

Obiit A.C. 1655.

GEORGIUS SCHRöTERUS.

Filius Theologi.

NAtus eſt *Mertzbuſæ*, in Ditione *Haſſo-Darmſtatenſi*, 1. Mart. A. 1584. Patre *Henrico Schrötero*, Eccleſiæ ibi Paſtore, Matre *Ottiliâ Kirchneria* ab *Hennfeld*. An. 1606. In Academiam novam *Gieſſenſem* ſtudiorum gratiâ concedens, à primo ibi Rectore *Johanne Winckelmanno*, Theol. Doct. immatriculatus, & anno ſeq. 1607. à Decano M. *Caſp. Finckio* Philoſophiæ Magiſter renuntiatus, inter 27. Cadidatos decimum locum obtinuit. A. 1608. à Senatu *Sunfurtenſi* vocatus, Scholæ ibidem Conrector factus eſt. A. 1611. à fratre *Johanne Schrötero*, Eccleſiæ *Norimberg.* ad S. *Laurentium* Concionatore, Senatui commendatus, eò accerſitus, & Scholæ *Laurentianæ* Conrector conſtitutus, brevi pòſt nuptias celebravit cum virgine *Magdalenâ*, M. *Georgii Holfelderi*, Diaconi ad S. *Laurent.* filiâ, ex quâ 5. liberos ſuſcepit, nullos tamen ſuperſtites reliquit. An. 1617. Scholæ ad S. *Ægidium* Rector factus, & A. 1620. Rector Scholæ *Laurentianæ*, *Johanni Schirmero* ſucceſſit.

Philoſophiæ Magiſter Gieſſæ.
Conrector Suinfurti.
Conrector Scholæ Laurent. Norimbergæ.
Conjugium ejus.
Rector ad S. Ægid. & ad S. Laurentium.

A. 1625. Conjuge primâ anno prægreſſo defunctâ, alteram duxit virginem *Catharinam*, *Hieronymi Richteri*, Mercatoris filiam, quæ unicam ei peperit filiolam, non diu tamen ſuperſtitem. Hâc etiam A. 1633. vitâ defunctâ, tertiam ſibi deſponſavit A. 1635. *Margaretham*, viduam M. *Georgii Fabri*, Diſpoſitoris Eccleſiæ ad S. *Laurentium*, quæ ſterilis manſit. Renum & veſicæ doloribus ab anno excruciatus, morte beatâ tandem vitam finiit 15. Junii A. C. 1655. ætatis 72. muneris Scholaſtici 47.

Ex calc. dol. obiit.

* *Ex Conc. funebri M. Bened. Mauricii, Diaconi Laurent.*

Obiit A.C. 1655.

JOHANNES COQUERETUS.

POnte *Oſiâ* natus, Presbyter, Theol. Doctor ex *Navarræâ* ſodalitate, Triumvirorum per *Gallias* dirigendis Virginibus *Carmelitis* unus, *Graſſinææ* Scholæ *Lutetiæ Pariſiorum* Gymnaſiarcha, morum ad Pietatem formator eximius, conſiliorum ad cœleſtia Auctor ſapientiſſimus, inſtituendæ juventutis ad omnem virtutem induſtrius Artifex, vitæ ſanctimoniâ conſpicuus, qui multis pietatis cauſâ exhauſtis laboribus, dum ſolenni peregrinatione prædictarum Virginum Aſceteria perluſtraret, *Marſiliæ* vitâ functus eſt Non. Oct. A.C. 1655. æt. 63.

Gymnaſiarcha Lutetiæ.
Virginum Carmelitarum Informator.

* *Hæc ſubſcripta leguntur iconi ipſius æri inſculptæ.*

Obiit A.C. 1656.

JOHANNES RIEDNERUS.

NOrimbergæ natus eſt 5. Mart. A. 1603. Patre cognomine, Scholæ *Laurentianæ* Collegâ, Matre ex *Wildiorum* familiâ. Cum puer in Scholâ Patris ſui omnes Claſſes pertranſiiſſet, 11. Nov. A. 1611. ſtipendio Theologico à Dominis Concionatoribus inſtructus in Academiam *Altorfinam* miſſus eſt, ubi A. 1624. primum Philoſophiæ gradum, unà cum 3. aliis Baccalaureis à Decano M. *Georgio Mauritio* Poëſ. Prof. adeptus, & A. 1627. ab eodem Decano, cum 10. competitoribus Philoſophiæ Magiſter renuntiatus eſt. Abindè in Collegiis Philoſophicis & Theologicis diſputando & præſidendo ſtrenuè ſe exercuit, ut ejus diſputationes typis editæ teſtantur.

Altorfii Baccalaur. & Philoſ. Magiſter.

14. Aug. A. 1629. ab inclyto Senatu & Dominis Scholarchis in Urbem vocatus, Scholæ Patritiæ Collaborator factus eſt. Paulò pòſt cum Gymnaſium ad S. *Ægidium* erigeretur, Tertiæ Claſſis in eo Præceptor conſtitutus, & A. 1644. Gymnaſii hujus Rectori *Johanni Gravio* demortuo, Senatu jubente, ſucceſſit. 16. Julii An. 1655. Rector Scholæ *Laurentianæ* factus, huic muneri fideliter ad finem vitæ præfuit.

Rector Gymnaſii Ægidiani Norimbergæ.
Rector Scholæ Laurent.

4 Maji A. 1630. Sponſalia celebravit cum virgine *Helenâ*, M. *Johannis Marii*, Diaconi *Ægidiani*, & extra urbem ad S. *Petrum* Concionatoris relictâ filiâ, ex quâ 2. filios & 4. filias ſuſcepit, ſed omnes, præter filiam, præmiſit. Hæc cum 3. Oct. A. 1637. poſt partum gemellarum obiiſſet, 27. Febr. an. ſeq. 1638. nuptias reiteravit cum virgine *Barbarâ*, filiâ *Matthæi Helmuth*, quæ duas ei filias peperit, & 7. Dec. A. 1640. vitam finiit, quam filia natu junior brevi pòſt ſecuta eſt. 31. Maji A. 1641. Tertiò deſponſatus eſt cum virgine *Amaliâ*, *Johannis Ubelbackii* filiâ, cum quâ 9. liberos progenuit, quorum 4. filios, duasque filias unà cum viduâ reliquit ſuperſtites.

Conjugium ejus triplex.

Tandem cum à triennio capitis dolore & viſûs imbecillitate laboràſſet, accedente aſthmate vehementi omnia remedia ſalutaria reſpuente, in nocte Paſchatos feſtum præcedente piè in Chriſto exſpiravit 12. April. A. C. 1656. ætatis 53.

Moritur.

* *Ex Concione funebri M. Marci Kraberi.*

Obiit A.C. 1655.

MATTHIAS PASOR.

HErbornæ *Naſſoviorum* natus eſt 12. Apr. A.C. 1599. Pater ei fuit *Georgius Paſor Ellaranus*, S. Theol. & Linguæ *Hebr.* per annos 19. *Herbornæ*, *Græcar.* verò literarum per annos 11. in Academiâ *Friſior. Franeckeranâ* Profeſſor; Mater *Apollonia*, *Petri Hendſchii*, Senatoris *Herbornenſis* filia. Parentes hunc filium primogenitum à nativitate ſtudiis ſacris deſtinàrunt, voto peculiari, quod in ipſius infantiâ, cum ex lapſu moriturus videretur, DEO nuncupàrunt.

Itaque in Gymnaſio *Herbornæo* induſtriis formatoribus capax ingenium ſubmiſêre, quorum inſtitutione trium Linguarum *Latinæ*, *Græcæ* & *Hebraicæ* non levem notitiam aſſecutus ad audiendas Lectiones publicas an. æt. 14. emiſſus eſt. Indè in patriâ Philoſophos audivit M. *Henricum Dauberum*, M. *Gutberletum*, & D. *Joh. Henric. Alſtedium*, Theologicis verò, Doctore D. *Johanne Piſcatore*,

Herbornæ ſtudia incipit.

tori, operatus eſt, ita tamen, ut A. 1614. in *Marpurgenſi* ad breve tempus in *Hebræâ* linguâ, cui ſtudio impensè addictus erat, D. *Johanni Walthero* vacaverit.

Fit Philoſ. Magiſter Heidelb. Poſteà ex conſilio Patris *Heidelbergam* ſe contulit A. 1616. & 20. Febr. An. 1617. gradu Magiſterii inſignitus eſt, Decano D. *Nicolao Matthiade Bachendorffio*, & promotore D. *Joh. Caſimiro Jordano.* *Theol. ſtudet.* Tum ſtudiis ſacris continuandis totum ſe dedit ſub D. *Davide Parêo*, D. *Barthol. Copenio*, D. *Abrahamo Sculteto*, & D. *Henrico Altingio*, variaque Collegia in gratiam ſtudioſorum inſtituit. Mox A. 1619. demandatam extra ordinem à Facultate Philoſophicâ Profeſſionem Phyſicæ ibidem ſuſcepit, *Profeſſor Phyſ. & Mathem.* diſputationibusque Philoſophicis publicè cœpit præſidere. Sed an. ſeq. 1620. in ordinem Profeſſorum adſcitus, Mathemata profiteri cœpit usque ad 6. Sept. A. 1622. quo *Heidelberga* ab exercitu *Cæſareo Bavarico* per vim occupata & direpta fuit.

Quâ in calamitate publicâ licet omnium reculamm ſuarum, librariæ ſupellectilis, & hypomnematum manuſcriptorum fecerit jacturam, nec à præſenti mortis periculo aliquoties digitum latum abfuerit, ſingulari tamen DEI clementiâ militum furori ereptus, *Herbornam* ad parentes reverſus eſt 18. Oct. Hic ne otioſus deſideret, collegia Theol. & Philoſophica privata ſtudioſis petentibus habuit usque ad an. 1624. quo *Lugdunum Batav.* profectus, cum per menſem Theologos D. *Joh. Polyandrum*, D. *Andr. Rivetum*, D. *Anton. Walæum* & D. *Anton. Thyſium* audiviſſet, & cum D. *Thomâ Erpenio* de *Arabicis*, & D. *Willebrodo Snellio* de Mathematicis contuliſſet, in *Angliam* trajecit, & *Oxonii* privatim literas *Hebraicas* & Matheſin docere cœpit.

Sub finem anni *Lutetiam Pariſiorum* ſe contulit, ubi literarum *Arabicar.* & *Syriacar.* ſolidiora fundamenta jecit Magiſtro D. *Gabriele Sionitâ*, *Maronitâ* è monte *Libano* illarum linguar. Profeſſore Regio. A. 1625. vere in *Angliam* reverſus, *Oxonii* in *Exonienſi* Collegio ſtudia ſua & inſtitutionem aliorum continuavit. 25. Octob. A. 1626. *Profeſſor Linguar. Hebr. &c. Oxonii.* Profeſſionem publicam linguar. *Arabicæ*, *Chaldaicæ* & *Syriacæ* à Collegiorum præfectis ſibi demandatam aggreſſus, cum per biennium ſuſtinuiſſet, & in Collegio novo B. *Mariæ* prælectionem Linguæ *Hebrææ* conjunxiſſet, *Gröningam* ad Profeſſionem ord. Moralis Philoſophiæ obeundam evocatus 16. Februar. A. 1629. *Gröningæ Profeſſor Ethicæ & Mathem.* eam cum novo anno Academico aggreſſus eſt. Ad hanc poſt obitum D. *Nic. Mulerii* Med. & Math. Profeſſoris acceſſit Profeſſio Mathemathica 17. Febr. A. 1635. A. 1645. cum *Harderovicum* ad capeſſendam S. Theol. & Linguæ *Hebr.* Profeſſionem vocatus proficiſci conſtituiſſet, per Curatores Academiæ *Gröning.* eò res deducta, ut loco Mathematicæ Profeſſio Theologica 31. Julii ei deferretur, *Profeſſor & Doctor Theologiæ.* quam ut ritè adire & ſuſtinere poſſet, 24. Octob. S. Theol. Doctor à [illegible] creatus eſt, & triduo poſt adiit, eamque unà cum Profeſſione Morali abinde ſuſtinuit.

Vitâ defunctus *Gröningæ* 28. Jan. An. C. 1658. ætatis 59.

* *Ex Vitis Profeſſor. Gröningenſ.*

CASPAR BARTHIUS.

Obiit A. C. 1658. EX veteri & nobili familiâ natus eſt *Cuſtrini*, in novâ *Marchiâ Brandenburgicâ* 22. Junii A. C. 1587. Patrem habuit virum nobilem *Carolum à Barth*, Jur. Doctorem & Profeſſorem in Academiâ *Francofurt. ad Oderam*, *Joh. Georgii* Elect. *Brand.* Conſiliarium & Cancellarium *Cuſtrini*, qui debitum naturæ ſolvit *Halberſtadii* 6. Febr. A. C. 1597. *Filius nobilis Jur. Profeſſor.* Hujus frater *Chriſtianus Barthius*, Judicii Cameræ *Spirenſis* Aſſeſſor *Ratisbonæ* in Comitiis obiit, ibique ſepultus eſt A. 160[illegible]. Eorum verò Pater *Johannes à Barth*, Miles ſtrenuus & nobilis primus ex *Bavariâ* in *Saxoniam* conceſſit, in eâque cum familiâ ſuâ ſedem poſuit. Matrem habuit *Mariam Hackelbuſchiam*, ex vetuſtâ & nobili familiâ in regione *Juliacenſi* ortam, quæ *Halæ Saxonum* obiit 22. Jan. A. C. 1622. An. ætatis 10. poſt patris obitum cum matre *Halam Sax.* diſceſſit, ubi ſub tutoribus & patruis ſuis *Mauritio* & *Alberto Barthiis* ſtudiis humanioribus operam dare cœpit, & primùm *Gothæ* miſſus M. *Andreæ Wilckii* diſciplinæ, deinceps *Iſenaci* Scholæ Rectori M. *Val. Weinrichio* traditus eſt. *Gothæ & Iſenaci literis initiatur.* Diverſas exindè Academias inviſit, A. 1605. *Wittenbergenſem* & *Jenenſem*, A. 1610. *Moguntinam* & *Colonienſem*, A. 1611. *Marpurgenſem*, A. 1612. *Heidelbergenſem*, in quâ D. *Dionyſii Gotofredi* J. C. celeberrimi hoſpitio uſus eſt, A. 1613. *Argentinenſem*, *Multas Academias inviſit.* A. 1614. *Patavinam*, & A. 1614. *Lugdunenſem Batavor.* in quâ *Johannis Meurſii* Philologi celeberrimi converſatione & hoſpitio gaviſus eſt. Præterea A. 1616. *Antverpiam*, *Amſtelrodamum*, & *Lutetiam Pariſior.* A. 161[illegible] *Mediolanum*, *Vincentiam*, & *Romam*, tandemque *Baſileam* An. 1619. adivit, usque dum tandem *Lipſiam* venit, ubi vitæ tempus reſiduum transegit, in Collegio *Paulino* ſtudiis deditus. *[illegible] ſtudiis.*

A. 1630. Matrimonio junctus eſt cum virgine nobili *Balthaſ. à Skölen*, Capitanei Equeſtris ſub Elect. *Sax.* filiâ: *Conjugium ejus duplex.* quam cum ſterilem A. 1643. amiſiſſet, mox anno ſeq. iterum deſponſatus eſt cum virgine *Margarethâ Catharinâ*, nobilis viri *Alberti à Schaden*, hæreditarii in *Strasfurt* filiâ, quæ filium ei peperit *Caſp. Fridericum*, & 3. filias, quarum natu major *Agnes Emerentia* A. 1647. *Halæ* defuncta, *Margaretha Anaſtaſia*, & *Catharina Lucretia* manſere cum matre & fratre ſuperſtites.

Cum A. 1655. hemiplexiâ fuiſſet correptus, ſenſim abindè viribus decreſcentibus lectô tandem affixus, mortem beatam inſtanter à DEO petiit, quam obtinuit [illegible] placidâ exſpirans 18. Sept. A. C. 1658. æt. 71. *Moritur.*

Scripta ſunt ab ipſo plurima, & edita:

Adverſariorum Volumina III. Erotodidaſcalus ſeu Nemoralia. De fide ſalvificâ libri II. & de [illegible] totidem. Commentar. in Claudi[illegible] *Scripta.*

[illegible]

num. Latina verſio Philoloſophor. Græcorum Æneæ Gazæi, & Mitylenæi de immortalitate animæ, & Zachariæ Scholaſtici de mortalitate univerſi cum Notis. Philippi Cominæi Hiſtoria Gall. Latinè converſa. Speculum boni Principis, ſeu Comment. in Britonem. Animadverſiones in Guillelmum Britonem, in Phœbadium contra Arianos, in Compendium Doctrinæ Chriſtianæ Galli Confeſſoris, in Claudianum Mamertum, de Statu Animæ, & Rutilium Numatianum. Soliloquia rerum Divinarum. Pornoboſco, didaſcalus Latinus, de lenonum lenarumq; dolis plus quàm diabolicis ex linguâ Hiſpanica. Fabularum Æſopicarum libr. V. Paraphraſis Poëtica fabul. Æſopi. Epigrammatum lib. XXX. ſub Tarrei Hebii nomine edidit. Comment. in Auguſtinum de Civitate DEI. in Inſtitutiones Juris Juſtinianei. Papinianus Statius cum amplis animadverſionibus. Animadverſiones in Scriptores Belli Palæſtini. in Paulinum Petrocorium de Vitâ Martini. Libri Epigrammatum, Amabilium, & de Sapientiâ. Juvenilia Sylvarum, Sermonum, Elegiarum, Lyricorum, & poëtica varia. Lib. de Dubiis Scriptoribus, quem in Scriptis ſuis promiſit, ſed poſt ejus obitum non fuiſſe repertum, Chriſtianus Daumius refert in animadverſ. Barthii. Zodiacus vitæ Chriſtianæ, Satyr. P. Virgilii Ceiris cum comment. Barthii.

* *Ex Concione funebri D. Joh. Hülſemanni, Superint. Lipſ. & aliis.*

Obiit A. C. 1659.

THEODORICUS HACKSPAN.

NAtus eſt *Vinariæ*, urbe Ducali *Saxoniæ* Principum ſede inſigni, 8. Nov. A. C. 1607. Patre Dn. *Michaële Hackſpan*, Villæ *Bachſtadianæ* Inſpectore, Matre *Suſannâ*, Viri Reverendi Dn. *Johannis Mylii*, Verbi Divini in Lobsdorff/ & ad ædem S. *Petri* in Langenjungwitz miniſtri filiâ. Domi ad pietatem educatus, & literarum ſtudiis admotus, ad ea impenſius excolenda traductus eſt in Gymnaſium Monaſterii Roßleben/ probè tunc pro diſciplinâ & doctrinâ omnis generis inſtructum, ſed non multo pòſt belli impetu deſtructum, exuſtum, & deſolatum. Quantum per quadrienſium ibi conſumtum profecerit, quàm egregia pro Univerſitatibus ſuo commodo adeundis fundamenta ibi jecerit, ædificium ipſum iis ſupraſtructum oſtendit. Ex hoc itaque equo *Trojano* exiens primò ſe contulit *Jenam*, ubi 7. circiter annis conſumtis *Altorfium* venit, famâ ductus ejus, cujus poſteà veſtigia in Profeſſione Linguæ *Hebrææ* preſſit, Dn. *Danielis Schwenteri*, *Oriental.* Linguar. & Mathematum Profeſſoris publici. Hujus inſtitutione ut eò faciliùs frui poſſet, convictu etiam & hoſpitio uſus eſt.

Diſcipulus in Gymnaſio Roslebii.

Linguar. Orient. ſtudioſus Jenæ, & Altorfii.

Theologiæ ſtudioſus Helmſtadii.

Anno ita exacto profectus eſt *Helmſtadium*, ubi quadriennium exegit, & exercitia Diſputatoria cum Philoſophica tum Theologica, nunc opponendo, nunc reſpondendo graviter perſecutus eſt, id quod ſingularem ei favorem peperit apud Profeſſores & Theologos ibi primarios, Dom. *Georgium Calixtum*, (cujus etiam convictor & domeſticus fuit) Dn. *Conradum Hornejum*, S. Theol. Doctores & Profeſſores, ut & Dn. *Paulum Müllerum*, Superintendentem. A. 1636. reverſus in Academiam *Altorfinam*, præter Theologiam linguis Orientalibus addiſcendis, *Hebraicæ* tum Sacræ tum *Rabbinicæ*, *Syriacæ*, *Chaldaicæ*, *Arabicæ* dedit operam, in quibus tantam acquiſivit peritiam, ut qui propius paulò ipſum nôſſent, parem ipſi facilè reperiri non crederent.

Ibidem Palæſtram Profeſſoriam, & primùm quidem in Linguâ *Hebræâ* ingreſſus eſt A. 1637. Theologicam verò, & quidem præter votum ſibi oblatam A. 1654. Rectoratum Univerſitatis ut & Decanatum facultatis Theologicæ ſemel geſſit. 26. Febr. A. 1638. nuptias *Altorfii* celebravit cum virgine *Mariâ Magdalenâ*, Reverendi & Excellentiſſimi Dn. *Georgii König*, S. Theol. Doctoris & Prof. primarii filiâ, ex quâ filium progenuit *Joh. Chriſtophorum*, indolis præclaræ, & paternarum virtutum æmulum: & filias duas *Barbaram Suſannam* ac *Mariam Magdalenam*.

Altorfii Ling. Hebr. Profeſſor. & Theologiæ.

Uxorem duxit.

Quinque vitæ annis poſtremis podagrâ, ictero & cachexiâ conflictatus, accedente tandem ventris & pedum tumore, placidè in Chriſto obdormivit 18. Jan. A. C. 1659. ætatis 52. *Moritur.*

Scripta:

Scripta.

Locutiones Sacræ. Sylloge Diſputationum Theologicar. & Philologicar. Fides & Leges Muhammedis. Lucubrationes Francktalenſes, ſive ſpecimen interpretationum à Bonaventurâ Cornelio Bertramo quondam conſcriptum, denuò edidit Hackſpanius adjecitque interpretem errabundum. Inſtitutiones Arabicæ. Oratio auſpicalis de Neceſſitate Philologiæ in Theologiâ. Theologia Thalmudica. De Libertate Chriſtianâ. Liber Nizachon Rabbi Lippmanni oppoſitus Chriſtianis, Sadducæis & aliis &c. Noribergæ 1644. in 4to. Termini, Diſtinctiones, & Diviſiones Philoſ. Theologicæ. Miſcellanea Sacra, & de Cabalâ Judaicâ. Notæ Theol. Philol. in Loca S. Scripturæ difficilia.

Opera Manuſcripta.

Loci Theologici. Theologia Rabbinica. Grammatica Syriaca. Lexicon Syriacum ex Mich. Amirâ collectum. Peculium linguæ Rabbinicæ.

* *Ex Programmate fun. Rectoris Altorf. Chriſtoph. Nicolai, Med. D. & Prof. & templo Honoris reſerato Spizelii.*

STEPHANUS GERLACHIUS.

Clar. A. C. 1660.

B*Ernhuſii, Stutgardianæ* Diœceſeos, *Eliſæo* Parente ejus loci Parocho, d. 6. Maji A. C. 1921. natus eſt.

Jactis primis ſtudiorum in *Stutgardienſi* Scholâ fundamentis *Tubingam* à Parentibus ob belli injurias ibi commorantibus accitus A. 1635.

Liberalium artium humaniorumque literarum præceptis in eâ Academiâ excultus, ſummum in Philoſophiâ honoris Gradum adipiſcitur A. C. 1641.

Philoſophiæ Magiſter Tubingæ.

Theol. ſtud. Regiomonti.

Paulò pòſt uberiorum profectuum capeſſendorum cauſâ, voluntario quaſi ſibi exilio indicto, ad exteras Academias profectus, *Regiomonti Boruſſorum* ad integrum propè quinquennium Theologico ſtudio operam navavit.

Ad Colloquium *Thorunienſe* miſſis Theologis *Regiomonto Boruſſis* comes ac ſocius adjunctus A. 1655.

Antiquit. Eccleſiaſtica ſtud. Helmſtadii.

Indè ad Academicas operas reverſus, deinceps inclyti *Julii Licei* famâ pellectus, *Helmſtadium* conceſſit, ibique ſtudio Antiquitatis Eccleſiaſticæ tres annos, & quod excurrit, incubuit.

Hiſtor. Eccleſiaſt. Profeſſor Heidelbergæ.

Tandem ſub auſpiciis Sereniſſ. Elect. *Palat. Caroli Ludovici* in illuſtri *Heidelbergenſi* Academiâ recens inſtauratâ, Hiſtoriam Eccleſiaſticam publicè profiteri juſſus eſt A. 1657.

* *Ex Parnaſſo Heidelberg. Profeſſorum icones & vitas exhibente.*

Obiit A.C. 1660.

JOHANNES FREINSHEMIUS.

Lucem primam adſpexit *Ulmæ Suevorum* 16. Cal. Decembris A.C. 1608. natus honeſtis parentibus, *Joh. Bartholomæo Freinshemio* & *Eliſabethâ Meyeliâ*. Cum in Scholâ patriâ, fideli imprimis opera *Honoldi* & *Wollebii*, ſtudiorum fundamenta poſuiſſet, annos natus 15. Academias inviſere cœpit, & *Marpurgum* primùm, deindè *Gieſſam* venit, quibus in Academiis ita Legum ſtudio incubuit, ut doctores ejus tantos profectûs non citra ſtuporem intuerentur. Sed fatis eum ad majora ducentibus petiit *Argentoratum*, ubi occaſione carminum *Germanicorum* & aliquot acutè dictorum (erat enim, ut de eo vir maximus olim pronuntiavit, totus apophthegmaticus) *Matthiæ Berneggero* noſci & inſinuari cœpit, qui domo & menſâ ſuâ ſociavit eum. Apud hunc nactus bibliothecam inſtructiſſimam, incredibile dictu eſt, quantum operæ diu noctuque in evolvendis omnis generis auctoribus collocaverit, nec enim unâ diſciplinâ contentus erat, ſed quicquid Theologiæ, Juriſprudentiæ, Hiſtoriarum, & Philoſophiæ vel vetus ætas reliquerat, vel noſtra tradiderat, id omne inimitabili diligentiâ perquirebat, & penetrabat.

Legum ſtud. Marpurgi, Gieſſæ.

Argentorati Berneggero charus.

Florum 6. horar. ſpatio emendavit.

Eo tempore *Berneggerus*, periclitandi ingenii cauſâ obtulit ei aliquando *Florum* Hiſtoricum additâ prece, ut legeret, & ſi quid correctione vel animadverſione dignum occurreret, obiter enotaret. Hic auctorem ſibi nunquàm lectum & ſatis difficilem 6. horarum ſpatio non modò evolvit, ſed etiam multis in locis emendatum *Berneggero* reddidit, ingenti hominis non tam admiratione quàm ſtupore. Ad hanc divinitatem ingenii acceſſit multarum linguarum ſcientia, nam præter vernaculam, & quæ doctorum propriè habentur, *Græcam*, *Hebræam*, *Latinam*, callebat etiam *Gallicam*, *Hiſpanicam*, *Belgicam*, *Italicam*, *Anglicam*, *Suedicam* & *Danicam*. A. 1634. *Metim* in *Galliam* vocatus ab Illuſtri Viro *Michaële Mareſcotto*, inter Regis Secretarios Interpretis locum triennio tenuit. Reverſus indè ad ſuum *Berneggerum* A. 1637. filiam ejus virginem *Eliſabetham* in conjugium duxit, & commune cum Socero lectum, menſam, muſæum, Bibliothecam, ſtudia propè omnia habuit.

Decem linguar. peritus.

Secretar. Regis Gall.

Filiam Berneggeri duxit uxorem.

Polit. & Eloquentiæ Profeſſor Upſaliæ.

Bibliothecar. & Hiſtoriographus Chriſtinæ Reginæ Suec.

A. 1642. Hinc in *Sueciam* accitus, *Upſaliæ* Profeſſorem Politices egit & Eloquentiæ. Sic quinqennio exacto *Holmiam* commigravit, Bibliothecarii & Hiſtoriographi Regii munia obiturus, ad quæ vocaverat eum *Regina Chriſtina*, oblato in ſingulos annos bis mille Imperialium ſtipendio, cum libero victu. Eidem aliquando *Regina* quingentos ducatos, ut vocant, unâ vice donavit, quod natalem ſuum egregiâ oratione celebraviſſet. An. 1651. firmatâ per *Germaniam* pace, ut deficienti valetudini conſuleret, petitâ impetratâque veniâ reviſit natale ſolum, illuſtri Conſiliarii Regii titulo auctus.

Conſiliarius Elect. Palatin. Profeſſor Honorarius Heidelb.

Cum verò tunc Sereniſſ. Elector *Palatinus*, *Carolus Ludovicus*, præſentiam illius operamque in Academiâ *Heidelbergenſi* reſtauratâ deſideraret, huic vocationi ille lubens paruit, & A. 1652. profectus *Heidelbergam*, Conſiliarius Electoralis ac novo noſtris Academiis exemplo Profeſſor Honorarius conſtitutus eſt: quo ferè pacto *Joſephus Scaliger* ap. *Belgas* claruit, & olim *Eraſmum Roterodamum* ab *Erneſto Bavariæ* Duce *Ingolſtadium* accitum fuiſſe legimus.

Non verò tantùm amicitiam coluit cum viris ævo ſuo per *Europam* Illuſtribus, *Voſſio*, *Grotio*, *Heinſio*, *Salmaſio*, *Barlæo*, *Böcklero*, *Gronovio*, *Diodato*, *Gotofredo*, *Styrzelio*, *Scheffero*, *Loccenio*, *Forſtnero*, *Mochelio*, *Vicquefortio*, *Snolskio*, *Peyero*, *Mareſcotto*, *Canuto*, viris natalium ſplendore & meritis in Remp. literariam prælustribus, ſed etiam Magnates *Bernhardus* Dux *Saxo-Vinarienſis Auguſtus Brunvicenſium* Dux, literarum præſidium, *Eliſabetha Palatina*, Muſarum illa decima, *Carolus Ludov.* Elector *Palat.* Regina *Suec. Chriſtina*, & *Carolus Guſtavus* Rex *Suedorum*, omnes eum ſingulari gratiâ & munificentiâ proſecuti ſunt: & ſuperſunt adhuc multæ ab his ad *Freinshemium* ipſorum manibus ſcriptæ Epiſtolæ, quæ veluti venerandæ Sanctorum reliquiæ religioſâ curâ aſſervantur.

Ultima ejus moribundi verba.

Lecto tandem æger affixus, cum horam ſibi fatalem inſtare perciperet, S. Cœnâ cum devotione uſus, poſteà Dom. *Henrico Holſtio* dictum Biblicum indicavit, quod in funere ſuo explicari vellet. Paulò pòſt quieto animo in hæc verba prorupit: Sermo quidem me deficere incipit, cœterùm metum vel dolorem mortis non ſentio. Deficientibus inter hæc oculis admonitus ab *Holſtio*, meminiſſet omnis illius bonæ conſolationis, quam in beatum *Taubium* nobilem *Danum* paulò ante *Heidelbergæ* defunctum abundanter effudiſſet, eandemque in ultimo vitæ articulo ſibi quoq; accommodaret, col-

lectis

lectis extremo niſu viribus, Amen, Amen reſpondit, &ſic obdormivit *Heidelbergæ* pr. Kal. Sept. A. C. 1660. ætatis 52.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Panegyricus Sued. Regi & Heroi Guſtapho Adolpho ſcriptus. Florus Notis illuſtratus. Notæ in Tacitum. Paraphraſis Corneliana, in quâ priores Libros IV. Annalium Taciti expoſuit. Supplementa Liviana. Curtius cum Commentar. Orationes, quas in Suediâ habuit. De Potu Calidæ Diſſertatio ad Joh. Küfferum, Med. D. Virtutis Speculum, in quo Germanico Carmine Heroico Ducum Saxonicorum ſtirpem à Wedekindo deduxit. Syntagma de Vicariatu Palatino, quod ſub nomine Philœci prodiit.

Typis edenda poſt mortem reliquit:

Theſes de Aſſeſſoribus, quas publicè olim ſine Præſide defenſurus, cum Profeſſores concedere nollent, vulgare etiam inſuper habuit. Paradigma Orationum & Epiſtolarum. Meditationes de Officio boni Præſidis. Prælectiones in Laurentii Surii Commentarios, in quibus oſtenſâ Monachi impoſturâ Sleidani laudem aſſeruit. Fabulæ Phædri, addito ſingulo exemplo ex Hiſtoricis congruente. De Precedentiâ S. R. Imperii Electorum, & S. R. Eccleſiæ Cardinalium. Carthaginenſia & Numidiaca, Achaica item & Pergamena, quibus illarum Rerumpublicarum, Regnorumque formas, hiſtorias, & inſtituta examinavit. Poëmata Latina & Germanica, in quibus plerique Pſalmorum rythmo expreſſi. Supplementorum Livianorum Index Criticus, in quo Claſſicos authores propè omnes ordine alphabetico digeſtos expolivit, correxit, & illuſtravit. Diſputationes in Ethica Ariſtotelis. Epiſtolarum aliquot Centuriæ.

* *Ex Laudatione poſthumâ Abrahami Freinshemii, Johannis ex fratre Nepotis.*

Obiit A.C. 1661.

AUGUSTUS BUCHNERUS.

Filius architecti militaris.

EX nobili & antiquâ familiâ in urbe *Sax. Electorali Dresd.* natꝰ eſt 2. Nov. A. 1591. Patrem habuit *Paulum Buchnerum*, qui cum bellicarum artium, tormentariæ imprimis peritiſſimus haberetur, præclara in *Belgio* ſub *Hiſp.* Rege, *Italiâ* item & *Galliâ* ſtipendia meruerat: chariſſimus quoque fuerat *Emanueli Philiberto*, *Sabaudiæ* Duci ſupremo Legato exercitus *Hiſpanici*: Sacramento militari deindè ſolutus *Dresdam* conceſſit, ubi cum ſplendida virtutis ſuæ edidiſſet ſpecimina, tormentariæ rei & Fabricis præfectus eſt ab Elect. *Auguſto*. Idem cum propter militaris pariter & architectonicæ prudentiæ experimenta aliquando à *Daniæ* Rege ad munimenti *Crempenſis* ſtructuram, aliquando ab Imp. *Rudolpho II.* cum amplo ſalario ad bellica invitaretur conſilia, maluit tamen ſub Electoribus *Saxonicis Auguſto, Chriſtiano I. & II.* ſtipendia facere, quàm deſultoriis ſervitiis fata ſua ſollicitare: interim ab Imp. nobilitatis Diploma cum Inſignibus dono accepit. Avus ejus *Georgius Buchnerus*, poſtquàm equeſtria liberæ Nobilitati *Franciæ* præſtitiſſet officia, *Norimbergæ* tandem ſedem fixit. Matre natus eſt *Mariâ*, *Sebaſtiani Kröſti*, Conſulis *Dresdenſis*, & Electoris *Sax.* quondam Cubicularii filiâ.

In ludo Portenſi Poëſi addictus.

Adoleſcens in Ludum *Portenſem* miſſus 13. Nov. A. 1604. egregia eruditionis, Poëſi imprimis addictus, ſpecimina edidit, ſed triennio cum ibi egiſſet, Patre orbatus eſt, moratus itaque alterum ibi triennium An. 1610. Academiæ *Wittenbergenſis* civem dedit, 19. Nov. immatriculatus à Prorectore D. *Leonharto Huttero*, Theol. Prof. Rectoris enim Magnifici munus tunc exornaverat Dux *Auguſtus*, Elect. *Joh. Georgii I.* frater. Ibi Juris prudentiæ ſtudiis ſe mancipare decrevit, ſed cum fortè poſt obitum D. *Johannis Rhodenburgii* Poëſeos Profeſſio vacaret, huic poſt legitimam denominationem Electorali authoritate inauguratus eſt, & in numerum Profeſſor. receptus 12. Martii A. 1616. Eodem tempore primus inter 46. Competitores cum laude Philoſophiæ Magiſter renuntiatus fuit. Paulò poſt celebratis ritu *Chriſtiano* ſponſalibus ſolenni pompâ domum duxit virginem *Eliſabetham*, *Jacobi Crauſii*, J.C. ſulti filiam. Cum hâc 45. annos feliciter exegit, undecies ex eâ pater factus, ſed duos tantùm filios totidemq́; filias Numen ſuperſtites vivere voluit. Filius natu major *Chriſtianus Auguſtus* apud Elect. *Sax.* Rei tormentariæ & Fabricarum fuit præfectus: alter *Jacobus Wilhelmus* inter Equeſtres *Suecorum* turmas Subpræfecti ſpartam exercuit. Tertius *Johannes* rei tormentariæ apud *Poloniæ* Regem Protribunus An. 1660. lento morbo extinctus obiit. Inter filias *Eliſabetha* vixit in conjugio cum D. *Henrico Coſelio*, Pandectarum Profeſſore publ. & Curiæ Electoralis Aſſeſſore, quæ paulò ante Dom. Parentem maritum amiſit, alteram filiam *Dorotheam* poſt obitum ſuum Virginem reliquit.

Wittenbergæ Poëſeos Profeſſor, & Philoſ. Magiſter.

Uxorem duxit.

Filii ejus architecti.

A. 1631. Oratoris Academici munus Electorali autoritate promeruit, quod ita deinceps ornavit, ut inter *Germanos* diſertiſſimus meritò haberetur. A. 1637. demandata eidem fuit in Alumnos Electorales Ephoria. In Academiam *Upſalienſem* à Sereniſſ. Rege *Sueciæ* vocatus, modeſtè ſe excuſavit. Rectorem Magnificum tertiâ ipſum ſalutavit vice Academia, Decani in Collegio Philoſophorum munus octavum, quod nulli anteà Profeſſorum obtigit, cum laude abſolvit. Senioratum facultatis Philoſophicæ An. 1637. totiusq́ue Academiæ An. 1649. ſuſcepit.

Oratoriæ Profeſſor.

Ephorus alumnorum Elect. Sax.

Senior Academ. Witteb.

Valetudine infirmâ à primis annis præditus, podagræ tandem in ſenio doloribus excruciatus, & Medicorum D. *Mich. Sennerti* & *Conradi Victoris Schneideri* operâ fideli fruſtrà uſus, viribus tandem deficientibus inter preces adſtantium exſpiravit 12. Febr. A. C. 1661. æt. ſuæ 70 Prof. Poëticæ 45. & Eloq. 30.

Moritur.

* *Ex Programm. fun. D. Andreæ Kunadi, Theol. Prof. & ex Concione funebri D. Abrah. Calovii, Gener. Superintend. Sax.*

Edidit:

Scripta.

In Senecæ Conſolationem.
Programmata funebria,

MARTI-

Obiit A.C. 1661.

MARTINUS ZEILERUS.

Filius Eccleſiæ Paſtoris. NAtus eſt 7. April. An. C. 1589. in pago Ränten/ ſup. *Styriæ* Ducatûs, milliari ab oppido Murau diſtante, Patre cognomine, Paſtore ibidem Eccleſiæ 40. annis, Matre *Apolloniâ* Ungerathin/ Civis honeſti in Mucrau filiâ. Pater ejus ex Archiepiſcopatu *Salisburgenſi* ortus, ſtudiorum gratiâ *Zwiccaviam* miſſus, veritatem Evangelii cognovit, & indè *Wittenbergam* excurrens, *Phil. Melanchthonem* ibi docentem audivit, poſteà *Lipſiam* conceſſit: jactis verò in Theologiâ fundamentis, cum in patriam ejus *Auguſtanæ* Confeſſionis doctrina eſſet introducta, ſuam ei operam locavit, & Parœciæ *Räntenſi* 40. annos præfuit, anno verò 1600. cedere coactus *Ratisbonam* migravit, & A. 1602. *Ulmam*, ubi peſtilentialis Eccleſiaſtæ munus obiit jam ſeptuagenario major, poſt peſtem ex gratiâ ſingulis ſeptimanis à Magiſtratu *Ulmenſi* florenum accepit, usque ad an. 1609. quo mortuus eſt, an. æt. 82. Filius autem in Scholâ *Ulmenſi* ab an. 1601. fundamenta in ſtudiis humaniori- *Wittenbergæ ſtud.* ribus poſuit, donec A. 1608. in Academiam *Wittenberg.* conceſſit.

Trium Baronum gubernator. A. 1612. *Lintzium* in *Auſtriam* regreſſus, inſtitutor factus eſt *Jacobi Franciſci*, Baronis ab *Herberſtein*, nobilis *Johannis Gall à Widerdrios*, & *Sigismundi Friderici à Tättenbach*, Comiti, quin etiam cuidam ab *Ortenburg* à ſtudiis fuit, & 8. menſes Præceptorem publicum *Lintzii* egit. A. 1615. cum Dominis ſuis concreditis per *Bohemiam*, *Moraviam*, & *Alſatiam* itinere ſuſcepto, *Argentorati* tandem per biennium ſubſtitit. An. 1620. cum *Sigismundo Friderico à Tättenbach* in *Galliam* abiit: undè autem rediens in Arcem *Zeillern*, A. 1622. à Dom. *Wolffgango Friderico* (poſteà Comite) à *Tättenbach* cum gratiâ & remuneratione numeratâ dimiſſus eſt. Hâc etiam inſtitutione exploratâ Liber Baro *Balthaſar Gäller à Schwanberg* Vicarius *Gräcenſis Zeilerum* hunc unico ſuo filio *Johanni Friderico* Informatorem conduxit, cum quo & *Georgio Ehrenrico* Barone ab *Egbiswald Lintzium* ad Scholam ablegatus eſt.

Exercitio autem Religionis Evangelicæ indè exulare juſſo, *Ulmam* An. 1624. cum duobus his diſcipulis ex *Auſtriâ* aſcendit, & ex hâc Scholâ A. 1629. *Tubingam*, annoque ſeq. *Argentoratum* & *Altorfium* Præfectus eorundem abiit. *Græcium* reverſus, eodem anno 1628. cum Barone ſuo *Gällero*, & *Joh. Carolo à Gloyach* per *Carniolam*, *Forum Julii*, & ditionem *Venetam Patavium* ivit, ubi *Syndicus nat. Juriſtar. Patavii.* Nationis *Germanicæ* Juriſtarum Syndicus electus eſt.

An. 1629. poſtquàm dimiſſionem honeſtam à Dnn. Baronibus impetrâſſet, *Germaniam* repetiit, & cum *Sigismundo Schleichero*, & *Joh. Zeſino* poſteà Jur. Doctoribus per Ducatum *Tirolenſem Auguſtam Vind.* exindèq; *Ulmam* venit. Ibi jus Civitatis accepit, & *Ulmæ deſponſatus.* 12. Jan. A. 1630. ætatis 41. nuptias celebravit cum *Magdalenâ Matthеſiâ*, *Joh. Chriſtiani Mehreri*, Mercatoris viduâ, cum quâ 22. annos in conjugio felici, ſed illiberi, tranſegit. *Ulmæ Gymnaſiarcha.* *Ulmæ* A. C. 1633. Senatus ipſi Ephoriam & Viſitationem Gymnaſii publici, An. 1641. *Cenſor Libror. Hiſtor.* Librorum Hiſtoricorum & Philoſophicorum Cenſuram, & A. 1643. Inſpectionem Scholarum *Germanicarum* concredidit, quibus muneribus per multos annos ſummâ cum laude & fidelitate præfuit. *Illuminatus.* Memorabile verò eſt, hunc virum Lectionis quamplurimæ altero tantùm oculo ſuos labores omnes peregiſſe, oculo dextro à teneris vitiato.

Hiſtoricus inſignis. Ob libros verò, quos edidit plurimos, Hiſtoricos præſertim, adeò celebris evaſit tam in Imperio *Romano*, quàm extra illud in *Italiâ*, *Galliâ*, *Poloniâ*, *Daniâ*, *Sueciâ*, *Bohemiâ*, & *Hungariâ*, ut plurimi Proceres & viri eruditi *Ulmâ* tranſeuntes conſpectu, & colloquio ipſius frui deſiderârint, eumq; in ædibus ſuis viſitârint.

Moritur. Viribus tandem ſenſim ex maraſmo ſenili evaneſcentibus, cum paucis tantùm diebus lecto fuiſſet affixus, familiæ ſuæ ultimus placidè exſpiravit *Ulmæ* 6. Octob. A. C. 1661. ætat. 73.

MorItVr DoCtVs ZeyLer.

Scripta:

Scripta. *Theatrum Tragicum Franciſci Roſſeti Galli Germanicè redditum, ſub titulo/* Traurige Geſchichte. *in 8vo. Itinerarium Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, cum figuris, Germanicè in fol. Epiſtolarum Germ. Centuriæ ſex, in 8vo. Eædem conjunctim in 4to. Topographia Helvetiæ, Sueviæ, Alſatiæ, Bavariæ, Palatinatûs Rheni, & vicinar. Regionum, Archiepiſcopatûs Mogunt. Trevir. & Colon. Haſſiæ & vicinar. Regionum, Circuli Weſtphalici, Franconiæ, Auſtriæ, Bohemiæ, Saxoniæ ſuper. Thuringiæ, Miſniæ, & Holſatiæ, Electoratûs Brandenburg Pomeraniæ, Boruſſiæ, & Livoniæ, Circuli Saxoniæ infer. omnes Germanicè in fol. Topographia Galliæ Germ. in 13.* Theilen *in fol. Compendium Itinerarii Germaniæ Nov-Antiquæ Germ. Epiſtolar. miſcellanear. Centuria VII.* Unluſt-Vertreiber aus dem Franzöſiſchen Büchlein *Chaſſe Ennuy de Louys Garon* ins Teutſch überſetzt / *in 8vo. Deſcriptio Hungariæ, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ Germ. in 8vo.* Beſchreibung des Burgundiſchen und Niderländiſchen Cräiſes *in fol. Nucleus Hiſtoriarum M. Samuel Meigerii* verbeſſert und vermehrt. *in 4to. Fidus Achates*, oder Getreuer Reisgefert *in 12mo. Hiſtorici, Chronologi, & Geographi celebres in 3. partes diſtincti. in 8vo. Index Hiſtoricus Virorum & Fœminar. illuſtrium.* Eine Verzeichniß der Churfürſten und Ständen des H. Röm. Reichs Teutſcher Nation / nach den 10. Reichs-Cräiſen / ſamt ihren Monatlichen einfachen Anſchlag zum Römerzug. *in 4to. Chronicon Sueviæ*, oder das Schwäbiſche Zeitbüchlein. *in 4to. Centuria Dialogorum*/ oder hundert Geſpräch von allerhand Materien. *in 8vo.* Handbuch oder *Manuale* von allerley Erinnerungen / auch denkwürdigen und

und meinſtentheils neuen Exempeln/ nach dem Alphabet. *in 8vo.* Hiſtoriſcher Anzeiger vieler Heiligen. *in 8vo. Collectaneorum* 2. Theil *in 8vo. Variarum Quæſtionum Centuriæ IV. in 8vo.* Beſchreibung der 10. Craiſen des H. Röm. Reichs. *in 8vo.* Das Exempel-Büchlein in 3. Theilen. *in 8vo. Miſcellanea in 8vo.*

* *Ex Concione fun. M. Marci Wollaib, Concionat. Senioris Ulm.*

Obiit A.C. 1663.

JOHANNES VOGELIUS.

NOrimbergæ natus eſt A.C. 1589. Nonis Sept. Patre *Johanne Vogelio*, fabro ærario, Matre *Barbarâ Welderinâ*, obſcurâ quidem, honeſtâ tamen familiâ, quam ipſe è tenebris in lucem vocavit. Pueri ad Scholam à parentib9 miſſi aures acutiores erant ad audiendum, quàm vox Præceptorum ad docendum: ideò anno æt. 12. à Rectore tunc temporis *Sebaldino*, M. *Andreâ Bohemo*, ad primam Claſſem, examine prius habito, promovebatur. Sed cum naturæ debitum exſolviſſet mater, & pater ad ſecundas nuptias animum applicuiſſet, à ſtudiis in tonſtrinam avocatus eſt ad patruelem *Martinum* Früſe. Quod verò per matris obitum ipſi adimebatur, ſupplebant Matrona nobilis *Martini Sigfridi Pfintzingi* vidua, & celebris Arithmeticus *Antonius Neudorferus*, qui cum in tonſtrinâ libris incubantem offendiſſet, cum patruele egit, ut ſibi puerum gratis alendum traderet. Illa verò intereà de amictu ipſi proſpiciebat, donec à Magnificis Dnn. Scholarchis impetraret, ut ad preces recitandas, habitis nuptiis ut vocant honoratioribus, denominaretur. Paulò pòſt *Altorfii* in numerum 12. alumnorum adſcriptus, in Claſſibus eruditionis rudimenta poſuit, iisq; emancipatus ſtudia Philoſophica aggreſſus, *Sonerum* & *Piccartum* præ cœteris ſedulus docentes audivit.

A ſtudiis ad tonſtrinam avocatus. — *Preces in nuptiis recitavit.* — *Alumnus Altorfii.*

Altorfio relicto & adſcito ſibi itineris comite *Joach. Ruaro* Archiatro poſtmodùm Electoris *Brandenburgici Francofurtum ad Mœnum, Heidelbergam, Moguntiam, Gieſſam Haſſ. Marpurgum, Caſſellas* & *Jenam* petiit. Poſt ſemeſtri *Wittenbergam* ſtudiorum ſibi ſedem delegit, & præter ſtudium Theologicum, Poëſin quoque, & Linguas *Græcam* ac *Hebraicam* coluit. Reverſus in patriam, Scholam privatam inclyti Senatûs indultu in Cœnobio Prædicatorum aperuit, Scholæ deindè *Ægidianæ*, poſt 13. annos *Sebaldinæ* Rector conſtitutus eſt.

Wittenbergæ ſtud. — *Poëta, & Philologus.* — *Rector Scholæ Sebaldinæ.*

Sed cum feneſcentis pedes officium ſuum facere recuſarent, ad ædes ſuos convocatos diſcipulos fideliter docuit. Publicæ etiam Scholarum utilitati proſpexit, dum ad ſubveniendum egeſtati Scholaſticorum à Dnn. Scholarchis petiit & impetravit, ut tempore Adventûs cantionibus pro cujusvis civis liberalitate ſtipem iis colligere liceret.

Ejus Conjugia.

Matrimonium *Norimbergæ* iniit cum *Dorotheâ*, M. *Johannis Zunneri* viduâ 7. liberorum matre, erga quos non vitrici, ſed genuini Parentis officio fungebatur. Deus verò filium & filiam, ex hâc conjuge ſuſceptam mox & conjugem ipſam per mortem ad vitam meliorem vocavit. Nuptias itaq; ſecundas celebravit cum virgine *Mariâ*, *Conradi* Roſenhart / dicti Glockengieſſer/ filiâ, ex quâ 14. liberorum parens factus eſt, quæque de hoc ſolo querula fuit, quod non ſemper ante voluntatem mariti, quàm vocabatur, cognitam haberet. Divinitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti Oratione publicè *Altorfii* habitâ deferendam ſibi ſumpſit.

Obitus.

Sub finem vitæ calculi doloribus ſæpiùs afflictus, viribus ob nativi caloris inopiam conſumptis lecto tandem affixus, die abinc octavo placidâ cataſtrophe vitæ hujus fabulam clauſit *Norimbergæ* d. 6. Martii A. C. 1663. æt. 74. Rectorat. 42.

* *Ex Oratione fun. Wolfgangi Gundlingi, Norimberg.*

Obiit A.C. 1664.

ANDREAS GOLDMAYER.

GUntzenhuſæ, *Franciæ* Orient. oppido natus A.C. 1603. ſtudiis Mathematicis à primâ adoleſcentiâ deditus, artem Medicam quoq; & Chymicam in *Altorfinâ* primùm Academiâ, quam A.C. 1629. acceſſit, deindè *Argentorati* excoluit. In hâc in prædictionibus Aſtrologicis ſingularis cum menſe Octob. A.C. 1632. Sereniſſ. *Sueciæ* Regem *Guſtaphum Adolphum* die 6. Nov. in prœlio *Lützenſi* morte violentâ vitam finiturum prædixiſſet, plebi *Argentinenſi* factus admodùm exoſus, & ab illâ lapidatum ſe iri metuens, ſuaſu Rectoris tunc Magnifici D. *Johannis Schmidii*, Theologi celebris, *Argentorato* diſcedens, *Tubingam* ſe contulit. Mox verò menſ. Dec. poſt Regis obitum *Argentinam* redux, ab omnibus incolis tanquàm Vates ſingularis in ſummo honore habitus eſt.

Med. & Chymicus. — *Aſtrologus Regis Sueciæ Guſtavi Adolphi mortem prædixit.*

Abindè Calendariis editis magis inclareſcens, ob eruditionem in Matheſi & Chymiâ non vulgarem *Comes Palatinus* ab Imp. *Ferdinando III*, creatus, & diverſorum Principum urbiumque Imperialium Mathematicus conſtitutus eſt. Sed Matheſeos Profeſſiones in Academiis tum *Argentinenſi*, ut ibi *Eberhardo Welpero* ſuccederet, tum *Altorfinâ* ſibi delatas libertatis amore recuſavit.

Calendariographus. — *Comes Palatinus.* — *Matheſin profiteri noluit.*

Norimbergæ multis annis ſubſiſtens, ibiq; A. 1639. Calendariographus ordinari9 cum ſalario certo à Senatu conſtitutus, & tum ex annuâ Calendariorum compoſitione, tum Nativitatum, quas vocant, omnibus eas petentibus poſitione ſeſe ſuſtentans, tandem ad extremam redactus egeſtatem, & morbo gravi afflictus, in xenodochium ad Spiritum Sanctum receptus eſt. Ibi mox ultimam vitæ ſuæ diem ac horam prædicens, diebus paucis exactis, ſpiritum emiſit cœlebs & inops. A.C. 1664. ætatis 61.

Mortis horam ſibi ipſi prædixit.

* *Ex variorum relatione.*

Scripta edidit:

Scripta.

Himmliſche *Harmonia*, das iſt/ Harmoniſche / ewigwährende / Aſtronomiſche Tafeln des Lauffs/ der Sonnen und des

 Monds.

Mondo. Geheimnus der H. Schrifft/ und des Liechts der Natur. Aſtronomiſcher *Calculus* und kurze Beſchreibung der wahren Zeit der Erſchaffung / der Fix-Sternen/und Planeten/nebenſt dem *Momento* der Erſchaffung Adam und Eva/ und der Geburt-Stund Noa. Hiſtoriſche/ Aſtronomiſche und Aſtrologiſche Beſchreibung vom neuen Urſprung der Teutſchen Völker. Hiſtoriſche / Aſtronomiſche und Aſtrologiſche Beſchreibung der Städte Bamberg/ Würtzburg/ Augſpurg / Leipzig ꝛc. Vom Urſprung/ der Heſſiſchen Völker / und von Erbauung der Stadt Marpurg. Straßburgiſche Chronica Aſtrologiſch beſchrieben.

Obiit A.C. 1665.

MARTINUS SCHOOKIUS.

NAtus eſt *Ultrajecti* 1. April. A.C. 1614. Patre *Gisberto Schoock*, Fil. *Arnoldi*, Conſulis *Bommeliani* per multos annos, matre *Johannâ à Voorſt*. Prænomen accepit à Proavo materno *Martino Schippero*, Medico eximio, qui ultra triennium *Andreæ Veſalii*, magni illius Anatomici, domeſticus fuit,&cum ad annos 50. Praxin Medicam exercuiſſet, *Ultrajecti* obiit A. 1603.

Prima literarum fundamenta domi poſuit ſub avo materno *Antonio à Voorſt*, viro docto & portentoſæ memoriæ, cujus ſubſidio totum *Novum Teſtamentum*, *Pſalterium*, & meliorem *Virgilii* partem, etiam cum luminibus captus eſſet, itendidem repetere ſolitus eſt, tali exercitio nepotumque inſtitutione cœcitatis incommodum edulcando.

Poſteà frequentavit Gymnaſium *Hieronymianum*, & moderante illud D. *Antonio Æmilio*, poſteà Hiſtoriar. in Academiâ *Ultrajectina* Profeſſore, eò usque profecit, ut A. 1629. ad Acad. *Franeckeranam* fuerit ablegatus. In eâ audivit *Joh. Hachtingium*, Philoſophum acutum, & *Adrianum Metium*, Mathematicum: prima quoque Theologiæ fundamenta poſuit ſub D. *Guilielmo Ameſio*, D. *Johanne Maccovio*, & D. *Meinardo Schotano*, Theol. Profeſſoribus. Cum verò aëra illum valetudini ſuæ minus commodum crederet. A. 1632. *Leidam* abiit, adhæſitque Philoſopho ſummo D. *Franconi Burgersdicio*, & *Antonio Walæo*, Theol. Profeſſori.

Studet Franeckeræ.

Lugduni Batav.

Oblatâ deinceps commodâ in patriâ occaſione, varios adoleſcentes in diſciplinam accepit, & ſub finem A. 1635. in Gymnaſio ibi paulò ante erecto extraordinariè Linguam *Græcam & Latinam* profiteri cœpit. Paucis menſibus pòſt, Gymnaſio Academiæ titulo inſignito, ipſe primus in Philoſophiâ Lauream accepit, ſicut anteà in Gymnaſio primam Diſputationem propoſuerat. *Ultrajecti* hæſit usque ad finem anni 1638. quo (cum paulò ante in patriâ Academiâ titulo Profeſſoris humaniorum literarum ornatus fuiſſet) à Magiſtratu *Daventrienſi* accitus eſt ad docendas Hiſtorias & Eloquentiam in ſuo Gymnaſio, quod ut illuſtrius redderet, ultrò ſuperaddidit lectionem *Græcam* & Geographicam. A. 1640. Vocatus in Academiam *Gröningenſem*, in eâ Logicam & Phyſicam docuit.

Fit primus Philoſophiæ Magiſter in Acad. Ultraject.

Profeſſor Hiſtor. & Eloquent. Daventriæ.

Prof. Log. & Phyſ. Gröningæ.

Anno præced. uxorem ibi duxit virginem *Angelicam à Merck*, Mercatoris *Ultrajectini* filiam, quæ ipſum 7. filiis ſuperſtitibus, & filiâ unicâ beavit.

Nubit.

Gröningâ tandem diſcedens *Francofurtum ad Oderam*, factus eſt Hiſtoriarum Profeſſor & Hiſtoriographus Regius. Ibi vitam finiit circa A.C. 1665. æt. 51.

Hiſtor. Prof. Francofurti.

Moritur.

Scripta:

Scripta.

Deſperatiſſima cauſa Papatûs, cum auctario adverſus Libertum Fromendum. Diſſertationes de naturâ ſoni & Echus, de Ovo & Pullo, de Turffis, de Harengis. De Ciconiis, de Cereviſiâ, de Signaturâ fœtûs, de Sternutatione. De Butyro, & Averſatione Caſei. Tractatus de Inundationibus. De Fœnore unciario in Gronovium. Admiranda methodus novæ Philoſophiæ Carteſianæ. Volumen primum Orationum. De figmento Legis Regiæ. Liber de bonis vulgò Eccleſiaſticis dictis, in quo agitur de Canonicis in genere, & ſpeciatim de Canonicis Ultrajectinis, ac de officio Miniſtrorum Eccleſiæ ergà Magiſtratum. De Majeſtate. De libero arbitrio. Accurata Reip. Belgicæ fœderatæ deſcriptio. Imperium Maritimum. Exercitationes de diverſis Materiis. De Scepticiſmo. Fabula Hamelenſis, ſeu de infauſto exitu Puerorum Hamelenſium. Acceſſit de Noachi Diluvio. Collegium Logicum. Phyſica generalis. Phyſica Cœleſtis de Cœlo ſydereo. Fatum Reipublicæ Achæorum & Vejentium. De Seditionibus, ſeu Diſcordiis domeſticis

* *Ex Vitis Profeſſor. Gröning.*

Obiit A.C. 1666.

GOTOFREDUS SCHLUTERUS.

GÖttingæ, Ducatûs *Brunsvicenſis* oppido,* natus 22. Sept. A.C. 1605. Patrem habuit *Gotfridum Schluterum*, Theolog. Doct. & Superintendentem *Göttingenſem*, qui obiit A.C. 1637. æt. 70. Mater ei fuit *Anna Dransfeldia*, ex vetuſtâ familiâ *Göttingenſi* orta. Puer cum Patre *Oldenburgum* ad Superintendentis munus à Comite *Antonio Gunthero* vocato conceſſit, ibique in Scholâ oppidanâ ad ann. æt. 17. Pietatis & Artium fundamenta poſuit.

Studia inchoavit in Scholâ Oldenburg. & Götting.

An. 1622. In Scholam *Göttingenſem* miſſus, propter belli turbas peſtisque contagia biennium tantùm ibi permanere potuit, & ad Parentes rediit. A. 1627. *Lipſiam* veniens, apud Affinem M. *Johannem Fridericum* Hiſtor. Prof. publ. aliquo tempore manſit, & Lectiones Philoſophicas ſedulus audivit, diverſasq; Diſputationes habuit. Eodem anno circa Feſtum *Michaëlis* Philoſ. Baccalaureus creatus, anno ſeq. 1628. in Acad. *Jenenſem*, & brevi pòſt *Wittenbergenſem* conceſſit. A. 1630. *Lipſiæ* Gradum Magiſterii adeptus, abindè præter Philoſophiam Theologiæ ſtudiis cumprimis deditus fuit D. *Henrici Hopfneri* Theologica docentis ſedulus auditor, & per triennium convictor, & Collegiis Philoſophicis habitis ſeſe exercens.

Lipſiæ ſtudioſus Philoſoph.

Baccalaur.

Magiſter.

Theol. ſtud.

A. 1633.

A. 1633. Ex patriâ *Veſaliam* miſſus, ut relictas ibi Patris hæreditates in ordinem redigeret, eâ occaſione Academiam *Colonienſem*, & exindè Univerſitatem *Lugduno-Batavam* acceſſit, in quâ per hyemem commoratus eſt. A. 1634. in *Angliam* iter ſuſcipiens, Academias *Cantabrigienſem* & *Oxonienſem* inviſit, & *Londinum* acceſſit. Ex *Anglia* in *Galliam* transfretans, *Lutetiæ Pariſ.* per aliquot menſes ſubſtitit, & Doctores imprimis *Sorbonicos* docentes ac diſputantes audivit. Exindè per *Arteſiam*, *Hannoniam*, *Brabantiam*, & *Flandriam*, *Leydam* regreſſus, & *Gröningam* venit. An. 1635. ſoſpes in patriam reverſus. Poſt obitum Patris A. 1638. *Lipſiam* ad ſtudia priſtina rediit, & ab *Henrico Volmaro*, J. C. & Prof. in ædes receptus, filium ejus cognominem informavit. An. 1640. Locum ibi in facultate Philoſophicâ petiit & obtinuit.

Iter ejus in Belgium. *Angliam.* *Galliam.* *Lipſiæ locum in facult. Philoſ. obtinuit.*

Intereà D. *Hopfneri* Collegia Theologica frequentavit, & ſub ejusdem præſidio duodecimam & ultimam Diſputationem de Juſtificatione defendit, cum anno prægreſſo Gradum Baccalaurei in Facult. Theologicâ obtinuiſſet. An. 1644. Profeſſor Logicæ à Facult. Philoſophicâ deſignatus, & inter Collegii majoris Principum Collegiatos receptus, anno ſeq. 1645. Gradum Licentiæ in Facult. Theologicâ accepit.

Theol Baccalaur. *Logicæ Profeſſor.* *Theol. Licentiat.*

A. 1647. Cum *Oldenburgi* paternam hæreditatem in ordinem diſpoſuiſſet, in *Hollandiam* regreſſus, Academiam novam *Dordracenam* inaugurari vidit, & *Lipſiam* rediit. Ibi Magnifici Rectoris officium bis A. 1649. & 1657. cum laude adminiſtravit, Procancellarii munus in Facultate Philoſ. A. 1652. & 1664. Decanatum verò ſexies geſſit.

Rector Lipſ. bis.

An. 1651. Deſponſatus eſt cum virgine *Dorotheâ Eliſabethâ*, *Johannis Schäfferi*, J. C. celebris *Hallæ* filiâ, cum quâ 13. annos in conjugio felici, licèt ſterili, transegit, quæq; 14. Aug. A. 1664. obiit. Nepotem verò ex ſorore *Antonium Guntherum Fridericum*, qui poſteà Med. Doctor creatus, & Ducis *Luneburg.* Medicus aulicus conſtitutus eſt, filii loco educatum hæredem inſtituit.

Conjugium ejus ſterile.

Cum tandem à triennio ex pedum debilitate gravi decubuiſſet, accedente à 4. ſeptimanis ciborum faſtidio, præſente D. *Friderico* nepote ſuo *Hanoverâ* accerſito, placidè obdormivit 26. Martii A.C. 1666. æt. 62.

Moritur.

Edidit:

Scripta.

Commentar. Analytic. ſuper Organum Ariſtot. Collegia Theologica diverſa.

* *Ex Conc. fun. D. Eliæ Sigism. Reinharti, Paſtor. Lipſ. ad S. Nicol.*

Obiit A.C. 1667.

JOHANNES SPINDLERUS.

Natus eſt A. 1600. die 9. Auguſti, *Coburgi* honeſto loco; Patre *Johanne Spindlero*, cive, matre *Eliſabethâ Köchin*. In hoc cum eximiæ indolis indicia emicare cœperint, jactis in Scholâ & Gymnaſio fundamentis, inclutam ſtudiorum matrem *Wittebergam* ſelegit, in ejus ſinum d. X. Maji anno 1620. receptus, ad metam, quam ſibi præfixerat, majori animi contentione ſudare perrexit, viresque animi variis corroborare exercitiis, inter quæ eminet illud diligentiæ ejus ſpecimen, quod ſub præſidio B. *Kesleri*, Logicam Anti-Photinianam *Wittebergæ* adornantis, edidit. Poſteà *Jenenſem* adiit Academiam, ibidemque denuò in diſputantium arenam publicè deſcendit, occaſionem ſolenni exercitio præbente M. *Arnoldo Mengering*, qui, pro loco, in Ampliſſimâ Facultate Philoſophicâ obtinendo, de S. Bono Practico diſputaturus, *Spindlero* præ reliquis reſpondentis detulit partes. Hoc eximio ſpecimine omnibus ſpectatam ſuam eruditionem maximè approbavit. Talia *Jenæ Spindlero* agente, Patria, doctiſſimi ſui civis non immemor, portum, in quem laudabilium ſtudiorum navim ſubduceret, ipſi, præter omnem ſpem ac opinionem monſtravit, transmiſſis literis vocatoriis, quibus ad Profeſſionem Logicam in Gymnaſium *Coburgenſe* vocabatur, cui divino nutui dulciſſimæque patriæ voci non obtemperare religioni ſibi duxit.

Studioſus Witteb. *Jenæ.* *Profeſſor Gymnaſii Coburg.*

Surrogatus ergò eſt anno 1625. in locum B. *Kesleri*, quam ſibi demandatam ſpartam magnâ cum laude exornavit, & quantum in Logicâ & Orientalium Linguarum ſtudio valeret, non tantùm variis publicis diſputationibus, ſed & librorum aliquot editione erudito orbi abindè ſatis teſtatum fecit. Superſunt enim adhuc:

Tractatûs Logici. Compendium tractatuum Logicorum. Horologium Chaldaicum methodo Schickardianâ. Horologium Syriacum. Horologium Arabicum.

Scripta.

E primo conjugio, quod cum *Catharinâ Ferrichiâ* habuit concors, ſuperſtites ſunt filii duo, quorum unus *Georgius Fridericus*, Parochiæ *Mederenſis*, alter redituum ducalium *Sonnenbergæ* Præfectus, & filia una *Michaëli Hanſſen* / Schol. *Coburg.* Conrectori elocata. Ex alterâ Conjuge *Annâ Eliſabethâ Chilianiâ*, nati iterum denati.

Conjugium.

Ipſe obiit d. 14. Octob. 1667.

Moritur.

JOHANNES HORNEIUS.

Obiit A.C. 1665.

Editus eſt in lucem *Helmſtadii* 3. Sept. An. C. 1625. Patre *Conrado Horneio*, Theol. Doct. & Philoſophiæ per annos 37. in illâ Academiâ Profeſſore, qui An. C. 1649. æt 59. obiit: Matre *Catharinâ Richiâ*. Puer Præceptores habuit domeſticos M. *Jacobum Keſebergium*, *Chriſtoph. Puffium*, *Henningum Baringium*, *Eliam Reuterum*, & deniq; *Henricum Steinhuſium*, viros Græcè Latinèq; doctiſſimos, omnes poſteà ob eximiam eruditionem Eccleſiaſtico muneri præpoſitos.

Præceptores ejus privati.

Præter hos ipſemet Parens in iisdem bonarum literarum ſtudiis quotidiè fermè horis ſucciſivis filium erudivit, interpretando primò quidem *Æneidem Virgilii*, deindè *Xenophontis* hiſtor. libros, & denique *Homeri Iliadem*. An. ætatis 17. parentis hortatu in Academiâ patriâ obire cœpit tam publicas quàm privatas Profeſſorum Philoſophici Ordi-

Philoſ. ſtud. Helmſtadii.

Google

Ordinis Lectiones: imprimis verò *Johannis Brenneccii* aſſiduus auditor fuit; ducebatur enim *Latinarum*, & paterno exemplo *Græcar.* literarum ſingulari amore. Simul etiam privatos audivit Magiſtros, imprimis M. *Mart. Henricum Eccardum*, poſteà Theol. D. & Academiæ *Rintbelenſis* Profeſſorem, præcipuas Philoſophiæ partes tradentem: quin & ipſummet Parentem, domi quidem Hebraicas literas & Philoſophicas diſciplinas, Theologiam verò publicè docentem.

Altorfii.

A. 1647. unà cum fratre, præſtanti ibidem juvene M. *Friderico Ulrico*, & ipſo dudùm defuncto miſſus eſt in Academiam *Altorfinam*, in quâ ultra annum commoratus, potiſſimam temporis iſtius partem *Græcis* Scriptoribus evolvendis, & Hebraicis literis ulterius, ductu Dom. *Theodorici Hackſpanii*, excolendis impendit, non tamen planè ſepoſitis ſtudiis Philoſophicis, in quibus tractandis adjutus eſt operâ hoſpitis ſui Dom. *Joh. Pauli Felwingeri*. Poſt anni decurſum in patriam reverſus, Academiam 15. Kal. Febr. A. 1649. ſummos in Philoſophiâ honores ſuaſu Dom. Parentis, petiit, & *Henrico Julio Scheurlæo*, Ordinis Philoſ. tum Præſide, indeptus eſt.

Helmſtadii Philoſophiæ Magiſter.

Metaphyſicam privatim docuit.

Philoſophiæ Magiſter renuntiatus, ſtatim Metaphyſica commilitonibus propoſuit, in iisque docendis & per diſputationes ventilandis ſeſe exercuit. Conſtituerat etiam cœteras Philoſophiæ partes, nec non humaniores literas ſimili ratione privatus exponere. Sed accidit præter omnem Parentis & ſui expectationem, ut proximo à Promotione ſemeſtri nondum elapſo à Sereniſſimâ *Haſſiæ Landgraviâ Amaliâ Eliſabethâ* ad Profeſſionem naturalis Philoſophiæ in Academiâ *Rintbelenſi* invitaretur: cujus voluntati conſilium Patris ſecutus morem geſſit. Sed vix dum *Rintbelium* appulerat, cum inopinato nuntio excitus illi juberetur ire exſequias, qui paulò ante ſeſe proficiſcentem extra portam deduxerat. Feſtinanter itaq; accurrens advenit ipſo temporis momento, cum ad exuvias patris monumento inferendas in procinctu jam ſtarent bajuli.

Phyſica Profeſſor Rintbelii.

Ad patris funus Roſtochium rediit.

Profeſſorio autem munere in Academiâ illâ *Haſſo-Schaumburgicâ* per ſeſquiannum geſto, ſub exitum anni 1650. vocatus eſt in patriam Academiam ad Hiſtoriarum & Poëſeos Profeſſionem: quâ functus eſt, donec *Brenneccio* fatis concedente A. 1655. illam cum *Græcar.* literar. Profeſſione, impetrato prius Superiorum conſenſu, ultrò permutaret.

Hiſtor. & Poëſ. Profeſſ. Helmſtadii.

Et Linguæ Græcæ.

Tunc operam dedit, ut non duntaxat complura Patris Scripta nondum edita, ſed etiam *Metrophanis Critopuli* Confeſſio Latinè à ſeſe verſa publicæ luci darentur. Magiſtratum Academicum ſemel iterumque fideliter geſſit: Procancellarii verò munus ſemel, cum alterâ vice Collegarum ſuffragiis ad id deſignatus, propter valetudinis debilitatem id non obiverit: quinquies item Decanatu Ordinis ſui adminiſtrato.

Bis Rector.

Semel Procancellar.

Quinquies Facult. Phil. Decanus.

Intereà duxit in matrimonium virginem *Margaretham Eliſabetham*, Dn. *Jacobi Tappii*, Academiæ *Juliæ* tunc Senioris & Profeſſoris filiam, nuptiis 3. Maji A. 1653. ſolenniter celebratis. Ex eâ 8. liberorum, trium nempè filiorum & 5. filiarum factus eſt Pater, è quibus tamen unus duntaxat filius cum 4. filiabus Parenti ſuperſtites manſêre, reliquis pridem à Deo hinc rurſus evocatis.

Conjugium ejus. & Liberi.

Cum verò minus firma corporis valetudo ipſi à Parentibus obtigiſſet, jam à primâ pueritiâ non unius morbi inſultum ſenſit, maximè verò ſub finem A. 1660. & deinceps acriter & ſæpiculè tentatus eſt morbo hypochondriaco, vertigine, & febre hecticâ. Licet verò poſtremis aliquot menſibus ſolito melius ſe haberet, alacriterque ſtudia ſua tractare poſſet, rem tamen omnem ſuſpectam ei reddidit occulta virium jactura, donec febris accedens, vires penitùs proſtravit. Tandem inter ſoceri, fratris, aliorumq; adſtantium ſuſpiria ac preces ſpiritum Creatori & Servatori ſuo reddidit 9. Aug. A. C. 1668. ætatis 44.

Moritur.

* *Ex Programmate fun. Prorectoris Academiæ Juliæ.*

Scripta:

Scripta.

Metrophanis Citropuli Patriarchæ Alexandrini Confeſſio Eccleſiæ Orientalis ad Academiam Juliam, cum Joh. Horneji verſione Latinâ, & Herm. Conringii præfatione. Diſputatio de Potentiâ & Actu.

JOHANN. CONRADUS DIETERICUS.

Obiit A.C. 1669.

Natus in hanc lucem eſt *Butisbaci, Wetteravorum* urbe, die 19. Jan. A. C. 1612. ex ſtemmate ſummorum Theologorum feraci, qualis Parens fuit & Patronus, uterque S. Theol. Doctor, hic *Conradus* poſt magna in patriam Academiam merita Eccleſiarum *Ulmanarum*, ille *Johannes*, prius *Rodenavienſium* ad *Ederam*, deindè *Kyrtorfſianæ*, poſtmodùm *Butisbacenſium* Paſtor, tandem *Gieſſenſium* Superintendens. Mater verò fuit *Barbara*, è familiâ *Reichardianorum* apud *Alsfeldienſes* honeſtâ.

Conradi Dieterici ex fratre Johanne Theol. D. Nepos.

Puer per Scholas tum patrias tum alias eundo literis humanioribus ad votum ſuorum excultus, animum ad ulteriora intendit. In quem finem Academias adiit *Marpurgenſem*, *Argentoratenſem*, *Jenenſem*, alias. Quàm ſe geſſerit ſtrenuum in ſtudio ſacro, tot loquuntur Exercitia, quibus publicè & privatim interfuit. *Argentorati* quidem audiit Dn. *Netterum*, S. Theol. Profeſſorem & Dn. D. *Schmidium*. Cum A. C. 1634. *Jenam* ſtudiorum gratiâ ſe contuliſſet, nihil habuit antiquius, quàm Theologos ejus loci tum temporis celebres D. *Joh. Gerardum*, & D. *Joh. Himmelium* adire, eorumque conſortio & in rebus Theologicis informatione frui. Sub hoc privatum habuit Collegium Syntagmaticum, & *Galatinum* publicum. Illum publicè poſteriorem Epiſtolam *Petri* interpretantem, privatim autem ternis Collegiis, Aphoriſtico, Iſagogico, & *Anti-Wendeliano* Præſidentem audivit. 27. Sept. ejuſdem

Theol. ſtudioſus Argent.

Jenæ.

Bis in Theol. diſputavit.

dem anni Theſes de Naturâ Dei & Attributis Divinis publicè defendit, quæ Diſputat. tertiam in Collegio D. *Gerhardi* Iſagogico conſtituunt.

A. 1635. Proprio *Marte* elaboratam publice defendit Diſputationem *Anti-Wendelianam* Dnn. Theologis *Marpurgenſibus* inſcriptam. In eâdem Academiâ totum ſtudio ſe Philoſophico, in ſpecie Linguarum & Antiquitatis dedit, atteſtante Diſputatione de uſu Lectionis Scriptorum Profanorum in S. Scripturâ, quam eruditè conſcriptam ſub præſidio Dn. *Joh. Mich. Dilherri* 3. Oct. A. 1635. aſſeruit. Non verò contentus proximas patriæ Scholas frequentâſſe: Exteros quoque, *Belgas* puta, *Danos* & *Boruſſos* adivit. Poſtquam enim Parens ejus diem ſuum 27. Dec. A. 1635. obiiſſet, in *Belgium* excurrit, & viſis omnibus ad ripas *Rheni* urbibus, Amſtelrodamum delatus eſt, ubi ut Gymnaſii Profeſſores, *Gerardum Johannem Voſſium*, *Caſp. Barlæum*, & alios ſalutaret, octiduo ſubſtitit. Indè *Leydam* profectus, præcipuè conſuluit *Marcum Zuerium Boxbornium*, *Dan. Heinſium*, & *Conſtantinum L'Empereur*, quem publicè audivit Hebræo ore perſpicuè Pſalmum 119. privatim autem *Rabbinorum* doctiſſimos explanantem. *Patrem amiſit. Per Belgium iter ſuſcepit.*

Cœterùm quoties aditus patuit, ad Bibliothecam hujus Academiæ *Scaligeri* & *Bonav. Vulcanii* Manuſcriptis nobilitatam, quod ſingulis ſeptimanæ *Mercurii* & *Saturni* diebus fieri ſolebat, rariſſima in uſum ſuum monumenta evolvit, inter quæ illa *Chryſoſtomi* editionem *Etonienſem*, in quam *Henricus Sacilius*, Præfectus Collegii *Etonienſis*, 20000. florenorum fertur impendiſſe. Ex Belgio in *Daniæ* Regnum progreſſus, *Hafniam* & *Soram* adiit, literatorum *Meurſii*, *Stephani*, *Burſeri*, & *Laurenbergii* favorem expertus. Cum annum in hoc regno egiſſet, *Boruſſiam* tandem adiit, & *Regiomontii* Urbem vix ingreſſus eſt, cum interprete *Simone Dachio* de adventu ejus Academia ſibi gratularetur. *in Daniam. in Boruſſiam.*

Redux antequàm patrios lares contingeret, operæ duxit pretium dudum promeritos Magiſteriales honores *Jenæ* petere, quos facilè 19. Febr. A. 1639. ſub Rectoratu D. *Guerneri Rolfinckii*, Med. Prof. Promotore M. *Daniele Stahlio*, Phyſ. & Metaphyſ. Profeſſore conſecutus eſt. *Philoſophiæ Magiſter Jenæ.*

His Honoribus auctus à Sereniſſ. Principe Dn. *Georgio II. Haſſiæ Landgravio*, eodem anno 1639. clementer vocatus eſt, ut in Academiâ *Marpurgenſi* Linguam *Græcam* profiteretur, auxiliarique manu D. *Victoris* ſenectam rude donatam ſublevaret. Unà verò Hiſtoriam profiteri Princeps juſſit. Medicum ibidem ſtudium excoluit, quamvis praxin non exercuerit, de quo Aphoriſmi *Hippocratis* illuſtrati teſtantur, & Jatréum *Hippocraticum* opus eruditionis inexhauſtæ, in quo non tantùm *Coi* ſenſa in *Græciſmo* latitantia eruit, ſed & de Medicinâ, Morbis, eorum cauſis, variis experimentis & Medicaminibus mirâ dexteritate diſſeruit. *Marpurgi Ling. Græc. Profeſſor. & Hiſtoriar. Medicus.*

Exortis autem in *Haſſiâ* diſſidiis inter utramq; Domum gravioribus primùm Principis ſui juſſu in Aulam ad diſponendum Archivum ſeceſſit, pòſt veniâ ad tempus impetratâ *Hamburgum* An. 1647. ſe contulit, tranquilliorem rerum ſtatum expectans, reverâ autem majorem apparatum Bibliothecæ quærens, dum paulò longius ab armorum ſtrepitu abeſſet. *Hamburgum abiit.*

An. 1653. *Gieſſam* ad priſtinum docendi munus reverſus, uxorem duxit *Barbaram Bellin*, bis jam anteà viduam factam, quam ſterilem reliquit, ciq; vivus hoc Epitaphium ſcripſit, utque aliquando viâ defunctæ erigeretur mandavit: *Uxorem duxit.*

HIC SITA EST BARBARA BELLIN, GERARDI BELLEN, SENATORIS ET SCABINI BUZBACENSIS EX OCTO FILIABUS ULTIMA, QUAM PIETAS ARDENS, CANDOR GERMANUS, CASTITAS ILLIBATA, RARA MODESTIA PLENE CONCILIAVERANT JOH. CONRADO DIETERICO, UT FIDAM VITÆ SOCIAM ELIGERET ANNO MCLIII. CUM QUA IN AMOENO CONJUGIO VIXIT ANNOS COMPLURES PLACIDE PACATE, SINE JURGIO, SINE SIMULTATE, SINE MOLESTIA, FELICITER ET EX SENTENTIA, QUAM EXPERTUS FUIT IN PRECIBUS ERGA DEUM FERVENTEM, PER VARIOS CASUS CREBROSQUE LABORES CONSTANTEM, IN DUBIIS REBUS ANIMO PROMPTAM, IN DOMUS CURA STRENUAM, IN LIBERORUM ET SECUNDO MATRIMONIO SUSCEPTORUM EDUCATIONE SOLICITAM: CUI ULTIMUM HOC ELOGIUM IN MEMORIAM SUAVISSIMÆ CONJUNCTIONIS, INTIMÆ CONCORDIÆ, SINCERI AFFECTUS, MUTUI CONSENSUS, INCOMPARABILIS FIDEI, ESSE VOLUIT MARITUS, UT POST FATALEM VITÆ NOSTRÆ PAUSAM SCIAT POSTERITAS, NOS MUTUO DILEXISSE. *Ejus Epitaphium.*

Cum tandem in Academiâ *Gieſſenſi* ad extremum usque ſpiritum in Profeſſione ſuâ publicâ perſtitiſſet, per mortem beatam vivere deſiit A. C. 1669. æt. 58. *Moritur.*

Ingenii monumenta:

Antiquitates Biblicæ, in quibus Decreta, Prophetiæ, Sermones, Conſuetudines, Ritûsque ac Dicta Veteris Teſtamenti, de rebus Judæorum & Gentilium quà ſacris quà profanis expenduntur, publicatæ poſt obitum autoris à Joh. Juſto Piſtorio. Breviarium Hiſtoricum, & Geographicum. Breviarium Pontificum. Breviarium Electorum, Comitum, Doctorum, Hæreticorum, Conciliorum. Lexicon Philologo-Theologicum. Lexicon Etymologico-Græcum. Harmonia Græco-Thalmudica. Hilaria Livoniæ. Aphoriſmi Hippocratis illuſtrati. Jatréum Hippocraticum. Diſcurſus Peregrinantium. Muſæum totius Orbis literati. Diſſertatio de Uſuſcriptorum profanor. in Sacris. Antiquitates Romanæ. Hiſtoria Imperatorum. Lexicon Græco-Poëticum. Commentar. in Heſiodum. Græcia exulans ſuperioris ſæculi. *Scripta.*

* *Ex Oratione Parentali ſcriptâ, d. 18. Mart. A. 1669. M. Henr. Phaſiani P. P.*

Obiit A.C. 1669.

ABDIAS TREW.

NAtus eſt *Onoldsbachii* 29. Julii An. C. 1597. Patre *Michaële Trew*, Scholæ Latinæ oppidanæ Cantore, Matre *Otiliâ*, M. *Magni Galli*, Diaconi *Feuchtwangenſis* filiâ. Suſceptorem è S. Baptiſmo habuit M. *Abdiam Wicknerum*, Sereniſſ. Dom. *Georgii Friderici*, Marchionis *Brandenburgici* Concionatorem aulicum, Conſiliarium Eccleſiaſticum, & Conſiſtorii Aſſeſſorem.

Diſcipulus Heilsbronnæ.

A. 1601. Cum Patre *Heilsbronnam*, ubi ipſe conſtitutus Gymnaſii Conrector erat, profectus, Scholam, ut ibi vocant, *Germanicam*, moderatore aliquo ex ſenioribus alumnis, frequentare cœpit. An. 1603. Præceptore privato, qui ſimul moderator dictæ Scholæ erat, uſus eſt *Leonhardo Friſio*: ubi ſimul rudimentis Latinæ linguæ & argumentis quotidiè elaborandis fuit exercitatus. A. 1607. tempore verni examinis in Cantoris claſſem, quæ infima erat earum, quæ ad Gymnaſium propriè pertinent, collocatus eſt.

Alumnus in Gymnaſio Heilsbron.

A. 1614. Beneficio alumnorum in Gymnaſio *Heilsbronnenſi* frui cœpit, Fratri ſuo *Wittenbergam* profecto ſuccedens: quod pro ſingulari beneficio datum erat Parenti, quia per 20. annos in Scholâ deſudavit, cum aliàs in fundatione Gymnaſii conſtitutum eſſet, ne duo fratres eodem beneficio fruerentur. An. 1618. Cum illuſtri ſtipendio *Wittebergam* profectus, ibidem in promotione vernâ Gradum Magiſterii adeptus eſt A. 1621. Anno ſeq. in patriam reverſus, primam Concionem à Superioribus demandatam (poſt unam quidem & alteram in pagis circa *Wittebergam* exercitii gratiâ habitam) habuit *Onolosbachii* fer. 6. poſt dom. 8. Trinitatis: deindè ordinatus, & *Heidenheimenſi* Eccleſiæ pro Subſtituto, ut vocant, Parochiæ, propter ſenectutem Paſtoris, deſignatus eſt. Non multo pòſt ad Diaconatum *Marckerlbacenſem* vocatus, Eccleſiæ illi commendatus eſt Dom. 3. Adv.

Philoſophiæ Magiſter Witteb.

Subſtitutus Parochiæ Heidenheim.

Diaconus Marckerlbacenſis.

Conjugium ejus duplex ſecundum. Rector Gymnaſii Onoldini.

Die 6. Maji An. 1623. Nuptias celebravit cum virgine *Barbarâ*, Viri Reverendi M. *Georgii Weſelii*, Paſtoris *Gundelheimenſis* filiâ, *Johannis* verò *Weſelii*, Rectoris in Gymnaſio *Onoldino* nepte. A. 1625. Ad Rectoratum Scholæ *Onoldinæ* vocatus eſt. A. 1634. Uxor obiit, cum quâ 10. liberos genuit, *Barbaram Eliſabetham*, *Burcardum Abdiam*, *Annam Mariam*, *Balthaſarum*, *Wolfgangum*, *Michaëlem*, *Johannem Adamum*, *Leonhardum*, *Leonhardum* alterum, & *Johannem*, cum *Eliſabetha* gemellos.

Hi liberi plærique in primâ ætate ſunt mortui: *Johannes* autem *Adamus* civis & Bibliopegus *Altorfii* factus eſt. 26. Jan. A. 1635. ad ſecunda vota tranſiit, & nuptias celebravit cum virgine *Mariâ Urſulâ*, Dn. *Sebaſtiani Geyeri*, Quæſtoris *Onoldini* p. m. filiâ, ex quâ liberos ſuſcepit, *Joh. Sebaſtianum*, *Georg. Matthiam*, *Mariam Magdalenam*, *Chriſtophorum*, Pharmacopœum poſteà *Lauffenſem*, *Sigismundum*, Med. & Matheſ. callentem, & patris ſegere veſtigia in Academiâ *Tubing.* paratum, *Apolloniam*, *Paulum* arti typographicæ addictum, *Joh. Paulum*, *Joh. Carolum* apud fratrem arti Pharmacevticæ operam dantem, *Georgium Erneſtum* apud Dn. *Georg. Müllerum*, mercatorem *Noribergenſem*, arti huic addiſcendæ operam navantem, & *Joh. Georgium*.

A. 1635. Cum propter continuas irruptiones hoſtiles & alia mala bellica, quibus Marchionatus *Onoldinus* obruebatur, ſalariorum ſolutio à tempore ſatis longo fuiſſet retardata, ita, ut illi tres integri anni deberentur, reſignavit officium Rectoratûs *Onoldini*, & quia famâ perceperat in Academiâ *Altorfinâ* Profeſſionis loca vacare, impetratâ dimisſione nomen ſuum *Noribergæ* pro Profeſſione, in quâcunque parte Philoſophiæ eſſet, detulit. Cum verò eo adhuc anno nihil officiorum publicorum, quibus videretur idoneus, vacaret, protractum eſt negotium ad annum usque 1636. 30. Jan. quo Mathematum Profeſſor conſtitutus eſt. A. 1650. demandata eſt illi Profeſſio Phyſica, cum priori Mathematicâ conjungenda, quam excepit officium Inſpectoris *Norici* A. 1654. delatum.

Mathem. Profeſſor Altorfii. & Phyſicæ.

Inſpector Noricus.

In his functionibus quantam adhibuerit diligentiam & curam, partim ex iteratâ vocatione ad Rectoratum *Onoldsbacenſem*, partim ex Scriptis, quæ erudito orbi nota ſunt, apparet. Rectoratu Univerſitatis *Altorf.* bis eſt functus, Decanatu ſexies, & ſeptimo immortuus. Vir verè Chriſtianus Symbolum habuit ex Gen. 22. deſumtum: *Dominus providebit!* cujus ſenſum ſequentibus ipſe diſtichis expreſſit:

Symbolum ejus.

Per varios caſûs, per tot diſcrimina rerum
Providet electis optima fata DEUS.
Durch Trübſal/Angſt/un̄ manches Leid
Schafft Gott den Seinen manche Freud.

Mirificè quoq; delectatus eſt loco ex 1. ad Cor. 4. *Sic nos æſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Quod ſupereſt autem, illud requiritur in diſpenſatoribus, ut fidelis quis inveniatur*: quæ verba à Dn. *Joh. Meelführero* tum Abbate *Heilsbronnenſi* juveni valedicenti & *Wittebergam* abiturienti commendata memoriæ ejus ſemper hærebant infixa.

Nono demùm ante obitum menſe paralyſin linguæ paſſo ſubſecuti ſunt crebriores catarrhi, usque dum catarrhus calidiſſimus omnes vires fregit, & ille diem ſupremum, quem nunquàm metuit, inter preces obiret, & in Domino obdormiret feriâ 2. Paſchatos A. C. 1669. ætatis 72.

Scripta:

Scripta.

Manuale Geometriæ Practicæ. Aſtronomiæ pars Sphærica. Diſcurſus de correctione Aſtrologiæ. Nucleus Aſtrologiæ correctæ. Specimen Conciliationis Calendariorum veteris & novi. Directorium Mathematicum. Examen Hyperſophiæ Anti-Biblicæ. Phyſica Ariſtotelica. Aſtrologia Medica. Continuatio Poſtillæ Harmonicæ Theologo-Juridico-Politico-Philologicæ D. G. C. Waltheri.

* *Ex Programm. fun. Rectoris Altorf. Lucæ Frid. Reinharti, Prof. publ. & Eccl. miniſtri.*

JOHAN-

Obiit A.C. 1670.

JOHANNES MAYERUS.

EDitus in lucem eſt *Ulmæ*, die 2. Junii A.C. 1600. Patrem habuit *Martinum Mayerum*, ut fortunæ tenuis, ita Civem honeſtum & textorem: Matrem *Annam Wullinam*. Ab his puer ſexennis in Scholam patriam traditus, pro docilitate ingenii brevi ita profecit, ut Commilitones ſuos facilè anteiret. Non prius autem ſede patriâ pedem extulit, quàm præcipua *Latinorum Græcorumq;* monumenta perdidicerit: undè factum, ut cum A. 1620. abſoluto curſu claſſico, & Superiorum permiſſu *Tubingam* ſeſe contuliſſet, exquiſitâ raraq; elegantioris Literaturæ cognitione Magnos illicò ibidem Fautores ac Patronos ſibi conciliârit.

Tubingæ ſtud.

A. 1622. à patriæ Magiſtratu domum *Tubingâ* revocatus, in Gymnaſio ibi recens erecto ſtudium Philoſoph. Philologicum, & Theologicum continuavit. A. 1624. *Tubingam* regreſſus, inter multos ibi Competitores laureâ Magiſterii Philoſ. ornatus, primum locum meritus eſt. Indè ſeriò animum ad S. Theologiæ ſtudia applicuit, atque in iis Præceptoribus uſus fuit D. *Theod. Thummio* & *Lucâ Oſiandro*.

Philoſophiæ Magiſter.

An. 1627. *Nordlingam* ad Rectoratum, præviâ D. *Conradi Dieterici* commendatione vocatus eſt, cui provinciæ ſummâ cum laude per 12. annos præfuit. Intereà mala quamplurima præſenti conſtantique animo pertulit. A. 1639. In Gymnaſium *Ulmenſe* à Senatu revocatus, & in locum M. *Johannis Saxii* Sextæ Claſſis Præceptoris ſurrogatus, ſimulq; Oratoriæ & Poëſeos Profeſſor conſtitutus eſt. A. 1647. ad Conrectoratum, & tandem A. 1659. ad Rectoratum unanimi Superiorum ſuffragio pervenit.

Rector Nordling.

Profeſſor Orat. & Poëſ. Ulmæ. Rector Gymnaſii Ulm.

26. Nov. A. 1627. Matrimonium contraxit cum virgine *Annâ*, Dom. *Andreæ Eberharti*, Senatoris *Ulmenſis* filiâ, quam an. ſeq. unà cum filiolâ iterum amiſit. Quare An. 1629. 10. Febr. ad ſecunda vota tranſiit, ductâ conjuge *Mariâ Magdalenâ*, *Conradi Gundelfingeri*, Tinctoris *Nordlingenſis* filiâ, ex quâ 7. liberos ſuſcepit, de quibus unicus tantum filius *Joh. Jacobus Mayerus* Paſtor *Heldenfingenſis* in Ducatu *Würtenber.* ſuperſtes manſit.

Conjugium triplex.

Cumq; & hæc ipſi chariſſima *Caja* 5. Nov. An. 1636. morte eſſet adempta, anno ſeq. M. *Julio* denuò conjugii aleam voluit experiri, ductâ lecti ſociâ *Mariâ*, *Marci Wollebii*, textoris filiâ, quæ ei 5. liberos peperit, de quibus duas ſolùm filias honeſtè maritatas in vivis reliquit.

A tribus demùm annis vertigine ſæpiùs tentatus, inter docendum ſubitò collapſus in lectum fatalem à pio quodam diſcipulo deduci neceſſe habuit, in quo triduo pòſt placidè exſpiravit 16. Dec. A.C. 1670. æt. 71.

In docendi munere mortuus.

* *Ex Concione fun. M. Conradi Majeri, Concionat. Ulm. & ex Programm. Directoris Gymn. Ulmenſis.*

Scripta. Edidit: *Promptuarium Sententiarum ex S. Scripturâ.*

Obiit A.C. 1674.

JOHANNES ANDREAS BOSIUS.

L*ipſiæ* natus die 17. Junii A.C. 1626. Patrem habuit *Paulum Boſium*, Gemmarium, Matrem *Catharinam*, D. *Zachariæ Schilteri*, Doct. & Profeſſoris S. Theol. ex fratre *Andreâ* neptem. Vix dum expleto anno ætatis ſuæ 15to in patriâ Academiâ Decano Dn. *Andreâ Rivino*, primam Philoſ. lauream obtinuit. Abindè Lectiones publicas frequentavit trium Virorum eruditione præſtantium, Dn. *Mülleri*, *Rivini*, & *Conradi Bavari*, quibus multa ſe debere ſæpè faſſus eſt: quorum ille Geometriam Philoſophiæ *Vogelianæ* ſuffixam, iſte Epigrammata quædam vetera, hic *Homerum* publicè prælegebant.

Lipſiæ Baccalaur.

Tunc etiam Theſes nonnullas de Sono conſcripſit, & publicè, ut *Lipſiæ* mos eſt, præſidendo defendit. Commorabatur *Lipſiæ* per id tempus M. *Johannes Klingerus*, vir à variâ eruditione informandiq; dexteritate nominatus, cujus fideli informationi novellum hunc ſtudioſum oblato minervali Pater concredidit. A. 1643. in Acad. *Wittenbergenſem* veniens, mox à Dn. *Balthaſare Cellario* obtinuit, ut ſe ſibi ſocium Muſei adſciſceret, deindè cum idem *Cellarius Wittenbergâ* migraret, Dn. M. *Joh. Chriſtoph. Seldii*, Adjuncti Facultatis Philoſophicæ contubernium inivit. Ibi privatiſſ. in ſuccum & ſanguinem convertit, quæ ex publicis prælectionib9 celeberr. Virorum, *Auguſti Buchneri*, *Joh. Sperlingii*, & *Nicolai Pompeji* ſibi annotaverat. Cum enim ex *Klingerianâ* inſtitutione ad ſtudium Eloquentiæ incenſus eſſet, & ab illo quidem dicendi præcepta, ab ipſo verò rerum naturalium notitiam quotidiè hauriret, gnarus à Matheſi, cui jam in patriâ vacârat, haud leviter perfici Oratoriam poſſe, neque hujus doctrinam negligebat percipere, quæ Geometrica tunc erat. An. 1645. Reverſus in patriam, ſupra memoratos Viros Dn. *Müllerum*, & Dn. *Rivinum* iterum publicè docentes audivit, (tertius enim *Conradus Bavarus* è vivis exceſſerat) illum Matheſeos univerſa capita, hunc *Horatii Librum de Arte Poëticâ* explicantem.

Diſcipulus Joh. Klingeri.

Wittenbergæ contubernalis M. Balt. Cellarii, & Johan. Chriſtoph. Seldii.

Auditor Aug. Buchneri.

Ibidem 29. Jan. A. 1646. poſtquàm ſub Præſidio D. *Rivini* Diſputationem de æſtu marino, ejusque nominibus tam antiquis quàm recentioribus exquiſitè conſcriptam è publicâ cathedrâ defendiſſet, unà cum reliquis competitoribus bonarum artium Magiſter publicè renuntiatus eſt.

Diſputavit de æſtu marino.

Philoſophiæ Magiſter.

An. 1647. *Argentinam* ſe contulit, ut & iſthinc doctrinam ſuam augeret. Ibi *Dannhauerum*, *Schmidium*, & *Dorſcheum* in Theologiæ & Eccleſiaſticar. Antiquitatum ſtudio, *Böcclerum* verò in profanâ Hiſtoriâ & civili prudentiâ per quadriennium ſecutus eſt. Ibidem diutius hæſurus erat, ob commodam occaſionem in *Italicâ*, *Hiſpanicâ*, *Gallicâ*, & *Anglicâ* linguâ, quarum ſingularum fundamenta jecerat, multùm proficiendi,

Argentinæ ſtudium Politicum & 4 linguas didicit.

ciendi, indèque in ipſas Terras, quarum ſunt illæ linguæ, excurſurus, niſi citiùs opinione revocâſſet Pater.

De Maculis Solaribus diſputavit. *Facultatis Philoſoph. Aſſeſſor.*

Lipſiam itaq; reverſus, præter alias, quas crebras habuit, Diſputationes, duas Diatribas eruditas de Maculis Solaribus compoſuit, quibus aſſeſſuram, quam *Lipſiæ* vocant, in Facultate Philoſophicâ ritè A. 1655. obtinuit, integro pòſt biennio, quam in Collegio *Gelliano*, quod ibidem eſt, locum nactus eſſet.

Hiſtor. Profeſſor Jenæ.

A. 1656. In Academiam *Jenenſem* ad Hiſtoriarum Profeſſionem evocatus, Studioſis ſuam operam in tradendâ omnis generis, imprimis Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ, ſic probavit, ut gliſcens ejus fama indies novis laudibus amplificaretur. Reliquam diligentiam cum ad propria Scripta, tum ad aliorum edenda, maximè verò ad Autores quosdam veteres illuſtrandos utiliter contulit. Sic notum eſt, eum *Georgii Syncelli*, *Nicephori Conſtantinopolitani*, & *Theophanis* Chronographias, *Geneſii* Hiſtoriam rerum ab initio *Leonis Armenii* usq; ad exceſſum *Baſilii Macedonici* geſtarum, juſſu *Conſtantini Porphyrogeniti* ante annos quaſi 700. conſcriptam, quam A. 1652. è M S. membranaceo *Lipſienſis* Bibliothecæ Collegii *Paulini* ſuâ manu deſcripſerat, & *Anonymi* Chronicon ab edito *Urſpergenſis* non multùm differens ſimiliter è M. S. membranaceo adhuc deſcribendum ſuis animadverſionibus augere adornareq; inſtituiſſe.

Chronographias veteres edere inſtituit.

Joſephi Hiſt. illuſtrator.

In *Joſephi* autem antiquitatum *Judaicarum* Scriptoris opera ad fidem veterum Manuſcriptorum Codicum emendanda & notis illuſtranda non minus incubuit. Tot Codicibus obruto mox alius M.S. ex Bibliothecâ *Schleuſingenſi*, isq; *Græcus* & chartaceus unà cum literis transmiſſus eſt à Generoſo Dom. *Vito Ludovico Seckendorfio*, ſummâ dignitate in Aulâ *Saxonico-Citzenſi* eminente. Interea Decanatum cum laude geſſit quinquies, & ſemel Rectoratum A. 1661. qui ob Penaliſmum tum profligandum ſummè laborioſus ac moleſtus fuit. A. 1672. Auſpiciis ejus in Academiâ *Jenenſi* Disquirentium Societas laudabiliter coaluit.

Author Societ. Disquirentium.

Conjugium ejus ſterile.

A. 1664. 31. Oct. Matrimonio ſibi junxit matronam virtutibus ornatam *Annam Barbaram Cummeriam*, Dn. D. *Eraſmi Ungepaur*, J.C. privignam, & Dn. M. *Joh. Hoſmanni*, Theol. Candidati & Eccleſiaſtæ *Quedlinburg.* primarii viduam, ex quâ tamen nullam ſobolem procreavit.

Moritur.

Doloribus tandem arthriticis ab annis aliquot exhauſtus, calido innato ſenſim conſumpto, placidè in Salvatore ſuo obdormivit 29. April. A.C. 1674. æt. 48.

* *Ex Programm. fun. Rect. Jen. Erneſti Friderici Schröteri, J.C. & Anteceſſ.*

Obiit A.C. 1674.

CHRISTOPHORUS MOLITOR.

Natales accepit *Noribergæ* 11. Junii A.C. 1627. genitus à viro Reverendo M. *Nicolao Molitore*, Miniſterii *Laurentiani* Diacono Seniore, Matre *Catharinâ Wagneriâ*. Ubi corpus annis, ingenium intelligentiâ nonnihil invaluerat, parentes nil prius habuerunt, quàm ut filius fidelibus monitis ad modeſtiam & pietatem, ſedulâ informatione ad eruditionem capeſſendam inſtrueretur: cui inſtituto ſuccenturiatam operam commodare non dubitârunt Viri in erudiendo juventutis *Noricæ* ſeminario aſſidui & felices, *Chriſtoph. Speccius*, *Johannes Gräzer*, *Georg. Schröderus*, *Joh. Ridner*, *Mich. Manner*, *Johannes Gräf.*

Sub horum curâ, ubi *Latinæ* & *Græcæ* Linguæ cognitionem non mediocrem ſibi comparâſſet, ſimul *Hebraicæ* Linguæ tyrocinia in privatis Scholis à Dn. *Juſto Rösnero*, Theologo, inſtitui tum ſolitis poſuiſſet, facilè reperit Patronos, qui herbeſcentem iſtam ſtudiorum viriditatem ad frugum maturitatem perducere alloborarent. Etenim A. 1643. in numerum Studioſorum, qui publicis ſumptibus in univerſitate *Altorfinâ* aluntur, cooptatus, & fidei Rever. Viri Dom. M. *Martini Beerii*, (qui eo tempore regendo, & ad bonos mores ac doctrinæ culturam ducendo cœtui iſti Inſpector erat præfectus) traditus, induſtriæ ſpecimen geminum in theatrum produxit, unum ſub laudati *Beerii* ad cap. 7. poſt analyt. alterum ſub præſidio Dom. M. *Joh. Felwingeri*, Polit. Log. & Metaph. Prof. publ. de ultimis Prædicamentis Commilitonibus expoſitum.

Unus ex 12. alumnis Altorfinis.

Cum verò ſubindè ab aliorum Doctorum, & præcipuè Dn. *Theodori Hackſpanii*, & Dn. *Chriſt. Adami Ruperti* vivâ voce & familiari conſortio penderet, ſummos in Philoſophiâ honores, quos Magiſterii vocamus, legitimè petere ſtatuit, eosdemque feliciter impetravit A. C. 1647. poſtridie Feſti *Petro Paulini*, Sacris iſtis operante Decano M. *Jacobo Brunone* Ethicæ & *Græcæ* ling. Prof. pub. Ex eo tempore ut ſitim & ardorem, quo erga Linguar. *Oriental.* ſtudia flagrabat, levaret, in ædes *Hackſpanii* recipi geſtiit, in quibus cum per triennium ætatem exegiſſet, & literaturæ *Hebraicæ* aliar. linguar. Orientalium cognitionem adjunxiſſet, in animum induxit *Baſiléam* contendere, ibique *Johannem Buxtorfium*, eruditionis iſtius eo ſæculo facilè principem, ſalutare.

Altorfii Philoſophiæ Magiſter.

Linguarum Oriental. ſtud.

Sed in itinere incidit *Tubingæ* in conſuetudinem Dn. *Thomæ Lanſii*, ejusque blandis alloquiis & monitis ibidem detinetur, invitatus præſertim luculentis conditionibus ad præſtandam operam in formandis ſtudiis Ethicis, Politicis, Hiſtoricis, Illuſtrium & Nobilium juvenum, quorum nomina hæc in Ephemeridibus ſuis conſignata reliquit: Comites ab *Oettingen*, Comites à *Caſtell*, Barones à *Regal* horumque Ephorus, Nobiles à *Gehberg*, ab *Eib*, *Baudis*, *Aleſeld*, duo *Schencken*, *Münchinger*.

His dum ad civilis ſcientiæ adyta fideliter viam commonſtrat, & quaſi lumen de ſuo lumine accendit, non tamen ignis ille exteræ terræ ita calefacere & irradiare Virum potuit, quin patriæ fumum poſt exactum

Digitized by Google

ctum ibi ſexennium anhelaret. Ad patrios igitur lares cum non tantùm corpus à morbis imune, & ad ferendos labores validum, ſed etiam famam ſingularis eruditionis attuliſſet, evenit A. C. 1659. ut memoratus Dom. *Hackſpan* obitâ beatâ morte vacuam dereſeret Profeſſionem Linguar. *Orientalium*; ei qui daretur ſuccedaneus, nec promtior alius apparebat, nec dignior ſe offerebat. Quamprimùm ergò prenſaverat manûs Procerum *Noribergenſium*, actutùm eas benignas ac faventes eſt expertus, & provinciam eam modeſtè ſuſcepit. Eidem poſteà ſerii illi officiorum exactores partes dirigendi Circuli, quem vocant, Oratorii, ac paulò pòſt ipſius Profeſſionis Eloquentiæ demandârunt. Oblatum A. 1671. communibus Senatûs Academici ſuffragiis Rectoratum & modeſtè accepit & feliciter adminiſtravit. Decanatum Facultatis ſuæ trina vice ſuſtinuit. Poſtremum felicitati ſuæ in hâc vitâ faſtigium impoſitum eſſe putabat, quod A. 1672. languentibus indies viribus labore fractis, & corporis vaſtæ moli ſuccumbentibus, adſciverit in matrimonium vitæ ſociam Matronam virtutum gloriâ celebrem *Mariam Sabinam*, ex *Geigerorum* proſapiâ ortam, Dom. *Johannis Pülenhoferi*, Univerſit. *Altorf.* quondam Notarii viduam, quæ tamen nec affabili converſatione, nec ſolicitâ curâ valetudinis, nec nocturnis diurniſq; vigiliis, nec lauto ciborum apparatu feſtinantem & jam diu vitæ mariti inſidiantem Atropos manum inhibere poterat.

Linguar. Oriental. Profeſſor Altorfii.

Profeſſor Eloquentiæ.

Rector Acad.

Uxorem duxit.

Nam cum ob defectum flammæ vitalis humiditates ſuperfluas corporis aliàs abſumentis ab annis aliquot aquaticulum geſtare cœpiſſet, accedente frequenti narium hæmorrhagiâ, Hydrops Aſcites ſupervenit, cujus occaſione venter à collecto ſero ita intumuit, ut Natura per umbilicum A. 1673. abundantiæ ejus exitum ſalutarem conceſſerit. Ob languorem autem organorum nutritioni præfectorum malum circa æquinoctium vernum recruduit, effuſionique aquæ copia puris fœtidi ſucceſſit, quæ lethalem partibus vitalibus corruptionem acceleravit, ut ſub Solſtitio exſpiraverit 12. Junii A. C. 1674. ætatis 47.

Aquâ per umbilicum exeunte hydropis levamen ſenſit.

* *Ex Programm. fun. Georgii Reicharti Hammeri, Jur. Doct. & Prof.*

THOMAS HOBBES.

Obiit A. C. 1659.

NAtus eſt 5. April. 1588. *Malmesburiæ*, Agri *Wiltonienſis*, Patre Concionatore; literis latinis & græcis initiatus, annum agens decimum quartum, miſſus eſt *Oxonium*, ubi per quinquennium manſit, operam impendens ſtudio Logicæ & Phyſicæ *Ariſtotelicæ*. Cum annum ageret vigeſimum, commendatus ab amicis, *Oxonio* relicto, recepit ſe in domum Domini *Guilielmi Cavendish*, Baronis de *Handwick*, & (paulò pòſt) Comitis *Devoniæ*, ubi filio ejus primogenito adoleſcenti ſibi ferè coætaneo ſervivit; placuitque tum Filio tum Patri.

Anno ſequente, cum Domino ſuo in urbe perpetuò ferè degens, quod didicerat Linguæ Græcæ & Latinæ, magnâ ex parte amiſerat. Deindè per *Galliam* & *Italiam* peregrinantem Dominum ſecutus, gentium illarum linguas eousque didicit, ut intelligere eas mediocriter potuerit. Intereà *Græcam* & *Latinam* Linguam paulatim perire ſibi ſentiens, Philoſophiam autem Logicamq; (in quibus præclarè profeciſſe ſe arbitrabatur) viris prudentibus deriſui eſſe videns, abjectâ Logicâ & Philoſophiâ illâ vanâ, quantum temporis habebat vacui, impendere decrevit linguis *Græcæ* & *Latinæ*. Itaq; cum in *Angliam* reverſus eſſet, Hiſtoricos & Poëtas (adhibitis Grammaticorum celebrium commentariis) verſavit diligenter; non ut floridè, ſed ut latinè poſſet ſcribere, & vim verborum cogitatis congruentem invenire; itaque verba diſponere, ut lectio perſpicua & facilis eſſet. Inter Hiſtoricos Græcos *Thucididem* præ cœteris dilexit, & vacuis horis in ſermonem *Anglicum* paulatim converſum cum nonnullâ laude, circa annum Chriſti 1628. in publicum edidit; eo fine, ut ineptiæ *Democraticorum Athenienſium* concivibus ſuis patefierent.

Hiſtoricos & Poëtas veteres diligenter verſat.

Eo anno Comes *Devoniæ*, cui jam ſervierat viginti annos, diem obiit, Patre ejus biennio ante defuncto. Anno ſequente, qui erat Chriſti 1629. cum attigiſſet annum quadrageſimum, rogatus à nobiliſſimo viro Domino *Gervaſio Clifton*, ut vellet Filium ſuum adoleſcentem comitari in *Galliam*, accepit conditionem. In peregrinatione illâ inſpicere cœpit in elementa *Euclidis*; & delectatus Methodo illius, non tam ob Theoremata illa, quàm ob artem ratiocinandi diligentiſſimè perlegit. An. C. 1631. revocatus eſt in familiam Comitiſſæ *Devoniæ*, ut filium ſuum Comitem *Devoniæ*, natum annos 13. in literis inſtrueret, quem etiam circiter triennium pòſt comitatus eſt in *Galliam* & *Italiam*, ſtudiorum ejus & itinerum rector. Dum moraretur *Pariſiis*, Principia ſcientiæ naturalis inveſtigare cœpit. Quæ cum in naturâ & varietate motuum contineri ſciret, quæſivit imprimis, qualis motus is eſſe poſſet, qui efficit ſenſionem, intellectum, Phantaſmata, aliaſque proprietates animalium, cogitatis ſuis cum Reverendo Patre *Marino Merſenno*, Ordinis *Minimorum*, in omni genere Philoſophiæ verſatiſſimo, quotidiè communicatis. Circa hæc verò tempora in lucem prodiit primus *Hobbiani* ingenii partus, nobiliſſima illa *Thucydidis* è *Græco* in *Anglicanum* ſermonem verſio. An. C. 1637. cum Patrono ſuo in *Angliam* rediit, & apud illum manſit; undè de rebus naturalibus commercia cum *Merſenno* per literas continuavit. Intereà *Scoti*, depulſis Epiſcopis, ſumpſerunt arma contra Regem, faventibus etiam Miniſtris *Anglis*, illis, qui vocari ſolent Presbyteriani. Itaque convocatum eſt in *Angliâ* Parliamentum illud notiſſimum, quod inceptum eſt Nov. 3. 1640. Ex iis, quæ in illo Parliamento tribus quatuorvè diebus primis conſulta viderat, bellum civile ingruere, & tantum non adeſſe

ſentiens, retulit ſe rurſus in *Galliam*, ſcientiarum ſtudio *Pariſiis* tutius vacaturus cum *Merſenno Gaſſendo*, aliiſque viris, propter eruditionem, & vim in ratiocinando celeberrimis.

Varios edit libros.

Cum jam *Pariſiis* ageret, *Libellum ſcripſit de Cive*, quem edidit A. 1646. quo tempore prævalentibus Parliamentariis, multi eorum, qui partes Regias ſecuti erant, & in illis Princeps *Walliæ* (qui nunc eſt Rex *Angliæ*) *Pariſios* confluxerunt. Statuerat circa idem tempus, hortatu amici cujuſdam Nobilis *Languedociani*, migrare in *Languedociam*, & præmiſerat jam, quæ ſibi neceſſaria erant; ſed commendatus Principi, ut Elementa Mathematicæ illi prælegeret, ſubſtitit *Pariſiis*. Quod ab hoc munere temporis habuit vacui, conſumpſit in ſcribendo librum, qui nunc non ſolùm in *Angliâ*, ſed in vicinis gentibus, notiſſimus eſt nomine *Leviathan*, quem etiam in *Angliâ* edendum curavit, ipſe manens adhuc *Pariſiis*, A. 1651. annum agens 63. In eo opere Jus Regium, tum Spirituale, tum Temporale, ita demonſtravit, tum rationibus, tum authoritate Scripturæ Sacræ, ut perſpicuum fecerit, pacem in orbe Chriſtiano nuſquam diuturnam eſſe poſſe, niſi vel doctrina illa ſua recepta fuerit, vel ſatis magnus exercitus cives ad concordiam compulerit; opus, ut ille ſperabat, concivibus ſuis, præſertim verò illis, qui ab Epiſcopis ſteterant, non ingratum. Quanquam enim unicuiq; illo tempore, ſcribere & edere Theologica, quæ vellet, liberum erat, quia Regimen Eccleſiæ (poteſtate declarandi, quæ doctrinæ eſſent hæreſes, ipſius Regis authoritate ſublatâ, Epiſcopis exutis, Rege ipſo trucidato) tunc nullum erat; diligenter tamen cavit, ne quid ſcriberet, non modò contrà ſenſum Scripturæ Sacræ, ſed etiam contra doctrinam Eccleſiæ *Anglicanæ*, qualis ante bellum ortum Authoritate Regia conſtituta fuerat. Nam & ipſe regimen Eccleſiæ per Epiſcopos præ cœteris formis omnibus ſemper approbaverat. Atque hoc duobus ſignis manifeſtum fecit.

Primò, cum in oppido *S. ti Germani* propè *Pariſios* morbo graviſſimo, lecto affixus eſſet, venit ad eum *Merſennus*, rogatus à quodam amico communi, ne amicum ſuum extra Eccleſiam *Romanam* mori pateretur. Is lecto aſſidens (poſt exordium conſolatorium) de poteſtate Eccleſiæ *Romanæ* peccata remittendi aliquantiſper diſſeruit; cui ille, mi Pater (inquit) hæc omnia jamdudum mecum diſputavi. Eadem diſputare nunc moleſtum erit. Habes, quæ dicas, amœniora. Quando vidiſti *Gaſſendum*? Quibus auditis, *Merſennus* ſermonem ad alia tranſtulit. Paucis poſt diebus acceſſit ad illum Dr. *Johannes Coſinus* Epiſcopus (poſt) *Dunelmenſis*, obtulitque ſe illi comprecatorem ad Deum. Cui ille cum gratias reddidiſſet, ita (inquit) ſi precibus præiveris, juxta ritum Eccleſiæ noſtræ. Magnum hoc erga diſciplinam Epiſcopalem ſignum erat reverentiæ. Anno 1651, exemplaria aliquot illius libri, *Londini* recens editi, in *Galliam* tranſmiſſa ſunt; ubi Theologi quidam *Angli* doctrinas quaſdam in illo libro contentas, tum ut Hæreticas, tum ut partibus Regiis adverſas criminati ſunt; & valuere quidem aliquandiu calumniæ illæ in tantum, ut domo Regiâ prohibitus fuerit; quo factum eſt, ut protectione Regiâ deſtitutus, metuenſque ne à Clericis *Romanis*, quos præcipuè læſerat, malè tractaretur, in *Angliam* coactus ſit refugere. Rediens in *Angliam*, concionantes quidem invenit in Eccleſiis, ſed ſeditioſos; etiam preces extemporarias, & illas audaces, & nonnunquàm blaſphemas, ſymbolum autem fidei nullum, Decalogum nullum; adeò, ut per tres primos menſes non invenerit, quibuſcum in Sacris communicare potuerit. Tandem ab amico ductus ad Eccleſiam, à ſuo hoſpitio plusquàm mille paſſus diſtantem, ubi Paſtor erat Vir bonus & doctus, qui & cœnam Domini ritu Eccleſiaſtico adminiſtravit, cum illo in Sacris communicavit. Alterum hoc ſignum erat non modò hominis partium Epiſcopalium, ſed etiam Chriſtiani ſinceri; nam illo tempore ad Eccleſiam quamcunque legibus aut metu cogebatur nemo.

Quæ igitur Epiſcopo cuiquam in illum cauſa iræ eſſe potuit, niſi ei, qui neminem à ſe diſſentire, pati, per ſuperbiam, poſſet? Intereà doctrinam ejus Academici & Eccleſiaſtici condemnabant ferè omnes; laudabant Nobiles, & viri docti ex laicis. Refellebat nemo; conati refellere, confirmabant. Scripſit enim non ex auditione & lectione ut ſcholaris, ſed ex judicio proprio cognita & penſitata omnia, ſermone puro & perſpicuo, nec Rhetorico. Stantem inter amicos & inimicos quaſi in æquilibrio, fecerunt illi, ne ob doctrinam opprimeretur; hi, ne augeretur. Itaque fortunâ tenui, famâ doctrinæ ingenti, in Patroni ſui Comitis *Devoniæ* hoſpitio per certum vitæ tempus perpetuò delituit, ſtudio vacans Geometriæ & Philoſophiæ Naturalis; edidítq; jam ſenex librum quendam, quem inſcripſit de Corpore; continentem Logicæ, Geometriæ, Phyſicæ (tum ſublunaris, tum cœleſtis) fundamenta; deducens Logicam quidem à ſignificatione nominum; Geometriam autem & Phyſiam, ex figurarum & effectuum naturalium generationibus. Hominis ergò neque genere, neque opibus, neque negotiis belli aut pacis aſſueti vitam ſcribo, & in publicum emitto; ſed in omni genere ſcientiæ excellentis, & ferè ſingularis. Cujus ingenium ut cognoſcerent (partim etiam ut ſua oſtentarent) convenerunt eum viri innumeri, tum noſtrates, tum exteri; & inter illos, nonnulli Legati Principum, aliique Viri Nobiliſſimi. Adeò, ut conjecturâ indè factâ de voluntate hominum eruditorum, qui poſthâc erunt, non ingratum fore poſteritati exiſtimavi, ſi quem vidiſſe voluerunt, illius vitam literis poſteritati traderem; præcipuè quidem, ut quæ ſcientiis ille primus addidit; deindè etiam

cœtera vitæ ejus, quæ à Lectoribus deſiderari poſſe videbuntur, cognoſcerent. Quæ ſcripſit de *Jure Naturali*, de *Conſtitutione Civitatum*, de *Jure eorum, qui ſummam habent Poteſtatem*, de *Officiis Civium*, in *Libris Leviathan*, & *de Cive* (quia domi foriſque nota, & maximè celebrata) prætereunda cenſeo. In Phyſicis cauſam ſenſuum, præcipuè viſûs, unà cum doctrinâ omni Opticâ & Naturâ lucis, refractionis, reflectioniſq; cauſas naturales, ignotas ante primus demonſtravit, in Libro de homine. Item cauſas qualitatum ſenſibilium, nimirum colorum, ſoni, caloris & frigoris. Somnia autem & Phantaſmata, quæ anteà pro ſpiritibus & mortuorum animis habebantur, & rudi vulgo terriculamenta erant, omnia profligavit. Cauſam autem æſtuum marinorum, & deſcenſionis gravium, à motu quodam telluris perſpicuè derivavit. Nam Phœnomena ille omnia ad motum refert, non ad rerum ipſarum potentias intrinſecas, neque ad qualitates occultas; ut ante illum omnes Phyſici. De motu autem, in Libro de Corpore, ſatis fusè ſcripſit, & profundiſſimè. In Ethicis ante illum nihil ſcriptum eſt, præter ſententias vulgares. At ille mores hominum ab humanâ naturâ, virtutes & vitia à lege naturali, & bonitatem malitiamque actionum à Legibus Civitatum derivavit. In Mathematicis, Principia Geometriæ, nonnulla correxit. Problemata aliquot difficillima, à ſummis Geometris (ab ipſis Geometriæ cunabulis) ſummo ſtudio fruſtra quæſita invenit; nimirum hæc, arcui Circuli lineam rectam, areæ Circuli quadratum æquale exhibere, idque variis Methodis. Datum Angulum dividere in datâ ratione. Cubi ad Sphæram rationem invenire: Inter duas rectas datas, medias continuè proportionales invenire quodcunque. Polygonum regulare deſcribere quodcunque laterum. Centrum gravitatis invenire Quadrantis Circuli & Bilinei, quod continetur Arcu Quadrantis & ſubtenſa ejus. Centra gravitatis invenire Paraboliformium omnium. Hæc omnia primus coſtruxit & demonſtravit, & præterea alia multa, quæ (quia legentibus occurret, & minoris ſunt) prætereo. Facient (opinor) hæc, ut vita ejus non indigna videatur, quæ tum ad exteros tum ad noſtros ſcientiarum ſtudioſos tranſmittatur. Scripſit præterea, circa annum ætatis ſuæ octogeſimum, Hiſtoriam Belli Civilis *Anglicani* inter Regem *Carolum I.* & Parliamentum ejus, *Anglicè*: item ortum & incrementa poteſtatis Pontificiæ, Carmine latino, verſuum circiter duûm millium, ſed non ſinebant tempora, ut publicarentur. Silentibus tandem adverſariis, annum agens octogeſimum ſeptimum, *Homeri Odyſſeam* edidit à ſe converſam in verſus *Anglicanos*, anno deindè proximo etiam *Iliada*.

Eruditorum Coryphæus.

Denique Cyclometriam, annum agens nonageſimum primum, integram nondum editam. Certamen inſuper habuit literarium cum *Johanne Bramballo*, Epiſcopo *Derrienſi*, poſtmodùm Archiepiſcopo *Armacano*, de libertate & neceſſitate actionum, undè libelli utrinque conſcripti ſunt varii. Quod ad formam attinet, vultu erat non ſpecioſo, ſed, cum loqueretur, non ingrato. Effigies ejus ad vivum à pictore excellente deſcripta, qualis erat ætatis ſuæ ſeptuageſimo, in conclavi Regis *Caroli II.* conſervatur.

Extant etiam ejuſdem imagines ab aliis pictoribus, diverſis temporibus factæ, rogatu amicorum, in *Angliâ* non paucæ, & in *Galliâ* aliquot. Cœlibatum tenuit tanquàm Philoſophiæ ſtudiis maximè commodum. Exercitio corporis utebatur multo. Pila palmaria ſæpè luſit, quamdiu præ ſenectute licuit etiam ultra annum 70.mum. Deum præterea agnovit rerum omnium originem, intra anguſtos tamen humanæ rationis cancellos nullatenùs circumſcribendum. Quare fortiter calumniati ſunt, qui ipſum Atheiſmi reum detulerunt, quod indè forſitan profectum, quia ſcholaſticorum aliorumque iſto de grege morem rejecerat, qui otioſi Muſis ſuis ſedentes juxta imbecillem ingenioli ſui captum Naturæ divinæ incomperta affingunt attributa. Naturâ ſuâ, & primis annis, ferebatur ad lectionem Hiſtoriarum, & Poëtarum; & ipſe quoque carmen tentavit, nec (ut plurimi judicabant) infeliciter. Poſteà autem cum in congreſſu quodam virorum doctorum, mentione factâ de cauſâ ſenſionis, quærentem unum, quaſi per contemptum? Quid eſſet ſenſus: nec quemquam audiſſet reſpondentem, mirabatur, qui fieri potuerit, ut qui ſapientiæ titulo homines cœteros tanto faſtu deſpicerent, ſuos ipſorum ſenſûs, quid eſſent, ignorarent.

Ex eo tempore de cauſâ ſentiendi ſæpè cogitanti, fortè fortunâ mentem ſubiit, quod ſi res corporeæ & earum partes omnes conquieſcerent, aut motu ſimili ſemper moverentur, ſublatum iri rerum omnium diſcrimen, & (per conſequens) omnem ſenſionem, & præterea cauſam omnium rerum quærendam eſſe in diverſitate motuum. Atque hoc principio uſus eſt primo. Deindè ut cognoſceret varietates & rationes motuum, ad Geometriam cogebatur, & à principiis ſuis, ingenio ſuo, theoremata illa, quæ ſupra commemoravi, feliciter demonſtravit. Tantum intereſt inter illos, qui proprio genio; & illos, qui in archivis veterum, aut ad quæſtum docentium, ſcientiarum veritatem quærunt. In colloquiis familiaribus jucundus erat, præterquam illorum, qui ad illum venerunt diſputandi cauſâ contra ea, quæ jam ediderat (nec revocari poterant) de jure ſummarum poteſtatum Civili aut Eccleſiaſtico. Nam cum his vehementius aliquando diſputabat, quàm erat neceſſarium. Naturaliter apertus erat, & inter adverſarios (qui multi potenteſq; erant) innocentiâ magis, quàm conſilio tutus.

Ejus Principia de ſenſatione.

tutus. Juſtitiæ erat cum ſcientiſſimus, tum tenaciſſimus. Nec mirum, cum eſſet pecuniæ negligentiſſimus, & pro tenuitate fortunarum ſuarum, ultra modum beneficus, ſed beneficio Patronorum ſuorum, & Regis optimi dulciſſimique *Caroli II.* ſatis

Moritur. copiosè ſenex vixit. Obiit enim 4to Decembr. An. 1679. cum paucis ante diebus paralyſi dextri lateris correptus fuiſſet. Sepultus autem eſt in Eccleſiâ vicinâ de Hault-Hucknall / Sacerdote ſecundùm Eccleſiæ *Anglicanæ* formulas Exequiarum juſta celebrante. Conditus eſt juxta tumulum Comitiſſæ *Devoniæ* ſub nigro marmore, cujus inſcriptio ſolummodò locum ejus natalem, tempus etiam natale & emortuale præ ſe fert:

Epitaphium.

Condita hic sunt ossa
Thomæ Hobbes Malmesburiensis, qui
per multos annos servivit
Duobus Devoniæ Comitibus
Patri et Filio.
Vir Probus et fama eruditionis domi
forisque bene cognitus.
Obiit Anno Domini MDCLXXIX.
Mensis Decembris die IV.
Ætatis suæ XCI.

Librorum, quos ſcripſit *Hobbeſius*, tituli ſequuntur:

Scripta. *Elementa Philoſophica de Cive. 4to Pariſ. 1642. & Ambſtel. 12mo. 1647. & 1669. & 4to ibid. 1668. Lat. 8vo. 1651. Anglic. 8vo. 1649. De mirabili Pecci. Lond. ſecundâ vice 1666. Latin. 8vo. De naturâ hominis Lond. 1650. 12mo. Angl. De corpore Politico, ſive Elementa Juris, 12mo Lond. 1650. Angl. & 12mo. Ambſtel. 1653. Gal. Leviathan, ſive de Republicâ Fol. Lond. 1651. Angl. 4to. Ambſtel. 1668. Lat. & 4to. ibid. 1678. Belg. Appendix ad Leviathanem 4to. ibid. 1668. Lat. Elementorum Philoſophiæ ſectio prima de corpore 8vo. Lond. 1655. Lat. & 4to. 1656. Angl. & 4to Amſtel. 1668. Lat. Prælectiones ſex ad Profeſſores Savilianos 4to Lond. 1656. Angl. Characteres, ſive indicia abſurda Geometriæ XC. Doctoris Wallis 8vo. Lond. 1657. Angl. De Homine, ſive Elementorum Philoſophiæ ſectio ſecunda 4to. Lond. 1658. & 4to Ambſtel. 1668. Lat. Quæſtiones de libertate, neceſſitate, & caſu contra Doctorem Branchallum, Epiſcopum Derrienſem. 4to. Lond. 1656. Angl. De principiis & ratiocinatione Geometrarum, 4to. Londin. 1666. Ambſtel. 1668. Lat. Dialogus Phyſicus, ſive de naturâ Aëris 4to Lond. 1661. & 4to. Ambſtel. 1668. Lat. De duplicatione Cubi 4to Lond. 1661. & Amſtel. 1668. Lat. Problemata Phyſica unà cum magnitudine Circuli 4to. Lond. 1662. & 4to. Ambſtel. 1668. Lat. Examinatio & Emendatio Mathematicæ hodiernæ 6. dialogis. 4to Lond. 1660. & 4to Amſt. 1668. Lat. Quadratura Circuli, Cubatio Sphæræ, Duplicatio Cubi, unà cum Reſponſione ad objectiones Geometriæ Profeſſoris Saviliani Oxoniæ editas A. 1669. 4to Lond. 1669. Lat. Roſetum Geometricum, ſive propoſitiones aliquot fruſtra antehac tentatæ cum cenſurâ brevi doctrinæ Wallisianæ de motu 4to Lond. 1671. Lat. Reſcripta tria ad Regiam Societatem contra Doctorem Wallis 4to. ibid. 1671. Angl. Principia & Problemata aliquot Geometrica ante deſperata, nunc breviter explicata & demonſtrata. 4to. Londini 1674. Thucydides è Græco Anglicè verſus. fol. Lond. 1634. 1676. De Libertate & Neceſſitate 12mo Lond. 1654. Ang. Lux Mathematica 4to Lond. 1672. Lat. Ulyſſis itinera, ſive Odyſſeæ Homericæ libri 9. 10. 11. 12. verſibus Anglicanis 8vo Lond. 1674. Epiſtola ad Ant. à Wood. 1674. Lat. Homeri Ilias & Odyſſea Anglicano carmine expreſſæ unà cum præfatione de virtutibus Heroici Poëmatis 8vo Lond. 1675. & 1677. Tractatus Opticus, in quo ex propriis hypotheſibus Refractiones proſequitur. quem cogitatis ſuis Phyſico Mathematicis (4to Pariſ. 1644. editis) in Opticæ ſuæ complementum inſeruit Merſennus. Objectiones in Carteſii de primâ Philoſophiâ Meditationes cum iiſdem Carteſii meditationibus Pariſiis & Ambſtd. ſæpius editæ. Epiſtolæ ad Carteſium nonnullæ, quas Tom. 3, Epiſt. Carteſii videre eſt. Literæ ad Gulielmum Novi Caſtri Ducem, de controverſiâ circa Libertatem & Neceſſitatem. 12mo Lond. 1676. De mirabilis Pecci liber Anglicè & Latinè 8vo. Lond. 1678. Decameron Phyſiologicum, ſive Dialogi decem de Philoſophiâ naturali; cui adjecta eſt ratio lineæ rectæ ad arcum quadrantis dimidium. 8vo. Lond. 1678. Angl. Conſiderationes de famâ, de fidelitate in Regem moribus & religione T. Hobbes Malmesb. 4. Lond. 1662. & 8vo. ib. 1680. Ang. De bello civili Anglicano ab A. 1640. ad 1660. dialogus 8vo. 1679. qui ipſo inconſueto prodiit: in MSS. emendatior habetur. Vita ejus Latino Carmine 4to Lond. 1680. Eadem, Angl. fol. Lond. 1680. Epiſtola præfixa Principi Anglicanæ Hon. Ed. Howard. Edit. 8vo Angl. 1669. Dicitur etiam edidiſſe compendium Rhetoricæ Ariſtotelicæ, & Logicæ Rameæ circa An. 1652. nomine ſuo non appoſito.*

In ſchedis MSS. aſſervantur:

Dialogus inter Philoſophum & Juris Anglicani ſtudioſum Angl. Hiſtoria Eccleſiaſtica Romana: Poëma ſupra 2000. verſibus conſtans. Defenſio Leviathanis adverſus librum D. Bramballi, cui titulus captura Leviathanis, & alia nonnulla.

* *Ex vitâ Hobbeſii Carolopoli impreſſa.*

FINIS.

INDEX

Omnium in hoc Opere Contentorum

VIRORUM

Eruditione ſingulari Clarorum.

A.

Abbatus Robertus. 396
Abeſius Gabriel. 594
Accoltius Franciſcus. 796
Accurſius Florentinus. 784
Acoſta Joſephus. 307
Adriani Cornelius. 250
Adrianus. 251
Æpinus Johannes. 160
Affelmannus Johannes. 422
Agnellus Ludovicus. 1269
Agricola Johannes. 211
Magnus. 334
Ægidius. 1107
Chriſtophorus. 1141
Georgius. 1237
Rudolphus. 1429
Agrippa Henricus Cornelius. 1221
Agucchius Johannes Baptiſta. 1058
Aichmannus Martinus. 1008
Aicholtz Johannes 1288
Alanus Guilielmus, Card. 57
Alardus Amſtelredamus. 1445
Albanus Johannes Hieron. Card. 56
Albergottus Franciſcus. 788
Alberti Jeremias. 622
Albertus Johannes. 216
Albertus Magnus. 1420
Albrecht Bernhardus. 461
Georgius. 534
Albornotius Ægidius, Cardin. 16
Alciatus Franciſcus, Card. 48
Andreas. 826
Melchior. 1020
Aldrovandus Ulyſſes. 1316
Alealmus Ludovicus. 924
Aleander Hieronymus. 29
Alexander ab Alexandria. 77
Alexandro. 297
Alexandrinus Julius. 1212
Allatius Leo. 1537
de Alliaco Petrus, Card. 18
Almondius Abrahamus. 931
Alpinus Proſper. 1337
Alphonſus Rex Arragoniæ. 728
Althofer Chriſtophorus. 620
Alting Henricus. 512
Jacobus. 720
Alvarotus Jacobus. 795
Alvenslebius Cuno. 1086
Amalthæus Hieronymus. 268
Ambergerus Andreas. 446
Amelius Martinus. 832
Amerbachius Bonifacius. 844
Americus Veſputius. 1432
Amling Wolffgangus. 338
Amsdorfius Nicolaus. 204
de Anania Johannes. 795
Ancharanus Petrus. 790
Anchieta Joſephus. 273
Andlovius Georgius. 796
Andreæ Jacobus. 277
Johannes. 786
Tobias. 1538
Andronicus Angelus. 437
Angelocrator Daniel. 458
Angelus Mutius. 297
Anglicus Johannes. 1209
Anhalt. Georg. Princeps. 747
Annas Burgius. 837
Antonius Auguſtinus, Archiep. 52
Paduanus, Monachus. 76
Franciſcus. 221
Antonii Gothofredus. 1021
Antrechtus Johannes. 972
Apianus Philippus. 1483
Aponenſis Petrus. 1209
ab Aquapendente Hier. Fabr. 1340
Aquaviva Claudius. 379
Aquinas Thomas. 1419
Arantius Julius Cæſar. 1291
Architeus Carcanus. 1290
Arculanus Johannes. 1213
Arcularius Daniel. 300
Aretinus Petrus. 1461
Leonhardus. 1426
Aretius Benedictus. 234
Argenterius Johannes. 1264
Argolus Andreas. 1543
Paulus. 281
Arias Franciſcus. 333
Montanus Benedictus. 1492
Arioſtus Ludovicus. 1442
Armb Julius. 1059
Armeniacus Georgius, Card. 50
Arminius Jacobus. 354
Arndtius Johannes 409
Arnigius Bartholomæus. 1274
Artomedes Sebaſtianus. 322
Arturus Laurentius. 282
Arumæus Dominicus. 1077
Arundelius Thomas. 775
Aslacus Conradus. 419
Asmundius Tycho. 265
Aſſonlevillius Guilielmus. 770
Aſſum Johannes. 402
Wolffgang. Ludovicus. 602
Ateſtinus Hippolytus, Card. 42
Ludovicus, Card. 51
Avantius Johannes Marius. 1033
Audebertus Germanus. 942
Avenarius Johannes. 280
Aventinus Johannes. 1443
Auer Lambertus. 230
Augelius Andreas. 214
Augenius Horatius. 1313
Augerius Edmundus. 275
Auguſtus Com. Pal. Rheni. 757
Princeps Anhalt. 759
Dux Brunsv. 760
d' Avila Auguſtinus, Archiep. 63
Stephanus. 180
Johannes. 215
Ægidius Conſalvus. 297
Aurifaber Johannes. 215
Axonius Joachimus. 970
Ayala Balthaſar. 895
Ayrer Melchior. 1277
ab Ayta Viglius. 875
Azo Bononienſis. 782
Azor Johannes. 323

B.

Babelus Hugo. 1456
Babington Gervaſius. 356
Bacherius Petrus. 316
Bachovius Reinerus. 999
Backius Reinhardus. 596

Bacmeiſterus Lucas Pater. 349
Filius. 476
Baconus Franciſcus. 773
Nicolaus. 881
Badhornus Leonhardus. 907
Baifius Janus Antonius. 1485
Bairus Petrus 1242
Bajus Michaël. 271
Jacobus. 377
Baldinus Bernardinus. 1307
Balduinus Archiep. Trev. 15
Balthaſar. 560
Fridericus. 436
Franciſcus. 866
Baldus Ubaldus. 789
Balæus Johannes. 175
Ballus Johannes. 488
Joſephus. 489
à Balneo Joh. Franciſcus. 70
Banzerus Marcus. 1397
Banchemius Johannes. 955
Barbarus Daniel. 1465
Barbatus Nicolaus Aſclepius. 860
Barberinus Antonius, Card. 71
Barcham Johannes. 497
Barclajus Johannes. 1515
Bargæus Petrus Angelius. 1490
Barocius Petrus. 97
Baronius Cæſar, Card. 64
Barradas Sebaſtianus. 309
Barthius Caſpar. 1546
Bartholinus Ivarus. 256
Thomas. 1398
Caſpar. 1355
Eraſmus. 1401
Bartholucius Salvator. 296
Bartoletus Fabritius. 1358
Bartolus de Saxo ferrato. 787
Barzizius Chriſtophorus. 1221
Baſius Johannes. 948
Baſtingius Jeremias. 306
Battus Bartholomæus. 482
Levinus. 1293
Conradus. 1218
Baudiſcius Andreas. 378
Baudius Dominicus. 1507
Bauerſchmid Conradus 319
Baumannus Johannes. 432
Henricus. 695
Johan. Goropius. 1265
Baumgartnerus Johannes. 812
Hieronymus 851
Bauſchius Joh. Laurentius. 1401
Beatus Rhenanus. 1450
Becanus Martinus. 420
Bechius Philippus. 1248
Beckerus Daniel. 1407
Beckius Sebaſtianus. 572
Beckmannus Lucas. 1038
Becmannus Chriſtianus. 535
Beconus Thomas. 223
Beer Dominicus. 638
Sebaſtianus. 1152
Behemius Johannes. 537
Michaël. 551
Bellacatus Aloyſius. 1271
Bellajus Johannes, Card. 39
Bellarminus Robertus, Card. 67
Bellonius Paulus. 1043
Belnenſis Reginaldus, Archiep. 63
Belleureus Pomponius. 974
Belloinus Petrus. 1253
Bellomanerius Carolus. 863
Bembus Petrus, Card. 30
Bencius Hugo. 1213
à Benckendorff Martinus. 1110
Benedictus Alexander. 1214
Benedictus Dominicus. 264
à Benheim Henricus. 796
Benius Paulus. 1518
Beolcus Angelus. 1447
Berger Joachimus. 957
Joh. Benedictus. 1352
Berlichius Burchardus. 1191
Bernardi Bonhomus. 1250
Bernbeccius Florianus. 873
Berneggerus Matthias. 1534
Bernhardinus Senenſis. 18
S. Bernhardus Monachus. 75
Beroldus Petrus. 1230
Berſius Marcus. 209
Berſmannus Gregorius. 1506
Bertius Petrus. 1524
Bertramus Bernhardus. 1094
Berus Oſwaldus. 1259
Bery Johannes. 665
Beſierus Michaël. 245
Hieronymus. 1363
Michaël Rupertus. 1388
Beſſario Cardinalis. 21
Betzoldus Michaël. 1058
Beurerus Joh. Jacobus. 637
Beurlinus Jacobus. 189
à Beuſt Joachimus. 941
Beutherus Michaël 1479
Beutrichius Petrus. 915
Beyerlink Laurentius. 437
Beyerus Hartmannus. 245
Beyma Julius. 935
Beza Theodorus. 334
Bibautius Guilielmus. 110
Bibliander Theodorus. 203
Biel Gabriel. 95
Bieſius Nicolaus. 1266
Biſſius Laurentius. 553
Bildauerus Jacobus. 982
Billius Jacobus. 251
Binderus Chriſtophorus. 301
Binnius Henricus. 1171
Binsfeldius Petrus. 306
Biragus Renatus, Card. 48
Birckheimerus Bilibaldus. 810
Birkbekius Simon. 592
Biſcia Lœlius, Card. 70
Biſciola Johannes Gabriel. 203
Bitſchius Caſpar. 1076
de Blanaſco Johannes. 783
Blancus Marcus. 824
Blaſius Joh. Baptiſta. 798
Blaurer Ambroſius. 213
Bartholomæus. 834
Blendinger Johannes Henricus. 541
Blenno Fauſtinus. 493
Bleſenſis Petrus. 76
Blinzingius Georg. Fridericus. 521
Bliſſemius Henricus. 262
Blomevenna Petrus. 311
Blondus Flavius. 1426
Bloſius Ludovicus. 208
Blumius Johannes 1058
Mauritius. 1352
Boba Marcus Antonius, Card. 44
Boccatius Johannes. 1423
Bocerus Henricus. 940
Bode Henningus. 802
Bodenſtein Adamus. 1273
Bodinus Johannes. 895
Böheim Lucas Fridericus. 1112
Bönerus Stephanus. 688
Böſchius Antonius Güntherus. 1201
Bohlius Samuel. 481
Boidus Fabritius. 1296
Boldonus Sigismundus. 1358
à Bomsdorff Petrus. 981
Bonafidius Franciſcus. 1241
Bonamicus Lazarus. 1493
Bonarotus Michaël Angelus. 1460
S. Bonaventura Card. 14
Franciſcus. 286
Bonavitus Marcus Mantua. 888
Bonefidis Enimundus 869
Bonifacius Johannes. 274. 1072
Bontius Gerardus. 1304
Reinerius. 1357
Boquinus Petrus. 253
Borbonius Carolus, Cardin. 55
Jun. Card. 57
à Borcholten Johannes. 933
Bordingus Jacobus. 1008. 1247
Borgaſius Paulus. 821
Borgeſius Johannes. 1380
Borgia Franciſcus. 229
Bornerus Caſpar. 148
Bornius Johannes. 1155
Borrhaus Martinus. 202
Borromæus Carolus, Card. 49
Fridericus, Card. 69
Boſchius Wolffgangus. 834
Boſius Johannes Andreas. 1557
Boſſemius Matthias. 308
Boſſi[illegible] Ægidius. 822
Bottonus Nicolaus. 870
Albertinus 1296
Bovius Benedictus. 450
à Bra Henricus. 1304
Brade Johannes. 165
Brahe Tycho. 1495
Brand Sebaſtianus. 805
Theodorus. 834
Brandmüller Jacobus. 466
Johannes. 645
Brantius Johannes. 1087
Braſtbergerus Chilianus. 1005
Bravus Bartholomæus. 180
Brechterus Chriſtophorus. 846
Brederodius Henricus. 767
de Breitenbach Johannes. 799
Breme Petrus. 864
Brendelius Zacharias. 1352
Brentius Johannes. 220. 298
Bretteus Richardus. 466

Brezzus

Brezæus Simon Mallius Archiep. 60
Briardus Lambertus. 833
Briſſonius Barnabas. 926
Broacus Bonus. 880
Brochmandus Caſpar Eraſmus. 518
Eraſm9 Johañis. 643
Brockmannus Joh. Envaldi. 640
Bronzerius Joh. Hieronymus. 1357
Bronchorſtius Everhardus. 1045
Bronnerus Valentinus. 401
Brotbeccius Johannes. 960
Brothagius Samuel. 907
Browerius Chriſtophorus. 390
Brucæus Henricus. 1294
Brullius Petrus. 145
Brunnerus Andreas. 1191
Brunchorſtius Chriſtophorus. 641
Brunfelſius Ottho. 1222
à Brunn Joh. Jacobus. 1386
Brunnemannus Johannes. 1200
Brunnerus Balthaſar. 1315
Bruno Tobias. 353
Nicolaus. 1324
Jacobus. 1543
Brunus Vincentius. 290
Buccaferreus Hieronymus. 1036
Ludovicus. 1449
Bucerus Martinus. 155
Buchananus Georgius. 1475
Buchnerus Sigismundus. 979
Auguſtus. 1549
Bucholcerus Abraham. 258
Bucholtzius Joachimus. 638
Bucksdorff Theodoricus. 793
Budæus Guilielmus. 820
Bugenhagius Johannes. 175
Bullingerus Henricus. 237
Burcardus Franciſcus. 542
Martinus. 1047
Georgius. 1087. 1503
Burdinus Ægidius. 859
Burgundus Nicolaus. 1054
Burhill Robertus. 493
Burton Robertus. 478
Busbequius Aug. Gislenius. 931
Buſæus Johannes. 310
Buſius Paulus. 932
Buſſolus Aurelius. 1365
Buticella Hieronymus. 800
Butler Carolus. 511
de Butrio Antonius. 790
Buxtorffius Johannes. 644. 1523
Byfeild Richardus. 646

C.

Cabedius Michaël. 872
Cæſalpinus Andreas. 1313
Cæſius Georgius. 331
Cajus Johannes. 1267
Caimus Marcus Antonius. 843
Euſebius. 1094
Pompejus. 1361
Calignoſus Sofredus. 971
Calixtus Georgius. 586
Thomas. 927
à Callenberg Curt Reinicke. 780
Callimachus Philippus. 1432
Calvinus Johannes. 199
Calviſius Sethus. 1512
Calvus Felix. 1389
Calydonius Franciſcus. 1086
Camerarius Philippus, Card. 32
Henricus. 954
Philippus. 1040
Ludovicus. 1118
Joachimus. 1300. 1373. 1468
Campana Albertus. 482
Campanus Joh. Antonius. 1427
Campegius Rudolphus. 772
Campofulgoſus Joh. Baptiſta. 747
Campolongus Æmilius. 1316
Camus Joh. Petrus. 560
Cancellus Ludovicus. 115
Candela Joh. Dominicus. 275
Candidus Pantaleon. 348
Caniſius Petrus. 803
Cannemannus Petrus. 666
Canterus Lambertus. 829
Guilielmus. 1470
Cantius Johannes. 93
Cantiuncula Claudius. 811
Canus Melchior. 112
Canutius Jacobus. 622
Capel Richardus. 593
Capelbeccius Jacobus. 899
Capella Galeatius. 817
Capiſtranus Johannes. 89
Capitaneus Petrus. 1238
Capito Wolffgangus Fabritius. 113
Capivaccius Hieronymus. 1291
Cappelius Johannes. 383
Cappellus Ludovicus. 264
Capponius. 1357
Caracciolus Galeacius. 755
Caraffa Antonius, Cardin. 55
Cardanus Hieronymus. 1272
Cardona Joh. Baptiſta. 276
Carinus Ludovicus. 1262
Carlevitius Chriſtophorus. 880
Carnerus Alexander. 681
Caroloſtadius Andreas. 116
Carolus IV. Rom. Imp. 723
Fridericus Princeps Cliv. 751
Carpenſis Jacobus. 1231
Carpzovius Joh. Benedictus. 599
Benedictus. 1041. 1172
Carranza Bartholomæus, Archiep. 44
Carrerius Alexander. 1044
Cartagena Antonius. 1220
de Caſa Bartholomæus. 162
Johannes. 171
Caſanova Marcus Antonius. 1439
Caſelius Martinus. 588
Caſſander Georgius. 208
Caſſerius Julius. 1349
Caſtellanus Petrus. 153
Laurentius. 916
Honoratus. 1261
Caſtellio Balthaſar. 808
Caſtilonæus Franc. Abundius, Card. 41
Caſtilionæus Chriſtophorus. 792
Caſtnerus Michaël. 652
de Caſtro Paulus. 793
Catanæus Johannes Marius. 1441
Catharinus Ambroſius, Archiep. 34
Dulcis. 1498
Catholmius Eraſmus. 253
Cavalcantius Bartholomæus. 847
Cavallus Franciſcus. 1225
Cecilius Robertus. 771
Guilielmus. 770
Cellarius Martinus. 202
Balthaſar. 700
Paulus. 1344
Cellius Erhardus. 1489
Celtes Conradus. 1435
Cephalus Johannes. 871
Cepolla Bartholomæus. 797
Cerchianus Aloyſius. 462
Cerda Melchior. 246
Chabotius Petrus Gualterius. 1491
Chanowsky Albertus. 495
Checus Johannes. 1456
Cheiney Richardus. 246
Chemnitius Martinus. 264. 1047
Sabellus. 360
Chriſtianus. 661
Chetwynd Edoardus. 481
Chiabrera Gabriel. 1533
Chiefletius Johannes Jacobus. 1357
Chilchenius David. 978
Childrey Joſua. 699
Chriſtianus I. Daniæ Rex. 729
III. Daniæ Rex. 736
IV. Dan. Rex. 742
Chriſtianus Andreas. 1320
Chriſtoferſonus Johannes. 172
Chriſtophorus Dux Würtenb. 750
Chryſoloras Emanuel. 1423
Chytræus David. 314
Ciacconius Petrus. 251
Alphonſus. 276
Cigalinus Franciſcus. 1221
Ciſnerus Nicolaus. 890
Clammerus Balthaſar. 821
Clannerus Burckardus. 1083
Clarus Iſidorus. 165
Julius. 870
Clavius Martinus. 167
Chriſtophorus. 1507
de Clemangiis Nicolaus. 85
Clemens VIII. Pont. Max. 12
Clenardus Nicolaus. 1446
Cleſelius Melchior, Card. 69
Clotzius Johannes. 910
Sigfridus. 984
Cludius Andreas. 942
Cluſius. 1323
Clutenius Joachimus. 1075
Cluverus Johannes. 454
Philippus. 1515
Cnophus Andreas. 102
Cnoxus Johannes. 230
Cochlæus Johannes. 156
Cocus Antonius. 872
Codretus Hannibal. 292
Coddæus Guilielmus. 1505

Coëckius Petrus. 1451
Cœleſtinus Joh. Fridericus. 228
Cœlius Rhodiginus. 1437
Coglerus Johannes. 1105
Coiterus Volcherus. 1305
Colaſius Laurentius. 1105
Colerus Matthias. 905
Lazarus. 1056
Johannes. 1090
Coletus Johannes. 101
Colhaſius Caſpar. 263
Colinius Odetus, Card. 42
Franciſcus. 755
à Colle Johannes. 1360
Collenutius Pandulphus. 799
à Collibus Hippolytus. 990
Columbus Chriſtophorus. 1433
Columna Pompejus, Cardin. 25
Combachius Johannes. 458
Cominæus Philippus. 1435
Commendonus Joh. Franciſus. 50
Commerſtadius Georgius. 842
Concorregius Johannes. 1211
Connanus Franciſcus. 827
Contarenus Caſpar, Card. 30
Simon. 1061
Vincentius. 1511
Contius Antonius. 880
Copernicus Nicolaus. 1447
Copius Bernhardus. 887
Copus Guilielmus. 1219
Coppenius Bartholomæus. 391
Coquillius Vidus. 961
Coraſius Johannes. 861
de Corduba Martinus. 181
Cordus Euricius. 1224
Valerius. 1228
Cornarius Janus. 1240
Cornerus Chriſtophorus. 290
Corneus Petrus Philippus. 796
Cornherzius Theodorus. 1483
Corradinus Aloyſius. 1024
Corteſius Gregorius, Card. 32
Cortuſius Ludovicus. 791
Cortuſus Jacobus Antonius. 1292
Coſmus Medices, Magnus Dux Hetruriæ. 751
Coſtæus Johannes. 1313
Coſterus Franciſcus. 404
Laurentius. 1424
Cothenius Ehrenfridus. 680
Cothmannus Johannes. 552
Erneſtus. 1039
Cottonus Petrus. 327
Covarruvias Didacus. 874
Antonius. 957
Covillonius Johannes. 248
Cox Richardus. 246
Coyſſardus Michaël. 222
Cramerus Chriſtophorus. 288
Daniel. 469
Crammerus Thomas, Archiep. 36
Cranachius Lucas. 1479
Cranefeldius Franciſcus. 848
Cranford Jacobus. 597
Craſſus Paulus. 1268
Crato Adamus. 177
Crato Johannes. 1284
Cravetta Haymo. 857
Cregel Erneſtus. 1205
Creidius Hartmannus. 592
Crellius Paulus. 248
Cremoninus Cæſar. 1525
Creſcentius Marcellus, Card. 34
Cricius Andreas, Archiep. 28
Crineſius Chriſtophorus. 445
Crocius Johannes. 612
Crocus Cornelius. 153
Cromerus Martinus. 914
Cromwellus Thomas. 765
Cruceus Hannibal. 875
Cruciger Caſpar. 152. 302
Georgius. 463
Crullius Cornelius. 1096
Cruſerius Hermannus. 1266
Cruſius Joachimus. 485
Johannes. 1007
Martinus. 1503
Cujacius Jacobus. 919
Cunæus Petrus. 1085
Cundiſius Gothofredus. 557
Cunerus Petrus. 246
Cuno Johannes. 1325
Cupinerius Chriſtophorus. 800
Curæus Joachimus. 1266
Curcellæus Stephanus. 604
Curio Jacobus. 1264
Cœlius Secundus. 1465
Curtius Petrus. 214
Franciſcus. 799
Matthæus. 1228
Nicolaus. 1271
Cuſanus Nicolaus, Card. 19
Cuſpinianus Johannes. 1440
Cuyckius Henricus. 354
Cynus. 785

D.

Dalechampius Jacobus. 1278
Damhouderus Jodocus. 885
Damianus Coſmas. 207
Danæus Lambertus. 298
Daneſius Petrus. 1473
Daniel Archiep. Mogunt. 47
Dannhauerus Joh. Conradus. 664
Dantes Aligerius. 1421
David Johannes. 370
Dawes Lancelotus. 581
Debelius Johannes. 358
Decianus Tiberius. 885
Decius Philippus. 814
à Degenfeld Chriſtoph. Martinus. 777
Deichmannus Chriſtophorus. 1037
Demlerus Anaſtaſius. 425
Denaiſius Petrus. 986
Deodatus Johannes. 549
Deringus Edoardus. 242
Deſſenius Bernhardus. 1268
Detſchelius Matthias. 344
Deuſingus Antonius. 1403
Deza Didacus, Archiep. 24
Alphonſus. 275
Diazius Johannes. 145
Dietericus Conradus. 479
Dietericus Joh. Conradus. 1554
Dietherr Paulus. 984
Dietmair Johannes. 364
Dilherrus Joh. Michaël. 683
Dinnerus Andreas. 1064
Dinterus Emundus. 1426
Dinus Mugellanus. 785
Diſcalcius Ottonellus. 976
Diſtelmejerus Lampertus. 910
Dobrocieſcius Nicolaus. 979
Doctorius Antonius Franciſcus. 808
Dodonæus Rembertus. 1283
Dörerus Andreas. 1345
Doldius Leonhardus. 1326
Dominicus Ludovicus. 1459
de Dominis Marcus Antonius, Archiep. 68
Donauer Chriſtophorus Sigismundus. 581
Donellus Hugo. 924
Dorſcheus Johannes Georgius. 615
Dorſtenius Philippus. 1268
Theodoricus. 1233
Douſa Janus. 967
Drachſtadius Fridericus. 950
Draco Johannes Jacobus. 1111
Draconites Johannes. 210
Dracus Franciſcus. 1490
Draxdorfius Johannes Chriſtophorus. 1160
Drelincurtius Carolus. 696
Dreslerus Michaël. 356
Dreſſerus Matthæus. 1504
Driedo Johannes. 165
Druſius Johannes. 1510
Dryander Johannes. 1246
Duarenus Franciſcus. 836
Dudithius Andreas. 913
Dugloſſus Johannes, Archiep. 22
Dürer Albertus 1439
Dürfeldius Chriſtophorus. 892
Dürnhoferus Laurentius. 287
Dulcis Ludovicus. 1463
Duncanus Martinus. 279
Duns Scotus Johannes. 1421
Dunte Ludovicus. 483
Duppa Brianus. 631
Durandus Guilielmus. 783
Durantus Joh. Stephanus. 911
Duretus Ludovicus. 1285

E.

Eberhardus Caſpar. 238
Eberlinus Georgius. 1354
Eberus Paulus. 219
Echtius Johannes. 1236
ab Eck Leonhardus. 826
Eckardus Henricus. 421
Melchior Sylveſter. 552
Eckerus Johannes Philippus. 1190
Eckoltus Amadeus. 1186
Edel Samuel. 562
Edo Hildericus. 307
Edoardus VI. Rex Angliæ. 735
Eglinus Raphaël. 414
Eguinarius. 824
Ehemius Chriſtophorus. 930

Ehinge-

Ehingerus Johannes. 230
Elias. 1542
Eigelmannus Martinus. 1044
Eiſenmenger Samuel. 1284
Elenus Hieronymus. 871
Ellingerus Andreas. 1279
ab Elz Jacobus. 46
Emmius Ubbo. 1520
Enkevortius Guilielmus, Card. 27
Enzlinus Matthæus. 938
Eobanus Helius. 1444
Epiſcopius Simon. 502
Epiſcopus Melchior. 378
Ludovicus. 550
Epo Boëtius. 947
Eraſmus, Epiſcop. Argent. 215
Roterodamus. 1443
Eraſtus Thomas. 1280
Erbarus Uldaricus. 1217
Ericus, Daniæ Rex. 727
Erneſtus Chriſtianus. 666
III. Dux Saxoniæ. 761
Erpenius Thomas. 1517
Erythræus Valentinus. 1451
Eſchius Nicolaus. 246
Eſpenæus Claudius. 226
Eſpinacus Petrus. 308
Eſthius Lubertus. 1320
Eſtius Guilielmus. 371
Everhardus Nicolaus. 811
Eulenbecius Daniel. 935
Expillius Claudius. 1074
Eymericus Nicolaus. 82

F.

Faber Ægidius. 97
Jacobus. 149
Johannes. 367
Sigiſmundus. 682
Vitus. 894
Petrus. 950
Hubertus. 1254
Franciſcus. 1295
Philippus. 1525
Fabianus Caſpar. 887
Fabri Johannes. 800
Fabricius Johannes. 177.714
Statius. 556
Andreas. 957
Johannes Baptiſta. 992
Henricus. 1326
Hieronymus. 1362
Jacobus. 1379
Simon. 1487
Johannes Georgius. 1405
Facius Julius. 222
Fäſchius Johannes Jacobus. 1120
Remigius. 1175
Fagius Paulus. 154
Fairclough Daniel. 518
Falcknerus Henricus. 851
Fallopius Gabriel. 1253
Farellus Guilielmus. 205
Farinacius Proſper. 998
Farneſius Alexander, Cardin. 54
Faſchius Auguſtinus. 626
Fauſtus Johannes. 1424
Fayus Jacobus. 921
à Feilitſch Johannes. 1072
Felwingerus Johannes Jodocus. 1198
Fendius Melchior. 1254
Ferdinandus I. Rom. Imper. 737
Ferdinandus Johannes. 293
Ferinarius Johannes. 1506
Fernandus Carolus. 95
Fernelius Johannes. 1241
Ferrarius Johannes. 835
Joh. Matthæus. 1213
Octavius. 1540
Ferrerius Arnoldus. 912
Augerius. 1289
Ferronus Arnoldus. 847
Ferrus Galeottus. 998
Ferus Johannes. 161
Feuguerus Guilielmus. 367
Feurbornius Juſtus. 584
Fibigius Gotfridus. 1105
Fichardus Johannes. 884
Ficinus Johannes. 808
Fienus Thomas. 1360
Fincelius Jobus. 1259
Finckelthuſius Laurentius. 971
Finckius Thomas. 1383
Firmanus Hannibal. 181
Fiſcherus Johannes. 109
Samuel. 313
Chriſtophorus. 1020
Fiſchetus Melchior. 1326
Flachius Jacobus. 1326
Flaminius Nobilius. 276
Fleiſhauer Auguſtus. 719
Flinſchbachius Cunmannus. 226
Finckius Caſpar. 448
Florens Jacob. 291
Florentia Hieronymus. 310
Florus Nicolaus. 268
Floſculus Johannes Georgius. 981
Fludd Robertus. 1342
Foëſius Anutius. 1296
Folengius Johannes Baptiſta. 180
Theophilus. 1449
de Foliis Henricus. 697
Fomannus Ortolphus. 1065.1094
Fonſeca Petrus. 309
Forerius Franciſcus. 245
Petrus. 462
Foreſtus Petrus. 1299
Forſterus Johannes. 172.371
Valentinus. 980.1084
Elias. 1042
Forſtius Antonius. 601
Fortecia Alexander. 993
de Foſcararis Ægidius. 784
Foſſius Deſiderius Johannes. 306
Foxius Paulus, Archiep. 49
Foxus Johannes. 269
Fracaſtorius Hieronymus. 1234
Frambeſarius Nicolaus Abraham. 1296
Franchinus Franciſcus. 1455
Franciſcus I. Galliæ Rex. 733
Johannes. 1280
Francowitzius Matthias. 236
Frantzkius Georgius. 1149
Francus Gregorius. 554
Hieronymus. 971
Franzius Wolffgangus. 440
Fraſcata Gabriel. 1280
Frauenburgius Joh. Gerhardus. 1055
Frechtus Martinus. 171
Freherus Marquardus, J. C. Pater. 954
Fil. J. C. 1002.
Paulus. 1042
Marquardus, Pater, Med. 1214
Fil. Med. 1222
Freigius Joh. Thomas. 889
Freinshemius Johannes. 1548
Freisleben Henricus. 658
Freitagius Johannes. 1371.1383
Freywaldus Georgius. 1096
Fridericus II. Dan. Rex. 739
III. Septemvir Palat. 752
Fridſchius Auguſtinus. 982
Frigimelica Franciſcus. 1244
Friſchlinus Nicodemus. 1483
Friſius Johannes. 859
Chriſtianus. 1009.1092
Frölichius Georg Ludovicus. 991
Fromholdus Johannes. 1133
Frommann Andreas. 657
Froſchelius Sebaſtianus. 223
Fuchſius Leonhardus. 1257
Johannes Georg. 602
Fugger Jacobus. 764
Hieronymus. 765
Antonius. 766
Georgius. 768
Johannes Jacobus. 769
Huldricus. 769
Marcus. 770
Octavianus II. 770
Chriſtophorus. 771
Philippus Edoardus. 771
Fürerus Chriſtophorus. 1132
Fuirenius Georgius. 1353
Henricus. 1385
Fürſtenbergerus Philippus. 819
Fulda Andreas. 301
Fulginas Gentilis. 1207
Fulgoſius Raphaël. 794
Fumeus Antonius. 881
Funccius Johannes. 211
Fuſchius Remaclus. 1287

G.

Gagliardus Achilles. 347
Gailius Andreas. 908
Galateus Antonius. 1214
Galeacius, Princeps Mediol. 745
Galenus Matthæus. 231
Galilæus Galilæi. 1536
Gallia Lanciarottus. 935
Galliculus Joachimus. 651
Gallus Jodocus. 100
Nicolaus. 223
Carolus. 383
Philippus. 384
Jacobus. 1020
Alexander. 1099

Gamachæus Philippus. 423
Gambarutus Nicolaus. 800
Tiberius. 1037
Gamundianus Vitus Miletus, 327
Ganſfortius Joh. Weſſelus. 1431
de Garbo Dinus. 1207
Garetius Johannes, 225
Garſias Arias. 179
Franciſcus. 268
Gaſto Flaminius. 1339
de Gaulâ Johannes. 77
Gauricus Pomponius. 1448
Lucas. 1458
Gawerus Johannes, 88
Gaza Theodorus. 1428
Gebhardus Janus. 1527
Geilerus Johannes. 98
Geizkofler Ferdinandus. 776
Gelchsheimerus Johannes. 1152
Geldenhauer Gerhardus, 1516
Gellius Johannes Baptiſta. 1464
Gemma Friſius. 1239
à Gemmingen Uriel, Archiep. 23
GenebrardusGilbertus,Archiep.59
Gennepius Andreas. 1260
Gentianus Hervetus. 257
de S. Georgio Johan. Antonius. 23
Georgius Marcus. 227
Dux Brunsvic. 257
Gerardus Magnus. 80
Andreas. 198
Gerbelius Nicolaus. 842
Gerhardus Johannes. 467
Joh. Erneſtus. 675
Hieronymus. 867
Gerlachius Stephanus. 364. 1547
Gernlerus Lucas. 711
Gerſon Johannes. 86
Gerſtenbergerus Marcus, Pater. 997
Filius. 1069
Gerſtmannus Martinus. 896
Sebaſtianus. 955
Gertnerus Vitus. 1374
Geruſus JohannesLeonhardus.293
Geſnerus Salomon. 332
Conradus. 1255
Geuderus Philippus. 886
Geygerus Daniel, 1394
Ulricus. 1316
Ghilinus Camillus. 812
Gibonus Johannes. 272
Giſanius Hubertus. 966
Gigas Johannes. 250
Gilbertus Magnus, Monachus. 77
Giraldus Johannes Baptiſta. 1267
Giſelinus Victor. 1278
Glæſer Enoch. 1184
à Glano Johannes. 367
Glaſerus Fridericus. 379
Philippus. 955
Glaſſius Salomo. 590
à Glauburg Jacobus Marquardus. 1115
Glodenſtede Helmondus, 1211
Gobelinus Perſona. 86
Goblerus Juſtinus. 853
Gockelius Balthaſar. 593
Goclenius Rudolphus. 1514. 1522
Godelmannus Joh. Georgius. 987
Godeſchalcus Roſemundus. 103
Godwinus Thomas. 281.496
Gœckhuſius Samuel. 1147
Gœddeus Johannes. 986
à Göden Franciſcus. 383
Henningus. 805
à Goës Damianus. 1451
Goldbeckius Andreas. 981
Goldmayer Andreas. 1551
Goltzius Hubertus. 1477
Gomarus Franciſcus. 490
Gommershall Robertus. 523
Gometius Franciſcus. 244
Gopitus Jacobus. 1246
Gordinus Bernhardus. 1207
Gorræus Johannes. 1275
Gorſcius Jacobus. 896
Goslcius Laurentius, 927
Goſſelinus Julianus. 906
Gothofredus Dionyſius. 1034
Jacobus. 1121
Goveanus Antonius. 848
Manfredus. 992
Græfinthalius Chriſtianus. 1049
Grammanus Nicolaus. 317
Granatenſis Ludovicus. 275
GraphæusCorneli9Scriboni9.1458
Graſeckius Paulus. 966
Graſerus Conradus. 374
Graſſerus Joh. Jacobus. 432
Gratarolus Guilielmus. 1552
Gratianus, Monachus. 74
Grauerus Albertus. 394
Gravius Henricus. 284
Wolffgangus. 980
Ludovicus. 1334
Johannes. 1537
Gregorius XIII. Pont. Max. 8
XIV. Pont. Max. 10
Gregorii Johannes. 523
Greifius Friderius. 1407
Greiner Johannes Philippus. 1120
Grempius Ludovicus. 890
Greſelmundus Theodorus. 1214
Gretzerus Jacobus. 430
Greve Henricus. 803
Grevinus Jacobus. 1263
Grillus Angelus. 446
Grindallus Edmundus, Archiep. 48
Groſſerus Matthæus. 464
Grotius Johannes. 983
Cornelius. 985
Hugo. 1103
Grudius Nicolaus. 861
Grundherr Ulricus. 1141
Grundlerus Edoardus. 1237
Grunerus Victorinus. 904
Grunradus Otho. 369
Gruterus Janus. 1521
Gryllus Laurentius. 1250
Grynæus Thomas. 202
Simon. 1446
Johannes Jacobus. 391
Samuel. 600. 946
Gryphiander Johannes. 1130
Gualdus Paulus. 1032
Joſephus. 1095
Gualperius Otto. 1486
Gualterus Rudolphus. 267
Balthaſar. 489
Guainerius Antonius. 1212
Guarinonius Chriſtophorus, 1304
Guarinus Johannes Baptiſta, 1509
Gudelinus Petrus. 1027
de Guevara Antonius. 117
Guicciardinus Franciſcus. 1444
Guilandinus Melchior. 1260
Guilielmus Pariſienſis Epiſc. 77
Guinterius Johannes. 1269
Gumpelzheimer Eſaias. 1155
Guttenberg Johannes. 1424
Gutzmannus Ludovicus. 332

H.

HAaſeckus Antonius. 263
Habermannus Johannes. 280
Hackelmanng Leopold. 1026
Hackspahn Theodoricus. 1547
Hadrianus VI. Pont. Max. 4
Hänichius Daniel. 402
Haſenrefferus Matthias. 400
Haſnerus Sigismundus. 1064
Hahnius Philippus. 386
Henricus, 1182
Hainius Samuel. 576
Hainlinus Sebaſtianus. 1394
Hakewill Georgius. 536
Halbritterus Johannes. 939
Joh. Georgius, 1114
Hallerus Bertholdus. 110
Johannes Albertus. 1155
Haloander Gregorius. 811
Halowinus Georgius. 817
Halverius Chriſtianus. 249
Halwilius Joh. Rudolphus. 103
Hambergerus Georgius. 1297
Hammond Henricus. 619
Happelius Wigandus. 861
Harbardus Burchardus. 374
Hardinus Dionyſius. 969
Harprechtus Johannes. 939. 1090
Harphius Henricus. 90
Harsdörfferus Georg. Philippus, 1147
Hartmannus Joh. Georgius. 623
Joh. Ludovicus. 721
Johannes. 1349
Hartmanni. 823
Hartungus Johannes. 1474
Haſebart Jacobus. 424. 1322
Haslerus Joh. Leo. 1507
Haſſelius Johannes. 162
Havenreuterus Sebaldus. 1290
Johannes Ludovicus. 1349
Havenſius Arnoldus. 30
Hauſſius Georgius. 613
Havræus Johannes. 1043
Hebenſtreit Joh. Baptiſta. 1288
Hedenus Johannes Conradus. 658
Hedio Caſparus. 158
Heerbrandus Jacobus. 311

Heering Juſtus Daniel. 545
Heermannus Johannes. 532
Heffnerus Matthæus. 450
Heher Georgius Achatius. 1177
Heidenius Fabianus. 519
Caſpar. 1050
Heider Valentinus. 1167
Heigius Petrus. 947
Heilandus Marcus. 152
Polycarpus. 1159
Samuel. 1486
Heilbrunnerus Philippus. 383
Jacobus. 399
Joh. Fridericus. 682
Heimburgius Gregorius. 795
Heincenbergerus Johannes. 885
Heinrici Daniel. 656
Heinſius Simon. 101
Daniel. 1539
Heiſtermannus Antonius. 1023
Heldingus Michaël. 187
Heliæ Conradus. 86
Hellerus Joachimus. 1460
Helmontius Joh. Baptiſta. 1374
Helvicus Chriſtophorus. 393
Helwigius Johannes. 1414
Hemmingerus Sebaſtianus. 439
Hemmingius Nicolaus. 312
Henricus VIII. Rex Angliæ. 734
Portugalliæ Rex & Cardin. 739
Hentenius Johannes. 211
Herbergerus Valerius. 436
in Herberſtein Sigismundus. 766
Herdenius Helfricus. 274
Herdeſianus Chriſtophorus. 898
Joh. Chriſtophor. 1030
Juſtinus. 1108
Heresbachius Conradus. 870
Herlicius David. 1360
Hermannus Zacharias. 466
Hermolaus Barbarus. 1431
Hermsdorffius Jacobus. 510
Herpterus Joh. Chriſtophorus. 1135
Hervetus Gentianus. 257
Heshuſius Tilemannus. 274
Heſſelius Johannes. 212
Heſſius Franciſcus. 1071
Heſſus Johannes. 148
Hettenbachius Georgius. 1066
Erneſtus. 1336
Heurnius Johannes. 1307
Otto. 1341
Heuslerus Matthæus. 1253
Heusnerus Sigismundus. 1102
Heylin Petrus. 631
Hielius Laurentius. 1259
Hieronymus Pragenſis. 84
Hildanus Guilielmus Fabritius. 1365
Hildericus Edo. 307
Hilligerus Oswaldus. 1024
Hiltenius Johannes. 97
Himmelius Johannes. 497
Hinckelmannus Petrus. 412
Hitzlerus Georgius. 1485
Hobbes Thomas. 1559
Hochfelderus Paulus. 952
Hochmannus. 963
Hoë Matthias. 517
Höpfnerus Henricus. 498
Hofchelius David. 1511
Hofferus Johannes. 893
Hofmannus Chriſtophorus. 239
Liborius. 947
Joh. Jacobus. 1101
Caſpar. 1375
Hofſtadius Adrianus. 306
Hogerbetius Petrus. 1303
Hohenbuch Alexander. 1020
Hollandus Thomas. 363
Hollerius Jacobus. 1251
Hollius Philippus. 585
Hieronymus. 607
Holmannus Johannes. 267
Holzachius Eucharius. 1239
Holyoke Franciſcus. 571
Hommius Feſtus. 494
Hooperus Johannes. 163
Hoornbeck Johannes. 654
Hopperus Joachimus. 872
Horn Robertus. 271
Hornejus Conradus. 548
Horneck Burckardus. 1218
Hornickius Paulus. 1160
Johannes. 1553
Hornigius Paulus. 1165
Hornius Conradus. 631
Georgius. 1066
Hornmoldus Samuel. 953
Hornſchuch Hieronymus. 1335
Horſtius Henricus. 1095
Gregorius, Pater. 1365
Filius. 1389
Hortenſius Lambertus. 1472
Hoſius Stanislaus, Card. 45
Hoſpinianus Johannes. 237
Hoſpitalius Michaël. 865
Hotomannus Franciſcus. 916
Hottingerus Joh. Henricus. 667
Hovius Matthias, Archiep. 67
ab Hoya Johannes. 768
Huberus Samuel. 286
Petrus. 492. 699
Johannes. 1264
Hubnerus Matthias. 1002
Hutſon Michaël. 540
Hugo Carenſis, Card. 14
Hülſemannus Johannes. 624
Hülſius Achatius. 1000
Humeredus Laurentius. 275
Hummelius Johannes. 1239
Huninga Johannes. 1055
Hunnæus Auguſtinus. 1474
Hunnius Ægidius, Pater. 323
Filius. 498
Martinus. 1221
Nicolaus. 506
Huraltus Philippus. 947
Huſanus Henricus. 908
de Huſen Tilemannus. 156
Huſſus Johannes. 83
Huttenus Ulricus. 806
Hutterus Leonhardus. 386
Hutton Thomas. 478

I.

JAcchæus Gilbertus. 1353
Jackſonius Thomas. 487
Jacobus II. Archiep. 23
de altâ Villâ. 79
Angliæ Rex. 741
Valachiæ Princeps. 749
Jahn Salomo. 988
Jameſius Richardus. 477
Janidlovius Jacobus. 1028
Janſenius Cornelius. 240
Janus Chriſtianus. 460
Elias. 1023
Jaſon Maynus. 804
Jegerus Claudius. 479
Jeniſch Paulus. 541
Jerſinus Joh. Dionyſius. 455
Im Hof Georgius. 150
Hieronymus. 1181
de Imola Johannes. 792
Imperialis Johannes Baptiſta. 1347
de Indagine Johannes. 101
ab Ingen Marſilius. 94
Ingoldus Franciſcus Rudolph. 1097
Ingolſtetterus Johannes. 1340
Ingraſſius Joh. Philippus. 1262
Innocentius IV. Pont. Max. 1
X. Pont. Max. 12
Joachimus Abbas. 76
Jobertus Laurentius. 1279
de Jode Gerardus. 1485
Johannes II. Archiep. 22
Johannes VI. Archiep. 41
Johannes Adamus, Archiep. 62
Johannes Daniæ Rex. 729
Johannes Galeacius, Med. Dux. 745
Joh. Fridericus, Elect. Sax. 748
Johannes Com. Pal. Princ. Simmerenſis. 749
Albertus, Dux Megapol. 752
Georgius, Elect. Brand. 756
Jonas Juſtus. 166
Jovius Paulus. 1454
Ipho vel Ivo. 784
Irnerius ſive Wernerus. 781
Iſelinus Huldericus. 848
de Iſernia Andreas. 786
ab Iſſelt Michaël. 303
Judex Matthæus. 202
Ivellus Johannes. 226
Julius Dux Brunſv. 755
Zum Jungen Joh. Maximilianus. 1114
Jungermannus Ludovicus. 1381
Jungius Adrianus. 347
Junius Franciſcus. 322. 1154
Melchior. 993. 1498
Hadrianus. 1270
Juſtinianus Auguſtinus. 100
Juſtus Henricus. 1413

K.

KAas Nicolaus. 932
Karncovius Stanisl. Archiep. 61
à Kempis Thomas. 92

Ooo ooo ooo 2 Kendall

Kendall Georgius. 638
Kentmannus Johannes. 1253
Keſslerus Andreas. 507
à Kettenheim Joh. Philippus. 957
Killingerus Jacobus. 1106
Kipſius Jacobus. 973
Kirchbergerus Chriſtophorus. 637
Joh. Henricus. 1363
Kirchnerus Timotheus. 270
Hermannus. 1514
Kirſtenius Petrus. 1370
Georgius. 1387
Kitzlerus Johannes. 1048
Kitzsher Johannes. 802
Klainavius Johannes. 321
Kleinius Joachimus. 633
Klock Caſpar. 1142
Knopperus Albertus. 874
Kobius Johannes. 1156
Köbererus Emericus. 595
König Georgius. 575
Joh. Fridericus. 645
Chilianus. 808
Kolbius Eberhardus. 480
à Koſeritz Abrahamus. 1079
Daniel. 1084
Kragius Andreas. 1306
Krakewitzius Bartholdus. 500
Kreiſelmannus Johannes. 1152
Krembergius Chriſtianus. 1062
Kreſs Antonius. 800
Jodocus Chriſtophorus. 1162
Kromayerus Johannes. 509
Hieronymus. 698
Krugerus Bartholomæus. 1330
Kucborſcius Valentinus. 232
Kuchlinus Johannes. 337
Kuſnerus Johannes. 610
Kühlewein Fridericus. 1161
Kunadus Andreas. 630

L.

LAcuna Antonius. 1233
Lælius Laurentius. 456
à Lärbach Reinhardus Heinricus. 1013
Lætus Petrus. 1303
Julius Pomponius. 1427
Lago Urne. 809
Lambertinus Joh. Baptiſta. 1055
Lambertus Franciſcus. 104
Lamparter Gregorius. 807
Lampſonius Dominicus. 1493
Lancilottus Cornelius. 416
Landus Baſſianus. 1252
Langbainius Gerardus. 595
Langius Matthæus, Archiep. 29
Chriſtianus. 597. 1392
Samuel. 672
Johannes. 825. 1257
Nicolaus. 1100
Chriſtophorus. 1188
Carolus. 1468
Langtonus Stephanus, Epiſc. 76
Lanovius Franciſcus. 922
Lanſius Thomas. 1146
à Lapide Cornelius. 430
Eitelwolff. 803
Lappius Nicodemus. 639
Laſcares Johannes. 1430
Laſcius Johannes, Archiep. 27
Laſcus Johannes. 182
Laterna Martinus. 306
Latermann Johannes. 1143
Latimerus Hugo. 167
Latinus Latinius. 288
Latomus Jacobus. 117
Johannes. 248. 311
Bartholomæus. 851
Lavaterus Ludovicus. 262
Laubius Georgius. 1300
Laubmarius Andreas. 938
Laud Wilhelmus. 514
Laureus Johannes Vincentius, Cardin. 56
Laurenbergius Jacobus Sebaſtianus. 1189
Laurentianus Laurentius. 1215
Andreas. 1323
Lautenbach Conradus. 290
Lauterbachius Johannes. 931
Lawvenze Thomas. 599
Laynetz Jacobus. 204
Lazarus Petrus Antonius. 1055
Lazius Wolffgangus. 1256
Lebeus Dionyſius. 949
Lederer Michaël. 1071
Ledesma Jacobus. 235
Legionenſis Ludovicus. 297
Lehmannus Petrus. 1022
Leinatius Joh. Stephanus. 239
Leitersberger Joh. Sebaſtianus. 1111
Lemnius Levinus. 1245
Lenſæus Johannes. 287
Lentzius Salomo. 533
Johannes. 1045
Fridericus. 1148
Johannes Caſpar. 1178
Leo X. Pont. Max. 3
Leo Judæ. 115
Antonius. 1031
Ambroſius. 1218
Leonicerus Nicolaus. 1220
Leoninus Elbertus. 946
Leonius Petrus. 1212
Leoniſſa Jacobus. 797
Lersnerus Johannes. 825
Jacobus. 881
Chriſtophorus. 962
Hermannus. 998
Lesmus Martinus. 234
Leſſius Leonhardus. 417
Leuchterus Henricus. 418
de Leydis Philippus. 788
Libavius Andreas. 1334
Lieblerus Georgius. 1494
Lignonus Johannes. 789
Lilia Petrus. 339
Limmerus Johannes. 924
Linacer Thomas. 1219
Linckius Samuel. 589
Lindanus ~~Johannes Antonius~~. 1345
Lindemannus Caſparus. 1223
Lindenmayerus Chriſtophorus. 663
Lindershauſen Johannes. 989
à Linſchoten Joh. Hugo. 1506
Lippius Johannes. 366
Lippomannus Aloyſius. 178
Lipſius Martinus. 164
Juſtus. 1501
Livinejus Johannes. 1494
Loaiſa Garſias, Archiep. 60
Loarte Caſpar. 252
Lobechius David. 326
Lobelius Matthias. 1335
Lobwaſſerus Ambroſius. 896
Locamerus Georgius David. 1077
Locatellus Ludovicus. 1385
Löfenius Michaël. 1029
Lönerus Joſua. 292
Lojola Ignatius. 169
Lombardus Petrus, Epiſc. 76
Longolius Gisbertus. 1227
Chriſtophorus. 1438
Lonicerus Johannes. 218
Adamus. 1285
Lorichius Johannes. 858
Loſeus Alexander. 861
Lotharingus Carolus, Card. 42
Lotichius Petrus. 213
Chriſtianus. 214
Secundus. 1249
Lubiensky Stanislaus. 485
Lubinus Eilhardus. 410
Lucanus Johannes. 845
David. 918
Lucas Franciſcus. 401
Lucatellus Euſtachius. 232
Lucena Johannes. 316
Lucius Johannes Jodocus. 1329
Ludovicus. 1536
Ludovicus VI. Elect. Palat. 754
Princeps Anhaltinus. 758
Ludovicus Henricus. 1330
Ludwell Wilhelmus. 1162
Luſtius Petrus. 797
Lütkemannus Joachimus. 583
Lullius Raymundus. 1208
Lupichius Georgius. 290
Lupſetus Thomas. 108
Luſitanus Amatus. 1230
Lutherus Martinus. 118
Paulus. 1294
Lycoſthenes Conradus. 189
Lydiat Thomas. 523
Lyfort Guilielmus. 571
Lymvicus Andreas. 1313
Lyranus Nicolaus. 78
Lyſerus Polycarpus, Pater. 355
Filius. 452
Wilhelmus. 542

M.

MAchabæus Johannes. 174
Chriſtianus. 305
Machiavellus Nicolaus. 1440
Madridius Chriſtophorus. 231
Madrucius Chriſtophorus, Card. [illegible]
Mævius Tobias. 10[illegible]
Maffæus Johannes Petrus. [illegible]26
Raphaël. 1438
Bernardinus, Card. 35

Magalh-

Perizonius Chriſtianus. 1379
Perkinſus Guilielmus. 323
Perottus Nicolaus, Archiep. 21
Perpinianus Petrus Joh. 222
Perrenotus Antonius, Card. 54
Nicolaus. 824
Perſona Gobelinus. 86
Perſonius Robertus. 274
Petitus Samuel. 510
Petrarcha Franciſcus. 1422
Petræus Nicolaus. 456
Henricus. 916.1342
Petricius Sebaſtianus. 1324
Petri Laurentius & Olaus. 104
Andreas. 1270
Peucerus Caſpar. 1311
Peutingerus Conradus. 823
Pfanzhartus Bernhardus. 1031
Pfauſerus Johannes. 216
Pfeffinger Johannes. 232
Pfeil Johannes. 1228
Pfulmannus Johannes. 346
Pheiffius Daniel. 634
Philander Guilielmus. 1461
Philaretus Gilbertus. 1259
Philelphus Franciſcus. 1429
Philocapella Matthæus. 1460
Philippus Landgravius Haſſiæ. 749
II. Dux Pomer. 756
Philippi Johannes. 1203
Philpotus Johannes. 167
Phrygio Paulus Conſtantinus. 115
Piccartus Joh. Andreas. 658
Michaël. 1514
Piccolomineus Alexander. 45.1473
Franciſcus. 1498
Picherellus Petrus. 276
Pictorius Gregorius. 1261
Pierius Urbanus. 384
Valerianus. 1456
Pigius Albertus. 1447
Pigorius Laurentius. 1526
Pilsnenſis Martinus. 284
Pinarius Gondiſalvus. 853
Pincier Johannes. 1305
Pineda Johannes. 309
Pinellus Lucas. 292
Joh. Vincentius. 1495
Pingitzerus Virgilius. 1025
Pingonius Philibertus. 769
Pirminius Achilles. 1275
Piſanus Alphonſus. 302
Piſcator Petrus. 358
Johannes 426
Piſo Guarinus. 926
Piſtorius Johannes. 848.974
Simon. 846
Modeſtinus. 848
Pitiſcus Bartholomæus. 370
Pithœus Petrus. 937
Pius II. Pont. Max. 2
Albertus. 809
Placius Conradus Wolffgang. 9.245
Planerius Andreas. 1321
Planerus Johannes. 1263
Plantinus Chriſtophorus. 1482
Plateanus Theodorus. 1323
Platerus Felix. 1333
Thomas. 1355
Platina Bartholomæus. 1428
Plato Matthias. 390
Platus Hieronymus. 286
Plumatius Bernhardus. 1216
Plumius Claudius. 1113
à Pölnitz Bernhardus. 1050
Pœmerus Bartholomæus. 921
Jacobus. 977
Albertus. 1136
Hector. 1142
Joh. Jacobus. 1189
Poggius Joh. Franciſcus. 1424
Pola Franciſcus. 1038
Polancus Johannes. 244
Polanus Amandus. 357
Polantus Vitus. 862
Polcaſtrus Sigiſmundus. 1210
Politianus Angelus. 1432
Politus Hadrianus. 803
Pollichius Martinus. 1217
Pollio Lucas. 256
Polonus Martinus, Archiep. 14
Polus Reginaldus, Card. 38
Polyander Johannes. 484
Pommerus Jonas. 1116
Pomponatius Petrus. 1441
Pona Franciſcus. 1342
Poncettus Mauritius. 255
à Ponickau Rudolphus. 1029
Pontanus Jacobus. 273
Johannes. 1265
Ludovicus. 288
Nicolaus. 754
Ludovicus. 793
Gregorius. 833
Johannes Jovianus. 1433
Porſius Henricus. 980
Porta Joh. Baptiſta. 1510
Portnerus Petrus. 1154
Poſſevinus Antonius. 346
Poſtellus Guiliemus. 1474
Poſthius Johannes. 1298
Eraſmus. 1340
Potterus Chriſtophorus. 518
Pouchenius Levinus. 539
Povodovius Hieronymus, Archipresbiter. 65
Poynetus Johannes. 169
Præconius Octav. Archiep. 41
Prædinius Regnerus. 1458
Prætorius Abdias vel Godeſchalcus. 231
Hieronymus. 558
Bernhardus. 1011
Fridericus. 1098
Pragenſis Hieronymus. 84
Pratenſis Joh. Philippus. 1271
Prechterus Henricus. 988
Pregitzerus Joh. Ulricus. 588.702
Preibiſius Valentinus. 450
Johannes. 671
Chriſtophorus. 1117
Prenningerus Fridericus. 1034
Prevotius Johannes. 1361
Prezatus Gabriel. 1217
Prideaux Johannes. 550
Proles Andreas. 98
Prucknerus Paulus. 1031
Prueſchenk Zacharias. 1137
Prunæus Jacobus Billius. 251
Puchnerus Theodorus. 688
Pullenius Peregrinus. 350
Pulmannus Theodorus. 1483
à Puteo Jacobus, Card. 40
Puteanus Claudius. 934
Petrus. 1128
Erycius 15[illegible]
Putzius Henricus. 900
Pylander Georgius. 1227
Pynackerus Cornelius. 1101

Q.

à Quadra Alvarus. 847
Quærengus Antonius. 1062
Quainus Hieronymus. 252
Quarantoccius Michaël. 938
Queccius Gregorius. 1363
Quiſtellus Ambroſius. 150
Quiſtorpius Johannes. 538

R.

Rabelæſus Franciſcus. 1245
Rabellus Johannes. 321
Rabus Ludovicus. 285
Chriſtophorus. 1059
Georgius. 623
Radevitz Jacobus. 791
Räcknitz Gallus. 778
Raguſæus Georgius 1515
Rahnius Henricus. 1157
Raichspalt Petrus. 15
Ramdohor Andreas. 1145
Ramsdenus Henricus. 465
Ramus Johannes. 881
Petrus. 1467
Ranconetus Æmarius. 837
Raphaël Franciſcus. 328
Raphelengius Franciſcus. 1491
Rappoltus Fridericus. 719
Raſarius Joh. Baptiſta. 1276
Raſtallus Guilielmus. 849
Ratallerus Georgius. 883
Ratzevilius Nicolaus. 749
Rauchbar Hieronymus. 1130
Ravensbergerus Hermannus. 425
Raveſtein Jodocus. 223
Rauwolffius Leonhardus. 1288
Rebuffus Petrus. 838
Regius Urbanus. 112
Rehe Wilhelmus. 1360
Reichardus Daniel. 563
Reichshoferus Michaël. 1034
Reihing Jacobus. 431
Reinhardus Chriſtianus. 676
Elias Sigiſmundus. 695
Reinking Theodorus. 1167
Reinoldus Johannnes 343
Remondus Franciſcus. 245
Remus Georgius. 1042
Rengerus Michaël. 610
Rennerus Jacobus. 450
Joh. Georgius. 618
Rentzius Henricus. 318

Reſenius Joh. Pauli. 473
Petrus Joh. 1170
Reſcius Johannnes Johannis. 563
Revardus Jacobus. 856
Reudenius Ambroſius. 380
Reusnerus Nicolaus. 959
Bartholomæus. 1054
Jeremias. 1127
Reuterus Quirinus. 368
Gotfridus. 1066
de Reyger Arnoldus. 1006
Rhetius Johannes. 233
Rhoda Paulus. 194
Rhodingus Nicolaus. 248
Rhodius Ambroſius. 1363
Rhodomannus Laurentius. 1501
Rhumelius Johannes. 341
Joh. Conradus. 1389
Ribadeneira Petrus. 362
Ribera Franciſcus. 282
Riccobonus Antonius. 1493
Richardotus Franciſcus. 234
Richelieu Armandus Joh. Card. 70
Richterus Chriſtophorus. 516
Georgius. 1119
Chriſtoph. Philipp. 1202
Ricius Paulus. 1218
Ridlejus Nicolaus 166
Riednerus Johannes. 1545
Riemerus Valentinus. 1072
Rihelius Joſias. 942
Riminaldus Joh. Maria. 799
del Rio Martinus Antonius. 350
Johannes. 419
Riſius Joh. Henricus. 690
Rithovius Martinus. 257
Rittershuſius Conradus. 994
Nicolaus. 1192
Ritterus Mauritius. 1056
Riva Polidorus. 998
Rivetus Andreas. 530
Roaldeſius Franciſcus. 912
Robertus, Rex Neapol. 723
Robinſon Hugo. 581
Robortellus Franciſcus 1463
à Rochau Joh. Zacharias. 1138
Röberus Paulus. 555
Rötenbeccius Michaël. 1348
Röttingerus Sebaſtianus. 979
Roffredus. 782
Rogerius Bonifacius. 922
Rogerſius Johannes. 162
Rolevinck Wernerus. 94
Rolfink Guernerus. 1412
Rollocus Robertus. 304
Romanus Joh. Baptiſta. 282
Adrianus. 1334
Romerius Adamus. 382
Rondeletius Guilielmus. 1258
Ronſardus Petrus. 1478
Rorarius Georgius. 173
Roſa Johannes. 227. 697. 1373
Roſarius Hugo Sorellus. 229
Roſciatus Albericus. 787
de Roſenberg Conradus. 94
Roſenfeld Philippus. 635
Roſſelius Paulus. 419
Roſſignolius Bernardinus. 273
Roſtius Georgius. 413
Rota Michaël Angelus. 1390
Bernardinus. 1467
Roting Michaël. 356. 1481
Roxas Johannes. 334
Rubenius Philippus. 987
Rubeus Antonius. 274
Johannes Antonius. 822
Rubus Johannes. 294
Rudelius Johannes. 812
de Rudesheim Rudolphus 90
Rudinus Jacobus. 867
Rudolphi Caſparus. 1460
Rudolphus II. Rom. Imp. 740
Ruellius Johannes. 1223
Rugerus Johannes. 1060
Ruhelius Tiburtius. 1015
Rückerus Daniel. 651
Ruinus Carolus. 810
Rulandus Martinus. 1325
Rulichius Jacobus. 365
Rungius David. 329
Fridericus. 1143
Rupertus Monachus. 82
Rus Nicolaus. 100
Rusbroquius Johannes. 79
Ruſcellus Hieronymus. 1464
Rutgerſius Janus. 1041
Rutilius Martinus. 395
Martius. 862
Petrus Paulus. 940
Ryckelius Dionyſius. 91
Ryſſius Petrus. 1355

S.

SA Emanuel. 302
Sabbas Caſtilionæus. 830
Sabellicus Marcus Anton. 1434
Saccus Sigfridus. 301
Sachſius Philippus Jacobus. 1410
Sadeel Antonius. 283
Sadoletus Jacobus, Cardin. 31
Sätlerus Jacobus. 393
Sagittarius Joh. Chriſtfridus. 583
Saleſius Franciſcus. 415
Salicetus Bartholomæus. 791
Salkeldus Johannes. 478
Salmaſius Claudius. 1122
Salmeron Alphonſus. 292
Salmuth Henricus. 241
Johannes. 411
Salvianus Hippolytus. 1265
Sambucus Johannes. 1282
Sammarthanus Carolus. 824
Jacobus. 1350
Scævola. 1556
Sampſon Richardus. 161
Samſtagius Johannes. 458
Sanchez Caſpar. 282
Sanctius Petrus. 224
Sandæus Maximilianus 404
Sandeerus Laurentius. 163
Sanderſon Robertus. 628
Sandius Eduardus. 274
Sandovalius. 863
Sandyſus Edwinus, Archiep. 54
Sangelaſius Ludovicus. 909
Sannazarius Julius. 1036
Jacobus. 1441
Sanſonius Paulus. 411
Sanſovinus Franciſcus. 899
Sarcerius Eraſmus. 180
Sarmientus Franciſcus. 274
Sartorius Balthaſar. 353
Johannes. 1462
Sarracenus Johannes, Archiep. 59
Sasboldus Adamus 160
Sascerides Gellius. 1328
Saſcherus Nicolaus. 1277
Joh. Michaël. 1211
Savanorola Hieronymus. 95
Saubertus Johannes. 528
Savius Aurelius David. 847
Sauterus Caſpar. 330
Saxonia Hercules. 1321
Saxus Angelus. 1021
Scala Bartholomæus. 799
Scaliger Canis Princeps Veronæ. 744
Julius Cæſar. 1243
Joſephus Juſtus. 1505
Scaligius Paulus. 1466
Scardeonius Bernardinus. 1469
Scarga Petrus. 363
Scavenius Laurentius Martini. 579
Scepperus Cornelius Duplicius. 830
Schacherus Quirinus. 1176
Schardius Simon. 864
Scharſſius Johannes. 617
Schato Andreas. 1314
Scheckius Jacobus. 1287
Schefferus Guilielmus Erneſtus. 1400
Scheiblerus Chriſtophorus. 571
Scheida Johannes. 464
Schellerus Nicolaus. 859
Schenckius Fridericus. 882
Johannes. 1302
Euſebius. 1353
Joh. Theodorus. 1409
Schererus Volkmarus. 992
Georgius. 273
Scheurl Chriſtophorus. 821
Schickardus Wilhelmus. 1528
Schilterus Zacharias. 329
Schinella Comitius. 1521
Schleicher Daniel. 1156
Schleupnerus Chriſtophorus. 460
Schlickius Caſpar. 763
Schlotterbeccius Joſephus. 689
Schlüſſelburgius Conradus. 403
Schluterus Gothofredus. 1552
Schmalcalderus David. 1074
Schmidius Ulricus. 454
Johannes. 603
Daniel. 618
Joh. Rudolphus. 779
Wilhelmus. 1177
Eraſmus. 15[illegible]
Schmollius Matthæus. 712
Schmuckius. 438
Schneider Andreas. 403
Schneidewinus Johannes. 856
Henricus. 882
Guntherus. 966

Schnette

Magallanus Coſmas. 355
Maginus Johannes Antonius. 1513
Magirus David. 940
Johannes. 1489
Magiſter Ægidius. 845
Mahuſius Johannes. 246
Majerus Johannes. 244. 594
Gotſchalcus. 1073
Mainoldus Jacobus. 990
Major Georgius. 235
Johannes. 573
Johannes Tobias. 581
Majoragius Johannes Antoniꝰ. 1455
Majus Lucas. 304
Henricus. 345
Makdowell Guilielmus. 1131
Maldonatus Johannes. 255
Malmesberienſis Wilhelmus, Monachus. 73
de Malumbris Richardus. 785
Mamertus Bonaventura. 263
Manardus Johannes. 1223
Mangotius Jacobus. 907
Mannageta Joh. Wilhelmus. 1402
Mantica Franciſcus, Card. 66
Mantuanus Baptiſta. 1436
Manwarinus Rogerus. 566
Manutius Paulus. 1469
Aldus. 1491
Marbachius Johannes. 250
Philippus. 361
Marchtallerus Bartholomæus. 1159
Marcellus II. Pont. Max. 7
Marci Cornelius. 526
Joh. Chriſtophorus. 1199
Marcus Joſias. 948
Mareſius Samuel. 704
Mariana Johannes. 347
Marianus Scotus, Monachus. 73
Marillacus Carolus, Archiep. 39
Marinus Joh. Baptiſta. 1518
Marionus Simon. 969
Marius Salamonius. 809
Georgius. 1318
Adrianus. 856
Marlianus Johannes. 1211
Marloratus Auguſtinus. 191
Marnixius Philippus. 944
Marotus Clemens. 1449
Marſilius Ficinus. 1429
Marſtallerus Georgiꝰ Hieron. 1083
Gervaſius Sen. 1276
Martinengus Titus Proſper. 291
Martinez Ignatius. 304
Martini Jacobus. 546. 1539
Martinuſius Georgius, Card. 32
Martyr Petrus. 191
Martyrum Bartholomæus. 275
Marullus Michaël. 1432
Maſius Andreas. 864
Maſſa Nicolaus. 1245
Maſſaria Alexander. 1301
Maſſinus Philippus. 1012
Maſters Thomas. 510
Matheſius Johannes. 206
Mathiſius Corneliꝰ Henricus. 1220
Matthæaccius Angelus. 950
Matthæus Johannes. 274
Conradus. 882. 1370
Antonius. 1078
Blaſius. 1085
Philippus. 962
Petrus. 1036
Matthiæ Paulus. 279
Jacobus. 621
Matthias Corvinꝰ, Rex. Hung. 729
Chriſtianus. 554
Matthiolus Petrus Andreas. 1274
Maukiſchius Johannes. 692
Mauritius Caſpar. 711
Maximilianus I. Rom. Imp. 731
II. Rom. Imp. 738
Mayenſchein Lazarus. 1338
Majerus Johannes. 1557
Henricus. 1106
Mayrhoferus Matthias. 338
Mayronis Franciſcus. 78
Mayvartius Franciſcus. 1534
Mazarini Julius, Cardin. 71
Julius, Soc. Jeſu. 222
Mazzonius Jacobus. 1487
Mechovius Matthias. 1219
Meckbachius Wilh. Rudolphꝰ. 972
Mediarota Ludovicus, Card. 20
Medices Laurentius. 746
Medina Bartholomæus. 249
Meelführer Johannes. 489
Chriſtophorus. 635
Meelkerkius Adolphus. 926
Megabacchus Johannes. 1235
Mehlbomius Johannes. 1144
Meibomius Henricus. 1517
Mejerus Jacobus. 820
Meiſnerus Balthaſar. 428
Melanchthon Philippus. 183
Melerſtatt Martinus. 1215
Meliſſus Paulus. 1497
Meltius Ludovicus. 1019
Memmingerus Paulus. 1163
Memmius Henricus. 936
Mencelius Hieronymus. 278
Mendlinus Johannes. 1473
Mengering Arnoldus. 531
Menilius Baptiſta. 858
Menius Juſtus. 177
Menochius Jacobus. 973
Mentzerus Balthaſar. 433
Mercator Gerhardus. 1487
Mercatus Ludovicus. 1305
Merckius Andreas. 484
Mercurialis Hieronymus. 1319
Mercurius Hieronymus. 1310
Mergiletus Andreas. 1502
Merian Matthæus. 1541
Menius Arſenius. 1031
Mermannus Arnoldus. 248
Thomas. 1328
Merula Paulus. 1504
Meteranus Emanuel. 1507
Metzlerus Johannes. 817
Metznerus Leonhardus. 1052
Mevius David. 1193
Meuerus Michaël. 1302
Meurerus Wolffgangus. 1283
Meurerus Chriſtophorus. 1336
Meurſius Johannes. 1535
Meyerus Bartholomæus. 316
Wolffgangus. 567
Michaël Petrus. 294
Michaëlis Johannes. 1404
Michaëlius Johannes. 556
Micrælius Johannes. 556
Miegius Joh. Ludovicus. 1195
Miletus Vitus. 327
Milichius Jacobus. 1244
Henricus. 1284
Minadous Joh. Thomas. 1299
Miræus Johannes. 359
Aubertus. 1533
Mirandula Joh. Picus. 763
Joh. Franciſcus. 764
Mirica Andreas. 1284
Mirus Martinus. 288
Mirulæus Henricus. 1344
Mithobius Burchardus. 1255
Mizaldus Antonius. 1276
Modius Franciſcus. 1492
Möbius Gottfridus. 1396
Mögling Daniel. 1297
Moglinus Nicolaus. 1271
Mollerus Henricus 272
Möringius Philippus. 1121
Möſtlinus Michaël. 1489
de Moguncia Sigfridus. 93
Moibanus Ambroſius. 160
Johannes. 1251
Molanus Johannes. 262
Molina Ludovicus. 316
Molineus Petrus. 600
Carolus. 852
Molitor Chriſtophorus. 1558
Molſa Marius. 1448
Moltherus Johannes, Senior. 396
Junior. 1345
Mommorantius Franciſcus. 753
Monæus Joh. Conradus. 1108
Monachus Johannes. 948
Monaſterienſis Johannes. 1254
Monavius Jacobus. 964
Petrus. 1288
Monlucius Johannes. 246
Monnerus Baſilius. 853
Montacutius Jacobus. 397
Montagnana Bartholomæus. 1212
Montalbanus Ovidius. 1369
Montanus Philippus. 241
Petrus. 247
Paulus. 905
Michaël. 1024. 1486
Joh. Baptiſta. 1232
Johannes. 1316
de Monte Philippus. 1509
Montecalvus Jacobus. 1210
Vincentius. 1532
Monticulus Sebaſtianus. 887
Montius Paulus. 961
Montoya Alphonſus. 275
Mordeiſen Ulricus. 868
Morderus Joh. Adamus. 861
Morigius Paulus. 327
Moringus Gerardus. 171

by Google

Morlinus Joachimus. 224
Moronus Johannes, Card. 46
Morvillerius Johannes. 873
Morus Johannes. 286
Thomas. 813
Moſcatellus Jordanus. 447
Moſcheroſch Joh. Michaël. 1187
Mudæus Gabriel. 843
Mülbergius Johannes. 82
Mülichius Caſpar. 1358
Müllerus Wolffgang. Jacobus. 627
Samuel. 634
Jacobus. 679
Johannes. 707. 1110. 1170
Henricus. 714
Erneſtus. 1022
Vitus. 1490
Mülmannus Johannes. 373
Mülpfortius Wolffgangus. 1036
Münſterus Johannes. 1320
Sebaſtianus. 1453
Münzingerus Henricus. 1257
Mulerius Nicolaus. 1359
Petrus. 1375
Munſterus Sebaldus. 819
Muretus Marcus Antonius. 1477
Muſæus Simon. 243
Muſa Antonius. 148. 1225
Muſculus Wolffgangus. 196
Muſius Cornelius. 1467
Muſurus Marcus, Cardin. 25
Muſſus Cornelius. 233
Mutianus Conradus. 807
Myconius Fridericus. 147
Oswaldus. 157
Mylæus Johannes. 831
Mylius Georgius. 343
Cornelius. 1055
Valentinus. 515
Chriſtophorus. 1332
Antonius. 580
Arnoldus. 1500
Mynſingerus Joachimus. 909
Myslenta Cœleſtinus. 565

N.

NÆvius Johannes. 1268
Nagelius Georgius. 639
Nannius Petrus. 1456
Naſſerus Bartholomæus. 375
Natalis Hieronymus. 249
Navarrus Martinus. 902
Nauclerus Johannes. 1428
Naugerius Andreas. 1444
Navius Johannes. 822
Nauſea Fridericus. 154
Neander Michaël. 367. 1279
Nebriſſenſis Helius Antonius. 1448
Neoſtadius Cornelius. 971
Nerius Philippus. 294
Nervicius Martinus 255
Nezerus Johannes. 411
à Neſsâ Hajo. 1028
Netterus Thomas. 87
Neubergerus Theophilus. 584
Neuenhanus Henricus. 1064
Neuhauſerus Joachimus. 851
Nevianus Marcus. 1230
Neuſtetterus Eraſmus. 934
Neuzenus Sebaſtian. Auguſtus. 110
Nicholſon Guilielmus. 700
Nicolai Philippus. 351
Melchior. 614
Chriſtophorus. 1390
Nicolajus Antonius. 906
Nicolaus V. Pont. Max. 1
Niderſtetterus Michaël. 368
Niderus Johannes. 87
Niger Antonius. 1237. 1352
Hieronymus. 1305
Nigidius Petrus. 1475. 1497
Hermannus Petrus. 983
Nigrus Philippus. 846
Niphus Auguſtinus. 1221
Nobellus Alexander. 317
Nobilius Flaminius. 276
Nöslerus Georgius. 1376
Noldius Chriſtianus. 649
Nonius Petrus. 1274
Notterus Joh. Georgius. 479
Novicampianus Albertus. 175
Nudingus Georgius. 428
Nürnbergerus Joh. Euſebius. 601
Nymannus Gregorius. 1369

O.

OBrechtus Georgius. 991
Occam Wilhelmus. 78
Occo Adolphus. 1215. 1318
Octavianus Philippus. 909
de Oddis Nicolaus. 426
Oddus. 1240
Oddus Marcus. 1293
Odeſcalcus Petrus Georgius. 406
Odofredus. 783
Oecolampadius Johannes. 106
Oelhafius Nicolaus Hieron. 710
Sixtus. 818
Joh. Chriſtophorus. 1057
Tobias. 1174
ab Oldenbarnefeld Johannes. 1025
Oldendorpius Johannes. 854
Olearius Johannes. 416
Olevianus Caſpar. 268
Olivarius Franciſcus. 841
Olradus de Ponte. 785
Omphalius Jacobus. 859
Onuphrius Panvinius. 1464
Opitius Hieronymus. 245.
Joſua. 262
Martinus. 1087
Oporinus Johannes. 1465
Opſopœus Johannes. 1296
Simon. 1341
Oranus Johannes. 323
Orlandus Laſſus. 1487
Ortelius Vitus. 1264
Abrahamus. 1492
ab Ortenburg Antonius. 768
Orthius Henricus. 205
Wigandus. 210
Oſiander Andreas. 158. 391.
Lucas. 331
Oſius Felix. 1527
Oſorius Hieronymus. 246
Johannes. 289
Offatus Arnoldus, Card. 60
Oſtenfeld Chriſtianus. 1399
Oſterhauſen Joh. Joachimus. 1157
Othelius Marcus Antonius. 1050
Otho Joh. Jacobus. 681
Friſingenſis. 1419
Ottobonus Joh. Franciſcus. 869
Leonhardus. 1056
Marcus. 1093
Overburius Thomas. 997
Oxenſtirn Johannes. 778

P.

PAcæus Richardus. 108
Pacius Julius. 1069
Fabius. 1333
Paganus Petrus. 1472
Pagæus Guilielmus. 636
Pagetus Guilielmus. 847
Palæotus Gabriel, Card. 59
Palladius Petrus. 181
Pallantarius Hieronymus. 295
Pamelius Jacobus. 270
Pancetta Camillus. 447
Pancirollus Guido. 925
Pancratius Andreas. 243
Panigarola Franciſcus. 289
Pantinus Guilielmus. 1281
Pappus Johannes. 257
Parckerus Matthæus, Archiep. 44
Parentucellus Antonius Maria. 245
Pareus David. 413
Philippus. 501
Parſimonius Johannes. 275
Joh. Jacobus. 463
Parſons Bartholomæus. 492
de Partibus Jacobus. 1214
Paruta Paulus. 947
Paſor Matthias. 1545
Paſſæus Angelus. 300
Paſſeratius Johannes. 1497
de Paſſeribus Nicolaus. 1007
Marcus Antonius. 1452
Paternus Bernardinus. 1293
Patina Benedictus. 1275
Patritius Andreas. 889
Pavius Petrus. 1338
Paulinus Petrus. 238
Pauli Simon. 284. 1417
Adrianus. 3[illegible]
Nicolaus. 521
Benedictus. 828
Andreas. 918
Paulus III. Pont. Max. 5
IV. Pont. Max. 7
Venetus. 86
Paurmeiſterus Tobias. 978
Peckius Petrus. 915
Peireskius Nicolaus Claudius Fabricius. 1079
Pelletarius Jacobus. 1279
Pellicanus Conradus. 168
Peltanus Theodorus Antonius. 258
Pelyck Johannes. 80[illegible]
Perbonus Hieronymus. 819
Perca Johannes. 465
Peregrinus Marcus Antonius. 1011
Pereſius Antonius. 928

Perize-

Schnetterus Johannes. 300
Schöderlinus Elias Paulus. 660
à Schönfeld Georgius. 1006
Gregorius. 408
Schollius Johannes. 339
Scholtzius Laurentius. 1303
Schonæus Andreas. 1006
Cornelius. 1506
Schonerus Johannes. 1450
Schonfeldius Victorinus. 1293
Schoockius Martinus. 1552
Schopperus Andreas Ludovic. 1099
Jacobus. 285
Schoppius Caſpar. 775
Schorerus Chriſtophorus. 1408
Schottus Andreas. 1530
Schraderus Bernhardus. 1137
Schrammius David. 380
Schreccefuchſius Eraſmus Oswaldus. 1474
Schreiberus Sebaſtianus. 1074
Schröterus Jacobus. 994. 1102
Julius Erneſtus. 1184
Johannes. 1294
Philippus Jacobus. 1337
Joh. Fridericus. 1352
Schuelinus Joh. Joachimus. 602
Schütz Juſtus Sindt. 1146
Schulterus Joh. Florianus. 1105
Schultzius Georgius. 1068
Nicolaus. 1110
Schuppius Joh. Balthasar. 677
Schurffius Hieronymus. 831
Auguſtinus. 1229
Schuſterus Joh. Georgius. 1197
Schultzius Johannes. 259
Schwägerus Guilielmus. 444
Schwebelius Johannes. 112
Schweiggerus Salomo. [illegible]
Schwendendorfer Leonh. [illegible]
Schwenkfeldius Caſpar. [illegible]
Schwenterus Daniel. [illegible]
Scipio Gentilis. [illegible]
Scribanus Franciſcus. 352
Carolus. 445
Scriverius Petrus. 1541
Sculterus Abrahamus. 424
Johannes. 1374
Scultingus Cornelius. 328
Sebaſtianus Archiep. 35
Sebizius Melchior Pater. 1350
Filius. 1413
Sedulius Henricus. 408
Seidelius Zacharias. 457
Bruno. 1273
Seifartus Tobias. 641
Seilerus Georgius. 574
Seldius Joh. Chriſtophorus. 717
Georg. Sigismundus. 850
Selneccerus Nicolaus. 286
Seltenreich Samuel. 407
Semera Johannes. 787
Senenſis Hugo. 121
Sergius Jeremias. 1339
Sennertus Daniel. 1368
Septalius Ludovicus. 1364
Serarius Nicolaus. 253
Seraticus Alexander. 1269
Serinandus Hieronymus. 40
Severinus Petrus. 1310
Seuterus Wernerus. 348
Seyſelius Claudius, Archiep. 25
Sfortia Rudolphus. 1045
Siaſius Gerlacus. 712
Siberus Adam. 1477
Sichardus Johannes. 828
Siculus Nicolaus, Archiep. 18
Sigismundus Rom. Imp. 725
Siglitzius Johannes. 1343
Sigwartus Joh. Georgius. 398
Silbermannus Chriſtophorus. 358
Siliceus Joh. Martinus, Card. 38
S. Simeon Erem. 72
Simlerus Joſias. 242
Simonetta Jacobus, Card. 29
Simonius Petrus. 334
Sinapius Johannes. 1250
Sindringer Pleicardus. 828
Singlerius Martinus. 309
Sirletus Guilielmus, Card. 51
Sitzingerus Ulricus. 868
Sitzlinus Nicodemus. 406
Sixtinus Regnerus. 1014
Sixtus Senenſis. 215
Skelderupius Johannes. 252
Slangendorffius Joh. Olai. 301
Sleidanus Johannes. 1456
Slevogtius Paulus. 1543
Smetius Henricus. 1332
Smidenſtett Hartvicus 1488
Smirtzicius Alb. Joh. 771
Smith Milo. 862
Smithæus Richardus. 195
Smithus Thomas. 873
Snellius Rudolphus. 1508
Willebrodus. 1521
Snepffius Erhardus. 177
Theodoricus. 266
Snoyus Reinerus. 1224
Socinus Marianus. 832
Sohnius Georgius. 226
Solenander Reinerus. 1238
Solicovius Johan. Demetrius, Archiep. 60
Sonerus Erneſtus. 1327
Sonnius Franciſcus. 242
Sophardius Georgius. 150
Sorelus Hugo. 229
Sorianus Antonius. 98
Sotus Dominicus. 183
Petrus. 195
Soverus Bartholomæus. 1523
Spalatinus Georgius. 118
Spangenbergius Johannes. 154
Cyriacus. 328
Spanhemius Wigandus. 406
Fridericus. 543
Speccerus Melchior. 219
Tobia 414
Spenglerus Lazarus. 812
Spenlinus Georgius Albertus. 992
Speratus Paulus. 161
Sperlingius Paulus, Pater 488
Filius. 562
Speronius Speronus. 1481
Spigelius Jeremias. 471
Jacobus. 817
Adrianus. 1550
de Spinâ Petrus. 1345
Spindlerus Johannes 1553
Spinula Auguſtinus, Cardin. 28
Philippus, Cardin. 57
Stadmann Nicolaus. 973
Joh. Burcardus. 1087
Staphylus Fridericus. 199
Staupitzius Johannes. 102
Steinackerus Chriſtianus. 916
Steinbergius Johannes. 1133
Stella Eraſmus. 1219
Stemlerus Ludovicus. 618
Stempovius Paulus. 893
Stephani Joachimus. 1036
Stepnerus Bartholomæus. 614
Steward Richardus. 561
Steve Petrus Jacobus. 1278
Steuberus Johannes. 502
Stibarus Daniel. 832
Stillius Arnoldus. 1083
Stöfflerus Johannes. 1442
Stöſſelius Johannes. 240
Stolo Henricus. 173
Storckius Petrus. 1046
Strainius Richardus. 771
Strasburgius Paulus. 1136
Straubius Johannes. 1245
Strauchius Ægidius. 594
Johannes. 1091
Streitbergerus Johannes. 321
Aurelius. 364
Streithagius Petrus. 574
Streithius Wolffgangus. 864
Strigelius Victorinus. 217
Strigenitius Gregorius. 925
Stripenius Sebaſtianus 1115
Strobandus Henricus. 982
Strode Guilielmus. 515
Strómerus Johannes. 975
Henricus. 1218
Strozza Hercules. 1435
Cyriacus. 1461
Struppius Johannes. 1012
Struthius Joſephus. 1261
Struvius Georgius Adamus. 1154
Stuckius Joh. Guilielmus. 344
Johannes. 1132
Stumphius Johannes 451
Stupanus Joh. Nicolaus. 1344
Sturcius Georgius. 1228
Sturio Johannes. 188
Sturmius Wenceslaus. 310
Hubertus. 446
Caſparus. 407
Ludovicus. 1262
Johannes. 1482
Jacobus. 829
Styrzelius Joh. Georgius. 1184
Suaningius Johannes. 647
Suarezius Cyprianus. 282
Franciſcus. 387
Suarinus Abrahamus. 381
Suavenius Petrus. 827

Sudorius

Sudorius Nicolaus. 932
Suevus Johannes. 1069
Gotfridus. 1150
Sulcerus Simon. 261
Summerhardus Conradus. 99
Surgerius Franciſcus. 292
Surius Laurentius. 247
Suttonus Thomas. 989
Sydnejus Heinricus. 904
Philippus. 904
Sylvagius. 804
Sylvaticus Bartholomæus. 962
Sylvius Michaël, Cardin. 37
Antonianus, Cardin. 61
Jacobus. 1236
Synningius Janus Andreæ. 172
Syrothius Emeranus. 1196
Szegedinus Stephanus. 228

T.

Tabernæmontanus Jacobus
Theodorus. 1292
Tagliacotius Caſpar. 1303
Tandlerus Tobias. 1338
Tannerus Daniel. 527
Tapperus Ruardus. 178
de Taranta Valeſcus. 1211
Tarnovius Johannes. 442
Comes. 767
Paulus. 453
Tartagnus. 798
Tartalea Nicolaus. 1459
Taſſus Torquatus. 1488
Taubmannus Chriſtianus. 1118
Fridericus. 1508
Taufrerus Johannes. 392
Tobias. 1365
Taulerus Johannes. 79
Taurellus Nicolaus. 1320
Taylor Jeremias. 672
Teleſius Bernardinus. 1480
Tellerus Abrahamus. 607
Terentianus Terentius. 916
Terentius Alexander. 406
Tetzel Johannes Jacobus. 1106
Teubelius Henricus. 570
Teuberus David. 381
Michaël. 903
à Teutleben Caſpar. 1051
Thaddæus Florentinus. 1207
Thaurerus Mauritius. 1259
Thealdinus Clemens. 871
Theobaldus Zacharias. 429
Theodoricus Monachus. 72
Stephanus. 338
Petrus. 1094
Theodorus Vitus. 153
Theophilus Nicolaus. 968
Theophraſtus Paracelſus. 1225
Thevetus Andreas. 1455
Thienæus Cajetanus. 90
Thilo Georgius. 956
Thorinus Albanus. 1231
Thornborough Johannes. 492
Thuanus Chriſtophorus. 888
Jacobus Auguſtus. 1015

Thyræus Hermannus. 285
Petrus. 319
Thyſius Antonius. 405
Jacobus. 1028
Tiara Petrejus. 1480
Tilenus Georgius. 917
Tileſius Henricus. 966
Tilius Johannes. 858
Tiraquellus Andreas. 835
Titelmannus Franciſcus. 159
Todtenwardt Joh. Jacobus Wolfſius. 1145
Töbingius Henricus. 1186
Toletus Franciſcus, Card. 58
Tomaſinus Thomas. 88
Paulus. 240. 1100
Tomæus Leonicus. 1442
Tomicius Petrus. 815
Tomitanus Bernardinus. 1472
Torchilli Chriſtianus. 1248
Tormius Ericus Olai. 649
Torrentius Levinus, Archiep. 58
Torres Hieronymus. 245
Antonius. 298
Tortus Flavius 1032
Toſſanus Petrus. 233
Daniel. 320. 583
Paulus. 441
Toſtatus Alphonſus. 88
Toxites Michaël. 1266
Tozer Henricus. 552
Tradelius Georgius. 943
Tragus Hieronymus. 1235
Trapezuntius Georgius. 1430
Trautſchelius Johannes. 537
Trebelius Hermannus. 802
Trelcatius Lucas, Pater. 319
Filius. 345
Tremellius Emanuel. 248
Treu Abdias. 1556
Treutlerus Hieronymus. 971
Triucavellus Victor. 1260
Triſſinus Aloyſius. 1291
Joh. Georgius. 1452
Trithemius Johannes. 1436
Triverus Jeremias. 1239
Triviſanus Bernardinus. 12[illegible]
Trottius Bernhardus. 9[illegible]
Truberus Primus. [illegible]6
Truckenbrotus Jacobus. [illegible]02
Tudeſcus Nicolaus, Cardin. 18
Tuiſſius Guilielmus. 520
Tuldenus Nicolaus. 982
Tuningus Gerardus. 985
Turcus Joh. Antonius. 1302
Turnonius Franciſcus J[illegible]us. 39
de Turre Cremata Johannes, Cardin. 20
Turrianus Franciſcus. 259
Hieronymus. 1215
Marcus Antonius. 1217
Turſellinus Horatius. 307
Tuſſanus Jacobus. 1450
Tuſchelinus Ga[illegible]s. 953
Tuſcus Dominicus, Card. 66
Tyndalus Guilielmus. 109
Typotius Ja[illegible]us. 965

V.

Vadianus Joachimus. 1231
Vairius Guilielmus. 1033
de Valentia Gregorius. 324
Valeriola Franciſcus. 1278
Valerius Auguſtinus, Card. 64
Cornelius. 1474
Valeſius Franciſcus. 1230
Valignanus Alexander. 347
Valla Laurentius. 1427
Vandalinus Johannes. 648
Vapovius Bernhardus. 815
Varenbulerus Nicolaus. 964
Varolius Conſtantius. 1270
Varſchevicius Stanislaus. 283
Vasquetz Dionyſius. 275
Gabriel. 232
Vaterus Johannes. 467
Vauganus Richardus. 342
Velatus Johannes Baptiſta. 316
Velinx Daniel. 1206
Vellejus Jacobus Matthiæ. 340
Velſerus Marcus. 1004
Velſius Juſtus. 1247
Vendevillius Johannes. 930
Venediger Adam. 1099
Joh. Wolffgangus. 1164
Venerius Franciſcus. 884
Venetus Georgius. 1212
Vergara Johannes. 172
Vergerius Petrus Paulus. 206
Vermander Carolus. 1501
Vermilius Petrus Martyr. 191
Verratus Johannes Maria. 193
Veſalius Andreas. 1254
Uffelius Johannes. 1012
de S. Victore Richardus. 73
Hugo. 74
Victoria Franciſcus. 148
Victorius Benedictus. 1225
Petrus. 1378
V[illegible]us Henricus. 937
Vidas Marcus Hieronymus. 1462
Vidarius Valentinus. 318
Vidius Vidus. 1259
Vidua Franciſcus. 979
Viegas Blaſius. 300
Vielicius Johannes. 308
Vielmus Hieronymus. 254
Victor Henricus. 249
Theodorus. 1511
Volquinius. 1278
Vigelius Nicolaus 952
Vignatus Ludovicus. 1054
Vignerius Nicolaus. 1297
de Villa Nova Thomas. 36
Villanovanus Arnoldus. 1209
Villegas Alphonſus. 296
Vinſtrupius Petrus Joh. 376
Petrus. 646
de Vio Thomas, Cardin. 27
Virdungus Michaël. 1532
Viretus Petrus. 224
Virgilius Marcellus. 1119
Viſcherus Johannes. 1285
Hieronymus. 1298
Viterbienſis Gothofredus. 781

Vives Johannes Ludovicus. 1448
Viviennus Georgius. 860
Vivonius Johannes. 756
Vlatterus Johannes. 844
Uliarius Bartholomæus, Card. 16
ab Ulm Johannes. 1023
Ulmerus Joh. Conradus. 315
Ulmus Franciſcus. 1326
Underwaldenſis Nicolaus. 94
Ungepaur Eraſmus. 1151
Ungnadius Johannes. 767
Unrath Joh. Caſpar. 1115
Unruhius Eraſmus. 1049
Untzerus Joh. Eraſmus. 1076
Unwerth Johannes. 870
de Voerda Nicaſius. 798
Vogelius Matthæus. 285
Johannes. 1551
Voglerus Kilianus. 895
Valentinus Henricus. 1415
Voitus David. 272
Volcamerus Georgius. 1061
Volcartus Georgius. 430
Albertus. 662
Volcmarus Joh. Georgius. 299
Ericus. 915
Henricus. 1149
Adamus. 1164
Volmarius Melchior. 1459
Volſæus Thomas, Card. 26
Volzius Valentinus. 886
Vomelius Cyprianus. 881
Vorſtius Conradus. 362
Ælius Everhardus. 1348
Adolphus. 1393
Voſſius Samuel. 709
Gerardus Johannes. 1540
Vottonus Edoardus. 1237
Vratislavienſis Michaël. 108
Urbanus VII. Pont. Max. 10
VIII. Pont. Max. 13
Regius. 112
Urſinus Zacharias. 253
Elias. 439
Joh. Henricus. 666
Andreas. 990
Johannes. 1329
Utenhovius Nicolaus. 808
Melchior. 1330
Carolus. 1495
Uviecius Jacobus. 302
Vulcanius Bonaventura. 1509
Vultejus Hermannus. 1067
Juſtus. 1470

W.

Wackius Chriſtophorus. 1113
Waguerus Paulus. 432
Georg. Fridericus. 1199
Waldſchmid Bernhardus. 653
Walæus Antonius. 418
Walſingamius Franciſcus. 918
Waltherus Michaël. 629
Georg. Chriſtoph. 1144
Philip. Adolphus. 1165
Wameſius Johannes. 919
Warnerus Johannes. 664
Watts Gilbertus. 598
Webbe Georgius. 494
Weberus Philippus. 560
Johannes. 567
Ananias. 650
Michaël. 674
Wegelinus Thomas. 441
Wehnerus Jonas. 1104
Weidnerus Johannes. 340
Joh. Wolffgang. 689
Weinheimerus Adamus. 663
Weinleip Joſaphat. 1391
Weinmann Joh. Theol. 703
Medicus. 1221
Weinrichius Georgius. 388
Wellerus Hieronymus. 232
Jacobus. 642
Paulus. 1311
Welhammerus Chriſtophorus. 522
Welmannus Henricus. 1373
Welſchius Georg. Hieronym. 1416
Wellen Jacobus. 981
Wendeler Michaël. 702
Conradus. 708
Wernerus Gotfridus. 680
Georgius. 1196
Weſenbecius Johannes. 360
Petrus. 844. 962
Andreas. 857
Matthæus. 900
Weſtfaylingus Herebertus. 260
Whitakerus Guilielmus. 294
White Johannes. 540
Wicelius Georgius. 194
Wicknerus Abdias. 352
Wiclefus Johannes. 80
Widdowes Ægidius. 516
Widerus Johannes. 447
Widebramus Fridericus. 260
Widmannus Simplicius. 1121
Widmarius Abdias. 677
Wielandus Philippus. 804
Wierus Johannes. 1263
Wigandus Johannes. 270
Wildenbergius Hieronymus. 1239
Wildius Caſpar. 893
Ægidius. 709
Simon. 1246
Wilerus Johannes. 795
Wilhelmus Haſſiæ Landgr. 756
Dux Brunsv. 758
Dux Saxon. 760
Willichius Jodocus. 1233
Willis Thomas. 1415
Willius Joachimus. 491
Wimphelingus Jacobus. 103
Winckelmannus Johannes. 427
Winterus Johannes. 444
Wirſungus Chriſtophorus. 224
Wirth Michaël. 988
Polycarpus. 1139
Georgius. 1331
Witeher David. 225
Witgiftus Joh. Archiep. 63
Witlæus Thomas. 167
Witzlebius Georgius. 716
Wölckerus Georgius. 1166
Wogeſſerus. 956
Woldenbergius Chriſtianus. 1203
Wolderus Theodorus. 1197
Wolffgangus Com. Pal. Rheni. 750
Wolfius Johannes. 230. 951. 1335
Hermannus. 1342
Hieronymus. 1474
Wolfflinus Wernerus. 1213
Wolfrumius Andreas Petrus. 1115
à Wolffſtein Joh. Fridericus. 776
Wollebius Johannes. 446
Joh. Jacobus. 673
Wormius Olaus. 1382
Wurſbein Leonhardus. 1139

X.

Xaverius Franciſcus. 159
Ximenius Franciſcus. 24
Xylander Guilielmus. 1471

Z.

Zabarella Franciſcus, Card. 17
Bartholom. Card. 19
Jacobus. 1452
Zacutus. 1373
Zamora Johannes. 569
Zanchius Hieronymus. 279
Zangerus Johannes. 975
Zaravia Hadrianus. 357
Zaſius Huldericus. 816
Joh. Ulricus. 860
Zeæmannus Georgius. 471
à Zedlitz Wencelaus. 993
Zeilerus Martinus. 1550
Zellerus Chriſtophorus. 694
Zellius Matthias. 151
Zembſchius Wilhelmus. 582
Zieglerus Michaël. 1299
Zimmermann Chriſtianus. 654
Zincgrefius Laurentius. 984
Zochius Laurentius. 823
Zoeſius Nicolaus. 1044
Zolnerus Eraſmus. 525
Zonaras Johannes. 1419
Zorerus Philippus. 1134
Zuberus Matthæus. 1516
Zuckmantelius Johan. Walraffus. 997
Zulegerus Wenceslaus. 936
Zuſ[illegible]us Adamus. 1388
Zwingerus Theodorus. 577. 1289
Jacobus. 1324
Zwinglius Huldricus. 105
Zyrlinus Georgius. 626

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google